537

CENTRE DE LA
EX-LIBRIS

R. P. CLAUDII

LA CROIX

THEOLOGIA MORALIS,

Duobus Tomis Distributa.

R. P. CLAUDII

LA CROIX

THEOLOGIA

MORALIS,

Duobus Tomis Distributa.

Es ad usu de fr. Prudencio texada. Naxª

THEOLOGIA MORALIS

Antehac ex probatis Authoribus breviter concinnata

A R. P. HERM. BUSEMBAUM

Societatis JESU SS. Theologiæ Licentiato;

Nunc pluribus partibus aucta

A R. P. CLAUDIO LA CROIX

EJUSDEM SOCIETATIS JESU

SS. Theologiæ in Universitate Coloniensi Doctore, & Professore publico.

EDITIO NOVISSIMA, IN QUA NUNC primùm antiquis adduntur recentiora S. C. R. Decreta post Authoris obitum emanata; necnon Bulla Cruciatæ à P. ANDREA MENDO *deprompta; unà cum Indice locupletissimo à* P. LEONARDO COLENDALL *elaborato.*

TOMUS PRIMUS.



R/1-414

VENETIIS, MDCCXXV.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

THEOLOGIA MORALIS

Antehac ex probatis Authoribus breviter concinnata

A R. P. HERM. BUSEMBAUM

Societatis Jesu SS. Theologiæ Licentiato;

adhuc pluribus partibus aucta

A R. P. CLAUDIO LA CROIX

EJUSDEM SOCIETATIS JESU

SS. Theologiæ in Universitate Coloniensi Doctore, & Professore publico.

EDITIO NOVISSIMA, IN QUA NUNC

primum antiquis adduntur recentiora S. C. R. Decreta post Auctoris obitum emanata; necnon Bulla Cruciatæ à P. ANDREA MENDO deprompta; una cum Indice locupletissimo à P. LEONARDO COLENDALL elaborato.

TOMUS PRIMUS.



VENETIIS, MDCCXXV.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

PRÆFATIO.

DAuciste volo, *Amice Lector*, admonere, ut & consilii mei rationem & scribendorum ordinem modumque habeas.

§.I. Opusculum hoc, est additamentum ad Medullam *Reverendi Patris Busembaum*, de quo *Nathanael Sotuellus* in bibliotheca Scriptorum Societ. JESU, ita habet *Hermanus Busembaum, natione Germanus, patria Nottelenensis in VVestphalia, natus anno sæculari* 1600. *Deo se in Societate devovit* 1619. *& votorum quatuor sacramentum solemne dixit. Docuit in ea Humaniora, Philosophiam, Theologiam Scholasticam, & Moralem, rexitque Collegia, Hildesiense, & bis Monasterienſe in VVestphalia. Vir eximiæ prudentiæ, & singularis doctrinæ, unde à Celsissimo Principe Episcopo Monasterienſi* (Christophoro Bernardo de Galen.) *in arbitrum conscientiæ suæ est adlectus, eoque munere magna tam ipsius Principis quàm Aulicorum commendatione perfunctus..... In sacro tribunali Pœnitentiæ, commissos sibi animos mira dexteritate regebat ..... Susceptis præsenti animo extremis Sacramentis Spiritum Deo reddidit Monasterii, ubi tunc erat Rector, die ult. Jan.* 1668. *Dum Theologiam, quæ de Moribus tractat, prælegeret Coloniæ, composuit auream illam Medullam Casuum, quæ in omnibus dein recusa Provinciis, omnium tenuit approbationem; atque ita edidit Medullam Theologiæ Moralis Monast. VVestph. apud Bern. Raesfelt* 1645. *recusam Coloniæ, Francofurti, Lugduni, Romæ, Venetiis, Maceratæ, & alibi, ad minimum* 45. *vicibus, & editio* 45. *facta est Ulyssipone.* Posteà iterum ac sæpius recusa est tum Antuerpiæ, tum Coloniæ, ita ut facilè quinquagesies subjerit prælum.

§.II. Sequar Ordinem hujus Medullæ, ejusque textum primo loco statuam cum notis Commatum ad marginem, ut discerni possit. Et quamvis in dicta Medulla sint aliquæ propositiones postmodùm notatæ à Pontificibus, (scripta enim est, & impressa ante decreta, etiam *Alexandri VII.*) tamen non correxi quicquam nec immutavi contextum, tum ob rationes, quas notant *Vindiciæ Gobatianæ* parte 1. Observ. 7. tum maximè ne Cavillatores dicerent pluribus vitiis scatuisse: nil autem incommodi potest timeri ex hac impressione, quia suis locis, ubi propositiones illæ occurrent, statim subjiciam damnationem, ac indicabo sensum, qui reprobandus est. Sed nec in aliis semper sequar sententias *Patris Busembaum*, verùm illas, pro quibus mihi videbitur esse major Authoritas & ratio firmior.

§.III. Sæpe referam propositiones damnatas à Conciliis vel Pontificibus, quas omnes simul reperies hìc post præfationem, nempe Articulos *VVicleff. Huss, Lutheri*: item propositiones *Baii, Jansenii, Molinos*, aliasque reprobatas

batas ab *Alex.VII. Innoc. XI. Alex.VIII. Innoc.XII.* Alia decreta Pontificum aut etiam damnationes aliarum propoſitionum ponentur ſuis locis, quando agetur de illis materiis.

§.IV. Referam etiam ſæpe varias ſententias, quas licèt non ſemper poſitivè improbaturus ſim, attamen non ideo judico eſſe abſolutè probandas aut paſſim ſequendas; refero tamen, ut Confeſſarius ſciat eas à gravibus Authoribus doceri, & poſſit diſſimulare quandoque in neceſſitate cum Pœnitentibus, ſi certæ accedant circumſtantiæ, quæ reddant practicabiles, uti pluribus dicetur l.6. quando de prudentia Confeſſarii. Etiam ſæpe referam ſententias utrimque probabiles, & non addam, pro qua parte ſit meum de illis judicium, maximè ubi quæretur de peccatis; cujus cauſam dabo lib. 4. num.1542.

§.V. Authores brevitatis cauſa citabo adductis tantùm primis literis nominum, quæ citationes ut intelligantur, & ut habeatur rudis aliqua notitia Authorum, hìc ante lib.1. poſt propoſitiones damnatas, num.23. redigam pleroſque in Ordinem Alphabeticum, cum explicatione dictarum abbreviationum.

§.VI. Ubi non aſſignavero Librum vel Tractatum Authoris, quem cito, intelligetur Liber vel Tractatus, in quo agit de ſubjecta materia, v.g.ſi in materia Præceptorum Decalogi dixero, *ita Sanch.l.1. cap.4.* intelligetur *Sanchez* in Opere morali, ſive in Decalogum; ſi citavero in materia Matrimonii, intelligetur *Sanchez* in Libris de Matrimonio; & ita de aliis. Quando autem non exprimam totum locum, ſed v.g.tantùm §.vel n.in quo hoc vel illud habet Author, citatio, quæ omittitur, reperietur paulò ante in eadem quæſtione, cum ulteriore deſignatione libri, & loci. Modum intelligendi citationes Juris Canonici, & Civilis reperies l.1.à n.876.

§.VII. Etiam citabo quandoque Authores Romæ confixos, quos legeram, antequam configerentur: videbitque Lector, quòd illorum nimiam laxitatem aut mordacitatem nullo modo probem, ſed potiùs impugnem: locos autem illorum annoto, ut inſpicere poſſint illi, qui à S.Sede facultatem habent tales libros legendi.

§.VIII. Medulla *Patris Buſembaum* diviſa eſt in ſeptem libros, quorum.

Liber Primus eſt, de actuum Moralium regula, tum interna, hoc eſt, Conſcientia; tum externa, hoc eſt, præceptis in genere.

Liber Secundus. De præceptis Fidei, Spei, & Charitatis.

Liber Tertius. De præceptis Decalogi, & Eccleſiæ.

Liber Quartus. De præceptis cæterorum hominum ſtatui propriis.

Liber Quintus. De modo diſcernendi naturam, & gravitatem peccatorum, quæ contra dicta præcepta committuntur.

Liber Sextus. De Sacramentis novæ Legis.

Liber Septimus. De cenſuris Eccleſiaſticis, & Irregularitatibus; nec non de Bulla Cruciatæ à P.Andrea Mendo deprompta.

APPRO-

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

EGo infraſcriptus Societatis JESU in Provincia Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. R. P. noſtro Angelo Michaele Tamburino Præpoſito Generali librum, cui titulus eſt, Theologia Moralis, antehac ex probatis Authoribus breviter concinnata à R. P. HERMANNO BUSEMBAUM Societatis JESU, SS. Theologiæ Licentiato, nunc pluribus partibus aucta à R. P. CLAUDIO LA CROIX ejuſdem Societatis in Univerſitate Colonienſi SS. Theologiæ Doctore, & Profeſſore publico, *à deputatis ad id Societatis ejuſdem Patribus lectum, & approbatum, typis mandari permitto. In cujus rei fidem has litteras manu propria ſubſcriptas, & officii ſigillo munitas dedi. Coloniæ* 24. *Februarii Anno* 1707.

(L.S.)

JOANNES DIRCKINCK
S.J.m.pp.

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approbatione del P. Fr. Vicenzo Maria Mazzoleni Inquiſitore nel Libro intitolato: *Theologia Moralis, &c. concinnata à R. P. Hermanno Buſembaum Soc. Jeſu, &c. nunc aucta à R. P. Claudio la Croix ejuſdem Soc.* non v'eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Nicolò Pezzana Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 13. Aprile 1710.

Carlo Ruzzini Kav. Proc. Rifor.

Alviſe Piſani Kav. Rifor.

Agoſtino Gadaldini Segr.

ARTI-

ARTICULI XLV.
JOANNIS VVICLEFF
Damnati anno 1418. in Concilio Conſtantienſi, Seſſione 45.

Tom. 29. Concilior. Regiorum, pag. 617.

1 SUbſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris.

2 Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.

3 Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè, & realiter propria præſentia corporali.

4 Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, nõ conficit, non baptizat.

5 Non eſt fundatum in Evangelio, quòd Chriſtus Miſſam ordinaverit.

6 Deus debet obedire diabolo.

7 Si homo fuerit debitè contritus, omnis Confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.

8 Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam, niſi fortè à Cæſare.

9 Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.

10 Contra Scripturam Sacram eſt, quòd viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.

11 Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi priùs ſciat eum excommunicatum à Deo: & qui ſic excommunicat, fit ex hoc hæreticus, vel excommunicatus.

12 Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eò ipſo traditor eſt Regis, & Regni.

13 Illi, qui dimittunt prædicare ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Chriſti habebuntur.

14 Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi catholici.

15 Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

16 Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolùm actu delinquentibus.

17 Populares poſſunt ad ſuum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18 Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.

19 Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plùs proſunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.

20 Conferens eleemoſynam Fratribus eſt excommunicatus eo facto.

21 Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcunque, tam poſſeſſionatorum quàm Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.

22 Sancti inſtituentes Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.

23 Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana.

24 Fratres tenentur per laborem manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

25 Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis eis in temporalibus ſubvenientibus.

26 Oratio præſciti nulli valet.

27 Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.

28 Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum Conſecratio reſervantur Papæ, & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29 Univerſitates, ſtudia, Collegia, Graduationes; & Magiſteria in eiſdem ſunt vana gentilitate introducta, tantùm proſunt Eccleſiæ ſicut diabolus.

30 Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Anti-Chriſti.

31 Peccant fundantes Clauſtra; & ingredientes ſunt viri diabolici.

32 Ditare Clerum eſt contra Regulam Chriſti.

33 Silveſter Papa, & Conſtantinus Imperator errarunt Eccleſiam dotando.

34 Omnes de ordine Mendicantium ſunt hæretici, & dantes eis eleemoſynas ſunt excommunicati.

35 Ingredientes Religionem, aut aliquem ordinem eò ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad regnum cœlorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.

36 Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, eo quòd poſſeſſiones habent: & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & cæteri laici.

37 Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.

38 Decretales Eccleſiæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti; & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas.

39 Imperator, & Domini ſæculares ſunt ſeducti à diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

40 Electio Papæ à Cardinalibus, à diabolo eſt introducta.

41 Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

42 Fatuum eſt credere Indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum.

43 Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & commercia civilia.

44 Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quòd habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones: & ſic à Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt hæretici.

45 Omnes Religiones indifferentes introductæ ſunt à diabolo.

Articuli 30. JOANNIS HUS, *damnati anno* 1418. *in Concil. Conſtantienſi Seſſ.* 45.

Tom. 29. Concil. Regiorum, pag. 620.

1 UNica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.

2 Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licèt fecerit quoſdam actus actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.

3 Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cùm nulla pars ejus finaliter excidet ab ea, eò quòd prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidet.

4 Duæ naturæ, Divinitas, & humanitas, ſunt unus Chriſtus.

5 Præſcitus, etſi aliquando eſt in gratia ſecundùm præſentem juſtitiam, tamen nunquam eſt pars S. Eccleſiæ, & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licèt aliquando excidat à gratia adventitia, ſed nõ à gratia prædeſtinationis.

6 Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive fuerint in gratia, ſive non ſecundum præſentem juſtitiam iſto modo Eccleſia eſt articulus fidei.

7 Petrus non eſt, nec fuit caput Eccleſiæ S. Catholicæ.

8 Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſic ut filii infideles ſentiunt infideliter de 7. Sacramentis Eccleſiæ, de clavibus, officiis, cenſuris, moribus; cæremoniis, & ſacris rebus Eccleſiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

9 Papalis dignitas à Cæſare inolevit, & Papæ perfectio, & inſtitutio à Cæſaris potentia emanavit.

10 Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe, vel alio, quòd eſſet caput Eccleſiæ particularis, nec Romanus Pontifex eſt caput Romanæ Eccleſiæ particularis.

11. Non oportet credere, quòd iſte, quicunque eſt Romanus Pontifex, ſit caput cujuſcunque particularis Eccleſiæ ſanctæ, niſi Deum eum prædeſtinaverit.

12. Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri niſi ſequatur eum in moribus, cùm nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter recipiat à Deo procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicariatus requiritur, & morum conformitas, & inſtituentis authoritas.

13. Papa non eſt verus, & manifeſtus ſucceſſor Apoſtolorum Principis Petri, ſi vivit moribus contrariis Petro; & ſi quærit avaritiam, tum eſt Vicarius Judæ Scarioth. Et pari evidentia Cardinales non ſunt veri, & manifeſti Succeſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti, niſi vixerint more Apoſtolorum, ſervantes mandata, & conſilia Domini noſtri JESU Chriſti.

14. Doctores ponentes, quòd aliquis per cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, ſæculari judicio eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices, Scribas & Phariſæos, qui Chriſtum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *nobis non licet interficere quenquam*, ipſum ſæculari judicio tradiderunt; & quòd tales ſint homicidæ graviores quàm Pilatus.

15. Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundùm adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ, præter expreſſam authoritatẽ Script.

16. Diviſio immediata humanorum operum eſt, quòd ſunt vel virtuoſa, vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quicquam, tunc agit vitiosè; & ſi eſt virtuoſus, & agit quicquam, tunc agit virtuosè: quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſeu mortale peccatum, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.

17. Sacerdotes Chriſti viventes ſecundùm legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare non obſtante prætenſa excommunicatione. Quòd ſi Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet ſubditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi, prætenſa excommunicatione non obſtante.

19. Per cenſuras Eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ad ſui exaltationem Clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Chriſto. Signum autem evidens eſt, quòd ab Anti-Chriſto tales procedunt cenſuræ, quas vocant in ſuis proceſſibus fulminationes, quibus Clerus principaliſſimè procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Chriſti, qui Clerum pro ſe maximè uſurpabit.

20. Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc ut Judas apoſtolus eſt diaboli, fur & filius perditionis, & non eſt caput S. militantis Eccleſiæ, cùm nec ſit membrum ejus.

21. Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto capiti inſolubiliter.

22. Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt æquivocè Paſtor, & verè fur, & latro.

23. Papa non debet dici Sanctiſſimus, etiam ſecundùm officium, quia aliàs Rex deberet etiam dici Sanctiſſimus ſecundùm officium; & tortores & præcones dicentur ſancti, imò etiam diabolus deberet dici ſanctus, cùm ſit Officiarius Dei.

24. Si Papa vivat Chriſto contrariè, etiamſi aſcenderet per ritam, & legitimam electionem ſecundùm Conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde aſcenderet quàm per Chriſtum, dato etiam quòd intraret per electionem à Deo principaliter factam: nam Judas Scariotes ritè, & legitimè eſt electus à Deo Chriſto JESU ad Epiſcopatum, & tamen aſcendit aliunde ad ovile ovium.

25. Condemnatio 45. art. Joannis Vvicleff per Doctores facta eſt irrationabilis, & iniqua, & malè facta, & ficta eſt cauſa per eos allegata, videlicet ex eo, quòd nullus eorum ſit Catholicus, ſed quilibet eorũ, aut eſt hæreticus, aut erroneus aut ſcandaloſus.

26. Non eo ipſo, quò Electores, vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundùm ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitimè electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus Succeſſor, vel Vicarius Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico: unde ſive Electores benè, vel malè elegerint, operibus electi debemus credere, nam eo ipſo, quo quis copioſiùs operatur meritoriè ad profectum Eccleſiæ, habet à Deo ad hoc copioſiùs facultatem.

27. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe unum caput in Spiritualibus regens Eccleſiam, quòd ſemper cum Eccleſia ipſa militante converſetur, & conſervetur.

28. Chriſtus ſine talibus monſtruoſis capitibus per ſuos veraces Diſcipulos ſparſos per orbem terrarum meliùs ſuam Eccleſiam regularet.

29. Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum: ſic facerent deficiente per ſummè poſſibile Papa uſque ad diem judicii.

30. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

Articuli 41. MARTINI LUTHERI, *anno* 1520. *damnati à Leone X. per Bullam, Exurge Domine, &c.* Tom. I. Bullarii apud Cherubinum pag. 451.

1. HÆretica ſententia eſt, ſed uſitata, Sacramenta novæ legis juſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2. In puero poſt Baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.

3. Fomes peccati, etiamſi nullum adſit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingreſſu cœli.

4. Imperfecta charitas morituri fert ſecum neceſſariò magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam Purgatorii, & impedit introitum regni.

5. Tres eſſe partes pœnitentiæ, Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, non eſt fundatum in S. Scriptura, nec in antiquis SS. Chriſtianis Doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per diſcuſſionem, collationem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.

7. Veriſſimum eſt proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucuſque data præſtantius, de cætero non facere, ſumma pœnitentiæ: optima pœnitentia nova vita.

8. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed nec omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, ut omnia mortalia cognoſcas: unde in primitiva Eccleſia ſolùm manifeſta mortalia confitebantur.

9. Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quàm quòd miſericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoſcendum.

10. Peccata non ſunt ulli remiſſa, niſi remittente Sacerdote credat ſibi remitti; imò peccatum maneret, niſi remiſſum crederet, non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.

11. Nullo modo confidas abſolvi propter tuam contritionem, ſed propter verbum Chriſti, *Quodcunque ſolveris, &c.* Hic, inquam, confide, ſi Sacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum, & abſolutus verè eris, quidquid ſit de contritione.

12. Si per impoſſibile, confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſeriò, ſed joco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.

13. In Sacramento Pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ non plus facit Papa, aut Epiſcopus, quàm infimus Sacerdos; imò ubi non eſt Sacerdos, æquè tantùm quilibet Chriſtianus, etiamſi mulier, aut puer eſſet.

14. Nullus debet Sacerdoti reſpondere ſe eſſe contritum, nec Sacerdos requirere.

15. Magnus eſt error eorum, qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quòd ſint confeſſi, quòd non ſint ſibi conſcii alicujus peccati mortalis, quòd præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria, omnes illi ad judicium ſibi manducant, & bibunt: ſed ſi credant, & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros, & dignos.

16. Conſultum videtur, quòd Eccleſia in communi Concilio ſtatueret laicos ſub utraque ſpecie communicandos: nec Bohemi ſub utraque ſpecie communicantes ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.

17. Theſauri Eccleſiæ, unde Papa dat Indulgentias, non ſunt merita Chriſti, &c.

18. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum; & ſunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

19. Indulgentiæ his, qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam juſtitiam.

20. Seducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum Spiritus utiles.

21. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolùm publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodò, & impatientibus.

22. Sex generibus hominum Indulgentiæ, nec ſunt neceſſariæ, nec utiles: videlicet mortuis, ſeu morituris; infirmis, legitimè impeditis; his, qui non commiſerunt crimina; his, qui crimina commiſerunt, ſed non publica; his, qui meliora operantur.

23. Excommunicationes ſunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.

24. Docendi ſunt Chriſtiani plus diligere excommunicationem quàm timere.

25. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, non eſt Chriſti Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo Chriſto in B. Petro inſtitutus.

26. Verbum Chriſti ad Petrum, *Quodcumque ſolveris ſuper*

terram, *&c.* extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.

27. Certum in manu Papæ, aut Eccleſiæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei; imò nec leges morum, ſeu bonorum operum.

28. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic, vel ſic ſentiret, nec etiam erraret, adhuc non eſt peccatum, aut hæreſis contrarium ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fuerit per Concilium univerſale, alterum reprobatum, alterum approbatum.

29. Via nobis facta eſt enervandi authoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum geſtis, & judicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur ſive probatum fuerit, ſive reprobatum à quocumque Concilio.

30. Aliqui articuli Joannis Huſſ condemnati in Conc. Conſtantienſi ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Evangelici, quos nec univerſalis Eccleſia poſſet damnare.

31. In omni opere bono juſtus peccat.

32. Opus bonum optimè factum, eſt veniale peccatum.

33. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem Spiritus Sancti.

34. Præliari adverſus Turcas eſt repugnare Deo viſitanti iniquitates noſtras per illos.

35. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.

36. Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo, & dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter.

37. Purgatorium non poteſt probari ex S. Scriptura, quæ ſit in Canone.

38. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes; nec probatum eſt ullis, aut rationibus, aut Scripturis, ipſas eſſe, nec extra ſtatum merendi, aut agendæ charitatis.

39. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragiis viventium, minus beantur, quàm ſi per ſe ſatisfeciſſent.

41. Prælati Eccleſiaſtici, & Principes ſæculares non malè facerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.

Propoſitiones 79. MICHAELIS BAII, *& aliorum, quas damnavit S. Pius V. die* 1. *Octobris* 1567. *per Conſt.* Ex omnibus, *Quam damnationem confirmarunt Greg. XIII. die* 29. *Januar.* 1579. *per Conſtit.* Proviſionis noſtræ: *Et Urban. VIII. die* 6. *Martii* 1641. *per Bullam*, In eminenti.

1. NEc Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo Homini, ſi in ſtatu illo perſeveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

5. In promiſſione facta Angelo, & primo Homini continetur naturalis juſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine aliq reſpectu, vita æterna juſtis promittitur.

6. Naturali lege conſtitutum fuit homini, ut ſi in obedientia perſeveraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, ſed juxta modum loquendi Scripturæ ſacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Chriſti, nullum inveniri poteſt bonum meritum, quod ſit gratis indigno collatum.

9. Dona conceſſa homini integro, & Angelo, forſitan, non improbanda ratione, poſſunt dici gratia: ſed quia ſecundùm uſum ſacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per JESUM CHRISTUM malè merentibus, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimiſſo, ſæpè remanet, & corporis reſurrectio, propriè nonniſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.

11. Quod piè, & juſtè in hac vita mortali uſque in finem converſati, vitam conſequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto Dei judicio deputandum eſt; neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua, lege naturali conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii ſententia eſt, Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſt regni cœleſtis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiant per Spiritum adoptionis inhabitantem corda Filiorum Dei, ſed tantùm ex eo, quòd ſint conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.

14. Opera bona Juſtorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm juſto Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non conſiſtit in eo, quòd qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolùm, quòd obedit Divinæ legi.

16. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, eſſe neceſſarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.

18. Opera Cathecumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur, niſi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera juſtitiæ, & Temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis, non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.

22. Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Abſurda eſt eorum ſententia, qui dicunt hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, ut Fide, Spe & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otioſis hominibus, ſecundùm inſipientiam Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum rejicienda eſt, Hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, nonniſi ad peccandum valet.

28. Pelagianus eſt error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non ſoli fures ii ſunt latrones, qui Chriſtum, viam & oſtium veritatis, & vitæ negant, ſed etiam quicumque aliunde, quàm per ipſum in viam juſtitiæ (hoc eſt aliquam juſtitiam) conſcendi poſſe docent.

30. Aut tentationi ulli, ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.

31. Charitas perfecta, & ſincera; quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Cathecumenis, quàm in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Cathecumenus juſtè, rectè, & ſanctè vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lavacro demum percipitur.

34. Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut author naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimoniis, excogitata.

35. Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis hoc eſt, quod ex natura ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur.

39. Quòd voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis à peccato.

42. Juſtitia, qua juſtificatur per fidem impius, conſiſtit formali-

maliter in obedientia mandatorum, quæ eſt operum Juſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in Filium Dei, & ſecundùm interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ conſors efficitur, ut ſic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire poſſit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum abſolutionis; & in Catechumenis ante Baptiſmum, eſt vera juſtificatio; ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.

44. Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt, ſolùm, ut Dei mandatis pareant, cujuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abſtinere, juſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia, & vera legis juſtitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quàm generali illa, qua omne opus, quod fit, ut ſancta ſocietate, Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati, non pertinet voluntarium; nec diffinitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ, & originis, utrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium:

47. Unde peccatum originis verè habet rationem peccati ſine ulla ratione, ac reſpectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48. Peccatum originis eſt habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quòd non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus diſcedens ſine regenerationis Sacramento, quando uſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & lege Dei repugnet.

50. Parva deſideria, quibus ratio non conſentit, & quæ homo invitus patitur, ſunt prohibita præcepto, *Non concupiſces*.

51. Concupiſcentia, ſive lex membrorum, & prava ejus deſideria, quæ inviti ſentiunt homines, ſunt vera legis inobedientia.

52. Omne ſcelus eſt ejus conditionis, ut ſuum authorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.

53. Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus naſcuntur vitiis, quàm qui cum majoribus.

54. Diffinitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cùm Pelagii ſit.

55. Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.

56. In peccato duo ſunt; actus, & reatus, tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus; ſive obligatio ad pœnam.

57. Unde in Sacramento Baptiſmi, aut Sacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolùm liberat à reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur miniſterio Sacerdotis abſolventis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolùm reatus tollitur.

59. Quando per eleemoſynas aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant (nam alioqui eſſemus, ſaltem aliqua ex parte, redemptores) ſed aliquid facimus, cujus intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per paſſiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta, ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur, ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum diſtinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam tantùm; altero quantùm ad certum quendam modum, videlicet ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc eſt ad modum meritorum) commentitia eſt, & explodenda.

62. Illa quoque diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumſtantiis rectum eſt, & bonum (quod moraliter bonum appellare conſueverunt,) vel quia eſt meritorium regni æterni, eò quòd ſit à vivo Chriſti membro per Spiritum charitatis, rejicienda eſt.

63. Sed & illa diſtinctio duplicis juſtitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis juſtificatio impleatur, ſimiliter rejicitur.

64. Item & illa diſtinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur, alterius qua vivificatur, qui verè juſtificatur, & palmes vivus in Vite Chriſto efficitur, pariter commentitia eſt, & Scripturis minimè congruens.

65. Nonniſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſive non malus; & gratiæ Chriſti injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſario facit.

68. Infidelitas purè negativa, in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

69. Juſtificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam juſtificatos faciat implere legem.

70. Homo exiſtens in peccato mortali, ſive in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrii, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.

72. Omnes omninò juſtorum afflictiones, ſunt ultiones peccatorum ipſorum: unde & Job, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.

73. Nemo, præter Chriſtum, eſt abſque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque ejus afflictiones in hac vita, ſicut, & aliorum Juſtorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiſcentiæ, ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupiſces*; Unde homo eos ſentiens, & non conſentiens, tranſgreditur præceptum, *Non concupiſces*, quamvis traſgreſſio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laborioſæ Juſtificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.

79. Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine Juſtitia naturali.

Quas quidem Sententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent: in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectivè, ac quæcunque ſuper iis verbo, ſcriptoque emiſſa, præſentium authoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus; deque eiſdem & ſimilibus poſthac, quoquo pacto, loquendi, ſcribendi, & diſputandi facultatem quibuſcumque interdicimus.

Poſteriora verba ſic interpunxerunt quidam Diſcipuli Baii: Quas quidem ſententias ſtricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. damnamus: *Ex qua interpunctione inferebant nullam determinatè dici poſſe damnatam, ſed tantùm aliquas indeterminatè, ideoque poſſe ſingulas defendi in ſenſu ab aſſertoribus intento: ſed Urb. VIII. in Generali Congreg. die 26. 1644. produxit ex Archivio Bullam*, In eminenti, *in qua repetit verba S. Pii V. & comma, ponitur, poſt Tò*, poſſent; *erantque interpunctiones, uti primò retulimus. Poſtmodùm Bajani dixerunt Bullam illam*, In eminenti, *eſſe ſubreptitiam, quod damnavit Alexander VIII. die 7. Decembr. 1690. in propoſ. 31. uti referemus hic num. 20.*

Propoſitiones JANSENII, *& deſignatio quorundam locorum è quibus deſumptæ ſunt.*

I. *Propoſitio.* Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.

Janſenius in ſuo Auguſtino T. 3. lib. 3. cap. 13. ſic habet, *Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inferuntur, & clareſcunt: 1. quidem eſſe quædam homini præcepta ſecundùm ſtatum, & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia. 2. non adeſſe ſemper gratiam, qua poſſimus, hoc eſt, qua illa eadem præcepta implere ſufficiamus. 3. Hanc impotentiam reperiri non ſolùm in excæcatis, obduratis, & infidelibus, ſed etiam fidelibus, & juſtis, qui, &*

fidem Chriſti, & charitatem juſtitiæ ſuſceperunt. 4. Hanc impoſſibilitatem fidelibus accidere, non tantùm quando nolunt præcepta facere, ſed etiam quando volunt ∴. Hæc igitur omnia pleniſſimè planiſſimèque demonſtrant nihil eſſe in S. Aug. doctrina certius, ac fundatius, quàm eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, excæcatis, & obduratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis volentibus, conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, qua fiant poſſibilia. Hanc eandem propoſitionem inculcat toto illo libro, exceptis duobus ultimis capitibus.

II. *Propoſitio.* Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Janſenius T. 3. l. 2. c. 24. ait, *Gratiam Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit, ut non raro dicat hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere.* Cap. 25. *Quod eſt perinde, ac ſi apertiſſimè diceret, nunquam illa caret effectu ſuo.* Cap. 29. *Docent ipſimet* recentiores *cum omnibus iſtis gratiis optimè conſiſtere poſſe, ut voluntas iis excitata, & ſuaſa, atque prolecta nolit, quod certiſſimum eſt illi gratiæ medicinali repugnare, quam Auguſtinus lapſis hominibus dari tradit.* Tom. 3. l. 3. cap. 1. pro titulo habet, *Nullum dari poſt lapſum Adami adjutorium ſufficiens, quin ſimul ſit efficax.* Et totus ſecundus liber fuit pro ea propoſ. firmanda.

III. *Propoſitio*: ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

Janſenius T. 3. l. 6. cap. 6. ait, *Quod ſola neceſſitas coactionis adimat libertatem ∴. demonſtrari poteſt.* Lib. 8. cap. 19. ait, *Nulla neceſſitas actibus voluntatis liberis formidanda eſt, ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ.* Toti libri, 6. 7. & 8. non continent niſi unam illam prop. prout etiam tituli oſtendunt manifeſtè.

IV. *Propoſitio.* Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

Janſenius Tom. 1. l. 8. c. 6. ait, *Certum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſentio, quòd Maſſilienſes præter prædicationem, atque naturam, veram etiam, atque internam, & actualem gratiam, ad ipſam etiam fidem, quam humanæ voluntatis, ac libertatis adſcribunt viribus, neceſſariam eſſe fateantur.* Idem docet cap. 7. 8. & ſeqq. Eodem cap. 6. ait, *In hoc ergo propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſe, ſi vellet, neuter tamen abſque interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus, vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio, & poteſtate.* Cap. 15. dicit errorem Maſſilienſium fuiſſe, *quòd initium fidei, orationem, gemitus, & deſideria, & hujuſmodi ex nobis, hoc eſt, ex libero arbitrio prodire ſenſerunt, & tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuiſſe ad iſtos actus neceſſariam, cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio.* Et hic eſt ſcopus omnium librorum de hæreſi Pelagiana.

V. *Propoſitio.* Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.

Janſenius T. 3. l. 3. c. 21. *Reſpondetur, & ad hoc argumentum,* quòd Chriſtus ſit Redemptor omnium, pro omnibus crucifixus, & mortuus, *Sicut alia præcedentia jam olim ad nauſeam uſque à Pelagianis, præſertimque Maſſilienſibus inculcatum fuit, ut mirum ſit Recentiores tanto ſtudio trita hæreticorum arma colligere, & obſoleta recudere.* Ibidem ait, *Juxta doctrinam antiquorum reſpiciendum tanquam errorem à fide Catholica abhorrentem, quod Chriſtus pro omnibus omnino paſſus aut mortuus, aut pro omnibus tam generaliter Sanguinem fudit ∴. Vanum eſt, & ſtultum pro eo irritando, vel avertendo rogare Deum, quod immutabili decreto ſancitum, & prædeterminatum eſſe jam noſti: vanum etiam pro talibus ſalvandis pati, mori, vanum pro talibus à perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem, & Sanguinem ſuum ∴. Quæ ſanè cùm in Auguſt. doctrina perſpicua certaque ſint, nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium æterna ſalute mortuus eſſe, Sanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur, ex quo factum eſt, ut juxta ſummum Doctorem non magis Patrem pro æterna ſalute ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit.* Poſtrema capita hujus libri 3. non ſunt niſi hæc 5. propoſitio repetita.

Bullas Pontificum, & modum, quo ſingulæ hæ propoſitiones damnatæ ſunt, habes hic *l. 1. num.* 210.

INNOCENTII D. P. Papæ X. Decretum adverſus libros continentes propoſitionem, qua aſſeritur æqualitas SS. Petri, & Pauli.

Feria v. die 29. Januarii 1647. In Congregatione Generali S. Rom. & univerſalis Inquiſitionis, &c.

EDitus eſt anno 1645. Liber Gallico idiomate impreſſus cui titulus: *De l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul, qui reſide dans le Pape Succeſſeur de ces deux Apoſtres*, abſque nomine Authoris, & impreſſionis loco. Hujus Libri evulgationem ſubſecuta editio eſt alterius Libri Anonymi eodem idiomate impreſſi, cui titulus: *La Grandeur de l'Egliſe Romaine eſtablie ſur l'autorité de S. Pierre, & de S. Paul.* Nec non Epiſtolæ ejuſdem argumenti Latino idiomate conſcriptæ, ac typis excuſæ, plurimis adductis, atque congeſtis Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Sacrorum Conciliorum, & Doctorum locis.

Quo circa, ne in re tanti ponderis error aliquis mentibus Chriſti fidelium irreperet, libris prædictis de mandato Sanctiſſimi maturè examinatis, locisque adductis diligenter inſpectis, ac ponderatis:

Sanctiſſimus relata unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum cenſura, & auditis votis Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, propoſitionem hanc: S. Petrus, & S. Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt. Vel: ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coriphæi, ac ſupremi Duces ſumma inter ſe unitate conjuncti. Vel: ſunt geminus Univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt. Vel: ſunt duo Eccleſiæ Summi Paſtores, ac Præſides, qui unicum caput conſtituunt, ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum, ſine ſubordinatione, & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine Univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, & declaravit.

Epiſtolam verò ac libros prædictos, alioſque, in quibus Propoſitio ut ſupra explicata, & damnata aſſeritur & defenditur, tam impreſſos quam imprimendos, quocumque idiomate, aut quomodolibet, etiam in ſcriptis evulgatos, vel impoſterum evulgandos, Sanctitas Sua omninò damnatos, & prohibitos eſſe voluit, prout præſenti Decreto damnat, & prohibet.

Mandans ut nemo cujuſcunque gradus, & conditionis exiſtat, etiam ſpeciali ſeu ſpecialiſſima nota dignus, libros prædictos, aut aliquem ex illis apud ſe retineat aut legat, nec imprimere, aut imprimi curare audeat, ſub cenſuris, & pœnis contra hujuſmodi delinquentes ſtatutis, ſed ſtatim à præſentis Decreti notitia, quicunque illos habuerit locorum Ordinariis, ſeu Inquiſitoribus conſignare teneatur.

ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. Decretum prius adverſus Propoſitiones 28. ſcandaloſas, & perniciоſas in praxi.

Feria 5. die 24. Septembr. 1665.

SAnctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes; partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela: Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu veriùs perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D. N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis Propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſ-

quoſcunque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minore ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre: neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam, promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria authoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit; uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni, publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à S. Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam judicis, eò quòd ſit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

22. Non eſt contra juſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, putà, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis præcepto, dicens, commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, intereà idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicunque illas, aut conjunctim, aut diviſim, docuerit, defenderit ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Claud. la Croix Theol. Tom. I.

Inſuper diſtrictè in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxin deducant.

ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. Decretum poſterius adverſus Propoſitiones alias ſcandaloſas & in praxi perniciosas. Feria 5. *die* 18. *Martii* 1666.

SAnctiſſimus D.N. poſt latum Decretum die 24. Sept. proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò & accuratè uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros ac per Eminentiſſimos & Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſigillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

PROPOSITIO 29.

IN die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

31. Excuſantur abſolutè à Præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit Præcepto.

35. Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici Præcepto, pro die præſenti & craſtino.

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit eſſe tantùm veniale, oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgò, *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quàm per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit ac decrevit prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarũ, ut minimùm, tamquam ſcandaloſas eſſe damnandas & prohibendas, ſicut eas damnat ac prohibet. Itaut quicumque illas, *&c. uti in priore Decreto.*

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, &c. *uti in priore etiam Decreto.*

INNOCENTII Divina Providentia Papæ XI. Decretum contra Propoſitiones 65. *ſcandaloſas & in praxi perniciosas. Feria* 5. *die* 2. *Martii* 1679.

SAnctiſſimus D.N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis à fel. record. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum proſequi volens, plurimas Propoſitiones, partim ex diverſis vel libris vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam

pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulò & accuratè ſæpius diſcuſſis, eorundem Eminentiſſimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem ſuam auditis: Idem Sanctiſſimus D.N.re poſteà maturè conſiderata ſtatuit & decrevit pro nunc ſequentes Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimum tanquam ſcandaloſas & in praxi perniciosas, eſſe damnandas & prohibendas, ſicuti eas damnat & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacunque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenas approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca ſive extrinſeca quamtumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigorosè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſumus.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in ſæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui: Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, poteſt abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ; ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Nonniſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis ſive gravis.

26. Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine juret, ſe non feciſſe aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intrà ſe aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel qudovis aliud additum verum, reverà non mentitur, non eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta, Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in cathedram, vel præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida, occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis furripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retroventionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quàm futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm, ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.

43. Quidni nonniſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam, ſibi noxiam, falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat: Et ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc, *digniores*, non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundò, locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando ſit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non eſt: Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; ideoque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, putà ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito candalo, ſi abſit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui

duas

duas ejus partes, imò quatuor, ſimul à diverſis celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

59. Licet ſacramentaliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos, ratione magni concurſus pœnitentium, qualis v.g. poteſt contingere in die magnæ alicujus feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimò directè, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali, noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri JESU CHRISTI.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctim, vel diviſim, defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè, publicè aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxin deducant.

Tandem, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur, idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque convitiis contra eas Propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ ſuper iiſdem Propoſitionibus judicium proferatur.

ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VIII. Decretum contra duas Propoſitiones. Feria V. die 24. Auguſti 1690.

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER Papa VIII. non ſine magno animi ſui mœrore audivit duas Theſes, ſeu Propoſitiones, unam denuò, & in majorem Fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere, & cùm ſui Paſtoralis Officii munus ſit, Oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium ſive Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus Inquiſitoribus ſedulò commiſit, qui pluries re maturè diſcuſſâ infraſcriptis Theſibus, ſeu Propoſitionibus ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim expoſuerunt.

I. Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali; Formalis verò in conformitate actus cum Regula morum: Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.

II. Peccatum Philoſophicum, ſeu morale, eſt Actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale, eſt tranſgreſſio libera Divinæ Legis Philoſophicum, quamtumvis grave, in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus, omnibus plenè, & maturè conſideratis, primam Theſin, ſeu Propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub Cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Secundam Theſin ſeu Propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, ita ut quicunque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit publicè, ſeu privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi. Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii, prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, Dignitatis, & Status etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictam Theſin, ſeu Propoſitionem ad praxin deducant.

Decretum S. D. N. ALEXANDRI VIII. Contra Propoſitiones 31. Feria V. Die 7. Decembr. 1690.

SAnctiſſimus D.N. ALEXANDER Divina Providentia Papa VIII. Prædictus: Pro Paſtorali Cura Ovium à Chriſto Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, ut in offenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimium pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negotium diligenter aggreſſi, eique ſedulò, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſigillatim detulerunt.

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ, videlicet:

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeoque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde meritò poſſimus petere, à gratia ſufficienti, *Libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9. Reverà peccat, qui hodie habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxin mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Con-

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, pleræque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui Eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia ſeu ſatisfactione ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B.M.V. die Purificationis ſuæ per duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quòd indiguerit purificatione, & quòd Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundùm verba Legis.

25. Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur MARIÆ, ut MARIÆ, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, *In nomine Patris, &c.* prætermiſſis illis, *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, *Non intendo, quod facit Eccleſia*.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus maturè conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones tanquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſin ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpectivè, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicunque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute S. Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus, cujuſcumque conditionis, Dignitatis & Status, etiam ſpecialis & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipſarum ad praxin deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in majori numero ultrà ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

INNOCENTII D. P. Papæ XI. Decretum, quo damnantur Propoſitiones 68. Michaelis de Molinos. Feria V. die 28. Aug. & iterum 19. Nov. 1687.

AD abolendam perniciоſiſſimæ hæreſis pravitatem, quæ in pleriſque mundi partibus, non ſine maximo Animarum diſcrimine invaluit, rigor debet Apoſtolicus excitari, ut Pontificiæ ſollicitudinis authoritate & providentia, hæreticorum protervia in ipſis ſuæ falſitatis conatibus elidatur, & Catholicæ veritatis lumen in Eccleſia Sancta reſplendens, eam utique demonſtret ab omni execratione falſorum dogmatum expiatam. Cùm igitur compertum fuerit quemdam *Michaelem de Molinos* perditionis filium, prava dogmata, tum verbis, tum ſcriptis paſſim docuiſſe & in praxin deduxiſſe, quæ prætextu Orationis, Quietis, contra doctrinam & uſum à SS. Patribus ab ipſis Eccleſiæ naſcentis primordiis receptum, fideles à vera Religione & à Chriſtianæ pietatis puritate, in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant; Sanctiſſimus D. N. INNOCENTIUS Papa XI. cui cordi eſt, ut fidelium Animæ ſibi ex alto commiſſæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum ſalutis portum tutò pervenire poſſint, pro re tam gravi, auditis pluries coram ſe Eminentiſſimis & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus, ac pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis, tum voce tum ſcripto ſuſceptis, maturèque perpenſis, implorata etiam Sancti Spiritus aſſiſtentia, ad damnationem infraſcriptarum Propoſitionum ejuſdem *Michaelis de Molinos*, à quo fuerunt pro ſuis recognitæ, & de quibus Propoſitionibus tanquam à ſe dictatis, ſcriptis, communicatis & creditis, & ipſe convictus, & reſpectivè confeſſus devenire, ut infra, decrevit.

PROPOSITIONES.

1. NEceſſarium eſt annihilari potentias; & hæc eſt via interna.

2. Velle operari activè, eſt offendere Deum, qui vult ſolus Agens eſſe, & ideo neceſſe eſt derelinquere ſe in illo, & deinde ſe habere corporis mortui inſtar.

3. Vota faciendi aliquam rem, ſunt impeditiva perfectionis.

4. Activitas naturalis eſt inimica gratiæ, & impedit operationem Dei & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis, ſine nobis.

5. Anima nihil operando annihilat, ſe & redit ad ſuum principium & ad ſuam originem, quæ eſt eſſentia Dei, ubi manet transformata, & divinizata, & tunc Deus manet in ſe ipſo, quia tunc non ſunt amplius duæ res unitæ, ſed una ſola, & ſic vivit & regnat Deus in nobis, & anima ſe annihilat in eſſe operativo.

6. Interna via eſt illa, in qua non cognoſcitur aut lumen, aut amor, aut reſignatio, neque neceſſarium eſt cognoſcere Deum, & ſic bene proceditur.

7. Non debet anima cogitare, aut præmium, aut pœnam, aut Paradiſum, aut infernum, aut mortem, aut æternitatem.

8. Non debet velle ſcire, an ambulet cum voluntate Dei, an ſit reſignata illi, vel non; nec eſt neceſſe, ut velit cognoſcere ſuum ſtatum, nec proprium nihilum; ſed ſeſe habeat quaſi corpus mortuum.

9. Non debet anima memor eſſe, vel ſui ipſius, vel Dei, vel ullius rei, & in via interna omnis reflexio eſt nociva, etiam reflexio ſupra ſuas actiones humanas ac proprios defectus.

10. Si propriis defectibus aliquis ſcandalizat alterum, non eſt neceſſe ad id facere reflexionem, dummodò non ſit voluntas ſcandalizandi; & non poſſe reflectere ad proprios defectus, eſt donum Dei.

11. Ad dubia, quæ accidunt, rectè ne procedamus, an non, non eſt neceſſarium reflectere.

12. Qui dedit liberum arbitrium Deo, non debet curare de ulla re, nec de inferno, nec de Paradiſo, nec de habendo deſiderio ſuæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ Salutis, à cujus etiam ſpe ſe purgare debet.

13. Dum conſignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinqui cura, & cogitatio omnium rerum noſtrarum & permitti, ut in nobis ſine nobis ſuum divinum faciat velle.

14. Qui reſignatus eſt divinæ voluntati, non debet à Deo quidquam petere, quia petere eſt imperfectio, cùm ſit actus propriæ voluntatis, & electionis, & eſt quodammodo velle, ut divina voluntas noſtræ ſe conformet, & non noſtra voluntati divinæ: & illud, *Petite, & accipietis* ex Evangelio, non fuit dictum à Chriſto pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; quin & illæ eò deveniunt, ut non poſſint à Deo quidquam petere.

15. Unde ſicuti nihil debent à Deo rogare, etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re, quia utrumque eſt æqualiter actus propriæ voluntatis.

16. Non oportet quærere Indulgentias pro pœna debita peccatis propriis; quia melius eſt ſatisfacere divinæ juſtitiæ quàm quærere miſericordiam, nam illud procedit ex puro Dei amore, & hoc ex amore intereſſato, id eſt, perſonalis commodi noſtri, & non eſt res grata Deo, nec meritoria, quia eſt velle ſubterfugere crucem.

17. Ex quo traditum eſt Deo liberum arbitrium, cura etiam ac cogitatio animæ noſtræ, non debent ulterius æſtimari tentationes, nec alia fieri illis reſiſtentia niſi negativa, non utendo induſtria; & ſi natura inde patitur, neceſſe eſt illam ſinere pati, quia natura eſt.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, ſpeciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum *in ſpiritu, & veritate*.

19. Qui amat Deum, prout illum Ratio argumentando repræſentat, aut intellectus comprehendit, non amat Deum verum.

20. Dicere, in Oratione utendum diſcurſu, & cogitatibus tunc, cùm Deus non loquitur animæ, eſt ignorantia: Deus non loquitur unquam, illius loqui, eſt operari; ſemperque in anima operatur, dum iſta ſuis diſcurſibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21. In Oratione manendum eſt in fide obſcura, & univerſali, cum quiete, & oblivione omnis alterius cogitationis particularis, & diſtinctæ attributorum Dei, & Trinitatis: atque ſtandum in præſentia Dei ad eum adorandum, amandum, eique ſerviendum: verùm ſine productione ullorum actuum; Deus namque id genus rebus non delectatur.

22. Non eſt hæc cognitio Fidei actus quiſpiam productus à crea-

creatura, ſed cognitio quædam illi à Deo data, quam creatura non novit ſe habere, neque adeò poſtea ſcit ſe habuiſſe; idemque dicendum de amore.

23. Myſtici cum S. Bernardo *In Scala Clauſtralium*, diſtinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Oſationem, & Contemplationem infuſam. Qui ſemper eſt in primo, numquam tranſit ad ſecundum. Qui ſemper eſt in ſecundo, numquam ad tertium pertingit, quæ eſt Contemplatio noſtra acquiſita, ubi conſiſtendum eſt tota vita, dummodo Deus non trahat animam, nihil tale expectantem, ad Contemplationem infuſam: & hac ceſſante, redeundum eſt Animæ ad gradum tertium, & in eo conſiſtendum, non ampliùs revertendo ad ſecundum, aut primum.

24. Quantæcumq; cogitationes inter Orandum accidant, etiam impuræ, quin & contra Deum, & Sanctos, contra Fidem & Sacramenta; ſi non voluntariè foveantur, neque actu aliquo voluntatis rejiciantur, ſed cum indifferentia, & reſignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei: imò illam reddunt perfectiorem, quia Anima magis eſt reſignata voluntati Divinæ.

25. Tametſi ſuperveniat ſomnus, & dormiatur, omninò tamen oratur, & contemplatio fit actualiter; quia Oratio, & reſignatio, Reſignatio, & Oratio, totum eſt idem; & quamdiu continuatur Reſignatio, utique etiam Oratio continuatur.

26. Tres hæ Viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ineptia eſt maxima, quæ unquam prolata ſit in ipſa Myſtica, cùm non ſit niſi Via unica, ideſt, Via interna.

27. Qui deſiderat, & amplectitur devotionem ſenſibilem, is nec deſiderat nec quærit Deum, ſed ſeipſum: quique per Viam internam incedit, malè facit eam deſiderando ac habere conando, ſive in locis ſacris, ſive in diebus ſolemnibus.

28. Bonum eſt tædium rerum ſpiritualium; quia ſic ab amore proprio expurgamur.

29. Cùm anima interna faſtidit diſcurſus de Deo, & Virtutibus, manetque frigida, non ſentiendo ſe ad fervorem accendi, bonum ſignum eſt.

30. Quidquid ſenſibile in vita ſpirituali percipitur, illud omne abominabile eſt, ſordidum, & immundum.

31. Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non poſſunt cognoſci à ſenſibus. Perdere oportet Virtutes.

32. Nec ante nec poſt Communionem alia opus eſt præparatione, aut gratiarum actione (pro animabus hiſce internis) quàm ut ſe teneant in ſolita Reſignatione paſſiva; quia in hac invenitur amor, qui ſupplet modo perfectiori, quàm omnes alii virtutum actus, qui fieri poſſunt, & fiunt in via ordinaria. Etſi in hac occaſione Communionis accidant motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis; reprimi debent, quoties non cognoſcuntur eſſe ſpeciales Dei impulſus; aliter enim ſunt impulſus naturæ, nondum mortuæ.

33. Malè facit anima, quæ Via iſta interna graditur, ſi diebus ſolemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum ſenſum aliquem Devotionis; quia animabus internis omnes dies ſunt pares, omnes feſti: idemque eſt de locis ſacris, cùm omnia loca his animabus ſint paria.

34. Deo gratias agere lingua, & verbis non eſt animarum internarum, quarum eſt in ſilentio ſe tenere, non præbentes Deo impedimentum, quò minùs in iis operetur: & quantò ampliùs ſe Deo reſignant, tantò magis experiuntur impotentiam dicendi, *Pater noſter*.

35. Animabus hujus viæ internæ non convenit, ut faciant operationes etiam virtuoſas ex propria electione, & activitate; alioquin mortuæ non forent. Nec debent facere actus amoris erga D. Virginem, Sanctos, Humanitatem Chriſti; quia cum hæc ſint objecta ſenſibilia, talis eſt amor erga illa.

36. Nulla creatura, neque D. Virgo, nec Sancti, ſedem habere debent in corde noſtro; quia Deus ſolus vult occupare illud, & poſſidere.

37. In occaſione tentationum etiam vehementium, non debet anima facere actus explicitos virtutum oppoſitarum, ſed tenere ſe in ſupradicto amore, & reſignatione.

38. Crux voluntaria mortificationum gravis eſt, & ſine fructu, ideoque omittenda.

39. Opera ſanctiſſima, & auſteritates, quas Sancti ſubjerunt, non ſufficiunt ad animam, vel uno aſſultu liberandam.

40. B. Virgo numquam opus aliquod externum fecit, & omnium Sanctorum fuit ſanctiſſima: Igitur perveniri poteſt ad Sanctitatem ſine opere externo.

41. Deus, ut nos humiliet, & ad veram transformationem pertingere faciat, permittit, & vult in animabus quibuſdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut dæmon operetur violentiam in earum corporibus, illaſque committere faciat actus carnales, etiam in vigilia, & ſine mentis offuſcatione, movendo illis phyſicè manus aliaque membra contra earum voluntatem, & idem dicendum eſt in ordine ad alios actus per ſe peccaminoſos: quo caſu non ſunt peccatum, quia non adeſt conſenſus.

42. Poteſt dari caſus, quo hæ violentiæ ad actus carnales exiſtant in eodem tempore ex parte duarum perſonarum, ideſt, viri, & fœminæ, & conſequantur actus ex parte amborum.

43. Deus temporibus præteritis faciebat Sanctos per medium tyrannorum, hodie eos facit per medium dæmonum, qui dum illis cauſant dictas violentias, facit, ut ii magis ſe vilificent, & annihilent in ſe ipſis, ſeque in Deo reſignent.

44. Job blaſphemavit, & tamen in eo *non peccavit labiis ſuis*; quia id fuit per violentiam dæmonis.

45. Sanctus Paulus paſſus eſt in ſuo corpore tales violentias dæmonis; unde ſcripſit: *Non quod volo bonum, hoc ago: ſed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hæ violentiæ ſunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem, & unionem: neque alia eſt via; eſtque via facilior, & ſecurior.

47. Cùm hæ violentiæ accidunt, oportet, ſinamus ſatanam agere, non utendo propria induſtria, aut viribus, ſed conſiſtendo in nihilo noſtro: ac tametſi accidant pollutiones, actuſque obſcœni manibus procurati, atq; etiam his magis inſolita & peregrina, non opus eſt his inquietari, ſed excludendi ſunt ſcrupuli, dubia, timores quia anima magis illuminata, robuſtiorque & candidior efficitur, & acquiritur ſancta illa libertas. At in primis non oportet ea confiteri, ſitque ſanctiſſimè illa non confitendo, quia ſic vincitur dæmon, & theſaurus quidam pacis obtinetur.

48. Satanas, qui facit tales violentias, ſuggerit deinde eſſe graves defectus ad inquietandam Animam, ut non progrediatur in via interna: unde ad tollendas illi vires præſtat ea non confiteri, quia nequidem ſunt peccata venialia.

49. Job per violentiam dæmonis faciebat pollutiones manibus ſuis eo ipſo tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces*. Ita interpretando in tali ſenſu textum quendam Cap. 16. Job.

50. David, Jeremias & multi è Prophetis ſanctis patiebantur ejuſmodi violentias harum impurarum operationum externarum.

51. In Scriptura Sacra multa ſunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminoſos; ut Sampſonis, qui per violentiam occidit ſeipſum cum Philiſthæis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus eſt cum Dalila meretrice; quæ aliàs erant res prohibitæ, & fuiſſent peccata: item Judith, quæ mentita eſt Oloferni; Eliſei, qui pueris maledixit: Eliæ, qui igne conſumpſit duos Duces cum cohortibus Regis Achab. An autem fuerit violentia facta immediatè à Deo vel dæmonis miniſterio, ut in aliis accidit animabus, in dubio relinquitur.

52. Quando hæ violentiæ, etiam impuræ, veniunt ſine mentis offuſcatione, tunc anima poteſt ſe unire Deo, & reipſa ſemper magis unitur.

53. Ad cognoſcendum in praxi, an aliqua operatio in aliis perſonis fuerit violenta, regula, quam ea de re habeo, non ſolùm eſt, quòd proteſtentur hæ animæ ſe non conſenſiſſe, vel quòd non poſſint jurare ſe conſenſiſſe; ac quòd videamus eſſe animas, quæ profectum faciunt in Via interna: ſed præſertim me dirigo lumine quodam actuali, & quod ſuperius eſt cognitione humana ac Theologica, quo cognoſco certò cum interna ſecuritate operationem ejuſmodi eſſe violentam: & hoc lumen certus ſum venire à Deo, quia mihi venit conjunctum cum ſecuritate, quod veniat à Deo, neque mihi vel umbram dubii in contrarium relinquit; eum in modum, quo interdum accidit, ut Deus revelando rem quampiam, eodem tempore animam ſecuram reddat, ſe eſſe, qui eam revelationem facit, neque anima poſſit in contrarium dubitare.

54. Spirituales illi Viæ ordinariæ, in hora mortis ſe deluſos & confuſos invenient, cum omnibus paſſionibus in altero mundo expurgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etſi cum multa tolerantia, ad expurgationem & mortificationem omnium paſſionũ, ita, ut nihil ampliùs ſentiatur, nihil, nihil planè, neque percipiat quis inquietudinem ullam, perinde ut corpus quoddam mortuum, neque anima ſe ampliùs in diverſa transferri ſinat.

56. Duæ leges & duæ voluntates, altera animæ, altera amoris proprii, durant, quamdiù amor proprius durat: unde ubi hic expurgatus & mortuus fuerit, uti fit per viam internam, non ampliùs ibi ſunt illæ duæ leges, neque duæ voluntates, nec ultrà fit ulla ſubreptio, aut motus improviſus; neque aliquid porrò ſentitur, ne unum quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquiſitam pervenitur ad ſtatum non peccandi ampliùs, ſeu mortaliter ſeu venialiter.

58. Ad ejuſmodi ſtatum pervenitur, non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus naſcuntur ex reflexione.

59. Via interna ſeparata eſt à Confeſſione, à Confeſſariis & à caſibus conſcientiæ, à Theologia & à Philoſophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, quin & eò, ut mortuæ ſint, jam pertingunt, Deus nonnumquam impoſſibilem reddit Confeſſionem, ipſeque ſupplet tantumdem ipſis largiendo gratiæ perſeverantis, quantum reciperent ex Sacramento: ideoque his animabus non expedit eo caſu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia non poſſunt.

61. Ani-

61. Anima, cùm ad mortem myſticam pertigit, non poteſt ultrà velle aliud, quàm vult Deus; quia non habet amplius voluntatem, & Deus illam ipſi ademit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuè conſiſtendum immobiliter in pace quadam imperturbabili.

63. Pervenitur etiam mediante via interna ad mortem ſenſuum; imò ſignum, quòd quis in nihilo illo conſiſtat, id eſt, mortuus ſit morte myſtica, eſt, ſi ſenſus externi non magis jam repræſentent res ſenſibiles, quàm ſi non exiſterent; quandoquidem non efficiant, ut intellectus ſe iis applicet.

64. Theologus minùs eſt diſpoſitus quàm ſimplex & idiota, ac hoc ut ſit contemplativus: Primò, quia non habet fidem tam puram: Secundò: quia non eſt tam humilis: Tertiò, quia non curat perinde de ſua ſalvatione: Quartò, quia habet caput plenum phantaſmatibus, ſpeciebus opinionibus & ſpeculationibus; & in eum nequit verum lumen intrare.

65. Superioribus obediri debet in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religioſorum pertingit ſolummodò ad exterius: aliud eſt in interiore, quò ſolus Deus & Director intrant.

66. Riſu digna eſt doctrina quædam nova in Eccleſia Dei; Animam, ad interna quod attinet, gubernari debere per Epiſcopum; & ſi is idoneus non fuerit, eundum animæ ab illo ad ſuum Directorem. Dico novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores unquam id dixerunt, neque dicere poſſunt, quia *Eccleſia non judicat de occultis*; habetque jus Anima, ut eligat, quem maluerit.

67. Dicere, opus eſſe, ut internum manifeſtetur tribunali externo Superiorum, & eſſe peccatum, niſi fiat, ea eſt deceptio manifeſta, quia *Eccleſia non judicat de occultis*; atque animabus ſuis damnum adferunt fraudibus hiſce & fictionibus.

68. In mundo non eſt facultas nec jurisdictio ad mandandum, ut manifeſtentur litteræ directori circa internum animæ: & idcircò monitos eſſe oportet, eſſe hunc aſſultum quendam Satanæ.

Quas quidem Propoſitiones tamquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas & everſivas, & ſcandaloſas reſpectivè, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcripto, vel typis emiſſa, pariter cum voto eorumdem Fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium & Inquiſitorum Generalium damnavimus, circumſcripſimus, & abolevimus; deque eiſdem & ſimilibus omnibus & ſingulis poſthac quoquomodo loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxin reducendi facultatem quibuſcumqur interdiximus; & contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis ipſo facto perpetuò privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eò ipſo innodavimus, à quo niſi à Nobis & à Romanis Pontificibus Succeſſoribus noſtris valeant abſolvi. Præterea eodem noſtro Decreto prohibuimus & damnavimus omnes Libros omniaque Opera quocumque loco & idiomate impreſſa, nec non omnia Manuſcripta ejuſdē *Michaelis de Molinos*, vetuimuſque ne quis, cujuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali nota dignus, audeat ſub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, ſive ſub iiſdem verbis, ſive ſub æqualibus aut æquipollentibus, ſive abſque nomine, ſeu ficto aut alieno nomine, ea imprimere vel imprimi facere, neque impreſſa ſeu manuſcripta legere, vel apud ſe retinere, ſed Ordinariis locorū aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatim tradere & conſignare teneatur ſub eiſdem pœnis ſuperiùs inflictis: qui Ordinarii & Inquiſitores ſtatim ea igni comburant & comburi faciant.

Tandem ut prædictus *Michael de Molinos* ob hæreſes, errores & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum & ipſius emendationem plecteretur, lecto in eadem noſtra Congregatione toto proceſſu, & auditis dilectis filiis Conſultoribus noſtri S. Inquiſitionis Officii, in Sacr. Theologia & in Jure Pontificio Magiſtris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum noſtrorum, S.R.E. Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos* tamquam reum convictum & confeſſum reſpectivè, & uti hæreticum formalem, licèt pœnitentem, in pœnam arcti & perpetui carceris, & ad peragēdas alias pœnitentias ſalutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipſum emittenda, ſervato juris ordine damnavimus, mandantes ut die & hora præfigendis in Eccleſia S. Mariæ ſupra Minervam hujus Almæ Urbis, præſentibus omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, & Romanę Curiæ noſtræ Prælatis, univerſoq; populo ad id etiam per conceſſionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor Proceſſus, ſtante in ſuggeſto eodem *Michaele de Molinos*, unà cum ſententia inde ſecuta legeretur. Et poſtquam idem *Michael de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores & hæreſes publicè abjuraſſet, dedimus facultatem Dilecto Filio noſtri Sancti Officii Commiſſario, ut eum à cenſuris, quibus innodatus erat, in forma Eccleſiæ conſueta abſolveret; quæ omnia in executionem dictæ noſtræ Ordinationis die 3. Septembris labentis ſolemniter adimpleta ſunt.

Et licèt ſuprà narratum Decretum mandato noſtro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum & divulgatum fuerit; nihilominus, ne hujus Apoſtolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri poſſit, utque populus Chriſtianus Catholica veritate inſtructior per viā ſalutis incedere valeat, Prędeceſſorum Noſtrorum Summorum Pontificum veſtigiis inhærentes, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione ſupra dictum Decretum denuò approbamus, cōfirmamus & debitæ executioni tradi mandamus: iterùm ſupradictas Propoſitiones definitivè damnantes & reprobantes, Libroſque & Manuſcripta ejuſdem *Michaelis de Molinos* prohibentes & interdicentes ſub eiſdem pœnis & cenſuris contra tranſgreſſores latis & inflictis.

Decernentes inſuper preſentes Litteras ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere; ſicque per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, quavis authoritate fungentes & functuros ubiq; judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate, ac irritum & inane, quidquid ſecus ſuper iis à quocumq; quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus perſonæ in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur, quę ipſis Originalibus Litteris adhiberetur, ſi eſſēnt exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam &c.

Conſtitutio S.D.N. INNOCENTII XII. Qua damnat Librum, cui titulus: Explication des Maximes des Saints, &c.

INNOCENTIUS Papa XII. Ad perpetuam rei memoriam.

CUm aliàs ad Apoſtolatus Noſtri notitiam pervenerit, in lucem prodiiſſe librum quendam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure, par Meſſire François de Salignac Fenelon Archevèque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubouin, Pierre Emery, Charles Clouſier* 1697. ingens verò ſubinde de non ſana libri hujuſmodi doctrina excitatus in Gallis rumor adeò percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit; Nos eumdem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris, maturè, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porrò hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquàm in quamplurimis Congregationibus varias Propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce quàm ſcripto Nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici Gregis Nobis ab æterno Paſtore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Librum prædictum ubicumque & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione aut verſione huc uſque impreſſum aut impoſterum imprimendum, quippè ex cujus lectione & uſu fideles ſenſim in errores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tamquam continentem Propoſitiones, ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpectivè, tenore præſentium damnamus & reprobamus, ipſiuſque Libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem & uſum omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus etiam ſpecifica & individua mentione & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus & prohibemus: Volentes & Apoſtolica authoritate mandantes, ut quicumq; ſupradictum Librum penes ſe habuerint, illum ſtatim atque præſentes Litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere ac conſignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque &c. Ceterùm Propoſitiones in dicto libro contentæ, quas Apoſtolici Cenſura judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in Latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet:

1. Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe. Neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In ſtatu vitæ contemplativæ ſive unitivæ, amittitur omne motivum intereſſatum timoris & ſpei.

3. Id, quod eſt eſſentiale in directione Animæ, eſt, non aliud facere, quàm ſequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & ſubtilitate. Oportet ſe intrà hos limites continere, ut

fina-

ſinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, niſi quando Deus per Unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeò durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis, & ideo poteſt illas ſcandalizare aut in perturbationem conjicere.

4. In ſtatu ſanctæ indifferentiæ anima non habet ampliùs deſideria voluntaria & deliberata propter ſuum intereſſe, exceptis iis occaſionibus, in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut ſimus perfecti & beati propter intereſſe proprium, ſed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantùm Deo placet efficere, ut velimus res iſtas impreſſione ſuæ gratiæ.

6. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus ampliùs ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, & quam nos vult velle propter ipſum.

7. Dereliction, non eſt niſi abnegatio ſeu ſui ipſius renunciatio, quam JESUS CHRISTUS à nobis in Evangelio requirit, poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium .·.·. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri ſolent ab Animabus quàm maximè diſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem, ſunt conditionalia .·.·. Sed hoc Sacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc Sacrificium fit aliquo modo abſolutum.

9. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, & quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus, ſe juſtè reprobatam eſſe à Deo.

10. Tunc anima divina à ſemetipſa expirat cum Chriſto in Cruce, dicens: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit Sacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem.

11. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, id eſt, in ſuis actibus directis & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum.

12. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe & juſtæ condemnationi, quam ſibi à Deo indictam credit.

13. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit Superiori ſuas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioris animæ ab inferiori .·.·. In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione; nam totum, quod eſt voluntarium & intellectuale, eſt partis ſuperioris.

15. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui à ſe invicem facilè diſtinguuntur .·.·. Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum & reflexorum eſt propria exercitatio amoris intereſſati.

16. Datur ſtatus contemplationis adeo ſublimis adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, ſua Oratio fit Contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non ampliùs indiget redire ad meditationem ejuſque actus methodicos.

17. Animæ Contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili & reflexo JESU-CHRISTI duobus temporibus diverſis .·.·. Primò, in fervore naſcente earum Contemplationis .·.·. Secundò, Anima amittit intuitum JESU-CHRISTI in extremis probationibus.

18. In ſtatu paſſivo exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando, quod ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quàm facere id, quod Deus vult, ampliùs & amor Zelotypus ſimul efficit, ne quis ſibi virtutē velit, nec unquam ſit adeo virtute præditus, quàm cùm virtuti ampliùs affixus non eſt.

19. Poteſt dici in hoc ſenſu, quòd Anima paſſiva & diſintereſſata nec ipſum amorem vult ampliùs, quatenus eſt ſua perfectio & ſua felicitas, ſed ſolùm quatenus eſt id, quod Deus à nobis vult.

20. In confitendo debent Animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam.

21. Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu Animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipſe ſolus conſtituit notam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii ſunt.

Non intendimus tamen per expreſſam Propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem Libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes Literæ omnibus faciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & authoritate præfata decernimus, ut illę ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum ac Cancellariæ Apoſtolicæ; nec non Curiæ Generalis in Monte Citorio & in Acie Campi Floræ de Urbe, per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur, ita ut ſic publicatæ, omnes & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides, tam in judicio, quàm extra illud, ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub annulo Piſcatoris die 12. Martii 1699.

Aliæ Propoſitiones damnatæ addentur per decurſum ſuis locis.

Sanctiſſimi D.N.D. CLEMENTIS *Divina Providentia* PAPÆ XI.

Damnatio quamplurium propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo, ſub titulo Le Nouveau Teſtament en François, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A' Paris 1699.; *Ac aliter* -- Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A' Paris 1693., & 1694.

Cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quàm impoſterum edendorum.

CLEMENS Epiſcopus Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti-fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UNIGENITUS *Dei Filius pro noſtra, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro, ac ſaluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad nos in veſtimentis Ovium; quorum nomine potiſſimùm demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque faciliùs incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.*

His nos verè divinis monitis inſtructi, ubi primùm, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quendam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo. Le Nouveau Teſtament en François, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c. A' Paris 1699.; *Aliter verò.* Abbregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Penſées Chretiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A' Paris 1693. & 1694. *tametſi aliàs à nobis damnatum, ac reverà Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Chriſti-fidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilia, & opera ſtudiosè nimis quaquaversùm diſſeminari, etiam latinè redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummoperè doluimus: adeòque Paſtoralis non minùs curæ noſtræ ſtimulis, quàm frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maximè verò complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ*

Epiſ-

Epiſcoporum, literis, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes, perſpicuè novimus ſummam hujuſmodi Libri perniciem ideo potiſſimùm progredi, & invaleſcere, quòd eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat; cum Liber ipſe primo aſpectu legenter ſpecie quadam pietatis illiciat: molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum: ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ità ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari à Nobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo à Nobis hactenùs indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctiùs, & apertiùs explicaremus, atque univerſis Chriſti fidelibus noxia zizaniorum ſemina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quaſi in propatulo poſitis, non uno quidem, aut altero, ſed plurimis graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tum etiam novè adinventis erroribus, planè confidimus, benedicente Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Id ipſum maximè è re Catholica futurum, & ſedandis præſertim in florentiſſimo Galliæ Regno exortis ingeniorum variè opinantium, jamque in acerbiores ſciſſuras protendentium diſſidiis apprimè proficuum: Conſcientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum neceſſarium, non modò præfati Epiſcopi, ſed & ipſe inprimis chariſſimus in Chriſto filius noſter Ludovicus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ fidei puritate, extirpandiſque erroribus zelum ſatis laudare non poſſumus, ſæpius Nobis eſt conteſtatus; repetitis propterea verè piis, & Chriſtianiſſimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis à Nobis efflagitans, ut inſtanti animarum neceſſitati prolata quantocius Apoſtolici cenſura Judicii conſuleremus.

Hinc aſpirante Domino, ejuſque cœleſti ope confiſi, ſalutare opus ſedulò, diligenterque, ut rei magnitudo poſtulabat, aggreſſi ſumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta ſupra recenſitas reſpectivè editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expreſſas Propoſitiones à compluribus in Sacra Theologia Magiſtris, primò quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus accuratè diſcuti: deinde verò coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium conſilio, quam maxima diligentia, ac maturitate, ſingularum inſuper Propoſitionum cum ipſomet Libri textu exactiſſimè facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujuſmodi autem Propoſitiones ſunt, quæ ſequuntur, videlicet:

1. QUid aliud remanet animæ, quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit, niſi peccatum, & peccati conſecutiones, ſuperba paupertas, ſegnis indigentia, hoc eſt generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

2. Jeſu Chriſti gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa, non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

3. In vanum Domine præcipis, ſi tu ipſe non das, quod præcipis.

4. Ita Domine: Omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ ſuæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

6. Diſcrimen inter Fœdus Judaicum, & Chriſtianum, eſt quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum ſua gratia purificando.

7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illam reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam legem? Quæ verò felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, niſi in quantùm participes ſumus ipſius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9. Gratia Chriſti eſt gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquam poſſumus & cum qua nunquam illum abnegamus.

10. Gratia eſt operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

11. Gratia non eſt aliud, quàm voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.

12. Quando Deus vult ſalvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

13. Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

14. Quantumcunque remotus à ſalute ſit peccator obſtinatus, quando Jeſus ſe ei videndum exhibet lumine ſalutari ſuæ gratiæ, oportet, ut ſe dedat, accurrat, ſeſe humiliet, & adoret Salvatorem ſuum.

15. Quando Deus mandatum ſuum, & ſuam æternam locutionem comitatur unctione ſui Spiritus, & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16. Nullæ ſunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil reſiſtit Omnipotenti.

17. Gratia eſt vox illa Patris, quæ homines interiùs docet, hac eos venire facit ad Jeſum Chriſtum; quicumque ad eum non venit, poſtquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus eſt doctus à Patre.

18. Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper affert fructum ſuum.

19. Dei gratia nihil aliud eſt, quàm ejus omnipotens voluntas: hæc eſt idea, quam Deus ipſe nobis tradit in omnibus ſuis Scripturis.

20. Vera gratiæ idea eſt, quod Deus vult ſibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; loquitur tanquam Dominus, & omnia ſibi ſubmiſſa ſunt.

21. Gratia Jeſu Chriſti eſt gratia fortis, potens, ſuprema, invincibilis, utpotè quæ eſt operatio voluntatis Omnipotentis, ſequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & reſuſcitantis filium ſuum.

22. Concordia omnipotens operationis Dei in corde hominis, cum libero ipſius voluntatis conſenſu, demonſtratur illicò nobis, in Incarnatione, veluti fonte atque Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo ſunt, ſicut ipſa originalis operatio.

23. Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua Creaturas à nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24. Juſta idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jeſu Chriſti, in ſanandis corporibus ſolo motu ſuæ voluntatis, eſt imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia ſuæ gratiæ in ſanandis animabus à cupiditate.

25. Deus illuminat animam, & eam ſanat æquè ac corpus, ſola ſua voluntate; jubet, & ipſi obtemperatur.

26. Nullæ dantur gratiæ, niſi per fidem.

27. Fides eſt prima gratia, & fons omnium aliarum.

28. Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, eſt peccatorum remiſſio.

29. Extra Eccleſiam nulla conceditur gratia.

30. Omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum, ſalvantur infallibiliter.

31. Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32. Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine Primogenitos, id eſt, Electos, de manu Angeli exterminatoris.

33. Proh! quantùm oportet bonis terrenis, & ſibimetipſi renunciaſſe, ad hoc ut quis fiduciam habeat ſibi, ut ita dicam, appropriandi Chriſtum Jeſum, ejus amorem; mortem & myſteria, ut facit S. Paulus dicens: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

34. Gratia Adami non producebat niſi merita humana.

35. Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ.

36. Differentia eſſentialis inter gratiam Adami, & ſtatus innocentiæ, ac gratiam Chriſtianam eſt, quòd primam unuſquiſque in propria perſona recepiſſet: iſta verò non recipitur, niſi in perſona Jeſu Chriſti reſuſcitati, cui nos uniti ſumus.

37. Gratia Adami, ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata: Gratia Chriſtiana nos ſanctificando in Jeſu Chriſto, eſt omnipotens, & digna Filio Dei.

38. Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prevenit, nihil habet luminis, niſi ad errandum; ardoris, niſi ad ſe precipitandum; virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

41. Omnis cogitatio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis ethnicis, non poteſt venire, niſi à Deo, & ſine gratia non producit, niſi preſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

42. Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; ſine hoc nihil, niſi impuritas; nihil, niſi indignitas.

43. Primus effectus gratiæ baptiſmalis eſt facere, ut moria-

mur

mur peccato; ideo, ut ſpiritus, cor, ſenſus non habeant plus vitæ pro peccato, quàm homo mortuus habeat pro rebus Mundi.

44. Non ſunt, niſi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes noſtræ naſcuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum; quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipſos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum eſt, non refert, & propter hoc ipſum fit malus.

45. Amore Dei in corde Peccatorum non ampliùs regnante, neceſſe eſt, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omneſque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas, aut Charitas, uſum ſenſuum bonum, vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte & hic fons eſt Charitas. Quando Dei amor eſt illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum eſt, quod apparet exterius, alioquin non eſt, niſi hypocriſis, aut falſa juſtitia.

48. Quid aliud eſſe poſſumus, niſi tenebræ, niſi aberratio, & niſi peccatum ſine Fidei lumine, ſine Chriſto, & ſine Charitate?

49. Ut nullum peccatum eſt ſine amore noſtri, ita nullum eſt opus bonum ſine amore Dei.

50. Fruſtra clamamus ad Deum, Pater mi, ſi ſpiritus Charitatis non eſt ille, qui clamat.

51. Fides juſtificat, quando operatur, ſed ipſa non operatur, niſi per Charitatem.

52. Omnia alia ſalutis media continentur in fide, tanquam in ſuo germine, & ſemine; Sed hæc fides non eſt abſque amore, & fiducia.

53. Sola Charitas Chriſtiano modo facit (actiones Chriſtianas) per relationem ad Deum, & Jeſum Chriſtum.

54. Sola Charitas eſt, quæ Deo loquitur, eam ſolam Deus audit.

55. Deus non coronat, niſi Charitatem; qui currit ex alio impulſu, ex alio motivo, in vanum currit.

56. Deus non remunerat niſi Charitatem, quoniam Charitas ſola Deum honorat.

57. Totum deeſt Peccatori, quando ei deeſt ſpes, & non eſt ſpes in Deo, ubi non eſt amor Dei.

58. Nec Deus eſt, nec Religio, ubi non eſt Charitas.

59. Oratio Impiorum eſt novum peccatum, & quod Deus illis concedit, eſt novum in eos judicium.

60. Si ſolus ſupplicii timor animat pœnitentiam, quò hæc eſt magis violenta, eò magis ducit ad deſperationem.

61. Timor non niſi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore juſtitiæ non ducitur.

62. Qui à malo non abſtinet, niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc eſt ſub lege ſicut Judæus, ſi legem non adimpleat, aut adimpleat ex ſolo timore.

64. Sub maledicto legis, nunquam fit bonum, quia peccatur ſive faciendo malum, ſive illud nonniſi ob timorem evitando.

65. Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo, quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint niſi mancipia per timorem.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipſum venire cum brutalibus paſſionibus, neque adduci per inſtinctum naturalem, aut per timorem ſicuti beſtiæ, ſed per fidem, & per amorem ſicuti filii.

67. Timor ſervilis non ſibi repræſentat Deum niſi ut Dominum durum, imperioſum, injuſtum, intractabilem.

68. Dei bonitas abbreviavit viam ſalutis claudendo totum in Fide, & precibus.

69. Fides, uſus, augmentum, & præmium Fidei, totum eſt donum puræ liberalitatis Dei.

70. Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones ſemper ſerviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

71 Homo ob ſui conſervationem poteſt ſeſe diſpenſare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72. Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quòd ſit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & juſtos terræ, & omnium ſæculorum.

73. Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei, manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi?

74. Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes verò Sanctos ut membra.

75. Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, & ſubſiſtentia & perſona, Unus ſolus Chriſtus compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt Sanctificator.

76. Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſæculorum illam componunt.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interiùs habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite.

78. Separatur quis à Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundùm Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

79. Utile, & neceſſarium eſt omni tempore, omni loco, & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum, Pietatem, & Myſteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus.

81. Obſcuritas Sancti Verbi Dei non eſt Laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus electione.

82. Dies Dominicus à Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia Sanctarum Scripturarum. Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere.

83. Eſt illuſio, ſibi perſuadere, quòd notitia Myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum ſimplicitate, ſed ex ſuperba Virorum ſcientia, ortus eſt Scripturarum abuſus, & natæ ſunt hæreſes.

84. Abripere è Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare.

85. Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ, præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis.

86. Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ & intentioni Dei.

87. Modus plenus ſapientia, lumine, & Charitate, eſt dare animabus tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus, ſatisfacere juſtitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus, quid ſit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus ſtatim reſtitui poſſeſſioni bonorum illorum, quibus nos peccatum ſpoliavit, & detrectamus ſeparationis iſtius ferre confuſionem.

89. Quartus decimus gradus converſionis Peccatoris eſt, quod, cùm ſit jam reconciliatus, habet jus aſſiſtendi Sacrificio Eccleſiæ.

90. Eccleſia authoritatem excommunicandi habet; ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſaltem præſumpto, totius corporis.

91. Excommunicationis injuſtæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito noſtro: nunquam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chriſto, atque ipſi Eccleſiæ per charitatem affixi ſumus.

92. Pati potiùs in pace excommunicationem, & anathema injuſtum, quàm prodere veritatem, eſt imitari ſanctum Paulum: tantùm abeſt, ut ſit erigere ſe contra authoritatem, aut ſcindere unitatem.

93. Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps primorum Paſtorum feſtinatio infligit, ſine ipſius mandato; Jeſus reſtituit, quod ipſi inconſiderato zelo reſcindunt.

94. Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit ejus inimicis, quàm videre illic dominatum exercere ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95. Veritates eò devenerunt, ut ſint lingua quaſi peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædicandi eſt veluti idioma incognitum: adeo remotus eſt à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem captum fidelium: neque ſatis advertitur, quòd hic defectus ſit unum ex ſignis maximè ſenſibilibus ſenectutis Eccleſiæ, & iræ Dei in filios ſuos.

96. Deus permittit, ut omnes poteſtates ſint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non poſſit niſi divinæ gratiæ.

97. Nimis ſæpè contingit membra illa, quæ magis ſanctè, ac magis ſtrictè unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, vel tanquam ab ea ſeparata, ſed juſtus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98. Status perſecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitioſus, & impius, ultima plerumque probatio eſt, & maximè meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jeſu Chriſto.

99. Pervicacia, præventio, obſtinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoſcere ſe fuiſſe deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in ſua Eccleſia poſuit, ut in ea eſſet odor vitæ, v.gr. bonos libros, inſtructiones, ſancta exempla &c.

100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, perſequendo veritatem, ejuſque diſcipulos. Tempus hoc advenit.... Haberi, & tractari à Religionis Miniſtris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam

mem-

membrum putridum, capax corrumpendi omnia in ſocietate Sanctorum, eſt hominibus piis morte corporis mors terribilior. Fruſtra quis ſibi blanditur de ſuarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, perſequendo flamma, ferroque viros probos, ſi propria paſſione eſt excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quòd nihil vult examinare. Frequenter credimus ſacrificare Deo impium, & ſacrificamus diabolo Dei ſervum.

101. Nihil ſpiritui Dei, & Doctrinæ Jeſu Chriſti magis opponitur, quàm communia facere juramenta in Eccleſia quia hoc eſt multiplicare occaſiones pejerandi, laqueos tendere infirmis & idiotis & efficere, ut nomen & veritas Dei aliquando deſerviant conſilio impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum ſcripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum ſuffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publiciſque etiam indictis precibus, implorato præſidio; omnes & ſingulas Propoſitiones præinſertas, tanquam falſas, captioſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, ſcandaloſas, pernicioſas, temerarias, Eccleſiæ & ejus praxi injurioſas, neque in Eccleſiam ſolùm, ſed etiam in Poteſtates ſæculi contumelioſas, ſeditioſas, impias, blaſphemas, ſuſpectas de hæreſi, ac hæreſim ipſam ſapientes, nec non hæreticis, & hæreſibus, ac etiam ſchiſmati faventes, erroneas, hæreſi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variaſque hæreſes, & potiſſimùm illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes, reſpectivè, hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandamus omnibus utriuſque ſexus Chriſti-fidelibus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quàm in hac eadem Noſtra Conſtitutione continetur; ita ut quicunque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, eccleſiaſticis cenſuris, aliiſque contra ſimilia perpetrantes à Jure ſtatutis pœnis ipſo facto, abſque alia declaratione ſubjaceat.

Cæterum per expreſſam præfatarum Propoſitionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cùm præſertim in decurſu examinis complures alias in eo deprehenderimus propoſitiones illis, quæ, ut ſupra, damnatæ fuerunt, conſimiles, & affines, iiſdemque erroribus imbutas: nec ſanè paucas ſub imaginario quodam, veluti graſſantis hodie perſecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, eaſque falſo Chriſtianæ patientiæ nomine prædicantes; quas propterea ſingillatim recenſere, & nimis longum eſſe duximus, & minimè neceſſarium; ac demum, quod intolerabilius eſt, ſacrum ipſum novi Teſtamenti textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ verſioni Gallicæ Montenſi in multis conformem: à vulgata verò editione, quæ tot ſæculorum uſu in Eccleſia probata eſt, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter diſcrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac ſæpè noxios ſenſus, non ſine maxima perverſitate detortum.

Eundem propterea Librum, utpote per dulces ſermones, & benedictiones, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, ſub falſa piæ inſtitutionis imagine, ſeducendis Innocentium cordibus longè accommodatum, ſive præmiſſis, ſive alio quovis titulo inſcriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeu quavis editione, aut verſione hactenus impreſſum, aut impoſterum (quod abſit) imprimendum, authoritate Apoſtolica tenore præſentium iterum prohibemus, ac ſimiliter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & ſingulos in ejus defenſionem tam ſcripto, quàm typis editos, ſeu forſan (quod Deus avertat) edendos libros, ſeu libellos, eorumque lectionem, deſcriptionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſti-fidelibus ſub pœna excommunicationis per contra facientes ipſo facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus inſuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis; necnon hæreticæ pravitatis inquiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceant & compellant.

Volumus autem, ut earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus literis adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem. Anno incarnationis Dominicæ Milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, ſexto Idus Septembris Pontificatus Noſtri Anno decimo tertio.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Viſa de Curia L. Sergardus.

Loco † Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno à Nativitate Domini Noſtri JESU Chriſti milleſimo ſeptingenteſimo decimo tertio, Indictione ſexta, die verò decima Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimo tertio, ſupradictæ literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citorio, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apoſtolicum Curſorem.

ANTONIUS PLACENTINUS
Magiſter Curſorum.

NOMI-

NOMINA ET EXPLICATIO

Citationis abbreviatæ præcipuorum Authorum, Qui in hoc toto opere referuntur.

Abb. Nicolaus de Tudeſchis, Benedictinus, *Abbas* Monacenſis, Archi-Epiſcopus *Panormitanus*, quo utroque nomine citatur. Scripſit Commentaria in libros Decretalium. Conſilia. Quæſtiones. Practica.

Abell. Ludovicus Abelly, Epiſcopus Ruthenus. Medulla Theologica. Vixit circa 1660.

Abul. Alphonſus Toſtatus, Hiſpanus, Epiſcopus *Abulenſis*, quo nomine citatur. Obiit circa 1454.

Æg. Rom. Ægidius Romanus, ex Ordine S. Auguſt. Archi-Epiſcopus Bituricenſis, Doctor Fundatiſſimus, S. Thomæ diſcipulus. Vixit circa 1292.

Alb. M. Albertus Magnus Svevus, ex Ordine S. Dominici, Archi-Epiſcopus Ratiſponenſis, S. Thomæ Præceptor. Obiit 1270.

Alenſ. Alexander de Ales ſeu *Alenſis*, Britannus, Ordinis S. Franciſci, Doctor Irrefragabilis, S. Thomæ, S. Bonaventuræ & Scoti Præceptor; hinc dictus Doctor Doctorum. Obiit 1245.

Alloz. Joannis de Alloza Soc. JESU. Flores Summarum, ſive Alphabetum morale caſuum Conſcientiæ. Obiit 1666.

Alv. Didacus Alvarez, Dominicanus, Archi-Epiſcopus Tranenſis. Vixit uſque ad 1640.

Alviſ. Virginius Alviſet, Benedictinus. Murenulæ ſacræ veſtis &c. opus de privilegiis Ordinum Regularium.

Ambr. S. Ambroſius Romanus, Epiſcopus Mediolanenſis, Doctor Eccleſiæ. Obiit 397.

Ameyd. Theodorus Ameyden, aliàs Amydenius, Advocatus Romanus. De officio & juriſdictione Datarii, nec non de ſtylo Datariæ. Recuſus eſt Coloniæ 1701.

Amic. Franciſcus Amicus, Italus, Soc. JESU, Obiit 1651.

Andr. Joannes Andreæ, Juris C. Summa Novella. Super Decretales. Gloſſæ ad Jus Canonicum. Scripſit circa 1510.

Angel. Joſephus Angeletz vel Angles, Franciſcanus, Epiſcopus Boſanus. Vixit circa 1584.

Anſelm. S. Anſelmus Benedictinus, Abbas Beccenſis, Cantuarienſis Epiſcopus. Claruit circa 1080.

Anton. S. Antoninus, Dominicanus, Archi-Epiſcopus Florentinus, dictus Antonius Conſiliorum. Obiit 1459.

Apoſt. S. Paulus Apoſtolus, Doctor Gentium.

Arck. vel Arſd. Richardus Arckdekin, Hibernus, Soc. JESU. Theologia Polemica, practica, Sacra. Prodiit circa 1666.

Arcud. Petrus Arcudius Corcyræus presbyter &c. De Concordia Eccleſiæ Occid. & Orient. &c. 1625.

Arm. Bartholomæus Fumus, Dominicanus. *Armilla* aurea, quo etiam nomine citatur. Scripſit circa 1550.

Arrag. Petrus Arragonius, Auguſtinianus. Scripſit circa 1584.

Arr. Rodericus de Arriaga, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Obiit 1667.

A S Joſ. v. Petrus à S Joſeph.

Athan. S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus. Obiit 370.

Averſ. Raphael Averſa à S. Severino, Clericorum Regularium Min. Generalis. Floruit circa 1631.

Aug. S. Aurelius Auguſtinus, Afer, Epiſcopus Hipponenſis, Doctor Sublimis. Obiit 433.

Aureol. Petrus Aureolus, Franciſcanus, Cardinalis & Archi-Epiſcopus Aquenſis, Doctor Facundus. Obiit circa 1323.

Az. Joannes Azor, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Inſtitutiones Morales. Obiit 1607.

Bachon. Joannes de Bacho vel Bachonius, Ordinis Carmelitarum, Doctor Reſolutus. Floruit circa 1350.

Baldel. Nicolaus Baldellus, Italus, Soc. JESU. Diſputationes ex Theologia Morali. Obiit 1655.

Bald. Baldus de Ubaldis, Juris C. Peruſinus, diſcipulus Bartholi. Floruit circa 1370.

Banh. Joannes Banholtzer, Germanus, Soc. JESU. De Ethica Chriſtiana ſeu Regula Morum.

Bann. Dominicus Bannes, Hiſpanus, Ordinis S. Dominici. Obiit 1604.

Bar. Auguſtinus Barboſa, Epiſcopus Uxentinus, De officio Epiſcopi. De officio Paroch. De jure Eccleſiaſtico &c. Obiit 1649.

Barth. Bartholus, celebris Juriſconſultus. Italus Obiit 1355.

Barth. à S. Fauſto. Bartholomæus à S. Fauſto. Ciſtercienſis. Thesaurus Religioſorum. Speculum Confeſſariorum & Pœnitentium. 1628.

Baſil. S. Baſilius Magnus, Cæſareæ Epiſcopus. Obiit 380.

Baſſ. Eligius Baſſæus, Capuccinus. Flores totius Theologiæ practicæ. Scripſit circa 1645.

Bauny. Stephanus Bauny, Gallus, Soc. JESU. Summa caſuum Conſcientiæ. Obiit 1649.

Bec. Martinus Becanus, Belga, Soc. JESU. Obiit 1624.

Beda. S. Beda, dictus Venerabilis, Ordinis S. Benedicti. Obiit 734

Beja. Ludovicus de Beja, Auguſtinianus. Reſponſiones Caſuum. 1587.

Bellar. Robertus Bellarminus, Italus, Soc. JESU, Cardinalis & Archi-Epiſcopus Capuanus. Controverſiæ, aliaque opera Theologica. Obiit 1621.

Belleg. Franciſcus Bellegambe, Soc. JESU. De Jubilæo 1699.

Bernal. Auguſtinus Bernal, Hiſpanus, Soc. JESU. De Sacram. in genere, Euchariſtia & Ordine. 1640.

Bern. S. Bernardus, Abbas Claravallenſis, Doctor Mellifluus. Obiit 1553.

Berteau, Bartholus Berteau, Gallus. Regula prudentis & pii Confeſſarii &c. Scripſit circa 1637.

Binsf. Petrus Binsfeldius, Suffraganeus Trevirenſis. De Confeſſionibus maleficorum & ſagarum. Paſtorale, De Uſuris. Vixit circa 1595.

Bona, Joannes Bona, Ciſtercienſis Abbas, poſtea Cardinalis. De Sacrificio Miſſæ. Manuductio ad Cœlum.

Bonac. Martinus Bonacina, Mediolanenſis, Doctor Theologiæ & utriuſque Juris, ac Epiſcopus. Opera Moralia. Obiit 1631.

Bonæſp. Franciſcus Bonæſpei, Carmelita. Scripſit anno 1659.

Bonagr. Bonagratia Habſenſis, Capuccinus. Summula qq. Regularium. Prodiit 1664.

Bonart. Oliverius Bonartius, Belga, Soc. JESU. De Horis Canonicis. Obiit 1655.

Bonav. S. Bonaventura, Hetruſcus, Ordinis Minorum, Cardinalis & Epiſcopus Abulenſis, Doctor Seraphicus. Obiit 1274.

Bordon. Franciſcus Bordonus, Tertii Ordinis S. Franciſci.

Boſco. Joannes Boſco, Fräciſcanus. Theologia Sacramẽtalis. 1665.

Boſſ. Joannes Angelus Boſſius, Barnabita. Scripſit circa 1648.

Boudevv. Michael Boudevvins. Ventilabrum Medico-Theologicum. Antuerpiæ 1666.

Brand. Georgius Branden, Canon. Auguſtanus. In Concordata.

Burgh. Adamus Burghaber, Bavarus, Soc. Jeſu. Tres centuriæ caſuum. Prodiit 1665.

Burſat. Franciſcus Burſattus, Mantuanus, Juris C. Eques S. Joannis Laterani. Floruit circa 1582.

Butr. Antonius de Butrio, Bononienſis Juris C. de jure Patronatus &c. Francofurti 1581.

Cabaſſ. Joannes Cabaſſutius, Congregationis Oratorii. Juris Canonici Theoria & Praxis. 1675.

Caj. Thomas de Vio vel Vius, Dominicanus, Cardinalis & Archi-Epiſcopus Palermi. In D. Th. Summa Caſuum. Obiit 1534.

Camar. Ignatius de Camargo, Doctor Salmanticenſis, Soc. Jeſu. Regula honeſtatis moralis. Neapoli 1702.

Can. Melchior Canus, Dominicanus, Epiſcopus Canarienſis, Loci communes Theologici, &c. Obiit 1560.

Caram. Joannes Caramuel de Lobkovvitz, Diſembergenſis, Ciſtercienſis, Abbas Meſroſenſis, Epiſcopus Miſiæ, Theologia Fundamentalis. Moralis. Theologia Regularis.

Carde. Carden. Joannes de Cardenas, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Prima criſis Theologica. Secunda criſis Theologica circa propoſitiones ab Inn. XI. damnatas. Coloniæ 1690.

Caſpenſ. Ludovicus Caſpenſis, Franciſcanus, circa 1635.

Caſtro. Antonius de Caſtro, Franciſcanus. Obiit 1558.

Caſtrop. Ferdinandus de Caſtro Palao, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Opus morale. Buſembaum vocat eum Palaum. Obiit 1633.

Chapeav. Joannes Chapeaville, Vicarius Generalis Leodii. Obiit 1617.

Chãſſ. Bruno Chaſſaing vel Chaſſainus, Franciſcanus. De privilegiis Regularium. 1654.

Chok. Eraſmus à Chokier, Leodienſis Juriſc. De Juriſdictione Ordinarii &c. 1629. Joannes à Chokier, Leodienſis Canonicus In Regulas Cancellariæ. De commutationibus beneficiorum. De primariis Precibus. 1621.

Chryſ. S. Joannes Chryſoſtomus, Antiochenus, Archiepiſcopus Conſtantinopol. Obiit 405.

Clarus. Julius Clarus, Juriſc. Italus. Obiit 1575.

Cocqu. Florentius de Cocqu. Canonicus Ordinis Præmonſtratenſis. Theologia Moralis. 1626.

Comit. Paulus Comitolus, Italus, Soc. Jeſu. Conſilia ſeu Reſponſa moralia. Obiit 1626.

Con, vel *Kon.* Ægidius de Coning, ſeu Koning ſive Regius, Belga Soc. Jeſu. De actibus humanis; Fide, Spe, Charitate; Sacramentis; Cenſuris. Obiit 1633.

Cordub. Antonius de Corduba ſeu Cordubenſis Franciſcanus. Vixit circa 1553.

Citationes Authorum explicatæ.

Coriol. Franciſcus Longus à Coriolano, Capuccinus. De caſibus reſervatis &c. Scripſit 1618.
Corrad. Pyrrhus Corradus, Canonicus Neapolitanus, Praxis Diſpenſationum, Coloniæ 1677. Praxis beneficiaria, 1679.
Covar. Didacus Covarruvias Aleyem, Epiſcopus Segobienſis. Obiit 1577.
Creſp. Ludovicus Creſpinus à Borgia, Epiſcopus Oriolenſis. Queſtiones ſelectæ morales. Lugduni 1658.
Cruz. Joannes de la Cruz, Dominicanus. Obiit 1613.
Curiel. Joannes Alphonſus Curiel, Doctor Salmanticenſis. Obiit 1609.
De Juſtis. Vincentius de Juſtis nobilis Lucenſis. De Impedimentis, & diſpenſationibus matrimonialibus. Lucæ 1691.
Dec. Philippus Decius, Juriſc. Mediolanenſis. Conſilia.
Delb. Thomas Delbene, Clericus Regularis. De Immunitate Eccleſiaſtica. Scripſit 1649.
Delr. Martinus Antonius Delrio, Belga, Soc. Jeſu, Diſquiſitiones magicæ. Obiit 1608.
Deſch. Stephanus Deſchamps, Gallus, Soc. Jeſu. Quæſtio facti circa opiniones probabiles. Prodiit 1659.
Dian. Antoninus Diana, Clericus Regularis. Scripſit circa 1628.
Dicaſt. Joannes de Dicaſtillo, Neapolitanus, Soc. Jeſu. De Sacramentis, juramento & cenſuris; juſtitia & jure &c. Obiit 1653.
Dion. Areop. S. Dionyſius Areopagita, Doctor Hierarchicus. Vixit cum Apoſtolis. De cœleſti Hierarchia.
Dionyſ. Carthuſ. Dionyſius Rikelius Carthuſianus. Doctor Extaticus. Obiit 1471.
Dript. Laurentius à Dript, Benedictinus. Speculum Archidiaconale. Prodiit 1646.
Du Hamm. Baptiſta du Hammel, Profeſſor Pariſienſis. Theologia ſpeculatrix & practica. 1690.
Durand. Durandus de S. Porciano, Dominicanus, Magiſter ſacri Palatii & Epiſcopus. Vixit circa 1320.
Duval. Andreas Duvallius, Regius in Sorbona Profeſſor. In S. Thomam. De poteſtate Pontificis 1614.
Ehrentr. Adamus Ehrentreich, Germanus, Soc. Jeſu, Principiorū de uſu probabilis opinionis declaratio. Prodiit Romæ 1699.
Eliz. Antonius Celladeus ſeu Michael de Elizalde, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Recta doctrina morum. Friburgi 1684.
Engel. Ludovicus Engel, Benedictinus. Collegium univerſi Juris Canonici. Salisburgi 1688.
Eſcob. Antonius de Eſcobar & Mendoza, Valliſoletanus. Soc. Jeſu. Univerſa Theologia moralis. Obiit 1669.
Eſp. Martinus de Eſparſa Artieda, Navarrus, Soc. Jeſu. Curſus Theologicus. 1666.
Eug. Lomb. Eugenius Lombardus, id eſt, Cardinalis Sfondratus Benedictinus. Regale Sacerdotium.
Fagnan. Proſper Fagnanus, Juriſc. Romanus. In libros Decretalium. 1659.
Fagund. Stephanus Fagundez, Luſitanus, Soc. Jeſu. In præcepta Eccleſiæ & Decalogi. De juſtitia & contractibus. Obiit 1645.
Farin. Proſper Farinacius, Juriſc. Romanus. Deciſiones Rotæ Romanæ. Circa 1618.
Felin. Felinus Sandeus, Rotæ cauſarum Auditor. Commentarii in libros decretalium.
Feneck. Joannes Lucas Feneck, J. U. D. Romæ Parochus. Flores caſuum conſcientiæ.
Fill. Vincentius Filliucius, Italus, Soc. Jeſu. Moralium QQ. curſus. Appendix poſthuma de ſtatu Clericorum, Beneficiis &c. Obiit 1622.
Francol. Balthaſar Francolinus Soc. Jeſu, Clericus Romanus. De dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ requiſito. Diſciplina Pœnitentiæ.
Fumus. v. *Armilla.*
Gabriel. Gabriel Biel Ordinis Clericorum Regularium vitæ communis, Doctor Profundiſſimus. Floruit 1480.
Galli. Franciſcus Galli, Juriſc. Brixianus. De contractibus. Genuæ 1692.
Gamach. Philippus Gamacheus, Doctor Sorbonicus. Obiit 1625.
Gandav. Henricus Gandavenſis, Archidiaconus Tornacenſis, Doctor ſolemnis. 1608.
Garc. Nicolaus Garcias, Abulenſis Canonicus. De beneficiis. De diſpenſationibus.
Gavant. Bartholomæus Gavantus, Clericus Regularis S. Pauli. Theſaurus Rituum. In Rubricas Miſſalis & Breviarii.
Gerſ. Joannes Charlier, dictus Gerſon, Gallus, Cancellarius Pariſienſis. Obiit 1429.
Gig. Hieronymus Gigas, Juriſc. Floruit circa 1548.
Gob. Georgius Gobat, Germanus, Soc. Jeſu, Experientiæ ſacramentales. Quinarium Tractatuum. Obiit 1679.
Gom. Antonius Gomez, Juriſc. Salmanticenſis, ſcripſit circa 1550.
Gon. Joannes Baptiſta Gonet, Gallus, Dominicanus. Scripſit circa 1659.
Gonz. In materiis Canonicis; Hieronymus Gonzalez, Juriſc. Hiſpanus. Gloſſema ad Regulam 8. Cancellariæ. Ad decretales &c. In materia de conſcientia & de Fide, Thyrſus Gonzalez Soc. Jeſu. Fundamentum Theologiæ moralis, id eſt, de recto uſu opinionum probabilium. Dilingæ 1694. Ejuſdem ſynopſis cum Logiſtica per Patrem Eſtrix. Tyrnaviæ 1696. contra Mahumetanos &c.
Gorm. Joannes Baptiſta Gormaz, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Curſus Theologicus.
Graff. Jacobus de Graffio vel Gräffiis, Benedictinus, Abbas Caſſinenſis. Scripſit 1593.
Gran. Jacobus Granadus ſeu de Granado, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Obiit 1632.
Gratian. Gratianus Benedictinus, Compilator Decreti ſeu partis I. Juris Canonici, circa 1151.
Gregor. Arim. Gregorius Ariminenſis, Auguſtinianus, Doctor Excellentiſſimus. Venetiis 1518.
Greg. S. Gregorius Magnus, Romanus, ex Ordine S. Benedicti, Papa, Doctor Eccleſiæ. Obiit 604.
Greg. Naz. S. Gregorius Nazianzenus Epiſcopus, Doctor Theologus. Circa 390.
Greg. Nyſſ. S. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, S. Baſilii M. frater. Circa 380.
Gutt. Joannes Guttierez, Juriſc. Hiſpanus, circa 1580.
Henric. Henricus à S. Ignatio Carmelita, Ethica amoris. Leodii 1709.
Henriq. Henricus Henriquez vel Enriquez, Soc. Jeſu. Summa Theologiæ Moralis. Obiit 1608.
Her. Heri. Guilielmus Herinx, Belga, Ordinis S. Franciſci, Epiſcopus Iprenſis. Circa 1671.
Hieron. S. Hieronymus, Stridonenſis, Doctor Eccleſiæ. Obiit 420.
Homob. Homobonus de Bonis, Ordinis Clericor. Regularium S. Pauli, Moralis.
Hoſtienſ. Henricus de Seguſia, Cardinalis & Epiſcopus *Hoſtienſis*, quo nomine communiter appellatur. Aurea Summa. Obiit circa 1272.
G. Hurt. Gaſpar Hurtado, Hiſpanus, Soc. Jeſu, de Sacramentis. Obiit 1651.
P. Hurt. Petrus Hurtadus de Mendoza, Hiſpanus, Soc. Jeſu. De Fide, Spe, Charitate, Juſtitia, Actibus hum. &c. Obiit 1646.
Th. Hurt. Thomas Hurtado, Hiſpanus, Clericus Regularis Minorum. De reſidentia &c. 1647.
Illſ. Jacobus Illſung, Germanus, Soc. Jeſu. Theologia practica Univerſa 1693.
Inn. Innocentius III. Papa, natione Campanus. Circa 1200.
Jo à S. Th. Joannes à S. Thoma, Dominicanus. Obiit 1644.
Iſamb. Nicolaus Iſambertus, Doctor Sorbonicus. Circa 1632.
Iſid. S. Iſidorus, Epiſcopus Hiſpalenſis. Circa 1130.
Kere. Simon Kerene, Soc. Jeſu. In Quartum Decretalium. Auguſtæ Vindel. 1713.
Kon. v. *Kon.*
Krim. Ferdinandus Krimer, Soc. Jeſu. Quæſtionum Canonicarum in quinque libros Decretalium. 1701.
Kugl. Joannes Kugler, Soc. Jeſu. De matrimonio & Sponſalibus. Herbipoli. 1713.
Laurent. Auguſtinus Laurentius, Soc. Jeſu. Syntagmata Theologica &c. 1692. Leodii.
Laym. Paulus Layman, Germanus, Soc. Jeſu, Theologia Moralis. In Libros Decretales. Obiit 1625.
Leand. Leander à SS. Sacramento, Ordinis SS. Trinitatis. Obiit 1663. Summa novem partium.
Le Dent. Maximilianus Le Dent, Belga, Soc. Jeſu. De attritione ex metu gehennæ. 1667.
B. Led. Bartholomæus de Ledeſma, Epiſcopus Antequeramus. Obiit 1598.
P. Led. Petrus de Ledeſma, Dominicanus. Obiit 1616.
Le Drou. Petrus Lambertus Le Drou ex Ordine Eremit. S. Auguſtini, Epiſcopus Porphyrienſis. De contritione & attritione. Monachii 1708.
Leſſ. Leonardus Leſſius, Belga, Soc. Jeſu. De Juſtitia, & Jure. Auctarium ad 1.2. in quo variis caſus conſcientiæ. Obiit 1623.
Leur. Petrus Leurenius Colonienſis, Soc. Jeſu. Forum beneficiale. 1704. De Vicario Epiſcopi 1706.
Lez. Joannes Baptiſta de Lezana, Carmelita. Summa QQ. Regularium. Mare magnum. Conſulta moralia. Obiit 1659.
Logiſtica v. *Gonz.*
Lohn. Tobias Lohner, Germanus, Soc. Jeſu. Inſtructiones pro Confeſſariis. De Miſſa, divino officio &c. Dilingæ 1680.
Lop. Ludovicus Lopez, Dominicanus. Circa 1595.
Lorc. Petrus de Lorca, Ciſtercienſis. Circa 1602.
Loth. Ludovicus Bertrandus Loth, Dominicanus. Reſolutiones Theologicæ. 1652.
Lott. Melchior Lotterius, Italus Juriſc. De re beneficiaria.
Luca. Joannes Baptiſta, Cardinalis de Luca. Theatrum Veritatis & Juſtitiæ. Coloniæ 1690.

Lug.

Citationes Authorum explicatæ.

Lug. Joannes Cardinalis de Lugo, Hiſpanus, Soc. Jeſu. De Jure & Juſtitia. Reſponſa Moralia. De Sacramentis in genere, Euchariſtia, Pœnitentia. Obiit 1660.

F. Lug. Franciſcus Lugo, Hiſpanus, Soc. Jeſu, Frater Joannis. De Sacramentis. Obiit 1652.

Machad. Joannes Machado de Chaves, Archidiaconus Limanus. Obiit 1653.

Mag. Magiſt. Sent. Petrus Lombardus, Epiſcopus Pariſienſis, dictus *Magiſter Sententiarum*, quia Theologiam redegit in Sententias per quatuor libros diſtributas, quas ſequentes Theologi explicarunt. Claruit circa 1140.

Maj. Joannes, dictus *Major*, Profeſſor Pariſienſis. Vixit circa 1528.

Mald. Joannes Malderus, Epiſcopus Antuerpienſis. Obiit 1633.

Mangion. Valentinus Mangionius, Italus, Soc. Jeſu. De Religioſa paupertate. Obiit 1660.

Manig. Henricus Manigart, Leodii Paſtor ad S. Remigium. Paſtorale, circa 1664.

J. March. Jacobus Marchantius, Decanus Convenſis. Reſolutiones Paſtorales, circa 1630.

Petr. March. Petrus Marchantius, Ordinis S. Franciſci. Tribunal ſacramentale, circa 1630.

G. Mart. Gregorius Martinez, Dominicanus. Obiit 1637.

Martin. Joannes Martinon, Gallus, Soc. Jeſu. Obii 1662.

Maſc. Joſephus Maſcardus, Juriſc. Sarzanenſis. De Probationibus. 1595.

Maſtr. Bartholomæus Maſtrius de Meldula, Franciſcanus. Circa 1669.

Maur. Silveſter Maurus, Italus, Soc. Jeſu. Quæſtiones Theologicæ, circa 1672.

Mean, Carolus de Mean, Conſul Leodienſis. Definitiones ad Jus Civile. Leodii 1678.

Med. Bartholomæus de Medina, Dominicanus. Expoſitiones in 1. 2. S. Thomæ. Obiit 1580.

Menoch. Jacobus Menochius, Juriſc. Papienſis. De præſumtionibus. Conſilia 1592.

Merat. Ludovicus Meratius, Gallus, Soc. Jeſu. Obiit 1664.

Merc. Julius Mercorus, Dominicanus. Baſis Theologiæ Moralis. 1658.

Mlodz. Thomas Mlodzianovvski, Polonus, Soc. Jeſu. Prælectiones Theologicæ, circa 1666.

Molf. Andreas Molfeſius, Juriſc. Italus, circa 1613.

Mol. Ludovicus Molina, Hiſpanus, Soc. Jeſu. De Juſtitia & Jure. Obiit 1600.

Monteſ. Ludovicus de Monteſinos, Doctor Hiſpanus. Obiit 1621.

Moya. Matthæus de Moya, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Quæſtiones ſelectæ Morales. Prodierunt 1670.

Munieſ. Thomas Munieſſa, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Stimulus Conſcientiæ. Prodiit 1695.

Nat. Alex. Natalis Alexander, Dominicanus. Scripſit circa 1693.

Nav. Martinus ab Azpilcueta, dictus *Navarrus*, Doctor Hiſpanus, Canonicus Regularis. Commentarii in Jus Canonicum. Enchiridion ſive Manuale. Obiit 1586.

P. Nav. Petrus Navarrus, Doctor Hiſpanus, De Reſtitutione &c. Scripſit circa 1590.

Neuß. Bruno Neuſſer, Franciſcanus Recollect. Abſolutiſſima Polyanthea Theologo-Morali-Canonica. Moguntiæ 1680.

Nicol. Laurentius Nicolartz, Leodienſis. Compendioſa praxis beneficiaria ex Concordatis Germaniæ, Coloniæ 1658.

Novocaſtr. Andreas de Novocaſtro, Franciſcanus, Doctor Ingenioſiſſimus.

Ochag. Petrus de Ochagavia, Doctor Salmanticenſis. circa 1619.

Onn. Petrus de Onnate, Valliſoletanus, Soc. Jeſu. De contractibus. Obiit 1646.

Opſtr. Joannes Opſtradt. Diſſertatio Theologica. De praxi adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ &c.

Orig. Origenes Adamantius, Patria Alexandrinus. Obiit 260.

Ovied. Franciſcus de Oviedo, Hiſpanus, Soc. Jeſu. In 1. 2. S. Th. item de Fide, Spe, Charitate. Obiit 1651.

Palav. Sfortia Palavicinus, Romanus, Soc. Jeſu, Cardinalis. De univerſa Theologia Aſſertiones. Obiit 1667.

Palaus v. *Caſtrop.*

Palud. Petrus de Palude, dictus *Paludanus*, Gallus, Dominicanus; Patriarcha Hieroſolymitanus. Claruit circa 1330.

Panormit. v. *Abbas.*

Pariſ. Flaminius Pariſius, Advocatus Romanus. De reſignatione beneficiorum.

Paſq. Zacharias Paſqualigo, Theatinus. De Sacrificio novæ legis. Vixit 1630.

Paſſer. Petrus Maria Paſſerinus, Dominicanus. De electione Canonica. Coloniæ 1694.

Pelliz. Franciſcus Pellizarius, Italus, Soc. Jeſu. Manuale Regularium. Obiit 1651.

A. Perez. Antonius Perez, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Doctor mirabilis. Obiit 1649.

Mart. Perez. Martinus Perez, Soc. Jeſu. De Matrimonio 1656.

Peſant. Alexander Peſantius, Romanus, S. Th. & J. U. Doctor. Coloniæ 1617.

Petr. à S. Joſ. Petrus à S. Joſeph, Ciſtercienſis. 1638.

Petſch. Benedictus Petſchacher, Benedictinus. De Reſtitutione. Salisburgi 1676.

Peyr. Laurentius de Peyrinis, Ordinis Minimorum. De privilegiis Regularium. Subditus. Prælatus. Formularium &c. circa 1620.

Philip. Philippus à SS. Trinitate, Carmelita Diſcalceatus 1655.

Phœb. Franciſcus Phœbeus, Italus, Soc. Jeſu. Inſtitutiones Juris Canonici. Coloniæ 1704. Obiit 1706.

Piaſec. Paulus Piaſecius, J. U. D. Protonot. Apoſtolicus, Archidiaconus Varſavienſis. Praxis Epiſcopalis & Eccleſiaſtica. Coloniæ 1665.

Pignat. Jacobus Pignatelli, Conſultationes Canonicæ. Tomi 10. Venetiis 1645.

Pinth. Franciſcus Pinthereau, Gallus, Soc. Jeſu. De Attritionis ſufficientia cum Sacramento Pœnitentiæ. 1664.

Pirh. Enricus Pirhing, Germanus, Soc. Jeſu. Juris Canonici methodus nova. 1664.

Platel. Jacobus Platelius, Belga, Soc. Jeſu. Synopſis curſus Theologici. 1679.

Plett. Hunoldus Plettemberg, Germanus, Soc. Jeſu. Introductio ad Jus Canonicum. Notitia Curiæ Romanæ. Obiit 1696.

Polanc. Joannes Polancus, Soc. Jeſu. Directorium ad Confeſſarii ac Confitentis munus ritè obeundum. Appendix ad Directorium. Methodus adjuvandi eos, qui moriuntur. Paderbonæ 1617.

B. Pont. Baſilius Pontius, Auguſtinianus. De Matrimonio. Obiit 1629.

J. Pont. Joannes Pontius, Franciſcanus. Curſus Theologicus. circa 1644.

Portel. Laurentius Portel, Franciſcanus. Reſponſa Moralia. Dubia Regularium, circa 1617.

Prad. Joannes Martinez de Prado, Dominicanus. Obiit 1668.

Præp. Joannes Præpoſitus, Belga, Soc. Jeſu. Obiit 1634.

Quart. Paulus Maria Quarti, Congr. Clericorum Regularium. In Rubricas Miſſæ. Romæ 1655.

Quintanadv. Antonius de Quintanadvennas, Hiſpanus, Soc. Jeſu, Singularia Theologiæ Moralis. Obiit 1651.

Rayn. Theophylus Raynaudus, Gallus, Soc. Jeſu. De Beneficiis Eccleſiaſticis. Opera varia Moralia. Obiit 1663.

Rebel. Ferdinandus Rebellus, Luſitanus, Soc. Jeſu. De Juſtitia. De Religione. De Charitate. Obiit 1608.

Rebuff. Petrus Rebuffus, Juriſc. Pariſienſis. Praxis beneficiorum &c. 1610.

Redin. Auguſtinus Reding, Benedictinus, Abbas Einſidlenſis, Theologia Scholaſtica. 1667.

Redoan. Guilielmus Redoanus, Epiſcopus Nibionenſis. De ſpoliis Eccleſ. De ſimonia 1570.

Regin. Valerius Reginaldus, Burgundo-Sequanus, Soc. Jeſu. Praxis fori Pœnitentialis. De Prudentia Confeſſarii. Obiit 1623.

Reiffenſt. Anacletus Reiffenſtuel Franciſcanus, Theologia Moralis.

Requeſ. Joſephus Maria Requeſenius, Siculus, Soc. Jeſu. Selectæ Diſputationes in 1. 2. S. Thomæ. 1659.

Rhod. Georgius de Rhodes, Gallus, Soc. Jeſu. Theologia Scholaſtica. Obiit 1661.

Ricc. Aloyſius Riccius, Neapolitanus Canonicus. Praxis aurea fori Eccleſiaſtici. Venetiis 1674.

Richard. Richardus de Media Villa, Franciſcanus. Doctor ſolidus. In libros ſentent.

Roder. Gaſpar Rodericus, Juriſc. Hiſpanus. De annuis redditibus. Lugduni 1672.

Rodriq. Emmanuel Rodriquez, vel Rodericus, Franciſcanus, Quæſtiones Regulares & Canonicæ, circa 1594.

Roſa. Thomas de Roſa, Epiſcopus Cavenſis. De Executoribus litterarum Apoſtolicarum. Coloniæ 1683.

Roſmer. Paulus Roſmer, Belga, Soc. Jeſu. De Actibus humanis De Jure & Juſtitia. De Pœnitentia. Obiit 1664.

Roſell. Joſephus Roſell, Chartuſianus. Praxis deponendi conſcientiam dubiam & ſcrupulos. 1656.

Sa vel *Saa.* Emmanuel Sa, Luſitanus, Soc. Jeſu. Aphoriſmi Confeſſariorum. Obiit 1596.

Salas. Joannes de Salas, Hiſpanus, Soc. Jeſu. In 2. 2. S. Th. De contractibus &c. Obiit 1612.

Salmant. Carmelitæ Diſcalceati Collegii *Salmanticenſis*. Curſus Theologicus. Venetiis 1722.

Salon. Michael de Salon ſive Salonius, Auguſtinianus. De Jure & Juſtitia &c. 1620.

Salvian. Salvianus, Epiſcopus Maſſilienſis, circa 480.

Sanch. Thomas Sanchez, Hiſpanus, Soc Jeſu. Opus Morale in Decalogum. De Matrimonio. Conſilia ſive Opuſcula. Obiit 1610.

Citationes Authorum explicatæ.

J. Sanch. Joannes Sanchez, Hiſpanus, Doctor Theol. & utriuſque Juris. Diſputationes ſelectæ. Circa 1620.

Sayr. Gregorius Sayrus, Benedictinus. Clavis Regia Theſaurus Caſuum Conſcientiæ de Cenſuris. Obiit 1602.

Sbroc. Jacobus Sbroccius ſeu Sbrozzius. De Vicario Epiſcopi. 1592.

Schiara. Antonius Thomas Schiara, Cler. Regular. Theologia bellica. Auguſtæ & Dilingæ 1707.

Schild. Ludovicus de Schildere, Belga, Soc. Jeſu, De principiis formandæ Conſcientiæ. Obiit 1667.

Scot. Joannes Duns, natione *Scotus*, Franciſcanus, Alexandri Alenſis diſcipulus, Doctor ſubtilis. Obiit 1308.

Silv. Apud Buſembaum, *Sylv.* Sylveſter Mazolini & Prierate, Dominicanus, Magiſter S. Palatii. Summa Sylveſtrina. Obiit 1520.

Sot. Dominicus Sotus, Dominicanus. In libros ſententiarum. De jure & juſtitia. Obiit 1560.

P. Sot. Petrus de Soto, Dominicanus. De Inſtitutione Sacerdotum &c. Obiit 1563.

Spe. Fridericus Spe, Germanus, Soc. Jeſu. Cautio criminalis, ſeu de proceſſibus circa ſagas. Obiit 1635.

Sperel. Alexander Sperellus, Epiſcopus Eugubinus. Deciſiones fori Eccleſiaſtici. 1638.

Sporer. Patritius Sporer, Franciſc. Recollecta. Theologia Moralis in Decalogum. Tyrocinium ſacramentale. Theologia ſacramentalis. Venetiis 1714.

Steph. Steph. à S. Paulo, Carmelita. Theologia Moralis. 1664.

Steph. Grat. Stephanus Gratianus J.U.D. Romanus Diſceptationes forenſes.

Stoz. Matthæus Stoz, Germanus, Societ. Jeſu. Tribunal Pœnitentiale. Dilingæ 1684.

Stryck. Samuel Stryckius Juriſc. De cautelis contractuum. De ſucceſſione hæreditaria, De actionibus, & Præſcriptione &c.

Suar. Franciſcus Suarez, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Doctor Eximius. Obiit 1617.

Sylv. Franciſcus Sylvius, Duacenſis Profeſſor & Diaconus. Variæ Reſolutiones Caſuum &c.

Sylv. Apud Buſembaum. v. *Sylv.*

Synopſ. v. *Gonz.*

Tabern. Joannes Baptiſta Taberna, Belga, Soc. Jeſu. Synopſis Theologiæ practicæ. 1698.

Tabien. Joannes Cognatius de Tabia ſeu Tabiena, Dominicanus. Summa Tabiena ſeu ſumma ſummarum, circa 1525.

A. Tamb. Aſcanius Tamburinus, Congregationis Vallis umbroſæ, Abbas Paſſiniacenſis. De jure Abbatum.

Tamb. Thomas Tamburinus, Siculus Soc. Jeſu. In Decalogum. De Confeſſione, Communione, Sacrificio, Sacramentis, Matrimonio, Contractibus &c. Obiit 1675.

Tancred. Vincentius Tancredus, Siculus, Soc. Jeſu. Quæſtiones Morales. De Matrimonio. De Virtute Religionis. Obiit 1659.

Tann. Adamus Tannerus, Germanus, Soc. Jeſu. Obiit 1632.

Tapia. Petrus de Tapia, Dominicanus, Archi-Epiſcopus Segobienſis. Obiit 1657.

Terill. Antonius Terillus, Anglus, Soc. Jeſu, De conſcientia probabili. Regula Morum. Leodii 1668.

Tertul. Quintus Septimius Tertullianus, Carthaginenſis. Floruit circa 200.

S. Th. Sanctus Thomas Aquinas, Dominicanus, Doctor Angelicus. Obiit 1274.

Thomaſs. V. *Tomaſſinus.*

Tiburt. vel *Navar.* Tiburtius Navar. Ordinis S. Franc. De obſervantia. Manuductio ad Praxin Executionis litterarum S. Pœnitentiariæ. Romæ 1688.

Tiraq. Andreas Tiraquellus, Juriſc. Pariſienſis. De Privilegiis piæ cauſæ &c. Floruit circa 1547.

Tol. Franciſcus Toletus, Hiſpanus Soc. Jeſu. Summa Caſuum. De Peccatis Mortalibus. Obiit 1596.

Tomaſ. Ludovicus Tomaſſinus, Oratorii Ordinis. Vetus & nova diſciplina Eccleſiæ circa beneficia & Beneficiatos, circa 1676.

Tond. Petrus Franciſcus de Tonduti. Quæſtiones & reſolutiones Canonicæ & Civiles.

Trull. Joannes Ægidius Trullenchus, Hiſpanus, Doctor Theologiæ. Praxis Sacramentorum, circa 1633.

Turrecrem. Joannes de Turrecremata, Dominicanus, Cardinalis & Epiſcopus Sabinenſis. Claruit circa 1460.

Turr. Luiſius Turrianus ſeu Torres, Hiſpanus Soc. Jeſu. In 2.2. S. Thomæ. De Pœnitentia. De Virtutibus & vitiis. Obiit 1635.

Tuſch. Dominicus Tuſchus, Cardinalis. Practicæ concluſiones Juris. Obiit 1620.

Valens. Franciſcus Valens, vel Valente, Luſitanus, Soc. Jeſu. Concordia Juris Pontificii cum Cæſareo. Obiit 1662.

Val. Valent. Gregorius de Valentia, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Obiit 1603.

Vallenſ. Andreas Valenſis, J.U.D. Lovanienſis. Circa 1636.

Vaſq. Gabriel Vaſquez, Hiſpanus, Soc. Jeſu. Doctor acutus. Obiit 1603.

Vega. Alphonſus Vega, Ordinis Minorum, circa 1596.

Ventrig. Joannes Baptiſta Ventriglia, Epiſcopus Caſertanus.

Ugol. Bartholomæus Ugolinus, Juriſc. De cenſuris & irregularitatibus.

Victor. Franciſcus de Victoria, Dominicanus. Obiit 1545.

Viexm. Claudius Viexmontius, Pariſienſis. Salutaris Pœnitentia peccatoris. 1595.

Villal. Henricus de Villalobos, Franciſcanus. Candelabrum aureum, de Sacramentis & cenſuris, circa 1620.

Vind. Gob. Vindiciæ Gobatianæ, ſive examen propoſitionum, quas ex operibus P. Gobat damnavit Epiſcopus Atrebatenſis. 1706.

Vind. Tab. Vindex Tabernæ, ſive Author Anonymus, qui Tabernam defendit contra damnationem Epiſcopi Atrebatenſis, ſcripto Gallico, *Liſte des Saints Canoniſez* &c. & latino, *Collectanea* &c. 1706.

Vinit. Gerlacus Vinitoris, Vicarius ad S. Urſulam Coloniæ. Compendium de Sacramentis &c. 1654.

Viva. Dominicus Viva, Soc. Jeſu. Damnatæ Theſes ab Alex. VIII. Innoc. XI. Venetiis & Francofurti 1712.

Vivald. Martinus Alphonſus Vivaldus, Italus, Canonicus Regularis Congregationis S. Salvatoris, Theologiæ & Jurium Doctor. 1590.

Volpil. Philippus de Volpiliere. Theologia ſpeculativa & practica. 1697.

Urb. ab Abſc. Urbanus ab Aſcenſione, Carmelita. 1648.

VVading. Petrus VVadingus, Hibernus, Soc. Jeſu. De contractibus. Obiit 1644.

VVammeſ. Joannes VVammeſius, Juriſc. Lovanienſis.

VVagner. Henricus VVagnereck, Bavarus, Soc. Jeſu. Commentarius Exegeticus in Decretales. 1665.

Vvex. Ariadne Carolino-Canonica Authore Jacobo Vvex Soc. Jeſu. Auguſtæ Vindelic. & Dilingæ 1708.

Vveiſtn. Jacobus Vveiſtner Soc. Jeſu. Inſtitutiones Canonicæ. Monachii 1705.

VVig. Joannes VViggers, Doctor Lovanienſis. Obiit 1639.

Zabar. Paulus Cardinalis, aliàs Zabarella, Patavinus Ordinis S. Auguſtini.

Zacch. Paulus Zacchias Medicus Romanus. Quæſtiones Medico-Legales. Lipſiæ 1630. & alibi.

Zambr. Melchior Zambranus, Paſtor Segobienſis. Aureæ deciſiones caſuum conſcientiæ. Circa 1604.

Zecch. Lœlius Zecchus, vel Cecchus, Juriſc. Canonicus Brixienſis. De Republ. Eccleſiaſtica &c. circa 1580.

Zerol. Thomas Zerola, Epiſcopus Minoricenſis. Praxis Epiſcopalis. Praxis Sacramenti Pœnitentiæ. Circa 1592.

Zoeſ. Henricus Zoeſius J.U.D. Lovanii. In Jus Canonicum Univerſum. Obiit 1627.

Zumel. Franciſcus Zumel, Ordinis de Mercede. Obiit 1607.

Zyp. Franciſcus Zypæus, Juriſc. Vicarius Generalis Antuerpiæ. Reſponſa de Jure Canonico. De Juriſdictione Eccleſiaſtica. Jus Pontificium novum.

INDEX

Tractatuum, Capitum, Dubiorum, & Quæſtionum Libri Primi.

Numeri hìc, deſignant paginam.

LIBER I.

De Regula actuum humanorum. Pag.1.

TRACTATUS I.

De Regula interna, ſive Conſcientia. 1

CAPUT I.

Quid Conſcientia, & an ſequenda.

Quæſtio 1. Quale ſit peccatum agere contra conſcientiam dictantem aliquid eſſe peccatum, non cogitando an ſit grave an leve. 1
Q.2. Quid notandum ſit circa diviſionem conſcientiæ in rectam & erroneam. 2
Q.3. An dari poſſit conſcientia invincibiliter erronea, maximè circa jus naturæ. 2
Q.4. An conſcientia invincibiliter erronea non tantùm excuſet à peccato, ſed etiam dici poſſit verè conſcientia & formalis regula operationis. 2
Q.5. An opus ex conſcientia invincibiliter erronea factum, ſit etiam honeſtum & poſitivè bonum. 2
Q.6. An peccet formaliter, qui invincibiliter putat actum internum non eſſe malum, & tamen aguoſcit objectum illius actus eſſe malum. 4
Q.7. An peccet ille, qui habet legitimam excuſationem, v. gr. qui excuſatur à Miſſa audienda die feſto, dicitque ſe eam audire non poſſe, attamen etiam ſe ſcire, quòd non audiendo peccet. 4
Q.8. An conſcientia vincibiliter erronea ſit certa, & operantem obliget. 4
Q.9. An attendenda ſit illa conſcientia, quæ poſt actum ſequitur. 4
CAP.II. *De Conſcientia dubia.* 4
DUB.I. *Quid ſit Conſcientia practicè dubia, & quid in ea agendum.* 4
Q.10. An dictamen conſcientiæ debeat eſſe certum. 5
Q.11. Quid addi poſſit ad clariùs explicandam partim naturam & ſpecies dubii, partim conſcientiam dubiam. 7
Q.12. Quomodo dubitans practicè debeat ſe reſolvere, antequàm operetur. 7
Q.13. Quid circa conſcientiam perplexam ſit addendum. 7
Q.14. Quomodo explicetur illa regula Juris: in dubio non præſumitur factum ſed debet probari. 8
DUB.II. *Quid agendum cum Conſcientia ſpeculativè dubia.* 8
Q.15. Quænam propoſitiones circa materiam probabilitatis ſint damnatæ. 9
Q.16. Quid, & quotuplex ſit opinio. 9
Q.17. An aliqua opinio poſſit eſſe actus prudens. 9
Q.18. Quid ſit opinio probabilis. 10
Q.19. Quotuplex ſit opinio probabilis. 10
Q.20. An omnis ſpeculativè, etiam ſit practicè probabilis. 11
Q.21. Quænam opiniones dicantur certò, probabiliter, tenuiter, dubiè probabiles. 11
Q.22. Quænam opinio dicatur probabilior. 12
Q.23. An opinio aliqua ideo cenſeri debeat probabilior, vel etiam probabilis, hocipſo, quòd doceatur à pluribus, vel à multis. 12
Q.24. Quis reſcire poſſit, & ad quem ſpectet judicare, an hæc vel illa opinio ſit probabilis. 13
Q.25. An authoritas unius faciat opinionem eſſe certò probabilem. 13
Q.26. Quis Author dicatur omni exceptione major. 13
Q.27. An opinio hoc ipſo ſit probabilis, quòd deducatur ex aliis ſaltem probabilibus. 14
Q.28. An bona ſit hæc illatio, opinio illa eſt probabilis vel probabilior, ergo oppoſita eſt etiam probabilis. 14
Q.29. Quandonam ſententia aliqua dicatur moraliter certa. 15
Q.30. Quænam opinio dicatur improbabilis, levis, laxa, temeraria, erronea, errori proxima, ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, malè ſonans, ſuſpecta, ſapiens hæreſin, hæreſi proxima, hæretica, blaſphema, ſchiſmatica, ſeditioſa, impia. 15
Q.31. An & quomodo poſſit opinio amittere vel acquirere probabilitatem. 16
Q.32. An Decretum Pontificis etiam poſſit tollere probabilitatem opinioni verſanti circa materiam facti. 17
Q.33. Quid ſi opinio videatur doceri ab aliquo è SS.PP. v.gr. à S. Auguſt. an adhuc poſſit deſinere ejus probabilitas per damnationem Pontificis vel aliter. 20
Q.34. Si opinio ab aliqua Sacr. Congregatione Romæ damnetur, an ideò amittat probabilitatem. 21
Q.35. An propoſitiones illæ damnentur, quæ vel continentur ſub damnatis, vel inferuntur ex damnatis, vel ex quibus aliqua damnata inferri poteſt. 21
Q.36. Quomodo peccet, qui non obſervat Decreta facta circa propoſitiones damnatas. 21
Q.37. An promulgari debeant talia Decreta damnantia, vel ab eis appellari poſſit. 21
Q.38. Quid præterea notari debeat circa dumnationem propoſitionum. 22
Q.39. An opiniones Contradictoriæ poſſint eſſe ſimul probabiles. 22
Q.40. Quid ſit unum motivum elidi ab altero, & quandonam hoc fiat. 24
Q.41. Quibus argumentis probetur licitum eſſe, ſequi opinionem probabilem relicta probabiliore. 24
Q.42. An etiam in materia juris divini, & naturalis. 28
Q.43. Quomodo formandum ſit ultimum dictamen Conſcientiæ, ſecundùm ſententias minùs probabiles. 28
Q.44. Quænam præterea ſint, & quomodo ſolvantur argumenta ſententiæ rigidæ. 30
Q.45. An ſit licitum operari ſecundùm opinionem tenuiter, vel dubiè tantùm probabilem. 36
Q.46. An ſit licitum ſequi ſententiam, quæ probabiliter tantùm eſt probabilis. 36
Q.47. An licitum ſit ſequi opinionem extrinſecè probabilem. 36
Q.48. An liceat hanc, & oppoſitam ſententiam probabilem ſequi in eadem materia. 36
Q.49. An licitum ſit operari ſecundùm opinionem probabilem alienam, quam tamen operans judicat eſſe reipſa falſam. 37
Q.50. An, ut aliquis licitè operetur ſecundùm aliquam opinionem probabilem, neceſſe ſit hanc opinionem directam elicere, vel actu habere. 38
Q.51. Si motiva utrimque ſint æquè probabilia, an intellectus poſſit per voluntatem applicari, ad aſſentiendum huic potiùs quàm illi parti. 39
Q.52. Si motiva pro una parte ſint probabiliora, an etiam tunc intellectus poſſit per voluntatem applicari, ad aſſentiendum parti minus probabili. 41
Q.53. An ſubditus teneatur obedire Superiori imperanti aliquid probabiliter licitum, ſi ſubdito probabilius ſit illud eſſe illicitum. 42
Q.54. An Confeſſarius poſſit vel debeat contra propriam opinionem probabiliorem abſolvere pœnitentem, qui tenet oppoſitam probabilem, & de reliquo ritè eſt diſpoſitus. 43
Q.55. An Principes, & Superiores ſint tuti in conſcientia, ſi nudè ſequantur conſilia probabilia ſuorum Parlamentorum vel Conſiliariorum. 45
Q.56. An ſit aliquando obligatio ſequendi probabiliorem, relicta probabili. 45
Q.57. An è contra præter hactenus dicta ſit etiam aliunde ſpecialis obligatio quandoque ſequendi probabilem, relicta probabiliore. 45
Q.58. Ex quibus præcipuè libris vel Authoribus ſolvenda ſint dubia conſcientiæ. 46
Q.59. Quinam præcipuè ex Theologis modernis conſulendi ſint pro ſolvendis dubiis conſcientiæ. 46
Q.60. An opiniones novæ potiùs docendæ, & ſequendæ ſint quàm antiquæ. 46
DUB.III. *An in dubio tutior pars ſit eligenda.* 47
Q.61. An omnes opiniones ſint æquè tutæ, & quænam cenſeantur tutiores. 47
Q.62. An ſit obligatio in quibuſdam materiis, ſequendi partem tutiorem. 48
Q.63. Quibus argumentis probetur licitum eſſe in aliis materiis ſequi opinionem probabilem relicta tutiore. 48
Q.64. Quæ ſint, & quomodo ſolvantur argumenta ſententiæ contrariæ. 49
Q.65. Quid notandum ſit circa hoc axioma: In dubio melior eſt conditio poſſidentis. 49
Q.66. Pro quò cenſeatur eſſe poſſeſſio. 50
Q.67. An conſultius ſit ſe & alios dirigere ſecundùm opiniones rigidiores an ſecundùm benigniores. 50
CAP.III. *Quid conſcientia ſcrupuloſa, & quid in ea agendum.* 51
Q.68. Quæ ſint cauſæ ſcrupulorum. 51
Q.69. An ſcrupuli ſint utiles. 51
Q.70. Quandonam aliquis judicari debeat ſcrupuloſus. 52
Q.71. Quid obſervandum ſit circa directionem ſcrupuloſi. 52
Q.72. Quænam præterea regulæ ſervire poſſint ſcrupuloſo. 52
Q.73. Quænam ſint obſervanda, ſi quis circa peccata & Confeſſiones præteritas ſit ſcrupuloſus. 53
Q.74. Quænam regulæ ſerviant illi, qui ſcrupulosè angitur, ne tentationi internæ conſenſerit. 53
Q.75. Quid illi ſit agendum, qui ſcrupulosè ſemper timidus eſt, ne cum dubio operetur. 54
Q.76. Quid agendum ſit cum illis, qui continuò talia ingerunt Confeſſario, Pater me non novit; non ſcit, qualis ſim; habet me pro ſcrupuloſo, & non ſum; non ſum ita, ſicut putat; non ſatis me explicavi &c. 54

TRACTATUS II.

De Legibus. 54

CAP.I. *De natura, & obligatione legis.* 54
DUB.I. *Quid ſit lex, ſive præceptum.* 54
Quæſtio 77. Quis habeat poteſtatem condendi leges, vel ferendi præcepta. 54

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q.78. Quomodo differant lex, præceptum, mandatum, regula, norma, permiſſio. 55
Q.79. Quid conſuetudo, & an quandoque vim legis habeat. 55
Q.80. An declarationes Cardinalium, regulæ Cancellariæ, deciſiones Rotæ habeant vim legis. 55
Q.81. An peccet, qui agit contra legem debitè necdum promulgatam. 56
Q.82. Qualis promulgatio requiratur ad legem. 56
Q.83. Si lex præcipiat aliquid pro certo tempore, vel connotet determinatum tempus, quomodo illud tempus intelligi debeat. 56
Q.84. Si lex vel præceptum non determinet tempus, quandonam impleri debeat. 57
Q.85. Si nova lex emanet, an firmet præterita. 57
Q.86. Quid dicendum ſit in dubio, vel in Probabilitate, quòd legem impleverim. 57
Q.87. Quid dicendum ſit in dubio, vel in Probabilitate, quòd legem impleverim. 57
DUB.II. *Quotuplex ſit præceptum.* 58
Q.88. Quid ſit jus gentium. 58
Q.89. Quæ lex ſit pœnalis, & quid circa eam notandum. 58
Q.90. Quænam lex dici debeat favorabilis, & quænam odioſa. 59
Q.91. An verum ſit, quòd lex & præceptum ponant actionem præceptam vel prohibitam in ea virtute, quam præcipiens intendit, ſive ex cujus motivo præcipit. 60
DUB.III. *An vis & ſubſtantia legis poſitivè dependeat ab acceptatione Communitatis.* 61
Q.92. An ſubditi peccent, non acceptando legem. 61
Q.93. Quid notandum ſit circa acceptationem legum, præſertim Eccleſiæ. 61
Q.94. Quandonam licitum ſit appellare à lege, vel ſupplicare contra illam. 61
Q.95. An durante tali appellatione vel ſupplicatione ſubditi debeant obſervare legem. 62
Q.96. Si Superior audita appellatione vel ſupplicatione taceat, an hoc ipſo cenſeatur revocare legem. 62
Q.97. An lex alioquin invalida per hoc fiat firma, quòd ſubditi eam acceptent. 62
DUB.IV. *An præcepta etiam humana obligent ſub peccato, & quali.* 62
Q.98. An lex humana poſſit ſaltem indirectè præcipere vel prohibere actus merè internos. 63
Q.99. An lex humana poſſit præcipere vel prohibere actum externum in ordine ad actum internum, ſive reſpiciendo internum tanquam finem, ad quem legislator ordinet externum. 63
Q.100. An lex humana poſſit directè præcipere vel prohibere actum mixtum ex in & externo. 63
Q.101. An lex humana poſſit directè præcipere vel prohibere actus internos, & quidem ſolos. 63
Q.102. Quid advertendum ſit circa verba legum. 64
Q.103. Unde univerſim colligi poſſit gravitas vel levitas materiæ & obligationis reſpectu legum. 65
CAP.II. *De ſubjecto, cui datur præceptum.* 66
DUB.I. *Quæ perſonæ præceptis obligentur.* 66
Q.104. An Legislator, uti alii, graviter peccet, ſi non obſervet ſuas leges. 66
Q.105. An pueri ante ſeptennium completum teneantur legibus Eccleſiæ. 66
Q.106. An pueri ante pubertatem etiam cenſuras incurrant. 66
Q.107. Quomodo peccent Clerici non obſervantes legem civilem. 66
Q.108. An peccent Superiores, maximè laici, imponentes varias leges Clericis. 67
Q.109. An lex poſſit favere alicui non ſubdito, vel ei qui, eam non recepit. 67
DUB.II. *An peregrini teneantur legibus ſui domicilii, dum ab eo abſunt.* 67
Q.110. An teneatur ſervare legem, qui ideò tantùm cogitat exire è ſuo territorio, ut ſe à lege eximat. 67
Q.111. An peregrinus, antequam exeat è ſuo territorio, teneatur audire Sacrum in feſto ſpeciali ſui territorii. 68
DUB.III. *An peregrini, & vagi teneantur præceptis locorum, in quibus morantur.* 68
Q.112. Quid dicendum ſit in caſu, quo eſt ſpeciale præceptum, & in loco, è quo exit, & in loco ad quem venit. 68
DUB.IV. *An peregrini teneantur præceptis Iuris communis, ſi non ſint in uſu locis, ubi morantur.* 68
Q.113. In quo conveniant Authores circa obligationem vagi, vel peregrini. 68
CAP.III. *De modo, quo obſervanda ſunt præcepta.* 68
DUB.I. *An debeat impleri ex charitate.* 68
Q.114. Quid tenuerint aliqui circa neceſſitatem Charitatis pro implendis præceptis, & quomodo ſint confutandi. 69
DUB.II. *An ad impletionem præceptorum requiratur intentio iis ſatisfaciendi.* 69
DUB.III. *An ſatisfaciat præcepto, qui faciens opus expreſsè intendit per illud non ſatisfacere.* 69
DUB.IV. *An ad impletionem præceptorum requiratur intentio ſeu voluntas faciendi id, quod præceptum eſt.* 69
Q.115. An univerſaliter verum ſit, quod id, quo impletur, præceptum, procedere debeat ex cognitione, voluntate & libertate operantis. 69
DUB.V. *An duplici præcepto uno actu, vel diverſis actibus eodem tempore poſſit ſatisfieri.* 70
DUB.VI. *An qui uno actu violat plura præcepta, committat plura peccata.* 70
CAP.IV. *Quæ excuſent à tranſgreſſione præcepti.* 70
DUB.I. *An ignorantia excuſet.* 70
Q.116. Quid ſit & quotuplex ignorantia. 70
Q.117. Quale malum, & utrum majus malum ſit ignorantia, an error. 71
Q.118. An omnis veritas in rebus moralibus poſſit à nobis inveniri. 71
Q.119. An non inventio veritatis quandoque fundet ejuſdem inventionem in ordine ad dubia conſcientiæ ſolvenda. 72
Q.120. An dari poſſit ignorantia invincibilis circa leges poſitivas. 72
Q.121. An dari poſſit ignorantia invincibilis etiam circa jus naturæ. 72
Q.122. Quæ ſint & quomodo ſolvantur argumenta Adverſariorum. 73
Q.123. An ignorantia invincibilis ſit inculpabilis, ſive excuſet à peccato. 74
Q.124. Quæ ſint & quomodo ſolvantur argumenta Adverſariorum. 74
Q.125. Quandonam igitur ignorantia & error cenſeatur invincibilis & inculpabilis, aut è contra peccatum. 76
Q.126. Quandonam illa, quæ ſequuntur ex ignorantia vel errore vincibili & culpabili, cenſeantur voluntaria & imputabilia ad culpam. 76
Q.127. An taxari poſſit quantitas diligentiæ neceſſariæ ad hoc, ut ignorantia vel error ſit invincibilis & inculpabilis. 77
Q.128. An incurrat pœnam ignorans eſſe affixam tranſgreſſioni. 78
Q.129. An ignorantia legis vel pœnæ annexæ allegari poſſit pro excuſatione in foro externo. 78
Q.130. An dicta de ignorantia etiam valeant de oblivione naturali. 78
DUB.II. *An metus excuſet ab obſervatione legis.* 78
Q.131. An dari poſſit hic regula generalis agnoſcendi, an metus à lege excuſet vel non. 78
DUB.III. *An excuſet impotentia totius vel partis.* 79
Q.132. Quid circa hæc declararit Innocentius XI. 79
Q.133. An lex aliqua obliget ad aliquid moraliter impoſſibile. 79
Q.134. Quando & quomodo peccet, qui ſe reddit impotentem, vel ponit impedimentum, vel quærit exemptionem à lege. 79
DUB.IV. *An excuſet diſpenſatio.* 80
APPENDIX. *De diſpenſationibus S. Pœnitentiariæ.* 81
Q.135. Quid circa diſpenſationes ſit præterea obſervandum. 82
Q.136. Quid de præſumptione licentiæ ſit obſervandum. 84
Q.137. Quid de interpretatione legis ſit notandum. 85
Q.138. Quid de Epikia ſit notandum. 85
Q.139. Quid notandum ſit de privilegio ſive gratia. 85
Q.140. Quid dicendum ſit de privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis. 87
Q.141. An ceſſante fine legis in aliquo particulari, etiam pro hoc particulari ceſſet obligatio legis. 89
Q.142. Quandonam univerſaliter ceſſet lex vel ejus obligatio. 89
Q.143. An definat obligari, qui probabiliter judicat ſe non obligari lege. 90
APPENDIX. *De Citatione Legum.* 90

LIBER II.

De præceptis virtutum Theologicarum. Pag. 92
Q.1. An ſit ſpeciale præceptum eliciendi actus Fidei, Spei & Charitatis. 92

TRACTATUS I.

De Præceptis Fidei. 92
CAP.I. *Quæ myſteria Fidei neceſſariò credenda ſint.* 92
Q.2. Quid notandum ſit circa varias propoſitiones in hac materia damnatas. 92
Q.3. An fides omni planè homini ſit ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii. 93
Q.4. An & qualis fides de neceſſitate Medii prærequiratur ad juſtificationem; item ad meritum, alioſque actus ſupernaturales. 94
Q.5. Quænam opponi ſoleant contra dicta q. præced. & quomodo ſolvantur. 97
Q.6. Quomodo homo etiam rudis, inſtrui & induci debeat ad credendum. 98
Q.7. Quomodo practicè elici poſſit ejuſmodi actus fidei. 99
CAP.II. *Quando obliget præceptum Fidei.* 99
Q.8. Quid notandum ſit circa obligationem fidei, quando tentatio urget. 99
Q.9. Quid addendum ſit circa quartam propoſ. ab INN. XI. damnatam. 99
Q.10. Quid addendum ſit circa alias propoſ. hìc damnatas. 100
Q.11. An ille ſpecialiter obligetur præcepto eliciendi fidem, qui per hæreſin vel aliud peccatum infidelitatis amiſit habitum fidei. 100
Q.12. Quid addendum ſit circa obligationem profeſſionis fidei. 100
Q.13. An præceptum affirmativum credendi ſit naturale an poſitivum. 100
CAP.III. *An aliquando liceat exteriùs fidem veram negare aut falſam profiteri.* 101
Q.14. Quid notandum ſit circa prop. hìc damnatas. 101
Q.15. Quandonam præterea cenſeatur vel non cenſeatur quis negare fidem. 102
CAP.IV. *De infidelitate & vitiis fidei oppoſitis.* 103
DUB.I. *Quid & quotuplex ſit infidelitas.* 103
Q.16. Quandonam deficiat fides in aliquo. 103
Q.17. An omnes actiones infidelium ſint peccata. 103
Q.18. An certum ſit, quod infidelitas purè negativa ſit inculpabilis. 103
Q.19. Quam poteſtatem habeant Eccleſia, & Principes Catholici circa infideles. 103

Index Tractatuum, Capitum, &c.

DUB.II. *De Iudaiſmo.* 104
Q.20. Quomodo intelligenda ſint ea, quæ prohibentur in Jure circa communicationem cum Judæis. 104
DUB.III. *Quid ſit hæreſis.* 104
Q.21. An præſumi poſſit in Germania eſſe aliquos, qui ſint hæretici materiales tantùm. 105
Q.22. Quid obſervandum ſit circa Matrimonia cum hæreticis. 113
Q.23. An liceat famulari hæretico. 106
Q.24. An licitum ſit Catholico adminiſtrare officium politicum apud hæreticos. 106
Q.25. An liceat Catholico promovere v.g. ad Parochiam aliquem Miniſtrum hæreticum, quem putat minus nociturum veræ Religioni. 106
Q.26. An liceat hæreticos ſepelire in loco ſacro. 106
Q.27. An in locis, ubi viget vetus Calendarium, licitum ſit feſta & jejunia ſecundùm illud obſervare. 106
Q.28. An ſit obligatio denuntiandi hæreticos formales. 106
Q.29. Quis poſſit abſolvere ab hæreſi. 106

TRACTATUS II.

De præcepto Spei. 107

Q.30. Quanta ſit neceſſitas Spei. 107
Q.31. Quomodo aliquis practicè inſtrui & induci debeat ad ſpem Theologicam. 107
Q.32. Quomodo practicè elici poſſit actus ſpei. 107
Q.33. An ſit præſumptio, ſi quis ideò audaciùs peccet, quia ſcit Deum eſſe infinitè miſericordem, aut quia ſcit ſe una Confeſſione vel uno actu contritionis delere poſſe multa peccata. 107
Q.34. An ſit præſumptio, ſi quis ideò peccet, quia ſimile peccatum commiſit, poſteà una opera confitendum. 107
Q.35. An detur parvitas materiæ in præſumptione. 107
Q.36. Quandonam amittatur ſpes. 107

TRACTATUS III.

De præceptis Charitatis. 107

CAP.I. *An, quando & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei.* 107
Q.37. Quid notandum ſit circa propoſitiones hic damnatas. 108
Q.38. Quid notandum ſit circa propoſitionem, quam Alexand.VIII. damnavit. 109
Q.39. Quomodo aliquis diſponi poſſit ad perfectum amorem Dei. 110
Q.40. Quomodo practicè elici poſſit actus Charitatis in Deum. 110
Q.41. Quomodo præterea poſſit voluntas noſtra exerceri in actibus amoris perfecti. 110
CAP.II. *De præceptis Charitatis erga proximum.* 113
DUB.I. *Quis ordo ſervandus inter perſonas, quæ diliguntur.* 113
Q.42. An teneamur proximum diligere actu interno & formali. 114
Q.43. An Paſtor cum quocunque damno ſuo teneatur ſubvenire ſubdito in gravi neceſſitate ſpirituali conſtituto. 114
Q.44. Quænam neceſſitas ſpiritualis dicatur extrema gravis vel communis. 114
Q.45. An quis poſſit aliquando vitam vel bonum ſuum poſtponere vitæ aut bono alterius privati. 114
Q.46. Quid debeat facere Sacerdos, ſi ſimul vocetur ad baptizandum infantem, & ad abſolvendum adultum, quorum alter certò morietur abſque Sacramento, ſi poſtponatur alteri. 115
DUB.II. *De odio & dilectione inimicorum.* 115
Q.47. An licitum ſit triſtari de vita aut gaudere de morte alterius. 115
Q.48. An aliquando ſit obligatio petendi veniam vel ſe inſinuandi apud offenſum. 116
DUB.III. *De præcepto eleemoſyna ſeu miſericordiæ corporalis.* 116
Q.49. Quænam neceſſitas corporalis dicatur extrema, gravis vel communis. 117
Q.50. Quid ad propoſitionem 12. ab Inn.XI. damnatam ſit addendum. 117
Q.51. An etiam peccet contra juſtitiam, qui pauperi extremè indigenti non daret eleemoſynam. 118
Q.52. An ſit obligatio gratis dandi extremè indigenti. 118
DUB.IV. *De miſericordia ſpirituali ſeu præcepto correptionis fraternæ.* 119
Q.53. An aliquis teneatur corrigere proximum, qui mortaliter peccavit, ſi non ſit periculum, ut relabatur. 119
Q.54. An ſpes fructus debeat eſſe certa, vel ſufficiat eſſe probabilem, ut quis teneatur corripere delinquentem. 119
Q.55. An ergo ſemper ſit obligatio gravis corripiendi proximum, ſi aliàs putetur in peccato moriturus. 119
Q.56. Si verba non juvent, an debeat vel poſſit proximus aliter corrigi. 120
Q.57. An aliquando ſit gravis obligatio corripiendi ſolos defectus ſubditorum. 120
Q.58. An ſit obligatio corripiendi eum, qui ex ignorantia peccat. 120
Q.59. An, & quando ſit obligatio denuntiandi vel deferendi aliquem. 120
Q.60. Quale detrimentum vel cujus emolumenti amiſſio excuſet à correptione fraterna. 120
DUB.V. *De ſcandalo.* 121
ART.I. *Quid, quotuplex ſit, & quale peccatum.* 121
Q.61. An ſit peccatum ſcandali ſuadere minus peccatum illi, qui alioquin facturus eſt majus. 121
Q.62. An ergo etiam ſine periculo ſcandali ſit licitum aliquem inducere ad ebrietatem, ut ſic impediatur aliud majus peccatum 121
Q.63. An ſit peccatum ſcandali vel injuſtitiæ, ſuadere alicui, ut potiùs furetur Petro quàm Paulo, vel potiùs diviti quàm pauperi. 121
Q.64. An nunquam ſit mortale inducere aliquem ad veniale. 122
Q.65. Quomodo peccent pingentes vel exponentes imagines obſcœnas. 123
Q.66. Quid de turpibus comœdiis ſit dicendum. 123
ART.II. *An & quomodo ſcandalum paſſivum permitti poſſit; aut ob illud vitandum aliquid omitti debeat.* 123
Q.67. An ſit obligatio omittendi actionem ad evitandum aliorum ſcandalum. 124
Q.68. Quid addendum ſit circa denudationem colli & pectoris in mulieribus. 124
Q.69. Quid dicendum ſit de fœminis, quæ permittunt ſui tactus vel oſcula. 124
ART.III. *An liceat alterius peccato materialiter cooperari.* 124
Q.70. Quid hìc notandum ſit circa propoſitionem 51. ab Innoc. XI. damnatam. 125
Q.71. Quomodo liceat petere, permittere vel cooperari ad aliquid, quòd non ſit ſine peccato. 125

LIBER III. PARS I.

De præceptis Decalogi, & Eccleſiæ. Pag.128

De ſeptem primis præceptis Decalogi. 128

QUÆSTIO 1. An præcepta Dei obſervari poſſint, detúrque gratia ſufficiens ad illa obſervanda. 128

TRACTATUS I.

De 1. præcepto Decalogi. 128

CAP.I. *De ſuperſtitione & ſpeciebus ejus.* 128
DUB.I. *Quid ſit & quotuplex.* 128
DUB.II. *De divinatione.* 129
Q.2. Quænam hìc præterea debeant cenſeri licita vel illicita. 130
DUB.III. *Quid & quotuplex ſit idololatria.* 130
Q.3. Quid notandum ſit circa imagines & circa cultus varios hominum vel rerum ſacrarum. 130
Q.4. An ſit idololatria credere dæmoni, aut eum interrogare, ſi loquatur ex obſeſſo. 131
DUB.IV. *Quid & quotuplex ſit vana obſervantia, & unde colligatur.* 132
Q.5. Quas præterea regulas tradant AA. pro dignoſcenda vana obſervantia. 132
Q.6. Si mulier ſit ſuſpecta, an licitum ſit per immerſionem in aquam explorare, an ſit ſaga. 134
DUB.V. *Quid ſit maleficium, & quomodo poſſit tolli.* 134
Q.7. Quomodo liceat tollere maleficium. 135
Q.8. An ſit licitum uti effectu maleficii. 135
Q.9. Si medicus ſciatur eſſe magus, an ſit licitum petere vel admittere curationem ab illo. 135
CAP.II. *De irreligioſitate ejuſque ſpeciebus.* 135
DUB.I. *Quid ſit tentatio Dei.* 136
Q.10. An ſit tentatio Dei, ſi petas, ut Deus manifeſtet voluntatem ſuam aliquo miraculo. 136
Q.11. An ſit tentatio Dei, offerre ſe ad Martyrium. 136
DUB.II. *Quid & quotuplex ſit ſacrilegium.* 136
Q.12. Quandonam præterea cenſeatur committi ſacrilegium. 137
DUB.III. *De ſimonia.* 137
ART.I. *Quid ſit & quotuplex.* 137
Q.13. An ſimonia bene dividatur in eam, quæ eſt Juris divini ſeu naturalis, & in eam, quæ eſt Juris humani ſeu Eccleſiaſtici. 138
Q.14. Quid notandum ſit circa ſimoniam mentalem. 138
Q.15. An ſit ſimonia mentalis, ſi ſpirituale intendatur vel fiat principaliter propter temporale, aut contra. 138
Q.16. Quid notandum circa ſimoniam confidentialem. 139
Q.17. Quomodo in materia Beneficiorum contrahatur ſimonia communis. 139
Q.18. Quibus præterea modis contrahatur ſimonia in materia Beneficiorum. 141
Q.19. An ſit ſimonia dicere, *confer mihi Beneficium, intercede pro me &c. & ero tibi gratus.* 143
Q.20. Quænam hìc veniant ſub nomine Beneficii. 143
Q.21. Cur Beneficiorum permutatio propria authoritate facta ſit ſimonia. 144
Q.22. An omnis permutatio rei ſpiritualis cum ſpirituali ſit ſimoniaca. 144
Q.23. An vendere Beneficium eccleſiaſticum ſit ſimonia Juris divini ſeu naturalis. 144
Q.24. An ſit etiam injuſtitia dare Beneficium aut aliud ſpirituale pro pretio temporali. 145
Q.25. An ergo Beneficia eccleſiaſtica nihil in ſe habeant, quod poſſit eſſe vendibile abſque ſimonia vel injuſtitia. 145
Q.26. An ſit ſimonia vendere vel locare Decimas aut fructus Beneficiorum. 145
Q.27. An ſit ſimonia vendere vel elocare jus Patronatus. 145
Q.28. An ſit ſimonia, pro Beneficio pecuniam dare patrono hæretico. 146

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q.29. Quomodo hìc licitum ſit vexam dirimere. 146
Q.30. An ſit ſimonia, ſi quis pecunia emat titulum Ordinationis. 147
Q.31. An ſit ſimonia vendere vel elocare res benedictas, conſecratas aliaſque ſimiles. 147
Q.32. An ſit ſimonia dare pretium pro Sacramento, precibus, cantu ſpirituali; item pro obligatione faciendi aliquid ſpirituale. 148
Q.33. An ſit ſimonia dare vel accipere pretium pro exercitio virtutis vel actu aliquo bono. 148
Q.34. An ſit ſimonia accipere pretium pro actionibus Juriſdictionis vel functionis ſpiritualis. 148
Q.35. Quandonam committatur, ſimonia, ſi pretium detur pro omiſſione aliqua. 149
Q.36. An ſit ſimonia docere Theologiam pro pretio. 149
Q.37. An ſit ſimonia emere jus ſepulturæ vel ſepulturam in loco ſacro. 150
Q.38. An ſit ſimonia dare vel accipere pecuniam pro ingreſſu in Religionem. 150
Q.39. An conſuetudo excuſet à ſimonia. 150
Q.40. Quid cenſeri debeat in dubio. 150
Q.41. An in ſimonia detur parvitas materiæ. 151
ART.II. *Quæ ſit pœna ſimoniæ.* 151
Q.42. Quid ſit ſimonia ficta, & an per eam incurrantur pœnæ. 151
Q.43. An ſimonia mentalis inducat pœnas. 151
Q.44. An per ſimoniam tantùm materialem incurrantur pœnæ juris. 151
Q.45. Quid dicendum ſit, ſi ſimonia per tertium tantùm ſit commiſſa. 152
Q.46. An per ſimoniam conventionalem necdum realiter completam incurrantur pœnæ juris. 152
Q.47. An pœnæ juris incurrantur per ſimoniam juris Eccleſiaſtici tantùm. 152
Q.48. Quid præterea ſit addendum circa pœnas ſimoniæ communis. 152
Q.49. Quid addendum ſit circa pœnas ſimoniæ confidentialis. 153
Q.50. Si actus, in quo ſimonia committitur, ſit invalidus, an pœnæ juris incurrantur. 153
Q.51. An metus gravis excuſet, ut quis poſſit retinere Beneficium, alioqui propter ſimoniam dimittendum. 153
Q.52. An Papa poſſit incurrere ſimoniam & pœnas. 153
Q.53. Quis diſpenſare poſſit in pœnis ſimoniæ. 153
Q.54. An Papa ſanet vitium ſimoniæ, ſi in Bulla confirmationis dicat ſe ſupplere omnes defectus, v.g. in electione commiſſos. 154
Q.55. Quid notandum circa Judicem, accuſatorem, teſtes & litem in cauſa ſimoniæ. 154
ART.III. *An & cui ſit reſtituendum ſimoniacè acceptum.* 154
Q.56. Quid circa hanc reſtitutionem ſit præterea notandum. 154

TRACTATUS II.

De 2. præcepto Decalogi. 154

CAP.I. *Quid & quotuplex ſit blaſphemia.* 154
Q.57. Si quis contra homines & jumenta iratus enunciet Sanguinem Chriſti, Sacramenta &c. quando nam cenſeri debeat peccare mortaliter. 155
Q.58. An ſit blaſphemia, vel quomodo peccet, qui ex joco ſæpe effutit verba blaſphema: item qui verbis ſcripturæ utitur ad res profanas. 155
Q.59. An Cajus blaſphemet, qui, ut ne blaſphemet, dimidiat vel parum immutat verba. 155
Q.60. An Titius blaſphemet dicens ſe ad Dei gloriam velle, v.g. inebriare ſe. 155
Q.61. An ſit blaſphemia, ſi quis dicat, ſtultus es, quamvis haberes Deum Patrem. 155
Q.62. An peccet, qui ebrium vel ſtultum vel puerum rationis uſu non utentem inducit ad blaſphemandum. 156
CAP.II. *De juramento.* 156
DUB.I. *Quid ſit juramentum.* 156
Q.63. Quot modis fiat juramentum. 156
Q.64. Quandonam præterea cenſeatur quis jurare vel non jurare. 157
Q.65. An falsò jurans reipſa juret. 157
Q.66. An omne juramentum falſum etiam ſit blaſphemia. 157
DUB.II. *Quotuplex ſit juramentum.* 157
Q.67. An juramentum aſſertorium eſſentialiter differat à promiſſorio, etiam in ratione juramenti. 157
DUB.III. *An & quomodo ſit licitum jurare.* 157
Q.68. An ſit licitum jurare circa rem malam. 157
Q.69. An ſit mortale jurare ſe facturum rem, quam jurans ſcit eſſe moraliter impoſſibilem. 158
Q.70. An ſit licitum jurare rem, quam tantùm probabiliter judico eſſe veram. 158
Q.71. Quanta adhiberi debeat diligentia in inquirenda veritate, antequam jurari poſſit. 158
Q.72. An cives in injuſto bello ſubjugati poſſint invaſoribus præſtare generale juramentum fidelitatis. 158
Q.73. Si Cajus ſubordinet Titium Procuratorem, ut pro ſe falsò juret, uter illorum ſit perjurus vel incurrat pœnas perjurii. 158
Q.74. Quomodo peccet, qui jurat habens conſuetudinem jurandi. 158
DUB.IV. *An in juramento uti liceat æquivocatione.* 158
Q.75. An ſit licitum jurare ſine animo jurandi, aut cum animo non implendi vel ſe non obligandi. 159
Q.76. Quid notandum ſit circa alias propoſitiones hìc damnatas. 159
Q.77. An ſimulatio vel diſſimulatio ſit licita. 161
Q.78. Quomodo excuſentur mercatores, qui dicunt, vel etiam jurant, ſe non poſſe tali pretio merces vendere; item merces ſibi pluries conſtare, cùm tamen neutrum in rigore ſit verum. 161
Q.79. An complementa ſint mendacia. 161
DUB.V. *Quæ & quanta ſit obligatio juramenti promiſſorii.* 161
Q.80. An in juramento falſo detur parvitas materiæ. 162
Q.81. Utra obligatio ſit major, voti an juramenti. 162
Q.82. Quomodo juramenta ſint interpretanda. 162
Q.83. An verum ſit, quòd juramentum ſequatur naturam actus cui adjicitur. 163
Q.84. An juramentum illicitum poſſit obligare. 163
Q.85. An qui fictè juravit, ſeu nolens ſe obligare, reipſa obligetur. 163
Q.86. An juramentum obliget, ſi opponatur priori juramento. 163
Q.87. An juramentum alteri factum obliget, ſi hoc, quod juraſti, obeſt fini perfectiori. 163
Q.88. An juramentum obliget, quo quis jurat non revelare, artem, v.g. curandi podagram. 164
Q.89. An qui juravit non revelare ſecretum, ſi à judice vocetur in teſtem, poſſit dicere veritatem. 164
Q.90. Si quis alteri neſcienti promittat & juret ſe daturum aliquid, an obligetur. 164
Q.91. Si moroſo debitori juraſti rem mutuò acceptam reddere, an tenearis. 164
Q.92. Si reus ad tempus emiſſus jurarit ſe rediturum in carcerem, an ad hoc teneatur. 164
Q.93. Ad quid teneatur, qui juravit nunquam, v.g. ludere chartis vel nunquam bibere vinum. 164
Q.94. Quomodo obligatio juramenti dicatur eſſe perſonalis. 164
Q.95. Si ad me dicas, adjuro te in virtute Dei, per nomen Dei, per ſalutem tuam &c. an tenear. 164
DUB.VI. *Quibus caſibus excuſetur ab obligatione, qui in promiſſorio juramento obligationem contraxit.* 165
Q.96. Quandonam præterea ſit excuſatio à juramento, propter conditiones in eo incluſas. 165
DUB.VII. *Quomodo obligatio juramenti tollatur per irritationem, diſpenſationem, commutationem & remiſſionem.* 165
Q.97. Quid circa illas deobligationes juramenti ſit præterea advertendum. 165
CAP.III. *De voto.*
DUB.I. *Quid votum & quotuplex.* 166
Q.98. An propoſitum firmum ſit votum vel inducat aliquam obligationem. 166
Q.99. Per quid propoſitum diſtinguatur à promiſſione. 166
DUB.II. *Quæ requiratur voti deliberatio & intentio.* 166
Q.100. An voveat, qui ſic dicit, *ò Domine, redde mihi ſanitatem & vivam caſtè.* 167
Q.101. An ad obligationem contrahendam requiratur, ut vovens ſciat, quid ſit vovere. 167
Q.102. Quomodo peccet, qui vovet fictè vel abſque deliberatione. 167
Q.103. Quid præterea notandum ſit circa errorem in fine voti. 167
Q.104. Qualis debeat eſſe circumſtantia, cujus ignorantia vel error poſſit invalidare votum. 168
Q.105. An plena libertas requiratur ad omne votum. 168
Q.106. Quid dicendum ſit in variis dubiis circa vota. 168
DUB.III. *Quæ requiratur materia voti.* 169
Q.107. An votum de re partim poſſibili partim impoſſibili, partim apta partim inepta ſit validum. 170
Q.108. An votum nunquam peccandi ſit materia apta. 170
Q.109. Quid ergo dicendum ſit de voto vitandi omnia etiam venialia. 170
Q.110. Ad quid teneatur, qui vovit confiteri omnia venialia. 170
Q.111. Quid præterea notandum ſit circa materiam voto aptam vel meliorem. 170
Q.112. Quomodo peccet, qui vovet illicita, vel indifferentia, vel ob malum finem; aut qui talia vota exequitur. 171
DUB.IV. *Quæ & quanta ſit obligatio voti.* 172
Q.113. Quæ ſint regulæ generales, & quomodo ex illis diſcernenda ſit obligatio voti. 172
Q.114. Ad quid teneatur, qui vovit nunquam amplius ludere, v.g. chartis. 175
Q.115. Ad quid teneatur, qui vovit non bibere vinum. 175
Q.116. Quomodo obligatio voti conditionati ſit explicanda. 176
Q.117. Quid dicendum ſit de voto pœnali. 176
Q.118. An votum per alium impleri poſſit vel debeat. 177
Q.119. Quo ordine veniant ſolvenda, debita, vota, legata. 177
DUB.V. *Quot modis tollatur obligatio voti.* 177
Q.120. An votum caſtitatis aut Religionis obliget, ſi ille, qui vovit, ſit ita proclivis in luxuriam, ut ipſi ſalubrius ſit inire Matrimonium. 177
DUB.VI. *De voti irritatione.*
ART.I. *An & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem.* 177
Q.121. Per quid irritatio differat à diſpenſatione voti. 178
Q.122. An Papa vel alii Prælati Eccleſiæ poſſint directè irritare vota Chriſtianorum. 178
Q.123. An Superior poſſit propria vota irritare. 178
Q.124. Quid præterea ſit addendum ad meliùs intelligendam naturam irritationis. 178
Q.125. An qui vovit non petere diſpenſationem à voto, poſſit petere irritationem aut commutationem, vel contra. 179
Q.126. An votum non utendi irritatione vel diſpenſatione ſit irritabile aut diſpenſabile. 179
ART.II. *Quis vota indirectè poſſit irritare.* 179
Q.127. Quid præterea hìc notandum. 179
DUB.VII. *Quid ſit voti commutatio.* 179
Q.128. Quid circa hanc votorum commutationem ſit præterea notandum. 180
Q.129. An votum factum in favorem tertii, poſſit commutari. 181
DUB.VIII. *Quid ſit diſpenſatio & qui poſſint diſpenſare in votis.* 182
Q.130. An Superior, ſi rogetur & poſſit, teneatur diſpenſare in votis. 182
Q.131. Quid præterea circa diſpenſationem votorum ſit notandum. 182
Q.132. Quid circa vota reſervata ſit notandum. 182

Q.133.

Q.133. Quid ſpecialiter notandum ſit circa votum caſtitatis. 183
Q.134. Quid circa votum Religionis ſit notandum. 184
Q.135. Quid circa votum trium peregrinationum ſit notandum. 184

TRACTATUS III.

De tertio & quarto præcepto. 184

CAP.I. *Quid tertium præceptum. Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* 184
Q.136. An præceptum obſervandi feſta obliget ſub mortali. 184
DUB.I. *Quæ operatum hoc præcepto tum ab Eccleſia prohibeantur.* 184
Q.137. Quænam præterea opera cenſeantur ſervilia. 185
Q.138. An peccet mortaliter, qui die feſto mandat ſex famulis, ut ſinguli una hora laborent. 185
DUB.II. *Quæ cauſa excuſent ab obſervatione Feſtorum, ob quas opera prohibita liceant.* 186
Q.139. Quid notandum ſit circa diſpenſationem pro labore in die feſto. 186
Q.140. Quid circa conſuetudinem. 186
Q.141. Quomodo pietas excuſet. 186
Q.142. An charitas excuſet laborantem pro paupere. 186
Q.143. Ad quæ præterea ſe extendat excuſatio propter neceſſitatem. 186
Q.144. Quomodo aliquis ratione temporis excuſetur à mortali. 187
Q.145. Quid notandum circa Forenſia. 187
DUB.III. *Quæ opera feſtis diebus præcipiantur.* 187
Q.146. An ſatisfaciat præcepto Miſſæ, qui partes illius ſimul audit. 187
Q.147. An opinio, quæ dicit ſatisfieri, ſi ſucceſſivè audiantur duæ medietates, ſit adhuc probabilis. 188
Q.148. Quinam obligentur ad Miſſam. 189
Q.149. Quibus diebus ſit audienda. 189
Q.150. Qualis Miſſa ſit audienda. 189
Q.151. Quo tempore audiri debeat. 189
Q.152. Quo loco audiri debeat. 189
Q.153. Quænam requirantur, ut quis ſatisfaciat præcepto. 190
Q.154. Qualis intentio requiratur. 190
Q.155. Qualis præſentia corporalis. 190
Q.156. Qualis aſſiſtentia. 191
Q.157. Qualis attentio. 191
Q.158. Quandonam peccetur graviter vel aliter non audiendo totam Miſſam, ſive omittendo partem. 192
DUB.IV. *An ſit obligatio audiendi Miſſam in parochia Dominicis & feſtis majoribus.* 193
DUB.V. *Quæ excuſent ab auditione Sacri.* 194
Q.159. Quæ ſit regula generalis ad dignoſcendum, ſitne aliquis ab audienda Miſſa excuſatus necne. 194
CAP.II. *De 4. præcepto. Honora patrem &c.* 196
DUB.I. *Ad quid teneantur liberi erga parentes.* 196
Q.160. An liceat filio optare, vel gaudere de morte patris, propter commodum ſibi inde proveniens. 196
Q.161. Quid addendum ſit circa obligationem filii jam in ſtatu Religioſo profeſſi, ſi parentes egeant. 196
DUB.II. *Ad quid teneantur parentes erga filios.* 196
Q.162. Quid notandum ſit circa obligationem alendi vel aliter juvandi proles, aut proximè agnatos. 197
Q.163. Si dubitetur, quis è duobus ſit pater, à quo proles ſit alenda. 197
DUB.III. *Ad quid teneantur Tutores & Curatores, qui parentum loco ſunt.* 197
DUB.IV. *Quæ obligatio dominorum & famulorum, aliorumque Superiorum & inferiorum erga ſe invicem.* 198
Q.164. An Superiores Religioſi graviter peccare poſſint diſſimulando leves defectus ſubditorum. 198
DUB.V. *Ad quid teneantur conjuges erga ſe mutuò vi hujus præcepti.* 198
Q.165. Quid ſit circa alimentationem conjugis notandum. 199
Q.166. An uxori adulteræ debeantur alimenta, pars acquiſitorum, reſtitutio dotis, ſaltem per hæredes, ſi maritus obierit. 199
Q.167. Cui conjux teneatur primò ſubvenire. 199
Q.168. Quis viro teneatur primò ſubvenire. 200
Q.169. Quomodo liceat marito uxorem percutere. 200
DUB.VI. *Quæ obligatio parochorum erga ſuos.* 200
Q.170. Quomodo parochus teneatur reſidere. 200
Q.171. An parochus teneatur ad curam per ſeipſum. 201
Q.172. Quæ ſit obligatio parochi tempore morborum & belli. 202
Q.173. An parochus teneatur aliquando Miſſam offerre pro Parochianis. 202
Q.174. Quæ ſit obligatio parochi circa conciones. 202
Q.175. Quandonam potiſſimùm ratione officii ſui, graviter peccet parochus. 203
DUB.VII. *Quæ obligatio Præceptorum, & Diſcipulorum.* 203

TRACTATUS IV.

De 5. & 6. præcepto. 303

CAP.I. *Quid 5. præcepto prohibeatur. Non occides.* 203
DUB.I. *An aliquando liceat occidere vel mutilare ſeipſum.* 203
Q.176. Quanta ſit obligatio ſervandi vel prolongandi vitam. 204
DUB.II. *An & quomodo liceat occidere malefactorem.* 205
Q.177. An marito liceat occidere uxorem in adulterio deprehenſam. 205
Q.178. An banniti, publici graſſatores, vel criminoſi poſſint ubique & ab unoquoque occidi. 205
DUB.III. *An liceat occidere iniquum aggreſſorem.* 206
Q.179. Quid notandum ſit circa aliquas propoſitiones hìc damnatas. 206
Q.180. Quid addendum ſit circa alias propoſitiones hìc damnatas. 207
Q.181. Quid præterea ſit addendum circa occiſionem aggreſſoris. 208
DUB.IV. *An aliquando liceat occidere innocentem.* 209
Q.182. Quid circa abortum ſit dicendum. 209
Q.183. Si quis cum beſtia ſe miſcuerit, an licitum ſit beſtiam mactare. 210
Q.184. Si iniquus aggreſſor objiciat infantem quaſi pro ſcuto, An liceat hunc occidere. 210
Q.185. An fœminæ & pueri innocentes emiſſi ex urbe obſeſſa, poſſint ab obſidentibus repelli in urbem, in qua vitæ periculum ſubibunt. 210
DUB.V. *De duello & bello.* 210
ART.I. *Quid ſit & an liceat duellum.* 210
Q.186. An ſit licitum acceptare duellum. 210
Q.187. An duellum liceat ultra caſus à Buſemb. notatos. 210
Q.188. Quale ſit illud duellum, quod ab Eccleſia ſub pœnis prohibetur. 211
Q.189. Quæ ſint pœnæ ſtatutæ ratione duellorum, & quinam eas incurrant. 211
ART.II. *An & quouſque liceat bellum.* 213
Q.190. Quid circa jus bellandi, Officiales & milites ſit præterea notandum. 213
ART.III. *Quid in bello juſto liceat.* 214
Q.191. Quid circa iſta præterea ſit notandum. 214
CAP.II. *De 6. & 9. præcepto Non mœchaberis: Non concupiſces.* 215
DUB.I. *An & quanta peccata ſint oſcula, amplexus, verba obſcœna & ſimilia extra Matrimonium.* 215
Q.192. An oſculum carnale & ſenſibile ſit peccatum mortale. 216
Q.193. Quid ſit delectatio ſpeculativa, quid practica; & an ſemper ſint mortale. 217
Q.194. Quid præterea ſit notandum circa aſpectus, oſcula, tactus, turpiloquia quoad ſolutos. 217
Q.195. Quid circa illos ſit addendum, qui ſunt aut fuerunt in Matrimonio; item circa habentes ſponſalia. 218
Q.196. An detur parvitas in materia venerea. 218
Q.197. An ſit peccatum, ſi voluntas in motibus venereis habeat ſe negativè. 218
Q.198. Quæ generaliter ſint remedia contra luxuriam. 218
DUB.II. *Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ naturales.* 218
Q.199. Quid ſit addendum. 219
Q.200. In quo conſiſtat virginitas, & quando amittatur. 219
DUB.III. *Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam.* 219
Q.201. Quodnam peccatum ſit gravius, ſodomia an furtum. 220
An aliquando liceat procurare pollutionem. 220
Q.202. In quo conſiſtat malitia pollutionis. 220
Q.203. Quid circa cauſas pollutionis ſit addendum. 220
Q.204. Quid circa pollutionem in ſomno ſit addendum. 221
Q.205. An liceat efficaciter appetere pollutionem naturaliter orituram, vel gaudere de ea involuntariè ſecuta. 222

TRACTATUS V.

De 7. præcepto. Non furtum facies. 222

CAP.I. *De furto.* 222
DUB.I. *Quid ſit furtum & quale peccatum.* 222
Q.206. Quid notandum ſit circa naturam furti & rapinæ. 222
Q.207. Quæ ſint ſpecies furti. 222
Q.208. An furetur, qui rem aufert domino vidente & non contradicente, aut ſi putetur eſſe contentus. 223
Q.209. An ille furetur, qui pro ſtatu ſuo ſervando facit in veſtitu, victu, famulitio &c, expenſas, quibus ſolvendis ſciat ſe eſſe imparem. 223
Q.210. An ille præſumi poſſit eſſe fur, qui rem alienam accipit vel in cujus domo res aliena invenitur. 223
Q.211. An licitum ſit furari in gravi vel extrema neceſſitate. 223
Q.212. An occulta compenſatio ſit furtum. 224
Q.213. An famulantes poſſint dominis ſuis occultè furripere aliquid ad compenſandum laborem, cui putant non reſpondere æqualem mercedem. 226
DUB.II. *Quid ſit quantitas notabilis ad mortale peccatum.* 226
Q.214. Quidnam probabiliùs ſtatuatur pro materia gravis furti. 226
DUB.III. *Quàm graviter peccet, qui multa minuta furta committit.* 229
Q.215. Quid hìc notandum ſit ad clariorem intelligentiam. 229
DUB.IV. *Quid in genere notandum ſit de furto domeſticorum & amicorum.* 230
Q.216. Quid præterea notandum ſit circa furta domeſticorum. 231
Q.217. Quænam dicantur bona conjugum dotalia, paraphernalia, antiphernalia, propria, communia: & quid circa eam poſſint maritus & uxor. 231
Q.218. Quænam dicantur bona filiorum-familias caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, adventitia, profectitia, & quid circa ea poſſint tales filii. 232
Q.219. Quid addendum ſit circa furta filiorum. 232
Q.220. An filio, in domo paterna laboranti debeatur ſalarium; & poſſit illud occultè ſibi compenſare, ſi negetur, vel ſi pudeat petere. 233
Q.221. Quid circa famulos ſit addendum. 233
Q.222. Quid liceat illi, cui committitur, ut emat, vendat, ſolvat, negotietur pro altero. 233

Index Tractatuum, Capitum, &c.

LIBER III. PARS II.

De Reſtitutione, Contractibus, & reliquis Præceptis.

TRACTATUS V.

CAP.II. *De reſtitutione.* Pag.235
DUB.I. *Quid ſit reſtitutio, & qui teneantur ad eam.* 235
Q.1. Quænam injuria cenſeri debeat gravis. 235
Q.2. An ſcienti & volenti fieri poſſit injuria. 235
Q.3. An omnis injuſta actio fundet obligationem reſtitutionis. 236
Q.4. An injuria purè damnoſa fundet obligationem reſtitutionis. 237
Q.5. Quæ ſint univerſim radices reſtitutionis. 237
Q.6. Quid agendum ſit in dubio, an debeatur reſtitutio. 237
DUB.II. *An qui cooperatur ad damnum alterius, teneatur ad reſtitutionem.* 237
Q.7. An movens aut inducens ad damnificandum alteri, reſtituere teneatur. 238
Q.8. Quid circa mandantem ſit addendum. 238
Q.9. Quid circa conſulentem. 238
Q.10. Quid circa conſentientem & palpantem. 238
Q.11. Quid circa illum, qui dat recurſum vel participat. 238
Q.12. Quid de muto, non obſtante, non manifeſtante. 239
Q.13. *Vacat.*
Q.14. Ad quid teneatur Cajus, qui eſt quidem cauſa damni, tamen quamvis ipſe non fuiſſet cauſa, idem damnum ab alio fuiſſet cauſatum. 239
Q.15. Ad quid teneatur, qui eſt cauſa damni, non totius ſed tantùm majoris. 239
Q.16. Ad quid teneatur Confeſſarius temerè deobligans pœnitentem à reſtitutione. 239
Q.17. An ille teneatur, qui dubitat, an ſit efficaciter cooperatus damno. 239
DUB.III. *An ſupradicti teneantur ſinguli reſtituere in ſolidum & quo ordine.* 239
Q.18. Si ſinguli non fuerint cauſa ſufficiens, an obligentur ad totum. 239
Q.19. Quæ regulæ ſervire poſſint pro cognoſcendo ordine ſervando in reſtitutione. 240
DUB.IV. *An teneatur reſtituere, qui alium impedivit à conſecutione alicujus boni.* 240
Q.20. Quæ ſint hìc regulæ generales. 240
DUB.V. *Cui vel quibus reſtituendum.* 242
Q.21. An reſtitutio debeatur illi, qui in damnum conſentit. 242
Q.22. Quid circa res inventas vel derelictas ſit add endum. 242
Q.23. Quid præterea ſit notandum circa reſtitutionem rei incertæ. 243
Q.24. Quid faciendum, ſi dominus compareat, poſtquàm res pauperi vel piæ cauſæ eſt applicata. 244
Q.25. Si fur rem alienam tibi donarit vel vendiderit, cui debeas reſtituere. 244
Q.26. An ſatisfaciat, qui ſolvit creditori creditoris, 244
Q.27. Quid notandum ſit circa bona vacantia. 244
Q.28. Quid circa theſauros, venas metallorum, & ſimiles res occultas, ſi inveniantur. 244
Q.29. Cui reſtitui debeant res ex incendio vel naufragio ereptæ. 245
Q.30. Cui reſtitui debeant res in bello captæ. 245
DUB.VI. *De rebus, quæ debent reſtitui.* 245
ART.I. *Quid debeat reſtitui ab inferente injuriam materialem tantùm, ſive à poſſeſſore bonæ fidei.* 245
Q.31. An res eadem in individuo reſtitui debeat. 246
Q.32. An debeat reſtitui, quod per alluvionem acceſſit. 247
Q.33. Quid notandum ſit circa reſtitutionem rei alienæ, ex qua quis factus ditior. 248
Q.34. An Cajus teneatur reſtituere, ſi aliquid habeat per contractum injuſtum bona fide initum cum Titio. 248
Q.35. Ad quid teneatur, qui bona fide rem furtivam emit aut vendit; aut pro re ſua accepit pretium furtivum. 248
Q.36. Quid addendum ſit circa reſtitutionem fructuum bona fide perceptorum ex re aliena; Item circa compenſationem melioramentorum & expenſarum. 248
ART.II. *Quid debeat reſtitui ab inferente injuriam formalem, ſeu malæ fidei damnificatore ſeu poſſeſſore.* 248
Q.37. An obligatio reſtituendi naſcatur ex actione injuſta ſed non damnoſa. 249
Q.38. Si actio damnoſa non ſit de ſe injuſta, attamen ſit infecta vitio interno injuſtitiæ, an cauſet obligationem reſtituendi. 249
Q.39. An teneatur reſtituere, qui facit aliquid, quod imputabitur alteri, ſi hic alter ideò patiatur damnum. 249
Q.40. Ad quid teneatur, qui exponit infantem, aut ante oſtium alienum collocat. 250
Q.41. An aliquando ſit obligatio reſtituendi eleemoſynas acceptas. 250
Q.42. An dans operam rei illicitæ, quæ non eſt contra juſtitiam, & per hoc cauſans damnum alteri, teneatur reſtituere. 250
Q.43. Quam culpam ſupponat obligatio reſtituendi ex acceptione vel damnificatione injuſta. 250
Q.44. An ſit obligatio reparandi damna, quæ quis in ebrietate cauſat. 253
Q.45. Ad quid teneatur, qui ſcienter intulit damnum grave, ſed invincibiliter ignoravit eſſe tam grave. 253
Q.46. Ad quid teneatur Cajus, qui damnum intulit Titio, putans aut volens inferre Sempronio. 254
Q.47. Quid notandum ſit circa reſtitutionem rei & fructuum; Item circa deductionem melioramentorum & expenſarum. 254
Q.48. Si valor rei vel fructuum fuerit varius intrà tempus, quo ſunt erepta, vel conſumpta, ſecundùm quem valorem ſit reſtituendum. 257
Q.49. Ad quid teneatur, qui ſuccedit poſſeſſori malæ fidei. 257
Q.50. Quid dicendum ſit de illo, qui partim bona partim mala fide poſſedit rem alienam. 258
Q.51. Qualis ſit obligatio reſtituendi res per parva furta ſublatas. 258
Q.52. An ſit obligatio reſtituendi totam materiam gravem, quam quis abſtulit. 259
Q.53. An ſit obligatio compenſandi damna orta ex dilatione reſtitutionis. 259
Q.54. Quid addendum ſit circa lignantes & paſcentes in fundo alieno. 259
Q.55. Quid circa venationem, piſcationem, aucupium, columbas, apes. 260
Q.56. Quid circa tributa, gabellas, vectigalia. 261
Q.57. An faciat injuriam & teneatur reſtituere, qui defraudat præmiſerum. 262
Q.58. Ad quid teneatur fur, qui in extrema neceſſitate conſumit rem furto ſublatam. 263
Q.59. An turpe lucrum ſit reſtituendum. 263
Q.60. An reſtitui debeat pecunia à dæmone accepta. 263
Q.61. An reſtitui debeat, quod eſt acceptum pro re aliunde debita. 263
ART.III. *An & quid debeat reſtitui pro injuria illatæ corpori, v.g. per mutilationem & occiſionem.* 264
Q.62. An impotens reſtituere in uno genere bonorum, teneatur in alio. 264
Q.63. Quid præterea ſit notandum circa reſtitutionem pro injuria corpori illata. 265
ART.IV. *Quid debeat reſtitui pro illato ſtupro.* 266
Q.64. Quid præterea ſit notandum circa reſtitutionem pro ſtupro vel defloratione. 276
ART.V. *Quid debeat reſtitui pro adulterio.* 268
Q.65. Quid præterea ſit notandum circa reſtitutionem pro adulterio. 268
ART.VI. *Quid debeat reſtitui pro famâ & bonis ſpiritualibus, ut inductione ad peccatum, avocatione à Religione.* 270
Q.66. Quanta ſit injuria, & quæ obligatio illius, qui alium inducit ad peccatum. 270
Q.67. Quid addendum ſit circa illum, qui alterum abſtraxit à Religione. 270
Q.68. Quid dicendum de illo, qui alterum falſa docuit. 271
DUB.VII. *De circumſtantiis reſtitutionis.* 271
ART.I. *Quo tempore, loco & modo fieri debeat reſtitutio.* 271
Q.69. Quid præterea notandum ſit circa tempus, quo fieri debeat reſtitutio. 271
Q.70. Quid addendum ſit circa locum, quo fieri debet reſtitutio. 272
Q.71. Cum quantis expenſis teneatur debitor ex delicto reſtituere. 272
ART.II. *Quo ordine reſtitui debeat.* 273
Q.72. An res furtiva propriis immixta priùs reſtitui debeat. 273
Q.73. Si res ſit vendita & tradita, an venditor aliis creditoribus ſit præferendus quoad rem illam adhuc extantem. 273
Q.74. An debita certa ſemper præferri debeant incertis. 273
Q.75. An unum debitum oneroſum poſſit præferri alteri. 273
Q.76. An debita ex delicto præferri debeant debitis ex contractu. 273
Q.77. Quis præferri debeat, ſi debita ſint contracta, quando erat impotentia ſolvendi. 274
Q.78. Quid notandum ſit circa debita hypothecata & privilegiata. 274
Q.79. An etiam inter creditores merè perſonales tenenda ſit regula Juris: qui prior eſt tempore, potior eſt jure. 275
Q.80. An inter creditores merè perſonales poſſit aliis præferri, qui priùs petit, vel qui eſt amicus debitoris. 275
Q.81. An pauper, hoc ſolo titulo, quia pauper eſt, præferri debeat diviti, ſi debita perſonalia ſint paria. 275
Q.82. Quid obſervandum ſit, ſi nullus creditorum habeat jus prælationis. 275
Q.83. An in conſcientia ſit obligatio obſervandi talem ordinem. 275
ART.III. *Quæ à reſtitutione excuſent.* 276
Q.84. Quid notandum ſit circa excuſationem ex eo, quòd damnum cauſatum ſit ſine culpa. 276
Q.85. Quid circa excuſationem propter compoſitionem cum Papa vel Epiſcopo. 276
Q.86. An Titius, iniquus detentor, excuſetur, ſi ſuadente vel jubente Confeſſario rem alienam dederit pauperibus: aut eam commendarit Confeſſario, ut reſtitueret, qui tamen hoc negligat. 277
Q.87. Quid addendum ſit circa excuſationem, qua damnum cauſaretur debitori vel creditori. 277
Q.88. Quid addendum ſit circa excuſationem propter impotentiam vel indigentiam debitoris. 278
Q.89. An cauſa excuſans à reſtitutione, etiam excuſet à furto. 278
Q.90. Quid addendum ſit circa ceſſionem fori ſive bonorum. 278
Q.91. An ingreſſus in Religionem excuſet à reſtitutione. 279
Q.92. An authoritas Judicis vel lex excuſet à reſtitutione. 280
Q.93. An ille excuſetur, qui creditori donavit aliquid, immemor debiti. 280
Q.94. An excuſetur, qui ſolvit creditori. 280
Q.95. An per compenſationem extinguatur obligatio reſtituendi. 280
Q.96. Quid notandum circa remiſſionem creditoris, aſſignationem debiti & tranſactionem. 280
Q.97. Si debitor morte plectatur, an hæredes excuſentur à reſtitutione damni cauſati per delictum, ob quod plectitur. 281
Q.98. An excommunicatio creditoris vel debitoris excuſet. 281
Q.99. An mors creditoris excuſet debitorem à reſtitutione. 281
Q.100. An, & quomodo præſcriptio excuſet à reſtitutione. 281
Q.101. Quid dicendum ſit in variis dubiis vel opinionibus circa obligationem aut excuſationem ab obligatione reſtituendi. 288
CAP.III. *De Contractibus.* 290
DUB.I. *Quid in genere ſit contractus.* 290
Q.102. Quomodo dividatur contractus. 290
Q.103. Quid notandum circa modos, quibus fiunt contractus; Idemque circa obligationem conſequentem ex illo. 291
Q.104. Quid notandum ſit circa conſenſum ad valorem contractus requiſitum. 293
Q.105. Quid dicendum ſit in variis dubiis circa hactenus allata. 298
Q.106. Quid notandum ſit circa ſtipulationes. 298

Q.107.

Q.107. Quinam poſſint contrahere. 299
Q.108. Qualis debeat eſſe materia, de qua contrahitur. 300
Q.109. Quinam ſint effectus contractuum. 301
Q.110. Quid dicendum ſit de contractibus, in quibus omittitur ſolemnitas aliqua requiſita. 303
Q.111. Quomodo contractus firmentur. 303
Q.112. Quomodo finiantur contractus. 306
DUB.II. *Quid in ſpecie de promiſſione & donatione.* 307
Q.113. Quid ſit promiſſio. 307
Q.114. Quænam ſit diſtinctio inter propoſitum, pactum, promiſſionem, prout eſt contractus. 307
Q.115. An propoſitum obliget. 308
Q.116. An pollicitatio, ſive promiſſio ante acceptationem obliget. 308
Q.117. An, & quàm graviter obliget promiſſio acceptata. 308
Q.118. Quid reipſa ſit acceptatio promiſſionis & quandonam poni debeat. 309
Q.119. An acceptatio promiſſionis debeat eſſe externa. 309
Q.120. An ſufficiat acceptatio tacita, æquivoca, diu poſt ſecuta. 309
Q.121. Quomodo promiſſio abſenti facta valeat vel acceptari poſſit. 309
Q.122. Quandonam ceſſet obligatio promiſſionis. 309
Q.123. An obliget promiſſio prodiga. 310
Q.124. Quænam promiſſiones ſint jure irritæ. 310
Q.125. Quid circa contractum donationis ſit addendum. 310
DUB.III. *Quibus caſibus donatio poſſit revocari.* 311
Q.126. Quid præterea notandum circa revocationem donationis ob ingratitudinem. 311
Q.127. Quid præterea ſtatuant jura circa donationes. 311
Q.128. Quid addendum ſit circa donationes factas Eccleſiæ vel ad pias cauſas. 312
DUB.IV. *Quid ſit donatio mortis cauſa, & an poſſit revocari, quomodo & quibus competat.* 312
Q.129. Quid præterea notandum ſit circa donationem mortis cauſa. 312
DUB.V. *Quid ſit commodatum, precarium & depoſitum.* 313
Q.130. Quid notandum ſit præterea circa commodatum. 313
Q.131. Quid circa precarium ſit addendum. 313
Q.132. Quid addendum ſit circa depoſitum. 314
DUB.VI. *Quid ſit mutuum.* 314
Q.133. Quid præterea notandum ſit circa mutuum. 314
DUB.VII. *Quid ſit Vſura.* 315
Q.134. Quid ſit contractus uſuræ, & in quo conſiſtat ejus iniquitas. 316
Q.135. An in uſura detur parvitas materiæ. 316
Q.136. An aliquando ſit obligatio gratis dandi mutuum. 316
Q.137. An aliquando liceat mutuanti accipere aliquid ſupra ſortem. 316
Q.138. Quid notandum ſit circa titulum accipiendi aliquid ob periculum ſortis. 316
Q.139. Quid circa titulum lucri ceſſantis. 317
Q.140. Quid circa titulum damni emergentis. 318
Q.141. An ex aliis etiam titulis licitum ſit aliquid accipere vel exigere ſupra ſortem. 318
Q.142. Quid circa Montes pietatis, Lombardos, Beurſas ſit addendum. 319
Q.143. An liceat ab initio accipere hoc, quod poſteà dandum eſſet pro intereſſe. 319
Q.144. Quænam pacta ſint uſuraria, ſi mutuo addantur. 320
Q.145. An ſit uſura, ſi mutuem ſub pacto, ut mutuatarius exequatur aliquid aliunde debitum ex juſtitia. 320
Q.146. An ſit uſura, ſi quis mutuet ſub pacto, ut alter ſtatim in præſenti aliquid viciſſim præſtet. 320
Q.147. An ſit uſura, ſi Cajus det Titio 100. mutuos, cum pacto, ut ſi Cajus poſt 10. annos vixerit, Titius reddat 300. ſi autem non vixerit, nihil reddat. 320
Q.148. Quomodo pœna imponi poſſit mutuatario. 321
Q.149. Quandonam committitur uſura circa varios contractus. 321
Q.150. An contractus Mohatra ſit uſurarius. 321
Q.151. An ſit licitum aliquid accipere pro obligatione mutuandi in futurum, quandocumque alter exiget mutuum. 321
Q.152. An ſit uſura, ſi mutuem Cajo debitum, quod ipſi erit facilis ſolutionis, mihi autem eſſet difficilis. 321
Q.153. Si nullus adſit titulus accipiendi aliquid ſupra ſortem, an ſit uſura mutuare cum ſpe aliquid accipiendi. 321
Q.154. An ſit uſura, ſi mutuans moneat mutuatarium de gratuita remuneratione. 322
Q.155. An ſit uſura, ſi per legatum ſint tibi relicti 1000. & interim, dum non ſolvuntur, accipias aliquid pro intereſſe, & poſteà totam ſummam. 322
Q.156. Quid dicendum ſit, quando valor rei mutuatæ poſteà creſcit vel decreſcit. 322
Q.157. An ſit uſura cedere alteri contractum uſurarium. 322
Q.158. An uſurarius acquirat dominium uſuræ. 322
Q.159. An uſurarius acquirat dominium eorum, quæ ex re per uſuram accepta poſteà lucratur. 323
Q.160. Quandonam reſtitui debeat, quod acceptum eſt vi mutui. 323
Q.161. An uſuræ licitè permittantur vel juventur. 323
DUB.VIII. *De emptione & venditione.* 325
ART.I. *Quid ſit Emptio & Venditio.* 323
Q.162. Quid notandum ſit circa doctrinam hujus articuli. 324
Q.163. An venditio debeat eſſe de re, & pretio determinato. 324
Q.164. Quid circa rerum pretia ſit notandum. 324
Q.165. Quale ergo ſtatui poſſit pretium rei necdum præſentis. 325
Q.166. Quantum pretium liceat accipere pro re rara & peregrina. 325
Q.167. Si quis ſciat in agro eſſe theſaurum vel venam auream, an licitè emat agrum communi pretio. 325
Q.168. Quandonam ob lucrum ceſſans vel alios titulos licitum ſit pluris vendere ad creditum. 326
Q.169. Si nunc bono pretio vendantur, v. g. ſalpæ, & Titius omnes emat, ut facta earum penuria cariùs vendat, an hoc monopolium ſit illicitum. 326
Q.170. Quid dicendum ſit, ſi mercatores conſpirent non vendere minoris, attamen adhuc intrà limites juſti ptetii. 326
Q.171. Quomodo venditor teneatur vitium, vel emptor pretium mercis manifeſtare. 326
Q.172. Quid dicendum ſit de venditione, in qua intervenit fraus vel mendacium. 326
Q.173. An mercator licitè poſſit admiſcere merci ſubſtantiam alienam. 327
Q.174. An licitum ſit vendere in fraudem creditorum, quibus re vendita, non poteris ſolvere, quod debes. 327
Q.175. An ille, qui emit rem hypothecatam, id eſt, ad debita obligatam, teneatur hæc debita ſolvere. 327
Q.176. An liceat uti falſa moneta. 327
Q.177. Quid addendum ſit circa emptionem rei furtivæ vel pro pretio furtivo. 327
Q.178. Quis ſit dominus rei venditæ. 328
Q.179. Quid addendum ſit circa rem duobus venditam. 328
Q.180. An facto contractu venditor teneatur mercem tradere. 328
Q.181. Ad quem ſpectent fructus vel alia affixa rei venditæ. 328
Q.182. An vendens rem frugiferam ad creditum poſſit contrahere cum emptore, vel de retinendis fructibus rei venditæ, donec perſolvatur pretium, vel ſi emptor velit fructus, de penſione ſolvenda. 329
Q.183. An liceat emere ab aliquo rem frugiferam cum pacto de retrovendendo, ita ut emptor poſſit cogere venditorem ad rem redimendam, non computatis fructibus interea perceptis. 329
Q.184. An æquum ſit, quòd res abſolutè vendita, ſi pereat ante traditionem, pereat emptori. 329
Q.185. Quid addendum circa emptionem Chirographorum crediti alieni. 329
Q.186. An Principi ſit licitum vendere officia temporalia. 329
Q.187. Quænam pacta adjici ſoleant venditioni. 330
Q.188. Quomodo reſcindi poſſit venditio. 330
Q.189. Quid ſit retractus, & quomodo liceat eum impedire. 330
ART.II. *Quid ſit negotiatio, & quibus illicita.* 330
Q.190. Qualis negotiatio & quibus Clericis ſit prohibita. 330
DUB.IX. *Quid ſit contractus cenſus, & an licitus.* 331
Q.191. Quid præterea notandum circa contractum cenſus. 333
Q.192. Quænam pacta licitè adjiciantur contractui cenſus. 333
DUB.X. *Quid ſit cambium.* 333
Q.193. Quid circa cambium ſit præterea notandum. 333
DUB.XI. *Quid ſit locatio & conductio.* 334
Q.194. Quid præterea ſit notandum circa hos contractus. 335
DUB.XII. *De contractibus emphyteuſis, feudi & libelli.* 336
Q.195. Quænam præterea ſint hic notanda. 336
DUB.XIII. *Quid ſit ſponſio & ludus.* 338
Q.196. Quid præterea circa hos contractus ſit notandum. 338
DUB.XIV. *Quid ſit contractus Societatis.* 341
Q.197. Quid hic præterea ſit notandum. 341
DUB.XV. *Quid ſit aſſecuratio & fidejuſſio.* 341
Q.198. Quid præterea notandum ſit. 342
DUB.XVI. *Quid ſit pignus & hypotheca.* 342
Q.199. Quid circa hos contractus ſit præterea notandum. 342
CAP.IV. *De tutela & teſtamentis.* 343
DUB.I. *Quid ſit tutela & curatela.* 343
DUB.II. *Quid & quotuplex ſit teſtamentum.* 343
Q.200. Quid præterea notandum ſit circa teſtamenta. 344
Q.201. Quid ſit fideicommiſſum & ſubſtitutio. 345
Q.202. An ille, qui originale teſtamentum vel alias litteras in favorem ſui factas amiſit, poſſit privatim ſimile inſtrumentum confingere. 345
DUB.III. *De renunciatione hæreditatis.* 345
Q.203. Si Cajus Societatem JESU ingreſſurus donarit fratri ſuo certa bona, addito pacto non revocandi, ſed ſub conditione, ſi permaneat in Societate, an hæc diſpoſitio teneat. 346
DUB.IV. *Quid poſſint & debeant eſſe executores teſtamentorum.* 346
Q.204. Quid notandum ſit præterea circa diſpoſitiones ad pias cauſas. 347
Q.205. An in neceſſitate Reip. licitum ſit diſpoſitiones pias convertere in alios uſus. 348
Q.206. Quid aliàs poſſit Epiſcopus circa commutationem ultimarum voluntatum. 349
Q.207. Si plures ſint deſignati executores. an quilibet ſolus poſſit exequi: vel debeant omnes concurrere. 349
DUB.V. *De iis qui teſtari & hæredes inſtitui poſſunt.* 349
Q.208. De quibus rebus teſtari poſſit filius. 340
Q.209. De cujus licentia teſtari poſſit Religioſus profeſſus vel aliquis Eccleſiaſticus. 350
Q.210. Quid notandum ſit circa hæreditatem & legitimam, ac ſpeciatim circa Religioſos. 350
Q.211. Quinam illegitimi poſſint eſſe hæredes. 350
Q.212. An obligationes teſtatoris tranſeant ad hæredem. 351
Q.213. Quid intelligatur per Falcidiam, & Trebellianicam. 351
Q.214. Quid agendum ſit in dubio, an fraus commiſſa ſit circa teſtamentum. 351

TRACTATUS VI.

De præcepto Decalogi 8. 9. & 10. & præceptis Eccleſiæ.

CAP.I. *De præcepto octavo.*
DUB.I. *Quid ſit ſuſpicio, judicium temerarium & dubitatio, & quale peccatum.* 352
Q.215. Quid præterea notandum ſit circa ſuſpicionem & judicium temerarium. 352
Q.216. Quænam ſint motiva contra hæc peccata temeritatis. 353
DUB.II. *Quid ſit & quàm grave peccatum detractio.* 353
Q.217. Quid notandum ſit circa diſtinctionem famæ & honoris. 355

Q.218. Quandonam peccetur graviter contra famam vel honorem. 355
Q.219. Quid præterea notandum ſit circa detractionem & injurias contra famam. 356
Q.220. An ſit licitum repercutere in fama vel honore. 357
Q.221. Quid notandum ſit, ſi hoc, quod de altero dixiſti, fuit publicum. 357
Q.222. Quid notandum ſit circa injurias contra honorem. 358
Q.223. Quid notandum ſit circa revelationem ſecreti. 358
DUB.III. *An & quomodo fama reſtituenda.* 359
Q.224. Quid faciendum ſit pro reſtitutione ratione ſuſpicionis vel judicii temerarii. 360
Q.225. Quantùm reſtitui debeat ratione infamationis. 360
Q.226. Quid notandum ſit circa obligationem reſtituendi apud mediatores. 360
Q.227. Quid addendum ſit circa illum, qui infamavit alterum planè inadvertenter & ſine culpa. 360
Q.228. An ille, qui detraxit, teneatur ſemper hoc revocare. 360
Q.229. Ad quid teneatur Cajus, qui falsò detraxit. 361
Q.230. Ad quid teneatur Cajus, qui ut impediret Titium ab officio, quo erat indignus, publicè diſſamavit eum, cùm ſatis ſuiſſet diſſamare privatim. 361
Q.231. Ad quid teneatur, qui detraxit defuncto. 361
Q.232. An excuſet prudens metus incurrendi damni temporalis in bonis fortunæ. 361
Q.233. Quid debeatur pro honore læſo. 361
Q.234. Quid agendum ſit, ſi dubitetur, an hoc, quod dixiſti, ſit oblivioni datum. 361
Q.235. An obligatio reſtituendi pro fama vel honore tranſeat ad hæredes detractoris. 361
CAP.II. *Quid de Præcepto 9. & 10.* 361
CAP.III. *Quid de præceptis Eccleſiæ.* 361
DUB.I. *Quid requiratur ad jejunium Eccleſiaſticum, & quanta ejus obligatio.* 361
Q.236. Unde & quanta ſit obligatio jejunādi vel abſtinendi à carnibus. 362
Q.237. An ille, qui ſemel fregit jejunium, poſſit eadem die ſæpiùs comedere. 362
Q.238. Quid veniat nomine carnium, & quinam teneantur præcepto ab illis abſtinendi. 363
Q.239. An licitum ſit, v.g. Amſtelodami diebus Veneris comedere carnes. 363
Q.240. An ille, cui in die jejunii eſt permiſſus eſus carnium vel ſecunda refectio, hoc ipſo etiam permittantur plures refectiones. 363
Q.241. Quid ſit illi faciendum, qui venit ex una in alteram Diœceſim, ubi non ſervatur idem ſtylus Calendarii. 363
Q.242. Quid notandum ſit circa vigiliam S.Mathiæ, & S. Joannis: item circa abſtinentiam feſto S.Marci. 363
Q.243. Ad quæ jejunia teneantur Religioſi. 363
Q.244. An parens teneatur filios, vel dominus ſervos cogere ad jejunandum. 364
Q.245. Quid notandum ſit circa horam refectionis in jejunio. 364
Q.246. Quomodo licitum ſit interrumpere prandium die jejunii. 364
Q.247. Quamdiu liceat protrahere prandium. 364
Q.248. Quid faciendum ſit illi, qui die jejunii manè vel poſt prandium comedit. 364
Q.249. An ſatisfaciat legi, qui pridie vel in prandio ita replet ventrem, ut non ſentiat difficultatem in die jejunii. 364
Q.250. Quid circa potum & res liquidas ſit addendum. 364
Q.251. Quid circa ea, quæ ad hauſtum ſumuntur; Item circa electuaria, tabacum & fructus. 365
Q.252. Quid circa collationem veſpertinam ſit addendum. 365
Q.253. Quid præterea notandum ſit circa parvitatem materiæ in carnibus. 365
Q.254. An jejunium, frangatur ſæpiùs per diem comedendo pauca. 365
DUB.II. *Quæ cauſæ excuſent à jejunio.* 366
Q.255. Quid notandum ſit circa diſpenſationem in jejunio. 366
Q.256. An diſpenſatus ad carnes valetudini ſervientes, poſſit comedere omnis generis carnes. 367
Q.257. Quid addendum ſit circa tempus vel ætatem, in qua obliget lex jejunii. 367
Q.258. Quid circa pauperes ſit notandum. 367
Q.259. An excuſetur, qui magnam in jejunio ſentit difficultatem, vel jejunans dormire non poteſt. 367
Q.260. An excuſetur puella vel vidua volens nubere, ſi jejunio reddenda eſſet deformis. 368
Q.261. An excuſetur, qui habebat duo cauteria. 368
Q.262. Quid addendum ſit circa excuſationem quorundam ratione laboris vel officii. 368
Q.263. Quid notandum ſit circa excuſationem ratione conjugii. 368
Q.264. Quid circa itinerantes ſit addendum. 369
Q.265. Quid addendum ſit circa excuſationem ob pietatem vel majus bonum. 369
Q.266. An omnes Monachi excuſentur à jejunio. 369
Q.267. Quomodo urbanitas excuſet. 369
Q.268. Quid faciendum ſit cum illis, qui prætendunt cauſas non ſufficienter excuſantes. 369

LIBER IV.

De præceptis particularibus certo hominum ſtatui propriis. Pag. 370

CAP.I. *De ſtatu Religioſo.* 370
DUB.I. *Quæ ſit natura Status Religioſi.* 370
Q.1. Quid præterea ſit notandum circa requiſita ad ſubſtantiam ſtatus Religioſi. 370
Q.2. Qui ſint effectus profeſſionis Religioſæ. 371
DUB.II. *Quæ requirantur ad valorem profeſſionis Religioſæ.* 371
Q.3. An unquam poſſit emitti profeſſio ante ætatem vel novitiatum prærequiſitum. 371
Q.4. Quid circa interruptionem novitiatus ſit notandum. 371
Q.5. Si quis abſoluto novitiatu dimittatur & poſtmodum iterum admittatur, an repetere debeat novitiatum. 372
Q.6. Quid præterea ſit notandum circa valorem vel invaliditatem & revalidationem profeſſionis. 372
Q.7. An Berta poſſit Religionem petere & profiteri inter virgines, ſi virgo non ſit. 373
Q.8. Quid dicendum ſit de illo, qui cogit aliquem ad Religionem vel ab ea impedit; item qui cogit ad renuntiandum bonis ſuis, priuſquam ingrediatur, vel exhæredat, quia ingreſſus eſt. 373
Q.9. Quid notandum ſit circa illum, qui dicitſe ex metu reverentiæ feciſſe profeſſionem. 374
Q.10. An Monaſterium poſſit novitium expleta probatione ſine cauſa non admittere ad profeſſionem. 374
Q.11. Si novitius egrediatur vel Religioſus dimittatur, an debeat ipſe Ordini vel ordo ipſi aliquid refundere. 374
DUB.III. *Ad quid teneatur Religioſus vi ſuæ profeſſionis.* 375
Q.12. Quid præterea notandum ſit circa obligationem Religioſi, ut ſervet Regulam & tendat ad perfectionem. 375
Q.13. Quid notandum ſit circa novitiorum obligationes, & privilegia. 375
Q.14. Quid notandum ſit circa clauſuram Monialium. 376
Q.15. Quid notandum ſit circa clauſuram virorum. 378
Q.16. An Religioſis licitum ſit audire vel tradere Jus Civile. 378
DUB.IV. *Ad quid Religioſus obligetur vi votorum.* 378
Q.17. Quomodo aliquis poſſit ante vel poſt ingreſſum Religionis diſponere de rebus ſuis. 380
Q.18. Quid præterea notandum ſit circa votum paupertatis in Religioſo. 380
Q.19. Quid ſpecialiter notandum ſit circa paupertatem in Societate JESU, & Domos illius profeſſas. 382
Q.20. Quid circa votum caſtitatis in Religione ſit præterea notandū. 384
Q.21. Quid circa votū Religioſæ obedientiæ ſit præterea addendum. 385
Q.22. Quid notandum ſit circa votum non procurandi nec acceptandi Prælaturam vel dignitatem. 385
Q.23. An poſſit quis abſolvi à votis Religioſæ profeſſionis. 386
Q.24. Quid notandum ſit circa exemptionem quorundam Regularium. 386
Q.25. Quæ officia & actiones ſpecialiter prohibeantur Religioſis. 386
DUB.V. *Qui poſſint vel teneantur ingredi Religionem.* 386
Q.26. Quid præterea notandum ſit circa eos, qui Religionem ingredi non poſſunt. 387
Q.27. Quænam impediant ingreſſum in Societatem JESU. 387
Q.28. Quid præterea notandum ſit circa eum, qui vovit ingredi Religionem. 387
Q.29. Quid addendum ſit circa illum, qui cupit tranſire ad Monaſterium ejuſdem vel diverſi Ordinis. 387
Q.30. An aliquis poſſit à Religione dimitti ſub conditione in certis caſibus reincidendi in vota. 388
DUB.VI. *Ad quid teneantur Religioſi ejecti, & fugitivi.* 388
Q.31. Quid præterea notandum ſit circa ejectos & fugitivos. 389
Q.32. Quandonam fugitivi cenſeantur apoſtatæ. 389
Q.33. Quid notandum eſt circa Religioſum, qui dimittit veſtem ſeu habitum ſui Ordinis. 389
CAP.II. *De Statu Clericorum.* 389
DUB.I. *De Beneficiis Eccleſiaſticis.* 389
ART.I. *Quid & quotuplex Beneficium Eccleſiaſticum.* 389
Q.34. Quæ ſit diſtinctio inter beneficium, Canonicatum, Præbendam. 390
Q.35. Quid ſit Præſtimonium: beneficium titulare, manuale, monoculare; Commenda ſpiritualis. 390
Q.36. An beneficia manualia ſint reipſa beneficia. 390
Q.37. Quid præterea notandum ſit circa beneficia regularia, & ſæcularia. 390
Q.38. Quid addendum ſit circa beneficium duplex. 391
Q.39. Quid cenſendum ſit in dubio, an beneficium ſit ſimplex, an curatum. 391
Q.40. An præbendæ Canoneſſarum ſint beneficia. 391
Q.41. Quid de Capellaniis ſit notandum. 391
Q.42. Quid circa Vicarios ſit notandum. 392
Q.43. Quid de Vicariatu Epiſcopi ſit notandum. 392
Q.44. Quid de Archidiaconatu ſit notandum. 393
Q.45. Quid de Coadjutoriis ſit notandum. 394
Q.46. Quid notandū ſit circa erectionē, & mutationem beneficiorum. 394
Q.47. Quid circa unionem beneficiorum. 394
Q.48. Quid circa diviſionem, diſmembrationem, & ſupreſſionem beneficiorum. 395
Q.49. Quomodo per lapſum temporis mutari poſſit ſtatus beneficii. 396
ART.II. *Quomodo acquirantur & conferantur Beneficia.* 396
Q.50. Quibus generatim modis acquirantur Beneficia. 396
Q.51. Quid ſit & quomodo differant proviſio, nominatio, præſentatio, inſtitutio, collatio, inveſtitura, electio, poſtulatio, confirmatio, admiſſio, poſſeſſio. 396
Q.52. Quid circa præſentationem ſit addendum. 397
Q.53. Quid præterea notandum ſit circa jus patronatus & patronos. 399
Q.54. Quid addendum ſit circa inſtitutionem. 401
Q.55. Quid circa collationem. 402
Q.56. Quid circa electionem. 403
Q.57. Quid circa confirmationem electionis. 405
Q.58. Quid circa poſtulationem ejuſque admiſſionem. 406
Q.59. Quid circa poſſeſſionem. 407
Q.60. An poſſit conferri, peti vel promitti Beneficium necdum vacans: aut ſaltem dari ejus expectativa. 408
Q.61. Quid Papa abſolutè poſſit & ſoleat facere circa Beneficia. 408
Q.62. Quid addendum ſit circa jus alternativè conferendi per menſes. 408

Index Tractatuum, Capitum, &c.

Q.63. Quid notandum ſit circa tempus, quo incipit menſis Papæ vel Ordinarii. 409
Q.64. Quid præterea ſit addendum circa reſervationem Papalem. 410
Q.65. Quid notandum ſit circa Concordata, præſertim Germaniæ, & reſervationes in eis contentas. 410
Q.66. An Papa poſſit vel ſoleat derogare Concordatis. 413
Q.67. An præſcribi poſſit contra Concordata Germaniæ. 414
Q.68. Quid dicendum ſit de affectione Beneficii per appoſitionem manuum Papæ. 414
Q.69. Quid notandum ſit circa poſſeſſionem pacificam & Beneficium litigioſum. 414
Q.70. Quid circa ſurrogationem. 415
Q.71. Quid circa gratiam, *Si neutri, ſi nulli*. 416
Q.72. Quænam pactiones vel compoſitiones ſint licitæ ad terminandas controverſias circa Beneficia. 416
Q.73. Quænam circa proviſionem Beneficiorum ſit poteſtas Cardinalium, Legati Apoſtolici, Epiſcopi, Vicarii generalis, Capituli eſuſque Vicarii; item Monaſteriorum. 417
Q.74. Quid notandum ſit circa devolutionem Beneficii. 417
Q.75. Quid notandum ſit circa obtentionem Beneficii per preces primarias. 418
Q.76. Quid dicendum ſit, ſi idem Beneficium eadem die pluribus conferatur vel cedatur. 418
Q.77. An beneficia concedi debeant dignioribus. 418
Q.78. Quis hic dicatur dignior, dignus, indignus. 420
Q.79. Quid præterea notandum ſit circa Parochos, Parochias & curata Beneficia. 420
Q.80. Quænam Beneficia conferri debeant per concurſum. 421
Q.81. Quid notandum ſit circa proviſionē Beneficii per concurſum. 421
Q.82. Quid agendum ſit illi, qui Beneficium vacans vult obtinere. 423
Q.83. Quid circa ſupplicas, reſcripta & litteras expeditionis ſit præterea notandum. 424
Q.84. Quid notandum ſit circa executionē litterarum Apoſtolicarū. 424
Q.85. Quid circa falſificationem litterarum Apoſtolicarum. 425
Q.86. Quid agendum ſit, ſi commiſſus ſit error vel vitium in reſcripto aut ſupplica. 425
Q.87. An Beneficia conferri debeant ſine diminutione. 425
Q.88. Quid notandum ſit circa capitulationes ante acquiſitionem Beneficiorum, reſervationes fructuum, annos gratiæ &c. 425
Q.89. Quid notandum ſit circa obligationem annatæ vel quindenæ; item 428
Q.90. Quid intelligatur per valorem 24. ducatorum de Camera. 428
circa valorem Beneficii. 428
Q.91. Quid notandum ſit circa poſſeſſionem annalem. 428
Q.92. Quid notandum ſit circa poſſeſſionem triennalem Beneficii vel fructuum. 429
Q.93. Quænam conditiones requirantur, ut quis juvetur privilegio Regulæ de triennali. 429
Q.94. Quid notandum ſit circa varios, qui à quibuſdam dicuntur inhabiles ad gaudendum *privilegio* Regulæ de triennali. 429
Q.95. Quis titulus dicatur coloratus. 430
Q.96. *Quis ingreſſus* hic dicatur ſimoniacus: & an Regulæ de triennali ſemper obſtet ſimonia. 430
Q.97. Quis dicatur intruſus; & quæ intruſio obſtet Regulæ de triennali. 430
Q.98. Quid notandum ſit circa poſſeſſionem decennalem. 430
Q.99. An aliqua poſſeſſio, non tantùm generet præſumptionem tituli, ſed reipſa conferat titulum & jus, ſi fortè defuit. 430
Q.100. Quid notandum ſit circa modum acquirendi Beneficium ratione Coadjutoriæ. 431
ART.III. *Quæ intentio & qualitates requirantur ad Beneficium accipiendum*. 432
Q.101. Quid dicatur eſſe de forma, & quid tantùm conditio requiſita ad proviſionem Beneficialem. 432
Q.102. Quid notandum ſit circa fidem Beneficiati & profeſſionem fidei ab eo faciendam. 432
Q.103. Quid circa Clericatum & ordines prærequiſitos vel Beneficio annexos ſit addendum. 432
Q.104. Quid circa legitimos ſit præterea addendum. 433
Q.105. An expoſititii, quorum parentes ignorantur, cenſeri debeant legitimi, ideoque ſint capaces Beneficiorum. 434
Q.106. Quid notandum ſit circa conjugatum, bigamum, ſervum. 434
Q.107. Quid de illo ſit dicendum, qui eſt in cenſura aliqua ſeu irregularitate. 435
Q.108. Quid circa aptitudinem corporis ſit addendum. 435
Q.109. Quid addendum ſit circa morum probitatem. 436
Q.110. Quænam infamia obſit Beneficiando. 436
Q.111. Quid addendum ſit circa ſcientiam, peritiam linguæ, gradum quandoque prærequiſitum in Beneficiando. 436
Q.112. Quid addendum ſit circa ætatem prærequiſitam ad Beneficia. 437
Q.113. Quid notandum ſit circa varias conditiones & clauſulas fundationum. 437
Q.114. An beneficiatus in Cathedrali vel Collegiata teneatur officia hebdomadaria aliaſque functiones ſuo Beneficio annexas per ſeipſum præſtare in Eccleſia. 438
Q.115. Quid notandum circa Beneficium requirens Sacerdotium, & quæ tum ſint obligationes. 438
Q.116. An diſpenſatus in ætate ad Sacerdotium hoc ipſo ſit capax Beneficii requirentis Sacerdotium, quamvis in ſupplica non ſit petita diſpenſatio pro Beneficio. 439
Q.117. Quid dicendum ſit, ſi fundatio præſcribat Miſſas certo loco vel tempore, in certo altari vel certis diebus. 439
Q.118. Quid dicendum ſit, ſi non præſcribatur expreſsè quoties, vel ad quam intentionem ſit celebrandum. 439
Q.119. Quid facere debeat, qui ante vel poſt proviſionem advertit in ſe inhabilitatem, vitium vel defectum. 440
Q.120. Quid poſſit fundator, hæres, patronus, Epiſcopus, Papa circa immutationem vel diſpenſationem in conditionibus fundationum. 440
Q.121. Quid aliàs poſſit Epiſcopus vel alius circa commutationem ultimarum voluntatum, & circa diſpoſitiones ad pias cauſas. 441
Q.122. An Epiſcopus vel Capitulum poſſit Beneficio addere nova onera; vel circa Beneficium facere nova ſtatuta aut conditiones. 442
Q.123. An poſſit præſcribi contra vel ultra onera ac conditiones in fundationibus appoſitas. 442
Q.124. Quis poſſit reducere onera fundationum. 442
Q.125. An Epiſcopus poſſit removere altare fundatum, aut transferre fundationem ad aliud altare. 442
Q.126. Quid addendum ſit circa intentionem admittentis Beneficiū. 443
ART.IV. *An liceat habere plura Beneficia*. 443
Q.127. Quid addendum ſit circa incompatibilitatem Beneficiorum. 444
Q.128. Quid circa reſidentiam ſit præterea notandum. 444
Q.129. Quid notandum ſit circa obligationem aſſiſtendi in Choro & Capitulo. 445
ART.V. *Quibus modis Beneficia amittantur*. 445
Q.130. Quid circa vacationem beneficiorum ſit addendum. 446
Q.131. Quid addendum ſit circa vacationem per obitum. 447
Q.132. Quid notandum ſit circa incompoſſibilitatem & vacationem prioris beneficii propter aliud cum illo obtentum. 447
Q.133. Quid notandum ſit circa vacationem per Matrimonium, ingreſſum Religionis, militiam, captivitatem, abſentiam. 449
Q.134. Quid notandum ſit circa privationem ob varia delicta. 450
Q.135. Ad quem ſpectent fructus beneficii poſt mortem beneficiati, vel penſiones poſt mortem penſionarii. 451
Q.136. Quid in genere notandum ſit circa reſignationem. 451
Q.137. An reſignatio cenſeatur favorabilis, an odioſa. 451
Q.138. Quid notandum ſit circa vacationem beneficii reſignati. 451
Q.139. Ad quem ſpectent fructus beneficii reſignati. 452
Q.140. Ad quem ſpectent obligationes, jura, commoda, & incommoda beneficio reſignato annexa. 452
Q.141. Quomodo reſignans poſſit mutare aut revocare conſenſum vel redire ad beneficium. 452
Q.142. Quæ beneficia, ex cujus cōſenſu, & quomodo reſignari poſſint. 453
Q.143. An reſignari poſſit beneficium vel titulus, ſuper quo quis eſt ad majorem Ordinem promotus. 454
Q.144. Quinam reſignare poſſint beneficium. 454
Q.145. Quid notandum ſit circa reſignationem factam ab infirmo. 454
Q.146. Quibus reſignari poſſint beneficia. 455
Q.147. An reſignanti ſit licitum interponere preces apud ordinarium collatorem, ut beneficium reſignatum conferat huic vel illi. 456
Q.148. Coram quibus fieri poſſit reſignatio. 456
Q.149. Quas cauſas requirat reſignatio. 457
Q.150. Intrà quod tempus Superior admittere aut rejicere debeat reſignationem. 457
Q.151. Intrà quod tempus conferri & occupari debeat beneficium reſignatum. 457
Q.152. Quid notandum ſit circa reſignationem per procuratorem. 457
Q.153. Quid dicendum ſit de reſignatione facta ex metu, dolo, vi. 458
Q.154. Quid notandum ſit circa reſignationes in favorem tertii. 459
Q.155. Quid notandum ſit circa reſignationes cum reſervatione fructuum vel penſionis. 459
Q.156. Quid de reſignatione ſub conditione ut refundantur expenſæ litis vel Bullarum aut quæcunque aliæ. 459
Q.157. Quid præterea notandum ſit circa reſignationem ſimoniacam aliaſque conditionales. 460
Q.158. An poſſit alicui conferri pinguius beneficium ſub conditione, ut reſignet vel dimittat illud, quod habet. 460
Q.159. Quid notandum ſit circa publicationem reſignationum. 460
Q.160. Quid in genere dicendum ſit de permutatione beneficiorum. 461
Q.161. Qualia beneficia & à quibus permutari poſſint. 461
Q.162. An permutatio fieri poſſit per procuratorem. 462
Q.163. An requiratur conſenſus permutantium; item patronorum & electorum. 462
Q.164. Quis debeat permutationes admittere ſeu authorizare. 462
Q.165. An cauſæ requirantur; & quid præterea exprimi vel obſervari debeat in permutationibus. 463
Q.166. Quid fieri poſſit, ſi beneficia permutanda ſint inæqualia, vel unus fecerit expenſas pro ſuo beneficio. 463
Q.167. Quænam præterea pactiones hic licitæ ſint, & quomodo circa permutationes poſſit aliter committi ſimonia. 463
Q.168. Intrà quod tempus perfici debeat ac publicari permutatio. 463
Q.169. Quid dicendum ſit, ſi permutatio non habeat effectum vel ſi non ſervetur conditio appoſita. 463
ART.VI. *Quid & quotuplex ſit penſio*. 464
Q.170. An penſio Eccleſiaſtica, quæ alicui conceditur ſuper beneficio alieno ob reſignationem, permutationem, compoſitionem litis &c. ſit verè beneficium aut aliquid ſpirituale, vel ſaltem poſſit eſſe titulus ordinationis. 464
Q.171. An reſervatio penſionis ſit odioſa. 464
Q.172. Quis & ex qua cauſa poſſit concedere alicui penſionem ſuper alieno beneficio. 464
Q.173. An ad impoſitionem penſionis requiratur conſenſus beneficiati, & Patronorum. 465
Q.174. Quibus beneficiis imponi poſſit penſio. 465
Q.175. Quid liceat circa impoſitionem penſionis in permutationibus, ſi beneficia ſint inæqualia quoad fructus. 465
Q.176. Quid notandū ſit circa quantitatem & reductionem penſionis. 465
Q.177. Quandonam & quibus modis imponatur penſio. 465
Q.178. Quibus perſonis reſervari vel conſtitui poſſit penſio Eccleſiaſtica. 465
Q.179. Quid narrari debeat ab illo, qui vult impetrare penſionem. 466
Q.180. Quid ſit notandum circa poſſeſſionem & jura penſionarii. 466
Q.181. Quæ ſint obligationes penſionarii. 466
Q.182. Ad quid teneatur beneficiatus, cujus beneficio annexum eſt onus penſionis. 467
Q.183. Quandonam exigi poſſit penſio. 467

Q.184.

Q.184. Quid notandum ſit circa translationem penſionis. 467
Q.185. Quid præterea notandum ſit circa amiſſionem vel extinctionem penſionis. 468
Q.186. Quid circa redemptionem penſionis ſit notandum. 468
DUB.II. *De Horis Canonicis.* 468
ART.I. *Qui obligentur ad Horas.* 468
Q.187. Quid præterea notandum ſit circa eos, qui tenentur ad Horas. 469
ART.II. *Quanta ſit hæc obligatio.* 470
Q.188. Quid addendum ſit circa materiam gravem vel levem in omiſſione Horarum. 471
Q.189. An obligatio recitandi Horas ſit quoad beneficiatos, etiam ex juſtitia. 472
Q.190. Quid addendum ſit circa obligationem reſtituendi ob neglectas Horas. 472
ART.III. *Qua excuſent à recitatione Horarum.* 462
Q.191. An, qui non poteſt recitare totum Officium, teneatur ad partem, quam poteſt. 473
Q.192. Quid præterea notandum ſit circa excuſationem ob infirmitatem. 473
Q.193. Quid addendum ſit circa excuſationem ob occupationes, aliaſque cauſas. 473
Q.194. Quid ſpecialiter ſit addendum circa diſpenſationem ad Horas. 474
Q.195. An & quomodo licitum ſit ponere aliquid incompoſſibile cum recitatione Horarum. 474
Q.196. Quid agere debeat, qui dubitat, an recitarit aliquam Horam, vel aliquid omiſerit. 474
ART.IV. *Quomodo recitandæ ſint Horæ.* 474
Q.197. Qua lingua recitandæ ſint Horæ. 475
Q.198. Ex quo breviario officium ſit recitandum. 485
Q.199. Quale Officium ſit recitandum. 476
Q.200. Quid præterea circa mutationem Officii ſit addendum. 476
Q.201. Quænam cenſeantur juſtæ cauſæ officii ſine peccato mutandi. 477
Q.202. Quid obſervandum ſit circa Officium Dedicationis, Patroni, Titularis, & Sancti, de quo habentur reliquiæ. 477
Q.203. Quid agendum ſit, ſi duo SS. quorum feſta incidunt in diverſa tempora, ſint Patroni æquè principales ejuſdem Eccleſiæ. 477
Q.204. Quid obſervandum circa translationem feſtorum eodem die occurrentium. 478
Q.205. Quid obſervandum ſit circa Octavas. 478
Q.206. Quid obſervandum ſit circa commemorationem in Horis. 479
Q.207. Quid obſervandum ſit circa Lectiones & Reſponſoria. 479
Q.208. Quid addendum ſit circa Officium defunctorum, Litanias omnium SS. Pſalmos pœnitentiales & graduales. 479
Q.209. Quid circa vocalem expreſſionem & recitationem cum ſocio vel in choro. 480
Q.210. Quid circa mutilatam orationem. 480
Q.211. Quid circa interruptionem. 481
Q.212. Quid circa inverſionem ordinis. 481
Q.213. Quid circa tempus recitandi. 481
Q.214. An Matutinum orari debeat ante celebrationem Miſſæ. 482
Q.215. Quid addendum ſit circa tempus, quo deſinit obligatio orandi pro una die. 482
Q.216. Quid circa locum & ſitum in orando. 482
Q.217. Quid ſit notandum circa intentionem ad Horas prærequiſitam. 482
Q.218. Quid ſit & quotuplex attentio ad Horas. 483
Q.219. An attentio externa requiratur ad ſatisfaciendum pro Horis. 483
Q.220. An aliqua attentio interna requiratur ad Horas. 483
Q.221. An aliqua attentio interna requiratur ad eſſentiam Orationis. 484
Q.222. An attentio interna in Horis ſit ſaltem graviter præcepta ab Eccleſia. 484
Q.223. Quænam pro praxi adhuc addenda ſint circa attentionem internam. 484
Q.224. An ſpecialiter peccet, qui orat cum actuali propoſito peccandi mortaliter. 484
Q.225. An ſit obligatio orandi cum ſpe vel fide. 485
Q.226. Quænam ſpecialiter pro ſcrupuloſo hìc ſint notanda. 485
DUB.III. *Quid Clerici poſſint circa diſpoſitionem fructuum ſuorum Beneficiorum.* 485
Q.227. Quid hìc præterea ſit notandum. 486
Q.228. Quid ſit notandum circa Decimas, Primitias, Oblationes. 486
Q.229. Quid notandum ſit circa alienationem bonorum vel rerum Eccleſiaſticarum. 487
DUB.IV. *Quis ſit habitus Clericorum, qua artes, officia, actiones eis prohibeantur.* 488
Q.230. Quid præterea notandum ſit circa obligationem geſtandi habitum & tonſuram. 488
Q.231. An clerico unquam liceat negotiari. 489
Q.232. Quid liceat Clericis circa venationem. 489
Q.233. Quid notandum ſit de ludo reſpectu Clericorum. 489
Q.234. An Clerico licitum ſit intereſſe executioni pœnæ mortis. 489
Q.235. Quid ſit privilegium Canonis & Fori, quod habere dicuntur Clerici. 489
Q.236. Quid de immunitate Eccleſiaſtica ſit notandum. 489
Q.237. An bona ſæcularia poſſint fieri Eccleſiaſtica ſine licentia Principis ſæcularis. 489
Q.238. An ſtatutum prohibens, ne bona ſtabilia donentur aut vendantur Eccleſiis, ſit injuſtum, ſecluſo privilegio. 490
Q.239. Quid de aſylo ſit notandum. 491
Q.240. Quid notandum ſit circa jus Regaliæ; item circa poteſtatem & authoritatem Romani Pontificis. 493
CAP. III. *De ſtatu & officio perſonarum ſæcularium quarundam, præſertim Iudicialium.* 495
DUB.I. *Quæ requirantur ad legitimum Iudicem.* 495
Q.241. Quid præterea notandum ſit circa juriſdictionem Judicis. 495
Q.242. Quid circa crimina excepta, & juris ordinem ſit addendum. 495
DUB.II. *De poteſtate & officio Iudicis.* 496
ART.I. *Quid requiratur in Iudice.* 496
Q.243. Quid circa hæc ſit præterea notandum. 496
Q.244. Quæ ſit obligatio Principum circa Judices ſtatuendos & manutenendam juſtitiam. 496
ART.II. *Quid Iudici ſervandum circa inquiſitionem.* 496
Q.245. Quid præterea circa inquiſitionem ſit notandum. 497
Q.246. Quid circa præſumptiones & probationes ſit notandum. 497
ART.III. *Quid liceat Iudici circa quæſtiones & torturam.* 498
Q.247. An aliquis, hoc ipſo quòd capiatur, præſumendus ſit reus. 499
Q.248. Quæ indicia requirantur, ut Judex poſſit ſpecialiter inquirere, capere, torquere, condemnare. 499
Q.249. Quantum tribui poſſit denunciationibus. 499
Q.250. An ergo dœmon in congreſſibus ſagarum repræſentare poſſit homines innocentes. 500
Q.251. An judex poſſit procedere ad torturam ex ſola fama publica. 500
Q.252. An ſola fama vel ſola indicia levia nunquam ſufficiant ad torturam. 501
Q.253. An tortura ſit aptum medium cognoſcendæ veritatis. 501
Q.254. An ergo illa, quæ quis contra ſe in tortura fatetur, non debeant ſemper cenſeri vera. 501
Q.255. An & quomodo tortura repèti poſſit. 501
Q.256. Quid præterea notandum ſit circa torturam. 502
Q.257. An Judex poſſit in quocunque crimine interrogare de complice. 502
ART.IV. *Quid ſervandum Iudici circa ſententiam & pœnam.* 502
Q.258. An Reo ſemper debeat permitti advocatus ſeu defenſor. 503
Q.259. An Judex debeat potiùs benigniora ſequi quàm rigidiora. 503
Q.260. An condemnari poſſit, qui nequidem in tortura eſt faſſus crimen. 503
Q.261. Quid dicendum ſit, ſi reus revocet aliquid in loco ſupplicii. 504
Q.262. Quid præſumendum ſit de illis, qui in carcere inveniuntur mortui. 504
Q.263. An Judex, ſi advertat unum è litigantibus omittere aliquid, quo allegato evinceret, poſſit hoc illi ſuggerere. 504
Q.264. Quid facere debeat, qui per Judicem cogitur bis ſolvere. 504
Q.265. Quid addendum ſit circa Judicis obligationem, quando pro utraque parte litigante eſt probabilitas. 504
Q.266. An Judex punire poſſit probabiliter tantùm nocentem. 505
Q.267. Si duo ſint Rei mortis, an ſupremus Princeps poſſit ad recreationem ſpectatorum ei imperare duellum. 506
Q.268. An Judex teneatur reſtituere pretium, quod accepit pro ferenda ſententia. 506
Q.269. Quid circa acceptationem munerum ſit præterea notandum. 506
DUB.III. *Quod ſit officium Advocati.* 507
Q.270. Quid circa advocatum ſit præterea notandum. 508
DUB.IV. *Quæ ſit obligatio Referentis, Secretarii, Notarii & Procuratoris.* 508
DUB.V. *Quod ſit officium Accuſatoris.* 508
Q.271. Quid circa Accuſatorem ſit præterea notandum. 509
DUB.VI. *De Teſtibus.* 509
Q.272. Quid circa Teſtes ſit addendum. 509
DUB.VII. *De Reo.* 510
ART.I. *An & quando reus teneatur fateri.* 510
Q.273. Quid præterea notandum ſit circa hanc obligationem Rei. 510
ART.II. *Quid liceat Reo circa fugam pœnæ.* 511
Q.274. Quid circa fugam Rei & appellationem ſit præterea notandum. 511
DUB.VIII. *Quomodo Confeſſario agendum cum Reo.* 511
DUB.IX. *Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopœorum & Chirurgorum.* 512
Q.275. Quid præterea circa Medicos ſit notandum, 512
DUB.X. *Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & cæterorum ſæcularium.* 513
Q.276. Quid circa Mercatores &c. ſit addendum. 513
Q.277. Quid notandum ſit circa obligationem Profeſſorum, Conſiliariorum, Concionatorum. 513

LIBER PRIMUS.

De Regula actuum humanorum.

TRACTATUS PRIMUS.

De Regula interna, ſive Conſcientia.

CAPUT PRIMUM.

Quid Conſcientia, & an ſequenda ſit?

1 Reſpondeo I. Conſcientia eſt dictamen rationis, ſeu actus intellectus, quo judicamus aliquid hic & nunc agendum, vel omittendum eſſe, vel fuiſſe, tanquam bonum, vel malum, idque per modum præcepti, vel conſilii. Hæc communiter eſt recta, dictans quod verum eſt: aliquando tamen non eſt recta, dictans aliquid aliter quàm ſit v.g. eſſe bonum, quod eſt malum, diciturque erronea, quia contingit cum errore, idque vel vincibiliter, ſeu culpabiliter, quando ſcilicet error vitari potuit, ac debuit: vel invincibiliter, quando error moraliter vitari non potuit; ideòque nec voluntarius eſt, & conſequenter non imputatur ad culpam, & hæc dicitur Conſcientia recta ſecundum quid, ſive in ordine ad nos. Ex D.Thom. Lay. *lib.1.tr.1.c.2.n.1.& c.3.*

Reſp.II. Non tantùm Conſcientia recta, ſed etiam inculpabiliter erronea, dictans aliquid per modum præcepti, obligat, ut eam ſequaris, & ſi contra facis, peccas; & quidem peccatum ejus ſpeciei, contra cujus virtutis ſpeciem intellectus peccare judicat. Ratio prioris eſt, quia Conſcientia recta eſt regula proxima voluntatis derivata à prima & principali regula omnium actionum humanarum, ſcilicet lege divina & æterna, S.Th.1.2.*q.*19.*art.*3.& 4. Ratio poſterioris eſt, tum, quia ſi intellectus voluntati proponit malum, eſtò malum non ſit, ſi tamen putans eſſe malum vult illud facere, jam voluntas verè conſentit in malum, habetque ſufficientem affectum ad peccatum illud, quod apprehendit: tum quia *omne, quod non eſt ex fide*, hoc eſt (ut à SS.PP. communiter explicabitur) quod non eſt ſecundum conſcientiam, *peccatum eſt*, ut dicitur ad Rom.14. Par eſt ratio, ſi intellectus proponat aliquid ut bonum & præceptum, eſtò non ita ſit, ſed malum, voluntas enim illud liberè reſpuendo vel omittendo, conſentit in tranſgreſſionem præcepti, & peccat. Cujus ulterior ratio eſt, quia objectum tribuit actui ſpeciem, prout hìc & nunc ab intellectu proponitur. S.Thom.*l.c. art.*5.

Ex dictis reſolvuntur ſequentes caſus, & ſimiles.

I. Putans eſſe jejunium, quando non eſt, peccat contra temperantiam, ſi non jejunet, S.Thom.*l.c.*

II. Si quis mentiatur ad liberandum proximum ex periculo vitæ, putans ſe ex miſericordia ad id teneri, actum bonum facit; & ſi non mentiatur, peccat contra miſericordiam. Laym.*l.1.tr.1.c.4.n.2.*

III. Scrupuloſus, licèt putet involuntarias diſtractiones eſſe peccata, non tamen peccat, quia non ſunt liberæ, Becan. *lib.2. tract.1. cap.4. quæſt.7.* Laym. *loc.cit.*

Reſp.III. Si ſit Conſcientia culpabiliter erronea, judicans ex ignorantia vincibili aliquid prohibitum eſſe, aut præceptum, quod non eſt, peccas, ſi contra eam, & ſi ſecundùm eam opereris; gravius tamen (cæteris paribus) ſi contra. Breſſer.Bardi *d.3.cap.*5. Ratio prioris eſt, tum, quia non agis ſecundùm regulam humanorum actuum: tum quia voluntas, cùm per ſe ſit cæca, debet ſequi rationis judicium, ſi enim perſeverante illo judicio appetat alteram partem: non poteſt in eam ferri ſub ratione honeſti, cùm intellectus ſub ea ratione non propoſuerit. Ratio poſterioris eſt, quia, ut cum D.Thom. docetur communiter, ignorantia vincibilis non excuſat à culpa; cùm enim in noſtra poteſtate ſit, errorem vincibilem deponere malum, quod fit ex conſcientia erronea, dictante illud eſſe faciendum, eſt indirectè voluntarium, ideoque imputatur ad culpam, S.Thom. *l.c. art.6.* Bon.*tom.2.d.2.q.4.p.6.n.*14.

Unde reſolvuntur Caſus ſequentes.

I. Homo in tali caſu conſtitutus, v.g. qui ſibi mentiendum vel furandum putat, ut vitam proximi ſervet, etſi futurus ſit perplexus & ex hypotheſi neceſſariò peccaturus, neceſſitate conſequente, eò quòd ſtante conſcientia erronea, non poſſit effugere peccatum; abſolutè tamen & ſimpliciter non peccabit neceſſariò, quia nec ſequi talem conſcientiam debet, nec contra eam facere; ſed poteſt, & debet eandem deponere, cùm ſit error vincibilis, & culpabilis; & tunc operari. Vid.Laym.*n.*4.& Becan.*l.c.*

II. Qui peccavit ex Conſcientia erronea, etſi in rigore non teneatur, rectiùs tamen addet illam circumſtantiam in Confeſſione, dicendo: Feci hoc, vel illud, putans me facere contra præceptum vel obligationem gravem. Card. de Lugo *diſp.16.num.*503.

ADDENDA.

Quæſt.1. Quale ſit peccatum agere contra Conſcientiam dictantem aliquid eſſe peccatum, non cogitando an ſit grave vel leve? R.

§.1. Si fiat cum comparatione animi, qua hoc velit, ſive ſit mortale ſive veniale, ſic operans peccat mortaliter, non aliter ac ſi de eo dubitaret, tum quia exponit ſe periculo peccati mortalis, tum quia reipſa amplectitur ſaltem indeterminatè malitiam mortalem, quam ſufficienter cognoſcit; Sed in praxi vix fiet, ut operans, qui cognoſcit aliquid eſſe malum, ita abſtrahat, uti inquit S.Th.1.2.*q.*19.*art.*5.*ad* 3. Ratio eſt, quia quamvis reflexè non cognoſcat eſſe mortale vel veniale, neque ſignatè diſcernat differentiam illam ſpecificam, tamen conſcientia ſemper ſe ita habet, ut vel multum refugiat facere, & tum directè & exercitè ſatis apprehenditur malitia gravis; vel non ita refugiat facere, ſed quaſi leve pertranſeat, & tum apprehenditur malitia tantùm levis. 2

3 §.2. Si ponamus, quòd cognitio abſtrahat à malitia mortali & veniali, & tantùm in genere dictet eſſe peccatum, Azor.Sayr.Bonac.Regin.Tanner.aliique cum Caſtrop.*hic d.1, pu.3.n.6.* adhuc dicunt ſemper fore mortale, quia amplectitur malitiam venialem & mortalem, cùm feratur modo indifferente ad utramque: Quòd ſi cognoſceret malitiam in certa ſpecie; ſed non cognoſceret, an venialis eſſet an mortalis, Vaſq.Merat. *de peccatis d.7.ſ.7.* Sanch. *in Decal.l.1.cap.11.num.6.* dicunt fore mortale aut veniale, prout fuerit objectum, unde ſi cum tali cognitione, v.g. furetur rem levem, erit veniale, ſi furetur rem gravem, erit mortale, quia cùm ſe determinet ad ſpeciem furti, vult malitiam, quæ hic & nunc illi ineſt: hæ duæ ſententiæ ſunt probabiles, videtur tamen probabilius, quod docent Nav. Valent.Sal.Gran.aliique multi cum Oviedo *in 1.2. tr.4.contr. 1.pu.3.* Gob. *in Quin.tr.5.cap.9.num.84.* Burgh. *cent.1.caſ.20.* & probabile agnoſcunt Sanch. *ſuprà*, Dicaſt. *de jur.d.2.n.262.* Diana *p.3.tr.4.R.162. & p.5.tr.5.R.31.* nempe in utroque caſu venialiter tantùm peccari, quia nempe cognoſcitur periculum peccati mortalis, neque obligatio magis inquirendi, neque indifferentia, quam objectum habet ad malitiam mortalem, & venialem, neque abſolutè cognoſcitur malitia mortalis, ſed tantùm malitia abſtracta, & communis mortali & veniali, ergo ſic operans non eſt poſitivè indifferens ad malitiam utramque, ſed tantùm ad malitiam, quæ non excedit venialem: peccat tamen venialiter, quamvis non cognoſcat malitiam eſſe venialem, quia ad peccandum venialiter ſatis eſt, quòd cognoſcat ſe peccare, & non cognoſcat ſe graviter peccare.

4 §.3. Si operans nollet attendere, an malitia eſſet mortalis aut venialis, ideòque operaretur quaſi bona fide, cum metu peccati in genere, & ne ſibi faceret ſcrupulos, aut ne fortè opus eſſet abſtinere ab objecto propoſito, nollet examinare vel de hoc audire; ſic operans procederet mala fide, per ſe loquendo, peccaretque mortaliter, ob rationes *n.2.* datas, & reipſa in illum caderet illud Pſalmi 35. verſ.4. *Noluit intelligere, ut benè ageret*; item illud Iſaiæ 30. *Nolentes audire legem Dei; qui dicunt videntibus, nolite videre; & aſpicientibus, nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt, loquiminobis placentia*: cujus autem ſpeciei, & quomodo confitendum ſit peccatum, quod committens in genere tantùm apprehendebat eſſe mortale, dicetur *lib.5.num.228.*

Q.2. Quid notandum ſit circa diviſionem Conſcientiæ in rectam & erroneam? R.ſeq.

5 §.1. Conſcientia poteſt eſſe tam recta quàm erronea vel Phyſicè vel Ethicè ſive moraliter: Phyſicè recta eſt, quæ eſt conformis objecto, ſive quæ enuntiat objectum, ſicuti à parte rei eſt: Phyſicè erronea, quæ eſt difformis objecto & aliter enuntiat, quàm à parte rei ſit: Ethicè recta eſt, quæ eſt conformis appetitui recto, id eſt, benè ordinato & diſpoſito ad implendam omnem Dei legem, ideòque dicitur Ethicè, id eſt, in ordine ad mores recta, hinc etiam Ariſtoteles *6.Eth.cap.2.* ait, *Activæ mentis veritas eſt, quæ appetitui recto conſentanea ſit*: Ethicè erronea eſt, quæ eſt difformis appetitui recto.

6 §.2. Conſcientia Phyſicè recta poteſt Eſſe Ethicè erronea, v.g. ſi juvenis de homine, qui verè non eſt pater ſuus, prorſus temerè judicet, quòd non ſit pater ſuus, ideòque nolit eum honorare, formando ſibi conſcientiam hoc modo, *non teneor eum honorare ut patrem, qui verè non eſt pater meus, ſed iſte homo non eſt verè pater meus, ergo non teneor eum honorare*, hæc conſcientia eſt Phyſicè recta, quia omnes illius propoſitiones ſunt ſecundùm ſe conformes objecto, attamen eſt Ethicè erronea, quia eſt difformis appetitui recto, & ideò ſecundùm illam operans peccat, quia nempe quiſque tenetur velle honorare eum, de quo prudenter dubitare non poteſt, quin ſit pater ſuus, etiamſi fortè reipſa non ſit.

7 §.3. Conſcientia Phyſicè erronea poteſt eſſe Ethicè recta, uti patet à contrario, nam juvenis ille tenetur ſibi formare hanc conſcientiam, *illum honorare debeo, qui eſt pater meus, ſed hic homo eſt pater meus, ergo illum honorare debeo*: hæc conſcientia eſt Phyſicè erronea, quia minor eſt falſa ac difformis objecto, eſt tamen Ethicè recta, quia eſt conformis appetitui recto.

8 §.4. Conſcientia propter ignorantiam invincibilem Phyſicè erronea, eſt Ethicè recta, ut jam inſinuatum eſt, & probabitur *à n.734.* E contra conſcientia propter ignorantiam vincibilem phyſicè erronea, non eſt Ethicè recta, quia eſt difformis appetitui recto, cùm enim homo talis poſſet & deberet melius inquirere, id autem negligat, non excuſatur à peccato, uti explicabitur *à n.42.*

9 §.5. Diviſio conſcientiæ in rectam & erroneam à Theologis potiſſimùm intelligi deberet de Ethicè recta & erronea, quia conſcientia ab illis præcipuè conſideratur in ordine à mores, unde ſola conſcientia vincibiliter erronea deberet à Theologis dici erronea, cùm illa ſola ſit Ethicè erronea, & in hac ſuppoſitione,

10 §.6. Conſcientia ſic poſſet dividi cum Terillo *in regula morum q.3.n.77.* Conſcientia alia eſt recta, alia non recta: recta, alia eſt certa, alia tantùm probabilis: certa, alia eſt talis cum evidentia, alia ſine evidentia, v.g. per fidem: ſimiliter probabilis, alia eſt conformis objecto, & ſimul appetitui recto, alia eſt difformis objecto ſed conformis appetitui recto, & ad hanc ſpectat invincibiliter erronea: è contra conſcientia non recta, alia eſt erronea, quæ nempe eſt difformis objecto, & appetitui recto, alia temeraria, quæ licèt ſit conformis objecto, tamen, quia formatur ſine prudente motivo, eſt difformis appetitui recto.

§.7. Quando conſcientia communiter dividitur in rectam 11
& erroneam, erronea autem ſubdividitur in vincibilem, & invincibilem, conſcientia recta ſumitur ſtrictiſſimè pro Phyſicè, & Ethicè recta; Teril. autem ſumit latiùs pro Ethicè recta, ſive ſit Phyſicè recta ſive non, hinc ſecundùm Teril. conſcientia recta ſub ſe comprehendit invincibiliter erroneam, conſequenter conſcientia erronea, ſecundùm ipſum, non debet ſubdividi in vincibilem, & invincibilem, ſed tantùm partim in erroneam Phyſicè, & Ethicè, partim in erroneam non Phyſicè ſed Ethicè tantùm, quia nempe temeraria eſt, uti *n.* 10. dictum eſt. Et hæc notanda fuerunt pro ſolvendis difficultatibus poſteà proponendis.

Q.3. An dari poſſit conſcientia invincibiliter erronea maximè circa jus naturæ? R. Poteſt, uti pluribus oſtendetur *à n.719. & 720.*

Q.4. An conſcientia invincibiliter erronea non tantùm 12
excuſet à peccato, ſed etiam dici poſſit verè conſcientia, & formalis regula operationis? R. Negat Eliz. *in doctrina morum in append. q.9.* item Camargo *in Regul. honeſt. moral. part.1.l.2. controv.1. à num 33.* Sed rectè cum communi affirmat Terillus *in Regula q.35. aſſert.1.* Ratio eſt I. quia omne judicium hic & nunc invincibiliter proponens regulam objectivam, ſive voluntatem Dei ſaltem permittentem, verè dicitur conſcientia, & formalis regula operationis honeſtæ, ſive judicium illud ſit verum ſive falſum, cùm enim omnis honeſtè operans agat ſecundùm regulam objectivam, debet habere judicium proponens illam, ratione cujus judicii honeſtas etiam refunditur in actum, uti *à n.14.* dicetur, ergo hoc judicium eſt verè conſcientia, & formalis regula, quamvis non ſit conſcientia recta, ſive vera materialiter. II. Judicium verum, 13
ſecundùm Eliz. eſt conſcientia & formalis regula, ergo etiam invincibiliter erroneum, quia æquè proponit objectum ſub ratione boni, æquè applicat regulam objectivam, æquè regulat, & dirigit ergo.

Q.5. An opus ex conſcientia invincibiliter erronea factum ſit etiam honeſtum & poſitivè bonum? R.

§.1. Negant aliqui cum Eliz. *lib.3.q.4. lib.5.q.18.* & Camar- 14
go *p.1.lib.2.contr.4. à n.341.* Sed rectè affirmat ſententia communiſſima cum Terillo *in Reg.q.3. ubi n.60.* pro ea ſententia refert Almai. Cordub. Lorc. Duval. Sylvium, Malder. Peſant. Vviggers, Suar. Azor. Sanch. Vaſq. Salas, Amic. Becan. Eſp. & certiſſimam vocat Carden. *in 1.Criſi diſp.56.n.1307.* eandem 15
tenet Gran. *1.2.contr.2.tr.12.d.7. ſect.1.* addit tamen ejuſmodi opus non fore ſupernaturale. *Probatur* authoritate, nam S. Auguſt. *de util.cred.cap.12. & lib.2.cap.18. de peccat. merit.* item S.Th. *1.2. q.18. art.9.* docent omnes actus humanos in individuo eſſe vel bonos vel malos, ſed actus factus ex ignorantia invincibili non eſt malus, uti fatentur adverſarii, ergo eſt bonus; quod S. Auguſt. probat in puero, qui honorat illum, quem per errorem invincibilem putat eſſe patrem ſuum, puer enim in eo eſt ſecundùm mores laudabilis, ergo actus ejus eſt moraliter bonus: item S.Thom. *quæſt.19. art.6.* expreſsè dicit idem eſſe, quærere an conſcientia erronea excuſet, &, an voluntas concordans rationi erranti liget, & conſequenter ſit bona: adverſarii autem plerumque concedunt conſcientiam invincibiliter errantem excuſare à peccato, ergo & debent concedere voluntatem concordantem rationi invincibiliter erranti ligare, adeoque eſſe bonam. Similiter S. Bernardus *de præcepto, & diſcip.cap.12. &* 17. docet, obedientem vel operantem ex bona intentione, operari laudabiliter & meritoriè, quamvis fortè materialiter operetur contra legem Dei: idem docent alii SS. PP. quos expendit Terill. Ratio autem eſt, I. quia actus voluntatis ſpecificantur ab 16
objectis, non prout in ſe ſunt, cùm ita non attingantur, ſed prout ab intellectu proponuntur, ergo ſi objecta invincibiliter proponantur tanquam bona, refundent bonitatem in actus, maximè cum objectum formale hic ſit vera honeſtas virtutis, quæ movet, ſicuti ſi putem me dormiendo peccaſſe mortaliter, licet nullo modo peccarim, tamen occaſione illius falſæ perſuaſionis poſſum elicere veram contritionem ex moti- 17
vo bonitatis Dei à me aliàs offenſi. II. Objectum, quod ſcitur eſſe indifferens, ſi ad finem bonum ordinetur, refundit bonitatem in actum, ut fatetur Eliz. *lib.5.quæſt.18.§.5.* ergo multò magis illud quod invincibiliter putatur eſſe bonum: ſicuti enim malitia objectiva quaſi ſeparatur per illum

erro-

18 errorem, ita moraliter additur bonitas. III. Judex ex motivo juſtitiæ condemnans innocentem, quem invincibiliter putat nocentem, exercet actum obligatorium & laudabilem, ergo poſitivè honeſtum & bonum: idem eſt de eo, qui pauperi donat nummum cupreum, quem invincibiliter putat eſſe aureum, hic enim tantundem meretur apud Deum, qui cor reſpicit, atque ſi fuiſſet aureus, nam IV. iidem ſunt actus intellectus, & voluntatis, ſive adſit ſive abſit error, v.g. ſive hoſtia ſit, ſive non ſit conſecrata, eoſdem actus adorationis habeo, ergo ſi in caſu hoſtiæ conſecratæ actus meus eſt poſitivè bonus, etiam eſt talis in caſu non conſecra-
19 tæ, quando error eſt invincibilis. *Conf.* nam redditio debiti conjugalis eſt actus præceptus, licèt fortè Matrimonium ſit nullum, uti conſtat ex *Cap. Inquiſitioni, de ſent. excommun. & Cap. Dominus de ſecundis nuptiis*, ergo certo eſt conformis voluntati Dei ſaltem ſecundariæ. Aliam rationem à priori vide *num.* 747.

20 §.2. *Objicies* 1. Actus bonus debet proficiſci ex ratione recta, uti expreſsè docent S. Auguſtinus *de util. cred. cap.* 12. & S. Thom. *q.* 19. *art.* 3. Sed actus proficiſcens ex aliquo errore, non eſt ex ratione recta, ergo. Reſp. Actus bonus debet proficiſci ex ratione recta, ſaltem reflexa, proximè dirigente actum, conc. ex ratione recta, directa, remotè ſe habente ad actum, ſubdiſtinguo, debet proficiſci ex ratione directa ſemper Phyſicè recta, n. ſaltem Ethicè recta, conc. maj. & ſimiliter diſtincta min. n. conſequentiam. Qui honorat hominem, quem
21 falsò, attamen prudenter putat eſſe patrem ſuum, habet duas quaſi conſcientias, prima eſt directa & ſic dicit, parentes honorare debeo, hic eſt meus parens, ergo hunc honorare debeo, altera eſt reflexa & ſic dicit, honorare debeo illos, quos judicare debeo eſſe parentes meos, ſed hunc hominem judicare debeo eſſe parentem meum, cùm de eo mihi non liceat dubitare, ergo hunc hominem honorare debeo: prior illa directa conſcientia eſt, & manet Phyſicè erronea, eſt tamen Ethicè recta, quia dirigit ad actum laudabilem, & bonis moribus conformem, quamvis remotè tantùm dirigat, dando occaſionem poſteriori conſcientiæ reflexæ, quæ prudentiſſimè formatur propter circumſtantias prioris conſcientiæ invincibiliter erroneæ, & ſola illa reflexa conſcientia eſt dictamen ultimum proximè regulans actum, eſtque ratio rectiſſima, & certa: ubi in ſimilibus caſibus obſervandum eſt, quòd conſcientia illa directa, quando dictat objectum malum eſſe licitum, ideò ſit Phyſicè falſa, quia dicit objectum non eſſe materialiter malum, v.g. non eſſe materialiter injuſtum, ſi Judex condemnet hunc hominem, quem tamen ſupponimus eſſe innocentem; è contra conſcientia reflexa proximè dirigens Judicem, non dicit hoc non eſſe materialiter injuſtum, ſed dicit non eſſe injuſtum formaliter, quia nempe invincibiliter ignoratur innocentia, & juridicè probatus eſt nocens; atque ex his clariſſimè patet, quomodo conſcientia directa, & reflexa non ſint de eodem objecto affirmato vel negato.

22 *Objic.* 2. Actus bonus debet dirigi à prudentia, ſed actus circa objectum malum non poteſt dirigi à prudentia quia dirigitur ab errore intellectus, ergo. Reſp. n. min. & patet falſitas, tum ex jam dictis, tum ex dicendis *à n.* 97. ubi oſtendemus opinionem etiam falſam poſſe à prudentia imperari, atque
23 etiam ſapientem errare poſſe. *Inſtabis*. Recta ratio, quam requirit prudentia, habetur tantùm per conformationem intellectus ad rem, ergo ubi actus eſt difformis rei in ſe, non eſt prudens. Reſp. n. ant. cum S. Thom. *ſupra ad* 3. ubi ſic habet, *Verum intellectus practici aliter accipitur quàm verum intellectus ſpeculativi, uti dicitur 6. Ethic. cap. 2. nam verum intellectus ſpeculativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem ∴∴. verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum*, ſive ad voluntatem benè diſpoſitam in ordine ad implenda omnia Dei præcepta, ſed certum eſt, quòd voluntas talis ſæpè per accidens imperet actus difformes rei; nam ſi invincibiliter judicem me peccare, ſi non elevem cruceм ſtramineam, certum eſt me peccare, ſi non elevem, ideòque recta ratio, & prudentia imperat, ut elevem, quamvis certum ſit, quòd non elevare, in ſe non ſit peccatum, ergo.

24 *Objic.* 3. Abſurdum eſt dicere, quòd voluntas mentiendi poſſit unquam à Deo exigere præmium, quia mendacium eſt intrinſecè & neceſſariò ſemper diſplicens Deo, ac conſequenter voluntas mentiendi non poteſt eſſe aliquid placens Deo. Reſp. Abſurdum eſt dicere, quòd voluntas mentiendi poſſit, per ſe loquendo, à Deo exigere præmium, conc. per accidens, ſi mendacium invincibiliter repræſentetur ut bonum, & obli-
25 gatorium, neg. *Nec obſtat*, quòd mendacium ſit objectum intrinſecè diſplicens Deo, *nam* non repræſentatur eſſe tale, ſed apparet bonum, ideoque voluntas non tendit in objectivam malitiam, quæ ineſt, ſed in bonitatem, quæ per errorem putatur ineſſe, ſicque terminat volitionem, ac ſi reipſa ineſſet, ergo licèt mendacium maneat in ſe materialiter malum, non ideò voluntas mentiendi erit formaliter mala, ſed bona.

Inſt. 1. Actus ſpecificantur ab objectis, ergo ubi objectum 26
in ſe eſt malum, volitio illius non poteſt eſſe bona. Reſp. Specificantur ab objectis ſemper prout in ſe ſunt, n. etiam prout invincibiliter nobis repræſentantur, conc. ant. & neg. conſ. maximè in electione voluntatis, cujus honeſtas deſumitur præcipuè ab objecto formali motivo prout per intellectum propoſito.

Inſt. 2. Bonitas Dei eſt prima regula omnis bonitatis mo- 27
ralis, ſed voluntas mentiendi ſemper repugnat bonitati Dei, ergo nunquam eſt bona moraliter. *Conf.* Quia ſicut ſe habet intellectus ad verum, ita voluntas ad bonum, ergo ſicuti implicat intellectum noſtrum perfici per tendentiam in aliquid reipſa difforme intellectui Divino, ita voluntatem noſtram per tendentiam in aliquid reipſa difforme voluntati Dei. Reſp. n. min. Deus enim illam permittit, & poteſt ad illam eſſe obligatio ſub peccato, ergo non repugnat voluntati ſaltem ſecundariæ Dei, ergo nec bonitati, vide dicenda *n.* 339. *Ad Conf.* dicam *n.* 706. intellectum etiam perfici poſſe per errorem probabilem: de cætero non eſſe omnimodam paritatem, debent adverſarii fateri; nam omnis error eſt aliquod malum intellectus, & tamen volitio mali procedens ex ignorantia invincibili, ſecundùm ipſos, non eſt ullo modo mala voluntati, ſed tantùm non bona.

Inſt. 3. S. Thom. *q.* 19. *ar.* 6. *ad* 1. expreſsè dicit, ad hoc, ut 28
aliquid ſit bonum, requiri, ut & ſecundùm ſuam naturam ſit bonum, & ut apprehendatur tanquam bonum, ſed mendacium ſecundùm ſuam naturam nunquam eſt bonum, ergo, Reſp. S. Th. loquitur de illo, quod eſt abſolutè, & ex omni parte bonum, non tantùm formaliter ſed & materialiter: tale autem mendacium non eſt quidem in ſe bonum, eſt tamen formaliter à volitione interna, & honeſta illud imperante, & denominante bonum.

Inſt. 4. Omnis voluntas bona eſt à Deo authore, ſed volitio 29
mendacii non eſt à Deo authore, ergo non eſt bona. Reſp. 1. Retorquendo, omnis voluntas non mala eſt à Deo authore, quia Deus eſt author omnium, præterquam peccati, ſed volitio mendacii, ſecundùm te, non eſt mala, ergo eſt à Deo authore. Reſp. 2. Omnis voluntas per ſe bona eſt à Deo authore, c. per accidens bona, n. unde & ejuſmodi mendacium, reipſa abſolutè ſolùm permittitur à Deo, id enim tantùm dicitur abſolutè, & ſimpliciter intendi à Deo, in quod Deus per ſe, & ex lege ſeu voluntate primaria fertur.

Inſt. 5. Saltem Deus præcipiet mentiri, nam non mentiendo 30
peccaret, ergo hoc eſſet contra aliquod Dei præceptum, quia omne peccatum eſt contra Dei legem. Reſp. Præceptum Dei eſt hoc, *faciendum eſt, quod Deus præcipit*, cui præcepto contraveniret non mentiens, quia invincibiliter putat Deum hoc præcipere: malè autem ſic ſubſumit, *ſed Deus præcipit mentiri*; quod per accidens eſt, & per errorem invincibilem excuſatur: videri poteſt Eliz. *l.* 5. *q.* 18. §. 3. Item dicenda *n.* 43. nam illa difficultas eſt etiam ab adverſariis ſolvenda.

Objic. 4. Deus nulla falſa religione rectè colitur; ergo nec 31
colitur opere malo, quamvis quis putet eſſe bonum. Reſp. Si ſenſus antecedentis ſit, quòd nulla falſa perſuaſio poſſit eſſe fides Theologica & ſupernaturalis, c. quia fides illa debet niti authoritate Dei, & eſſe circa objectum verè revelatum: ſi autem ſenſus ſit, quòd nulla perſuaſio falſa poſſit eſſe intellectuale obſequium Deo placens, n. quia honeſtas, quæ eſt objectum formale virtutis moralis, poteſt convenire objecto materiali tantùm exiſtimato, & ideò actus, quo credo aliquid, quod puto eſſe revelatum, utique Deo gratus eſt, quamvis fortè illud à parte rei non ſit revelatum.

Objic. 5. Peccator, qui bona fide putat vel ſe eſſe in gratia 32
vel actum ſuum eſſe meritorium ut octo, non ideò per ſuum actum meretur cœlum de condigno, nec præmium ut octo, ergo ſimiliter qui bona fide putat ſe benè operari, non ideò benè operatur. Reſp. n. conſeq. Priora judicia habent ſe planè per accidens, & impertinenter ad meritum, neque ſunt regula vel menſura illius, ſive enim adſint ſive abſint, meritum eſt idem: è contra conſcientia non habet ſe per accidens, & impertinenter ad honeſtatem operationis noſtræ, ſed eſt regula ac menſura illius, ſi enim dictaret aliquid eſſe malum, quamvis in ſe foret bonum, propter conſcientiam refunderetur malitia in actum, ergo patet, quòd conſcientia ſe ad honeſtatem operationis aliter habeat, quàm iſta judicia ad rationem meriti.

Objic. 6. Si ab errore refundi poſſit bonitas in operationem, 33
ergo operatio regulata per errorem erit æquè perfecta, atque ſi reguletur per actum verum, certum, & evidentem. Reſpond. cum Terillo *ſupra q.* 4. univerſaliter negando ſeq. nam I. operatio per cognitionem certam, & evidentem regulata, eſt cæteris paribus melior illa, quæ regulatur per cogni-

gnitionem veram & incertam, nam in primis cognitio perfectior constituit actum primum perfectiorem, ergo sequitur etiam actus secundus perfectior; deinde cognitio certior firmiùs applicat medium fini, facitque voluntatem esse alacriorem: præterea ratio voluntarii respondet cognitioni, ergo quò cognitio est perfectior, tanto est major ratio voluntarii, ergo tantò perfectior actus voluntatis: quod etiam à posteriori colligitur, nam etiam ideò amor beatificus est perfectior amore viæ, quia ille dirigitur à perfectiore cognitione. II. Operatio, quæ regulatur à cognitione certa & evidente, est cæteris paribus melior, quàm quæ regulatur ab errore invincibili, nam illa, quæ regularetur à cognitione vera sed tantùm probabili, esset imperfectior, uti jam dictum est, ergo etiam esset imperfectior, si reguletur ab errore invincibili, qui solùm probabilis esse potest. III. Operatio regulata ab errore invincibili, cæteris paribus, tam bona est, quàm operatio regulata à cognitione vera sed tantùm probabili, quia actus probabilis erroneus est intrinsecè tam perfectus, quàm probabilis verus: denominatio enim veritatis formalis est partim extrinseca, accidentaliter conveniens actui, qui verus est, idem enim numero actus potuisset esse falsus: hinc si duo fratres putent Titium esse patrem suum, unus verè, alter falsò, & similiter honore afficiant Titium, uterque, cæteris paribus, operatur æquè honestè.

34 *Q.6. An peccet formaliter, qui invincibiliter putat actum internum non esse malum, & tamen cognoscit objectum talis actus esse malum?* v. g. qui desiderat fornicari, invincibiliter putans hoc desiderium internum non esse malum, quamvis sciat, quòd reipsa fornicari sit malum. R.§.1. Oviedo 1.2.*tract.4. controv.1.pu.5.* aliique dicunt peccare formaliter, si actu efficaci in objectum tale tendat, 1. quia scit fornicationem à Deo esse prohibitam, & nihilominus eam efficaciter ac liberè vult ponere; Item scit se liberè velle ponere aliquid, quod scit esse peccatum, & quo scit violari legem Dei, ergo non potest non peccare formaliter. II. Ut quis formaliter peccet, non est opus reflexè cognoscere malitiam sui actus, sed satis est directè cognoscere malitiam objecti & in eam per voluntatem efficacem liberè ferri, hoc ipso enim cum advertentia, & libertate vult agere aliquid difforme legi Dei, ergo formaliter peccat. III. Tale desiderium stare nequit cum amore Dei, ergo est formale peccatum. IV. actus internus, & efficax desumit speciem suam ab objecto cognito, in quod fertur, ergo ubi objectum est, & cognoscitur esse malum, actus internus efficax in illud tendens est malus.

35 §.2. E contra Granad. *de peccat. tract.5. d.3. sect.2.* Sanch. *in Decal. l.1. c.16. n.17.* aliique plures probabiliùs dicunt non peccare formaliter sed materialiter tantùm, quia licèt desiderium illud sit ex objecto malum, attamen excusatur per errorem invincibilem, ex quo hic & nunc prudenter format sibi dictamen, quo judicat desiderium sibi esse licitum, nemo autem peccat per actum, quem hic & nunc prudenter judicat sibi esse licitum, ergo. Loquor ex suppositio, si daretur talis casus, nam fortè est impossibilis.

36 §.3. *Ad* 1. rationem Resp. Scit se velle ponere aliquid, quod scit esse peccatum, prout objicitur illi desiderio, n. quod scit esse peccatum, si à parte rei poneretur, c. prudenter enim judicat Deum non offendi per fornicationem volitam præcisè, sed tantùm per illam à parte rei positam. *Nec obstat*, quòd velit illam ut ponendam à parte rei, *nam* cum hoc stat, quòd adhuc prudenter judicet Deum non offendi illa ut ponenda præcisè, sed tantum ut exercitè posita, sive tantùm posito ipso exercitio, quod de facto non conjungitur cum illo desiderio.

37 *Ad* 2. Quamvis ad formaliter peccandum non sit opus reflexè tendere in malitiam actus, tamen vel debet hoc directè & exercitè cognosci, vel saltem non debet invincibiliter judicari, quòd per illum actum non peccetur, alioquin peccaret quis agendo ex conscientia, qua prudenter judicat se ita agendo non peccare, quod absurdum est. *Ad* 3. n. ant. quia prudenter judicat illud desiderium stare cum Divina amici-

38 tia. *Ad* 4. Actus internus desumit ab objecto speciem saltem materialem, error autem invincibilis hic facit, ut species malitiæ formalis non refundatur, sicuti non refunditur in actum, cui deest libertas, quamvis etiam ille ab objecto desumat speciem malitiæ materialis.

39 *Q.7. An peccet ille, qui habet legitimam excusationem, v.g. qui excusatur à Missa audienda in die festo, dicitque se eam audire non posse; attamen etiam se scire, quòd peccet non audiendo?* R.§.1. Si absolutè non posset audire, v. g. quia detineretur in carcere, vel esset in loco, ubi Missa non legitur, non peccaret omittendo, quamvis judicaret se peccare, quia non habet libertatem ad audiendum.

40 §.2. Quamvis absolutè non posset, si tamen non vellet audire Missam independenter ab illo impedimento, peccaret, non quidem per omissionem, ad quam non est liber, sed per voluntatem omittendi independenter ab impedimento, hæc enim comparatio animi est libera & mala.

§.3. Si absolutè quidem posset, attamen ob justam excu- 41
sationem, v.g. ob febrim non teneretur adire Ecclesiam pro Missa audienda, & nihilominus judicaret se peccare non adeundo, probabilius est, quòd peccaret ex conscientia erronea, si non adiret, quia simpliciter in ejus potestate esset Missam audire, & judicaret se teneri audire, ergo non audiendo ageret contra conscientiam, ergo peccaret, ita Dicast. *de juram. d.2. num.234.*

Q.8. An conscientia vincibiliter erronea sit judicium, 42
obligetque operantem? Resp. §.1. Esse judicium adhæsivè certum docet Terill. *hic q.17. assert.3.* quia alioquin operans non teneretur illam sequi: certum esse negat Carden. *in 1. Crisi d.65. n.283.* quia error vincibilis videtur semper habere adjunctam rationem dubitandi, quæ pulset animum in contrarium, alioquin reipsa vinci non posset, uti notant Suar. Vasq. aliique cum Sanch. *in Decal. lib.1. c.1. à n.7. & c.16. n.21.* sententiæ illæ facilè conciliantur, nam Teril. loquitur de operante ex errore vincibili præterito, quem non amplius actu advertat: Carden. autem & alii videntur loqui de operante ex errore, cujus vincibilitas actu advertitur.

§.2. Multi cum Vasq. 1.2. *d.60. c.2.* dicunt hominem vinci- 43
biliter errantem non obligari positive sequi conscientiam erroneam, sed ex supposito, quod eam habeat, tantùm teneri non agere contra eam, absolutè autem teneri eam deponere; è contra Teril. *ass.2.* dicit, si quis non habeat actuale dubium, sed ex suppositione erroris vincibilis dictamen adhæsivè certum, secundùm dicta *n.42.* illud obligare, & hæc videtur esse expressa mens S.Th. apud Terill. ratio autem est, quia tenetur quivis se conformare ultimo dictamini, quod hic & nunc habet; hinc addit per actum, quem tunc ponit, non contrahi formalem malitiam specialem tunc ignoratam, aut circa quam erratur, sed in ista specie peccari tantùm denominativè, ratione negligentiæ antecedentis in vincenda ignorantia. Hæ omnes sententiæ sunt probabiles, & potiùs de nomine, quàm de re, unde & parum faciunt ad praxin. An autem contrahatur malitia, si propter ignorantiam vel errorem non fuerit præcognita, dicemus hic *n.755. & pluribus l.5. à n.16.*

Obji. Si conscientia vincibiliter erronea obliget, ergo talis homo sub peccato tenebitur peccare. Resp. Per accidens tenebitur ponere actum materialiter malum, quando aliter vitare non poterit peccatum formale contra conscientiam, cujus dictamen reflexum est hic & nunc certum, sicque formatur, *peccatum est ratione sui imputabile, non sequi dictamen conscientiæ, quo quis absolutè credit se debere hic & nunc aliquid facere, sed ego hic & nunc absolutè credo me debere mentiri, ergo.* Vide dicenda *l.5. n.21.*

Inst. Conscientia obligans debet esse conformis Dei voluntati, sed conscientia supponens errorem vincibilem non est conformis Dei voluntati, ergo. Resp. Esse conformem Dei voluntati per accidens obliganti, nam supposito errore, quod per accidens est, Deus vult, ut quisque se suæ conscientiæ conformet. Vide dicta *n.29.*

Q.9. An illa conscientia sit attendenda, quæ post actum 44
sequitur? Resp. Non est attendenda, hinc errant, qui post actum commissum, antequam accedant ad confessionem inspiciunt libros vel inquirunt, an hoc vel illud, quod fecerunt, sit peccatum, & an ideò confiteri debeant, hæc enim subsequens opinio, quam sibi formabunt, non potest facere, ut actio præcedens fuerit vel non fuerit peccatum: similiter aliqui volentes confiteri frustra petunt à suis Confessariis, an hoc vel aliud agendo peccaverint; nam utrùm peccaverint, necne, pendet à conscientia, quam habuerunt, dum agebant, hanc autem ipsi scient & ab illis discet Confessarius, si enim operati sunt bona fide & ex ignorantia aut errore invincibili, non peccarunt, si mala fide, ex notitia peccati, aut ex dubitatione practica, ex ignorantia aut errore vincibili, peccarunt, rectè tamen quæri possunt talia ad alios fines, v. g. pro actionibus dirigendis in futurum, ut talia, si in se mala sunt, non amplius faciam: si mala non sunt, ut in eis non timeam peccatum; item ad tollendum scandalum, si aliquod dedi per talem actum, aut ut resciam, an fortè propter talem actum obliger ad aliquam restitutionem &c. Ita Spor. *hic num.33.*

CAPUT II. 45

De conscientia dubia.

DUBIUM I.

Quid sit conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum.

RESP. I. Dubium, est suspensio assensus circa ob- „
jectum apprehensum. Idque est duplex: Specu- „
lati-

„ lativum ſeu Univerſale, quando in genere dubitatur, v.g.
„ an contractus uſurarius ſit licitus; an die feſto liceat vena-
„ ri, piſcari, pingere, &c. Et Practicum, ſeu Particulare,
„ cum dubitatur, an his circumſtantiis, v.g. hoc feſto liceat
„ mihi venari. Ex quo patet, quid ſit Conſcientia practicè
„ dubia, ſcilicet, quæ practicè dubitat; ſpeculativè dubia,
„ quæ ſpeculativè. Ita Nav. Laym. Sanch. Bec. *t.* 1. *c.* 4. *q.* 8.

„ Reſp. II. Qui cum Conſcientia practicè dubia, operatur,
„ peccat: & quidem peccato ejuſdem rationis ac ſpeciei, cu-
„ jus eſt peccatum, de quo dubitat. Ita Sanch. Bon. *to.* 2. *diſp.*
„ 2. *q.* 4. *pu.* 7. *n.* 3. Ratio prioris eſt, tum quia is exponit ſe pe-
„ riculo peccati: tum quia, quod non eſt ex fide, eſt pecca-
„ tum, id eſt, quod non ſit cum determinato judicio Conſ-
„ cientiæ, eſſe licitum. Idque verum eſt, etiamſi ſpeculativè
„ non dubitet: v.g. Certus ſum, abſolutè licitum eſſe die fe-
„ ſto docere; dubito tamen, an hic, & nunc mihi liceat,
„ pecco docendo. Ratio poſterioris patet, tum ex ratione
„ prima data, tum ex dictis de Conſcientia erronea, quia ha-
„ bet affectum ad peccatum ejuſdem rationis: Unde ſi dubi-
„ tes, an ſit mortale, peccas mortaliter: an ſit furtum, com-
„ mittis furtum, &c. Si dubites, ſitne peccatum, (ſive mor-
„ tale, ſive veniale) ita ut malitia in confuſo proponatur,
„ dicit Vaſq. 1. 2. *d.* 529. *cap.* 3. *& alii*, eſſe mortale, quòd ne-
„ gat Navarr. Valent. &c. Vide Bon. Laym. *loc. cit.*

„ Reſp. III. Qui practicè dubius eſt circa aliquod opus, te-
„ netur ſe reſolvere: Et quidem non per ſolum affectum &
„ voluntatem: hoc enim non ſufficere rectè docet Vaſq.
„ Sanch. *l.* 1. *mor. c.* 10. *n.* 4. *& alii communiter* contra Cajetan.)
„ quia adhuc exponeret ſe periculo peccandi, ſed per moti-
„ vum rationabile, quale eſt, 1. Ratio probabilis. 2. Exem-
„ plum bonorum virorum ſine ſcrupulo ſic operantium, San-
„ chez, Bonac. *loc. cit.* 3. Authoritas viri alicujus docti & pii.
„ Quòd ſi tamen dubium ſine ratione & juſta cauſa temerè
„ conceptum eſſet, poſſet etiam ſine nova ratione deponi. Et
„ ita explicari poteſt Cajet.

„ Reſp. IV. Si dubium oriatur ex obligationibus & præce-
„ ptis contrariis, v.g. utrum quis die feſto teneatur apud
„ ægrotum manere omiſſo Sacro, an vero Sacrum audire, te-
„ netur ſe reſolvere, & prudenter judicare, hic & nunc alte-
„ rum obligare, & alterum ſibi licitum eſſe: alioquin enim
„ exponet ſe periculo peccandi.

„ Ut verò id rectè fiat, hæc ſervanda ſunt 1. Exquirat alio-
„ rum conſilia, ſi poteſt. 2. Si non poteſt, v.g. quia ſolus eſt,
„ vel quia ex Confeſſione rem intellexit, conſideret, quan-
„ tum res & tempus ferat, utrum ex duobus illis ſit vel videa-
„ tur minus malum, idque eligat, & non peccabit: v. g. in
„ caſu prædicto, minus malum eſt, omittere Sacrum, quàm
„ deſerere infirmum, quia de Sacro audiendo eſt præceptum
„ affirmativum tantum, & juris humani; at de infirmo eſt
„ negativum, & juris naturalis, Sanch. Bec. *loc. cit.* 3. Si utrum-
„ que videatur æquè grave, utrum volet, abſque peccato eli-
„ get, ob defectum libertatis. Quod verum eſt, etiamſi cul-
„ pabiliter in iſtam perplexitatem ſe conjeciſſet, modò de
„ culpa præterita doleat. Ratio eſt, quia alioqui ad impoſſibi-
„ le obligaremur, quod nec Deus exigit; nec fieri poteſt;
„ ideòque tum ceſſat obligatio minor: vel ſi ſint, aut videan-
„ tur æquales, utralibet. Vide Laym. *loc. cit. c.* 4. *num.* 4. *&* 5.
„ Fil. *tr.* 21. *c.* 4. Bon. *l. c. p.* 6. *n.* 27.

ADDENDA.

46 QUæſt. 10. *An dictamen conſcientiæ debeat eſſe certum?* Reſp.

§. 1. Dictamen ſpeculativum, quale eſt, v.g. *pingere die feſto non eſt ſervile*, non neceſſariò debet eſſe certum, ſed ſufficit eſſe ſaltem probabilius, & hoc tantùm volunt multi ex antiquis, quos refert Oviedo 1. 2. *tom.* 4. *controv.* 1. *num.* 6. nec aliud volunt Vaſq. & Sanch. uti rectè Terillus *de conſ. prob. q.* 13. *num.* 1. licèt aliqui eos citent in contrarium: aliud etiam non vult Suar. uti patet ex illis, quæ habet *in* 1. 2. *tract.* 3. *d.* 12. *ſ.* 3. *n.* 2. *Item ſ.* 5. *an.* 2.

47 §. 2. Ad honeſtè operandum debet dictamen ultimum, & practicum eſſe ſaltem moraliter certum, ita DD. omnes communiter cum Cardena *in* 1. *Criſi d.* 15. *cap.* 4. *num.* 238. Illſ. *tom.* 1. *d.* 1. *art.* 2. & Terillo *ſuprà*, *item in Reg. mor. q.* 40. eſt autem partim contra Eliz. *lib.* 3. *q.* 1. *&* 2. *&* 18. §. 4. Gonz. *d.* 4. *an.* 82. Authorem Synopſis *n.* 121. Camargo *p.* 1. *lib.* 2. *contr.* 4. *an.* 177. qui dicunt ſufficere judicium practicum prudens: partim contra aliquos recentiores, qui expreſsè docent ad honeſtè operandum ſufficere, quòd dictamen ultimum etiam practicum ſit tantùm probabile vel ſaltem probabilius: Taber. *cap.* 3. dicit ſufficere probabile, dummodò judicetur abſolutè verum; quid Eſp. ſentiat, non ſatis liquet, nam in *append. art.* 197. dicit non requiri, ut dictamen ultimum & reflexum habeat certitudinem, poſtea *art.* 200. dicit ultimum dictamen quà reflexivum habere perfectam certitudinem; quidquid ſit de illo, reſponſio noſtra *Probatur*, nam in primis ita videtur docere S. Th. 48
quodlib. 8. *art.* 13. *O.* ubi ad conſcientiam requirit, ut in nullam dubitationem adducatur: ſimiliter 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. Conſcientiam vocat applicationem ſcientiæ ad actum, *& de verit. q.* 17. *art.* 2. *ad* 2. dicit conſcientiam includere ſcientiam. *Ratio* autem eſt 1. quia qui operatur ex judicio practico tantùm probabili, ſcit judicium, quo nititur, poſſe eſſe falſum, ergo non eſt certus ſe non peccare formaliter, ergo ſic operando ſe exponit periculo peccandi formaliter, & virtualiter contemnit legem, ergo peccat. *Neque dicas* cum Eliz. *q.* 2. §. 5. eſſe tantùm periculum remotum, quod vitare non tenemur, *nam* revera eſt proximum, cùm omnes ſic operando ſemper cognoſcant periculum, quod ſemper eſt conjunctum, adeòque ſemper formidare debeant, ne peccent. *Conf.* quia ultimum dictamen conſcientiæ debet eſſe tribunal irrefragabile, coram quo homo ſine dubitatione vel condemnetur ut nocens vel abſolvatur ut innocens, ſed dictamen tantùm probabile non eſt irrefragabile, cùm poſſimus illud negare, utpotè non convincens nec neceſſitans intellectum, ergo. II. Qui habet 49
ſuſpicionem vel ſcrupulum peccati, debet prius ſe reſolvere ſaltem exercitè, ſic enim *Cap. Per tuas*, 2. *De ſimonia*, dicitur eſſe peccatum operari contra conſcientiam ſcrupuloſam, niſi priùs ſcrupulus deponatur ſive contemnatur; item *cap. Inquiſitioni*, 44. *De ſentent. excommunic.* dicitur, quod conjux habens conſcientiam ex credulitate levi ac temeraria de impedimento dirimente poſſit exigere debitum, ſi tamen ad Paſtoris ſui conſilium vel aliter explodat credulitatem illam levem ac temerariam, atqui opinans tantùm probabiliter aliquid eſſe licitum, meritò habet plus quàm ſuſpicionem, ſcrupulum vel credulitatem vanam de eo, quod idem ſit illicitum, agnoſcit enim pro hoc eſſe motiva gravia, hinc prudenter formidat, ne ſit illicitum, ergo niſi aliunde ſe certificet de honeſtate operationis, ſic operando peccat. III. Ut excludatur periculum peccandi, debeo cognoſcere hoc ipſum eſſe verum, quòd operando ſecundùm dictamen probabile, non peccem, ſed per ſolam hanc ultimam cognitionem dirigetur mea operatio, ergo hæc ſola ultima cognitio erit dictamen practicum, idque certum, ergo adhuc ad prudenter operandum prærequiritur dictamen practicum certum. Vide dicenda *num.* 66. *Dixi*, debere eſſe ſaltem moraliter 50
certum, nam impoſſibile eſt de omnibus agibilibus habere dictamina Metaphyſicè, aut Phyſicè certa, ergo cùm Deus non jubeat impoſſibilia, ſatis eſt habere moraliter certa, uti communiſſimè omnes cum Moya *de op. prob. num.* 57. *contra* Palav. *de fide num.* 72. qui requirit judicium Metaphyſicè evidens; ſed *contra* eſt, quia ubi adeſt moralis certitudo, non manet locus prudenti dubio vel probabilitati in oppoſitum, ergo tum verè operor *ex fide*, ideòque ſecundùm debitum conſcientiæ.

§. 3. *Objicies* 1. S. Thom. 1. 2. *qu.* 96. *art.* 1. poſtquam ſibi 51
objeciſſet, quòd lex, utpotè menſura, debeat eſſe certiſſima, *Reſpondet ad* 3. quòd in rebus contingentibus & humanis ſufficiat talis certitudo, ut aliquid ſit verum, ut in pluribus, licèt interdum deficiat in paucioribus, id eſt, ſufficere, ut ſit probabilius; ſed quod dicitur de lege, æquè aut magis valet de dictamine conſcientiæ, ergo, ita Eliz. Reſp. n. min. quamvis enim ad legem humanam ſufficiat, quòd probabilius enuntiet verum, tamen id non ſufficit ad operandum ſecundùm legem humanam, quia cùm legislator humanus poſſit falli & fallere, non evitaretur periculum peccandi formaliter, & ideò ad licitè operandum ſecundùm legem humanam, neceſſe eſt ex motivis reflexis ſibi formare dictamen ultimum, ut explicabitur à *num.* 303.

Objicies 2. Si ad licitè operandum prærequiritur dictamen 52
certum de honeſtate operationis, ergo certi ſumus nos non peccare operando, ergo certi eſſe poterimus de ſtatu gratiæ, quod eſt contra Scripturam, dicentem neſcire hominem, an amore an odio dignus ſit, item contra eandem Scripturam & SS. PP. frequentiſſimè dicentes, viam juſtorum eſſe inter ſpem, & metum, neque nos ſcire poſſe, an Deo placeamus, ita Eliz. *lib.* 8. *qu.* 3. §. 4. R. Ergo certi ſumus nos non peccare operando hunc actum, & nos non peccaſſe operando alios actus, n. primam, & ſecundam ſeq. fortè enim aliàs operati ſumus cum dubio vel ex temeritate vel cum ignorantia vincibili: item, ſi ante hac peccavimus, jam non poſſumus eſſe certi de efficacia contritionis nec de valore Sacramenti ſuſcepti, ergo non ſumus certi de ſtatu gratiæ, ſed ſtamus inter ſpem & metum.

Inſt. Saltem in nobis non dabuntur peccata occulta vel 53
dubia, nec ſcrupuli. Reſp. n. aſſump. nam in primis potuimus peccaſſe, & peccatorum eſſe obliti, quæ peccata utique erunt occulta: deinde cùm non ſemper ita perceptibiliter formemus dictamē reflexum, ſæpè dubitamus, an ſatis formaverimus nobis conſcientiam practicam; item, quia operamur quando-

que cum timore peccati materialis, dubitamus, an etiam non proceſſerimus cum timore peccati formalis; item, neſcimus, an ſemper ſatis reſtiterimus tentationibus, &c. & hæc ſunt peccata dubia: denique adhuc facilius ſunt ſcrupuli, cùm hi ſint anxietas conſiſtens cum certitudine conſcientiæ, uti *c.3.* dicetur: & ſimili modo quandoque experimur quaſdam tentationes in fide, quæ nos reddunt anxios, afferuntque formidinem leviſſimam de oppoſito, quamvis certò credamus omnia, & inde etiam eſſe poſſunt ſcrupuli.

54 *Objic.3.* Quando objectum eſt probabiliter prohibitum, habeo hoc judicium, *non ſum certus, quòd Deus illud non prohibuerit*; & tamen ſimul deberem habere etiam hoc judicium, *certus ſum me non peccare proſequendo hoc objectum*, atqui illa duo judicia pugnant inter ſe, ergo non poſſum habere judicium certum, quòd non peccem. R.n.Min. non enim ſunt de eodem ſecundùm idem, nam primum judicium pro objecto habet actum ſecundùm ſe, prout ſubſtat dubiæ prohibitioni, ſecundum judicium pro objecto habet actum, prout ſubſtat circumſtantiis invincibiliter ignoratæ prohibitionis, libertatis, quæ poſſidet, &c. uti in *dub. ſeq.* explicabitur: & ita judex condemnando hominem ſecundùm allegata & probata, habet hæc duo judicia, *certus ſum me non peccare condemnando; non ſum certus, quòd hæc condemnatio non ſit prohibita*, nam poſſet eſſe contra jus hominis fortaſſe reipſa innocentis.

55 *Objic.4.* Ad cavendum periculum formaliter peccandi, ſatis eſt, ſi præmiſſa morali diligentia faciam id, quod mihi videtur honeſtum, ſed etiam præmiſerim illam diligentiam, non ſemper erit mihi certum, quòd honeſtè operer, ergo. R. Non erit mihi certum ex vi judicii directi & ſpeculativi, c.non enim ſemper inveniam certam rationem pro honeſtate objecti; non erit mihi certum ex vi judicii reflexi & practici, n.ſi enim omnibus conſideratis ſit mihi probabile, quòd ſit licitum, hoc ipſo reflexè & practicè certo judicabo hoc mihi eſſe licitum, uti magis explicabitur ad *dub. ſeq.*

56 *Inſt.1.* Rudes ſemper peccabunt, non enim formant ſibi ejuſmodi ultima dictamina certa. R.n. aſſ. nam interrogati, cur non peccent hoc vel illud faciendo, reſpondent, ſe ideò non peccare, quia faciunt, quod putant ſibi licitum, & hoc reipſa eſt dictamen ultimum reflexum.

57 *Inſt.2.* Nullus homo poteſt eſſe certus, quòd in ultimo etiam illo judicio procedat ſine paſſione, ergo nullus homo poteſt habere judicium practicum certum, ita Gonz. Reſp.1. multò minùs potes eſſe certus, quòd in judicio directo etiam probabiliore ita procedas, ergo nunquam ex vi judicii etiam probabilioris certò honeſtè operaberis. Reſp.2. n. ant. quia experior me procedere bona fide, ergo habeo moralem certitudinem, quòd non procedam ex paſſione, etiamſi fortè habeam ignorantiam, inadvertentiam aut errorem inculpabilem circa veritatem objecti, ſicuti in ſe eſt.

58 *Objic.5.* Operans ex judicio prudenti non peccat, quia operatur prudenter, ſed operans ex judicio probabili operatur ex judicio prudenti, quia judicium probabile eſt prudens: quamvis enim fortè non ſit verum, tamen illi adeſt rationabile motivum, & abeſt omnis temeritas, ergo operans ex judicio probabili non peccat. Reſp. Operans ex judicio prudenti removente periculum peccati formalis, non peccat, c.ex judicio prudenti ſed non removente periculum peccati formalis, n. maj. vel potius ejus ſuppoſitum, nam ſi in iſtis circumſtantiis ſit practicum, non eſt prudens, nam imprudenter facit qui ſe exponit periculo formaliter peccandi, quod fit, ſi operetur immediatè ex judicio tantum probabili.

59 *Inſt.1.* Dictamen probabile eſt ſufficiens ad excludendam omnem conſcientiam peccati, quia operans ex illo ſic dicit: eſt mihi licitum pingere die feſto; ſed impoſſibile eſt, ut cum illo judicio ſtet alterum, quo dicat, pecco pingendo die feſto, ergo. Reſp.n.ant. talis enim per judicium directum cum formidine dicit, eſt mihi licitum pingere, hinc non poteſt quidem per ſimile judicium directum dicere, pecco pingendo, attamen per judicium reflexum tendens in eam formidinem prioris judicii, & in cognitum periculum peccandi, debet dicere ſe peccare pingendo, quia cognoſcit, quòd exponat ſe periculo peccandi, ſtatque hoc judicium cum priore, quia eſt de alio planè objecto.

60 *Inſt.2.* Judicium directum de honeſtate operationis neceſſariò fundat, & poſt ſe trahit judicium reflexum ac certum de eadem honeſtate, ergo excludit formidinem peccati, ergo ſe ſolo ſufficit ad honeſtam operationem. Reſp.1. n.ant. quamvis enim, ſi judicem probabile eſſe, quòd pingere non ſit ſervile, ex vi hujus judicii impediar, quominus judicem prohibitum eſſe, ut pingam, quia eſt ſervile; attamen adhuc potero judicare eſſe periculum peccati formalis, ſi pingam, & ſic pingens peccabo, quia exponam me periculo peccati formalis.

61 Reſp.2. cum *Terillo*, diſtinguendo 1.ſeq. ergo excludit fundamentaliter formidinem peccati, id eſt, fundat judicium reflexum, per quod formido illa excludatur, c. excludit formaliter & ſeipſo, n.1. & 2.ſeq.

Inſt.3. Si judicium illud reflexum eſſet impoſſibile; licitè 62
operarer ex judicio directo ſaltem probabiliore, ergo etiam nunc. Reſp.n.ant. quia operans cum tali formidine peccati, non operaretur bona fide, ut rectè *Terillus*.

Objic.6. Operans ex conſcientia invincibiliter erronea non 63
peccat, ſed talis non operatur ex dictamine certo, quia dictamen illud nequidem eſt verum, ergo, ita Eliz.*q.*18.§.4.R.n. min. nam ſic operans habet duplex judicium, unum directum, quod v.g. ſic format, quando mendacio poteſt impediri injuſtum homicidium, licitum eſt mentiri, ſed hic poteſt mendacio impediri injuſtum homicidium, ergo hic licitum eſt mentiri; hoc judicium eſt falſum, ſed inculpabiliter mentiens non operatur proximè & immediatè ex hoc judicio, verùm ex alio reflexo, quo ſic dicit, mentiens, quando invincibiliter judicat eſſe mentiendum, non peccat, ſed ego hic & nunc mentiens pro impediendo homicidio, invincibiliter judico mihi eſſe mentiendum, ergo non pecco: hoc ultimum judicium eſt certum, ex quo proximè & immediatè regulatur mea operatio.

Objic.7. Miſſionarius licitè adit Barbaros nudos ſpe con- 64
vertendi, quamvis probabiliter tantum judicans ſe non inducendum ad peccatum: ſimiliter Medicus licitè adhibet dubia medicamenta, quamvis tantùm probabiliter ſperans fructum, ergo ſimiliter licitè operabor, tantùm probabiliter judicans me non peccaturum. R.n.conſ. nam etiam uterque certus eſt de honeſtate ſuæ operationis, Miſſionarius quidem ex vi hujus dictaminis; honeſtum eſt pro ſalute proximi ſe exponere periculo peccandi remoto, maximè quia ita operans ex charitate, meritò ſperat ſpecialia Dei auxilia: Medicus autem ex vi illius; ubi deſunt certa media, honeſtum eſt ſecundùm regulas artis adhibere dubia, quæ deſperatis ſæpè fuerunt ſaluti.

Objic.8. Si ad licitè operandum requiritur judicium certum 65
de honeſtate operationis, ergo ad illicitè operandum etiam requiretur judicium certum de inhoneſtate. R.n. ſeq. nam potiùs ſequitur oppoſitum, hoc ipſo enim quòd operer ſine judicio de honeſtate operationis, inhoneſtè operor, poſſumque advertere carentiam illius judicii, etiamſi non habeam reflexum judicium certum de inhoneſtate operationis: Ratio à priori eſt, quia bonum eſt ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu, ita Suar. Ovied. *num.16.* Bardi *diſcept.1.c.9. num.12.* aliique. Poſſet etiam permitti ſeq. nam videtur ſemper adeſſe judicium certum obligationis aliter operandi vel abſtinendi: *ſi dicas*, Sic ſemper adfore plenam advertentiam malitiæ, adeòque nunquam peccabitur ex ſemiplena advertentia, R. erit plena advertentia malitiæ alicujus, ſive malitiæ in genere, non tamen ſemper gravis, ideòque poterit peccari venialiter ex ſemiplena advertentia malitiæ gravis: uti rectè Illſ. *t.1. d. 1. n.4. Ex dictis*,

Sequitur contra Authores n.47. citatos, quamvis judicium 66
reflexum conſcientiæ debeat eſſe certum, non tamen requiri, ut directum ſit certum, alioquin non erit licitum operari ex opinione probabiliſſima, quod damnat Alex. VIII. nam opinio probabiliſſima non excedit fines probabilitatis. II. Si judicium directum debeat eſſe certum, ceſſat quæſtio, an liceat ſequi opinionem minùs probabilem, nam ſi pro una parte ſit moralis ſaltem certitudo, oppoſitum non erit ſtrictè probabile, controverſia autem eſt de conflictu opinionis directè tantùm probabilioris, cum minùs probabili. III. Rariſſimè licitum erit operari ſecundùm alterutram opinionem probabilem, ſed erit obligatio ſequendi tutiora, uti oſtendetur num.293. IV. Quamvis adverſarii dicant ſe operari ex judicio ſuo directo tanquam dictamine ultimo, tamen reipſa nituntur alia certiore ratione reflexa, uti fatetur Erenthr. *ar.*15. & innuunt Gonz. *d.*10. *à n.*27. ac Camargo *par.1. lib.2. controv.4. à num.*608. & 616. qui ex hoc probat ſufficere judicium directum ſimpliciter prudens & probabile, quia rarò fallit, quia Deus ab homine non requirit niſi humanum agendi modum, nec prudentia requirit majorem certitudinem in negotiis graviſſimis, & denique quia periculum peccandi, quod remanet, eſt leve ac remotum, quæ rationes ſunt reflexæ & faciunt dictamen ultimum reipſa certum hoc vel ſimili modo: *Ille certò prudenter agit, qui ſequitur judicium, quod rarò fallit, quo nec Deus ab homine nec prudentia à quoquam requirit certius, & cum quo non eſt conjunctum periculum peccandi niſi leve & remotum, ſed qui ſequitur judicium directum ſimpliciter prudens & probabile, ille ſequitur judicium, quod rarò fallit, quo nec Deus ab homine nec prudentia à quoquam requirit certius, & cum quo non eſt conjunctum periculum peccandi niſi leve & remotum, ergo ille certò prudenter agit*: vel ſi vis breviùs, *certò prudenter agimus ſequendo judicium directum ſimpliciter prudens & probabile, quia Deus & prudentia non obligant nos ad judicium certius*: hæc judicia reflexa, ſunt utique prudentia

& cer-

& certiora quàm præcisè directum, ergo dicendum eſt in illis conſiſtere ultimum dictamen practicum.

67 *Q.*11. *Quid addi poſſit ad clariùs explicandam, partim naturam & ſpecies dubii, partim conſcientiam dubiam?* R. ſeq.

§.1. Dubium aliud dicitur objectivum, aliud formale: objectivum eſt res, circa quam verſatur intellectus dubitans; formale eſt actus, quo intellectus dubitans circa rem verſatur, & de hoc ſolo hic eſt ſermo.

68 §.2. Dubium eſt motus mentis ſuſpenſæ, ſive eſt ſuſpenſio intellectus quaſi in æquilibrio hærentis inter duo contraria ipſi propoſita, quorum neutri aſſentitur, neutri diſſentit, uti rectè explicant Carden. *in* 1. *Criſ. d.*6. *c.*1. & Teril. *in Reg. q.*50. Hinc conſcientia dubia propriè non eſt conſcientia, ſed potiùs privatio conſcientiæ, cum ſit ſuſpenſio omnis judicii.

69 §.3. Dubium non eſt mera apprehenſio utriuſque partis oppoſitæ, alioquin quiſquis tentaretur in fide, hoc ipſo dubitaret: neque etiam eſt mera inquiſitio veritatis in hac vel illa parte, nam etiam hoc fieri poteſt in materia fidei abſque peccato: itaque ſuperaddit aliquam diſpoſitionem animi, qua ita ferimur in rem propoſitam, ut ſaltem virtualiter reputemus eſſe incertam: quamvis autem Suar. & alii putent requiri ju-
70 dicium abſolutum de inſufficientia medii ad judicandum, tamen putat Teril. *num.*6. cum judicium illud ſit ſæpe inevidens & falſum, poſſe per voluntatem aut aliunde impediri, & nihilominus haberi dubium per ſuſpenſionem omnis judicii, cum diſpoſitione animi de ſe cauſativa talis judicii de inſufficientia vel incertitudine motivi: quòd ſi intellectus aliquo modo determinetur ad unam partem, erit opinio vel ſuſpicio; & de opinione dicetur *à num.* 95. *de ſuſpicione autem l.*3. *p.*2. *à n.*1176.

71 §.4. Dubium quandoque contingit ex defectu motivi ſufficientis ad judicandum, & tunc dicitur dubium negativum, per quod intellectus eſt negativè dubius, quia non habet rationem ſufficientem pro hac vel illa parte: aliquando etiam contingit ex eo, quòd intellectus habens motivum de ſe ſufficiens ad aſſenſum vel diſſenſum, tamen vel ratione voluntatis nolentis applicare intellectum, vel aliunde, fit, ut nullum judicium ponatur, & tum dicitur dubium poſitivum, per quod intellectus manet in æquilibrio ad utramque partem, ut libra, quando paria utrimque pondera habet, ad neutram ſe partem inclinat, ſed manet in medio, quamvis utrimque pondus habeat ſufficiens ad eam inclinandam, ſi pondus oppoſitum ab-
72 eſſet, vel ipſa aliunde ex una parte magis impelleretur. Porrò ubi dubium utrimque poſitivum adeſt, reflexè judicari poteſt, quod circa utramque partem ſint motiva de ſe ſufficientia pro opinione probabili formanda de ſingulis, uti pluribus dicetur à *n.*237. hic tamen actus reflexus non eſt dubium, ſed poteſt eſſe certus ac evidens, verſaturque circa dubium, tanquam objectum ſuum.

73 §.5. Si dubium negativum fundetur in ſola poſſibilitate, uti ſi dubitem, an occiderim aliquem, quia potui occidiſſe, hoc dubium eſt Metaphyſicum & imprudens: è contrà ſi fundetur in aliqua ratione, ſed de ſe non ſufficiente ad aſſenſum vel diſſenſum, tum propriè dicitur dubium morale: putant quidem Carden. *num.*115. & Teril. *num.*7. omne dubium negativum per hoc diſtingui à poſitivo, quòd in negativo nulla occurrunt motiva pro alterutra parte, in poſitivo autem occurrant ſaltem pro alterutra, ſed eſt quæſtio de nomine, ſi enim nulla prorſus ratio occurrat, eſt potiùs mera neſcientia, uti docent Eliz. *l.*4. *quæſt.*3. *§.*6. & Gonzal. *d.*7. *num.*97. quorum ratio hæc eſt, quia ad dubium morale requiritur, ut intellectus vacillet, in hanc partem trahatur, & retrahatur in aliam, ut interrogatus, cur dubitet, aliquam ſaltem cauſam dare poſſit, denique ut dubitando veritatem deſideret; hæc autem non videntur ſalvari, ſi nullum planè motivum occurrat: qui tamen aliter loqui volet, & ad omne dubium negativum requirere carentiam omnis motivi, legat Teril. qui id benè defendit.

74 §.6. Dubium aliud eſt juris, aliud facti: juris eſt, quando dubitatur de lege aliqua vel de obligatione legis aut conſuetudinis, vel de valore actus, inquit Stoz *lib.*1. *par.*5. *num.*122. Facti eſt, ſi dubitetur de alio quàm de iſtis, v.g. an homicidium ſit factum, an operando intentionem rectam habuerim
75 &c. Utrumque hoc dubium aliud eſt ſpeculativum, quod verſatur circa rem ſecundùm ſe ſpectatam, præſcindendo à circumſtantiis & ab operatione exercenda, ut ſi dubites, ſitne hodie dies feſtus: aliud practicum, quod verſatur circa rem affectam omnibus circumſtantiis & in praxi exercendam, ſive quod verſatur circa rem, prout me hic & nunc agentem reſpi-
76 cit: quod iterum duplex eſt, unum generale & abſtractum, quando generatim dubitatur, v.g. an liceat die feſto talem laborem exercere, & hoc aliqui confundunt cum ſpeculativo, cum quibus etiam poſtea loquemur; alterum eſt propriè practicum, quando in particulari dubitatur, v.g. an hic & nunc die feſto poſſim talem laborem exercere.

§.7. Ut quis dicatur agere cum dubio practico, ſive cum 77
conſcientia dubia, Salas apud Bardi *diſc.*5. *cap.*1. *n.*2. requirit judicium aliquod reflexum, quo cognoſcat ſe habere illam ipſam ſuſpenſionem intellectus; è contra Vaſq. Carden. *in* 1. *Criſi d.*78. *cap.*3. & Schild. *tract.*3. *n.*1. negant hoc requiri, quamvis enim abſit, adhuc operatur contra conſcientiam, hoc ipſo, quòd operetur non habens dictamen practicum de honeſtate operationis: utraque ſententia fortè conciliabitur, dicendo, quamvis determinatè non requiratur judicium, tamen ut peccetur operando cum conſcientia dubia, requiri ſaltem exercitam cognitionem malitiæ operationis cum tali dubio factæ, (uti colligetur ex dicendis *lib.*5 *à n.*16.) quam Carden. *n.*17. dicit certò haberi, hoc ipſo quòd operetur cum dubitatione de malitia operationis, quia ad dubitationem illam ſubſequitur timor, & fuga mali, ergo ſufficienter agnoſcit malum. *Nec obſtat*, quòd ad mortale requiratur advertentia plena malitiæ, uti dicetur *lib.*5. *n.*216. nam hæc adeſſe poteſt ex vi dubii practici, ſicuti ſufficientem advertentiam ad nocumentum veneni habet ille, qui practicè dubitat, an hoc, quod videt, ſit ſerpens an piſcis. Addit *n.*22. probabile eſſe, quòd ſemper reſultet aliquod judicium directum vel reflexum, cùm enim advertat malitiam, lumen naturale ſtatim dictat malum eſſe eam non timere, & non fugere, & ſic defendi poteſt Salas.

*Q.*12. *Quomodo dubitans debeat ſe practicè reſolvere*, 78
antequam operetur? R.

§.1. Ad hoc, ut ſe prudenter reſolvat, duo requiruntur, 1. dubium ſpeculativum, quod habet, debet eſſe invincibile, id eſt, tale, ut adhibita debita, & pro conditione perſonæ ac circumſtantiarum moraliter poſſibili diligentia in inquirenda veritate, nihilominus dubium perſeveret: 2. Debet adeſſe cauſa aliqua rationabilis movens ad eligen- 79
dam alteram partem, & ad formandam conſcientiam practicam contra dubium ſpeculativum, ex. gr. ſpeculativè dubitas, an hac die ſit indictum jejunium, practicè autem dubitas, an tu hic, & nunc tenearis jejunare; ut prudenter te reſolvas formeſque dictamen practicum, quòd jejunare non tenearis, debes ante omnia adhibere moralem diligentiam ad vincendum illud dubium, & ad cognoſcendum veritatem, ſit ne hodie indictum jejunium necne, v. g. inſpiciendo Kalendarium, interrogando alios: ſi non poſſis deprehendere veritatem, tutius quidem erit, ſi jejunes, attamen poteris te practicè reſolvere in alteram partem contra jejunium, judicando te non obligari, pro quo judicio habes rationabile motivum, quia nempè poſſeſſio eſt pro tua libertate, neque illa lex jejunii tibi ſufficienter eſt applicata, quia alii viri prudentes de hoc jejunio nihil ſciunt vel non jejunant &c. tumque non peccabis omittendo jejunium: è contra ſi te reſolveres ad non jejunandum ante adhibitam moralem diligentiam in reſcienda veritate, aut ſine motivo, quia nempe nolles dubitare, peccares, quia prudenter te non reſolveres contra dubium ſpeculativum, ita Sporer, *n.*74.

§.2. Ex dictis patet, dictamen practicum formari poſſe 80
ſtante dubio ſpeculativo; nam etiam judex ita ferre poteſt ſententiam, ut dubium ſpeculativum non deponat, ſi enim ipſi non conſtet, pro qua parte ſit jus, poteſt ſpeculativè dubitare, & nihilominus carere dubio practico, ſed ſententiam ferre pro una parte, pro quo regulam habet, nempe *quando de jure non conſtat, pro illo ſtare debeo, pro quo eſt poſſeſſio vel major probabilitas.*

*Q.*13. *Quid circa conſcientiam perplexam ſit addendum?* 81
Reſp. ſeq.

§.1. Ille dicitur habere conſcientiam perplexam, qui putat ſe peccaturum, ſive actum ponat ſive omittat, ſive hoc ſive illud eligat, & tamen unum illorum debet eligere: ut autem non peccet ille, qui habet conſcientiam perplexam de opere poſtea faciendo, tenetur adhibere media ad perplexitatem tollendam priùs, quàm tempus operis exequendi adveniat, quia quivis tenetur adhibere medium ad evitandum illud, per quod putat Deum offendi, medium autem hic, & nunc eſt, ſi tollat illam perplexitatem: quòd ſi conatus ſit, & perplexitatem tollere non potuerit, agens in perplexitate non peccabit, ſed dirigetur hoc dictamine reflexo conſcientiæ, per quod exercitè, & reipſa tolletur perplexitas, & quo ſibi dicet, *quidquid hic agam, non pecco*, ſive *perinde eſt, quid hic agam*: & quamvis fortè hoc dictamen non ita advertat propter ſcrupulum vel perturbationem, reipſa tamen habet, uti rectè Platelius *p.*2 *n.*128. *Si dicas*, Chriſtus meritoriè operatus eſt, licèt conſtitutus in neceſſitate agendi hoc vel illud bonum, ergo perplexus operatur demeritoriè, licèt neceſſariò agat hoc vel illud malum: *Contra eſt.* Chriſtus retinuit libertatem Phyſicam etiam ad minus perfectum, quòd cognoſcebat.

§.2. Etiam abſtrahendo ab illo dictamine, adhuc tamen 82
perplexus talis non peccat defectu libertatis, quia quamvis

actus ille, quem præeligit, sit in se, & absolutè liber in ordine ad hoc, ut ponatur vel omittatur, non est tamen liber in ordine ad culpam vitandam, quia quamcunque partem eligat, æqualis culpa necessario imminet; ut autem actio imputetur ad culpam, debet adesse libertas actionis vel omissionis, per quam operans possit culpam vitare, ita Dicast. *de juram. d. 2. n. 236.* Simili modo docet Oviedo *de merito controv. 2. pu. 4.* quòd ad meritum non sufficiat libertas inter actus omnino æquales cum necessitate ad hunc vel illum, quia si quis ita necessitetur, non poterit ei imputari ad laudem nec consequenter ad meritum, quòd hunc præ illo ponat, cùm major non sit bonitas in uno, quàm altero.

84 §. 3. Si perplexo videatur una pars magis, altera minus mala, eligens eam, quæ videtur magis mala, peccat secundùm quantitatem excessus apprehensi, ad hunc enim est liber, hinc si mortale, quod apprehendit esse gravius, apprehenderetur habere supra alteram partem excessum venialem malitiæ, eligens hoc gravius peccaret tantùm venialiter, quia ad gravitatem malitiæ non est liber, sed tantùm ad excessum, qui venialis est, ita Schild. *tract. 1. n. 30.* Dicast. & alii.

85 §. 4. Si id, quod videtur esse minus malum, sit intrinsecè malum, alterum autem non, v. g. si quis putet se debere vel venialiter mentiri, vel mortaliter peccare omittendo Missam, Schild. *n. 29.* adhuc tenet debere eligere, quod videtur minus: quia omittendo Missam contraheret malitiam, quæ secundùm opinionem ejus mortalis esset: oppositum tenent Gran. & Dia. *par. 4 tr. 3. R. 70.* quia malitia contra jus naturæ meritò formidabilior est, cùm sit indispensabilis, quidquid sit de his sententiis, quivis prudens in tali casu deberet se resolvere, judicando præceptum positivum non obligare, quando sine lesione præcepti naturalis observari non potest.

86 §. 5. Si perplexus sciat unam partem esse peccatum, & dubitet an altera sit peccatum, si utrumque sit æquale, tenetur eligere illud, de quo dubitat, quia qui eligit peccatum tantùm dubium, magis recedit à malitia, quàm qui eligit certum: si tamen ex altera parte dubitaret de graviore peccato, v. g. qui sciret mentiri esse veniale, & dubitaret, an hic & nunc eleemosynam negare indigenti esset mortale, & tamen deberet alterutrum eligere, Schild. *n. 31.* dicit aliquando fieri posse, ut debeat eligere peccatum certum, quod est minus, & abstinere à dubio, quod est majus, ideoque hanc dat regulam, nempe quòd amplecti debeat eam partem, in qua spectato excessu malitiæ ex una parte, & excessu certitudinis ex altera, appareat malitia minus esse imputabilis.

87 §. 6. Si perplexus nequeat discernere vel nō audeat judicare, quid sit tutius vel melius, & tamen necesse sit hoc aut illud fieri, eligat & faciat, quod voluerit, nec ullo modo peccabit, defectu libertatis moralis, ita Tamb. *in Decal. l. 1. c. 3. §. 6. n. 4.*

88 *Q. 14. Quomodo explicetur illa regula juris, in dubio non præsumitur factum, sed probari debet, L. in bello §. Facta, ff. De captivis postliminio reversis?* R. sic explicari, 1. Quando dubitatur de principali facto, v. g. an ego percusserim aliquem, hoc factum præsumi non debet, sed qui affirmat, debet positivè probare. 2. Quando dubitatur de homicidio tanquam actu
89 principali facto, Jus, Cap. *Significasti*, & Cap. *Ad audientiam 2. De homicidio*, statuit, ut in ordine ad incurrendam irregularitatem præsumatur factum; è contra in ordine ad alios effectus non præsumitur factum, sed manet regula generalis,
90 quòd delicta non præsumantur. 3. Si actus principalis sit certus, & dubitetur de aliquo tantùm accessorio, si hoc accessorium de jure faciendum erat, aut si ordinariè ita fieri solet, aut si ita factum esse est favorabile facienti, præsumitur illud accessorium factum, v. g. si quis scit se confessum peccatum, & postea dubitet, an serio doluerit, præsumat se doluisse serio, quia actus principalis, qui hic est Confessio, est certus, & tantùm dubitatur de accessorio, quod adesse debebat, & ordinariè præmitti solet, sicque præsumi, quòd adfuerit, est fa-
91 vorabile confitenti. 4. Quando constat de actu externo ritè peracto, v. g. de Confessione, testamento, contractu, in dubio præsumuntur actus interni requisiti, & sufficientes adfuisse, nisi accedat alia præsumptio in oppositum, ita Sporer *nu. 78.* Stoz *lib. 1. par. 5. num. 130.* Universaliter autem definitur præsumptio ab Eliz. *lib. 7. qu. 16 §. 1.* Probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur: Vide dicenda *lib. 4. à num. 1434.*

92 ## DUBIUM II.

Quid agendum cum Conscientia speculativè dubia.

„ SUnt quædam in Theologia opiniones dubiæ, & in „ utramque partem probabiles, quæ reddunt hominem „ speculativè dubium. Quæritur ergo hic, an & quomodo „ ex talibus possit formari Conscientia practicè certa?

Respondeo. Absque peccato licet sequi opinionem probabilem, etiam alienam, & minùs tutam, (hoc est, quæ minùs remota videatur ab omni specie peccati, quàm altera) relicta probabiliore, & tutiore propria, seclusa tamen omni injuria, & periculo proximi; & dummodò opinio quæ eligitur, adhuc sit probabilis. Est communis Doctorum, quos citat & sequitur Laym. & Bonac. *t. 2. d. 2. q. 4. p. 9.* Ratio est, tum quia qui sequitur sententiam gravi authoritate, vel non levis momenti ratione nixam (hæc enim dicitur probabilis:) non agit temerè, sed prudenter, sequendo nimirum virorum prudentum, & artis peritorum consilium: tum quia esset onus intolerabile, multisque scrupulis expositum, in omni re examinare, quid sit probabilius, & tutius.

Dixi in responsione, *etiam alienam*: quia parùm refert, quòd opposita sententia ipsi operanti videatur probabilior speculativè: speculativum enim illud judicium, eo ipso quòd fortè incertum, & falsum sit, non debet esse regula operationis, cùm operans aliam regulam, eamque certam habeat, quam sequatur, scilicet hanc, quòd in dubiis quisque operari possit secundùm sententiam, quam viri docti ut probabilem, & in praxi tutam, defendunt. Neque tunc agit contra propriam conscientiam, aut exponit se periculo peccandi formaliter. *Atque hinc colligitur resolutio sequentium casuum,*

I. Confessarius, aut alius vir doctus, potest consulenti respondere secundùm probabilem aliorum sententiam, si fortè ei hæc sit favorabilior, prætermissa etiam propria probabiliore, & tutiore. Ita Sanch. Bonac. Ratio patet, quia ipse Confessarius potest eam prudenter agendo sequi: Etsi ad inconstantiæ notam fugiendam, expediat respondere semper secundùm eadē principia, ut monet Sanch. *l. c. c. 19.* Bec. *n. 16.*

II. Potest etiam vir talis consultus significare consulenti opinionem à quibusdam doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ipsi sequi liceat, quamvis ipse consultus eandem speculativè falsam esse judicet, & proinde in praxi ipse sequi non audeat. Ratio est, quia alter habet jus sequendi sententiam probabilem, & hoc jus suum illi indicare non prohibeor. Laym. *l. 1. t. 1. c. 5. n. 9.* Bonac. *p. 9. n. 8.*

III. Pœnitentem, qui secundùm probabilem opinionem operari vult, potest, imò, secundùm communem sententiam, debet Confessarius, & quidem si proprius sit sive Parochus, sub mortali, absolvere, licèt ipse judicet doctrinam illam esse falsam: ideoque frustra remittet ad alium Confessarium, qui sit ejusdem sententiæ. Ratio est, quia rectè dispositò non debet negari absolutio, Azor. Vasq. Sanch. Laym. *num. 10.* Additque Dian. *par. 2. t. 13. R. 11.* ex Sanch. & Sancio, peccare mortaliter, si nolit absolvere, quando de mortali Confessio fit; tametsi non sit proprius ejus Confessarius.

IV. Non sunt damnandi, qui adeunt varios Doctores, donec unum reperiant faventem sibi: dummodo is prudens, ac pius, & non singularis habeatur. Ratio est, quia intendunt sequi opinionem probabilem. Ita Sanch. *l. 1. c. 9. n. 24.* Bonac. & alii contra Navarrum.

V. Superiori præcipienti secundùm opinionem probabilem, subditus tenetur obedire, etiam contra propriam probabiliorem ac tutiorem; v. g. si paululum ægrotus probabilius, & tutius putes teneri ad jejunium, comedere tamen debes, sequendo Superioris sententiam minùs tutam, & probabilem. Ratio, quia in dubio præsumitur pro Superiore. Laym. *n. 11. & 12.*

VI. Potest Advocatus suscipere patrocinium causæ probabilis, etsi judicet contrariam probabiliorem, Laym. Bon. *num. 16.* Ratio, quia utraque pars habet jus proferendi suas causas in judicio. Vide infra *l. 4. c. 3. dub. 3. Resp. 1.*

Dixi 2. In responsione, *seclusa injuria*, quia si periculum sit, ne proximo fiat damnum aut injuria, locum habet axioma: *In dubio tutior via eligenda est*. Unde resolvuntur hi Casus,

I. In administratione Sacramentorum non semper licet sequi sententias speculativè probabiles, maximè circa valorem Sacramenti: sed quoad ea, quæ à Ministro præstanda sunt, utendum est sententia securiore, & materia ac forma certa, v. g. in Baptismo. Ratio est, quia licèt præcisè operationem spectando, Minister non peccaret sequendo opinionem probabilem, nec Sacramento irrogaret irreverentiam, quia tamen effectus Sacramenti, ut remissio peccatorum, & infusio gratiæ, dependet à vera materia, & forma, graviter proximo noceret, ideoque peccaret, qui pro materia certa adhiberet dubiam. Excipitur tamen casus necessitatis, in quo Sacramentum cum dubio valoris, potest præberi sub conditione, v. g. Baptismus morituro in aqua rosacea mixta, si naturalis desit: quia tunc proximus juvari debet, ut potest: & ex duobus malis minus eligendum,

„ Vid.

„ Vid. Laym. *hic*, & Suar. *t.4.d.26.ſect.6.* Becan. *c.4. quæſt.9.*
„ II. Medicus & Chirurgus ſequi debent tutiora, & probabiliora, nec uti poſſunt, *v.g.* explorandi gratia, medicamento probabili, multoque minus dubio, ſi certum habeant, Sanch. Bonac. *loc.cit.* Bald. *de conſc. dubi.* Vide infr. *lib.4.c.3.dub.9.*
„ Dixi; *ſi adhuc ſit probabilis*: quia ſi probabilitatem amiſerit, ob aliquod decretum in contrarium, vel gravem cenſuram, vel rationem gravem de novo inventam, quæ difficulter refutanda videatur, non habet locum reſponſio.
„ *Unde reſolvitur hic Caſus.*
„ Non licet nunc abſolvere pœnitentem abſentem, etſi plures Doctores ante hac id ſenſerint, horum enim ſententia nunc eſt abolita, & probabilitatem, ſi quam habuit, amiſit, præcipuè accedente decreto Clem. VIII. Bonac. *loc. cit.n.17. & alii communiter.*

ADDENDA.

93 E *Sparſa* in Appendice ad quæſt. de uſu licito opinionis probabilis c.240. veriſſimè dicit, controverſiam illam, liceatne ſequi ſententiam probabilem, & minùs tutam relicta probabiliore, & tutiore, eſſe difficillimam, & abſtruſiſſimam inter omnes quæſtiones de moribus, ſeu ſpeculativas, ſeu practicas, nam ſupponit cognitionem ſpeculativam materiarum circa mores, & eſt univerſaliſſima regula circa omnes concluſiones practicas: ſimiliter Carden. *in 1.Criſ.d.56.n.119.* ait, materia de probabilitate res eſt obſcura, & valdè Metaphyſica, quæ multas ſubit reflexiones mentis: eſt præterea controverſia illa celeberrima hoc tempore, & ſummi momenti, ideoque diligenter tractanda in utramque partem, cogarque præter morem, & propoſitum eſſe longior, ad quod etiam promovit me comminatio Eliz. putantis neminem poſſe eſſe in conſcientia tutum, qui rationes à ſe per magnum tomum in folio allatas non expendiſſet, ideoque perlegi, ejuſque poſtea adverſarium Teril. item Carden. Mojam, Gonz. ejus Synopſin, Ehrentr. Camargo, alioſque plures; & nullum argumentum utriuſque partis diſſimulabo, ut expenſis omnibus ferre poſſimus judicium de quæſtione illa graviſſima.

In hoc autem Dubio tantùm agam de comparatione opinionis probabilis cum probabiliore, in ſequente dicetur de comparatione probabilis, & minùs tutæ cum tutiore, ita enim etiam tractat Buſembaum.

94 *Q.15. Quænam propoſitiones circa materiam probabilitatis ſint damnatæ?* R. Inter damnatas ab Alex. VII. hæc eſt 27. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à ſede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Inter damnatas ab Inn. XI. hæc eſt 1. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi: hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis aut Epiſcopalis.* 2. *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* 3. *Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca ſive extrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.* Inter damnatas ab Alex. VIII. hæc eſt 3. *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.* Quis ſenſus ſit harum propoſitionum, & damnationis earundem, dicetur per decurſum.

95 *Q.16. Quid & quotuplex ſit opinio?* R. §.1. Opinio in genere, prout complectitur etiam fidem humanam, ſecundùm S. Bern. *de conſid.l.5.cap.2.* eſt quaſi pro vero habere, quod falſum eſſe neſcias: & c.3. ait, eſt aſſenſus veriſimilis, id eſt, judicium incertum nitens motivo fallibili, vel infallibili quidem, attamen non cognito ut tali, ſed cognito tantùm modo fallibili: S. Thom. *1.p.quæſt.79.art.9. ad 4.& 2.2. quæſt.1. art.4.* dicit eſſe actum intellectus, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius: circa quem actum ejuſque formidinē videri poſſunt multa acutè diſputata apud Eliz. *in app.qu.6.& 7. item apud Teril. in Reg.qu.34.* ubi in multis arguit Elizaldum: ſufficit hic ſcire, quòd formido illa non ſemper ſit actualis ſed quandoque tantùm radicalis; ſi autem ſit actualis, vel eſt actus reflexus, quo cognoſcimus nos per actum noſtrum exponi periculo errandi, vel eſt ipſummet judicium ex ſuo modo tendendi propter motivum fallibile non adhærens firmiter objecto, ſicuti è contra firmitas ſcientiæ eſt ipſe actus ſcientificus ex ſuo modo tendendi propter motivum infallibile firmiter adhærens objecto: illud autem motivum dicitur fallibile, quod per ſe cum objecto aſſerto connectitur, abſolutè tamen ſeparari poteſt; quòd ſi ſeparari non poſſit, erit infallibile.

96 §.2. Opinio alia eſt probabilis, alia improbabilis, alia ſpeculativa, alia practica, de quibus in qq. ſeqq.

Q.17. An aliqua opinio poſſit eſſe actus prudens? R. 97
Affirmativè, nempe illa, quæ probabilis eſt, ſive, quæ nititur motivo gravi: è contra opiniones improbabiles ſunt imprudentes. Non omnem opinionem eſſe imprudentem, inſinuatur ab Apoſt. ad Rom.14. Verſ.5. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet*, hoc enim non fit, niſi opinando. Similiter S. Petrus *Act.2.* uſus eſt argumento tantum probabili, dicens Apoſtolos non eſſe ebrios, eò quòd eſſet prius hora diei tertia: Docet idem expreſsè S. Thom. *1.2. q.57. art.4. ad 2.* dicens prudentiam eſſe etiam in parte opinativa animæ. Denique actus tantùm probabiles ſæpiſſimè in practicis, & ſpeculativis habuerunt ac in ſuis libris conſignarunt SS.PP. omnes, S. Th. aliique, uti patet legenti. Ratio autem poſitiva reſponſionis 98
eſt; quia aliquod judicium diſtinctum à fide divina eſt imperabile à prudentia, ſed hoc non eſt judicium ſcientificum, hoc enim non indiget imperio, cùm ad illud neceſſitetur intellectus, ergo eſt judicium probabile ſeu opinativum, ergo opinio poteſt imperari à prudentia, & conſequenter poteſt eſſe actus prudens. 2. Prudentia dictat filio, ut honoret hunc hominem, de quo dubitare non audet, quin ſit ſuus pater, quamvis fortè reipſa non ſit: item dictat Judici, ut judicet hunc hominem eſſe nocentem, quia quamvis fortè ſit innocens, tamen per tres teſtes, qui depoſuerunt de viſu, probatus eſt nocens &c. ergo. 3. Nemo dicet, quòd judicium nitens motivo gravi, & plerumque vero ſit prudens, licèt ſit tantùm opinativum. Videri poteſt Teril. *in Reg. qu.41.* ubi rem hanc demonſtrat contra Sinnichium & Eliz.

Objic.1. S. Aug. *in Ench.c.27.ait: Anima rationalis, quan-* 99
tùm poteſt, devitat errorem, ſed qui opinatur, non devitat errorem, quantum poteſt, poſſet enim ſuſpendere judicium, ergo qui opinatur, non agit ſecundùm animam rationalem, ergo nec prudenter: hinc idem S. Doctor *l. de util. cred. c.11.* ait: *Tria ſunt veluti finitima ſibimet in animis hominum, diſtinctione digniſſima intelligere, credere, opinari, quæ ſi per ſeipſa conſiderentur, primum ſine vitio eſt, ſecundum aliquando in vitio, tertium numquam ſine vitio*: Similiter S. Th. de veritate *qu.18.ar.6. Quandocumque intellectus movetur ab aliquo fallibili ſigno, eſt aliqua inordinatio in ipſo, ſive perfectè ſive imperfectè moveatur: Conſonat* S. Bern. *de conſid.lib.5.cap.3. Opinio, quæ habet aſſertionem, temeraria eſt.* R. S. Aug. in primo loco vult animam rationalem devitare errorem quantum poteſt, ſi certò haberi poſſit veritas, ubi autem certò haberi non poteſt, melius eſt ei opinari ex gravi motivo, licèt per accidens quandoque erret, quàm ſuſpendere omne judicium, uti *n.*705. dicetur: in altero, per Tò *opinari*, intelligit, putare ſe ſcire eſſe certum, quòd tamen eſt incertum, uti ex contextu aliiſque locis S. Aug. oſtendunt Gonz. *diſſ.1.n.2.* & Eſp. *in App. art.21.* ſpeciatim *de util. credendi cap.11.* ubi dicit, unum genus hominum eſſe *opinativum, id eſt, eorum*, inquit, *qui ſe ſcire arbitrantur, quod neſciunt*: & in eodem ſenſu dici ſolet, quòd ſapiens non opinetur. S. Thom. dicit opinionem eſſe inordinationem, quia eſt imperfectio, & in pœnam peccati, hinc putat nos in ſtatu innocentiæ non fuiſſe opinaturos. S. Bern. loquitur de opinione, quæ eſt ſine rationabili fundamento, uti ex contextu oſtendit Carden. *in 1.Criſ.d.56. à n.*202. Inſtat Camargo *par.1.l.1.contr.8.à n.15.* Nullus errans eſt ſapiens, ergo nullus error poteſt eſſe prudens. R. n. ant. nam ſi nullus errans eſt ſapiens, ergo vel S. Hieron. vel S. Auguſt. item, vel S. Thom. vel S. Bonav. non fuit ſapiens, quia hi vel illi errarunt, uti conſtabit ex dicendis *n.*719. *&* 722. Item S. Auguſt. non fuit ſapiens ante vel poſt libros Retractationum, quia oppoſita docuit; Item, vel ſchola Thomiſtarum vel ſchola Scotiſtarum non eſt ſapiens, alterutra errat in ſententiis oppoſitis, etiam circa moralia. Imò *Camargo* ipſe per decurſum ſæpè vocat defenſores Probabiliſmi viros ſapientiſſimos, & tamen ſæpiſſimè dicit illos in eo errare. Itaque cum errore invincibili ſtat prudentia, & conſequenter ſapientia, de qua hic debet eſſe ſermo. Vide dicenda *n.*709.

Obj.2. Actus prudentiæ eſt actus virtutis intellectualis, 100
quæ ſemper dicit verum, ſed judicium probabile non ſemper eſt verum; ergo non eſt actus virtutis prudentiæ. R. Actus prudentiæ elicitus, & immediatus, eſt actus virtutis, quæ ſemper dicit verum, c. actus imperatus à prudentia, qui dicitur actus mediatus prudentiæ, n. maj. judicium autem probabile tantùm imperatur à prudentia actuali, & mediatè tantùm pendet ab habitu prudentiæ: ſic, prudentia actualis imperat Judici, ut innocentem judicet nocentem, ſi probatus ſit nocens: item, ut unumquenque judicet probum, ſi non ſit probatus improbus &c. hæc judicia, quibus hic homo judicatur nocens vel probus, imperantur à prudentia, ſed immediatè eliciuntur ab habitu opinionis, poſſuntque eſſe falſa, & tamen ſunt prudentiſſima: è contra hi actus, *judicandum eſt ſecundùm allegata, & probata: habendus eſt innocens, qui non eſt probatus nocens*, ſunt actus immediati prudentiæ,

tiæ, qui ab habitu prudentiæ eliciuntur, funtque ſemper veri.

101 *Inſt.*1. Omnis actus prudentiæ etiam imperatus magis ſe habet ad verum quàm ad falſum, prudentia enim ab Ariſt.6. Ethic.c.5.definitur habitus cum vera ratione activus, & ideo conſultationes ſunt prudentes, quia veritatem inquirunt, ſed opinio habet ſe æqualiter ad verum, & falſum, ergo opinio non eſt actus prudentiæ nequidem imperatus. Reſp.Omnis actus prudentiæ etiam imperatus magis ſe habet ad verum in ſe, quàm ad falſum in ſe, n.magis ſe habet ad verum ſaltem apparens, quàm ad falſum, c.& ſimiliter diſt.min.n.conſeq. nam omnis opinio eſt aſſenſus, quem quis putat verum, & non falſum, quia impoſſibile eſt aſſentiri, niſi moveat veritas ſaltem apparens, & apprehenſa, ergo omnis opinio eſt ad ſolum verum, uti optimè Teril.*qu.*24.*à n.*12.*& iterum qu.* 36. licèt enim propoſitiones ſint contradictoriæ, & una certò ſit falſa, tamen motivum affirmationis eſt apparentia veri, & non falſi, ipſaque affirmatio eſt aſſenſus ad verum apparens, & non ad falſum; ſimiliter motivum negationis eſt apparentia veri in oppoſito, & ipſa negatio eſt receſſus à falſo, & acceſſus ad ſolum verum oppoſitum, ergo omnis probabilitas habet ſe magis ad verum quàm ad falſum. Vide dicenda *n.*357. *&* 358.

102 *Inſt.*2. Opus externum imperatum ab arte non eſt artificioſum, ſi in illo materialiter, quamvis invincibiliter, erretur, ergo ſimiliter de opere interno à prudentia imperato, ita Eliz.R.n.conſ.diſparitatem dat S.Thom.1.2. *q.*57. *a.*5. *ad* 1. *Bonum artis conſideratur, non in ipſo artifice ſed magis in ipſo artificiato, cùm ars ſit ratio recta factibilium, factio enim in exteriorem materiam tranſiens non eſt perfectio facientis ſed acti*, conſequenter cùm mea exiſtimatio, licèt invincibiliter erronea, non immutet objectum in ſe, etiam non poteſt facere, ut objectum ex errore factum ſit artificiatum: è contra *prudentiæ bonum attenditur in ipſo agente, cujus perfectio eſt ipſum agere, eſt enim prudentia recta ratio agibilium*, ergo ſi prudentia imperet actum, qui invincibiliter putatur verus, licèt erretur materialiter, habetur finis prudentiæ, qui eſt, ex parte ſubjecti rectè agere; & conſtant hæc etiam ex dictis à *n.*14.ubi oſtendimus actum bonum poſſe dirigi per ignorantiam vel errorem invincibilem: n. autem 706. etiam probabitur, quòd actus probabilis falſus ſit perfectio intellectus. Vide etiam dicta *n.*99. in fine.

103 *Q.*18. *Quid ſit opinio probabilis?* R. Varii variè definiunt, ut videri poteſt apud Moyam *de op.prob.q.*1.

§.1. Certum eſt per probabile hic non debere intelligi omne illud, quod habet qualemcumque ſpeciem veritatis, ſecundùm illud *Ciceronis, nihil eſt tam improbabile, quod dicendo non fiat probabile*, nam hoc probabile idem ſignificat, quòd in ſpecie ſeu ementitè verum, licèt agnoſcatur eſſe falſum; per probabile autem noſtrum intelligitur aliquid, quod ab intellectu eſt approbabile tanquam verum: è contra admitti debet, quod falſum poſſit eſſe probabile, uti à *n.*237. dicetur, hinc ex Ariſt.eſt commune adagium, multa falſa eſſe probabiliora veris.

104 §.2. Eliz.dicit probabile eſſe, quod plerumque contingit, ad quod putat ſufficere, quòd pluries cum vero quàm cum falſo connectatur, alioquin, inquit *l.*8.*q.*8.§.1.ſi ex centenis, ſexaginta ſint ſuſpendendi, quadraginta liberandi, probabile eſſet Petrum ex illis centenis unum, eſſe liberandum. *Contra* eſt, nam ad probabile non requiri, ut plerumque contingat, patebit ex *n.*105. & ideò Teril.*in Reg. q.*37. admittit poſſe eſſe probabile aut ſaltem probabili proximum, quòd iſte Petrus ſit liberandus: quando autem *Ariſt.* innuit probabile eſſe, quod ſit ut plurimum, ſenſus eſt, ſi aliquid plerumque contingat, inde haberi prudens motivum ad probabiliter judicandum, quod etiam jam contigerit, ſecundùm illud, *ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio*. Videri poteſt Eſp. *in app. à n.*89.

105 §.3. Idem Eliz.*l.*2. *q.*16. tria requirit ad opinionem probabilem, nempe ut objectum ſit contingens: ut ferè ſemper contingat: ut medium, quo probatur, ſit univerſalius objecto probato: hanc doctrinam benè rejicit Teril. ſuprà, nam dicuntur multa probabiliter circa Deum, qui eſt objectum neceſſarium, & multa certò circa creaturas, quæ ſunt objectum contingens, deinde utraque pars contradictionis ſæpe eſt probabilis, uti à *n.*237.dicetur, & tamen utraque non ferè ſemper contingit; ſimiliter probabile eſt prædeſtinationem ad gloriam fieri ante præviſa merita, & tamen vel nunquam vel ſemper ita contingit: denique ſi dicam, *omnes matres hujus urbis amant filios, ſed omnes feminæ hujus urbis ſunt matres, ergo*: hic medium, quod eſt, *matres hujus urbis*, non eſt univerſalius quàm probatum, quod eſt, *omnes feminæ hujus urbis* amant filios.

106 §.4. Caram.dicit opinionem probabilem eſſe, quæ habet rationes pro, & contra ſe: *Contra* eſt, rationes pro una parte, poſſunt eam facere probabilem, etiamſi pro altera nullæ occurrant rationes, nam ſi alibi mihi dicant Petrum eſſe domi, id erit mihi probabile, quamvis nemo ſit, qui dicat oppoſitum, neque mihi occurrat ratio negandi.

§.5. *Gonet* dicit opinionem probabilem eſſe aſſenſum, qui 107
nititur motivo fallibili ſive incerto: *Contra* eſt, ergo omnis hæreſis, & quivis aſſenſus imprudens erit opinio probabilis.

§.6. Opinio probabilis eſt judicium incertum nitens 108
motivo abſolutè, & reſpectivè gravi, ita Laym.Sanch. Eſp. Fabr. Teril. *q.*23. aliique communiſſimè, & ſatis colligitur ex dictis. *Dicitur* autem 1. *Judicium incertum*, id eſt, nec certò verum nec certò falſum. 2. *Nitens motivo*, nam ſi opinio pro ſe non habeat ullum motivum, quamvis etiam contra ſe nullum habeat (uti hæc, *ſtellæ ſunt pares*) reipſa non erit probabilis, niſi negativè, id eſt, non probabilis, uti rectè evincit Teril. *q.*28. contra Eliz.3. *Motivo gravi*, id eſt, magni momenti quod, per ſe loquendo, aptum ſit virum prudentem determinare ad aſſenſum; ſive, cui, ſi quis aſſentiatur, judicio prudentum non mereatur reprehenſionem 4. *Abſolutè*, id eſt, ſecundùm ſe *gravi*, & non tantùm ex accidente, v. g. ex vehemente paſſione, ex pertinacia, ex inordinatione affectus, ex negligentia inquirendi verum. 5. *Et reſpectivè gravi*, id eſt, quamvis attendantur etiam oppoſita motiva; ſi enim hæc fuerint certa, motivum his oppoſitum non erit reſpectivè grave ſed elidetur, uti rectè Teril.*q.*26.quando enim hoc motivum eſt certum, intellectus prudentis hominis non poteſt impelli vel ſollicitari ad oppoſitum, & ita nulla hæreſis eſt probabilis, quamvis enim pro hac ſæpe ſint difficillima argumenta, quæ ideo etiam aliquo ſenſu dici poſſint graviſſima, tamen eliduntur per motivum oppoſitum fidei, quod eſt certiſſimum: Unde ad veram probabilitatem ſecundùm omnes requiritur, ut neque Sacræ Scripturæ, neque traditioni, neque communi PP.ſententiæ, neque rationi certæ adverſetur; imò neque communibus Theologorum placitis, niſi horum authoritatem refringant novæ, & majoris momenti rationes.

§.7. *Obji.* Motivum opinionis probabilis, vel debet eſ- 109
ſe grave reſpectu omnium intellectuum, vel reſpectu aliquorum tantùm: non reſpectu omnium, quia quod eſt grave reſpectu imperitorum, ſæpe non eſt grave reſpectu peritorum. Nec aliquorum tantùm, hi enim deberent eſſe periti, ergo ſenſus erit, reſpectu habentium authoritatem, ideoque omnis probabilitas erit tantùm extrinſeca, ita Eliz.R. Intelligi reſpectu peritorum, non quòd ad aſſenſum moveat eorum authoritas, ſed quia movet aliquid, aptum movere peritum, id eſt, hominem aptè diſpoſitum ad materiam illam intelligendam, juxta ſtatum ipſius materiæ, & conditionem imbecillitatis humanæ.

*Inſt.*1. Saltem in expoſitione motivi gravis recurritur ad 110
homines prudentes; prudens autem dicitur, qui non movetur levi ſed tantùm gravi motivo, ergo fit circulus. R. Per prudentes hic intelliguntur periti, ſive aptè diſpoſiti ad intelligendum, nec aſſueti ferre ſententiam, niſi omnibus utrimque conſideratis, in qua explicatione nullus fit circulus. Videri poteſt Teril.*q.*23.*&* 24.

*Inſt.*2. Ignotum eſt nobis, quinam ſint periti, ergo ſem- 111
per ignotum erit, quodnam motivum ſit grave, & conſequenter quænam opinio ſit verè probabilis. R. n. ant, alioquin *Tob.*4.Veſ.19.fruſtra diceretur, *Conſilium ſemper à ſapiente exquire*: Itaque periti judicantur S.Thomas, Scot.S. Bonav. S.Anton.Caj.Nav.Suar.aliique ſimiles; item alii, quos communis perſuaſio reputat, aut experientia probat peritos in hac vel illa materia, quam profitentur, cuique ſtuduerunt, vel quam benè tractarunt.

Inferes, probabilitatem ſic poſſe definiri, quòd ſit falli- 112
bilis, & magna apparentia veritatis circa aliquod objectum.

*Q.*19. *Quotuplex ſit opinio probabilis?* R. Multiplex, 113
nam,

§.1. Alia eſt probabilis ab intrinſeco, cujus motivum conſiſtit in ratione gravi, quæ rei ipſi ineſt, ſive ex re ipſa petitur: alia ab extrinſeco, cujus motivum eſt authoritas gravis ita ſentientium, & dicentium, quæ authoritas conſiſtit præcipuè in peritia, probitate, ſapientia, & veracitate, hæc tamen authoritas non movet, niſi in quantum præſumitur cum hac eſſe conjunctam etiam rationem ſive probabilitatem intrinſecam, quia nempe præſumimus viros ſapientes non dicere aliquid ſine ratione, unde optimè dicit S.Aug.Epiſt.19. *Alios* (libros præter Scripturam) *ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinaque polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſentiunt, ſed quia mihi vel per illos authores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreant, perſuadere potuerunt*. Probabilia ab extrinſeco definiuntur ab Ariſt.*in Topic. l.*1. *c.*1. *Quæ videntur omnibus vel pleriſque vel ſapientibus, atque his vel omnibus vel pleriſque vel maximè notis*, de qua definitione videri poteſt Eſp.in App.a.99. & ſeqq. & dicetur *n.*159.Hic advertenda ſunt duo, in primis ut ali- 114

quid

quid ſit probabile ex authoritate, debere manere incertum, & per aſſertionem multorum non fieri certum, uti certum ſit Romam dari, ideoque non manet nobis tantùm probabile: deinde ut ſciamus, quis hic cenſeri debeat ſapiens necne, attendendam eſſe famam publicam vel experientiam, ſic enim, uti ante inſinuatum eſt, aliqui omnium confeſſione ſunt ſapientes, uti S. Auguſt. S. Thom. Scot. Alii per experientiam, ex modo, quo res tractant, vel de eis diſcurrunt, vel conſilia dant pro praxi, uti Suar. Sanch. Lugo &c. quandonam verò authores dicantur omni exceptione majores, explicabitur à *n.*160. ubi plura dicentur de authoritate extrinſeca, & etiam exponetur, quinam dicendi ſint meri Summiſtæ.

115 §.2. Alia dicitur ſpeculativè tantùm probabilis, alia etiam practicè; quam diviſionem varii variè explicant, uti videre eſt apud Moyam *de op. prob. q.*2. nam aliqui vocant ſpeculativè probabilem, quæ objectum tantùm conſiderat non referendo ad praxim, uti ſi dicam, valet Baptiſmus in aqua roſacea; quæ autem dicit licere ſaltem in neceſſitate baptizare in aqua roſacea, eſt practicè probabilis; alii vocant ſpeculativè tantùm probabilem, quæ licitè redigi non poteſt ad praxin; ſic poteſt mihi eſſe ſpeculativè probabile, quòd animal à longè ſe movens ſit fera, non ideò tamen eſt practicè probabile, quia mihi licitum non eſt in illud jaculari: alii dicunt illam ſpeculativè probabilem, quæ abſolutè per nos reduci non poteſt ad praxin, uti hæc, globus terræ poteſt loco moveri; ſi autem ſimul ad praxin reduci poſſit, dicetur ſimul nobis practicè probabilis: alii cum Moya eam vocant ſpeculativè tantùm probabilem, quæ aſſerit aliquid licere, præſcindendo à circumſtantiis perſonæ, loci, temporis &c. uti ſi dicam, licitum eſt pingere; practicè probabilem vocant, quæ dicit aliquid alicui hic, & nunc licere, v.g. quia ſervile non eſt; hinc mihi licitum eſt hoc etiam feſto die pingere: alii dicunt illam eſſe tantùm ſpeculativè probabilem, quæ eſt de objecto ſecundùm ſe licito, quia tamen non poteſt ad praxin deduci, quin accedat aliqua circumſtantia illicita, hinc non erit practicè probabilis, uti ſecundùm *Teril.* ſi dicam, licitum eſt ſecundùm ſe attingere corpus alienum nudum, id enim licitè faciunt Chirurgi, ut in neceſſitate medeantur, quia tamen ordinariè non fit ejuſmodi tactus quin in tangente ſuboriantur pravæ commotiones, & adſit periculum conſenſus in delectationem veneream, hinc ordinariè non eſt practicè probabile, quòd licitum ſit attingere corpus alienum nudum: denique recentiores, ut has omnes explicationes concilient, dicunt illam eſſe ſpeculativè tantùm probabilem, quæ vel de praxi nihil enunciat, vel tantùm procedit habita ratione principii univerſalis, non conſideratis illis, quæ cum praxi communiter conjunguntur; è contra dicunt illam eſſe etiam practicè probabilem, quæ enuntiat licitam eſſe praxin poſt omnia conſiderata, quæ in praxi apta ſunt contingere: & cum his communiter loquemur.

116 §.3. Alia dicitur probabilis quoad ſe, alia quoad nos: probabilis quoad ſe eſt, quæ à parte rei nititur motivo gravi, licèt fortè ejus gravitas à nobis non agnoſcatur; probabilis quoad nos, quæ invincibiliter à nobis judicatur niti motivo gravi, quamvis reipſa grave non ſit, ideoque opinio talis, quæ reipſa non nititur motivo gravi exiſtenti, ſed tantùm præſumpto vel exiſtimato, licèt ſecundùm ſe non ſit reipſa probabilis, tamen reſpectivè ad intellectum noſtrum ita diſpoſitum cenſetur probabilis. Opinio probabilis quoad nos ſubdividitur in certò, probabiliter, tenuiter, & dubiè probabilem, uti dicetur à *n.*119.

117 *Q.*20. *An omnis opinio ſpeculativè probabilis, etiam ſit practicè talis?* R. Negativè cum Carden. *in* 1. *Criſi d.* 14. *cap.*2. *&* *d.*56. *cap.*3. contra Caram. Joan. Sanch. F. Lugo & alios. *Ratio eſt*, quia poteſt dari actio alioqui licita, quæ in praxi exerceri non poſſit abſque circumſtantia ſcandali aut irreverentiæ, vel abſque periculo peccandi aut damni proximo cauſandi, uti conſtat in exemplis *num.* 115. allatis aliiſque ſimilibus, ſic enim etiam ſpeculativè probabile eſt conſecrationem in pane ſiligineo eſſe validam, tamen non eſt probabile practicè, quia probabile non eſt, quòd liceat in pane ſiligineo conſecrare.

118 *Reſpondet* Caramuel, ſi in praxi addatur nova circumſtantia, quæ non fuit conſiderata in ſpeculatione, fore caſum diverſum, circumſtantia enim nova mutat caſum: *Contra* eſt, manet hoc, quòd praxis poſſit ſuperaddere circumſtantiam non conſideratam à ſpeculatione, & ideò opinio non ſit practicè probabilis, quamvis fuerit talis ſpeculativè; patetque etiam in hoc exemplo, nam ſi à Superiore mihi prohiberetur uſus alicujus ſententiæ probabilis, illa reſpectu mei maneret ſpeculativè probabilis, non tamen practicè: videri tamen poteſt Illſ. *t.*1. *d.*1. *num.*69. non malè explicans Authorum aliorum ſententiam.

119 *Q.*21. *Quænam opiniones dicantur certò, probabiliter, tenuiter, dubiè probabiles?* R. Certò probabiles dicuntur, quarum probabilitas certò nobis innoteſcit; tantùm probabiliter probabiles ſunt, quarum probabilitas innoteſcit tantùm probabiliter; tenuiter probabiles ſunt, quæ nituntur motivo ita levi, ut non mereatur aſſenſum viri prudentis; dubiè probabiles ſunt, de quarum probabilitate eſt prudens dubium: quæ omnia declarari poſſunt hoc modo.

§.1. Certò probabilis eſt opinio, quæ de facto viget inter 120
Authores, quamque Eccleſia tolerat, nec ſapientes improbant: ſi tamen alicui contra eam occurrerent novæ, & graviſſimæ rationes, deſineret reſpectu ipſius eſſe certò probabilis.

§.2. Si ſciam opinionem aliquam eſſe communem Theo- 121
logorum, vel doceri à S. Thom. & ejus ſchola, tunc eſt mihi certò probabilis: è contra ſi vir magnæ authoritatis dicat opinionem aliquam eſſe communem, vel à S. Thom. & Thomiſtis doceri, potero tantùm probabiliter judicare eſſe probabilem, non ero tamen de hoc certus, quia illius unius dictum non reddit me certum, quòd ita ſit, niſi aliunde ſcirem ab eo inſpectos eſſe Authores, de quibus teſtatur, & ſufficienter intellectos.

§.3. Opinio, quæ ab omnibus communiter aſſeritur eſſe 122
probabilis, etiam eſt certò talis, licèt fortè alicui, qui rationes non expendit, videatur eſſe falſa: item certò probabilis eſt, quam omnibus diligenter expenſis abſolutè tenent ut veram quinque aut ſex Theologi probitate, judicio, & ſcientia præſtantes, ſi de probabilitate non dubitent, etiamſi alii communiùs rejiciant, ut falſam, ſi enim iſti priores ita abſolutè teneant, dubitari non poteſt, quin habeat rationem gravem.

§.4. Non ideo præcisè debet opinio cenſeri probabilis, 123
quòd doceatur ab uno Authore impreſſo, uti à *n.*153. dicetur: neque ideò præcisè, quòd doceatur etiam à multis, & non ſit damnata ab Eccleſia, uti dicetur à *n.*136.

§.5. Illa opinio eſt viro probo, & docto certò probabi- 124
lis, quam ipſe ſcit ſe diligenter diſcuſſiſſe, & experitur ſe ſine paſſione vel inordinato affectu ob rationes graves tenere ut veram.

§.6. Certum videtur dari poſſe opiniones tantùm proba- 125
biliter probabiles, ut evincit Teril. *in Reg. q.*32. contra Eliz. *in app. q.*4. nam. 1. probabilitas opinionis eſt objectum indifferens, ut ſciatur vel ignoretur, non aliter ac quævis alia veritas, ergo etiam eſt indifferens, ut tantùm probabiliter cognoſcatur. 2. licèt certus ſim opinionem, quam S. Thom. & Thomiſtæ docent, eſſe certò probabilem, tamen ſi certus non ſim, ſed tantùm à viro Theologo audiam aliquam opinionem eſſe D. Thom. & Thomiſtarum, tantùm probabiliter cognoſcam probabilitatem illius opinionis, ideoque erit mihi tantùm probabiliter probabilis. 3. Opiniones, quas aliqui negant, alii affirmant eſſe certò probabiles, non ſunt certò probabiles, neque etiam ſunt certò ſed tantùm probabiliter improbabiles propter authoritatem, & motiva negantium; manent tamen etiam propter authoritatem, & motiva affirmantium probabiliter probabiles, falſum enim eſt, quòd motiva tum ſe elidant, uti intelligetur ex dicendis à *n.*261.

§.7. Opiniones tenuiter probabiles habent motivum, 126
ſed ita leve, ut cenſeatur imprudens, qui illi aſſentitur, ideoque rectè notat Carden. *in* 2. *criſi diſ.*4. *n.*16. duos illos terminos, *tenuis probabilitas*, eſſe veluti oppoſitos, nam *Tò probabilitas*, ſimpliciter & abſolutè, dicit habere grave fundamentum, *Tò tenuis* autem hoc tollit, ſicuti quando dico aliquem eſſe tenuiter prudentem, ſignifico non eſſe abſolutè prudentem, ſed habere parum prudentiæ ſeu defectum illius, poſſunt enim ejuſmodi termini ſumi æquivocè pro re vera, & apparente, gravi & levi: inde infer Carden. *n.*23. ſententiam oppoſitam opinioni tenuiter probabili communiter eſſe moraliter certam aut ferè certam, quia cùm communiter occurrant rationes pro, & contra, ſi ratio pro hac ſit tenuis, erit pro illa tantò fortior, ideoque accedet ad certitudinem.

§.8. Opinio tunc eſt dubiè probabilis: 1. Si dubitetur, 127
an motivum ejus ſit grave an leve. 2. Si ſapientes dubitent de probabilitate illius: 3. Si detur principium certum, & dubitetur, an ei repugnet opinio: 4. Si Authores ejus non ſint, vel ſi dubitem, an ſint omni exceptione majores, de quo dicetur à *n.*160. 5. Si ratio ejus non videatur firma: 6. Si ſit opinio ſingularis Authoris, qui rationem ſufficientem non afferat: 7. Si unus vel alter tradat eam, & plures alii dicant eam vel improbabilem vel parum tutam vel rejiciendam: 8. Si Author vel Authores ejus non ſint diu probatæ authoritatis, vel non ſint mihi ſufficienter noti ex ſuis ſcriptis aut aliunde: *Nec obſtat*, quòd ſint multi, *quia* ſæpe unus exſcribit ex altero, & ſequitur velut ovis ovem. Videri poſſunt Terill. *hic qu.*5. *&* 6. Carden. *in* 1. *Criſi d.*11. *cap.*2. *a.*4. *d.*55. *n.*30. *d.*58. *cap.*2. Item *in* 2. *Criſi d.*4. *a n.*35.

Objicies 1. Ex hoc, quòd aliqui Authores graves dicant 128
aliquam opinionem eſſe probabilem, non ſequitur omnes debere dicere eſſe probabilem; quia non valet ab aliquibus ad omnes, uti non valet à particulari ad univerſale, ergo falſum

ſum eſt, quod dicitur n.121. & 122. R. n. ant. valet enim argumentatio ab aliquibus ad omnes, quando illi aliqui dant rationem, qua prudenter moveri debent omnes, v. g. ſi decem periti aurifabri dicant aliquid eſſe aurum, omnes habent rationem dicendi eſſe aurum, & ſicuti poteſt valere à particulari ad univerſale, ſi probetur, quòd illud particulare habeat in ſe rationem, quæ ſe extendat ad univerſale, uti cùm dico, *Petrus eſt animal, & reliqui homines habent naturam ſimilem Petro, ergo etiam reliqui homines ſunt animal*, ita hic, eſt enim idem, ac ſi dicam, *eſt grave motivum, propter quod S.Thom.cum ſua ſchola hoc dicit, ergo eſt grave motivum, propter quod omnes hoc dicant*. Videri poteſt Illſ. *d.1.num.63.*

129 *Objic.2.* Omnis opinio probabilis, ſi ſit immediata, & per ſe nota, eſt per ſeipſam evidenter probabilis; ſi autem ſit mediata, & per aliud nota, deducitur ex aliqua immediata, ergo per hanc eſt etiam evidenter probabilis, ergo falſum eſt, quod dicitur num.125. ita Eliz.Reſp.1. Mediatè probabilis poteſt tantùm probabiliter deduci ex probabili immediata, ratione connexionis objectivæ tantùm probabilis, uti ſi argumenter per illationem à pari, à contrario, à majore ad minus &c.maximè ſi illatio fiat in figura, & modo imperfecto ſyllogizandi, cujus evidentia non ſatis appareat. Reſp. 2. Etiam immediatè probabilis poteſt ob diſpoſitionem imperfectam intellectus ita apprehendi, ut appareat tantùm probabiliter probabilis.

130 *Inſt.1.* Probabiliter ſcibile non eſt ſimpliciter ſcibile, ſed ad ſummum probabile, ergo probabiliter probabile non eſt ſimpliciter probabile, ſed ad ſummum dubiè, quia ſicut ſe habet opinari ad ſcibile, ſic dubitare ad probabile, nempe tanquam imperfectum degenerans à perfecto, ita Eliz.Conf. nam *Tò probabiliter*, non ſignificat idem, quòd *Tò probabile*, ergo eſt diverſum, & quid minus, alioquin ineptè repeteretur idem, uti ſi dicerem, ſcibiliter ſcibile, viſibiliter viſibile &c.ſi autem idem ſignificet, quod prudenter approbabile, erit certò probabile, ergo. Reſp.n. conſ. *Tò probabiliter*, opponitur ſcibili, eſtque terminus alienans, cùm dicat incertitudinem, ergo aliquid tantùm probabile non eſt ſcibile è contra, *Tò probabiliter* non opponitur probabili,

131 ſed maximè illi convenit: nam probabile poteſt cognoſci eſſe tale, vel certò vel probabiliter tantùm. *Ad Conf.* dico, per *Tò probabile*, ſignificari objectum, quod cognoſcitur, è contra per *Tò probabiliter* ſignificatur modus, quo objectum probabile cognoſcitur, unde non ſunt idem: admitto autem quòd probabile ſit idem quod approbabile, ſed hoc fieri poteſt per judicium vel certum vel probabile tantùm, uti dictum eſt: aliud eſt de iſtis, ſcibiliter ſcibile, &c.nam in his, & ſimilibus, modus attingendi ſignificatus per adverbium, *ſcibiliter*, &c.eſt unicus, qui etiam ſignificatur per ipſum nomen adjectivum ſcibile, hinc fruſtra repeteretur: è contra modus attingendi ſignificatus per *Tò probabiliter*, non eſt unicus, quòd cognoſci poteſt probabile, cùm etiam cognoſci poſſit certò, ergo non fruſtra additur.

132 *Inſt.2.* Illa probabilitas opinionis probabilis vel cognoſcetur certò vel tantùm probabiliter, ſi certò, erit certa probabilitas; ſi tantùm probabiliter, dabitur proceſſus in infinitum, ita Eliz.Reſp.Judicium directum circa probabilitatem opinionis erit tantùm probabile, habebo tamen aut habere potero ſimul judicium reflexum, quo certò cognoſcam illud judicium probabile exiſtere in meo intellectu, ac niti motivo probabili tantùm, in quo judicio ſiſtam.

133 *Inſt.3.* Saltem ſic opinans non dicet abſolutè, *ſic mihi videtur*, nam hoc eſſet dicere, ſic mihi eſt abſolutè probabile, ſed dicet, *ſic mihi videtur videri*. R. Abſolutè dicit, probabilitas illius opinionis mihi videtur dari in rerum natura, ubi *probabilitas* eſt tantùm objectum, actus autem id enuntians, abſolutè id enuntiat, ſed ex motivo tantùm probabili, ergo abſolutè dicit, ſic videtur, id enim poteſt abſolutè dici vel certò vel tantùm probabiliter, uti ſæpe dictum eſt.

134 *Q.22. Quænam opinio dicatur probabilior?* R.

§.1. Probabilior intrinſecè eſt, quæ pro ſe habet meliores rationes; probabilior extrinſecè, quæ pro ſe habet majorem authoritatem: quòd ſi una habeat rationes meliores, & altera majorem authoritatem, illa ſimpliciter eſt probabilior, quæ habet rationes meliores, quia authoritas fundatur in rationibus, nec Authores plus valent, quàm valeant rationes, quas afferunt, vel quas præſumuntur habere, uti dictum eſt num.113.

§.2. Si opiniones ſint circa revelata, illa eſt probabilior, pro qua videtur potiùs ſtare revelatio; ſi circa res ſpectantes ad jus poſitivum, illa eſt probabilior, cui magis favent leges vel conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres; ſi circa mentem legislatorum vel circa intelligentiam legum, etiam naturalium, plus tribuendum eſt antiquis quàm recentibus, quia illi fuerunt magis vicini Authoribus legum, & ab initio interpretes earum; ſi ſint circa materias fidei, & morum, plùs eſt tribuendum Sanctioribus quàm aliis, quia illi & ampliùs illuminantur à Deo, & meliùs ſciunt myſtica diſcernere; circa materias attingentes conſcientiam, plùs tribuendum Theologis quàm Juriſtis; circa materias juridicas, plùs Juriſtis, quàm Theologis &c.quia cuique in ſua arte, & profeſſione eſt magis fidendum.

§.3. Major numerus Authorum, per ſe loquendo, facit 135 majorem authoritatem, quia plures oculi plus vident quàm pauciores: intellige tamen, cæteris paribus, nam S.Auguſt. *de doctr.Chriſt.l.2.c.8.* loquens de authoritate extrinſeca manifeſtè docet graviores Authores, & pauciores poſſe æquivalere pluribus non ita gravibus uti rectè expendit Eſp. *in app.ar.126.* Navar. ait, quòd opinio, quæ docetur à ſex doctoribus eam ex profeſſo tractantibus ſit cenſenda communior, & probabilior, quàm quæ tenetur à 50.aliis, qui alicujus alterius authoritatem ſequuntur: & hoc demonſtrat Carden. *in 1.Criſ.d.11. cap.2.a.4.item in 2.criſi d.3. n.9.* Similiter plùs tribuendum eſt ſcribentibus abſque paſſione, & particulari affectu, quàm antecedenter affectis uni parti aut pro una æmulantibus, ideoque plus docentibus indifferenter, & ſine ſpe lucri, quàm Advocatis unius partis; plus liberè dicentibus, quod ſentiunt, quàm obligatis ad ſequendum unum Authorem vel certam viam. Videri poteſt Laurent. *hic d.4.àn.62.*

Q.23. An opinio aliqua cenſeri debeat probabilior vel 136 *etiam probabilis hoc ipſo quòd doceatur à pluribus vel à multis?* R.Cum Carden. *in 1.Criſ.d.11. àn.197.* non ſemper, uti oſtenditur in exemplis apud Carden. Nam,

Quinque Authores docent, quòd contritio perfecta non ſemper ſit conjuncta cum remiſſione peccatorum: quòd poſſit revelari Confeſſio ad probandum valorem Matrimonii; aut ad impediendum, ne invalidè contrahatur: quòd Doctor in Theologia vel Jure Canonico poſſit ſine Epiſcopi approbatione audire Confeſſiones: quòd Sacerdos poſſit conſecrare extra Miſſam pro viatico infirmi: quòd Matrimonium fidelis cum hæretico ſit invalidum.

Sex docent, verba non eſſe de eſſentia abſolutionis ſed 137 alio ſigno perfici poſſe: Eum, qui ſe polluit tactibus Religioſi, non teneri in Confeſſione explicare circumſtantiam ſacrilegii: non eſſe mortale, ſi Confeſſarius revelet veniale; nec ſi revelet peccatum publicum pœnitentis: non poſſe omnes Sacerdotes abſolvere in articulo mortis.

Septem docent, non omnia Sacramenta fuiſſe à Chri- 138 ſto inſtituta: Epiſcopum hæreticum vel degradatum vel à Papa impeditum invalidè ordinare: non licere communicare niſi cibo digeſto, & capto ſomno: Matrimonium conſummatum poſſe diſſolvi ſaltem authoritate Papæ per profeſſionem religioſam: Matrimonio clandeſtino valido non legitimari prolem anteà ſuſceptam, uti refert Sanch. *de Matr. l.3. d.44. num.2.*

Octo docent, non eſſe mortale ſolemniter adminiſtrare 139 Sacramenta in mortali: poſſe fidelem in mortali conſtitutum, & contritum accedere ad Communionem ſine Confeſſione, ſi ſperet brevi adfuturum Confeſſarium, cui devotiùs confitebitur: poſſe Papam diſpenſare in impedimentis jure naturali dirimentibus Matrimonium.

Novem docent, Prælatos regulares poſſe ſine approbatio- 140 ne Epiſcopi audire Confeſſiones ſæcularium.

Decem docent, votum non peccandi non poſſe commu- 141 tari: Diaconatum non eſſe verum Sacramentum Ordinis: concubitum Clerici in Sacris eſſe ſimplicem fornicationem, uti refert Sanch. *l.7.d.27.n.20.*

Duodecim docent, non violari ſigillum per revelationem 142 peccatorum committendorum: Chriſtum non confeſſaſſe verbis, ſed ſola voluntate vel alio ſigno externo.

Tredecim docent, mappas Altaris non neceſſariò debe- 143 re eſſe benedictas.

Sedecim docent, infantes ſine ullo Baptiſmo decedentes 144 poſſe aliquibus caſibus ſalutem conſequi.

Vigintiquinque docent, omnes gradus conſanguinitatis 145 vel affinitatis *Levit.18.* prohibitos dirimere Matrimonium jure naturali.

Viginti octo docent, Matrimonium Eunuchi carentis 146 utroque teſticulo eſſe validum: in quibuſdam cauſis Eccleſiaſticis poſſe cognoſcere, & judicare laicos, uti refert Carden. *num.248.*

Quadraginta & plures, quos referunt Sanch. *l.6.d.16.n.* 147 2.Arſd. *T.2.p.2.tr.1.c.3.qu.16.* Stoz. *l.2.num.244.* dicunt Confeſſarium, qui ex Confeſſione novit pœnitentem eſſe indignum officio, poſſe ideò illi in electione gratuita, & ſecreta ſuum ſuffragium negare; Sententiæ autem illæ omnes ſunt improbabiles, & oppoſitæ illis ſunt certæ, ergo præcisè numerus Authorum, etiam Catholicorum, non facit ſententiam 148 eſſe probabilem: *Nec obſtat*, quòd Eccleſia vix poſſit ignorare ejuſmodi opiniones teneri, & tamen non ſemper damnet,

nam

nam Eccleſia Dei, inquit S. Aug. *Epiſt.* 119. *c.* 19. *inter multam paleam multaque zizania conſtituta, multa tolerat, & tamen,*
149 *quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat.* Ratio autem: cur numerus Authorum præcisè non reddat ſemper opinionem probabilem, hæc eſt, quia quandoque primi Authores ejuſmodi ſententiarum non ſatis examinarunt utrimque fundamenta, reliqui autem tranſcripſerunt tantùm, & ſimiliter cœcè ſecuti ſunt; quandòque ſucceſſu temporis inventæ ſunt novæ rationes convincentes aut principium certum in contrarium; quandoque emanarunt declarationes, per quas antiquatæ ſunt ejuſmodi ſententiæ, & eliſa earum probabilitas. Sapienter dixit Cardin. Sfondratus *in Reg. Sacerd. l.* 1. *§.* 20. *& l.* 2. *§.* 14. *n.* 6. *Sunt opiniones inſtar monetæ, cujus valor non ex numero ſed pondere, & metallo æſtimatur: ſic opiniones, non Doctorum numerus, ſed major ratio, veritas & prudentia commendat; alioquin ſemper vincerent fatui, quorum numerus, quàm prudentum major eſt.*

150 *Q.* 24. *Quis reſcire poſſit, & ad quem ſpectet judicare, an hæc vel illa opinio ſit probabilis?* R.

§. 1. De probabilitate intrinſeca opinionis poſſunt judicare ſoli doctiſſimi, & in re morali verſatiſſimi, non autem mediocriter docti, ita Tapia, Moya, Carden. *in* 1. *cr. d.* 59. *n.* 4. Ratio eſt, quia ut ſciatur, an hæc opinio ſit intrinſecè probabilis, ſciri debet, quid ſit ſtricta probabilitas; item conferri debent motiva hujus, & oppoſitæ opinionis, ac conſiderari, an motiva pro hac non ſint fortè levia, dubia, æquivoca, ſophiſtica, item an non pro contraria ſint motiva certa, hoc autem non poſſunt niſi viri doctiſſimi, & in re morali verſatiſſimi, ergo. Notat autem ſpecialiter Gran. viris ingenioſis parum in re morali verſatis maximum eſſe periculum hic errandi, nam facilè nova inveniunt, & quæ invenerint, facilè judicant certa, (quia ſuum cuique pulchrum) cùm tamen aliis ſapientibus ſæpè videantur frivola.

151 §. 2. Vir mediocriter doctus poteſt judicare de probabilitate extrinſeca opinionis, ſi ſtatum quæſtionis rectè intelligat, & aſſertam inveniat in Authoribus hujus ætatis omni exceptione majoribus, ſi enim hi affirment niti gravi fundamento aut eſſe probabilem, credere poteſt, quia ſcit alios prudentes ita judicare, ita Carden. *n.* 7. *Dixi*, hujus ætatis, nam multæ opiniones antiquorum amiſerunt probabilitatem, ut conſtat ex qu. præc. deinde multæ etiam recentiorum per damnationem Pontificum etiam amiſerunt probabilitatem, uti à *n.* 201. dicetur: de hoc autem admonebunt Authores, qui hac ætate, & poſt damnationes factas ſcribunt.

152 §. 3. Si Authores opinionis non ſunt notoriè omni exceptione majores, non poterit de probabilitate extrinſeca opinionis judicare, niſi doctiſſimus, & in re morali verſatiſſimus, ita Tapia, Gran. Carden. *n.* 11. Probatur, nam valde difficile eſt reſcire, an conditiones ad Authorem omni exceptione majorem requiſitæ huic vel illi conveniant, ut conſtabit ex dicendis à *n.* 160. reſcire enim debet, an non fortè ſæpè doceat ex levi fundamento, an non ſæpè laboret in æquivocis vel ſophiſmatibus, an non doceat ſingularia, & exotica ſine ſufficiente ratione, &c. Ex his patet, quàm periculosè procedant, qui quamlibet opinionem Authorum ſtatim arripiunt, quia favet libertati, commodo, lucro vel voluptati ſuæ, & non examinant, imò, ſæpè ipſi diſcernere non poſſunt, an ſit verè, & practicè probabilis.

153 *Q.* 25. *An authoritas unius faciat opinionem eſſe certè probabilem?* R.

§. 1. Alex. VII. damnavit hanc 27. prop. *Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dummodo non conſtet rejectam eſſe à ſede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Ex damnatione illa patet, non ideò præcisè cenſeri debere opinionem probabilem, quod doceatur ab uno authore etiam impreſſò, uti rectè oſtendit Moya *de op. prob. quæſt.* 4. §. 3. hinc propoſitio illa rectè damnata eſt, utpote nimis indefinita, cùm certum ſit quoſdam Authores, etiam doctos, eſſe nimis laxos aut nimium ſectari novitates, ac ſæpè contra communem, protrudere opiniones ſingulares non ſatis diligenter utrimque expenſas, & carentes ſufficiente fundamento: notatque rectè Carden. *in* 1. *cr. d.* 57. damnatam illam propoſitionem fuiſſe radicem plurimarum concluſionum improbabilium, & ſcandaloſarum.

154 *Nec juvat*, quòd plures talis Authoris librum cenſuerint, & approbarint, ideoque videatur etiam horum authoritas accedere, *nam* libros quandoque cenſent, & approbant homines parum periti, vel qui non legunt attentè, vel qui diſſimulant multa, & acquieſcunt, ſi doctrina apertè non ſit falſa aut contra bonos mores.

155 §. 2. Unicus Author, ſi ſit omni exceptione major, afferatque rationem, quam alii non conſiderarint vel non ſatis ſolverint, ipſe autem aliorum rationes commodè ſolvat, quamvis doceat contra communem, poterit reddere opinionem ſuam certò probabilem, donec alii expenſas viciſſim, ipſius rationes ſolvant, & dicant non eſſe ſufficientes, ita docent 23. Authores cum Carden. *d.* 11. *num.* 254 *d.* 55. *num.* 4. *d.* 57. *cap.* 2. Plures idem affirmantes referunt Mendo *in ſtat. d.* 13. *quæſt.* 15. *num.* 204. & Moya *qu.* 3. *&* 4. qui aſſentitur: Idem docent Sporer *num.* 41. Arſdekin *T.* 2. *p.* 2. *tract.* 1. *cap.* 2. §. 5. Tamb. *in Dec. l.* 1. *cap.* 3. §. 3. *n.* 5. Ratio eſt, quia ſi iſtæ circumſtantiæ adſint, prudenter judicatur habere rationem gravem pro opinione ſua.

§. 3. Homo rudis, cui vir probus, prudens, & doctus 156
dicit aliquam opinionem eſſe certò probabilem vel veram, poteſt cenſere eſſe talem, quamdiu nemo illi dicit contrarium, nec ipſe oppoſitum agnoſcit, cùm enim ipſemet examinare non poſſit, poteſt ſtare judicio illius, de cujus probitate, prudentia & ſcientia dubitare non debet: hinc S. Ant. apud Eſp. *in app. ar.* 161. pro regula dabat doctis illud Prov. 27. Verſ. 11. *ſtude ſapientiæ fili mi*: indoctis autem illud Deut. 32. Verſ. 7. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.*

§. 4. Si Parochus vel Confeſſarius vel Theologus, qui 157
communiter habetur ſufficiens, & aptus muneri ſuo, dicat aliquid ex communibus dubiis eſſe licitum, reputari poteſt eſſe probabile, & talem ſequens plerumque non errat, ſed ſequitur regulam verè & poſitivè probabilem, maximè ſi ſit rudis, ita Teril. *in Reg. q.* 53. *n.* 9.

§. 5. *Objic.* 1. Pro regula in Jure dicitur, opinio commu- 158
nis habenda eſt pro lege, ergo dicta *n.* 151. non ſunt vera. R. Hoc ut plurimum intelligitur in materia legis humanæ, neque ſemper tenet, ſed tantùm ordinariè, uti fusè oſtendit Carden. *in annot. poſt* 2. *par.* 1. *criſis à nu.* 26. & ſpecialiter hic non tenet ob rationem datam *n.* 151.

Objic. 2. *Ariſtoteles* ad probabilia ab extrinſeco requirit, 159
ut videantur omnibus vel pleriſque vel maximè notis, uti dictum *num.* 113. ergo ad probabile eſt neceſſe, ut ita videatur pluribus. Reſp. neg. conſeq. nam ibi agit de principiis, per quæ concluſiones probabiles inferuntur, & loquitur in plurali de probabilibus, hinc in plurali requiri ſapientes, cum quo ſtat, quòd probabile in ſingulari poſſit haberi per ſapientem, ſi rationem gravem afferat à reliquis non expenſam vel non ſolutam.

Q. 26. *Quis Author dicatur eſſe omni exceptione major?* 160
Reſp.

§. 1. Ille eſt omni exceptione major, contra quem opponi non poteſt una harum exceptionum, vel 1. quod ejus opinio ſit contra principium aliquod certum, tum enim eſt certò falſa, & improbabilis: vel 2. quod levi, æquivoco, aut ſophiſtico fundamento nitatur: vel 3. quòd ipſe aliàs varia improbabilia, & à cæteris Theologis reprobata docuerit: cùm enim gravitas fundamenti dicatur relativè ad judicium prudentum, ſi hi aliquid communiter rejiciant ut improbabile, cenſeri non poterit grave: vel 4. quòd ſit merus ſummiſta, qui ſententias utrimque non examinatas à ſe, tantùm ſumat ex aliis, & ſolùm exſcribat, tunc enim ſtari non poteſt ejus judicio, cùm incertum ſit, an quæſtionem benè intellexerit, & argumenta penetrarit: ſi unum horum poſſit contra ipſum opponi, non eſt omni exceptione major. *Nec refert*, quod ſit vir probus, & doctus, adeòque videatur eſſe præſumptio pro ipſo; *nam* cùm alii viri probi, & docti melioribus fundamentis nixi dicant illius opinionem eſſe improbabilem, eſt major præſumptio pro his, & ſic major præſumptio elidit minorem, ita Carden. *in* 1. *criſi d.* 11. *n.* 282. *d.* 55. *n.* 4. *d.* 57. *à n.* 7. ubi oſtendit à probatiſſimis Authoribus requiri omnes conditiones illas ad hoc, ut aliquis Author poſſit opinionem ſuam reddere probabilem.

§. 2. Rectè notat Carden. *in* 2. *criſi d.* 1. *cap.* 13. per hoc ni- 161
hil decedere de authoritate alicujus Authoris, quòd aliqua ipſius ſententia ſit poſtmodùm damnata, dummodò ante damnationem fuerit à gravibus Theologis habita tanquam verè probabilis, talis enim invincibiliter erravit, & cum motivo, quod ſecundùm prudens tunc judicium erat grave: & ſic quoque SS. PP. inveniuntur erraſſe, de quorum authoritate non ideo aliquid deceſſit: ſic refert Sanch. *de Matr. l.* 7. *d.* 52. *n.* 5. S. Thom. & S. Bonav. docuiſſe omnes gradus affinitatis, & conſanguinitatis, in quibus Matrimonium *Levit.* 18. prohibetur, facere illud jure naturæ illicitum, quod tamen nunc eſt improbabile, neque ideo deſinunt SS. illi DD. eſſe omni exceptione majores. Similiter S. Th. *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *q.* 1. docuit valere Sacramentum pœnitentiæ, licèt dolor abſolutionem ſequatur: item ibid. *ar.* 3. *q.* 2. moribundum teneri confiteri laico, ſi deſit Sacerdos; non credo autem nunc eſſe aliquem, qui eas opiniones dicat eſſe adhuc probabiles.

§. 3. Illi non ſunt meri ſummiſtæ, qui licèt collegerint 162
caſus in parvas Summas, tamen id fecerunt poſt doctam Theologiam, præcipuè moralem, aut poſt examinatas Authorum ſententias, tum enim doctrinam ſuam jam ante cum rationibus ſuis cognitam ſæpè cum magno judicio, collegerunt in compendia pro majore commoditate legentium, & tales ſunt

Cajet.

Cajet. Nav. Tolet. Sa, Buſemb. aliique plures, qui pariter eſſe poſſunt omni exceptione majores.

163 §.4. Author omni exceptione major vocari ſolet Claſſicus, quia nempe ejus authoritas in ſcholis vel tribunalibus recipitur tanquam probabilis: qui autem non eſt hujuſmodi authoritatis, dicitur proletarius: nam apud Romanos plebei, & qui erant parvæ authoritatis dicebantur proletarii, uti habet Aulus Gellius *in noct. Attic. l. 16. cap. 10. & l. 19. cap. 8.* & tales proletarii, quamvis etiam multi ſint, non faciunt opinionem ſuam probabilem, niſi alia adminicula accedant.

164 §.5. Author, cujus librum aut ſcripta non legi, non facit mihi opinionem ſuam probabilem, licèt ſciam eſſe promotum Doctorem Theologiæ in aliqua Univerſitate, niſi fortè ex fama publica vel aliunde ſatis reſciam de ejus probitate, & doctrina, nam alioquin non potero eſſe certus, quòd materias debitè excutiat, aut prudenter concludat, uti rectè Carden. *à nu. 20.* & experientia docet promoveri multos ac etiam protrudere aliqua in lucem, qui non ſunt omni exceptione majores.

165 §.6. Licèt inveniam in aliquo Authore plures alios citatos pro aliqua opinione, ex hoc præcisè non ſemper potero prudenter judicare illam opinionem eſſe probabilem, tum quia non ideò ſcio, an ille citans Authores illos inſpexerit vel intellexerit, & an ipſe atque ab ipſo citati ſint omni exceptione majores, tum etiam quia citationes ſæpiſſimè fallunt, uti experientia didici, & qui pro una opinione citantur, ſæpè ſtant pro oppoſita, ita Teril. Moya, Carden. *à n. 23.* Communiter tamen, quando Authores citantes ſunt aliunde ſatis noti de ſcientia, & fidelitate, ſimulque citati ſunt pariter ſatis noti, opinio relata cenſeri poterit probabilis.

166 §.7. Longum eſſet in individuo referre Authores omni exceptione majores; Cardenas *à num. 44.* fuſiſſimè probat omni exceptione majores eſſe Suar. T. Sanch. Vaſq. Valent. Molin. Leſſ. Azor. Nav. Longè plures ſcio, ſed invidioſum foret aliquos referre, & alios omittere. *Authores Claſſicos* ex antiquis refert longo ordine Azor. *l. 2. cap. 14.* Quæ autem contra hic dicta opponit Eliz. *l. 8. q. 5. & ſeqq.* nullius ſunt momenti.

Poſt hæc ſcripta incidi in librum, qui ſi verus eſt, nullus Author Jeſuita eſt omni exceptione major: Titulus libri eſt, *Artes Jeſuiticæ in ſuſtinendis pertinaciter novitatibus damnabilibuſque Sociorum laxitatibus, quarum 660. hic exhibentur*, SS. D. N. Clementi Papæ XI. *denunciatæ per* Chriſtianum Aletophilum Salisburgi apud Amatorem Kerckhove 1703. A. §.1. uſque ad §.27. habet 660. propoſitiones, quarum velut Authores refert Jeſuitas: à §.28. uſque ad finem refert alia, quæ vocat *Artificia Jeſuitica*. Author ille non audet prodere nomen ſuum, quicumque autem ſit, judicio ſapientiſſimorum Præſulum, Doctorum aliorumque virorum, qui Jeſuitæ non ſunt, eſt iniquè malevolus, 1. quia ſententias plurimas, ſi non omnes, quarum Authores primi ſunt alii, attribuit Jeſuitis velut Authoribus. 2. quia ad invidiam refert pro illis ſententiis ſolos Jeſuitas, cum evidens ſit doctas eſſe, & multas etiamnum doceri ab aliis plurimis. 3. quia ſententias vel correctas vel nunc damnatas, quas antehac Authores ex omni ordine, ſtatu & conditione admittebant velut probabiles, adhuc attribuit Jeſuitis, atque ſi ab illis approbentur in ſenſu reprobato, & poſtquam Eccleſia aliud declaravit. 4. quia ſententias ab uno vel altero, etiam in privatis tantùm theſibus, aut ſaltem à paucioribus Jeſuitis doctas, & à pleriſque aliis Jeſuitis improbatas ac efficaciter confutatas, pergit referre veluti ſententias Jeſuitarum proprias. 5. quia aliquas ſententias, quas omnes ferè Doctores etiamnum fatentur probabiles, refert tanquam laxitates intolerabiles, & velut certò improbabiles. Hæc omnia demonſtrare poſſem, ſed non eſt operæ pretium.

Apologia doctrinæ Jeſuitarum anno 1704. impreſſa Leodii, item alia ſimilis anno 1706. impreſſa Coloniæ juſtificat Jeſuitarum doctrinam his propoſitionibus. 1. Jeſuitæ in materia morum ſemper tenuerunt opiniones, quæ in ſcholis Catholicis eo tempore erant communes. 2. ſi Jeſuitæ aliqui tenuerunt aliquas opiniones contra communem, in hoc ſecuti ſunt alios non Jeſuitas, & major pars Jeſuitarum illis contradixit. 3. ſi aliqua opinio à S. Sede damnata fuit, eandem damnarunt Jeſuitæ, nec permiſerunt à ſuis impunè doceri.

Quæ Author famoſus à §.28. vocat artificia Jeſuitica, plena ſunt mendaciis, & calumniis, ac virulentum hominis animum apertè detegunt.

Quod in concluſione habet pag. 355. de vaticinio S. Borgiæ, hoc infideliter corrupit, quia S. Borgias non dixit unquam tempus venturum, quo id eveniet apud Jeſuitas, ſed ita habet: *Sanè ſi nulla habita ratione vocationis, & Spiritus, quo quiſque impulſus accedit, litteras modò ſpectemus, & alia exteriora talenta ac dona, veniet tempus, quo ſe Societas multis quidem hominibus abundantem, ſed ſpiritu, & virtute deſtitutam mœrens intuebitur, unde exiſtet ambitio &c.* Si nempe neglexerit vocationem, & Spiritum, id autem ſperamus nunquam futurum, neque hactenus eſt factum. Ex hoc uno loco poteſt lector facere conjecturam de ſinceritate ac fidelitate ſcriptoris in reliquis. *Voluit audacter calumniari, quia ſcivit ſemper aliquid hærere*, maximè apud indoctos & imprudentes.

Q. 27. An opinio hoc ipſo ſit probabilis, quòd deducatur ex aliis ſaltem probabilibus? R. 167

§.1. Non ſemper, uti latè demonſtrat Carden. *in 1. criſi d. 7. & 8.* ſæpè enim fit, ut duæ propoſitiones ſeorſim ſint probabiles, quæ tamen ſimul ſumptæ non ſunt probabiles, ideoque dicuntur non comprobabiles, unde quod ex illis inferetur, non erit probabile, v. g. *Prædeterminatio Phyſica tollit libertatem, ſed datur prædeterminatio Phyſica, ergo datur aliquid tollens libertatem. Quantitas non diſtinguitur à ſubſtantia, ſed quantitas panis manet in Euchariſtia, ergo ſubſtantia panis manet in Euchariſtia*: utraque concluſio eſt hæretica, & tamen utraque ſequitur ex præmiſſis probabilibus; ideò autem malè ita deducitur, quia præmiſſæ iſtæ non ſunt comprobabiles, id eſt, non ſunt tales, ut judicari poſſint eſſe ſimul probabiles aut ſimul aptæ movere ad unam concluſionem: hinc adæquatum motivum concluſionis, quod eſt utraque premiſſa per modum unius indiviſibiliter movens, non eſt probabile, nec ſtimulat intellectum ad aſſenſum concluſionis. Nam ſi prædeterminatio Phyſica tollat libertatem, certum eſt eam non dari, & ſi detur prædeterminatio Phyſica, certum eſt, quod non tollat libertatem, quia de fide eſt dari libertatem; ſimiliter ſi quantitas non diſtinguitur à ſubſtantia panis, certum eſt quantitatem panis non manere in Euchariſtia, & ſi quantitas panis manet in Euchariſtia, certum eſt quantitatem panis diſtingui à ſubſtantia panis, quia de fide eſt, quòd ſubſtantia panis non maneat in Euchariſtia, ergo utræque illæ præmiſſæ non ſunt comprobabiles.

§.2. Quamvis præmiſſæ ſeorſim ſumptæ eſſent evidentes, ſi tamen non ſint ſimul verificabiles, concluſio ex eis deducta nequidem erit probabilis, uti in iſtis ſyllogiſmis patet, *Probabile eſt prædeterminationem Phyſicam tollere libertatem, ſed probabile eſt dari prædeterminationem Phyſicam, ergo probabile eſt dari aliquid tollens libertatem. Probabile eſt quantitatem non diſtingui à ſubſtantia, ſed probabile eſt quantitatem panis remanere in Euchariſtia, ergo probabile eſt ſubſtantiam panis remanere in Euchariſtia*: utræque præmiſſæ ſunt evidentes, & tamen utraque concluſio eſt hæretica: Ratio autem jam ſupra data eſt. 168

§.3. Concluſio illata ex duabus præmiſſis probabilibus tantum, ſemper eſt minus probabilis quia ex duplici capite, nempe ratione utriuſque præmiſſæ, habet duplicem, & diverſam incertitudinem: imo talis concluſio, quandoque nullam habebit probabilitatem, uti patet in hac, *Baptiſmus in cereviſia eſt validus, ſed Baptiſmus in expreſſo ſolo nomine SS. Trinitatis etiam eſt validus, ergo Baptiſmus in cereviſia, & in expreſſo ſolo nomine SS. Trinitatis eſt validus*: Præmiſſæ ſunt probabiles, & concluſio eſt improbabilis. 169

§.4. Opinio eſt certò probabilis, quæ certò noſcitur inferri ex præmiſſis ſimul veris, quarum una eſt certa, & altera certò probabilis, quia non poteſt eſſe majus periculum falſitatis in concluſione, quàm ſit in præmiſſa certò probabili. 170

§.5. Opinio, de qua certum eſt, quòd probabiliter inferatur ex duabus præmiſſis certis, & ſimul veris, eſt certò probabilis, quia certum eſt, quòd probabiliter connectatur cum veritate. 171

§.6. Opinio, quæ ex præmiſſis probabilibus, & comprobabilibus, tantum probabiliter infertur, habet minorem probabilitatem, quàm præmiſſæ, quia habet incertitudinem illati, & illationis: unde etiam fieri poterit, ut nequidem ſit probabilis, maximè in materiis juris poſitivi, poteſt enim legislator præcipere aut prohibere unum objectum, & non aliud, licèt pro hoc eſſe potuerit eadem ratio præcipiendi aut prohibendi. 172

§.7. Si præmiſſæ, etiam prout ſimul ſumptæ per modum complexi indiviſibilis, ſint certò probabiles, & opinio certò rectè inferatur ex illis, hæc opinio etiam erit certò probabilis, quia in concluſione, quæ certò rectè infertur, non poteſt eſſe majus periculum falſitatis, quàm ſit in præmiſſis prout ſimul ſumptis, & indiviſibiliter inferentibus concluſionem. 173

Q. 28. An bona ſit hæc illatio: opinio illa eſt probabilis vel probabilior, ergo oppoſita eſt etiam probabilis? R. 174

§.1. Si in antecedente ponatur: opinio illa eſt tantùm probabilis vel tantùm probabilior, ſimulque ſignificetur eſſe ſimile aut fermè ſimile motivum pro oppoſita, illatio

erit

erit bona, qui æquivalenter dicetur, & illa eſt probabilis, & hæc eſt probabilis, ita ut prior habeat æqualia aut majora pro ſe motiva.

175 §.2. Si antecedens dicat primam eſſe probabilem, vel probabiliorem ſimpliciter, preſcindendo ab eo, an etiam ſit certa necne, & an pro altera ſint motiva necne, non ideò ſequetur oppoſitam eſſe probabilem, nam ſi una ſit certa, etiam dici poteſt probabilis, non ſpecificè, ſeu probabilis tantum, ſed genericè, id eſt, nitens gravi motivo, atque ideò approbabilis: item, ſi una ſit probabilis tantùm, & tamen pro altera nullum ſit grave motivum; prior erit probabilis, & altera improbabilis, v.g. ſi duo viri graves mihi dicant Petrum eſſe domi, hoc erit mihi probabile tantùm, neque tamen ideò probabile erit oppoſitum: ſi quis nullius peccati ſibi conſcius accedat ad Communionem, eſt ipſi probabile, quod accipiat gratiam, neque ideò oppoſitum erit probabile: probabile tantum eſt mihi, quòd ſis caſtus, nempe ex fama, neque ideò mihi probabile eſt, quòd non ſis caſtus, ſed temerarius eſſem, ſi id judicarem: probabilius eſt hanc hoſtiam eſſe conſecratam, ſed non ideò eſt probabile non eſſe conſecratam, alioquin liceret iterum conſecrare &c. *Nec re-*

176 *fert*, quòd quando una dicitur probabilior, videatur innui, quòd oppoſita ſit probabilis, eò quod comparativum connotet poſitivum: *nam* in primis id non ſemper tenet, verè enim dico *S. Paulum* eſſe ſanctiorem divite Epulone, quamvis hic nullo modo ſit ſanctus: deinde, quando dicitur, quòd comparativum connotet poſitivum, ſenſus eſt, quòd ſupponat poſitivum eſſe in illo, cui convenit comparativum, ſed non ideò ſemper eſt in altero comparativè oppoſito; & ſic benè infertur: opinio eſt probabilior, ergo eſt probabilis, homo eſt ſanctior, ergo eſt ſanctus.

177 §.3. *Objic.* Si ex eo quòd aliqua opinio ſit tantùm probabilis, & pro oppoſita ſit motivum, rectè inferatur, oppoſitam etiam eſſe probabilem, uti dicitur *n.167.* ergo quò magis probabilis fiet prima per nova argumenta, eò oppoſita etiam fiet probabilior, quia magis probato antecedente, ex quo aliquid ſequitur, etiam magis probatur hoc, quod ex illo ſequitur. Reſp. neg. ſeq. nam contrarium potiùs ſequitur, quia probabilitas oppoſitæ non ſequitur ex majoritate probabilitatis, quam habet prior, ſed ex negatione certitudinis pro priore, & ex motivo pro hac oppoſita, ergo quò prior per plures probationes magis accedet ad certitudinem, eò minùs movebit motivum oppoſitæ, ideoque plus decedet de probabilitate illius.

178 *Q.29. Quandonam ſententia aliqua dicatur moraliter certa?* R.

§.1. Certitudinem moralem malè expliçant aliqui per hoc quòd objectum ita proponatur, ut pro oppoſito nulla appareat probabilitas, nam pro eo, quòd ſtellæ ſint pares numero, nulla apparet probabilitas, neque tamen ideò moraliter certus ſum eſſe impares.

179 §.2. Certitudo moralis duplex eſt, perfecta, & imperfecta; perfecta eſt, quæ nullam obſcuritatem aut dubium deliberatum, nequidem imprudens relinquit, uti cùm dico, *datur Roma*: imperfecta eſt, quæ poteſt relinquere aliquam obſcuritatem, & admittere dubium deliberatum ſaltem imprudens, uti ſæpè fit in objectis fidei, de quorum tamen exiſtentia certi ſumus: Ea autem certitudo credenda eſt ſufficere ad honeſtatem electionis in rebus ad ſalutem pertinentibus, quæ moralis imperfecta eſt, ſive, uti ait Eſp. *in app. a.119.* quali in temporalibus ancipitis exitus rebus atque negotiis contenti eſſe ſolent homines, ſui rerumque ſuarum temporalium minimè negligentes, nec imprudentes ac ſtulti habiti in ſæculo; hinc S. Th. 2.2. *q.*70. *a.*2. univerſaliter pronuntiat, materiam moralem talem eſſe, ut ei non conveniat perfecta certitudo.

180 §.3. Ad certitudinem moralem alicujus ſententiæ non requiritur, ut nulli omninò Authores oppoſitam doceant, aut ut oppoſitam docentes careant omni planè ratione, alioqui vix ullæ eſſent ſententiæ moraliter certæ, cùm fere ſemper pro oppoſitis ſint Authores aliqui, & rationes quædam ſaltem leves: è contra ut aliqua ſententia ſit moraliter certa, non ſufficit, quod ſit longè probabilior, aut etiam probabiliſſima, per hoc enim nondum excedit terminos probabilitatis, neque oppoſita ideo eſt improbabilis: unde quamdiu pro oppoſita manet grave motivum ſive ratio prudens, & magni momenti, tamdiu hæc manet probabilis, & conſequenter altera non eſt certa; ideoque univerſaliter valet, ſi hæc ſententia ſit certa, oppoſita non eſt probabilis, &, ſi iſta ſit probabilis, oppoſita non eſt certa.

181 §.4. Si omnibus ex veritatis amore utrimque perpenſis aliquis judicet ſententiam aliquam ita eſſe veram, ut vix ſuperſit aliqua apparentia veri, vel ſcrupulus pro oppoſita, eò quòd etiam hujus argumenta ad ſatisfactionem intellectus facilè ſolvantur, talis ſententia dici debet ipſi moraliter certa: hinc Silveſt. & Sanch. dicunt ſententiam illam moraliter certam, ſi attentis motivis, & circumſtantiis meritò firmiter adhæreat objecto vel veri ati ipſius, ſive, inquit Leſſ. quando aliquid prudenter ita creditur, ut contrarium non videatur ſatis probabile; quos loquendi modos refert, & approbat Gob. *in Exp. tr.9. num.297.*

§.5. In quæſtione facti; item in quæſtione dependente à 182 ſignificatione aut ab uſu vocum; item in quæſtione, an detur præceptum poſitivum, traditio vel conſuetudo; item in illis, quæ pro menſura ſive regula magnitudinis aut parvitatis ſuæ habent commune judicium prudentum; item in quæſtione de ſenſu vel intelligentia legis humanæ: ſententia communis DD. facit certitudinem moralem uti rectè Carden. *in 1. criſi d.12. c.5. d.55. & 57. à num.31.* quia cùm tota probatio in his petatur à teſtimonio hominum vel communi judicio prudentum, ubi certum erit hoc teſtimonium aut judicium eſſe contrarium, certum erit nullum ſuperaſſe prudens motivum pro oppoſito; exemplum dabitur *n.583.*

§.6. Si conſentiant illi, qui jus habent interpretandi ali- 183 quam legem, ſtatutum vel reſcriptum; item illi, qui ex profeſſo de re illa ſcribunt, licèt unus aut alter, aut pauci non perpenſa ratione contrariæ ſententiæ aliter dicant, horum opinio non ideò eſt probabilis, ſed oppoſita manet certa, ita Carden. *d.55. n.35. & Mangionius in apolog. ſ.3. in fine.*

§.7. Certitudo moralis reſultare poteſt ex multis conje- 184 cturis probabilibus ſimul ſumptis, uti rectè Carden. *d.84. n.74.* hinc S. Anton. & Silv. apud Eſp. *n.159. & 211.* ſic habent, *Certitudo moralis non conſurgit ex evidentia demonſtrationis, ſed ex probabilibus conjecturis, groſſis & figuralibus magis ad unam partem quàm ad aliam ſe habentibus, ſeu ex iis, quæ pluribus, & maximè ſapientibus apparent vera. ∴ ex his igitur ſequitur, quòd in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teſte Ariſtotele, & experientia, ſufficit talis certitudo, quæ non ſemper ſcrupulos omnes abjiciat, ſed ſufficit, ut contemnat ſeu ſuperet eos:* Similiter Fagnanus apud Moyam *de op. prob. q.6. num.39.* ait: etſi argumenta ſeorſim conſiderata non concludant omnino, nec ſint evidentia, ſed tantùm probabilia, tamen ſi ſimul jungantur, & ſint multi ponderis, ſunt apta generare talem certitudinem, ut virtus apprehenſiva agnoſcat vel apprehendat abſque ulla trepidatione rem ita ſe habere.

Q.30. Quænam opinio dicatur improbabilis, levis, la- 185 *xa, temeraria, erronea, errori proxima, ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, malè ſonans, ſuſpecta, ſapiens hæreſim, hæreſi proxima, hæretica, blaſphema, ſchiſmatica, ſeditioſa, impia?* R.

§.1. *Improbabilis* eſt, quæ nititur motivo fallibili, non gravi, ſed ſimpliciter indigno, propter quod fiat aſſenſus; quòd ſi contra ſe habeat motivum certum, eſt certò falſa & dicitur improbabilis poſitivè; è contra ſi non habeat quidem contra ſe motivum certum, attamen etiam pro ſe nullum habeat motivum grave, non erit certò falſa ſed improbabilis negativè, uti hæc, *ſtellæ ſunt pares*: notat autem rectè Carden. *in 1. criſi d.56. n.682. & ſeqq.* ad improbabilitatem opinionis ſatis eſſe, quòd contra eam militet argumentum certum, quamvis argumenta pro ipſa non ſolvantur evidenter poſitive, ſed tantùm probabiliter; ſic enim eſt improbabile non dari libertatem, quia per fidem certum eſt dari, & tamen argumenta hæreticorum tantùm probabiliter ſolvuntur, vel ſecundùm doctrinam ſcientiæ mediæ, vel ſecundùm doctrinam prædeterminationis Phyſicæ, quæ utraque doctrina tantùm eſt probabilis.

Levis eſt, quæ levi tantùm fundamento nititur, ideòque 186 dicitur levis in judicando, qui illi aſſenſum præbet.

Laxa in communiore ſenſu dicitur, quæ favet libertati, eſtque licentioſa: Caram. *in Herc. Log.* etiam illam vocat laxam, quæ in materia morum eſt improbabilis & libertatem ampliat, ideòque qui eam uſurpat, dicitur laxus ſeu laxæ manicæ: qui autem docet, ſcandaloſus.

Temeraria poſitivè eſt, quæ contra ſe habet rationes fir- 187 miſſimas, & pro ſe nullam gravem: temeraria negativè eſt, quæ nec pro ſe nec contra ſe habet rationem ullam, uti ſi judices ſtellas eſſe pares, ita Carden. *in 2. criſi d.1. n.136.* Dicit autem S. Th. 2.2. *q.*53. *a.*3. *ad 2. Illa dicuntur fieri temerè, quæ ratione non reguntur, quod quidem poteſt contingere dupliciter, uno modo ex impetu voluntatis, vel paſſionis, alio modo ex contemptu regulæ dirigentis, & hoc propriè importat temeritas.*

Erronea eſt, quæ contradicit concluſioni Theologicæ, ſive deductæ ex una de fide & altera evidente.

Errori proxima, quæ contradicit tali concluſioni, quæ à pleriſque non tamen ab omnibus habetur tanquam Theologica.

Scandaloſa, quæ aliquibus præbet occaſionem ruinæ ſeu 188 peccati, & ideò quandoque dicitur pernicioſa in praxi. Scandaloſam etiam illam vocat *Arriaga*, quæ dat occaſionem errandi in materia fidei vel malè ſuſpicandi de fide: putat autem Carden. *ſupra cap.10. & in 1. criſi d.9. num.372.* eo ipſo, quòd propoſitio à Papa declaretur eſſe ſcandaloſa in materia morum, etiam cenſeri debere improbabilem, & falſam, quia declaratio Papæ eſt certa, & perpetua, ergo debet nunquam

inveniri poſſe ratio gravis pro ea opinione, ergo debet judicari pro omni tempore improbabilis & falſa: quidquid ſit de hoc, de quo iterum *nu.*204. certum videtur poſſe propoſitionem aliquam eſſe ſcandaloſam & veram, uti ſi occultam luxuriam Monachi revelares, vel apud innocentes vera loquereris de peccatis luxuriæ.

189 *Piarum aurium offenſiva* eſt, qua in materia religionis dicitur aliquid, ſi non falſum, attamen indecens, uti ſi dicas: *hodie eſt feſtum meretricis*, intelligendo *S. Mariam Magdalenam*.

190 *Malè ſonans* ſimpliciter eſt, quæ abutitur vocibus contra communem ſenſum fidelium, uti ſi primus & obvius ſenſus illius ſit hæreticus, alter verò latens ſit catholicus.

191 *Suſpecta*, quæ in rigore grammatico vera eſſe poteſt, attamen innuere videtur latentem hæreſin.

192 *Sapiens hæreſin*, cujus contradictoria non eſt quidem expreſsè definita, ſic tamen communiter recipitur in Eccleſia, ac ſi eſſet de fide, ideòque præbet indicium ſaltem probabile judicandi, quòd in defenſore illius lateat hæreſis.

193 *Hæreſi proxima*, ſi ſit contradictoria illi, quæ vel à pleriſque habetur tanquam de fide, vel per evidentem conſequentiam infertur ex una de fide & altera indubitata.

194 *Hæretica*, quæ formaliter opponitur alicui revelatæ, ſive, cujus contradictoria eſt de fide.

195 *Blaſphema*, quæ continet injuriam contra Deum, vel Sanctos.

196 *Schiſmatica*, quæ ſine hæreſi nata eſt inducere vel promovere ſchiſma, id eſt, ſeparationem Eccleſiæ à ſuo capite.

197 *Seditioſa*, quæ nata eſt concitare tumultum contra Superiores in Eccleſia vel Rep.

198 *Impia*, quæ eſt contra cultum Deo vel SS. debitum.

199 §.2. Plures Pontifices apud Arſd. *Tom.2. part.2. cap.7.* §.1. & noviſſimè Innocent. XI. in fine Decreti circa 65. propoſitiones damnatas, præcipit in virtute S. Obedientiæ, ut tam in libris imprimendis ac manuſcriptis, quàm in theſibus, diſputationibus ac prædicationibus omnes caveant ab omni cenſura & nota, necnon à quibuſcumque convitiis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur: ſi quis tamen ſententiam aliquam appellet improbabilem vel levem, ſaltem in communiore ſenſu, non eſt cenſura, uti notant Hurt. Lugo & Carden. *in 1. criſi d.9. num.*297. neque ſi appellet laxam in communiore ſenſu, ideoque dicit Carden. quòd leviſſimum genus cenſuræ Theologicæ ſit dicere temerariam, ſcilicet propriè, in ſenſu Sancti Thomæ.

200 §.3. Prohibetur tantùm formalis cenſura, non autem ſi dicatur aliquid de ſententia, ex quo inferri poſſit cenſura, alioquin nemo auderet dicere ſuam ſententiam teneri à Scriptura vel à Tridentino, nam ſi hoc eſt verum, oppoſita eſt hæretica, quod tamen, quia ipſe non dicit, nec adverſarii concedunt, ipſe etiam non cenſurat.

201 *Q.*31. *An & quomodo poſſit opinio amittere vel acquirere probabilitatem?* R.

§.1. Certum eſt opinionem poſſe reddi ex probabili improbabilem vel ex improbabili probabile, ſi nunc innoteſcat firma aliqua ratio contra vel pro illa, quæ ratio hactenus ignorabatur, & ſic ſæpè factum eſſe ac fieri docet experientia, nam aliquando probabile fuit eſſe licitum ducere alteram conjugem dimiſſa adultera, teſte S. Auguſt. *de adult. nupt. l.* 1. *cap.* 25. ubi ait; *Et in ipſis divinis ſententiis ita obſcurum eſt, utrùm & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut, quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur*: id tamen nunc eſt certò improbabile; è contra ex *Conc. Triburienſi* referuntur hæc verba, *Cap. illud etiam* 30. *qu.3. Illud etiam nec Canonica Inſtitutione definimus nec interdictione aliqua refutamus, ſed propter eos, qui diversè de eo ſentiunt, hoc loco aliquid commemoramus: ſi quis ſuæ ſpiritualis commatris filiam fortuitò, & ita contingente rerum caſu in conjugium duxerit, conſilio maturiori ſervato habeat, atque honeſtè legitimo conjugio operam det*; ubi innuitur, ante probabile fuiſſe id non licere; nunc verò certum eſt id licere. Vide dicta *n.*161.

202 §.2. Certum quoque videtur, quòd Pontifex, etiam ſine Concilio ſit infallibilis in materiis, non tantùm fidei, ſed etiam morum, quando aliquid circa materiam juris definit è cathedra, uti Carden. *in 2. criſi d.1.* latè demonſtrat ex Conciliis, SS. PP. & ratione: idem fuſiſſimè evincit Eugenius Lombardus, *ſive* Card. Sfondratus *in Regali Sacerdotio l.3.* §.2. *& ſeqq.* maximè ex illo Matth.28. *Docete &c.* Et, *Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem*. Quod etiam profeſſi ſunt 58. Epiſcopi Galliæ in litteris ad Innoc. X. quas referunt Plat. *p.3. num.*124. & Arſd. *controv. Eccl. Gallic.* Dicitque Lugo *de fide d.*20. *nu.*109. oppoſitum eſſe erroneum vel errori proximum: Malder. *q.*11. *de fide a.1. memb.*5. dicit pertinaciter negantem fore hæreticum. Tunc autem dicitur Pontifex loqui ex cathedra, quando poſt maturam deliberationem, & debitum examen, circa rem ſpectantem ad fidem vel mores, ut caput Eccleſiæ, edit decretum pro univerſali Eccleſia, quod ab omnibus fidelibus vult indubitanter admitti & obſervari, uti communiter explicant Authores cum Carden. *in 1. criſi d.9. à num.*329. Itaque ſi Pontifex damnet aliquam propoſitionem circa materias fidei vel morum, quales ſunt, quæ concernunt caſus conſcientiæ, illa eo modo cenſeri debet reprobata, quo eam damnat Pontifex; & videtur hòc ſufficienter colligi ex prop.29. ab *Alex.VIII. damnata*, quæ ſic habet, *Futilis & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum authoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate*. Vide dicenda *l.4. n.*1406. Et ratio ulterior eſt etiam quoad quæſtiones morum, ſi enim Pontifex in his erraret, vel approbando turpia, vel improbando honeſta, erraret etiam Eccleſia, quæ probat & damnat idem, quod Pontifex: itaque ſi propoſitionem ante hac probabilem nunc damnet Pontifex ut improbabilem, certò eſt improbabilis, uti contra Caram. & paucos alios evincunt Carden. *poſt 1. criſin in annot. ad diſſ.9. poſt num.*93. *in 2. verò criſi d.1. cap.2.* & Du Bois *in præf. ad prop. ab* Alex. VII. damnatas *cap.*8. & Ratio à priori omnium eſt, quia debet in Eccleſia dari regula infallibilis ad decidendas controverſias, quæ frequentiſſimè occurrunt, non tantùm de rebus fidei, ſed etiam de honeſtate vel inhoneſtate actionum, hæc autem regula non poteſt eſſe, niſi definitio Pontificis & Eccleſiæ: unde rejiciendus eſt Cajet. inquit Mendo *d.13. num.*105. quando aſſerit in ſcibilibus rationem eſſe ſupra Pontificem, & eum non poſſe ſtatuere quicquam contra eam, nec decidere, ſed ſolum Deum id poſſe: Cajetani ſententiam referens Catharinus dicit eum in eo loco perniciosè errare: Similiter rejiciendi ſunt illi apud Moyam *de op.prob.quæſt.4. num.*4. qui dixerunt per nullam damnationem elidi poſſe probabilitatem intrinſecam, nam licèt ratio videatur firma, poteſt tamen eſſe falſa; & ut talis declarari à Pontifice, uti ex Scriptura, & Jure rectè probant Moya *n.*4. *&* 5. & Teril. *in Reg. quæſt.*27.

§.3. Hactenus dicta certò tunc tenent, quando decreta 203
damnantia immediatè prodierunt ab ipſo Pontifice poſt maturam deliberationem ex Cathedra loquente, certum autem eſt decreta damnantia varias propoſitiones immediatè prodiiſſe ab ipſis Summis Pontificibus, v.g. ab Innocent. X. Urb. VIII. Alex. VII. Innoc. XI. Alex. VIII. Clemente XI. ut ipſimet teſtantur; itaque dubitari non poteſt, quin ea decreta debeant eſſe regula infallibilis circa materias fidei, & morum, uti latè demonſtrat Carden. *in 2. criſi d.1. c.3.* 4. 5. Vide Vin. Gob. *p.1. obſ.*3. ubi rectè probatur ad dictam infallibilitatem non prærequiri examen Epiſcoporum in orbe Chriſtiano, neque acceptationem aut conſenſum particularium Eccleſiarum.

§.4. Ex dictis certum eſt, quòd propoſitiones eo modo 204
damnatæ à Pontificibus amiſerint omnem probabilitatem practicam, quam anteà fortè habuerunt, damnantur enim ut perniciosæ in praxi, & doctrina uſuſque earum diſtrictè prohibetur: *Dixi*, practicam, nam non eſt adeo certum, an etiam ſpeculativam amiſerint: nam licèt Carden. relatus *num.*188. dixerit propoſitionem certò eſſe falſam, ſi damnata ſit veluti ſcandaloſa & in praxi pernicioſa, tamen *in 2. criſi d.23. num.* 23. dicit opinionem, quæ tantùm ſpeculativè procederet, non incurrere damnationem; & Lugo *de fide d.*20. *num.*134. Moya *in ſel.tr.3. l.6. q.5. §.5.* cum Cano *de locis l.*12. *cap.*10. §. *propoſitionem*, abſolutè docent propoſitionem aliquam poſſe damnari ut ſcandaloſam aut offenſivam piarum aurium, neque tamen inde inferri poſſe, eſſe falſam, ſi tamen damnetur ut temeraria, & aliquis abſque nova ratione inventa judicaret eſſe veram, eſſet error contra fidem, quia judicaret nunc habere grave fundamentum, cujus oppoſitum pro nunc declaraſſet Eccleſia.

§.5. Rectè notat Thyrſus Gonz. *d.1.* §.4. opinionem per 205
decretum vel declarationem Eccleſiæ longè certiùs, & univerſaliùs reddi practicè improbabilem, quàm per novas rationes ab Authoribus contra eam inventas: nam definitio Eccleſiæ certò & æqualiter obligat omnes ad opinionem illam deſerendam: novæ autem rationes non ſemper ita ſunt evidentes aut certæ, & illos tantùm obligant, quibus certæ videntur, fit enim ſæpè, ut quod uni videtur certum, alteri nequidem verum eſſe appareat.

§.6. *Objicit* Eliz. Nullus Pontifex poteſt rectam regu- 206
lam morum reddere improbabilem, ergo vel opinio probabilis non eſt recta regula morum, vel Pontifex non poteſt talem opinionem reddere improbabilem, ſed damnando declarat ſemper fuiſſe improbabilem. Reſp.1. opinionem probabilem non eſſe propriè regulam morum, ſed tantùm applicare: ſed

hoc

hoc diſſimulato. R.2. Nullus Pontifex poteſt regulam morum per ſe rectam reddere improbabilem, tranſeat, per accidens tantùm rectam, n.antec.& conſeq. opinio enim probabilis, quæ falſa eſt, tantùm per accidens ſervit pro habenda recta regula morum, nempe ex ſuppoſitione ignorantiæ ſeu erroris invincibilis. Videri poteſt Terill.*n.* 9. item dicenda *n.*339. Quid Epiſcopi poſſint circa damnationem librorum aut propoſitionum, dicetur *l.*7.*c.*2.*d.*4.*ad a.*5.

207 *Q.*32. *An decretum Pontificis etiam poſſit tollere probabilitatem opinioni verſanti circa materiam facti?* R.

Negant abſolutè Janſeniſtæ & pauci alii, ſed,

§.1. Omninò tenendum eſt, quod Pontifex in illis quæſtionibus facti ſit infallibilis, quæ ita conjunctæ ſunt cum quæſtionibus juris, ut à negata infallibilitate circa materiam facti valeat conſequentia ad negandam infallibilitatem in quęſtionibus juris: Ratio eſt, quia cùm ex vero non poſſit ſequi falſum, ſit autem falſum Papam eſſè fallibilem in materiis juris, ſequitur non poſſe eſſè fallibilem in materiis facti, ſi inde ſequeretur etiam eſſè fallibilem in materiis juris.

208 §.2. Quando quæritur, an doctrina alicujus libri ſit hæretica, duo quæruntur, 1. quæ ſit doctrina & ſenſus libri: 2. an illa doctrina in illo ſenſu ſit hæretica: certum autem eſt hanc poſteriorem quæſtionem eſſè juris: debet enim ſolvi ex jure divino, conſiderando, an ſit contra verbum Dei ſcriptum aut traditum: prior quæſtio etiam non eſt puri facti, ſed habet annexam quæſtionem juris, nam ſuppoſita inſtitutione vocum, ſi ſermo ſit ita clarus, ut ad judicandum de illo non ſit opus ullis teſtimoniis hominum, ſed quiſque idioma intelligens apertè ſciat hunc eſſè ſenſum, quæſtio illa, *quæ ſit doctrina talis libri?* ſolvenda eſt ex jure divino, ſuppoſitis legibus, quibus obligantur utentes vocibus, ut nempe in communi hominum commercio non utantur, niſi ſecundùm voluntatem inſtituentium, Reip. manifeſtatam & à communitate acceptatam: hinc quærere, an doctrina libri ſit hæretica, idem eſt ac quærere, quem ſenſum conficiat contextus verborum, qui in libro eſt, ſuppoſitis legibus ſermonis humani, ergo illa quæſtio non eſt puri facti, ſed potiùs juris.

209 §.3. Ex his ſequitur potuiſſe Pontifices infallibiliter declarare, quòd doctrina hæretica contineatur in libro Janſenii, & in ſenſu ab eo intento, quia non tam erat quæſtio facti quàm juris, & licèt aliquid facti interveniret, tamen hoc connexum erat cum quæſtione juris: quòd magis probatur, nam 1. ſi Papa non poſſit infallibiliter definire, quòd liber, & ſenſus Janſenii contineat hæreſim, *ad merendum ſufficit libertas à coactione,* ſed Papa poteſt ultimum definire, ergo, & primum. Minor eſt certa & ab adverſariis admittitur, eſt enim materia juris: maj.prob. liber, & ſenſus Janſenii manifeſtè habet illam propoſitionem, ergo ſi non poſſit definire, quòd liber & ſenſus Janſenii contineat hæreſim, nec poteſt definire, quòd propoſitio illa ſit hæretica; ubi vides, quomodo negata infallibilitate circa hanc materiam facti neganda ſit infallibilitas circa materiam juris. 2. Papa non tantùm ea poteſt definire, quæ habentur in ſcripturis vel traditione, ſed etiam ea, quæ ex ratione naturali per concluſionem Theologicam deducuntur ex una de fide & altera naturaliter certa, ut probant Canus *de locis l.*6.*c.*8.*§. Sed & id.* Mangionius *in apol.de ſolemn.vot.* Platel.*p.*3.*n.*146. atqui concluſio illa, quòd liber & ſenſus Janſenii contineat hæreſin, deduci poteſt ex una de fide & altera naturaliter certa, uti oſtenditur in hoc ſyllogiſmo, *hæreſis eſt, quòd libertas à coactione ſufficiat ad meritum, ſed liber & ſenſus Janſenii habet, quòd libertas à coactione ſufficiat ad meritum, ergo liber & ſenſus Janſenii habet hæreſim.* Maj. eſt de fide, min. eſt naturaliter evidens ſcienti latinum & legenti librum Janſenii, ergo. 3. ſi Papa non poſſit infallibiliter judicare de doctrina, & ſenſu alicujus libri, eò quòd videatur eſſè materia facti, ergo nullus Canon fidei, nulla damnatio erit de fide, nunquam enim infallibiliter reſciri poterit ſenſus Concilii vel Papæ definientis, quia de eo judicare erit materia facti. 4. Papa poteſt infallibiliter declarare alicujus libri doctrinam eſſè Catholicam, uti adverſarii contendunt feciſſe Cœleſtinum I. de quibuſdam libris *S. Aug.* circa materiam gratiæ, uti notat Platel.*p.*2.*n.*482. ergo etiam poteſt infallibiliter declarare alicujus libri doctrinam eſſè hæreticam, eſt enim paritas, & æquè ſpectat ad Paſtorem poſſe ovibus oſtendere noxias herbas, ut fugiant, quàm ſanas, ut ſumant, neque tantùm extra libros, uti vult *Sinnichius*, ſed etiam in libris ipſis, qui maximè vitandi ſunt; & ſi poteſt ſanas herbas cum libris oſtendere, cur non etiam noxias cum libris? 5. Eadem infallibilitate poteſt Papa declarare ſenſum totius libri, qua declarare poteſt ſenſum cujuſvis propoſitionis ex libro deſumptę, ſed ſenſum cujuſvis propoſitionis ex libro deſumptæ poteſt declarare eſſe orthodoxum vel hæreticum, &c. ergo etiam totius libri. Min. concedunt Adverſarii: Major etiam patet, quia totus liber non ſunt niſi propoſitiones ſingulæ; imò ex toto libro, qui mentem Authoris pluribus proponit, faciliùs intelligitur ſenſus, quàm ex brevi aliqua propoſitione, ergo. *Conf.* nam Eccleſia non erravit in intelligendis & damnandis libris *Neſtorii, Pelagii, Lutheri, &c.* ergo nec *Janſenii*. *Conf.*2. nam *Janſenius* ſe & ſuum librum ſubmiſit examini, ac judicio Eccleſiæ, *ut illud jam teneam, ſi tenendum: revocem, ſi revocandum; damnem & anathematizem, ſi damnandum & anathematizandum eſſe judicaverit &c.* uti habet in Epilogo, & confirmat in teſtamento ſuo, ergo agnovit Eccleſiam poſſe intelligere, & judicare de libri ſui ſenſu, ergo idem agnoſcere debent Janſeniſtæ.

Reſpondent 1. Nec Papam nec Eccleſiam poſſe ſcire, quem ſenſum in mente habuerit *Janſenius*. *Contra* eſt, neque nos hoc dicimus, Eccleſia enim non damnavit perſonam *Janſenii* velut hæreticam, ſed librum: neque Eccleſia declaravit *Janſenium* in mente habuiſſe talem ſenſum, ſed tantùm declaravit hunc eſſe ſenſum obvium, quem verba *Janſenii* præſeferunt.

Reſpondent 2. Eccleſiam non conſenſiſſe in condemnationem ſenſus Janſeniani. *Contra* eſt, 1. nam decreta Pontificum circa hunc ſenſum admiſſa ſunt à tota Eccleſia, nec audent ſe opponere niſi clam *nonnulli iniquitatis filii*, uti loquitur Alex. VII. non obeſt autem tales homines repugnare, uti non obeſt hæreticos repugnare deciſionibus Eccleſiæ: eſtque pudor Janſeniſtas eſſe magis ſollicitos de honore *Janſenii*, quàm Eccleſiæ & Pontificum. *Contra* 2.nam independenter à conſenſu Eccleſiæ eſt Papa infallibilis, Eccleſia enim debet à Papa doceri, & non è contra.

Reſpondent 3. Papam eſſe quidem infallibilem in declarando, *qualis ſit ſenſus* propoſitionis vel libri, ſed non *quis ſit ſenſus*. *Contra* eſt 1. Papa vel etiam Eccleſia non poteſt declarare, qualis ſit ſenſus, niſi priùs ſciat, quis ſit ſenſus; v.g. declarare non poteſt, an ſenſus ſit hæreticus vel Catholicus, niſi ſciat, an voces ſignificent hæreſin necne, ergo ſi infallibiliter declaret ſenſum eſſe hæreticum, ſcit per voces ſignificari hæreſin, adeòque ſcit, quis ſit ſenſus. *Conf.* nam ſi Judex non ſit infallibilis in judicando, quòd hic homo ſit reus, non poteſt eſſe infallibilis in imponenda illi hac vel iſta pœna: ſi Medicus non ſit infallibilis in judicando quo morbo laboret homo, non poteſt eſſè infallibilis in judicando, qualis determinatè illi adhiberi debeat medicina, ergo ſimiliter hic. *Contra* eſt 2. vel Janſeniſtæ ſciunt, *quis ſit ſenſus* quinque propoſitionum damnatarum vel non ſciunt: ſi non ſciunt, quomodo fateri poſſunt eſſè hæreticas? Si ſciunt, ergo multò magis ſciet Eccleſia; & conſequenter Janſeniſtæ etiam ſciunt, quem ſenſum Eccleſia tribuat Janſenii propoſitionibus & libro, nam tribuit ſenſum hæreticum & damnatum, ac nullum alium.

Reſpondent 4. Saltem quoad juratam ſubſcriptionem formularii ab Alex.VII. præſcripti ſufficiet promittere obſequioſum ſilentium, quia plerique non legerunt librum Janſenii, ergo nec jurare poſſunt circa ſenſum à Janſenio per propoſitiones è libro excerptas intentum. *Contra* eſt; nam Clem.XI. per conſtitutionem n.210.referendam declarat obedientiam, quæ Conſtitutionibus Pontificum & formulario debetur, non impleri obſequioſo ſilentio, ſed debere in animo damnari omnia, prout damnata ſunt, in ſenſu à *Janſenio* intento; & addit huic damnationi corde præbendum eſſe aſſenſum. *Nec obſtat*, quòd non legeris Janſenii librum, nam nec hæreticorum libros legiſti, quos damnas, nec forte legiſti omnes Canones Conciliorum & Tridentini, & tamen in profeſſione fidei juras omnia, quæ in iſtis definita ſunt: itaque ſatis eſt, quòd Eccleſia poſt tam exacta examina tibi proponat, teque edoceat propoſitiones illas contineri in libro *Janſenii*, & talem eſſe illarum ſenſum obvium, ideòque à Janſenio intentum.

Objicies. Eccleſia in Conc. Chalcedonenſi probavit ſcripta Theodoreti, Ibæ & Theodori Mopſueſteni, & tamen poſtea in Conc. V. Conſtantinopolitano dixit illa eſſe hæretica, ergo Eccleſia nō eſt infallibilis in intelligēdo ſenſu alicujus libri. Reſp. Negando 1.partem antec.nam poſtquam Authores illi in Conc. Chalced. explicaſſent ſua ſcripta in bono ſenſu & deteſtati fuiſſent errores Neſtorii, Eccleſia illorum perſonas iterùm admiſit, abſtrahendo ab eorum ſcriptis, poſtea autem examinavit ſcripta, & hæc damnavit in Conc. Conſtantinop. Videri poteſt *Inſtructio Paſtoralis* Epiſcopi Cameracenſis edita 10.Febr.1704.

§.4. Papa non eſt infallibilis in quæſtionibus particularibus facti non habentibus ullam connexionem cum quæſtionibus juris circa fidem aut mores: Et hic eſt ſenſus quorundam Authorum, quos malè citant pro ſe adverſarii, uti oſtendit Arſd. *de Pontif.q.*3. *Ratio eſt*, quia infallibilitas talis nullibi ei promiſſa eſt, talia enim definire non ſpectat ad officium univerſalis Paſtoris animarum aut capitis Eccleſiæ, cui appromiſſa eſt aſſiſtentia Sancti Spiritus ad dirigendas oves in rebus ſalutis, ſeu fidei & morum. Nunc habe Decreta Pontificum in negotio Janſeniano. 210

SS. D. N. CLEMENTIS XI.

CONFIRMATIO, ET INNOVATIO CONSTITUTIONUM

INNOCENTII X. ET ALEXANDRI VII.

Adverſus Janſenianam Hæreſim editarum, cum nonnullis Declarationibus pro debita illarum obſervantia adjectis.

VINEAM Domini Sabaoth, quæ eſt Catholica Eccleſia, pro commiſſo Nobis divinitus Apoſtolicæ ſervitutis munere cuſtodire atque excolere omni ſtudio atque induſtria jugiter ſatagentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris ad ſuccreſcentes in illa pernicioſarum novitatum vepres radicitus evellendos, prudenti ſalubrique conſilio conſtituta eſſe noſcuntur, ut quibuſcumque inimici hominis molitionibus dejectis, firmius ſemper atque exactiùs obſerventur, Apoſtolici muniminis noſtri præſidio libenter roboramus, atque aliàs deſuper ſollicitudinis, & providentiæ noſtræ partes interponimus, ſicut omnibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis, ad fidelem ac tutam orthodoxæ veritatis cuſtodiam, necnon animarum pretioſo Unigeniti Dei filii Domini noſtri Jeſu Chriſti Sanguine redemptarum ſalutem expedire in Domino arbitramur.

Sanè poſtquam fel. record. INNOCENTIUS Papa X. Prædeceſſor noſter per quandam ſuam deſuper editam Conſtitutionem quinque famoſas Propoſitiones ex libro Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus, *Auguſtinus*, excerptas Apoſtolici cenſura judicii ritè confixerat, rec. mem. ALEXANDER Papa VII. etiam Prædeceſſor noſter ad ejuſmodi jam damnatos errores è Chriſti fidelium mentibus prorſus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum ſubtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, prædictam INNOCENTII Prædeceſſoris Conſtitutionem, toto illius inſerto tenore, confirmavit, novarumque declarationum acceſſione conſtabilivit, ſua in id pariter edita Conſtitutione tenoris, qui ſequitur, videlicet:

ALEXANDER Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ad ſanctam Beati Petri Sedem & univerſalis Eccleſiæ regimen, inſcrutabili divinæ Providentiæ diſpoſitione, nullis noſtris ſuffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm ut ſanctæ Fidei noſtræ, ac ſacrorum Dogmatum integritati, tradita Nobis à Deo poteſtate, opportunè conſuleremus.

Ac licèt ea, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus abundè fuerunt definita novæ deciſionis ſive declarationis acceſſione nequaquam indigeant, quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iſte latius divagetur, promptum Apoſtolicæ authoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum.

Emanavit ſiquidem aliàs à fel. rec. INNOCENTIO Papa X. Prædeceſſore noſtro Conſtitutio, & Definitio tenoris, qui ſequitur, videlicet.

INNOCENTIUS Epiſcopus Servus Servorum Dei Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm occaſione impreſſionis libri, cui titulus, *Auguſtinus* Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud nos inſtituerunt, ut eaſdem propoſitiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam & perſpicuam ferremus ſententiam: Tenor verò præfatarum propoſitionum eſt, prout ſequitur. *Prima*. Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia; qua poſſibilia fiant, *Secunda:* Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. *Tertia*. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. *Quarta*. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare. *Quinta*. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, ut Eccleſia Dei Nobis ex alto commiſſa purgatis pravorum opinionum erroribus tutò militare, & tanquam navis in tranquillo mari, ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus ac procellis, ſecurè navigare & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit, pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis, ac pluribus in Sac. Theologia Magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones, ut ſuprà, Nobis oblatas fecimus ſigillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia tum voce tum ſcripto relata maturè conſideravimus, eoſdemque Magiſtros variis coram Nobis actis Congregationibus prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet diſſerentes audivimus.

Cùm autem ab initio hujuſmodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium, multorum Chriſti fidelium preces, tum privatim; tum publicè indixiſſemus; poſtmodùm iteratis eiſdem ferventiùs, ac per Nos ſollicitè implorata Sancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Divino Numine favente ad infraſcriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum propoſitionum: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam; *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur;* Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione:* Hæreticam declaramus, & uti talè damnamus.

Quartam: *Semipelagiani admittebant prævenientes gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare:* Falſam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe:* Falſam, temerariam, ſcandaloſam; & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, centumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare, aliter præſumant, quàm in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis.

Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ut contradictores & rebelles quoſcumque per cenſuras & pœnas prædictas, cæteraquæ juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis, omninò coerceant & compeſcant.

Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem. Anno Incarnationis Dominicæ 1653, 31. Maii.

Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictè & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel in ſenſu ab eodem intento non damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident:

Nos, qui omnia, quæ in hac re geſta ſunt, ſufficienter & attentè perſpeximus, utpotè qui ejuſdem Innoc. Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in Minoribus conſtituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica authoritate, eadem cauſa diſcuſſa eſt, ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſet, quamcumque dubitationem ſuper premiſſis impoſterùm auferre volentes, ut omnes Chriſti fideles in ejus fidei unitate ſeſe cõtineant, ex debito noſtri Paſtoralis officii, ac matura deliberatione, preinſertam Innoc. Prædeceſſoris noſtri conſtitutionẽ, declarationẽ, & definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus & innovamus, & quinque

illas

illàs propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe, declaramus & definimus, ac uti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eundem librum ſæpè dicti Cornelii Janſenii, cui titulus, *Auguſtinus*, omneſque alios, tam manuſcriptos quàm typis editos, etſi quos forſan impoſterum edi contigerit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii doctrina, ut ſuprà damnata defenditur vel aſtruitur, aut defendetur vel aſtruetur, damnamus itidem atque prohibemus: Mandantes omnibus Chriſti fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel ſcripto exponant vel interpretentur, publicè vel privatim, palàm vel occultè imprimant, ſub pœnis & cenſuris contra hæreticos in jure expreſſis ipſo facto abſque alia declaratione incurrendis.

Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, cœteriſque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, ut præinſertam ejuſdem INNOCENTII Prædeceſſoris conſtitutionem, declarationem ac definitionem, juxta præſentem noſtram determinationem, ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes & rebelles prædictis pœnis aliiſque juris & facti remediis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1656. 16. Octob.

Subinde verò, quò omnis Apoſtolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus ALEXANDER Prædeceſſor, priſcum Eccleſiæ morem ſecutus, certam edidit formulam ab omnibus Eccleſiaſtici Ordinis, tam ſæcularibus, quàm regularibus perſonis ſubſcribendam per aliam ſuam hac in re promulgatam Conſtitutionem tenoris ſequentis videlicet.

ALEXANDER Epiſcopus, Servus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apoſtolici Divina Providentia Nobis, quamvis immeritis, commiſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimùm, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque ſaluti, & fidelium tranquillitati conſulere apta, & idonea eſſe judicantur, animam & curam omnem, quantùm licet, in Domino applicemus: Quamobrem Cornelii Janſenii hæreſim in Gallia præſertim ſerpentem, ab INNOCENTIO X. fel. rec. Prædeceſſore noſtro ferè oppreſſam, adinſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem, ſingulari Conſtitutione ad hunc finem edita altero aſſumptionis noſtræ anno, extinguere conati ſuimus.

Sed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent, qui tamen unicus erat votorum & curarum noſtrarum ſcopus, quibus operam & induſtriam ſuam egregio ſanè ſtudio venerabiles Fratres noſtri Archi-Epiſcopi & Epiſcopi Regni Galliæ, earundem Conſtitutionum Apoſtolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt, & Chariſſimus in Chriſto Filius noſter Rex Chriſtianiſſimus ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenuo ac conſtantiſſimo animo porrexit.

Cùm autem Præfatus Rex Chriſtianiſſimus eodem religionis zelo ductus per ſuum in Urbe Oratorem Nobis ſignificari exponique curavit, nullum aliud opportunius remedium peſtiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quàm ſi omnes certam Formulam ſubſcriberent noſtra authoritate firmatam, in qua quinque propoſitiones ex Cornelii libro, cui titulus, *Auguſtinus*, excerptas ſincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantocyus expediri, ad quælibet effugia præcludenda omneſque removendos obtentus, flagitaverit:

Nos tam piis dicti Regis Chriſtianiſſimi votis benignè annuendum eſſe ducentes, Formulam infraſcriptam ab omnibus Eccleſiaſticis etiam Venerabilibus Fratribus noſtris Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, necnon aliis quibuſcumque Eccleſiaſtici Ordinis, tam regularibus quàm ſæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus atque Magiſtris ſubſcribi diſtrictè mandamus, idque intrà tres menſes à die publicationis ſeu notificationis præſentium; aliàs contra eos, qui intrà terminum prædictum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus juxta Canonicas Conſtitutiones, & Conciliorum Decreta.

Formula à ſupradictis ſubſcribenda.

EGO N. Conſtitutioni Apoſtolicæ INNOCENTII X. datæ die 31. Maii 1653. & Conſtitutioni ALEXANDRI VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me ſubjicio, & quinque propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen *Auguſtinus*, excerptas, & in ſenſu ab eodem Authore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.

Decernentes inſuper præſentes litteras ſemper, & perpetuò validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenos & integros effectus ſortiri & obtinere. Sicque per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari & definiri debere, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & authoritate; ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quocumque quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Epiſcopis, Epiſcopis aliiſque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut ſinguli in ſuis Diœceſibus ac locis ſuæ juriſdictioni ſubjectis præſentes litteras, & in eis contenta quæcumque exequantur, & executioni mandari ac obſervari ab omnibus curent, & inobedientes quoſcumque per ſententias & pœnas aliaque juris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio omninò compellant.

Volumus autem, ut præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem fides prorſus adhibeatur, quæ ipſis originalibus litteris adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc noſtram Conſtitutionem, & Ordinationem infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno 1664. 15. Febr.

Sic equidem cauſa finita eſt, non tamen ſic, ut par erat, finitus eſt error Apoſtolico toties mucrone percuſſus: Neque enim defuere, nec adhuc deſunt homines veritati non acquieſcentes, & nunquam Eccleſiæ contradicendi finem facientes, qui variis diſtinctionibus, ſeu potiùs effugiis ad circumventionem erroris excogitatis Eccleſiam ipſam turbare, eamque interminatis quæſtionibus, quantùm in ipſis eſt, involvere & implicare conantur, quodque deterius eſt, ipſamet Apoſtol. Sedis decreta redarguendis eorum pravis ſenſibus condita, ac præſertim quaſdam piæ memor. CLEMENTIS Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Epiſcopos, necnon binas ſimilis memor. INNOCENTII Papæ XII. etiam Prædeceſſorum noſtrorum die 6. Februarii 1694. & die 24. Novembris 1696. ad Epiſcopos Belgii in forma Brevis reſpectivè datas litteras in erroris ſui patrocinium advocare, temerario planè auſu non erubeſcunt, perinde ac ſi memoratus CLEMENS Prædeceſſor, qui eiſdem ſuis literis ſe INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædeceſſorum Conſtitutionibus ſupradictis firmiſſimè inhærere, ac à dictis quatuor Epiſcopis veram, & totalem obedientiam, adeòque Formulæ à præfato ALEXANDRO Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editæ ſincerè per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, ſeu reſtrictionem, quam nullam prorſus ſe unquam admiſſurum fuiſſe proteſtatus fuit, re ipſa admiſiſſet; dictus verò INNOCENTIUS XII. Prædeceſſor, dum ſapienter ac providè prædictas quinque propoſitiones ex memorato libro Janſenii excerptas in ſenſu obvio, quem ipſamet propoſitionum verba exhibent ac præferunt, damnatas eſſe pronuntiavit, non de ipſomet obvio ſenſu, quem in Janſenii libro habent, quive ab eodem Janſenio intentus, ac à præfatis INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. Prædeceſſoribus damnatus fuit, ſed de alio quopiam diverſo ſenſu cogitaſſet; dictaſque INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædeceſſorum Conſtitutiones temperare reſtringere, aut alio quovis modo immutare voluiſſet, iiſdem ipſis litteris, quibus eas in ſuo robore fuiſſe & eſſe, ſeque illis firmiter inhærere verbis apertiſſimis aſſerebat.

Prætereà iidem inquieti homines ſparſis undequaq; ſcriptionibus ac libellis exquiſita, ad fallendum arte compoſitis, non ſine gravi Apoſtolicæ Sedis injuria maximoque totius Eccleſiæ ſcandalo docere non ſunt veriti, ad obedientiam præfatis Apoſtol. Conſtitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janſeniani libri ſenſum in antedictis quinque propoſitionibus, ſicut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnet, ſed ſatis eſſe, ſi ea de re obſequioſum (ut ipſi vocant) ſilentium teneatur. Quæ quidem aſſertio, quàm abſurda ſit, & animabus fidelium perniciosa, ſatis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error ſed abſconditur; vulnus tegitur, non curatur, Eccleſiæ illuditur, non paretur: Et lata demum filiis inobedientiæ via ſternitur ad fovendam ſilentio hæreſim, dum ipſam Janſenii doctrinam, quam ab Apoſtolica Sede damnatam Eccleſia univerſalis exhorruit, adhuc interius abjicere & corde improbare detrectent.

Quin etiam eò impudentiæ nonnullos deveniſſe compertum eſt, ut veluti naturalis honeſtatis, nedum Chriſtianæ ſinceritatis

tatis obliti asserere non dubitaverint præfatæ Formulæ à memorato ALEXANDRO Prædecessore præscriptæ subscribi licitè posse etiam ab iis, qui interius non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri. Quasi verò, contra quàm scriptum est: Qui loquitur veritatem in corde suo, Et: Qui Jurat proximo suo & non decipit; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt; seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc est, quod nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ Nobis omnium Ecclesiarum solicitudinis debito, quàm plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum, Episcoporum zelo ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impunè pergant, & simplicium mentibus imponere, docentes quæ non oportet; neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente ac sententia Apostolicæ Sedis ampliùs ambigendi superfit locus, Divino prius tam privatis nostris, quàm publicè indictis precibus, implorato præsidio, ac re maturè discussa, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis; Primò quidem præinsertas INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque & singula in iis contenta authoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, approbamus & innovamus.

Ac insuper, ut quævis imposterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solùm (nam & impii in tenebris conticescunt) sed & interiùs obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuò valitura Constitutione; Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis propositionibus Jansenianî libri sensum, quem illarum verba præferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus, ut hæreticum, non ore solùm sed & corde reicii ac damnari debere, nec alia mente, animo, credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse; ita ut qui secus, aut contra, quoad hæc omnia & singula, senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo vel scripto docuerint aut asseruerint; tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus & singulis illarum censuris, & pœnis omninò subjaceant, eadem authoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus & ordinamus.

Decernentes pariter easdem præsentes, & præinsertas literas semper, & perpetuò validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Archi-Episcopis aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus & mandamus, ut singuli in suis respectivè Diœcesibus ac locis suæ jurisdictioni subjectis ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcumque exequantur, & executioni mandari & observari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoscumque per censuras & pœnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant & compellant.

Volumus autem, ut earundem præsentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti & Ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno 1705. 16. Julii.

211 *Q.33. Quid si opinio videatur doceri ab aliquo è SS. PP.vg.S.Aug. an adhuc possit desinere ejus probabilitas per damnationem Pontificis vel aliter?* R.

§.1. Posse, quia nulli S.Patri in particulari, sed Ecclesiæ & Pontifici appromissa est infallibilitas per assistentiam Spiritus Sancti: & ideò docet Trid. *sess.4.* in decreto de editione & usu Sacrorum librorum, quod Ecclesiæ sit judicare de vero sensu, & interpretatione scripturarum: damnavit etiam Alex. VIII. hanc trigesimam propositionem: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam:* unde patet, quàm stulta sit illa locutio cujusdam Religiosi apud Fierland *in Concordia triumviralic.2. a.2.§.1.* qui occasione Bullæ Innocentii X. damnantis 5. propositiones Jansenii dixit *malo errare cum Augustino, quàm benè sentire cum Papa:* Sapienter dixit S.Th. *2.2.q.10.a.12. ipsa doctrina Catholicorum DD. ab Ecclesia authoritatem habet, unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati vel Augustini vel Hieronymi vel cujuscumque Doctoris.*

§.2. Non est statim credendum, quod illi, qui se S. Au- 212
gustini discipulos dicunt, semper ejus mentem assequantur, nam, & ipsi inter se de ejus mente disputant, nec illis promissus est Spiritus discernendi verum sensum à falso: estque sæpè difficile intelligere S.Augustinum, maximè dum scribit contra unam hæresim, tum enim quandoque videtur favere oppositæ; ideòque rectè ait S.Thom. *in expos. aurea in cap.1 Joannis lect.7. Antiqui Doctores, & Sancti emergentes errores circa fidem prosequebantur, ut interdum viderentur in errores labi contrarios, sicut Augustinus contra Manichæos, qui destruebant libertatem arbitrii, taliter disputat, quod videtur in hæresin Pelagii incidere;* è contra dum oppugnat Pelagianos, videtur libertatem evertere. Similiter S.Gregor. Thaumaturgus; dum Ælianum ethnicum Christianos polytheismi insimulantem oppugnat, ita de Deo uno agit, ut cum Sabellio videatur confundere personas. Dionys. Alexand. dum confutat Sabellium, ita personas distinguit, ut videatur ipsam naturam divinam dividere; quia nempe, ut inquit Theodoretus *tom.ult.dialog.3.pag.170. Vehemens cum adversariis contentio facit, ut modus excedatur.* Et specialiter de S. August. ait Card. Valerius, *Augustini scripta Clerici cautè legant, ita enim acumine ingenii præstitit, & de rebus difficilibus tam subtiliter disputavit, ut non mediocri ingenio præditi Viri, ejus libros legentes in errorem aliquando lapsi sint:* atque ita S. Prosper in Chronico testatur Prædestinianorum errorem ab Augustini libris malè intellectis sumpsisse initium: certè Lutherus *lib.de servo arbitrio ait, Augustinus totus meus est*; Calvinus *lib.3.de lib.arbitr.* contra Pighium, *Gloriatus sum*, inquit, *de Augustino, illum prorsus nostrum esse*; & infrà, *Nos nihil, quàm Augustinum sequimur:* & iterum, *Etiamsi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non potest, quin Augustinus sit noster:* ideò Calvinistæ gloriantur Augustinum in scriptis Calvini plus loqui, quàm Calvinum ipsum. Joannes Vvicleff ita Augustinum inclamabat, & se sequi protestabatur, ut passim à suis vocaretur Joannes Augustini, teste Thom. Vvaldensi *t.1.l.1.c.2.n.34.* Berengarius se ita in Augustino fundabat, ut Lanfrancus *in Biblioth.PP.t.6.pag.207.* sic de ipso scribat: exultas in B. Augustini verbis, hic vicisse te & superiorem esse gloriaris, &c. Guilielm. de S.Amore hæresin suam contra mendicantium Ordines fabricavit ex S.August. teste S. Bonav. *de paupert. qu.2.* Claudius Taurinensis Iconoclastarum instaurator in Gallia, maximè se Augustino niti dicebat, teste Dungalo, In resp. contra illum. Bajus occasione hujus prop.27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccatum valet*, postquam damnata esset velut hæretica, pro excusatione in Apologia ad S.Pium V. dicebat, *sunt ipsissima verba Augustini l.3.contra 2.Epist.Pelagii c.8.* Jansenius pro suis quinque hæresibus solo fermè Augustino est usus, ideòque librum, in quo eas docet, vocat Augustinum: Plures Jansenistæ dixerunt Augustinum constanter tenuisse Christum pro solis prædestinatis esse mortuum, & tamen Inn.X. & Alex.VII. hanc propositionem 5. Jansenii, *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus hominibus mortuum esse aut Sanguinem fudisse*, damnarunt ut hæreticam: & in eo sensu, quasi Christus pro solis prædestinatis sit mortuus, damnarunt velut impiam, blasphemam & contumeliosam. Item Alex. VIII. damnavit hanc quartam, *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus*, ergo fatendum est Augustini mentem esse sæpè obscuram, ut quæ malè explicari possit à legentibus. Neque hoc est Augustini vitium, sed illorum qui legunt, qui etiam, si se non submittant judicio Ecclesiæ, ex ipsa Sacra Scriptura cudunt hæreses, affingunt enim sensum, quem nec scriptura habet, nec Aug. intendit: Consequenter cum isti, qui se S.Augustini discipulos dicunt, non ostendant se habere specialem assistentiam circa intelligentiam S.Augustini, errare possunt, ergo non est statim credendum, quod ejus mentem semper assequantur.

§.3. S.Augustinus non est irrefragabilis, nisi in illis, 213
quæ

quæ Eccleſiæ authoritas confirmat: patet, nam faſſus eſt ſæpe S.Auguſtinus ſe erraſſe, uti conſtat ex libris Retractationum, ideoque ipſemet dixit nolle ſibi credi, niſi adeſſet ſimul alia authoritas vel ratio: *Errare in rebus obſcuris, & quæ non erant eo tempore explicatæ ac definitæ*, inquit, Canus *de locis l.7.c.1.n.3.* aut Cypriano aut Ambroſio aut Auguſtino accidit: Abulenſis *defenſ.p.2.c.18.* ait, *Non eſt ergo neceſſe nobis, quæcunque Auguſtinus ſcripſit, credere ∴ conſtat, quòd Auguſtinus, cùm ſcriberet, in multis erravit: & c.85. De Auguſtino conſtat, quod potuit errare & in multis erravit, quorum quædam ipſe retractavit, alia verò non potuit retractare*: ipſemet S. Aug. *relatus diſt.9.c.4. ſic de ſe loquitur in Epiſt.8.* ad Hieron. *Negare non poſſum nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſint juſto judicio & nulla temeritate damnari.* Quantum autem & in quibus punctis circa materiam gratiæ authoritas S. Auguſt. ſit irrefragabilis notant Platel. *p.2.à n.482.* & Arſd. *in T.2.p.2.c.7.ſ.3.*

214 *Q.34. Si opinio ab aliqua Sacra Congregatione Romæ damnetur, an ideò amittat probabilitatem?* R.

§.1. Variæ ſunt Congregationes Romæ, nempe S.Officii, Rituum, Tridentini, Indicis librorum, Epiſcoporum, Regularium, Cardinalium.

Congregatio S.Officii conſtat multis viris primariis, inter quos 5. Cardinales deputati à Papa, quorum tres adeſſe debent, ut aliquid concludatur: huic conceſſit Paulus III. poteſtatem inquirendi, citandi, procedendi in omnibus cauſis tam hæreſin manifeſtam quàm ſchiſmata, divinationes, Sacramentorum abuſum concernentibus, uti etiam circa crimen ſolicitantium ad turpia in Confeſſione.

Rituum, præeſt conſultationibus de moribus Eccleſiæ, de ritibus Sacramentorum, de Horis Breviarii, de cultu, & canonizatione SS. habeturque ſemel tantùm in anno.

Tridentini, reſolvit dubia circa decreta morum contenta in Tridentino, & habetur ſingulis menſibus ſemel.

Indicis librorum, inſtituit examen circa libros prohibitos eorumque catalogos & indices.

Epiſcoporum, dirimit dubia ac lites circa jura, immunitates, privilegia, quæ referuntur à Patriarchis, Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Eccleſiaſticis Prælatis.

Regularium, reſpondet ad dubia propoſita à Regularibus; itemque ad eorum controverſias, & circa apoſtaſiam.

Cardinalium, agit de propaganda fide: habetur quolibet menſe, ſemel de anno coram Papa, adhibitis aliquot Curiæ Romanæ Prælatis ac Religioſis viris: præſunt illi Cardinales, inter quos Senior bis per annum eam habet in ſua domo. Vide etiam Gobat *in Exp.tr.3.à n.606.*

215 §.2. Declarationes omnium harum Congregationum non ſunt infallibiles, niſi fiant de ſpeciali mandato Papæ & nomine ipſius toti Eccleſiæ, poſt rem cum eo collatam, tunc enim non tam ſunt declarationes vel decreta harum Congregationum, quàm Papæ ipſius, quas per tales Congregationes facit: de cetero tali Congregationi ut contradiſtinctæ à Papa nulla infallibilitas eſt appromiſſa, quamvis magna tribui debeat authoritas, ita Card. *in 1.criſ.d.9.* & Teril. *in Reg.q.14.n.55.* Vide dicenda *n.574.*

216 §.3. Si in aliqua Congregatione damnetur opinio poſt informatum Papam & ex mandato ipſius, illaque damnatio ritè communicetur toti Eccleſiæ, erit infallibilis & cenſebitur immediatè exire à Papa, ideoque opinio illa amittet probabilita-
217 tem, uti conſtat ex dictis: *Nec refert*, quòd aliqui apud Card. *in 2.criſ.d.1.n.99.* dicant, quando Pontifex per Congregationem ita condemnat aliquid, tunc non loqui ut caput Eccleſiæ, ſed ſolùm ut caput & præſidem talis Congregationis, ſicuti quando Rex Hiſpaniæ in Congregatione Ordinis S. Jacobi aliquid præcipit, non præcipit ut Rex, ſed ut Adminiſtrator Generalis illius Ordinis: *nam* tunc Pontifex loquitur ut caput Eccleſiæ, quando edit decretum pro tota Eccleſia, quodque vult ab omnibus obſervari, ſed hoc facit in noſtro caſu, ergo: atque idem eſt de Rege Hiſpaniæ, quando enim edit decretum pro toto regno, loquitur ut Rex Hiſpaniæ, ſi edat pro Ordine S. Jacobi, tunc tantùm loquitur ut præſes ejus.

218 §.4. Reſponſiones Congregationis rituum dantur ſolùm pro dubiis ſingularibus interrogantium, hinc non promulgantur, nec obligant, inquit Eſcob. maximè quando non ſunt legitimè ſubſcriptæ & ſigillo munitæ, multò minùs ſunt infallibiles.

219 §.5. Declarationes Cardinalium ad Tridentini textum adjectæ ex Farinacio, non ſunt authenticæ, ſed declaratæ incertæ ſub Greg. XV. anno 1621. & ſub Urb. VIII. anno 1631. ut teſtatur Stalenus: falsò quoque affingitur operi Farinacii edito Francofurti anno 1608. quòd illæ ſint deciſiones Rotæ Romanæ, uti notat Gobat.

220 §.6. Quid dicendum ſit de Indice Romano quoad libros prohibitos, dicetur, quando de Cenſuris: an autem declarationes Cardinalium, Regulæ Cancellariæ, deciſiones Rotæ vim habeant legum, dicetur à n.574.

Q.35. An propoſitiones illæ damnentur, quæ vel continentur ſub damnatis, vel inferuntur ex damnatis, vel ex quibus aliqua damnata inferri poteſt? R. 221

§.1. Ex eo, quòd univerſalis ſit damnata, non ideò damnata eſt particularis ſub ea contenta, quia poteſt univerſalis eſſe falſa, & particularis vera, v.g. nullum præceptum obligat ſub mortali, eſt falſa & damnabilis: aliquod præceptum non obligat ſub mortali, eſt vera & non eſt damnabilis.

§.2. Illa propoſitio, ex qua evidenter infertur propoſitio 222
damnata, cenſeri debet falſa, & improbabilis practicè, quamvis non ſit expreſsè damnata, quia propoſitio damnata, quæ infertur, eſt falſa, ergo etiam illa, ex qua infertur, cenſeri debet falſa, quia ſecundùm regulam dialecticæ, ex vero non poteſt ſequi falſum, ergo ſi damnata, quæ infertur, ſit falſa, altera, ex qua infertur, non poteſt eſſe vera; ex. g. *præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali*, eſt damnata, ergo etiam hæc, ex qua infertur, *nullum præceptum Eccleſiæ obligat ſub mortali*, erit falſa, & improbabilis practicè. *Conf.* quia contradictoria damnatæ debet eſſe vera, ergo hæc debet eſſe vera, præceptum ſervandi feſta obligat ſub mortali, ex hac autem evidenter infertur, ergo aliquod præceptum Eccleſiæ obligat ſub mortali, ergo hæc contradictoria, nullum præceptum Eccleſiæ obligat ſub mortali, erit evidenter falſa.

§.3. Propoſitio, quæ inferri poteſt ex damnata, non ideò 223
cenſeri debet damnata vel improbabilis, quia dialectica dicit, quòd ex falſo poteſt ſequi verum, ergo ex eo, quòd inferens ſit falſa, non ſequitur, quòd illata ſecundùm ſe ſit falſa, v.g. præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ergo qui per quadrantem laborat die feſto, non peccat mortaliter: hoc conſequens ſecundùm ſe eſt verum, & tamen rectè infertur ex antecedente falſo ac damnato: Item, non tenemur proximum diligere actu interno, eſt propoſitio falſa & damnata, & tamen hæc illata, ergo non tenemur omni momento proximum diligere actu interno, eſt ſecundùm ſe vera, & non damnabilis.

§.4. Propoſitio, quæ infertur ex contradictoria propoſitio- 224
nis damnatæ, eſt vera, quia contradictoria propoſitionis damnatæ, eſt vera; ex vero autem non poteſt inferri niſi verum, v.g. contradictoria damnatæ eſt hæc, præceptum ſervandi feſta obligat ſub mortali, conſequenter illa inde illata, præceptum ſervandi feſtum S. Andreæ obligat ſub mortali, etiam eſt vera. Videri poteſt Card. *in 2.criſi d.1.c.4.* Circa propoſitionem, de qua dubitatur, an ſit damnata, vide dicenda *n.890.*

Q.36. Quomodo peccet, qui non obſervat decreta facta circa propoſitiones damnatas? R. 225

§.1. Qui docet vel defendit aliquam propoſitionem damnatam, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem majorem Papæ reſervatam, uti conſtat ex verbis decretorum: neque in hoc eſt parvitas materiæ, ſemper enim grave eſt reſiſtere doctrinæ Romanæ Cathedræ.

§.2. Etiam peccat mortaliter, qui alteri ſuadet, ut decre- 226
ta illa non recipiat, uti mortaliter peccat, quicunque alteri ſuadet, ut non obtemperet præcepto graviter obliganti, eſt enim grave præceptum & obligatio illa decreta recipiendi, uti patebit ex dicendis.

§.3. Qui mente non diſſentit à doctrina illorum decreto- 227
rum, ſed tantùm operatur contra illam doctrinam cum advertentia ſufficiente, quòd praxis illa ſit prohibita, ſi operetur in materia levi, v.g. ſi utatur reſtrictione purè mentali, peccat venialiter, etiam ratione inobedientiæ, quia Pontifices in virtute S. obedientiæ & ſub interminatione Divini judicii omnibus & ſingulis, præter doctrinam, ſpecialiter prohibent etiam praxin ſingularum iſtarum propoſitionum: ſi autem operatur in materia gravi peccabit mortaliter etiam ratione inobedientiæ in hac materia gravi, ſicuti ſi quis furetur contra expreſſam prohibitionem ſui Superioris factam in virtute S. obedientiæ, peccat etiam ratione illius inobedientiæ.

§.4. Quamvis aliquis in materia tantùm levi operetur 228
contra doctrinam ejuſmodi decretorum, v.g. utendo reſtrictione purè mentali, ſi tamen ſimul diſſentiat ab ea doctrina, & judicet propoſitionem damnatam eſſe veram, aut Pontificem in tali damnatione erraſſe, peccat mortaliter, quia talis diſſenſus opponitur regulæ fidei, ergo ſicuti mortale eſt diſſentiri minimo fidei articulo, ita & hic. Videri poteſt Card. *in 2.criſ. d.1. cap.15.*

Q.37. An promulgari debeant talia decreta damnantia propoſitiones, vel ab eis appellari poſſit? R. 229

Decreta, quibus damnantur propoſitiones, ſpectari poſſunt vel ut declaratoria doctrinæ pernicioſæ, vel ut prohibitoria, ne ea doctrina tradatur aut practicetur, vel ut penalia, in quantùm imponunt pœnam excommunicationis illis, qui dictam doctrinam tradunt vel defendunt.

§.1. Decreta illa prout declaratoria ſunt, ſi ſint Romæ 230
promulgata, & id nobis conſtet, nos obligant, quamvis non ſint promulgata hic in partibus, quia quamvis fortè ad leges Pontificias requireretur promulgatio in ſingulis provinciis, uti

multi docent apud Carden. *in 1. crisi d. 9. c. 20. art. 11.* tamen illa non requiritur, ut hæc decreta, quatenus sunt declaratoria nos obligent, quia si Romæ promulgata sint, certum est propositiones damnatas esse tales, quales eas declarat Papa cùm errare non possit in materia fidei vel morum, loquens ut caput Ecclesiæ, ergo si declaret esse in praxi pernicioſas, ſcandaloſas &c. reipſa tales ſunt.

231 §.2. Ad hæc decreta, in quantùm prohibent praxin talium propoſitionum, non requiritur promulgatio juridica, ſed ſufficit notitia moraliter certa illius, uti pluribus oſtendit Carden. *in 2. criſi d. 1. c. 11.* cùm enim pleræque propoſitiones damnatæ ſpectent ad jus naturale vel poſitivum divinum, hoc ipſo, quòd Papa declaret illas eſſe in praxi pernicioſas, ſignificat eſſe prohibitas jure naturali vel divino, ad jus autem naturale vel divinum non requiritur promulgatio juridica, ſed ſufficit notitia certa: quòd ſi aliqua ſint juris humani, adhuc ad illa prohibenda non requiritur promulgatio juridica, fruſtra enim eſt hæc, ubi adeſt notitia certa: quod idem tenet de præcepto obedientiæ à Papa lato, ne propoſitiones illas deducamus ad praxin: ut enim nos obliget præceptum Superioris, non requiritur promulgatio illius juridica, ſed ſufficit etiam notitia certa præcepti.

232 §.3. Ad illa decreta, in quantùm pœnalia ſunt, etiam ſufficit notitia certa promulgationis Romæ factæ, uti colligitur ex dictis n.231.

233 §.4. Poſſet ſupplicari apud Papam pro ſuſpenſione pœnæ; quamvis ſupplicari non poſſit pro ſuſpenſione declarationis aut prohibitionis, uti clarè evincit Card. *cap. 12. a. 1.* ubi *ar. 2.* probat illa decreta, prout ſunt declaratoria, non indigere populi acceptatione, nam veritas rejicii non poteſt nec debet: prout autem ſunt prohibitoria, etiam non indigent acceptatione, quia mala non poſſunt non eſſe & manere prohibita, poteſtque Superior aliquid prohibere ſubdito licèt invito, maximè Pontifex, qui à ſubditis poteſtatem imperandi non habet, ſed immediatè à Chriſto. Denique prout ſunt pœnalia, ſi adeſſet gravis cauſa, qualis tamen non adeſt, poſſet populus non acceptare, mens enim Pontificum non eſt obligare ad talem pœnam, ſi juſta eſſet cauſa illam deprecandi.

234 *Q. 38. Quid præterea notari debeat circa damnationem propoſitionum?* R. ſeqq.

§.1. Quando propoſitiones dicuntur damnari, prout jacent, ſic intelligi debet, quòd damnentur in eo ſenſu, quem verba habent ſecundùm ſe ut ſeparata ab omni alio contextu, non autem in eo ſenſu, qui fortè eſt in libro Authoris talem propoſitionem habentis, fortè enim eam modificavit per antecedentia, & conſequentia: Excipe propoſitiones 79. Bajanas, & 5. Janſenii, quæ damnantur in ſenſu ab Authoribus earum intento, ita Eſtrix *in conf. triumv. in prologom. n. 7.*

235 §.2. Arſdeckin *T. 2. par. 2. tr. 1. c. 1. in fine* docet propoſitiones copulativas communiter habendas pro damnatis quoad omnes partes: certum autem videtur id de omnibus dici non poſſe, & ſpeciatim de his ab Alex. VIII. 24. Aug. 1690. damnatis: Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti, cum natura rationali; formalis verò in conformitate actus cum regula morum: Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè ∴ *hunc homo non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.* Peccatum Philoſophicum ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera divinæ legis; *Philoſophicum quamtumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum:* nam *l. 2. n. 144. & l. 5. n. 59.* oſtendemus propoſitiones illas non eſſe damnatas, niſi ratione eorum, quæ diverſo charactere expreſſa ſunt.

236 §.3. Quando prohibetur, ut de propoſitione ejuſmodi damnata nequidem diſputativè publicè aut privatim tractetur, niſi forſan impugnando, ſenſus eſt, niſi oſtendendo ejus falſitatem, unde qui rationes pro ea proponeret inter argumentandum, & non ſolveret aut infirmaret, incideret in pœnas, quia ſic defenderet, authoritatem, & robur addendo tali propoſitioni.

237 *Q. 39. An opiniones contradictoriæ poſſint eſſe ſimul probabiles?* R.

§.1. Poſſunt eſſe reſpectu diverſi intellectus, uti patet, ſic enim diverſi Judices oppoſita ſæpe concludunt circa eandem cauſam; diverſi Theologi vel Juriſtæ oppoſita reſolvunt circa eandem quæſtionem.

238 §.2. Idem intellectus non poteſt eodem tempore ſimul habere duas opiniones contradictorias, ſive duo judicia directa, quorum uno dicat, v.g. pingere die feſto eſt ſervile, pingere die feſto non eſt ſervile: patet, quia idem intellectus non poteſt ſimul judicare idem eſſe verum & falſum, idem eſſe & non eſſe, quod hic fieret.

239 §.3. Idem intellectus poteſt eodem tempore ſimul de duabus opinionibus contradictoriis, quæ vel ſimul in diverſis intellectibus, vel ſucceſſivè in eodem intellectu exiſtere poſſunt, reflexè judicare, quòd ſint probabiles, ita ut hæ duæ opiniones contradictoriæ ſint duo objecta, de quorum ſingulis non tantùm ſimul affirmet probabilitatem, ſed etiam verè affirmet probabilitatem eſſe ſimul, quamvis neutram opinionem directam eliciat vel actu habeat: E.g. poteſt intellectus meus unico actu dicere; hæ duæ opiniones, *pingere eſt ſervile, pingere non eſt ſervile*, ſunt ſtrictè probabiles, & una non elidit probabilitatem alterius; eſt communiſſima cum Terillo *de conſc. prob. qu. 5. aſſert. 8. contra* Eliz. *l. 2. qu. 8. & ſeqq.* Gonz. *d. 7. §. 18.* Palav. Camargo & paucos alios: *Prob. 1.* authoritate S. Aug. apud Eſp. *in app. art. 127.* ſufficit hic locus *Epiſt. 18. c. 7.* ubi ait, *Neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, ſed nulli etiam contradicere audemus:* quibus verbis manifeſtè innuit eo tempore fuiſſe probabile, & non licere & licere comedere ante ſumptionem Euchariſtiæ: ſimiliter loquitur c. 3. ubi rationibus oſtendit probabile eſſe, quòd fiat laudabiliter, & quòd non fiat laudabiliter, ſi quis quotidie Euchariſtiam ſuſcipiat, unde neutram opinionem probat aut damnat, ſed agnoſcit utramque probabilem, remittens unumquemque ad piam ſuam fidem, & affectionem, uti latiùs expendit Eſp. *a. 128. Prob. 2.* experientia, nam de facto judico has duas opiniones Phyſicas, *continuum conſtat punctis, continuum non conſtat punctis*; ſimiliter iſtas morales, *pingere die feſto eſt licitum, pingere die feſto non eſt licitum*, eſſe ſimul probabiles, evidens enim eſt mihi, quòd pro ſingulis ſint motiva gravia, & nulla certitudo: & licèt certum ſit, quòd alterutra earum ſit falſa, certum tamen etiam eſt unam earum eſſe veram, & quoniam incertum eſt, quænam determinatè ſit vera, pro utraque autem affertur ratio, quæ vehementer alliciat intellectum ad aſſenſum, utraque determinatè redditur probabilis, non eo ſenſu, quaſi detur probabilitas de ſimultanea utriuſque partis veritate, hoc enim manifeſtè repugnat, ſed quòd detur ſimultas duarum probabilitatum, quam diſtinctionem inter probabilitatem ſimultatis, & ſimultatem probabilitatis ſi notaſſet Eliz. inquit, Banholzer *n. 11.* ſua ſibi ſophiſmata facilè ſolviſſet. *Conf.* nam ſi in eodem homine videam eſſe juſtitiam, & luxuriam, homo ille reſpectu meæ voluntatis eſt amabilis propter juſtitiam, & odibilis propter luxuriam, ergo ſimiliter ſi reſpectu ejuſdem objecti videam gravia motiva pro & contra, rectè dico pro eodem objecto eſſe motiva, hæc apta movere ad aſſenſum, illa ad diſſenſum, hoc autem eſt aſſenſum, & diſſenſum eſſe probabilem, & conſequenter etiam opiniones contradictorias eſſe probabiles, ergo. 240

§.4. Idem intellectus poteſt eodem tempore elicere opi- 241
nionem directam probabilem circa aliquod objectum, & ſimul habere actum reflexum, quo affirmet probabilitatem opinionis contradictoriæ, e.g. poteſt ſimul ſic dicere; *continuum non conſtat punctis, probabile tamen eſt conſtare punctis: pingere die feſto eſt ſervile, attamen etiam eſt probabile, pingere die feſto non eſſe ſervile*; patet iterùm, ſic enim experimur nos judicare, & ſic etiam paſſim legimus apud Authores, qui poſtquam concluſiones ſuas poſuerunt, vel ut probabiliores vel ut abſolutè veras, nihilominus ſæpè ſimul fatentur oppoſitas etiam ſuo judicio eſſe probabiles. *Conf. 1.* nam odiſſe poſſum illum, quem judico amore dignum, ergo etiam dare poſſum aſſenſum uni objecto, quamvis judicem etiam poſſe dari diſſenſum, in his enim probabilibus non determinatur intellectus per evidentiam aliquam, ſed ſæpe per voluntatem, quæ poteſt ad unam partem determinare, & non ad alteram, uti à *n. 398. & à n. 414.* dicetur. *Conf. 2.* nam aliqui judicant B. Virginem eſſe maculatè conceptam, & tamen ſimul judicare debent probabile eſſe, quòd ſit immaculatè concepta, alioquin non poſſet Eccleſia velle eam coli ſub titulo Immaculatæ Conceptionis, quod tamen certum eſt velle, ergo.

§.5. *Obic. 1.* Si occurrant motiva in utramque partem 242
æqualia, hæc ſe mutuò elident; ſi autem pro una parte ſint majora, hæc elident probabilitatem aliorum minorum, ergo duo contradictoria nunquam er unt ſimul probabilia. R. n. ant. cujus falſitas intelligetur ex dicendis à *n. 261.*

Inſt. 1. Si unus dicat ſe vidiſſe Petrum domi, alter dicat ſe 243
eodem tempore vidiſſe foris, hæc motiva ſe elidunt; ideòque etiam in jure ſtatuitur, ut ſi utrimque ſint pares teſtes, neutris credatur, ſed idem eſt de quibuſcumque motivis ſuadentibus contradictoria, ergo. *Prob. min.* ideò priora ſe elidunt, quia certum eſt unum illorum dicere falſum; ſed etiam certum eſt unum contradictoriorum eſſe falſum; & ſicuti ibi de neutro ex illis hominibus determinatè certum eſt, quis dicat falſum, ſed tantùm indeterminatè & vagè, & nihilominus authoritas utriuſque eliditur, ita hìc, ubi motiva ſunt pro contradictoriis, utrimque elidetur probabilitas. R. Data maj de qua à n. 261. n. min. ad prob. n. maj. ſed ideo ſe elidunt, quia ſunt planè æqualia & ſimilia, ac præterea certum eſt unum illorum ſcienter dicere falſum, & conſequenter certus ſum

deeſſe

deeſſe uni authoritatem gravem, & non mereri, ut credam : in eo enim conſiſtit authoritas hominis loquentis, quòd ex malitia non fallat, & ex ignorantia non præſumatur falli in æſtimanda gravitate motivi, quod hìc non manet, quia cùm uterque teſtetur de viſu proprio, ſcio alterutrum ex malitia fallere, ergo ſcio in alterutro deeſſe authoritatem, ergo cùm neſciam ex qua parte deſit, determinatè neutri poſſum prudenter credere. Videri poteſt Teril. *in Reg. q. 29. n. 36. & q. 38. n. 36.* Quid autem dicendum eſſet, ſi de viſu non teſtarentur, intelligetur ex dicendis *n.* 398.

244 *Inſt.* 2. Saltem ſi Authores viginti ſint pro una opinione, & totidem pro contradictoria, neutra pars reddetur nequidem extrinſecè probabilis, quia ubi nulla eſt præſumptio veritatis, ibi nulla eſt authoritas, ſed in Authoribus ſibi contradicentibus nulla eſt præſumptio veritatis in utriſque ſimul, ſive in ſenſu compoſito, quia certum eſt alterutros errare, ergo, ita Eliz. *q.* 11. §. 4. *Conf.* nam probabile ab extrinſeco fundatur in peritia Doctorum, qui opiniones docent, ſed quando ſunt contradictoriæ, certum eſt in alterutra parte eſſe imperitiam, errorem, & ignorantiam, ergo tunc non poteſt pro utraque parte eſſe authoritas; ita Eliz. §. 1. R. 1. Si hæc argumenta valent, ergo in tali caſu nequidem poteſt eſſe dubium de veritate; quia ubi nulla eſt præſumptio veritatis, nullum poteſt eſſe dubium, cùm dubium ſit circa veritatem, ſed tum nulla erit præſumptio veritatis, quia certum erit alterutros errare, & eſſe imperitos. R. 2. n. aſſ. ad prob. diſt. min. in Authoribus ſibi contradicentibus nulla eſt præſumptio veritatis, id eſt, non eſt præſumendum; quòd utraque pars copulativè dicat verum, c., quòd utraque pars diſtributivè, ſive quòd utrique diviſivè dicant verum, n. de ſingulis enim partibus præſumitur, quòd nitantur gravi mo-

245 tivo. Ad *Conf.* diſt. probabile ab extrinſeco fundatur in peritia, quæ prudenter præſumitur conformis objecto, & communiter non fallit, c. quæ neceſſariò ſemper ſit conformis objecto, & nunquam fallat, n. hinc licèt certum ſit alterutram partem hìc, & nunc non habere peritiam conformem objecto ſed falli, tamen de ſingulis prudenter præſumitur peritia, quia ſinguli communiter verum dicunt, & neutra pars temerè aut ſine fundamento ſolet loqui: Videri poteſt Teril. *q. 29. à n. 61. & q. 44. n. 16.* ubi rectè dicit nomine periti, ſcientis & prudentis hìc venire illum, qui juxta humani intellectus capacitatem eſt inſtructus principiis ad materiam illam penetrandam ſufficientibus, & debitam in veritate invenienda diligentiam adhibuit. Vide dicta n. 99. in *Inſtantia*.

246 *Objic.* 2. Quod mihi certò eſt falſum, non eſt mihi verè probabile, ſed una pars contradictionis eſt mihi certò falſa, ergo una non eſt mihi verè probabilis, ita Eliz. §. 4. R. 1. retorquendo, quod mihi certò eſt falſum, non eſt mihi verè dubium, ſed una pars contradictionis eſt mihi certò falſa, ergo una non eſt mihi verè dubia, quod negat Eliz. volens utramque partem reddi ſolùm dubiam. R. 2. Si argumentum valet, ergo nequidem judicare potero utramque eſſe probabilem reſpectu diverſi intellectus: quòd autem falſum reddi poſſit probabile, patet ex communi adagio ex Ariſtotele, quòd multa falſa ſint, & non tantùm appareant, probabiliora veris. R. 3. Quod mihi certò, & determinatè eſt falſum, non eſt mihi probabile, c. ſi ſit mihi certò falſum, ſed indeterminatè, & vagè, n. maj. & ſimiliter diſt. min. n. conſeq. cùm enim reſcire non poſſit, quæ pars ſit falſa, & pro ſingulis ſit grave motivum, prudenter dico utramque eſſe probabilem. Vide Teril. à *n.* 75.

247 *Inſt.* 1. Si per revelationem tibi conſtaret unam ex contradictoriis eſſe demonſtratam, utraque non eſſet tibi verè probabilis, ergo neque nunc. R. n. ant. dummodò pro ſingulis maneret motivum grave, nec reſcire poſſem, pro qua ſtaret veritas, uti rectè Teril. *n.* 81.

248 *Inſt.* 2. Motivum pro una parte eſt falſum, ergo pro utraque parte non eſt motivum verè grave. *Prob. Conſeq.* aurum falſum non eſt verè aurum ſed tantùm apparenter, ergo motivum grave falſum non eſt verè motivum grave, ſed tantùm apparenter. *Conf.* quia ſi motivum appareret, quale in ſe eſt, appareret nullam habere connexionem cum objecto, ergo reipſa non eſt verè grave tantùm apparenter, R. n. utramque conſ. verè aurum eſt quid Phyſicum, quod per apparentiam haberi non poteſt, è contra motivum verè grave eſt motivum propter apparentiam veritatis multùm impellens ad aſſenſum, quod poteſt motivum falſum, cùm apparere poſſit verùm, & falſitas invincibiliter ignoretur, unde licèt ex parte objecti ſit falſitas, & ſola apparentia, tamen propter hanc ipſam apparentiam eſt veriſſima motio magna ex parte motivi impellentis, quod ſufficit ad motivum verè grave. *Ad*

249 *Conf.* n. conſ. quia quamvis verè non ſit verum motivum ſed tantùm apparet eſſe verum, tamen verè multùm movet, ergo eſt verè motivum, & verè grave: *Nec obſtat*, quòd ſit apparentia falſa, *nam* eſt quidem falſa reſpectu objecti, attamen eſt vera in ratione motivi, quia verè eſt apparentia veritatis, & quidem talis, quæ verè multùm trahat ac moveat intellectum, ergo eſt apparentia verè gravis, ſicuti error eſt verè error licèt reſpectu objecti ſit falſus.

Inſt. 3. Motivum illud eſt grave tantùm ex errore, & ignorantia, ergo non eſt verè grave. *Conf.* nam licèt contra SS. 250 Trinitatem ſint graviſſima argumenta, tamen non faciunt probabilitatem, quia nempè ſunt de objecto falſo, ergo ſimiliter hìc. R. ſi ſenſus antecedentis ſit, per errorem & ignorantiam judicatur eſſe grave, n. ex ſuppoſitione erroris, & ignorantiæ invincibilis eſt grave, c. ant. & n. conſ. quamvis enim error, & ignorantia ſit cauſa, cur motivum illud multùm moveat, tamen veriſſimum eſt, quòd multùm moveat, & conſequenter quod ſit grave. *Ad Conf.* n. conſ. non eſt au- 251 tem ideò, quia motiva ſunt de objecto falſo, ſed quia eliduntur per certitudinem motivi fidei, quæ docet dari Trinitatem: in noſtro caſu neutrum motivum elidit alterum, & neutrum eſt certum.

Inſt. 4. Saltem motivum illud non eſt verè grave reſpectu 252 objecti, ſed tantùm reſpectu intellectus, quem multùm impellit, ergo ſimpliciter non eſt grave, ſed tantùm ſecundùm quid, & relatè ad hunc intellectum. R. n. ant. non enim poteſt eſſe grave reſpectu intellectus, niſi etiam ſit grave reſpectu objecti, ideo enim intellectus multò impellitur, quia motivum multùm apparet eſſe connexum cum objecto.

Inſt. 5. Ergo hæreticus etiam poterit habere motivum 253 ſimpliciter grave reſpectu objecti ſui falſi. R. hæreticus materialis, c. hæreticus formalis, ſubdiſt. poterit habere, imprudenter, tranſeat, prudenter, n. ſeq. hic enim habet ignorantiam vincibilem, quam ſi excluderet conſiderando omnia, uti poſſet, & deberet, videret oppoſitum motivum certum, quo elideretur apparentia ſui motivi, & appareret imprudentia ſui actus: adde, quòd apparentia, quam habet hæreticus formalis, non tam ſit ratione objecti quàm ratione voluntatis malè diſpoſitæ, & imprudenter pertinacis, ideòque non poſſit conſtituere motivum verè probabile, quod requirit apparentiam rationabilem, & conſequenter ratione objecti, cum diſpoſitione rectæ voluntatis. Videri poteſt Teril. *n.* 10.

Inſt. 6. Onus, quod eſt grave propter malam ſubjecti 254 diſpoſitionem, v. g. propter ægritudinem, non poteſt dici ſimpliciter grave, ſed motivum grave ex ſuppoſitione erroris, & ignorantiæ, eſt grave propter malam ſubjecti diſpoſitionem, ergo non eſt ſimpliciter grave. R. Onus grave propter malam ſubjecti diſpoſitionem, non poteſt dici ſimpliciter grave, ſi omnes ordinariè non ſint obnoxii illi malæ diſpoſitioni, uti ordinariè omnes ægri non ſunt, c. ſi ordinariè omnes illi malæ diſpoſitioni ſint obnoxii, uti omnes ſumus obnoxii errori, & ignorantiæ invincibili, n. maj. & ſimiliter diſt. min. n. conſ.

Inſt. 7. Si talis apparentia poſſit reddere motivum gra- 255 ve, ergo poterit ita creſcere, ut reddat motivum certum. R. 1. neg. ſeq. certitudo enim ſupponit veritatem, cùm ſit adhæſio firma ad objectum verum. R. 2. poterit ita creſcere, ut reddat objectum certum objectivè, n. certum adhæſivè, id eſt, ut intellectus de ſe, & modo tendendi ita firmiter adhæreat objecto falſo, ſicuti adhæreret vero, c. ſeq.

Inſt. 8. Ratio, quæ eſt purum ſophiſma, non eſt verè 256 ſed tantùm apparenter gravis, atqui ratio falſa eſt purum ſophiſma, quòd ab Ariſtotele definitur, id, quòd tantùm apparet verum, ergo. R. Ratio falſa eſt purum ſophiſma, ſi ſciatur eſſe falſa, c. & hoc vult Ariſtoteles, ſi autem invincibiliter neſciatur eſſe falſa, n. min. & conſ. Nemo dicitur ſophiſta, qui judicando invincibiliter errat, ſed ſophiſta eſt, qui ſciens fallaciam argumentationis, ea utitur ad capiendum alterum, cùm ipſe ſciat ſe non poſſe ei aſſentiri, uti rectè Teril. *q. 25. à n. 34.*

Inſt. 9. Motivum verè probabile, & prudens debet eſſe 257 conforme rationi rectæ, ſed motivum falſum non eſt conforme rationi rectæ, quia *ratio non dicenda eſt nec exiſtimanda niſi vera*, inquit, S. Aug. de quantit. animæ c. 16. ergo motivum falſum non eſt verè probabile, & prudens, ita Gonz. *d. 8. n.* 34. R. 1. Ergo motivum probabilius, ſi falſum ſit; non erit verè probabile, & prudens, quod nemo admittet. R. 2. Motivum verè probabile, & prudens debet eſſe conforme rationi ſemper phyſicè rectæ, n. ſaltem ethicè rectæ, c. maj. & ſimiliter diſt. min. n. conſ. S. Aug. tantùm vult rationem phyſicè rectam debere eſſe veram. Vide dicta à *n.* 5.

Obji. 3 Si quis poſſit ſimul aſſentiri probabilitati duarum 258 contradictoriarum, ergo & poterit ſimul inferre duo conſcientiæ dictamina contradictoria, nempe quod tale objectum ſit, & non ſit licitum, R. poterit hæc inferre ex diverſis præmiſſis, uti explicabitur à *n.* 313. ubi etiam oſtendetur ejuſmodi dictamina nullo modo ſibi contradicere.

Obji. 4. Qui aſſentitur uni parti, non poteſt eodem tempo- 259 re aſſentiri alteri, uti dictū, *n.* 238. ergo nec tunc poteſt opinionem de altera habere, ergo multò minùs poterit de altera habere opinionem probabilem. R. Ergo nec tum poteſt de altera opi-

opinionem habere tanquam actum informantem, & tunc simul receptum in ſuo intellectu, c. non poteſt habere tanquam objectum, de quo reflexè dicat, quòd ſit opinio prudenter elicibilis, n. ſeq. & patet falſitas ex dictis *n.* 241.

260 *Objic.* 5. Verum & falſum improbabile pugnant, ergo etiam verum & falſum probabile, ita Eliz. Reſp. n. ant. nam hæc duo, ſtellæ ſunt pares, ſtellæ non ſunt pares, ſunt verum, & falſum, & tamen utrumque eſt improbabile, quia pro neutro eſt grave motivum.

Q. 40. *Quid ſit unum motivum elidi ab altero oppoſito, & quandonam hoc fiat?* R.

261 §. 1. Tum dicitur unum motivum elidi, ſi propter alterum oppoſitum amittat vim promovendi intellectum ad prudentem aſſenſum, v. g. ſi unus teſtetur Cajum priore anno eſſe mortuum, & tres alii fide digniores teſtentur ſe hoc anno vidiſſe vivum, teſtimonium primi eliditur.

262 §. 2. Motivum aliàs probabile eliditur per motivum certum illi oppoſitum; hinc ſi ſententia aliqua hactenus fuit probabilis, nunc autem contra eam inventæ ſint rationes evidentes, vel ab Eccleſia declarata ſit eſſe falſa, omnis probabilitas eliditur, quia motivum non ampliùs aptum eſt determinare intellectum ad prudentem aſſenſum.

263 §. 3. Motiva oppoſita incerta, & diſſimilia non elidunt ſe perfectè: *Probatur*, in primis ex Sanct. Auguſtin. *Epiſtol.* 117. *cap.* 3. ubi diſputat, an quotidie ſit communicandum? pro parte negativa adducit, quòd magis expediat ſe certis tantùm diebus tantò meliùs diſponere; pro affirmativa, quod quotidie peccemus, hinc quotidie indigeamus medicina: concludit, ut faciat quiſque, quod piè credit faciendum: ergo agnoſcit pro utraque parte manere ſufficiens motivum ad honeſtè operandum, & conſequenter unum non elidi ab altero. Idem docet Cap. *In Canonicis*, *diſt.* 19. ubi loquens de receptione Scripturarum Canonicarum ait, *In eis, quæ non accipiuntur ab omnibus* (Eccleſiis) *præponat eas, quas plures gravioreſque accipiunt, eis, quas pauciores minoriſque authoritatis Eccleſiæ tenent: ſi autem alias invenerint à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc inveniri vix poſſit, æqualis tamen authoritatis eſſe habendas puto*; ubi manifeſtè docet, quòd motiva authoritatis, unum propter plures numero ſed non ita graves, alterum propter graviores ſed numero pauciores, ſe mutuò non elidant, ſed maneant æqualiter fortia: Deinde idem evincunt omnia argumenta allata à *num.* 239. Præterea id probat experientia, nam qui tentatur in fide, experitur ſe trahi motivis, tum ad aſſenſum tum ad diſſenſum, & licèt agnoſcat motivum fidei cenſeri debere majus, tamen etiam experitur ſe propter motivum oppoſitum poſſe motivo fidei diſſentire, fierique poſitivè infidelem: & idem eſt de illo, qui poteſt vel benè vel malè judicare de proximo; experitur enim ſe utroque trahi, & poſſe utroque permoveri, ſi voluntatis imperium accedat, ergo evidens eſt, quòd ejuſmodi motiva incerta, & diſſimilia ſe mutuò non elidant: *Ratio* à priori eſt, quia motiva diſſimilia mutuo ſe excedunt ſecundum quid, id eſt, unum habet aliam ſpecie vim, & rationem movendi, quam non habet, & cui directè non opponitur alterum, ideò enim dicuntur diſſimilia, ergo non poteſt unum perfectè elidi per alterum, quia nempe in ſingulis manebit illa ſpecie diverſa, & quaſi diſparata vis ad movendum intellectum; quod maximè valet, ſi neſciatur, quodnam ſit abſolutè potentius: nam vis utriuſque videbitur vim ſui oppoſiti excedere, ergo manifeſtum eſt vim neutrius elidi. *Conf.* nam ſi motiva majora elidunt minora, ergo ſententia, pro qua ſunt motiva majora, erit certa quodammodo, & altera probabilis, quod eſt contra ſuppoſitum, nam loquimur de conflictu probabilioris cum probabili.

264 §. 4. Motiva tamen ejuſmodi oppoſita ſe imperfectè elidunt, hoc eſt, hoc & illud minus movet in præſentia ſui contrarii, uti experientia conſtat, plùs enim moverent ſingula, ſi ſolitariè cognoſcerentur, licèt utrumque adhuc ſufficienter moveat in ordine ad perſuadendum intellectum: & in hoc concurſu motivorum fundatur libertas opinandi quoad ſpeciem, ſive aſſentiendi, & diſſentiendi, prout acceſſerit impulſus ex parte voluntatis, uti iterum probat experientia, & dicetur à n. 398. & 414.

265 §. 5. Motiva ſimilia, & æqualia ſe perfectè elidunt, id eſt, ſi vis movendi unius ſit æqualis vi movendi alterius, & ob ſimilem ac ſibi mutuò directè oppoſitam rationem moveant, neutrum retinet vim ſimpliciter promovendi intellectum, quia quidquid affertur pro una parte, cognoſcitur habere aliud æquale prorſus ſimile contrarium, ergo intellectus fiet immotus, ſicut ſi duo pondera planè ſimilia ſint in lancibus, aut ſi duo equi fortes trahant in oppoſitas partes, reddunt libram vel currum immotum: hoc tamen non obſtante poterit voluntas imperare aſſenſum ad unam partem præ altera; ſed quia ex parte intellectus neutrum motivum in hoc concurſu erit ſufficiens, aſſenſus non erit rationabilis ſed imprudens ac merè voluntarius.

§. 6. Motivum minus, ſi ſit ſimile, id eſt, ejuſdem rationis, & directè oppoſitum motivo majori, ab hoc eliditur, ut ſequitur ex jam dictis, & exemplum datum eſt *n.* 261. notari tamen debent dicta à *n.* 243. & dicenda à *n.* 398. 266

Objicies. Hic actus eſt probabilis, *Omnis mater diligit filium*, iſte eſt improbabilis, *Læſus diligit lædentem*, ergo ſi hæc motiva probabilitatis, quamvis diſſimilia, ſe non elidant, hic actus, *mater læſa diligit filium lædentem*, erit probabilis, & improbabilis. Reſp. Iſte actus, *læſus diligit lædentem*, eſt improbabilis, per ſe loquendo, & plerumque, c. in omnibus circumſtantiis, & ſemper, n. nam ſi ſit de ſubjecto maxime diſpoſito ad diligendum, uti eſt mater, ex hoc motivo, quia perſona læſa eſt mater, poterit eſſe probabile, quòd nihilominus amet filium lædentem. Suppoſitis dictis ſit, 267

Q. 41. *Quibus argumentis probetur licitum eſſe ſequi opinionem probabilem relicta probabiliore?* R. ſeq. 268

§. 1. Authoritate SS. Canonum, & Pontificum: nam Cap. *Ego ſolis*, diſt. 9. expreſsè dicitur ex S. Aug. rationes probabiles ſufficere ad regulandum judicium prudens: Cap. *Sicut quædam*, diſt. 14. ex S. Leone dicitur, *In his, quæ vel dubia fuerint vel obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. PP. inveniatur adverſum*; ex quo textu hanc ſententiam probat S. Anton. apud *Eſp.* in app. a. 159. Similiter *Inn. III.* Cap. *Inquiſitioni* De ſent. excom. de conjuge credente Matrimonium eſſe invalidum, ait, *Cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamvis non evidenti, reddere poteſt, ſed petere non poteſt debitum*: Cur autem petere non poſſit putat *Arr.* eſſe ob hanc ipſam prohibitionem Eccleſiæ: *Sanch.* & alii putant etiam poſſe petere, ſi bona fide contraxerit, poteſtque videri de Matr. *l.* 3. *d.* 41. *à num.* 45. *& tota d.* 44. Item Eſp. *a.* 179. Plures enim Pontifices proceſſiſſe ſecundum opinionem ſibi viſam minus probabilem, oſtendit Carden. *in* 1. *criſi d.* 15. *c.* 2. *a.* 7. ſufficit, quod teſtatur Dom. Sot. *in* 4. *diſt.* 27. *q.* 1. *a.* 4. nempe Adrianum VI. propter unius *Cajetani* authoritatem, contra propriam opinionem diſpenſaſſe in Matrimonio rato.

§. 2. Communi conſenſu DD. nam ex omni ætate, ſtatu, conditione afferri poſſent pro hac ſententia Authores typo editi plures quàm 160. teſte Arſd. *T.* 2. *p.* 2. *tr.* 1. *c.* 1. *princ.* 17. *& cap.* 2. Teril. *hic qu.* 22. citat eorum 200. pleroſque à ſe inſpectos: *Gob. in Clyp. num.* 5. addit alios 25. à *Teril.* non viſos: plures alios addit Moya *de op. prob. qu.* 6. *§.* 2. *&* 3. libet aliquos deſignare. 269

Cardinales vel Epiſcopi qui hanc ſententiam tenent, ſunt Alb. M. S. Anton. Palud. Panorm. Alv. B. Med. Ledeſm. Zerol. Mald. Bonac. Barb. Caram. Tolet. Lugo *apud* Deſchamps *in quæſt. factic.* 3.

Thomiſtæ, inter quos Dominicani plurimi, Ang. Viguer. Med. Lop. Vict. Mercad. Nazar. Bann. Nugn. Martin. P. Ledeſ. Candid. Ildeph. Blanchis, Hacquetus *apud* Deſch. *c.* 5. & Illſ. *t.* 1. *d.* 1. *a.* 6. *§.* 6. Accedunt J. à S. Th. Tapia, Gravina, Navarrette &c. Hinc ait Deſch. Thomiſtas recentiores tam admirabili conſenſu patrocinium ſuſcepiſſe hujus ſententiæ, ut ex iis, qui poſt B. Medinam de hac controverſia ſcripſerunt, nullum videri, qui vel in ſpeciem tenuerit contrarium: hinc Gallego apud Eſp. *a.* 236. ait, hæc ſecunda ſententia communior eſt inter Thomiſtas. *Salon* anno 1592. editus dicit multos ac graviſſimos Theologos ita ſentire, ac maximè ex diſcipulis S. Th. uti fatetur Gon. *in introd. n.* 3.

Ex Auguſtinianis, Salon jam relatus, Arragon. Beja, B. Pontius apud Deſch. *c.* 6.

Ex Carmelitis, Cornejo, Lezan. Urb. ab Aſcenſ. apud Deſch. ibid. Accedunt Salmant. *in* 1. 2. *tr.* 11. *d.* 7. *dub.* 2. *§.* 4. Gabriel à S. Vincentio *de remed. ignor. d.* 12. *dub.* 27. *num.* 251.

Ex Benedictinis, Sayrus apud Deſch. ibid. Item Reding. *hic quæſt.* 9. *a.* 4. *contr.* 5.

Ex Carthuſianis. Roſſel.

Ex Ciſtercienſibus, Lorca, P. à S. Joſeph, Malletus apud Deſch. ibid.

Ex Franciſcanis, Pelb. Vill. Port. J. Pontius, P. March. Hauz. Coriol. Caſpenſ. Geſv. Ragg. apud Deſch. ib. Accedunt Baſſ. in floribus V. *Conſcientia num.* 9. Bordonus *in propug. op. prob. c.* 6. Boſco in Th. Sacram. *T.* 4. *d.* 8 *ſ.* 8. *concl.* 5. Sporer *de Conſ. à n.* 41.

Ex Clericis Regularibus, Leand. à S. Sacram. H. Garcias, Averſa, Paſq. Diana, Vivald. Lanfr. Boſſ. Homob. Spinol. Morin. Merol. Guazz. Joſ. de Januario apud Deſch. ibid. Item Delbene *de immun. Eccl. c.* 10. *d.* 4. *n.* 20. Accedunt maximo numero DD. ſæculares præſtantiſſimi, Ex Italia, Peſant. Carbo Zechus, apud Deſch. *c.* 7. Ex Hiſpania Nav. uterque, Jo. Med. Monteſ. J. Sanch. La Rua, Ochag. Trull. Roccaf. Gutt. Solorz. Machad. apud Deſch. ibid. Ex Gallia, Gammach. Duval. Iſamb. Bail. apud Deſch. ibid. Accedit Dumetz. apud Daniel. *Epiſt.* 3. Ex Belgio, Vviggers, Mercer. Mauden. Sylvius, Gauger. Hallus apud Deſch. ibid. qui horum, uti & præcedentium omnium à ſe citatorum locos, verba & encomia accuratiſſimè refert.

Ad

Ad Belgas accedit Manigart.*p.2.cap.6.§.5.* Item Authores ferè omnes è Societate Jeſu, quorum præcipuos referunt Deſch. *c.8.* & Eſp.*a.233.qui a.232.*ait, quod ad Authores attinet, certos & agentes hac de re in propriis terminis, ſingulis Theologis partis contrariæ reſpondet decas, ut minimum, Theologorum pro parte noſtra, idque juxta ſupputationem ipſorum adverſariorum: Teril.*in Reg.q.38. n.33.* dicit, pro hac ſententia eſse 40. ubi pro oppoſita unus: hinc etiam Valent. jam ab anno 1593. vocat communem, ſimiliter Suar.item P.Nav. anno 1597. vocat communiorem: Gonz. ipſe *num.5.* fatetur ab eo tempore uſque ad annum 1656. traxiſſe omnes ferè Theologos in ſui aſſenſum, & jam dixerat *num.1.* nullam fortaſse opinionem eſſe, quæ plures curſu non longo temporis ſectatores, & defenſores habuerit. Denique Opſtradt. licèt juratus hoſtis probabilitatum *in diſs. pag.13.* ait, *nihil per multos annos communius probabilitatum doctrina .·. communis ergo, & univerſalis per Eccleſiam erat probabilitatis doctrina.*

270 *Reſpondet* 1. Contenſ. nihil ad rem facere multitudinem Authorum; quia *Argumentum peſſimi turba eſt*; inquit Seneca *de Beata vita cap.1.* Addit Eliz.*l.7.q.11.* §.2. plures ex eis, qui libros edunt, verè Theologos non eſſe, & multos ſcientiæ morali prorſus impares eſſe, qui vel in Logicam ſcribere non auderent, ſe autem Theologiæ Moralis Doctores conſtituunt, quorum proinde numerus nihil ponat in eſſe. *Contra eſt* 1. S.Auguſt.*de quant.anim. cap.7.* ait, *utiliſſimum maximæ multitudini, excellentiſſimæ authoritati cedere, & ſecundùm hoc agere vitam.* Putant etiam omnes ſapientes ſatis conſuli prudentiæ, ſi quis ſequatur communem ſenſum, eſt enim incredibile tot viros præſtantiſſimos errare: hinc etiam in utroque jure, uti refert Teril.*q.2.n.181.*dicitur, ubi diverſæ ſententiæ proferuntur, potiùs vincit numerus Doctorum, vel ſi numerus æqualis ſit, ejus partis præcedat authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus eminet, qui ut ſingulos vincit, ita cedit duobus, unde Eſp. *num.230.* rectè dicit certum eſſe, quòd numerus, & qualitas Authorum maximi faciendа ſit, præcipuè in hac abſtruſa, & univerſaliſſima quæſtione: neque id negare potuit Gonz.nam *diſſ.5.n.30.* ait, qui contra communem cenſet quid illicitum, poteſt deponere opinionem hoc modo, *ſcientia mea, & ingenium meum nequeunt comparari cum ſcientia, & ingenio tot DD.credibiliuſque eſt falli unum minùs doctum, quàm tot ſapientes, qui conveniunt in aliqua aſſertione*: id poteſt ipſe ſibi applicare in hac quæſtione. 2. Nemo prudens contemnit Authores omni exceptione majores, uti conſtat ex jam dictis, & ratio eſt, quia præſumi debent duci gravibus motivis, hinc etiam adverſarii conantur ad ſuas partes trahere Authores, etiam nolentes. Quod dicit *Seneca*, verum eſt de popularibus factioſis, qui re non examinata feruntur, quò rapit paſſio, impetus aut ſeditioſorum exemplum. Authores benignæ ſententiæ ſunt veri Theologi, *Elizaldæ* ſuppares, nec præſumi debet Deum in materia morum tam univerſali, & neceſſaria permiſiſſe tandiu errare tot viros ſapientiſſimos & probiſſimos, Rectè S. Aug. *Epiſt.119. Eccleſia Dei multa tolerat, & tamen quæ contra fidem ſunt vel bonam vitam, nec approbat, nec tacet, nec facit.* Videri poteſt Terill.*q.45.*

271 *Reſp.*2. Eliz.*l.6.q.6.§.7.* per nullam multitudinem DD.privatorum poſſe fideles reddi ſecuros de ſuo non peccato, ſed tantùm per veritatem, & conformitatem cum lege Dei. *Contra eſt* 1. Nam ſi hoc valet, ergo nec ſecurus es ſequendo probabiliorem vel probabiliſſimam, ſi fortè falſa ſit. 2. Ubi veritas certò comperiri non poteſt, pro qua parte eſt multitudo DD.prudenter præſumitur pro ea eſſe veritas, conſequenter pro qua parte eſt major multitudò DD.prudentiùs præſumitur pro ea eſſe veritas, ergo cùm pro ſententia benigna ſint notoriè plures gravioreſque DD.prudentiùs præſumimus hanc eſſe veram: hinc ſit,

272 §.3. Non conſtat nobis certò de illa lege, quæ prohibeat ſequi probabiles, & obliget ad ſequendas ſemper probabiliores opiniones; ergo prudenter judicamus talem legem non dari, in dubio enim, an ſit lex an non ſit, ſtandum eſt pro libertate noſtra, quia hæc eſt in poſſeſſione, hoc enim axioma, *melior eſt conditio poſſidentis*, valet etiam extra materiam juſtitiæ, ut dicetur *à n.495.* Hinc rectè Lactant. *L.3. Inſt. cap.27. Stultiſſimi eſt hominis præceptis eorum velle parere, quæ utrùm vera an falſa ſint, dubitatur, & ideo nemo paret, quia nemo ad incertum vult laborare*, & ideo etiam *c. Cùm injure, 31.De off.& pot.jud.deleg.* dicitur, *Niſi de mandato certus extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur. Conf.* nam ſi lex illa daretur, eſſet lex naturæ, & quidem generaliſſima, ergo non deberet latere pleroſque homines, qui bona fide judicant eam non dari, maximè cùm multi ex adverſariis dicant in jure naturæ non dari ignorantiam invincibilem; eſſet autem ſummè temerarium velle omnes eos, qui defendunt vel docent ſententiam benignam, damnare erroris culpabilis, & tantæ malitiæ, ergo. *Conf.*2. nam non inventio legis poſt ſincerum examen tot Doctorum per ita longum tempus, eſt manifeſtum ſignum, quòd talis lex non exiſtat, uti ex principiis Eliz.rectè oſtendit Teril.*qu.53.* & dicemus *à n.718. Conf.*3. directè contra Eliz.nam ſecundùm ipſum, ſi motiva pro, & contra legem ſint æqualia, tunc ſe utrimque elidunt, ſæpè autem fit, ut quando operandum eſt, motiva pro, & contra legem ſint æquè probabilia, ergo erit, ac ſi tunc nulla eſſent motiva pro lege prohibente operari ſecundùm minùs probabilem, ergo licebit ſecundùm hanc operari.

Reſpondent, falſum eſſe, quòd ſola præcisè incertitudo 273
legis ſufficiat ad negandam illius obligationem, uti fatetur ipſe Card.*in 1. criſi d.60.* nam in primis ex illa incertitudine oriri poteſt dubium practicum, cum quo non eſt licitum operari: deinde quamvis lex ſæpè ſit incerta, tamen cenſeri debet eſſe in poſſeſſione, ideoque obligare; ſic enim ſi quis ſciat ſe commiſiſſe furtum, & dubitet, an ſit confeſſus, lex confitendi hoc furtum eſt incerta, attamen quia lex confitendi omne mortale eſt in poſſeſſione, etiam poſſidet lex confitendi hoc furtum, licèt fortè ante hac ſit confeſſus. *Contra eſt* 1. ſi oriatur dubium practicum, hoc deponi poteſt per rationem probabilem de non exiſtentia legis, vel ſaltem per motiva reflexa, uti *n.307.* dicetur. 2. Abſolutè contra legem incertam ſufficit ratio probabilis, ex qua aliquis prudenter judicet, ſe illi ſatisfeciſſe, uti probabitur *à n.599.* hinc quamvis generalis lex confitendi omne mortale commiſſum, ſit prior, & in certa poſſeſſione contra libertatem non confitendi, tamen ſi probabile ſit te eſſe confeſſum hoc furtum, non eſt nec unquam fuit reſpectu tui in certa, ſed tantùm in incerta, & dubia poſſeſſione, ideoque potius poſſidet tua libertas contra eam legem incertam, eò quòd non ſit tibi ſufficienter applicata, uti dicetur *n.* 274. quod *Conf.* nam ſi ſit probabile te eſſe confeſſum, eſt probabile ſatisfeciſſe legi, ergo non eſt certum, quòd ei non ſatisfeceris, ergo lex iterum confitendi non eſt certa, ergo ad ſummum erit probabilis, ſed tua libertas eſt probabilis, quia probabile eſt te eſſe confeſſum, ubi autem directè probabile eſt eſſe legem, & directè probabile non eſſe legem, reflexè certum eſt, non dari obligationem legis defectu ſufficientis promulgationis vel applicationis illius, uti jam dicetur, ergo. Vide dicenda *à num.495.*

Camargo *p.1.l.1.controv.9.à n.*104. contra rationem illam ſic inſurgit: Poſſeſſio libertatis eſt dominium, quod homo habet ad ponendas actiones ſuas: ſed hoc dominium non poteſt prævalere contra Deum, quia Deus neceſſariò habet dominium altius reſpectu earundem actionum, cui non poteſt prævalere ullum dominium hominis, ergo inhomine non poteſt eſſe poſſeſſio libertatis contra Deum. *Reſp.*1. Idem argumentum valet in caſu etiam majoris probabilitatis contra legem Dei; item in materia juſtitiæ, ſi ideo, quia poſſideo, me excuſem à divina, & naturali lege reſtituendi, quod probabiliter aut etiam probabilius eſt alienum. *Reſp.*2. Hoc dominium, & hæc poſſeſſio libertatis non poteſt dari contra Deum, ſi non poſſit prudenter judicari, quòd hæc actio permittatur à Deo, conc. ſi hoc poſſit judicari, n. quia dominium à Deo conceſsum ad ponendas actiones eſt nobis certum, nec impeditur, quamdiu prudenter judicamus Deum actionem talem permittere, & non reſtringere libertatem noſtram.

*Inſtat à n.*109. Illa permiſſio Dei, ut homo in tali circumſtantia agat, eſt dubia, ergo non poteſt reſultare in homine niſi jus dubium tum agendi, atqui agere cum dubio, an ſit jus agendi, eſt peccatum, ergo. *R.*1. Idem valere in caſu majoris probabilitatis contra legem; item in materia juſtitiæ. *R.*2. n.ant.nam poſitivè, & prudentiſſimè judicatur dari, ob rationes datas, & dandas, præcipuè *n.339.* ergo non eſt jus dubium, ſed ſaltem veriſſimè probabile.

§.4. Quamvis fortè exiſteret lex prohibens ſequi probabi- 274
lia, tamen videtur evidens, non eſse ſatis promulgatam, ergo nos non obligat. Conſ. patet, nam ſecundùm S. Th. 1.2. *q.90. ar.4. ad hoc ut lex virtutem obligandi obtineat, quod eſt proprium legis, oportet quod applicetur hominibus, qui ſecundùm eam regulari debent, talis autem applicatio fit per hoc, quòd in eorum notitiam deducitur ex ipſa promulgatione, unde promulgatio ipſa neceſſaria eſt ad hoc ut lex habeat ſuam virtutem*; hinc Gratianus *in cap. In iſtis, diſt.*4. ait, *Leges inſtituuntur, cùm promulgantur. Antecedens vero probatur*, promulgatio ſufficiens, eſt externa publicatio, per quam exiſtentia legis fit ſubdito certa. & manifeſta, in dubio enim, an detur lex nec ne, poſſidet contra eam libertas, atqui evidens eſt talem publicationem externam legis prohibentis ſequi probabilia non dari, ergo. *Prob.min.* quando prudenter dubitatur de exiſtentia talis publicationis, imò quando hæc publicatio probabiliter negatur, tunc evidens eſt non dari talem publicationem, atqui prudenter dubitatur, imò probabiliter negatur publicatio talis legis, ergo. *Prob.min.* prudenter dubitatur, an exiſtat talis lex prohibens; & probabile

eſt non

eſt non exiſtere, certum enim eſt ex dictis, *n.*269. plurimos negare, & certum eſt eam ſententiam negantem eſſe probabilem, ergo exiſtentia publicationis illius etiam non poteſt dici eſſe certa, & manifeſta. *Conf.* nam plures ſunt, qui affirmant dari legem permittentem ſequi probabilia, & reipſa probabilius eſt id licere, uti dicetur *à n.*298. ergo hæc lex permittens eſt magis promulgata, quàm oppoſita prohibens, maximè in ſententia adverſariorum, qui dicunt motiva probabilia elidi per probabiliora: nos itaque ſic concludimus, ſi lex prohibens fuiſſet lata, & ſufficienter promulgata, utique veritas talis legis innotuiſſet poſt tantam inquiſitionem, ſed non innotuit illa veritas, ergo talis lex vel non eſt lata vel non eſt ſufficienter promulgata. Videri poteſt Teril. *q.*53.

275 *Reſpondent* 1. Eliz. *l.*7. *q.*4. §. *ult.* & Gonz. *diſt.*6. *num.*37. argumentum illud ad ſummum habere locum in lege humana, nam legislator humanus poteſt legem concepiſſe, & poſteà mutato conſilio nolle promulgare, ſicque tacitè revocat, at implicat Deum legem concipere, quin habeat voluntatem efficacem eam promulgandi, alioqui fruſtra concepiſſet; hæc autem lex ſequendi probabiliora eſt Divina, imò naturalis, ergo implicat eam non eſſe ſufficienter promulgatam. *Contra eſt* 1. nam lex naturalis, cùm ſit à natura inſita, multò magis innoteſceret, ſi daretur, ergo cùm non innoteſcat, vel non datur vel non eſt ſatis promulgata; & idem eſt de lege Divina poſitiva. 2. Quamvis implicet legem Dei non eſſe promulgatam aliquibus ſaltem, aut aliquando, tamen non ideò debet eſſe promulgata omnibus, & ſemper, nam operans ſecundùm probabiliorem, & minùs tutam ſæpè operatur contra legem Dei, vel etiam naturæ, & tamen non peccat, quia lex hic, & nunc non eſt illi ſufficienter applicata; idem eſt, ſi revelatio Dei non ſit mihi ſufficienter propoſita, datur enim tunc lex Divina, & naturalis credendi Deo, attamen me hic & nunc non obligat; ſimiliter hic, ſi enim daretur talis lex Dei vel naturæ prohibens ſequi tantùm probabilia, ſatis eſſet promulgationem ejus aliquibus eſſe ſatis notam, aut ſaltem aliquando eſſe notificandam per Eccleſiam, nobis autem, qui habemus graviſſima argumenta contra illius exiſtentiam, non eſt notificata, & inde inferimus non dari hic, & nunc obligationem talis legis.

276 *Reſp.*2. Camargo *controv.*6. *à num.*38. Leges divinas, & naturales non indigere promulgatione. *Contra eſt*, voca, ut voles, ſaltem indigent ſufficiente notitia, & applicatione quoad nos, divina quidem lex per prædicationem vel revelationem, naturalis autem partim remotè per ipſam naturam rationalem productam, in qua relucet; partim proximè per dictamina rationis, quæ indicant, quid naturam rationalem qua talem deceat aut dedeceat; non habemus autem vel revelationem vel talia dictamina de ſequendis ſemper probabilioribus, ergo.

277 *Reſp.*3. Leges naturales, & divinas eſſe æternas, adeoque priores libertate creata, & conſequenter contra hanc poſſidere, ergo in dubio an exiſtant necne, ſtandum erit pro illis contra libertatem: maximè cùm ſint favorabiles, utpotè utiles, & favorabilia ſint amplianda. *Contra eſt*, lex naturalis, prout eſt in Deo, non habet proximè rationem legis, niſi compleatur per legem naturalem, prout in creatura, hanc autem ita definit S.Th. *in ſuppl.*65. *a.*1. *O. Lex naturalis nihil aliud eſt, quàm conceptio homini naturaliter indita, qua dirigitur ad convenienter agendum in actionibus propriis*: Ex his evidens eſt legem naturalem non habere completam rationem legis, & conſequenter non poſſe poſſidere, priuſquam ſupponatur ex parte creaturæ ſufficiens dictamen vel cognitio conformitatis aut difformitatis cum natura rationali qua tali: ſimiliter licèt demus legem poſitivam, prout in Deo eſt, eſſe ſimpliciter ab æterno, attamen non poſſidet reſpectu ſingulorum, niſi apud ſingulos ſit cognita, quòd fateri debent Adverſarii: nam ſi probabilius ſit legem naturalem aut divinam non exiſtere, lex illa non poſſidet, nec ita obligat, ut contraveniens peccet formaliter, ergo: ſi vis, ſic diſtingue: lex æterna, ſi ſit certa, eſt prior & poſſidet contra libertatem, c. ſi ſit incerta, n. cùm enim tota ejus eſſentia, & omnia prædicata ſint dubia, etiam dubia eſt ejus prioritas, & poſſeſſio, ergo libertas dejici non poteſt de ſua certa poſſeſſione. Quod additur de favore legum illarum, manifeſtè retorquetur, nam ſi lex naturalis vel divina in dubio poſitivo amplianda eſt tanquam favorabilis, ergo etiam obligat in caſu opinionis probabilioris de non exiſtentia talis legis: unde ſicuti ipſi dicunt ſufficere, quod ſit probabilius non dari, ſic nos dicimus ſufficere, quòd ſit probabile, vel oſtendant, ubi aut Deus aliter ſtatuerit, aut Eccleſia aliter declararit, quamvis enim Author naturæ potuerit arctare libertatem creatam ad obtemperandum legi in caſu, in quo probabilius, aut etiam tantùm probabiliter judicatur exiſtere, tamen non eſt fundamentum dicendi, quòd ita arctaverit.

278 *Reſp.*4. Ut lex naturalis vel divina obliget, non eſt opus, ut ſaltem communitati promulgetur, alioquin qui per revelationem vel per ſcientiam privatam ſciret dari legem de ſequenda probabiliore, poſſet ſe excuſare per aliorum ignorantiam, allegando defectum ſufficientis apud omnes promulgationis, ergo ſatis eſt eſſe notam aliquibus. *Contra eſt*, nam licèt ſatis, ſit eſſe notam aliquibus, ut hi aliqui, quibus eſt nota, obligentur, non tamen ut obligemur nos, & omnes alii, qui ſaltem probabiliſſimè negant exiſtentiam talis legis, nec agnoſcere poſſunt eſſe ſatis promulgatam ulli homini.

*Reſp.*5. Si talis lex non foret nobis ſufficienter promulga- 279
ta, ergo agere contra illam nequidem eſſet tranſgreſſio materialis, ita Eliz. *l.*3. *q.*8. & Author Syn. *nu.*114. *Contra eſt*, ſi reipſa non exiſtat talis lex, uti non exiſtere dicimus, agere contra, nequidem materialis eſt tranſgreſſio; ſi autem exiſtat lex talis, cujus nobis deſit ſufficiens promulgatio vel applicatio, agere contra illam erit tranſgreſſio materialis legis, in primis prout exiſtentis in mente Legislatoris, deinde etiam prout ſatis promulgatæ, aliquibus ſaltem, v.g. Adamo, B. Virgini, aut fortè etiam quibuſdam ex Adverſariis, hoc enim ipſum debent omnes dicere in caſu ignorantiæ invincibilis cujuſcumque legis.

*Reſp.*6. Quando probabilius eſt dari legem, etiam pro- 280
babilius eſſe, quòd detur ſufficiens ejus promulgatio, adeoque legem tunc eſſe ſufficienter promulgatam. *Conf.*1. quia hoc ipſo, quòd adſint rationes firmiores, quibus probatur legem eſſe, & obligare, communis ſenſus, & recta ratio dictat eſſe obſervandam, ergo. Ita Gonz. *num.*32. *Conf.* 2. nam ille ſervus eſt reprehenſibilis, qui nihil vult facere, niſi quod certò ſcit eſſe à ſuo domino præceptum. *Contra eſt* 1. Ut lex me proximè obliget, debet vel eſſe mihi moraliter certum, quod lex exiſtat, vel non eſſe probabile, quòd non exiſtat, alioquin eſt certa poſſeſſio libertatis contra legem: atqui licèt probabilius ſit legem ejuſque promulgationem exiſtere, non ideò mihi moraliter certum eſt legem exiſtere, ſed manet mihi probabile, quòd non exiſtat, uti ſupponitur, ergo. 2. Falſum eſt, quod probabilius ſit dari legem obligantem ad probabiliora, ſententia enim negans eſt ſaltem probabilior, uti dicetur *à num.*298. ergo non datur ſufficiens promulgatio legis obligantis ad ſequenda probabiliora: & ſic patet ad *Conf.*1. *Ad* 2. Reſp. laudabile eſſe facere illa, quæ ſunt etiam conſilii, & quæ putamus eſſe Deo gratiora vel in ſe tutiora, ſed negamus obligationem: unde ſicuti ſervus imprudenter ſibi fingeret obligationem ad omnia, de quibus dubitat, an Domino ſint præcepta, attamen benè facit, ſi agat, quæ putat Domino magis placere, ita & nos. Vide dicenda *n.* 475. & 510.

*Reſp.*7. Si requiratur talis promulgatio, fruſtra erit omnis 281
Theologia moralis, nam certum erit, ubi erunt utrimque probabilia motiva, certò deeſſe ſufficientem promulgationem legis adverſantis libertati, ideoque certò licere partem benignam, ita Gonz. *d.*3. *à n.*103. *Contra eſt*, neceſſe eſt ſcire, an dentur motiva probabilia necne, an hæc motiva ſint vel non ſint certò probabilia, quod non facilè reſcitur, uti dictum *à n.* 150. nec reſciri poteſt niſi per Theologiam moralem, inquirendo in veritatem, & conferendo utrimque motiva: quòd ſi reperero incertam eſſe veritatem, & certam eſſe probabilitatem opinionis directæ faventis libertati, tunc prius potero reflexè judicare promulgationem legis adverſantis libertati non eſſe certam, ideoque certò eſſe legem permittentem operari oppoſitum. Videri poteſt Teril. *q.*18. *qui q.*43. affert confutationes plures eorum, quæ hic reſpondent Adverſarii.

§. 5. Qui operatur contra legem ex ignorantia invincibili 282
legis, non peccat, uti certum eſt ex dicendis *à n.*735. ſed qui operatur ſecundùm opinionem probabilem, ſi erret, operatur contra legem ex ignorantia invincibili legis, ergo non peccat. *Min. prob.* ipſe re ſufficienter examinata, bona fide judicat non eſſe obligationem, & quamvis conetur, tamen non poteſt eam agnoſcere, vel veritatem invenire, uti ſupponitur, ergo ſi erret, invincibiliter errat.

*Reſp.*1. *Vvendrochius*, Deum rogandum eſſe, qui fugge- 283
ret, quid à parte rei verum ſit. *Contra eſt*, orarunt SS. Hier. & Aug. SS. Th. Antonin. & Bonav. nec tamen ſemper attigerunt verum, cùm ſæpè teneant contradictoriè oppoſita, quorum unum certò eſt falſum, uti oſtendemus *num.*719. 722. 729. Camargo *p.*1. *l'*1. *contr.*9. inſinuat recurrendum eſſe ad judicium Eccleſiæ, ſicuti Deut.17. jubebantur Judæi in dubiis recurrere ad Sacerdotes. *Sed* reſponſum dat ipſe ſibi *à n.*73. neque efficaciter oppugnat; quis enim dicat pro ſingulis dubiis ſcribendum eſſe ad Papam? hic certè nos remitteret ad ſcholas, & DD. donec ipſi libeat de aliqua propoſitione ſententiam ferre, & notum eſt noſtram ſententiam benignam, ſæpius eſſe denuntiatam S. Sedi, quæ tamen hactenus non declaravit eſſe falſam, ſi autem declaret, abjurabimus.

*Reſp.*2. Gonz. *d.*6. *n.*8. & *d.*11. *c.*2. ſic operantem poſſe 284
proximè, & quidem ex motivis probabilioribus judicare, quòd

res

res illa ſit objectivè mala, ergo non laborat ignorantia invincibili illius malitiæ objectivæ, tum enim tantùm eſt invincibilis ſecundùm S.Th.2.2.*q.76.a.2.* O, quando ſtudio ſuperari non poteſt, poteſt autem hic ſtudio ſuperari, quia per motiva probabiliora, quæ, invenit, poteſt ignorantiam illam deponere. *Contra* eſt 1.Etiam ille, qui ſequitur probabiliorem faventem libertati, poſſet proximè ex motivis probabilibus judicare, quòd res illa ſit objectivè mala, uti dicetur à n.414.Et quamvis id non poſſet judicare, tamen agnoſcit eſſe certò probabile, quod res ſit objectivè mala, adeoque poſſet ſuſpendere judicium, atque ita non errare, uti dicetur n.387.Et præterea, ſi judicet rem eſſe objectivè bonam, ſicque erret, errat invincibiliter, & non peccat formaliter, ergo: Ratio à priori eſt, quia licèt hoc poſſet judicare, & ſic non errare, tamen ad hoc non tenetur, quia habet motivum prudens aliter judicandi. 2. Quamvis judicaret ſecundùm probabiliora, tamen non judicaret certò, neque eliderentur probabilitas judicii oppoſiti, ergo pergeret invincibiliter ignorare, ut objectum ſit in ſe reipſa malum an non, ergo ſi amplectatur objectum in ſe reipſa malum, id per accidens erit, & naſcetur ex ignorantia invincibili, poſſuntque noſtræ ignorantiæ applicari omnia, quæ pro ſua affert Gonz.*c.3.*

285 §.6. Ignorantia invincibilis excuſat eum, qui propter motiva probabiliora docet licere ſequi opinionem probabilem relicta probabiliore, ut fatentur Gonz.*d.12.c.1.* Auth.Syn.à *n.95.* Eſtrix in Logiſtica pag.234. & certum eſt, alioqui innumeros viros probiſſimos, & ſapientiſſimos damnaremus graviſſimi peccati, probatque Eſp.*in app.a.225.* quia proxima regula operationis honeſtæ eſt propria conſcientia, quam quis formet ex judicio prudente ſaltem propter rationes, quas bona fide judicat firmiores: ergo etiam excuſat eum, ſi ſecundùm illam ſuam doctrinam operetur, & conſequenter etiam excuſat quemcumque alium ſic operantem. *Conſeq.prob.* quia talis, qui docet talem praxin licere, putatque hoc eſſe verum, habet hanc doctrinam tanquam practicam, directivam, per ſe intentivam, & cauſativam praxeos apud ſe, & apud alios, ergo ſi doctrina excuſetur, etiam excuſabitur praxis, quia doctrina, ſi falſa eſſet, foret longè magis noxia, quàm hæc vel illa illa praxis in particulari, & è contra ſi praxis non excuſetur, multò minùs univerſalis doctrina approbans, intendens, & cauſans illam praxin. *Conf.* nam qui ſic docet, & judicat licitum eſſe operari ſecundùm minùs probabilem, poteſt ſuadere alteri, ut ſic operetur, quia ſuadet ex prudente dictamine ſuæ conſcientiæ, concepto ex motivis ſibi probabilioribus: poſſumque id ſuadere alteri, quod judico illi eſſe licitum, ergo etiam poteſt ſic operari, quia ſuadere eſt reipſa moraliter operari.

286 *Reſp.*1. Docentem ideo excuſari, quia docet hoc quod judicat eſſe probabilius, & reipſa verum, è contra operantem non excuſari, quia operatur hoc, quod judicat eſſe minùs probabile, & potiùs falſum. *Contra* eſt, ideo docens excuſatur, quia ſi erret, errat invincibiliter, cùm veritatem, uti in ſe eſt, reſcire non poſſit, ſed idem eſt de operante, qui non ſcit de ulla lege obligante ſe ad ſequenda probabiliora, ergo.

287 *Reſp.*2. Poſſet aliquis invincibiliter judicare, & conſequenter invincibiliter docere, v.g. deſiderium internum fornicandi non eſſe peccatum, ſi nihil operaretur externè: item ſe non peccare, ſi operaretur cum conſcientia pu è negativè dubia, & tamen per tale deſiderium, & per operationem cum conſcientia dubia peccaret, ergo. *Contra* eſt, nam illum deſiderantem non peccaturum formaliter, dixi n.35. ſed nec peccaret operans cum tali dubio, uti rectè Sanch.*in Decal.l.1. c.16. n.18.* & certum eſſe dicit Carden.*in 1.criſi d.78. c.4.* quia reipſa non operaretur cum conſcientia dubia, ſed ſuppoſito illo errore directo, operaretur ex dictamine reflexo invincibiliter formato, quo diceret, licitum eſt mihi operari cum conſcientia, quam hic, & nunc invincibiliter judico ſufficere, atqui ſic operor, ergo. Vide dicta n.*63.*

288 *Reſp.*3. Falſitatem ejuſmodi dictaminum conſiſtere in hoc, quòd affirment non dari peccatum formale, ubi peccatum formale datur, & ideo ejuſmodi dictamina non excuſare. *Contra* eſt, nam ad ſummum dicunt, ibi non dari peccatum formale, ubi peccatum formale daretur, niſi interveniret ignorantia invincibilis, quod veriſſimum eſt.

289 §.7. Qui prudenter operatur, non peccat, ſed qui operatur ſecundùm opinionem probabilem, ille prudenter operatur, ergo non peccat. *Min. prob.* qui operatur ſecundùm rationem firmam, & gravem, ille prudenter operatur, quia agit conformiter rationi rectæ, ſed qui operatur ſecundùm opinionem probabilem ille operatur ſecundùm rationem firmam, & gravem, ergo. *Conf.* nam opinio, ſecundùm quam operatur, eſt certò probabilis, & quidem in ordine ad praxin, loquimur enim de opinione practicè probabili, ergo praxis illius eſt rationabilis & prudens.

290 *Reſp.* Author Synop.n.128.opinionem probabilem tunc eſſe conformem rectæ rationi, quando eſt vera, aut ſi ſit falſa, quando eſt conformis rationi in exiſtimatione hominis, qui judicat illam eſſe veram, & legi æternæ conformem, non autem in exiſtimatione hominis, qui judicat vel poteſt judicare eſſe potiùs falſam ac difformem legi æternæ, hinc dicit etiam Gon. *d.3.à n.53.& d.8.§.4.* motivum talis opinionis eſſe grave, & firmum reſpectu illorum, qui illi aſſentiunt tanquam abſolutè vero vel ſaltem tanquam veriſimiliori, non autem reſpectu aliorum, quibus videtur potiùs falſum vel minus veriſimile: hi enim illud approbare non poſſunt in ſenſu compoſito, quod oppoſitum agnoſcant eſſe potiùs verum & veroſimilius, adeoque reſpectu horum non eſt probabile. *Contra* eſt 1.Opinio adhuc eſt conformis rectæ rationi, hoc ipſo quòd ſciam niti ratione firma, & gravi, qua aptus ſit moveri vir prudens ad aſſenſum, licèt mihi videatur, quòd pro oppoſita ſit ratio æqualis vel etiam firmior, alioqui quiſquis unam opinionem defenderet ut probabiliorem, deberet judicare opinionem oppoſitam eſſe improbabilem, & difformem rectæ rationi, quod eſt contra ſenſum omnium ſapientum, & oppoſitum ſatis conſtat ex dictis n.263.264.2.Poſſet quis, etiam in ſenſu compoſito, quod agnoſcat oppoſitum eſſe probabilius, aſſentiri, uti oſtendetur à n.414.Et quamvis id non poſſet, etiam, non eſt opus, uti conſtabit ex dicendis à n.387.

§.8. Deus permittit in rebus incertis illud facere, quod 291
omnibus benè expenſis judicamus eſſe licitum, ſed omnibus benè expenſis judicamus hoc eſſe licitum, quod probabile eſt eſſe licitum, ergo Deus permittit in rebus incertis hoc facere, quod probabile eſt eſſe licitum. *Min. prob.* quia quamvis judicemus probabilius eſse, quod ſit illicitum, adhuc tamen manet in nobis hoc judicium, quòd probabiliter ſit licitum, ideoque me hic & nunc poſſe ponere. *Conf.* nam licèt aliqui teneant tanquam probabilius, quòd B.Virgo ſit maculatè concepta, tamen licitè colunt Immaculatam Conceptionem, uti certum eſt, cùm Eccleſia non tantùm id permittat, ſed etiam præcipiat omnibus, ergo talis licitè operatur ſecundùm opinionem ipſi minùs probabilem, ergo & aliàs idem poterit.

§.9. Obligatio ſequendi opinionem probabiliorem inde 292
oriretur, uti volunt adverſarii, quia operans ex probabili eſſet practicè dubius de honeſtate actionis, hoc autem eſt falſum, nam habet judicium probabile directum de honeſtate actionis; & licèt hoc judicium omittat, habet ultimum dictamen certum de honeſtate illius actionis, ut explicabitur à n. 303. ergo.

§.10. Si ſit obligatio ſequendi probabiliorem naſcentur in- 293
commoda intolerabilia, nam 1. quiſque tenebitur ante operationem inquirere, quænam opinio ſit probabilior: rectè enim dicit Suar.*de cenſ.d.4.ſ.8.num.15.* in debito faciendi, intrinſecè includi debitum ſciendi, & reipſa aliàs non ſincerè procedet cum Deo, ſed ſe exponet periculo violandi jus illius; qui autem ſemper ſit probabilius, hoc moraliter eſt impoſſibile aut invenire aut diſcernere, etiam doctis, uti conſtat ex dictis à num.50.hinc ſapienter dicit Suar.*in 1.2.tr.3. d.12. ſ.6. num.8.* fore onus intolerabile, obligare omnes homines ad conferendas ſingulas opiniones. 2. Non licebit Advocato defendere partem minùs probabilem, ſicque tenebitur cum labore, & ſine mercede diſcutere utriuſque partis argumenta, antequam unam poſſit tueri: ſimiliter non licebit mihi à Papa petere diſpenſationem, ubi mihi probabilius erit eum diſpenſare non poſſe &c. quæ tamen ſunt contra ſenſum, & praxin communem. 3.Si quis contractum injerit vel aliquid ſuaſerit ſecundùm opinionem, quam tunc putabat probabiliorem, audita nova ratione, quæ gravior videbitur, tenebitur reſcindere, aut revocare, iterumque occurrente nova ratione in oppoſitum, tenebitur redintegrare, ne alteri ſit injurius vel malè ſuaſor, & ſic in infinitum. 4. Scrupuloſus, præſertim ſi ſit vir doctus, non poterit ſequi judicium Confeſſarii, imò quivis ſubditus, cui Superior aliquid præcipiet ſecundùm ſententiam ſibi probabiliorem licitum; ſi ſubdito probabilius ſit eſſe illicitum, non poterit obedire, quod admitti non debet, uti à num.432. oſtendetur. 5.Confeſſarius non poterit contra propriam opinionem, quam probabiliorem judicat, abſolvere pœnitentem volentem permanere in ſua opinione probabili oppoſita, quod à n.443.etiam oſtendemus eſse falſum.6. Sequetur nos plerumque obligandos ad tutiora, nam ſi opiniones ſint æqualiter probabiles, aut ſi præponderantia pro una parte non ſit magna, & notabilis, adverſarii docent vel abſtinendum eſse ab operatione vel ſequenda eſse tutiora, rariſſimè autem agnoſcetur talis præponderantia motivi ex una parte, quin intellectus ob motivum grave oppoſitum fluctuet, & prudentiſſimè formidet de falſitate partis probabilioris, aut ſaltem difficillimè ſciemus, an hæc vel illa præponderantia ſit ſufficiens, & etiam in hoc dubio erit obligatio ſequendi tutiora, ſicque paſſim incidemus in Tutioriſmum, cùm tamen, ſecundùm dicenda à n.478.certum ſit non eſse obligationem ſequendi tutiora, niſi in quibuſdam materiis, de quibus dicam à n.476. Denique etiam conſiderandum eſt, quod dicit Terillus in præfat.ad Reg. morum,

nem-

nempe Janſeniſmum eſſe matrem ſententiæ probabilioris, *ſic enim non poterant habere melius medium perſuadendi aliqua Dei præcepta eſſe ſecundùm præſentes vires obſervata impoſſibilia: item hoc erat aptiſſimum medium Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, reddendi magis odioſa.* Hæc ille.

294 §.11. In quæſtione particulari, & dubia, an aliquid faciendum ſit ſub peccato necne: Item an aliquid faciendum ſit ſub mortali vel veniali, ſtandum eſt pro parte benigna, dicendumque non eſſe peccatum, vel non eſſe mortale, niſi authoritas certa aut ratio evidens evincat oppoſitum, uti oſtendetur de Pœnit.quando de prudentia Confeſſarii; & hic inſinuabitur n.475. ergo hic multò magis tenendum eſt in hac univerſaliſſima quæſtione, quæ eſt veluti regula pro infinitis aliis, uti optimè expendit Eſp.*a.*217. *& ſeqq.* ubi addit, quòd ſententia rigida Adverſariorum ſit fautrix omnium auſteritatum poſſibilium in opinabilibus, ideoque ſit formaliter periculoſior quàm benigna, uti eodem n.475.dicetur.

295 *Reſp.*1. Doctrinam hoc ipſo eſſe ſuſpectam, quòd benigna ſit, cum ſcriptura, & SS.PP. ubique dicant viam ad cœlum eſſe arctam, per dura, & aſpera eò tendendum. *Nec obſtat*, quòd Chriſtus dicat jugum ſuum eſſe ſuave, nam ſuave non eſt ex rebus ipſis præceptis, ſed tantùm, partim ex gratiis, & auxiliis divinis, partim ex affectu pio, præſertim dilectionis erga Deum. Ita Eliz.*l.*6.*q.*5.*ſub finem*, *& q.*9.*§.*6.*Contra* eſt, nam Scriptura addit. 1.Jo.5.*v.*3. *& mandata ejus gravia non ſunt*, & licèt carni, & ſanguini repugnent, ſintque importabilia naturæ ſibi relictæ, quod tantum volunt Scriptura & PP.tamen nunc per ordinarias etiam Dei gratias portabilia ſunt, & abſolutè levia, maximè ſecundum illud S.Aug.*ſerm.*47. *de diverſis c.*1.*Quidquid durum eſt in præceptis, ut ſit leve, charitas facit*: ſi autem eſſet obligatio, quam aſſerit Eliz. ſemper operandi vel ſecundùm ſententiam re ipſa veram, vel ſecundùm tutiorem, id foret onus intolerabile, uti rectè Teril.*q.*9.*n.*52. & magis declarabitur ad dub.ſeq.

296 *Reſp.*2. Non ſpectat ad homines tollere vel per opinationes ſuas reddere leviora Dei præcepta, aut leges æternas immutare. *Contra* eſt, quamvis ad nos non ſpectet legem illam Dei certam, & per ſe talem tollere, aut per opinationes noſtras leviorem reddere, tamen quando dubium eſt, an lex Dei exiſtat, ad nos ſpectat prudenter opinari circa illam, & tollere legem, quæ fortè nunc per accidens, & ob errorem obligat, vel minorem ejus obligationem ex gravibus fundamentis declarare, uti rectè Teril.*à n.*58.ſic enim *Matth.*23.*v.*4. carpuntur Scribæ, & Phariſæi, qui obligationes nimias legum imponebant populo: unde ſicuti Deus *Deut.*2.*v.*4.dixit nihil auferendum à verbo ſuo; ita dixit nihil addendum: addunt autem ſine ſufficiente fundamento Adverſarii, inducentes legem iſtam duriſſimam ſemper ſequendi probabiliora.

297 *Reſp.*3. Homines ob depravationem naturæ, & inclinationem ad malum ut plurimùm diſcordare à recta regula, non per exceſſum ſed per defectum, ergo certum periculum eſt, ne deficiamus laxando, non autem reſtringendo libertatem: hinc *Ariſt.*2.Eth.c.9.ait, magis recedendum ab eo, ad quo l natura ſumus propenſiores. *Contra* eſt, nam cùm hic ſermo ſit de ignorantia legum, quæ quamvis ſit invincibilis, tamen eſt pœna peccati, præſumendum non eſt, quòd natura lapſa invincibiliter ignoret multas leges, ne ex ſua culpa reportet commodum: ex adverſo potiùs præſumendum eſt, quod Deus permittat, ut ipſa invincibiliter ſibi imponat plures leges, quàm reipſa ſint, ut ita ſuum ipſa onus aggravet: & ſic legimus,quòd ab initio Eccleſiæ plus fuerit erratum per adjectionem quàm per ſubtractionem legum: nam multi volebant adhuc ſervandam legem Moſaicam, alii imponebant leges, quas nec ipſi nec Patres eorum potuiſſent ferre, uti habetur *Act.*15. *v.*10. & ſi attentè conſideremus, inveniemus per conſuetudinem multa tranſiſſe in leges, quæ nec à Deo nec ab Eccleſia præcepta erant, uti communiter docetur de multis abſtinentiis, & jejuniis: primi etiam hæretici per improbitatem ſuam communiter nimium reſtringebant libertatem, quamvis poſteriores nimium laxarint: nos tenemus medium, & ne in immenſum ultra debitum excreſcant leges, de quibus non ſatis conſtat, dicimus contra has poſſidere libertatem; & hanc de benignitate ſequenda, eſſe mentem SS.ac ſapientiſſimorum virorum, oſtendemus loco notato de Pœnitentia.

298 §.12. Secundùm adverſarios, ille prudenter operatur,qui operatur ſecundùm opinionem probabiliorem, ſed opinio benigna, dicens licitum eſſe operari ſecundùm probabilem, eſt reipſa probabilior: ergo qui ſecundùm illam operatur,prudenter operatur: hinc Moya *de op.prob.q.*6. *n.*11. ſic breviter ſubdit, *Hanc ego amplector, quia probabiliorem judico, quod proinde qui ſenſerint, tuta conſcientia, juxta communem Theologorum ſententiam, amplecti poterunt, & à peccati periculo immunes erunt.*

299 *Reſpondent* 1. Ille prudenter operatur,qui operatur ſecundùm opinionem probabiliorem, probabilitate directa immediatè reſpiciente honeſtatem objecti, c.probabilitate tantùm reflexa immediatè reſpiciente honeſtatem formalem actus, ſubdiſt. ſi illa opinio reflexa ſit vera, c.ſi ſit falſa, n.maj. jam verò opinio illa reflexa, quæ dicit licere ſequi probabilem relicta probabiliore, ad ſummum eſt probabilior probabilitate tantùm reflexa, & reipſa eſt falſa, ergo ſecundùm eam illicitum eſt operari, etiam illi, qui per errorem invincibilem ſentit, & docet illam ſuam opinionem reflexam eſſe probabiliorem, & veram, ita Author.Syn.n.123. *Contra* eſt 1. quando honeſtas objecti, prout in ſe eſt, dignoſci non poteſt, uti contingit in caſu opinionum tantùm probabilium, neceſſe eſt, & ſufficit operari ſecundùm dictamen immediatè reſpiciens ſolam honeſtatem formalem actus; cùm enim ad honeſtè operandum requiratur certitudo de honeſtate operationis uti dictum eſt à n.46.nec poſſit haberi certitudo de honeſtate objectiva, neceſſarium eſt, & ſufficit haberi certitudinem de honeſtate formali operationis quæ haberi non poteſt per judicium directum,quia oppoſitum ſemper manebit probabile, ergo per ſolum reflexum. 2. Opinionem noſtram reflexam, quam Adverſarii dicunt falſam, nos judicamus omnino probabiliorem, & veram, ergo prudenter facimus nos conformando huic noſtro judicio, imò ad hoc tenemur ſecundum principia Adverſariorum: quod ſi error invincibilis excuſet ita ſentientem, & docentem, etiam excuſat practicantem, uti dictum eſt à n. 285.

*Reſp.*2. Sententiam ſuam eſſe noſtra probabiliorem, ita 300
Gonz.*d.*13.*c.*2. *Contra* eſt, nam ex dictis n.269. conſtat benignam eſſe ab extrinſeco, & ex authoritate probabiliorem, rationes verò pro hac etiam ſunt firmiores, ut patebit conſideranti allatas, & pro contraria ſententia afferendas à n.319. ubi oſtendemus eas vel evidenter retorqueri vel longè facilius ſolvi. Ex dictis,

§.13. *Infertur* 1. licitum eſſe operari ſecundùm proba- 301
bilem, licèt evidens ſit oppoſitam eſſe probabiliorem, uti habet communis cum Illſ.*d.*1.contra Gonz.*d.*3.*c.*1.Eſp.*a.*153. *& ſeqq.*Teril.*q.*1.*n.*7.manent enim rationes poſitæ. 2.Licitum eſſe cuivis, conſulere plures homines, qui habentur communiter probi, & docti, inquirendo, an fortè inventurus ſit aliquem probabiliter excuſantem, v.g. ab obligatione reſtitutionis, ſi enim huic propoſuerit rationes oppoſitas aliorum, & hic eas maturè conſiderarit, ac cenſeat non eſſe convincentes, nec elidere certam probabilitatem ſuæ ſententiæ, conſulens tuto ſequetur hunc, uti docent Sanch.*in Decal.l.*1.*c.*9. *num.*24.Zumel, Caſtrop.Tapia, Breſſ.Paſq.Verric. Candid. & alii cum Moya *q.*4.*num.*17.& cum Card.*d.*57.*n.*88. Ratio eſt, quia talis conſulens utitur jure ſuo, & cùm poſt inquiſitam veritatem non reperiat certitudinem contra ſe, ſed motiva gravia pro ſe, prudenter ſibi format dictamen, quòd ſecundùm hæc licitè operetur.

*Q.*42. *An licitum ſit ſequi minùs probabilem, non tan-* 302
tùm in materia juris poſitivi humani, ſed etiam juris Divini & naturalis? R.

Aliqui admittunt licitum eſſe ſequi minùs probabilem in materia juris poſitivi humani, quia putant legislatores humanos tunc nolle, ut obliget ſua lex, quando pro non exiſtentia illius eſt opinio probabilis; ſed dicendum eſt licere etiam in materia juris divini, & naturalis, nam nec Deus nec natura nos in ſimili caſu ignorantiæ invincibilis obligare cenſentur,& rationes, quas à n.268.attulimus, æqualiter valent de omni materia: denique pleraque argumenta, quæ iſti Authores contra materiam juris Divini aut naturalis afferent, facilè retorquebuntur contra materiam juris humani, uti patebit ex dicendis, à n.319.v.g.ſi quis in materia juris humani poſſit ex fide operari,& rectè ſibi formare conſcientiam ſecundùm minus probabilem ex vi judicii reflexi contra judicium ſuum directum probabilius, idem poterit in materia juris Divini,& naturalis: Item,ſi non ſit contra reverentiam Legislatoris humani, quamvis hic, & nunc dicam, *licèt ex vi judicii directi probabilius mihi ſit legem tuam exiſtere, tamen nolo facere, quod illa jubet*, etiam non erit contra reverentiam Authoris legum divinarum, vel naturalium, &c.

*Q.*43. *Quomodo formandum ſit ultimum dictamen con-* 303
ſcientiæ ſecundùm ſententias minus probabiles? R.

§.1. Ante omnia opus eſt, ut qui cogitat operari ſecundùm aliquam ſententiam faventem libertati, certus ſit eam eſſe verè probabilem, uti conſtabit ex dicendis à n.366.& 368. hoc ſuppoſito, adhuc non eſt ſatis, uti in mente verſet talem ſententiam, v.g.ut quis licitè pingat die feſto, non eſt ſatis, quòd ſciat aliquos docere, quòd hoc liceat, nam ſi interim ſe non reſolvat practicè, ſed maneat dubius, & velut indifferens inter hæc, quòd liceat, & non liceat, ſicque pingat, non habet conſcientiam ullam, cùm non formet ſibi judicium certum de honeſtate ſuæ actionis, ſed ſolùm habet notitiam opinionum veluti ſpeculativam, ideoque peccat pingendo: ita omnes cum Eſp.*in app.à n.*187.*& ſeq.*& Sporer *n.*33.

§.2.

304 §.2. Dictamen ultimum conſcientiæ in ordine ad honeſtè operandum non poteſt eſſe opinio probabilis, imò nec ſufficit probabilior, ſed debet eſſe certum, cui ſi conformetur operatio, evadat certò honeſta, uti conſtat ex dictis à n.46.

305 §.3. Dictamen illud ultimum non poteſt deduci ex opinione probabili veluti ex una præmiſſa, ſed deduci debet ex duabus præmiſſis certis, quia concluſio deducta ex una tantùm probabili eſt etiam tantùm probabilis, cùm debeat ſequi debiliorem partem, hinc ſi ſic deducatur, *Actio non ſervilis eſt licita die feſto, ſed pingere eſt actio non ſervilis, ergo pingere eſt licitum die feſto*, non poteſt eſſe ultimum dictamen conſcientiæ, quia cùm concluſio illa nitatur minore, quæ incerta eſt, etiam ipſa eſt incerta.

306 §.4. Una præmiſſarum, ex quibus deducitur ultimum dictamen conſcientiæ, debet habere pro objecto opinionem probabilem, ſecundùm quam aliquis vult operari, non tamen debet affirmare veritatem illius opinionis probabilis, ſic enim, & ipſa eſſet tantùm probabilis, ſed tantùm debet affirmare illius exiſtentiam ſaltem objectivam, id eſt, debet dicere, non quod illa ſit vera, ſed quod ſit probabilis, & exiſtat aut ſaltem exiſtere poſſit in intellectu alicujus viri prudentis, & periti; v.g.præmiſſa, ex qua deducitur dictamen ultimum, quo dirigitur homo pingens die feſto, non debet dicere hanc propoſitionem, *pingere die feſto non eſt ſervile*, eſſe veram, ſed tantùm dicere debet illam eſſe probabilem, ita ut meritò illi aſſentiri poſſit vir prudens, & peritus, quod omninò certum eſt.

307 §.5. Quia hoc ultimum dictamen ita ſe reflectit ſupra opinionem probabilem, ideo dicitur reflexum, & hoc modo formatur: quod prudenter judico mihi hic, & nunc licere, certum eſt mihi hic, & nunc licere, ſed prudenter judico mihi hic, & nunc die feſto licere pingere, ergo certum eſt mihi hic, & nunc die feſto licere pingere: *Major* eſt certa: quia actus prudentiæ, non poteſt eſſe regula actionis illicitæ: *Minor* etiam eſt certa, nam quod judico ex gravi motivo, hoc prudenter judico, ideo enim dicitur grave, quia dignum eſt prudente aſſenſu, ſed hoc judico ex gravi motivo, cum ſit probabile, ergo. *Conf.* quia hoc prudenter judico, quod judicant viri graviſſimi, & periti, qui utique ſemper habent grave motivum, ſed viri graviſſimi, & periti judicant mihi hic, & nunc die feſto licere pingere, ergo. Simili modo poteſt procedi in aliis materiis. In idem recidit, ſi ita formetur: licita eſt mihi omnis actio, quam poſt idoneum examen prudenter judico non eſſe prohibitam, atqui ego poſt idoneum examen prudenter judico hanc vel illam actionem mihi non eſſe prohibitam, quia pro hoc judicio habeo grave motivum, ergo. Item ſic formari poteſt: quod viri prudentes dicunt eſſe licitum, quodque rationes gravis momenti ſuadent eſſe licitum, hoc prudenter judico eſſe licitum, ſed viri prudentes dicunt hoc vel illud eſſe licitum, idque etiam ſuadent rationes gravis momenti, ergo. Denique poteſt etiam ſic formari; quod probabilius eſt mihi licere quàm non licere, hoc prudenter judico mihi licere, ſed probabilius eſt mihi licere operari ſecundùm illam probabilem ſententiam, quàm non licere, ergo prudenter judico hoc mihi licere: *Major* eſt, etiam apud Adverſarios, indubitata: *Minor* etiam conſtat ex dictis à n.298.

308 §.6. Quando aliquis operatur ſecundùm opinionem probabilem, non eſt opus, ut ad longum, & dilacticè ſibi formet hos diſcurſus, ſed hoc ipſo, quod ſciat ſe operari juxta opinionem probabilem, habebit virtualiter, & ſufficienter ſibi formabit hoc dictamen, practicè judicando ſibi hic, & nunc licere talem operationem: ideo autem opus fuit ita ad longum exponere, ut clarè videant omnes, quod operans ſecundùm probabilem, operetur ex dictamine conſcientiæ certo.

309 §.7. *Obji.1.* Ultimum illud dictamen fundatur in opinione tantùm probabili, ſed actus certus non poteſt fundari in incerto, ergo. *Reſp.* Actus certus non poteſt fundari in incerto tanquam præmiſſo, vel affirmato tanquam vero, c. in incerto tanquam prævio tantùm, & affirmato exiſtere, n. nec repugnat actum perfectiorem fundari in imperfectiore, nam in apprehenſione fundatur judicium, quod tamen perfectius eſt.

310 *Inſt.* Quod eſt verum tantùm ex ſuppoſitione falſa: hoc abſolutè eſt falſum, ſed dictamen ultimum fundatum in opinione probabili reipſa falſa, eſt tantùm verum ex ſuppoſitione falſa, ergo. *Reſp.* n.min. nam dictamen ultimum non ſupponit opinionem directam eſſe veram, ſed tantùm ſupponit exiſtere aut poſſe prudenter exiſtere, quæ ſuppoſitio eſt certiſſima.

311 *Obji.2.* Quod probabile eſt eſſe illicitum, hoc non poteſt dici eſſe certò licitum, ſed quomodocumque formetur judicium practicum, v.g.circa hoc, quod liceat pingere die feſto, tamen manet probabile, quod pingere die feſto ſit illicitum, cùm probabile maneat, quòd pingere ſit ſervile, ergo quomodocumque formetur judicium practicum, nunquam certum erit, quòd pingere die feſto ſit licitum. *Reſp.1.* Idem argumentum valet, etiamſi opinio aſſerens licitum eſſe ſit probabilior, hinc *Reſp.2.* Quod ex vi judicii directi eſt probabile eſſe illicitum, hoc non poteſt dici eſſe certò licitum ex vi ſimilis judicii directi, c.ex vi judicii reflexi, n.maj.& ſimiliter diſt.min.n.conſ.

Inſt.1. Judicium reflexum non poteſt afferre judicio directo ullam certitudinem, ergo intellectus perget formidare uti ante. 312 *Reſp.* Ergo intellectus perget; aut potius pergeret formidare præcisè ex vi judicii directi, id eſt, poſſet formidare, ſi illud ſolùm adeſſet, c.habito ſemel judicio reflexo, n.conſ. quia licèt motiva judicii directi ſint, & maneant fallibilia, tamen motiva judicii reflexi ſunt certa, judicium enim reflexum ſic dicit: quamvis ſit, & maneat tantùm probabile, quòd pingere die feſto ſit illicitum, tamen quia etiam probabile eſt eſſe licitum, lex prohibens pingere non eſt certa nec nobis ſatis promulgata, hinc eam invincibiliter ignoro, & ideò contra eam certò poſſidet libertas mea, maximè cum probabilius ſit licere ſequi opinionem probabilem relicta probabiliore, ergo hic & nunc prudenter judico mihi licere pingere: ubi vides, 1. quòd propter novas circumſtantias, & nova motiva judicium reflexum ſit certius quàm directum: 2. quòd motiva reflexa dent certitudinem, non opinioni directæ, hæc enim manet tantùm probabilis, ſed ſoli judicio reflexo ac uſui illius opinionis probabilis; ſicut ſi Medicus dicat: *iſte ægrotus non tenetur audire Sacrum die feſto*, propoſitio illa directa eſt tantùm probabilis, iſta tamen reflexa, qua ægrotus dirigitur, *qui ſequitur prudens conſilium Medici, non peccat*, eſt certa: item propoſitio illa S.Thomæ, *non eſt obligatio confitendi ſtatim poſt commiſſum peccatum*, eſt tantùm probabilis, & tamen iſtæ reflexæ, *quod omnibus ritè expenſis docet S. Thom.velut practicè probabile, eſt certò licitum, ſed non eſſe obligationem ſtatim confitendi poſt commiſſum peccatum, docet S.Thom. omnibus ritè expenſis velut practicè probabile, ergo non ſtatim confiteri eſt certò licitum*, ſunt certæ. Vide dicenda n.348.

Inſt.2. Si ex hoc, quòd probabile ſit eſſe licitum pingere die feſto, inferri poſſit dictamen certum, quòd hoc ſit licitum, ergo ſimiliter ex eo, quòd probabile ſit eſſe licitum pingere die feſto, etiam inferri poterit dictamen certum, quod hoc ſit illicitum, ſed hoc eſt falſum, quia hæc duo dictamina ſibi directè opponuntur, ergo. *Conf.* nam nos ſic argumentamur: probabiliter putans aliquid licere, certò poteſt illud facere, ſed ego probabiliter puto licere pingere die feſto, ergo certò poſſum pingere die feſto: à contrario etiam ſic argumentor, probabiliter putans aliquid non licere; certò non poteſt facere, ſed tu probabiliter putas non licere pingere die feſto, ergo tu certò non potes pingere die feſto. 313

Reſpondet 1. Carden.*in* 1.*criſi d.*15.*n.*252. eum, qui judicat duas contradictorias eſſe probabiles, poſſe inferre talia diverſa dictamina practica omnino certa ex diverſis præmiſſis, prout volet, neque illa ſibi contradicere, quia non ſunt ſecundùm idem, reſpiciunt enim diverſas præmiſſas, & unum dicit, certum eſt mihi non licere, ſi me fundem in his præmiſſis; alterum dicit, certum eſt mihi licere, ſi me fundem in iſtis aliis præmiſſis: ſi autem loquamur abſolutè. *R.*2.n.ſeq. maj.nam Tò *illicitum* fundat negationem, quæ negat omnia, & ſignificat non eſſe licitum, adeoque dicit nullum eſſe motivum grave pro eo, quòd ſit licitum; quod falſum eſt; è contra Tò *licitum*, eſt quid poſitivum ad quod ſufficit eſſe pro hoc grave motivum, quamvis etiam pro oppoſito ſit ſimile aut etiam majus: unde ad *Conf.* n.tuam maj.à contrario, ſic enim à pari argumentor: probabiliter putans rem eſſe ſuam, poteſt retinere, ſed poſſidens putat probabiliter rem eſſe ſuam, ergo poſſidens poteſt retinere: & tamen non valet à contrario: probabiliter putans rem non eſſe ſuam, non poteſt retinere, ſed poſſidens probabiliter putat rem non eſſe ſuam, ergo non poteſt retinere: ſi vis diſtinguo: probabiliter putans non licere certò non poteſt facere, ex vi hujus judicii, quo judicat non licere, etſi aliunde non habeat motivum judicandi, quòd liceat, c.ex vi alterius judicii aut motivi, quo judicet aut judicare poſſit licere, n.maj.& ſimiliter diſt. min. n.conſ. 314 315 316

Inſt.3. Si ille benè agit, qui agit probabiliter honeſtum, ergo ille malè agit, qui agit proabiliter inhoneſtum, valet enim regula contradictoriarum, *Ab oppoſito conſequentis valet ad oppoſitum antecedentis*. Reſp.1. Ergo ſimiliter malè agit, qui ſequitur probabiliorem, quia agit probabiliter inhoneſtum. Reſp.n. conſ.regula illa non tenet, niſi à contradictoriè oppoſito conſequentis arguatur ad contradictoriè oppoſitum antecedentis, item non valet, niſi quando unus terminus eſt antecedens reſpectu alterius: jam verò patet, quod probabiliter honeſtum non ſit contradictoriè oppoſitum probabiliter inhoneſto, cùm utrumque ſit quid poſitivum; item patet, quod neuter ex his terminis ſit antece- 317

dens

dens reſpectu alterius, neuter enim inferri poteſt ex altero, ergo evidens eſt illam regulam hic non habere locum; mirorque à quodam Viro docto id mihi objectum eſſe: à pari enim dicam, honeſtè agit, qui ſequitur conſilia Chriſti, qui non ducit uxorem, &c. ergo ille inhoneſtè agit, qui non ſequitur conſilia Chriſti, qui ducit uxorem. E contra valet, ſi eſt homo, eſt animal, ergo ſi non eſt animal, non eſt homo, quia nempè homo eſt antecedens reſpectu animalis, & non animal eſt contradictorie oppoſitum animali, ideoque valet à negato animali ad contradictorium. iè oppoſitum homini, quod eſt non homo.

318 *Q.44. Quænam præterea ſint argumenta rigidæ ſententiæ, & quomodo ſolvantur?* R. Sunt multa, licèt parum efficacia: nullum tamen præteribo, ne videar declinare aliquam difficultatem.

319 *Obji.1.* Authoritas videtur eſſe major pro ſententia rigida, nam nulli SS.PP. faciunt mentionem de licito uſu probabilitatis, è contra favent rigidæ, uti latè deducit Gonz. *d.13. c.2. §.1. & 2.*

S.Aug. contra Academ. *l.3. c.6.* latè confutat hoc illorum axioma, *Cùm agit quiſque, quod ei videtur probabile, nec peccat nec errat.* Poſſunt plura ex S.Aug. videri apud Gonz. §.3. maximè autem apud Eliz. *l.7.q.1.*

S.Thom. *quodl.8.q.6.a.13.* ait peccare operantem, ſi dubitetur, an ſit vera ſententia, ſecundùm quam operatur, S. Bonav. apud Gonz. §.4. ſimilia habet,

Pro rigida ſententia ſunt Cardinales Cajet. Laurea, Bellarm. Agujer, Pallav. qui duo poſtremi ſententiam benignam, re meliùs diſcuſſa, deſeruerunt: pro eadem nunc ſunt Cardinales, aliique in Congregationibus Romanis; Similiter Epiſcopi Galliæ in variis Synodis præſcripſerunt uſum illimitatum ſententiæ minùs probabilis, uti teſtatur Merviſius.

Tenendam eſſe rigidam decreverunt in Capitulis generalibus Ordines Theatinorum, & Dominicanorum, eandem tenent plerique ex Ordine Auguſtiniano.

Sententia benigna inaudita eſt uſque ad finem ſæculi decimiquinti, in quo L. Lopez, probabiliſta *in Inſtr. conſc. c.120.* ait: ſcio communem eſſe ſententiam Sot. Cordub. &c. tenentium, non ſatis eſſe probabilem opinionem ſequi; ſed probabiliorem eſſe ſectandam: Corduba autem, qui ſcripſit anno 1569. dicit *l.2.qu.q.2.* omnes Theologos convenire, quòd debeamus ſequi tutiorem probabiliorem.

Vaſq. Salas, Sanch. pro primo Authore, qui benignam docuerit, citant B. Medinam, qui ſcripſit anno 1579.

Amicus licèt probabiliſta *T.3.d.15.n.75.* fatetur omnes ferè antiquos eſſe pro probabiliore.

Illicitum eſſe illum uſum probabilium docent Mercor. Fagn. Sinnich. Baron. Merenda, Vvendroch. Contenſ. Gonet, Jac. à S. Dominico: è Societate Jeſu, jam ab anno 1609. Comit. Philal. Rebell. Eliz. Gonz. Munies, Taber. Daniels, Gomes, Erenthreich, Gisbert, aliique: Ex aliis DD. Volpilier *in Th. Mor. T.1.tr.2.c.3.art.1.* Du-Hamel *de act.hum.l.2. d.4.* item alii Viri graviſſimi etiamnum viventes, Eſp. *p.2. App.* quam poſt alia opera Theologica ſcripſit, *a.153.* concludit, non eſſe licitum uſum ſententiæ certò ac evidenter minùs probabilis, videturque conſentire Teril. *in Reg. morum q.1. n.7.* Camargo abſolutè tenet rigidam.

320 *Reſp.* SS.PP. etiam non faciunt mentionem ſequendæ probabilioris, ſed de utroque ſilent, quia illis temporibus non erat mota illa controverſia, ſed omnes pro certo habebant licitum eſſe ſequi quæcumque prudentia dictamina rationis, nec requirebant prudentiora, ut oſtendit Card. *in 1. criſi d.1. c.6.* ſæpè per modum conſilii dicunt præferenda tutiora, quæ tamen non ſemper ſunt probabiliora; quòd ſi quandoque innuant præceptum de tutioribus aut probabilioribus, intelligunt tunc, quando operans cenſet oppoſitum eſſe dubiæ vel tenuis probabilitatis.

321 S. Aug. *l.c.* agit contra eos, qui, uti ipſemet refert *l.1. Retract.cap.1.* aſſerebant turpe eſſe viro ſapienti errare, ideoque, cùm omnia eſſent incerta, dicebant fruſtra in veritatem inquiri, nec debere quicquam directè judicari tanquam verum vel falſum, ſed in omnibus debere intellectum hærere ſuſpenſum; ad ſummum poſſe aliqua apprehendi ut veriſimilia, & hoc vocabant probabile, ſecundùm quod poſſent conformari omnes actiones noſtræ, uti pluribus refert Eliz. §.5. Benigna ſententia tenet omnia oppoſita, nam dicit ſapienti turpe non eſſe errare in probabilibus, dummodò ex gravi motivo procedat, inquirendum eſſe in veritatem, poſſe prudenter fieri aſſenſum directum ad hanc vel illam partem, ad operandum non ſufficere talem reflexam apprehenſionem probabilitatis, ſed requiri judicium certum de honeſtate actionis &c. Videri poteſt Eſp. *a.72. & ſeqq.* & maximè Teril. *qu.25.* ubi manifeſtè oſtendit ſententiam benignam longiſſimè abeſſe ab Academiſmo.

S.Thom. *l.c.* eſt potiùs pro benigna ſententia, nam quærit, an ſequens minùs tutam peccet; & reſpondet, *vel dubitatur, an ſit vera ſententia, & iterum peccat*, quia nempe cum dubio operatur non formata ſibi conſcientia, *vel ſine dubio operatur ex propria opinione, & non peccat*, ubi manifeſtè docet non peccari, ſi operetur formando ſibi conſcientiam ſecundùm opinionem ſuam, quamvis fortè minùs tutam, & ſimiliter minùs probabilem, eſt enim par ratio, cùm etiam ſecundùm hanc poſſit ſibi formare conſcientiam, uti à n.303. oſtenſum eſt. Plura circa S.Th. videri poſſunt apud Teril. *de conſ.q.29.* & de hoc ipſo loco S.Thomæ, videri poteſt Illſ. *t.1. d.1. n.74.*

S.Bonav. ſemper ſuadet tutiora, eos verò arguit, qui pro- 322
cedunt, vel ſine examine veritatis, vel ſine dictamine practico certo, uti conſtabit perpendenti loca à Gonz. adducta.

Cajet. *in ſumma, v. opinionis uſus*, eſt pro ſententia be- 323
nigna: Item Tolet. *in ſumma l.3.cap.2.* Bellarm. *in opuſc. ad Epiſcop. Theanenſem* tantùm dicit, ſi quis velit in tuto ſalutem collocare, debet omninò tutiorem partem ſequi &c. hoc autem æquè pugnat contra probabiliorem, quæ ſæpè eſt minùs tuta: reipſa tantùm vult, non eſſe procedendum cum conſcientia vincibiliter erronea vel ex probabilitate tantùm tenui, ſed tunc eſſe ſequenda tutiora, quia formari non poteſt conſcientia practica. Quoad Palav. ſatis eſt, quòd benignam certò tenuerit, quam an retractarit, non conſtat, nam quòd in litteris ad Eliz. dicat ignorantiam non reddere opus honeſtum, hoc æquè eſt contra ſententiam probabiliorem. Reliquis, ſi reipſa ſunt pro rigida, opponimus alios numero plures, uti conſtat ex dictis n.269. eoſque non minùs prudentes vel doctos. Epiſcopi aliqui Galliæ quandoque faverunt Janſeniſtis: rectè tamen proſcripſerunt illimitatum uſum ſententiæ probabilis, nam nec illum admittit ſententia benigna, uti conſtabit ex qq. ſeqq.

Ordinum iſtorum decreta plus non evincunt, quàm quòd 324
eo tempore prævaluerint ſuffragia pro rigida ſententia, per quod nunc minor accedit Authoritas, ſi Ordinum illorum Profeſſores eandem teneant, nam tenent ex obligatione; nec eam, quam alii, habent libertatem ſentiendi: è contra benignam tenent ex aliis Ordinibus numero longè plures, nec ſapientia inferiores, & cum libertate dicendi, quod ſentiunt.

Etiam uſque ad ea tempora inaudita eſt defenſio ſententiæ 325
rigidæ, Teril. *de conſc. q.22. à num.41.* adducit plures, qui benignam docuerunt ante ducentos, trecentos, & quadringentos annos, & à num.183. oſtendit jam ab initio Eccleſiæ fuiſſe in praxi quòd eandem tenuerint antiqui, teſtatur S. Antonin. *par. 1. tit.3. cap. 10.* ubi ait, *Ex reſponſis, quæ videntur data ab Alberto M. habetur, quòd frater ſimplex vel quilibet homo cum ſalute poteſt ſequi in conſiliis, quamcumque opinionem voluerit, dummodò alicujus Doctoris magni opinionem ſequatur*: citatque pro eadem ſententia Hoſtienſ. Aug. Raym. Petrum de Palude, Goffridum de Fontibus, utique antiquos. Similiter Sotus *de juſt. l.6. qu.1. a.6.* ait, *quando ſunt opiniones probabiles inter graves DD. utram ſequaris, in tuto habes conſcientiam.* Si Corduba rectè inſpiciatur, ſtat pro tutiore etiam contra probabiliorem, unde nimium dicit, uti oſtendetur à n.478. Teril. *tamen in Reg. q.67.n.28.* putat eum velle, quòd tota apparentia rarionum tam ex principiis reflexis quàm directis debeat eſſe probabilior, quod etiam dicit ſententia benigna.

Vaſq. Fatetur benignam diu ante in ſcholis communem 326
fuiſſe, nam citati eam tenuerunt. Item Salonius, & P. Nav. dicentes eſſe communem, uti notat Deſch. *in q. facti c.7.* Eandem ante ducentos, & plures annos expreſsè tenuit Nider, pro ea citans S.Th. Altiſiodor. Humb. & alios, uti refert Deſch. *c.8.* Teril. autem *q.12.* oſtendit, quod & fatetur Eliz. jam ab initio Eccleſiæ fuiſſe apud ſapientes, & probos viros praxin etiam conſulendi ſecundùm ſententiam benignam.

Quod Amicus dicit, meritò negant plurimi alii ſapientiſ- 327
ſimi viri, uti conſtat ex dictis.

Authores reliqui pro rigida citati planè inter ſe diſſentiunt, & nec unus convenit cum altero, uti de multis oſtendit Carden. *d.56. à num.735.* de reliquis patebit legenti ipſos: multi etiam non ſatis intelligunt principia ſententiæ benignæ uti oſtendit Card. *à num.914.* aut certè diſſimulant vim argumentorum illius. Quod autem ſingulos attinet; Mercor. relabitur in ſententiam benignam, uti oſtendunt Card. *num.738.* & Deſch. *poſt cap.8. in app.* nam dicit licere ſequi minùs probabilem in quibuſdam caſibus, ſpeciatim ob motiva extrinſeca, uti eſt authoritas DD. exempla majorum, præſumptiones, titulus poſſeſſionis, conſuetudo, tolerantia approbativa Superiorum in lege humana, &c. Fagn. fatetur ſe non ſtuduiſſe Theologiæ, hinc Carden. *d.57. num.92.* dicit nihil fuiſſe verſatum in Theologicis. Sinnich. & Baron. pleni ſunt convitiis, ſicque oſtendunt ſe non ratione ſed paſſione motos: & obſervavi ego ſæpè in lectione Authorum, quòd qui convitiis, calumniis, aculeatis verbis utuntur, minùs intelligant, & ſic

ſeri-

ſcribant, quia deſtituuntur bonis argumentis: *Nimium debiles ſunt argumentationes*, inquit rectè Carden. *in præfat. ad 3. par. criſis, quæ ad ſui confirmationem indigent maledictis*: & Caram. *in ſevera argum. methodo par. 1. d. 4.* ait, *ad dicteria recurritur, cùm de principali cauſa deſperatur*: eſtque notum omnibus, quòd quò ſapientiores doctioreſque ſunt Authores, tantò modeſtiùs ſcribant. Merendæ liber eſt Romæ prohibitus. Vvendrochii liber eſt damnatus ab Epiſcopis multis Galliæ & à DD. Pariſienſibus, tanquam plenus hæreſi Janſeniana & maledictis. Contenſonus etiam raptus eſt impetu, ſententiam enim benignam vocat errorem intolerabilem, ab Eccleſia configendum potiùs, quàm ſententias Janſenii. Gonet etiam fertur impetu, cum amaritie nimia in Authores benignæ ſententiæ: adhuc impetuoſiùs rapitur Jacobus à S. Dominico, ſententiam benignam vocans artem peccandi fucatam, quæ ſinat quemque ad arbitrium vivere, nulla habita ratione legis vel conſideratione finis ultimi; quæ ſtet pro lucro, commodo, voluptate &c. affingit præterea benignæ ſententiæ plurima abſurda, unde non videtur percepiſſe ejus principia, uti evidenter oſtendit Carden. *d. 55. & 56. Comit.* Theologiam non docuit, unde, & minoris authoritatis eſt, uti nec docuit Philaletus à Superioribus prohibitus ſuum (eſt Andreas Blancus) aut Societatis nomen libro ſuo præfigere, uti de utroque teſtatur Eſp. *a.* 235. Rebel. *in loco*, quem pro ſe citant Adverſarii, *de juſt. 1. p. l. 3. q. 5.* agit de Judicibus, quos etiam dicemus *l. 4. n.* 1480. debere ſequi probabiliorem. Eliz. ferè contra omnes docet nequidem ſententiam probabiliorem eſſe regulam operationis honeſtæ, ſed ſolam ſententiam veram, quam in moralibus ſemper inveniri poſſe contendit, ac proinde cum ſit ſingularis, non eſt audiendus, uti rectè Teril. *in Reg. q. 49. aſſert. 3. ubi q. 68. n. 1.* addit, ſe nullum librum Authoris Catholici unquam legiſſe, in quo tam parum veritatis invenerit. Eſp. ubique, & directè *a.* 156. concludit licere ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, ſi exceſſus veriſimilitudinis in parte oppoſita non ſit manifeſtus & omninò indubitatus ipſi operanti, quod n. 152. faſſus erat rarò contingere quia non ſolent nec poſſunt homines aſſenſu abſoluto ita facilè judicare hanc vel illam partem eſſe evidenter veriſimiliorem. Camargo nimis præfidenter loquitur, ubique fermè dicens ſe demonſtrare, cùm reverà non demonſtret; & ubi minus rationis habet, ibi utitur majore ſtrepitu, artificio & contentione verborum, planè ſimilis Elizaldo, cujus doctrinam ſectatur. Etiam per totum nimiis convitiis perſequitur probabiliſmum, quem cùm necdum reprobarit Eccleſia, Innoc. XI. vetuit cenſurari; unde querelæ, quas *p. 1. l. 2. contr. 3. a n.* 163. affert contra acrimoniam cujuſdam Probabiliſtæ, recidunt in ipſum. Petit quidem in concluſione partis 1. ut Lector repetat partis illius lectionem, eo quòd prima vice *cæcus* legerit, ſed non video, qua id ratione dicat, nam, quòd *videns* legerim, colliget ex illis, quæ in decurſu dixi & dicam.

328 Reliquis opponimus alios innumeros, qui antehac docuerunt, item qui adhuc dum docent benignam, ita ut certum ſit eſſe numero plures nec authoritate minores; & licet aliqui in quibuſdam circumſtantiis, vel explicatione diſconveniant, tamen conveniunt in ſubſtantia, quòd liceat ſequi probabilem relicta probabiliore.

Hinc Camargo in proloquio partis 1. fruſtra ſe fatigat in congerendis Authorum textibus ſententiæ ſuæ faventibus, nam iidem Authores, quos citavimus, alibi clarè ſtant pro noſtra, unde plùs non evincet, quàm eos vel docuiſſe contradictoria, vel mutaſſe aliquando ſententiam, vel utramque docuiſſe velut probabilem, & pro his aut illis circumſtantiis reſpondiſſe ſecundùm utramque, uti notabo n. 373.

329 *Inſt.* S. Th. 2. 2. *q.* 53. *a.* 5. ait, *Ad imprudentiam pertinet deſiſtere à meliori*, ergo etiam ſequi minùs probabilia. *R.* Tantùm vult eſſe minoris prudentiæ aut ſi deſiſtatur ſine prudente motivo, alioqui poſitiva imprudentia foret non ſequi tutiſſima, item non ſequi omnia conſilia Evangelica & ſummè perfecta, quod patet eſſe falſum.

330 *Obji.* 2. Chriſtus dicit, *Ego ſum veritas*, & non dicit, ego ſum probabilitas, ergo non licet operari ſecundùm opinionem probabilem, ita Sinnich. & Conf. ex Ariſt. 1. *Eth. c.* 4. ubi ait, *Veritatem debemus inquirere & ſequi, quantum poſſumus*. Huc etiam facit illud S. Chryſoſt. *hom.* 13. *in Epiſt.* 2. *ad Corinth. Ne igitur multorum opiniones habeamus, ſed res ipſas inquiramus*: Item *Authoris* operis imperf. apud Eliz. *l.* 8. *q.* 9. §. 7. *Si veſtimentum empturus, unum gyras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris & viliori pretio, ab illo comparas, an non oportet populum circumire omnes DD. & inquirere, ubi ſincerè veritas Chriſti venumdatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?* hinc dicit Eliz. *l. 6. q.* 10. totam bonitatem alicujus Doctoris claudi illis verbis, *Magiſter, ſcimus, quia verax es*, ergo ſola ſtandum veritate in moralibus. *Reſp.* 1. Chriſtus dicit, *Ego ſum veritas*, & non dicit, ego ſum major probabilitas, neque dicit, ego ſum ignorantia invincibilis: ergo non licet operari ſecundùm opinionem probabiliorem, neque ex ignorantia invincibili, quod tamen negant Adverſarii. *Reſp.* 2. n. conſ. quia veritas poteſt attingi etiam per probabilem. *Ad Conf.* Admittimus inquirendam eſſe veritatem, & ſi inveniatur, operandum eſſe ſecundùm illam, ubi autem inveniri non poteſt, & pro utraque parte eſt probabilitas, nulla lex vetat operari ſecundùm alterutram, quia in utraque poteſt eſſe veritas, quam ſi operando non attingamus, per accidens eſt & excuſat error invincibilis. Videri poteſt Teril. *qu.* 53.

Inſt. 1. Probabilitas eſt æqualiter indifferens ad verum & 331
falſum, ergo qui eam ſequitur, non curat veritatem, & æquivalenter dicit, *Volo die feſto pingere, ſive ſit ſervile ſive non*, ita *Alfaro*. *Reſp.* 1. Etiam probabilioritas & ignorantia invincibilis ſunt æqualiter indifferentes ad verum & falſum in ſe, nec juvat major apparentia, quia & illa ſæpè cùm falſitate conjuncta eſt. *Reſp.* 2. n. antec. cujus oppoſitum demonſtratum eſt n. 101. & hoc ipſum magis explicabitur n. 357. *Reſp.* 3. Dato antec. n. conſ. in veritatem enim ſeriò inquiſivit, quam cùm hic & nunc impoſſibile ſit reperire, acquieſcit in probabilitate judicii directi, & in le format judicium reflexum certum, quo non dicit, volo pingere, ſive ſit, ſive non ſit ſervile, ſed, *volo pingere, quia neſcio, quòd ſit ſervile, & probabiliter judico non eſſe ſervile, ideoque reſolvo non eſſe legem, quæ me obliget ad non pingendum*. Quod præterea addit *Alfaro*, ſolvetur n. 396.

Inſt. 2. Saltem talis homo pro regula actionum ſuarum non 332
habet legem æternam, quia per errorem contra illam agit ut ſuppono, ergo pro regula habet probabilitatem. *Reſp.* 1. Idem valet contra illum, qui operatur ſecundùm probabiliorem ex errore invincibili. *Reſp.* 2. Pro regula actionum ſuarum non habet legem æternam poſitivè præceptivam, c. permiſſivam, n. lex enim æterna, & voluntas Dei permittit fieri, quidquid invincibiliter ignoramus eſſe prohibitum, & probabiliter putamus non eſſe prohibitum: neque ideo probabilitas eſt noſtra regula operandi, ſed primaria regula eſt voluntas Dei ſaltem permittens, ſecundaria autem applicans primam, eſt ultimum dictamen practicum certò verum, formatum ſecundùm illam probabilitatem præſuppoſitam, attamen ex aliis motivis & circumſtantiis, uti explicatum eſt n. 312. & vide adhuc dicenda n. 339.

Obji. 3. Varios Canones, v. g. Eugenius Papa, Cap. *Juvenis*, 333
de Sponſalibus ait, *In his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus*, ergo ſequendum eſt hoc, quod eſt probabilius. *R.* Ad hunc & ſimiles textus, qui æqualiter pugnant pro obligatione ſequendi tutiora, reſpondebitur n. 490.

Obji. 4. Operans cum dubio negativo de honeſtate ſuę actio- 334
nis, peccat, ergo multò magis peccat operans cum judicio probabiliore, quod ſua actio ſit illicita, hoc enim judicium eſt plùs, quàm dubium negativum, ita Gonz. *R.* 1. Ergo etiam peccat operans cum judicio probabili, quòd ſua actio ſit illicita, hoc enim judicium, etiam eſt plùs quàm dubium negativum. *Reſp.* 2. n. conſ. quia cum judicio illo probabiliore, quod actio ſit illicita, ſtat judicium, vel ſaltem motivum probabile, quòd ſit licita: quo ſuppoſito prudenter formatur conſcientia, ſecundùm dicta à n. 303. E contra ſi ſit dubium negativum, nullum eſt judicium vel motivum prudens judicandi actionem eſſe licitam, ergo deeſt fundamentum pro formanda conſcientia de honeſtate actionis.

Inſt. 1. Quando judicium ſpeculativum eſt dubium, practi- 335
cum etiam eſt dubium, ſed operans ſecundùm probabilem habet judicium ſpeculativum dubium, ergo etiam practicum, ergo ultimum illius dictamen non eſt certum, ita Gonz. *d. 7. §. 10. R. 1.* Idem valet contra operantem ſecundùm probabiliorem, nam judicium probabilius ſpeculativum etiam eſt incertum, & dubium. *Reſp.* 2. n. maj. ſuperveniunt enim omnes rationes reflexæ pro formando judicio practico certo, uti dictum eſt n. 312.

Inſt. 2. Ergo conſtitutus in dubio, an die feſto liceat pin- 336
gere, licitè pinget ex vi hujus dubii, quamvis nullum ſibi dictamen formet, ita Gonz. *n.* 81. *R.* 1. Idem valet, ſi quis operetur ſecundùm probabiliorem. *Reſp.* 2. n. ſeq. nam non operaretur *ex fide*, nec haberet dictamen certum conſcientiæ, quo dirigeretur; Notat tamen Teril. *de conſc. q.* 23. *n.* 31. *& in Reg. q.* 54. *n.* 8. talem non peccaturum contra directam legem non pingendi, cùm hæc illi ſit incerta, & fortè non detur, ſed tantùm contra legem reflexam de non operando in dubio legis, niſi dubium propter rationem ſaltem probabilem deponatur, & formetur dictamen reflexum de honeſtate operationis.

Inſt. 3. Motivum probabilius elidit probabile, ergo non ma- 337
net motivum prudens judicandi, quod actio ſit licita, ergo purè negativè dubitat de honeſtate actionis. *Prob. antec.* nam ſi motivum A habeat probabilitatem ut ſex, & motivum B, ut tria, quantum eſt pro veritate motivi A, tantumdem eſt pro falſitate motivi B, ergo motivum B, nihil retinet probabilitatis pro veritate. R. n. ant. cujus prob. diſt. quantum datur pro veritate motivi A, tantumdem datur pro falſitate motivi B, cum aliqua certitudine ex hac aut illa parte, n. ſemper cum incertitudine utrimque c. ant. & n. utramque conſeq. cùm enim motivum

vum A non ſit certò ſed probabiliter tantùm connexum cum veritate, eſt & manet tantùm probabile; probabilitas autem una non elidit probabilitatem oppoſitam, ſed tantùm certitudo, uti dictum eſt à n.261.

338 *Obiic.*5. Operans ſecundùm minùs probabilem non eſt certus ſe eligere rem licitam, ergo non eſt certus ſe licitè operari, ita Baron. Addit Author Synopſis *n.*120. nemo poteſt eſſe certus, quòd non peccet hoc faciendo, niſi ſit certus, quòd per hoc non agat contra voluntatem, & legem Dei, ſed ſequens minùs probabilem non eſt de hoc certus, conſequenter dicit, *etſi probabilius ſit, quòd Deus nolit hoc à me fieri, ego tamen volo facere. R. ad* 1. Idem valere contra operantem ex probabiliore; hinc diſt. antec. non eſt certus ſe eligere rem in ſe, & materialiter licitam, c.(neque hoc requiritur, quia ubi utrimque eſt probabilitas, impoſſibile eſt hoc reſciri) non eſt certus ſe eligere rem hic, & nunc formaliter licitam eligi, n.vel ſubdiſt.non eſt de hoc certus, ex vi judicii directi tantùm probabilis, c.ex vi judicii reflexi & motivorum ejus, n.antec. & conſeq. Vide dicta *n.*332. *&* 312. *Reſp. ad* 2. non eſſe quidem certum, quòd non agat contra legem Dei primariam, & per ſe, (neque hoc requiritur, cùm reſciri non poſſit, an actio ſit reipſa prohibita necne) eſſe tamen certum, ſe non agere contra, ſed agere ſecundùm legem Dei ſecundariam per accidens obligantem vel ſaltem permiſſivam, ſecundùm ibidem dicta *n.*332. Unde ſic dicit: *quamvis probabilius ſit, quòd Deus id nolit, tamen quia etiam eſt probabile, quòd velit vel ſaltem permittat, & quia Deus me nullibi obligat ad ſequendum hoc, quod eſt probabilius, hinc volo hoc facere, non facturus, ſi ſcirem Deum id nolle.*

339 Camargo *l.*1.*contr.*10. acerrimè pugnat contra legem illam ſecundariam aut permittentem Dei, ſed omnia ipſius argumenta retorquentur in caſu opinionis probabilioris aut etiam probabiliſſimæ reipſa falſæ: operatio enim in his caſibus non eſt conformis voluntati abſolutæ, & antecedenti Dei, uti certum eſt, & tamen eſt licita, uti ipſi fatentur, ergo eſt conformis alicui alteri Dei voluntati per accidens, & ſaltem permittenti. Quæ opponit, ſolvuntur ex dictis *n.*29. *&* 47. & maximè à *n.*14. nam ipſe cogitur negare actionem illam eſſe honeſtam, quæ procedit ex conſcientia invincibiliter erronea dictante eſſe honeſtiſſimam aut etiam obligatoriam. Prætereà nos non negamus, (an neget Teril.nil ad nos) quòd mendacium Prolatum ex errore invincibili, quòd liceat, ſit materialiter malum, & oppoſitum legi æternæ Dei per ſe, & antecedenti, nam hoc diximus *n.*279. & fatemur legem illam antecedentem ſemper manere immutatam, ſed dicimus ſuſpendi obligationem proximam illius legis, eo quòd hic & nunc non applicetur nobis per cognitionem malitiæ, quæ eſt in mendacio; cujus tamen cognitionis defectus cùm ſit inculpabilis, & exiſtens ejus loco error ſit invincibilis, mendacium non poteſt eſſe formaliter, ſed tantùm materialiter oppoſitum legi æternæ, & antecedenti Dei, uti conſtabit ex dicendis *l.*5. *à n.*15. *&* 25. ſed in iſtis circumſtantiis eſt formaliter licitum, ergo neceſſario debet eſſe in Deo alia lex æterna per accidens & ſaltem permittens, cui conformetur volitio mendacii. Denique admittendam eſſe in Deo aliquam voluntatem per accidens, noſtro modo loquendi, & conſequentem, videtur manifeſtum: nam ſi Titius hac occaſione eligatur in Papam, quia Sempronius formaliter odit Cajum, qui alioqui debitè & juſtè fuiſſet eligendus, voluntas Dei antecedens & per ſe erat, ut Cajus eſſet Papa, nunc autem ex ſuppoſitione malitiæ Sempronii, voluntas Dei conſequens, & per accidens eſt, ut Titius ſit Papa, ideòque Chriſtus confert Titio juriſdictionem, & poteſtatem in totam Eccleſiam, ergo. His obſervatis prorſus inania ſunt argumenta, quæ, ſi ullibi, hic Concionatorie proponit Camargo per pag.48. in folio. Legatur à n.224. ubi fertur impetuosè, ſed nos non tangit.

Urget à n.144. Opinio probabilis fundabit legem illam conſequentem Dei, & etiam ultimum dictamen practicum, ergo opinio probabilis erit regula objectiva honeſtatis formalis, non ſubordinata ulli alteri regulæ objectivæ, ſed omninò prima, & independens, nam, ſaltem ſi ſit falſa, non ſubordinatur legi Dei antecedenti, uti patet; ſed nec conſequenti, nam lex conſequens eſt poſterior, ſuo modo, & fundatur in illa opinione probabili: Deus enim per accidens hoc permittit ex ſuppoſitione opinionis probabilis, uti dicitis, ergo opinio probabilis erit regula objectiva prima & abſoluta, ſubordinata ſolis noſtris erroribus, *Reſp.*1. Idem valet in caſu, quo quis operatur ex opinione probabiliore, aut etiam probabiliſſima falſa, uti patet applicanti terminos. *Reſp.*2. Opinio probabilis dici poteſt fundare ultimum dictamen, hoc ſenſu, quòd ſit objectum, ſuper quo ſe reflectit illud dictamen, malè autem dicitur fundare legem Dei conſequentem tanquam regula illius, aut tanquam regula prima objectiva operationis noſtræ, ſed tantùm eſt conditio, qua poſita, lex Dei conſequens, quæ ſola eſt regula objectiva prima reſpectu talis operationis, per ultimum dictamen tanquam per ultimam regulam formalem applicatur huic operationi dirigendæ, nam Deus ab æterno, & pro priori ad ullam noſtram operationem moralem habuit legem antecedentem tanquam regulam per ſe omnis honeſtatis, vel inhoneſtatis moralis, ſed quia per infinitam ſuam ſapientiam videbat in homine moraliter operaturo ſæpè futurum errorem invincibilem, & opinionem prudentem, quòd aliquid liceat, cùm tamen reipſa non liceat, nec ſit conforme legi antecedenti, pro his caſibus habuit legem conſequentem, quæ per accidens eſſet regula honeſtatis vel inhoneſtatis, & hæc lex conſequens, prout lex, & in communi, eſt tota æternitate prior ac omninò independens ab omni operatione particulari hominis, dicit enim, *Si adfuerit error invincibilis, aut opinio prudens, volo aut permitto operationem poni*, ubi vides, quòd reipſa antecedat operationem noſtram, quamvis ut hanc vel illam operationem dirigat, præſupponat, & ſuo modo quaſi ſe accommodet errori invincibili aut opinioni probabili, reſpectu cujus ideò dicitur eſſe jam dicto modo conſequens. Lex itaque ſecundaria conſiſtit in hoc, quòd Deus ab æterno velit aut permittat nos agere hoc, quod invincibiliter judicabimus agendum, vel quod prudenter putabimus eſſe licitum; ratio autem, cur Deus ita velit aut permittat, non eſt noſter error aut opinio probabilis, ſed eſt ſapientia infinita Dei, cui conforme eſt ſic velle aut permittere, ne homines peccent ex hoc, quòd invincibiliter ignorant eſſe peccatum, vel quod prudenter judicant eſſe licitum; unde ſicuti perfectioni primæ cauſæ non derogatur per hoc, quòd Deus noſtræ libertati attemperet ſuam omnipotentiam per decretum indifferens, ſecundùm principia ſcientiæ Mediæ, ita nec derogatur primæ regulæ morali objectivæ, quòd ſimili ferè modo legem ſuam ſecundariam attemperet errori invincibili aut opinioni probabili, ut notavit Palancus; & quæ contra hæc affert Camargo *à n.*180. prorſus nihil evincunt.

Urget iterum *l.*2.*controv.*4. *à n.*424. Si fiat contractus, qui minùs probabiliter cenſetur eſſe licitus, ſi reipſa non ſit licitus, Deus per accidens vult, uti dicitis, ut ſit licitus, ergo ſi conficiatur Sacramentum, quod minùs probabiliter cenſetur eſſe validum, ſi reipſa non ſit validum, Chriſtus per accidens volet eſſe validum; conſequens autem eſt apertè falſum, ergo & antecedens. R.1. Idem valere, quamvis ſequaris probabiliorem in contractu vel Sacramento conficiendo. R.2. n.ſeq.maj. Ut contractus ſit licitus, ſatis eſt à Deo permitti ex ſuppoſitione conſcientiæ invincibiliter erroneæ, uti ſæpè dictum eſt: E contra ut Sacramentum conficiatur validè, debet hoc determinatè poni, quod Chriſtus requiſivit, ſi autem hoc omittatur, etiam quomodocumque inculpabiliter, & in quacumque neceſſitate vel ſuppoſitione, Sacramentum non erit validum. Ratio utriuſque à priori eſt, quia ex ſuppoſitione conſcientiæ invincibiliter erroneæ, neceſſe fuit in Deo eſſe illam voluntatem per accidens, uti ante oſtenſum eſt, è contra talem Chriſti voluntatem per accidens non fuiſſe in conſtitutione Sacramentorum, ſcimus aliunde, & ſaltem ex declaratione Eccleſiæ, quæ ideo docet in illis conficiendis ſequenda eſſe tutiora, ne exponantur periculo invaliditatis.

Et cùm Author hic meminerit de Sacramentis, libet ejus 340
circa illa doctrinam paucis proponere, & aliquot ad hanc rem noſtram reflexiones ſubjicere. A n.180. docet, ad conficienda, & ſuſcipienda Sacramenta ſufficere opinionem verè probabilem de valore: ſi enim, inquit, requireretur certitudo, Confeſſarius non poſſet abſolvere pœnitentem dantem doloris ſigna, quia hæc poſſunt fallere; nec Parochus poſſet baptizare infantem, quem Pater teſtatur non eſſe baptizatum, quia hoc teſtimonium etiam poteſt fallere; imò nullus Sacerdos auderet conſecrare, quia certus non eſt ſe eſſe ritè baptizatum, validè ordinatum &c. *Addit à n.*203. poſſe aliquem etiam extra neceſſitatem, in adminiſtratione Sacramenti ſequi ſententiam communem, v.g. adhibere materiam, quam Authores communiter docent eſſe validam, licèt unus vel alter etiam clari nominis Doctor dicat eſſe invalidam. *Addit à n.*211. licitum eſſe miniſtrare ac ſuſcipere Sacramentum Pœnitentiæ cum dolore ſine certa intenſione vel duratione, cum dolore de peccatis in communi, cum attritione &c. quamvis oppoſitas ſententias teneant Authores graviſſimi, dicit enim periculum deceptionis ibi non eſſe moraliter æſtimabile nec moraliter evitabile. *Addit à n.*219. difficultatem communem, qualis eſſet moleſtia nimiæ ſollicitudinis, & anxietatis pro adhibenda extraordinaria diligentia, ut plurimùm ſufficere ad hoc, ut non ſit obligatio cavendi periculum erroris circa valorem Sacramenti, ſi talis error aliquando, attamen non plerumque contingat, & ita licitè conſecrat Sacerdos, quamvis non ante explorarit, an verè ſit panis triticeus aut verè vinum, quod conſecrat, &c. *Hæc aſſertio*, inquit, *mihi haud parum negotii faceſſeret, niſi piorum hominum pariterque ſapientum conſuetam ac communem praxin attenderem, de cujus honeſtate dubitare non audeo.* *Subdit* n.231. *Verùm quid ſi in re tanta miſerè cæcutimus? Miſereor certè ex animo, non mei tantùm meique ſimilium, ſed & aliorum plurium ſapientum ac piorum valdeque memorum*

mu-

muneris ſui: interim tamen aliter non ſapiam, dum me Doctores alii, aut, quæ doctrix eſt omnium, Petri Sedes, Veritatis Magiſtra, aliter me ſapere doceant.

Objicit ſibi 1 *àn.*232.ergo non erit obligatio, quàm maximè poſsumus, enitendi ad veram certitudinem de valore Sacramenti, cujus tamen oppoſitum *àn.*193. tenuerat. 2.Ergo non erit major ſollicitudo adhibenda in Sacramentis quàm in aliis materiis. *Reſpondet ad* 1. n. ſeq.quia, moraliter loquendo, major eſse non poteſt nec debet, ne Sacramenta propter homines inſtituta fiant odioſa, & tam conficientibus quàm ſuſcipientibus nimis oneroſa; item ne ſint continua pericula peccandi, dum miniſtrantur vel ſuſcipiuntur, unde, moraliter loquendo, major ſollicitudo cenſetur nobis impoſſibilis; ideoque *àn.*243.monet Profeſsores Theologiæ moralis, ne plus juſto rigidi ſint in ſententiis, ſed ubique ſervent modum, & quoddam medium. *Ad* 2.iterum negat ſeq.quia Dei voluntas, quam pluribus exponit *àn.*356.majorem hic certitudinem moralem exigit ob ſummam rei dignitatem, & ne proximus privetur fructu, &c.nihilominus certitudinem majorem non requirit, quàm ante relatam, licèt illi adjunctus ſit timor deceptionis, qui quamvis ſit prudens tamen *num.*326. dicit prudenter contemni poſſe. Denique *àn.*430.conatur probare, ad hoc, ut miniſter Sacramenti aut quivis alius licitè operetur, non eſſe neceſſe, ut certus ſit de honeſtate ſuæ operationis, ſed ſufficere veram probabilitatem.

Quod attinet ad doctrinam illam circa confectionem & ſuceptionem Sacramentorum, de illa dicam *lib.6.* Huc ſpectant ſeqq.reflexiones, 1.Si damnare non audet praxin illam circa Sacramenta,quia communis eſt apud pios & ſapientes viros, quomodo autem damnare praxin probabiliſmi circa alias materias,cùm ſit ita communis apud pariter pios & ſapientes? Etiam Probabiliſtæ nequeunt aliter ſapere *dum aliter doceat Petri Sedes*. 2. Si Deus in ſanctiſſimo ac hominibus maximè neceſſario negotio Sacramentorum non offenditur errore, multò minùs in quotidianis operabilibus. 3. Si pro Sacramentis ſufficiat opinio verè probabilis; quia requirere certitudinem eſſet difficillimum, ac redderet Sacramenta odioſa & nimium onerosa, ergo nec pro quotidianis operabilibus oportet requirere probabilioritatem, quia hanc diſcernere, eſt, etiam pleriſque animarum curatoribus, difficillimum, uti oſtendi *àn.*150.& 293. Attamen in ſententia Adverſariorum teneremur diſcernere, quia in debito faciendi includitur debitum ſciendi, ut ibid. dixi. Deinde oppoſita ſententia reddit non tantùm confectionem, & Suſceptionem Sacramentorum difficillimam, ſed etiam directionem conſcientiæ tam propriæ quàm alienæ, ut oſtendi dicto *n.*293. 4. Si pro Sacramentis non eſt requirenda certitudo, quia hæc induceret conficientes & ſuſcipientes in pericula peccandi, ergo nec pro quotidianis operabilibus eſt requirenda probabilioritas, quia hæc induceret in quotidiana pericula peccandi. 5. Si Profeſsores Theologiæ moralis non debent eſse plùs juſto rigidi, ergo maximè cavere debent ſententiam oppoſitam, quæ eſt fons Rigoriſmi, & cujus argumenta, ſi quid evincant, probant tandem etiam tutiora eſſe ſequenda, uti oſtendi *n.*292.ideòque dixi *n.*294. & iterùm dicam *num.*475. ſententiam oppoſitam eſſe periculoſiorem quàm noſtram. 6.Si timorem prudentem erroris prudenter contemnimus, quando miniſtramus Sacramenta, ergo multò magis, quando alia minus digna operamur. (Contra hoc tamen eſt, quòd, ſi timor ſit prudens, prudenter contemni non poſſit, ſed debeat prudenter deponi, maximè cùm agatur de inhonoratione rei ſacræ, & damno proximi.) 7.Adverſarii pro ſufficiente ultimo dictamine in quacumque materia ponunt actum opinativum, & formidoloſum, nos verò probavimus *àn.*46. debere eſse certum.

341 *Inſt.*1. Quidquid ſit de hactenus dictis, ſaltem videtur certum, quòd ſententia benigna ſit minùs certa quàm rigida, ergo eſt obligatio ſequendi rigidam, nam S.Aug. dicit, *Tene certum, dimitte incertum*: Et *L.*1. *de Bapt.contra Donat.Graviter peccatur in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quòd certis incerta præponantur. Conf.* Ideò tenenda eſt Religio Romana, quia omnes dicunt nos in ea ſalvari poſſe, è contra non omnes dicunt nec poſſe in aliis ſalvari; atque etiam omnes dicunt nos benè agere ſequendo probabiliora, non dicunt autem omnes ſequendo probabilia, ergo. Ita Eliz.*l.*8. *q.*3. §.3. R.1.n.ant.quia dato, quòd rigida ſit tutior, non ideò eſt certior, quia eſt major ratio firmiter adhærendi benignæ. R.2. Dato ant. n.conſ. benigna enim eſt ſatis certa, & alioquin teneremur ſemper ſequi tutiſſimas. *Ad* 1. ex S.Aug.ſic reſpondet S.Anton.1 *par.tit.*3. *c.*10. §.10. *Auguſtinus loquitur de dicto capite propriè de eo, qui differt pœnitentiam uſque ad extremum vitæ, cujus ſalvatio eſt, & incerta, quia incertum eſt, & dubium, an talis verè pœniteat ∴∴. ſed extendatur illa authoritas Auguſtini ad alias materias morales, notandum ſecundùm Cancellarium* (Gerſonem) *quòd certitudo, quæ requiritur in materia morali, non eſt certitudo evidentiæ ſed probabilis conjecturæ &c.*intellige ſecundùm dicta *n.*181. *Ad* 2. Loquitur de eo, qui convictus de veritate fidei, adhuc dubitabat, an ſit peccatum recipere Baptiſmum inter hæreticos, unde dubium illud erat planè imprudens; & in Sacramentis aliiſque de neceſſitate medii requiſitis dicit etiam benigna ſententia, quod tutiora ſint ſequenda. *Ad Conf.*n.paritatem. Religio vera eſt de neceſſitate medii, circa talia autem tenemur probabiliora, & tutiora ſequi.

*Inſt.*2. Sententia rigida eſt ſaltem probabilis, uti fatentur 342
multi cum Caſtrop.*d.*2.*p.*2.*n.*2. & evincunt argumenta allata, & afferenda, ergo dictamen formatum ſecundùm benignam non poteſt eſſe certum. *Conf.*1. quia probabile eſt dari legem de ſequendis probabilioribus, ergo ignorantia illius legis non eſt vobis invincibilis, poteſtis enim aſſentiri, quòd talis lex detur, ſicque habetis ſufficientem illius notitiam, & qui non vult aſſentiri, *non vult intelligere, ut benè agat. Conf.*2. nam cùm ſententia benigna ſit tanti momenti, & veluti cardo totius Theologiæ moralis, deberet niti principiis apertè demonſtratis,qualia non ſunt, quæ *àn.*268.ſunt allata,ita *Daniels. Conf.* 3.nam ſi ſententia benigna eſſet certa,Societas JESU in Congr. XIII.decreto XVIII.non permiſiſſet rigidam doceri, utpotè improbabilem, ita Ehrentr. *art.*8. R.2. Sequendo principia Adverſariorum, ſententia benigna eſt certa, & rigida eſt improbabilis, nam ſecundùm ipſos argumenta probabilia eliduntur per probabiliora, ſed certum eſt, quòd pro benigna ſint argumenta probabiliora, ergo argumenta pro rigida eliduntur, & conſequenter benigna erit certa.R.2.Teril.*in Reg.q.*2. *n.*190. dicit ſententiam rigidam in materiis obedientiæ, & juſtitiæ 343
eſſe improbabilem, in aliis materiis permittit aliquam probabilitatem:Moya *de op.prob.q.*6.*n.*39.& apud hunc Jo.à S.Thoma, & Prado. Item Illſ.*tr.*1.*d.*1.*n.*59.Sanch.*in Decal.l.*1.*c.*9. *n.*14. Stoz *l.*1.*p.*5.*n.*134.Breſſ.*l.*3.*c.*6.*n.*75.Card.*in* 1. *criſi d.*56.*n.*233. & plerique alii dicunt benignam eſſe evidentem vel moraliter certam, adeòque rigidam eſſe improbabilem; *Nec obſtare*, quòd defendatur ab aliquibus, *quia* contra principia intrinſeca certa non valet authoritas extrinſeca. Quidquid ſit de hoc. R.3.Saltem probabiliſſimè dicimus, quòd ultimum dictamen 344
reflexum ſit certum, eſt autem certum licere operari ſecundùm ſententiam probabiliſſimam, quia Alex.VIII. inter 31. damnavit etiam hanc 3. propoſitionem, *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam*: & ſi ad prudenter operandum ſufficit judicium directum ſimpliciter probabile vel ſaltem probabilius, uti volunt Adverſarii, etiam ſufficiet reflexum, quod eſt moraliter certum vel ſaltem probabiliſſimum: quod *Conf.*nam ſi ſententia rigida ſit vera, non requiritur certitudo ad licitè operandum; ſi autem benigna ſit vera, vi illius habemus certitudinem ſufficientem. *Ad* 1. *Conf.*n. conſ.quamvis enim aſſentirer, aſſenſus eſſet tantùm pro- 345
babilis, ergo necdum ſcirem dari illam legem: è contra cùm habeam graviora motiva, quod non detur, nunc multò minùs ſcio ſed magis invincibiliter ignoro; nec dici poteſt, quòd nolim intelligere, ut benè agam; nam adhibui diligentiam, ergo cùm non potuerim reſcire voluntatem Dei poſitivam, 346
licitè operor ſecundùm permiſſivam. *Ad* 2. ſufficit certitudo moralis,quam deſcripſimus *àn.*178. vel ſaltem ſufficit eſſe probabiliſſimam: imò à contrario ſic argumentor, non debet imponi lex ignota ita univerſalis, & dans occaſionem infinitis propè peccatis, niſi clarè demonſtrari poſſit illius exiſtentia, ſed hæc non poteſt clarè demonſtrari, imò nec probabiliùs ſuaderi, ergo. *Ad* 3. Societas permittit rigidam doceri ab il- 347
lo, qui eam judicat probabilem, non dicit autem eſſe talem, ſed hoc relinquit examini Doctorum.

*Inſt.*3. Judicia reflexa non poſſunt, nequidem quoad 348
nos, reddere objectum magis licitum, quàm judicia directa, cùm nihil agant in objecto, ſed directa non reddunt niſi probabiliter honeſtum, ergo nec reflexa. R.1. Ergo etiamſi judicia directa ſint probabiliora, tamen reflexa non reddent objectum quoad nos certò licitum, quod patet eſſe falſum, nam judex per judicia reflexa certiſſimus eſt damnationem Rei ſibi eſſe licitam, cui per judicia directa tantùm probabilius eſt eſſe licitam, quia non certò, ſed tantùm probabiliùs judicat illum eſſe verè convictum: hinc; R.2. n. maj. nam pro judiciis reflexis accedunt nova motiva, uti oſtenſum eſt *num.* 312. Et quamvis nihil mutationis fiat in objecto, tamen jam applicatur nobis tanquam certò licitum poni, licèt forte per accidens ſit in ſe illicitum.

*Inſt.*4. Nemo eſt certus, quòd ſatis examinarit ſenten- 349
tias; quòd judicet ſine paſſione: quòd homo à ſe conſultus ſit peritus aut ſincerè reſpondeat &c.ita Gonz.*d.*4.*n.*55. R.Eſt ſatis certus moraliter, ſcit enim ſe humanam adhibuiſſe diligentiam; experitur ſe bona fide procedere; ſcit conſultum, communiter haberi peritum, & temerarius foret, ſi de inſinceritate ſuſpicaretur.

Urget Camargo*l.*2. *contr.*4. *àn.*299. Scriptura & SS.PP. com-

commendant timorem peccati in omni opere noſtro, dicunt ubique eſse pericula, errores, ignorantias &c. E contra probabiliſmus docet operantem ex opinione probabili eſse certum ſe non peccare, & ſecurum, ergo probabiliſmus non eſt conformis Scripturæ, & SS.PP. Hæc ipſa fuſiùs & contentioſius urget *à n.*490. *&* 497. *Reſp.*Meritò commendari timorem peccati, & aſseri pericula, &c.1. Quia per noſtrum dictamen practicum plerumque non ſumus niſi moraliter certi de eo, quod non peccemus, uti dixi *nu.*50. morali autem certitudini poteſt abſolutè ſubeſse falſum. 2. Paſſio vel negligentia potuit dediſse cauſam errori, qui proinde non erit inculpabilis. 3. Quamvis quis videatur ſibi formare dictamina certa, fortè intercurrunt dubia, & non ſatis formatur conſcientia. 4.Poteſt defectus Baptiſmi in me, vel poteſtatis in Miniſtro impedire valorem Sacramentorum. 5. Poteſt aliunde prava intentio ſe ſubtiliter ingerens vel alia circumſtantia vitiare noſtras actiones. 6.Fortè opinio, quam ſequor, non eſt certò probabilis, nam difficile eſt diſcernere, uti dixi *à n.*150.& ſæpè concupiſcentia,amor proprius,fraus dæmonis fucum facit intellectui de probabilitate opinionis judicanti. Vide etiam dicta *n.*52.*&* 53.

350 *Objic.6.* Operans ſecundùm minùs probabilem judicat objectum ſuæ actionis eſse potiùs illicitum, ergo non eſt certus ſe licitè agere. R.Judicat eſse potiùs illicitum, ſpectatis præcisè principiis directis, n.ant.& conſ.

351 *Inſt.*1. Si actio non eſt certò licita ex principiis directis, ergo ſimpliciter non eſt certò licita, ad hoc enim requiritur eſse certò licitam ex omnibus principiis, quia bonum eſt ex integra cauſa, & malum ex quolibet defectu. R.1. Retorquendo, ſi ex ratione naturali non ſit certum dari Trinitatem in Deo, ergo non eſt ſimpliciter certum &c.R.2. Idem valere, ſi opereris, etiam ex probabiliore vel probabiliſſima. R.3. n.ſeq. quia ſicuti certitudo Trinitatis non petitur ex principiis naturalibus: ſed ex principiis fidei ſupponentibus cognitiones naturales, ita certitudo conſcientiæ non nititur cognitionibus directis tanquam præmiſſis, quas affirmet veras, ſed tantùm reflectit ſe ſupra eas tanquam exiſtentes ſaltem objectivè, qualiter exiſtere certum eſt, uti explicavimus *n.*306.

352 *Inſt.*2.Eſt certus de majore probabilitate, quòd objectum ſit illicitum, ergo non eſt certus eſſe licitum. *Conf.* nam ſi certus ſim de majore probabilitate, quòd objectum ſit impoſſibile, non poſſum eſſe certus, quod ſit poſſibile, ergo ſimiliter hic, ita Gonz.*n.*52. R.1. Operans ſecundùm probabiliorem faventem libertati contra legem, eſt certus de probabilitate, quod objectum ſit illicitum, ergo non eſt certus eſſe licitum. R.2. Spectatis præcisè principiis directis, c.ſpectatis etiam reflexis, n.conſ. *Ad Conf.* n.paritatem, major probabilitas eſſet de impoſſibilitate in ſe à parte rei, & certitudo eſſet de poſſibilitate etiam in ſe à parte rei, quod apertè implicat, cùm certitudo elidat probabilitatem circa idem: è contra major probabilitas per judicia directa eſt de illicito in ſe, à parte rei; & certitudo per judicia reflexa, non eſt de licito in ſe à parte rei, ſed eſt de licito poni & reſpectivè ad conſcientiam, etiamſi fortè in ſe à parte rei ſit illicitum, ergo diſparitas eſt manifeſta.

Urget Camargo *l.*1.*contr.*7. *à n.*29. ſic operantem non ſeriò inquirere in voluntatem Dei, nec revereri ejus legem, quia facit hoc, quod ipſi eſt veriſimilius eſſe contra voluntatem & legem Dei: *Sed* ſi argumenta ipſius tenent, etiam ille non cenſebitur inquirere in voluntatemDei nec reverebitur legem ejus, qui non ſequetur tutiora. Adde,quamvis faciat hoc, quod ipſi eſt veriſimilius eſſe contra voluntatem & legem Dei, tamen aliis, quos ſcit eſſe Viros ſapientes, & fortè ſapientiores,quàm ſe,eſt veriſimilius non eſſe contra voluntatem nec legem Dei: nulla autem lex eum obligat ſequi potiùs ſuam quàm aliorum opinionem, dummodò ipſe ſibi formet conſcientiam, ſecundùm dicta *n.*307.Vide etiam dicenda *n.*377.

353 *Objic.*7. Qui operatur ſecundùm minùs probabilem exponit ſe periculo peccandi; deinde agit imprudenter, ſicut imprudens eſt, qui utitur horologio minus bono, ita Merc.& Eliz.*d.* 3.*q.*10.R.Exponit ſe periculo peccandi formaliter, n.materialiter c.hoc autem non tenemur vitare, ubi non poſſumus reſcire veritatem, & è contra ad ſic operandum habemus prudens motivum, quod vel inde patet, quia periculum peccandi materialiter manet, licèt quis ſequatur probabiliorem, imò, & moraliter certam, nam & hæ poſſunt eſſe falſæ. Adde, quòd obligatio ſequendi probabiliorem, plures homines exponeret certo periculo peccandi formaliter, quia multi vel ex fragilitate non operarentur ſecundùm illam: vel cum dubiis operarentur, aut ſaltem redderentur perplexi, non potentes diſcernere probabiliorem, ſecundùm dicta *n.*293.Illud de horologio nihil evincit, nam bona fides aut ignorantia invincibilis non facit vel horologium, vel tempus conformari curſui Solis, è contra ignorantia invincibilis & bona fides facit operationem meam conformari ſaltem ſecundariæ & permittenti voluntati Dei.

354 *Inſt.* Quidam damnatus eſt, eò quòd ſecutus fuiſſet ſententiam probabilem de retinendis ſimul pluribus Præbendis, ut refert Thom.Cantipratanus, ergo.Ita Gonz.*d.*4.*n.*46. R.Damnatus eſt, quia ſecutus fuit probabilem non formato dictamine, quod ſibi liceret, ut patet ex verbis Cantipratani, quæ refert Gonz.*n.*45. *renuit enim dimittere præbendas, experiri ſe velle dicens, utrùm eſſet damnabile beneficia plura tenere, mortuus eſt ergo ſic, &c.*utique peſſimè, quia dubitans, an benè an malè ageret, ſeque apertè exponens periculo damnationis: oppoſitum eſt in operante ex probabili, formato ſibi dictamine certo, quod id liceat.

*Objì.*8. Certum eſt unam ex duabus oppoſitis opinionibus 355
eſſe falſam, cùm ſint contradictoriæ; ergo non poteſt aliquis ſequi utramque, quam volet, quia alioquin certò ſciet ſe ſequi unam falſam. R.1.Ergo nec poteſt ſequi probabiliorem, quia etiam illa poteſt eſſe falſa. R.2. Certum eſt unam eſſe falſam, hanc determinatè vel illam, n. unam indeterminatè, c. cum quo ſtat probabilitas utriuſque, uti conſtat ex dictis *à n.*237.

*Inſt.*1. Nemo poteſt ſimul aſſentiri duabus propoſitioni- 356
bus contradictoriis, ſed ut licitè ſequatur, quam volet, deberet utrique aſſentiri, ergo, ita Baron.& Mercor. R.1. n. min.ſecundùm dicenda *à n.*387. R.2. dato requiri aſſenſum, ad hoc, ut liceat ſequi probabilem, adhuc dico poſſe eligere, quam volet, quia poterit aſſentiri parti, cui volet, uti dicetur *n.*398.*&* 414.

*Inſt.*2. Probabilitas habens ſe ad utrumque contradicto- 357
rium eſt indifferens ad verum, & falſum, ergo non poteſt fundare dictamen certum, nec ſervire pro regula nequidem ſecundaria conſcientiæ, regula enim ſecundaria debet eſſe ſubordinata, & conformis primæ, ſed prima, quæ eſt lex in Deo exiſtens, non eſt indifferens ad utramque partem contradictionis, ſed determinatè affixa ad ſolum verum, ergo. Ita Eliz. addens interpoſito juramento nihil ſibi unquam viſum eſſe evidentius, quàm eam probabilitatem non eſſe bonam regulam conſcientiæ. R.Malè apprehendi, quaſi dicamus dari unam probabilitatem utrique contradictorio communem, quæ ſerviat pro regula ſequendi partem, quam quis volet: evidens enim eſt nullam dari poſſe probabilitatem pro complexo contradictoriorum, cùm evidens ſit illud conſtare vero & falſo: itaque dicimus ibi dari duas probabilitates in individuo, unam pro hac, alteram pro iſta parte contradictionis, quarum probabilitatum ſingulæ ex vi ſui motivi ſunt ad verum tantùm, nam ſingularum motivum ſollicitat intellectum ad aſſenſum, aſſenſus autem eſt tantùm ad verum ſaltem apprehenſum: uti dictum eſt *n.* 101. De his ergo probabilitatibus, v.g. quod non liceat & quod liceat pingere die feſto diximus jam *num.*332. *&* 339. quod ſint ſubordinatæ, & conformes legi divinæ, nam ſuppoſito; quod non liceat pingere, tum prima probabilitas eſt conformis legi divinæ primariæ, & prohibenti, ſecunda autem probabilitas erit quidem illi primariæ difformis, tamen quia hæc lex invincibiliter ignoratur, & ex gravi motivo judicatur non exiſtere, eſt in Deo alia lex ſecundaria, in his circumſtantiis permittens pingere, cui hæc ſecunda probabilitas etiam conformis eſt, hinc poſſumus nobis formare regulam formalem ſive conſcientiam, quod ſuppoſita illa probabilitate nobis hic, & nunc liceat pingere, uti explicatum eſt *à n.*338. Poteſtque etiam videri Teril.*in Reg.qu.*49.*à n.*4.

*Inſt.*3. Saltem ut quis licitè ſequatur opinionem, de- 358
bet judicare illam eſſe probabiliter veram, ſed nemo poteſt judicare utramlibet partem contradictionis eſſe probabiliter veram, ergo nemo poteſt utramlibet partem contradictionis ſequi. *Maj.*patet, quia probabilitas dicitur in ordine ad veritatem, & ſi opinio non ſit probabiliter vera, non eſt prudens, imò nemo poteſt eam habere, quia omnis aſſenſus eſt ad veritatem. *Min.* etiam prob.quia licèt utraque pars contradictionis poſſit ſimul habere grave motivum, & apparentiam veri pro ſe, ideòque aliquis poſſit judicare utramque partem ſimul eſſe improbabilem, tamen impoſſibile eſt etiam opinativè tantum judicare utramque ſimul eſſe veram, ſive in utralibet parte eſse veritatem, quia evidens eſt in alterutra parte eſse falſitatem, ergo. Ita Ebrentr. *art.*3. R. n.min. cujus prob.diſt. impoſſibile eſt opinari utramque ſimul, & copulativè eſse veram, ſive, quod complexum illud contradictoriarum ex utraque parte habeat veritatem, c.utramque ſimul, ſed diſtributivè, & diviſivè eſse veram, id eſt, pro veritate hujus eſse hoc motivum grave, & pro veritate illius eſse iſtud aliud motivum grave, n.nec plus requiritur, uti *à n.*387. oſtendetur, quod ſi requireretur aſsenſus determinatè ad illam partem, quam quis vellet ſequi, poſset hunc etiam habere, uti etiam oſtendetur *à n.*398.*&* 414.

*Inſt.*4. Certum eſt alterutrum ex iſtis contradictoriis eſse 359
illicitum, ergo ſaltem dici non poteſt, quod utrumque ſit practicè, & conſcientialiter probabile. *Conf.*1. nam ſi pars utraque ſit conſcientialiter probabilis, ergo utraque approbatur à Deo, ergo Deus approbat unam partem, quæ eſt intrinſecè mala. *Conf.*2.quia doctrina conſcientialiter probabilis debet eſse ſana, ſed utraque pars non eſt ſana, nam S.Thom.

in cap.

*in cap.4. Epiſt.2. ad Timoth.*ait, *Sana doctrina eſt, quando non habet admixtam falſitatem*, ergo. Ita Eliz.*q.*13. Reſp. n.conſ.illud enim, quod per ſe eſt illicitum, fit per accidens licitum ratione ignorantiæ invincibilis &c. ſecundùm dicta *n.*312.*Ad Conſ.*1. n.ſeq.illud enim, quod in ſe eſt illicitum, Deus non approbat poſitivè, ſed tantùm permittit, & ideò illius electio nobis fit licita, quia ex gravibus motivis judicamus illam eſſè licitam ac permiſſam à Deo. *Ad* 2. Debet eſſe ſana, ſemper materialiter & per ſe, id eſt, debet ſemper eſſe in ſe vera, n.ſaltem formaliter, & per accidens ratione ignorantiæ invincibilis. c.Itaque per hoc eſt ſana, quòd ex motivo gravi dirigat mores & à peccato liberet, & illo ſenſu dicimus totam doctrinam *S. Thomæ* eſſe ſanam, licèt fortè aliqua falſa contineat. *S.Th.*citatus loquitur cum Apoſtolo de doctrinis fidei, quæ certiſſimæ eſſe debent ſine admixtione ullius falſi. Vide Teril.*q.*29.*àn.*96.

360 *Objic.*9. Opiniones ab Alex.VII.& Innoc.XI.damnatæ habebantur anteà probabiles, & tamen ſunt damnatæ tanquam in praxi perniciosæ, ergo quamvis opinio habeatur probabilis, non ideò poteſt practicari. Reſp. Non ideò poteſt practicari, quamdiu manet probabilitas illius, n. ſi illius probabilitas ſit ſublata, c.& idem dicendum eſt ab Adverſariis: ſi enim opinio ante hac probabilior damnetur aut nunc inveniatur ratio faciens oppoſitam eſſe moraliter certam, eodem modo illa, quæ fuit probabilior, reddetur practicè improbabilis.

Inſtat 1. Camargo *l.*2.*contr.*1.*àn.*1. Decreta Pontificum non fecerunt illas opiniones eſſe perniciosas in praxi, ergo antecedenter erant tales. Reſp. Erant tales, materialiter & ſecundùm ſe, c.formaliter quoad nos, n.nam, quæ erant verè probabiles, erant quidem occaſio peccati materialis, quia inducebant ad actionem legi Dei antecedenti diſformem: quia tamen id invincibiliter ignorabamus, & nitebantur motivo gravi, fundabant nobis prudens dictamen, & ſic per accidens excuſabamur à peccato formali.

Inſtat 2. *contr.* 3. Hæc propoſitio damnata, *Probabiliter exiſtimo Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minus probabilem*, deducta eſt ex probabiliſmo, ergo cùm ex vero non ſequatur falſum, probabiliſmus eſt falſus. Reſp. Si deducta eſt ex probabiliſmo, deducta eſt ex illo malè intellecto, & malè applicato, ut ex locis Scripturæ vel dictis *S.Aug.* deducunt hæretici ſuos errores.

Inſtat 3. Suppone Judici probabilius eſſe, quòd teſtamentum ſine ſolemnitate factum non valeat, minùs autem probabile eſſe, quòd valeat: tunc ſic, ſi probabiliſmus eſt verus, licitum erit Judici ferre ſententiam ſecundùm hanc minus probabilem, nam, ſecundùm probabiliſtas, lex requirens ſolemnitates non erit ſufficienter promulgata, cùm oppoſitum ſit probabile, ergo certum erit non obligare, imò nec exiſtere, cùm de eſſentia legis ſit promulgatio, ergo cùm nulla lex obſtet, poterit imò debebit Judex ſtare pro valore talis teſtamenti. R. n.ſeq. quia Judex aliunde habet certam legem, qua tenetur ſequi hoc, quod ipſi eſt directè probabilius, uti dicetur *l.*4.*num.* 1480. Et ſimiliter poſſet quis ſe voto obligaſſe ad ſequenda probabiliora aut etiam tutiora, neque ideò ad hoc tenerentur alii.

361 *Objic.*10. Secundùm hanc ſententiam licebunt omnia ſcelera, quia pro omnibus invenietur aliqua opinio probabilis; ſic probabiliter judicare poterant,

Adam, legem Dei eſſe pœnalem tantùm, adeòque non obligare in conſcientia, aut non obligare ſub mortali, quia materia eſſet levis; *Eva*, præceptum odioſum ad ſe non extendi, quia ante ejus creationem latum erat,

Saul, ſe poſſe parcere Regi Amalec, quia erat conforme miſericordiæ; item gregibus opimis, quia erant pro ſacrificio.

Roboam ſequens ſententiam Juniorum ætate ſibi æqualium, tunc autem erat annorum quadraginta & unius,

Judæi ſequentes ſententiam Scribarum & Phariſæorum & totius multitudinis contra Chriſtum,

Pilatus eoſdem ſequens; maximè cùm audiret Judæos habere legem, ſecundùm quam deberet mori,

Ethnici, *& Hæretici* omnes ſequentes ſententiam Majorum & Doctorum ſuorum, maximè cùm nunc etiam tot videant eſſe ejuſdem ſenſus, & religionis, ita Sinnic.Mercor.Gonet & alii.

R. n.ſeq.quia certum eſt non dari opiniones verè probabiles pro omnibus ſceleribus, fides enim docet multa prohiberi velut illicita, & habemus moralem evidentiam de multis in ſe illicitis; Item moralem certitudinem de multis præceptis has vel illas actiones prohibentibus, ergo non poteſt eſſe probabile, quod illa ſint licita.

Adamo, *& Evæ* certum erat, quòd præceptum obligaret in conſcientia, & quidem graviter, uti oſtendit Bellarm. *T.* 4.*l.*3.*de amiſſ.gratiæ cap.*6. hinc *Gen.*3.*v.*3. dicit Eva, *præcepit nobis Deus, ne comederemus*: & ex pœna colligebat gravitatem præcepti; nam addit, *ne fortè moriamur*: ideoque etiam S.Aug.1.*Petr.c.*15. ait, *Adam ſimul & Eva ſcientes fecerunt contra præceptum*, quia nempè in eis fuit ſcientia infuſa, ita ut S.Th.*de verit.q.*18. *a.*6. putet pro ſtatu innocentiæ nullam in eis fuiſſe opinionem. *Nec obſtat*, quod S. Auguſt. de *Eva* dicat, *maxima libertate habenas prohibitionum rumpere delectata, probabiliùs exiſtimans non eſſe mortem, quam timuerat ſecuturam*, nam hoc ipſum pugnat contra ſententiam de ſequenda majore probabilitate; rectè autem hoc exponit S. Thom. *ad* 5. *Adamum*, *& Evam* jam priùs peccaſſe per elationem animi, & ideò hoc eis viſum probabilius errore ſcilicet culpabili, & vincibili. Videri poteſt Eſp. *in app. a.*3. *& ſeqq.*

Saul ſcivit clarum præceptum Dei, dicitur enim 1. *Reg.* 15. *v.*3. *Demolire univerſa ejus, non parcas ei*: hinc *v.* 24. dixit, *Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum*. Videri poteſt Eſp. *a.*10. *& ſeqq.*

Roboamum peccaviſſe non dicit Scriptura, ſed 3. *Reg.* 12. refert diſpoſitionem illam ad Dei providentiam: egit tamen imprudenter ſequendo conſilium minùs tutum, in caſu, quo periculum damni non poterat removere bona fides aut ignorantia invincibilis.

Judæos convincebat evidentia miraculorum, vita inculpata Chriſti, nota Scribarum & Phariſæorum invidia, ſi tamen his non obſtantibus aliqui invincibiliter errarunt, non peccarunt.

Pilatus ſcivit, quòd per invidiam tradidiſſent eum, uti habetur Matth.27.v.18.

Ethnici aut *Hæretici* materiales dari poſſunt ſaltem ad 362 breve tempus: quòd ſi dubitare incipiant, tenentur inquirere, & adhibita morali diligentia in expendendis ſignis veræ fidei, & notis Eccleſiæ Chriſti, agnoſcent certitudinem fidei noſtræ, & parva fundamenta ſuæ: unde cùm in iis, quæ ſunt de neceſſitate medii, non juvet de ignorantia invincibilis nec bona fides, ſtatim tenebuntur admittere fidem noſtram tanquam unicè tutam; alia omnia ſunt in eo, qui ſequitur minùs probabilem, nam adhibita morali diligentia non poteſt deprehendere veritatem, & ipſum excuſat bona fides cum ignorantia invincibili, cùm hæc removeant periculum peccati formalis.

Inſt. Saltem plùs poterunt Authores Probabiliſtæ, quàm 363 Deus, Eccleſia aut Papa, nam priores poſſunt authoritate ſua interveniente facere, ut utraque pars contradictionis ſit practicè probabilis, hoc autem non poſſunt Deus, Eccleſia, aut Papa. R.1. Idem valet contra Probabilioriſtas, item contra omnes, qui dicunt eſſe licitum operari ex ignorantia invincibili, nam horum authoritas facit eſſe licitum, quod ſæpè ſecundùm ſe eſt illicitum. R.2.Plus poterunt ſecundùm quid & per accidens, ratione ſuæ fallibilitatis & ignorantiæ invincibilis, c. & hoc debent omnes fateri: plùs poterunt abſolutè & per ſe, n. Deus propter ſuam perfectionem, Eccleſia, & Papa propter aſſiſtentiam Dei non poſſunt dicere aliquid eſſe honeſtum, quod honeſtum non eſt, quod nos ex defectibus humanis poſſumus. Videri poteſt Teril.*in Reg.q.*14.*àn.*36.

*Objic.*11. In foro externo decidi debet à Judice pro parte 364 probabiliore, ergo & in interno, in quo ratio eſt Judex, materia litis eſt exiſtentia legis, Deus & homo ſunt partes diſceptantes, Deus enim ſtat pro lege; homo pro libertate, ergo ſi pro lege ſint majores rationes, debet pro Deo decidi, ita Eliz. *l.*1.*q.*15.& Gonz.*d.*4.*àn.*25.*Conſ.*1. Quia forum internum non debet diſcordare ab externo, niſi certò ſciatur errorem vel ignorantiam intervenire. *Conſ.*2. Quia in foro externo tantùm eſt periculum lædendi jus hominis circa temporalia, in interno periculum eſt lædendi jus Dei, & propriam conſcientiam, eſtque abſurdum certiorem regulam requirere pro rebus levioris momenti. R. n. conſ. Obligatio Judicis pro foro externo aliunde reſcitur, ut dicemus *l.*4.*n.*1480. eam autem obligationem acceptat Judex cum ſuo officio, nihil ſimile eſt pro foro interno: & ratio ulterior eſt; quia qui pro foro interno eligit opinionem faventem libertati, reſpicit ſe ut poſſeſſorem, ergo rectè ſibi adjudicat, quia ubi adeſt ratio probabilis, prævalet titulus poſſeſſionis etiam contra probabilitatem majorem oppoſitam, uti omnes communiter fatentur; è contra Judex in foro externo neutrum reſpicit ut poſſeſſorem, alioquin deberet poſſeſſori adjudicare. Adde, etiam falsò dici, quod Deus ſtet pro lege contra libertatem hominis, dicimus enim Deum aſſiſtere libertati, & in eis circumſtantiis non eſſe legem operandi ſecundum probabiliora. *Ad Conſ.*1. Forum internum debet conformari externo, ſi eædem ſint circumſtantiæ, id autem non eſt ſemper, nam externum, v.g. præſumit debitorem eſſe ſolvendo, hinc non admittit juramentum negantis, ſed dat locum diſtractioni bonorum; è contra in interno datur locus dilationi: & idem eſt in pluribus aliis caſibus, in quibus poteſt internum diſcrepare ab externo. Videri poteſt Teril.*q.* 20.*àn.*28. *Ad Conſ.*2. n.eſſe periculum lædendi jus Dei; cùm nos non obliget, vel lædendi conſcientiam, cùm abſit periculum peccandi. Item n.regulam conſcientiæ non eſſe ſufficienter certam, uti conſtat ex dictis *àn.*342.

*Objic.*12. Si ſim, v.g. Medicus, charitas erga proximum 365 obligat

obligat me, ut ſequar pro ipſius bono magis probabilem, ergo etiam charitas erga Deum, ut pro ejus honore ſequar faventem legi. R.1.Charitas erga proximum obligat,ut ſequar magis tutam etiam contra probabiliorem, v.g.ne explodam, ſi probabile ſit eſse hominem, licèt probabilius ſit eſse feram, ergo etiam charitas erga Deum obligabit, ut ſemper ſequar magis tutam, quod plerique ex adverſariis negant.R.2. n.conſ. pro obligatione illa Medici habemus aliunde certitudinem, ut dicetur *l.4.n.* 1534.pro altera obligatione nõ affertur ſufficiens fundamentũ.

366 *Q.45. An ſit licitum operari ſecundùm opinionem tenuiter vel dubiè tantùm probabilem?* R.

§.1. Non eſt, per ſe loquendo, licitum operari ſecundùm opinionem tenuiter tantùm probabilem, nam Innoc.XI. damnavit hanc 3. propoſitionem, *Generatim, cùm probabilitate ſive intrinſeca ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*: Ratio eſt, tum quia tenue motivum non eſt prudens nec dignum aſsenſu viri prudentis, & illi oppoſitum communiter eſt certum, tum etiam quia quando eſt ejuſmodi tenue motivum, non poteſt tolli dubium practicum, operari autem cum dubio practico eſt peccatum, ergo. *Dixi*, per ſe loquendo, nam in graviſſima neceſſitate, & quando opinio tutior non poſſet reduci ad praxin, licitum eſset operari ſecundùm opinionem tenuiter probabilem, neque hoc ab Inn.XI.damnatur, uti rectè notat Card. *in 2. criſi d.4. c.7.* quia neceſſitas graviſſima quodammodo auget probabilitatem, facit enim ut omiſſio operationis ſit moraliter impoſſibilis, ergo pro eo caſu opinio ſit ſufficienter probabilis in ordine ad tollendum dubium practicum.

367 §.2. Non eſt licitum ſequi opinionem dubiè probabilem, ita S.Th.Med.Card.*in 1.criſi d.58.c.3.* dicens eſse certiſſimum. Ratio eſt, quia qui dubitat de probabilitate opinionis, verſatur in dubio practico, & conſequenter dubitat, an licitum ſit ex illa opinione operari, ergo ſi operetur cum illo dubio, formaliter peccat, cum ſe exponat periculo formaliter peccandi: deinde, ut quis dubitans licitè operetur, debet prudenter deponere dubium, & tum ſibi formare conſcientiam, non poteſt autem prudenter deponere dubium, niſi propter motivum ſaltem probabile, quod hic non habet, cùm dubitet, an ſit probabile, necne, ergo.

Ex his conſtat Camargum *l.2.controv.2.*malè inferre,ex hoc, quòd damnetur praxis opinionis tenuiter tantùm probabilis, etiam damnari praxin opinionis certò probabilis, *Nam* patet diſparitas ex dictis. Rectè tamen dicit *ân.51.* opinionem, de qua dubitatur, an ſit damnata, non eſse tutam in praxi, quia quamvis ſit in anteriore poſſeſſione non damnationis, ideoque non poſſit abſolutè dici damnata, tamen nunc eſt dubiæ probabilitatis, & dubium eſt, an non ſit pernicioſa in praxi, ergo illicitè ad praxin deducitur.

368 *Q.46. An licitum ſit ſequi ſententiam, quæ probabiliter tantùm eſt probabilis?* R.Negant Teril.*in Reg.q.23.n.23.*Lumb. & Filg.apud Card.*in 2.criſi d.4. c.2. & alii*, quia talis opinio videtur eſſe tantùm tenuiter vel dubiè probabilis: è contra affirmant Tamb.*in Dec.l.1.c.3.§.3.n.8.* Illſ.Banholtz.Ard.*T.2.p. 2.tr.1.c.2.§.5.* quia dicere eſſe probabiliter probabilem idem eſt ac dicere, quòd omnibus expenſis poſſit prudenter judicari pro ea eſſe gravem rationem, & conſequenter, quòd pro ejus veritate ſit grave motivum, adeoque vix diſcrimen erit inter opinionem certò, & probabiliter tantùm probabilem: v.g.ſi homo ignarus conſulat doctum Theologum, quod hic reſolvet, erit illi tantùm probabiliter probabile,cùm ipſemet non capiat fundamenta, & tamen, inquiunt, rectè format ſibi conſcientiam ſecundùm reſponſum illius Theologi: idem dicunt de opinionibus, quæ probabiliter tantùm inferuntur ex aliis certò probabilibus: Rationem à priori dant, quia ubi opinio eſt probabiliter probabilis, æquè poteſt formari dictamen ultimum certum, atqui ubi eſt certò probabilis, poteſt enim dubium prudenter deponi propter rationem probabilem, ſicque judicare potero probabile eſſe, quòd opinio illa ſit probabilis, ergo non ampliùs dubitabo de probabilitate illius opinionis, dubium enim eſt ſuſpenſio omnis aſſenſus, ego autem hic habebo aſſenſum: unde etiam monent hic benè diſtinguendum eſſe inter formidinem, & inter dubitationem, quamvis enim opinio probabilis habeat adjunctam formidinem, non ideò eſt dubitatio, cùm adſit aſſenſus: addunt rationem à poſteriori, quia ſi teneremur ſemper examinare, an opiniones directæ, quas ſequimur, eſſent certò probabiles, induceremur in infinitos ſcrupulos. Hæc ſententia eſt probabilis, in quæſtione tamen de nomine, malo abſolutè dicere opinionem, ſecundum quam formatur conſcientia, debere eſſe certò probabilem, ne quis ſe periculo exponat formandi conſcientiam ſecundùm opinionem tenuiter vel dubiè tantùm probabilem.

369 *Q.47. An liceat ſequi opinionem extrinſecè tantùm probabilem?* R. Negativè, implicat enim ut opinio ſit probabilis ab extrinſeco, ſi ab intrinſeco ſit improbabilis, neque probabilitas extrinſeca datur, niſi probabilitas intrinſeca ſaltem præſumatur adeſſe, uti rectè Card.*in 1.criſ.d.11.n.262.& d.69. n.6.*Ratio eſt, quia numerus Authorum non facit, ut opinio cenſeatur conformis rectæ rationi vel voluntati Dei, neque etiã ſemper reddit probabilem, ut *ân.136.* oſtenſum eſt, ſed hoc facit natura objecti, quam ſic ſe habere ſuadet nobis motivum ab intrinſeco, ſi prudens ſit, hinc Stoz *l.1.p.5. n.100.* ait, *ſi mille AA.in unam ſententiam conveniant nulla ratione nixi, nulla ex hoc capite generatur probabilitas, neque credendum eſt illis*: ideoque etiam Card.*d.58.nu.9.* & Lupus apud Sanch. *de Matr.l.3.d.44.n.2.*dicunt, *non eſt credendum Doctoribus quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento*: ſimiliter S.Hieronymus, uti refertur *Cap.Ego ſolis, diſt.9.*ait, *Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate quantave doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios Authores vel Canonicas vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, perſuadere poterunt*: Communiter tamen prudenter præſumi poteſt, quòd adſit probabilitas intrinſeca, ubi multi AA. etiam nunc aliquam opinionem tenent, hi enim non aſſerent temerè, ſed ob rationes inventas; ideoque Spor.*n.39.* rectè notat aliquem poſſe tutò ſequi opinionem communem, niſi fortè unus ſecutus fuiſſet alterum, uti ovis ovem, quod quandoque fit, aut niſi viro docto occurreret firma ratio non animadverſa ab aliis, quæ probaret oppoſitum, tum etiam teneretur magis inquirere, & rationes inter ſe conferre, ac videre,an opinio maneat probabilis: imò quamvis admittam hominem indoctum poſſe tutò procedere, hoc ipſo quòd ſciat opinionem etiam nunc doceri à viris probis, & doctis, homo tamen doctus, qui poteſt examinare rationes intrinſecas, non videtur tutò poſſe procedere, niſi examinet illas, vel prudenter præſumat etiam in hac materia ab illis aliis examinatas eſſe. Ratio eſt, quia hic poteſt examinare, & diſcutere, quid in re videatur verum necne, ergo ſi non faciat & fortè erret, errat errore vincibili, & culpabili, ergo non excuſatur: hinc Teril.*in Reg. q.29. nu.* 90.rectè ait, *Si viro valdè docto ſolùm repræſentetur, quòd plures teneant utramque partem contradictionis non illicò tutus erit, ſi ſectetur partem minus tutam, ſed vel ſcire debet qualitatem Doctorum eam tenentium, ut ſic fine ulteriori inveſtigatione eorum ſententiam in conſcientiæ regulam licitè accipiat, vel ipſemet tenebitur rationes inveſtigare, ut nil agat, niſi illud rationi congruum eſſe noverit*: quòd ſi examinatis utrimque rationibus necdum appareat veritas, ſed utraque pars pro ſe habeat grave motivum, ſequi poteſt, quam volet, nam ſi erret, excuſat eum invincibilis ignorantia, uti ſæpè eſt dictum.

370 *Q.48. An liceat hanc, & oppoſitam ſententiam probabilem ſequi in eadem materia?* R.

§.1. *Caramuel* dicit probabile eſſe, quòd aliquis ſemper poſſit, ſed hunc rectè confutat Creſp. à Borgia *qu. 9.* Tamb. *in Decal.l.1.c.3.§.5.*dicit licere, dummodo probabilitas opinionis non pendeat immediatè à noſtra voluntate, quandonam autem probabilitas pendeat vel non pendeat à noſtra voluntate, non ſatis clarè explicat.

371 §.2. Bardi *diſc.4.cap.14.*Spor.*n.35.*melius dicunt non licere, ſi lex aliqua occurrat, cujus obligatio ſit certa, & quæ poſt aſſumptam alteram ſententiam probabilem impleri non poſſet, in hoc enim caſu obligatio legis alicujus certæ eluderetur, v. g. ſi horologium A, ſonet undecimam noctis & horologium B, medium undecimæ, ſuppoſito quod utrumque horologium communiter benè dirigatur, probabile erit prius eſſe medium undecimæ, hinc aliquis volens ſequi horologium B: adhuc per horam integram licitè differet Veſperas, poſtmodùm autem audita duodecima in horologio A, ſi ſecundùm hoc vellet ſe dirigere, & judicare, quòd tranſierit duodecima, adeòque non ampliùs obligetur orare Veſperas, patet hoc non licere, quia lex de orandis Horis eſt certa, & illius impletio impeditur aſſumendo alteram partem probabilem. Idem eſt, ſi die Sabbati audita in uno horologio 12. comedas carnes,& quia in altero necdum audita eſt, ideò velis te reputare jejunum, & in Dominica communicare, cùm enim certum ſit alterutrum horologium errare, etiam certum eſt te unum præceptum tranſgredi, vel abſtinentiæ à carnibus, vel jejunii pro Communione, ergo id non eſt licitum: è contra ſi lex vel ejus obligatio non ſit certa, aut aſſumpta altera opinione poſſit nihilominus lex utraque adhuc impleri, dicunt licitum eſſe mutare, v.g. ſi probabile ſit vectigal eſſe injuſtè impoſitum, & etiam probabile, quod ſit juſtè impoſitum, ſi ſimul ſis & exactor vectigalium & mercator, dicunt te poſſe hoc vectigal ab aliis exigere veluti juſtè impoſitum,& tamen te ipſummet non teneri ſolvere tanquam injuſtè impoſitum, quia cùm dubitetur de juſtitia vectigalis, lex illud imponens non eſt certa, tenebitur tamen inquirere, & ſi compererit fuiſſe juſtè impoſitum, poterit adhuc & tenebitur compenſare, ſi autem compererit fuiſſe injuſtè impoſitum, tenebitur, ſi adhuc habet, reſti-

reſtituere eis, à quibus exegit: plures ejuſmodi caſus afferunt Creſp. *ſup.* & Gob. *de Sacrif. à n.* 206.

372 §. 3. Lugo *de Euch. d.* 15. *à n.* 46. Eſp. *de act. hum. q.* 23. ponunt hanc regulam univerſalem: nunquam licitum eſt mutare opinionem ſemel electam, ſi hoc foret certò in præjudicium alicujus legis, quæ per ejuſmodi mutationem violaretur, quia ſingulæ leges habent jus certum, ne fraudenter, ergo etiam ne regula operandi ſemel electa mutetur in manifeſtum ſui præjudicium, ideoque ſic eligens unam partem, obligat ſe implicitè ad illam non mutandam in præjudicium legis.

373 §. 4. *Haun.* docet etiam non eſſe licitum eodem tempore uſurpare utramque opinionem in præjudicium tertii, uti fieret, ſi per teſtamentum non ſolemne ſcriptus hæres, velles hæreditatem retinere, utens ea opinione, quòd teſtamentum non ſolemne valeat pro foro conſcientiæ, & tamē nolles ſolvere legata, ſequendo ſententiam, quòd teſtamentum ſine ſolemnitate ſit invalidū, ſic enim certò agis contra jus unius, vel alterius hæredis ab inteſtato, vel hujus legatarii: Quod ſi ante hac proceſſiſſes ſecundùm ſententiam requirentem ſolemnitates, & poſteà procederes ſecundùm ſententiam non requirentem, non eſſet eadem ratio, nam ſuppoſito facto primo, quod infectum fieri non poſſet, non amiſiſſes poteſtatem te conformandi alteri ſententiæ, pro alio tamen caſu, nam fortè jam poſita eſt tranſgreſſio legis per primum caſum, & ita ſecundus erit ſecundùm legem, ſicuti ſi heri judicans priorem ſententiam probabiliorem proceſſiſſes ſecundùm illam, hodie ſi occurrente nova ratione judicares poſteriorem eſſe probabiliorem, utique poſſes dimiſſa priore ſequi poſteriorem, uti fatentur omnes.

374 *Objic.* Saltem non potero uni ſuadere priorem ſententiam, & alteri poſteriorem, quia certum erit unam legem naturæ ab alterutro violandam. R. 1. Idem ſolvendum eſſe omnibus, nam tu dicis te teneri ſuadere, ut omnes ſequantur hoc, quod judicant eſſe probabilius; pone itaque unum judicare, quòd probabilius ſit tale teſtamentum valere, alterum autem judicare probabilius eſſe, quòd non valeat, tu utrique te conſulenti ſuadebis, ut ſuam quiſque opinionem ſequatur, utpotè probabiliorem, ergo certo alterutri ſuades tranſgreſſionem legis naturæ. R. 2. cum Card. *in* 1. *criſi d.* 56. *n.* 1152. non licebit ſuadere in, & pro eodem tempore, tranſeat, pro diverſo tempore, n. poſito enim actu ſecundùm unam ſententiam, fortè jam poſita eſt tranſgreſſio legis, quam tranſgreſſionem nunc impedire non poſſum, nec amplius certum eſt violandam ullam legem, ergo manet jus ſecundùm alteram ſententiam ponendi, & ſuadendi actum oppoſitum, qui probabiliter erit conformis legi.

375 *Q.* 49. *An licitum ſit operari ſecundùm opinionem alienam, quam tamen operans judicat reipſa eſſe falſam?* R. §. 1. Certum eſt non licere, ſi judicet opinionem aliorum ita eſſe falſam, ut propterea etiam cenſeat objectum illius hic & nunc ſibi eſſe illicitum poni, talis enim non operaretur *ex fide*, ſed contra conſcientiam.

376 §. 2. Etiam non licet, ſi judicium, quod habet de falſitate, ſit abſolutum & ultimum, ita ut velit procedere ex ſolo judicio alieno, non formata ſibi ſua conſcientia: neque tum licet, ſi opinionem illam judicet eſſe ita falſam, ut non cenſeat eſſe verè, & certò probabilem: ideòque correptione dignus eſt Machado, inquit Card. *in* 1. *criſi d.* 56. *n.* 1169. dicens id etiam tum licere, pro quo etiam falsò citat multos Authores: & de his caſibus intelligendi ſunt Sanch. *in Decal. l.* 1. *c.* 9. *n.* 19. & 42. Caſtrop. *d.* 2. *pu.* 2. *n.* 4. Vaſq. *d.* 62. *c.* 3. Bardi *diſc.* 4. *c.* 16. Teril. *hic q.* 30. quando dicunt non eſſe licitum ſequi opinionem, quam operans putat eſſe falſam.

377 §. 3. Si quis judicet opinionem alienam eſſe probabilem, quamvis videatur eſſe falſa, ideoque ſpectatis principiis directis uſus illius videatur eſſe illicitus, ſi tamen de hoc certus non ſit, valdè probabile eſt, quod ex principiis reflexis poſſit ſibi formare prudens dictamen, & ſecundùm eam opinionem operari, dicendo, *judico quidem opinionem illorum eſſe falſam, quia tamen hoc mihi incertum eſt, & Authores me Sapientiores, qui opinionem poſſunt reddere certò probabilem, dicunt illam eſſe veram, ego quoad hanc operationem me accommodabo illis, & interea præſcindam à directa opinione mea*, ita abſolutè tenent Azor. Vaſq. Leſſ. Valent. Salas, Bonac. Sot. Bann. Serar. Bardi, Tann. Sanch. *n.* 14. Teril. *in Reg. q.* 22. *q.* 35. *à n.* 12. clariſſimè *q.* 46. *n.* 6. aliique plurimi, & graviſſimi AA. cum Illſ. *t.* 1. *d.* 1. *ar.* 6. §. 5. & Mendo *in Stat. d.* 13. *quæſt.* 15. Eſt autem contra Schild. *tr.* 2. *n.* 25. Eliz. *l.* 1. *q.* 17. & *l.* 3. *q.* 12. & 13. Eſp. *in app. art.* 143. Ehrentr. *art.* 3. Camargo *p.* 1. *l.* 1. *contr.* 8. *à n.* 56. Ratio noſtra eſt, quia nulla lex prohibet mihi operationem, quam judico eſſe probabiliter bonam, ſed operationem illam judico eſſe probabiliter bonam, quia ſcio illam à viris gravibus doceri eſſe abſolutè bonam, quorum ego opinionem judico eſſe abſolutè probabilem, ergo nulla lex eam mihi prohibet, ergo mihi eſt licita. *Conf.* 1. nam ita paſſim legimus apud graviſſimos AA. qui quamvis teneant unam partem tanquam abſolutè veram, (qui conſequenter dicunt oppoſitam eſſe falſam) tamen ſæpè expreſsè addunt oppoſitam eſſe etiam probabilem, & in praxi tutam. *Conf.* 2. quia fieri poteſt, ut aliorum opinio, quam directè judico falſam, reipſa ſit probabilior, & communior quàm mea, ergo non eſt, cur illam ſequi non poſſim ſuſpenſa vel non attenta tantiſper mea. *Conf.* 3. nam ſæpè debemus ſeponere opiniones noſtras, & nos in operando accommodare alienæ, v. g. Superiorum, uti dicetur *à num.* 432. item pœnitentium, uti etiam dicetur *à n.* 443. quamvis iſtas illorum opiniones judicemus reipſa eſſe falſas: ſimiliter prudentis eſt, non nimium ſtare judicio proprio, ſic enim etiam Principes ſapientiſſimi cedunt judicio Conſiliariorum contra proprium &c.

Reponit Camargo ſuprà, non poſſe formari judicium reflexum, quod v. g. contractus ſit licitus, ſi adſit vel adeſſe poſſit judicium directum, quòd ſit illicitus. Sed oppoſitum conſtat ex dictis *à n.* 313. & conſtabit iterum ex ſtatim dicendis, nam licèt ego judicem eſſe illicitum, hoc judico cum incertitudine, & formidine, ac tantùm velut probabilius, ſciens alios, quos cenſeo ſapientiores quàm me, judicare tanquam probabilius, quòd ſit licitus, cur ergo non poſſim ſequi illorum judicium? niſi fortè velim ſolus ſapere. Rectè dicit S. Greg. Naz. *orat.* 26. *Nemo ſapientior ſit, quam conveniat, nec lege exactior, nec luce ſplendidior, nec norma rectior, nec præcepto divino ſublimior*: Verbo, ubi Deus legem non poſuit, nec nos ponamus. Vide dicta *n.* 352. *in fine.*

Dixi, valdè probabile eſſe, nam non eſt opus hoc defendere, ſed ſatis eſt dicere, quòd liceat ſequi opinionem, de cujus probabilitate ſcitur, & de cujus falſitate abſolutè ferri non poteſt judicium, quòd rarò etiam fieri poteſt, uti fatetur Eſp. *a.* 152. 378

Objic. 1. S. Th. *contra Gentes c.* 18. ait, *Falſa opinio ita ſe habet in eligibilibus, uti vitium virtuti oppoſitum in moralibus*, ſed operari ex vitio eſt illicitum, ergo etiam operari ex falſa opinione, R. 1. Ergo etiam operari ex opinione probabiliore, ſi reipſa falſa ſit. R. 2. Loquitur de opinione, quæ agnoſcitur eſſe falſa & improbabilis. 379

Inſt. 2. 2. *q.* 17. *art.* 2. dicit S. Th. *Homo in iis, quæ ad propriam perſonam pertinent, debet formare conſcientiam à propria ſcientia*, ergo non poteſt ſequi opinionem purè alienam. *Conf.* nam idem S. Th. *quodl.* 3. *ar.* 10. ait, *in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur ex alterius aſſerto.* Conſonat S. Chryſ. *hom.* 13. *in Epiſt.* 2. *ad Corinth.* ubi ait, *Quomodo non abſurdum eſt propter pecunias aliis non credere ſed ipſas numerare ac ſupputare, pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter? ∴ & ideò obſecro, & oro omnes vos, ut relinquatis quidnam huic vel illi videatur, de quibus à Scripturis omnia inquirite.* Huc etiam ſpectat illud Apoſt. 2. *ad Corinth. c.* 1. *v.* 12. *Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ*, non dicit, alienæ. R. n. conſ. per hoc enim format conſcientiam à propria ſcientia, quòd ſciens opinionem alienam eſſe probabilem, inde ſibi formet dictamen ultimum reflexum de licito uſu illius opinionis. *Ad Conf.* S. Th. tantùm vult requiri, ut quiſque ſibi conſcientiam formet, & non ſiſtat in dicto alieno, uti *nu.* 376. dictum eſt. *S. Chryſ.* loquitur ibi de præcepto eleemoſynæ, nec intelligi poteſt, niſi de illis materiis, in quibus quiſque poteſt ipſemet acquirere directam certitudinem, quam in probabilibus utrimque non poſsumus acquirere, ſed tantùm reflexam, quam habemus etiam ſequendo ſententiam alienam. *Ad Apoſtolum* patet ex dictis ad *Inſtantiam.* 380

Obji. 2. Sic operans aget contra ſuam conſcientiam. *Reſp.* n. aſs. quamvis enim agat contra ſuam opinionem directam, non tamen contra conſcientiam, quia contra hanc agere, eſt facere, quod aliquis hic, & nunc per ultimum dictamen practicum judicat eſſe illicitum, quod hic non facit: è contra agere contra opinionem ſed ſecundùm conſcientiam eſt agere id, quod quidem ſpectatis principiis directis probabiliter putat eſſe illicitum, certò tamen per principia reflexa judicat hic & nunc ſibi eſſe licitum. Videri poteſt Card. *in* 1. *criſi d.* 66. *à n.* 341. 381

Inſt. 1. Qui operatur ſecundùm aliquam opinionem, debet judicare ejus objectum eſſe licitum, ſed qui de facto judicat opinionem alienam eſſe falſam, non judicat ejus objectum eſſe licitum, ergo. *Prob. min.* qui de facto judicat hoc objectum eſſe illicitum, nullo modo, nequidem ex diverſo motivo judicat eſſe licitum, illa enim duo judicia ſunt abſolutè incompoſſibilia, uti aſſenſus, & diſſenſus circa idem, licèt diverſa ſint motiva, atqui ille, qui judicat opinionem alienam eſſe falſam, ille de facto judicat hoc objectum eſſe illicitum, opinio enim aliena dicit eſſe licitum, ergo cùm ipſe judicet opinionem illam eſſe diſformem objecto, judicat objectum non eſſe licitum, ergo judicat eſſe illicitum, ita *Ehrentr.* R. Qui operatur ſecundùm aliquam opinionem, debet judicare per principia reflexa ejus objectum eſſe licitum, c. ſpectatis præciſè principiis directis, ſubdiſt. debet hoc judicare ſemper formaliter, id eſt, debet actu ſemper elicere judicium directum 382

de eo, quòd objectum ejus ſit licitum, n.& patebit falſitas ex dicendis *à n.*387. debet hoc judicare ſaltem fundamentaliter ſive æquivalenter, c.maj.& ſimiliter diſtincta min.n.conſ. nam licèt de facto directè judicet objectum illius opinionis eſſe illicitum, tamen fundamentaliter, & æquivalenter etiam judicat eſſe licitum, quia ſcit ſuum judicium eſſe incertum, & dari grave motivum pro judicio oppoſito, quod etiam ipſe habere poſſet in ſenſu diviſo hujus, quod nunc habet, poſſèt enim hoc judicium deponere, & aſſumere alterum, uti dicetur *à n.*414. aut licèt id hic, & nunc non poſſet, tamen ſcit illud aliorum judicium etiam eſſe prudens, cui etiam poſſit ſe conformare, ideòque poteſt reflexè judicare ſibi licere illud ſequi: neque illud judicium directum, & reflexum opponuntur, nam directum non dicit objectum eſſe abſolutè illicitum, ſed tantùm dicit eſſe illicitum ſpectatis præcisè principiis directis, reflexum autem dicit eſſe abſolutè licitum propter principia etiam reflexa, quæ ſuperveniunt, uti *n.*377.dictum eſt.

383 *Inſt.*2. Sicuti cuique homini ſua conſcientia eſt data pro regula ultima, ita etiam data eſt cuique ſola ſua ratio pro regula remota in ordine ad formandam ſibi conſcientiam, ergo quiſque tenetur ſibi formare conſcientiam ſecundùm rationem propriam, ergo non ſecundùm alienam, ita Eliz.*in app.q.*9.§.3.R. n. ant. quòd ſi verum eſſet, nullus homo poſſet ſibi formare conſcientiam ex judicio Superiorum, Conſiliariorum & quorumcumque prudentiorum virorum contra judicium proprium, quod eſſet velle, ut quivis ex proprio cerebro omnia ageret, quod imprudentis eſt: unde fatendum, quòd prudentia, & ratio aliena meritò poſſit nobis eſſe pro regula objectiva, primæ regulæ æternæ ſubordinata, ex qua per propriam rationem ultimò practicam nobis prudenter formemus regulam formalem, & conſcientiam proximè dirigentem ad honestè operandum.

384 *Inſt.*3. Ergo licèt ſciam opinionem alienam eſſe falſam, ſi simul ſciam ab aliis adhuc reputari tanquam probabilem, potero ſecundùm eam operari, ita Author Synopſis *num.* 119. R.n.ſeq.hoc ipſo enim, quòd de falſitate opinionis ſim certus, eliſa eſt apud me probabilitas illius, non item, ſi tantùm opiner eſſe falſam.

385 *Inſt.*4. Qui etiam opinativè judicat ſententiam aliquam eſſe falſam, ille judicat motivum illius eſſe falſum, & fallax, ergo non poteſt judicare motivum illius eſſe ſolidum, & grave, ergo nec judicare poteſt eſſe probabile. *Conf.* Quia ratio illa non poteſt reſpectu mei eſſe ſolida, & firma, de qua veriſimilius mihi eſt, quòd ſit falſa, & fallax, ergo, ita Gonz.*d.*1.*n.*14.R. Diſt.ant.ille judicat hoc certò, n.ille judicat hoc probabiliter, c. ant. & idem dico ad primam ſeq. n. autem abſolutè ſecundam: quamvis enim ſibi videatur falſum, & fallax, non ſolidum & non grave, tamen ſcit aliis videri aliter, quorum authoritas, ubi & probabilitas motivi, non eliditur per hoc incertum judicium vel motivum ipſius, uti ſupponimus, ergo. *Ad Conf.*n.ant.quod ex dictis patet eſſe falſum.

386 *Objic.*3. Si in agendo poſſim ſequi opinionem alienam, ergo etiam in loquendo, ergo potero dicere, quod puto eſſe falſum, ſi ſciam alios putare eſſe verum, ita Eliz.R.n. ſeq. quia mendacium eſt loqui contra mentem ſuam, dum enim loquor, profiteor me interne habere mentem illam, ergo ſi non habeam, mentior: nihil ſimile eſt in operante ſecundùm opinionem alienam, nam non dicit objectum ſecundùm rationes directas eſſe verum, ſed tantùm dicit eſſe licitum ſecundùm rationes reflexas, quas habet, & propter quas operatur ſecundùm eam opinionem, quam abſolutè cenſet probabilem.

387 *Q.*50. *An, ut aliquis licitè operetur ſecundùm aliquam opinionem probabilem, neceſſe ſit hanc opinionem directam, elicere vel actu habere,* v.g.an ad hoc, ut me licitè reſolvam ad pingendum die feſto, neceſſe ſit me judicare, quòd pingere non ſit ſervile, an verò è contra ſatis ſit, quòd ſciam, & tantùm reflexè judicem, probabile eſſe, quòd pingere die feſto non ſit ſervile? R.Sufficere judicium reflexum de probabilitate judicii directi, ſi eliceretur. Ita docent plurimi cum Card. *in* 1.*criſi d.*15.*à n.*247.Teril.*in Reg.q* 1.*n.*11.*q.*2.*n.*19.*q.*52. *aſſer.*4. Hinc Moya *in app.ad tr.de op.prob. q.*7. *n.*38.39. teſtatur communem probabiliſtis: Fagn.& Gonz.*d.*9. *n.*2. dicunt eſſe ita communem inter Authores benignos ut in ea conveniant Theologi hujus temporis ferè omnes: eſt autem contra Eſp. *in app.a.*140.Gonz.*d.*2.§.2.*& ſeqq.d.*7.*n.*47.*d.*8.*nu.*14.*d.*11. *à n.*1. *iterumque à n.*34.Ratio noſtra eſt, quia habito judicio certo de probabilitate practica alicujus opinionis, prudenter operor ſecundùm illam, eſſe enim practicè probabile, & eſſe licitum hic idem ſunt, atqui poſſum habere judicium certum de probabilitate practica alicujus opinionis, quamvis ei non aſſentiar, uti oſtenſum eſt *à n.*237. *&* 375. Ergo. Rationem à priori ſuggerit ipſemet Eſp.*a.*137. his verbis, *Quia motivum intellectus ad opinandum eſt idem, & cognoſcitur æqualiter, dum ſumus in actu primo opinandi, & cùm jam opinamur de facto, opinamur enim ex eodem motivo, quo conſtituimur potentes opinari, nec cognoſcimus illud magis, dum opinamur actu, quàm jam præcognoſceretur ab opinaturis:* Infero, ergo ſive eliciam actum opinionis ſive non, idem æquivalenter eſt ex parte intellectus: infert Eſp.*ibidem: Neceſsè igitur eſt, ut diſcrimen inter opinabundum, & opinantem revocetur, tanquam ad primam radicem, ad actum voluntatis, quo præeligitur, præamatur, ac imperatur opinio, in quam erumpimus de facto.* Hoc autem ſemper eſt in libertate voluntatis, ergo ſive actu eliciam opinionem ſive non, planè nihil ad rem facit. *Conf.* Nam ut operer ſecundùm ſententiam, quam certò ſcio eſſe probabiliorem aut certam, non eſt opus hoc ipſum judicium probabilius aut certum actu elicere, ſed ſatis eſt me judicare reflexè, quòd ſententia, ſecundùm quam volo operari, ſit probabilior, aut certa, uti nemo videtur negare poſſe, ergo ſimiliter ut operer ſecundùm ſententiam, quàm certò ſcio eſſe probabilem; hac enim probabilitate ſuppoſita ſuperveniunt pro formando ultimo judicio practico rationes reflexæ, quas dedimus *n.* 312.

388 *Objic.*1. S.Aug.*contra Academ.l.*2.*c.*11. clarè contradicit his verbis, *Id probabile vel veriſimile Academici vocant, quod nos ad agendum ſine aſſenſione poteſt invitare, ſine aſſenſione autem dico, ut quod agimus, non opinemur verum eſſe, aut nos id ſcire arbitremur, operemur tamen.* R.Academici dicebant non eſſe opus ullum judicium formare, ſed ſatis eſſe hoc agere, ad quod agendum invitarent ſenſus vel objecta menti propoſita, & hos confutat S.Aug. quia ſic licerent omnia ſcelera, cùm ad ea nos invitet ſenſus, & delectatio menti objecta: nos ad prudenter agendum prærequirimus judicium certum de probabilitate opinionis, & præterea ultimum judicium practicum abſolutè enuntians hoc vel illud eſſe licitum.

389 *Inſt.* Non aſſentiri illi, quod ſequor, eſt non probare illud, quod ſequor, ſicuti aſſentiri, eſt illud probare ſeu approbare, atqui S.Aug.*de util. credendi c.*11. vult probari hoc, quod quis ſequitur, ait enim, *quomodo eſt illud, quod ſequuntur, ſi non probant, probabile?* ita Gonz.R.1. Ergo nec poſſum ſequi illud, quod ſcio eſſe probabilius vel certum, niſi actu, poſitivè aſſentiar. R.2. S.Aug. agit contra Academicos, qui de nullo ferre volebant judicium, & rectè oſtendit debere illos ſaltem judicare id eſſe probabile, ſecundùm quod agunt, quod judicium etiam nos requirimus.

390 *Objic.*2. S.Th. ſæpè dicit ad licitè operandum requiri, ut priùs diligenter inquiratur veritas, ſecundùm quam determinare poſſim, an aliquid ſit licitum necne, hoc autem non eſt verum in ſententia benigna, nam in hac ſatis erit ſcire, aliquid eſſe probabile, ſive cognoſcat veritatem eique aſſentiatur, ſive non, ita Gonz.*c.*1. *Reſp.*n.ſubſ. diximus enim *n.*281. inquirendum eſſe in veritatem, & conſideranda utrimque motiva, alioquin non poterit certò judicari de probabilitate alicujus opinionis, nam ſi ex una parte agnoſcatur certò veritas, vel per motivum certum pro hac parte, vel per defectum omnis gravis motivi ex altera, nulla poterit afferri probabilitas, cùm hæc elidatur per motivum certum oppoſitum, & pro ſe requirat grave motivum.

391 *Objic.*3. Operans cum dubio poſitivo, peccat, ſed talis operatur cum dubio poſitivo, ſuſpendit enim utrumque judicium directum propter rationes dubias, ergo peccat. *Reſp.* Operans cum dubio poſitivo, & dum operatur, in illo ſiſtens, peccat; c. operans cum dubio poſitivo inſpectis motivis directis, attamen formans ſibi judicium certum inſpectis motivis reflexis, n.quamvis enim ſuſpendat omne judicium directum, tamen judicat utrumque fore probabile, ſi eliceretur, & exinde format ſibi judicium ultimum, quòd ſecundùm hanc vel illam partem licitè operetur.

392 *Inſt.* Si ipſemet non eliciat aſſenſum, tunc non ſequitur opinionem ſuam, ſed alienam, Deus autem dedit cuivis ſuum intellectum, quem ſequatur. *Conf.* Nam opinio dicitur probabilis reſpectu intellectus, ergo non eſt probabilis reſpectu illius intellectus qui eam non habet, cùm reſpectu illius nequidem ſit opinio, cùm omnis opinio ſit aſſenſus, ita Eſp. *Reſp.* Etiamſi ſequar opinionem alienam, adhuc ſequor meum intellectum, quia per hunc judico opinionem alienam eſſe probabilem, & ſecundùm hanc mihi formo conſcientiam practicam, judicans me licitè operari ſecundùm opinionem illam probabilem. *Ad Conf.* diſt.conſ.ergo non eſt probabilis reſpectu illius intellectus, qui eam non habet, nequidem objectivè aut æquivalenter, c.qui eam non habet elicitivè, & formaliter, habet tamen objectivè aut æquivalenter, n.conſ.hoc ipſo autem habet objectivè, quòd de illa velut objecto judicet eſſe certò probabilem, & per hoc habet æquivalenter, quòd agnoſcat grave ejus motivum, propter quod etiam elicere poſſet aſſenſum, rectè enim docet Teril.*in Reg q.*51. *à n.*7. æquivalenter haberi determinationem intellectus, ſi adſint utrimque motiva ſufficientia pro formandis judiciis directis.

394 *Objic.*4. Dictamen practicum de honeſtate actionis, non attingit honeſtatem formalem actionis, ergo attingit ſolam hone-

honeſtatem objectivam, ergo debet adeſſe judicium de eo, quod à parte rei eſt honeſtum, & verum. *Antec.prob.* honeſtas formalis explicari debet per conformitatem, quam habet cum dictamine practico, ergo ſi dictamen practicum viciſſim attingat honeſtatem formalem, fiet circulus, ita Eſtrix *in Logiſtica pag.*13. R. n.ant. nam dictamen practicum attingit actionem ut conformandam legi ſaltem permittenti, & honeſtas formalis eſt conformitas actionis cum lege ſaltem permittente, per dictamen practicum propoſita, in qua explicatione licèt mutua fiat mentio dictaminis practici, & honeſtatis formalis, tamen non eſt circulus vitioſus, ſed relativum unum aliunde cognitum explicatur per ordinem ad ſuum correlativum, qui ordo pertinet ad eorum eſſentiam, ſicuti cauſa explicatur per ordinè ad effectum, & effectus per ordinem ad cauſam. *Illſ.a.*2.*n.*12. dicit honeſtatem formalem haberi, partim per cognitionem immediatè repræſentantem probabilitatem honeſtatis materialis, partim per objectum repræſentatum, quod eſt illa probabilitas honeſtatis materialis, ita ut dictamen reflexum non conſtituat, ſed pro objecto habeat honeſtatem formalem: quidquid ſit de hoc, ſaltem videtur admittendum, quòd honeſtatem formalem conſtituat etiam actio per dictamen reflexum directa.

395 *Inſt.*1. Si ad actionem honeſtam non requiratur judicium etiam de honeſtate objectiva, & materiali actionis, explicari non poterit, quomodo conſcientia ſpeculativè erronea aliquando ſit practicè vera, quia qui non judicat, non errat. *Conf.* Nam ideò tenemur inquirere in honeſtatem materialem, ut de ea feramus judicium, ita Ehrentr. *a.*1. *&* 2. R.n. ſeq. ſæpè enim formaliter elicitur ejuſmodi judicium erroneum, & tunc conſcientia eſt ſpeculativè formaliter erronea: quòd ſi formaliter non eliciatur judicium ſpeculativum erroneum, ſed tantùm judicium de motivo gravi, & de probabilitate talis opinionis, tunc adeſt æquivalenter ejuſmodi judicium erroneum, quia ex vi præſentis motivi prudenter elici poſſet, uti *n.*393. dictum eſt. *Ad Conf.* Ideò tenemur inquirere in honeſtatem materialem, ut feramus judicium vel formaliter vel æquivalenter de ea; formamus autem æquivalenter, quando judicamus probabile eſſe, quòd objectum ſit materialiter honeſtum, quia hoc judicio habito poſſèmus habere illud formale judicium de honeſtate materiali, uti ſæpè dictum eſt.

396 *Inſt.*2. Famulus hominis tenetur attendere, ne per actionem ſuam cauſet ſuo domino damnum etiam materiale tantùm, ergo ſervus Dei multò magis, ne committat peccatum materiale, & ponat objectum reipſa diſplicens Deo, ergo tenetur attendere, quid verè, & reipſa placeat Deo, ergo & tenetur ſequi illud, quod judicare poteſt eſſe veriſimilius. R. n.ult.conf. nam fatemur adhibendam diligentiam mediocrem, & humanam pro dignoſcenda veritate, & cavenda materiali offenſa Dei, majorem autem aut exactiſſimam dicimus eſſe tantùm de conſilio: quando autem eò pervenimus, ut ſciamus non poſſe certò comperiri veritatem, quia nempè ſcimus pro utraque parte eſſe motiva gravia, negamus nos obligari ad ſequenda veriſimiliora, alioqui eodem argumento probabo nos teneri ad tutiora. Adde, quòd Deus magis velit caveri peccatum formale, quàm materiale; è contra homo ob indigentiam, & imperfectionem ſuam magis vult caveri damnum ſuum materiale, quàm peccatum formale famuli, ergo inter Deum, & hominem eſt manifeſta diſparitas, quoad actionem materialiter offenſivam, & materialiter damnoſam.

397 *Objic.*5. Sequens probabilem non formato judicio, an ſit vera aut falſa, promiſcuè eligit non minùs falſum quàm verum, & reipſa dicit, *Quid intereſt, ſitne verum, an falſum*, & conſequenter *ſitne licitum an illicitum? ad hoc non teneor attendere, dummodò ſciam eſſe probabile*; quæ diſpoſitio animi eſt peſſima, ita *Alfaro*. R. n. totum aſſ. ſic enim hoc operamur, ut non eſſemus hoc operaturi, ſi ſciremus eſſe falſum, & illicitum: nec negligimus inquirere in veritatem, ſed poſtquam inquiſivimus, & quia poſt inventas utrimque rationes graves certi ſumus nos non poſſe veritatem certò reſcire, dicimus licere utramque partem.

*Q.*51. *Si motiva utrimque ſint æquè probabilia, an intellectus poſſit per voluntatem applicari ad aſſentiendum huic potiùs quàm illi parti?* R.

398 §.1. Si ſit materia facti, Card. *in* 1.*criſi d.*6. *n.*80. dicit intellectum non poſſe ſaltem prudenter à voluntate applicari ad aſſentiendum alterutri parti, ſed debere manere poſitivè dubium, & ſuſpendere omnem aſſenſum, uti ſi tres dicant Petrum fuiſſe in foro, & alii tres æqualis authoritatis dicant eodem tempore fuiſſe domi, intellectus neutri parti prudenter credet, quia hæc motiva videntur ſe mutuò elidere, uti pluribus contendit idem Card. *d.*41. *d n.*304. Quod verum videtur, ſi utraque pars dicat ſe ſcire, & vidiſſe, ob rationem datam *n.*243. De cætero, ſi motiva ſe directè non elidant, uti ſi pars una dicat ſe putare, quòd fuerit in foro; & pars altera, ſe putare, quòd fuerit domi, habeatque utraque prudentem rationem id putandi, non elident ſe mutuò hæ authoritates, uti conſtat ex dictis *num.*263. cùm fundent ſe in diverſis rationibus bona fide, & invincibiliter agnitis tanquam probabilibus, ergo utrumque etiam poterit mihi fieri probabile, ideòque poterit intellectus meus in hac materia facti, quod poterit in materia juris, uti rectè Banholtzer *num.*14. & Tambur. *in Decal. l.*1. *c.*3.§.3.*n.*11. nullam enim video diſparitatem. *Nec obſtat*, quod teſtes contrarii nihil probent, *nam* id tantum tenet pro foro externo, in quo ſi plenè probetur delictum, reputatur nullum. *Conf.* Nam ſi ex ſcripto ſoleam confiteri abſque errore, legerimque peccata, uti ſoleo, inter quæ fuerit mendacium, prudenter judico me illud eſſe confeſſum, quia ex communiter contingentibus à me, eſt pro me prudens præſumptio: è contra ſi Confeſſarius, qui ſtatuerat me ſpecialiter admonere de mendacio, dicat me illud non eſſe confeſſum, & ipſe etiam non ſoleat circa talia errare, etiam prudenter judicare potero me non eſſe confeſſum, quia ſimiliter ex communiter contingentibus ab illo, eſt pro ipſo etiam prudens præſumptio, neque hæc motiva ſe elidunt, ſed faciunt materiam facti utrimque probabilem, ergo.

§.2. Saltem ſi ſit materia juris, poteſt intellectus per vo- 399
luntatem applicari ad aſſenſum etiam quandoque prudentem potiùs unius quàm alterius partis, ita habet communis Suar. 1.2.*tract.*2.*d.*10. *l.*1. *n.*5. dicens eſſe S. Thomæ, Sanch. Gran. Ovied. Art. Breſſ. Lugo, Card. *in* 1.*criſi d.*15.*cap.*4. *a.*7. *&* 8. Teril. *hic q.*8.9.10. *& in Reg. q.*51. Fabri *in ſumm. de fide c.*2. *n.*7. & conſentit Eſp. *in app. a.*123. ſaltem ſi motiva utrimque non ſint omnino ſimilia, & ejuſdem planè rationis: Eſt autem contra Az. Caſtrop. Schild. *tr.*2.*n.*16. Mercor. Eliz. *in app. q.*1. *& ſeqq.* Gonz. *diſſ.*7.§.3. Ehrentr. *ar.*13. Camarg. *p.*1.*l.*1. *contr.*5. *Probatur*, nam ipſamet voluntas poteſt prudenter inter bona æqualia eligere hoc præ illo, uti cum communi ſuppono ex Philoſophia, & videtur probare experientia, ſi enim videam duo ova, quamvis per ſimplices affectiones non magis ferar in unum quàm alterum, tamen, ne utroque caream, poſſum pro mea libertate eligere hoc præ illo, ideò ſolùm, quia volo, & cognoſco utrumque eſſe ſufficiens mihi bonum, neutrum autem eſſe neceſſarium, ſic enim etiam Deus inter bona creata æqualia liberè præelegit unum, ergo ſimiliter poterit intellectus per voluntatem applicari ad unam potiùs partem quàm alteram. *Nec obſtat*, quòd intellectus ſit potentia neceſſaria, *nam* licèt in evidentibus neceſſariò procedat, non tamen in illis, quæ ſunt inevidentia, & incerta; & licèt in his per ſe nequeat uni potius parti quàm alteri accedere, tamen poteſt applicatus per voluntatem, cujus imperio in his ſubjacet, & à qua poteſt determinari, ut aliter aſſentiatur, quàm mereantur præcisè motiva rationum, uti nunc certum eſt, poſtquam Innoc. XI. damnavit hanc 19. propoſitionem; *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium*; cujus oppoſitum cùm dicat Eliz. *q.*5.§.3. his verbis, *Intellectus nunquam objecto adhærere plus poteſt, quàm putat illius motivum mereri*. Item *q.*9.§.1. *Motiva alicujus concluſionis nequeunt jure pluris eſſe, aut pluris fieri reſpectu voluntatis, quàm ſint vel fiant reſpectu intellectus*, doctrina ejus aliorumque ſequacium nunc relinquenda eſt. Idem vult etiam S. Th. 2.2.*q.*1. *a.*4. his verbis, *Alio modo aſſentitur intellectus alicui, non quia ſufficienter movetur ab objecto proprio, ſed per quandam electionem voluntariè declinans in unam partem magis quàm in aliam*: Item *lib.*3. *Eth. lect.*18. *ante medium*, *Quia operabilia ſunt contingentia, non cogitur ratio ad aſſentiendum huic vel illi ſicuti accidit in demonſtrativis, ſed in poteſtate habet homo, quòd aſſentiatur uni vel alteri parti contradictionis, ſicut accidit in omnibus opinabilibus, & maximè circa operabilia, in quibus plurima attenduntur ſecundùm quorum quodlibet, aliquid poteſt judicari bonum*. Item *de verit. q.*14. *a.*1. *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit aſſentiri uni parti determinatæ propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendam voluntatem, non intellectum*. Idem vult S. Ignatius Loyola *in Epiſt. de obedient.* ubi ait, *Hoc habet intellectus multis in rebus, in quibus videlicet veritatis evidentia vim illi non infert, poteſt voluntatis pondere in hanc potiùs quàm illam partem inclinari*. Et ideò etiam Ariſt. 1. *Rhetor. c.*1. ait, *Non ſimiliter judicium reddimus, cùm dolemus, & cùm lætamur, & cùm diligimus, & cùm odimus*. Plura pro hac ſententia afferentur *q. ſeq.*

Reſpondent 1. Ad rationem allatam, quòd voluntas ideò 400
poſſit eligere inter bona æqualia, quia in utroque invenit ſuum motivum, quod eſt bonitas: quando autem opiniones ſunt contradictoriæ, veritas, quæ ſola eſt objectum intellectus, deeſt uni parti, cùm certum ſit alterutram eſſe falſam, ergo intellectus non poterit flecti ad utramlibet partem, ita Eliz. *q.*3. Deinde ad authoritates allatas dicunt, *S. Th. & S. Ignatium* tantùm velle, quòd voluntas facere poſſit, ut intellectus inquirat in plures rationes pro una parte; ſicque in ſenſu tantùm diviſo æqualium rationum fiat aſſenſus ad unam par-

partem. *Contra primum eſt*, quòd ſicuti objectum voluntatis eſt bonitas vel realis, vel tantùm apparens, ideoque poteſt bonitati reali præeligere aliam æqualem tantùm apparentem, ita etiam objectum intellectus eſt veritas vel realis vel tantùm apparens, eſt autem apparens in parte falſa contradictionis, uti ſupponitur, cùm pro illa ſit motivum grave, ergo & hanc amplecti poteſt, ac conſequenter in utraque parte invenitur objectum intellectus. *Conf.* nam ponamus *S. Hieronymum, & S. Auguſtinum* eſſe apud me paris authoritatis, & ſibi contradicere in aliqua opinione, authoritas *S. Hieronymi* faciet, ut in opinione ejus ſit apparentia veritatis ſufficiens ad determinationem mei intellectus, ſaltem accedente pia affectione voluntatis erga *S. Hieronymum*; & ſimiliter authoritas *S. Auguſtini*, ergo. *Contra ſecundum eſt*, quòd *S. Thom.* dicat intellectum aſſentiri uni parti propter aliquid, quod non movet intellectum ſed voluntatem; & *S. Ignatius* dicat voluntatis pondere inclinari, & non novo motivo, ideòque vult intellectum ſic ſemper per voluntatem inclinari ad aſſentiendum Superioribus, quamvis etiam intellectui non occurrerent rationes majores pro hoc aſſenſu, atque in hoc ponit perfectionem obedientiæ, quòd ita cæcè ſubmittat ſe piæ voluntati, & inde dicitur ejuſmodi obedientia intellectus cæca, qualis non erit, ſi ſolam lucem motivi proprii, ſequi debeat. *Iſta omnia Conf.* in exemplis manifeſtis, nam ſi Titius accuſetur coram Cajo, qui ſit hoſtis, & coram Sempronio, qui ſit amicus Titii, licèt uterque eadem motiva audiat pro, & contra Titium, ſæpè fiet, ut pro diverſo affectu, hic judicet Titium innocentem, ille nocentem: Similiter ſi pictor, & ſtatuarius audierint pro, & contra motiva æqualia pro majore præſtantia utriuſque artis, pictor ex affectu judicabit ſuam præſtantiorem, ſtatuarius ſuam, ergo.

401 *Reſp.* 2. Ideò voluntatem poſſe eligere æquale aut etiam minus bonum, quia ex eo, quòd hoc præeligat, non eſt neceſſe, ut alterum dicat eſſe malum: è contra intellectus deberet dicere alteram partem eſſe falſam, qui enim dicit hoc eſſe verum, dicit contradictorium eſſe falſum, nunquam autem poteſt prudens intellectus dicere hoc præ illo eſſe falſum, pro quo habet æqualia aut majora motiva dicendi eſſe verum. Ita *Ehrentr. Contra eſt*, intellectus aſſentiens huic vero probabili, non dicit oppoſitum eſſe abſolutè, ſed tantùm dicit eſſe probabiliter falſum, nulla autem eſt contradictio aut imprudentia, quòd dicat hoc eſſe probabiliter verum, & alterum eſſe probabiliter falſum, etiamſi pro hoc altero ſint æqualia aut etiam majora motiva, quia certum eſt falſa quandoque eſſe probabiliora veris: ergo.

402 *Objicies* 1. Motiva æqualia ſe mutuò elidunt, ergo neutrum manet dignum aſſenſu. R. n. ant. cujus oppoſitum oſtenſum eſt *n.* 263. & 400.

403 *Objic.* 2. Ut ſim proximè expeditus ad credendum viro gravi, requiritur, ut non cognoſcam certò illum decipi, ergo ut ſim proximè expeditus ad credendum duobus viris æquè gravibus, requiritur, ut certò non cognoſcam alterum ex illis decipi, atqui ubi affirmant contradictoria, certò cognoſco alterum ex illis decipi, ergo non ſum proximè expeditus ad credendum huic vel illi, ita Gonz. *n.* 46. R. diſt. conſ. ergo ut ſim proximè expeditus ad credendum duobus, requiritur, ut certò non cognoſcam hunc vel illum determinatè decipi, c. alterum indeterminatè tantùm, n. conſ. dummodò enim certò maneat authoritas gravis pro utroque, manet motivum prudens credendi, & huic & illi, uti dictum eſt *n.* 398.

404 *Objic.* 3. Ariſtoteles 2. *de anima tex.* 153. dicit, imaginari eſſe in noſtra poteſtate, non verò opinari, ergo intellectus etiam in opinabilibus non ſubjacet imperio voluntatis. R. n. conſ. ad imaginandum non requiritur motivum, è contra requiritur ad opinandum, cùm opinio ſit judicium tendens in verum ſaltem apparens, & quia motivum non ſemper adeſt pro judicio formando, hinc meritò dicit non ſemper eſſe in noſtra poteſtate opinari; non dicit autem, quando motivum adeſt, præſertim grave, non eſſe in noſtra poteſtate opinari, patetque in materia fidei, pro qua licèt ſit graviſſimum motivum, poteſt tamen voluntas ſuſpendere actum, & facere, ut intellectus poſitivè dubitet, ac etiam erroneè judicet oppoſitum. Videri poteſt. Eſp. *art.* 107. *& ſeqq.*

405 *Objic.* 4 S. Th. 1. 2. *q.* 9. *a.* 1. *ad* 3. ait, *Voluntas movet intellectum quantùm ad exercitium actus ∴. ſed quantùm ad determinationem actus, quæ eſt ex parte objecti, intellectus movet voluntatem, ∴. & ſic patet, quòd non eſt idem movens, & motum ſecundùm idem.* R. Tantùm vult intellectum ad primos actus neceſſarios moveri à ſolo objecto, cum quo ſtat, quòd idem intellectus poſtmodùm per voluntatem moveatur ad alios actus non neceſſarios.

406 *Objic.* 5. Æqualitas motivorum eſt dubium objectivum, cui in mente reſpondet dubium formale, ideò enim viri docti hærent, & dubitant, quid ſentire debeant, ſi in utramque partem occurrant graves rationes æquales, ergo ubi eſt æqualitas motivorum, ſuſpenditur omnis aſſenſus, ita Gonz. Conf. ex S. Th. qui ait, *Tunc eſt diſpoſitio dubitantis intellectus, quando eſt aperta æqualitas eorum, quæ movent ad utramque partem:* Item dicit: *dubium, eſt contrariarum rationum æqualitas*, ut autem ſit diſpoſitio opinantis, requirit motiva pro una parte majora, ſic enim habet *de verit. q.* 14. *ar.* 1. *O. Tunc eſt diſpoſitio opinantis, quando intellectus magis inclinat in unam partem quàm in alteram, unde accipit quidem unam partem, ſed de altera dubitat.* R. Omnia iſta vera ſunt, loquendo per ſe, ſi nempe intellectus ſibi relinquatur, accedente tamen imperio voluntatis dubium illud deponitur, & intellectus determinatur ad unam partem, etiamſi pro ea ſit etiam minus motivum, uti etiam ex S. Th. oſtendemus *in q. ſeq.*

Inſt. Intellectus eſt inſtar bilancis, quæ immota eſt, ubi 407
pondera utrimque ſunt æqualia. *Conf.* Nam non poſſunt duo homines æquè fortes, & agiles, alter alterum è loco expellere, ergo ſimiliter ſi motiva ſint æqualia, neutrum poterit intellectum ſibi ſubjicere. *Reſp.* Sicuti bilanx habens æqualia utrimque pondera manet immota, niſi una lanx aliunde ab extrinſeco impellatur, ita intellectus per ſe manet immotus, ſi adſint æquales rationes; ſed ſicuti, quamvis utrimque pondera ſint æqualia, aut etiam in una lance ſit majus pondus, tamen poteſt ab extrinſeco, v. g. digito hominis, altera lanx deflecti magis, non aliter ac ſi plus ponderis haberet, ita intellectus hominis per voluntatem deflecti poteſt ad illam etiam partem, pro qua eſt minus motivum, ut in *q. ſeq.* dicetur. *Ad Conf.* eſt idem dicendum: nam hæc tantùm procedunt in caſu, quo intellectus ſibi ipſi relinquitur, & idem eſt in duobus hominibus æqualiter fortibus, quorum tamen unus, ſi aliunde adjuvetur, utique prævalet.

Obji. 6. Motiva æqualia ſunt rationes dubitandi, ſed ſolæ 408
rationes dubitandi non ſufficiunt ad reſolvendum dubium, alioquin non eſſent rationes dubitandi ſed reſolvendi, ergo. *Reſp.* Sunt rationes dubitandi, quamdiù ſuſpenditur judicium, ſi autem intellectus determinetur ad judicium propter apparentiam gravem veritatis, quæ eſt v. g. in parte A, hæc ratio, quæ ut conjuncta cum ratione oppoſita erat ratio dubitandi, jam ſola fit ratio reſolvendi partem A.

Inſt. 1. Quamdiù objectum æqualiter ſe habet ad verum, & 409
falſum, non eſt ratio reſolvendi potiùs eſſe quàm non eſſe, ſed quamdiù rationes ſunt æquales, objectum æqualiter ſe habet ad verum, & falſum, ergo. R. Quamdiù objectum æqualiter ſe habet, non eſt ex parte objecti vel intellectus præcisè ratio reſolvendi, c. non eſt ex parte voluntatis, n. accedente enim hoc imperio voluntatis jam ex parte actus primi datur aliud principium movens intellectum, & concauſans aſſenſum.

Inſt. 2. Intellectus aſſentiendo præfert unum motivum al- 410
teri; ergo unum apparet melius, & conſequenter non eſt æqualitas. R. Præfert unum alteri, propter vim motivi ipſius, n. propter affectum voluntatis, & formaliter per ipſum aſſenſum intellectus, c. ergo unum apparet melius ſecundùm ſe, & antecedenter ad aſſenſum, n. propter affectum voluntatis, & conſequenter ad aſſenſum ab intellectu poſitum, c. & ſic fit in hæretico, qui quamvis videat etiam majorem probabilitatem pro objecto fidei, tamen propter impiam voluntatem aſſentitur oppoſito, quòd conſequenter cùm pertinacia tenet non tantùm velut probabilius, ſed velut unicè verum, ideòque rejicit objectum fidei velut falſum. Notat quoque rectè Teril. *in Reg. q.* 51. *aſſer.* 4. ſi jam poſitus ſit aſſenſus ad partem A. hanc nunc dici poſſe probabiliorem in actu ſecundo, quia cùm omnis aſſenſus ſit acceſſus, & adhæſio ad unam partem objecti, & receſſus à parte oppoſita, & intellectus non ita facilè abducatur à ratione per judicium ſemel acceptata, & approbata, hoc ipſo objectum ſe aliter habet reſpectu intellectus, & ratio etiam ipſi aliter appareat, & inde etiam natum eſt illud adagium, *Suum opinatum cuique videtur probabilius.*

Objic. 7. Ubi nulla eſt præſumptio veritatis, ibi non poteſt 411
fieri aſſenſus, quia omnis aſſenſus eſt ad veritatem, ſed ubi rationes æquales contradicunt, nulla eſt præſumptio veritatis pro una parte potiùs quàm pro altera, neutræ enim rationes habent præ, ſed ſunt æquales, ergo. R. Ubi nulla eſt præſumptio veritatis, ſi ſenſus ſit, ubi nullum eſt motivum pro veritate, ibi non poteſt fieri aſſenſus, c. ſi ſenſus ſit, ubi non eſt pro una parte præponderantia motivi, quæ faciat præſumptionem, quòd pro ea parte ſtet veritas, n. ſatis enim eſt adeſſe motivum, & quidem grave, pro ſingulis partibus, & eſſe incertitudinem veritatis de utraque determinatè.

Inſt. 1. Saltem ejuſmodi aſſenſus non eſt prudens, nam ubi 412
rationes pro utraque parte ſunt æquales, non eſt prudens ratio dicendi alteram eſſe falſam, cùm ſit æquè magna ratio dicendi eſſe veram. *Conf.* Nam ſi Petrus videatur mihi eſſe æqualis Paulo, non habeo rationem dicendi Petrum eſſe minorem, & ideò eſſem imprudens, ſi dicerem eum eſſe minorem; & ratio à priori eſt, quia quantitas, quæ accipitur pro affirmanda magnitudine in Paulo, non accipitur pro eadem affirmanda in Petro, atqui idem eſt hic, eſt enim æqualitas, & eadem

men-

menſura rationis pro utraque parte, ergo, ita Ehrentr. *Reſp.* n.aſs. prudentes autem rationes pro ejuſmodi aſſenſu imperando dabimus *n.416.* Ad probationem dico, rationem aſserendi hanc partem eſse probabiliter veram, etiam eſse rationem aſſerendi oppoſitam eſse falſam, ergo cùm habeam rationem gravem aſserendi hanc partem eſse probabiliter veram, etiam habeo rationem aſserendi oppoſitam eſse probabiliter falſam, uti dictum eſt *n.401.* *Nec obſtat* eſse æquè magnam rationem, ex qua, ſi vellem, poſsem aſserere illam oppoſitam eſse veram, *nam* una non elidit alteram, & ejuſmodi oppoſiti aſsenſus poſſunt in ſenſu diviſo convenire eidem intellectui. *Ad Conſ.* Si evidenter advertatur æqualitas inter Petrum, & Paulum, eligitur utrimque probabilitas pro aliqua inæqualitate: è contra ſi pro utraque parte habeam gravia motiva, licèt cum incertitudine videatur eſse æqualitas, potero accedente imperio voluntatis, aſsentiri parti huic vel illi.

413 *Inſt.*2. Si pulſus arteriæ ſit bonus, & color in vultu malus, ita ut æqualiter ſignent bonam, & malam valetudinem, Medicus non poteſt ferre judicium, ergo ſimiliter hic. Reſp. Poſse ferre judicium probabile, vel in hanc, vel in alteram partem.

*Inſt.*3. Si rationes ſint utrimque æquales, Judex non poteſt niſi temerè aſsentiri uni parti, ergo ſimiliter intellectus noſter. Reſp.n,ant. quamvis enim leges ſtatuant, ut tum neutri parti in foro externo plenè adjudicet, tamen non ideò erit temerarius, ſi per voluntatem erga ſuum amicum inclinatus internè aſsentiatur ipſius rationibus.

Reliqua ſolventur ad queſtionem ſequentem.

414 *Q.*52. *Si motiva pro una parte ſint probabiliora, an etiam tum poſſit intellectus per voluntatem applicari ad aſſentiendum parti minùs probabili?* R.

§.1. Si ſit materia facti, Carden. negat, uti *n.398.* inſinuatum eſt, quia ſecundùm Juriſtas probatio fortior deſtruit debiliorem, præſumptio major minorem: quidquid ſit de foro externo, in quo ſententia exterior ſemper ferenda eſt ſecundùm majus pondus rationum, puto etiam in materia facti eſse tenendum, quod diximus *n.398.* Quod materiam juris attinet,

415 §.2. Poteſt voluntas applicare intellectum, ut motivis minus probabilibus aſsentiatur, ita Authores *n.399.* citati cum Teril. *in Reg.q.*30.31. 33. & Illſ. *t.*1. *d.*1. *a.*6. fateturque Gonz. *d.*10. *n.*58. S. Thomam videri hoc ipſum docere, ipſe autem *d.*3. *c.*2. tenet oppoſitum, ſed pro ſe malè citat Vaſq. & Leſs. ſaltem locis illis, quos refert. Item *Suar.* nam non negat abſolutè, ſed potiùs idem nobiſcum aſſerit, & tantùm dicit oppoſitum ſibi eſſe probabile: contra nos tamen ſentiunt Laym. & Palav. Item Eſp. *in app.a.*113. ſaltem pro caſu, quo intellectus evidenter judicat motiva pro una parte eſſe graviora, ſi autem exceſſum illum evidenter non cognoſcat, ſtat pro nobis; fatetur autem *a.*152. raro contingere, uti directè judicetur cum evidentia de notabili illo exceſſu. Reſponſio noſtra *Probatur* 1. quia ipſamet voluntas poteſt è duobus bonis ferri in minus, v.g. in bonum delectabile præ honeſto, quamvis certò agnoſcatur, quòd honeſtum ſit majus; item in unum delectabile præ majori delectabili, uti experientia docet, & ſuppono ex philoſophia, ergo ſimiliter intellectus ſic imperante voluntate; poſſuntque hic applicari dicta n.399. & ſeqq. Et quod de voluntate dixi, docet S.Th.1.*p.q.*19.*a.*3. his verbis, *Ea, quæ ſunt ad finem, non ex neceſſitate volumus volentes finem, niſi ſint talia, ſine quibus eſse non poteſt*, atqui finis ſæpè eſſe poteſt ſine medio de ſe utiliore per minùs utile, ergo voluntas poteſt velle hoc minùs utile præ utiliore. Quod autem attinet ad intellectum, de verit.q.14.a.1. O. ait, *Determinatur autem per voluntatem, quæ eligit aſſentiri uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum &c.* Videtur idem ſentire *S. Aug.* relatus Cap. *ego ſolis*, diſt.9. ubi ad aſſentiendum, aliud non requirit, quàm authoritatem vel rationem probabilem. *Probatur* 2. nam hæretici formales, qui ſæpè actu agnoſcunt majora motiva pro fide noſtra, nihilominus ex prava voluntate pertinaciter adhærent ſuis erroribus. Item temerè judicantes, ſæpè ſaltem abripiuntur ad judicia, etiamſi tunc pro parte oppoſita ex parte intellectus advertant rationes meliores, in illis enim ſtat pro ratione voluntas: è contra homines probi, qui malas ſuſpiciones fugiunt, etiamſi majora motiva habeant pro aſſerenda improbitate proximi, attamen per voluntatem attinent intellectum, ut quamdiù certò non probatur eſſe improbus, judicent eſſe probum, ſicque interpretantur omnia in bonam partem, inquit S.Th.2.2. *q.*60.*a.*4. & pluribus proſequitur Teril. *in Reg.q.*55.*a n.*36. ergo. *Ratio* à priori eſt, quia veritas, quæ eſt objectum intellectus, non tantùm per probabilius, ſed etiam per minùs probabile attingi poteſt, & ad talem aſſenſum naturaliter trahitur intellectus noſter etiam in ſenſu compoſito motivi probabilioris, uti conſtat experientia, nam etiam trahitur per motiva contra fidem, & planè temeraria, ergo talis aſſenſus debet eſſe poſſibilis intellectui, alioquin inclinatio naturalis eſſet fruſtra, vel ad aliquid naturaliter impoſſibile, ergo poterit voluntas imperare, ut intellectus ad veritatem illam tendat per actum minus probabilem: Neque ſemper imprudens erit ejuſmodi imperium, 416
nam in primis ex parte intellectus adeſt motivum grave, & prudens, ut ſuppono: deinde ex parte voluntatis etiam ſunt motiva ſufficientia, v.g. ut ſibi vel aliis non inferat nimis gravem moleſtiam, ut ſervet conſcientiæ ſuæ libertatem, ut oſtendat ſuave eſſe Chriſti jugum, quia hìc, & nunc utilius erit ſaluti proximi, ſi aſſentiar parti benignæ; quia opinio iſta minus probabilis eſt S.Thomæ, eſt communior in ſchola noſtra, à Superiore mihi ſuadetur, facilius explicatur diſcipulis &c. debuitque hæc ipſa fateri Ehrentr. nam in principiis concl.3. ſic habet, *Ipſum commodum vel incommodum notabile, vicem, & pondus rationis habet*: addit idem eſſe, ſi ſpecialis honeſtas inſinuetur intellectui à voluntate, uti honeſtas obedientiæ, *Ad hanc enim proſequendam poteſt intellectus relictis etiam majoribus rationum motivis ſubjicere ſe voluntati aliorum*. Nec obſtat periculum erroris, hoc enim ma- 417
net, quamvis intellectus applicetur ad aſſentiendum probabiliori: & quamvis videatur eſse majus periculum in aſſenſu minùs probabili, non ideò tenetur illud vitare, & amplecti probabilius, tam parum, quàm voluntas ſemper teneatur fugere minus bonum, & amplecti majus, & ratio utriuſque eſt, quia eſt prudens motivum amplectendi etiam illud, quod eſt minus. *Conf.* Nam in primis judicium probabilius poteſt ſuſpendi, ut omnes fatentur, ergo tunc melius erit intellectui habere aſſenſum probabilem quàm nullum: deinde etiam motivum probabilius poteſt non ita attendi, ſicque motivum probabile habebit ſe, ac ſi eſset ſolum, ſi autem ſit ſolum, poteſt obtinere aſsenſum, ergo.

Reſpondent, Melius eſse ignorare, & conſequenter nullum omnino elicere aſsenſum, quàm errare, nam *S. Auguſt.* uti refertur diſt.38. Cap. *Quamvis*, ait, *In una eademque re & neſcienti ſciens, & erranti non errans recta ratione præponitur:* Ratio eſt, quia bonum finale intellectus eſt veritas, atqui errans, etiam probabiliter, magis à veritate recedit, quàm prorſus ignorans, nam neuter quidem habet veritatem, ac ſolus errans habet præterea falſitatem directè oppoſitam veritati, hinc omnes fatentur ignorantiam privationis eſse minùs malum intellectus quàm ignorantiam malæ diſpoſitionis, ſicuti in voluntate ſola privatio virtutis eſt minùs malum, quàm poſitivum vitium; Item in agro eſt minus malum nullas habere herbas quàm habere malas, ergo, ita Eliz.*l.*6.*q.*8.§.10. *Contra* eſt 1. nam ſi hoc valet, ergo & abſtinendum erit ab aſsenſu probabiliore, qui etiam poteſt eſse falſus. 2. Licèt melius ſit non errare quàm errare, tamen non omnis error eſt ſimpliciter malum intellectus, quamvis ſit minus bonum, quando enim certò attingi non poteſt veritas, eſt bonum intellectui ſic opinari de veritate, quæ prudenter præſumitur ſubeſse tali motivo, uti pluribus dicetur *n.*705. ſicuti bonum eſt intellectui cognoſcere apprehenſivè, quamvis melius ſit cognoſcere judicativè. *Nec obſtat*, quod ſola veritas dicatur eſse bonum intellectus, *nam* intelligitur ſola veritas vel realis vel ſaltem apparens, ut dictum eſt *n.*400. realis quidem eſt bonum per ſe, apparens autem, quæ eſt cum errore probabili, eſt bonum per accidens, in circumſtantiis, quibus certò dignoſci non poteſt veritas realis, & habetur motivum grave judicandi eam hìc, & nunc adeſse, ſicque manet, quòd objectum intellectus ſit veritas cognoſcenda, vel certò, vel probabiliùs, vel ſaltem probabiliter. 3. Vitium morale eſt ſimpliciter malum voluntatis, quia inclinat ad turpe: herba mala cenſetur agro mala, quia Domino agri eſt noxia: aliud eſt in opinione invincibiliter erronea, ſi prudente, & gravi motivo nitatur, talis enim falſitas vel error reipſa facit intellectum prudenter verſari circa objectum, & contendere ad veritatem, prout humano modo hìc, & nunc attingi poteſt: quod patet reſpectu diverſorum intellectuum, qui utique prudenter aſsentiri poſsunt concluſionibus contradictoriè oppoſitis, pro quibus gravia motiva habent, quamvis certum ſit alterutrum habere errorem.

§.3. *Objicies* 1. Motivum majus elidit minus ſibi oppo- 418
ſitum, ergo illud, quod minus eſt, non manet dignum aſsenſu. Reſp. n. ant. cujus oppoſitum oſtenſum eſt à num.261. & 400.

*Inſt.*1. Saltem ſi ſit evidens, quòd unum motivum ſit abſo- 419
lutè, & ſimpliciter gravius, non manebit probabilitas pro altero, quia tunc pro eo, quod eſt minùs probabile, non eſt fundamentum abſolutè, & comparativè magnum, neque retinet ampliùs vim magnam pertrahendi intellectum ad aſsenſum, ob præſentiam fundamenti oppoſiti, ita Eſp. *a n.*112. Reſp. n. aſs. & ejus probationem, quamvis enim non ſit ita magnum, uti alterum, tamen manet ſimpliciter dignum aſsenſu viri prudentis, uti ſupponitur, ergo manet ſimpliciter magnum.

*Inſt.*2. Magnum dicitur, quod eſt excedens, uti habet Ariſt. 1. Rhet. c.7. ſed motivum minùs probabile non eſt excedens

ſed

ſed exceditur, ergo, ita Gonz.*d.*1.*n* 18. Reſp. Magnum dicitur quòd eſt excedens omne aliud magnum, n. & patet falſitas: alioquin magna, quæ exceduntur à majoribus, nõ eſſent magna: magnum dicitur, quod eſt excedens alia ſimpliciter parva, c. minùs probabile autem excedit dubiè, & tenuiter probabile, item improbabile, quæ ſunt ſimpliciter parva, ergo.

420 *Obji.*2. Si intellectus abſque motivo unum affirmet, & alterum neget, agit imprudenter, ut ſi affirmet ſtellas eſſè pares, & neget eſſè impares, ergo etiam imprudenter agit, ſi abſque motivo affirmet unum præ altero, ſed quando una pars apparet minùs probabilis, tum intellectus abſque motivo affirmat hanc partem præ altera, nam haberet motivum pro affirmanda hac altera præ illa, non autem è contrà, ergo. *Conf.* 1. Nam imprudenter dicitur illud eſſè album, quod eſt ſimilius nigro, ergo imprudenter dicitur illud eſſe licitum, quod veriſimiliùs eſt illicitum. *Conf.*2. Non poſſum prudenter ſequi illum, quem potiùs judicare poſſem falli, rejecto illo, quem potiùs judicare poſſem non falli, atqui ita eſt hìc, ergo, Ita Ehrentr. Reſp. n. min. ſubſumptam, nam quod attinet ad intellectum, adeſt motivum grave, uti ſupponitur; quod autem attinet ad voluntatem, etiam adeſt motivum prudens, uti *n.*416. dictum eſt: *Nec obſtat*, quòd ſit motivum majus pro altera parte affirmanda, *nam* hoc motivum eſt incertum, nec elidit probabilitatem alterius, & conſequenter non impedit intellectum, quominus accedente imperio voluntatis amplectatur alterum. *Ad Conf.*1. n. conſ. nam in evidentibus, quale eſt, quod video eſſe magis nigrum, non poteſt voluntas impedire aut in oppoſitum applicare intellectum, quia quod evidenter eſt magis nigrum, non poteſt non eſſe tale, nec poteſt eſſe motivum grave, quòd non ſit tale: è contrà in opinabilibus, illud, quod apparet magis verum, ſæpè experimur fuiſſe falſum, & adeſt motivum grave pro eo, quod oppoſitum ſit verum, ergo poterit voluntas facere, ut aſſentiar huic præ illo. *Ad Conf.*2. n. maj. nam quamvis judicare poſſem falli, tamen non teneor id judicare, ſed ex gravi ac prudente motivo judicare poſſum non falli, ergo illum ſequi poſſum non attento altero, cùm nulla lex me obliget, ut ſequar potiùs hunc quàm illum.

421 *Inſt.*1. Motivum minus probabile ſæpiùs connectitur cum falſitate, è contrà magis probabile ſæpius connectitur cum veritate, ergo aſſenſus ad minus probabile non eſt prudens, cùm in eo ſit exigua ſpes veritatis. Reſp. cum Teril. hic *q.*2. *à n.*15. n. ant. nam licèt motivum minus probabile ſæpiùs connectatur cum falſitate quàm motivum magis probabile, tamen motivum minùs probabile ſimpliciter, & abſolutè loquendo, vel etiam comparativè ad ſimilia motiva probabilia ſæpiùs connectitur cum veritate, quàm cum falſitate, & plura motiva ſimpliciter probabilia præſumuntur eſſe vera quàm falſa, cùm omnia ſint ad aſſenſum circa objectum tanquam verum, & maneat incertitudo de falſitate illius, ergo prudenter aſſentior motivo probabili; ſicuti licèt ſciam Petrum in loquendo ſæpius dicere verum quàm Paulum, quia tamen Paulus, licèt minùs ſæpè quàm Petrus, tamen ſæpiùs dicit verum quàm falſum, prudenter credere poſſum Paulo.

422 *Inſt.*2. Si voluntas efficaciter intendat millionem, poſſitque habere vel centum vel mille, imprudenter eliget centum præ mille, ergo cùm intellectus efficaciter intendat veritatem, magis autem probabile ſit vicinius vero quàm minùs probabile, imprudenter eliget minùs præ magis probabili. Reſp.1. diſt. ant. imprudenter eliget centum præ mille, ſi hìc, & nunc deſit rationabilis cauſa ſic præeligendi, c. ſi talis cauſa adſit, n. poſſet autem eſſe v.g. ne videatur hìc, & nunc nimis cupida, ne hunc offerentem planè emungat, ne offendat eos, à quibus petit, ut ſic moderatè acquirendo ſemper vitet otium &c. cauſas autem ejuſmodi rationabiles determinandi intellectum ad minùs probabile, dedimus n.416. Reſp.2. Dato ant. n. conſeq. nam magis probabile non ſemper eſt reipſa vicinius vero, ſed tantùm habet majorem colorem vicinitatis, reipſa tamen fortè eſt remotius, è contra mille ſunt ſemper, & certò viciniores millioni, quàm centum, ergo manifeſta eſt diſparitas.

423 *Inſt.*3. Ergo poterit quis prudenter aſſentiri, jam huic jam illi contradictorio; & quis hoc non argueret maximè inſipientiæ? Ita Eliz. *in app. q.*1. Reſp. Si voluntas ex prudente motivo mutet ſuum imperium, c. ſeq. & n. in hoc fore ullam inſipientiam, nam & ipſa voluntas poteſt pro habitu jam amare majus bonum, & ſtatim poſt, minus: quia tamen voluntas difficulter mutat actum, ad quem ſe efficaciter reſolvit, & intellectus ipſe firmiùs adhæret illi, quod ſemel amplexus eſt, non ita facilè fiet ejuſmodi mutatio imperii in voluntate, vel opinionis in intellectu.

424 *Inſt.*4. Talis aſſentietur, quia vult, ergo non ex ratione, ergo non prudenter, ita Gonz.*d.*11.*n.*14. Reſp.1. Etiam aſſentiens probabiliori, aſſentitur, quia vult; quia voluntas liberè applicat intellectum ad hunc aſſenſum, ad quem ratio non neceſſitat. Reſp.2. Aſſentitur, quia vult, ita, ut ſit pro ratione voluntas, n. ita ut voluntas ſit applicativa ad aſſenſum propter grave motivum ab intellectu propoſitum, c. ant. & n. utramque ſeq.

*Obji.*3. Dominium, quod voluntas habet in intellectum; 425
non eſt deſpoticum, ſive in bonum ipſiuſmet voluntatis, ſed eſt politicum, id eſt in bonum ipſiuſmet intellectus, atqui intellectui melius eſt aſſentiri veriſimiliori, quia per hoc præſumitur magis accedere ad veritatem, ergo. Reſp. Dominium voluntatis in alias potentias eſt partim politicum partim deſpoticum, id eſt, partim in bonum potentiarum, partim in bonum voluntatis, etiam cum damno potentiarum, quibus uti poteſt etiam in ipſarum diſpendium, v.g. oculo, imperans videre intenſam lucem, qua læditur: idem eſt, ſi intellectum determinet ad hæreſin, ad judicium temerarium &c. ergo multò magis poterit determinare ad opinionem, quæ eſt bonum intellectus.

*Inſt.*1. Voluntas non poteſt facere, ut intellectus non ſit 426
potentia neceſſaria, ergo nec poteſt facere, ut non potiùs aſſentiatur motivo majori quàm minori. R. n. conſ. ſic enim eſt potentia neceſſaria, ut voluntati ſubjaceat in non evidentibus, uti omnes fatentur.

*Inſt.*2. Voluntas non poteſt facere, ut ſi duo inæquales 427
ſoni edantur, auditus non magis percipiat majorem quàm minorem, ergo nec, ut intellectus non magis aſſentiatur probabiliori quàm minus probabili. R.1. Ergo ſimiliter voluntas non poterit ſeipſam adducere, ut bonum minus præeligat majori, item non poterit facere, ut intellectus ſuſpendat judicium probabilius, quia non poteſt facere, ut auris non eliciat auditionem ſoni. R.2. n. conſ. quia intellectus in opinabilibus magis ſubjacet voluntati quàm ſenſus externi, uti omnes fateri debent.

*Obji.*4. Opinari eſt aſſentiri, aſſentiri autem eſt judicare 428
potiùs verum quàm falſum, atqui advertens aliquid eſſe minùs probabile, non poteſt judicare eſſe potiùs verùm quàm falſum, ergo non poteſt opinari minùs probabile. *Prob. min.* oppoſitum apparet ei ex motivo eſſe veriſimilius, ergo non poteſt judicare minùs probabile eſſe potiùs verum quàm falſum. *Conf.* nam ſi aſſentiaris minùs probabili, hoc ipſo judicas illud eſſe verum, quia omnis aſſenſus eſt ad verum, ergo hoc ipſo judicas contradictorium eſſe falſum, quia ſcis, ſi hoc contradictorium ſit verum, alterum debere eſſe falſum, atqui impoſſibile eſt, ut judices hoc eſſe falſum, pro quo, actu agnoſcis motiva veriſimiliora, ergo. *Reſp.* n. min. ad prob. n. conſeq. quamvis enim motivum appareat eſſe veriſimilius, tamen ſcitur eſſe fallibile, ac poſſe eſſe falſum, & cùm in contrarium appareat etiam grave motivum, voluntas imperat, ut huic aſſentiatur tanquam probabiliter vero: unde *Ad Conf.* n. min. ſubſumptam, nam pro aſſerenda falſitate eſt motivum grave, uti *n.*412. eſt dictum.

*Inſt.*1. Intellectus adhæret veritati quantum poteſt, ergo 429
etiam veriſimiliori. *Reſp.* Quantum de ſe eſt, tranſeat, ſi aliter imperet voluntas, n. conſeq. poteſt enim determinari ad hæreſin, ad judicium temerarium, licèt magis appareat veritas oppoſita.

*Inſt.*2. Minùs veroſimile eſt negatio veriſimilitudinis, ſed 430
huic negationi non poteſt aſſentiri, ergo. *Reſp.* n. maj. nam pro minus veroſimili eſt motivum poſitivum, grave & prudens, quamvis adſit negatio majoris veriſimilitudinis, quæ non excludit alterum motivum minus, ſicut minor lux non excludit majorem, ideoque non eſt negatio lucis, quamvis adjunctam habeat negationem majoris lucis.

*Inſt.*3. Quod apparet eſse minus probabile, non poteſt 431
judicari eſſe magis probabile, ergo nec poteſt judicari eſſe verum, quia eſſe verum eſt plus, quàm eſſe magis probabile. *Reſp.* n. conſeq. evidens enim eſt, quòd ſit minùs probabile; è contra non eſt evidens, quòd ſit falſum, & eſt motivum grave pro eo, quòd ſit verum, ergo poteſt judicari, quòd ſit verum, licèt plùs ſit dicere eſſe verum, quàm eſſe tantùm magis probabile: itaque ratio diſparitatis à priori eſt, quia quando incertum eſt, an aliquid ſit verum, poteſt judicari eſſe verum, vel ex majore, vel ex minore motivo gravi; è contra quando aliquid ſcitur eſſe minùs probabile, nullum poteſt eſſe motivum judicandi eſſe magis probabile.

Q. 53. *An ſubditus teneatur obedire Superiori imperanti aliquid probabiliter licitum, ſi ſubdito probabilius ſit illud eſſe illicitum? Reſp.* affirmat rectè *Buſembaum* ſupra, ſed probatio meliùs firmanda eſt: ſit itaque,

§.1. Si ſubditus licitè poſſit obedire, tunc tenetur, atqui 432
ſubditus in hoc caſu licitè poteſt obedire, ergo tenetur. *Major* videtur certa contra Schild. *tr.*2. *c.*4. *num.*57. nam ſubditus tenetur obedire in omnibus licitis, & poteſtas præcipiendi eſt hìc in certa poſſeſſione; habet inſuper Superior jus imperandi hoc, quod ipſe judicat licitum, ergo ſubditus habet obligationem faciendi. *Minor* eſt ferè omnium, & ſatis conſtat

ex

ex Cap. *Quid culpatur*, *cauſ.*23.*q.*1. ubi S.Aug. dicit ſubditum poſſe militare ita jubente Rege etiam ſacrilego, *ſi certum non ſit bellum eſſe iniquum*; quamvis autem probabilius eſset eſse iniquum, tamen hoc nondum eſset certum; ergo poſſet militare.

433 §.2. Communis ſententia abſolutè tenet talem ſubditum teneri obedire, ita Sanch. *in Decal.l.6.c.3.n.6.* Carden. *in 2.criſi d.2.qui in* 1.*criſi d.61.n.168.* vocat ſententiam certam: Mendo *in Stat.d.13.a n.234.* Lug. *in Reſp.mor.l.3.d.19.n.3.* Teril. *in Reg. q.46.* Illſ.*t.1.d.1.n.72.* nec audent negare Ehrentr.*a.12.* & Gonz. *d.14.n.92.* Conſentit etiam Adrianus, uti oſtendit Teril. *hic q. 23.a n.96.* idem docet Card. Sfondratus *in Reg. Sacerd.l.*1.§.20. *n.*11. *Probatur* authoritate, nam S.Bern. *de præcep. & diſpenſ. cap.*12. ait, *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omnino accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus.* S.Bonav. *in Spec.diſcipl.c.*4. loquitur iiſdem verbis: Humbertus Ordinis Prædicatorum Generalis V. *in lib. de erudit.religioſ.c.*1. *Niſi apertè ſit malum, quod à Superiore præcipitur, ſic accipiendum eſt, ac ſi à Deo præciperetur.* S.Bernard. Senenſis *in dialogo de obed. Ubi ſubditus rationabiliter dubitat; an, quod præcipitur, ſit peccatum an non, tunc profectò obedire debet.* S.Ignatius Loyola 3.*par.Conſt. c.*1.§.23. dicit obediendum in omnibus rebus, *ubi peccatum non cerneretur: & p.6. cap.*1. *in Declar. litt.B.* dicitur, *Hujuſmodi ſunt illæ omnes, in quibus nullum manifeſtum eſt peccatum: & in Epiſt. de obed. dicit, Omnibus in rebus, quæ cum peccato manifeſto conjunctæ non ſunt.* Dionyſius Carthuſ.*in* 2.*diſt.*39. *q.*3. *In dubiis, an ſit contra præceptum Dei, ſtandum eſt præcepto Prælati, quia etſi ſit contra Deum, attamen propter obedientiæ bonum non peccat ſubditus*: ſimiliter docent alii apud Teril. *in Reg.q.46.n.*13. qui addit, *nec quemquam inveni, qui contrarium teneat. Ratio* autem eſt, quia rectus ordo, & neceſſaria ſubordinatio ſubditi ad Superiorem ita poſtulat, eſsetque majus malum turbari illum ordinem, quàm ſortè peccari materialiter, nam poſset quivis ſubditus facilè obtendere, aut etiam judicare, rem præceptam eſse illicitam, unde ſequerentur diſcordiæ Superiorem inter, & ſubditum, ſcandala, perturbationes &c. quæ ſunt mala certa, ubi è contra malum, quod ex obedientia timeretur, nempè materialis tranſgreſſio legis Divinæ, non eſset certum, ſed ſolummodò dubium, malum autem certum vitari debet præ dubio, ergo. *Conf.* nam ſicuti officium Judicis à Deo inſtitutum eſt tanquam abſolutè bonum, licèt per illud quandoque fiat materialis injuria innocenti, ita etiam ordo ſubjectionis inter homines, licèt quandoque propter humanam ignorantiam intervenire debeant errores, eſtque minus malum hos errores eſſe, quàm everti ordinem illum, ergo. Videri poteſt Teril. *à n.*15.

434 §.3. Hactenus dicta maximè valent de ſubditis religioſis, cùm hi inſuper ſe voto aſtrinxerint ad obediendum: eſtque communiſſima SS. PP. & Aſcetarum doctrina, quòd cœca obedientia ſit ſecuriſſima conſcientiæ regula in omnibus, de quibus certum non eſt, quòd ſint mala, uti optimè deducit Teril. *aſſert.*4.

435 *Reſpondent*, Subditum in tali caſu teneri quærere rationes pro Superiore, & ſic deponere opinionem ſuam; ratio autem poteſt ſemper illi eſſe, quia ſubditi ſtantes ſuo judicio contra Superiores plerumque errant, ita Eliz. & Gonz.*n.*102. Addit Ehrentr.*a.*13. rationem univerſalem eſſe, quia vox Superioris pro voce Dei habenda eſt. *Contra* eſt, 1. nam fieri poteſt, ut ſubditus longè doctior, certus ſit opinionem ſuam eſſe probabiliorem, ideoque hic, & nunc non errare in judicio circa illam majorem probabilitatem; hoc ſuppoſito tenebitur obedire, uti fatentur AA. illi, neque tamen poterit opinionem ſuam deponere, uti ipſi docent, ergo tenebitur ſibi formare dictamen reflexum propter probabilem opinionem Superioris, & ſecundùm eam obedire, v.gr. dicendo: *quamvis ſpectatis motivis directis videatur illicitum hoc agere, quia tamen incertum eſt, & pro Superiore etiam eſt prudens motivum, licitè faciam, quod ipſe præcipit, quia in his circumſtantiis, ſi non obedirem, agerem contra jus, quod habet imperandi, &c.* ubi vides eſſe alia motiva pro hoc judicio reflexo, quæ non
436 ſunt pro directo: videri poteſt Illſ. *n.*60. 2. Cap. *Inquiſitioni de ſent.excomm.* ſtatuitur, ut conjux debitum reddat, etiamſi rationabiliter opinetur Matrimonium eſſe nullum, ergo ſicuti hic conjux, etiam retinens opinionem ſuam licitè reddit debitum; ita ſubditus hic, ſicuti enim alter conjux habet jus ad debitum, ita Superior ad actionem ſubditi. 3. Præceptum Supe-
437 rioris ejuſque authoritas eſt certa, etiam in ſenſu compoſito opinionis in ſubdito, è contra lex prohibens actionem ſubdito, & excuſatio ſubditi ſunt certa, atqui præceptum, & authoritas certa poſſident, ac proinde prævalent contra legem, & excuſationem incertam, ergo. 4. Stante dubio ſubditi utrimque negativo, an objectum ſit illicitum, ſubditus tenetur obedire, uti fatentur omnes, ergo etiam ſtante dubio poſitivo, vel etiam opinione incerta ſubditi oppoſitum tenentis, hac enim non obſtante Superioris præceptum, & authoritas manent in certa poſſeſſione; & ſi ſubditus non teneretur obedire, ſequerentur æqualiter incommoda n.433. relata.

§. 4. *Obji.* 1. Licitum eſt ſubdito non obedire, ſi ſit 438
probabile non eſſe obligationem obediendi, uti docent Sayr. Torr. T. & J. Sanch. *in ſelect. d.*33. *num.*28. ſicuti enim licitum eſt in aliis materiis ſequi probabilem, ita etiam hic, atqui ſi ſubdito ſit probabilius, quod objectum ſit illicitum, tunc probabile eſt non eſſe obligationem obediendi, nam obligationem in eo caſu negant Salas, Ledeſm. P. Lugo, J. Sanch. *num.*32. Diana *par.*2. *tr.*13. *R.*10. Eſcob. *in probl. l.*2. *n.*107. Caſtrop. *d.*2. *punct.*6. *n.*5. Et ratio eſt, quia quando dubium eſt, an objectum ſit illicitum, etiam dubium eſt, an poteſtas Superioris unquam ſe eò extenderit, ergo Superior non eſt in certa poſſeſſione, ſed prævalet certa poſſeſſio libertatis in ſubdito, ergo. *Conf.* 1. nam Superior non poteſt ſtrictiùs obligare, quàm Chriſtus, & Eccleſia, ſed Chriſtus, & Eccleſia non obligant, quando probabile eſt hanc vel illam materiam non contineri ſub præcepto; ergo. Ita Eſcob. *Conf.* 2. nam Laym. *c.*5. *n.*12. Dian. *in comp. v. Subditus n.*2. Ehrentr. *a.*12. aliique dicunt ſaltem tum non teneri obedire ſubditum, ſi præterea grave incommodum ſibi vel alteri perſonæ timeat in honore vel rebus, quia eſt in poſſeſſione juris ad conſervandam rem ſuam vel alterius, de quo dejici non debet per dubiam poteſtatem Superioris imperandi hic, & nunc. *Reſp.* 1. n. maj. quia obſtat certa poſſeſſio Superioris, quam non elidit probabilitas ſubditi, ſicuti ſi ſis in certa poſſeſſione prædii cum probabilitate juris, licèt alius putet etiam ex motivo probabiliore prædium ſuum eſſe, tamen non eſt ipſi licitum te exuere poſſeſſione. Adde, quòd ſubditus admittendo Superiorem vel vovendo obedientiam obliget ſe ad obediendum in omnibus non certò illicitis, adeoque reſignat juri ſequendi opinionem ſuam etiam probabilem, ſi fortè eſſet contraria juri Superioris, ſicuti conjux iniens Matrimonium obligat ſe ad permanendum in eo, quamvis fortè poſteà habiturus eſſet opinionem probabilem de eo, quòd Matrimonium ſuum non valeret, uti dicetur de Matrimonio. *Reſp.*2. cum Mendo *n.*237. & Illſ.*n.*72. *n. min.* quia tunc pro poteſtate Superioris eſt certa poſſeſſio, uti jam dictum eſt, & quamvis dubium ſit, an objectum ſit illicitum: non ideò eſt dubium, an poteſtas Superioris, ſe eò extendat, quia certum eſt, quod ſe extendat ad omne illud, quod non eſt certò illicitum. *Ad Conf.*1. diſtinguo, Superior non poteſt ſtrictiùs obligare, quàm Chriſtus, & Eccleſia poſſint obligare, c. quàm Chriſtus, & Eccleſia de facto obligent, niſi Eccleſia urget ſuum vel Chriſti præceptum per damnationem alicujus propoſitionis alioqui probabilis, (quòd utique poteſt) tum eſt certa obligatio: ſi autem non declaret nec urgeat obligationem, ſed patiatur opinionem probabilem deobligantem, concludimus Chriſti aut Eccleſiæ legem non eſſe nobis ſufficienter applicatam, ideoque non obligare; è contra Superior in noſtro caſu urget, & declarat obligationem ſui præcepti, ſtatque pro eo poſſeſſio poteſtatis imperandi, cui non debet obſtare probabilitas ſubditi. *Ad Conf.*2. dico, ex eo plus non permitti ſubdito, quàm ut incommodorum illorum pericula proponat Superiori, qui ſi prudenter conſideratis omnibus declaret nihilominus prevalere cauſas ſui præcepti, ideoque illius executionem urgeat, tenebitur ſubditus obedire, niſi fortè imperaret aliquid excedens imbecillitatem humanam: & falſum eſt, quod additur, poteſtatem imperandi in Superiore hic eſſe dubiam.

*Obji.*2. Votum non obligat in probabili dubio peccati 439
mortalis, ergo nec Superioris præceptum. *Reſp.* n. conſ. Votum ſoli Deo factum tantùm obligat ad id, quod melius eſt, & ad alia non acceptatur à Deo: è contra votum ſimul homini factum obligat ad omne, quod non eſt certò illicitum, ſive ſit melius ſive non.

*Obji.*3. Nemo obediret Superiori imperanti ingreſſum 440
ſuper aquas. *Reſp.*1. Sic S.Maurus obedivit S.Benedicto. *Reſp.* 2. Etiam quiſque ſe accingere deberet ad hoc exequendum, ſi probitas, & prudentia Superioris eſſet ei ſatis cognita, tunc enim deberet præſumere, quod vel imperaret ex ſuperiore inſtinctu, vel tantùm vellet, ut ſubditus faceret, quantùm in ſe eſt; revocaretque mandatum viſa ſubditi diſpoſitione: è contra ſi ſciam Superiorem non eſſe prudentem ſed imperioſum, non debebo obedire, quia ſciam illum excedere poteſtatem imperandi, ideoque prudenter præſumere non potero rem imperatam eſſe hic, & nunc licitam, quam antecedenter certò ſcio eſſe, per ſe loquendo illicitam.

*Inſt.*1. Ergo etiam erit obediendum, ſi pro inhoneſtate ob- 441
jecti imperati habeat ſubditus grave motivum, & nullum occurrat pro ejus honeſtate. *Reſp.* Suar. negat ſeq. putat enim tunc fore moraliter certum, quòd actio ſit inhoneſta; ſed Teril. *à n.*22. meliùs concedit, nam poteſt pro inhoneſtate eſſe motivum merè probabile, conſequenter non erit certum eſse illicitum, SS. PP. autem & Aſcetæ dicunt eſse obediendum in omni caſu, ſi non ſit certum eſse peccatum. *Conf.* nam conjux in

omni

omni dubio debet rèddere debitum, ut *n.436.* dictum eſt, ergo etiam ſubditus in omni dubio obedire. Quod ſi nequidem Superiori eſset probabile, quòd objectum ſit licitum, excederet ſuam poteſtatem imperando, nec foret ei obediendum, quia non poteſt imperare, niſi quod bona fide putat eſse licitum.

442 *Obji.*4. Opinio ſubditi habet ſe ſicuti conſcientia vincibiliter erronea, quæ deponi debet. Reſp.n.aſs.nam 1.ſæpè deponi non poteſt, uti *n.*435. dictum eſt. 2.Licèt ſubditus deponere poſset,non tenetur,quia manente judicio illo poteſt ſibi ex probabilitate oppoſita formare conſcientiam practicam, & obedire, uti ibidem eſt declaratum. 3.Opinio probabilis eſt prudens, conſcientia vincibiliter erronea concepta eſt imprudenter, ergo licèt hæc deponi deberet, non ideò illa: Plura circa hæc addemus poſteà à n.593. item *l.*4. *à n.*159.

443 *Q.*54. *An Confeſſarius poſſit vel debeat contra propriam opinionem etiam probabiliorem abſolvere pœnitentem, qui tenet oppoſitam probabilem, & de reliquo ritè eſt diſpoſitus*, v. gr. ſi pœnitens probabiliter putet ſibi licere, ideoque etiam poſthac velit diebus feſtis ſcribere lucri cauſa, an Confeſsarius judicans probabilius eſse, quòd id non liceat ipſi, poſſit vel debeat eum abſolvere? Reſp. Reſolvit quidem quæſtionem Buſembaum ſuprà, ſed paulò pluribus res eſt explicanda,hinc ſit,

§.1. Si Confeſsarius omnibus bona fide, & ſine paſſione conſideratis, judicaret opinionem pœnitentis non eſse probabilem, abſolvere non poſset, niſi pœnitens promitteret impoſterum opinionem ſuam deſerere, quia Confeſsarius tunc judicare non poſset pœnitentem eſse diſpoſitum, & habere propoſitum ſervandi omnia Dei, & Eccleſiæ præcepta: per accidens tamen quandoque, ſaltem ad tempus opportunius relinqui poſset pœnitens in aliqua ignorantia tunc invincibili, & abſolvi, uti dicetur de Pœnitentia.

444 §.2. Si Sacramentum per hoc exponeretur periculo nullitatis, uti ſi pœnitens vellet abſolvi omiſso aliquo, quod utrinque probabiliter affirmatur, & negatur eſse de valore Sacramenti, Confeſsarius non poſset eum abſolvere, quando enim agitur de valore Sacramenti, non tantùm Confeſsarius, ſed & pœnitens ipſe tenetur ſequi tutiorem, uti dicetur *l.6.par.* 1. *à num.*104.

445 §.3. Suppoſito caſu quæſtionis vel alio ſimili, omnino videtur certum, quòd Confeſsarius teneatur abſolvere pœnitentem, ita docent AA. communiſſimè, inter quos Victor. *in ſum.de Confeſſ.num.*178. citans Palud.& Goffred.Navarrus *in man.c.26.n.*4. citans Adrianum: Reginaldus *de prud.Conf.c.*3. *ſ.*1.§.1.*n.*7. Angelus de Clavaſio, qui floruit circa annum 1480. *in Sum.v.Confeſſio* §.2.Joannes Nider ſub annum 1430.*in Conſolat.timor.conſc.*3.*p.c.*12. *&* 15. citans prætereà Claromontenſem & Erdemberg.Domin.Sot.*in* 4.*diſt.*18.*q.*2.*a.*5. *ad* 5. Tolet. *l.*3.*Inſtruct.Sacerd.c.*20. Suar.1.2.*tr.*3.*d.*12.*ſ.*6.*n.*9. Vviggers 1.2. *q.*19.*a.*6.*dub.*6.*n.*48.Diana *p.*2.*tr.*3.*R.*11.addens, licèt putet opinionem pœnitentis eſse falſam, dummodò reputet probabilem: Laym.Lohn.& Schild.*tr.*2.*n.*121. Carden. *in Addit. ad* 1. *criſin n.*23.41.*& ſeqq.* Mendo *in Stat.d.*13.*n.*201. Stoz.*l.*1.*p.*5. *n.*117. *& l.*2.*n.*132. optimè Teril. *in Reg.q.*47.Illſ.*t.*1.*d.*1.*n.*71.

Eſt autem contra Fagnan.Baron.Mercor.Philal.Eliz.Gonz. *d.*14.*n.*129. Rationes pro noſtra Reſponſione ſunt, 1.quia pœnitens ſupponitur aliunde ritè diſpoſitus, illa autem opinio Confeſsarii impertinenter ſe habet ad conſcientiam præteritam, aut etiam impoſterum formandam à pœnitente, cui licitum eſt ſe dirigere ſecundùm opinionem ſuam, & aliorum fortè doctiorum, & prudentiorum, quàm ſit ipſe Confeſsarius, quos ſequendo ſi erret, error eſt invincibilis, nam ipſe omnibus conſideratis bona fide putat opinionem ſuam eſse licitam, & ſcit defendi tanquam talem à viris doctis, & prudentibus, ergo nulla ratio eſt, ob quam ei negari poſſit abſolutio. *Conf.* nam ſtultum eſt, ſi Confeſsarius vellet omnes, quos abſolvit, cogere ad ejuſdem opiniones ſecum tenendas, quaſi verò ipſe ſolus ſapiat: & cur cuique non liceat in rebus incertis opinari, quod apparet verum? 2.Si Confeſsarius eſset ejuſdem opinionis cum pœnitente, utique teneretur eum abſolvere, ergo & nunc tenetur, quia pœnitens eſt nunc eodem modo diſpoſitus, & per accidens ſe habet illa ſpeculativa opinio Confeſsarii. 3. Si non abſolvat, facit injuriam, in primis Authori Sacramentorum, quia hoc Sacramentum ſine juſta cauſa relinquit imperfectum; deinde pœnitenti, quia poſt enarrata peccata, per ſe loquendo, habet jus ad abſolutionem, & inſuper nunc injuſtè cogitur bis confiteri eadem peccata. 4. Si ejuſmodi pœnitenti neganda eſt abſolutio, ergo abſolvi non debet moribundus, qui reſtituere nollet, ductus opinione verè probabili, quòd reſtituere non teneretur, ſi Confeſsarius judicaret oppoſitum, hoc autem eſt grave inconveniens. *Si dicas*, in iſto caſu utendum eſſe ſententia etiam dubia: *Contra* eſt, in omni dubio abſolutè favendum eſt Reo: & hic non eſt ratio dubia, ſed certò probabilis, imò, uti exiſtimo, certa pro pœnitente.

446 §.4. *Obji.*1. Æger ſanandus eſt arte, non ſua, ſed Medici, ergo pœnitens, utpotè æger, tenetur ſe accommodare opinioni Confeſsarii, qui Medicus eſt, ita Baron. Reſp.1.Dato ant. n. conſ. ars Medici hic, eſt abſolutio, quam nomine Chriſti applicat Confeſsarius,& qua ſanatur pœnitens,ad hanc autem abſolutionem nil confert, quòd Confeſsarius hanc vel illam opinionem teneat, fortè etiam ſingularem, & heteroclitam, vel ſaltem in ſe minùs probabilem, quàm ſit opinio pœnitentis. R.2. Æger ſanandus eſt arte Medici, ſi Medicus præſcribat neceſsaria vel prohibeat nocitura, c. ſi nec neceſsaria præcipiat nec nocitura prohibeat, n.ant.& conſ. nam ejuſmodi opinio Confeſsarii habet ſe omnino per accidens, & impertinenter ad abſolutionem, uti dictum eſt.

*Obji.*2. Confeſsarius agit ut Judex, & ut Superior, ergo 447
non debet ferre ſententiam ſecundùm opinionem pœnitentis, qui eſt Reus, & ſubditus, ſed hic tenetur ſe illi ſubmittere. R.n.conſ. nam ſententia, quam fert Confeſsarius, eſt partim judicium de diſpoſitione pœnitentis, partim abſolutio; judicium autem illud, & abſolutio formanda eſt ſecundùm conſcientiam pœnitentis,ergo cùm pœnitens ſequendo opinionem ſuam non peccarit nec peccet, judicandus eſt diſpoſitus, & ſecundùm hoc judicium abſolvendus eſt.

*Inſt.*1. Confeſsarius non debet abſolvere contra ſuam con- 448
ſcientiam, ergo nec contra ſuam opinionem. R. n. conſ. tenetur enim ſibi formare conſcientiam, non ſecundùm ſuam, ſed pœnitentis opinionem, v.g. hoc modo. *Quamvis ego opiner ſcriptionem ob lucrum in die feſto eſſe illicitum; tamen cùm opinio mea ſit incerta, & pœnitens probabiliter putet eſſe licitam, nec teneatur opinionem ſuam deſerere, & ſequi meam, non poſſum judicare illum eſſe indiſpoſitum, ergo cum peccata ipſius audiverim, neque mihi licitum ſit abrumpere Sacramentum, aut negare jus, quod ad abſolutionem, habet, teneor abſolvere, præſcindendo ab illa opinione mea ſpeculativa, quæ hic ſe impertinenter habet.*

*Inſt.*2. Scientia, quid circa adminiſtrationem Sacramenti 449
pœnitentiæ ſit faciendum, non requiritur in pœnitente, ſed in Confeſsario,ergo hic procedendum eſt juxta cognitionemConfeſsarii, non pœnitentis. Reſp. Ergo hic procedendum eſt juxta cognitionem Confeſsarii, huc pertinentem, c. huc non pertinentem, n. conſ. cognitio Confeſsarii huc pertinens eſt judicium, quod hic habere debet de ſtatu, & diſpoſitione pœnitentis, & ſecundùm hanc cognitionem debet ſe regulare Confeſsarius, eique ſe ſubmittere debet pœnitens, quia Confeſsarius hoc agit ut Judex, & ut Superior; alia autem cognitio directa, quam Confeſsarius tanquam privatus Theologus habet de eo, quòd ſcriptio die feſto facta ob lucrum ſit illicita, eſt hic impertinens, nec tenetur ſe illi ſubmittere pœnitens, ideoque hæc cognitio ad ſummum valere poterit pro regulando Confeſsario ipſo, ſi ſcribere velit ipſe die feſto, non autem pro regulando pœnitente, qui licitè ſe regulat ſecundùm ſuam, & graviſſimorum Doctorum opinionem contrariam.

*Inſt.*3. Ordo rectus inverteretur, ſi Judices tenerentur ju- 450
dicare ſecundùm opinionem reorum: Item ſi Eccleſia teneretur procedere ſecundùm opiniones ſubditorum. R. ad 1.Quando judicium inſtituitur circa conſcientiam, & peccata Rei, uti fit ad Tribunal Pœnitentiæ, tunc debet Reus judicari ſecundùm opiniones ſuas, per quas fit, ut vel incurratur vel evitetur peccatum; aliud eſt in aliis tribunalibus, ubi quæritur, quid in re ſit, v.g. ad quem à parte rei pertineat ager, an Titius reipſa occiderit, furatus ſit &c. tunc enim non attenditur ad opiniones litigantium, vel eorum, qui accuſantur, ſed ad argumenta directa rem vel factum ſecundùm ſe probantia. *Ad* 2. Eccleſia extra tribunal Confeſſionis habet jus ferendi leges, & regendi fideles independenter ab opinionibus eorum, quos etiam obligare poteſt ad deferendas opiniones ſuas in praxi; è contra in tribunali Confeſſionis, à Chriſto juſſa eſt judicare, & procedere ſecundùm conſcientiam pœnitentis, quam hic licitè format ſecundùm opiniones ſuas ab Eccleſia permiſſas, & certò probabiles, ut ſæpè dictum eſt.

*Obji.*3.Pœnitens,qui die feſto non vult omittere ſcriptionem 451
propter lucrum, ſecundùm judicium, quod Confeſsarius habet, non vult ſervare unum mandatum graviter obligans, ergo ſecundùm judicium Confeſsarii eſt indiſpoſitus, ergo cùm ad Confeſsarium ſpectet judicium de diſpoſitione pœnitentis,non poteſt eum abſolvere. R.Secundùm judicium, quod Confeſsarius habet, tanquam Confeſsarius, non vult ſervare unum mandatum, n.ſecundùm judicium, quod Confeſsarius habet tanquam privatus Theologus, c. ant. & ſimiliter diſtinguo utramque ſeq. ſi enim agat tanquam Confeſsarius, non debet agere cum pœnitente ſecundùm judicium directum, & ſpeculativum, quod habet tanquam privatus Theologus, ſed ſecundùm reflexum, & practicum, quod habere debet tanquam Confeſsarius, uti *n.*448. eſt explicatum.

Inſt. Saltem ſi non ſit ex officio Confeſsarius non tenebitur 452
abſolvere,quia ex mera voluntate pendet ejus abſolutio, ita Armil.apud Teril.*hic q.*23.*n.*48.R.n.aſs.rectè enim dicunt Victor.

Nav.

Nav. Sot. ſupra, & alii communiſſimè, hìc non eſse diſtinguendum inter obligatum, & non obligatum audire; & ratio eſt, quia licèt ex ejus voluntate pendeat audire, ſi tamen audiverit, tenetur abſolvere, quia audiendo peccata tacitè promiſerat, & ſe obligarat ad abſolvendum, ſi inveniret diſpoſitum, uti fatetur cum communi Gonz. *num.*123. poterit nihilominus talis Confeſsarius non obligatus, pœnitentem monere, ut non redeat, niſi velit dirigi ſecundùm alteram opinionem, alioqui non abſolvendum uti rectè Stoz. *n.*133. ſi enim tunc redeat ad eundem Confeſsarium, cenſetur cedere juri ſuo, & ſe directæ illius opinioni velle ſubmittere. Ex dictis,

453 *Inferes*, Confeſsarios illos non rectè fungi officio ſuo, qui non ſtudent cognoſcere plurium Authorum probabiles ſententias, ſed pœnitentes omnes ſuos volunt dirigere ſecundùm opiniones incertas unius alicujus Authoris vel profeſsoris ſui, uti pluribus dicetur de Pœnitentia, quàdo de prudentia Cõfeſsarii.

454 *Q.*55. *An Principes, & Superiores ſint tuti in conſcientia, ſi nudè ſequantur judicia, & conſilia probabilia ſuorum Conſiliariorum?* R.

§.1. Rationes pro parte affirmativa ſunt, 1. quia ſi licet prudentum Theologorum conſiliis acquieſcere, cur non horum? 2. In multitudine agendorum non eſt Principi aliud poſſibile; & ad hoc ſunt Conſiliarii, ut per eos juventur illi, qui regunt. 3. Conſulti communiter ſunt peritiores jurium, quàm Conſulentes, cur ergo non liceat eos ſequi? 4. Si non licet ſequi illos, ergo prudenter aget oppoſitum, hoc autem nemo dicit, nam qui ſuorum conſilia non ſequitur, ſed ex proprio cerebro gubernat omnia, ab omnibus habetur minus prudens; è contra qui ſequitur ſuorum ſapientum conſilia, in communi ſenſu eſt prudens, maximè cum homo alieno potius judicio fidere debeat quàm ſuo. 5. Si Princeps haberet in ſe uno ſcientiam, & experientiam ſuorum Miniſtrorum, utique diceremus eum tutò agere, ſequendo, quod ipſe judicaret æquum, ergo & nunc; quia ſequendo conſilia ſuorum, eſt, ac ſi ageret ex ſcientia, & experientia in ſe reperta.

455 §.2. His non acquieſcit Eliz. *l.*6.*q.*7. ſed abſolutè negat Regentem ex hoc fore tutum in conſcientia, 1. quia ſi opus non eſt, ut rem ipſe diſcutiat, & perpenſis utrimque rationibus definiat, non neceſsariò ad regimen eligetur dignior, ſed aptus erit quiſque, ſi ſolummodò ſciat numerare, ex qua parte ſint plura ſuorum Conſiliariorum ſuffragia. 2. Invertetur omnis ordo regiminis, non enim ipſe reget ſed regetur, eritque tantùm executor negotiorum; caput erunt pedes, & pedes caput. 3. Non erit, cur dicat Scriptura *Eccleſiaſte* 10. *v.*16. *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt!* Item, cur inculcet *Pſal.*2. *v.*10. *Et nunc Reges intelligite; erudimini, qui judicatis terram. Sap.*6. *verſ.*10. *Ad vos ergo Reges ſunt hi ſermones mei, ut diſcatis ſapientiam.* Meritò dixit illuſtris Arauſo, *Neque Principem ab hujuſmodi piaculo excuſat vulgaris ſententia dicentium damna, & vitia regiminis non Principi, ſed ejus Adminiſtris, & Conſiliariis fore imputanda, non, inquam, hæc excuſatio, licèt vulgaris, ei prodeſt, eò quòd ipſe non ſubeſt ſed præeſt.* 4. Si ſatis eſset acquieſcere conſiliis ſuorum, tuti in conſcientia erant tyranni occidendo Martyres, quia ſequebantur conſilia eorum, qui præerant rebus, non tantùm politicis, ſed etiam ſacris: excuſandus quoque ab omni etiam imprudentia erit *Roboam* 3. Reg.12. ſequens Conſiliarios coætaneos à ſe aſſumptos, viros ſaltem quadraginta annorum, maximè cùm cogitare poſſet ſenes plerumque eſſe nimis timidos. 5. Nunquam dabitur bellum ex ulla parte formaliter injuſtum, quia nunquam inchoatur ſine aſſenſu Parlamenti vel Conſiliariorum. 6. Peccare poſſunt, & damnari ſequentes quoſdam Doctores Theologos, ergo etiam Conſiliarios, cùm ad hos minus ſpectet ſecuras reddere conſcientias, & ſæpè conſcientiam minus curent. Ratio horum omnium à priori eſt, in primis quia nulla datur infallibilis regula conſcientiæ præter Scripturam, & Eccleſiam, ergo ſequendo Parlamenta, & Conſiliarios peccari poteſt ac incurri damnatio: deinde Conſiliariorum aliqui ſunt boni, alii mali, ergo ad Principem, & Superiorem ſpectat videre, ne per malos in errorem bono publico damnoſum inducatur, ergo ipſius eſt auditis ſententiis indifferenter rationes perpendere, &, ſi has judicet veras, has ſequi, ſi falſas, reprobare; ſi diſcernere nequeat, ulteriùs inquirere, ad hoc enim eſt navarchus, ut clavum teneat regatque navem, ita ferè Eliz. Fagnanus in cap. *Ne innitaris*, *De conſt.* *n.*319. ait, *Principes ſæculi nihil arbitrio ſuo faciunt, ſed quid ſibi liceat, percunctantur à Theologis, quos ad ſua deſideria coacervant ſibi magiſtros.*

456 §.3. Utraque ſententia habet aliquid veri, nam Principes, & Superiores; 1. non ſunt tuti ſequendo quoſvis Conſiliarios, quandoque enim ſunt pſeudo-politici, adulatores, non timentes Deum, ſi modò placeant hominibus; hinc non edicunt ſincerè, quod ſentiunt, ſed quod putant placere: alii non habent pro fine bonum publicum ſed privatum ſuum, vel ſuorum: alii omnia pecuniis venialia habent. 2. Nec ſatisfaciunt officio, ſi per alios faciant omnia, ſunt enim à Deo, Rep. vel aliis Superioribus conſtituti, ut ipſi regant, & ad hoc electa eſt ipſorum perſona ac perſonalis induſtria, ideoque etiam, ſi ipſis liberum ſit, non debent admittere regimen, niſi ſentiant ſe ad id ſufficienter comparatos eſſe per Deum, & naturam: atque in his ſentio cum Eliz. 3. Ut tuti ſint, tenentur ſepoſita omni reflexione humana eligere Conſiliarios, quos putant præ reliquis fore prudentes, probos, incorruptibiles, & ejus animi, qui ſenſa ſua depromere audeant; ideòque etiam relinquenda eſt ipſis plena libertas edicendi, quod ſentiunt, nec oſtendenda diſplicentia, multò minùs inferendum incommodum, ſi quid ingratum protulerint. 4. Tenentur rationes auditas utrinque perpendere, & quas certò advertunt veras, ſequi; ſi verò res incerta ſit, per ſe loquendo, poſſunt ſequi conſilium probabile ſuorum, relicto eo, quod ipſi judicant probabilius, formando ſibi conſcientiam ſecundùm dicta *n.*307. & 377. atque id evincunt rationes *n.*454. allatæ, ad quas accedit, quòd facilius ſit unum decipi, quàm plures. 5. Etiam poſſunt contra judicium ſuorum ſequi illud, quod ipſi bona fide putant eſſe probabilius vel melius: poterit tamen eſſe res ſuſpecta, ſi agatur de ſuo vel ſuorum commodo, quia ſe facilè inſinuat vitioſus amor proprius. 6. Si nollent explere munus ſuum ſed torpere ac per alios agere omnia, rectè ait Eliz. minùs malè acturos, ſi ſemper velut clauſis oculis ſequantur communem ſententiam ſuorum Conſiliariorum, niſi horum vel illorum rationes apparerent eſſe meliores, quia facilius eſt pauciores decipi quàm plures. Quòd ad bellum inchoandum attinet, dicetur *l.*3.*p.*1. *à n.*867.

457 *Q.*56. *An ſit aliquando obligatio ſequendi probabiliorem relicta minùs probabili?* R.

§.1. Negant Vaſq. *d.*63.*cap.*1. Haun. *lib.*2.*tract.*1.*c.*4.*contr.*3. *num.*292. Card. *in* 1. *criſi d.*55. *à num.*14. *& d.*56. *à num.*914. Teril. *in Reg. q.*20. aliique multi, nam univerſaliter dicunt in omni materia eſſe licitum ſequi opinionem probabilem relicta probabiliore. *Si opponas*, v.gr. Miniſtrum Sacramenti teneri ſequi probabiliorem de valore, *Reſpondent*, oppoſitam in iſtis circumſtantiis non eſse probabilem niſi ſpeculativè, ſe autem loqui de *practicè* probabili, illam autem vocant *practicè* probabilem, quæ probabiliter aſſerit licere etiam in his & iſtis circumſtantiis, opinio autem dicens, v. gr. licere conficere Euchariſtiam in pane ſiligineo, non eſt probabilis: Sed clariùs videmur loqui, ſi dicamus, quod ſit obligatio ſequendi probabiliorem relicta minùs probabili, 1. ſi minor probabilitas ſit tantùm ſpeculativa, ut *à n.*117. dictum eſt, 2. Si obſtet lex & mandatum Superioris, uti ibidem eſt dictum. 3. Si contractus vel quaſi contractus prohibeat ſequi minùs probabilem, uti eſt in Judice &c. 4. Si charitas erga proximum vel ſeipſum aliter poſtulet. 5. Si alioqui Sacramentum exponeretur periculo nullitatis, ita ut aliud poſtulet reverentia Chriſto rerum ſacrarum Authori debita, uti dicetur *l.*6.*p.*1. *à n.*104. Vide etiam dicenda *n.*476.

De Judice, Advocato &c. Item de Medico plura addentur *l.*4. *à n.*1480. 1507. 1534. ubi etiam *à n.*1545. *&* 1548. agitur de obligatione Profeſsorum, & Concionatorum publicè docentium.

458 §.2. Thom. Sanch. *in Decal. l.*2.*c.*1.*n.*6. Sporer *hic num.*50. aliique docent pro articulo mortis eſſe obligationem ad ſequendam probabiliorem aut ſaltem tutiorem, etiamſi non adſit alia ratio, quàm quòd ſit pro articulo mortis, quia ſic videtur ſuadere charitas erga ſeipſum; ut in eo momento, à quo pendet æternitas, eligantur tutiſſima: è contra Jo: Sanch. Lugo aliique apud Dianam *p.*2.*tr.*13.*R.*9. & Gob. *in Clypeo p.*1. *num.*162. negant, quia cùm nullum ſuperſit periculum peccati formalis, & ſic operans omninò prudenter operetur, non eſt cur hoc minùs poſſit in morte quàm in vita, hinc Card. *in* 2. *criſi d.*4. *num.*8. ait, *Sententia illa, quòd liceat ſequi probabilem relicta probabiliore, impropriè dicitur minùs tuta, quia formaliter eſt tutiſſima, & ſolùm dicitur materialiter minùs tuta, propterea, quòd exponatur periculo peccati materialis, quod vitare non tenemur:* de hoc tamen redibit ſermo *n.*471. *&* 475. ubi explicabitur, quo ſenſu ſententia benignior dicatur tutior, & laxiores tutiſſimæ, quod hìc applicari debet, nam illa obligatio exponeret moribundos graviſſimis moleſtiis, anxietatibus & periculis deſperandi: teneretur enim conari elicere ſemper actus intenſiſſimos, iterùm confiteri omnia dubia, & ſcrupulos, continuò renovare dolorem de peccatis, & petere novam abſolutionem, &c. Quamvis autem tutius ſit in articulo mortis iſta facere, tamen non eſset tutius ſed periculoſius, judicare ſe ad id obligari, uti ibi probabitur, ergo dicendum eſt eſse tantùm conſilii, ut in eo articulo, quantùm fieri poteſt, ſequamur etiam materialiter tutiora, quia nempè hoc ipſum valdè gratum eſt Deo, nolle etiam materialiter agere contra ullam ipſius voluntatem.

Q. 57. *An è contra, præter hactenus dicta, ſit etiam aliunde ſpecialis obligatio quandoque ſequendi unam probabilem relicta probabiliore, vel alia ſimiliter probabili?* R.

§.1.

459 §.1. Dixi à n.432. ad hoc ſpecialiter obligari ſubditum;& à n.443. etiam Confeſsarium; nunc addo univerſaliter, quòd quivis, qui licitè poteſt, teneatur ſequi probabilem relicta probabiliore, ſi hoc poſtulet ſalus vel emolumentum, præſertim ſpirituale, proprium vel alienum, ea enim eſt lex charitatis, ut mihi & proximo proſim, ubi licitè & commodè poſsum: v.g. ſi loquendo ſententiam minùs probabilem impedire poſſum aliquod peccatum proximi, ad id teneor ex charitate, quia id licitè poſsum, ſecundùm dicta à n.268. & etiam commodè poſsum, uti ſupponitur.

460 §.2. Docent præterea Gob.& Lohner eſse ſpecialem obligationem ſequendi minùs probabilem in his caſibus, nempè ſi agatur de valore Matrimonii, uti habent plurimi Theologi,& Juriſtæ cum Sanch. *de Matr. l.1.d.18.n.7.* Item quando agitur de valore teſtamenti vel favore religionis, uti habet cum aliis multis Barboſa. Item quando agitur de poteſtate clavium,& juriſdictione Eccleſiæ. Item quando minùs probabilis ſententia favet piæ cauſæ, uti tenent 29.Authores apud Martham, teſte Gob. *in Clypeo p.1.n.175.* Addit Card. *in 1.criſi d.17.* ſi ſint duæ ſententiæ utrimque probabiles, una pro, altera contra Immunitatem Eccleſiaſticam, legem pro immunitate cenſeri debere favorabilem,& legem contra immunitatem eſse odioſam, ideòque hanc reſtringi, & illam ſemper ampliari debere, ac conſequenter opinionem probabilem pro immunitate fieri velut certam & eſſe omninò ſequendam. Denique de Pœnitentia cap.2. ad dub.6. oſtendam, ubi ſunt opiniones utrimque probabiles, per ſe loquendo, operandum eſſe potiùs ſecundùm benignam.

461 *Q.58. Ex quibus præcipuè libris vel Authoribus ſolvenda ſint dubia conſcientiæ?* R.Janſenius in Auguſtin.*l.proœm. c.9.col.24.* ſi habet, *Arbitror S.Scripturæ libris, Conciliis, & primorum ſæculorum PP. nos contentos eſse debere:* Havermans apud Fierlandt *c.3.§.3.* idem dicit, & lectionem Theologorum Scholaſticorum, ac Moralium reprobat, *Quia*, inquit, *antequam prodirent hi Authores, debuerunt in Eccleſia Confeſſarii reſolvere ſimiles caſus, ergo & nunc poſſunt ſine illis.* Eliz. *lib.6.q.15.& 16.* fuſiſſimè contendit lectionem Scripturæ, & Sacrorum librorum maximè neceſſàriam eſſe Theologis Moralibus, eos autem libros Caſiſtarum nequidem legendos eſse, qui ſua non probant ex libris iſtis, ſed ex puro ſuo ratiocinio. Et q.17. contendit ſolam Scripturam, & traditionem ſufficere ad ſapientem perfectumque Theologum Mo-

462 ralem. *Contra* eſt 1.Etiam antequam SS.PP.eſſent, antequam eſſet S.Auguſtinus aliuſque Eccleſiæ Doctor, fuere Confeſſarii in Eccleſia, qui reſolverent caſus conſcientiæ, ergo & fruſtra legentur iſti SS.PP. 2. Ante librum Janſenii, ante Arnaldi tr. de frequenti Communione, ante tyrocinium Havermanni, ante methodum Huyghens, ante ſpecimina moralia Gabrielis ſimileſve libros, Confeſsarii reſolverunt caſus, ergo & illi libri legi non debent. 3.Licèt fateamur lectionem Scripturæ, & Sacrorum librorum eſse utiliſſimam, ac etiam neceſſàriam, tamen non ideò rejicienda eſt aliorum librorum lectio, tum quia illi ipſi libri ſacri explicationem egent,nec continent reſpectivè ad nos ſatis clarè omnia; tum quia ipſi SS.PP. inter ſe ſæpè diſſentiunt, & conſequenter conſulendæ ſunt rationes ac Authores alii.4. Neque ex ſolis libris ſacris poſſunt reſolvi omnes caſus,uti evidenter patet conſideranti omnes materias,nam quòd jus poſitivum attinet, patet multa acceſſiſſe, & quotidie accedere; quod autem attinet naturale, dic mihi ex ſolis libris ſacris, quænam ſit materia gravis furti, quænam peccata diſtinguantur ſpecie, & numero, quænam ſint impedimenta Matrimonii, an cenſus perſonalis ſit licitus, an cambium Francofurtenſe, Placentinum, Venetum &c. 5. Prudenter præſumimus alios etiam Authores legiſſe libros ſacros, & ex eorum mente loqui, licèt brevitatis cauſa textus omittant, ſic legimus Suarez, quem certum eſt legiſſe Scripturam, Concilia

463 & PP.6. Nobiſcum ſentiunt Sancti ac ſapientiſſimi viri: S. Carolus Borromæus *in Inſtr.Confeſſar.* ait, *Omnes Confeſſarios, quamvis à nobis ut idonei ſemel admiſſi fuerint, tamen ob graves, & diverſos ſcrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates ſibi cohærentes habent, præmonitos volumus, ut bonos & claſſicos Authores nonnullos, qui caſus conſcientiæ ex profeſſo tractant, manibus continuò terant.* S.Franciſcus Saleſius in ſuis Inſtr. diſtinctè ſuadet lectionem Caſuum,quos digeſſit Reginaldus:& Epiſt.39.commendat librum Caſuum Toleti tanquam brevem, facilem, ſecurum. Synodus Mechlinienſis anno 1607.*tit.5. de Sacram. pœnit.c.5.* ſic monet, *Magna oportet eſse inſtructum ſcientia, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet, ideò Confeſſarii, quibus non hominis ſed Dei judicium exercendum eſt, & quidem de animabus pretioſo JESU Chriſti Sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde neceſſariam ſibi ſcientiam hauriant, diligentiſſimè vacare merito debent utpotè directorii Polanci, Manualis Navarri, aut ejus compendii, Summæ Toleti, Enchiridii Binsfeldii, & ſimilium.* Rectè monet S. Athanaſius d.2. contra Arianos his verbis, *Ne ſuſtinueritis eos, qui novis rebus ſtudent, etiamſi dictiones ex ſacris litteris ſcribant, ne ſuſtinueritis hoc genus ſcriptorum, etiamſi voces orthodoxæ fidei loquantur, ne ita quidem loquentibus attendite, non enim recto animo loquuntur, ſed veluti indumentum ovium hæc verba præferunt.*

Q.59. Quinam præcipuè ex Theologis modernis conſulendi ſint pro ſolvendis dubiis conſcientiæ? R. 464

§.1. Verricelli apud Moyam *de op.prob.q.4.n.16.* dicit conſulendos Theologos,in quibus ſit æqualis aut major doctrina moralis quàm ſcholaſtica, ſimiliter Breſſ.Bardi, Bonæſpei apud Moyam *n.* 17. dicunt virum doctum in ſola Theologia ſcholaſtica non eſſe conſulendum, niſi ſimul in morali ac caſibus ſit verſatus. Addit Verricelli, *Scio frequentiſſimè evenire, ut magni nominis Concionator magnæ doctrinæ reputetur, & ſine difficultate ad eum tanquam doctiſſimum Confeſſarium recurratur, tamen ille in re morali ac caſibus conſcientiæ minimè verſatus, ſit reverà indoctus, unde ſæculares falluntur putantes ſe doctiſſimum habere Confeſſarium.* Inde infert Moya *n.18.& 19.* quantam Reges, & Principes debeant adhibere cautelam in diligendis ſibi pro negotiis conſcientiæ Conſiliariis & Confeſſariis.

§.2. Conſulendi ſunt etiam tales, 1. qui non ſint in judi- 465
cio præcipites: quidam enim glorioſum putant, ſi è veſtigio ad caſum reſpondeant,& ſæpè impingunt graviter, ac poſteà ægrè fatentur errorem,& rem difficulter redintegrant:in illis præſertim,quæ à jure poſitivo pendent, periculoſum eſt ſubitò ferre ſententiam: advertitque ſemper, minùs doctos eſse Doctores magis Reſolutos, ſed malè. 2. Qui non profiteantur nec paſſim ſequantur laxitates, nam alioqui multas opiniones habent velut certò probabiles, quæ tamen reipſa ſunt tenuiter,vel dubiè, vel ad ſummum probabiliter, aut extrinſecè tantùm probabiles, de quibus à n.366.uſque ad 370.dictum eſt. 3. Qui etiam non affectent nimium rigorem,nam benignos eſse oportet directores animarum,uti dicetur *de pœnit.ad c.2.dub.3.*& rigidi illi implicant animas graviſſimis moleſtiis, difficultatibus, ſcrupulis. Cæterę dotes Theologi moralis intelligētur ex dicendis *de pœn. ib. ad dub. 6.* ubi agemus de ſcientia,& prudentia Confeſsarii.

Q.60. An opiniones novæ potius docendæ, & ſequendæ 466
ſint, quàm antiquæ?

§.1. Opinio duplici ſenſu appellari poteſt nova, vel quòd opponatur antiquorum DD.opinioni,vel quòd nunc ſit inventa,fueritque antiquis incognita: ſi in primo ſenſu ſit nova, non facilè eſt præferenda antiquæ, ſive in practicando, ſive in docendo, quia ſi opinio antiqua tamdiù ſuſtinuerit probam, & examen Theologorum, meritò illi plus fidimus. Addit Eliz. *l.7.q.10.& 11.§.2.* antiquos ex diſpoſitione divinæ providentiæ, debuiſſe in materiis fidei, & morum eſſe minùs obnoxios errori, quàm recentiores, nam ſi antiqui erraſſent, fideles non habuiſſent, à quibus veritatem diſcerent, nunc autem, licèt errarent recentiores, ſupereſſent antiqui, quos legendo, conſiderando, & ſequendo poſſent errores ſuos deponere. Si in ſecundo ſenſu ſit nova, habeatque grave fundamentum, non eſt ratio, cur ſecurè non poſſit practicari, & doceri, uti rectè cum aliis Moya *de op.prob.q.4.§.3.*

§.2. Præferenda eſt ſententia Juniorum, ſi decretum, vel 467
conſuetudo, vel rationes novæ, & graves afferantur, quas antiqui non conſiderarint, & tamen præponderent antiquorum rationibus, quæ etiam facilè diſſolvantur; ut enim opinio nova ſit probabilis, non indiget tempore, ſed fundamento; & ita inquit Gallego apud Moyam *n.12. Angelicus Doctor multa ſcripſit, & docuit contra alios, qui ante ipſum ſcripſerunt, & tamen ejus opiniones ſtatim, ac ab ipſo traditæ ſunt, exiſtimatæ ſunt probabiles.*

§.3. Notant rectè Caram.& alii cum Rayn. *in Explic.no-* 468
va libert.p.2.c.4.§.7. poſſe aliquando plus credi Authoribus recentibus, qui rem ex profeſſo, & accuratiùs examinarunt, quàm antiquius, nam recentes habent hoc, quòd pro ipſis laborarint antiqui,& rationes pro,& contra ſaltem inſinuarint,unde cum facilè ſit inventis addere, recentiores ulteriùs pergunt, ibi incipientes, ubi antiqui deſierunt, ſicque videmus, quòd ſucceſſu temporis eluceſcant veritates, & detegantur fallitates antiquis incognitæ, ut patet ex dictis, *n.201.* nam *temporis filia eſt veritas*, inquit Cicero *l.2.* de Oratore: ideòque dicit *Quintilian. ætatem nullam aliam, naſcendi fortè hac eſse feliciorem, ut cui erudiendæ priores omnes allaborarunt.* Quod autem addit Caram.juniores ſubtilioribus ingeniis præditos eſse quàm veteres, ex eo probans, quia corporis mole, & viribus ſunt minores, hoc ſola enarratione, tumque muto ſilentio refutandum eſt, inquit Gonet.

§.4. Notandum etiam hic monitum Dianæ *p.10.tr.14. R* 469
56. qui cùm retuliſſet aliquas opiniones recentiorum, ſic ſubdit, *ò quanta ego haberem, & dicerem, quæ novitatum amatoribus nimis plauſibilia eſſent, ſi calamo, & ingenio liberam vagandi facultatem præberem! ſed ut ſapientiſſimo Caramueli reſpondi, Romanus incolatus, & aliena pericula cautum in ſcribendo me fecerunt: & reverà opiniones illæ ſingulares in*

rebus moralibus contra receptas Eccleſiæ conſuetudines vel communes DD. ſententias ferè ſemper malè olent, & paſſim naufragare videmus, nam vel penes Sacras Congregationes remanent cauterio inuſtæ, vel poſtea viri docti non ſolùm illis minimè adhærent, ſed potius acriter refellunt: rectè itaque Baldus; qui contra omnes, non rectè loquitur. Atque etiam ideò Golvinus Nickel Generalis X. ſcripſit 29. Maji 1657. Epiſtolam ad totam Societatem JESU, de ſententiis laxioribus aliiſque exoticis, & novis in docendo vitandis: Et ſimilem ſcripſit etiam Joannes Paulus Oliva Generalis XI. 2. Decembris 1662. iterumque 30. Aprilis 1667. de cavendis opinionibus moralibus nimis laxis. Vide dicenda *n.* 510.

DUBIUM III.

470 *An in dubio tutior pars ſit eligenda.*

REſpondeo. Qui in dubio conſtitutus poſt diligens examen ſe nequit reſolvere, non tenetur ſemper eligere partem tutiorem, ſed poteſt amplecti partem faventem ſuæ libertati, (etiam minus tutam) dummodò ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis; juxta illud axioma: *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.* Ratio eſt, quia talis non agit temerè, cùm utatur ſua libertate: quod cuivis licet, quamdiu non conſtat eſſe ea privatum, cùm eam, ut cætera externa bona poſſideat. Proindeque volenti obligationem imponere, quæ libertate privet, incumbit probatio obligationis contractæ juxta *Reg.* 11. *in* 6. Neque huic reſponſioni obſtat axioma contrarium, *In dubio, tutior via eſt eligenda:* quia id intelligitur, ſi ex una parte ſit dubium, ex altera certum, tunc hanc eſſe eligendam: quòd ſi autem utraque pars tuta ſit, axioma univerſim non eſt præcepti, ſed conſilii, ut Nav. Sanch. Bon. *t.* 2. *d.* 2. *q.* 4. *p.* 9. *n.* 21. Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. §. 4. Fill *n.* 157. *&* 160.

Porrò pro regula cognoſcendi, quis ſit poſſeſſor, attendendum eſt, pro quo ſtet præſumptio in foro externo, is enim cenſebitur poſſidere: præſumptio autem cenſetur ſtare pro ea parte, quæ onus probandi in aliam transfert, Bardi *d.* 5. *c.* 5. Unde cum Sanch. Laym. *l.c. & aliis, reſolvuntur Caſus ſequentes.*

I. Dubitatur poſt ſufficientem diligentiam adhibitam, an lex ſit impoſita, v.g. jejunii; item, an votum, vel juramentum ſit emiſſum: non obligatur dubitans. Ratio, quia cùm lex & votum, ut obligent, debeant ſufficienter proponi, meritò hic præſumitur non eſſe: ideoque dubitans manet in poſſeſſione ſuæ libertatis, *Suar. Fill. Laym.* Contra verò ſi voviſſe conſtet, & dubitetur, an ſatisfecerit, tenetur ſatisfacere, quia tunc votum eſt in poſſeſſione. Similiter dubitans an Horas legerit, tenetur legere, quia præceptum eſt in poſſeſſione. Ita Sanch. Laym. Bon. *l.c.* Fil. *n.* 163.

II. Qui certus eſt de lege, & voto, dubius tamen, an & quid comprehendatur lege, aut voto; ut, ſi ſciat ſe voviſſe religionem, dubitet autem, utrùm certam, an verò in communi tantùm: Item, vovit abſtinere à copula, dubitat verò an omni, an ab illicita tantùm; non tenetur voto, quoad partem, de qua dubitat.

III. Si conſtet de lege, dubium autem ſit, an recepta, vel abrogata, vel tu ab ea eximaris: teneris lege. Ratio, quia cùm conſtat de lege, pro ea ſtat præſumptio, & poſſeſſio, proindeque alleganti eam non eſſe receptam vel abrogatam, incumbit onus probandi; ideòque dum non probat, lege tenetur, Laym. *l.* 1. *t.* 4. *c.* 3. Sanch. Fil. contra Salas, & Azor. qui docent, ſi dubites, an lex ſit acceptata, ea te non teneri.

IV. Qui dubitat, an vigeſimum primum annum expleverit, non tenetur jejunio, quia libertas eſt in poſſeſſione. Contra vero res habet, ſi dubites de ætate ad Ordinem ſacrum, vel beneficium requiſita, quia præſumptio & poſſeſſio eſt pro præcepto: ideòque non potes recipere, donec de ætate conſtet, Laym. *l.* 1. *t.* 1. *c.* 5. *n.* 35. Sanch. *l.* 2. *de matr. d.* 41. *n.* 38.

V. Si cras ſit jejunium, & poſt examen dubitas, an ſit audita duodecima noctis, potes cænare, & carnibus veſci, quia libertas eſt in poſſeſſione: Contra verò, ſi hodie ſit jejunium & dubitas, an ſit duodecima noctis, non licet, quia præceptum eſt in poſſeſſione; cùm conſtet hodiernum diem eſſe jejunii, & dubium ſit, an tranſactus, Sanch. *l.c. n.* 40. Laym. *l.c.* Quæ omnia intellige de dubio ſtrictè ſumpto: ſi enim ſit ratio dubium deponendi; v.g. quia aliqua horologia ſonuerunt duodecimam, alia non, ceſſat ratio data; cùm enim duo horologia ſint quaſi duo Doctores, ſeu opiniones probabiles, licet utramlibet ſequi, niſi ſciam unum errare, Laym. & alii communiter.

VI. Si dubites, utrùm mediam noctem cenando exceſseris, vel maſticando aliquid deglutiveris, non licet celebrare, vel Euchariſtiam ſumere, Sanc. *n.* 40. Fagund. *p.* 3. *l.* 3. *c.* 5. *n.* 18. tum, quia lex jejunè ſumendi eſt in poſſeſſione: tum, quia gravis eſt irreverentia. Quamquam contraria ſententia Lay. *num.* 36. probabilis; Dianæ verò, *p.* 3. *tr.* 4. *R.* 29. tuta etiam in praxi, videatur; eò quòd Eccleſia in caſu dubio, non videatur tam arctè conſtringere conſcientias: & in dubio factum præſumi non debeat, neque cenſeatur irreverens, qui juris præſumptionem ſequitur. Vide infrà *lib.* 6. *tr.* 3. *c.* 2. *d.* 2. *a.* 2. & Lugo *d.* 15. *n.* 41.

VII. Si poſt contractum bona fide Matrimonium, dubium de valore ſuperveniat, quod poſt veritatis inquiſitionem depelli non poſſit, debitum non tantùm reddi, ſed etiam exigi poteſt, quia dubium ſuperveniens, bonæ fidei poſſeſſori obeſſe non debet. Vide Sanch. *n.* 47. Bonac. *l.c.*

VIII. Qui certus eſt de debito, & dubitat, an ſolverit, tenetur ſolvere, Suar. Vaſq. Lugo, Dian. *p.* 3. *tr.* 6. *miſc. R.* 49. niſi etiam creditor dubitet; tunc enim Tan. *in* 1. 2. *d.* 2. *q.* 6. *d.* 4. putat non teneri: quod Laym. *n.* 42. ita limitat, ut teneatur, non ad integram ſolutionem, ſed partem ejus pro qualitate dubii: quod Diana *p.* 4. *t.* 3. *R.* 32. amplectitur ut probabile.

ADDENDA.

DUbio præcedente quæſitum eſt, an ſit obligatio ſequendi ſententias probabiliores, hic quæritur, an ſit obligatio ſequendi tutiores; ſæpè enim fieri poteſt, ut ſententia tutior ſit minùs probabilis, & probabilior ſit minus tuta, uti dicetur *n.* 472. *&* 483. Dubium hoc non eſt ita difficile, uti præcedens, fecerunt tamen illud controverſum aliqui, præſertim ex Gallia, qui exiſtimantes ſententiam de uſu licito opinionum probabilium faventium libertati contra legem incertam, eſſe fontem omnium laxitatum in Theologia morali, zelo bono, ſed non ſecundùm ſcientiam moti, voluerunt ſemper ſtandum eſſe pro lege licèt incerta contra libertatem. Ut rectè intelligantur, ſit 471

Q. 61. *An omnes opiniones ſint æquè tutæ; & quænam cenſeantur tutiores?* R.

§. 1. Joan. Sanch. Caram. Illſ. *t.* 1. *d.* 1. *n.* 66. aliique multi apud Moyam *de op. prob. q.* 6. §. 7. dicunt omnes verè probabiles eſſe æquè tutas quoad imputabilitatem, quia ſive quis operetur ſecundùm hanc ſivè ſecundùm illam, certus eſt ſe nullo modo peccare: ſed *contra* eſt, nam in primis non omnes ſunt æquè tutæ materialiter, uti certum eſt, quia licèt operans ſecundùm hanc, vel illam nullo modo peccet formaliter, operans tamen ſecundùm illam, quæ reipſa falſa eſt, peccat materialiter contra legem, licèt hanc invincibiliter ignoret, quia facit hoc, quod reipſa eſt prohibitum, & in ſe diſpicens Deo. Deinde quamvis operans ſecundùm probabilem faventem libertati, moraliter ſit certus ſe non peccare formaliter, uti dubio præc. dictum eſt, tamen operans ſecundùm probabilem faventem legi adhuc eſt certior, quòd hoc agendo non peccet formaliter, eſt enim de hoc quaſi metaphyſicè certus, ergo in ultimo caſu format dictamen conſcientiæ longè certius, & firmius; dictamen autem certius, & firmius magis removet à periculo peccandi formaliter, ergo hoc ſenſu una opinio probabilis eſt etiam formaliter tutior, quàm altera, uti rectè Moya *n.* 56.

§. 2. Illa opinio dicitur tutior, quæ magis recedit à pericu- 472
lo legis tam materialiter quàm formaliter violandæ aut alterius mali incurrendi, v.g. hæc, non eſt licitum habere plures præbendas, eſt tutior, quia qui ſecundum hanc opinionem non habet plures præbendas, certò non ideò peccat; è contra ſi habeat plures, fortè ideò peccat materialiter, quia fortè illicitum eſt habere plures, quamvis etiam ſupponamus ipſi probabilius eſſe, quòd ſit licitum habere plures; ex quo patet opinionem probabiliorem non ſemper eſſe tutiorem, quia poteſt eſſe falſa, ac conſequenter inducere in peccatum materiale, à quo removet oppoſita minùs probabilis.

§. 3. Illa dicitur minùs tuta, quæ minùs removet à periculo 473
legis ſaltem materialiter violandæ aut alterius mali incurrendi, uti illa, licitum eſt habere plures præbendas, ſecundùm jam dicta. Quandoque Tò *minùs* tuta ſignificat idem, quod non ſatis tuta nec licitè practicabilis, quod colligendum eſt ex circumſtantiis verborum.

§. 4. Si ex utraque parte ſit periculum peccati, illa eſt tu- 474
tior, quæ removet à majore periculo ſimpliciter, vel à periculo majoris peccati, v.g. invenis moribundum dubiè diſpoſitum, quem ſi non abſolvas, exponis te periculo peccandi contra charitatem, quia non ſuccurris proximo in extrema forte neceſſitate periclitanti de ſalute; è contra ſi abſolvas, exponis te etiam periculo peccandi, quia fortè conficies irritum Sacramentum, quæ eſt irreverentia in Authorem Sacramenti: in hoc caſu opinio tutior eſt, quæ dicit abſolvendum, quia non abſolvendo, in primis incurris majus periculum peccandi ſaltem materialiter, quia longè probabilius eſt te in eo caſu teneri abſolvere ſaltem ſub conditione: deinde exponis te periculo majoris peccati, nempè contra charitatem, quæ eſt prima virtus, & excuſat, ſi quæ fiat materialis irreverentia occaſione Sacramenti propter homines inſtituti.

§. 5.

475 §.5. Caramuel putat opiniones laxiores, ſi ſint verè probabiles, eſſe omnium tutiſſimas, quia ſi quis velit ſequi ſtrictiores, obligabit ſe, & alios ad res difficillimas, ac continuò exponet plurimis periculis peccandi, partim ex malitia, partim ex negligentia, partim ex fragilitate humanâ: *ſed* Author ille non ſumit, *tutius*, in ea ſignificatione, in qua jam definivimus, nam certum eſt, quòd ſequens ſententiam rigidam favent em legi magis recedat à periculo peccati tam materialis quàm formalis, & ſequens laxam favent em libertati, magis ſe exponat periculo peccati ſaltem materialis; Unde Eſp. *in app. art.219. & ſeqq.* rectè iſta ſic componit, ut fateatur tutius eſſe operari hoc, quod vult rigida ſententia, attamen periculoſius eſſe operari ex obligatione rigidæ ſententiæ; ſicuti tutius erat Chriſtianos abſtinere à cibis lege veteri prohibitis, uti volebat S. Petrus, attamen periculoſius erat eos abſtinere tanquam ex obligatione, hinc S.Paulus in faciem reſtitit Petro, uti expendit S. Th. *lect.3. ad c.2. Epiſt. ad Galatas*. In eundem ſenſum dicit Silveſt. *v.Confeſſio 2. quæſt.2.n.4. Licèt ſit tutius ſtatim confiteri quam differre, non tamen tutius eſt tenere, quod ſic obligemur, quia viri timorati haberent maximas occaſiones peccandi*: & ideo etiam Palav. *t.2.d.9.q.4.art.2.n.12.* ſapienter dixit, *Lex, per quam juberemur facere omnia optima, eſſet peſſima, & inobſervabilis, ac perpetua cauſa peccati, & damnationis*. In eundem ſenſum ait Suar. *T.2. de relig. t.4. l.2. c.33. n.3.* loquens de benigna interpretatione juramenti, *Neque tunc omittitur pars tutior, quia hæc eſt tutiſſima & practicè certa, & ſecundùm rectam rationem & interpretationem poteſt dici tutior, quia majus periculum animarum incurreretur, ſi tot vincula in caſibus dubiis, eis injicerentur*. Vide dicenda *n.510.*

476 *Q.62. An ſit obligatio in quibuſdam materiis ſequendi partem tutiorem?* R. Affirmativè, nam

§.1. Eſt obligatio ſequendi tutiora in illis omnibus materiis, in quibus, etiamſi adſit ignorantia invincibilis, nec pars probabilis, nec etiam probabilior juvat ad hoc, ut obtineatur finis intentus, ad quem procurandum eſt obligatio: ſic in illis, quæ ſunt de neceſſitate medii ad ſalutem, uti eſt v. g. Baptiſmus in aqua naturali, per hæc verba, *Ego te baptizo, &c.* eſt obligatio ſequendi partem tutiorem, quia ſi circa illa erretur, etiam invincibiliter, & ſequendo opinionem probabiliorem, hæc nihil juvant, nec facere poſſunt, ut vel talis Baptiſmus non ſit neceſſarium medium ſalutis, vel ut reipſa ſit poſitus, ſi quid ſubſtantiale omittatur. Idem eſt in adminiſtratione, & ſuſceptione Sacramentorum, ſi enim ſint opiniones oppoſitæ circa aliquid concernentes valorem, ſequenda eſt tutior, quia minus tuta, licèt fortè ſit probabilior, & quis bona fide ſecundùm illam operetur, facere non poteſt, ut vel tale aliquid non ſit de valore Sacramenti, vel Sacramentum ſit validum, ſi illud omittatur, uti pluribus dicetur *lib.6.p.1. à n.*104. Similiter Medici, Advocati aliique ſimiles, qui per contractum, vel quaſi contractum ſe obligarunt ad procurandam alicui ſanitatem vel victoriam cauſæ, hoc ipſo ſe obligarunt ad adhibenda media, quæ judicaverint tali fini accommodatiora, qualia ſunt, quæ judicant eſſe tutiora, licèt occurrerent etiam alia probabiliora, vel plauſibiliora; mens enim illorum, qui ipſorum operam conducunt, eſt, ut talem finem, quantum poterunt, tutiſſimè aſſequantur, ad quod nil faciet opinio probabilior aut plauſibilior, niſi ſimul ſit tutior; & idem eſt in aliis ſimilibus materiis.

477 §.2. Etiam eſſet obligatio ſequendi tutiora, ſi quis ad hoc ſe obligaſſet voto, vel ad id adſtrictus eſſet per legem, aut per mandatum Superioris, uti per ſe patet.

478 *Q.63. Quibus argumentis probetur licitum eſſe in aliis materiis ſequi opinionem probabilem relicta tutiore?* R. In primis, eiſdem ferè, quibus *à n.*268. probavimus licitum eſſe ſequi probabilem relicta probabiliore; deinde etiam aliis, quibus ſimul ſumptis puto ſententiam noſtram eſſe demonſtratam, ſunt autem ſequentia.

479 §.1. Rectè ſic argumentatur Moya *de op.prob.q.5.§.1.* Eccleſia, & Pontifices diſpenſant in votis ſolemnibus contra opinionem tutiorem S.Thomæ, qui negat id licere: Item diſpenſant in Matrimonio rato, non obſtante tutiore S.Bonav. Scoti, & aliorum etiam negantium id licere. Item *Cap. Laudabilem, de frigid.& malef.* dicit Eccleſia, impotentes poſſe ad triennium experiri uſum copulæ, ubi tamen in dubio de valore contracti Matrimonii tutius eſſet abſtinere: Item ſubditus in dubio belli injuſti licitè militat ſecundùm *S. Aug.* & quivis ſubditus in dubio, an imperetur aliquid illicitum, licitè obedit, uti dictum eſt *à n.*432. & tamen tutius eſſet iſta deprecari à Superiore: Item adverſarii acceptant Præbendas, ducti opinione incerta, an ſint digniores, quàm cæteri, cùm tamen tutius eſſet abſtinere: Denique omnes SS.PP.& ſpeciatim S.Thom. docuit aliqua minùs tuta tanquam licita, uti evidenter oſtendunt Moya §.3. & Card. *in 1. criſi d.66. à n.*378. v.g. non eſſe obligationem ſtatim confitendi mortale, per hauſtum non frangi jejunium &c. ergo.

§.2. Id licere, docent Authores communiſſimè, non tantùm illi, qui dicunt licere ſequi minùs probabilem, quorum plurimos recenſuimus *n.269.* ſed etiam illi, qui volunt ſenſum probabiliorem, exceptis paucis, quorum præcipuos adducemus, q.ſeq. Eſt autem prudentis ſequi communem ſententiam DD. ferè omnium, uti *n.270.* dictum eſt, nam ſi illi prudenter ita docuerunt, nos prudenter eos in operando ſequimur, uti *à num.*285. probatum eſt, ergo. 480

§.3. Nullam poſſemus invenire legem, quæ obliget ad tutiora, aut ſaltem lex illa non eſt ſufficienter promulgata nec nobis applicata, ergo prudenter judicamus, vel non eſſe talem legem vel ſaltem nos per illam non obligari, uti dictum eſt *à n.*272. Ac conſequenter nos excuſat ignorantia invincibilis, ut ibid. *à n.*282. eſt dictum; & Deus permittit nos operari ſecundùm minùs tutam, uti à pari de minùs probabili dictum eſt ibid. *à n.*291. 481

§.4. Qui operatur ſecundùm probabilem relicta tutiore, operatur prudenter, quia operatur ex gravi fundamento, imò ex majore fundamento, eſt enim certum, quòd ex authoritate, & ratione longè probabilius ſit ita licere operari quàm non licere, ergo operatur licitè, ſecundùm dicta *ibid. à n.*289. *& à n.*298. 482

§.5. Idipſum videtur manifeſtè ſequi ex prop.3. ab Alex. VIII. damnata, *Non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam:* ex qua damnatione ſic argumentor: licitum eſt ſequi inter probabiles probabiliſſimam, ſed probabiliſſima non ſemper eſt tutior, ergo licitum eſt ſequi, non ſemper tutiorem. *Maj.* eſt certa, cùm ſit contradictoria damnatæ: *Min.* etiam certa eſt, patetque in exemplo, v.g. una ſententia dicit obligari nos confiteri ſtatim poſt mortale commiſſum, alia negat; negans eſt probabiliſſima, affirmans eſt tutior, neque tamen quiſquam dicet omnes peccare, qui non ſequuntur affirmantem, alioquin omnes peccarent de novo mortaliter, qui mortale commiſſum ſtatim non confiterentur. 483

Reſpondent. Ideò damnari propoſitionem illam, quia indefinitè negat licitum eſſe ſequi probabiliſſimam, cùm licitum ſit ſequi in neceſſitate, & materia facti, v.g. ſi probabiliſſimum ſit aquam, quam habes, eſſe naturalem, potes baptizare. *Contra eſt*, 1. Nemo unquam dubitavit, quin licitum ſit ſequi probabiliſſimam in neceſſitate, in hac enim licitum eſt ſequi etiam minùs, imò & tenuiter probabilem, uti *n.366.* eſt dictum; neque propoſitio damnata loquebatur de caſu neceſſitatis, ergo damnatio etiam non eſt eò detorquenda. 2. Ideò licitum eſt ſequi probabiliſſimam in materia facti, quia illam probabiliſſimam fundat prudens dictamen ultimum conſcientiæ, ſed idem eſt in materia juris, uti patet, ſi applicentur dicta *à n.*303. ergo. Hinc

§.6. Ex eadem damnatione conficitur hoc argumentum; ſi non eſſet licitum ſequi probabilem relicta tutiore, foret ideò, quia in probabilitate non poſſet fundari prudens dictamen practicum, atqui in probabilitate poteſt fundari prudens dictamen practicum, ergo. *Maj.* eſt Adverſariorum. *Min.* præterquam quòd probata ſit *à n.*303. etiam hic probatur argumento jam inſinuato, nam probabiliſſima inter probabiles eſt tantùm probabilis, cùm non excedat fines probabilitatis, ſed in probabiliſſima inter probabiles, fundari poteſt prudens dictamen practicum; ergo. *Min.prob.* ex citata damnatione, quia ſecundùm quam licitè operor, debeo in illa fundare prudens dictamen practicum, atqui ſecundùm probabiliſſimam licitè operor, ergo. 484

§.7. In materia fidei non eſt obligatio ſequendi tutius, nam in materia de Conceptione B.Virginis, licitum eſt credere eſſe Immaculatam, eſt etiam licitum Dominicanis contrariam ſententiam tenere, quamvis tutius foret judicium ſuſpendere; ergo etiam in materia morum non eſt obligatio ſequendi tutius, materia enim fidei eſt majoris momenti; & ſi eodem modo non liceret in materia morum, peccarent qui ad honorem Immaculatæ Conceptionis erigerent altaria, recitarent Officia, &c. quod certò falſum eſt. 485

§.8. Obligatio ſemper ſequendi tutiora eſſet onus irrationabile, certum enim eſt dubia circa leges eſſe frequentiſſima, ſive leges ejuſmodi dentur ſive non; ergo qui homines in omni dubio obligat ad tutiora, certò inducit plurimas leges, quæ non ſunt à Deo, ſicque addit ad verbum Dei, & onera indebita imponit ſuper humeros hominum, quod Scriptura prohibet *Deut.2.v.4.* & ſæpè alibi. *Si dicas*, etiam illum, qui univerſaliter negat obligationem ſequendi tutiora, tollere aliquas leges, quia certum videtur, quod aliquando ſit lex pro parte tutiore; *Contra eſt*, quando illa eſt, eam agnoſcimus uti *à n.*476. dictum eſt: in aliis autem caſibus dubiis dicimus illam, ſi detur, non obligare proximè, eò quòd non ſit ſufficienter applicata, uti pluribus oſtenſum eſt *à n.*273. quod non eſt eam tollere, ſi enim eſt lata, manet, & etiam nos obligabit proximè, ſi ejus notitia ſatis innotuerit. 486

§.9. Eadem obligatio ſemper ſequendi tutiora eſſet onus intolerabile, nam ſic nunquam poſſemus ſequi opinionem 487

etiam

etiam probabiliorem *S. Auguſt.* vel *S. Th.* vel quorumcunque DD. faventem libertati contra legem; teneremur omni tempore elicere fidem, ſpem, amorem Dei, contritionem; teneremur omnes actiones ſemper actu, & formaliter referre ad Deum, omni die feſto conteri de peccatis, confiteri omnes circumſtantias aggravantes, amplecti omnia conſilia Evangelica: item teneremur ad omnes ſententias rigidiores in materia jejunii, Horarum, &c. Superiores non auderent plurima præcipere, nec ſubditi obedire, ubi eſſet etiam minus probabile periculum peccati; Medici non auderent præſcribere medicinas, quia plerumque neſciunt, quænam ſit tutior, foretque tutius omninò nullam adhibere. Si Cajus per culpam venialem intulerit damnum Titio, Cajus tenebitur reſtituere, ne pergat eſſe injurius Titio, neque tamen poterit acceptare Titius, ne rem non ſuam acceptet titulo juſtitiæ, &c. vix ullus poſſet abſolvi, quia vix ullus habet propoſitum ſemper ſequendi tutiora, hæc autem omnia ſunt contra communem ſenſum, & praxin fidelium. Denique nec adverſarii ſemper docent, & multò minùs ſemper practicant tutiora, uti experientia patet, quia id nempe eſt impoſſibile. *Sunt etiam in nobis*, inquit S. Ambr. in Pſalm. 118. *qui habent timorem Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſſit humana conditio ſuſtinere: timor in eo eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplinæ, opus virtutis exigere; ſed inſcitia in eo eſt, quia non compatiuntur naturæ, non æſtimant poſſibilitatem.*

488 §.10. In dubio particulari, an aliquid faciendum ſit ſub peccato necne, ſtandum eſt pro parte benigna, uti *n.*294. dictum eſt, ergo multò magis in hoc dubio univerſaliſſimo, & ſtrictiſſimè reſtringente poſſeſſionem humanæ libertatis. Videri poteſt Moya *tota q.*5. *ubi n.*6. dicit ſententiam oppoſitam vergere in totalem animarum perniciem.

489 *Q.*64. *Quæ ſint, & quomodo ſolvantur argumenta ſententiæ contrariæ?* R. Præter illa, ad quæ dub. præced. reſpondimus præcipuè ſunt ſequentia.

*Objic.*1. Eſt obligatio ſequendi tutiora in quibuſdam materiis, uti *n.*476. dictum eſt, ergo in omnibus. R.n.conſeq.quoad materias *n.*476. notatas non juvant nequidem major probabilitas, neque ignorantia invincibilis, ut obtineatur finis intentus, uti ibi dictum eſt; in aliis materiis juvant probabilitas, & ignorantia invincibilis, non tantùm ad evitandum formale peccatum, uti *à n.*268. probatum eſt, ſed etiam ad honeſtè operandum, uti etiam probatum eſt ibidem, & *à n.*14. Atque hic eſt totus immediatus finis ejuſmodi aliarum opinionum Moralium circa alias materias verſantium.

490 *Objic.*2. Multi Canones & SS.PP. dicunt *tutiora eſſe ſequenda: tenendum certum, dimittendum incertum: in his, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus, in dubiis ſemitam debemus eligere tutiorem: in iis, quæ ad animæ ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graves morſus conſcientiæ, pars ſecurior tenenda eſt*, uti habet Clemens V. *Cap. Exivi, in Clem. de verb. ſignif.* ſimiliter Scotus *in prologo ad lib. ſent. p.*2. *in fine* ſic habet, *Si objicias, multa in actibus humanis ſunt dubia, utrùm ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum & Expoſitorum:* reſpondet, *non eſt dubia via ſalutis ſimpliciter, quia à talibus tanquam à periculoſis debet homo ſibi cavere & cuſtodire ſe, ne homo, dum ſe exponit periculo, incidat in peccatum: quòd ſi noluerit quærere ſalutem, ſed non curando exponat ſe periculo, ubi fortè de genere actus non eſt peccatum mortale, tamen peccabit mortaliter ſe tali periculo exponendo.* R. Iſta dicunt pro quibuſdam caſibus, v.g. quando in quæſtione facti ponendi, agitur de valore actus, aut quando ſententia oppoſita eſt tantùm dubia, & non verè probabilis, aut quando manet dubium practicum, & nequidem per motiva reflexa formari poteſt dictamen practicum, denique ſæpè talia dicunt per modum conſilii, c. dicunt iſta pro omni caſu, quando eſt quæſtio juris, & quando oppoſitum eſt verè probabile, poteſtque ob novas circumſtantias, & motiva reflexa formari conſcientia, denique dicunt ſemper per modum præcepti, n. Videri poſſunt Moya *de op. prob. q.*6. *n.*34. & Carden. *in* 1. *criſi d.*56. *à n.* 1065. ubi adducunt graviſſimos Authores teſtantes ejuſmodi regulas plerumque eſſe tantùm de conſilio: ſufficiat S. Antoninus *in Summa* 1. *p. tit.*3. *c.*10. *§.*10. *Reg.*6. ubi ſic habet, *Eligere viam tutiorem, conſilii eſt, non præcepti.* Videri poteſt etiam Eſp. *in app. ab a.*165. *uſque ad* 187. Item Terill. *in Reg. q.*54. *à nu.* 60. & iterum *q.*55. ubi accuratiſſimè ad illas citationes aliaſque plures reſpondent. *Clemens V.* dicit hoc tantùm pro conſilio, ne remorſus conſcientiæ oriantur, quia ſaltem indocti timere poſſunt, an non fortè operentur cum dubio aut ex opinione non ſtrictè probabili. *Scotus* ibi tantùm agit de illis, quæ ſunt & manent operanti dubia, etiamſi cognoſcantur oppoſitæ DD. opiniones; nos loquimur de operante cum judicio prudente de probabilitate opinionis, inde formante ſibi conſcientiam practicam. Alia, quæ ex *Scoto* adducit *Gonet*, nihil concludunt, uti rectè oſtendit Eſp. *a.*163. poteſtque etiam de mente Scoti videri Terill. *hic q.*22. *à n.*151.

*Obji.*3. Omnis prudens in negotiis temporalibus eligit 491
partem tutiorem, v. gr. imprudens eſſet, qui ſciens viam A eſſe ſecuram à latronibus, ingrederetur viam B latronibus quandoque infeſtam; item, qui medicinam certò ſanaturam relinqueret, & uteretur alia probabiliter tantùm ſanatura; hi aliique ſimiles ideò imprudenter agerent, quia non eligerent tutius; ergo id multò magis valet in via ſalutis, & in negotio animæ, ita *Mercorus*. Reſpond. n. conſeq. diſparitas eſt manifeſta, nam in negotiis temporalibus idem damnum ſequitur, ſive error meus ſit vincibilis ſive invincibilis, ſive formalis ſive materialis tantùm, neque eſt aliquid, per quod removeatur periculum talis damni, v.g. opinio mea, qua judico viam B non habere latrones, me non reddit ſecurum, ſi reipſa in ea ſint latrones, quia latrones removere non poteſt, neque facere, ut non noceant; ſimiliter opinio, ex qua eligo medicinam hanc præ illa, non poteſt facere, ut illa, quam eligo, ſit ſalubrior: è contrà in via ſalutis & in negotio animæ habeo aliquid, per quod removetur periculum damni ſive peccati formalis, quia ſuppoſita probabilitate opinionis faventis libertati, & ignorantia invincibili legis contrariæ, prudenter formo dictamen conſcientiæ, ex quo licitè operor, ſecundùm dicta à *num.*268. *& à nu.*303.

Inſt. Videns à longè ſe aliquid movere, & neſciens, an 492
ſit homo, an fera, quamvis probabilius putet eſſe feram, imprudens eſt, ſi jaculetur, nam ſi reverà eſſet homo, jaculando fieret homicida, ideoque debet tutius amplecti, & non jaculari, ergo etiam homo ſemper imprudenter agit relinquendo tutius, quamvis etiam vellet amplecti id, quod eſt probabilius, ita *Baronus*. Conf. nam hortulanus, qui ſupra murum ejicit parvum lapidem, prudenter agit, quando probabiliter putat neminem eſſe poſt murum; è contrà agit imprudenter, ſi ejiciat magnum lapidem, quo poſſet occidere eum, qui ibi eſſet, quamvis hic, & nunc probabiliter judicet neminem ibi eſſe; ſed ideò imprudenter agit, quia non agit tutius, ubi periculum eſt damni gravis, ergo ſimiliter, ubi eſt periculum agendi contra legem Dei. Reſpond. n.conſequ. quamvis enim probabilius ſit eſſe feram, tamen probabile non eſt licere jaculari, adeòque probabilitas illa non eſt practica ſed ſpeculativa tantùm: cujus Ratio jam data eſt, quia opinio jaculantis non poteſt removere periculum occidendi, neque hic eſt aliquid, quo impediatur homicidium, ſi reipſa ſit homo, ergo ſic jaculans exponit ſe periculo probabili occidendi hominem, ergo peccat formaliter: oppoſitum eſt in noſtro caſu, uti paulò ante dictum eſt. *Ad Conf.* eſt eadem reſponſio, quamvis enim ſpeculativè probabile ſit neminem eſſe poſt murum, tamen non eſt practicè probabile, quòd ſit licitum ejicere ejuſmodi magnum lapidem, ſi prudens ratio ſit timendi, ne ibi ſit homo, nam hortulanus ille poteſt reſcire veritatem, & videre, vel ſaltem inclamare, an fortè ibi non ſit homo, ergo non excuſatur per ignorantiam invincibilem; deinde illa opinio ſua, quòd ibi non ſit homo, nec poteſt facere, ut ibi non ſit homo, nec cavere damnum, ſi fortè ibi ſit homo, ergo illicitè projicit: oppoſitum eſt in caſu noſtro, uti *num.* 491. dictum eſt. Videri poteſt Teril. *in Reg. quæſtion.*39. *à num.*18.

*Objic.*4. Ex lege charitatis tenemur obſervare mandata Dei, 493
quantùm poſſumus, ſed qui non ſequitur tutiora, non obſervat mandata Dei, quantum poteſt, ergo. Ita *Mercor.* R. Tenemur, quantùm abſolutè poſſumus, n. hoc enim eſt tantùm conſilii, & perfectionis: tenemur quantùm poſſumus, cum moderamine, id eſt, eo ſaltem modo, ut caveamus omnem offenſam formalem Dei, c. hoc autem facit, qui ſequitur probabilem relicta tutiore, uti conſtat ex ſæpe dictis.

*Objic.*5. Illa opinio eſt eligenda, quæ nullum habeat dubi- 494
tandi locum, ſeu cui nulla ſubſit ſuſpicio, quòd res ſit illicita, ſed hoc facit ſola opinio tutior, ergo. Ita *Baron.* R.1. Si argumentum valet, ergo eligi non poteſt probabiliſſima ſtans pro libertate contra legem. R.2.n. maj. vel diſt. quæ nullum habeat dubitandi locum, quantum eſt ex vi motivorum judicii directi, niſi ſpectentur motiva judicii reflexi & dictaminis ultimi, c. & patet ex dictis à n.303.

*Q.*65. *Quid notandum ſit circa hoc axioma; In dubio me-* 495
lior eſt conditio poſſidentis? R. Sequentia.

§.1. Traditur hoc axioma in Regulis Juris; Reg. Juris 65. in 6. *In pari delicto vel cauſa potior eſt conditio poſſidentis: ff. de Reg. Juris Reg.*128. *In pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet.*

§.2. Hoc axioma fundatur in jure naturæ, uti rectè Carden. 496
in 1. *criſi d.*56. *n.*1241. ſic enim, etiam præſcindendo à legibus humanis, foret contra jus naturæ poſſeſſorem ſpoliare ſua re propter ſuperveniens dubium: Item contra jus naturæ foret, ſi debitor dubius, qui rem ſuam poſſidet, deberet præſtare certam ſolutionem: & rationes adducuntur n.500.

§.3. Senſus illius axiomatis eſt, quòd quando neutra pars 497
ſufficienter probatur, poſſeſſoris cauſa debeat ſuſtineri, uti explicat Lugo *de juſt. d.*17. *n.*94.

§.4. Pro foro interno non habet locum in poſſeſſione 498

malæ fidei, quia nec jus naturæ nec poſitivum vult, ut quis ex delicto ſuo reportet commodum: pro foro tamen externo, etiam malæ fidei poſſeſſor quandoque defenditur, uſquedum probetur rem non eſse ipſius, ut dicetur *l.3.p.2.n.106.& 101.*

499 §.5. Lugo *in Reſp.Moral.l.1.dub.4.* contendit non tenere, niſi ubi eſt par jus & ſimilis cauſa: ſimiliter Teril. *in Reg.q.56. n.14.* ait, ſi ex una parte videatur eſse jus probabilius, Regulam, prout jacet in terminis, non ita ſervire, ut in caſu dubii aut cauſæ paris: Item *n.27.* dicit non habere locum, ſi Judex, vel privatus exiſtimet probabilius eſse, quod jus non ſit poſſeſſoris: rectè tamen etiam dicit *n.24.* licèt mihi probabilius ſit rem ab alio poſſeſsam eſse meam, non ideò mihi licere privata authoritate eam vendicare, ut dicetur *l.3.p.2.n.469.*

500 §.6. Tenere in materia juſtitiæ cenſent communiter omnes contra Adrian. Sòt. Arrag. & paucos alios: hinc Authores reliqui cum Teril. *num.2.* inferunt, ſi poſt inquiſitam veritatem permaneat dubium, poſſeſſorem juſtè retinere totum, tum quia ita declarant Regulæ Juris citatæ, tum etiam quia poſſidens eſt veluti Reus, alter autem, qui eſt petitor, eſt actor, habetur autem Reg.154. ff. de Reg. Juris; *Cùm par delictum eſt duorum, ſemper oneratur petitor, & melior habetur poſſeſſoris cauſa.* Item Reg. Juris in *6. Cùm ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs quàm actori.* Rationes aliæ ſunt, in primis quia uterque æqualis eſt quoad reliqua, ergo poſſeſſio, quæ uni competit, facit hunc prævalere: deinde ad bonum commune, & publicam quietem ſpectat res non facilè immutari, ſed manere in ſtatu, in quo inveniuntur, uti rectè Palav. Breſſ. Eliz. *l.4.q.12.ſ.4.* Prætereà, quamvis poſſeſſio ſit quid indifferens ad jus, & non jus, cùm jus poſſit eſſe ſine poſſeſſione, & poſſeſſio ſine jure, ideoque poſſeſſio ratione ſui præcisè non reddat jus in ſe nequidem probabile; ſed relinquat rem in dubio ſpeculativo, uti rectè Teril. *à num.15.* contra Eliz. tamen poſſeſſio cauſat quandoque titulum, ſi enim ſit diurna, fit uſucapio ſeu præſcriptio ex vi legum ita ſtatuentium, ne dominia maneant ſemper incerta, unde ubi eſt poſſeſſio, eſt aliqua præſumptio antecedentis tituli ſive juris, inquit *Sanch.* ideoque formari poteſt conſcientia de licita retentione rei poſſeſſæ: Denique quia meritò plus requiritur ad auferendum aliquid ab aliquo, quàm relinquendum habenti, inquit rectè *Eliz.* ergo ſtandum eſt pro poſſidente. Addit Teril. *num.7.* petitorem non poſſe habere jus, nam jus includit legem faventem huic, & gravantem alios, quam non habet petitor, cùm ei faveat tantùm dubia lex, quæ non obligat ſecundùm dicta *à num.272. & 274. Nec obſtat,* quod multi doceant titulum poſſeſſionis non ſufficere Conjugi ad petendum debitum in dubio de valore Matrimonii, *nam* etiam multi tenent oppoſitum, uti dictum eſt *n.268.* Hoc tamen dato, diſparitas eſt, quòd lex abſolutè vetans copulam, niſi reſciatur de valore Matrimonii, ſit in anteriore poſſeſſione, è contra non conſtat de ulla lege priore favente petitori & gravante poſſeſſorem, ſed potiùs conſtat de lege oppoſita favente poſſeſſori contra quemcumque alium.

501 §.7. Quamvis pro poſſeſſore non ſit probabile argumentum, ſi tamen pro petitore non ſit argumentum niſi probabile, poſſeſſor adhuc licitè retinet, quia poſſeſſio eſt jus certum retinendi, & contra legitimam poſſeſſionem non prævalet niſi certitudo, uti pluribus dicetur *l.3.p.2.n.463.*

502 §.8. Axioma illud valet, non tantùm in materia juſtitiæ, ſed etiam in aliis, ita Suar. *1.2.tract.3.d.12.ſ.5.num.8. & de cenſur.d.40.ſ.5.num.15.* Sanch. *in decalog.l.1.cap.10.à num.10. & de matrim.l.2.d.41.n.32.* Caſtrop. *d.3.par.6.* Ovied. *controv.4.p.6.* Dicaſt. *de Euchar.d.9.num.299. item de cenſ. d.8.à num.24. item de matrim.d.9.à dub.11.* Lugo *de juſt.d.17.n.87. & d.23.n.110.* Teril. *hic quæſt.23. & 26.* Item *in Reg. qu.57.* Jo: Sanch. *in ſelect. d.42. num.7.* Banholt. *num.55.* Stoz. *l.1.par.5. num.125.* citans alios, & dicens eſſe plurimorum. Moya *de op.prob.q.6.à num. 15.* apud quem plures quàm 30. tenent nobiſcum: conſentiunt Bonac. Tann. Fill. Diana, Sporer *num.75.* vocans nunc receptam. Item Laurent. *num.139.* ſaltem ſi materiæ illæ in primo ſui eſſe pendeant à libertate noſtra. Eſt autem contra Azor. Vaſq. Salas, Turr. Comit. Sayr. Perez, Verjuis, Mercor. Gon. Eliz. *l.4.qu.13.* Gonz. *d.7.§.12.* Camargo *par.1.l.1.controv.9.* qui dicunt tantùm valere in materia juſtitiæ: ſed *Probatur,* nam in primis valet in materia obedientiæ, cùm enim Superior ſit in poſſeſſione poteſtatis ad imperandum, ſubditus in dubio, an id, quod imperatur, ſit peccatum, tenetur obedire, uti ex Jure Canonico, SS. PP. & ratione probatum eſt *à num.432.* Deinde idem valet in materia religionis, nam v.g. dubius de voto non tenetur, quia libertas, quæ ſecundùm *Reg.122. ff. de Reg. Juris,* omnibus rebus eſt favorabilior, in poſſeſſione eſt, uti dicetur *l.3.p.1.à num.381.* Prætereà in materia fidelitatis, nam in dubio, an Matrimonium valeat, tenetur conjux reddere debitum, quia pro altero conjuge bona fide petente debitum, eſt poſſeſſio, uti *num.268.* eſt dictum, & pluribus dicetur de Matrimonio. *Ratio* à priori horum omnium eſt, nam præcipuè ideò valet in materia juſtitiæ, quia homo poſſidens habet aliquam præeminentiam, ſive plus juris, ut non privetur re niſi probetur non eſſe ſuam, ſed idem eſt in aliis materiis, quia homo per poſſeſſionem acquiſivit jus retinendi id, quod habet, ideoque poteſt in hoc ſtare, donec probetur eum non debere habere, ergo.

§.9. *Objic.1.* In materia juſtitiæ lis eſt inter æquales, hinc 503
favor eſt pro poſſidente, ſed in materia aliarum virtutum lis eſt inter legem Dei, & hominem, ergo meritò favendum eſt Deo, ſicuti in dubio favetur Eccleſiæ, cauſæ piæ, doti, Matrimonio, ſecundùm dicta *n.460.* R. Quòd in dubio faveatur Eccleſiæ, &c. naſcitur à lege poſitiva id ſtatuente qualis non eſt, quando dubitatur de lege Dei, de quo præſumimus, quòd pro benignitate ſua in caſu dubio legis obligare nolit; unde nihil ad rem facit inæqualitas perfectionis inter Deum, & hominem, uti patet in caſu impotentis ad Matrimonium, in quo conjux licitè petit debitum, licèt lis ſit inter hominem, & ſolam legem Dei vetantis copulam cum non ſua.

Inſt. Ergo dubius de homicidio poterit judicare ſe non eſ- 504
ſe irregularem, quod eſt apertè contra jus Canonicum. Reſp. n. ſeq. nam de ſolo illo caſu ſpecialiter diſponit Pontifex, ut in dubio cenſeatur contracta irregularitas; in aliis nihil ſpeciale diſponit.

Objic.2. Si axioma valet etiam in aliis materiis, ergo ſicuti 505
per poſſeſſionem in materia juſtitiæ præſcribitur contra jus alterius, ita in materia aliarum virtutum præſcribetur etiam contra jus naturæ. R.n. conſ. quòd præſcribatur jus contra alterum, eſt ex diſpoſitione legum poſitivarum, quæ dominia transferunt: è contra tales leges non ſunt in aliis materiis, neque ulla lex poſitiva poteſt mutare materiam juris naturalis.

Objic.3. Lex naturalis & divina eſt æterna, adeoque ante- 506
cedit libertatem noſtram, ergo libertas noſtra non poteſt eſſe in poſſeſſione contra leges illas. R. Lex naturalis & divina, de qua dubitatur, vel datur vel non datur; ſi non datur patet, quòd non antecedat libertatem noſtram: ſi datur, cùm ſit dubia & invincibiliter ignoretur, non habet proximè rationem legis defectu ſufficientis promulgationis vel applicationis, adeòque non poteſt dici antecedere libertatem noſtram, quæ certa eſt. Vide dicta *n.277.*

Inſt. Vel loqueris de libertate tua Phyſica vel de morali; 507
non de Phyſica, hæc enim maneret, quamvis lex contraria agnoſceretur, & tamen tum non poſſideret contra legem: nec de morali, nam de hac ipſa dubitatur, an adſit, quando dubitatur de lege, ergo hæc non eſt in certa poſſeſſione, contra legem. R.1. Idem ſolvendum eſſe omnibus circa poſſeſſionem libertatis in materia juſtitiæ. R.2. Nos loqui de libertate Phyſica, cui propter ignorantiam invincibilem bona fides ab initio conjuncta fuit, hæc autem libertas eſt in certa poſſeſſione, & non fuiſſet, ſi lex contraria agnita fuiſſet, uti per ſe patet: iſta autem poſſeſſio libertatis Phyſicæ prout conjunctæ cum bona fide, & ignorantia invincibili fundat in nobis certam poſſeſſionem libertatis moralis ad operandum, non obſtante dubio, quod ſupervenit, de exiſtentia legis.

Objic.4. Regulæ juris habent, quod in dubiis pars tutior ſit 508
eligenda, ergo in dubiis non juvat poſſeſſio. Reſp. n. conſ. quis ſit ſenſus regularum de parte tutiore ſequenda, diximus *n.490.* Poteſtque etiam videri Jo: Sanch. *in ſelect.d.42.n.13.* ubi declarat, quomodo regulæ illæ, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis, In dubiis pars tutior eſt eligenda,* planè concordent.

Q.66. Pro quo cenſeatur eſſe poſſeſſio? Reſp. Pro illo, pro 509
quo eſt præſumptio juris, ſive, qui onus probandi in alterum transfert, ipſe autem ſe tantùm quaſi defendit, ita Bardi *diſcept.5.cap.5.* rectè addens *diſcep.6.c.11.p.3.ſ.2.* ad illum pertinere probationem, qui ſupra rem illam ſe fundat: v.g. incolo domum, ideoque præſumor habere jus in illa, eamque poſſidere, quòd ſi quis de hoc dubitet aut me exturbare velit, ipſi incumbit probare, quòd non ſit mea, nec ego teneor poſitivè probare eſse meam, ſed me tantùm defendere, dicendo me fuiſse & permanere dominum, & cùm alter, qui de hoc dubitat & me vult exturbare, fundet ſe in hoc quòd domus illa mea non ſit, hoc probare incumbit ipſi, quia *quiſque debet probare id, ſupra quo ſe fundat, L.2.ff. de probat.* Bartolus *in L. de ætate, ff. De Minoribus.* Plura de poſſeſſione dicentur *l.3. p.2.à n.407.*

Q.67. An conſultius ſit ſe, & alios dirigere ſecundùm 510
opiniones rigidiores, an ſecundùm benigniores? Reſp. De hoc aliquid dictum eſt *num.475.* & plura dicentur *de pœnit. ad cap.2. dub.6.* ubi de prudentia Confeſſarii: Hic verò notandum, quod refert Moya *de op.prob.q.5.num.45.* nempe in Gloſſa ad prolog. Conſtit. Ordinis Prædicatorum ſapienter notari, quòd ſalus animarum multùm impediatur nimia auſteritate in conſiliis, & opinionibus, ideòque mandatur relaxatio, & præſcribitur, ut homines benignè tractentur. S. Auguſt. *l.3. contra Epiſt. Parmen.cap.1.* queritur de aliquibus, *qui ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigidæ ſeveritatis obtendunt.* Nec

du-

dubium eſt, quin id ſuggerat dœmon, *qui, ut ibid. in fine* ait, S. Aug. *per imaginem quaſi juſtæ ſeveritatis crudelem ſævitiam perſuadet, nihil aliud appetens venenoſiſſima verſutia ſua, niſi ut corrumpat atque diſrumpat vinculum pacis, & charitatis.* Similia habet Gerſon. *de vita Spirit. lect. 4. Corol. 11.* E contra tamen etiam obſervanda ſunt hæc verba Sporer *num. 34. Qui ſi diosè inquirunt in ſententias benignas & faventes ſibi, ſecundùm quas agant, communiter agunt periculosè, quia vehemens illa inclinatio ad unam partem ſæpè facit, ut non conſiderentur omnes circumſtantiæ ad rem facientes, nec debitè ponderentur rationes in oppoſitum: omninò autem malè procedit, ſi tantùm intendat invenire Authorem vel opinionem ſibi faventem, ut ſic coloret ſuum factum, non curando, quo fundamento vel ratione nitatur, nam ex tali opinione, neque conſcientiam practicè certam formare poteſt, nec conſequenter honeſtè, & licitè operari.* Univerſaliter loquendo, ſemper præferendæ ſunt illæ ſententiæ, quæ hic & nunc magis expediunt ad ſalutem animarum, uti *l. c.* dicetur, *vide dicta n. 469.*

CAPUT III.

511 *Quid conſcientia ſcrupuloſa, & quid in ea agendum.*

Reſp. I. Scrupulus eſt inanis apprehenſio, & hinc ortus timor & anxietas, alicubi eſſe peccatum, ubi non eſt. Ita communiter, Navarr. Azor. cæteri.

Reſp. II. Licet operari cum conſcientia ſcrupuloſa, manente ſcrupulo, dummodo judicetur eſſe ſcrupulum, & ut talis contemnatur. Neque tamen opus eſt, ut ad ſingulos actus formetur hoc expreſſum judicium, quòd ſit ſcrupulus; ſed ſufficit, quòd contra eum agat ex habituali vel virtuali judicio ab experientia præteritorum actuum. Ratio eſt, quia talis nulli periculo ſe exponit: cùm ad benè operandum ſufficiat judicium probabile aliquid licere: ſcrupulus autem, cùm ex levi fundamento procedat, non tollit judicium practicum probabile, Sanch. *l. 1. c. 10. n. 79. &c.* Regin. Becan. Fill. *t. 21. n. 176.*

Reſp. III. Signa Conſcientiæ ſcrupuloſæ ſunt. I. Pertinacia judicii, qua Doctorum conſiliis non acquieſcunt, unde varios conſulunt, & fatigant, ac tandem nullius judicio ſtant niſi ſuo. II. Ex levi apparentia frequens judiciorum mutatio: unde oritur in agendo inconſtantia. Sic v. g. in Horis legendis aliquando decies mutabunt judicium, de lecto vel non lecto aliquo verſiculo. III. Quod ex priore procedit, perturbatè agere, & cœcè quodammodo in externis actionibus verſari. IV. Habere reflexiones extravagantes infinitarum circumſtantiarum. V. Timere in omnibus peccatum, ac contra ſapientum, & proprium ſæpè judicium, eſſe inquietum. VI. Si Confeſſarius judicet te eſſe ſcrupuloſum. VII. In particulari ſigna ſcrupuli præſentis ſunt hæc duo: 1. Si per illum experiaris te nimium angi, & turbari. 2. Si aliàs expertus ſis te ſimilia apprehendiſſe ſine fundamento.

Reſp. IV. Remedia Conſcientiæ ſcrupuloſæ ſunt: I. Scrupulos contemnere, contra illos agere, nec cogitatione fovere. II. Judicio Confeſſarii vel alterius viri docti ac pii acquieſcere, non recurrendo ad eum in ſingulis actionibus, ſic enim ſe & illum fatigant, cum ſcrupulorum incremento, ſed accipiendo ab eo generalia principia, à quibus nullius ſcrupuli causà, imò nullo modo recedat, etſi enim alterum errare contingeret, quia tamen hoc faciendo, agit, quod in ſe eſt, non peccabit. III. Bonorum vitam & conſuetudinem tanquam regulam intueri. *S. Ant. Sylv.* IV. Aſſuefacere ſe ad ſequendas ſententias mitiores, & minùs etiam tutas Fill. *n. 182.* V. Non judicare quidquam eſſe mortale, niſi certò ſciat, Azor. *tom. 1. l. 2. c. 20.* Vaſq. Sanch. Fil. *n. 183.* VI. Nunquam otiari; quia otium implet phantaſiam cogitationibus ſcrupuloſis. VII. Deſtruere cauſas ſcrupulorum, v. g. melancholicus evacuet medicamentis atram bilem; pertinax frangat ſuum judicium; ſuperbus prudentiæ non confidat; rudis inſtructionem petat; timidus meditetur bonitatem Dei, quæ non imponit præcepta redigentia ad inſaniam. VIII. Noſſe ſcrupuloſorum privilegia; ut 1. quòd non teneatur in agendo adhibere examen, & diligentiam, niſi valde mediocrem: nec tantam, quantam alii, & quòd dum angit ſcrupulus, nec ſuppetit conſilium, poſſit liberè agere, quod vult, niſi certum, & evidens ſit eſſe peccatum: Vide Vaſq. *in 1. 2. d. 57.* 2. Quòd nihil teneatur repetere ex præteritis Confeſſionibus, niſi certò ſciat illud eſſe mortale, & ſe ritè confeſſum non eſſe: Non eſt autem certus, quamdiu dubitat: Unde ſuadet Lay. ut ſcrupuloſus nunquam conſiteatur dubia, & ſcrupulos. Et Sà *V. Dubium* Sanch. Azor. &c. dicunt non teneri confiteri, niſi quæ jurare poſſit eſſe mortalia, & nunquam eſſe confeſſum. Ratio utriuſque privilegii eſt, quia in ſcrupuloſo ex nimio timore peccandi turbatur ratio, ut non poſſit rectè rem examinare. Unde eſtò aliqua confeſſus non fuerit, non tenetur tamen cum tanto damno, & periculo anxietatis perpetuæ procurare integritatem Confeſſionis, cùm ab ea minores ſæpè difficultates excuſent, ut notat Koning. Laym. Bon. Azor. Bec. IX. Confeſſarius non permittat confiteri vel præponere ſcrupulos vel dubia, (maximè, ſi ſemel ad ſatietatem audiverit:) quia alio- qui nunquam fontem ſcrupulorum exhauriet. Vide apud Laym. *hic c. 6.* Filliuc. Sanch. *hic & l. 2. de Matr. d. 41. num. 2.* Azor. *p. 1. l. 2. c. 20.* Breſſerum *l. 6. toto.* Bec. *p. 2. t. 1. cap. 4. qu. 10.* Bonac. *t. 2. d. 2. q. 4. p. 8.*

ADDENDA.

Quæſt. 68. *Quæ ſint cauſæ ſcrupulorum?* R. Variæ, 1. 512 Suggeſtio dœmonis, ut bonum ſpirituale hominis impediat. 2. Conſortium cum ſcrupuloſis, vel lectio caſuum conſcientiæ facta ab incauto, & minùs intelligente. 3. Imbecillitas capitis, quam homines apprehenſivi habent. 4. Defectus judicii naturalis. 5. Melancholia aut complexio corporis ad timorem propenſa, qualis eſt in naturis humidis ac frigidis. 6. Acumen ingenii in inveniendis rationibus dubitandi, & impotentia diſſolvendi. 7. Occulta ſuperbia, ob quam aliquis non vult ſe ſubmittere judicio, & directioni alterius. 8. Actio de ſe non mala cum timiditate ſæpiùs repetita, ſic enim magis intimidatur animus, & tandem cedit imprudenti timori. 9. Puſillanimitas & dejectio animi, ob quam quis neſcit timores contemnere. 10. Nimia ſollicitudo cavendi omne id, quod habet ſpeciem mali, dum enim continuò ſibi inclamat, cave peccatum, cave tibi, ſeipſum ſine cauſa intimidat. 11. Voluntas Dei, qui ſæpè immittit, vel ad punienda peccata, præſertim ſuperbiam, vel ad inſtruendum hominem, ut ſciat compati & dirigere ſimili malo afflictos, vel ad excutiendam tepiditatem in ſervitio Dei, vel denique ad majus ejus meritum.

Q. 69. An ſcrupuli ſint inutiles? R. Sunt partim utiles, 513 partim noxii.

§. 1. Utiles ſunt; 1. quia juvant ad emundandam conſcientiam; hinc homo, qui in vita ſcrupuloſus fuit, in morte ſolet abundare maximis conſolationibus, etiam ex recordatione, quòd conſcientiam ſemper conatus ſit habere mundam. 2. Juvant ad reddendum hominem in actionibus ſuis cautum, ne offendat Deum; item faciunt attentum, & ſollicitum, ut omnia ad Deum dirigat. 3. Plurimum faciunt ad internam humiliationem: videt enim ſcrupuloſus, quàm miſer ſit, quàm parum prudens: deinde cogitur per anguſtias ſuas ſe ſuaque omnia aperire alteri; debet abdicato proprio judicio alienum ſequi, & facere, quod jubet alter. 4. Multum conducunt ad hoc, ut quis ſuo tempore poſſit alios dirigere & juvare: vix enim benè diriget ſcrupuloſum, qui ſcrupulos non ſenſerit, unde quos Deus præordinat ad alios ſuo tempore juvandos, ſolet eos priùs in illis exercere, ut ſciant compati, & practicè noverint, quomodo ſit ſcrupuloſo, quem maximè torquet illa cogitatio, quòd putet neminem ſcire, quomodo ipſi ſit. 5. Juvant ad magnum meritum, quidquid enim agunt ſcrupuloſi, ideò agunt, ne diſpliceant Deo, ſicque puram ſemper intentionem habent: Deinde pro Deo non offendendo patiuntur graviſſimè, mallentque ſæpè mortem, quàm ejuſmodi angores ferre; ſicque Deus, ſine peccato tyrannorum, facit eos ſibi Martyres eſſe: & hæc ſcrupuloſis ſolatio eſſe debent.

§. 2. Scrupuli ſunt noxii, imprimis corpori, quia deſtruunt 514 valetudinem, attenuant caput, ſæpè redigunt hominem ad inſaniam, vitam ſæpè abbreviant: deinde animæ, quam reddunt intricatam, deſolatam, perplexam, quandoque deſperabundam; confundunt intellectum, judicandi vim perturbant, ſæpè totum hominem inſignibus talentis præditum reddunt ad omnes functiones ineptum: præterea impediunt multa bona opera, prodigunt tempus multis vanis ac inutilibus cogitationibus &c.

Q. 70. Quandonam aliquis judicari debeat ſcrupuloſus? R. 515

§. 1. Maxima hic circumſpectione eſt opus, nam aliqui ſæpè putantur eſſe ſcrupuloſi, qui non ſunt: *Scrupuloſi verè tales pauciſſimi ſunt*, inquit Eliz. *l. 8. q. 16 §. 3. ſed ſtultus mundus timorem Domini ſcrupulus vocat, & conſcientias faſcinat*: è contra tamen aliqui ſunt ſcrupuloſi, & non putantur eſſe.

§. 2. An aliquis, qui meticuloſæ conſcientiæ eſt, ſit ſcru- 516 puloſus necne, communiter judicare non poteſt meticuloſus ipſe, ſed judicium relinqui debet viro docto, probo ac prudenti, qui in tractandis conſcientiis aliquam experientiam habeat; tales enim meticuloſi per ſuas anxietates turbantur, quominus rectè judicent, maximè in rebus propriis, in quibus homines maximè cæcutiunt, unde potiùs credere debet alteri, cui conſcientiam ſuam modumque operandi ſincerè aperuit.

§. 3. Vix poteſt aliquis judicare ſtatim prima aut ſecunda 517 vice, quando alterum confitentem audiit, an ſit ſcrupuloſus necne, quia quamvis aliquis quandoque ſit anxius circa multa, fortè juſta & rationabilis eſt anxietas.

518 §.4. Quando pœnitens eſt ſollicitus, imò & moderatè anxius, ne Deum vel leviſſimè offendat, aut ut ſtatim culpam deponat, non debet ideò judicari ſcrupuloſus, juſta enim & prudens eſt cura illa, ne Deus in minimo offendatur, & ut offenſa deponatur; hinc legimus de viris Sanctis; quod quotidie, quandoque de die bis confeſſi ſint.

519 §.5. Qui poſt vitam in magnis peccatis diù traductam anguntur, ſibique etiam intra mediocre tempus, v.g. intra medium annum nunquam videntur ſatisfacere, ſed magis confiteri volunt, & præterita expiare, non ſemper judicandi ſunt ſcrupuloſi, quia timor & cura illa ſæpè eſt prudens ac neceſſaria, tum ad recogitanda pro Confeſſione omnia peccata, quæ homini ſalutis incurio facilè excidunt, tum ad cogitationes & affectus à malo abducendos, quod poſt conſuetudinem peccatorum non adeò facilè fit.

520 §.6. Si quis nunc adhuc deliberatè conſentiat in peccata, quamvis poſteà valdè angatur, ſollicitè ſe examinet, anxiè confiteatur, ſicque ſeipſum aliquo modo turbet, non ideò ſtatim cenſeri debet ſcrupuloſus, eſt enim juſta cauſa illius anxietatis, & moderatæ turbationis, quam Deus per conſcientiam remordentem injicit, eſtque reipſa actualis gratia Dei, quæ ideò turbat, quia eſt contraria affectui peccaminoſo, quem homo paulò ante habuit, aut fortè etiamnum habet.

521 §.7. Ex eo, quòd aliquis dubitet, an in hoc vel illo peccarit, non poteſt ſemper colligi, quòd ſit ſcrupuloſus, quia dubium & ſcrupulus valdè diſtinguuntur: nam dubium eſt ſuſpenſio judicii, quæ ſi fiat ex rationabili motivo, eſt prudens, hinc ſæpè fieri poteſt, ut aliquis dubitet, peccaritne mortaliter necne, quod plerumque contingit illis, qui vel ignorantes ſunt, vel non ſatis attendunt ad ſuas intentiones & affectus: è contra ſcrupulus eſt tantùm inanis apprehenſio, & ſine fundamento conceptus timor peccati, ubi peccatum non eſt, ex quo etiam patet, ſi quis per errorem judicet aliquid eſſe peccatum, quod peccatum non eſt, hoc non eſſe ſcrupulum, ſed conſcientiam erroneam, contra quam ſi operetur, peccat.

522 §.8. Qui in uno tantùm vel altero caſu tranſeunter habet ſcrupulum, non poteſt dici ſcrupuloſus, hoc enim nomen frequentiam ſeu habitum denotat; uti non dicitur ebrioſus, qui ſemel aut iterum fuit ebrius, ſed qui ſolet ſe inebriare: unde nec talis uti poterit privilegiis ſcrupuloſorum, uti rectè Stoz. *l.1.p.5.n.176.*

523 §.9. Aliqui ſunt ſcrupuloſi circa præterita, alii circa præſentia: ſcrupuloſus circa præterita eſt ille, qui cùm moralem diligentiam adhibuerit in examinandis, deteſtandis, & confitendis præteritis, nihilominus ſine prudente motivo continuò timet, an hoc vel illud etiam non fecerit, an rectè doluerit, an ſatis confeſſus ſit &c. Scrupuloſus circa præſentia eſt, qui cùm deliberatè non conſentiat in peccata, tamen ubique timet, ne hoc, quod facere vult, ſit peccatum, ideò ubique hæret, & ſeipſum vanis apprehenſionibus peccatorum excruciat, ſi aliquid egerit.

524 §.10. Si quis ſit anxius, & ſeipſum interroget, quæ ſit cauſa ſuæ anxietatis, tumque nullam cauſam rationabilem dare poſſit, ſignum eſt angi ſcrupulo, uti & tum, ſi illa, quæ aliàs ſcit, & ante hac prudenter judicavit non eſſe peccata, jam reputet ut talia, vel operando formider, ne ſint.

525 §.11. Fit ſæpè, ut aliquis ſit ſcrupuloſus in una materia, v.g. in materia caſtitatis vel Horis legendis, è contra non ſit ſcrupuloſus, ſed nimis laxus in aliis, unde talis non poterit uti privilegiis ſive regulis ſcrupuloſorum, niſi in illa materia, in qua ſcrupuloſus eſt.

526 §.12. Ad melius dignoſcendum, quiſnam ſit ſcrupuloſus, juvat ex Stoz. *num.223.* expendere diſcrimen, quod eſt inter laxum & ſcrupuloſum, v.g. 1. Laxus eſt, qui ſpernit & pro nihilo habet illa, quæ alii communiter putant eſſe peccata: qui verò timet, quæ alii pro nihilo habent, eſt ſcrupuloſus. 2. Qui non credit Concionatoribus, ſed eorum reprehenſionem cenſet eſſe immodicas exaggerationes, laxus eſt: qui verò Confeſſariis aut aliis viris doctis & probis factum excuſantibus non credit, eſt ſcrupuloſus. 3. Qui proprio confiſus judicio procedere ſolet nemine conſulto, laxus eſt: qui verò in rebus etiam claris, vel de quibus aliàs accepit reſolutionem, iterum iterumque interrogat, volens ſe per hoc reddere magis ſecurum, ſcrupuloſus eſt. 4. Qui in confitendo non multùm laborat de exprimenda ſpecie & numero peccatorum, laxus eſt: qui verò omnia dubiè & hæſitanter confitetur, idem ſæpiùs repetens, dicens jam hunc, jam illum numerum vel circumſtantiam diverſam, nec unquam ſibi ſatisfaciens, ſcrupuloſus eſt. 5. Qui præcipitanter & ſine conſideratione agit quidlibet, eſt laxus: qui verò in omnibus ita ſuſpensè procedit, ut non fidat communi doctrinæ Theologorum, ſed ſemper evidentias & demonſtrationes quærat, eſt ſcrupuloſus. 6. Qui velociter & vagè præſcriptas preces deproperat, ſine cauſa interrumpit, inter orandum circumſpicit vel fabulatur, eſt laxus: qui verò anxiè precatur, ſæpiùs ſubſiſtit pro attentione habenda, eadem repetit, eſt ſcrupuloſus; & ita de aliis materiis. Atque ex his facile eſt colligere, quiſnam habeat conſcientiam timoratam & benè formatam, nempe qui in his aliiſque medium tenet.

Q.71. Quid obſervandum ſit circa directionem ſcrupuloſi? 527
Reſp. ſeqq.

§.1. Curam dirigendi ſcrupuloſum non admittat Confeſſarius, niſi ille oſtendat, ſe credere, quod Confeſſarius poſſit, & velit eum benè dirigere, ſimulque ſpondeat conſtantiam apud illum, confidentiam in ſe aperiendo, obedientiam in ſequendo, etiam ſepoſito proprio judicio, hoc enim eſt facillimum, & fermè unicum medium tales homines juvandi, quo ſi utantur, etiam ſecurè procedunt, uti dicetur *n.540.*

§.2. Confeſſarius ante omnia videat, quæ ſit cauſa ſcrupu- 528
lorum, & conetur eam amoliri, debet enim agere, ſicuti prudens Medicus corporis, qui explorat morbum & cauſam ejus; priuſquàm medicamina applicet.

§.3. Plerumque mitis ſit erga ſcrupuloſum, ne afflicto 529
afflictionem addat; quandoque tamen etiam juvat auſteritas, ut expugnari poſſit tenacitas judicii in pœnitente.

§.4. Reſolutè ei reſpondeat, non hæſitans, nec multùm 530
diſtinguens, ſed abſolutè enuntians, quid faciendum ſit, ſemper ſequendo partem benigniorem, & dubitationes ejus interpretans in meliorem partem; nunquam autem det rationes ſui reſponſi, quia has poſteà ſcrupuloſus examinat, ſibique reddit dubias, ac ſe magis implicat.

§.5. Non patiatur ſibi proponi quoſcumque ſcrupulos & 531
dubia, ſed quando moraliter certus eſt ſcrupulum afferendum, dimittat etiam ad Communionem non auditum, quia hæ interrogationes & frequentes recurſus ad Confeſſarium ſunt veluti frictio ſcabiei, inquit Crombezius *l.1.de perf.c.13.* quæ quidem placet, ſed nocet.

§.6. Quandoque ſuaviter irrideat, dum proponit aliqua 532
minùs prudentia dubia, jubeatque cogitare, quid reponſurus eſſet, ſi ab alio interrogaretur, mandetque idipſum facere.

§.7. Sollicitè monendus eſt, ut nulli ſcrupulo cedat, ſed 533
directè contra eum, operetur, v.g. ſi ſcrupulum habeat, quaſi peccet, ſi tranſiens Sacerdotem non deponat pileum, jubeatur tranſire tecto capite; ſi enim ſic cogitet, hac vice deponam, pro ſecuritate ne peccem, hac vice tantùm, ut ſim quietus &c. hoc ipſo paulatim inducit apprehenſionem obligationis, & vehementer auget ſuum malum: imò docendus eſt, quòd cedendo ſcrupulis peccari poſſit, v. g. quia per ſcrupulos nocetur corpori, & animæ, impediuntur multa bona ſuperbè defenditur judicium proprium, non ſatis æſtimatur Dei bonitas, ſed occurrit ſcrupuloſo velut Tyrannus, qui tortura hominis delectetur, vel nobis quaſi ponat laqueos peccandi.

Qui plura voluerit pro conſolandis juvandiſque ejuſmodi hominibus internè afflictis, & anxiis, legat inter Epiſtolas Ludovici de Ponte, poſt ejus vitã annexas, Epiſt. 16. 17. & 18. ubi planè ſolida, & profundè ſpiritualia circa hæc documenta tradit.

Q.72. Quænam præterea regulæ ſervire poſſint ſcrupuloſo? 534
Reſp. ſeqq.

§.1. Quod nimiam difficultatem affert, non eſt moraliter poſſibile, unde ad illud nec Deus, nec Eccleſia obligat, ita *Regin.* & hanc regulam applicare poteſt plurimis materiis, v. g. ſcrupuloſus dicere poteſt, mihi nimis difficile eſſet confiteri, quidquid me inquietat, ſic recitare Horas ſemper repetendo, ſemper habendo formalem attentionem, &c. ergo ad talia non obligor.

§. 2. In dubiis, vita & communis ſenſus hominum probo- 535
rum merito poteſt haberi pro regula vivendi: undequod illi abſque formidine peccati agunt, poteſt ſcrupuloſus ſequi, ita *Laym.* hinc poteſt ſic dicere ſcrupuloſus, video hos, & illos homines, de quorum probitate dubitare non audeo, tale quid bona fide agere, ergo ego poſſum ſimiliter.

§.3. Qui omittit, quod lex præcipit, excuſatur, ſi bona 536
fide, & ſine contemptu putet legem non eſſe, paratus facere, ſi ſciret legem eſſe, ita *Cajet. Nav.* hinc dicere poteſt, non ſcio, quòd exiſtat lex, v.g. repetendi Horas, etiamſi diſtractè oraverim, & ſi ſcirem legem eſſe, repeterem, nunc autem non repetam, quia certus non ſum de ulla ejuſmodi lege.

§.4. Si dubitet, an id, in quo hæret, ſit ſcrupulus, an 537
prudens ratio dubitandi, tutò contemnere poteſt velut ſcrupulum, inquit Stoz. *l.1.p.5. n.185.& 189.* nam quod dubium eſt ſcrupuloſo, hoc cenſeri debet pro illo moraliter certum; & ſi eſſet peccatum, id ſciret vel audiſſet ante hac: hinc ſi v.g. apprehendat ſe teneri ad aliquid ſtatim faciendum, uti ad corripiendum proximum, ſi non eſt certus ſe teneri, prudenter judicat ſe non teneri, & benè facit omittendo, uti rectè Leſſ. *de act.hum.q.19.n.79.*

§.5. Addit *Leſſ.* expedire, ut ſcrupuloſus memoria reti- 538
neat, vel etiam in charta notet ſcrupulos præteritos, in quibus agnovit, vel à Confeſſario audivit ſe inaniter fuiſſe anxium, ſic enim poterit ex horum ſimilitudine novos dijudicare, & contemnere.

§.6.

539 §.6. Quamvis ſcrupuloſus ſit rudis, rectè tamen facit, ſi aſſueſcat ex generalibus principiis ſibi formare conſcientiam, non recurrendo toties ad Confeſſarium, ſicque pergat bona fide: ſi erret, non imputabit Deus, qui non obligat ad toties recurrendum cum tanta moleſtia, & perturbatione ſui, ſed unicuique dedit rationem, ex qua ſibi formet dictamen agendi.

540 §.7. Directio Confeſſarii eſt facillimum medium evadendi ſcrupulos, ſi nempe ei credat pœnitens; hinc ſi juvari optat, debet unum ſtabilemque ſibi eligere, quem putet doctum, & probum, ita ut poſſit, & velit benè dirigere ſecundùm Dei beneplacitum, & ſalutem ipſius: quod ſi ad varios currat, eiſque ſuas difficultates exponat, ſignum eſt pertinacis judicii, & quod velit eum tantùm ſequi, qui ſecundùm ipſius caput reſpondebit: rectè ait S. Antonin. *1. p. ſummæ tit. 3. cap. 10. §. 10. Reg. 5. Eſt igitur quinta regula, obedientiæ humilis imitatio, ut ſcilicet ſcrupuloſus captivet intellectum ſuum dictis ſapientum, & obedientiæ Superiorum, quantumcumque ſcrupulus ſibi dictet aliud.* Et quòd prudenter agat ſic cœcè ſequendo, clarè oſtendit Leſſ. *num. 78.* ſic enim format conſcientiam: *quamvis ego, quoad me, potiùs judicarem me ad hoc teneri, hoc eſſe peccatum &c. quia tamen meus Confeſſarius mihi dicit contrarium, poſſum & volo facere hoc, quod ille mihi dicit, & certus ſum me benè facere, quia Deus vult, ut faciam, quod ille mihi dicit, cùm ipſe mihi ſit interpres Divinæ voluntatis*, ita Gob. *tr. 7. n. 500.*

541 *Q. 73. Quænam ſint obſervanda, ſi quis circa peccata præterita, & eorum Confeſſiones ſit ſcrupuloſus?* R. ſeqq.

§.1. Si ante hac vixit in conſuetudinibus peccandi, permitti debent ſcrupuli aliquo tempore, ut conſcientia rectè expurgetur: ante omnia autem ſollicitè diſponendus eſt ad Confeſſionem generalem, (ſi hanc nunquam fecerit) per prævios actus fidei, ſpei, charitatis, doloris, propoſiti: tumque juvandus in examine, percurrendo præcepta Decalogi, Eccleſiæ & peccata præcipua: hanc Confeſſionem ſi ſemel fecerit, nunquam ampliùs permittendus eſt confiteri generaliter, attamen concedendum, ut ter aut quater addat, quæ adhuc incident, & de quibus neſcit ſe ritè confeſſum eſſe, tumque poſteà de præteritis omnino non audiendus, nec permittendus ſe deſuper examinare, quamvis non meminerit ſe hoc vel illud eſſe confeſſum, quia non meminiſſe non eſt rationabilis cauſa dubitandi, cùm nec aliorum actuum ſæpè meminerimus, ita Navarr. Laym. Med. Sà, Henriq. Con. Gob. Lohn.

542 §.2. Si ſciat ſe ſolitum eſſe reticere peccata in Confeſſione dandum eſt aliquantò longius ſpatium poſt Confeſſionem generalem, ut peccata adhuc incidentia confiteatur, v.gr. per dies quindecim, poſt quos etiam ipſi prohibenda eſt Confeſſio, & recogitatio de peccatis præteritis, quamvis enim fortè omitteretur aliqua, non eſt obligatio cum tanto incommodo præterita ſcrutandi, remiſſa autem ſunt omnia indirectè per primam abſolutionem, ita Con. Lohn. & alii. Ideoque univerſaliter dicit Leſſ. *de act. hum. q. 19. n. 80.* ſcrupuloſum non teneri quicquam repetere in Confeſſione, niſi certus ſit, ſe vel nunquam, vel non benè eſſe confeſſum, quamdiù autem dubitat, certus non eſt.

543 §.3. Si poſt adhibitam diligentiam iſtam adhuc non acquieſcat, ſed dicat ſe hæc, & iſta certò feciſſe, & non eſſe confeſſum, jubeat Confeſſarius, ut juret ſe ſcire, quod per hoc peccarit mortaliter, & quòd nunquam ſit confeſſus; ſi timeat jurare, dimittat, nec audiat; nam non eſt certus, ſed ad ſummum opinatur; ſi ſine mora juret, audiat, tum enim non eſt ſcrupulus.

544 §.4. Si angatur circa præparationem ad Confeſſiones: edoceri debet, quod ſufficiat diligentia, & præparatio mediocris, qualis in negotio magni momenti ab hominibus adhibetur: quoad Confeſſiones autem peractas declaret ei non ideò eſſe repetendas, quòd probabiliter fuerint invalidæ, ſi etiam probabile ſit valuiſſe, ut pluribus dicetur de Sacramentis.

545 §.5. Si pro Confeſſione ordinaria nihil peccati comperiat, non ideò turbetur, quia vel non peccavit, vel Deus ei ſua lumina hic ſubtrahit, ut tantò humilior reddatur, ideoque eum Confeſſarius vel dimittat cum cruce, vel jubeat ex priore vita repetere unicum peccatum, quod certò ſciat ſe antehac eſſe confeſſum.

Q. 74. Quænam regulæ ſerviant illi, qui ſcrupulosè angitur, ne tentationi internæ conſenſerit? R. ſequentes.

546 §.1. Nunquam credat ſe mortaliter peccaſſe, niſi certò ſciat, imò etiam, ſi valde ſcrupuloſus ſit, jurare audeat ſe plenè advertiſſe malitiam gravem, & in eam plenè conſenſiſſe; hinc etiam pro conſcientiis non ſcrupulosis communiter notant Authores, & abſolutè dicunt Bonac. *de pecc. d. 2. q. 2. p. 3. n. 19.* Sayr. *in clavi Regia l. 8. c. 7. n. 6.* Regin. *l. 15. n. 76.* Herinx *de pecc. d. 7. n. 41.* Boſco *de pœnit. d. 7. ſ. 8. n. 104. & 107.* qui timoratæ eſt conſcientiæ, nec ſolet plenè advertens conſentire, poteſt in dubio credere, ſe non plenè conſenſiſſe, quia ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio.

§.2. Regula jam data valet, quamvis non adſit alia conjectura: valet autem maximè ſi præterea accedat unum ex his, 547
1. Si ſerium animum, & ſæpè repetitum propoſitum habuerit nunquam peccandi mortaliter, aut potius moriendi; quæ enim ſæpè ſunt odio habita, ſi poſteà plenè amentur, hoc facillimè advertitur. 2. Si quando magis advertit, terreatur, & continuò repellat, quia ſi animus antea plenè conſenſiſſet, non tam facilè mutaretur, præſertim ſine conſideratione motivorum oppoſitorum; & ſi ſe plenè avertiſſet à Deo, non tam citò ad eum iterum converteretur. 3. Si ſtatim poſt factum advertat ſe jam cognoſcere malitiam, quam ante non ita cognoverat, tum enim ſignum eſt, quòd ante non plenè cognoverit. 4. Si meminerit ſe timidè, & ſuſpectè proceſſiſſe, quia tum ſignum eſt non plenè conſenſiſſe. 5. Si tum habuit occaſionem patrandi peccatum, & tamen ab illo abſtinuit, ſignum eſt, quòd non plenè conſenſerit in illud patrandum. 6. Si neſciat, an vigilanti an dormienti, an ſobrio an ebrio contigerit, ſi enim fuiſſet plena deliberatio, & libertas, ſciret, an fuiſſet vigilans, & ſobrius. 7. Si ſtatim poſt factum dubitet, an conſenſerit, quia *plenus conſenſus in mortale eſt tanta iniquitas*, inquit Jacobus Alvarez & poſt eum Gran. apud Ovied. *1. 2. tr. 4. controv. 1. num. 29. ut celari aut ignorari non poſſit, ſed in recenti facilè agnoſcatur: & ſi peccato conſenſiſſet*, inquit Bonac. ſuprà, *facilè cognoſceret ſe conſenſum præbuiſſe, nam à mortali peccato valde abhorret, uti ſuppono cùm ſit timoratæ ad Deum conſcientiæ, qui autem ab aliquo malo valde abhorret, ſi in illud incidat, non facilè obliviſcitur.* Et hic dicta valent etiam pro non ſcrupulosis.

§.3. Quamvis homo, qui non eſt timoratæ conſcientiæ, 548
qui ſolet conſentire, ex communiter contingentibus debeat in dubio præſumere ſe conſenſiſſe, tamen rectè notat Herinx ſuprà, ſi cœperit ſeriò converti, ſæpè fieri, ut longo tempore inhæreat cogitationi, neque tamen conſentiat: eo quòd habitus antiqui naturaliter operentur primum motum, nec ſemper poſſit homo aliis intentus animum advertere ad illum tam citò reprimendum, quod valet de omnibus, ſed maximè in ſcrupulosis, qui à peccatis recenter converturtur.

§.4. Pro certo tenendum eſt nihil eſſe peccatum, niſi tum, 549
quando committitur, advertatur malitia: quòd enim aliquis poſteà advertat, eſt conſcientia ſequens, quæ nihil ad rem facit, uti dictum eſt *n. 44.*

§.5. Quando materia actionis vel omiſſionis de ſe eſt grata 550
appetitui, & tamen non cauſavit ſpecialem delectationem in voluntate, ſignum eſt, quòd defuerit plena advertentia vel conſenſus, alioquin etiam voluntas ſuam percepiſſet delectationem.

§.6. Qui ſcrupuloſi ſunt in internis dubiis circa fidem, ju- 551
bendi ſunt non pugnare poſitivè contra tentationem, volendo elicere actus oppoſitos, ſed habeant ſe quaſi permiſſivè, & contemptim, v.g. ſi ſe internè ingerat tentatio, Deus non eſt Unus, & Trinus, non debent in hoc æſtu tentationis velle elicere actum fidei circa hoc myſterium, ſed faciliùs vincent, ſi abſtrahant; hoc modo, quando tentatio dicit, hoc non eſt poſſibile, ut Deus ſit Unus, & Trinus; reſpondeant internè, non ſit poſſibile, quid tum? ergo Deus non eſt Trinus? non ſit, quid tum? ergo tu hoc non credis? non credam: quid tum? imò dicat, nolo jam credere, ſed tum credam, quando opus erit. Vide dicenda *l. 2. n. 42.*

§.7. Similiter, qui circa judicia temeraria eſt ſcrupulo- 552
ſus, faciliùs vincet, ſi quaſi permiſſivè ſe habendo contemnat, quàm ſi poſitivè contra luctetur, v.g. audit Titium paulò liberiùs jocantem, incidit cogitatio. Titius eſt luxurioſus; hic non debet velle ſe cogere, aut rationes quærere, ut judicet Titium potiùs eſſe caſtum, ſed quaſi contemnat, internè dicendo, ſit luxurioſus, quid tum? quid ad me? ſit talis: ergo judicas eſſe talem? judicem, quid tum? ergo ſic vis peccare? peccem ſic, quid tum? Si ſic agat contemnendo, reipſa nec judicat nec peccat, quia ſic ſe habendo exercitè cognoſcit ſe non eſſe paratum ad peccandum, nec reipſa habere judicium illud de Titio; è contra ſi incidat, non eſt luxurioſus, licèt ita loquatur, ſed caſtus; etiam hic ſuſpendat judicium, & cogitet, ſit caſtus, quid tum? ſi enim poſitivè judicare vellet eſſe caſtum, iterum recurreret dubium, & tentatio in oppoſitum, propter jocos liberiores jam auditos.

§.8. Qui internè vexatur cogitationibus, quaſi Deum 553
blaſphemet, vellet deſtruere &c. quamvis cogitationes tales videantur ad cor venire, ſi tamen ſeipſum ſeriò interrogans videatur ſibi omnia oppoſita cupere, cenſeri debet nullo modo peccare, uti poſt Baldel. notat Burgh. *centur. 1. caſ. 47.* quia ob vehementiam phantaſiæ, & turbationem intellectus impeditur libertas, certum enim eſt, quòd non tantùm paſſiones aliæ, ſed etiam anxia formido tollat indifferentiam judicii, & voluntatis, hinc, inquit *Henr. Suſo* apud *Lohn.* concors eſt multorum etiam SS. ſententia, quòd ratio ſæpè per importunas

tunas i incidentias etiam in electationem perveniat, idque satis longa mora, antequam sui ipsius per maturam deliberationem plenè compos fiat, & in talibus boni homines peccatum mortale metuere non debent: tali autem homini suadendum est, ut moderatè resistat potius contemnendo, secundùm ante dicta, quàm positivè, & directè contranitendo, sic enim frustra se vexaret, quia phantasia ejusmodi repræsentationibus assueta est potentior, nec subjacet libertati. Id tamen notant viri spirituales, quòd posteà, dum se examinant, possint præsumere illud esse ver m, quòd statim post factum conscientia dictabat, sive quod ipsis primò occurrebat contigisse, unde si primò videbatur ipsis, quòd consensissent, potest id præsumi: è contra si pr mò videbatur ipsis, quod non consensissent, aut si tantùm timebant vel dubitabant, an non consensissent, præsumant se non consensisse, nec recedere debent ab illa prima persuasione vel resolutione semel facta, frustra enim se divexabunt, cùm nunquam consequi possint certitudinem.

554 §.9. Qui timidæ sunt conscientiæ, nunquam debent in æstu tentationis, qualiscumque illa sit, examinare, an consenserint necne, sed rejiciant in aliud tempus, quando deferbuerit tentatio, & quieti erunt, quia ob turbationem mentis non sunt eo tempore apti ad judicandum. *Nec refert*, quòd timeant, ne obliviscantur, aut posteà non ita sciant, quomodo se habuerint, *nam* potius admittere debent periculum oblivionis, quàm se ita graviter sine fructu vexare, aut etiam se exponere periculo reipsa consentiendi.

555 §.10. Qui sic internè vexatur metu consentiendi, monendus est, ne gestu vel verbis se defendat contra tentationem, v.g. agitando caput, dicendo, nolo consentire, nolo, non facio, recede diabole &c. hæc enim non sunt remedia, sed majores vexationes sui: itaque placidè sit quietus, nudè contemnat, agat quod agit, aut si nihil habet, quod agat, cogitet de illo, quod primò occurrit, v.g. si fenestram videat, numeret, quot vitra habeat, sicque facilius evincet: quòd si tentatio nihilominus pergat infestare, nil refert; non nocet, si deliberata voluntas non accedat per consensum, cujus periculum non est in homine timorato, nec debet præsumi in ipso: id etiam observandum, quòd ejusmodi homo tentationem ipsam reputat pro consensu, nam si internè suggerat dœmon, fac hoc, visne hoc facere? nunquid vis facere? hoc ipso putant se consensisse, quod falsum est, cùm sit mera tentatio ad consensum.

556 *Q.75. Quid illi sit agendum, qui scrupulosè semper timidus est, ne cum dubio operetur?* R. Hic scrupulus multis est molestus, cùm enim certum sit eum peccare mortaliter, qui operatur, dubitans an hoc, quod facit, sit mortale, aliqui autem scrupulosi ad omnia fermè hæreant, & nihilominus sæpè operentur, postmodùm nesciunt, an reipsa dubitarint, aut an se practicè resolverint: pro talibus servient sequentes regulæ.

§.1. Motivum prudens ad se resolvendum, quòd actio, quam talis homo anxius aggreditur, non sit peccatum, est hoc, si primo statim intuitu, & sine formidine non cognoscat esse peccatum: neque opus est, ut examinet rationes pro, & contra sed certò credat esse licitum, hoc ipso quòd primo intuitu non occurrat tanquam certò, & indubitanter illicitum, ita Bonac. Sanch. Castr. Laym. Stoz. *l.1.p.5.n.200.*

557 §.2. Si sciam alios homines probos aliquid solere agere, tum etiam rectè judico mihi idipsum licere.

§.3. Quamvis scrupulosus posteà inveniat se aliquando errasse, judicando licitum, quod reipsa erat illicitum, nil refert, potest nihilominus aliàs eodem modo pergere, & se secundùm dicta resolvere, quia cùm per experientiam suam sciat tales timores suos, qui æqualiter incidunt, esse communiter vanos, sitque moralis impossibilitas, & nimia difficultas examinandi omnes, prudenter facit, si omnes contemnat, & bona fide pergat, per accidens autem erit, si quandoque materialiter peccet.

558 §.4. Si scrupulosus tam citò non possit se determinare, nec satis contra illum timorem videatur formare judicium practicum, quòd non peccet, quamvis operetur cum actuali tali timore, non peccat, quia timor ille non est judicium nec conscientia dubia, sed tantùm est fuga aliqua sive actus appetitus aut voluntatis conjunctus cum apprehensione mali, quod fugit; & ille timor relinquit judicium aliquod quasi habituale, reipsa virtuale, quod quis habet, & quo judicat talem actionem non esse peccatum, cùm tale judicium hactenus habuerit de talibus actionibus, & censeatur illud adhuc habere, quamdiù non occurrit ratio certa, & evidens in contrarium, licèt ipsemet non advertat se habere illud ob impetum contrarii timoris, qui intellectum confundit, & perturbat: reipsa autem talis timor non est in ultimo judicio practico, sed oritur ex cognitionibus antecedentibus vel comitantibus, quæ veluti objecta respiciuntur à judicio practico, sicuti præmissæ ultimi judicii practici respiciunt judicium directum probabile, & formidolosum velut objectum, quod tantùm affirmant existere, uti dictum est num.306.

559 §.5. Si scrupulosus certò putet se habuisse dubium, non ideò certus est se peccasse, quia potuit fuisse dubium tantùm speculativum, per quod non tollitur certitudo judicii practici ultimo directivi: itaque ad summum reddetur dubius, an reipsa peccarit necne, cùm autem scrupulosus non teneatur confiteri dubia, ut possit tales timores tandem vincere, & superare pericula peccandi, consultius est, ut istorum mentionem nullam faciat, quando confitetur, nec se desuper examinet, an peccarint necne, sed potest prudenter se resolvere, vel quòd non peccarit, vel quod saltem non teneatur illa confiteri.

560 *Q.76. Quid agendum sit cum illis, qui continuò talia oggerunt Confessario, Pater me non novit; non scit, qualis sim, habet me pro scrupuloso, & non sum; non sum ita, sicut putat; non satis me explicavi, &c.* R. Ad satisfaciendum phantasiæ, Confessarius bis vel ter patienter audiat, tum semel pro semper admoneat, ut se sufficienter cognosci, statumque animæ intelligi credat, neque opus esse pluribus se explicare: si non acquiescat, permittat ad tempus agere, quod vult, donec illam superbiam, qua se Confessario præfert, & pertinaciam, qua judicio proprio insistit, discat deponere, discet autem, advertens se quotidie magis, & magis implicari atque torqueri; quòd si nec tandem ita sapiat, habeat pro incurabili, & sustineat eum cum patientia, quandoque enim vult Deus tales permanere. Pro scrupulosis aliis, v.g. circa orationes vocales, Horas Canonicas, Missam legendam vel audiendam, dabuntur suis locis regulæ, quando de illis materiis agetur.

TRACTATUS II.

De Regula externa Actuum humanorum, sive Lege.

CAPUT PRIMUM.

De natura, & obligatione Legis in genere.

DUBIUM I.

Quid sit lex sive præceptum? 561

Resp. Lex & Præceptum, prout hic indistinctè accipitur, est recta agendorum, aut omittendorum ratio. Interim cùm à Superiore non communitati, sed alicui tantùm, aut aliquibus in particulari aliquid præcipitur, non appellatur Lex, sed Præceptum tantùm, Suar. Laym. Bonac. *T.2.d.1.q.1.p.1.n.3. Unde resolves,*

I. Ad Legem seu Præceptum quis tenetur, non ad Consilium, cùm hoc tantùm dirigat, illud etiam obliget. *Ibidem.*

II. Cùm iniqua lex est, & contra rationem, non obligat, quia deficit à rectitudine. *Ibid.*

III. Cum dubium est de justitia, teneris lege, quia legislator possidet jus præcipiendi; idemque regitur altiore consilio, ac potest habere rationes subditis occultas. Addit Suarez, etiam obligare, licèt contra justitiam legis sint rationes probabiles, quia aliàs nimia daretur licentia legibus non parendi, cùm vix possint esse tam justæ, quin aliqua apparens ratio dubitationem movere possit, Suar. *l.1. c.9.* Bonac. *p.7. num.1.*

IV. Leges & sententiæ latæ à tyrannis obligant, si ii pacificè regna possideant, & à Republica tolerentur. Nec obstat, quòd sententia Judicis illegitimi dicatur esse nulla: id enim verum est de sententia, prout est præcisè à tyranno; non autem prout est à voluntate saltem interpretativa, & implicita Reipublicæ, quæ dum tyrannum, & Judices ab eo constitutos repellere nequit, tacitè confert iis potestatem gubernandi, eorumque leges, & acta ratificat, Less. *l.2.c.29. d.9.* Salas *d.10.s.3.n.14.*

V. Non tenetur quis ad legem, nisi promulgata sit, sive denunciata, D.Th. *1.2.q.90.a.4.* Laym. *l.1.t.4.c.2.* Molina, Salas, Suar. & alii communiter.

ADDENDA.

Quæst.77. Quis habeat potestatem condendi leges vel ferendi præcepta? R. 562

§.1. Potestas condendi leges est penes solam potestatem publicam, illamque habent, 1. Papa immediatè à Christo pro tota Ecclesia, ita ut possit obligare etiam invitos, quia constat *Petro* concessam esse potestatem supremam, & non constat esse limitatam ad acceptationem subditorum, à quibus etiam non est illa potestas: 2. Concilium Generale, etiam pro tota Ecclesia, sed accedente confirmatione Papæ: 3. Nuntius Apostolicus pro sua Provincia: 4. Episcopus pro sua Diœcesi; nec

nec opus eſt, ut ſit conſecratus dummodò ſit confirmatus : Archi-Epiſcopi, Patriarchæ & Primates habent pro ſua tantùm Diœceſi, uti alii Epiſcopi, & non pro toto Archi-Epiſcopatu, niſi cum conſenſu Provincialium Epiſcoporum : 5. Capitulum Cathedrale Sede vacante pro tota Diœceſi. 6. Prælati habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem pro locis ſibi ſubjectis : 7. Abbates, Abbatiſſæ, & Præfectæ Monialium, Superioreſque ſimiles independentes, pro ſuis Monaſteriis. 8. Reſpubl. libera pro ſuis membris, & ditionibus. 9. Imperator pro toto imperio, per ſe loquendo, niſi ipſe ſibi poteſtatem reſtrinxerit. 10. Reges & Principes pro ſuis regnis, & ditionibus. 11. Femina quoque, ſi ſit regni hæres; cujus maritus ſine ipſius conſenſu leges ferre non poterit. Videri poſſunt hæc omnia fuſiùs ex Authoribus, Juribus, & ratione deducta apud Caſtrop. *d.1. punct.22. & 23.* & ratio horum eſt, quia hi omnes habent juriſdictionem, ergo poteſtatem gubernandi, ergo etiam poteſtatem ferendi leges. Poteſt etiam videri Illſ. *tr.1.d.2. à n.13.*

563 §.2. Qui poſſunt condere leges, à potiori poſſunt ferre præcepta; neque tantùm illi, ſed etiam quivis alius etiam privatus Superior, uti pater reſpectu filii, circa materiam directioni ſuæ ſubjectam.

564 *Q.78. Quomodo differant lex, præceptum, mandatum, regula, norma, permiſſio?* R.

§.1. Lex definitur à S.Th.1.2.*q.90. art.4. O. Ordinatio quædam rationis ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, promulgata:* & à Suar. *hic c.12.n.5. Præceptum commune, juſtum, ſtabile, ſufficienter promulgatum*; omnis enim lex eſt præceptum, quamvis non omne præceptum ſit lex.

565 §.2. Præceptum, & mandatum ſignificant idem: per hoc autem differt præceptum a lege, 1. quòd lex feratur à perſona publica, pro communitate, & in bonum communitatis; præceptum autem poſſit ferri à perſona privata ad privatam, v.g. à Domino ad ſervum, in bonum etiam privatum Domini, vel ſervi, vel cujuſcumque alterius. 2. Quòd lex, per ſe loquendo, ſit ſtabilis, & perpetua, neque deſinat etiam mortuo legislatore, nam cùm feratur communitati, quæ non emoritur, & in bonum communitatis, quod ſemper neceſſarium eſt, niſi deſinat aut mutetur materia legis, exigit eſſe perpetua, uti latè explicat Suar. *c.6. &* 10. E contra præceptum communiter expirat morte mandantis, uti dicetur *n.816. & 876.*

566 §.3. Dixi, communiter, nam mandatum non expirat morte mandantis, 1. ſi ſit ad pias cauſas, uti ſi quis mandarit dari eleemoſynas, ſecundùm dicenda *l.3.p.2.n.688.* 2. Si ſit favorabile doti matrimoniali vel alicui Scholaſtico: 3. Si mandatarius jubebatur exequi poſt mortem, aut ante, vel ſaltem poſt mortem: 4. Si res non ſit ampliùs integra, id eſt, ſi executio mandati ſit incepta; habetque locum in judiciis, & extenditur ad donationes, & promulgationes nomine alterius faciendas: 5. Etiamſi res ſit adhuc integra, ſi executio alicujus gratiæ ſit mandata in favorem alicujus, & non relicta ipſius arbitrio, uti *n.816.* dicetur. 6. Si per poteſtatem legislativam ſpecialiter ei tribuatur ſtabilitas, qualem in Soc. Jeſu habent præcepta Superiorum, uti declaratur in Congregat. VII. Can. X. & Decreto LXVII. Vide dicenda *n.876.*

567 §.4. Lex & præceptum hoc habent commune, quòd inducant obligationem ad hoc ponendum vel omittendum, quod pro objecto habent, ſunt enim vinculum morale, quo ſubditus tenetur ad aliquid, ideoque ſunt à Superiore tali, uti pluribus explicat Suar. *c.* 8. & 14. Convenitque etiam hoc legi permittenti, quæ ſaltem alios obligat, ne permiſſum impediant aut ideò puniant, ut rectè Suar. *c.15.n.12.*

568 §.5. Regula & norma idem ſignificant: per hoc autem differt regula à lege, & præcepto, quòd de ſe non inducat obligationem, nam conſilium eſt regula agendorum, nec tamen obligat, hinc omnis lex, & præceptum eſt regula, ſed non omnis regula eſt lex aut præceptum; omnis tamen regula ſtrictè dicta intendit poſitionem actus, cujus eſt regula, uti etiam lex & præceptum.

569 §.6. Permiſſio eſt facultas ponendi vel omittendi aliquid: differt à lege, præcepto & regula, quòd non ſemper intendat vel approbet hoc, quod permittitur: Deus enim phyſicè permittit peccatum, neque tamen intendit vel approbat: deinde etiam à lege, & præcepto differt, quòd non obliget ſubjectum, cui fit permiſſio, ſed tantùm alios, ne impediant, vel ne ideò puniant.

570 *Q.79. Quid ſit conſuetudo, & an quandoque vim legis habeat?* R.

§.1. Conſuetudo facti, eſt repetitio actuum ſine obligatione, uti conſuetudo orandi ante menſam. Conſuetudo juris, ab Iſidoro & Canon. 5. diſt. 1. definitur, *Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex: quia enim,* uti ait S.Th. *1.2.q.97.a.3. per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficaciſſimè declaratur, hinc quando aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis judicio provenire, & ſic conſuetudo reipſa fit lex communitatis approbantis actus repetitos populi, & inde imponentis obligationem ad actus ejuſmodi poſteà ponendos.* Et cap. 8. de conſuetudine dicitur, quòd ſit *optima legum interpres.*

§.2. Ut conſuetudo contra jus clarum ſit juſta, Luca *de* 571 *Benef.d.30.num.16.* dicit debere eſſe ſaltem 40. annorum: ſi ſit præter jus, ſufficient decem, tum enim potiùs eſt obſervantia interpretativa juris antehac dubii, jam clari: & univerſim ut vim legis obtineat, debet eſſe continuata ſaltem per decem annos, & ſecundùm Jus Canonicum, *c.fin.de conſuet.* habere has tres conditiones, 1. Ut ſit rationabilis, id eſt, de re honeſta, & non perniciosa. 2. Ut ille, qui poteſtatem legislativam habet, conſentiat in eam: tum autem cenſetur conſentire, quando ſciens, non tantùm promittit, ſed etiam approbat ſaltem tacitè. 3. Ut fuerit inchoata aut ſaltem continuata cum voluntate inducendi obligationem, nam in facultativis ſeu liberis non præſcribitur per conſuetudinem, Luca *d.58. n.7.* Colligitur autem, quòd fuerit voluntas inducendi obligationem, ſi conſtanter, & cum non levibus incommodis obſervetur; ſi omnes pii peſſimè ſentiant de non obſervante eam, uti fieret, ſi quis in diebus Rogationum non abſtineret à carnibus; ſi Authores communiter dicant, aut Superiores ſupponant obligare, ideoque puniant tranſgreſſores, ita Gobat: Quid autem cenſendum ſit in dubio, dicetur *n.592.* & videri poteſt Illſ. *t.1.d.2.à n. 65.* & Leur. *p.2.q.707.*

§.3. Conſuetudo habet vim non tantùm interpretandi, 672 ſed etiam abrogandi legem, uti habetur §. *penult. inſt. de jur. nat. & leg. de quibus 33. in fin. ff. de legibus*, etiam generalem, ſi conſuetudo ſit generalis, ſpecialem verò, ſi conſuetudo ſit ſpecialis, Gloſ. *in cit. §. Penul. leg. Venditor, ff. Communia prædiorum*, probantque pluribus Suar. *cap.17. & ſeqq.* Leſſius *de juſt. l.2.c.6.d.14.* quod intelligi debet tantùm de lege humana, non autem divina vel naturali, *§. Sed naturalia, Inſt. de jure naturæ.* Ratio eſt, quia lex naturæ eſt neceſſaria, & in ſe indiſpenſabilis; Deus autem, quia in ſuis legibus non ita communicat nobiſcum, quod ſemel poſuit ſtabiliter vult; è contrà homines videntes communitatem contravenire ſuæ legi, cenſentur potiùs velle carere bono particulari per ſuam legem intento, quàm ſe exponere tot tranſgreſſionibus, etiam contra Deum. Quod ſi lex antiqua improbet etiam omnem conſequentem cõſuetudinem, nulla valebit conſuetudinis præſcriptio, niſi circumſtantiæ ita varientur, ut nihilominus cenſeatur Superior conſentire, Illſ. *n.71. qui d.3.n.8.* rectè notat, id, quod per conſuetudinem eſt introductum, non venire in odioſis nomine privilegii, hinc non revocari revocatis privilegiis.

§.4. Conſuetudo non extenditur de loco ad locum, nec 573 de perſona ad perſonam, nec de caſu ad caſum, uti rectè Luc. *d.29.n.23. & d.30.n.12.* Nec vim habet ex actibus ex metu vel vi frequentatis, aut etiam ex errore, quòd eſſet lex, uti rectè Illſ. *d.2.num.67.*

Q.80. An declarationes Cardinalium, Regulæ Cancel- 574 *lariæ, deciſiones Rotæ habeant vim legis?* R.

§.1. Salas & alii undecim apud Dianam *p.1.tr.10.R.29.* abſolutè dicunt declarationes Cardinalium habere vim legis, quia hi decernunt tanquam poteſtatem habentes à Papa; docentque Garcias, Lamb. Farin. Barb. Piaſec. Fagn. & alii teſte Gob. *in Exp. tr.3.n.604.* ejuſmodi declarationes datas pro caſibus ſingularibus debere extendi ad omnes ſimiles, quia ſimilium eſt ſimilis ratio, & cauſa, foretque infinitum pro ſingulis caſibus ſingulas velle declarationes. E contra Ledeſm. Bonac. Pontius aliique cum Sanch. *de Matr. l.8. d.2. n.10.* & Loth. *tr.2.a.10.* Delb. *de Imm. Eccl. c.14. d.5. ſ.2.* Item alii apud Dian. *p.11. tr.2. R.42.* negant habere vim legis, quia quamvis Cardinales illi poteſtatem à Papa habeant, non ideo habent ejus infallibilitatem vel authoritatem. Sed videtur diſtinguendum, ſi enim declarationes illas Papa examinarit, approbarit, & promulgari fecerit, habent vim legis, quia reipſa cenſendæ ſunt immediatè exire à Papa, uti colligitur ex Card. *in 2. criſi d.1. n.98. & ſeqq. & diximus n.215. & ſeqq.* putantque aliqui cum *Gob.* contra alios, non requiri aliam promulgationem, niſi famam publicam, & certam à principio authentico derivatam: *Engel* tamen *& Hurt.* apud *Dianam* ſuprà rectè requirunt ſequentes conditiones. 1. Ut à Papa ſint approbatæ. 2. Ut ſint à Præfecto Congregationis ſigillo munitæ, & ſubſcriptæ, & communicatæ. 3. Ut purè declarent, & non extendant ſe ultra ſignificationem verborum. 4. Ut ſint publicè notæ. Quòd ſi factæ ſint à ſolis Cardinalibus Papa ſpecialiter non conſulto, nec mandante, quamvis magnæ ſint authoritatis, tamen probabilius eſt non habere vim legis, tum enim tantùm videntur eſſe doctrinales; multò minùs obligant, ſi non ſint authenticè ſubſignatæ à Congregatione, vel non munitæ ſigillo, vel non ritè communicatæ; Vide dicta *n.218. & ſeqq.* item Dian. *in ſumma, v. Declarationes Cardinalium*, Fagn. *in 1. Decret. Cap. Quoniam, de Conſt. à n.6.* Delb. *ſupr.*

§.2. Leſſius *in Auct. v. Beneficium caſ.3.* docet Regulas 575 Cancellariæ Romanæ tantùm eſſe pro directione illius Curiæ,

& non obligare alibi, cùm non ſint promulgatæ: ex quo inferunt Valer. & Diana *R.*43. ſi Epiſcopus intrà 20. dies ante mortem donarit inter vivos, quamvis donatio illa per Regulas Cancellariæ, & in foro externo præſumatur facta mortis cauſa in fraudem Cameræ Apoſtolicæ, tamen eſſe validam, & illum, cui donatum erit, poſſe tacere; idem videntur tenere Decius, & Mandoſ. & alii, ſed rectè contradicunt Sarn. Gomeſ. Azor. Chok. Leur. *p.2.q.*540. *& p.3.q.*337. *n.*3. praxis enim probat tenere ubique, ſaltem illas regulas, quarum materia eſt communis, & non reſtricta ad Romanam curiam.

576 §.3. Luca *de Benef. d.*29. *n.*25. rectè docet deciſiones Rotæ Romanæ non poſſe ſemper eſſe regulam pro faciendis alibi ſimilibus deciſionibus, videndum enim eſt, an prodierint utraque parte ſufficienter informante, an non fuerint ſæpè revocatæ vel limitatæ &c. & quia ad hoc non attenditur, notat *d.*91. *n.*9. ſæpè ſecundùm illas dari reſolutiones malè fundatas: & univerſaliter docet Lezana apud Gob. *n.*609. deciſiones Rotales eſſe minoris authoritatis quàm declarationes Cardinalium etiam nō approbatas à Papa; & reipſa quandoque prodeunt contrariæ invicem.

577 *Q.*81. *An peccet, qui agit contra legem necdum debitè promulgatam?* R. Negativè, & patet ex dictis *n.*274. hinc ſi Cajus interfuerit Senatui, in quo lex, v.g. de non emendo vino Gallico, hodie eſt ſcripta, & approbata, eras autem erat promulgata, licèt per negligentiam promulgatio in aliud tempus differatur contra expreſſum mandatum Senatus, tamen non peccat contra legem illam interim emens talia vina, uti rectè reſolvit Burgh. *cent.*1. *Caſ.*6.

578 *Q.*82. *Qualis promulgatio requiratur ad legem?*

§.1. Ad civilem, ſi feratur pro una provincia, ſufficit promulgatio in primaria urbe vel loco; ſi feratur pro pluribus provinciis, communiter promulgari debet in primaria urbe ſingularum provinciarum: & ſi ſit lex Cæſarea, non obligat ante duos menſes à promulgatione completos, uti habet communis ex Authent. *Ut factæ novæ Conſt. ſ. Sancimus.*

579 §.2. Leges Pontificiæ, ſi Romæ ſint promulgatæ, hoc ipſo, per ſe loquendo, obligant totum orbem Eccleſiæ ſubjectum, uti docent communiter Canoniſtæ, item Suar. *l.*4. *c.*15. Vaſq. Averſ. Caſtrop. & alii cum Card. *in* 1. *criſi d.*9. *c.*20. *art.*12. qui dicit eſſe certum, licèt contradicant Mol. Becan. Laym. & alii tum Theologi tum etiam Canoniſtæ apud Du-Bois ad propoſ.28. ab Alex. VII. damnatam, qui volunt etiam Pontificias tum tantùm obligare, quando ſunt promulgatæ in ſingulis provinciis, & priùs poſt duos menſes, uti leges aliæ, ſed *Contra eſt*, nam ex natura rei plus non requiritur ad legem, quàm eſſe poſitam, & promulgatam, tumque veniſſet in cognitionem ſubditi: quod etiam valet de aliis legibus civilibus, exceptis Cæſareis, quia jus Cæſareum ſpecialiter circa ſuas aliter diſpoſuit, non autem alii Principes vel Magiſtratus; unde multò magis cùm poteſtas legislativa Pontificis ſit immediatè à Chriſto, neque ſubſit diſpoſitioni hominum, uti poteſtas aliorum Superiorum civilium, ſi Pontifex velit legem Romæ promulgatam obligare, uti reipſa vult, hoc ipſo obligabit omnes Eccleſiæ ſubjectos: quod inde etiam colligitur, nam Alex. VII. in propoſitione 8.9. 37. 38. damnata refert ſe ad Decreta non promulgata in ſingulis provinciis; & tamen ſatis declarat peccare eos, qui illis contraveniunt.

Dixi, per ſe loquendo, nam Papa quandoque diſponit aliter; & ita diſpoſuit circa legem irritantem Matrimonium clandeſtinum, latam in Trid. *ſeſſ.*24. *in Decreto de Reform. c.*1. hæc enim non habet vim obligandi, niſi poſt 30. dies à promulgatione facta in Parochia: deinde rectè notat Suar. *l.*3. *c.*17. legem, quamvis Romæ competente loco promulgatam, non ſtatim obligare quocumque loco diſtante, ſed requiri tempus, quo notitia ejus ordinario modo ad eum deferri potuerit: ut tamen obligare incipiat, non eſt opus ſingulis, ſed ſatis eſt pleriſque eſſe notificatam, cùm enim feratur communitati, hæc primò obligari debet, & tum ſinguli, in quantùm ſunt pars communitatis, uti rectè Illſ. *t.*1. *d.*2. *num.*3.

580 §.3. Leges irritantes contractum non habent vim, niſi promulgentur in ſingulis provinciis, uti habetur *Cap. Si in adjutorium, diſt.*10. *& c.*1. *De novi operis nunciatione:* ſi tamen ita promulgatæ ſint, vim habent, etiamſi ignorentur à contrahentibus, jura enim præſumunt ſciri, quæ publicata ſunt debitè, & alioqui quiſque poſſet prætendere ignorantiam.

581 §.4. Declarationes legum non indigent promulgatione, quia leges ejuſmodi ſunt promulgatæ, & tantùm aperitur ſenſus, qui ab initio inerat tali legi: Idem pluribus oſtendit Fagnan. *in* 1. *p. l.*1. *decret. de conſtit. c. Quoniam.*

582 *Q.*83. *Si lex præcipiat aliquid pro certo tempore, vel connotet determinatum tempus, quomodo illud tempus intelligi debeat?* R.

§.1. Quæſtio habet locum in variis materiis, v.g. in jejunio à 12. noctis pro communione; in abſtinentia à carnibus & lectione Horarum à 12. ad 12. noctis; in obligatione jejunandi ab anno 21. completo; in obligatione non ſuſcipiendi Subdiaconatum, niſi anno 22. inchoato &c. putant autem Caram. *in Reg. n.*1328. & Paſq. *de jejun. dec.*158. *&* 159. tale tempus intelligi poſſe, *præter propter*, ideoque circa illud dari parvitatem materiæ, & conſequenter etiamſi quis opus præceptum faceret extra tempus præſcriptum, dummodò non abſit longè, non peccaturum mortaliter, uti ſi quis unico quadrante poſt 12. ſequentis noctis oraret Completorium pro hac die; ſi in jejunio ſecunda vice comedas media hora ante 12. noctis; ſi die Jovis inceperis cœnam in carnibus ante mediam noctem, & continues infra horam poſt mediam noctem; in his & ſimilibus caſibus dicunt peccari tantùm venialiter, quia, cùm parum abſit, cenſeri poteſt tempus ita vicinum ſpectare ad antecedentem vel conſequentem diem.

§.2. Illæ ſententiæ videntur mihi eſſe improbabiles, unde 583
tenendum tāquam certum, quòd tempus per ejuſmodi præcepta ſtatutum vel connotatum, numerari debeat, non præter propter, ſed de momento ad momentum, ita Diana *p.*7. *tr.*11. *R.*15. Tamb. *in dec. l.*4. *c.*4. §.4. *n.*94. aliique omnes communiſſimè cum Carden. *in* 1. *criſi d.*27. *n.*33. *& d.*36. *n.*55. *Probatur* 1. nam alioqui, ſi tenearis, v.g. ponere opus ante 12. poteris ponere uno quadrante poſt 12. nam Tò, præter propter, ſignificat, circiter, plùs minùs, & ſecundùm Adverſarios admittit ſaltem unum quadrantem ante vel poſt: vel ergo hunc quadrantem ſumis ad momentum, vel iterùm ad præter propter; ſi ad momentum, idem debebas dicere de hora 12. eſt enim eadem ratio, cùm momentum ſequentis quadrantis ſit æquè parum diſcernibile, ac momentum prioris quadrantis complentis 12. ſi ſumis, præter propter, ergo iterum addere poteris quadrantem, & redibit idem argumentum, ac extenſio temporis in infinitum. 2. Nunquam dici poterit, quando v. gr. incipiat obligatio die jejunii non comedendi carnes, nam non incipiet uno quadrante ante 12. prioris noctis, tum enim adhuc licitè comedebam carnes; imò & die ſequente licitè communicarem tanquam jejunus; nec incipiet quadrante poſt 12. quia aliàs, ſi poſt 12. ante hunc quadrantem auditum comederem carnes, non frangerem jejunium, quod eſt contra ſenſum communem omnium. *Conf.* nam commune omnium, aut ferè omnium judicium facit certitudinem moralem, ſed omnium judicium eſt, excepto fortè ſolo Caram. & Paſqu. quod ſi quis paulò poſt mediam noctem comedat carnes, frangat jejunium nec maneat jejunus pro communione; & idem eſt de ſimilibus caſibus, ergo. *Minor* eſt certa, ſi interrogentur homines ſinguli: *Maj.* etiam patet ex dictis *n.* 182. & declaratur hoc exemplo, ſi enim pondus aliquod adæquetur libræ ſecundùm ſtateras communiter receptas in populo, moraliter certum eſt, quòd ſit libra, licèt non adæquetur ſtateræ cuidam ſingulari hominis privati, quia præſumi debet hæc errare, ergo. 3. Certum eſt legem obligantem ad Horas Canonicas intra diem, non obligare ad minus, quàm ad 12. uſque; & obligantem ad jejunium, non obligare ad plus, quàm ad eandem 12. noctis, ergo malè dicis obligare ad 12. præter propter, hoc enim ſignificat, plus vel minus. 4. Si ejuſmodi præcepta obligant ad tempus, præter propter, ergo nequidem venialiter peccabit, qui parum ultra tempus differet vel anticipabit, quia illa extenſio temporis continebitur in ipſa lege: hoc autem non concedunt Adverſarii, dicentes eſſe parvitatem materiæ, & per hoc peccari venialiter, ergo. Videri poteſt Carden. *in diſp. citatis*, qui *d.*27. *num.*80. ſic habet: Paſq. *vir valde doctus, de re Theologica optimè meritus, neſcio quo fato in tr. de jejunio exorbitaverit ∴ fortaſſe eum tractatum junior ſcripſit ∴ nam in cæteris, quæ ſcripſit fortè ſenior, ſibi diſſimillimus eſt.*

§.3. Hoc tempus non debet attendi de momento ad mo- 584
mentum mathematicè, quia momenta mathematica non ſunt à nobis cognoſcibilia, cùm neſciamus quænam puncta temporis imaginarii ſol aut cœli nunc attigerint, ſed attendi debet de momento ad momentum Eccleſiaſticè; id eſt, ſicuti ex voluntate vel conſuetudine Eccleſiæ deſignatur per Kalendaria approbata, vel per horologia communiter bene regulata: *Probatur* 1. Si enim non debeat attendi, præter propter, ergo ad momentum, ſi non ad momentum mathematicè, reſtat, quòd Eccleſiaſticè, & ad eum finem admittit Eccleſia Kalendaria, & horologia, ut illis actiones noſtræ quoad tempus obſervandum dirigantur. 2. Non poteramus aliter ſcire, quando actio fieri deberet, vel obligatio urgeret, niſi Eccleſia voluiſſet nos ita gubernari. 3. Hæc eſt conſuetudo Eccleſiæ, ut attendatur ad ejuſmodi Kalendaria, & horologia, conſuetudo autem eſt optima legum interpres. 4. Kalendaria, & horologia illa nunquam deviant à tempore Eccleſiaſtico, ſed non licet diſcedere à tempore Eccleſiaſtico, illud enim obſervari vult Eccleſia, ergo nec ab hujuſmodi Kalendariis vel horologiis.

§.4. Ubi ſervatur vetus Kalendarium, Eccleſia permittit, 585
ut fideles ſe illi accommodent, uti conſtat ex uſu piorum & doctorum hominum; ubi autem receptum eſt novum, ſecundùm illud eſt procedendum: & hic valet illud, *Si fueris Romæ, Romano vivito more; Si fueris alibi, vivito ſicut ibi.*

§.5. Si alicubi unicum ſit horologium, communiter 586

bene

benè regulatum, illi ſtandum eſt: ſi autem ſint plura, ſtari poteſt ſingulis, quia ſingula ſunt veluti Author bonus faciens probabilitatem: ſi tamen in uno horologio ſit audita 12. & non in altero, manet obligatio orandi, quia lex certa orandi eſt in poſſeſſione, & excuſatio ob præteritam 12. eſt dubia: è contra ſi tum adhuc biberis aut comederis, poteris cras communicare, quia libertas tua eſt in poſſeſſione, & prohibitio dubia. Denique ſi ſis in loco, ubi nullum eſt horologium, & neſcias, an ſit tempus mediæ noctis necne, ſi adſint probabiles conjecturæ pro vel contra, hæ habent vim horologii; ſi tales conjecturæ abſint, manet dubium, in quo utendum erit communibus regulis. Vide dicenda *l.4.à n.*485.

587 *Q.*84. *Si lex vel præceptum non determinet tempus, quandonam impleri debeat?* R. Ubi dies non apponitur nec determinatur tempus, cenſendum eſt obligationem eſſe pro præſenti, ſeu primo quoque tempore, quo commodè impleri poterit, uti conſtat ex *Reg.*14. *ff.de Reg.juris*: niſi aliud colligatur ex circumſtantiis, quia aliàs poſſet quis ſemper in futurum uſque ad mortem ſuam differre impletionem, & ſic eludere legem vel præceptum. Videri poteſt Du-Bois, ad propoſ. ab Alex.VII. damnatas *c.*11. *a.*5. ubi fuſiùs id probat ex jure & ratione.

588 *Q.*85. *Si nova lex emanet, an firmet præterita?* R. Si emanet per viam declarationis, reſpicit & firmat etiam præterita, uti rectè Luca *de Benef.d.*29. *n.*20. quia tantùm manifeſtat, quod antecedenter erat jam conſtitutum; è contra ſi emanet per modum diſpoſitionis, tantùm reſpicit futura, eiſque robur affert, non autem præteritis.

589 *Q.*86. *Quid dicendum ſit in variis dubiis circa leges?* R. ſeqq.

§.1. In dubio, an lex ſit vel non ſit, præſumi poteſt non eſſe, quia poſſeſſio eſt pro libertate, ut dictum eſt *à n.*272.

590 §.2. In dubio, an ſit promulgata, docet Dicaſt. *de cenſ. d.*7. *num.*39. præſumi debere, quòd non, quia promulgatio eſt aliquid facti, quod non præſumitur, ſed probari debet, conſequenter lex non obligabit, quia dubitatur de eſſentia legis, vel ſaltem de conditione eſſentialiter prærequiſita ad ejus obligationem, uti dictum eſt *num.* 274. *&* 577. ergo libertas videtur manere in poſſeſſione contra illam. Advertendum tamen eſt, ſi aliquando fuerit uſu recepta, præſumendum eſſe, quòd præceſſerit promulgatio ſufficiens, poteſtque etiam prudenter aliquid facti præſumi, ſi nempè poſitum ſit aliquid, cui ordinariè ejuſmodi factum adjungi debet, uti legibus ordinariè ſolet adjungi ſufficiens promulgatio, hinc dici ſolet, quòd ex communiter contingentibus fit prudens præſumptio: hinc *Reg.*45. *de Reg.Juris in 6.* ait, *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.*

591 §.3. In dubio, an lex ſit uſu recepta necne, Bonac.Sanch. & alii dicunt præſumi debere, quòd ſit recepta, tum quia de legè conſtat, ergo pro ea eſt poſſeſſio, tum quia debuit uſu recipi, ergo præſumendum eſt id factum, maximè cùm id plerumque fieri conſueverit: è contra Azor.Salas, Dicaſt. *n.*38. negant, quia quando dubitatur de receptione, dubitatur de eo, an lex unquam obligaverit necne, ergo non lex, ſed potiùs libertas eſt in poſſeſſione: videtur tamen eſſe diſtinguendum, nam ſi ſit talis lex, ad cujus obligationem legislator prærequirit acceptationem populi, ut ſæpè fit in legibus civilibus, probabilior eſſe videtur ſecunda ſententia; ſi autem non indigeat acceptatione populi, uti non indigent leges Eccleſiaſticæ, prima videtur præferenda, quia ante illam receptionem habet lex totam vim ſuam obligandi. Videri poteſt Moya *tract.6. d.* 1.*qu.*1.*num.*14. *&* 15.

592 §.4. In dubio, an conſuetudo ſit inducta ex devotione, an ex animo ſe obligandi, putant Az. & Regin. præſumendum eſſe, quod ſit inducta ex animo ſe obligandi, ideoque obliget, ſi cæteræ conditiones adſint, de quibus dictum *n.*571. E contra Diana *par.*1.*tract.*10.*R.*30.Paſq.*de Sacrif.q.*351.*num.*5.aliique multi cum Suar.*hic lib.*7. *cap.*15. *num.*13. probabilius dicunt præſumendum eſſe, quòd ſit inducta ex devotione tantùm, ſicque non obliget ſub peccato, quia libertas eſt in poſſeſſione, neque aliquis præſumitur ſibi voluiſſe onus imponere, niſi de eo certò conſtet: Illſ.*t.*1.*d.*2.*num.*67. conſentit, niſi aliud colligeretur ex communi hominum ſenſu vel ex objecti gravitate, & neceſſitate, aut ſpeciali utilitate: hinc rectè notat Card.*in* 1.*criſi d.*23.*cap.*5.*art.*4. *&* *ſeqq.* quòd in conſuetudinibus univerſalibus Eccleſiæ ſit vis obligandi, quæ licèt non oriatur ex intentione ſe obligandi, quam habuerint fideles, tamen oriatur à traditione præcepti, quamvis fortè defuerit intentio ſe obligandi.

593 §.5. In dubio, an legem ferens ſit legitimus Superior, v. g. an legitimè ſit electus necne, Sanch. *in Decalog. l.*6. *cap.*3. *num.*7. dicit ſubditum teneri obedire, quia Superior habet poſſeſſionem probabilem jurisdictionis, cui poteſt inſiſtere, donec probetur non habere, ergo jus ipſius eſt in poſſeſſione: è contra Mendo *in Stat.d.*13. *num.*236. aliique docent non teneri, quia cùm dubitetur, an ſit Superior, nulla eſt certa poſſeſſio pro jure præcipiendi, de illa enim poſſeſſione dubitatur, eamque negat ſubditus, ergo hujus libertas non eſt de certa ſua poſſeſſione dejecta, Ovied. *de conſc. controv.*3. *pu.*5. probabilius ſic diſtinguit, ſi Superior habeat poſſeſſionem ſui officii, v.g. ſi acceperit claves, ſigillum aut alia ſigna officii, ſubditus tenebitur obedire, quia jam eſt poſſeſſio pro Superioritate; è contra ſi nullam nequidem officii poſſeſſionem acceperit, ſubditus poterit non obedire ob rationem ante datam.

§.6. In dubio, an Superior poteſtatem habeat hoc im- 594
perandi; aut an hoc, quod imperat, poteſtatem ipſius excedat, Diana *par.*9. *tract.*9. *Reſ.*45. Ovied.*num.*59. aliique apud Mendo *qu.*15. §.4. defendunt ut probabile, ſubditum non teneri obedire, ſed Sanch.ſupra latè oſtendit oppoſitum, ac ſequitur ex dictis *à num.*432. eſt enim poſſeſſio pro abſoluta poteſtate Superioris ad imperandum omne objectum, niſi certum ſit hoc vel illud eſſe ſupra ejus poteſtatem, non eſt autem hic, & nunc certum: ſed tantùm dubium, uti ſupponitur, ergo.

§.7. In dubio de juſtitia legis, aliqui apud Dianam ſupra 595
& cum Dicaſt.*de cenſ.d.*1. *n.*353. dicunt probabile eſſe, quòd ſubditus non teneatur obedire, quia jus Superioris nunquam fuit in poſſeſſione ad imperandum aliquid iniquum vel illicitum, ſed Ovied.*n.*61.dicit oppoſitum ſibi eſſe certum, quando enim probabile eſt actionem aliquam eſſe hic, & nunc juſtam, & licitam, certum eſt talem actionem poſſe, & conſequenter debere poni à ſubdito, uti probatum eſt *à n.*432. cum Superior ſit in poſſeſſione imperandi omne id, quod judicat juſtum, & licitum, ergo. Quòd ſi tam Superior quàm ſubditus dubitent, an res præcepta ſit licita, peccat tam Superior præcipiendo, quàm ſubditus obediendo, quia operantur cum dubio practico, & ſpecialiter ideò non tenetur obedire ſubditus, quia ſcit Superiorem non habere poteſtatem imperandi, quando ipſemet dubitat, an licitè imperare poſſit, Lugo *in Reſp.mor.l.*3.*d.*19. *n.*6. Vide dicenda *l.*4.*à n.*159.

§.8. In dubio, an lex contineat præceptum, an tantùm 596
conſilium aut exhortationem, dicendum eſt poſterius, uti notant Sanch. & alii: ſimiliter in dubio, an lex obliget ſub mortali an ſub veniali tantùm, tenendum eſt obligare ſub veniali tantùm, quia libertas eſt in poſſeſſione, & *in obſcuris minimum eſt ſequendum, Reg.*30.*de Reg.juris in 6. Item Reg.*56. *ff. de Reg.juris, Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*: idem dicitur *Reg.*192. & aliis locis *num.*826. referendis, probatque fusè Gob.*in Quin. t.*1. *à n.*75. leges omnes humanas, itemque divinas eſſe benignè interpretandas; hinc ſententiam noſtram tenent Nav.*in man. cap.*23. *num.*50. Sanch.*in Decal. lib.*1. *c.*4. Dian.*p.*1. *tr.*10. *R.*25. contra Laym. & alios apud eundem Dianam: oſtendemus autem *lib.*6. prudentis eſſe in quæſtione circa peccata mortalia potiùs benignas quàm rigidiores ſententias ſequi.

§.9. In dubio, an lex ſit abrogata vel an in ea ſit diſpen- 597
ſatum, tenent Authores communiter cum Dicaſt.*d.*7.*num.*44. quòd obliget, quia eſt antecedens poſſeſſio certa pro ipſa, ejuſque obligatione.

§.10. In dubio, an adſit vel non adſit cauſa ſufficienter 598
excuſans à lege, Salas putat non eſſe obligationem, ſi lex ſit moleſta, quia favendum eſt libertati, quantum poſſumus, quod Dicaſt. *num.*47. dicit non eſſe improbabile, tum enim dubitatur, an lex unquam fuerit impoſita pro tali caſu, & circumſtantia; ſed alii oppoſitum tenent, quia non poteſt faveri libertati, quando eſt poſſeſſio legis contra eam: certum autem eſt legem univerſaliter eſſe poſitam, & dubitatur, an hic caſus eximatur, ergo qui vult ſe liberare à lege debet probare hunc caſum eximi, ita Sanch.*cap.*10.*n.*34. *&* *de Matrim.l.*2.*d.*41.*n.*37.Dicaſt.*nu.*43.Spor.*num.*79. aliique paſſim. Quid cenſendum ſit in dubio, an lex egeat diſpenſatione, dicetur *n.*818.

*Q.*87. *Quid dicendum ſit in dubio vel in probabilita-* 599
te, quod legem impleverim? R.

§.1. Si negativè dubitem, id eſt, ſi non habeam grave motivum, & prudentem rationem judicandi, quòd ſatisfecerim, adhuc teneor, quia tum lex manet in certa poſſeſſione contra meam libertatem, & debito certo non ſatisfit per ſolutionem incertam.

§.2. Si dubium ſit poſitivum, ſive, ſi habeam grave 600
motivum, & prudentem rationem judicandi, quòd legi ſatisfecerim, probabile eſt, me non ampliùs teneri, ita abſolutè tenent Card.*in* 1.*criſi d.*60.*cap.*4. & Illſ.*t.*5. *n.*150. Ratio eſt, quia ſi probabile ſit, me jam ante ſatisfeciſſe, non poteſt eſſe certum, quòd adhuc obliger, ſed probabile eſt me ſatisfeciſſe, ergo. *Min.* ſupponitur, *Major* autem *prob.* nam contra certitudinem non datur probabilitas, & ubi una pars eſt probabilis, oppoſita non poteſt eſſe certa, uti evidens eſt,

& de-

& demonſtrat Card. *d.4. num.6.* ſi autem probabile ſit me jam ante ſatisfeciſſe, probabile eſt me non ampliùs obligari, ergo ſi probabile ſit me jam ante ſatisfeciſſe, non poteſt eſſe certum me adhuc obligari. Ratio à priori eſt, quia lex incerta non obligat, ſed ſi ſit probabile me legi ſatisfeciſſe, lex iterum ſatisfaciendi eſt incerta, ergo me non obligat. *Min.* patet ex dictis: *Major* etiam probata eſt *num.* 272. nam certæ poſſeſſioni libertatis non debet præjudicare vinculum incertum, ſed eo ipſo, quò eſt incertum, non eſt vinculum libertatis. Vide dicenda *n.* 877.

601 §.3. *Objic.*1. Lex v.g. confitendi mortale, item lex non contrahendi Matrimonium in gradu prohibito, ſunt certæ, ergo contra eas non poteſt prævalere probabilitas de Confeſſione facta vel de diſpenſatione valida. R. Ergo non poteſt prævalere probabilitas, pro circumſtantiis, in quibus certitudo illarum legum eſt, c.in quibus non eſt nec unquam fuit, n. conſ. Leges illæ ſunt abſolutæ, & manent certæ, ideoque obligant, quamdiu deeſt motivum probabile judicandi, quòd illis ſatisfeceris, ſi autem hoc adſit, leges illæ pro his circumſtantiis nunquam fuerunt certæ aut in poſſeſſione, ſed pro his circumſtantiis noſtra libertas ſemper fuit in poſſeſſione, uti dictum eſt *num.*660.

*Inſt.*1. Probabilitas impletionis ſuperveniens non poteſt tollere certitudinem antecedentem obligationis, quam lex habuit, ergo. *Prob. antec.* certò poſſidens agrum ex probabili titulo, non poteſt ejici à poſſeſſione propter ſupervenientem probabilitatem juris pro altero, ergo ſimiliter hic. R.n.ant.ad prob.n.conſ.in poſteriore caſu probabilitas ſuperveniens nihil tollit de certitudine poſſeſſionis, neque etiam elidit probabilem illius titulum; è contra in priore fit lex dubia, ergo non manet certa ejus poſſeſſio.

*Inſt.*2. Contra certitudinem nulla eſt probabilitas, ergo contra certitudinem legis non poteſt ſupervenire probabilitas adimpletionis. R. Contra certitudinem, quæ permanet, ſive in ſenſu compoſito certitudinis pro obligatione, non poteſt ſupervenire probabilitas adimpletionis, c. contra certitudinem, quæ fuit, & in ſenſu diviſo illius, n.patet enim, quòd ſententia, quæ hactenus apud ſapientes fuit certa, poſſit fieri incerta, & ob motivum inventum poſſit oppoſitæ ſupervenire probabilitas; idem autem eſt de lege, cujus obligatio erat certa, quamdiu non inveniebatur probabilis ejus adimpletio, hac autem adimpletione inventa definit obligatio legis eſſe certa.

602 *Inſt.*3. Si certus ſim me debuiſſe Petro 100. quamvis mihi probabile ſit, quod ſolverim, tamen ſi id certò non probem, attinebor à Judice, ut ſolvam, licèt fortè per accidens bis ſolvam; ergo ſimiliter hic, quia forum internum debet conformari externo, ubi non eſt certum, quòd externum nitatur errore vel præſumptione falſa. Reſp.Si ant.ſit verum, de quo in *lib.*3. *part.*2. *num.* 452. & 571. ideò eſt, quòd mea probabilis ſolutio nihil tollat de jure certo, quod antecedenter habuit Petrus, hinc dato ant. negabo conſeq. E contra ſi mea probabilis ſolutio reddat jus Petri incertum: jam pro me erit certa poſſeſſio libertatis, & pecuniæ meæ, cui non præjudicabit jus incertum Petri, hinc negabo ant. & ſic eſt in noſtro caſu, nam adimpletio probabilis reddit legem in his circumſtantiis incertam, ergo facit ceſſare illius obligationem.

603 *Objic.*2. Poſſeſſio libertatis certa non tollitur per legem incertam, ergo poſſeſſio legis certa non tollitur per libertatem incertam, ſed ubi adimpletio legis eſt tantùm probabilis, libertas eſt tantùm incerta, ergo. R.n.1. ſeq.lex incerta nihil tollit de ratione libertatis, cùm lex incerta reipſa non ſit lex nec ullo modo obliget, è contra ubi adimpletio legis eſt probabilis, tollitur aliquid, quod eſt de ratione legis hic, & nunc obligantis, nempè applicatio, & notitia ſufficiens obligationis illius.

An lex obliget cum periculo peccandi formaliter: item an lex obliget etiam ad evitandum periculum tranſgrediendi ſe, dicetur *lib.*5.*à n.*252.

DUBIUM II.

604 *Quotuplex ſit præceptum?*

„ REſpondeo I. Præceptum dividitur I. univerſaliter, „ in Affirmativum, & Negativum. Illud eſt, quod „ bonum præcipit: hoc, quod malum prohibet. Differunt „ inter ſe, quòd affirmativum obliget quidem ſemper, ſed „ non ad ſemper, ſeu non pro omni tempore: v. g. Honorandi ſunt parentes, non ſemper, ſed ſuo tempore. Negativum obligat, & ſemper, & ad ſemper. Vid.Bec. *in* I. 2. „ *t.*3.*c.*1.*q.*3. *n.*5.

„ II. In Naturale & Poſitivum. Præceptum Naturale, ſive „ juris naturæ, eſt dictamen ſeu judicium noſtræ rationis, „ quo per lumen nobis ab authore naturæ impreſſum ſtatuimus quid agendum, & quid vitandum ſit, quale eſt illud; „ Bonum eſt faciendum; malum fugiendum. Ex quo præcepto „ generali, particularia, v.g. Deum eſſe colendum, nemini „ faciendam eſſe injuriam, imò omnia præcepta Decalogi, „ (excepta circumſtantia *Sabbati*) multaque alia derivantur. „ Præceptum Poſitivum, ſeu juris Poſitivi eſt, quod in libera Dei vel hominum voluntate poſitum eſt, & ex eodem dependet, v.g. præceptum de Baptiſmo, jejunio quadrageſimali, &c. „

Porrò quomodo Præcepta poſitiva mutari, & variari poſſint ac ſoleant; naturalia verò ſemper maneant, vide apud „ Scholaſticos & Leſſ. *l.*2.*c.*2.*dub.*2. „

Reſp.II. Præceptum Poſitivum dividitur in Præceptum „ Juris divini, quod ſcilicet à Deo traditum eſt; & in Juris humani, quod ab homine. Poſitivum Divinum dividitur in „ præcepta veteris, & Novæ Legis. Lex vetus continebat præ- „ cepta moralia, cæremonialia, & judicialia, de quibus vide „ D.Th.1.2. *q.*99. *& ſeqq.* Lex nova continet præcepta ſuper- „ naturalia fidei, & Sacramentorum. Poſitivum humanum „ dividitur in præceptum Juris Eccleſiaſtici ſive Canonici, „ quod Authoritate Eccleſiæ, ſcilicet Summi Pontificis aut „ Concilii ſtatutum eſt: & Juris Civilis ſeu Politici, quod „ fundatur in poteſtate ſæculari. „

ADDENDA.

*Quæſt.*88. *Quid ſit jus gentium?* R. 605

§.1. A multis malè deſcribitur; nam 1. Juriſtæ jus naturale, jus gentium, & jus civile ita diſtinguunt, ut dicant jus naturale eſſe, quod natura animalia docuit: jus gentium quod ratio naturalis inter homines conſtituit, & quo omnes homines utuntur; jus civile, quod quiſque populus ſibi conſtituit: inde inferunt aliqui, jus naturale ſtrictè, eſſe illud, quod præſcribit tale quid, cui ſimile ipſa bruta faciunt ex inſtinctu naturæ; jus gentium, quod præſcribit tale quid, cui ſimile bruta inſtinctu naturæ non faciunt, ita tamen clarum eſt, ut omnium propè gentium, quæ legibus utuntur, vel lege vel conſuetudine ſit receptum. *Sed contra eſt*, nam invidia, læſiones, neces, furta, fornicationes, coitus cum matre &c. ſunt contra jus naturæ, & tamen fiunt à brutis: deinde jus naturale malè extenditur ad bruta, quæ non ſunt capacia legum. 2. Alii dicunt jus naturale eſſe, quod ſine diſcurſu innoteſcit; jus gentium, quod per diſcurſum neceſſariò è jure naturali ſequitur. *Contra*; Dantur multæ leges naturales, quæ ſolo diſcurſu innoteſcunt: deinde jus gentium non eſt in omnibus ita neceſſarium, quin mutuo conſenſu abrogari poſſet, uti patebit ex dicendis. 3. Alii dicunt jus naturale eſſe, quod obligat omnes homines nulla facta ſuppoſitione ſocietatis humanæ; jus gentium, quod obligat facta tali ſuppoſitione. *Contra*; Fides conjugalis eſt juris naturæ, & tamen ſupponit ſocietatem hominum; id eſt de honorandis parentibus, colendis benefactoribus &c. 4. Vaſq. dicit jus gentium eſſe permiſſiones quaſdam juris naturalis omnibus nationibus communes, uti quòd liceat vim vi repellere. *Contra*; Datur jus gentium etiam obligatorium, uti poſteà aſſignabitur. Has omnes aliaſque ſententias pluribus confutat Suar. *hic lib.*2.*c.*17. *& ſeqq.*

§.2. Jus gentium meliùs ſic definitur; lex non ſcripta; 606
quæ per liberam omnium au ferè omnium nationum conſenſionem, & uſum recepta, vim obligandi habet, ita ferè Suar. & Averſa *hic q.*94.*ſ.*4. *Dicitur* 1. *lex non ſcripta*, quod per modum generis ponitur: 2. *Vim obligandi habet per liberam conſenſionem*, per quod differt à jure naturali, cui licèt ſit vicinum, & affine eò quòd facilè ex ipſo formetur ſeu deducatur, uti rectè docet S.Thom.1.2.*q.*95.*a.*2. & 4. ideoque dici poſſit eſſe aliquid quaſi medium inter legem naturalem, & poſitivam, reipſa, tamen eſt potiùs lex poſitiva, uti docet S.Thom. ſupra: 3. *Per conſenſionem, & uſum omnium ferè nationum*, per quod differt ab aliis legibus poſitivis, quæ non ita latè ſe extendunt ad omnes nationes, nec introducuntur per uſum hominum, ſed per diſpoſitionem legislatoris: ſic ad jus gentium ſpectant diviſio bonorum, limites poſſeſſionum, receptio Legatorum, uſus mercimoniorum, commercium litterarum: item ut non inficiantur aquæ, nequidem inter hoſtes; non venenentur herbæ aliaque ad ſuſtentationem vitæ neceſſaria, &c. de quibus omnibus plura videri poſſunt apud Suar. *ſupra*.

*Q.*89. *Quæ lex ſit pœnalis, & quid circa eam notandum?* R. 607

§.1. Lex dividitur in moralem, pœnalem, & mixtam: moralis eſt, quæ in conſcientia, & ſub culpa Theologica obligat, non tamen ſub pœna infligenda ab hominibus; pœnalis, quæ ratione ſui immediatè obligat tantùm ſub pœna; mixta, quæ obligat ſub culpa Theologica, ſimulque ſub pœna; unde

au-

audiendi non ſunt, qui apud Moyam *t.1.t.6.d.4.q.3.à n.19.* & Dian.*p.1.tr.10. R.20.* non agnoſcunt in lege ulla obligationem ſub culpa, & pœna, ſed volunt omnes eſſe, vel morales tantùm, vel tantùm pœnales.

608 §.2. Quamvis lex pœnalis ratione ſui non obliget ſub culpa, poteſt tamen aliunde eſſe obligatio ſub culpa, ne fiat hoc, quod etiam per legem pœnalem prohibetur, v.g. ſi Princeps per legem pœnalem intentet mortem illi, qui è vivario ſuo capit feram, qui hanc capiet, incurret culpam Theologicam, in primis furti, quia fera incluſa, eſt ſub ſtricto dominio includentis; deinde etiam homicidii ſeu occiſionis ſui, ſi temerè ſe exponat iſti periculo mortis; hæ tamen culpæ non ſunt ratione legis pœnalis, ſed legum naturalium vetantium furta, & occiſionem ſui: ſimiliter quamvis lex pœnalis immediatè obliget tantùm ſub pœna, mediatè tamen obligat etiam ſub culpa, quia tranſgreſſor obligatur in conſcientia pœnam ſolvere, amittitque jus, v.g. ad pecuniam pro mulcta impoſitam, ſaltem ſi exigatur.

609 §.3. Lex pœnalis, alia eſt latæ ſententiæ, alia ferendæ; ſignum, quod ſit latæ ſententiæ, eſt, ſi lex ita habeat, quiſquis hoc fecerit, *ipſo facto pœnam incurret, ſit excommunicatus, excommunicamus eum, ex tunc ſit reus pœnæ, tunc ſubjaceat pœnæ, ſciat ſe incurriſſe pœnam &c.* Signum, quòd ſit ferendæ ſententiæ eſt, ſi ſolùm minetur pœnam, dicendo v. g. *Prohibemus ſub pœna excommunicationis, excommunicabitur, excommunicetur, ſit reus, erit reus pœnæ, obligetur, obligabitur, ſubjacebit pœnæ &c.* In dubio autem cenſenda eſt eſſe tantùm ferendæ ſententiæ quia *in pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt*, uti habent regulæ juris *n.*826.referendæ.

610 §.4. Si legislator primò præcipiat aliquid, & poſteà conſtituat pœnam tranſgreſſoribus, ſignum eſt, quod ſit lex mixta: è contra ſi lex directè nil præcipiat, ſed tantùm pœnam imponat iis, qui rem aliquam egerint vel omiſerint, ſignum eſt, quòd ſit tantùm pœnalis, v.g. ſi dicat, *Omnes cras veniant ad templum, & qui non venerit, pendet* 10. *aureos*, eſt mixta; ſi autem dicat, *qui cras ad templum non venerit, pendet* 10. *aureos*, eſt pœnalis.

611 §.5. Si res præcipiatur ſub pœna non gravi, v.g. excommunicatione minore, ſub interdicto ad breve tempus &c. obligabit tantùm ſub veniali: ſi præcipiatur ſub pœna gravi, ſed ferendæ prius ſententiæ, non ſemper intelligi poterit obligare ſub culpa gravi, uti rectè cum aliis Lugo *de juſt.d.6.n.*51. ſæpè enim pœna eſt ad terrendum: & univerſaliter loquendo, ſi lex tam civilis quàm Eccleſiaſtica feratur verbis præceptivis, & materia ſit gravis, videtur probabilius cum Caſtrop.*hic d.*1.*p.*5. Illſ.*t.*1.*d.*2.*n.*33. & aliis contra Navarr. quòd lex non ſit purè pœnalis ſed mixta: ſi autem non feratur verbis præceptivis ſed indifferentibus, licèt pœna gravis imponatur, cenſenda erit eſſe purè pœnalis: quia talis pœna imponi poteſt propter culpam civilem, neque ratio eſt interpretandi legem in majore rigore, cùm hæc obligatio ſub pœna ſufficiat ad finem legis obtinendum, qui eſt commune bonum per obſervationem rei à lege intentæ, in omnibus tamen conſuetudo, & ſenſus communis eſt optimus legum interpres: ſuntque etiam attendenda verba legis, uti dicetur n.660.

612 §.6. Leges Eccleſiaſticæ latæ ſententiæ inferentes cenſuram obligant ante omnem judicis ſententiam, reliquæ pœnales latæ ſententiæ ſæpè non obligant ad pœnam actu ſolvendam, niſi præceſſerit ſententia declaratoria criminis, uti docent Gran. Mol. Covarr. Vaſq. Lez. Leſſ. Suar. *in 3.p.t.*5.*d.*13. *ſ.*2. *ſ. Nonnulla*, Sylvius *in Reſol. variis p.*1. *V. Beneficium*, *caſ.*5. aliique apud ipſum pluresque adhuc apud Leuren.*p.*2.*q.*288. & colligitur ex *cap. Cùm ſecundùm leges de hæreticis in 6.* ubi poſtquam Bonif. VIII. ſtatuiſſet bona hæreticorum ipſo jure eſſe confiſcata, addit, prius debere ab Epiſcopo fieri promulgationem criminis: idem eſt de crimine læſæ Majeſtatis, item de Beneficiis, ſi quis ipſo facto dicatur privari in pœnam criminis, niſi adderetur, inquit Sylvius, quòd ipſo facto in conſcientia deberet Beneficium dimittere ante quamvis ſententiam etiam declaratoriam criminis: putantque Sanch. Covarr. & alii præter declarationem criminis etiam prærequiri executionem ſententiæ, niſi praxis, conſuetudo vel verba legis ad aliud cogant, quia lex pœnalis, quantùm poteſt, benignè interpretanda eſt, uti ante dictum, reipſa enim nimis durum videtur in ſeipſo exequi talem pœnam: aliud tamen eſt, inquit Sa *v. Beneficium*, ſi lex dicat, quòd collatio Beneficii, v. g. propter Simoniam non valet, tum enim ante omnem ſententiam non valet: putat tamen Illſ. *n.*73. privationem beneficii non incurri niſi poſt declarationem criminis. Vide dicenda *l.*3.*p.*1. *à n.*215. *& l.*4.*n.*943. Quod ſi lex conſiſtat in privatione, ita ut faciat aliquem inhabilem ad acquirendum, v.g. ad habendum titulum, ad faciendum fructus ſuos, Pirrh. *de Cler. non reſid. n.*54.citans Caſtrop.docet incurri pœnam ipſo facto abſque ulla ſententia vel declaratione: Illſ.*n.*72.univerſaliter concludit, quamvis adderetur, *ipſo facto ante declarationem*, tamen de facto nullam dari legem pœnalem, quæ nulla præmiſſa Judicis ſententia denuntiante vel pœnam vel crimen, obliget, exceptis legibus ſtatuentibus cenſuram Eccleſiaſticam, irregularitatem, reſervationem abſolutionis, impedimentum criminis in Matrimonio, privationem petendi debitum conjugale ratione inceſtus intra ſecundum gradum, privationem fructuum ob neglectas Horas. Vide etiam dicenda *lib.*4.*num.*943. Addit tamen rectè Illſ. *num.*47. irritationem actus ſtatutam ob neglectum formæ requiſitæ ad contractum, teſtamentum, Matrimonium &c. item privationem boni necdum obtenti, ſed priùs obtinendi ſub conditione evitati criminis, propriè non eſſe pœnas, & ideò incurri ante omnem ſententiam ac declarationem. Circa pœnam legis irritantis videri poſſunt Illſ. *à n.*78.& Leur.*p.*3.*q.*167.

613 §.7. Si mulcta pecuniaria fuerit impoſita, quæ ipſo facto incurratur, adhuc non teneris ſolvere, niſi exigatur, quia ſic habet praxis, & uſus communis, inquit Caſtrop.*d.*2.*p.*4. *n.*6.

614 §.8. Si pœna ſit nimis difficilis, & ſuperet humanam infirmitatem, uti mors, mutilatio, gravis infamia, lex non obligat reum ad illam per ſeipſum exequendam aut ſponte adeundam, ſed poteſt licitè fugere vel declinare etiam effracto carcere, & deceptis cuſtodibus, uti rectè explicat Buſemb. referendus *l.*4.*n.*1525.docentque communiter AA. cum Illſ.*n.*75.

615 §.9. Pœna conventionalis ex mutuo conſenſu impoſita v. g. illi, qui à contractu reſiliet, debet ſolvi, ſi alter petat, etiam ante omnem ſententiam Judicis, uti dicetur *lib.*3.*p.*2.*n.*506.

616 §.10. Damnatus ad exilium, cenſeri debet damnatus non ad perpetuum ſed temporale; item filius natus ex parente hæretico de jure eſt irregularis, ſi tamen parens poſteà fiat Catholicus, filius non erit irregularis, quia dicetur filius Catholici; & idem eſt de ſimilibus caſibus. Ratio eſt, quia leges pœnales ſunt odioſæ, odioſa autem ſunt reſtringenda, & in benigniorem partem interpretanda, uti *n.*609.dictum eſt: hinc lex pœnalis non debet extendi ad ſimiles vel etiam majores culpas, ſed tantùm ad expreſſas in Jure, ſic bis baptizatus eſt irregularis, non tamen bis confirmatus, quamvis ſit peccatum ſimile; legens libros hæreticos excommunicatur, non tamen audiens conciones hæreticas, quamvis hoc ſit de ſe gravius, & periculoſius: quod maximè valet de lege pœnali exorbitante vel correctiva juris antiqui, quæ ob ſimilitudinem vel identitatem rationis extendi non debet ad caſus alios, Laym. Pyrrh. *l.*3.*t.*5. *num.*171. Quomodo autem pœnæ latæ in reum læſæ Majeſtatis cadant etiam in filios, explicat Delb. *de Imm. Eccl. c.*16.*d.*23 *ſ.*1.

617 §.11. Si feratur cenſura tantùm poſt novam monitionem incurrenda, non fertur præciſè ob factum præteritum, quod de ſe fortè non erat peccatum mortale; ſed ob factum præteritum prout habens adjunctam pertinaciam vel contemptum monitionis, ſic enim fit culpa gravis.

618 §.12. Quando effectui externo imponitur pœna, v.g. vulnerationi, quam ſequitur mors, ſi mors tum priùs ſequatur, quando cauſa voluntaria illius eſt revocata, nihilominus incurritur pœna irregularitatis, ſicuti obligatio reſtitutionis incurritur ex actione damnoſa, licèt de hac aliquis efficaciter doleat, uti rectè Suar. Sanch. aliique cum Dicaſt. *de juram. d.*2. *n.*185. *& 274.*

619 *Q.*90. *Quænam lex dici debeat favorabilis, quænam odioſa?* R.

§.1. Plures malè explicant, nam Tiraq. putat legem illam eſſe abſolutè odioſam, quæ alicui affert gravamen; *Sed contra eſt*, quia ſic omnis lex eſt odioſa, quia affert obligationem, quæ eſt gravamen. *Alii* dicunt illam eſſe favorabilem quæ pro fine habet bonum commune: *Sed contra*, ergo omnis lex eſt favorabilis, quia omnis lex, etiam pœnalis, pro fine habet bonum commune.

620 §.2. Probabilius cum aliis dicunt Cov. Sanch. Sal. Caſtrop. *d.*1. *p.*2. illam legem eſſe favorabilem, cujus materia præcepta eſt conveniens & veluti beneficium eis, quibus præcipitur, uti ſunt leges, quæ apponunt ſolemnitates contractibus, ut ſic vitentur fraudes; item ſignantes taxam mercibus, ut ad certum valorem vendantur: ſi autem materia illis ſit onerosa, uti leges vectigalium, aut imponentes pœnam tranſgreſſoribus, erit odioſa.

621 §.3. In dubio, an lex ſit odioſa an favorabilis, quia nempè non apparet, quid præponderet, cenſenda eſt favorabilis, quia de Principe potius beneficium quàm odium præſumendum eſt, ita Gloſ. Bald. Suar. & alii cum Caſtrop. *ſupr.* & Illſ. *t.*1.*d.*2.*n.*8. Notant etiam Bald. Dec. Pariſ. Chok. Leur.*p.*3. *qu.* 334. legem poſſe eſſe uno reſpectu favorabilem, alio odioſam; dici tamen ſimpliciter favorabilem vel odioſam, attendendo ad hoc, quod principaliter in ea agitur. Atque hæc ſerviunt pro applicanda Regula 15. *de Reg. juris in 6. Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.*

622 §.4. Diſpenſationes, itemque privilegia facta privatis con-

tra

tra legem communem vel contra conſuetudinem communitatis, ſunt odioſa, & ideò reſtringenda, lex enim, & communitas prævalent, exiguntque omnes ſubditos eſſè pares in obligatione, uti habet communis cum Suar. Caſtrop. Sanch. *de Matr. l.8. d.1. n.3. & ſeqq.* Hinc qui obtinuit diſpenſationem pro prima Tonſura, non præſumitur obtinuiſſe pro Minoribus, uti communiter docetur contra Dian. *p.9. tr.8. R.22.* habens autem diſpenſationem pro Ordinibus præſumitur habere tantùm pro Minoribus, Sanch. Suar. Diana aliique communiter cum Leur. *par.1. qu.269.* contra Marchinum & Con. *De Sacram. d.33. d.2. num.29.* Si tamen petens habeat Minores, & diſpenſans id ſciat, præſumitur diſpenſaſſe pro Majoribus, ne diſpenſatio ſit fruſtra, etiam pro Sacerdotio, quòd ſi diſpenſatio ſit ad omnes Ordines, nullus excipitur præter Epiſcopatum, qui ſimul eſt dignitas, ita Sanch. & alii, conſequenter diſpenſatio ad beneficium, ut ſic habeatur titulus Ordinationis, non cenſetur ad curatum ſed ſimplex; item facta ad Beneficium curatum non eſt extendenda ad Canonicatum, qui ſimul eſt dignitas, ita poſt alios Diana ſupra: Similiter diſpenſatus, ne reſideat, non eſt diſpenſatus, ut accipiat fructus, qui abſentibus dari non ſolent: & ideò Sanch. & Lugo *in Reſp. Mor. l.5. d.19. num.3.* dicunt, *Diſpenſatio non extenditur ad annexa ſeparabilia, quoties id, ſuper quo principaliter diſpenſatur, poteſt ſortiri effectum, licèt non ita plenè.* Vide Illſt. *t.1. d.3. à n.32.* item hìc dicenda *n.839.* Item Leur. *ſupra, & q.286. n.3.*

623 §.5. Privilegium qualecumque conceſſum in bonum alicujus communitatis, & nemini præjudicans, eſt amplè interpretandum: item, quod cedit in favorem Eccleſiæ, religionis vel piæ cauſæ, licèt aliquo modo deroget Juri communi, uti cum Diana probat Caſtrop. *d.4. p.10.* Hinc de privilegio, quo v. g. integer Ordo eximitur à juriſdictione Ordinarii, docent Henriq. & Sanch. *in Conſ. l.6. c.9. d.1. n.40.* debere amplè explicari: quod idem dicit Caſtrop. *p.9. de privilegio*, quo Ordo eximitur à ſolutione decimarum, ſi fiat ob cauſam bono communi, & religioni utilem: etiam latè interpretanda ſunt privilegia inſerta juri communi; item quæ conceduntur motu proprio, & ex certa ſcientia, uti oſtendit Caſtrop. *p.10. ubi & ſeqq.* punctis plura habet huc ſpectantia: & de privilegiis plura addemus *à n.832.*

624 *Q. 91. An verum ſit, quod lex & præceptum ponat actionem præceptam vel prohibitam in ea virtute, quam præcipiens intendit, ſive ex cujus motivo precipit?* R.

§.1. Ut intelligatur ſtatus quæſtionis, v. g. pater graviter præcipit filio, ut maneat domi, eo fine, ut ſic conſulat ejus caſtitati, *Quæritur*, an illa manſio domi, non tantùm ſpectet ad virtutem obedientiæ, ſed etiam caſtitatis, propter quam in filio conſervandam pater id præcipit, & ita de aliis: eſt autem hæc quæſtio magni momenti in ordine ad praxin, nam ſi ejuſmodi præceptum ponat materiam præceptam etiam in altera virtute, v.g. caſtitatis, tranſgreſſio talis præcepti continebit duas ſpecie malitias, unam contra obedientiam, alteram contra caſtitatem, unde filius tranſgrediens non ſatisfaciet dicendo in Confeſſione: ſemel tranſgreſſus ſum grave præceptum parentis mei, ſed addere debebit, imperantis mihi aliquid ex motivo caſtitatis.

625 §.2. Aliqui apud Arr. *de peccatis d.41. n.32.* dicunt, quòd ſolùm præceptum ſupremi Principis ponat rem præceptam in virtute illa, ex cujus motivo ipſe præcipit, non autem præceptum ſubordinati Superioris: alii putant præcepta particularia id non facere: Vaſq. dicit vota ſaltem, quæ quis privatim pro ſe emittit, hoc non facere, ſed Arriag. contendit præcepta omnia, etiamque vota id facere, vel nulla omninò præcepta id facere, dicit enim eandem eſſe de omnibus rationem: hinc docet, quod nullum omnino præceptum ponat, rem præceptam in ea virtute, ex cujus motivo ponitur præceptum, fatetur tamen, ſi v.g. Superior in Monaſterio prohibeat ſuis, ne in plateam per feneſtram aſpiciant ne fortè lædatur caſtitas, ſi quis aſpiciat, huic tranſgreſſioni ineſſe duplicem ſpecie malitiam etiam in Confeſſione explicandam, nempè duplicis inobedientiæ, putat enim voluntate præcipientis addentis novam obligationem accedere novam inobedientiam ſpecie diſtinctam: atque hanc Arriagæ ſententiam vocat valdè probabilem Gob. *in Quin. tr.5. cap.6. num.4. Sed contra eſt*, nam oſtendi non poteſt, unde deſumatur illa duplex ſpecie diſtincta inobedientia: unde Leander à Murcia apud Card. *in 1. criſi d.40. àn.11.* abſolutè docet nullam novam malitiam ſuperaddi, ex quocumque tandem fine intendatur actio præcepta. *Rationem dat*, quia finis præcepti non cadit ſub præceptum, ergo licèt Superior imperet aliquid ex fine ſeu motivo v.g. religionis, non ideò res præcepta ſpectabit ad virtutem religionis, & conſequenter virtus religionis non poterit refundere novam ſpeciem malitiæ in tranſgreſſionem. *Sed contra eſt*, nam hic Author videtur illa duo confundere, *Finis præcepti non cadit ſub præceptum: Præceptum non ſpecificatur à fine*: primum eſt verum: nempè quòd finis præcepti non cadat ſub præceptum, id eſt, quando imples opus præceptum, non teneris illud referre ad finem ob quem eſt præceptum, (niſi fortè intentio finis per diſtinctum præceptum præciperetur) ſed ſatis eſt, quod rem præceptam exequaris, v. g. dum Eccleſia ex motivo temperantiæ præcipit jejunare, non eſt opus, ut tu jejunans referas jejunium ad temperantiam, ſive ut velis jejunare, eo fine, ut te mortifices, ſed ſatis eſt, quod reipſa jejunes ex quocumque tandem motivo: ſic enim imples præceptum, cùm intentio illa altera non præcipiatur: quando autem dicitur, quòd præceptum non ſpecificetur à fine, id eſt, quod præceptum non conſtituatur in ſuo eſſe per ordinem ad hunc vel illum ſpecialem finem, ob quem præceptum ponitur, hoc falſum eſt, uti jam dicetur.

§.3. Præceptum, ſi præcipiens ita velit, ponit ſuam ma- 626
teriam in ea virtute, ex cujus motivo præcipitur, ita Lugo *de pœn. d.16. n.255.* Card. aliique communiſſimè. *Probatur* 1. quia actus ſpecificatur à fine etiam extrinſeco, propter quem ponitur, ſic ſi fureris, ut te inebries, actus ille eſt in ſpecie furti & ebrietatis, imò eo fine furans dici debet potiùs intemperans quàm fur, uti ex Ariſt. & S. Thom. notat Palav. *hic d.9. quæſt.2. art.2. n.2.* ergo pariter dici debet, quòd lex ſpecificetur à fine etiam extrinſeco, ſicuti omnis electio medii ſpecificatur à fine intento; nam lex æquè eſſentialiter finem illum reſpicit, & actionem aliquam imperat tanquam medium ad illum finem; & ideò talis lex prohibens curioſum aſpectum in plateam, ne lædatur caſtitas, eſt lex, non tantùm modeſtiæ, qua oculorum curioſitas reprimitur, ſed etiam caſtitatis, imò magis eſt caſtitatis quàm modeſtiæ, quia pro fine habet caſtitatem, & modeſtiam pro medio tantum. 2. Comedere carnes die Veneris non eſt de ſe contra virtutem abſtinentiæ, & tamen quia præceptum prohibens eam comeſtionem eſt poſitum ex motivo abſtinentiæ, hinc comedere carnes die Veneris eſt contra virtutem abſtinentiæ. Item propria authoritate permutare Beneficia, de ſe non eſt contra virtutem religionis, quia tamen Eccleſia hoc prohibet ex motivo religionis, talis permutatio eſt ſimoniaca, & contra virtutem religionis: uti dicetur *l. 3. p.1. q.21.* ſimiliter ſi Eccleſia vel quivis alius Superior æquè primariò, & principaliter imperaret jejunium, hodie ex motivo temperantiæ, cras ex motivo religionis, erunt duo ſpecie præcepta, & conſequenter ſi utrimque frangas, erunt duo ſpecie peccata ſpecialiter explicanda in Confeſſione; idem eſt de aliis infinitis exemplis, ergo certum videtur; quòd præceptum ponat materiam præcepti in ea virtute, ex cujus motivo præcipitur. 3. Lex præcipiens pro fine habet, non tam obedientiam per exhibitionem operis præcepti, quàm bonum ſubditorum, propter quos eſt lex: bonum autem, quod lex hæc vel illa intendit conciliare ſubdito, eſt honeſtas hujus vel illius virtutis, quam ejuſmodi ſubdito lex intendit applicare; & idem eſt de lege prohibente, quæ à ſubdito intendit removere hanc aut illam inhoneſtatem: ergo lex facit materiam ſuam eſſe medium ad talem honeſtatem conciliandam vel inhoneſtatem removendam, ergo facit materiam ſuam ſpectare ad talem virtutem, ex cujus motivo ponitur.

§.4. Ut lex vel præceptum proximè obliget ſubditum 627
ex illa virtute, ex cujus motivo lex vel præceptum ponitur, tria requiruntur, 1. Id, quod præcipitur, debet aliquo modo conducere ad finem iſtius virtutis, ſaltem perfectius conſequendum, ſi enim nullo modo conduceret, non eſſet referibile tanquam medium ad illius honeſtatem conſequendam. 2. Si non ſit aliunde notum, debet Superior exprimere ſe ex illo motivo præcipere, nam actio non præſumitur præcipi, niſi ex motivo ſuo intrinſeco, v. g. jejunium non præſumitur præcipi, niſi ex motivo temperantiæ, hinc ſi Superior præcipiat etiam ex motivo v. g. religionis, ad colendum Deum, debet hoc exprimere, quia cùm hoc pendeat à ſola ejus voluntate, nec ſit frequens, aut ſaltem non ſit connaturale, ut aliquid præcipiatur ex motivo extrinſeco, præſumi non debet. 3. Non eſt ſatis, quòd Superior ducatur illo motivo, idque etiam manifeſtet, ſed debet etiam velle imponere obligationem illius virtutis, & rem præceptam facere eſſe materiam ejus neceſſariam, alioqui non erit obligatio virtutis apud ſubditum; ſic Eccleſia præcipit jejunium in vigilia S. Andreæ, utique etiam ex motivo extrinſeco religionis, ad honorem Dei, & S. Andreæ, quia tamen Eccleſia id nobis non manifeſtat, aut ſaltem iſtam obligationem religionis non imponit nobis, nec vult hoc jejunium eſſe materiam neceſſariam virtutis religionis, qui iſto die non jejunat, non peccat contra religionem, ſed tantùm contra temperantiam.

§.5. *Obji.* Præceptum particulare, & votum non ponunt 628
materiam ſuam in diverſa virtute, licèt ex ejus motivo ponantur, ergo nulla lex vel præceptum id facit. *Prob. ant.* nam ſi pater graviter imperet filio, aut ſi quis apud ſe voveat, hodie jejunium, cras officium defunctorum, utique præcipiens, & vo-

vens

vens habebunt pro ſingulis diebus diverſos fines, & motiva, & tamen ſi tranſgrediantur, ſufficiet in Confeſſione dicere, bis in re gravi fui inobediens Patri, bis grave votum tranſgreſſus ſum, ergo. R. Præceptum particulare & votum non ponunt ſuam materiam in tali alia virtute, ſi præcipiens, & vovens id nolit, c.ſi velit, n. ant. & ſimiliter c.& n. conſ. Et quidem 1. quod præcipientem attinet, multi docent eum pro fine principali habere ſolam honeſtatem obedientiæ; è contra Caſtrop. *de peccat.d.3. p.3. num.12.* Dicaſt.*de pœnit. d.9.num.*487. aliique cum Stoz *lib.1. p.1. num.*52. dicunt potiùs pro fine habere honeſtatem illius alterius virtutis, ad quam actio præcepta pertinet, vel ex cujus motivo ponitur præceptum, quod videtur conformius dictis *num.626.* quidquid tamen ſit de hoc, ſi præcipiens nolit illud, quod præcipit, eſſe materiam neceſſariam illius alterius virtutis, qui tranſgredietur, non peccabit contra hanc virtutem, è contra ſi velit eſſe contra hanc peccabit: hinc docet Oviedo *de peccatis controv.2.num.26.* ſi Superior mihi imperet jejunium ex ſolo motivo temperantiæ & non obedientiæ, ſi obſervem, etiam quia præceptum eſt, me fore temperantem, & obedientem, ſi autem non obſervem, me fore intemperantem ſed non inobedientem, quia jejunium per tale præceptum fit materia neceſſaria temperantiæ, & non fit materia neceſſaria, ſed tantùm apta obedientiæ, aliud enim eſt objectum pertinere ad hanc virtutem, aliud eſſe materiam neceſſariam hujus virtutis: nam quæ ſunt de conſilio, v.g.jejunium die non præcepto, ſpectat ad virtutem temperantiæ, non tamen eſt materia ejus neceſſaria. 2. Quod attinet ad votum, vovens ordinariè pro fine principali habet ſolam honeſtatem fidelitatis erga Deum, & quamvis poſito voto Deus præcipiat illud ſervari, tamen materia hujus præcepti divini eſt talis fidelitas ſervanda, uti pluribus explicat Dicaſt. ſupra: de cætero, quod vovens poſſit facere, ut hoc, quod vovet, ſit materia neceſſaria illius virtutis, ex cujus motivo vovet, docent Valent.2.2.*d.6.quæſt.6.p.4.quæſt.1.concl.2.* Sanch. *in Decalog. lib.4.c.11.num.23.*& alii contra Suar.*de voto l.5. cap.3. num.13.* Caſtrop.*t.15.d.1.p.11.num.8.* Illſ.*t.5. num.105. & alios.* Ratio eſt, quia ſi ex amore melioris boni velit ſe obligare ad talem materiam propter honeſtatem talis virtutis, Deus voluntatem acceptat, & informando lege ſua facit eſſe obligationem in conſcientia.

629 *Inſt.1.* Ergo ſi lex prohibeat religioſo non aſpicere è feneſtra, ne caſtitas patiatur periculum, qui aſpiceret, ſciens nullum eſſe periculum caſtitatis, eſſet luxurioſus ac peccaret, & quidem graviter, cùm in materia caſtitatis non detur parvitas materiæ. R.Aliqui actus per ſe & ex objecto opponuntur alicui virtuti, uti pollutio caſtitati, ebrietas temperantiæ; alii opponuntur per accidens tantùm, & ratione legis, uti dictum eſt *n.626.*hoc notato, nego talem dici poſſe luxurioſum, nam luxurioſus dicitur tantùm ille, cui committit certos actus per ſe, & ex objecto oppoſitos caſtitati: concedo tamen hunc aſpicientem peccaturum contra caſtitatem, ſed peccato diverſo ab illis, quæ ideo prohibita ſunt, quia mala; nec peccaret graviter, quia aſpectus ille, abſente omni periculo, eſt materia abſolutè levis, in qua ſi lex intenderet ponere obligationem gravem, eſſet irrationabilis: poteſt autem in materia, quæ per accidens tantùm ſpectat ad caſtitatem, dari parvitas materiæ, uti & in materia periculi contra caſtitatem, cui quis ſe exponit, uti omnes fatentur.

Inſt.2. Caſtitas non prohibet talem aſpectum, quando nullum ſubeſt periculum. R.Non prohibet, per ſe abſolutè, c. per accidens, ſuppoſita iſta lege, n.nam poſita iſta lege, in primis omiſſio illius aſpectus eſt neceſſaria ad conciliandam ſubdito honeſtatem caſtitatis, ad quam ſic quærendam lex illa obligat; deinde eadem lex imperat omiſſionem aſpectus tanquam medium de ſe conducens ad caſtitatem, medium autem ut medium eò pertinet, quò finis, ergo poſita illa lege omiſſio aſpectus ſpectat ad caſtitatem, ergo ad caſtitatem ſpectat prohibere talem aſpectum veluti oppoſitum medio conducenti ad ſuam honeſtatem.

Inſt.3. Ordinatio illa intrinſeca legislatoris non poteſt facere, ut talis aſpectus habeat oppoſitionem cum caſtitate, quia in his circumſtantiis non magis movet ad turpia, quàm ſi non fuiſſet prohibitus: & ratio à priori eſt, quia inhoneſtas, quæ ex natura rei reperitur in actibus de ſe vitioſis, non ideo reperitur in actibus, qui etiam ex motivo alicujus virtutis imperantur, ſic inhoneſtas contra temperantiam, quæ eſt in hauſtu inebriativo, non reperitur in hauſtu moderato, quamvis hic mihi prohiberetur ex motivo temperantiæ, ne inebriarer, illa enim ordinatio, cùm ſit extrinſeca rei, non poteſt ipſi dare contrarietatem cum quacumque virtute, ſed præcisè cum prohibitione. Similiter ſi Deus jam imperaret mihi actum fidei ex motivo honeſtatis, quæ eſt in fide, & ego non eliicerem fidem, ſed fabularer, nulli tamen articulo diſſentirem, nec de ullo dubiarem, quis dicet me peccare contra fidem, eſſe hæreticum, aut habitum fidei amittere? Ita Arr.R. Non poteſt facere, ut talis aſpectus habeat, per ſe & ex objecto, oppoſitionem cum caſtitate, c. per accidens, & ratione ejuſmodi legis, n. ex hoc autem, quòd non magis moveat ad turpia, quàm ſi non eſſet prohibitus, tantùm ſequitur, quòd per ſe & ex objecto non ſit contra caſtitatem. Idem applica iſti rationi à priori, nam ratione legis refunditur alia inhoneſtas, per accidens virtuti oppoſita, & ita licèt actus moderatè bibentis, quando eſt lex nihil bibendi, non habeat contrarietatem per ſe & ex objecto reſpectu virtutis temperantiæ, habet tamen per accidens, & ratione legis vetantis hic, & nunc omnem potum, & idem eſt de illo non eliciente fidem: non tamen eſt hæreticus, neque ideò amittit habitum fidei: quia ad hæc requiritur actus per ſe, & ex objecto directè oppoſitus fidei: atque idem dicendum eſt in aliis ſimilibus materiis virtutum.

Inſt.4. Ergo ſi quis ſciret ſe per eſum piſcium moveri ad luxuriam, & Superior ex motivo caſtitatis illi imperaret eſum piſcium, comedendo piſces eſſet caſtus, non comedendo eſſet incaſtus. R.Comedendo piſces & abſque conſenſu permittendo motus illos, eſſet caſtus actu caſtitatis per accidens & ex lege tali, non comedendo autem eſſet incaſtus actu per accidens, & ratione legis oppoſito caſtitati, quia nollet amplecti honeſtatem caſtitatis ſibi per legem ejuſmodi ſub obligatione propoſitam.

DUBIUM III. 630

An vis, & ſubſtantia Legis poſitivæ dependeant ab acceptatione communitatis.

REſpondeo. Etſi ita ſentiant Canoniſtæ: item Nav. Azor.&c.citati à Laym.*lib.1.tract.4. cap.3.* eò quòd ponant leges hac tacita conditione ferri, ſi à populo fuerint acceptatæ, alioqui vim ſeu obligationem non habituras, verior tamen ſententia eſt Theologorum, leges abſoluti Magiſtratus non pendere à populi acceptatione, & conſenſu, ſed mox ut legitimè promulgatæ ſunt, obligare populum ad recipiendum; præſertim in legibus Pontificis, qui ſuam poteſtatem non accepit à populo, ſed à Chriſto, Vaſq. Suar. Molina &c.Unde à Laym.*l.c.*reſolvuntur hi caſus,

I. Epiſcopis ex officio incumbit, novas leges Pontificias, (ut Principibus, Imperatorias) promulgare per ſuas Dioeceſes, atque in uſum deducere.

II. Si lex in Provincia promulgata ſit, ſed à majore parte populi non accipiatur nec obſervetur; tunc, ſi legislator id ſciat & taceat, cenſetur hoc ipſo legem revocare. Si verò id ſciat, & urgeat obſervationem, quiſque tenetur eam ſervare: quia potiùs caput ſuum, quàm reliqua membra ſequi debet.

III. Si Princeps neſciat non recipi, nec deduci ad uſum, durat legis obligatio, donec elabatur decennium, quo elapſo, præſcriptum eſt contra eam, ſive Imperatoria ſit, ſive Pontificia, & tunc non ampliùs obligat: Uti & lex Eccleſiæ, etſi ſemel recepta ſit, aboletur per præſcriptionem, ſed annorum plurium, nempe quadraginta. Navarr.Azor. Suar.

IV. Si tu legem promulgatam paratus ſis ſuſcipere, & data occaſione etiam obſerves, ſed alii plerique è communitate non recipiant, nec recepturi videantur, tunc ſaltem ab ea excuſaberis, per diſcretionem.

V. Etſi primi Epiſcopi fortè peccarint non recipiendo legem & in uſum deducendo, ſucceſſores tamen eorum, ſi poſt longum tempus videant non obſervatam, credere poſſunt eſſe ſublatam per præſcriptionem.

VI. In dubio, num lex recepta ſit, necne, præſumendum eſt pro ipſa: quia factum in dubio præſumitur, ſi de jure faciendum erat. Vide Azor.*l.5.cap.4.* Laym.*c.3.* Sal.*de leg.d.13.ſ.3.*

ADDENDA.

QUæſt.92. *An ſubditi peccent non acceptando legem?* 631
R.Peccant, ſi abſque cauſa non acceptent, nam Alex. VII. damnavit hanc 28.propoſ. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam*: & Ratio patet, quia reſiſtit poteſtati à Deo ordinatæ, ſicque fruſtra eſſet poteſtas legislativa. Quando autem dicitur, *abſque ulla cauſa*, intelligitur, rationabili, nam cauſa irrationabilis & purè voluntaria reipſa nulla eſt.

Q.93. Quid notandum ſit circa acceptationem legum, 632
præſertim Eccleſiæ? R.

§.1. Quòd lex, etiam Eccleſiaſtica, non recepta, non obliget, etiamſi primi non recipientes peccarint, eſt communis ſententia, quam tenent Nav.Covar. Cancel. Menoch. Mandoſ.

Mandoſ. Guttier. Pariſ. Valent. Silveſt. Armil. Rodriq. aliique plurimi cum Suar. *hic lib.4.c.16.n.9.* Sanch. *de Matr.l.3. d.18.n.1.* Garcia *de Benef.p.11.c.5.n.150.* Moya *t.6.d.1.q.1.* Quod verum eſt, etiamſi lex contineat decretum irritans, Riccius dicens communem, Puteus, Garc. *n.152.* Item, etiamſi deroget conſuetudini, Garc. *n.153.* citans alios; Item, etiamſi non ſit recepta per ignorantiam, Garc. *n.154.* citans Nav. & Rodriq. Hinc Luca *de Benefic.d.65. n.13.* docet, quòd quamvis Papa habeat immediatè à Deo poteſtatem legislativam, ut habetur *Cap. Novit.13. de Judiciis*, ita ut ipſius leges nunquam indigeant acceptatione Eccleſiæ, tamen ſi Eccleſia per non uſum non admittat legem tolli obligationem, ob implicitam Papæ ſcientiam, & patientiam, quæ eſt virtualis revocatio. Addit poſt Leſſ. & alios Card. *in 1.criſi d.29.n.65.* leges Eccleſiæ ex benigna interpretatione voluntatis Pontificum non obligare ante acceptationem, quando eſt cauſa rationabilis non acceptandi. Vide dicenda *lib.4.n.520. & 672.*

633 §.2. Putat Garc. *num. 156.* probabile eſſe ad tollendam obligationem legum non receptarum, etiam ignorante legiſlatore, non requiri decennium, ſed ſufficere actus contrarios in numero ſufficiente, ſecundùm arbitrium prudentum, quia ita videtur ſervari in praxi, pro quo citat Navar. Felin. Bottæ. ſed contradicunt Suar *ſupr.* Salas *d.13. ſ.4. num.24.* cum communi requirentes, ut hoc fiat ſciente, & tacente legislatore.

634 §.3. Putat Garc. *num.159.* neceſſe non eſſe, ut generaliter, & à majore parte Eccleſiarum unius Provinciæ non ſit recepta lex, quia v.g. Capitulum unum hìc non conſideratur ut perſona particularis, ſed ut univerſitas, cùm non agatur de acquirendo ipſi Capitulo ut Capitulo & ut privatæ perſonæ, ſed omnibus de Capitulo & in univerſum; quæ doctrina admitti poteſt, ſi lex lata ſit pro ſolo tali Capitulo, nam ſi major pars Capitulorum aut totius communitatis, in qua Capitulum eſt, legem admittat, cenſetur tota communitas admiſiſſe; & debet pars minor ſequi majorem.

635 §.4. Teſtatur Gob. Reges Galliæ jam à tempore Caroli Magni hoc ſibi privilegium arrogare, quòd nullæ leges Pontificiæ tangentes univerſum regnum, vel promulgari vel obligare poſſint, niſi diploma Papæ ſigillo ejuſdem munitum approbetur à Rege, ideoque refert Chaſſaing Tridentinum quoad nova morum decreta repugnantia moribus Galliæ, neque in toto neque in parte potuiſſe venire ad receptionem, licèt Henricus IV. jurarit Clem. VIII. ſe operam navaturum, ut in toto regno reciperetur: putatque etiam *Baunius*, quòd in Gallia, & Belgio neceſſarium ſit placitum Regis, ad hoc, ut decreta Pontificia obligent: ſed de his ipſi viderint, ſi enim ita eſt, erit hoc per accidens, ex privilegio ipſorummet Pontificum: Illſ. *t.1. d.3. n.66.* docet per Trid. iſti privilegio eſſe derogatum.

636 §.5. Si lex concernat res fidei, exceptio non receptæ legis non valet, quia omnes tenentur credere, quod eſt de fide; idem eſt, ſi lex abroget aliquid tanquam pravum, & ſcandaloſum, aut ſi damnet conſuetudinem tanquam irrationabilem & iniquam, uti recte Garc. *à num.161.* tum enim jus naturæ, quod perpetuum eſt & neceſſarium, pergit ſemper aſſiſtere legi.

637 §.6. Hanc propoſitionem, *Bulla cœnæ non obligat, ubi non eſt acceptata*, Generalis Societatis JESU anno 1597. die 9. Auguſti reſcribens ad Provinciam Venetam rejecit ut falſam: ſed quicquid ſit de Italia aut aliis etiam Provinciis, certum videtur, quòd in Germania non obliget hodiedum quod aliqua, vel ſaltem non cum illo rigore, uti notant Laym. aliique graviſſimi recentiores in manuſcriptis. Grotius *lib.1. cap.3. à num.* 8. conatur evincere, quòd Reges habeant à populo abſolutam poteſtatem leges ferendi, & imperandi, nec ab eo vi coerceri poſſint, ſi poteſtate abutantur: quandonam autem licitum ſit reluctari Regi, explicat *cap.4.*

638 *Q.94. Quandonam licitum ſit appellare à lege, vel ſupplicare contra illam?* R. Quando adeſt cauſa rationabilis, nam poteſt lex ita eſſe incommoda, & diſconveniens moribus & conſuetudinibus hujus aut illius etiam particularis provinciæ, aut ita difficilis huic aut illi inſtituto, patriæ, populo, ut executio in uno alterove loco rationabiliter ſuſpendi, & acceptatio uſque ad aliam informationem differri poſſit & debeat, uti habet communis cum Suar. *l.4.cap.16.num.7.* Salon. Laym. Salas *d.13. ſ.4.* Bonac. *d.1. q.1.punct.4. num.42.* prudenter enim tum præſumitur, quòd Superior neſcierit vel non conſideraverit difficultates, hinc ſi ſit inferior legislator licebit appellare ad ſuperiorem, ſi autem ſit ſupremus vel independens, poterit apud eum ſupplicari, ut legem tollat vel mitiget. Si tamen veriſimile eſt legislatorem non ignoraſſe circumſtantias, & ſpeciales rei præceptæ difficultates, communiſſima ſententia eſt cum Suar. legem eſſe acceptandam, quamvis difficilia & dura præcipiat: multò minùs differri poteſt acceptatio, ſi non cogitetur de appellando vel ſupplicando; nec de proponendis cauſis, maximè ſi ideo taceatur, quia Legislator creditur non approbaturus rationes opponendas.

Q.95. An durante tali appellatione, vel ſupplicatione, ſubditi debeant obſervare legem? 639 R. Si lex ſervari poſſit ſine magna rerum mutatione vel periculo ſcandali, Suar. ſuprà putat obſervandam eſſe, quia certò poſſidet, & excuſatio eſt dubia: idem tenet Vaſq. Lorca, Garc. teſte Leur. *part.3. q.370.n.5.* conſentit Caſtrop. *d.1. pu.13. n.14.* E contra Bonac. Salas, Rodriq. Gran. Steph. *tr.2. d.1. dub.3.* Honor. Fabri & alii apud Moyam *in ſel.t.6.d.1.q.1. n.16.* putant obligationem ſuſpendi, quia ita habet uſus & praxis, neque ideo puniuntur ſubditi, ſi interea non obſervent: ſicque præſumitur de benignitate Eccleſiæ, uti cum Leſſ. & Carden. dictum eſt *n.592.* ſicque etiam conveniebat, ut gubernatio Eccleſiæ, & Reipublicæ ſit ſuavis ac humanæ imbecillitati attemperata, uti inquit Illſ. *tr.1.d.2.n.5.*

Q.96. Si Superior audita appellatione, vel ſupplicatione taceat, an hoc ipſo cenſeatur revocare legem? 640 R. Affirmativè, alioquin tenebatur legi inſiſtere, & his non obſtantibus urgere eam, ita Bonac. Salas & Caſtrop. *d.1. pu.13.* Excipe, niſi aliunde ſatis colligeretur, quòd taciturnitas eſſet per modum repulſæ aut indignationis, tum enim potiùs firmaretur lex.

Q.97. An lex alioquin invalida per hoc fiat firma, quod ſubditi eam acceptent? 641 R. Si invaliditas fuit ex eo, quòd aliquid præciperetur contra jus ſubditorum, ſi hi poſteà liberè acceptando efficaciter cedant illi juri ſuo, fiet firma, uti patet: notatque rectè Gob. receptionem legis cujuſcumque fieri poſſe per ſolum uſum: è contra ſi invaliditas fuit ex eo, quòd legislator excederet ſuam poteſtatem, uti ſi laicus Princeps præcipiat Miſſam die non feſtivo, quamvis populus legem acceptet, non fit firma, quia præcipiens nec habuit, nec per illam acceptationem acquirit poteſtatem præcipiendi talem actionem, ita Card. *in 1.criſi d.29.à n.159.*

Quid cenſendum ſit in dubio, an lex uſu ſit recepta necne, dictum eſt *n.591.*

DUBIUM IV. 642

An præcepta etiam humana obligent ſub peccato, & quali?

REſpondeo. Cùm Deus ſit Dominus noſter atque etiam Superioribus parere nos juſſerit, non ſolùm ipſe, ſed & illi nobis præcipere poſſunt & præcipiunt, tum ſub pœna, tum etiam ſub culpa, ſive peccato, idque gravi aut levi, prout & rei præceptæ ad intentum finem neceſſitas, & materiæ quantitas, & eorum voluntas ſeſe habent, quæ ex eorum verbis, circumſtantiis, aut prudentum æſtimatione ſolet colligi. Ita Theologi communiter. S. Thom. Suar. Salas, &c.

Unde reſolvuntur hi caſus.

I. Graviter peccat, qui deliberatè & in materia magna violat præceptum aliquod Decalogi vel Eccleſiæ.

II. Cùm res levis eſt, non peccat mortaliter tranſgrediens, etſi Superior ſub mortali præceperit, quia id cum poſſe negant Suar. Laym. & alii ex communi: v.g. ne quis frangat ſilentium, ne edat uvam, ut claudat oſtium, &c. quia eſt res parva incapax tantæ obligationis; Nec ipſe Deus in materia parva ſub mortali obligat. Vid. Leſſ. *l.2.c.4. d.9.* Salas, *d.10. ſ.7.*

III. Aliud eſſet, ſi materia aliàs levis fieret gravis, ratione circumſtantiarum, ut, v.g. contemptus, ſcandali, magni boni communis, vel finis à legislatore intenti: Sic abſtinentia à pomo in Paradiſo in ſe quidem parv, graaviſſima tamen erat ex circumſtantia finis. Suar. *l.3.cap.25.*

IV. Quando materia eſt gravis, poteſt Superior præcipere ſub culpa tantùm levi, quia ſicut poteſt nullo modo obligare, non præcipiendo, ita etiam poteſt obligare ſub veniali tantum. Ita Suar. Leſſ. *loc. cit.* contra Vaſq.

V. Potiſſima ſigna, ex quibus colligi poſſit, an lex obliget ſub gravi culpa, ſunt hæc: I. Si materia ſit gravis, & non conſtet in contrarium de voluntate præcipientis: Unde Caj. *in ſumm. v.Cleric.* docet Clericos tantum peccare venialiter, dum contra præcepta juris poſitivi aves, & canes ſequuntur ad venandum. II. Si verba magnam vim habent, ut jubemus, interdicimus, in virtute Sanctæ Obedientiæ; vel vi voti, aut juramenti, vel graviter mandamus, &c. III. Si pœna magna adjiciatur, ut ex-

com-

„ communicationis, depoſitionis, maledictionis æternæ, exi-
„ lii perpetui, mortis, &c. IV. Si ita fert uſus, & conſuetudo
„ inter peritos & timoratos, quia conſuetudo eſt optima le-
„ gum interpres, ut patet in lege jejunii Eccleſiaſtici, & abſti-
„ nentiæ à carnibus, item Communionis annuæ, quas gravi-
„ ter obligare probat hic Tolet. Laym. *cap.* 14. *n.* 4. Bon. *p.* 7. §. 4.

ADDENDA.

SUppono hic etiam ſæcularem legislatorem poſſe obligare in conſcientia, id enim evincit ratio allata à Buſemb. & videtur certum ex 1. Petri 2. item ad Rom. 13. Videri poteſt Moya *T.* 1. *t.* 6. *d.* 4. *q.* 3. *an.* 28. Nunc videndum eſt, quouſque poſſit obligare.

Q. 98. *An lex humana poſſit ſaltem indirectè præcipere vel prohibere actus merè internos?* R.

643 §. 1. Hoc dicitur præcipi indirectè, quod non præcipitur in ſe, neque eſt aliqua pars illius, cujus poſitio præcipitur, ideò tamen cenſetur præcipi, quia eſt abſolutè neceſſarium ad hoc, ut ponatur id, quod præcipitur, v. g. ſi alicui præcipiatur adoratio Dei, indirectè præcipitur cognitio, & æſtimatio Dei, ſine quibus non poteſt eſſe adoratio; ſi præcipiatur auditio Miſſæ, indirectè præcipitur intentio audiendi, ſine qua non cenſebitur poni auditio præcepta: è contra hoc dicitur præcipi directè, quod non ratione alterius ſed ratione ſui præcipitur, ita ut illius poſitio ſit hoc, in quod lex tendit.

644 §. 2. Lex humana poteſt ſaltem indirectè præcipere, & prohibere actus merè internos, quia poteſt præcipere actum externum, v. g. adorationem Dei; auditionem Miſſæ &c. ad quorum poſitionem neceſſarii ſunt actus merè interni, uti jam dictum eſt, ergo.

645 *Q.* 99. *An lex humana poſſit præcipere, vel prohibere actum externum in ordine ad actum internum, ſive reſpiciendo internum tanquam finem, ad quem legislator ordinet externum?* R.

§. 1. Negat Caram. quia cùm media ſpecificentur à fine, qui non habet poteſtatem in finem, ad quem diriguntur media, etiam non habet poteſtatem in media, ſed lex humana non habet poteſtatem in actum internum, qui hic eſſet finis, ergo nec habet poteſtatem in actus externos, qui ſupponuntur eſſe media ad internos; conſequenter, inquit Caram. pater non poterit prohibere filio ingreſſum in aliquam domum, eo fine, ut filius non habeat delectationes internas, nec Superior ideò poterit ſubdito religioſo prohibere lectionem libri turpis, quia prohibere delectationes internas eſt ſupra poteſtatem humanam.

646 §. 2. Poteſt lex humana præcipere, vel prohibere actum externum in ordine ad internum, & conſequenter præcepta Patris, & Superioris jam inſinuata valent. Ita Card. *in* 1. *criſi d.* 25. *cap.* 2. *& ſeqq. Probatur*, nam licèt actus externus ordinatus ad internum, ab hoc etiam ſpecificetur, non ideò eſt vel fit actus internus, ſed tantum reſpicit eum, in ſe autem eſt, & manet actus externus, ergo non eſt, cur lex humana eum non poſſit præcipere, etiam dato, quòd lex humana non poſſit directè præcipere ullos actus internos: idipſum evincit variis argumentis ex Tridentino & ratione deſumptis Card. *c.* 3. *& ſeqq.* nam Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 5. expreſsè præcipit ritus Miſſæ tanquam adminicula ad rerum divinarum meditationem: item præcipit catecheſes, prohibet libros hæreticos, ut retineatur fides interna, imò probabile eſt, quòd Eccleſia in omnibus ſuis præceptis intendat perfectionem Chriſtianam, quæ in perfecta charitate interna conſiſtit, ergo. Atque ex his patet, quid dicendum ſit ad argumentum Caramuelis, nam ſi major eſſet vera, ſimili modo argumentarer: Eccleſia non habet poteſtatem circa jus divinum Sacramentale, ſed ea, quæ præcipit propter jus divinum Sacramentale promovendum, ſpecificantur à jure divino Sacramentali tanquam à fine, ergo ad ea Eccleſia non habet poteſtatem, conſequenter præcipere non poteſt cæremonias, & ritus in adminiſtratione Sacramentorum; item qui non habet poteſtatem in finem, nec habet in media, ſed Eccleſia non habet poteſtatem in eſſentiam v. g. Sacrificii, ergo nec habet in media illud dignè offerendi, adhibendi certos ritus, veſtes, orationes, &c. & conſequenter iſta non poteſt præcipere, quod dicere eſt abſurdum.

647 *Q.* 100. *An lex humana poſſit directè præcipere vel prohibere actum mixtum ex interno, & externo*, id eſt, talem actum externum, qui abſolutè quidem poſſet eſſe abſque actu interno, attamen ad cujus eſſe morale intrinſecè ſpectat aliquis actus internus, uti ad eſſe morale Confeſſionis, ut dicatur valida, ſimul ſpectat dolor de peccatis, qui eſt actus merè internus, ad eſſe morale contractus, qui ſit validus, ſpectat interna volitio contrahendi? R. Negant multi, ſed communiùs, & probabiliùs affirmant alii cum Gob. *in Exp. tr.* 5. *n.* 189. & Card. *in* 1. *criſi d.* 9. *c.* 20. *art.* 12. iterumque *in* 2. *criſi d.* 24. *n.* 10. qui dicit nunc eſſe certum. *Probatur*, quia Alex. VII. damnat hanc 14. propoſ. *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*, ergo ex hac damnatione certum eſt Eccleſiam præcipere Confeſſionem validam, ergo certum eſt præcipere Confeſſionem cum dolore & propoſito, ergo ſimul præcipit dolorem, & propoſitum, qui ſunt actus merè interni, requiſiti ad illud totum eſſe morale, quod eſt Confeſſio valida: idem eſt, quando Urbanus VIII. prohibet applicationem ejuſdem Miſſæ pro duobus ſtipendiis, ibi enim ſimul cum receptione duplicis ſtipendii prohibet applicationem, quæ eſt actus merè internus; item Eccleſia prohibet promiſſionem fictam Matrimonii, & quidem primariò fictionem, quæ eſt actus merè internus: item prohibet ſimoniam omnem mentalem, etiam juris tantùm Eccleſiaſtici, &c. neque hoc eſt indirectè tantùm præcipere vel prohibere actum internum, nam hoc, quod præcipitur vel prohibetur, non eſt aliquid adæquatè diſtinctum ab actu interno, quòd tantùm ſit connexum eſſentialiter vel conjunctum cùm illo, ſed eſt aliquod morale, quod intrinſecè conſtituitur ex actu interno, & externo ab invicem alioqui ſeparabilibus, ita ut habito præcisè actu externo non haberetur hoc, quòd præcipitur, ergo actus internus directè ſimul præcipitur eodem modo, quo externus, uti poſt Caram. rectè urget Carden. *ſupra num.* 9. Similiter dicunt multi ab Eccleſia directè præcipi aut ſaltem præcipi poſſe orationem attentam, etiam dato, quod eſſentia orationis conſiſtere poſſit ſine attentione interna, ſic autem ſimul directè præciperetur attentio interna, ergo. Denique quis dicat Patrem non poſſe filio prohibere mendacium? Illo autem prohibito æquè primò prohibetur mens verbis contraria, ergo. Plura exempla affert Card. *ſupra ànum.* 16. probatque etiam Suar. *l.* 4. *cap.* 13. ſæpè à Jure Canonico præcipi ejuſmodi actus mixtos.

Q. 101. *An lex humana poſſit directè præcipere vel pro-* 648
hibere actus internos, & quidem ſolos? R. Antequam reſolvam, explicabo ſententias, quæ præcipuè tres ſunt; prima negat, ſecunda affirmat, tertia diſtinguit.

§. 1. Prima ſententia negans docetur expreſsè à S. Th. 1. 2. 649
quæſt. 91. *a.* 4. *O, & q.* 100. *a.* 9. *O*, ubi pro eadem citat *Ariſtotelem*; ſequuntur plurimi antiqui & recentiores: *Ratio* autem eſt 1. quia fruſtra eſſet poteſtas imperandi actum quem imperans nullo modo per ſe cognoſcere poteſt, neque illius omiſſionem punire, neque expletionem urgere, ſed legislator humanus nequit per ſe cognoſcere actum merè internum non conjunctum cum externo, nec poteſt punire ejus omiſſionem, neque urgere expletionem, cùm non poſſit ſcire, an poſitus ſit vel omiſſus, ergo. 2. Si lex humana poſſit præcipere actus merè internos, etiam poterit lex civilis, quod eſt contra communem ſenſum. 3. Et velut à priori: poteſtas humana debet exerceri humano modo, ſed non exerceretur humano modo, ſi tenderet directè ad actus merè internos, etiam ut conjunctos cum externis, inquit Lugo *in Reſp. Mor. l.* 6. *d.* 7. quia agere de merè internis ad ſolum Deum, & creaturas ſpirituales ſpectant, commercium verò humanum tantùm attingit externa ſenſibus ſubjecta: atque inde etiam eſt, quod lex purè interna, & exteriùs non manifeſtata neminem obliget, etiamſi ſciretur exiſtere in mente legislatoris volentis obligare, quia nempe humano modo non eſt applicata, ergo 4. Commune axioma eſt, quod ad Eccleſiam non ſpectet judicare de internis, ergo nec ad eam ſpectat agere de internis, ergo nec ea præcipere vel prohibere.

§. 2. Secunda ſententia affirmans docetur ab Adriano & 650
aliis, ac nititur his fundamentis, 1. Chriſtus dedit Eccleſiæ poteſtatem abſolutam præcipiendi ſuis ſubditis, quam non ſcimus eſſe limitatam ad actus tantùm externos vel mixtos, ergo cùm conceſſio Chriſti ſit favorabilis, reſtringi non debet, ſed potiùs extendi etiam ad actus merè internos, v. g. virtutum, cum hi maximè utiles ſint vel neceſſarii ab bonum animæ, & ultimum finem, ad quem fidelibus procurandum data eſt Eccleſiæ poteſtas legislativa. 2. Eccleſia poteſt diſpenſare in voto merè interno, ergo habet poteſtatem ad merè interna. 3. Poteſt quis obligare ſe voto ad actum merè internum, ergo etiam poteſt obligari ab alio homine cui poteſtatem in ſe dedit. *Conf.* nam ſi quis voveat in omnibus obedire Prælato, poterit Prælatus ei præcipere, v. g. orationem mentalem, ad quam tenebitur vi præcepti, ergo præceptum humanum poteſt directè tendere in actum merè internum. Hæc quidem argumenta & plura alia probabiliter ſolvunt Lugo ſupra & Caſtrop. *d.* 1. *p.* 6. fuſiſſimè autem Dicaſt. *de cenſ. d.* 2. *ànum.* 89. alia tamen poſteà afferenda non ita facilè ſolvent.

§. 3. Tertia ſententia, quam tenent Carden. *in* 2. *criſi* 651
diſſ. 24. Gormaz *de pœn. p.* 2. *nu.* 67. *& alii*, diſtinguit inter leges, nam alia eſt tantùm directiva, alia eſt etiam coactiva; directiva tantùm eſt, quæ obligat ad ſolam culpam in conſcientia incurrendam, non autem ad aliquam pœnam ab homine infligendam, & ſic legislator obligatur ſuis legibus

con-

concernentibus bonum commune, item in probabili ſententia Clerici obligantur legibus civilibus ſpectantibus commune bonum, ſed tam legislator quàm Clerici obligantur quoad vim tantùm directivam uti *n.674. & 675.* dicetur: Lex coactiva, quæ aliter vocatur comminatoria, obligat, & ſub culpa & ſub pœna expreſsè vel tacitè ſtatuta per legem: porrò lex coactiva iterum eſt duplex, alia enim eſt coactiva coactione interna, alia externa; illa dicitur coactiva coactione interna, quæ obligat ſub pœna ipſo facto ante ſententiam Judicis incurrenda: illa dicitur coactiva coactione externa, quæ obligat ſub pœna per ſententiam inferenda. Hoc ſuppoſito,

652 §.4. Lex humana, ſi ſit tantùm directiva, poteſt præcipere, vel prohibere actus merè internos. *Prob.*1. quia poteſt præcipere actus mixtos, uti *num.*607. dictum eſt, ergo etiam ſolum internos. *Conſ. prob.* quia præcipiendo mixtos, directè tendit etiam in internos, præcipiendo illos, nec requiritur, ut de eis poſſit cognoſcere aut judicare. *Conf.* Eccleſia potuit primò præcipere orationem vocalem nudam, & poſteà ſuperaddere præceptum directivum de adjungenda attentione interna, ſicque directè adjeciſſet præceptum tendens in aliquid merè internum. 2. Quia actus merè internus eſt capax obligationis à Deo, ergo etiam ab homine, nam non obſtat, quod homo eum actum non poſſit cognoſcere, judicare, punire, id enim non requiritur ad legem directivam, ſed tantùm ad coactivam, & ſatis eſt, quòd Deus, qui aſſiſtit omni legi humanæ, eamque ſua voluntate veluti informat, ſuppleat in eo, ſitque ejus vindex, & tranſgreſſionem ſit puniturus: poſſe autem dari legem, quæ tantùm ſit directiva, videtur certum, cum vis directiva ſit ſeparabilis à coactiva, uti *n.*651. dictum eſt circa legislatorem & Clericum: imò omnis lex naturalis, prout contradiſtinguitur à Divina, eſt tantùm directiva, ergo etiam talis eſſe poterit lex humana reſpectu actus merè interni. 3. Praxis propoſitionis decimæ ab Innocentio XI. damnatæ eſt aliquid purè internum; ſed praxis propoſitionis eſt prohibita per legem humanam directivam, ergo aliquid merè internum prohibetur per legem humanam directivam. *Min.* eſt certa ex Bulla adjuncta, ubi in fine diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ & ſub iterminatione divini judicii prohibetur praxis omnium illarum propoſitionum; *Maj.* etiam eſt certa quia propoſitio 10. damnata eſt hæc, *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*, praxis autem illius eſt omiſſio amoris interni, quæ omiſſio eſt quid purè internum. *Si dicas* 1. ibi tantùm prohiberi, ne doceantur illæ ſententiæ. *Contra eſt*, quòd doctrina paulò ante prohibeatur omnibus ſub excommunicatione latæ ſententiæ, ergo quod additur de praxi, non poteſt intelligi de doctrina, ſed de ipſo illius uſu. *Si dicas* 2. Eccleſiam tantùm declarare obligationem, quæ eſt ex jure naturali, & divino. *Contra eſt*, quia nullo verbo innuit modum declarandi, ſed prohibendi, non aliter ac facit, dum alia directè prohibet, v. g. ne propoſitiones illæ doceantur.

653 §.5. Lex humana coactiva coactione interna poteſt præcipere vel prohibere actus purè internos. *Probatur* 1. argumentis *n.*652. allatis, quia coactio purè interna non requirit præviam cognitionem cauſæ, ſed pœna incurritur ipſo facto apud Deum, qui vindex eſt legum omnium humanarum. 2. Eccleſia per legem coactivam coactione interna præcipit vel prohibet actus mixtos, v. g. homicidium voluntarium Clerici, quod punit excommunicatione, homicidium conjugis cum intentione Matrimonii, cui addit pœnam impedimenti &c. in his autem punit directè volitionem occidendi, & intentionem Matrimonii, non per ſententiam Judicis, quæ prærequirat cognitionem cauſæ, ſed per ipſam legem, quæ talem cognitionem non requirit, ergo eodem modo poſſet Eccleſia ſolam hæreſim internam prohibere ſub pœna ipſo facto incurrenda. Praxis propoſitionis 10. ab Inn. XI. damnatæ, eſt aliquid merè internum, ſecundùm dicta *num.*652. ſed praxis illa potuit prohiberi ſub excommunicatione latæ ſententiæ, quid enim obſtet? ergo aliquid merè internum potuit prohiberi ſub ea pœna, ergo per legem coactivam coactione interna.

654 §.6. Lex humana coactiva coactione externa non poteſt præcipere vel prohibere actus merè internos, benè tamen mixtos. *Ratio* primæ partis eſt, quia homo non poteſt per ſe cognoſcere nec judicare nec punire actum merè internum: ergo nec poteſt eum præcipere aut prohibere lege externè coactiva, ad quam requiritur poſſe exteriùs cogere ad obſervationem, convincere de tranſgreſſione, eamque punire: & hoc tantùm vult S. Th. *n.*649. relatus. *Ratio* ſecundæ partis eſt, quia quamvis actus in, & externus, qui conſtituunt mixtum, ſint ſeparabiles, tamen poſito actu externo prudenter præſumi poteſt adeſſe etiam internum, v. g. poſito homicidio prudenter præſumitur a lfuiſſe voluntatem occidendi, niſi aliqua circumſtantia aliud ſuadeat, ergo ex actu externo ſufficienter poteſt cognoſci internus, & conſequenter ratione externi poterit judicari ac puniri.

§.7. Nunc facile eſt reſpondere ad rationes primæ ſenten- 655
tiæ, nam *ad* 1. *&* 4. patet reſponſio ex dictis: quod autem lex manens in mente legislatoris non obliget, cauſa eſt, quia deeſt illi ordinatio ad ſubditos, & promulgatio, quæ ſunt de eſſentia illius, vel eſſentialiter requiruntur. *Ad* 2. Diſparitas eſt de lege civili, hæc enim non procedit à poteſtate ſpirituali, nec intendit bonum ſpirituale hominis, nec eum dirigit ad finem ſupernaturalem ſed tantùm verſatur circa politicam, & externam gubernationem; è contra leges Eccleſiaſticæ omnia oppoſita intendunt, ad quæ maximè juvant ac neceſſarii ſunt actus interni. *Ad* 3. Quamvis poteſtas humana ferens legem, quæ concernit conſcientiam, tendat ad actus internos, adhuc exercetur humano modo, non ſiſtendo quidem in fine humano, ſeu naturali, ſed juvando & quaſi elevando hominem ſupra ſe, eò quòd illum dirigat ad bona æterna, & ſupernaturalia, in quo nihil eſt inconvenientiæ.

*Q.*102. *Quid advertendum ſit circa verba legum?* R. ſeqq. 656

§.1. Communis eſt ſententia, quod hæc verba, *præcipio, impero, jubeo, prohibeo, interdico*, ſi materia ſit gravis, importent obligationem gravem; illa autem, *volumus, ordinamus, ſancimus, ſtatuimus*, per ſe eam non importent, cùm ſint indifferentia ad legem, conſilium, exhortationem, regulam: *Mando* idem eſt quod præcipio, uti rectè Illſ. *t.*1. *d.*2. *n.* 2. contra Azor.

§.2. Verba præceptiva non ſemper indicant præceptum 657
perfectum obligans ſub mortali, uti rectè Leſſ. *in auct. v. Religioſus, caſ.*4. *n.*8. Sà & alii apud Caſtrop. *d.*1. *p.*9. *n.*4. Attamen verbum, *debet, debent*, communiùs importat præceptum, quandoque tamen etiam tantùm decentiam aut melius eſſe: ſed verbum, *oportet*, non importat imperium, ſed honeſtatem, & convenientiam, uti volunt Suar. Sanch. & alii, ſed notat Du-Bois *in motivo Juris a.*5. & adductis exemplis demonſtrat voces illas, *tenetur, oportet, debet*, aliquando importare debitum ſtricti juris, aliquando ſolius decentiæ & honeſtatis: putat tamen Sà *v. lex*, ſi in lege Eccleſiaſtica dicatur, *teneatur* vel *præcipimus*, ſignificari obligationem gravem.

§.3. Si in imperativo dicatur, *fac, abſtine, cavete. Item* 658
caveant, abſtineant omnes, nemo audeat, Cajet. & alii dicunt non ideò importari obligationem: Nav. Sà Sayr. dicunt importari levem: rectiùs dicit Sanch. ſtandum eſſe regionis, in qua lex fertur, loquendi conſuetudine; notatque etiam Card. *in* 1. *criſi d.*23. *n.*46. quòd lex ſcripta, quæ non importat verba certò præceptiva, ſit interpretanda juxta conſuetudinem, an videlicèt ſolita ſit obſervari tanquam obligatoria, tum enim certiſſimum eſt obligare: quod ſi de conſuetudine non conſtet, putat Sanch. attendendum eſſe ad materiam; quæ ſi fuerit gravis, cenſet obligationem fore gravem, ſed videtur tenendum, quod dicemus *num.*660.

§.4. In decretis Pontificum vel Conciliorum; ubi mate- 659
ria eſt gravis, communiter importatur obligatio gravis, ſic enim Trid. *ſeſſ.*13. *cap.*7. per verbum illud, *Confiteatur*, graviter præcipit Sacerdoti ſibi conſcio de mortali, ut ſi in defectu Confeſſarii etiam poſt elicitam contritionem celebraverit abſque Confeſſione, ſtatim poſteà confiteatur.

§.5. In dubio, an verba præceptum contineant vel con- 660
ſilium tantùm aut exhortationem, reputanda ſunt continere tantùm conſilium aut exhortationem; ſimiliter ſi verba legis ſpectatis omnibus circumſtantiis intelligi poſſunt de obligatione levi, non debent extendi ad gravem, uti diximus *n.* 596. advertendum eſt etiam, quòd Authores aliquando dicant aliquid eſſe grave peccatum, nec tamen ideo intelligant eſſe mortale, uti Leſſ. *in auct. v. Societas JESU caſ.*1. *n.*8. Denique ſi verba ſignificent obligationem gravem, & dubitetur, an Superior voluerit graviter an leviter obligare, ſtandum eſt pro obligatione gravi, pro qua lex poſſidet per expreſſam ſuam ſignificationem, uti rectè Sanch. *in Decal. l.*1. *c.*4. aliique cum Dian. *p.*5. *tr.*5. *R.*47.

§.6. Notant Abbas aliique cum Gob. *in Quin. tr.*4. *n.*682. 661
extenſionem legis ultra omnem verborum ſignificationem fieri non debere ob identitatem rationis, niſi ea ratio exprimatur in lege; & quamvis extenſio admittenda ſit in lege favorabili, non tamen in correctiva vel pœnali, uti poſt *Gloſſ. Romanü* & alios habet *Everhardus*, loquens etiam de caſu, quo ratio major eſt pro omiſſo quàm pro expreſſo: notat tamen Illſ. *t.*4. *d.*2. *n.*362. legem etiam correctivam extendendam eſſe ad caſum, in quo eadem vel ſimilis ratio intervenit, ſi ex communi DD. ſenſu, & praxi colligatur caſum lege comprehenſum potiùs per modum exempli aſſignatum fuiſſe, & finem legis univerſaliter à legislatore fuiſſe intentum. Circa verba privilegiorum, vide *n.*839.

§.7. Quando verba legis generalis poſterioris explicari 662
poſſunt in aliquo ſenſu, qui non contradicat legi ſpeciali priori, ſic explicari debent, uti multis exemplis probat Sanch. *in Decal. lib.*2. *c.*11. *n.*27. *& de Matr. l.*2. *d.*24. *nu.*6. quamvis poſterior lex etiam haberet clauſulam revocatoriam ordinationum

num contrariarum. Videri poſſunt Azor.*l.5.c.27.& 28.*Tol.*de 7.pecc.mort.c.20.*Carden.*in 1.criſi d.24.*

663 *Q.103. Unde univerſim colligi poſſit gravitas & levitas materiæ & obligationis reſpectu legum?* R.

§.1. Aliqui apud Ovied. *de pecc. controv.3. n.141.* putant hoc eſſe deſumendum ex reſpectu partis ad totum, dicuntque materiam illam eſſe gravem, quæ eſt tertia pars illius totius, quod à lege imperatur vel prohibetur, quod autem eſt minus, eſſe levem. Hæc regula tenet in aliquibus, ſed fallit in plurimis, ſic tertium Nocturnum non eſt tertia pars Matutini Dominicalis, labor ſervilis per ſeptem horas die feſto non eſt tertia pars diei naturalis, & tamen utrumque eſt materia gravis reſpectu præceptorum Horas orandi, & non laborandi ſerviliter die feſto: è contra duo Pſalmi ſunt plus quàm tertia pars Sextæ vel Nonæ, & tamen ſunt materia levis.

664 §.2. Caramuel dicit octavam partem totius eſſe materiam gravem, & quod eſt minus, eſſe materiam levem, quia, inquit omne totum tam Phyſicum quàm morale ſecundùm intenſionem cenſetur conſtare octo partibus, hinc quando dicimus aliquid ſummum, dicimus ut octo, v.g. ignis eſt calidus ut octo, homo probus ut octo, ergo quod eſt pars octava totius, eſt aliquid notabile in toto, & quod non eſt pars octava; non eſt aliquid notabile, quia non eſt ſimpliciter pars ſed pars partis, pars autem partis eſt aliquid leve reſpectu totius: Ex iſta regula infert 1. Qui omitteret Sextam in Horis, non peccaturum graviter, quia multi docent omnes Horas eſſe unum officium, cujus pars octava non eſt Sexta. 2. Qui uno voto voviſſet millies legere Pſalmos pœnitentiales ſucceſſivis diebus, peccaturum tantùm leviter, ſi tribus menſibus omitteret, quia 90. dies non ſunt octava pars mille dierum. 3. Qui uno voto voviſſet abſtinentiam à carnibus tota vita, peccaturum tantùm leviter, ſi comederet per nonam partem vitæ. 4. Qui minus furatur à Titio, quàm ſit octava pars reddituum, quos omni die habet Titius, peccare tantùm venialiter, hinc ſi Titius omni die è bonis, & proventibus habeat 100. ducatos, peccaturum tantùm leviter, qui hodie illi furaretur decem, quia non tolleret octavam partem, &c. Hanc regulam, & quæ ex ea infert Caram. optimè confutat Carden. *in 1.criſi diſſ.31.* nobis ſufficiat retuliſſe, nam per ſe ſatis patet falſitas, quam pluribus oſtendemus ſuis locis: hic iſta pauca oppono; ergo qui tenetur ad ſeptem Pſalmos pœnitentiales, ſi omittat unicum, peccat mortaliter, quia omittit plus quàm octavam partem: è contra qui legit 10. folia libri hæretici, abſque periculo perverſionis, ſi liber conſtet 100. foliis, peccat tantùm venialiter: uti & ille, qui Titio debet 100. ducatos, ſi ſubducat 10. Similia certò falſa deduci poſſunt in plurimis aliis materiis.

665 §.3. Ut ſciatur, an materia ſit gravis, vel levis, debet ſpectari etiam abſolutè, & non præcisè ex reſpectu ad totum, ſed conſiderari, an in ſe etiam ſpectatis omnibus circumſtantiis ſit vel non ſit aliquid notabile, ita communiter Authores cum Ovied. *n.143.* & Carden. ſuprà, patetque ex dictis, quæ *Conf.* quia licèt communis ſententia habeat, quod ad peccandum graviter in materia Miſſæ die feſto, requiratur omiſſio tertiæ partis circiter, tamen etiam in hoc attendi debet ad partes ſecundùm ſe, quò enim partes ſunt nobiliores, eò minùs debet omitti: hinc qui tempore utriuſque Conſecrationis abeſſet à Miſſa, non audiſſet Miſſam, uti rectè docent AA. plurimi cum Paſq. *de Sacrif.q.1276.* & Herinx *de peccat.d.7. n.48.* quamvis ſpectato tempore nequidem ſit pars vigeſima.

Objici poſſet; ſi ſupponamus materiam gravem reſpectu promiſſionis acceptatæ eſſe ducatum, ſi quis non det unicum ducatum, quem promiſit, peccat mortaliter; ſi promiſerit 300. & unum ſubtrahat, non peccat mortaliter, uti nec tum, ſi promiſerit mille, & ſubtrahat duos, & ſic quò majora ſunt tota, tantò majorem poteſt partem ſubtrahere abſque mortali, ergo materia gravis non ſpectatur abſolutè, ſed reſpectivè à parte ad totum. Reſp. n. conſeq. nam admitto conſiderandas eſſe circumſtantias perſonarum ac rerum, ſic enim dicam de furto, facilius peccari mortaliter furando à paupere quàm à divite: ſed tantum dico ſuppoſitis circumſtantiis, quæ ſæpè involvunt proportionem unius partis ad alteram vel etiam ad totum, materiam conſiderandam eſſe etiam ſecundùm ſe, & dicendam eſſe gravem, ſi ſecundùm ſe ſit, levem, ſi ſecundùm ſe non ſit aliquid notabile, ſive ſit pars media, ſive tertia, ſive vigeſima totius.

666 §.4. Aliquid eſſe vel non eſſe notabile, & conſequenter eſſe materiam gravem vel levem, colligimus ex uno horum, 1. Ex repugnantia, quam habet, cum natura rationali, quæ repugnantia, an ſit gravis an levis, communi prudentum judicio eſt determinandum. 2. Ex repugnantia gravi, vel levi cum charitate in Deum, proximum vel ſeipſum. 3. Ex Scriptura, quæ materiam gravem ſæpè denotat, addendo illi comminationem mortis vel damnationis æternæ; item, væ illi, qui facit. 4. Ex verbis legis, quæ ſæpe exprimunt obligationem gravem, vel hanc inſinuant per gravem pœnam adjectam; de quo tamen videnda ſunt, quæ *n.611.& 660.* diximus. 5. Ex authoritate Eccleſiæ, vel SS. PP. qui dicunt eſſe vel non eſſe obligationem gravem, nam ſpectat ad providentiam Dei, ut in talibus ad ſalutem pertinentibus non permittat errare Eccleſiam, & communes ejus DD. 6. Ex communi ſenſu Theologorum, cui ſe opponere eſt temerarium, niſi major authoritas vel ratio evidens cogat. 7. Ex ſenſu communi hominum timoratorum, etiam ſimplicium. Herinx *n.46.* præcipuè quando agitur de jure naturæ, quod hi cordibus ſuis inſcriptum habent, & ſpiritu Dei aguntur, ut ſecundùm illud judicent, & agant, 8. Ex fine legis vel legislatoris, ſi enim hic ſit magni momenti, & materia aliqua multùm conducat ad illum finem, erit materia gravis, ſi parum conducat, aut ipſe finis legis ſit parvi momenti, erit materia levis, & hanc velut primariam regulam ponunt Vaſq. & Sanch. *in Decal.l.1.c.4.* ideoque illam pluribus declarat Caſtrop. *d.2.p.7.n.4.*

§.5. Materia abſolutè levis non ſubſtat gravi obligationi. 667
Ratio eſt, quia ſi ex materia levi non poſſemus prudenter, & certò colligere eſſe obligationem levem, ubique poſſemus dubitare de mortali, v.g. non poſſemus ſcire, quòd furtum nummi eſſet veniale, nam omne furtum prohibetur iiſdem verbis, & eodem præcepto Decalogi; *Non furtum facies*; & idem eſt de aliis materiis, ergo certum eſſe debet, quòd materia abſolutè levis non ſubſtet obligationi gravi. Ex quo rectè concludit Diana *p.5. tract.5. R.50.* contra Fagund. rem levem non poſſe voveri ſub mortali, & *R.51.* contra Jo: Sanchez, rem levem non poſſe pro pœnitentia imponi ſub mortali; conſequenter *R.48.* dicit, ſi quid abſolutè leve, videatur ab homine imponi ſub mortali, eſſe quidem obligationem, ſed tantùm ſub veniali. *Dixi* 1. abſolutè levis, nam materia de ſe levis poteſt ob circumſtantias fieri gravis, uti eſus pomi in Adamo ob circumſtantiam finis, quia Deus volebat per obſervationem illius præcepti tanquam per exhibitionem primi homagii recognoſci velut ſupremus Dominus, & ſimul moveri ad totam poſteritatem in gratia conſervandam. *Dixi* 2. non ſubſtat, nam Jo: Poncius *de pecc. d.22.num.63.* putat Deum abſolutè poſſe ſingulas materias leves graviter prohibere, ſed negat Caſtrop. *p.8.nu.2.* dicens certum eſſe oppoſitum, ideoque innumeros AA. docere materiam abſolutè levem non eſſe capacem gravis obligationis: quidquid ſit de hoc, ſaltem videtur verum, quòd non poſſit Deus omnes materias leves graviter prohibere vel præcipere, quia de natura legis eſt eſſe in bonum communitatis, tales autem leges forent in perniciem, & ſpectata conditione fragilitatis humanæ forent irrationabiles, & intolerabiles, ut ait Maurus *de peccat.q.31.n.14.* exponerent enim continuis, & certis periculis æternæ damnationis.

§.6. Probabilius eſt materiam de ſe gravem, v.g. jejunium, 668
poſſe ſubſtare levi obligationi, ſive obligatio ſit ex præcepto ſive ex voto, ita tenent plurimi cum Caſtrop. *num.4.* contra Arrag. Bellarm. Becan. Vaſq. Regin. Rhodes, & alios, quibus favet Volpilier hic *cap.1. art.4.* dicens, hanc ſententiam, licèt non teneatur à multis, tamen eſſe authoritate & bonis fundamentis munitam. *Ratio* noſtra eſt; quia talis materia eſt capax nullius actu obligationis, uti ſupponitur, ergo etiam ſolius levis: *Nec obſtat*, quod materia gravis non poſſit ſubſtare legi naturali leviter tantùm obliganti, *nam* obligatio legis naturalis neceſſariò ſequitur ad exigentiam materiæ ſubjectæ, quæ intrinſecè eſt talis, ut de ſe ſemper vel graviter vel leviter repugnet naturæ rationali, & conſequenter legi æternæ, hoc non eſt in aliis materiis indifferentibus, quarum obligatio contingenter pendet à libera voluntate legislatoris, qui non attenta materiæ ſecundùm ſe gravitate poteſt imponere obligationem, vel nullam vel levem: materia enim eſt capax obligationis gravis, levis vel nullius actu. Plures objectiones videri poſſunt ſolutæ apud Caſtrop. *n.5.* Quòd ſi certò non conſtet ex verbis vel circumſtantiis, quòd Superior in materia gravi intenderit obligationem tantùm levem, cenſendus eſt intendiſſe gravem, ſecundùm exigentiam materiæ gravis, cui communiter reſpondet intentio Superioris.

§.7. Ex poſitis fundamentis reſolvi debent plurimæ 669
quæſtiones in particularibus materiis, de quibus ſuis locis; hic addam illationes aliquas, pro quibus alibi non eſſet commodus locus.

1. Si legislator ob frequentes pugnas prohibuerit noctu geſtari arma, ſi quis per horam geſtans obambulet, eſt materia gravis: ideoque peccat graviter, quia tamdiù obambulanti facilè occurret occaſio rixæ, ergo facit graviter contra finem legis: ſi autem geſtet breviſſimo tempore, ibi non eſt occaſio rixæ, peccat tantùm venialiter ob parvitatem materiæ. Ita Bonac. & Caſtrop. *p.7. n.4.*

2. Si legislator prohibuerit efferre fruges vel arma ex pa- 670
tria, ſi quis ſemel efferat, ſecundùm Gran. & alios cum Diana *R.49.* eſt materia levis, & excuſatur à mortali, quod probabile eſt, quia finis legislatoris erat cavere damnum Reip. ergo cùm ſemel efferre non cauſet grave damnum, non

erit notabile contra finem legis: eſſe tamen notabile, inquit Caſtrop.*n.*5. ſi efferrentur fruges, *v.g.* pro 100. aureis, aut arma pro inſtruendis 10. militibus: è contra alii cum Sanch. *n.*8. æquè probabiliter dicunt etiam ſemel efferre eſſe materiam gravem & mortale, quia licèt ſemel efferre ſecundùm ſe non ſit damnum grave, eſt tamen res gravis & meritò graviter prohibita, quia ſi ſingulis liceret citra mortale ſemper efferre, cùm veniale ordinariè parum curetur à cupidis lucri, facilè fieret, ut ſinguli ſaltem ſemel efferrent, per quod cauſaretur notabile damnum Reip. ergo mens legislatoris eſt etiam unicam vicem prohibere ſub mortali, utpotè rem gravem, propter circumſtantiam pluralitatis alioqui futuræ.

671 3. Probabilius eſt, ſi Religioſus tantùm ad horam temerè dimittat ſuum habitum, eſſe materiam levem, uti tenent Sanch. & alii cum Diana *R.*61. contra Suar. Caſtrop. *tract.*16. *d.*4. *p.*6. *n.*11. & alios, qui dicunt eſſe materiam gravem. *Ratio* noſtra eſt, quia finis legis eſt, ut ſic occultando ſtatum liberè vagetur, intra horam autem non vagabitur longè, ergo præcisè dimittere per horam non eſt materia gravis, adeoque per ſe loquendo, peccat tantùm leviter.

672 4. Si ſit mortale, aliquem ſacro Ordine initiatum non geſtare clericalem habitum & tonſuram, (de quo dicetur *l.*4. *n.* 1372.) nihilominus ob commoditatem non geſtare habitum ad modicum tempus, nempe ad quatuor aut ſex dies, erit tantùm levis materia, dummodo habitus, qui aſſumitur, ſit honeſtus; uti tenent Panorm. Ang. Tabien. Silv. Sot. Bann. Fill. & alii; ſimiliter ſi negligat tonſuram ad ſex vel ſeptem dies, erit materia levis, inquit Quarti *in Rubr. Miſſæ p.*3. *tit.*6. *ſ.*1. imò putat Gob. *in Exp. tr.*8. *n.*769. parochum non peccaturum mortaliter, qui per ſex vel octo ſeptimanas negligeret Coronam: de habitu tamen ſentit rigidiùs.

673 5. Si Monialis egrediatur è clauſura, aut alius ingrediatur clauſuram Monialium ad duos pedes, & ſtatim redeat, eſt materia levis, uti rectè Nald. Graff. & Diana *R.*22. contra Sanch. & alios, qui dicunt eſſe materiam gravem & mortale, niſi maneret in oſtio aut pars una corporis maneret intrò vel extra: *Ratio* noſtra eſt, quia finis præcipuus legis eſt cavere periçula Monialium, & occultare velut mortuas mundo, contra quem finem hic non agitur notabiliter. Vide Delbene *de Imm. Eccl. c.*19. *dub.*53. qui tenet cum Sanch. Videri poteſt Diana citatà *p.*5. *tr.*5. ubi per 69. Reſolutiones, percurrendo pleraſque materias, examinat, quandonam materia de ſe gravis fiat levis, & conſequenter mortale fiat veniale ex parvitate materiæ.

674 ## CAPUT II.

De ſubjecto, cui datur Præceptum.

DUBIUM I.

Quæ perſonæ præceptis obligentur?

„ RESP. Soli ſubditi ratione utentes obligantur, itaut eorum tranſgreſſione peccent: Quòd addo, propter „ ebrios & ad tempus amentes, qui etſi verè iis obligentur, „ eorum tamen violatione non peccant defectu advertentiæ, „ rationis, & conſenſus. Pars prior eſt communis & certa, „ Fil. *tr.*21. *cap.*11. *q.*10. Bona. *p.*6. *&c.* Laym. *l.*1. *tr.*4. *c.*10. „ Poſterior eſt eorundem. Cujus Ratio eſt; tum quia præceptum, cùm ſit directivum, ſupponit uſum rationis: tum, „ quia obedientia tantùm eſt eorum, qui ratione & voluntate utuntur. Neque aliàs tranſgreſſio ad culpam imputari „ poſſet. *Unde reſolves hos caſus:*

„ I. Legislator non tenetur ſuis legibus, ut ſic, quoad vim „ coactivam & pœnam, ſive directè; indirectè tamen, & „ quoad vim directivam; & ex æquitate quadam, tenetur ſe „ tanquam caput membris conformare. Ita S. Th. 1.2. *q.*96. *a.* „ 5. *ad* 3. Syl. Suar. Bon. Laym. *cap.*9. contra Azor. tenetur „ etiam in contractibus cum reliquis pari conditione uti. Vide Fill. *l.c.*

„ II. Infideles non baptizati, etiam catechumeni non obligantur præceptis Eccleſiæ: obligantur tamen hæretici, & „ alii qui per Baptiſmum Eccleſiæ ſemel ſunt ſubjecti.

„ III. Etſi pueri ratione utentes, legibus iis Eccleſiæ, quarum materia eorum ætati eſt conveniens, *v.g.* Confeſſionis „ annuæ, ſecundùm Nav. Henriq. & Azor. Item abſtinentiæ „ à carnibus, auditionis Sacri, ſecundùm Sanch. &c. obligentur, quoad culpam, non tamen quoad pœnas ordinarias, niſi ſint puberes, quales ſunt maſculi anno 14. puellæ „ 12. abſoluto, Sot. Vaſq. *de pœn. q.*90. *a.*2. Sà *V. Cenſura.*

„ IV. Infantibus non baptizatis & perpetuò amentibus licitè dantur carnes diebus Veneris, & imponuntur opera ſervilia feſtis, non tamen ebriis, cùm legi maneant ſubjecti, uti „ nec licitè irritantur amentes ad blaſphemandum, lædendum „ &c. eò quòd talis actio tribueretur principali agenti, qui alterius opera uteretur quaſi inſtrumento. V. Lay. *c.*10. Bon. *p.*6. & Sanch. 1. *Mor. c.*12.

„ V. Clerici, cùm jure divino ſint exempti de poteſtate civili, ut docet Bellarm. *l.*1. *de Cler. cap.*28. non tenentur legibus civilibus directè, & quoad vim coactivam: Unde nec „ à Principe ſæculari puniri poſſunt: Cùm tamen ſint membra „ Reip. & alioqui communis æquitas ſervari non poſſet tenentur indirectè, & quoad vim directivam legibus communibus, quæ ad bonum commune ſpectant, & eorum ſtatui „ non repugnant, quales *v.g.* ſunt leges prohibentes vel irritantes contractum, (niſi hæ ſint pœnales, tunc enim quia vim „ coactivam obtinent, eos non ligant) ideòque peccant contrà juſtitiam, & ad reſtitutionem tenentur, ſi frumenta *v.* „ *g.* vel alia vendant, ultra pretium à principe ſtatutum. Ita „ Molina, Suar. Sal. Tan. V. Laym. *cap.*13. quia jus naturæ exigit, ut vendant pretio juſto; tale autem cenſetur, quod decernitur lege. „

ADDENDA.

675 QUÆſt.104. *An legislator, uti alii, graviter peccet, ſi non obſervet ſuas leges?* R. Affirmant Reiffenſtuel *hic diſt.*3. *q.*2. ſi lex legislatorem æquè ac ſubditos deceat: Conſentit Cardin. Sfondratus *in Reg. ſacerd. l.*4. §.2. addens tamen poſſe etiam ſecum diſpenſare: Ratio autem, cur teneatur, eſt, tum quia ſcandalizarentur alii, ſi ipſemet tranſgrederetur; tum quia caderet in ipſum illud Chriſti *Matth.*23. *Verſ.*4. *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere*: Hinc *cap.* 2. *diſt.* 9. dicitur, *Juſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis, & Cap. Cùm omnes, De Conſt.* refertur illud Catonis, *Patere legem, quam tu ipſe tuleris*: & notabile eſt illud Imperatorum leges ferentium. *L. Digna vox*, 4. Cod. de legibus, & conſtit. Principum, *Digna vox eſt Majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri; adeo de authoritate Juris noſtra pendet authoritas; & reverà majus imperio eſt ſubmittere legibus Principatum, & oraculo præſentis edicti, quod nobis licere non patimur aliis indicamus.* Similia effata videri poſſunt apud Delbene *de Imm. Eccl. cap.*15. *dub.*2. E contra Bonac. Leſſ. Delbene, & alii cum Caſtrop. *d.*1. *p.*24. §.1. & Illſ. *t.*1. *d.*2. *num.*17. probabiliùs negant, & aſſerunt, per ſe loquendo, peccare tantùm venialiter, nam non peccat contra ſuam legem, cùm lex dirigatur ad ſolos ſubditos, ſed tantùm contra legem naturalem, quæ dictat eum debere ſe conformare communitati; ut ſic meliùs obtineatur finis legum, & communis obſervantia: *Turpis enim omnis pars eſt, ſuo univerſo non congruens, Cap. Quæ contra*, 2. *diſt.*8. Jam verò videtur eſſe levis tantùm deordinatio, ſi legislator quandoque non ita ſe conformet communitati. *Dixi*, per ſe loquendo, aliud enim eſſet dicendum, ſi per accidens inde ſequeretur perturbatio, ſcandalum aut aliud grave inconveniens in communitate, & hoc ſolùm videtur velle Reiffenſ. Quid ſit lex directiva, & quotuplex coactiva, diximus num.651. An autem, & quomodo ſupremus aliquis Senatus vel Capitulum generale obligetur legibus ſuis vel Anteceſſorum, videri poteſt Lugo *in Reſp. Mor. l.*6. *d.*20.

676 *Q.*105. *An pueri ante ſeptennium completum teneantur legibus Eccleſiæ?* R. Buſembaum & alii *num.*674. relati dicunt obligari legibus iis, quarum materia eorum ætati eſt conveniens; hinc Boſco *de pœnit. d.*7. *n.*42. docet tales pueros obligari ad Confeſſionem annuam, cùm enim ſint capaces præcepti non requirentis certos annos, ſi plenum uſum rationis habeant, lex poſſidet contra eos, & hæc ſententia ſaltem ſuadenda eſt in praxi, cui etiam videtur aſſentiri Caſtrop. *tract.* 23. *p.*20. E contra Diana *p.*10 *tr.*12. *R.*37. Jo: Sanch. Burgh. *cent.*2. *caſ.*24. ipſemet Caſtrop. *tr.*3. *d.*1. *p.*24. §.2. Illſ. *n.*18. dicunt non teneri, quamvis plenum rationis uſum habeant, quia leges Eccleſiaſticæ in obligando procedunt humano modo, ideoque neminem obligant, niſi habentem uſum rationis, quem non præſumunt, niſi poſt completum ſeptennium, leges enim poſitivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt, *L. nam ad ea, ff. de legibus*, atqui communiter non contingit uſus rationis ante ſeptennium completum ergo. Utraque ſententia eſt ſatis probabilis. Vide dicenda *l.*3. *p.*1. *n.*615. *& par.*2. *num.*1267. Item vide Delbene *de Imm. Eccl. cap.*13. *d.*1. *& ſeqq.*

677 *Q.* 106. *An pueri ante pubertatem etiam cenſuras incurrant?* R. Incurrunt aliquas, non omnes, uti dicetur *l.*7. *c.*1. *ad dub.*3.

678 *Q.*107. *Quomodo peccent Clerici non obſervantes legem civilem?* Reſp. Clericos directè, & per ſe obligari poteſtate directiva legis Civilis, docet cum aliis, quos citat Caſtrop. *tr.*3. *d.*1. *p.*24. §.6. *num.*6. hinc conſentit cum eis etiam Diana *p.*6. *tract.*8. *R.*4. *in fine*. Clericos peccare mortaliter, ſi eis

non

non pareant, quia ſunt cives, & pars præcipua civilis Reip. ad quam totam diriguntur leges: & hanc ſententiam dicit eſſe valde probabilem Burgh.*cent.*2.*caſ.*53. E contra Suar.Vaſq.Az. Fill. Bonac.Tann. Laym. Barboſ.Buſemb.ſupra cum eodem Burgh.& Delbene *de Imm.Eccl.cap.*8. *d.*2. etiam probabiliter dicunt non obligari directè, cùm ſæcularis in Clericos non habeat juriſdictionem, uti oſtendetur *l.*4.*n.*1381. *&* 1410. Itaque tenebuntur tantùm indirectè, ex vi legis naturalis dictantis partem unam communitatis debere ſe conformare cæteris, in illis, quæ bonum commune concernunt, ad quam conformitatem ſtatuendam Eccleſia leges civiles non improbat, uti pluribus deducit Delbene *c.*9. *d.*2. Hinc refert Burgh.cum Salas, Caſpenſi, Bonac.*d.*1.*qu.*1.*p.*6.*n.*53. Delbene *num.*12.& aliis, Clericos probabiliter peccare tantùm venialiter, ſi agant contra ejuſmodi legem civilem, quia difformitas illa partis à toto non videtur gravis, per ſe loquendo, ſecluſo ſcandalo, & gravi damno Reip.Quòd ſi ejuſmodi tranſgreſſioni impoſita ſit pœna, v.g.ſi fruges efferantur è patria, ut eripiantur à fiſco communis ſententia eſt huic pœnæ non ſubjacere Clericum, neque res ipſius, quæ gaudent privilegio perſonæ, cùm Clerici non teneantur ulla vi coactiva legum civilium, uti rectè Delb.ſupra. *Ad argum.*oppoſitum, R.eſſe quidem cives, ſed exemptos à poteſtate civili. Vide Illſ.*t.*1.*d.*2.*à n.*28. ubi etiam non improbabiliter, docet legem civilem per poteſtatem Eccleſiaſticam approbari, & imponi Clericis, ideòque poſſe graviter obligare.

679 *Q.*108. *An peccent Superiores Laici, imponentes varias leges circa Clericos?* R.Non peccant, ſi leges ſint juſtæ, & ab Eccleſia comprobentur, quod neceſſarium eſſe, decernitur *Cap.Eccleſia S.Mariæ, De Conſtit.* etiamſi ferantur in favorem Eccleſiæ, uti notat Carden.*in* 1.*criſi d.*61. *n.*183. Probat autem ex jure Leſſ. *in auct. V. Bona Eccleſiæ, caſ.*3. quòd ſtatutum, quo Eccleſiæ, & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendas poſſeſſiones, & immobilia bona ſit contra libertatem Eccleſiaſticam, eoſque, qui condunt talia ſtatuta, vel ea exequuntur, eſſe excommunicatos: Pirh.*l.*1.*tit.*2. *à n.*90. & Diana *part.*6.*tr.*3. *R.*6. fusè probant ejuſmodi ſtatuta non tantùm eſſe illicita, ſed etiam prorſus irrita. Addit Leſſius *caſ.* 4. & fusè probat conſtitutionem illam eſſe graviter illicitam, qua ſtatuitur, ut illis, qui volunt ingredi Religionem, vel jam ingreſſi ſunt, non liceat bona ſua vel portionem obventuram dare pauperibus, vel conferre in Religionem, putatque authores talis conſtitutionis non evadere excommunicationem ipſo facto incurrendam, & latam ab Honorio III. *Cap.Noverit, De ſentent. excommun.* quæ confirmata eſt à *Tridentino Seſſ.*25.*cap.*20. *Ibidem caſ.*5. docet Leſſ. ſæculari authoritate ſtatui non poſſe, 1. Ne religiones certum numerum perſonarum non excedant. 2. Ne excedant certam quantitatem reddituum. 3. Ne ingredientes, vel alii laici conferant plura bona mobilia religioſis, quàm ad conſtitutam taxam neceſſaria ſunt: atque hæc omnia probat fusè, explicatis omnibus textibus Juris, qui dictis videntur eſſe contrarii. Vide Delbene *de Imm. Eccl.*toto *cap.*8.& Arſdek.*p.*3.*t.*1.*de opin.prob.q.*25.*in fine*. Item dicenda *l.*4.*à n.*1382. *&* 1389. Quid autem liceat Judicibus ſæcularibus contra Eccleſiaſticos dicetur *ibid.à n.*1391.

680 *Q.*109. *An lex poſſit favere alicui non ſubdito, vel ei, qui eam non recepit*, v. g. ſi lex civilis ſtatuat, ut bona fide poſſidens aliquid per duos annos, præſcribat titulum, an Eccleſiaſticus non ſubjectus legi civili poſſit gaudere illo privilegio, & præſcribere contra laicum? ſimiliter ſi *Trident.* alicubi non ſit receptum, an nihilominus poſſint incolæ talis loci gaudere privilegiis ſeu favoribus *Tridentini?* R.

§.1. Primum negat Caram quia legibus non debent judicari, quia non ſunt eis ſubjecti: è contra affirmat Carden.*in* 1.*criſi d.* 61.*c.*14. nam v.g.Rex Hiſpaniæ poteſt condere legem, ut non liceat merces afferre, niſi in Galliam, hæc lex favet Gallis ipſi non ſubjectis, ergo. Itaque quamvis lex non poſſit favere non ſubdito, directè afferendo illi aliquam obligationem,vel etiam tollendo obligationem per aliquam diſpenſationem, eò quòd obligatio non poſſit imponi niſi ſubdito, & ſublatio obligationis, quæ per diſpenſationem fit, non fiat niſi reſpectu ſubditi, poteſt tamen lex ſimpliciter favere etiam non ſubdito legi, ſic enim poteſt ferri lex in Hiſpania, ut nemini præterquam Gallo liceat in regnum venire,quæ lex favebit ſolis Gallis,gravabit reliquos. Id maximè valet de Eccleſiaſticis alicujus communitatis legibus ſubjectæ, nam ſunt pars iſtius communitatis, & tenentur ſaltem vi directiva legum in ea vigentium, ergo ſimiliter, & magis, gaudere debent favoribus.

681 §.2. Putat Zypæus Epiſcopos gaudere poſſe legibus favorabilibus *Tridentini* quoad abſolutiones, & diſpenſationes in caſibus Papalibus, etiam in iis locis, in quibus *Tridentinum* non eſt receptum; idque Duvallius dicit practicari ab Epiſcopis Galliæ: è contra Sanch.& Barboſa negant id poſſe fieri, citantes pro ſe Declarationem S.Congregationis, & *Ratio* poteſt eſſe, quia mens Eccleſiæ eſt, ut qui habet favores, portet æqualiter onera, cùm favores ſæpè indulgeantur, ut leviora ſint onera.

An infideles teneantur legibus Eccleſiæ, dicetur *l.*2. *à n.*77. quam autem poteſtatem habeant Epiſcopi reſpectu Regularium exemptorum, videri poteſt apud Delbene *de Imm. Eccleſ.cap.*14.

DUBIUM II. 682

An Peregrini teneantur legibus ſui domicilii, dum ab eo abſunt?

SUppono I. Præceptum aliud eſſe Locale, quod ſcilicet certo tantùm loco, urbe v.g.vel Parochia obligat: aliud Univerſale, ſeu juris communis, quod totam fere Eccleſiam obligat.

Suppono II. Peregrinos propriè dici eos, qui aliquò veniunt animo non manendi, ſed tantùm ſubſiſtendi ad aliquot dies, vel ſummùm per minorem anni partem, ut mercatores, viatores: non autem ſtudioſi, neque ancillæ, quæ veniunt ad ſerviendum.

R. Non obligari. Ita Navar.Sanch.Leſſ. *lib.*4. *cap.*3.*d.*8. Ratio, quia præcepta localia per ſe & directè reſpiciunt territorium, eique ſunt affixa, atque adeò non obligant niſi exiſtentes intrà illud: Lex enim ita fertur: v.g.Feſtum illud tali loco celebretur: ideoque hic valet illud: *Si fueris Romæ, &c.*Addit Laym. *cap.*11. præceptum locale expirare etiam intrà proprium territorium in loco exempto, quòd is æquiparetur loco ſito extra territorium. *Ex quibus reſolves hos Caſus,*

I. Si Epiſcopus ſub pœna excommunicationis vetet luſum aleæ, non obligantur Clerici ludentes in loco exempto à juriſdictione Epiſcopi. Bonac.*p.*6.Laym.*c.*11.*n.*5.

II. Si quis die jejunii aut feſto ſit in loco alio, non ſui territorii, aut exempto, ubi tunc non eſt jejunium aut feſtum, poteſt ibi comedere, exercere ſervilia. Laym.Bonac.

III. Id etiam habet locum in præceptis juris communis ſi in loco iſto ſint uſu abrogata, vel non recepta, vel habeatur privilegium: Quare potes, v.g.Mediolani primis quatuor diebus Quadrageſimæ veſci carnibus, cùm id ibi liceat. Item in Belgio, ſabbatis intrà Nativitatem & Purificationem veſci carnibus: item in loco, ubi Tridentinum non eſt receptum, validè, (etſi non licitè) inire Matrimonium clandeſtinum. Suar.Sanch.*l.*1.*cap.*12.Leſſ.&c.

IV. Poteſt quis diſcedens manè ex oppido,ubi non eſt jejunium, veſci carnibus, etſi meridie rediturus ſit domum, ubi eſt jejunium: nec tunc, ubi domum venerit, tenebitur ad ſervandum jejunium iſta die, cùm illud jam violaverit, ideoque ſervare non poſſit, tenebitur tamen domi ad abſtinentiam à carnibus, cùm illa adhuc poſſit ibi ſervari, eò quòd ſit dividua. Vide Sanch.*l.c.*Leſſ.*cap.*12.*d.*8.

V. Si quis abiturus eſt loco, ubi eſt jejunium, ſciatque ſe certò perventurum veſperi ad locum, ubi non ſit jejunium, tunc etſi non poſſit ibi veſci carnibus, unde abit (cùm iſta abſtinentia ſit dividua) poteſt tamen ibi manè jentare, & meridie prandere, ut contra quoſdam docet Leſſ. & Sanch.ſuprà.

VI. Probabile etiam eſt, & in conſcientia ſecurum quod, docet Sanch.*l.*3.*de Matr. d.*18. *&* 1. *mor.c.*12. contra Nav. Suar.peregrinos, antequam excedant proprio territorio, non teneri implere præcepta, quæ eos ibi deprehendunt; v. g.non teneri, eum manè audire Sacrum die feſto, qui ante prandium venturus ſit aliò, ubi non ſit feſtum: quia ſi manſiſſet ſuo loco, ubi præceptum obligabat, poterat differre ad id tempus: quando autem pervenit ad alium locum, deſinit obligari. *Nec obſtat*, quòd prævidens impedimentum teneatur prævenire, quia id tunc tantùm verum eſt, quando manente vi præcepti quis eſt impediendus, hic autem ab obligatione præcepti abſolvitur. Contraria tamen ſententia, tanquam magis pia, ſuaderi poteſt; niſi quid obſtet. Sanch.ſuprà.

ADDENDA.

*Quæſt.*110. *An teneatur ſervare legem, qui ideo tantùm cogitat exire è ſuo territorio, ut ſe à lege eximat?* 683
R.Per ſe loquendo, non teneri, docent Sanch.Suar. Bonac. Delbene *c.*12. *dub.*1. *ſ.*1. & alii ſeptendecim cum Illſ. *t.*1. *d.*2.*n.*23. & Paſq. *de Sacrif. q.*1297. Item alii plures apud vindicem Tabernæ *ad prop.*2.contra Salas, Sayr. Ledeſ. & alios quinque: Rationem dant, quia licèt tum agat quaſi in fraudem legis, tamen fraus ei non patrocinatur, (quod tantùm improbant *Cap. Sedes*, & *Cap.Ex tenore*, *de Reſcriptis*) ſed conditio loci, ad quem jus habet accedendi, lex enim non obli-

obligat, ut quis non exeat à ſuo territorio, ſed tantùm obligat, ut exiſtens in territorio eam obſervet, ſicuti non obligat, ut non petam diſpenſationem, ſed ut obſervem, quamdiu diſpenſationem non habeo, Et *nullus videtur dolo facere, qui ſuo jure utitur*, *Reg.* 55. *ff. de Reg. Juris*. Intelligunt tamen, per ſe loquendo, nam ſi quis è ſuo territorio, ubi *Trid.* eſt receptum, ad aliud, ubi receptum non eſt, eo animo iret, ut hic contraheret Matrimonium clandeſtinum, tumque eo contracto in patriam rediret, Matrimonium tale eſſet invalidum, uti dicetur *l.* 6. *tr.* 6. *c.* 3. *ad d.* 2. Vide dicenda *l.* 3. *p.* 2. *n.* 1336.

684 *Q.* 111. *An peregrinus, antequam exeat è ſuo territorio, teneatur audire Miſſam in feſto ſpeciali ſui territorii?* R. Affirmant 18. Authores apud Paſq. *de Sacrif. q.* 1296. E contra Buſemb. & alii 11. ap. eundem Paſq abſolute negant. Alii ſic diſtinguunt. Si, antequam exeat, nullum fiat Sacrum in proprio territorio, non tenetur expectare, ſed poteſt exire, & non audire Sacrum. 2. Si, antequam exeat, fiat Sacrum tantùm unum, tenebitur hoc audire, quia eo die in iſto loco obligatur ad Sacrum, ergo cùm præter hoc nullum aliud futurum ſit, ad hoc obligatur. 3. Si, antequam exeat, fiat Sacrum, & poſteà etiam aliud fiat, poſtquam exiverit, non tenebitur audire, quia ſi manſiſſet, potuiſſet illud ultimum Sacrum expectare, ergo cùm ante tempus illius ſit deobligandus, eò quòd futurus ſit in alio territorio, in quo non eſt obligatio; etiam non tenebitur prævenire, ſicuti ſi ſim hora 8. in meo territorio, & prævideam me hora 11. per diſpenſationem deobligandum, non teneor prævenire, ita Sanch. Leſſ. Salas, Caſtrop. Bonac. Henriq. Præp. Amic. Reinffenſt. Delbene, Moya *t.* 6. *d.* 5. *q.* 1. *n.* 19. Illſ. *n.* 62. aliique multi; Gob. *to.* 5. *n.* 61. putat utrumque probabile. Videri poſſunt vind. Gob. *p.* 2. *prop.* 6.

685 ## DUBIUM III.

An Peregrini, & Vagi teneantur præceptis locorum in quibus morantur.

„ RESP. Regulariter non tenentur præceptis ſpecialibus „ illorum locorum. Ita Laym. Sanch. Azor, Koning. „ Leſſ. Reginald. Fill. contra Navar. Suar. Sà, &c. (& quoad „ vagos, etiam contra Bon. & Sanch.) Ratio eſt, quia non „ poteſt dari ulla ratio hujus obligationis, cùm illi non ſint „ ſubditi vel locis, vel Superioribus, quorum tales leges fuerunt, ideoque extra eorum juriſdictionem: Nec obſtat 1. „ eos nullis particularium locorum ſtatutis, ſed ſolo jure communi teneri: quia id non eſt abſurdum. Nec 2. quòd vagi „ ob delicta admiſſa, puniri poſſint, hoc enim conſuetudo „ recepit, ne ſcelera maneant impunita.

„ Dixi 1. *regulariter*: quia tenentur quibuſdam legibus, „ maximè quarum violatio cederet in damnum, & injuriam „ illius loci, in quo morantur: ut etiam iis, quæ ſunt de contractibus celebrandis. *Unde reſolves hos caſus*.

„ I. Tales non tenentur audire Miſſam, & poſſunt opera „ ſervilia exercere die iſtic feſto; non tenentur jejunare, nec „ abſtinere à carnibus: quando iſtic eſt jejunium, & domi ſuæ „ non eſt. Intellige utrumque ſecluſo ſcandalo, propter quod „ Epiſcopus loci punire poſſet. Laym. *lib.* 1. *tr.* 4. *cap.* 12. *n.* 4.

„ II. Peregrinis non licet frumenta evehere, vel vendere, „ ſupra pretium ibi ſtatutum, noctu arma ferre, &c. ſi talia „ ibi prohibita ſint. Panormit. Regin. Sanch. *n.* 36.

„ Dixi 2. *Præceptis ſpecialibus*; quia ſi domi tuæ conſuetudine derogatum ſit alicui præcepto juris communis & aliò „ venias, ubi illud viget; eodem obligaberis. Ratio eſt, quia „ lex juris communis eſt univerſalis, & obligat omnes, ſine „ ordine ad locum. Laym. *n.* 2. *Unde reſolvitur hic Caſus*.

„ Belga aliquis veniens Coloniam, v.g tenetur illic ſabbatis inter Nativitatem Chriſti, & Purificationem abſtinere à „ carnibus, quia privilegium ejus comedendi tunc carnes, „ non eſt perſonale, ſed locale: ideoque expirat extra locum. „ Laym. *num.* 3.

ADDENDA.

686 *Quæſt.* 112. *Quid dicendum ſit in caſu, quo eſt ſpeciale præceptum, & in loco, è quo exit, & in loco, ad quem venit*, v. g. Titius exeat ex loco, ubi eſt ſpeciale jejunium, & veniat ad locum, ubi eſt aliud ſpeciale jejunium; item, ſi exeat è parochia ſua, in qua eſt ſpeciale feſtum S. Fabiani patroni Eccleſiæ, & veniat in aliam Parochiam, ubi eſt ſpeciale feſtum S. Sebaſtiani patroni hujus Eccleſiæ, an teneatur jejunare vel audire Sacrum? R. Plures cum Caſtrop. *tr.* 3. *d.* 1. *p.* 24. §. 3. & 5. dicunt teneri, ſed Jo: Sanch. Tamb. *in Decal. l.* 4. *c.* 1. §. 2. *n.* 13. & Burgh. *cent.* 1. *caſ.* 16. probabiliter negant, quia in primis non tenetur ratione ſpecialis præcepti in ſuo territorio, ex quo exit, uti dictum eſt dub. præced. Deinde nec tenetur ratione ſpecialis præcepti in altero territorio, ad quod venit, quia non eſt ſubditus juriſdictioni horum Superiorum, ergo neutro præcepto tenetur, & conſequenter, ſi abſit ſcandalum, poterit non jejunare nec audire Miſſam ſed indulgere ſervilibus. *Nec refert*, quòd fortè veſperi ſit rediturus ad ſuum domicilium, *nam* ad rem non facit, ſive diù, ſive parùm maneat, quia abſentia à loco proprio eum à lege eximebat, quamdiu per diem aberat, attamen reverſus ad domicilium ſuum non poterit carnes comedere, ſi in hoc ſuo loco erat jejunium, imo nec plenè cœnare, ſi jam ante per diem non ſumpſerat duplicem refectionem, quia jam adhuc poſſet ſervari jejunium, ad quod in ſuo loco exiſtens obligaretur. Videri poteſt Illſ. *t.* 1. *d.* 2. *n.* 24.

DUBIUM IV. 687

An Peregrini teneantur præceptis juris communis, ſi non ſint in uſu in loco, ubi morantur.

RESP. Non teneri. Ratio eſt, quia tunc valet privile- „ gium locale, quo frui poſſunt omnes, qui in loco „ morantur. Sanch. 1. *mor. c.* 12. Suar. Laym. &c. *Unde reſolvuntur ſequentes Caſus*. „

I. Si Germanus per Hiſpaniam tranſeat, poteſt ſabbatis „ veſci inteſtinis animalium. Idem, ſi per Belgium, aut Mediolanum iter habeat, poteſt inter Nativitatem Chriſti & „ Purificationem, in Belgio ſabbatis, Mediolani verò quatuor primis diebus Quadrageſimæ carnibus veſci, Sanch. „ Suar. Bonac. *p.* 6. *n.* 61. „

II. Si quis ex Diœceſi Catholica, v.g. Hildeſio, ubi ve- „ tus Calendarium adhuc eſt in uſu veniat in aliam, ubi novum eſt receptum, v.g. Monaſterium, poteſt, ſi ibi Quadrageſima præteriit, carnibus veſci, ut docet Sanch. *l. c.* Salas *num.* 69. Bonac. *num.* 64. Leſſ. *l.* 4. *c.* 2. *d.* 8. qui tamen contrariam ſententiam ſuadet in praxi, licèt hæc tuta ſit, ut „ etiam docet Laym. „

Addidi *ex Diœceſi Catholica*; quia ſi Catholicus veniat „ in terras hæreticorum, ubi alii Catholici non ſunt, tenetur ibi ſervare novum Calendarium, ad vitandum ſcandalum, & contemptum Eccleſiæ Catholicæ. Vide Laym. *l.* 1. „ *to.* 4. *cap.* 11. *num.* 8. „

ADDENDA.

688 *Quæſt.* 113. *In quo conveniant Authores circa obligationem vagi vel peregrini?* R. Quæ hactenus attulimus, ferè ſunt controverſa, & in utramque partem probabilia, ſed ſequentia tenentur ab omnibus.

§. 1. Si vagus vel peregrinus acquirat domicilium in aliquo loco, tum ſtatim tenetur præceptis illius loci, quia fit illi ſubditus: tum autem acquirit domicilium, ſi ibi habitare incipiat cum intentione ibidem perpetuò permanendi.

§. 2. Similiter tenetur, ſi acquirat quaſi domicilium, tum enim fit ſubditus, & poteſt recipere omnia Sacramenta præter Ordines: acquirit autem quaſi domicilium, ſi habitare incipiat cum intentione ibi manendi, ſaltem per majorem anni partem, uti faciunt ſtudioſi, ſervi, ancillæ.

§. 3. Etiam tenentur legibus, quæ ſunt de contractibus, 689 item quæ ſunt ſpecialiter ad cavendum damnum, aut injuriam loci, ad quem veniunt: denique tenentur legibus juris communis, eo modo, quo notat Buſemb. poteſtque videri etiam Gob. *in Exp. tr.* 5. *n.* 92. & 101.

An & quomodo ille, qui è loco, ubi eſt novum Calendarium, exit ad locum, ubi eſt vetus, teneatur jejunare, addentur plura *l.* 3. *p.* 2. *à n.* 1271. An autem aliquis in 4. temporibus, v. g. vernis hic ordinatus in diaconum, poſſit decem diebus poſt, ſecundùm Calendarium vetus ordinari præsbyter alibi, dicetur *l.* 6. *quando de Sacram. Ordinis*. Denique de obligationibus advenarum, peregrinorum, & vagorum, optimè habet Delbene *de Immun. Eccleſ. toto c.* 11. & 12.

CAPUT III.

De modo, quo obſervanda ſunt Præcepta.

DUBIUM I.

An debeant impleri ex Charitate.

RESP. Poſſunt impleri ſine charitate, niſi hanc in „ 690 ſubſtantia includant; ut v. g. præceptum dilectionis Dei. Ratio, quia tantum præcipitur ſubſtantia actus „ incluſi in præcepto, v.g. ut honoretur parens, non autem „ finis,

finis, aut modus præcepti, ut docet S.Thom.1.2. *qu.*100. *art.*10.Interim certum eſt, requiri charitatem in operante, ut impletio præcepti ſit meritoria, juxta illud, 1.*Corinth.* 13. *Si linguis hominum loquar*. S.Th. Suar.Sanch. *Unde reſolvuntur ſequentes Caſus.*

I. Si quis jejunet, vel interſit Sacro, ob vanam gloriam, vel etiam ut furetur, poteſt nihilominus implere præceptum, etiam per actum ex circumſtantia peccaminoſum; quia implet ſubſtantiam illius præcepti, licèt peccet contra aliud, cui finis ille malus opponitur, ut docet Sanch.1.*mor. cap.*14.Laym *lib.*1.*tract.*4.*cap.*4.*n.*6.Lugo *diſ.*22.*ſ.*2.*n.*23.

II. Simili ratione impletur votum, juramentum Deo factum, pœnitentia Sacramentalis, licèt actus ipſe ſit peccatum: *Iidem ll.cc.*

ADDENDA.

691 Q*Væſt.* 114. *Quid tenuerint aliqui circa neceſſitatem charitatis pro implendis præceptis, & quomodo ſint confutandi?* R.Bajus, Janſenius & alii docuerunt charitatem eſſe neceſſariam ad implenda omnia præcepta; item omnem actionem eſſe peccatum, quæ non fieret ex charitate, uti referemus, & falſum eſſe oſtendemus *l.*2.*n.*132. Hic ſatis eſt notare, quòd certum ſit præcepta poſſe impleri abſque Charitate, nam inter 79.propoſitiones Bajanas à S.Pio V.Gregor.XIII.& Urb.VIII.Damnatas, eſt hæc 16.*Non eſt vera legis obedientia, quæ ſit ſine charitate.*

692 DUBIUM II.

An ad impletionem præceptorum, requiratur intentio iis ſatisfaciendi?

REſp. Quòd non. Ita Sanch.Vaſq.1.2.*q.*100. *art.*9. *& alii communiter*. Ratio eſt, quia lex tantùm præcipit liberam operis externi executionem, v.g.auditionem Sacri, non autem,ut alio peculiari actu quis velit vel intendat præcepto ſatisfacere, ſive, ut alii loquuntur, præcepta non obligant ad obedientiam formalem, hoc eſt, ut aliquid fiat, quia præcipitur; ſed tantùm ad materialem, ſive ut fiat,quod præcipitur. Vid.*infr.l.*3.*tr.*3.*c.*1.*d.*3. *Unde reſolvuntur ſequentes Caſus.*

I. Qui alicujus præcepti immemor, illud implevit, v.g. ignorans eſſe diem feſtum, liberè tamen interfuit Sacro, is ſatisfecit: Neque, ut quidam volunt, neceſſe eſt, ut poſteà intelligens eſſe diem feſtum, velit tunc ſatisfacere per Miſſam auditam, quia implevit ſubſtantiam actus præcepti. S.Th.Henriq.Fill.*t.*5.*c.*7. *q.*7.

II. Is votum, juramentum, & pœnitentiam Sacramentalem verè implet, qui opera promiſſa vel injuncta exequitur, etſi non habeat intentionem implendi; modò tamen non applicet ea pro alia re. Ratio, quia vota, &c. ſunt leges quaſi particulares, quas homo ſibi, vel alteri imponit, unde tantùm obligant ad ſubſtantiam actus.Suar.Azor.Leſſ. Laym.*num.*7.

693 DUBIUM III.

An ſatisfaciat præcepto, qui faciens opus, expreſsè intendit per illud non ſatisfacere?

REſp.Satisfacit. Suar.Val.Vaſq.*l.c.*& Leſſ.*l.*2.*c.*7. *dub.* 10.contra Navar.Azor.&c.Ratio eſt, quia præcepta tantùm obligant ad ſubſtantiam operis injuncti; ergo illa poſita non eſt in poteſtate operantis, ut non ſatisfaciat. *Nec refert*, 1.quòd actus non operentur ultra intentionem agentis, quia id intelligitur, quando eſt in poteſtate operantis, v.g.ſatisfacere, vel non. Nec 2. quòd qui debet alteri centum, non ſatisfaciat obligationi, ſi liberali donatione det ducentos. Nec 3. quòd voto obligatus ad recitandum roſarium, ſi recitet animo non implendi, non ſatisfaciat. Ratio, quia hæ & ſimiles obligationes proveniunt ex voluntate promittentis, qui, ſicut ab initio debitorem ſe liberè conſtituit, ſic in debito liberè permanere poteſt, obligatio autem parendi legi, provenit ex voluntate legislatoris: ideoque non extenditur ultra ejus intentionem, & voluntatem, nempè ultra ſubſtantiam operis præcepti. Kon.*num.*309.V. Leſſ.*l.c.*& Laym.hic. *Unde reſolvuntur ſequentes Caſus.*

I. Sacerdos, qui legit Horas, non ea devotione,qua voluit, ideoque propoſuit, ad ſatisfaciendum præcepto, repetere, etſi deinde non repetat, ſatisfecit tamen præcepto, Suar.Kon.Lugo &c.

II. Audiens Sacrum die feſto, quod ſcit eſſe ultimum, (vel, ſi non ſit ultimum, intendens non audire aliud) licèt intenderit non ſatisfacere, verè tamen ſatisfecit præcepto de audienda Miſſa, etſi peccarit contra illud præceptum, quo quis tenetur eſſe ſubditus legislatori, Lugo *l.c.*

III. Is, qui Sacrum audivit die feſto, legit Horas Canonicas, abſolvit pœnitentiam Sacramentalem, cum animo non ſatisfaciendi, non tenetur poſteà mutare voluntatem, ut velit per præcedens opus ſatisfeciſſe, quia verè ſatisfecit, Sanch.Salas, *d.*9.*n.*33. Lugo *de Euch. d.*22.*ſ.*2. *n.*12. contra Suar.

OPponi poteſt, quod dicitur Reg.88.Juris in 6. *Certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem*. R. Senſus eſt eum peccare contra legem, qui licèt hanc impleat, tamen contemnit, & paratus eſt non implere, niſi aliunde ad implendum moveretur.

DUBIUM IV. 694

An ad impletionem Præceptorum requiratur intentio, ſeu voluntas faciendi id, quod præceptum eſt.

REſp. Quòd ſic: Ratio eſt, quia cùm lex detur hominibus, non brutis, ideoque humano modo ſit implenda, hinc impletio omnis præcepti, ſive humani, ſive divini, debet eſſe actus humanus conjunctus cum libertate, & voluntate operantis, id eſt, ut velit, ſive intendat facere hoc, quod eſt præceptum: v.g. audire Sacrum, jejunare &c. Eſt communis. Vid.Vaſq.1.2.*qu.*100.*art.*9.Suar.Sanch. *Unde reſolvuntur hi Caſus.*

I. Qui audivit Sacrum die feſto, ebrius, dormiens, aut impos ſui quomodocumque, aut neſcius quid aggrederetur aut vellet facere, tenetur poſtea compos ſui factus, audire aliud Sacrum, Suar.Sanch.Salas *d.*9.*n.*32.

II. Is qui audivit Sacrum, jejunavit, &c.prorſus violenter coactus, non ſatisfecit, non enim fuit actus humanus, defectu voluntarii. Vaſq.Suar.Azor. Fill.*n.*212.

Dixi, *prorſus violenter*: quia ſi famulus, v.g.metu Domini, aut puer metu Magiſtri, Sacrum audiat, (eſto non ſit auditurus, ſi Magiſter abeſſet) is, etſi perverſa voluntate illa peccet, præcepto tamen ſatisfacit. Ratio, quia metus non tollit libertatem. Sanch.Sal.*l.c.*Laym.*lib.*2.*t.*4. *cap.* 4. *num.*12.

III. Recitans Horas ſola intentione legendi, vel addiſcendi, non ſatisfacit: uti nec ille, qui vadit ad Sacrum,tantùm ut oculos paſcat, cum alio colloquatur, vel expectet amicum, Lugo *l.c.n.*23.

IV. Nec ſatisfacit is, qui tantùm fictè confitetur, orat &c.quia non ejus fictio, ſed opus, præceptum eſt.

ADDENDA.

695 Q*Væſt.*115. *An univerſaliter verum ſit, quòd id, quo impletur præceptum, procedere debeat ex cognitione, voluntate & libertate operantis?* R.Videntur affirmare Authores & Buſemb. jam relatus, cum quibus Herincx *hic d.*1. *num.*36. dicit actum, quo impletur præceptum, debere eſſe voluntarium, & ex certa cognitione, ideoque illum, qui in ebrietate reſtitueret, reipſa non ponere actum lege juſtitiæ præceptum. Communis illa ſententia tenenda eſt, ſi per præceptum ſaltem concomitanter aut indirectè imperetur actus liber, & humanus, uti fit per præceptum audiendi Miſſam, legendi Horas Canonicas &c. nam ſimul imperatur humana applicatio mentis ad ejuſmodi opera, cùm debeat adeſſe aliqua attentio ac devotio, quam habere non poteſt ebrius,dormiens, impos ſui, planè non advertens, recitans tantùm ut legat vel addiſcat &c.Deinde ut impleatur præceptum, etiam non debet adeſſe voluntas poſitivè contraria præcepto, & coacta, nam præceptum ideo eſt, ut dirigat voluntatem, & opus ſubditi; adeoque præceptum poſtulat, ut voluntas ſubditi non ſit à præcepto poſitivè averſa: Si tamen præceptum non imperet actum humanum, & voluntas non ſit poſitivè contraria præcepto, dici poſſet impleri per actum etiam non liberum aut per omiſſionem puram. *Ratio* eſt 1. quia etiam pro ſtatu, quo adeſſe non poteſt voluntareitas, & libertas, adhuc obligat præceptum, & ſi opus tum ponatur, reipſa ponitur ſubſtantia rei præceptæ, & hoc ipſo obtinetur finis præcepti, ergo impletur præceptum. *Antec.prob.*ebrius tenetur præcepto jejunii, nam qui in ebrietate conſtituto daret carnes comedendas, peccaret, ergo in eo ſtatu tenetur præcepto, ergo etiam in eo ſtatu debet poſſe implere, alioquin teneretur ad aliquid impoſſibile impleri: & reipſa non comedendo implet, cùm reipſa jejunet, & hoc ipſo maceratur in corpore, quæ maceratio eſt finis legis: ſimiliter fur, qui in ebrietate reſtituit, tenebatur

tur reſtituere, & reſtitutio in eo ſtatu facta eſt hoc, quod imperabat juſtitia, quia hac poſita iterùm habebatur adæquatio inter jus activum unius, & paſſivum alterius, quæ adæquatio eſt finis à juſtitia intentus: item ſi in Monaſterio ſit præceptum ſilentii pro tota die, qui tota die dormit, implet præceptum, quia reipſa ſilet, & non turbatur domus, quod præcepto illo intendebatur; imò ſi præceptum ſic diceret, qui hac die per tres horas ſervarit ſilentium, poterit reliqua parte diei loqui, qui per tres horas poſt latum præceptum dormiſſet, etiam inſcius præcepti, utique poſſet poſteà cum aliis reliquo tempore loqui, ergo. *Ratio* eſt 2. quia Virtus, ex cujus motivo ponitur præceptum, non obligat ad actum procedentem ex motivo ſuæ propriæ honeſtatis, uti cum communi Maurus *Tom.2. q. 183.* & Palav. *de Juſt. à n.91.* Neque neceſſarium eſt, ut impletio ſit actus bonus, uti *n.690.* dictum eſt, & præter ibi citatos docent Vaſq.1.2.*q.*100.*art.9.*Palav.*n.92.*Illſ.*t.1.d.2. n.36.* vocans communiſſimam, & certam ſententiam, ergo neque eſt neceſſarium, per ſe loquendo, ut ſit actus voluntarius, & liber. *Conſeq. prob.* nam iſta ratio voluntarii, & liberi ſæpe ſuperaddet ſolam malitiam, & turpitudinem, tunc ſcilicet, quando præceptum implebitur per actum malum, ſed talis malitia, & turpitudo nihil facit ad finem præcepti, qui haberi poterat ſine malitia, quam præceptum nolebat, ergo.

696 *Objicies.* Præceptum datur homini, ergo actus, quo impletur, debet eſſe actus humanus. R. n. conſ. ſatis enim eſſe actum hominis, qui tali lege tenetur, & per eum actum obtineri finem legis.

Inſt. Ut ſit formalis tranſgreſſio legis, debet eſſe actus humanus, ergo etiam ut ſit formalis impletio legis. R. neg.conſeq. formalis tranſgreſſio legis eſt peccatum, quod ſemper eſt liberum; è contra impletio legis nec neceſſariò eſt peccatum, uti per ſe patet, nec neceſſario eſt actus bonus, uti dictum, ergo nec neceſſariò eſt actus liber. *Neque dicas*, abſque actu libero fore impletionem præcepti negativam tantùm; id eſt, non tranſgreſſionem, non autem eſſe poſitivam: *Contra* eſt, ponitur hoc, quod præcipitur, hoc poſito habetur finis præcepti, ergo adeſt poſitiva illius impletio, cùm non requiratur voluntas implendi ſeu ſatisfaciendi, uti *n.692.* dictum eſt.

697 DUBIUM V.

An duplici præcepto uno actu, vel diverſis actibus, eodem tempore poſſit ſatisfieri.

Resp.I. Uno actu diverſa præcepta ſimul impleri poſſunt, niſi aliud colligatur ex mente præcipientis. Patet ex praxi quotidiana, qui enim obligatur ad Horas ratione Ordinis, & Beneficii, ſatisfacit una recitatione. Sanch. *l.1. in Decal. cap.* 14. Sal. Bon. *p.9. Unde reſolvuntur hi Caſus.*

I. Cùm Dominica, & Feſtum incidunt in eundem diem, non teneris audire duo Sacra.

II. Votum & Pœnitentia in Confeſſione injuncta, plerumque non implentur per actum aliàs debitum, quia hæc plerumque non eſt mens voventis, & Confeſſoris. V. Suar. *t.4.in 3.p.* Sanch.*l.c.*

Dixi, *plerumque*; quia ſubinde Confeſſarii injungunt opus aliàs præceptum.

III. Qui alteri ex pluribus obligationibus debet centum v.g.non ſatisfacit, ſi ſemel det centum, quia in debitis juſtitiæ attenditur æqualitas rei ad rem, non poteſt autem unum centum æquale eſſe debitis plurium centum: Unde in his alia eſt intentio, & mens obligantis, Sanch. Sal. *l.c.*

Reſp.II. Poteſt quis eodem tempore diverſis actibus duplici præcepto ſatisfacere, dummodò unum non impediat alterum. Eſt communis. Et ratio, quia plerumque temporum diverſitas non præcipitur. Suar. Azor. *p.1. l.7. cap.5.* Sanch.*l.c. Unde reſolves.*

I. Poteſt quis eodem tempore audire Miſſam in feſto præceptam, & ſimul legere Horas, vel alias orationes, voto aliave ratione debitas, Bon. *n.8.*

II. Poteſt item, qui tenetur audire duas Miſſas, eas audire ſimul; imò etiam tres, ut docent aliqui, dum ſimul in pluribus altaribus fiunt. Sanch. *num.12. Major, in 4. diſt.18.*

698 DUBIUM VI.

An, qui uno actu violat plura præcepta, committat plura peccata?

Resp. Si violet præcepta materialiter tantùm diverſa, ita ut licèt ſint plurium legislatorum, habeant tamen motivum formale idem, & verſentur circa materiam eandem numero, cum iiſdem circumſtantiis, unum tantùm peccatum committit: ſi verò præcepta ſint formaliter diverſa, ob motiva proxima ſpecie diſtincta; vel verſentur circa materiam numero diverſam, committet plura peccata, quia ſunt obligationes, & malitiæ diverſæ, Sanch. *de Matr.l.9.d.*15.Vaſq.1.2.*d.9.*Salas, Lugo, *d.16.n.*245. *Unde reſolvitur.*

I. Qui non jejunat die Vigiliæ, incidentis in Quadrageſimam; aut neglexerit Sacrum Feſto incidente in Dominicam, unicum commiſit peccatum, ſatiſque eſt confiteri de jejunio, & Sacro uno: quia in his præceptis una eſt ratio formalis, & motivum proximum, v.g.in priore, maceratio carnis; in poſteriore cultus Dei, Laym. Sanch. Lugo *l.c.*

II. Qui violat votum, & juramentum, vel votum, & præceptum Eccleſiæ de eadem re, duplicem malitiam committit, ac proinde id in Confeſſione explicandum eſt; quia voti obſervatio præcipitur, ut fides Deo debita ſervetur: juramenti autem, ne Deus vocetur in falſum teſtem & ſic duæ ſunt hic rationes formales; uti & ſunt in omiſſione Miſſæ, quæ & propter Feſtum, & ex injuncta pœnitentia audiri debet. Lugo *l.c.*

III. Si ligatus cum ligata adulteretur, duplex peccatum injuſtitiæ committitur, unum contra propriam uxorem, alterum contra maritum adulteræ: ut etiam, ſi quis uno actu occidat plures, ſunt plura homicidia; quia in iſtis materia eſt numero diverſa, Laym.*l.*1.*t.*2. *c.*10. *num.*3. Sanch. Lugo *l.c.*

CAPUT IV.

Quæ excuſent à tranſgreſſione Præcepti.

DUBIUM I. 699

An ignorantia excuſet.

Resp. Si ſit invincibilis excuſat; quia nemo peccat, niſi actu voluntario; hic autem cognitionem præſupponit. Si autem ſit vincibilis & culpabilis, non excuſat; qualis eſt, cùm poteras, tenebaris ſcire, aut diſcere, & in mentem veniebat dubitare, nec ſtuduiſti intelligere. S.Aug. S.Thom.Sanch.1. *mor.cap.16. & cæteri communiter* contra Palaum. *Unde reſolvitur.*

I. Si quis die jejunii nihil cogitans de præcepto cœnet, aut carnes comedat, non peccat: ſimiliter in aliis: ut ſi occidas hominem, putans eſſe feram. Bon.*tom.*2. *d.*2. *q.*8. *p.*3.

II. Si in aliqua re tantùm advertas malitiam unius generis, illam ſolam contrahis, ut v.g.ſi quis cognoſcat fœminam, quam ſcit non eſſe ſuam, ignorat autem eſſe conſanguineam, is fornicationem tantum, vel adulterium committit, non inceſtum. Laym.*l.*1.2.*cap.*4.Bon.*l.c.*

ADDENDA.

Quæſt.116. *Quid ſit, & quotuplex ignorantia.* R. §.1. Ignorantia, in genere, à S.Dionyſ. & S.Th.1. 2. *q.76.art.*2.definitur, privatio ſcientiæ eorum, quæ quis aptus natus eſt ſcire. 700

§.2. Ignorantia variè dividitur, nam 1. alia eſt puræ privationis, quæ eſt mera carentia ſcientiæ; alia malæ diſpoſitionis, quæ ſimul includit poſitivum errorem. 2. Alia vincibilis, quando quis poteſt ſcire: alia invincibilis, quando quis ſcire non poteſt, uti magis explicabitur à *n.*748. tum autem ſimpliciter eſt vincibilis, ſi quis ſcire poſſit per ordinariam gratiam Dei, licèt forte non poſſit per vires ſolius naturæ, uti rectè Eliz.*l.*7. *qu.*11. §.4. gratia enim ordinaria non negatur nobis, ſaltem ſi faciamus, quod in nobis eſt.3. Alia culpabilis, quando quis poteſt, & debet ſcire; ac negligit, hinc ab aliis dicitur conſequens, quia conſequitur ad aliquem actum voluntatis; alia inculpabilis, quando quis vel non poteſt vel non tenetur ſcire, tum enim non eſt imputabilis, quia eam habemus antecedenter ad actum voluntati noſtræ imputabilem. 4. Hæc ignorantia conſequens alia eſt affectata, quæ directè eſt volita, & quæſita; uti habet S.Th. *qu.6. ar.*8. exempli gratia, ſi è templo exeas, ne audias promulgari jejunium: alia ſimplex, quam quis directè non quærit, attamen habet, quia negligit inquirere, ut ſciat, & ideò eſt indirectè tantùm voluntaria, poteſtque eſſe ſupina, & craſſa, ſi negligentia inquirendi fuerit magna. Videri poteſt Teril. *de conſc.prob.q.*16. ubi *n.*5. refert hæc verba Hugonis Cardin. *Simplex dicitur ignorantia, quando homo non laborat ſcire, quod poſſit ſcire: affectata dicitur, quando aliquis ex induſtria omittit ſcire, ne ſcientia in eo aggravet peccatum, ne*

magis

magis teneatur ad non peccandum &c. hinc affectata videtur habere contemptum ſcientiæ; ſimplex autem, ſolum modò neglectum veritatis. 5. Ratione objecti, alia dicitur ignorantia Juris, quæ eſt circa leges vel obligationem legum, ſoletque etiam dici univerſalis, alia Facti, quæ eſt de aliquo facto, vel non facto, ideoque dicitur particularis, ut ſi ignorem, an jaculando occiderim Virum necne.

702 *Q.*117. *Quale malum, & utrùm majus malum ſit ignorantia, an error?* R.

§.1. Error & ignorantia circa neceſſaria ad finẽ ultimum ſunt maximum malum hominis, quia quantitas mali menſuratur per magnitudinem, & neceſſitatem boni per tale malum excluſi, ergo cùm obtentio finis ultimi ſit maximum, & maximè neceſſarium bonum hominis, error, & ignorantia, quæ cauſant excluſionem finis ultimi, ſunt maximum hominis malum.

703 §.2. Quamvis ignorantia, & error invincibilis circa non neceſſaria ad finem ultimum ſemper ſint malum Phyſicum intellectus, cùm finis, & conſequenter bonum intellectus ſit noſſe verum, uti in ſe eſt: tamen ſæpè per accidens ſunt in genere moris meliora, quàm ſcientia; ſic melius eſt marito neſcire præteritam fornicationem uxoris ſuæ, & opinari falsò, quòd ſemper fuerit caſta: quàm ſcire non fuiſſe: nam aliàs turbaretur pax, confidentia, amor: item melius eſt homini planè ignorare præceptum, aut falsò putare illud non dari, ſi Deus prævideat eum tranſgreſſurum, ſi ſciret &c.

704 §.3. Error in pleriſque eſt majus malum quàm ignorantia, quia intellectus per errorem, utpotè formam contrariam, pejus diſponitur in ordine ad cognoſcendum verum, ideòque etiam facilius eſt eum edocere veritatem, qui purè ignorat, quàm qui ſimul errat circa eam, quia intellectus non facilè agnoſcit ſe errare, & difficilius recedit ab eo, cui ſemel adhæſit.

705 §.4. Error eſt quandoque melior quàm ignorantia, ſic Titio melius eſt, ſi erroneè judicet Cajum eſſe patrem ſuum, quàm ſi id ignoraret, jam enim probare poteſt ſe eſſe civiliter legitimum, habet ab eo educationem, directionem, alimenta &c. circa illa autem objecta, quorum veritas certò cognoſci non poteſt, communiter ſaltem eſt melius habere cognitionem probabilem, quamvis per accidens erroneam, quàm puram ignorantiam, nam ſæpe veritas illorum inveſtiganda eſt, uti circa objecta incerta videmus ſæpè diſputari à viris ſapientibus in ſcholis omnibus tam Philoſophicis quàm Theologicis, ſtultum autem foret dicere, quòd expediret nunquam de hujuſmodi objectis judicare pro vel contra, is enim foret error Academicorum, qui dicebant nunquam in incertis judicandum eſſe, nè forte erretur, quod ſomnium explo ditur ab omnibus, & ratio eſt, quia cùm motiva gravia, & ad prudenter judicandum ſufficientia occurrant, per quæ intellectus poſſit ſaltem probabiliter attingere veritatem; non eſt, cur impediatur eam veritatem apparentem amplecti, hìc enim eſt finis illius, & ideò non quieſcit, niſi formato aliquo circa talia objecta judicio, quod maximè valet, ſi objecta ſint practicabilia, ad quorum poſitionem vel omiſſionem dirigamur per judicia ſecundùm apparentiam veritatis formata, ergo. *Si dicas*, finem intellectus eſſe attingere veritatem in ſe, *Contra* eſt, quamvis enim hìc ſit finis primarius, tamen ubi non eſt modus eam certò attingendi in ſe, finis ſecundarius eſt quærere, & conari attingere eam, ubi apparet, quod ſit per judicium probabile, licèt per accidens ſit erroneum, uti dictum eſt à *num.*97. quæ omnia confirmantur ex dictis à *n.*14. ubi oſtendimus etiam per errorem invincibilem intellectus refundi poſſe honeſtatem in actum voluntatis poſſuntque etiam videri dicta *num.*400. 417. Item Teril. *in Reg.q.*60.

706 *Objicies*: Omnis error eſt poſitiva imperfectio intellectus, faciens malam ejus diſpoſitionem, ergo ſemper eſt pejor quàm ignorantia, quæ tantùm eſt privatio perfectionis, ſicuti vitium eſt majus malum voluntatis, quàm præcisè privatio virtutis. *R.* Omnis error imprudens eſt poſitiva imperfectio intellectus, c. prudens ſive probabilis, & nitens gravi ac prudente motivo, ſubdiſt. eſt poſitiva imperfectio ſecundùm quid, ita tamen ut ſimul ſit perfectio, c. eſt poſitiva imperfectio pura, n. ant. & conſeq. quod autem actus probabilis, licèt ſit falſus, ſit etiam poſitiva perfectio intellectus, evincitur hoc argumento: nam ſi actus ille eſſet verus, utique foret perfectio intellectus, & quidem primariò intenta, ergo etiam eſt perfectio ſaltem ſecundariò intenta, ubi primaria obtineri non poteſt, licèt ſit falſus, dummodò non ſit temerarius ſed prudens. *Prob. conſeq.* nam veritas aut falſitas in recto eſt idem actus, qui in ratione veri vel falſi completur per exiſtentiam vel non exiſtentiam objecti, planè extrinſecam intellectui, ideoque actus, qui nunc eſt falſus, poterat eſſe verus, ſi objectum ſe aliter habuiſſet, & conſequenter perfectio extrinſeca, quam intellectus habet per actum, conſiſtit in vitali tendentia, & adhæſione ad objectum propter prudens motivum veritatis apparentis, quod convenit actui etiam falſo, ergo. Ad hoc, quod additur de vitio, reſponſum eſt *n.*417.

*Q.*118. *An omnis veritas in rebus moralibus poſſit à nobis inveniri?* R. Eliz. ut excludat omnem uſum opinionum, & oſtendat ignorantiam legum eſſe vincibilem, docet toto l. 7. & 8. omnes veritates morales eſſe à nobis invenibiles, traditque varios modos illas inveniendi: & ut doctrina illius melius confutetur, præmitto breve ejus compendium. 707

§.1. *L.*8.*q.*2.*&* 3. docet, incedendo in via opinionum, ſive ſequendo rationes proprio ingenio inventas, non poſſe inveniri veritatem. Addit *q.*4.§.2. *&* 3. debere eſſe notas, & ſigna è quibus dignoſcatur veritas, etiam prætermiſſo omni examine opinionum, ſicuti debuerunt eſſe notæ veræ fidei prætermiſſo omni examine myſteriorum ſecundùm ſe, nam ſicuti Deus voluit omnes, etiam indoctos rectè credere ideoque dedit notas ad rectè credendum, communes doctis, & indoctis, ita etiam, quia voluit omnes, etiam indoctos, rectè operari, debuit illis dare notas rectæ operationis, communes doctis, & indoctis, talis autem nota non eſt via vel examen opinionum, nam harum capaces non ſunt indocti, ergo. *Contra* eſt, licèt ante omnia attendere debeamus, quid doceant Scriptura, Concilia, PP. & DD. nemo tamen contemnet viam ratiocinationis, ubi veritas nobis per Authoritatem non innoteſcit, & ideò ad rationem etiam ſæpe recurrunt PP. & DD. hinc dicimus, ubi aliunde non reſcitur veritas, optimam notam veritatis eſſe, ſi pro hac vel illa parte ſit prudens ratio, grave motivum, rationabile argumentum; & hujus notæ capaces ſunt etiam indocti, qui ſaltem per doctiores de hoc reſcire poſſunt. 708

§.2. *Q.*5. *&* 13. dicit primum modum inveniendi veritatem eſſe, quærere ſapientes DD. quos ſequaris; q. autem 8. dicit neminem eſſe ſapientem, niſi verum dicat, quia ſapientia eſt cognitio veri, ideoque addit neminem poſſe reddere aliquam opinionem probabilem, niſi de ipſo ſic liceat argumentari, *Author ille hoc dicit, ergo eſt verum. Contra eſt*, ille hìc dicitur ſapiens, qui eſt omni exceptione major, ideoque prudenter præſumitur dicere verum; quia ut plurimùm dicit verum, licèt fortè hìc, & nunc invincibiliter erret, uti explicatum eſt n.160. & 245. Unde ut Author dicatur ſapiens ſatis eſt ſic poſſe inferri: iſte *Author hoc dicit, ergo hoc eſt probabiliter verum*. Vide dicta n.99. in *Inſt.* 709

§.3. *Q.*6. oſtendit ſecundum modum inveniendæ veritatis eſſe, videre, cujus doctrinæ perpetuitas detur in Eccleſia, ſicuti enim fides, ita doctrina illa eſt vera, quæ in Eccleſia fuit perpetua. In hoc non repugno, ſed ubi dubium eſt, an hæc, an oppoſita doctrina tradita ſit ab Eccleſia; item, ubi ſunt quæſtiones vix antehac motæ in Eccleſia, aut ſaltem in neutram partem deciſæ, utique aliter quæri debet veritas. 710

§.4. *Q.*9. dicit tertiam notam veritatis eſſe, ſi doceatur à Doctore verè ſapiente; verè autem ſapiens dignoſcitur ex nota, quam *Chriſtus* dedit *Matt.*7. *&* *Luc.*6. *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*: fructus verò ille, ex quo dignoſci poſſit verax Magiſter, eſt conſtans charitas in Deum, & proximum, hinc *qu.*11. *&* 12. fusè oſtendit, quomodo per charitatem perveniatur ad veritatem. *Contra* eſt, quamvis fateamur charitatem eſſe utiliſſimam etiam ad inveniendam veritatem, tamen 1. æquè difficile eſt cognoſcere, quiſnam verè habeat charitatem, ac, quiſnam vera doceat. 2. Chriſtus de Magiſtris ſequendis dicit. *Quæcumque dixerint vobis, facite; ſecundùm autem opera eorum nolite facere*: hi utique charitatem non haberent. 3. Licèt quis charitatem habeat, non ideò ſemper loquitur vera, ſed ſæpè ſaltem invincibiliter errat, uti oſtenſum eſt *n.*99. & licèt charitatem non habeat, non ideò ſemper loquitur falſa. 711

§.5. Eadem *q.*9. §.6. iterumque *q.*10. dicit rigorem ſententiæ eſſe quartam notam veritatis. *Contra* eſt, nam plurimæ ſententiæ ob nimium rigorem damnatæ ſunt, uti patet ex Bajanis aliiſque ab Alex. VIII. damnatis: & per decurſum oſtendemus multas ſententias rigidas eſſe falſas aut etiam improbabiles: ergo præcisè ex eo, quòd opinio ſit rigidior, inferri non poteſt, quòd ſit vera. *Nec obſtat*, quòd Chriſtus dicat viam ad vitam, & conſequenter ad veritatem, eſſe arctam, *nam* Idem etiam dicit jugum ſuum eſſe ſuave, & onus leve; via autem mandatorum Dei, & Eccleſiæ eſt per ſe ſatis arcta, nec debet arctior fieri per rigorem opinionum inducentium leges ignotas. 712

§.6. Non omnis veritas moralis poteſt à nobis certò inveniri. *Ratio* eſt manifeſta, quia ſæpiſſimè pro utraque parte ſunt probabilia motiva: quorum unum non elidit alterum, uti à *num.*237. *&* 261. oſtenſum eſt, hinc etiam SS. PP. & integræ ſcholæ certant invicem de veritate hujus, & illius partis, ergo pro neutra parte eſt certitudo, neque etiam ſpes eſt aliquid certi reſciendi, niſi fortè Eccleſia aliquid declaret. 713

Reſpondet Camargo *l.*2. *contr.*4. *à num.*556. Hanc veritatis inventionem non videri ita promiſſam Magiſtris docentibus, ſicut unicuique moraliter operaturo. *Contra* eſt, 1. Si Magiſtri veritatem invenire non poſſint, quomodo invenient diſcipuli aut alii rudes? 2. Si Magiſtri errent, etiam errabunt

alii, qui tamen jubentur facere, quod illi docuerint; Et de Magistris *Matth.*5.dicitur, *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* id est, uti exponit S.Hieron.in eum locum, & S.Aug. *l.1.de Serm.Domini in monte cap.5.Tom.*4. si vos aberraveritis, qui erunt homines per quos à vobis error auferatur, cùm vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum? 3. Etiam Magistri debent moraliter operari, & quidem secundum sua dictamina, uti volunt adversarii; ergo etiam illis debet esse invenibilis veritas.

714 §.7. Omnis veritas moralis, si in eam inquiratur, poterit probabiliter inveniri, quia occurrent pro hac vel illa parte, aut etiam pro utraque gravia motiva ex authoritate vel ratione, propter quæ poteris hanc aut illam partem amplecti tanquam veram, sicque probabiliter inveneris veritatem: imò non inventio veritatis aliquando erit aliqua illius inventio, uti dicetur n.718.

715 §.8. *Objicies* 1.Scriptura *Eccli.*32. *Vers.*19.ait, *Qui quærit legem replebitur ab ea: & Matth.*7. *Vers.*7. *Quærite & invenietis*, quod intelligitur de omni lege, & vero, tam juris naturalis quàm divini pertinente ad unumquemque, ita Eliz. *l.*7.*q.*4. probans idem ex verbis SS. August. Hier. Chrys. &c. *R.* Scriptura & SS.PP. loquuntur de scitu necessariis ad salutem, ut rectè Teril. *in Reg.q.*11. *à n.*8. non autem de aliis, cum quorum ignorantia stare potest gratia, & obtineri salus; & talis est ignorantia multarum veritatum moralium, saltem si sit invincibilis.

716 *Obj.*2. Datur in intellectu nostro naturalis inclinatio ad veritates morales inveniendas, ergo sunt invenibiles, quia inclinatio naturalis non est ad impossibile, ita Eliz. *qu.*2.R. Ergo sunt invenibiles, semper certò, n.saltem probabiliter, c. *Aliter aliquid sapere, quàm res se habet, humana tentatio est*, inquit S.August. *lib.*2.contra Donat.cap.5. *in nullo autem aliter sapere, quàm res se habet, angelica perfectio est.*

717 *Obj.*3. Finis doctrinæ moralis est perfectio operationis honestæ, sed hæc non habetur sine veritate, veritas enim est magna perfectio, cùm faciat actum conformari etiam materialiter legi æternæ, ergo veritas est finis doctrinæ moralis; ergo cùm finis doctrinæ moralis sit à nobis assequibilis, etiam erit assequibilis veritas, ita Eliz. *R.* Si valet argumentum, ergo nulla doctrina nequidem probabilior procedens cum ignorantia vel errore invincibili sufficiet ad honestam operationem. *R.* 2. n.min.quamvis enim honestas adæquatè, & perfectius habeatur per doctrinam etiam materialiter veram, si tamen sit doctrina prudens, & invincibiliter erronea, etiam causat honestatem, & perfectionem in operatione, uti dictum est à n. 14. ideoque dico finem doctrinæ moralis esse perfectionem operationis honestæ, ad quam sufficit veritas vel in se vel apparens, item veritas vel certò vel probabiliter inventa. Videri potest Teril. *q.*14. *à n.*28.

718 *Q.*119. *An, non inventio veritatis quandoque fundet ejusdem inventionem in ordine ad dubia conscientiæ solvenda?* R.Affirmativè, & in hoc conveniunt Eliz. & Teril. *q.*53. si enim adhibuerim moralem diligentiam, vallet hic syllogismus, *Si hoc fuisset verum, ego veritatem illam invenissem, sed illam non inveni, ergo hoc non est verum*: consequenter non inventio veritatis post sufficientem inquisitionem in materia juris, & legum, dat sufficiens fundamentum negandi talem legem; è contra non inventio veritatis in materia facti non semper sufficit, & disparitas est, quòd leges sint universales, diuturnæ, & fixæ, hinc, si dentur; successu temporis debent innotescere; facta autem sunt particularia, transeuntia, & varia, ideoque illorum cognitio faciliùs latet: potest nihilominus etiam factum esse tale, ut aliquando ex illius, post adhibitam debitam diligentiam, non inventione, veritas ipsa sufficienter inveniatur, v.g. si scrupulosus rescire non possit se recitasse aliquam Horam, judicare potest se recitasse; quia cùm semper sollicitus sit, ne omittat, si non recitasset, sciret se non recitasse, ita Eliz. & Teril. *n.*5.simile est, si in aliquem cadat suspicio, v.g. homicidii, si enim post inquisitionem juridicam non inveniatur occidisse, censetur inventa veritas, quod non occiderit, quia pro ipso est possessio pro innocentia, nec mala facta præsumuntur, sed probari debent. Vide dicta n.272.273.

719 *Q.*120. *An dari possit ignorantia invincibilis circa leges positivas?* R.Eliz. negare non audet absolutè, attamen *l.* 7. *q.*16. §.1. docet, raras fore invincibiles ignorantias legum etiam humanarum, & juris positivi ad unumquemque pertinentis: sed quoad legem humanam, certissimum est eam sæpe invincibiliter ignorari à multis, uti docet experientia, multis enim sæpe proponuntur præcepta humana, de quibus anteà nunquam audierant vel cogitarant, neque illis inciderat in illa inquirere: idem ferè est etiam de multis præceptis positivis Dei, etiam ad salutem necessariis vel saltem conducentibus, uti rectè cum communissima Platel. *p.*2.*n.*254. *& seqq.* *Probatur* 1. ex illo *Joannis* 15. *Vers.* 22. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, ergo in illis, qui non audierunt, est ignorantia invincibilis juris Divini saltem positivi; hinc etiam ad *Rom.*10.*Vers.*14. dicitur: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* certum autem est multis non esse prædicata seu annunciata quædam positiva præcepta Dei. 2.Multis, non tantùm inter Barbaros sed etiam inter Fideles, necdum venit in mentem cogitare de variis præceptis positivis Dei, v. g. de præcepto confitendi, sumendi Eucharistiam aliquando, credendi Incarnationem, Resurrectionem &c. quæ S.Aug. *tr.*89. *in Joan.* dicit sine culpa posse ignorari, unde si tales homines damnentur, hoc non est propter hanc infidelitatem, sed propter alia sua peccata, uti expressè S.Th.2.2.*q.*10.*a.*1.*in O*, ideoque etiam inter Bajanas damnata est à tribus Pontificibus hæc 68.prop. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* 3. Præceptum Divinum est confitendi omnia mortalia, etiam secundum circumstantias mutantes speciem, ut declarat *Trid.sess.*14. *c.*5. qui autem dicit non posse dari ignorantiam invincibilem in agnoscenda distinctione specifica peccatorum Theologus non est, est enim res difficillima, & dubiis in utramque partem probabilibus plenissima, ergo: 4. Si non daretur ignorantia invincibilis circa jus positivum Divinum, multi ex SS.PP. peccassent mortaliter, & probabiliter essent damnati, nam, uti refert Carden. *in* 1. *crisi d.*15. *n.*433. S.Hieron.putavit omne juramentum à Christo esse prohibitum, eo quòd dicat, *Ego autem dico non jurare omnino*; è contra S.August. tenebat oppositum: item S.Th. uti refert Platel. suprà, docuit non dari præceptum Divinum statim confitendi mortale; è contra S.Bonav. dicebat dari, & omnes hi PP. ac SS. viri in ea doctrina permanserunt, ac quantum scimus, ei immortui sunt, ergo si præceptum ejusmodi Divinum non potest ignorari invincibiliter, alterutri peccarunt mortaliter, & probabiliter sunt damnati, quod nefas est cogitare. Vide dicenda n.722.Quæ autem hic objici possent, solventur *à n.*727. *&* 737.

720 *Q.* 121. *An dari possit ignorantia invincibilis, etiam circa jus naturæ?* R. Negant aliqui cum Sinnichio apud Teril. *de Consc.prob.q.*16. *num.*83. quorum argumenta dabimus *à n.*727. sed dicendum est, non posse quidem, saltem diù, dari ignorantiam invincibilem circa prima principia juris naturæ, neque circa conclusiones immediatè, & clarè ex illis deductas, in his enim, quisquis ratione utitur, statim videt, quod sint conformes vel difformes rectæ rationi, hinc sicuti auditis primis principiis Metaphysicè evidentibus aut immediatè, & clarè deductis, statim quilibet assentitur, ita etiam istis, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Nemini invito licitum est propria authoritate suum tollere. Bonum est amplectendum; malum fugiendum: Virtus est amplectenda: peccatum fugiendum* &c. hæc principia sunt ita clara, ut eorum veritas à nemine de illis cogitante possit ignorari: è contra tamen si sint conclusiones aliæ, quæ mediatè vel obscurè deducuntur ex principiis juris naturæ, poterit circa illas dari ignorantia invincibilis: ita S.Th.1.2.*qu.*100.*a.*1. Alb.M. *in* 2.*d.*22. *a.*10. S. Bonav. *in* 2.*d.*39.*art.*1.*qu.*2. Corduba *l.*2. *quæstionarii qu.*4. dicens, in hoc concordare communiter DD. citansque alios antiquissimos: Cardin. De Aguirre *T.*1. *tr.*1. notans esse communem, Gonet de probabilitate circa finem, oppositam vocans singularem, & improbabilem, Medina 1.2. *q.*76. *art.*2. Sylvius 1.2.*q.*76.*art.*3. Vviggers 1.2.*q.*6.*art.*8.*num.*22. Malder. 1.2.*quæst.*6.*art.*8. Duval. *de peccat.quæst.*7. *ar.*2. Gammach. 1. 2.*qu.*94. Isamb. 1.2.*qu.*79. *a.*6. aliique innumeri ex omni ætate, statu, ordine, uti videri potest apud Gonz. *d.*11 *c.*9. *Ratio* est, 1.quia, qui non studuit nec instructus est, ille invin- 721
cibiliter ignorat aliquas conclusiones juris naturalis, sed dantur multi, qui nec studuerunt nec instructi sunt, ergo, *Min.* patet; *Maj. prob.* quia conclusiones multæ spectantes ad jus naturæ debent ex primis juris naturæ principiis deduci *per studium*, uti loquitur Alb.M. & per *instructionem superadditam*, uti loquitur S.Bonav. ideoque indigent *disciplina*, qua minores à sapientibus instruantur, uti habet S.Th. non enim facilè scitur, an spectent ad jus naturæ necne, sed hoc debet examinari per discursus satis difficiles, & per illationes multas, quas multi facere nesciunt: idque sine ulla culpa: imò nullus est tam doctus vel instructus, qui de omnibus conclusionibus, quæ ita mediatè, & obscurè deduci debent, judicare possit, an rectè deducantur necne, sicuti enim potest aliquis hærere, & errare in faciendis illationibus ex principiis primis Metaphysicis, ita multò magis ex moralibus, 722
ergo. 2. Si omnis ignorantia circa jus naturæ sit vincibilis, ergo, cùm secundum Adversarios etiam sit culpabilis, SS. PP. qui circa illud errarunt, peccarunt mortaliter, & probabiliter damnati sunt, uti dicebamus *num.*719. quia istis suis ignorantiis probabiliter creduntur esse immortui, v.g. S.Aug. *Epist.*8. *ad Hieron.* docet simulationem non esse licitam, è

con-

contra S.Hieron.Epiſt.11. apud Auguſt. docet eſse licitam, & pro ſe citat S.Chryſ.Didymum, Origenem alioſque, uti refert S.Th.*in Epiſt.ad Galat.c.2.lect.3.* & Carden. *in 1.criſi d.15. d.43. Si dicas*, Eos vel egiſse pœnitentiam pro peccatis ignorantiæ, vel per levitatem materiæ excuſatos fuiſse à mortali, *Contra eſt*, nam in primis non conſtat, quòd mentem unquam mutarint, ergo nunquam eos de hoc pœnituit: nec ſufficit, quòd pœnituiſſent, ſi ſciviſſent, nam, non ideo pœnituerunt, nec excuſabantur per ignorantiam, uti volunt Adverſarii. Deinde ſi levitas negligentiæ excuſabat à mortali, ergo ubi nulla eſt negligentia, nullum erit peccatum, & conſequenter cui nunquam incidit dubitare, aut ſi incidit, dummodò moralem diligentiam adhibuerit in inquirenda veritate, hæc non inventa, ſi bona fide perrexerit, perget ex ignorantia invincibili. *Conf.* nam in multis qq. juris naturæ, quæ reſpiciunt praxin, Schola Thomiſtica docet hanc partem, Scotiſtica contradictoriam, & neceſſe eſt alterutram partem errare: idem eſt de Doctoribus, Advocatis, Conſiliariis ſæpè in materiis juris naturæ diverſa docentibus, & ſuadentibus, ſi omnis error hic vincibilis eſt, ergo errantes graviter peccant, & plerique damnantur, cùm enim credant ſe benè ſentire, & ſuadere, ad mortem uſque practicant ejuſmodi opiniones: tenebuntur itaque omnes dimittere munus Doctoris, Advocati, Conſiliarii, ne exponant ſe periculo proximo errandi circa jus naturæ. 3.

723 Quamvis omnes ſciamus hanc legem naturæ, quòd mendacium ordinariè ſit prohibitum, item quod ordinariè non liceat propria authoritate occidere quenquam, tamen poſſunt dari tales circumſtantiæ, ut invincibiliter putemus hic & nunc iſta licere, ſic enim *Caſſianus* vir Sanctus, & doctus, item *Marulus* & alii putarunt mendacium officioſum aliquando eſse licitum, v. gr. ſi per illud poſſem patriam ab interitu, aut hominem ab æterna damnatione eripere; ſic apud Caſſianum *collat.21.c.10* excuſatur Abbas *Theonas*, qui invita uxore factus eſt Monachus: ſic ruſticus, teſte Vaſq.1.2.*d.122.cap.2.* exiſtimabat ſe honeſtè, & piè facere, verſando ægrotum in alteram partem, ut tanto citiùs animam exhalando liberaretur à graviſſimis doloribus; ſic ſecundùm S.Hieron. *in cap.7.Jeremiæ*, *Jephte* occidens filiam excuſabatur; ſic alius apud *Saraſam* in arte ſemper gaudendi *p.2.tr.2.ſ.6.* ex zelo gloriæ Dei, & ſalutis animarum baptizabat Maurorum infantes à parentibus abductos, ſtatimque eos trucidabat, ut certò ſalvarentur, & ne reducti ad parentes iterùm ſeducerentur: denique multi ſunt, qui aliquo ſaltem tempore nullam adverterunt malitiam in ſimplici commotione vel oſculo carnali, imò admittunt multi etiam circa pollutionem eſse poſſe ignorantiam invincibilem, quamvis Teril. *in Reg.q.62.n.17.* dicat eſse rariſſimam, quia vix

724 eſt, quem vehementer non puderet fateri eam. 4. Secundùm Adverſarios, ad jus naturæ ſpectat ſequi ſententias probabiliores aut etiam tutiores, ſed niſi maximam DD. multitudinem damnes, hoc jus invincibiliter ignoratum eſt, & adhucdum ignoratur à multis, uti conſtat ex dictis n.269. & 480. ergo. 5. Si non datur ignorantia invincibilis in jure naturæ, ergo qui contra jus naturæ operatur ſequens ſententiam etiam probabiliſſimam, ille non excuſatur, hoc autem damnatur ab Alex.VIII. in hac propoſ.3. *Non licet ſequi opinionem vel in-*

625 *ter probabiles probabiliſſimam*, ergo. *Conf.* nam aliqua ignorantia in jure naturæ excuſat à peccato, uti à num.734. probabitur, ergo aliqua eſt invincibilis. 6. Si nulla dari poſſet invincibilis, ergo qui ex ignorantia fecit multos actus contra jus naturæ, ſemper confitebitur invalidè, hinc ſi poſtmodum intelligat hoc vel illud fuiſſe contra jus naturæ, tenebitur repetere omnes Confeſſiones totius vitæ; ſi iterum poſteà aliquid novi intelligat, iterùm tenebitur repetere priorem, & reliquas omnes, ſicque ſæpius, quoties recurret memoria alicujus facti repugnantis juri naturæ, & demum ſi vel unicum actum ponat planè ignorans contra jus naturæ, tandem etiam damnabitur; primum autem eſt intolerabile, & ſecundum non eſt præſumendum de Divina bonitate, ergo. Ex dictis,

726 *Colliges*, inter articulos Romæ anno 1685. die 8. Aug. confixos, quos defenderant Theologi aliqui Lovanienſes, etiam hunc ordine tertium juſtè eſse confixum, qui propugnatus erat in collegio Adriani die 12. Julii. *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit.*

727 *Q.122. Quæ ſint, & quomodo ſolvantur argumenta adverſariorum?* Reſp.

Obj.1. Omnis veritas moralis eſt invenibilis, ergo nulla datur ignorantia invincibilis circa operabilia. R.n. antec. de quo ſatis dictum eſt à n.707.

728 *Obj.2.* Potuiſſemus illas ignorantias juris naturæ vincere, ſi non peccaſſemus in Adamo, ergo illæ ignorantiæ non ſunt abſolutè invincibiles. R.1. Etiam ſic vincere potuimus ignorantias juris poſitivi, & tamen ſecundùm adverſarios dari poteſt invincibilis circa jus poſitivum. R.2.n. conſeq. certum enim eſt ad hoc, ut aliquid dicatur à nobis vincibile, & voluntarium, non eſſe ſatis, quòd pendeat à peccato originali, ut dicemus n.743. Et hinc etiam Alex.VIII. damnavit hanc 19. propoſ. *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.*

Inſt. Saltem ignorantia juris naturæ vinci poſſet per lu- 729
men gratiæ, quam quiſque tenetur petere, & dabit Deus, uti habet S.Thom. *opuſc.73.* in præemio, quia vult omnes ſalvos fieri, diciturque illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: hinc etiam Trid. *ſeſſ.6.cap.11.* ait, *Deus jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* R.1. Idem valet de ignorantiis juris poſitivis. R.2. Non omnes ignorantias illas vinci poſſe per gratiam ordinariam: licèt autem vinci poſſint per extraordinariam, non ideò deſinit ignorantia eſse invincibilis, aliàs nec jus poſitivum poſſet invincibiliter ignorari, quia vinci poſſet hæc ignorantia per gratias extraordinarias. Ad illud, de obligatione orandi, R.SS.PP. petierunt, & tamen circa jus naturæ errarunt; & adhucdum petunt alii, qui tamen pergunt errare, uti conſtat ex dictis n.722. Hinc S.Aug. *in Epiſt.26. ad Hieron.* ait, *Quamvis deſiderem, rogem, votis ardentibus exoptem, ut per te mihi Dominus hujus rei auferat ignorantiam, tamen ſi, quod abſit, minimè meruero, patientiam mihi petam à Domino Deo noſtro, in quem ſic credimus, ut aliqua nobis non aperiri pulſantibus nullo modo adversùs eum murmurare debeamus.* Similiter S.Th. *l.c.* petit lumen, ut agnoſceret veritatem circa uſuram, & tamen ſæpè dubitat, quid reſolvat, fateturque ſe multa dicere tantum probabiliter. *Nec juvat*, quod Deus velit omnes ſalvos fieri, *nam* ad hoc non eſt opus tolli omnes ignorantias juris naturæ, cùm non omnia ſint de neceſſitate medii; per hoc autem dicitur illuminare omnem hominem, quòd det ſufficientia auxilia ad agnitionem ſui, & eorum, quæ ſunt de neceſſitate medii. *Trid.* monet facere, quod poſſis ſuppoſita cogitatione illius, quod facere debes, non autem monet facere, quod non cognoſcis eſse faciendum, neque dicit te ſemper cognoſcere id, quod petis cognoſcere, & quod de cætero eſſet faciendum.

Obj.3. Si detur ignorantia invincibilis legis naturalis, hæc 730
lex fruſtra erit, quia erit incognoſcibilis, adeoque impoſſibilis obſervatu. R.1. Idem valere contra ignorantiam invincibilem legis poſitivæ. R.2.n.ſeq. nam ſaltem aliqui eam agnoſcunt vel agnoverunt vel ſuo tempore agnoſcent, unde ejuſmodi lex nec per ſe nec abſolutè eſt incognoſcibilis; quamvis non ſit proximè obſervabilis reſpectu illorum, qui ignorant, quod per accidens eſt, & eam reddit aliquibus tantùm hic, & nunc inobſervabilem.

Inſt. Lex naturalis eſt ſimul divina, ſtultum autem eſt 731
cogitare, quòd Deus aliquid velit fieri à nobis, & ſimul nolit id à nobis ſciri, ergo cùm ſit ſapiens, nec poſſit velle finem obtineri, niſi ſubminiſtratis mediis neceſſariis, etiam dedit nobis, ut ſcire poſſimus, ſi faciamus, quod in nobis eſt, ergo talis ignorantia non eſt nobis invincibilis. Ita Eliz. *lib.7. qu.4. §.5. qui q.5. Confirmat*, nam ſi aliqua præcepta naturæ vel Dei inveniri non poſſent à ſeriò inquirentibus, ergo aliqua Dei præcepta ſecundùm præſentes vires nobis ſunt obſervatu impoſſibilia, quæ eſt hæreſis Janſenii, quod enim non eſt invenibile, non eſt cognoſcibile, ergo nec obſervabile. Addit *qu.6.* Deus ferens legem, prævidit omnes circumſtantias, in quibus futurus erat homo ille, & tamen voluit eum obligari, ergo pro infinita ſua ſapientia debuit providere, ut poſſet ſcire legem. Idque *q.7.* docet ex probatis hiſtoriis conſtare, quòd Deus legem ſuam edocuerit eos, qui, in quo poterant, non defeciſſent. Q. autem 8. ex SS. Juſtino, & Proſpero probat Deum non occultare veritatem illi qui facit, quod in ſe eſt, ut inveniat. Denique *qu. 9.* probat à pari veritatem omnem circa legem naturalem, & divinam eſse invenibilem, ſicuti fides explicita in Chriſtum eſt nunc invincibilis, ergo nulla ignorantia legis naturalis eſt invincibilis. R.1. Omnia iſta valent de ignorantia legis poſitivæ, quæ tamen poteſt eſse invincibilis. R.2. Deum non velle aliquid fieri à nobis, niſi ſuppoſita cognitione illius, & agnita obligatione faciendi: talem autem cognitionem non ſemper dat, nec dare tenetur, quamvis ſit infinitè ſapiens, uti conſtat ex dictis *n.722. & 729. Ad Conf.* R. Janſenii errorem fuiſſe, quod aliqua Dei præcepta, licèt cognita, eſſent obſervatu impoſſibilia: neque verum eſt, quod Deus ferens legem, ſemper velit pro omnibus circumſtantiis quemque obligari, ſed prius vult hoc, ſuppoſita legis cognitione; SS. autem PP. illi loquuntur de veritatibus ad ſalutem neceſſariis neceſſitate medii, qualis nunc eſt etiam illa fides in Chriſtum; de aliis veritatibus non neceſſariis neceſſitate medii non eſt ſimilis ratio, uti per ſe patet.

Objic.4. Qui agit contra particularem legem naturæ, 732
etiam agit contra univerſalem, ſub qua illa particularis continetur, non poteſt autem dari ignorantia invincibilis talis legis univerſalis, ergo nec illius particularis ſub ea

con-

contentæ. R.1. Idem valet de lege positiva, v.g. qui agit contra qualemcumque præceptum particulare humanum etiam agit contra illam legem universalem, *Parendum est præcepto legitimi Superioris*, & tamen dari potest ignorantia invincibilis particularis præcepti humani, licèt dari non possit illius universalis legis, hinc R.2.n.conf. quia licèt aliquis sciat legem universalem, tamen potest errare in applicatione illius ad particulare operabile, uti rectè S.Th.1.2.*q.*94.*art.*6.sic rusticus ille,de quo Vasq. suprà, quamvis sciret illam universalem, *Quod tibi vis fieri, alteri feceris*, eamque semper vellet observare, tamen malè applicabat sic discurrendo: ego in ejusmodi acutissimis doloribus constitutus, si scirem me nihilominus brevi moriturum, mallem mihi paulò citiùs abrumpi vitam, ut liberarer illis doloribus, ergo versando istum ægrum, quem prævideo inde paulò citiùs moriturum, facio id, quod vellem mihi fieri, & consequenter benè ago.

733 *Obji.*5. Natura ipsa refugit illa, quæ sunt contra jus naturæ hinc Tertull.adversùs Marcionem *l.*5. *c.*13. ait, *Ipsa nos docet natura, quæ legis est instar ignorantibus legem:* & ideò etiam actus, qui fiunt contra legem naturæ, tales sunt, ut coram aliis non auderemus facere, ergo convincimur satis agnoscere inhonestatem. R. Id tantùm valere de illis,quæ sunt clarè contra prima principia juris naturæ, non autem de aliis, de quibus prudenter dubitatur, sintne licita, neene, qualia sunt innumera; & talia non refugit natura agere, quamvis fortè sint contra jus naturæ. Adde, licèt quis nollet aliquid agere coram alio, non ideò statim agnoscitur inhonestas moralis, nam honesta, & naturalis verecundia vetat quædam fieri publicè, quæ tamen non sunt moraliter inhonesta,uti per se patet. Reliqua solventur *à n.*737.

734 *Q.*123. *An ignorantia invincibilis sit inculpabilis, sive excuset à peccato?* Resp.

§.1. Negant Lutherus *in c.*12.*Genes. Scholastici invincibilem ignorantiam dixerunt excusabilem, quæ simpliciter à toto excusset, id est, peccatum prorsus tollat: tanta cæcitas est in Papæ scholis*. Similiter *Jansenius* de statu naturæ lapsæ *l.*2. *c.*6. *Legis naturæ ignorantia ita vitiosa est, ut sine peccato nullo modo infligi queat, quantumvis etiam humanæ potestati invincibilis sit.* Idem docuerunt Sinnichius, Vianen, Huyghens, Havermans aliique Lovanienses,à quibus vix recedit Eliz.nam *l.*5.*q.*5.docet peccari,licèt actu non sciatur nec advertatur peccari. Et §.3.addit peccari, etiamsi non adsit nequidem habitus, quo sciatur hoc esse peccatum, quod quis facit, ideoque peccari posse, si amisisti scientiam, quam habuisti; vel etiam, si nunquam scivisti hoc in particulari esse peccatum, nec de hoc tibi unquam inciderit cogitatio. Postmodùm *q.*10. §.5. loquens de falsis religionibus ait, *Indubitatè concludamus per suos errores eos delinquere, etsi nunquam de eorum falsitate dubitaverint, sed profundissimè decepti vivant.* Nihilominùs postmodùm *q.*17. §.6. *& seqq.* fusè contendit contra Jansenistas, quòd à peccato excusetur ignorantia invincibilis.

735 §.2. Est nunc certissimum, quòd ignorantia invincibilis, etiam juris naturæ, & pro statu naturæ lapsæ, excusetur à peccato formali, ita communissimè docent omnes cum Moya *de op. prob.q.*6. *à n.*19. Estque sententia omnium PP. uti de S.August. ostendetur *n.*738.& de S. Th. *n.*740. Consonat Salvianus *de gubern. Dei l.*4. *pag. mihi* 127. *Non facit aliquid contra legem, legis ignorans. Pag.* 131. *Nullus potest illius rei prævaricator esse, quam nescit.* Idem dicit Hugo Cardinalis apud Teril. *de consc.prob.q.*16.*n.*5. his verbis, *Ignorantia invincibilis excusat à tanto, & toto; simplex excusat à tanto, & non toto; affectata, nec à tanto, nec à toto.* Idem dicunt passim alii PP. Et *Ratio* est 1. nam *Alex.VIII.* die 7. Dec. anno 1690. inter propos.31. damnat hanc secundam. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali*: ergo nunc certum est, quòd ignorantia invincibilis, etiam in jure naturæ, pro statu naturæ lapsæ excusetur à peccato formali. 2. Si non excusetur, ergo *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quòd necessariò facit*, sed hoc falsum est, ergo. *Min.* patet, nam illam propositionem inter Bajanas 67.damnarunt S.Pius V. Gregor. XIII.& Urb. VIII. *Maj.* etiam constat, quia secundùm dicta à *n.*720.potest quis invincibiliter judicare se teneri leviter mentiri, ut damnationem alterius impediat, hic necessariò peccabit, in primis si mentiatur; quia eum non excusabit ignorantia; deinde etiam, si non mentiatur, quia faciet contra conscientiam, quam hic & nunc deponere non potest, uti supponitur. 3. Si non excusetur, ergo mortaliter peccarunt SS. PP. peccantque etiamnum quotidie plurimi viri sapientissimi,uti *n.*719.*&* 723.

736 dictum est. 4. Ubi ignorantia est invincibilis non potest contrahi malitia, ergo non peccatur. *Prob.ant.* malitia non contrahitur, nisi fuerit cognita, sed ubi ignorantia est invincibilis, malitia non est cognita, ergo. *Min.* patet, *Maj.* etiam constat, nam ut sit volita, debet esse cognita; hinc 5. Peccatum debet esse voluntarium, nam Pontifices citati damnarunt hanc inter Bajanas 46. prop. *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium:* Unde rectè dicit S.Aug. *lib.*1.*retract.c.*13. *Usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*; sed quando adest ignorantia invincibilis, peccatum non est voluntarium, quia secundùm S.Th.1.2.*q.*6. *art.*1. O, *voluntarium dicitur esse secundùm definitionem Aristotelis, & Greg. Nysseni, & Damasceni, non solùm cujus principium est intrà, sed cum additione scientiæ*; hinc de malo,*q.*3. *art.*8. O, *Cum aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum:* & 1.2.*q.*19. *art.*6. O, *Manifestum est, quò illa ignorantia, quæ causat involuntarium, tollit rationem boni, & mali moralis:* hinc etiam S.Aug.*c.*15. dicit talem peccare voluntate facti, non voluntate peccati, *Quia voluit, ergo fecit, etiamsi non quia voluit peccarit, nesciens peccatum esse, quod fecit; ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti non voluntate peccati &c.* Ergo quando ignorantia est invincibilis, non est peccatum. Plures rationes sunt insinuatæ *n.*724 Videri potest Gonz.*d.*11.*c.*5.

737 *Q.*124. *Quæ sint, & quomodo solvantur argumenta adversariorum?* R. Præter illa, quæ insinuata sunt *à n.*727. sunt seqq.

*Objic.*1. Authoritatem Synodi Palæstinæ seu Diospolitanæ, quæ proscribit hanc propositionem, *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quia non secundùm voluntatem sed secundùm necessitatem eveniunt:* hinc Eliz.*l.*1.*q.*16.§.1. ostendit unum errorem Pelagianorum fuisse, quòd dicerent nullam ignorantiam vel oblivionem subjacere peccato; & §.4. contendit ab illo errore non abesse eos, qui ante peccatum requirunt remorsum conscientiæ. R. Ipsemet Eliz. §.2. docet Synodum loqui de sola ignorantia, & oblivione vincibili: quidquid sit de hoc melius dicitur, quòd Synodus agat contra Pelagium, qui negabat peccatum originale, & consequenter dicebat oblivionem, atque ignorantiam non habere originem ex peccato originali (quod significabant per illud, *non subjacent peccato*) sed esse ex necessitate, & infirmitate naturæ, dicebant enim Adamum non fuisse melioris conditionis,quàm nos jam simus, & sicuti ignorantia,& oblivio in Adam,sive esset juris,sive facti, non fuit ex peccato, ita nec esse in nobis, quod reprobat Synodus. Videri potest Teril.*de consc.prob.q.*16.*à n.*45.

738 *Objic.*2. S.Aug.variis locis videtur asserere ignorantiam juris naturæ non excusare à peccato, uti ex Jansenio fusè adducit Teril.*à n.*53. R.1. Mens S.Augustini patet, partim ex adductis *n.*736. partim ex seqq. De lib.arbitr.l.3.c.19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Et cap.18. generatim agens de ignorantia, *Si tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit, nulla peccata sunt.* Quando inquit ignorantiam, etiamsi sit invincibilis, tamen non excusare à peccato, disputat contra Pelagium, qui dicebat ignorantiam tunc excusare à peccato, si per vires naturæ sit invincibilis, uti refert ipsemet S.Aug.*l.*3.*de nat.& grat. c.*17. nos eam tantùm dicimus excusare, quæ invincibilis est etiam per vires gratiæ ordinariæ. Videri potest Teril.*à n.*58.Denique quando S.Aug.ignorantiam invincibilem vocat peccatum, intelligit effectum, pœnam vel causam peccati, nam *lib.*3.*de lib.arb.c.*19. ait, *Non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, libera enim voluntate, & à sciente committitur, sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est*, item ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt: & in eodem sensu dicit Apostolus *ad Rom.c.*6.*vers.*12. concupiscentiam esse peccatum,cum tamen certum sit ex Trid. *Sess.*5.*in Decreto de pecc.orig.* non esse peccatum, sed tantùm effectum vel causam aut occasionem peccati. Et ideò S. Aug. *l.*1.*retract.c.*15. ait, *Hoc peccatum de quo sic est locutus Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est & pœna peccati est.* R.2. Quamvis aliter sensisset S.August. aut al ius è SS.PP. nunc præ aliis audienda esset Ecclesia, uti dictum est 739
*num.*211.

740 *Objic.*3. S.Thom.*quodl.*8. *art.*13. ait, *Illud, quod agitur contra legem æternam, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam:* 3.*par. qu.*80. *art.*4.*ad* 5. *Ignorantia juris non excusat, uti si quis putaret fornicationem non esse peccatum.* *Quodl.*9.*art.*15. *Error, quo non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto. Quodl.* 3. *art.*10. *Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus opinionem erroneam sequantur, in rebus enim dubiis non est præstandus assensus.* Plura loca adducit Eliz. *lib.*7.*q.*11.*§.*5. in quibus videtur *S. Thom.* clarè dicere, quòd ignorantia in rebus fidei ac morum non excusetur à peccato. R. 1. Mens *S. Thomæ* satis elucet ex locis citatis à Moya *de opin.probab.q.*6.*num.*24. Gonz.

d.9.c.2.§ 3. Esp. *in app.n.162. & seqq. sufficit hic, 1.2.q.76.art.3.O. Si sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat à peccato.* Unde ad textus citatos dicendum est, quòd loquatur de ignorantia vel errore vincibili, & de assensu temerè præstito in re dubia. Hinc *Ad* 1. dicunt S. Anton. Nider, aliique Thomistæ apud Moyam, S. Thomam non posse intelligi nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quòd sit contra legem; & hanc ipsam sui explicationem dat S. Th. *quodl.3.art.*10. his verbis, *In his, quæ pertinent ad fidem, & mores, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri, ignorantia non excusat:* quando autem id fiat, exprimit his verbis, *Qui ergo assentit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Et sic patet *ad* 3. & 4. etiam textum; item ad illud, quod addit Eliz. *In* 2. textu manifestum est, quòd loquatur de ignorantia vincibili, qualis communiter est ista. Hinc, de malo *q.*3. *art.*8. *O.* ait, *Cùm aliquis nescit fornicationem esse peccatum, voluntariè quidem facit fornicationem, sed non voluntariè facit peccatum*, ergo nec peccat. Vida dicta *n.*736. & dicenda *l.*5. *n.*20.

741 *Inst.* S. Th. 1.2.*q.*94.*art.*6. ait, *Præcepta secundaria non delentur à cordibus, nisi propter pravas consuetudines & habitus pravos*, ergo eorum ignorantia non est inculpabilis, ita *Contensonus*. Resp. n. ant. nam *S. Th.* addit etiam deleri *propter malas persuasiones*, quæ aliunde sine culpa advenire possunt. Adde, quòd *S. Th.* loquatur de amissione cognitionis præceptorum, quam fatemur rariùs evenire sine culpa, prima tamen eorum ignorantia sæpè est sine culpa, & hoc sufficit ad salvanda ea, quæ hactenus diximus.

742 *Inst.* S. Th. *ibidem* dicit rationem impediri applicare commune principium ad particulare operabile *propter concupiscentiam vel aliam aliquam passionem*, hoc autem non est inculpabile, ergo. R. Hoc dicit exempli causa, nam *a.*4. dixerat id fieri ex passione vel mala consuetudine vel mala habitudine naturæ, quæ non semper sunt culpa aut ex culpa, imò nec concupiscentia est semper culpa aut nunc imputabilis ad culpam, *uti dicetur l.*5. *a n.*67.

*Obj.*4. Cap. *Extuarum*, de Sortilegio, exaggeratur crimen presbyteri, qui sorte divinarat furem, quamvis ex bono zelo & simpliciter se fecisse diceret. R. In foro externo præsumebatur fecisse cum sufficiente cognitione malitiæ, videbatur enim advertere potuisse inspectionem astrolabii ab infami homine factam esse illicitam, hinc à Judice fuit severè carpendus, saltem ad instructionem aliorum. Quando Gratianus dicit ignorantiam juris naturalis omnibus adultis esse damnabilem, vel audiendus non est, vel explicandus de ignorantia vincibili, sive primorum principiorum, & conclusionum ex illis facilè deducibilium, uti rectè Teril. *n.*36.

743 *Obj.*5. Ignorantia juris naturæ est pœna peccati originalis, quod in Adamo fuit nobis voluntarium, imò quandoque est pœna peccati nostri personalis, uti arguit Contens. ergo non excusat à peccato: huc facit, quod ait S. Th. *in c.*1. *ad Rom. lect.*7. *Ignorantia nata ex culpa non excusat.* R. Eadem valent contra ignorantiam juris positivi. R. 2. n. cons. alioquin à pari sic argumentor, stultitia, furor, cæcitas corporis, sunt pœnæ peccati originalis, uti ex S. Aug. contendit Jansenius *de statu nat. & gr. l.*3. *c.*11. ergo quod fit ex stultitia, furore, cæcitate corporis, est nobis voluntarium ac peccatum, ergo si homo stultus, furibundus, cæcus casu aliquem occidat, formaliter peccat. Non sufficere ad rationem nostri personalis peccati, quòd peccatum Adami censeri debeat nobis fuisse voluntarium, certum est ex damnatione hujus 1. propos. facta ab Alex. VIII. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis, Nec obstat* commune dictum, *quòd sequitur ex voluntario est voluntarium, nam* distinguo, si sequatur ex voluntario per propriam voluntatem & non retractato, transeat, si ex voluntario per alienam voluntatem & quidem retractato, n. jam verò originale fuit voluntarium nobis per voluntatem alienam Adami & insuper est retractatum per voluntatem ipsiusmet Adami, qui illud detestatus est, per voluntatem Christi, qui pro eo satisfecit; per Ecclesiam & nos ipsos in Baptismo; hinc S. Aug. *Ep.*32. ait, *tantam illius Sacramenti, id est, Baptismi salutaris esse virtutem ∴ ut ∴ semel regeneratus per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit, & ideò semel perceptam parvulus Christi gratiam non amittit nisi propria impietate. Dixi*, transeat, nam si non est prævisum, non est voluntarium, uti dicetur *à num.*755. Et idem est de illo, quod sequitur ex peccato personali & proprio, *ut ibid.* probabitur; quod si fuerit prævisum, & culpa personalis, quæ fuit causa, nunc sit retractata, illud, quod sequitur, etiam desinet esse imputabile, uti etiam dicetur num.760.

*Obj.*6. Exempla ex Scriptura & aliunde satis evincunt ali- 744
quos peccasse, & peccare cum ignorantia vel errore etiam invincibili: sic 1. Jonathas 1. *Reg.*14. ignorans prohibitionem comedit de melle, & ideò est adjudicatus morti, à qua tamen eum liberavit populus: 2. *David* oravit pro peccatis ignorantiæ, & in antiqua lege pro illis offerebantur Sacrificia: 3. Licèt *Christus* gentilibus esset stultitia, ideòque putaverit eum esse contemnendum, tamen peccarunt non sequendo eum, hinc omnibus Gentilibus, qui de *Christo* nunquam audierunt, negata est à S. Paulo excusatio, inquit Eliz. *l.*7. *q.*12. §. 7. quia saltem indirectè noluerunt credere, tradentes se vitiis. Plura addit *q.*13. §. 8. in eundem sensum: 4. Judæi crucifigètes Christum nescierunt eum esse Deum, & tamen certum est peccasse peccato Deicidii, nam *Inn. II.* damnavit hanc *Abailardi* propositionem ut hæreticam, *Non peccarunt, qui Christum ignorantes crucifixerunt:* 5. *Paulus* putabat se contra nomen Christi debere multa agere, & tamen peccavit sic ignorans & errans. 6. Occidentes vel persequentes discipulos Christi putabant, se obsequium præstare Deo & tamen per hoc peccabant, uti Eliz. *l.*5. *q.*6. fusè expendit. 7. De facto multi Ethnici colunt idola, ita ut error tanquam lex pietatis & religionis custodiatur: similiter multi acatholici suos errores uti nos veritatem, putantes sibi non esse licitum de iis dubitare, & tamen utrique peccant. 8. In fine mundi Anti-Christus doctrinam suam confirmabit signis & prodigiis, & tamen qui sequentur, peccabunt. R. n. ass. unde ad omnia illa dico generatim, si peccarint, aut peccent, esse propter ignorantiam vel errorem vincibilem; & si supponamus esse invincibilem, non fuisse nec esse peccatum: nunc paucis ad singula:

Ad 1. Si argumentum valet, ergo nec in jure positivo excusat ignorantia invincibilis, nam prohibitio illa erat à Rege *Saule* facta: itaque *Jonathas* non peccavit primò gustando mel, sed per hoc fortè, quòd postea audiens id prohibitum fuisse à Patre suo, improbaverit prohibitionem, & induxerit populum ad comedendum, uti habetur *v.*29. *& seqq.*

Ad 2. *David* oravit, Item offerebantur Sacrificia pro peccatis ignorantiæ, quia nesciebant, an non fortè fuisset vincibilis & culpabilis: deinde etiam fortè imperabantur Sacrificia pro peccatis ignorantiæ, licèt fuisset invincibilis, in expiationem quandam legalem, ut alii discerent servare legem, alii cautiores essent: Item quia in foro externo præsumuntur facta cum scientia. Dici etiam potest, quòd oretur pro peccatis ignorantiæ, id est, pro peccatis, quæ quidem facta sunt cum scientia, nunc autem per oblivionem ignorantur.

Ad 3. Certum est eos, qui de Christo nunquam audierunt, per illam infidelitatem non peccasse, nam tres Pontifices damnarunt hanc 68. Baii propos. *Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est:* si autem de Christo sufficienter audierant, ignorantia, & error fuit vincibilis; & idem est dicendum, quod jam dicemus de Judæis & acatholicis. *Vide dicenda n.*753.

Ad 4. Judæi ex vita, signis & miraculis scire poterant & debebant Christum esse Deum, hinc *Pilatus*, quamvis Gentilis, nec usus sacris litteris aut prophetis, satis adverterat, *quod per invidiam tradidissent eum. Matth.*27. *v.*18. erant ergo sua malitia excæcati. Videri potest Esp. *in app. a.*61.

Ad 5. *& 6.* Idem est dicendum de Paulo, & persecutoribus, qui satis audiverant de vita & miraculis Christi; unde in quo peccarunt, in hoc processerunt saltem cum neglectu melioris notitiæ de doctrina Christi, vel ex temeritate nimia aut odio.

Ad 7. De Deo communiter docetur, quod non possit ignorari invincibiliter, saltem non diù: quòd si supponamus invincibiliter ignorari verum, & unicum Deum, contra hunc non peccabit formaliter Ethnicus adorando Idola; hinc etiam *l.*5. *à n.*49. dicam, si in aliquo homine daretur invncibilis ignorantia planè omnis Dei, talem hominem non peccaturum Theologicè, sed ad summum Philosophicè. Quoad acatholicos, dicam *in l.*2. *à n.*93. dari posse materiales, & nego peccaturos per suam illam materialem infidelitatem.

Ad 8. Qui sequentur Anti-Christum ex ignorantia invincibili, per hoc peccabunt, n. qui sequentur ex vincibili, c. & talis præsumitur futura, nam nunc inclaruit authoritas Ecclesiæ, motiva credibilitatis pro fide Christiana, & pro Divinitate Christi sunt evidentia nec deerunt Prædicatores Evangelii, etiam prophetæ, Enoch & Elias &c. Videri potest Esp. *a.*62.

*Obj.*7. Dantur peccata ignorantiæ, non tantum imputabilia 745
ratione antecedentis negligentiæ in inquirendo, sed etiam ratione sui, licèt eorum malitia, quando fiunt, nullo modo cognoscatur, sed purè ignoretur, ergo talis ignorantia, licèt invincibilis sit, non excusat, Ita Eliz. *l.*5. *q.*3. *& seqq.* R. Cum Teril. *in Reg. q.*65. aliisque communissimè, n. ant. malitia enim, cujus nulla est cognitio, non contrahitur, nec est imputabilis, uti probabitur *l.*5. *à n.*15. ubi ostendimus illam esse mentem ac sententiam SS. PP. & S. Th. & rationem insinuabimus hìc *n.*752. *&* 755.

*Obj.*8. Ignorantia eorum, quæ sunt proprii officii, non 746
excu-

excusat à culpa, quia quisque tenetur scire ea, quæ sunt proprii officii, hinc S.Th. ait, *Ignorantia illa, qua quis ignorat ea, quæ tenetur scire, non est absque peccato*: hinc etiam *in Instit. de Aquilia §. præterea*, dicitur, imperitiam in re ad proprium officium pertinente non excusare; & Cap. *Si culpa*, de Injuriis, dicitur ignorantiam non excusare, quando quis debuit scire; ideòque Jura clamant, paria esse, scire & debere scire, *L. Quod se mihi, ff. de rebus cred.* Atqui ignorantia legis naturalis, est ignorantia alicujus, quod est officii omnium ratione utentium, quodque omnes debent scire, ergo. R.1. Idem valere de ignorantia legis positivæ, nam & hanc tenemur scire, cùm teneamur observare. R.2. Si sint proprii officii particularis, v.g. Judicis, Confessarii, transeat; si sint officii generalis, quale est vivere honestè vel etiam Christianè, n.maj. cùm enim hoc officium latissimè pateat & contineat obligationes plurimas ac diversissimas, possunt quædam secundariæ, saltem ad tempus invincibiliter ignorari, ideoque licèt, per se loquendo, simus obligati ad ea scienda, tamen per accidens hic & nunc non sumus proximè obligati, quia hic & nunc, moraliter loquendo, non sumus proximè potentes scire.

747 *Objic.* 9. Saltem conscientia formata secundùm ejusmodi ignorantiam, vel errorem invincibilem non faciet operationem esse positivè honestam. R. n. ass. cujus oppositum ostendimus à n.14. cujus *Ratio* velut à priori est, quia talis conscientia est Ethicè recta, ergo facit positivam honestatem refundi in operationem. *Ant. prob.* illa conscientia est Ethicè recta, quæ est optima ratio operandi, quam hic & nunc, dum operandum est, habere possumus & debemus, ille enim est Ethicè rectus, & operatur maximè conformiter ad appetitum rectum, secundùm dicta à n.5. qui se habet, quàm optimè potest & debet, sed conscientia invincibiliter erronea est optima ratio operandi, quam hic & nunc, dum operandum est, habere possumus & debemus, ergo est Ethicè recta, ideòque sufficit, non tantùm ad evitandum peccatum, sed etiam ad positivam honestatem refundendam in operationem.

Plura huc spectantia solventur *l.5. à n.15. & 25.* ubi efficaciter probabimus ad peccandum prærequiri aliquam cognitionem malitiæ & legis Dei.

748 *Q.125. Quandonam igitur ignorantia & error censeatur invincibilis & inculpabilis, aut è contra peccatum?* Resp.

§.1. Si nulla notitia specialis nequidem confusa, nec ulla ratio dubitandi in universum aut in particulari occurrerit de eo, quod ignoratur vel circa quod erratur, talis rei ignorantia, & error dici debet invincibilis, & inculpabilis, uti Suar. *de cens. d.4. s.8.* Vasq. *1.2. d.124.* Sanch. *in Decal. l.1. c.17. n.2.* aliique communissimè contra Eliz. *l.5. q.6. §.5.* Ratio est, quia talis ignorantia vel error non est voluntarius, nam voluntarium, secundùm dicta n.736. procedit ex cognitione, quæ tunc abest: deinde non adfuit hoc, per quod vinci, & expelli possent, homo enim non potest se liberè applicare ad quærendam scientiam, nisi ante primam volitionem præcedat cogitatio, utique non voluntaria, cùm præcedat primam volitionem, ergo naturalis, & ab extrinseco causata, per quam voluntas excitata se moveat, & intellectum applicet, ergo si nulla cogitatio in mentem venerit, qua posset excitari voluntas, non est in potestate hominis se applicare ad quærendam scientiam, ergo si tunc ignoret vel erret, ignorantia & error non sunt ipsi voluntaria, ergo sunt ipsi invincibilia & inculpabilia.

749 §.2. Si alicui inciderit cogitatio, non qualiscumque, uti n.755. dicetur, sed prudens, nè fortè objectum sit malum, & operatio inhonesta, ipse autem sufficientem adhibuerit diligentiam, neque tamen potuerit rescire veritatem, ignorantia vel error est ipsi invincibilis, ideòque operationes vel mala ex his secuta non sunt imputabilia ad culpam, uti rectè Suar. suprà & Teril. *in Reg. q.62. assert.3.* tota enim imputabilitas ignorantiæ vel erroris, itemque malorum ex ipsis sequentium, fundatur in negligentia inquirendi veritatem, & tollendi ignorantiam vel errorem, uti dicetur n.757. hic autem adhibita est diligentia debita, qua posita, cùm adhuc ignoretur veritas, nulla lex agnoscitur, quæ vel prohibeat operationem, quam prudenter judicat licitam, vel obliget ad præcavenda mala, quæ prudenter timere non potest esse securam: quandonam autem censeri debeat adhibita sufficiens diligentia, dicetur *à n.755.*

750 §.3. In rebus inter Classicos Authores controversis, & incertis, debet ignorantia vel error censeri invincibilis, si nitatur gravi motivo, quia cùm Authores graves dicant veritatem esse in hac, alii in altera parte, nec resciri possit, quinam verum, quinam falsum dicant, qui hic ignorat veritatem, vel format judicium pro hac aut illa parte, habet ignorantiam vel errorem, quem hic & nunc vincere non potest; ergo invincibilem, ita Teril. *q.67. n.28.*

751 §.4. Ignorantia & error sunt peccata, quando sunt objectum legis illa prohibentis, & nihilominus liberè habentur, tunc enim ignorantia habet se sicuti omissio actus fidei, quando præcipitur, error autem sicuti positiva infidelitas: an autem dici debeant esse peccata, an tantùm effectus peccati, dubium est, aliqui volunt dici peccata, non aliter ac omissionem Sacri die festo; alii cum *Vasq.* dicunt esse tantùm effectus peccati, putantque peccatum compleri in sola negligentia removèdi ignorantiam vel errorem: hoc videtur certum, quòd totum pravum exercitium libertatis compleatur in voluntate non sciendi seu in negligentia debiti conatus ad sciendum, à qua negligentia error vel negligentia accidentaliter denominentur esse peccaminosa, potuisset enim esse eadè ignorantia vel error, & non esse peccaminosa, si nempè fuisset invincibilia & nullo modo voluntaria.

752 §.5. Si nulla prudens cogitatio inciderit de ignorantia vel errore per peccatum incurrendo, licèt postea ex peccato, sive propter peccatum sequantur, non sunt voluntaria, nequidem indirectè, neque peccatum, sed vel merus effectus, vel tantùm pœna peccati, uti rectè Teril. *q.65. ass.3.* quia ratio voluntarii petit, ut sit aliquo modo præcognitum, sicuti si quis liberè se inebriet vino, quod nescit esse venenatum, quamvis peccatum sit illi voluntarium, mors tamen inde secuta non est voluntaria, quia nempè nullo modo fuit præcognita, neque lex prohibens inebriationem repræsentabat hanc tanquam illativam mortis, ergo similiter, si non incidit prudens metus vel cogitatio, quod ignorantia vel error esset secuturus ex peccato. Probatque rectè Suar. *n.13.* etiam ex sacris Canonibus, nihil ad rem facere, sive ignorantia, & error causentur per opus licitum sive illicitum, cùm hoc non refundat voluntarietatem in aliquid non præviſum: sed nec refert, sive per se sive per accidens sequantur ex peccato, nam si nulla cogitatio de hoc inciderit non fuit possibile, ut cogitaret de illis præcavendis, ergo moraliter præcaveri non potuerunt, ergo sequuntur involuntariè. Vide dicenda *l.5. à n.30. & ib. num.222. ubi n.224.* etiam explicantur, quænam dicantur peccata inadvertentiæ.

753 *Obji.* Apostolus *ad Rom.*1. dicit Gentes, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, incidisse in ignorantias, quas utique non præviderant, nec tamen fuerunt excusabiles à peccatis per tales ignorantias causatis: quem locũ explicans S.Th. *lect.7.* dicit, si ignorantia causetur à culpa, non potest subsequentem culpam excusare. Patetque idem in obcæcatis, licèt enim prævisa non fuerit cæcitas, tamen ex cæcitate peccantes non excusantur. R. Gentiles aliosque, quibus ignorantia, vel cæcitas nõ fuit voluntaria, nõ peccasse per ignorantias vel cæcitates, sed postea constituti in ignorantia aut cæcitate peccabant per malitiam suam, agnoscebant enim satis turpitudinem eorum, quæ patrabant, uti notat Corn. à Lapide in eum locum. S.Th. loquitur de causalitate, non purè physica, sed morali, culpa autem non est moralis causa ignorantiæ & ex hac consequentium, nisi ignorantia fuerit voluntaria; & idem est de cæcitate: quæ autem postea fiunt ex nova advertentia, sunt peccata malitiæ, cum quibus stat aliqua cæcitas, nam nemo est cæcior illo, qui mala imminentia cognoscit, nec tamen vitat; qui foveam metuit & tamen in eam irruit; hoc ipso enim physicè videns, moraliter non videt, quia agit ac si non videret, quod est pessimum genus cæcitatis. Videri potest Teril. *à n.42.*

754 *Inst.* Omnis peccans potest timere, ne propter peccatum permittatur incidere in ignorantias, errores, cæcitates, ergo debet hoc timere, ergo ipsa sunt sufficienter prævisa & voluntaria. R.1. Omnis peccans semper proximè potest hoc timere, n. potest quandoque, & potentia saltem remota, si nempè de hoc incideret cogitatio, transeat; quòd autem hæc non incidat, non est ei voluntarium, uti supponitur. R.2. Dato ant. n. conf. quia cùm talis ignorantia, error aut cæcitas sint pœnæ extraordinariæ & à solo Deo dependentes, nemo censetur exponere se periculo proximo eorum, si peccet, nec semper potest prudenter prætimerè.

755 *Q.126. Quandonam illa, quæ sequuntur ex ignorantia vel errore vincibili & culpabili, censeantur voluntaria & imputabilia ad culpam?* R.

§.1. Ut censeantur etiam indirectè voluntaria, debent aliquo modo fuisse præcognita, uti colligitur ex dictis *n.752.* & pluribus dicetur *l.5. à n.30.* Nec negare audet Eliz. *q.10. §.3. & q.11. §.5.* quia nihil volitum nisi præcognitum: debet insuper saltem confusè agnita esse obligatio illa præcavendi, alioqui non esset agnita in eis malitia, & consequenter non essent imputabilia ad culpam, uti dicetur eodem *l.5. à n.16.* Quævis autem repræsentatio mali secuturi non inducit obligationem tollendi ignorantiam vel errorem, ut mala illa præcaveantur, nam quandoque prætimentur sine fundamento & ex scrupulositate, si nempè rarissimè eveniant; hinc ut agnoscatur obligatio quærendi scientiam, debet quis probabiliter prævidere, sive prudenter prætimere malum, & ideo agnoscere se obligatum ad tollendam ejus causam, quæ hic esset ignorantia vel error.

756 §.2. Ut illa, quæ sequuntur ex ignorantia vel errore, sint voluntaria & imputabilia, non est opus præcognosci in individuo vel specie, & id evincunt argumenta, quę affert Eliz. *q.11. §.4.* si enim formaliter, & expresè in seipsis fuissent prævisa, essent directè volita, ad peccatum autem sufficit esse indirectè volun-

voluntarium: itaque ſufficiet, quòd præcognoſcantur quaſi in genere, ut jam cenſeantur virtualiter, & implicitè præcognita, v.g. ut Judex peccet, quando poſteà injuſtam feret ſententiam circa teſtamentum, non eſt neceſſe, ut determinatè agnoſcat ſe neſcire materiam de teſtamentis, ſed ſatis eſt, ſi agnoſcat, ſe non ſatis ſcire illa, quæ ad officium ſuum pertinent, & ideò advertat poſſe gravia mala cauſari Reip. vel damna proximo: atque idem eſt de Confeſſario, Parocho &c. ſi accedant ad hæc officia, conſcii ſibi de inſufficiente ſcientia, hoc enim habito, illa, quæ inde ſequentur, & cauſabuntur, erunt indirectè voluntaria, utpotè ſufficienter volita in cauſa, & ideò, quando ſequentur etiam ſine nova advertentia ad malitiam præſentem vel negligentiam præteritam, denominabuntur peccata ignorantiæ. Quòd ſi tum, quando ſequentur, agnoſceretur malitia præſens, & tamen eam ſaltem indirectè vellet operans, dici deberet peccatum potiùs actualis malitiæ, quàm ignorantiæ.

757 §.3. Quando ejuſmodi mala ita ſequuntur, & cauſantur ab ignorantia, vel errore, ſine actuali advertentia & libertate, non habent ullam propriam malitiam vel imputabilitatem, ſed ad ſummum denominantur mala ſeu peccata tantùm per negligentiam præteritam in inquirenda veritate, uti docent S.Th.S.Bonav.S.Anton.Suar.Vaſq.Sanch. *in Decal. lib.1.c.16.n.45.* aliique communiſſimè cum Teril. *in Reg.q.66.aſſ.5.* Ratio eſt, quia omnis ratio mali imputabilis eſſentialiter fundatur in libero voluntatis exercitio, hinc ubi nulla eſt libertas, nulla eſt imputabilitas, ergo ubi non eſt novum exercitium libertatis, non poteſt eſſe nova imputabilitas, ſed tota, quæ ineſt, provenit à primo exercitio libertatis, & conſequenter non eſt alia, ſed tantùm prior imputabilitas, ſicuti in actu interno, & externo eſt una moralitas derivata à ſolo actu interno, quia hic ſolus eſt formaliter liber. Vide dicenda *l.5.n.21.*

758 §.4. Si quis heri per culpam ignoravit vel concepit errorem, quòd hodie, quando eſt feſtum, non eſſet obligatio audiendi Miſſam, (idem eſt in aliis ſimilibus materiis) ſi hodie omittat Miſſam nihil ampliùs cogitans de illa obligatione, *Rodriq. Med.* & alii abſolutè dicunt peccare per illam omiſſionem, quia ignorantia vel error ille non fuit revocatus; ergo moraliter manet & cauſat tranſgreſſionem: Azor. Vaſq. Salas, Sanch. Præp. & alii cum Burgh. *cent.3.caſ.42.* abſolutè dicunt non peccare, quia illa mala voluntas heſterna non eſt ampliùs nec in ſe nec in aliquo ſuo effectu, ergo omiſſio non cenſetur ab illa cauſari: Caſtr. *tr.2. d.1.p.3.* melius ſic diſtinguit, ſi omiſſio hodie ſequatur ex culpa heſterna, denominabitur libera & culpabilis; præſumi autem debet ſequi ex culpa heſterna, ſi aliud non reſciatur, quia erat cauſa de ſe efficax illius: ſi autem non ſequatur ex culpa heſterna, ſed aliunde, & eodem modo futura fuiſſet, quamvis abfuiſſet culpa heſterna, non denominabitur culpabilis, quia culpa heſterna ſe per accidens habuit ad illam, neque omiſſio quicquam ab illa participabit. Vide dicenda *l.5.à n.41.*

759 §.5. Si mala non neceſſariò ſequebantur nec erant per ſe connexa cum ignorantia vel errore, & aliquis ſufficientem adhibuerit diligentiam vel cautelam, ne ſequerentur, ſi per accidens ſequantur, non erunt voluntaria nec imputabilia, uti per ſe patet, & pluribus dicetur *l.5.n.45.*

760 §.6. Si negligentia in excludenda ignorantia vel errore ſit per veram pœnitentiam retractata, aut jam adhibeatur ſufficiens diligentia in acquirenda ſcientia, quæ tamen obtineri non poſſit, ignorantia & error non ampliùs erunt moraliter voluntaria, nec peccatum, nec cauſa peccati, neque mala ex eis ſine nova libertate ſecuta, erunt moraliter imputabilia, ſed tantùm dicentur effectus peccati, uti communiter tenent omnes cum Teril. *q.62.aſſ.1.* & conſentit Eliz. *l.5.q.13.§.5.* Ratio eſt, quia non erant imputabilia niſi in cauſa, quæ erat negligentia, uti *n.757.* dictum eſt, ergo ſi hæc ſit affectivè efficaciter retractata vel emendata, negligentia illa deſinit moraliter eſſe, ergo quod ex ea ſequitur, non cenſetur moraliter eſſe ab illa tanquam cauſa, licèt fortè adhuc phyſicè ſit ab illa, quod enim non eſt moraliter, non poteſt eſſe moralis cauſa alterius: ſic ſi Sacerdos malitiosè abjecerit Breviarium, ne teneretur orare Horas, ſi de hoc poſteà ſincerè doleat, poteſt abſolvi, nec omiſſio Horarum cenſetur poſtmodùm voluntaria, neque etiam peccat omittendo. Similiter notat Teril. *q.63.n.3.* ſi incogitantia legis, quæ ante fuerat vincibilis, & per culpam cauſata, poſteà fiat invincibilis, quia poſteà conaretur, & non poſſet reſcire legem, nec eſſet, qui inſtrueret, actionem poſteà ſecuturam ex illa incogitantia non fore peccatum; & plures ſimiles caſus affert de conſc.prob.q.16.aff.1. in quibus ignorantia prius vincibilis, fit poſteà invincibilis, & ideò facit illa, quæ poſteà ſequuntur, non eſſe ampliùs imputabilia ad culpam. Videri poteſt Teril. *in Reg. q.61. & 62.* ubi plura tradit de his peccatis ignorantiæ.

761 *Q.127. An taxari poſſit quantitas diligentiæ neceſſariæ ad hoc, ut ignorantia vel error ſit invincibilis & inculpabilis?* Reſp.

§.1. Negat Eliz. *l.4.q.15.* ac docet *q.11.§.6.* Deum voluiſſe id à nobis ignorari, ut neſciremus, ſimuſne juſti an injuſti, quia nunquam ſciemus, an non defuerimus in diligentia neceſſaria, ſicuti neſcimus, qualis ſuperbia aut quanta luxuria prærequiratur, ut Deus ob illam patiatur hominem labi in hæreſin, &c. Addit *l.7.q.11.§.8. in fine*, diligentiam in inquirendo hic neceſſariam debere eſſe magnam, qualem æterna ſalus, utique maximi facienda, requirit, unde ad minimùm tantam eſſe debere, quantam mundani adhibent pro honoribus, divitiis aut voluptatibus ſuis.

§.2. Quantitas illius diligentiæ taxari poteſt: ſi enim taxari 762
non poſſet, nunquam liceret operari ex opinione, nequidem probabiliore, ſtante pro libertate contra aliam probabilem ſtantem pro lege, ut enim hoc liceat, priùs adhibenda eſt diligentia ſufficiens pro invenienda veritate, & ad reſciendum, an lex prohibens exiſtat vel non; ergo ſi non poſſet reſciri, quænam diligentia ſit ſufficiens, nunquam liceret ex tali opinione operari.

§.3. Suar. *de cenſ.d.4.ſ.8.* rectè dicit taxationem hujus quan- 763
titatis eſſe prudentum judicio relinquendam, penſatis omnibus, quæ ad præceptum, perſonam & operationem pertinent; nam notat rectè Teril. *in Reg.q.67.n.30.* ſi agatur de præcepto naturali, eſſe opus majore diligentia, quàm ſi de poſitivo, & quò gravius eſſe videtur præceptum, eò major requiritur conſideratio; ſimiliter homo doctus tenetur majorem per ſeipſum adhibere diligentiam, quàm indoctus: item, ſi operatio poſſit graviter nocere, etiam opus eſt majore diligentia, quàm ſi nocere non poſſit; &c. hinc univerſaliter illa quantitas diligentiæ ſufficit, quæ qualitati præcepti, capacitati perſonæ & naturæ operationis proportionatur, illa autem proportionatur, quæ ſeria eſt & ſaltem mediocris, hinc illa abſolutè eſt ſufficiens, quam prudentes conſideratis circumſtantiis judicant eſſe mediocrem & humano modo requiſitam. *Nec obſtat*, quòd prudentes quandoque etiam errent in aſſignanda illa mediocritate, *nam* error ille eſt probabilis & innoxius, cùm in hoc negotio, ſpectata infirmitate humani intellectus, non poſſit inveniri regula certior, & conſiderata etiam imbecillitate humana: nulla videatur accommodatior.

§.4. Homo indoctus, ſecundùm *Suar.* ſuprà, adhibet 764
diligentiam ſufficientem, ſi conſulat doctos viros in tali arte peritos, & carentes morali ſuſpicione, quòd ex malitia vel negligentia ſua decipiant; homo autem doctus, qui per ſe ſufficiens eſt ad talem cognitionem obtinendam, ſi Doctores aliquos inſpexerit, aut leges ipſas mediocri diligentia conſideraverit, perpenderitque motiva in utramque partem, ac tunc ignoret adhuc vel erret, id fiet invincibiliter, & inculpabiliter: quæ omnia ſunt nobis certa in foro conſcientiæ, inquit Suarez, licèt forum externum utatur aliis præſumptionibus, *uti dicetur à n.772.*

§.5. In rebus operabilibus & incertis ſufficit ea diligentia, 765
per quam homo pervenit ad certò probabilem reſolutionem caſus, ſive ad judicium prudens pro hac, vel illa parte, ſive id fiat per proprium ſtudium, ſive per reſponſum ab aliis peritis petitum, attamen ſecundùm dicta *n.369.* hoc enim habito prudenter judicat ſe habere veritatem, ergo quamvis fortè adhuc ignoret aut erret, non eſt ideo vituperabilis, ergo ignorantia & error non eſt culpabilis.

§.6. *Objic.* Homines valdè magnam diligentiam adhi- 766
bent pro obtinenda ſcientia profana, pro divitiis, honore, aliiſque bonis corporis, ergo adhibenda eſt ſaltem ſimilis pro cognoſcenda Dei lege, pro bonis animæ & ſalute æterna, ergo ut ignorantia, & error ſit inculpabilis, non ſufficit mediocris diligentia. *Conf.* nam ſi filius ſciret eſſe periculum graviter offendendi Patrem, & non adhiberet multam diligentiam pro cavenda offenſa, meritò judicaretur non habere debitam reverentiam, & amorem; & ſi poſt adhibitam tantùm mediocrem diligentiam, defectu diligentiæ majoris offenderet, pater meritò indignaretur, ergo idem magis valet de homine reſpectu Dei. Ita Eliz. *Reſp.* Hæc eſſe de conſilio, negamus autem eſſe de præcepto, ſi enim eſſent de præcepto, nunquam poſſet adhiberi diligentia ſufficiens, quia lex æterna Dei, & ſalus noſtra æterna digna ſunt omni poſſibili diligentia: quòd ſi cum proportione talis diligentiæ teneremur curare ſalutem animæ, cum qua curamus ſalutem corporis, teneremur quotidie jejunare, orare inceſſanter, & quævis optima exercere; item teneremur vitare omnia etiam remota pericula peccandi, quia ſalus animæ infinitè æſtimabilior eſt quàm ſalus corporis, ideoque exigeret diligentiam ſine proportione majorem; hinc dicendum eſt, quod in his aliiſque ſimilibus Deus non poſtulaverit à nobis niſi humanam diligentiam humano modo præſtabilem, & quòd lex, quæ omnia optima præſcriberet, eſſet peſſima, uti notavimus num.475. ex Card. Palav. quia eſſet ſupra fragilitatem humanam, exponeretque certiſſimis periculis frequentiſſimè peccandi: itaque ſicuti certum eſt extraordinariam iſtam diligentiam pro obtinenda ſalute non requiri ex præcepto, quamvis ad ſalutem maximè conducat, & ob illius defectum quandoque peccetur, & amittatur ſalus, ita magis certum eſſe debet non requiri pro invenienda veritate extraordinariam

nariam diligentiam; quamvis hæc ad illam inveniendam, & conſequenter ad ſervandam Dei legem conduceret, neque ob illius defectum quandoque per accidens fiat materialis tranſgreſſio legis, ergo ſufficiet diligentia mediocris. *In forma*, n. conſeq. nam homines ſæpè nimis magnam diligentiam adhibent pro illis profanis & temporalibus, & ſi adhiberent tantùm mediocrem, non eſſent vituperabiles, ergo nec adhibens mediocrem pro rebus animæ, ordinariè loquendo, ubi non eſt periculum ideò formaliter peccandi aut amittendi ſalutem. Addit Teril. *à num.* 64. diligentiam mediocrem pro ſalute animæ & pro ſervandis præceptis, quæ agnoſcimus, cenſeri debere majorem illa, quam homines adhibent pro rebus profanis, quia hæc redditur ſuavis per commoda temporalia vel per ipſam naturalem propenſionem; è contra poſterior conjuncta eſt cum continuo bello ſpirituali, mortificatione concupiſcentiarum, pugna renitentis naturæ, &c. *Ad Conf.* n. Patrem meritò indignaturum, ſi filius adhibuerit diligentiam, ne offenderet, mediocrem, qualem deſcripſimus n. 763.

Inſt. Pater ſollicitus de ſalute filii graviter infirmi non acquieſcit, niſi habito certo nuntio de illius vita, ergo nec nos deberemus acquieſcere, niſi habita certa notitia veritatis. Reſp. n. conſeq. diſparitas eſt 1. quia pater poteſt habere certam de hoc relationem: nos, ubi res controverſæ ſunt, ſperare non poſſumus notitiam certam veritatis, uti n. 713. dictum eſt. 2. Quamdiu pater non habet certam notitiam, habere non poteſt finem ſuum, qui eſt liberatio à cura per certitudinem vitæ filii; nos abſque certa notitia veritatis poſſumus habere finem noſtrum, qui eſt, non peccare & honeſtè operari, ac per conſequens ſalvari, uti ſatis conſtat ex dictis n. 14. & 734.

767 *Q.* 128. *An incurrat pœnam, ignorans eſſe affixam tranſgreſſioni?* Reſp.

§. 1. Si ignorantia ſit inculpabilis, pœna Eccleſiaſtica, v.g. cenſura non incurritur, hinc occidens Clericum, & neſciens illi homicidio annexam eſſe excommunicationem, non eſt excommunicatus, ita Suar. Sanch. Bonac. Coninch. Caſtrop. *t. 2. d. 1. p. 17. & alii*, contra Covar. Ledeſm. & alios. Ratio eſt, 1. quia tales pœnæ ab Eccleſia imponuntur tanquam admonitiones & medicinæ ad præcavendas culpas, ſed non habent rationem admonitionis, vel medicinæ ad præcavendam culpam, niſi prænoſcantur ante culpam, atque ita timore ſui deterreant à culpa, ergo etiam non incurruntur, niſi prænoſcantur. 2. Tales pœnæ non imponuntur niſi contumacibus & repugnantibus poteſtati, quam habet Eccleſia ad coercendum & puniendum improbos, ſed qui ignorant pœnam eſſe impoſitam, qua coerceri debeant, non ſunt contumaces aut repugnantes illi poteſtati, ergo.

768 §. 2. Navar. Sà & alii cum Tamb. *lib. 1. in Dec. c. 2. §. 10. n. 12.* putant etiam pœnas civiles, ſi extraordinariæ ſint, non incurri ab illo, qui invincibiliter ignorat illas eſſe tranſgreſſioni annexas, quod probabile etiam reputant *Suar. Sanch. & Caſtrop.* quia ſi pœna ſit extraordinaria, etiam in foro externo præſumi poteſt non prænognita à delinquente, ergo nullo modo potuit illi ſe ſubjicere: Injuſtum autem eſſet obligare ad pœnam, cui nullo modo ſe ſubjecit: deinde talis minùs peccat, quàm ſi ſciret pœnam eſſe annexam, neque contumax eſt, ergo dicendum eſt, quòd legislator velit mitiùs agi cum illo, quàm cum alio ſciente pœnam eſſe annexam, & in illam conſentiente.

769 §. 3. Si pœna imponatur his verbis, *qui præſumpſerit, qui ſcienter, qui conſultò, qui temerè, qui audens, &c.* putant Dian. & Burgh. *cent. 1. caſ. 78.* non incurri ab ignorante illam pœnam eſſe annexam, quamvis ignorantia fuiſſet mortaliter culpabilis & affectata: *Sanch. & Caſtrop.* dicunt probabiliùs tunc tantùm incurri, quando ignorantia affectata eſt talis, ut æquiparentur ſcientiæ: Ratio eſt, quia verba iſta videntur requirere directam cognitionem & expreſſam voluntatem ſe opponendi contra vim punitivam legis, quæ non eſt ſine expreſſa cognitione pœnæ oppoſitæ.

770 §. 4. Si pœna abſolutè imponatur delinquenti, ſitque pœna Eccleſiaſtica, adhuc non incurritur ab ignorante pœnam eſſe annexam, ſi ignorantia illa non fuerit craſſa, & ſupina, quamvis fuerit mortaliter culpabilis, ita *Sanch. & Caſtrop.* contra quoſdam alios; ratio eſt, quia hæ pœnæ requirunt, vel dolum, qui non datur ſine ignorantia affectata, vel ſaltem contemptum, qui non eſt, quando aliqua diligentia adhibetur, licèt omittatur major debita.

771 §. 5. Aliæ pœnæ tam Eccleſiaſticæ quàm Civiles, quæ non requirunt ignorantiam affectatam vel craſſam, neque dolum aut contemptum, probabiliùs incurruntur, quamvis ignorentur, ſi ignorantia ſit mortaliter culpabilis, quia qui vult culpam, vult hoc, quod ſcit aut ſcire poteſt & debet ordinariè ſequi ad culpam, ideoque committens mortale incurrit pœnam inferni, quamvis invincibiliter ignoret aut non cogitet eſſe annexam, quia pœna illa ordinaria eſt, nec improportionata culpæ. De his plura & magis accuratè dicentur ſuis locis, & ſpeciatim *l. 6. t. 4. c. 2. ad d. 4.* dicetur, an reſervatio incurratur ab eo, qui neſcit eſſe annexam peccato *l. autem 7. c. 5. ad d. 3.* dicetur, à quo incurrantur cenſuræ: *& d. 4.* qualis actus requiratur ad incurrendum, & quænam excuſent, &c. *ib. c. 5. ad d. 3.* dicetur, an ab ignorante incurratur irregularitas.

Q. 129. *An ignorantia legis, vel pœnæ annexæ allegari poſſit pro excuſatione in foro externo?* R. Negant Maſcard. & pauci alii, quia ſi lex ſit promulgata, præſumitur nota: ſed communiſſimè affirmant reliqui, nam ſi ſit invincibilis, excuſat à culpa, ergo etiam à pœna: præſumptio quidem eſt contra excuſantem, ſed inde plus non ſequitur, quàm teneri probare excuſationem ſuam, pro qua, ut conjecturæ admittantur, accedere debet juramentum de ignorantia, quod ſolum non ſufficeret ſine conjecturis vel aliis probationibus, uti communiùs docent AA. apud Caſtrop. *ſuprà p. 19.* hinc notat Suar. *de cenſ. d. 4 §. 8.* in foro externo raro admitti ignorantias invincibiles juris, niſi validiſſimis rationibus probentur, & inde fortè eſt, quòd Eccleſia converſos ad fidem abſolvat ab excommunicatione, quia forſan præſumit ignorantiam pœnæ annexæ fuiſſe vincibilem; de hoc tamen dicetur poſteà *l. 6.* quando agetur de Confeſſario hominis convertendi ad fidem. 772

Q. 130. *An dicta de ignorantia, etiam valeant de oblivione naturali?* R. Affirmativè, nam oblivio naturalis æquivalet ignorantiæ invincibili, ut rectè cum aliis Sanch. & Dian. *p. 3. t. 6. R. 41.* inferens eum, qui ex oblivione omiſit Horas Canonicas, non teneri reſtituere fructus, quia lex pœnalis irritans acquiſitionem fructuum, non obligat eos, qui ſine culpa obliti ſunt legis obligantis ad orandum. 773

DUBIUM II. 774

An metus excuſet ab obſervatione legis.

RESP. Si ex metu facis, quòd ſimpliciter malum eſt, peccas quidem; minuitur tamen per metum malitia, quia minuitur libertas. Interim ſæpè fit, ut præcepta quædam non obligent, cùm eorum obſervatio cederet in grave alicujus incommodum, & tunc, ſi ex metu talis incommodi quis tale præceptum omittat, non peccat, cùm præceptum non liget. Eſt communis. *Unde reſolvuntur:*

I. Præceptum naturale negativum, prohibens rem intrinſecè malam, non licet violare nequidem ob metum mortis.

II. Metus gravis, v.gr. mortis, &c. ſæpè non tantùm excuſat à præcepto poſitivo, tam divino, quàm humano; ſed quandoque etiam ab affirmativo naturali: & ſic (ut Sanch. *l. mor. c. 18.*) non tenetur quis cum periculo vitæ integrè confiteri, ſervare depoſitum, implere votum, ſuccurrere proximo extremè indigenti. Bec. *tom. 2. l. 3. c. 6.* Azor. *l. p. l. 1. c. 11.* Laym. *l. 1. t. 4. c. 14.* Excipe tamen caſum, de quo infra *l. 2. t. 3. c. 2. d. 1.*

III. Si obſervatio legis humanæ neceſſaria ſit ad conſervandum bonum, aut avertendum malum commune, quod pluris ſit, quàm vita propria, tunc lex illa obligat cum periculo vitæ, ut v.g. ſi Dux mandet militi non diſcedere ex ſtatione, item, ſi perituræ ſint animæ, niſi Paſtor adeat ægros tempore peſtis. Laym. *l. c.*

IV. Alioqui nulla præcepta humana, etiam Eccleſiaſtica, per ſe obligant cum periculo vitæ, aut ſimilis incommodi. V. Sanch. *l. c.* ut ſi v.gr. cogaris metu mortis contrahere cum conſanguinea, in gradu prohibito lege Eccleſiaſtica, poſſes contrahere (in ſpeciem) non tamen poſſes conſummare, quia cùm Matrimonium eſſet irritum, fornicareris, quod intrinſecè malum eſt, Sanch. *de Matr. l. 7. d. 5. n. 4.*

V. Per accidens interim accidere poteſt, ut lex humana obliget cum periculo vitæ, ratione alterius præcepti juris naturalis aut divini concurrentis, ut v.gr. ſi quis cogere vellet tranſgredi præceptum Eccleſiæ, in odium fidei, vel contemptum religionis. V. Sanch. *l. c.* Kon. *3. p. t. 2. d. 13. dub. 12.*

ADDENDA.

Quæſt. 131. *An dari poſſit hic regula generalis cognoſcendi, an metus à lege excuſet vel non?* Reſp. 775

§. 1. Non poſſunt dari generaliores quàm hæ, 1. Si tranſgreſſio legis ſit actio intrinſecè mala, & ideo prohibita quia mala, nullus metus excuſat, nam quod eſt intrinſecè malum, nullo caſu fieri poteſt non malum, neque metus tollit totalem circa illud libertatem, ergo non excuſat. 2. Si tranſgreſſio legis ſit contra bonum commune, metus damni particularis non excuſat, quia bonum commune prævalet particulari. 3. Si tranſgreſſio legis non ſit intrinſecè mala, neque præjudicet bono communi, metus damni gravis excuſare poterit, quia legislator non cenſetur velle obligare cum tanto incommodo. Vide dicenda *l. 3. p. 1. q. 51.*

§. 2.

776 §.2. Prima hic difficultas eſt, ut ſciatur, an hæc actio in particulari ſit vel non ſit intrinſecè mala, ita ut nullæ circumſtantiæ poſſint illam cohoneſtare, aut an ſit vel non ſit præjudicans bono communi, ideoque in particulari oppoſitæ ſunt AA. ſententiæ, v.gr. 1. Communior ſententia Catholicorum eſt contra paucos apud Caſtrop. *T.2.d.1.p.13.* quòd occiſio directa innocentis ſit intrinſecè mala, ideòque non ſit licita, quamvis Tyrannus minetur extremam patriæ ruinam: è contra ſecundùm pleroſque non eſt intrinſecè malum Tyranno extradere innocentem, quamvis prævideatur occidendus, tum enim non intenditur mors innocentis ſed ſalus communis patriæ, pro qua Reſp. poteſt exponere ſubditum periculo mortis, & ſubditus ipſe tenetur vitam ſuam exponere. 2. *Azor.* docet negle-ctum Baptiſmi eſſè intrinſecè malum, quia homo negligens Baptiſmum exponit ſe periculo ſalutis: è contra *Caſtrop.* negat. quia loco Baptiſmi, poteſt eſſe contritio habens moralem certitudinem de gratia, adeoque metus mortis poterit excuſare à ſuſceptione Baptiſmi fluminis; quod admittit, Dian. *p.8. t.1.R.2.* quamvis poſteà non eſſet futura occaſio illius, quia Baptiſmus fluminis determinatè, non eſt abſolutè neceſſarius, ſed tantum aliquis Baptiſmus fluminis, flaminis, aut ſanguinis. 3. *Valent. Azor. & alii* putant comedere carnes hominis eſſe intrinſecè malum, adeoque nunquam licere, quia natura horret talem comeſtionem velut ferocem & barbaram: è contra *Cajet. Sanch. Bonac. Leſs. & alii* plures putant non eſſe intrinſecè malum, quia natura non horret, ſed appetit, quando adeſt metus mortis ob extremam famem: imò contra naturam videtur eſſe vitam perdere, cùm eam poſſis tueri, comedendo carnes humanas, quas vermes ſunt devoraturi. 4. *Jo. Sanch.* putat non eſſe intrinſecè malum uti ſimulatione in adminiſtratione Sacramentorum, adeoque poſſe aliquem metu mortis adactum ſine intentione conſecrandi dicere verba conſecrationis ſuper panes: è contra *Suar. Vaſq. & alii* communiſſimè dicunt talem ſimulationem eſſe intrinſecè malam, quia fit irreverentia & injuria materiæ ac formæ Sacramentorum atque horum Authori: hinc 5. *Caſtrop.* dicit eſſe intrinſecè malum legere Miſſam ſine veſtibus ſacris: è contra Bonac. Valent. Suar. Vaſq. & alii comminùs cum Dian. *p.11.t.6. R.15. & 25.* dicunt non eſſe intrinſecè malum, ideoque ſecluſo ſcandalo & contemptu licere ad evadendam mortem: Atque talia exempla innumera in omnibus materiis occurrunt: quid autem abſolutè tenendum ſit, dicetur ſuis locis.

777 §.3. Altera difficultas eſt, quanti damni metus excuſet; *v.g.* ſi hac dominica audiendo Miſſam patiar damnum unius *imperialis*, aut negligam lucrum ducati, an excuſet? ſed etiam hoc commodiùs explicabitur in ſpecialibus materiis præceptorum, & aliquid inſinuabitur n.781.

778 ## DUBIUM III.

An excuſet impotentia totius, vel partis.

„ RESP. I. Cùm ad impoſſibile nemo teneatur, certum eſt, „ quòd impotentia excuſet, etiam illa, cui ante cauſam „ cum peccato dediſti; dummodo de hoc doleas. Quare id „ præcipuè hic dubitatur, an qui non poteſt implere totum, „ teneatur ad partem.

„ Reſp. II. Si præceptum tale ſit, ut commodè poſſit, aut „ ſoleat dividi, atque in ejus parte ſalvetur ratio, ſeu finis „ præcepti, tunc qui non poteſt ſervare totum, debet ſervare „ partem, quam poteſt. Quòd ſi verò non ſalvetur ratio præ„ cepti in parte, neque id commodè poſſit aut ſoleat fieri, tunc „ qui non poteſt totum (hoc eſt tantum, quo moraliter imple„ ri cenſeatur integrum præceptum) is non tenetur ad partem. „ Quæ omnia æſtimanda ſunt, 1. ex intentione legislatoris. 2. „ ex ratione, fine, & materia legis. 3. ex judicio prudentum. „ 4. ex communi uſu, Sanch. *1.mor.c.19.* Laym. *l.1.t.4.c.19.*

„ *Unde reſolvuntur hi Caſus:*

„ I. Qui non poteſt legere omnes Horas, debet dicere eas, „ quas poteſt: quia dividuæ ſunt Laym. *n.7.* Bon. *d.2.q.8.p.1.*

„ II. Qui in Quadrageſima non poteſt jejunare, debet ab„ ſtinere à carnibus, ſi poteſt; aut qui non poteſt omnibus die„ bus, tenetur iis, quibus poteſt. Laym. & Bon. *ll.cc.*

„ III. Qui poteſt notabilem partem Sacri (v.gr. uſque poſt „ conſecrationem) audire, aut Horarum dicere, aut com„ modè poteſt cum alio (& ſolet) tenetur: alioquin non. Ibid.

„ Vide infra de Horis.

„ IV. Si quis carens Breviario pauca ex Horis ſciat memo„ riter, non tenetur ea dicere, *Ibid.n.6.*

„ V. Qui obligatur viſitare limina Apoſtolorum Romæ, „ & ſcit ſe eò pervenire non poſſe, non tenetur ingredi iter: „ quia nec finis, nec ratio præcepti ſalvatur. *Ibid.* & Suar. „ Azor. Bonac. *l.c.*

ADDENDA.

779 *Quæſt.132. Quid circa hæc declaravit Innoc.XI.* Reſp. damnavit hanc 54. prop. *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem:* hac damnatione declaravit obligationem legendi Horas, quas quis poteſt legere, licèt non poſſit omnes.

780 *Q.133. An lex aliqua obliget ad aliquid moraliter impoſſibile?* Reſp.

§.1. Illud hìc dicitur moraliter impoſſibile, quod ita eſt difficile, ut ſpectata conditione, vel infirmitate ſubditi non videatur impleri poſſe, quamvis abſolutè non excedat vires ipſius: & quòd legem naturalem attinet, certum eſt hanc obligare ad aliquid moraliter impoſſibile, nam damnati lege naturali obligantur non blaſphemare, ideoque peccant blaſphemando, quamvis moraliter impoſſibile ſit illis non blaſphemare: ſimiliter lege naturali tenemur potius eligere mortem, quàm ullum peccatum, licèt eligere mortem ſit moraliter impoſſibile: Similiter in ſtatu purę naturę fuiſſet obligatio amandi Deum ſuper omnia, licèt hoc ſine gratia ſit moraliter impoſſibile: *Nec obſtat*, quòd nulla lex poſſit me obligare, ut ſingulis jactibus alearum projiciam numerum imparem, licèt hoc ſit phyſicè poſſibile, *nam* diſparitas eſt, quòd executio potentiæ phyſicæ ad projiciendum numerum ſemper imparem non debeat nec poſſit provenire à mea libertate, ſed pendeat merè à caſu; è contra executio potentiæ phyſicæ ad non peccandum vel ad amandum Deum debeat, & ſpectatis viribus abſolutè poſſit provenire à noſtra libertate.

781 §.2. Etiam leges poſitivæ quandoque obligant ad aliquid moraliter impoſſibile, v.g. militem ad perditas vigilias aut ad periculoſiſſimum aſſultum: & idem eſt in omni caſu, quo bonum commune præponderat privato, vel adeſt alia graviſſima cauſa: extra tales autem circumſtantias Deus non obligat ad aliquid moraliter impoſſibile, neque Deus aut Reſpublica dedit poteſtatem hominibus ſic obligandi, talis enim lex non eſset prudens, nec utilis, ſed noxia, quia ſine ſufficiente cauſa exponeret ſubditos certis periculis peccandi, ideoque præſumitur, non fuiſſe mentem legislatoris pro tali caſu obligare; ſic dicimus non eſse mentem Eccleſiæ obligare ad jejunium vel Miſſam cum gravi diſpendio valetudinis vel etiam fortunarum. Addit *Arr.* ſi lex humana obliget ad hoc ipſum, ad quod obligat lex naturalis, v.g. ſi præceptum obedientiæ me obliget ad caſtitatem lege naturali præſcriptam, me non peccaturum contra præceptum humanum obedientiæ, ſi caſtitatem violarem ob metum mortis. Videri poteſt Suar. *de leg.l.1.c.30.* Item Teril. *in Reg.q.58.* ubi *aſſert.7. & 8.* rectè dicit periculoſum eſſe determinare, quanta difficultas excuſet à lege, optimam autem regulam eſſe judicium ac conſenſum prudentum.

782 *Q.134. Quando & quomodo peccet, qui ſe reddit impotentem, vel ponit impedimentum, vel quærit exemptionem à lege?* Reſp. Hanc quæſtionem omnes dicunt eſſe difficillimam in praxi, & de ea fusè agit Gob. *in Quint.t.5.cap.10. & 27.1010*, ex quo & aliis aliqua referam.

§.1. Qui ad legem obligatur, hoc ipſo obligatur ad procuranda media ordinaria, & ex natura rei proximè neceſſaria ad obſervationem legis, alioquin fruſtra voluiſſet legislator obligare; unde qui tenetur jejunare, & hoc non poteſt, niſi manè aliquid ſumendo, ad hoc tenetur, uti ſic jejunet, ita *Paſq. Dian. Jo. Sanch.*

783 §.2. Peccat contra legem, qui obligatus lege, aut ſaltem tum, quando lex urget, ponit impedimentum per ſe impediens, lex enim præcipit media per ſe neceſſaria, ergo, & ſublationem impedimentorum per ſe & proximè impedientium; unde pecco contra legem de Horis orandis, ſi alteri donem vel abjiciam Breviarium, aut conſpicilia, ſine quibus legere non poſſum: non teneor tamen per medicinam, etiam facilè parabilem, me collocare in eo ſtatu, in quo me lex talis obliget, unde ſi ægrotem, non teneor mihi procurare valetudinem, ut poſſim Horas orare aut aliud præceptum humanum implere, tenebor tamen mihi procurare valetudinem, ſi urgeat lex charitatis in extrema neceſſitate ſpirituali proximi.

784 §.3. Licitum eſt dedita opera aliquid facere, ut quis totaliter deſinat legi eſſe ſubditus, nam, uti rectè Dicaſt. *de Pœn.d.9. n.697.* nemo tenetur perſeverare in eo ſtatu, in quo obligetur lege: alioquin nec liceret petere diſpenſationem à lege: hinc deducit cum *Bonac.* illum non peccare, qui per media de ſe licita conatur ſe transferre in eum ſtatum, locum, conditionem, ubi aliqua lex deſinat eum obligare in actu primo, & ſecundo, ideoque non eſſe damnandum peccati, qui laborem cum jejunio incompoſſibilem die jejunii obit, & veſpere cœnat; ſed de hoc dicetur *l.3.p.2.n.1334.* nam probabilius eſt non licere eadem die, qua quis in actu primo manet obligatus, ponere impedimentum: aliud eſſet, ſi iret ad locum, ubi non eſt jejunium, eò quod nemo

tene-

teneatur manere in loco, in quo eſt jejunium: putat etiam *Gob.* cum *Suar. Bec. Caſtrop. & aliis* contra *Jo. Sanch.* peccare, qui quatuor aut quinque diebus, antequàm urgeat obligatio, ponit impedimentum, directè intendens ſe eximere à præcepto etiam humano, cùm tamen etiam tum futurus ſit in actu primo ſubditus præcepto, quia talis intendit non ſervare legem, ſed fraudulenter agere. Jus autem vetat, ne quid in fraudem legis fiat, ut refert Gob. *c.27.n.72. & ſeqq.* hinc Caſus illi ſemper cenſentur comprehendi legibus, & ſub prohibitione contineri, quibus eluderentur leges, uti habetur *l.3. & ſeqq.* Ad S.C. Macedon. *l.5. C. de legib. l.29. ff.* Ad S.C. Vellejan. *l. penul. ff. De ritu nuptiarum: c. Ubi, ſ. Nulli, De electione in 6.* Tuldenus *de juriſprud. ex temp. l.2. c.8.* ubi id poſt alios Juriſconſultos latè deducit.

785 §.4. Ipſo die, quo adeſt obligatio, non licet illi, qui pergit obligari lege, abſque rationabili cauſa ponere impedimentum, quominus eam obſervet, quia legislator, etiam humanus, poteſt obligare ad non ponendum tale impedimentum, praxis autem utriuſque fori habet, quòd mens legislatoris ſit obligare ad tollendum ipſa die impedimentum ab eo, qui perget obligari lege: ſi tamen eo die poſuiſti impedimentum, & non poſſis amovere, niſi cum eo incommodo, quod ſufficeret ad excuſandum eum, qui ſine culpa illud poſuiſſet, non teneris lege; & ita dicunt multi, cum Dicaſt. *n.698.* quòd ea laſſitudo, quæ labore neceſſario aut utili inducta excuſat à jejunio, etiam excuſet, ſi ſit orta ex inutili, & peccaminoſo labore.

786 §.5. Peccas, ſi una aut altera hora ante mediam noctem diei feſti exeas venaturus, prævidens te ideo non auditurum Sacrum, quia tum cenſetur moraliter adeſſe Feſtum, & urgere præceptum, ita Tamb. *l.4. in Decal. c.2.§.2.* Et idem eſt de aliis ſimilibus Caſibus: Illſ. *t.1. d.2. n.37.* dicit non peccaturum, ſi biduo ante exiret, etiam ob negotium non neceſſarium, vocatque ſententiam communem.

787 §.6. Qui non eſt in eo ſtatu, in quo lex eum in actu primo obliget, non tenetur vi illius legis ad eum ſe transferre: hinc lex de Confeſſione aut Communione annua, de Feſto, & jejunio obſervando, non obligat Judæum, aut ad illa opera præſtanda, aut ad hoc, ut fiat Chriſtianus, ſicque incipiat obligari, & explere poſſit, ita *Dicaſt. & alii.*

788 §.7. Præcepta naturalia obligant, ne quis impedimentum eorum obſervationi apponat, etiam aliquot diebus, antequàm incipiant obligare, hinc peccat, qui die Lunæ luſu vel potu perdit pecuniam, prævidens ſe die Veneris, aut cogendum rapto vivere, aut fore impotentem ſolvere, quod tum ſolvere debebit, aut uxorem vel liberos fame perituros etiam intrà menſem, aut illis defutura alimenta poſt 9. vel 7. dies: filius tamen non peccat contra pietatem, qui dilapidando bona reddit ſe impotentem ad alendos parentes poſt ſeptennium futuros indigos; peccaret, ſi prævideret intrà paucos dies fore indigos.

789 §.8. Titulus juſtitiæ longè rigidior eſt, quàm obedientiæ vel religionis, uti rectè Moya *t.1. l.6. d.5. q.1. n.16.* unde peccant Paſtores, officiales, famuli &c. qui per intemperantiam cauſant ſibi infirmitatẽ, ſcientes ideo ſe, etiam priùs poſt 8. dies fore impotentes munijs obeundis, ad quæ ex juſtitia tenentur, Sanch. Paſq. & alii. Excipit Gob. *c.10. n.24.* niſi per alium æquè utiliter ſuppleri poſſit, quod tamen non admittit *Paſq.*

790 §.9. Capellanus hodie obligatus celebrare, peccat contra juſtitiam, ſi hodie ſe inebriet, aut veſtes ſacras negligat accipere de loco vicino, aut illuc eat, ubi non poterit celebrare, ita Tamb. *l.3. de Miſſa q.6.§.1. n.6.* putat tamen non peccare, ſi infirmitatem in ſe cauſet ante tempus urgens, ſed *Sanch. Paſq. & alii* probabilius dicunt eum peccare, ut jam dictum eſt. Quòd ſi ſit infirmus, carcere clauſus &c. non tenetur propter obligationem illam procurare liberationem ab infirmitate vel carcere, tenetur tamen procurare liberationem ab excommunicatione, ſuſpenſione & interdicto, hæc enim ſunt directa, & proxima impedimenta Sacrificii, ad quæ tollenda cogit eum titulus juſtitiæ, quo tenetur ſacrificare, ita Tamb. *ibid. n.8. & 9.* Quòd ſi Eccleſia egeat reconciliatione, & ipſemet poſſit reconciliare, ad hoc tenebitur, ut ſic poſſit ſatisfacere obligationi celebrandi, Tamb. §.3. *n.3.*

791 §.10. Qui prævideret ſe poſt octiduum non poſſe ſatisfacere præcepto divino, v. g. ſuſcipiendi Baptiſmum, confitendi, aut communicandi pro viatico, tenetur prævenire: item peccat, qui differt Communionem annuam uſque ad Dominicam in Albis, & tum proficiſcitur ad locum, ubi nec proximis diebus poſt erit copia communicandi: item, ſecundùm *Suar.* peccant æditui, ſartores, ſutores, piſtores, qui die Sabbati, cùm poſſint, non procurant munditiem templi, veſtes, calceos, panem, die dominico aut die Lunæ manè neceſſarium, nam in his uſus & perſuaſio communis habet, debere præveniri, ne per ſervilia illa violetur feſtivus dies.

792 §.11. Pleræque leges humanæ ſecundùm uſum, & interpretationem communem non obligant, ne quis impedimenta apponat aliquot diebus, antequàm urgeant, ita *Suar. Becan. Sal. Caſtrop. Dicaſt.* ſic non peccat ſpecialiter, qui per potum cauſat ſibi ægritudinem, ob quam prævidet ſe fore impotentem poſt aliquot dies ad Sacrum audiendum, ad legendas Horas, ad jejunandum, ad Communionem Paſchalem; item qui potans prævidet ſuo morbo alios cras privandos Miſſa, ſecundùm *Suar. Bec. Bonac. Dicaſt.* non peccat contra præceptum de Miſſa.

§.12. Si abſit intentio defraudandi legem, non peccare 793
eum, qui per actionem ex ſe non illicitam reddit ſe pridiè impotentem ad legem aliquam humanam obſervandam, docent *Suar. Bec. Bonac. Dicaſt.* adeoque non peccare, qui die Sabbati iter ingreditur prævidens ſe cras non poſſe audire Sacrum imò nec qui ad venationem exit, uti pluribus docet Gob. *in Exp. T.5. n.453.* & Moya *n.15.* niſi exiret circa 10. vel 11. horam noctis; Quod ſi impotentia illa fortè cauſetur per actionem ex ſe malam, v.g. per ebrietatem, *Bonac.* dicit non ideò peccare contra legem humanam, cujus obſervationi ponitur impedimentum, quia non conſtat legibus humanis intendi talem obligationem, uti conſtat intendi naturalibus: ſed de hoc dicetur *l.3. p.2. n.1334.*

§. 13. Excommunicatus peccat contra præceptum de 794
Confeſſione, & Communione annua, ſi non petat abſolutionem, ut ita poſſit illis præceptis ſatisfacere. Ita *Suar. Laym. Bonac. Fagund. Dian. & alii:* ſi tamen non petat, non peccat contra præceptum de Miſſa audienda, ut iidem docent cum Nav. Avila, Illſ. *n.38.* Caſtrop. *de cenſ. d.1. p.9. n.3.* quia Eccleſia noluit hoc præcepto excommunicatum comprehendi, ſed excludi, ſoloſque diſpoſitos obligat ad audiendum, non autem ut ſe diſponant: V. Dicaſt. *de Miſſa t.5. d.5. d.10.§.2.* Quòd ſi tamen eo fine non peteret, ut non teneatur Miſſam audire, putat *Avila* eum peccare, contra præceptum de Miſſa: imò Gob. *ſuprà in Quin. cap.27. n.95.* putat abſolutè teneri ad procurandam abſolutionem, & tollendum impedimentum, alioquin peccare contra præceptum de Miſſa; non tenetur tamen quis ſibi procurare valetudinem aut liberationem à carcere, uti ante dictum, & habet communior ſententia cum *Suar. Bonac. Fagund. & aliis*, pro quo diſparitatem dat *Gob.* quia qui excommunicatur, peccavit contra Eccleſiam, & illi eſt contumax, ſed qui ægrotat vel tenetur carcere, per hoc non peccavit contra Eccleſiam, nec illi contumax eſt, ergo Eccleſia reſpectu hujus meritò eſt indulgentior, & non aſtringit præceptis illis. An autem quis teneatur ſibi pretio Miſſam privatam procurare domi, aut audire, ſi gratis poſſit habere à Sacerdote ſponte legente vel aliunde ſtipendiato, dicemus *l.3. p.1. n.676.*

§. 14. Ex hactenus dictis conſtat, & rectè notat *Illſ.* in 795
hac quæſtione non poſſe dari unam generalem regulam, ſed attendendam eſſe mentem legislatorum, & finem legum, quæ quandoque facilius quandoque difficilius patiũtur apponi impedimentum, quod diſcere oportebit ex uſu proborum & judicio prudentum: ſic lex jejunii permittit aſſumi laborem honeſtum, cum quo jejunare non poteris, non item lex Miſſæ vel Horarum &c. Et circa jejunium, vide dicenda *l.3. p.2. n.1334.*

DUBIUM IV. 796

An excuſet diſpenſatio.

RESP. In jure humano diſpenſatio legislatoris, vel parem „
poteſtatem habentis, facta ex juſta cauſa, excuſat à „
trangreſſione præcepti. Eſt communis. Sanch. Azor. *1.p.* „
l.5. c.15. Salas *d.20.* Ratio eſt, quia cùm ſit author ſuæ legis, „
poteſt quemvis excipere. „

Dixi 1. *Ex cauſa juſta:* quia ſi temerè, & ſine cauſa diſ- „
penſet, tenet quidem diſpenſatio, peccat tamen tam dans, „
quàm petens diſpenſationem, contra jus naturale dictans „
partem debere conformari ſuo toti, niſi juſta cauſa excuſet. „
Sanch. *lib.8. d.13.* Suar. Fill. *tr.21. n.438.* & quidem, ut vult „
Suar. mortaliter: venialiter, ut Pontius apud Dian. quem „
v.p.8. t.3. R.8. 9. & 10. Si dubitet, an cauſa ſit juſta, poſſe „
diſpenſare, vult *Sanch.* contra *Bonac.* qui dicit peccare. „
Etſi autem cauſa ſit juſta, non tamen tenetur diſpenſare, „
niſi cùm vel jus præcipit ex ea cauſa diſpenſare, vel neceſ- „
ſarium eſt ad commune bonum, vel ſpirituale pœnitentis, „
vel avertendum grave damnum, aut publicum ſcandalum, „
& ſine diſpendio fieri poteſt. Dian. *R.27. & 28.* contra Suar. „
Sanch. &c. „

Dixi 2. *Legislatoris:* quia diſpenſatio inferioris in lege „
Superioris ſine juſta cauſa, invalida eſt, ac proinde non „
excuſat à tranſgreſſione præcepti. Ratio, quia qui nomine „
alterius ſine cauſa diſpenſat, diſſipat. Suar. *l.6. cap.19.* „
Sanch. *d.17.* „

Validè autem, & licitè inferior poteſtate ordinaria diſ- „
penſat ex juſta cauſa in lege Superioris, 1. Circa levia, hoc „
eſt, quæ ſub morta li non obligant, etſi facilis ſit ad Supe- „

riorem

riorem recurſus. 2. Circa ea, quæ frequenter occurrunt, v.g. in jejuniis, celebrandis Feſtis, &c. 3. Circa ea, quæ ita ſunt propria uni communitati, ut non conveniant aliis. 4. Quando recurſus ad Superiorem difficilis eſt, ſive quando eſt neceſſitas, & periculum in mora. Dian. *R.*12. ex Gran. Salas, Gordon. Palao, qui addit. 5. Si conſuetudo præſcripſerit, ut inferior diſpenſet. V. Dian. *R.*95. 6. Quando eſt dubium negativum, an caſus egeat diſpenſatione. Quo caſu, ſecundùm *Palaum*, non opus eſt diſpenſatione, cùm præſumptio ſit pro libertate. Barboſ. Dian. *p.*3. *t.*6. *R.*28. *p.*4. *t.*3. *R.*46. *p.*8. *t.*3. *R.*72. *&* 95. *Unde reſolves:*

I. Pontifex ſine juſta cauſa non poteſt diſpenſare in lege Dei, nec Epiſcopus in lege Eccleſiæ. Sanch. *n.*3. Suar. Vaſq.

II. Diſpenſatio in voto vel juramento, ſine juſta cauſa, etiam à Papa facta, eſt invalida. Suar. Sanch. *ll. cc.*

III. Valida eſt, ſi Superior per errorem juſtam cauſam arbitretur, aut etſi non arbitretur, (& temerè diſpenſet) reipſa tamen ſit. Sanch. *l. c.* Azor. Sà, Salas, *n.*81. Similiter ſi diſpenſet, cauſa, quæ reverà legitima eſt, non prægnita; probabiliter tamen valere docet Sanch. Dian. *Reſ.*19. 21. *&c.* contra Azor.

IV. In dubio de valore diſpenſationis, validam cenſeri, eò quòd præſumatur in favorem actus, ne pereat, probabile putat Sanch. &c. cum Dian. *p.*3. *t.*6. *R.*9. *p.*4. *t.*3. *R.*45. 64. *p.*8. *t.*3. *R.*62. contra Molin. &c.

V. Habens poteſtatem generalem diſpenſandi, poteſt etiam ſecum diſpenſare directè & immediatè. Sanch. Dian. *p.*8. *t.*3. *R.*16. contra Suar.

VI. Valet diſpenſatio obtenta per vim, aut metum (modò cauſa ſit juſta.) Item data ſine ullis verbis, ſola mente. Turrian. Dian. *R.*17. 76. *p.*4. *t.*4. *R.*118.

VII. Qui impetravit diſpenſationem, (v.gr. in impedimento dirimente Matrimonium,) & per ignorantiam; vel ſimplicitatem expreſſit cauſam falſam, eum validè contrahere Matrimonium, dicit Pontius *de matr. l.*8. *cap.*16. *ex Cap. Cùm inter, de ſent. & re judic.* ſed contrarium tenet Palaus *tract.*3. *d.*6. *p.*16. *§.*5. *ex Cap. Super litteris, de reſcript.* Vide Dianam *p.*8. *t.*3. *R.*69.

VIII. Subditus bona fide diſpenſationem petens, rationibus Superiori allatis, poteſt diſpenſatione impetrata, eſſe ſecurus. V. Laym. *l.*1. *t.*4. *c.*22. *n.*27.

IX. Peccat, qui aliquem inducit ad diſpenſandum ſine cauſa, vel allegata falſa cauſa, Nav. Sanch. 18. *de Matr. n.*8. Fil. *tr.*10. *n.*314. Salas *d.*20. *ſ.*6. *n.*58. qui addit, id verum eſſe, etſi diſpenſans excuſetur ob bonam fidem.

X. Diſpenſatio poteſt impetrari, non tantùm pro ignorante, ſed etiam invito, quando neceſſitas exigit. Sanch. Becan. contra Suar. V. Dian. *p.*8. *t.*3. *R.*86. 87. Id tamen locum non habet in ea, quæ impetratur ex Pœnitentiaria Romana, niſi impetretur à perſonis conjunctis, vel conſanguineis intrà quartum gradum, vel ſaltem à Confeſſario. Marcus Leo. *in praxi p.*1. *f.*14.

Quæres. An ceſſante cauſa diſpenſationis, ceſſet ipſa?

Reſp. Pro hoc ſervient ſequentes Regulæ.

1. Si tantùm impulſiva, ſeu minùs principalis cauſa ceſſet, manet diſpenſatio.

2. Etſi ceſſet pars cauſæ motivæ, ſeu principalis, manet diſpenſatio. V. Dian. *p.*8. *t.*3. *R.*62.

3. Si commiſſa facultate diſpenſandi, priuſquàm diſpenſetur, ceſſet omninò cauſa principalis, nulla eſt diſpenſatio.

4. Si diſpenſatione redacta ad actum irrevocabilem, ceſſet tota cauſa, non ideò ceſſat vel vim amittit: v.g. diſpenſatum fuit in impedimento conſanguinitatis, propter paupertatem fœminæ: licèt contracto Matrimonio, divitias obtineat, non eſt irritum. Idem eſt, ſi Beneficium per diſpenſationem obtinueris, & poſteà ceſſet cauſa, ob quam diſpenſatum fuit.

5. Si facta diſpenſatione ceſſet omninò cauſa finalis, & actus poſſit facilè revocari: v.gr. diſpenſatum eſt in voto caſtitatis propter vehementes tentationes, quæ poſtea ceſſant, an reviviſcat votum? vel in Præcepto recitandi Horas, jejunandi, &c. propter infirmitatem, & poſteà convaleſcit, an teneatur recitare, jejunare, &c. Affirmant Sanch. Amic. Portel. Bonac. Leo. &c. Quia aliàs non eſſet juſta. Negativam tamen ſententiam probabilem, & in praxi tutam eſſe cenſet Dian. *p.*8. *t.*3. *R.*24. Sal. Gran. &c. ſiquidem diſpenſatio fuerit abſoluta: quia obligatio legis ſemel extincta non reviviſcit, & quod deſtructum eſt, non reproducitur, niſi ab eo, qui producere poteſt. V. Suar. *de leg. c.*22. Laym. Præpoſ. &c. qui rectè id concedunt, quando non eſt de re dividua, & ſucceſſiva, aliàs negant. Unde ſuppoſita probabilitate ſententiæ negativæ, Gran. Dian. &c. ſequentes caſus (in quibus tamen alii meliùs contrarium ſentiunt) reſolvunt.

I. Cuiu quo diſpenſatum eſt propter morbum in eſu carnium, poteſt veſci, licèt omnino convaleſcat.

II. Cum quo propter infirmitatem diſpenſatum eſt in voto Religionis, poſtquàm convaluit, non tenetur. Dian. *p.*6. *t.*7. *R.*45.

III. Cum quo propter oculorum infirmitatem diſpenſatum fuit in onere recitandi Horas, etſi convaluerit, non tenetur legere.

APPENDIX.

De Diſpenſationibus S. Pœnitentiariæ.

QUia ex officio S. Pœnitentiariæ multæ diſpenſationes (& gratis quidem) impetrari poſſunt, ſaltem pro foro conſcientiæ, operæ pretium cenſui, quædam circa hujus rei praxin Pœnitentibus, & Confeſſariis utilia hìc ſubnectere.

Et quidem tria potiſſimùm circa hanc rem inquiri poſſunt: I. Circa materiam & cauſas, in quibus nimirum caſibus diſpenſationes iſtæ concedi ſoleant. II. Circa formam litterarum Pœnitentiariæ, quibus diſpenſatio Confeſſario committitur, quarum verba nonnulla, quæ difficultatem pariunt, explicanda ſunt. III. Circa ipſam executionem diſpenſationis, quæ nimirum in ea obſervanda ſint. De quibus ex Bon. Dian. *p.*4. *c.*4. *R.*71. *& p.*8. *t.*1. *R.*103. *&c. uſque ad R.*111. & Marci Pauli Leonis *volumine integro ea de re edito.*

Reſp. I. In triplici materia (pro cujus diverſitate, diverſa quoque eſt forma) diſpenſationes, ſive gratiæ iſtæ concedi ſolent.

Prima eſt in Votis: v.g. ut Votum Religionis ob inopiam parentum vel fratrum, ſimilive ex cauſa liceat differre: ut quis à voto ſimplici caſtitatis, vel etiam Religionis (poſtquam Matrimonium contraxit) abſolvatur ad manendum in Matrimonio, debitumque licitè petendum; ut à voto Religionis (ob debilitatem virium, per quas ejus onera ferre non poſſit, aut ob metum incontinentiæ, aut dotis defectum) abſolvatur in ordine ad contrahendum Matrimonium.

Secunda. In impedimentis occultis Matrimonii; ſive ea ſint impedientia tantùm, ſive etiam dirimentia, ſive Matrimonium cum iis publicè contractum ſit, ſive contrahendum, dummodò de eo privatim fuerit actum & concluſum, præſertim bona fide: ſive etiam quando contracto ſuperveniunt. Circa quæ *Notandum* I. Impedimenta occulta dici, quæ vel nulli nota ſunt, vel licèt uni alterive innotuerint, ad forum tamen contentioſum non ſunt deducta. 2. Etſi aliqua impedimenta, v.g. cognationis ſpiritualis, natura ſua ſint publica, cùm contrahantur in facie Eccleſiæ; fieri tamen poteſt per accidens, ut ſint occulta, v.g. 1. ob diuturnitatem temporis, ex quo ſunt contracta. 2. Ob diſtantiam loci à loco contractæ cognationis. 3. Per mortem eorum qui fuerunt conſcii. 4. Per ignorantiam hujus contractionis.

Tertia, in variis cenſuris, ut excommunicationibus, ſuſpenſionibus (item irregularitatibus) præſertim occultis, ad abſolvendum ab iis, diſpenſandum, rehabilitandum, &c. Item ad condonandam obligationem reſtitutionis ob Horas neglectas; ad commutandum onus recitationis Horarum; eligendum Confeſſorem etiam pro reſervatis; tranſeundum ad aliam Religionem, ſive Ordinem (pro utroque foro) etiam poſt apoſtaſiam à ſuo.

Reſp. II. In formulis frequentioribus ipſius Brevis Apoſtolici, verba, quæ ſubſtantialia continent, & difficultatem habent, ſunt hæc.

1. *Si eſt ita*, vel *quatenus ſi ita eſt.* Quorum ſenſus eſt; ſi preces veritate nitantur, præſertim tempore datarum litterarum Apoſtolicarum. Requiritur autem veritas rerum narratarum principaliter quoad eſſentialia facti, v.g. affinitatem eſſe contractam, inceſtum commiſſum, & actum, ſive tractatum eſſe de Matrimonio (intellige perfectè, ita ut in id utrimque conſenſerint) & periculum revelationis ac ſcandalorum imminere. Secundariò autem requiritur quoad accidentaria, v.g. bona fide actum eſſe; & ſimilia, quæ tantùm ſunt impulſiva, & ſine quibus nihilominus conceduntur tales diſpenſationes: unde etſi in iis, vel aliis parvi momenti, ſit erratum in petitione, gratia nihilominus eſt valida. Vide M. Leon. *p.*2. *f.*226. *& p.*3. *f.*391.

2. *Periculum immineat revelationis.* Ad hoc enim, ut ſubſiſtat diſpenſatio, requiri, ut ſit periculum, ne reveletur impedimentum, (intellige quando id in formula exprimitur) ſi non ſubſequatur Matrimonium, docet M. Leo. *p.*2. *f.*220. Periculum autem hoc non importare neceſſariam detectionem, ſed tantùm probabilem, & moralem credulitatem, futurum, ut ſi refiliatur à Matrimonio contrahendo, & hujus cauſæ aſſignari non poſſint, ex vehementi ſuſpicione, & curioſa inquiſitione detegatur. V. *l. c. f.*233.

3. *Et ſcandalorum.* Quo nomine intelligitur gravis infamia, ex qua deinde ſequantur contentiones, minæ, pugnæ, &c. Leo.*f.*230.*&* 317.

4. *Ut dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, &c.* Clauſula hæc eſt ſubſtantialis, ut nimirum, ſi diſpenſandum ſit in impedimento dirimente, cum quo Matrimonium contractum fuit in facie Eccleſiæ, conjux ignorans illud impedimentum fiat certa de nullitate prioris ſui conſenſus, & novum validumque liberè præſtet (ita tamen, ut in cognitionem occulti impedimenti non veniat) Leo, *pag.*251.Dian.*p.*8.*t.*3.*R.*110. Sufficit autem ut iſtum conſenſum præſtent inter ſe ſecretò, nemine præſente, per verba, & ſigna ſufficientia, v.g. copulam maritali affectu. Neque debet Executor diſpenſationis eos coram ſe & teſtibus iterum copulare. Leo. *p.*552.

5. *Poſtquam dicto Sacerdoti, ſi nondum ſatisfecerit.* Verba hæc ſolent eſſe in facultate abſolvendi ab excommunicatione, v.g. ob percuſſionem Clerici: & important conditionem priùs ſatisfaciendi parti læſæ, quàm poſſit abſolvi, hoc eſt, compenſandi injuriam, expenſas, & omnia damna, quæ ob percuſſionem illam incurrit, quorum æſtimatio committitur Executori diſpenſationis: neque ab ejus obligatione liberatur percuſſor per hoc, quòd percuſſus injuriam remiſerit. Vide Leon.*f.*382. 384. Si autem non poſſit in præſenti ſatisfacere, ſufficit ſi juratus promittat ſe facturum, cùm primùm poterit.

Reſp.III. Circa praxin, ſive executionem hujus diſpenſationis, hæc ſcienda.

1. Litteræ Sacræ Pœnitentiariæ diriguntur ad Oratorem, hoc eſt, ad ipſum, qui diſpenſationem (per ſe vel alium) petiit, qui non debet eas reſignare, ſed eligere Confeſſorem talem, quali inſcribuntur, qui eas ſibi ab Oratore traditas reſignet, legat, & deinde cum eo ſecundùm commiſſionem diſpenſet. Licèt verò quocumque caſu ab alio aperiantur, non ideò carent effectu, Salas, Dian.*p.*8.*t.*3.*R.*103.

2. In Confeſſore hoc requiritur, 1. Ut ſit approbatus ab Ordinario territorii, in quo diſpenſaturus eſt. 2. Ut ſit Magiſter ſive Doctor in Theologia, vel jure Canonico, promotus in Academia, vel Religioſus habens privilegium, quale conceſſit Gregor.XIII. Ann.1582. Confeſſariis Soc. JESU, quos Generalis, vel alius Superior de ejus licentia ad id deſignarit. 3. Ut ſpecialiter ad hoc ſit electus ab Oratore, hoc eſt, eo, cum quo diſpenſandum eſt: qui tamen ſemel electum, niſi deprehendat ignorantem, mutare non poteſt, Leon. *f.*22. Dian.*p.*8.*t.*3.*R.*104. Contrarium tamen docet Sanch. & Per.*de Matr.d.*48.*f.*5.*num.*7.

3. Confeſſor ad id electus, 1. debet diſpenſare in ipſa Confeſſione, vel ſaltem immediatè poſt. Dian.*p.*4.*t.*40.*reſol.*7. Leon.*p.*1.*f.*54. *&* 28. 2. Debet cauſæ cognitionem, quando ea in Brevi exigitur, eſſentialiter præmittere, per diligens examen pœnitentis; niſi habeat ante perſpectam, quia non eſt merus Executor, ſed Judex, cui delegatur poteſtas diſpenſandi. 3. In ea debet credere illi, etiam ſine teſtibus, & juramento, niſi aliunde ſciat eſſe falſam, tunc enim diſpenſare non debet. Leo, Dian.*p.*8.*t.*3.*Reſ.*108. 4. Opera in ipſo Brevi præſcripta, etſi poſſit moderari, non tamen condonare. 5. Etſi non præſcribantur certa verba ad diſpenſandum, debet tamen ſervare formam à Rituali Romano probatam; & poſt verba illa, *Abſolvo te à peccatis tuis*, addere; Et *eadem authoritate declaro, te in dicto Matrimonio manere & debitum conjugale reddere poſſe & debere: nec non diſpenſo tecum, ut idem debitum etiam exigere licitè valeas. In nomine Patris, &c.* Si verò ſit abſolvendus ab excommunicatione, *vide formulam infra l.*7.*c.*1.*d.*6. 6. Abſoluta diſpenſatione debet lacerare litteras, præcipuè ſigillum, ita ut ad probandum ſervire non poſſint, aliàs incurrit excommunicationem majorem. Leo.*f.*239. Laceratio tamen iſta non eſt de ſubſtantia; quia tantùm intenditur, ut non ſuffragentur in foro externo. 7. Nullo modo debet atteſtationem diſpenſationis factæ, neque ipſum Breve, ſeu diploma reddere, cùm pro ſolo foro conſcientiæ debeat ſervire. 8. Nihil debet accipere, nequidem via compenſationis, pro diſpenſatione, etiam pro foro externo facta; ideo enim inſcribitur, *grâtis ubique*: aliàs incurrit ipſo facto excommunicationem majorem. Gavan. Dian. *l.c. ex declar. Cardin.*

Ex dictis reſolvuntur ſequentes Caſus.

I. Confeſſor pro hac diſpenſatione eligi non poteſt, qui tantùm eſt Doctor Ordinis, vel Profeſſor, vel Licentiatus Theologiæ; quòd enim hic in favorabilibus veniat nomine Doctoris, tantùm intelligitur de eis, quæ ratione exercitii, non quæ ratione dignitatis, committuntur. Leo.*pag.*1.*f.*21. Dian.*p.*4.*tr.*4.*R.*41.

II. Ex privilegio Soc. JESU conceſſo, alii etiam Mendicantes eligi poſſunt, ob communicationem. Debent tamen tam hi, quàm iſti ſpecialem ad hoc habere facultatem à ſuis Superioribus, aliàs diſpenſatio erit nulla. Auth.*cit.* Et patet ex dictis.

III. Confeſſor debet ita examinare Pœnitentem, ut cognoſcat, & quidem diſtinctè, merita cauſæ, poſſitque inter ea diſcernere, ideo enim inſcribitur, *Viro diſcreto*. Præcipuè autem debet inquirere, an preces nitantur veritate: quia gratia non conceditur ſimpliciter, ſed ſub conditione; ideoque ſolet addi clauſula, *Quatenus ſi ita eſt.* vel *ſi ita eſſe repereris. V. Auth.cit.*

IV. Is, qui diſpenſationem petit, debet Executori ad id electo confiteri: nec ſufficit, ante ei confeſſum fuiſſe. Patet ex dictis. Leo.*f.*28. Dian.*R.*71. Regin. Pont. contra Sanch. Sal. Perez, Palaum: quorum ſententiam non amplius eſſe probabilem docet Fill. Eſcob. Lezan. Dian. *l.c.& p.*8.*t.*3.*R.*105.

V. Commiſſio hujus diſpenſationis non expirat morte pœnitentiarii concedentis, re integra; quia eſt gratia, non facienda, ſed facta in favorem Oratoris, cui jus quæſitum eſt: & executor eſt diſpenſator neceſſarius, ſiquidem preces nitantur, veritate. Neque etiam morte Pontificis: tum ob rationem allatam, tum quia officium majoris Pœnitentiarii non expirat morte Pontificis. Dian.*p.*8.*t.*3.*Reſ.*89. ex Suar. Sanch. Garc. &c. contra Nav. Bon. &c.

ADDENDA.

Quæſt.135. *Quid circa diſpenſationes ſit præterea obſervandum?* R. ſeqq. 797

§.1. Diſpenſatio eſt actus poteſtatis legislativæ, quo circa caſum vel perſonam particularem relaxatur obligatio legis, manente illa obligatione quoad caſus alios vel quoad reliquam communitatem: differt à licentia, quòd hæc ſit quaſi conditio incluſa in lege, nam lex prohibet fieri, vel omitti ſine licentia: eſt autem quandoque opus diſpenſatione, etiamſi ceſſet intentio & ratio legis, uti habet Sanct. Thom. *in* 3.*d.*37.*quæſt.*1.*art.*1. ſic etiamſi adſit certò ſufficiens cauſa ineundi Matrimonium ſine proclamationibus, nihilominus debet diſpenſatio haberi: & licèt ſit cauſa ſufficiens diſpenſandi, non ideo eſt cauſa ſufficiens propria authoritate omittendi proclamationes; & in hoc aliiſque ſimilibus caſibus à poſteriori colligimus talem eſſe voluntatem Superiorum, culpant enim aut puniunt, ſi aliter fiat. *Dixi*, aliquando, nam in multis caſibus, maximè qui frequenter occurrunt, ſatis ſcimus Superiores id non exigere, ſed ſatis eſſe, quòd habeamus certitudinem de juſta cauſa excuſante: ſic ſi ſim certus, me comedendo piſces paſurum grave damnum, in valetudine, poſſum die vetito ſine diſpenſatione comedere carnes; item die feſto Miſſam omittere, ſi habeam certò juſtum impedimentum, uti habet communis ſenſus & uſus; quamvis ſemper conſultius ſit recurrere ad Parochos vel Confeſſarios ſaltem pro declaratione, quòd hic & nunc ſit obligatio.

§.2. Poteſtas diſpenſandi eſt res favorabilis, hinc latè interpretanda eſt, ideoque in dubio, an ſe extendat ad hunc vel illum caſum, poteſt judicari, quòd ſe extendat. *Nec obſtat*, quòd lex ſit in poſſeſſione, *nam* pro hoc caſu conſtat de benigna voluntate Superiorum, qui beneficium ſuum volunt amplum eſſe. E contra diſpenſatio, quæ ſit privatis, eſt res odioſa, cùm ſit exceptio à lege communi, diſformitas à communitate, & quædam correctio juris, hinc eſt reſtringenda, & ideò in dubio, an ſe extendat ad has vel illas circumſtantias, judicari debet, quòd ſe non extendat, ita cum communi Tamb. *in Decal. l.*1.*c.*3.*§.*7.*V.Diſpenſatio*. Gob. *in Exp.t.*9.*n.*700. & dixi *n.*622. diceturque iterum *n.*839. 798

§.3. Superior loci ſeu territorii poteſt, etiam in legibus communibus, diſpenſare cum vagis nullibi habentibus domicilium, ita Sanch. Leſs. Caſtrop. *t.*3.*d.*6.*p.*7. §.2. ubi cum aliis docet poſſe quoque diſpenſare in lege communi cum peregrinis alibi habentibus domicilium, uti eos abſolvere poteſt à peccatis; tamen cum his non poteſt diſpenſare in votis, juramentis, aut aliis ſingularibus impedimentis, ad hoc enim videtur requiri major ſubjectio: Poteſt tamen Superior in his, item in omnibus legibus, & pœnis ſecum ipſo diſpenſare, non tantùm indirectè, quia tollendo obligationem à communitate, cujus pars eſt, ſimul tollit à ſeipſo; neque tantùm mediatè, in quantùm ſibi eligere poteſt aliquem, qui in ipſum habeat eandem poteſtatem etiam abſolvendi à peccatis, & cenſuris, quam ipſe habet in ſubditos, *Cap. finali, de pœn. & remiſſ.* ſed probabiliter directè, & immediatè quoad ea, quæ indigent abſolutione, uti dicetur *l.*3.*p.*1 *num.*485. poteſtque videri Illſ. *t.*1.*d.*2. *num.*49. *& num.*50. *de peregrinis*: Videri etiam poteſt Delbene *de Immun. Eccleſ. toto c.*11. Et de diſpenſatione cum ſeipſo, vide eundem *dub.*7. 799

§.4. Si diſpenſatio ſit ad majus, etiam præſumitur eſſe ad minus ejuſdem generis, niſi ratio ſit pro majori, quæ non eſt pro minori, ita plures cum Sanch. *de Matrim. l.*8.*d.*1. *anum.* 37. hinc qui per diſpenſationem poteſt comedere carnes, etiam 800

po-

poteſt ova; item qui, alioquin inhabilis, habet per privilegium, ut facere poſſit teſtamentum, etiam poteſt donare mortis cauſa aut facere codicillos. Item qui diſpenſatus eſt ad Subdiaconatum, etiam eſt diſpenſatus ad Minores. Felin. Hoſt. Paſſ. Leur. *p.1.q.286.* quem vide.

801 §.5. Conferens Beneficium vel Officium alicui, quem ſcit eſſe inhabilem, præſumitur, ſi poteſt, diſpenſare circa inhabilitatem, niſi coactus conferat: idem eſt, ſi ſciens inhabilitatem ad Ordines, ei tamen conferat Ordines, quia quiſque cenſetur velle ponere actum validum, ergo vult removere impedimentum valoris, quantùm poteſt, poteſt autem ſolo animo abſque certa verborum forma, ergo cenſeri debet id facere: hinc etiam quoties Superior videt ſubditum agentem contra legem, & tacet, cenſetur diſpenſare pro eo actu, eſt enim ratihabitio pro præſenti, non tamen pro actibus futuris, ita Sanch. Sà, Schilder. & alii cum Dian. *p.8.T.3.R.76.* Addunt Sanc. Dian. & Caſtrop. *d.4 p.9.* ſi diſpenſatus ſit ad duo Beneficia, etiam te eſſe diſpenſatum à reſidentia unius; item ſi diſpenſatus ſis in ætate ad Beneficium parochiale, etiam es diſpenſatus in obligatione intrà annum ſuſcipiendi Sacerdotium; item ſi tecum ſit diſpenſatum, quia illegitimus es vel irregularis, ut poſſis ſuſcipere Ordines ſacros, etiam eſt diſpenſatum, ut poſſis accipere Beneficium ſimplex tanquam titulum ordinationis tuæ, hæc enim ſe concomitanter habent, ideoque ſi diſpenſans poteſtatem habeat, cenſetur eam extendere ad utrumque, Laym. *ad cap.1. De filiis presbyter. in 6.* contra Silveſt. Rebuff. Az. Leur. *q.269.* Vide Caſtrop. *de cenſ. d.6. p.7. n.19. & 20.* Dian. *par.7. tr.10. reſ.6. par.8. tr.3. reſ.38. & 41. par.9. tract.8. reſ.22. par.10. t.13. reſ.30.* Illſ. *t.1. d.3. num.36. & 37.* Leur. *q.269.*

802 §.6. Diſpenſatio obtenta ex falſis cauſis nihil operatur; Ita communis cum Covar. *l.4. reſ.20. num.5.* Suar. *de voto l.6. c.6. hinc* Inn. III. *c.15. de reſcript. ait, Licèt Sedes Apoſtolica conſueverit petentibus ſe liberalem exhibere, mendax tamen precator non debet impetratis gaudere:* Juſtæ autem ad petendam diſpenſationem cauſæ ſunt, neceſſitas perſonæ, vel magna difficultas obſervandi: addit aliquid, ſecundùm Dian. & alios, virtus vel nobilitas perſonæ, item ut ipſe diſpenſans clementiam, & liberalitatem ſuam oſtendat, ſed hæc intellige, ſi diſpenſet in lege ſua aut inferioris. Juſta etiam cauſa eſt, uti putant Sanch. & alii cum Dian. *p.6.t.7.reſ.24. & p.8.t.3.reſ.7.* ſi votum aliquod ſit factum in tenera ætate, vel interveniente metu aut triſtitia, aliave paſſione, etiamſi non eſſet ſpecialis difficultas in obſervando, quia tunc præſumitur non fuiſſe plenam libertatem, aut ſaltem facilius remittendam ideò obligationem, quòd libertas fuerit minor. Quòd ſi diſpenſatio à Superiore data ſit ſine juſta cauſa, multi cum Illſ. *d.2. n.52.* docent ſubditum poſſe illa uti, ſed Azor. Sot. Salas, Sanch. Amicus aliique cum Moya *t.6. d.1. q.3.* contradicunt, quia jus naturæ dictat partem non debere ſine cauſa diffòrmari à toto. Circa caſum, in quo ceſſat cauſa diſpenſationis, videri poteſt Moya *q.2.* & Illſ. *d.3. à num.40.*

803 §.7. Quando pro cauſa diſpenſationis obtinendæ in voto caſtitatis allegatur periculum incontinentiæ, non ſufficit quodvis periculum, nec timor unius aut alterius lapſus, ſed debet eſſe maximum periculum frequentis lapſus, ita ut ea perſona dici poſſit incontinenter vivere, ita Portell. Dian. *reſ.107.* Gob. *in Quin. T.5. c.37. n.237.*

804 §.8. Si diſpenſans in lege Superioris ſit certus eſſe aliquam cauſam diſpenſandi, ſed dubitet, an ſit ſufficiens; poſſe diſpenſare docent Sanch. Tamb. *n.6.* & Gob. *in Exper. T.9. num.683.* quia poteſtas diſpenſandi eſt latè interpretanda, uti dictum eſt, *num.798.* & diſpenſaturus non obligatur ad tam rigidum examen de plena ſufficientia cauſæ: ſi autem poſtea appareat cauſam non fuiſſe ſufficientem, dummodò adfuerit cauſa aliqua, iidem cum Illſ. *d.2. num.54.* putant ex pia interpretatione prudenter præſumi poſſe conſenſum Superioris, ideoque diſpenſatum poſſe pergere uti diſpenſatione; alii negant, & melius, ſaltem, ſi advertatur nullam fuiſſe cauſam diſpenſandi, ideoque etiam, ſi diſpenſare volens, dubitet, an aliqua cauſa adſit, non poteſt diſpenſare, quia poteſtas delegata diſpenſandi neceſſariò poſtulat cauſam, ergo quando dubitatur de omni cauſa, poteſtas eſt dubia, nemo autem uti debet dubia poteſtate. Quòd autem legislator ſine juſta cauſa diſpenſans non peccet mortaliter, docet etiam cum pluribus aliis Delbene *c.15. dub.4.*

805 §.9. Si certus ſis te indigere diſpenſatione, & dubites, an obtinueris, non poteris pergere, quia certa indigentia prævalet contra incertam diſpenſationem: ſi autem certus ſis te impetraſſe diſpenſationem, ſed dubites an ea ſit valida, v.g. quia dubitas, an hoc quod expreſſiſti vel tacuiſti, ſit cauſa finalis an tantùm impulſiva, præſumendum eſt eſſe tantùm impulſivam, & non finalem, quia eſt quædam poſſeſſio pro actu, & ſemper præſumendum eſt in favorem valoris actus, ita Sanch. Caſtrop. Tamb. *num.5.* Gob. *num.615. & 682.* Dian. *p.3. t.3. reſ.64.* Santarelli *in variis Reſol. p.1. qu.59.* habetque deciſio Rotæ apud Roſa *de Execut. litt. Apoſtol. p.1. cap.6. num.52.* contra Molinam & alios: & idem dicit Santarelli ſi dubitetur, an diſpenſatio ſit ſubreptitia, item an preces nitantur veritate, dicit enim præſumendum, quòd non ſit ſubreptitia, & quòd veritate nitantur, nam delicta non præſumuntur. *Nec refert,* quòd impedimentum videatur eſſe in poſſeſſione, quia ſit certum, diſpenſatio autem ſit dubia, *nam* contra illam poſſeſſionem prævalet diſpoſitio juris, dicens in dubio judicandum eſſe pro valore actus, ut ſcilicet magis valeat quàm pereat, ſic enim *L. Quotiens, ff. de rebus dubiis* dicitur. *Quotiens in actionibus aut exceptionibus ambigua eſt oratio, commodiſſimum eſt id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat: & Cap. Abbate, de verb. ſignif. Profectò ſic intelligenda ſunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere poſſit potiùs quàm perire.*

§.10. Diſpenſatio ſubreptitia vel obreptitia eſt invalida: 806
illa autem eſt ſubreptitia, in qua tacetur veritas alioqui exprimenda; illa obreptitia, in qua exprimitur falſitas, quæ eſt cauſa finalis ſeu motiva, id eſt, qua cognita non fuiſſet facta diſpenſatio. Vide Roſa *à num.17.* Rectè tamen notat Gob. *num.613.* ut ſit ſubreptitia vel obreptitia, debere eſſe taciturnitatem veri vel expreſſionem falſi circa cauſas pertinentes directè ad materiam conceſſionis, non autem ad concedentem, vel quæ conceſſioni ſint extrinſecæ, & quamvis petens ſit improbus, quod ſi ſciret diſpenſans, non diſpenſaret, non ideò eſt ſubreptitia, quia hoc tenet ſe ex parte petentis, & eſt extrinſecum materiæ conceſſionis: ſimiliter non eſt ſubreptitia vel obreptitia, ſi reticeatur vel affingatur cauſa tantùm impulſiva, ſine qua fuiſſet quidem facta diſpenſatio, ſed difficilius; & ita omnes communiter notant, (licèt aliqui cum Sà *v. Gratia num.10.* excipiant, ſi hæc cauſa impulſiva notabiliter moveret,) habetque fundamentum ex *Cap. ſuper litteris, 20. De reſcriptis.* Vide Roſa *à num.26.* ſic qui occidit Sacerdotem, etiamſi in petenda diſpenſatione ab irregularitate ſolùm exprimat ſe occidiſſe hominem, valebit, uti habent Sanch. Laym. & alii cum Dian. *par.1. t.10. R.38.* contra Suar. & alios: hinc Caſtrop. *t.3. d.6. punct.16. §.3.* univerſaliter concludit, tum tantùm vitiari reſcriptum, & diſpenſationem eſſe invalidam, ſi reticeat aliquid ſpectans ad cauſam finalem conceſſionis, vel ſi exprimatur falſitas attingens cauſam finalem, & quæ de jure vel conſuetudine debeat taceri: quænam autem de jure exprimi debeant, vel taceri, fusè explicat §.4.

§.11. Si Curialis, id eſt, ille, qui in Curia pro altero pro- 807
curat vel ſollicitat diſpenſationem, addiderit aliquid falſum circa cauſam finalem, vel tacuerit aliquid verum in una parte ſeparata, inſcio illo, pro quo procurabatur, hoc non vitiat reſcriptum pro illa parte, pro qua intervenit vitium, ita Portell. & Dian. *p.8. Tr.3. Reſ.68.* imò Socinus & Felinus putant quoad neutram partem vitiari, quia nulla adfuit malitia vel dolus impetrantis, ſed rectiùs contradicit *Dian.* quia mens diſpenſantis non eſt diſpenſare circa illam partem, in qua intervenit vitium circa cauſam finalem; conſequenter quando plura ſimul conceduntur, & partes inter ſe ſunt ſeparatæ, v.g. ſi petas diſpenſationem voti caſtitatis, & voti peregrinationis, ſubreptio in una parte non vitiat totam diſpenſationem, ſed illam tantùm partem, quæ eſt ſubreptitia, ita Sanch. Dian. & alii cum Caſtrop. §.5. Quòd ſi partes non ſint ſeparatæ, ſed tendant ad eundem finem, v.g. ſi petas diſpenſationem conſanguinitatis, & voti caſtitatis in ordine ad contrahendum Matrimonium, ſi ſubreptio in una ſit commiſſa per ſimplicitatem, vel ignorantiam licèt culpabilem, ſed non craſſam, vitiabit tantùm illam partem, in qua facta eſt ſubreptio; ſi autem ſubreptio eſt facta ex fraude, & malitia, vitiabit totum poſt ſententiam commiſſæ fraudis: hæc enim eſt pœna fraudis commiſſæ ab impetrante ipſo, & ſtatuta in jure apud Caſtrop. *n.6.* & Roſa *à n.64. & 93.* Quòd ſi cauſa probata ſit per falſos teſtes, dummodò cauſa in ſe ſit vera, Perez apud Gob. *n.634.* dicit valere. Poteſt de his omnibus etiam videri Illſ. *à n.55.* qui conſentit.

§.12. Satis eſt, ſi cauſa finalis verificetur eo tempore, 808
quo Romæ conceditur diſpenſatio, & ſimul illo, quo Ordinarius vel Confeſſarius diſpenſat, licèt non verificetur tunc, quando petitur, neque poſteà, quando eſt conceſſa, & antequam executioni demandetur, quia ſic reſcriptum non eſt falſum, & nititur vera cauſa, ita Sanch. Præp. Dian. & alii cum Caſtrop. *d.4. p.15.* & Gob. *n.675.* Quòd ſi cauſa ceſſet poſt diſpenſationem datam, & ab Ordinario factam, ſed ante ejus executionem, Sanch. Con. Hurt. dicunt non valere: E contra valere docent Sà, Pontius, Tamb. apud Gob. ſuprà, & iterùm *n.677.* qui Tamb. & Gob. addunt, probabile eſſe, quòd etiam ſufficiat adeſſe cauſam tunc, quando delegatus à Papa diſpenſabit; Idemque repetit Gob. *n.692.* Vide Illſ. *d.3. à num.40.* Item dicenda *l.3. p.2. n.1309.*

§.13. Si in reſcripto plures ponantur cauſæ, non eſt ne- 809
ceſſe omnes verificari, ſed ſatis eſt finalem eſſe veram: aut ſi plures ſint finales, & ſingulæ ſufficientes, ſatis eſt unam ex his

esse veram, etiamsi aliæ sint falsæ, Suar. & alii cum Sà, *v. Gratia n.*25. Luca *de benef. d.*78.*n.*3. & Sylvio *in variis Resol. p.*1. *v. Dispensatio, c.*1. si tamen duæ simul, & non singulæ seorsim, viderentur sufficientes, vitiabitur, si altera sit falsa, Dian. *p.*4.*T.*4.*R.*53. quòd si unica tantùm causa ponatur, hæc censetur finalis, & non impulsiva tantùm, hinc si ea sit falsa, vitiat rescriptum, Sanch. & alii cum Gob. *n.*614. quod verum est, etiamsi per ignorantiam aliquis expressisset causam falsam, putans esse veram, uti cum communiori tenent Castrop. & Gob. *n.*633. contra Pontium. Vide Rosa *à n.*58.

810 §.14. Valida est dispensatio, quamvis erretur in nomine personæ petentis dispensationem, uti tenent Sanch. Bonac. Pontius, Gob. *n.*635. Amicus *T.*5.*d.*6.*s.*8. *à n.*143. nisi dispensans ex falso nomine intelligeret personam sibi notam, cui intenderet specialiter facere gratiam, non autem illi, cui reipsa petitur, uti probabilius tenent Castrop. & Illsf. *d.*2. *n.*58. Item non refert, si erretur in nomine diœcesis, uti habet *Amicus* cum *Gob.* suprà contra *Sanch. & Perez*, quia Papa dat potestatem Episcopo petentis, quisquis ille sit, & absolutè consentit. Nec refert, si error aliquis per incuriam scriptoris irrepat, uti si pro gradu tertio affinitatis rescribatur tertius consanguinitatis, Laym. Dian. *p.*3.*T.*3.*R.*63.64. & alibi.

811 §.15. Si quis à Superiore petat facultatem dispensandi in quodam casu, quem non explicat, quia credit negandam facultatem, si exprimeret, quamvis Superior concedat facultatem in genere, invalida erit dispensatio, si Superior aliquando habuit voluntatem non dispensandi in tali casu, quæ adhuc habitualiter duret, ita Salas & alii cum Dian. *R.*32. Quòd si dispensatio tibi negata fuerit antehac, vel ab eodem, à quo petis, vel ab alio etiam Superiore, quàm hic sit, valida erit obtenta ab hoc, licèt de negata priore non fiat mentio: quæ si fieret, non dispensaretur, quia hoc non obstante habet præsentem absolutam voluntatem dispensandi, Suar. & alii cum Castrop. §.4. & Rosa *num.*365. Si autem obtinuisti dispensationem in alio defectu, & postea ad eundem finem petas dispensationem in alio defectu, communior sententia, & stylus curiæ habet, quòd debeat fieri mentio prioris defectus dispensati, ob *C.*2. *De filiis presbyt. in* 6. quia nempè sæpè nollet Papa, intelligens tot defectus adfuisse; alii tamen contradicunt, & videri potest casus in utramque partem fusè agitatus apud Rosa *à nu.* 357. vide etiam dicenda *l.*4.*n.*651. item plura ibidem à dicto *nu.* 651. de supplicis, & rescriptis. Item alia ibidem *n.*667.

812 §.16. Parvitas materiæ circa veritatem tacitam vel falsitatem assertam non tollit valorem dispensationis, v.g. si verus valor beneficii in modico mutetur, dispensatio non invalidatur, quia modicus defectus vel omissio levis solemnitatis non vitiat actum, ita Riccius cum Diana *p.*5.*T.*5.*R.*33. An autem, si plures defectus sint dispensandi, possit pro singulis peti dispensatio per diversas supplicas, dicetur *l.*4.*n.*651.

813 §.17. Si in rescripto loco veræ causæ, quæ allata est, substituatur alia secundùm formulam rescribendi curiæ Romanæ, dispensatio est valida, & credendum est fuisse errorem scriptorum aut negligentiam expedientium, March. *in Trib.T.*3.*p.*3. *T.*1.*Tit.*9.*q.*2.*ref.*2. dicens se sæpius expertum.

814 §.18. Si in rescripto addatur, *Motu proprio*, supplebur defectus subreptionis, quo petens reticuit causam finalem, non tamen suppletur, si expresserit causam finalem falsam, ita Sanch. Amic. & Diana suprà *R.*70. ubi Portell. notat, si dispensans dicat absolutè se motu proprio dispensare, tunc dispensationem fore validam ex liberalitate, & gratia supplente omnes defectus, si autem dicat se dispensare motu proprio, sed præcedente petitione vel informatione petentis, tum fore invalidam, si sit aliqua subreptio. Videri potest Rosa *n.*109. *& dicenda l.*4.*n.*654.

815 §.19. Dispensatio pro foro conscientiæ valida est, per se loquendo, ante expeditionem rescripti, hoc enim requiritur tantùm pro foro externo, ita Mol. Sanch. Sà *v. Gratia n.*21. Diana *p.*10.*T.*16.*R.*55. Gob. *n.*669. unde adhuc valeret, etiamsi Papa moreretur ante rescriptum expeditum, modò reipsa dispensarit: hinc aliqui apud Gob. *n.*490. *& T.*10. *n.*553. dicunt, si dispensatio sit hodie concessa Romæ, quamvis tu id nescias, si cras ad effectum procedas, actum fore validum, quia reipsa existit dispensatio, nec ad rem facit illius notitia; excipiunt tamen licentiam motu proprio concessam, quam ex aliqua declaratione sacræ Congregationis dicunt nihil operari, nisi post notitiam concessionis: alii ad omnia prærequirunt aliquam notitiam dispensationis aut licentiæ factæ, voluntque non sufficere solam probabilem conjecturam, quòd facta sit, sed requiri moralem certitudinem, uti si à viro fide digno, qui id sciret, intellexisset, ita Amicus, Dian. *p.*8.*T.*3.*R.*84. *& alii. Dixi*, per se loquendo, nam in primis si dispensatio te inscio, sit impetrata vel concessa, putant *Sanch. Castrop. Gob. & alii* non habere effectum, usque dum acceptes, quia est quædam donatio, quæ per acceptationem completur; sed de hoc dicetur *l.*6. *t.*6.*c.*3. *ad dub.*4. Deinde rectè notat Gob. *T.*9. *num.*743. Papam ipsum sæpè non dispensare, sed dispensationem committere Episcopo vel Officiali, si hic invenerit preces veritate niti, tum autem non poterit Episcopus dispensare ante examinatas preces.

§.20. Multi apud Sanch. *de Matrim. l.*8.*d.*28.*n.*86. dicunt 816 commissionem dispensandi expirare morte committentis, quia mandatum re integra, expirat morte mandantis, *l. Ei*, 108. *ff. de solutionibus, & cap. Licèt undique* 30. *de offic. & potest. jud. deleg.* sed Sanch. *n.*87. Probabilius sic distinguit, quando in litteris gratiæ in alicujus favorem concessis, minister executurus, est voluntarius, utpotè cui non præcipitur, ut exequatur, sed sola exequendi facultas conceditur, non favore ipsius, sed ejus, cui gratia est concedenda, tunc est gratia *facienda*, ac proinde expirat morte concedentis re integra; at si sit executor necessarius, utpote qui exequi jubetur, si preces veritate nitantur, tunc censetur gratia *facta*, ac proinde non perit morte concedentis; quod utrumque satis clarè colligitur ex *cap. Si cui, de præbendis in* 6. *& cap. Si super gratia, de offic. delegati in* 6. *Ratio* disparitatis est, quia in priore casu non est jus quæsitum illi, qui dispensandus est, sed relinquitur voluntati Delegati, velitne dispensare an non; in posteriore per mandatum jus quoddam illi est factum, ut à delegato dispensationem exigat, qui etiam exequi tenetur. Eandem sententiam tenent cum Sanch. Hieron. Paulus, Rebuff. Major. Henr. Suar. Sà, Guttier. & Laym. *ad C. si super, de off. & pot. deleg. n.*2. Castrop. *d.*4.*p.*16.§.2.*n.*3. Garc. *p.*6. *cap.*3.*n.*305. Lotter. *l.*1. *qu.*29. *num.*34. Illsf. *tr.*1. *d.*3. *n.*48. Et quòd mandatum non semper expiret morte mandantis, dictum est *n.*566. & dicetur iterum *n.*876. potestque videri etiã Lugo *in R. mor. l.*1. *d.*20. & dicenda *l.*3. *p.*2. *n.*688.

§.21. Quando omnia jubentur fieri *gratis ubique*, Sà, *v.* 817 *Gratia, n.*25. putat intelligi de datis vel promissis alioqui illicitis, Gut. & Homob. putant tantùm prohiberi ea dona, quibus animus recipientis corrumpi posset, sed opiniones illæ sunt rejiciendæ, prohibentur enim etiam alia data vel promissa; rectè tamen dicunt Sanch. Fill. & Dian. *p.*4.*T.*4.*R.*15. tantùm prohiberi, ne aliquid detur ante expeditionem, vel ne de dando contrahatur, non autem prohiberi, si post expeditionem aliquid detur ex gratitudine.

§.22. In dubio, an casus dispensatione indigeat, si du- 818 bium sit positivum, id est, si habeas rationem gravem, quòd non indigeat, non est opus dispensatione, quia licitè sequeris probabilem: si dubium sit negativum, Bonac. dicit esse opus, ne te exponas periculo transgrediendi legem: Illsf. *t.*1. *d.*2. *n.*47. dicit non tam opus esse dispensatione, quàm declaratione, quòd lex tum non obliget: Sà *v. Dispensatio n.*1. Laym *l.*1. *t.*4. *c.*22. *n.*4. Barbos. *de off. Episc. alleg.*35. *nu.*18. dicunt Episcopum posse declarare, quòd non sit opus dispensatione, vel dispensare in cautelam: Dian. *p.*4. *t.*3. *R.*46. Caram. apud. Dian. *p.*8. *t.*3. *res.*95. Castrop. *t.*3. *d.*6. *p.*5. *n.*10. absolutè dicunt non esse opus dispensatione, quia præsumptio est pro libertate, hinc *ff. de Reg. Juris, Reg.* 20. dicitur, *Quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundùm libertatem respondendum erit*: quod tenet Castrop. licèt magis inclinares, quòd indigeres dispensatione, quia non debes censere te obstrictum lege, nisi de lege sis certus secundùm dicta *n.*272.

Cur in lege naturæ non possit directè dispensari: item quomodo possit dispensari in quibusdam legibus Divinis, at non in omnibus, videri potest Illsf. à *n.*43. Denique an Superior aliquando teneatur dispensare in lege, dicetur *l.*3. *p.*1. *à n.*538.

*Q.*136. *Quid de præsumptione licentiæ sit observandum?* 819 R. seqq.

§.1. Præsumptio licentiæ est actus prudentiæ, quo quis judicat legislatorem hic, & nunc tacitè consentire, ut agatur contra legem; quando autem ad valorem actus prærequiritur actualis consensus Superioris, saltem habitualiter perseverans, certum est non sufficere præsumptionem licentiæ, v.g. ad absolvendum prærequiritur actualis approbatio, hinc licèt sciam me approbandum, si peterem non ideò possum ex præsumpta illa licentia absolvere, ut cum communi Lugo *de just. d.*3. *n.*134.

§.2. In aliis rebus, quarum valor non pendet ab actuali 820 consensu Superioris, si sciam superiorem solere dare licentiam, & daturum esse, si peterem, præsumi potest licentia, unde si tunc Superior commodè adiri, & actus deferri non possit, licitè utor ea præsumptione licentiæ, uti omnes concedunt: si autem adiri possit, & aliquis ex verecundia, respectu humano aut simili causa negligat adire, Nav. Suar. Sanch. & alii cum Castrop. *T.*16. *d.*3. *p.*23. & Bardi *de consc. d.*6. *c.*3. §.9. dicunt peccari tantùm venialiter, quia Superior quoad substantiam censetur contentus, licèt quoad modum illum sit invitus, ideoque sæpè puniat sic operantem; id tamen non tenet semper: nam sæpè contingit, præsertim in Religiosis Ordinibus, ut Superiores, nequidem quoad substantiam contenti sint, si non petatur licentia, quando commodè peti potest, uti dicetur *l.* 4. *num.*110.

§.3. *Bar-*

821 §.3. *Bardi* aliique cum *Caſtrop.* ſuprà dicunt, non requiri certam cognitionem de eo, quòd Superior conſentiret, ſi rogaretur, ſed ſufficere probabilem: contradicunt *Molina*, *Ledeſma & alii*, quia ſi ſufficeret tantùm probabilis, laxaretur diſciplina: quiſque enim ob propenſionem ad ſuas commoditates, & ad amorem libertatis facilè ſibi fingeret motiva, quæ erroneè putaret probabilia, & ſic ſæpiſſimè eluderentur leges ac præcepta Superiorum, turbaretur uniformitas in ſubditis ejuſdem communitatis.

822 §.4. Si licentia tibi ſit debita, etiam præſumi poteſt, inquit *Caſtrop.* niſi ſcires negatam eſſe aliàs, aut negandam, etiamſi injuſtè, de quo tamen videri poteſt Caſtrop. *n.*10. Item rectè præſumitur actualis licentia, ſi ſit conſuetudo, vel Superior ſciat aliquid fieri, & non improbet, cùm ſine incommodo improbare poſſet, nam in tali diſſimulatione continetur quædam approbativa voluntas: ſi tamen Superior ideò non improbet, quia difficulter impediret, quia timet, ne non audiretur, vel ne communitas aut domus turbetur tuis querelis, non poteris præſumere conſenſum, uti rectè Navarr. Mendoz. Rodriq. Suar. Sanch. Caſtrop. nam licèt verum ſit, *Qui tacet conſentire videtur*, *Reg.*43. *de Regul. Juris in* 6. tamen id non tenet, ubi eſt res nobis odioſa, nec adeſt obligatio loquendi, uti rectè Abbas *in cap. Nonne*, *n.*1. & Volpil. *de actibus humanis c.*1. *n.*3.

823 *Q.*137. *Quid de interpretatione legis ſit notandum?* Reſp. ſeqq.

§.1. Interpretatio legis eſt actus prudentiæ, quo declaratur ſenſus legis non ita claræ: eſtque actus doctrinæ, & non juriſdictionis, niſi de novo influat poteſtas legislativa: habetque locum in lege naturali, & poſitiva, tam divina quàm humana.

824 §.2. In interpretatione legis præceptivæ vel pœnalis debet ſervari proprietas verborum in ſenſu naturali ſecundùm uſum communem hominum: ſi autem nomen ſit analogum, ſtat pro famoſiori analogato, uti rectè Caſtrop. *T.*3. *d.*5. *p.*3. *§.*1. v.g. ſi lex talis loquatur de filio, intelligitur naturalis tantùm & non adoptivus; ſi loquatur de morte, intelligitur naturalis, & non civilis: quòd ſi legislator poſteà dicat ſe aliter intelligere, quàm verba propriè ſumpta ſonent, hoc dicit ſicut privatus Doctor, & non ideò præcisè obligamur ejus interpretationi ſtare, nam hæc interpretatio, neque eſt declaratio mentis ab ipſo habitæ, cùm enim recurrat ad impropriam ſignificationem, præſumi non poteſt illam habuiſſe, ergo mens iſta non poteſt cenſeri fuiſſe imbibita in lege, ergo nec poteſt ad illam extendi, quia lex non poteſt extendi ad caſum, qui à principio à lege non fuit comprehenſus, niſi de hoc accedat nova lex: neque erit obligatio ex eo, quòd hæc interpretatio videatur eſſe nova lex, ſi enim eſſet lex, deberet promulgari, ergo ſaltem ante ſufficientem promulgationem non obligabit, ita cum aliis *Caſtrop.* Similiter ſi lex nova eſſet correctiva prioris, eſſet ſtrictè interpretanda, & explicanda ſecundùm interpretationem antiquæ, etiamſi hæc foret abrogata, *leg. Non eſt novum*; *l. Sed & poſteriores*, *ff. de legibus*: non eſt autem aſſerenda correctio legis, ſi conciliari poſſint, *cap. Cùm expediat, de electione in* 6. *leg. Sed & poſteriores*, *ff. de legibus*.

825 §.3. In interpretatione legis favorabilis, lex extenditur ad proprietatem verborum, etiam in ſenſu civili, v.gr. ſi filius detur privilegium aliquod, poſtquàm parentes fuerint mortui, extenditur ad filios adoptivos, & ad mortem etiam tantùm civilem parentum, v.g. ſi mittantur in exilium, aut fiant Religioſi, tum enim dicuntur mortui civiliter: Ita Illſ. *t.*1. *d.*2. *num.*42.

826 §.4. In interpretatione legis odioſæ vel pœnalis ſemper accipi debet, quod eſt minus, uti *num.*596. dictum eſt, *nam in pœnis benignior eſt interpretatio facienda*, *Reg.*49 *Juris in* 6. *Semper in obſcuris, quod minimum eſt*, *ſequimur*, *Reg.*9. *ff. de Reg. Juris. Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*, *Reg.* 56. *In pœnalibus cauſis benignius interpretandum eſt*, *Reg.*115. *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minùs juſtius eſt quàm tutius*, *Reg.*192. Putant tamen Pirhing. *ad T it. de Electione*, *n.*291. *& alii*, ſi conſtitutio etiam pœnalis emanet ad coadjuvandum jus antiquum, eſſe latè interpretandam, ſed contradicunt alii cum Paſſer. *c.*33. *n.*13. quia non eſt noſtrum ita explicare Regulas generales Juris, inter quas eſt *Reg.*15 *Juris in* 6. *Odia reſtringi*, *& favores convenit ampliari*, *& cap.*42. *ff. de pœnis*, *Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs quàm aſperandæ*.

827 §.5. Simplex obſervantia, quamvis non longi temporis, eſt in caſibus dubiis optima legum interpres, debetque attendi, quamvis de jure ſenſus verborum probabilius ſuaderet contrarium, & diverſum reciperet ſenſum, ita Barboſa aliique multi cum Luca *de benef. d.*67. *num.*6. *&* 7. addens *num.*9. obſervantiam, quæ attendi debet, eſſe proximam ſeu ultimi temporis.

828 §.6. Quando prohibetur interpretatio alicujus legis, & præcipitur intelligentia, prout verba jacent, per ſe loquendo, illa tantùm interpretatio prohibetur, quæ eſt frivola, & contra mentem legislatoris, aut ſaltem talis, quæ fiat ex profeſſo typis mandanda, uti cum aliis putat Caſtrop. §.2. & Illſ. *num.*41. Interpretatio autem non habet locum, quando legislator interrogari poteſt, quia Imperator *l.*1. *C. de legibus* ait, *Inter æquitatem juſque, interpoſitam interpretationem nobis ſolis, & oportet, & licet inſpicere.*

*Q.*138. *Quid de Epiikia ſit notandum?* R. ſeqq. 829

§.1. Epiikia ab Ἐπὶ *ſupra*, Ἐπιεικεία, *æquitas* aut *benignitas* latinè dicitur ſumma quædam æquitas ſeu benignitas, & definitur, Actus prudentiæ quo ex æquo & bono judicatur, quod verba legis, quamvis clara ſint, tamen hic & nunc non ſint ſervanda, eo quòd legislator credatur ex quadam æquitate, & benignitate non fuiſſe comprehenſurus hunc caſum, ſi prævidiſſet, quamvis ſciatur nunc comprehendiſſe: unde ab interpretatione differt per hoc, quòd interpretatio exponat verba obſcura, Epiikia, autem dictat rectè agi contra clara verba legis. A præſumptione licentiæ differt, quòd præſumptio ſupponat legem etiam ad hunc caſum ſe extendere, & obligaturam fuiſſe, niſi licentia Superioris aliqua haberetur, qua permittit agi contra, eò quòd ſi interrogaretur, licentiam daret; Epiikia autem dictat mentem legislatoris non voluiſſe comprehendere caſum, quantumvis aliàs verbis claris comprehenſum, v.g. ſi lex vetet arma geſtari, interpretatio legis eſt, ſi dicatur prohiberi arma offenſiva, non autem defenſiva; præſumptio licentia eſt, ſi legislator videat, quòd me induam armis, & exeam, nec tamen contradicat; Epiikia eſt, ſi geſtem arma, certò prævidens proditorem urbis eſſe à me inveniendum, & occidendum.

§.2. Epiikia non habet locum in lege naturali, cùm per ſe 830
non conſtet verbis, & neceſſariò ſemper comprehendat, quidquid comprehendit. Neque in lege Divina, propriè loquendo, ſive, quoad legem ipſam, quia Deus prævidet omnes caſus, & circumſtantias, in quibus erunt homines, quos obligat, ideoque caſus excipiendos ab initio excipit: dici tamen poteſt, cum Teril. *in Reg. qu.*59. habere locum in lege Divina, impropriè & quoad nos, quia licèt ſæpè verba clara legis Divinæ videantur comprehendere etiam hunc caſum, tamen aliunde reſcimus, Deum ab initio non voluiſſe illum comprehendere, & ita dicunt Bardi & Schild. *de conſc. T.*2. *n.*59 *&* 61. Deum quandoque ſub lege ſua noluiſſe comprehendere caſus valde arduos, v.gr. licèt poſuerit claram legem de confitendis mortalibus, tamen per quandam Epiikiam judicamus poſſe nos aliqua omittere ad evitandum grave damnum ſpirituale aut temporale noſtrum vel proximi: & in ſimilem fermè ſenſum loquitur de lege naturali S. Th. 1.2. *qu.*94. *art.*5. *Quantum ad prima principia legis naturæ, lex naturæ eſt omninò immutabilis: quantùm autem ad ſecunda præcepta, quæ diximus eſſe quaſi quaſdam proprias concluſiones propinquas primis principiis, ſic lex naturalis non immutatur, quin ut in pluribus ſit rectum ſemper, quod lex naturalis habet, poteſt tamen mutari, & in aliquo particulari & in paucioribus propter aliquas ſpeciales cauſas impedientes obſervantiam talium præceptorum:* in rigore tamen non eſt Epiikia in illis legibus, ſed potiùs ſunt quædam interpretationes legum.

§.3. Epiikia habet locum in lege humana, non tantùm 831
quando duæ leges ſibi contradicunt, uti vult Eliz. *l.*4. *q.*16. §.3. ſed etiam in quavis lege, per ſe loquendo, quia legislator humanus ſcit ſe non eſſe omniſcium, nec poſſe prævidere omnia, unde patitur ſic corrigi legem ſuam, debuitque ſic velle, ut ſe accommodaret infirmitati eorum, qui erant obligandi, v.g. ſi lex ſit, ne ullus externus admittatur in urbem, cuſtos portarum per Epiikiam rectè admittit eum, qui fugiens hoſtem ſe recipit in urbem velut in aſylum; item licèt Eccleſia præcipiat Miſſam die feſto, tamen paſſim per Epiikiam putant ſe eſſe excuſatos, qui cum incommodo notabili audirent, & idem eſt de aliis legibus humanis, quæ ordinariè non obligant ad aliquid moraliter impoſſibile, uti *à n.*780. dictum eſt. Non habet autem locum Epiikia, ſi legislator interrogari poſſit, uti dictum eſt *num.*828.

*Q.*139. *Quid notandum ſit de privilegio, ſive gratia?* 832
Reſp. ſeqq.

§.1. Si ſtrictè loquamur, non ſunt idem privilegium, & gratia, nam privilegium habet ſe per modum Conſtitutionis ſtabilis, gratia autem unico actu terminari poteſt, hinc omne privilegium eſt gratia, ſed non contra: diſpenſatio enim eſt gratia, ſed non privilegium, uti rectè Suar. *de leg. l.*8. *cap.*3. *n.* 11. ſed ſumendo pro eodem ſic deſcribitur privilegium, *cap. Abbate de verb. ſignif. lex privata concedens beneficium*: meliùs ſic, *Conſtitutio legislatoris tribuens ſpecialem aliquem favorem ad plures actus*; & diſtinguitur à lege per hoc, quòd non poſtulet dari communitati, nec promulgari, nec concedi in perpetuum; à gratia, & licentia, quòd hæ dentur ad unum vel paucos actus; à diſpenſatione, quòd hæc ſemper reſpiciat legem, à qua eximit.

§.2. Privilegium aliud eſt perſonale, quod immediatè 833
con-

conceditur perſonæ ratione ſui; cùjus ſignum eſt, ſi perſona nomine ſuo exprimatur, aut allegentur ejus merita: aliud reale, quod directè conceditur rei alicui, v.g. Epiſcopatui, Dignitati ſenatoris, Ordini alicui, Monaſterio &c. Etiam reale eſt, ſi concedatur perſonæ ratione dignitatis, v.g. quia eſt Epiſcopus talis Eccleſiæ, uti notat Caſtrop. *T.3.d.4.p.16.§.6.* In dubio autem, an ſit reale an perſonale, *Tiraq.* & alii volunt cenſeri reale; Jaſon. & alii volunt cenſeri perſonale; Suar. Caſtrop. Bardi *de conſ.d.6.c.4.§.1.* Gob. *in Quin.T.5.c.37.num.159.* melius diſtinguunt, & dicunt cenſendum eſſe perſonale, ſi præjudicet tertio, vel ſit contra jus commune, ſi autem non præjudicet tertio, nec ſit contra jus commune, cenſendum eſſe reale, nam beneficium eſt ampliandum, ſi nec particulari nec communitati præjudicet. Plures diviſiones privilegii videri poſſunt apud Illſ. *t.1.d.3.art.2.*

834 §.3. Privilegium perſonale ceſſat cum privilegiato, uti habet *Reg. Juris 7. in 6.* Reale ceſſat cum re, cui privilegium eſt annexum, unde cùm dignitates ſint perpetuæ, privilegium reale, v.g. Epiſcopatui conceſſum eſt perpetuum, & tranſit ad ſucceſſores: perſonale autem datum Epiſcopo, ceſſat eo mortuo; ſi datum fuit templo, non ceſſat, niſi templum legitima Authoritate, & ſine ſpe reparationis deſtruatur, ita Suar. *c.5.* addens, ſi templum uno loco deſtruatur, ut reædificetur in altero, privilegium tranſire ad novum templum, niſi fortè fundo ipſi datum fuiſſet. Perſonali, per ſe loquendo, poteris uti etiam extra territorium concedentis, Illſ. *n.26.*

835 §.4. Privilegia non ceſſant morte concedentis, quia *decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum, Regul. 15. Juris in 6.* nec per mortem revocatur voluntas ſemel poſita. Navar. Suar. Sà, *verbo Gratia num.1.* Item non ceſſant, licèt juriſdictio concedentis ceſſet, uti oſtendit Caſtrop. §.4. Neque ceſſant ante certam cognitionem de revocatione, nam in dubio non cenſentur revocata, uti cum aliis Azor. Sà, Sanch. *de Matr. l.3.d.30.num.11.* Bardi §.6. Addunt Nav. Sà, Caſtrop. quòd privilegium eligendi Confeſſarium, audiendi Confeſſiones certarum perſonarum, abſolvendi à caſibus, diſpenſandi, ſuſcipiendi Ordines à quolibet Epiſcopo, accipiendi ab Epiſcopo proviſionem proximi beneficii, reſidendi alibi quàm in loco beneficii ſtudiorum cauſa; condendi teſtamentum, ſi quis fuit inhabilis; celebrandi in privato Oratorio, non expirent morte concedentis, & ita quoad omnia etiam docet cum aliis Dian. *p.8. T.3. R.99.* An autem per mortem concedentis ceſſet conceſſio gratiæ necdum executioni datæ, dictum eſt *num.816.*

836 §.5. Privilegium, in quo dicitur; *donec voluero, donec aliter ordinavero, ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ*, durat etiam mortuo concedente, Sà *n.7.* Caſtrop. *p.15.n.7.* quod etiam dicit Caſtrop. licèt ponatur, *ad beneplacitum meum vel noſtrum*, ſed Sà, meritò contradicit, nam *Cap. Si gratiosè. De reſcriptis in 6.* ſic habetur, *Si gratiosè tibi à Romano Pontifice concedatur ut beneficia, quæ tempore tuæ promotionis obtinebas, poſſes uſque ad ſuæ voluntatis beneplacitum retinere, hujuſmodi gratia per ejus obitum* (per quem ejus beneplacitum omnino extinguitur,) *eo ipſo expirat: ſecus autem, ſi uſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia prædicta concedatur; tunc enim*, (quia ſedes ipſa non moritur,) *durabit perpetuò, niſi à ſucceſſore fuerit revocata.* Quandonam autem revocentur privilegia, quæ dantur cum clauſula, ut non cenſeantur revocata, niſi de eis fiat mentio de verbo ad verbum, videri poſſunt Barb. *de clauſulis, clauſ.43.n.17.* Sanch. *in conſil.l.6.c.9.d.8.* Gonzal. *ad Reg.8. Cancel. Gl.36. à num.13.* Illſ. *n.57.* Putat autem Sà, *n.20.* privilegia Mendicantium non revocari, niſi fiat de illis expreſſa mentio.

837 §.6. Ubi derogatur ſimpliciter privilegiis, in dubio non intelligitur de inſertis in Jure, uti ex Juribus ipſis, & graviſſimis Authoribus probat Garc. *de Benefit. par.3. cap.2. num.72.* lex autem generaliter loquens non tollit privilegium particulare conceſſum ſuper eo, de quo lex generalis loquitur, uti tenent Oldr. Felin. Mandoſ. & alii apud Garc. *num.248.* Tenet hoc, etiamſi lex generalis eſſet in *Trid.* quia ubi vult privilegiis derogari, id exprimit, & ita cenſuit ſacra Congregat. apud Garc. *num.260.* *Nec obſtat* Bulla S. Pii V. revocans privilegia Tridentino contrariantia, *nam* regulanda eſt Bulla ſecundum decreta Trid. & reſtringenda eſt ad ea tantùm, quæ per illud prohibita ſunt cum derogatione privilegiorum, uti notant Rodriq. & Vivald. apud Garc. *n.262.* Et quid requiratur, ut abſolutè dicatur revocatum privilegium, videri poſſunt etiam Sanch. *de Matr. l.3.d.30.n.20.* Suar. *c.40. n.7.* Sà *à n.12.* Amicus *de juſt.d.9.ſ.10.n.148.* docentque Sà *à n.17.* Sotus & Leſſ. *v. profeſſio religioſa, c.15.* legem, quæ revocat privilegium, non habere vim ante promulgationem in diœceſi, ſed Illſ. *n.64.* dicit ſatis eſſe, quocumque modo innoteſcat revocatio.

838 §.7. Alexander VII. damnavit hanc 36. prop. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Trid.* Putat tamen Sà *n.26.* quod privilegia Religioſorum, quæ *ſeſſ.25.c. ult.* abrogantur, intelligantur illa, quæ ſunt contra jura, de quibus agitur in præcedentibus capitibus de Regularibus. Addunt Rodriq. & Caſtrop. *p.2.§.10.n.8.* quando in confirmationibus privilegiorum additur, *dummodò decretis Tridentini contraria non ſint*, intelligi, dummodò non ſint contraria decretis ſpecialiter revocantibus privilegia. Vide Illſ. *à n.65.*

§.8. Privilegium conceſſum in bonum communitatis, 839
& nemini præjudicans eſt amplè interpretandum, uti habet Jus canonicum, & communis Authorum cum Leſſ. *c.4.* ſimiliter illud, quod eſt datum in favorem piæ cauſæ, Religionum &c. uti dictum eſt *n.623.* & probat Sanch. *in Conſ.l.6.c.9.d.1.num.40.* hinc Sà *n.18.* dicit extendi poſſe ad ſimiles caſus, ſi verba permittant. E contra, ſi factum ſit privato per modum diſpenſationis à communi lege, eſt reſtringendum, uti dictum eſt *n. 622. & 798.* docentque cum aliis multis Suarez, Sanch. Caſtrop. *p.10.n.4.* Leſſius *v. Conſecratio, c.1.* Burg. *C.3.c.59.* Illſ. *à n.32.* ubi plura habet notanda, maximè circa extenſionem ad ſimiles caſus vel alias perſonas.

§.9. Privilegium non aufertur per ſubſequentem excom- 840
municationem illius, cui conceſſum eſt, Sà *n.5.* Nec deficiente cauſa, ex qua conceſſum eſt, ſi ea verè extiterit, uti habent Sà *n.6.* Caſtrop. *p.15.n.7.* Illſ. *num.41.* Ratio eſt, quia dabatur ob cauſam præſentem, non ob futuram, niſi additum fuerit, donec durabit cauſa &c. lex autem ſublata non reviviſcit, niſi iterùm volente eo, qui abſtulit: Privilegium tamen ex falſa cauſa impetratum nullum eſt, uti omnes notant. Vide dicenda *l.3.p.2.n.1309.*

§.10. Quòd privilegia indigeant acceptatione, probat Ca- 841
ſtrop. *p.2.§.2.* ſufficit tamen implicita aut per alium, uti rectè Illſ. *n.22.* Ut autem per voluntatem privilegiati ceſſent, requiritur renunciatio exteriùs facta ab eo, qui renunciare poteſt, & acceptata à concedente. *Dixi* 1. facta ab eo, qui renunciare poteſt, quia nemo poteſt privilegio ſibi cum aliis communi renunciare ſine Superioris licentia, uti habet Sà *n.29.* hinc *n.28.* dicit Religioſum non poſſe ſine licentia Papæ renunciare privilegio ſibi à Papa conceſſo; ſimiliter licèt Clericus renunciaret omnibus ſuis privilegiis, tamen qui illum graviter percuteret, eſſet excommunicatus, quia privilegio communi toti ſtatui Clericali renunciare non poteſt. *Dixi* 2. & acceptata à concedente, hinc diſpenſatus, ut ducat conſanguineam, ſi nolit uti privilegio, ſi abjiciat vel laceret reſcriptum, ſi etiam aliam ducat, hac mortua poterit per prius privilegium ducere conſanguineam: ſimiliter illegitimus diſpenſatus ad Ordines, ſi uti nolit, & combuſſerit reſcriptum, atque etiam uxorem duxerit, poterit uxore mortua, per prius privilegium ordinari, quia renunciatio non eſt acceptata à concedente, cujus gratia manet data, neque opus eſt retineri reſcriptum, ita Sanch. & alii cum Caſtrop. *p.17.* & Illſ. *n.50.*

§.11. Privilegium non ceſſat per non uſum illius, ſi non 842
fuit occaſio vel poteſtas utendi; & licèt fuerit occaſio ac poteſtas utendi, ego autem etiam longo tempore uti noluerim, imò poſuerim actus illi contrarios, non ideò ceſſat, ſi ſit tale, ut neminem alium gravet, neminem autem gravant, v.g. privilegia non jejunandi, audiendi Confeſſiones quaſcunque, miniſtrandi Sacramenta, eligendi Confeſſarium &c. nam his potiùs levatur onus Ordinariorum: unde ut ceſſet per non uſum, requiruntur hæc quatuor, ſecundùm Laym. *l.1 T.4.cap.25.* 1. Ut oblata fuerit occaſio utendi. 2. Ut habita fuerit ſcientia talis privilegii; 3. Ut fuerit potentia tunc utendi: 4. Ut privilegium cedat in alterius gravamen, qui jam quaſi præſcribat, quod fieri poteſt etiam per actus contrarios, non tamen ſemper ſufficit decennium; & ita docent quoad omnes partes etiam Suar. Bonac. & alii cum Caſtrop. *p.18. & 19.* ſi tamen in privilegio adderetur, uti utaris illo pro tuo arbitratu, non peribit per non uſum neque per actus contrarios, neque per ullam præſcriptionem, uti tenent Baldus, Decius, Azor. & alii cum Caſtrop. contra Suar. & alios. Addit Luca *de Benef.d.29.n.24.* quando privilegium alicui Univerſitati ejuſque Capiti vel Principi conceſſum eſt, non uſum aliquorum non præjudicare illi.

§.12. Privilegium conceſſum non ſubdito tranſit in con- 843
tractum, & ideò revocari non poteſt, ita Suar. Bonac. & alii cum Dian. *p.4.T.1.R.82.* talia autem ſunt privilegia, quæ à Principe ſæculari conceduntur Eccleſiaſticis, uti ibidem docet Dian. & pluribus firmat *par.7. T.1. R.8.* Quod ſi Princeps conceſſerit privilegium alicui propter merita, erit ad modum contractus oneroſi vel donationis acceptatæ, & irrevocabilis, ideoque ſecundùm *Felin.* & alios revocari non poterit; limitant *Baldus & alii*, niſi ex juſta cauſa, de qua conſtet; nec ſatis eſt Principem dicere ſe habere juſtam cauſam, uti poſt alios oſtendit Dian. *par.8. T.6. R.122.* debetque præterea fieri compenſatio, ut docet Caſtropal. *par.21.§.2.* unde à potiori ſi privilegium conceſſum ſit cum contractu, v.g. ſub onere pretii ſolvendi vel operis exhibendi, non poterit validè revocari, niſi ratione utilitatis publicæ, & reddito pretio vel aliquo

æqui-

æquivalente præſtitis obſequiis, ita Lopez, Suar. Bonac. Leſſ. Sanch. & alii cum Caſtrop. ſuprà; poteſtque videri Carden. *in* 2. *criſi*, *d.*2.*n.*346. *& ſeqq.* Vide etiam dicenda *n.*858.

844 §.13. Conceſſo per privilegium uno, intelliguntur etiam conceſſa omnia, ſine quibus non poteſt commodè eſſe uſus privilegii, uti habetur *leg. penult. ff. de uſufructu*, docentque Nav. & Sà *num.*8. qui *num.*30. addit tuum ſocium etiam gaudere tuo privilegio, ſi hoc aliàs tibi eſſet inutile. Vida dicta *num.*800. & 801.

845 §.14. Riccius & alii multi cum Dian. *p.*8. *T.*3. *R.*99. docent, quòd privilegium vel facultas conceſſa retrotrahatur ad validandum actum præteritum, qui ſine ea facultate invalidè factus erat, ſic dicunt obtentam licentiam ad ædificandum molendinum extendi ad molendinum illicitè jam actu ædificatum; item licentiam obtentam ad acceptanda plura Beneficia incompatibilia, extendi ad illa jam acceptata; ſed probabiliùs dicitur non validari actus præteritos, ſed tantùm fieri, ut quod factum eſt, nunc licitè, & validè perſeveret.

846 §.15. Si plures ad eandem gratiam obtineant reſcriptum, ſi poſterius faciat mentionem prioris, præfertur priori; ſi autem ejus non faciat mentionem, prius prævalet poſteriori, niſi poſterius ſit ſpeciale, & prius generale, nam *generi per ſpeciem derogatur*, *Reg.*34. *de Reg. Juris in* 6. & hinc ſi prius ſit ſpeciale, & poſterius generale, prius prævalebit, ita Vallenſis cum Dian. *p.*8. *T.*7. *R.*4. Vide tamen Illſ. *num.*27. Addit Tiraq. *de privil. piæ cauſæ*, *privil.*26. privilegiatum contra privilegiatum non gaudere privilegio, ſi uterque ſit privilegiatus in ſpecie, ſecus ſi unus ſit privilegiatus in ſpecie, alter in genere, nam qui eſt privilegiatus in ſpecie, utitur contra alterum ſuo privilegio.

847 §.16. Quandoque eſt obligatio utendi ſuo Privilegio, uti rectè Neuſſer apud Gob. *in Exp. T.*5. *num.*711. in appendice, nam ſi ſit privilegium habilitativum, id eſt, tollens impedimentum vel difficultatem ad implendum præceptum, teneris eo uti, ut ſatisfacias præcepto, hinc ſi per privilegium privati Oratorii domi tuæ legatur Miſſa, teneris diebus feſtivis audire, licèt non tenearis procurare, uti dicetur *l.*3. *p.*1. *n.*676. Si autem privilegium ſit poteſtativum tantùm, id eſt, præcisè permittens aliquid, quod lex non permittit, non teneberis eo uti, uti colligitur ex *Cap. Si de terra*, *de privilegiis*, *& ex Regul.*61 *Juris in* 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur*, *non eſt in ejus diſpendium retorquendum*.

488 §.17. Communicatio, qua privilegia uni conceſſa, conceduntur alteri, non extenditur ad concedenda, niſi exprimatur: nam verba privilegiorum plus non operantur, quàm ſecundùm ſuam proprietatem ſignificent, uti notat Leſs. *ver. Privilegium*, *Caſu* 3. quomodo autem unus poſſit alterius privilegium participare, explicat Sanch. *in Conſ. l.*6. *c.*6. *d.*9. & videri debent dicenda *n.*854.

849 §.18. Quod aliquis poteſt ex privilegio conceſſo dignitati, vel ex officio, poteſt alteri committere, docetque Sà *n.*27. talia eſſe privilegia, quæ Prælatis Religionum conceduntur.

Quas pœnas incurrant, qui violant vel impugnant privilegia Regularibus conceſſa, videri poteſt apud Arſd. *p.*3. *T.*1. *De opin. probab. q.*25. *in fine*. Item vide hic dicta *n.*679.

850 *Q.*140. *Quid dicendum ſit de privilegiis vivæ vocis oraculo conceſſis?* Reſp. ſeqq.

§.1. Vivæ vocis oraculum ſecundùm Suar. *de legib. l.*8. *cap.*7. *num.*3. eſt privilegium à Pontifice conceſſum, ore prolatum, & ſufficienter dictatum, ut ſcribi poſſet, per accidens autem contingit, ut non ſcriberetur, vel certè non litteris Authenticis. Conſtat talia multa conceſſa fuiſſe Regularibus, quæ omnia anno 1622. die 2. Julii revocavit Greg. XV. per Bullam *Romanus Pontifex*: excipit tamen illa, quæ conceſſa fuerunt ad inſtantiam Regum, aut ſignata erant manu alicujus Cardinalis. Anno 1642. die 19. Aprilis confirmavit Urbanus VIII. pro Societate Jeſu privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa, uti refert Portell. *in Reſp. mor. p.*3. *cap.*52. per quam confirmationem privilegia omnia, etiam anteà per Gregorium abolita, reſtituebantur in integrum; ſed idem Urbanus anno 1631. die 20. Decembris per Bullam *Aliàs felicis recordationis*, iterùm abrogavit omnia planè privilegia vivæ vocis oraculo, etiam à ſe ad illud uſque tempus conceſſa, quamvis intuitu Regum, & licèt à Cardinalibus, ſubſcripta eſſent; hac autem Bulla comprehenduntur omnes omnino Regulares, etiam Soc. Jeſu.

851 §.2. Circa hanc revocationem certa videntur ſequentia, 1. non revocari privilegia vivæ vocis oraculo conceſſa ſæcularibus, uti rectè Gob. *in Exper T.*9. *num.*728. contra Dicaſt. quia Pontifices tantùm loquuntur de Regularibus, & verba in materia odioſa non ſunt extendenda. 2. Ob eandem rationem dicendum, nec revocari privilegia ab aliis quàm à ſummis Pontificibus viva voce Regularibus conceſſa, quia Bulla tantùm loquitur de privilegiis à *Sede Apoſtolica* conceſſis. 3. Quando Papa viva voce declaravit mentem ſuam circa aliquod decretum vel Bullam, talis declaratio non eſt conceſſio vivæ vocis, ſed eſt tantùm manifeſtatio intentionis, quam tunc temporis habuit Papa, hinc talis declaratio, quamvis per eam obtineatur quaſi extenſio privilegii, non revocatur revocatis privilegiis vivæ vocis, uti rectè Peyr. Gob. *n.*730. Card. *in* 2. *criſi d.*2. *num.*327. & ita reſpondit de hoc conſultus Card. de Lugo. 4. Si privilegium ſit ſemel viva voce, & alio etiam tempore conceſſum per Bullam, non revocatur per has Bullas, ſed vi Bullæ, qua datum eſt, durat, uti notant Dicaſt. & Gob. *n.*734. ſi tamen ſit per Bullam conceſſum; v.g. Ordini Carmelitano, & per vivam vocem aliis communicatum, putant Turr. Peyrin. & Bordonus per has Bullas non revocari, ſed probabilius eſt cum Gob. *n.*735. revocari, quamvis enim non ſit eadem ratio de his, quæ eſt de aliis, nullibi authenticè ſcriptis, tamen communicatio illa eſt privilegium vivæ vocis tantùm, & conſequenter revocatum eſt.

§.3. Adhuc ſunt AA, qui dicunt ex aliis fundamentis 852
probabile eſſe manere valorem privilegiorum vivæ vocis pro Regularibus: quod ſi probabile eſt, poterunt eis uti, nam in dubio, an revocatum privilegium, cenſeri debet non revocatum, quia eſt in poſſeſſione, & ſtandum eſt pro favore: quòd ſi fortè reipſa non ſubſiſtant ejuſmodi privilegia, Eccleſia ſupplebit, uti probat Card. à *n.*160.

§.4. Chaſſaing dicit manere ſaltem apud multos ejuſmo- 853
di privilegia, quia cùm Urbanus expreſsè mandet ſub graviſſimis pœnis, ut Bulla ſua apud omnes Religioſos publicetur, videtur ſequi, quòd ubi talis publicatio facta non fuit, Bulla non obliget; dicit autem *Chaſſ.* apud multos non eſſe publicatam: *ſed* ſententia illa eſt improbabilis, nam Pontifex nullo verbo inſinuat publicationem requiri ad obligationem, ſed mandat publicari, expreſsè addens, *ut quanto citius innoteſcat*: deinde jam eſt publica notitia illius apud omnes Regulares, ergo jam ſaltem eſt ſatis publicata, & conſequenter obligat.

§.5. Bonagratia *in Summula Regul. n.*419. rectè oſtendit, 854
quod vivæ vocis oracula non ſint revocata reſpectu Capuccinorum, expreſsè enim declaravit Urbanus: *in noſtra revocatione non intelliguntur vivæ vocis Oracula vobis Capuccinis conceſſa*: hinc inferunt aliqui nec revocata eſſe reſpectu eorum, qui cum Capuccinis communicant, quales ſunt ferè omnes Religioſi. *Contra* eſt, 1. Quia communicatio non habet locum in exorbitantibus, uti docent Tamb. *De jure Abbatum t.*1. *d.*17. *qu.*2. aliique cum Moya *T.*1. *t.*6. *d.*5. *q.*2. *num.*11. hæc autem gratia eſt exorbitans, & extraordinaria, conceſſa ex affectu ſpeciali, quem Urbanus habuit erga ordinem Capuccinorum, in quo erat frater ejus, uti inſinuat ipſemet Bonagratia. 2. Si mens Urbani fuiſſet ut alii in hoc communicare poſſent, fruſtra fuiſſet tam operoſa ejus revocatio, nam omnes ferè Ordines, ut dictum eſt, communicant ſaltem mediatè cum Capuccinis. 3. Saltem hoc non juvat illos, qui ſunt in Soc. Jeſu, quia Generalis illorum non declaravit ſe velle, ut in hoc communicent cum Capuccinis, talis autem declaratio, & facultas Generalis requiritur, uti expreſsè habet Greg. XIII. in Bulla, *Ad futuram*, anno 1575. data.

§.6. Lezana apud Gob. ſupra, itemque Portell. dicunt, 855
ſi aliquis Ordo privilegiis viva voce datis ſit uſus per longum tempus, illa nunc habere vim ex conſuetudine legitima, & rationabili, adeoque non tolli per Bullas Gregorii vel Urbani; quam ſententiam etiam plures tuentur apud Bonagratia ſuprà: *ſed* in contrarium eſt, quòd Pontifices ſciverint eſſe uſum eorum privilegiorum apud Regulares, nam Urbanus, ſic dicit: *Cùm experientia rerum magiſtra compertum ſit conceſſiones*, *& gratias vivæ vocis oraculo conceſſas ſæpè ab his*, *in quorum favorem emanarunt*, *minùs canonica interpretatione extendi*, *& perperàm in diſciplinæ Eccleſiaſticæ detrimentum executioni mandari*, *idcircò &c.* ergo ratione uſus contrarii ſaltem antecedentis non poteſt excludi Bulla Urbani: an autem nunc per uſum continuatum & conſuetudinem præſcriptum ſit à Regularibus, hoc eſt, quod quæritur: fatetur quidem Suar. *l.*8. *cap.*7. per uſum & conſuetudinem acquiri poſſe privilegium, ſed difficile eſt dicere ea omnia hic eſſe, quæ ad ſic præſcribendum requiruntur.

§.7. Refert Diana *p.*11. *T.*6. *R.*45. quòd S. Pius V. anno 856
1567. die 16. Maji per Bullam confirmet ex certa ſcientia omnia Mendicantium privilegia, etiam vivæ vocis Oraculo conceſſa: iiſdem ferè verbis confirmant privilegia Minorum Greg. XIII. die prima Maji 1575. Sixtus V. 3. Octob. 1587. Clemens VIII. 20. Decemb. 1597. qui ſic habet, *Omnia & ſingula privilegia*, *immunitates &c. in genere vel in ſpecie*, *etiam per ſolam ſignaturam*, *etiam vivæ vocis oraculo aut aliàs ſub quacunque forma*, *& expreſſione verborum conceſſa*, *& in eis contenta*, *illorum omnium tenores ac formas*, *& decreta*, *ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus*, *pro ſufficienter expreſſis habentes*, *Authoritate Apoſtolica*, *tenore præſentium ex certa ſcientia confirmamus*, *& innovamus*, *illiſque frui*, *uti & gaudere poſſe ac debere in judicio: & extra*, *in*

omnibus, & per omnia, ac ſi ſpecialiter, & expreſsè eiſdem per nos conceſſa fuiſſent, decernimus, ſupplentes omnes juris, & facti defectus: Similiter Paulus V. 23. Maji 1605. confirmavit privilegia Dominicanorum: Gregor. XIV. 8. Junii 1591. confirmat privilegia Societ. Jeſu, *Qualiacunque ſint, ac ſi ad verbum præſentibus inſererentur*: Iterùm Clemens VIII. duabus Bullis, annis 1592. & 1593. confirmat ſimiliter privilegia Benedictinorum: iterum Paulus V. anno 1606. confirmans Societatis Inſtitutum, ait, *nec non privilegia, facultates, gratias, & indulta qualiacunque illa ſint, approbamus & confirmamus*: ſimiliter confirmat privilegia Carmelitarum Diſcalceatorum: ex his Authores ad minimum 13. apud Carden. *num.* 314. & alii recentiores apud Illſ. *tom.* 1. *d.* 3. *num.* 69. & apud Gob. *num.* 736. & 737. inferunt: omnia vivæ vocis oracula ante hos Pontifices data illis Ordinibus aliiſque communicantibus cum ipſis, vim habere ex his Bullis, & eſſe æquivalenter ac implicitè bullata, adeoque revocata non eſſe per Gregor. XV. vel Urbanum VIII. hoc ipſum judicarunt alii viri docti: favetque Eſcobar *in Theolog. Moral. T.* 1. *l.* 6. *num.* 195. & Dicaſt. *de Pœn. d.* 10. *n.* 327. poſteà tamen quaſi abſtrahere volens addit: ſed quidquid ſit de his &c. Gob. poſt multa utrimque diſputata *n.* 738. ſubjungit ſibi adhuc probari doctrinam aliis ſapientiſſimis viris etiam probatam, videlicet tunc non eſſe ſolius vivæ vocis Oracula, ſed cenſeri bullata, quando ſunt data alicui communitati, cujus omnia privilegia data, & danda confirmavit ex certa ſcientia aliquis Pontifex per Bullam, Breve, vel Motum proprium, adeò ut hæc ſententia ab intrinſeco ſaltem videatur probabilis: *Ratio* autem intrinſeca eſt, quia privilegia vivæ vocis, quæ per Gregorium & Urbanum revocantur, ſunt privilegia non ſcripta ſeu non bullata, ſed privilegia per Bullas in genere confirmata, dici non debent non ſcripta vel non bullata, ergo hæc non revocantur; *Prob. Min.* ſunt ſcripta æquivalenter, & implicitè bullata, quia Pontifices dicunt, *ac ſi de verbo ad verbum inſererentur*, ergo abſolutè dici non debent non ſcripta, & non bullata, aut probari debet evidenter, quòd Gregorius & Urbanus, quando revocarunt, intellexerint etiam ſcripta æquivalenter, & implicitè bullata; alioquin judicandum eſt in favorem ipſorum, quia poſſident, nec verba in odioſis extendenda, ita illi. *Huic ſententiæ* contradicunt alii communiùs, nempè Dian. & Eſcob. ſuprà Mendo *d.* 8. *num.* 15. Lugo *in Reſp. Moral. lib.* 4. *d.* 33. *num.* 2. poſt omnes acerrimè Cardenas à *num.* 315. & Illſ. *num.* 70. cenſet improbabilem: Horum ratio reducitur ad hanc formam: privilegia illa revocantur, quæ non ſunt ſcripta expreſsè, & ſingulatim in litteris Apoſtolicis, ſed oracula vivæ vocis, quæ tantùm in genere confirmantur, non ſunt ſcripta expreſsè, & ſingulatim in litteris Apoſtolicis, ergo. *Major* probatur: mens Gregorii & Urbani fuit revocare has confirmationes generales Anteceſſorum ſuorum, & non probare alia, quàm expreſsè, & ſingulatim ſcripta in litteris Apoſtolicis, nam 1. Urbanus dicit cauſam revocationis eſſe hanc, quòd compertum ſit ſæpè minus canonica interpretatione extendi, ergo mens Pontificis eſt, ut per litteras Apoſtolicas conſtet de ipſis terminis conceſſionis, alioqui impediri non poterat illa extenſio, & minùs canonica interpretatio, ſed per generales confirmationes planè nil conſtat de terminis conceſſionis, manentque privilegia apta extendi per uniuſcujuſque interpretationem, ergo mens Pontificis fuit revocare confirmationes generales non habentes expreſsè, & ſingulatim verba conceſſionum. 2. Uterque Pontifex dicit ſe revocare omnia vivæ vocis oracula quomodocunque conceſſa, & non obſtantibus Conſtitutionibus omnibus, & litteris Apoſtolicis, quæ tali revocationi poſſent obſtare, ſed litteræ Apoſtolicæ ſic in genere confirmantes, poterant tali revocationi obſtare, ergo revocant illa, quamvis in genere confirmata per litteras Apoſtolicas. *Ratio* ulterior eſt, quia hæ Bullæ generaliter confirmantes relinquunt ea privilegia eſſe in ſua natura vivæ vocis oracula, quia non faciunt ea eſſe ullibi ſcripta in litteris Apoſtolicis, ergo relinquunt ſubjecta huic revocationi. Idem inde evincitur, quia ſi ſubſiſteret allata opinio, fruſtra fuiſſent Bullæ *Gregorii & Urbani*, nam præcedentes Pontifices non diù ante generaliter per Bullas approbarant Religioſorum privilegia etiam viva voce data, ergo omnia vi harum Bullarum facta fuiſſent bullata, ergo per operoſas illas *Gregorii & Urbani* Bullas fortè nulla aut perpauca revocarentur.

857 §. 8. Urgent aliqui, quòd *S. Pius V.* per Bullam confirmarit irrevocabiliter omnia privilegia quomodocumque data Mendicantibus: addens non poſſe revocari etiam per Sedem Apoſtolicam; quòd ſi revocentur, dat Generalibus Ordinum facultatem ea ſtatim reſuſcitandi ſub novo dato, acſi conceſſa eſſent poſt revocationem. *Hæc inſtantia* nullam vim habet, nam *S. Pius V.* potuit hoc ipſum revocare, quod ſic conceſſerat, ſi poſteà ſuborta fuiſſet juſta cauſa revocandi, ergo ſtante juſta cauſa etiam potuerunt *Gregorius & Urbanus* quia habuerunt æqualem poteſtatem, ſed fuit juſta cauſa, uti ipſi teſtantur, & revocare voluerunt, cùm dicant ſe revocare; non obſtantibus quibuſcumque Conſtitutionibus Apoſtolicis, ergo. Itaque privilegia Mendicantium non poſſunt revocari de poteſtate ordinaria, poſſunt tamen de plenitudine poteſtatis, & ex certa ſcientia, quibus ſe hic uti dicunt *Gregorius & Urbanus*.

§. 9. Alii opponunt, privilegia Mendicantium eſſe re- 858
muneratoria, Pontifices enim dicunt ſe concedere ob magna merita, ſed privilegia remuneratoria non poſſunt revocari, etiam de plenitudine poteſtatis, niſi fiat compenſatio, uti dictum eſt n. 843. ergo. *Contra eſt*, Si ſint remuneratoria ex ſolo debito congruentiæ vel gratitudinis, ut hæc ſunt, ſemper revocari poſſunt, quando expedit ad bonum commune, imò eorum conceſſio imbibit hanc tacitam conditionem, quamdiù expediet bono publico, ergo ſi per circumſtantiam abuſus, qualem hic fuiſſe teſtantur Pontifices, non ampliùs expediat bono publico, revocari poſſunt, etiam ſine ulla compenſatione, uti pluribus oſtendit Cardenas *à n.* 350.

§. 10. Dicunt alii: Caſſinenſes habere ſpeciale privilegium 859
Eugenii IV. propter quod non poſſint eorum privilegia revocari, nec cenſeatur derogari, niſi adhibeatur ſpecialis forma in eadem Conſtitutione præſcripta: Hinc ſolvunt ipſi Cameræ Apoſtolicæ annuum cenſum pro manutentione ſuorum privilegiorum, hinc quotannis cenſentur confirmari, & ex contractu oneroſo manere in ſuo vigore, ac conſequenter etiam pro aliis Ordinibus, qui communicant cum illis, ita Paſq. *de Sacrif. q.* 803. *n.* 13. *Sed* contra ſunt illa, quæ adduximus *n.* 854.

§. 11. Ad illud, quod *n.* 852. dicebatur, in dubio ſtandum 860
eſſe pro valore privilegiorum, *Reſpondet* Cardenas non eſſe ampliùs prudens dubium, ſed ſententiam ſuam, qua aſſerit revocata eſſe illa privilegia, certam eſſe ex principiis intrinſecis; & licèt oppoſita ſententia ſit intrinſecè probabilis, tamen illicitum eſt operari ex ſententia extrinſecè tantùm probabili, uti *n.* 369. dictum eſt, neque Eccleſia ſupplet, niſi opinio à Doctoribus communiter recipiatur tanquam verè probabilis, uti pluribus firmat *à num.* 372.

§. 12. Quod attinet ad revocationem oraculorum vivæ vo- 861
cis, quę concernunt Indulgentias, magni Doctores inquit Gob. *n.* 730. Eſcob. *n.* 199. cum Peyrinis, & Bordonio, quorum ſententiam probabilem cenſet *Lezana*, putant hæc non revocari, quia applicatio Indulgentiarum non eſt propriè privilegium: *Sed* oppoſitum ſuadent verba Pontificum, nam *Greg.* dicit ſe revocare omnia, & ſingula indulta, facultates, privilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque Spirituales, & Eccleſiaſticas, tam ad forum interius quàm exterius ſpectantes: *Urbanus* addit, omnia & ſingula privilegia, facultates, licentias & gratias quaſcumque, ſimulque repetit totam Bullam *Gregorii*: videtur verò Indulgentia contineri nomine gratiæ, & conceſſionis Spiritualis: idem colligitur ex titulo utriuſque Bullæ, nam Gregoriana habet, *Conſtitutio, quæ revocat conceſſiones quaſcumque vivæ vocis, &c. Urbani* autem, *Conſtitutio, qua revocat omnia vivæ vocis oracula, &c.* Quod attinet Indulgentias illas poſt viſitationem Collegiorum in Soc. Jeſu, cenſuit ac publicè edixit vir Eximius, & Provincialis, ſe inquiſiviſſe Romæ, & reſponſum eſſe, quod Urbanus interrogatus declaraverit ſe Indulgentias illas non revocare, quamvis alioquin viva tantùm voce datas, unde dicendum eſt adhuc valere. Videri poteſt Illſ. *à n.* 71.

§. 13. Vivæ vocis oracula impreſſa in antiquo compendio 862
Privilegiorum Soc. Jeſu perſonis privatis conceſſa ſine Bulla, ſunt ſequentia, verbo *Abſolutio §.* 2. 3. 4. 5. 7. *Apoſtata §.* 1. *Bulla Cœnæ §.* 2. *Communicatio §.* 3. 5. *Commutatio §.* 2. *Gratiarum uſus* §. 2. *Indulgentiæ §.* 1. *Reliquiæ. Viſitatores.*

Vivæ vocis Oracula ex participatione aliorum Ordinum, non bullata, verbo *Abſolutio* §. 8. 9. *Communicatio gratiarum §.* 7. *Concilium Trid. §.* 3. *Diſpenſatio §.* 3. 8. 9. *Eccleſia §.* 4. *Extrema Unctio. Familiaris §.* 3. 4. *Horæ canonicæ §.* 4. *Jejunium* §. 2. quoad illam partem, *Eaſdem indulgentias* &c. Item §. 7. 10. 11. 17. 21. 26. 28. 29. *Scrupuli* §. 2.

Privilegia, de quibus ignoratur, quomodo ſint conceſſa, verb. *Abſolutio* §. 10. *Alienatio* §. 5. *Apoſtatæ* §. 10. *Appellatio* §. 5. quoad eam partem, *Et per privilegium conceſſum Ciſterſienſibus. Benedictio* §. 3. *Bona Societatis* §. 5. *Conſervatores* §. 9. *Diſpenſatio* §. 4. 6. 7. quoad illam partem, *Per conceſſionem Eugenii. Exceptio* §. 11. 12. *Familiares* §. 1. quoad eam partem, *& per Conceſſionem Martini V.* Item §. 2. 5. *Horæ Canonicæ* §. 2. *Jejunium* §. 1. *Indulgentiæ* §. 2. quoad ultimam partem, *Et generaliter quando aliqua neceſſitate &c.* Item §. 8. 13. 14. 15. 18. 19. 20. *Infirmi* §. 2. 3. *Interdictum* §. 4. 5. *Prælati* §. 3. *Privilegia* §. 1. quoad ſecundam partem, *Quin verò &c.* Item §. 5. 6. 10. *Sacra §.* 1. 2. *Societas Jeſu* §. 2. quoad primam partem conceſſionis factæ Benedictinis.

Privilegia à Clemente VIII. conceſſa & ſubſcripta à Cardinali Toleto, 1. Ne in ſingulis domibus præter Confeſſarium ordinarium teneantur domus Societatis Jeſu deputare

duos

duos vel plures Confeſſarios, qui à reſervatis abſolvant: 2. Ut cùm prohibentur Superiores audire ſubditorum Confeſſiones, non intelligantur, qui ſunt Magiſtri Novitiorum: 3. Ne judicium abſolvendi à reſervatis univerſim Confeſſariis committatur, ſed liceat interdum Superiori pro ratione ſui officii hujuſmodi facultatem negare. Hæc ſi à *Toleto* tantùm ſubſcripta ſint, non ſunt quidem revocata per *Gregorium*, ſunt tamen revocata per *Urbanum*; niſi iterum præſcripſerit uſus.

Hæc ſunt, quæ in utramque partem invenire potui, de quibus relinquo judicium prudentioribus. Communis ſententia cum Carden. Illſ. Diana *p.* 11. *tr.* 6. *R.* 45. tenet eſſe revocata.

863 *Q.* 141. *An ceſſante fine legis in aliquo particulari, etiam pro hoc particulari ceſſet obligatio legis*, v.g. lex prohibet die Veneris carnes, ut ſic maceretur corpus, an ille, qui magis delectatur, & meliùs nutritur piſcibus quàm carne, poſſit die Veneris carnes comedere? Item, ſi lex præcipiat noctu manere domi propter rixas vitandas, an qui certus eſt non orituras, poſſit noctu exire? R. Ceſſare, negant ferè omnes, teſte Dian. *p.* 1. *tr.* 10. *R.* 28. ubi plurimos citat: ſequitur cum aliis Caſtrop. *tr.* 3. *d.* 5. *p.* 1. Illſ. *t.* 1. *d.* 2. *n.* 61. E contra ceſſare affirmant Arriag. Caram. Dian. *p.* 7. *tr.* 10. *R.* 33. aliique apud Pennaf. *de fide d.* 16. *n.* 46. item Scaccia, Navar. Henriq. Comit. uti putat Moya *T.* 1. *t.* 6. *d.* 4. *q.* 3. *n.* 18. quibus ex parte favet Card. *in* 1. *criſi d.* 62. *num.* 74.

864 §. 1. Supponenda ſunt ſequentia, 1. Finis legis poteſt ceſſare, vel contrariè vel tantùm negativè: tunc dicitur ceſſare contrariè, ſi reddatur illicitus aut impoſſibilis, v.g. lex præcipit jejunium, ut maceretur corpus, ſi tamen mulier gravida per illam macerationem exponeret fœtum periculo mortis, hic finis legis ceſſaret contrariè, quia hæc maceratio fieret illicita mulieri: ſimiliter ſi lex præcipiat contributionem propter ædificationem pontis, ſi pons ob difficultatem ſubortam ædificari non poſſit, finis legis ceſſat contrariè, quia ædificatio pontis facta eſt impoſſibilis. Tunc dicitur ceſſare tantùm negativè, ſi non reddatur quidem illicitus aut impoſſibilis, attamen per obſervationem legis non obtineatur finis intentus à lege, uti in illo, qui non macceratur per abſtinentiam à carnibus ſed magis delectatur, & nutritur per piſces. 2. Finis legis aliquando diſtinguitur à materia legis, uti vitatio rixarum diſtinguitur à manſione domi præcepta propter rixas vitandas; aliquando non diſtinguitur, ut ſi præcipiatur oratio propter cultum Dei, materia præcepti eſt oratio, quæ eadem etiam eſt cultus Dei. 3. Finis legis alius eſt adæquatus, alius tantùm inadæquatus; adæquatus eſt totum illud, ſive ſunt omnia illa quæ intenduntur à lege, & propter quæ obtinenda fertur lex; inadæquatus eſt aliquid ſeu aliqua pars illorum, quæ lex intendit.

865 §. 2. Sequentia videntur certa, 1. Si finis legis ceſſet contrariè, etiam ceſſat obligatio legis, uti patet, quia ad illicitum vel impoſſibile non poteſt dari obligatio. 2. Quando finis legis non diſtinguitur à materia legis, non poteſt ceſſante fine legis manere obligatio legis, uti etiam patet, ſi enim in illo ceſſet finis legis, etiam ceſſat materia, cùm finis, & materia ſint idem, ut ſupponitur, ubi autem non eſt materia legis, non poteſt eſſe legis obligatio, ergo.

866 §. 3. Si ceſſet finis legis tantùm inadæquatus, non ideò ceſſat lex, quando enim ſunt plures fines, licèt ſimul ſumpti faciant unicum totalem, & adæquatum, tamen deficiente uno, ſi alius maneat, hic cenſeri debet ſufficiens, adeoque hoc ſenſu adæquatus, in ordine ad movendum legislatorem, niſi conſtet de oppoſito, ergo quamvis ceſſaret finis inadæquatus legis, non ideò ceſſaret lex.

867 §. 4. Si finis adæquatus legis ceſſaret in aliquo particulari, etiam in eo ceſſaret obligatio legis, ita Nav. Cajet. Valent. Henriq. Tiraq. Hurt. Gran. aliique multi cum Carden. *n.* 40. & videtur certum, quia ſi lex obliget tantùm ſub certa circumſtantia, v.g. temporis vel loci, ceſſante hac circumſtantia ceſſat obligatio legis, quia nempè honeſtas ſpecialis, propter quam hic, & nunc lex erat, non poteſt hic & nunc attingi, atqui finis legis eſt primaria illius circumſtantia aut quaſi ſubſtantia, ergo ſi finis legis adæquatè ceſſet, ceſſat obligatio legis; *Conf.* nam lex, quæ injungit aliquid tanquam medium utile ad obtinendum finem, non obligat, ſi medium illud fiat inutile ad illum finem, uti per ſe patet, ſed quando finis adæquatus legis ceſſat, hoc, quod erat injunctum tanquam medium utile ad finem, jam eſt ad illum inutile, cùm enim finis ille ceſſet, & obtineri non poſſit, inutiliter poneretur aliquid tanquam medium utile ad finem, ergo ceſſante fine adæquato legis in aliquo particulari, lex eum non obligat.

868 §. 5. Probabilius videtur, quòd finis adæquatus legis humanæ non poſſit ceſſare quoad aliquem in particulari, ſi quoad communitatem maneat, ita AA. ſententiæ negativæ contra AA. affirmativæ: *Probatur* 1. quia finis inadæquatus, & quidem primarius omnium legum eſt, dirigere communitatem, hinc leges non reſpiciunt ſpeciales perſonas, caſus vel circumſtantias, ſed feruntur pro communitate, ſecundùm hoc, quòd communiter contingit, & quod communiter omnibus prodeſt vel obeſt, atqui hoc ſemper manet, licèt alii ſpeciales fines fortè ceſſent in aliquo particulari, v.g. licèt Titius non maceretur eſu piſcium, tamen homines communiter macerantur; licèt per me non ſint orituræ rixæ, ſi hac nocte exeam, tamen communiter oriuntur, ſi homines paſſim exeant &c. ergo in ejuſmodi caſibus ſemper manet finis inadæquatus, & generalis ejuſmodi legum. 2. Finis inadæquatus, & univerſalis omnium legum, ſaltem humanarum, eſt etiam uniformitas operandi in illa materia, quam lex præſcribit, uti doctè probat Suar. *de leg. lib.* 6. *c.* 7. *n.* 5. *& cap.* 9. *nu.* 16. difformitas enim in operando, per quam pars diſcreparet à toto, eſſet quædam illius totius deformitas, ſed hic finis ſemper manet, licèt alii ſpeciales fines in aliquo particulari ceſſent, ergo. 3. Legislator poteſt obligare, ut ſervetur lex ſua, etiam ab illo, in quo ſpeciales fines illius legis ceſſarent, dummodò non ceſſent in univerſum, ob rationes jam datas, atqui præſumendum eſt legislatorem ſic velle obligare, ergo. *Prob. Min.* nam alioqui daretur ſubditis occaſio ſæpè eludendi legem, quiſque enim ſibi facilè finget finem legis in ſe ceſſare, cùm è contra plerumque reſciri non poſſit, quos fines habuerit legislator, qui propterea etiam plerumque fert legem, non aſſignatis omnibus finibus illius, ergo. *Dixi* legis humanæ, propter dicenda *lib.* 2. *num.* 270.

§. 6. Ex dictis patet, quid ad quæſtionem initio propoſi- 869
tam ſit reſpondendum, nam ſi quæratur, an ſi ceſſet in uno vel altero particulari finis adæquatus legis, hic particularis liber ſit ab obligatione legis, negandum eſt ſuppoſitum, ſecundùm jam dicta *n.* 868. Si autem quæratur, an liber ſit, ſi finis inadæquatus in illo ceſſet, dicendum eſt non eſſe liberum, ſecundùm dicta *n.* 866.

§. 7. *Objicies* 1. Lex in præſumptione fundata ceſſat obli- 870
gare, ſi conſtet de contraria veritate, uti habet communis cum Sanch. Laym. Dian. aliiſque pluribus apud Suar. *lib.* 3. *c.* 23. quia *præſumptio cedit veritati*, argumento, *L. Continuus* 137. *ff. de verb. oblig. & L. ult. ff. Quod metus cauſa*, hinc ſi lex prohibeat famulari hæreticis, tantùm ob periculum perverſionis, ubi ceſſat hoc periculum, ceſſat lex, non enim eſt mens legiſlatoris obligare tunc, quando non eſt hoc, propter quod eſt lex, ſed ratio, cur legislator vellet etiam Titium obligari illa lege jejunii, eſſet præſumptio, quod etiam Titius maceraretur, ergo ſi hæc præſumptio non ſit vera, Titius non obligatur, ita Dian. *Reſpondet* 1. Suar. *diſt. Maj.* ſi lex fundetur in præſumptione periculi. N. quamvis enim periculum hic & nunc non ſit, tamen communiter eſt: ſi fundetur in præſumptione facti, quod ſcitur non extitiſſe, C. uti ſi lex obliget ad Matrimonium illos, qui diù convixerunt, quia præſumitur conſenſus in Matrimonium, ſi hic conſenſus non adfuerit, lex non obligat. R. 2. Negando *Min.* nam ratio movens legislatorem eſt bonum commune; item procuratio uniformitatis in operando: item præſumptio, quod communiter omnes macerentur, quæ præſumptio ſemper eſt vera.

Objic. 2. Si lex obliget totum hunc Epiſcopatum, & finis 871
legis ceſſet in hac urbe, etiam ceſſat in hac urbe obligatio legis, ergo etiam, ſi lex obliget omnes ſubditos, & finis ejus ceſſet in hoc ſubdito, in hoc ceſſat obligatio legis, ita *Arr.* R. Dato Antec. N. Conſeq. diſparitas eſt, quòd hæc urbs faciat perfectam communitatem, adeoque lex talis ſit virtualiter multiplex, unde ſi reſpectu hujus commmunitatis ceſſet finis, ceſſat adæquatus finis hujus legis, prout erat lex hujus communitatis: ſimile non eſt de ſingulis privatis, nam reſpectu privatorum nulla datur lex.

Objic. 3. Si lex Superioris prohibeat Religioſis, ne aſpiciant 872
per feneſtram, ut ſic conſulatur caſtitati, qui noctu in tenebris aſpicit, non peccat contra legem, quia in hoc caſu particulari ceſſat finis legis, ergo idem eſt in ſimilibus caſibus de omni alia lege, ita *Arr.* R. Lex illa nunquam prohibuit aſpicere in illis circumſtantiis, quia ſic eſſet irrationabilis, & de re inutili: itaque tantùm prohibuit, ubi ratione aſpectus erat ſecundùm ſe periculum, quamvis fortè per accidens ratione hujus vel illius ſubjecti non eſſet periculum.

Q. 142. *Quandonam univerſaliter ceſſet lex vel ejus obligatio?* R.

§. 1. In primis ceſſat, ſi abrogetur, poteſt autem abro- 873
gari, vel ab illo, qui tulit, vel ab ejus Succeſſore, vel ab utriuſque Superiore, non autem ab inferiore: abrogatur autem lex etiam tacitè, ſi Princeps videns non obſervari, etiam per paucos annos, non urgeat ejus obſervationem, cùm facilè poſſit, uti notat cum aliis multis Lugo *de juſtit. diſp.* 6. *num.* 92. Quòd ſi abroget expreſsè per voluntatem vel legem contrariam, tantò certiùs innoteſcit finis obligationis. Quòd ſi fuerit abrogata, deſinit illius obligatio apud omnes, etiamſi abrogatio non fuerit promulgata, dummodò voluntas abrogatoria fuerit exteriùs manifeſtata, ita Leſſ. *in auth. v. Matrimonium, cap.* 7. Illſ. *t.* 1. *d.* 2. *num.* 60. Per hoc autem diſtinguitur abrogatio à derogatione, quòd lex per abrogationem ceſſet ex toto,

per

per derogationem tantùm ex parte, uti fit per diſpenſationem, præſumptionem licentiæ, interpretationem, epiikiam, de quibus ante dictum eſt. Quòd ſi lex abrogetur per Conſtitutionem legis contrariæ, ſi lex abrogata contineatur in Corpore Juris, non eſt opus hujus fieri mentionem, quia ſupponitur ejus ſcientia in Superiore; ſi autem non contineatur, debet illius fieri expreſſa mentio, uti habetur *cap.1. de Conſtitutionibus in 6.*

874 §.2. Etiam ceſſat, ſi fiat præſcriptio aut conſuetudo contraria invaleſcat: putant autem Azor. Leſſ. Sà, Caſtrop. apud Lugo *num.91.* ſufficere 10.annos ad abrogandam legem etiam Canonicam, quia 10. anni in jure ſunt longum tempus: ſed univerſaliter dicendum: ſufficere illud tempus, quod judicio prudentum ſatis ſit, ut de vigente conſuetudine contraria ſufficienter inſtrui potuerit legislator, eamque cognitam tamdiù vigere permiſerit, ut meritò cenſeatur adeſſe ejus conſenſus ſaltem tacitus, ex quo nolit, ut lex ſua impoſterum ſubditos obſtringat.

875 §.3. Etiam ceſſat, ſi ceſſet tota cauſa finalis legis, uti dictum eſt in q.præced.

876 §.4. Non eſt idem de præcepto, quod de lege, nam præceptum particulari perſonæ injunctum communiter ceſſat morte mandantis, hinc *l.26.ff. Mandati*, dicitur, *Mandatum ſolvitur morte: Ratio eſt*, quia non fertur toti Reipublicæ, nec nomine illius, ſed nomine mandantis, & ob curam debitam ſingulari perſonæ, mandans autem emoritur, adeoque ceſſat ejus voluntas & cura reſpectu ſingularis perſonæ: è contra lex fertur toti Reipublicæ & nomine ſive authoritate illius, quæ non emoritur, ſed voluit ſuam & ſui curam eſſe perpetuam. *Dixi*, communiter, quia mandans poteſt per poteſtatem legislativam aliter diſponere, ſic enim mandare poteſt, ut aliquid poſt mortem ſuam executioni detur; item poteſt concedere alteri juriſdictionem, quæ, ſi cauſa fuerit inchoata, non definit morte mandantis; item præcepta, quæ ſunt in Bulla cœnæ, non expirant per mortem Papæ, ſed durant uſque ad promulgationem novæ Bullæ; ſimiliter in Societate JESU præcepta, quæ ponunt Generales, ſunt perpetua ex ſpeciali diſpoſitione Conſtitutionum, uti dictum eſt *n.566.* Videri poteſt Bonac. *de reſt.d.1.q.2.p.6.à n.24.* & Pirh. *l.1.t.29.ſ.7.*

877 *Q.143. An deſinat obligari, qui probabiliter judicat ſe non obligari lege?* R. Excuſatur ab obligatione, ſi occaſio ſit ſubita, & urgens periculum, ita ut non detur tempus conſulendi Superiorem, ita S.Th.Caj.Sot.Suar. *de leg. lib.6. c.8. à num.3.* Teril. *in Reg.q.59. aſſ.6.* Quòd ſi ad Superiorem recurri poſſit, Suar. *num.9.* dicit eſſe ſententiam communem uſu omnium piorum, & prudentum receptam, quòd recurri debeat, ſi non ſit in mora periculum. Similiter ſi judicari non poſſet probabiliter, ſed merè dubium eſſet, an caſus comprehendatur ſub lege, recurrendum eſt ad Superiorem, ſi fieri poſſit; ſi autem fieri non poſſit, ſervanda eſt lex, uti docent S. Th. Caj.Conr. Med. & in caſu patiente moram eſt per ſe evidens, inquit Suar. *num.10.* quod plerique etiam dicunt, licèt ſit caſus ſubitus, quia tum poſſidet lex, nec poteſt prudenter deponi dubium, niſi fortè eſſet conflictus alterius legis etiam ſub peccato obligantis, cujus tranſgreſſio videretur eſſe majus peccatum. Vide dicta *à num.598.*

878 ## APPENDIX.

De citatione Legum.

POſt Tractatum de legibus convenit deſignare libros, quibus continentur leges, item modum, quo libri illi, & leges citantur. Libri, quibus continentur leges, præter S. Scripturam, præcipuè ſunt Corpus Juris Canonici & Corpus Juris Civilis, de utroque do magis neceſſaria ſcitu.

§.1. Per Jus Canonicum intelliguntur leges ſive Regulę rectè vivendi (nam κανὼν idem eſt quo Regula) à ſummis Pontificibus vel Conciliis conſtitutæ aut approbatæ; aliter vocatur Jus Pontificium, Sacrum, & quandoque, ſed latè, Divinum, uti habetur *c.cùm de diverſis, 2.de privil.in 6.* Et ſpecificè, *Canon*, eſt lex edita à Concilio generali: *Decretum* eſt Conſtitutio edita à Papa non conſulto: *Epiſtola decretalis* eſt, Conſtitutio reſcripta à Papa conſulto; *Dogma* eſt Conſtitutio doctrinalis circa fidem: *Mandatum*, Conſtitutio circa mores: *Interdictum* Conſtitutio prohibens ſine pœna; *Sanctio*, Conſtitutio prohibens ſub pœna, ita Glof. *in decret.* Gratian. *diſt.3. v.Omnes.* Jus Canonicum univerſum habet ſex partes.

Pars 1. eſt decretum *Gratiani*, id eſt, varia dicta Pontificum, SS.PP. & Conciliorum collecta à *Gratiano* Monacho Benedictino circa annum 1151. In hac parte *Gratianus* multa addidit de ſuo, vel ex legibus civilibus, quæ non habent authoritatem, niſi illam, quam conciliant eorum Authores, uti rectè Suar. *de leg.l.4.c.5. n.7.* Vide etiam Valens *in proluſ. ad Conc. Juris Pontif.* & Phœb. *in proœm.§.3.n.7.* E contra quæ *Gratianus* citat dicta vel approbata à Pontificibus aut ab Eccleſia, habent authoritatem. Hoc decretum habet tres partes. *In parte* 1. ſunt diſtinctiones centum, & una, quæ ſubdividuntur in ſuos Canones ſeu Capitula, & ſic citantur, *c. Placuit*, 4. *diſt.16.* vel ſic, *diſt.16. Placuit*, id eſt, Canone, qui incipit, *Placuit*, & eſt ordine quartus, in diſtinctione decima ſexta. *In parte* 2. ſunt 36. cauſæ, quæ habent ſuas quæſtiones & Canones, ſic autem citantur, *C.Conqueſtus* 8.*q.3.* id eſt, Canone; qui incipit, *Conqueſtus* & eſt octavus in cauſa nona, & in hujus cauſæ quæſtione 3. Quòd ſi ſit ex tractatu de pœnitentia, qui inſeritur in cauſæ 33.quæſtione 3. & habet ſeptem diſtinctiones, citatio ſic fit, *C.Pœnitentes* 10.*diſt.3.de Pœn.* id eſt, Canone, qui incipit, *Pœnitentes*, & eſt decimus, in diſtinctione 3. de Pœnitentia. *In parte* 3. agitur de Conſecratione per quinque diſtinctiones, quæ in ſuos Canones diviſæ ſunt, ſicque fit citatio, *C.Relatum* 11. *diſt.2. de conſecr.* Id eſt, Canone, qui incipit, *Relatum*, & eſt undecimus, in diſtinctione ſecunda de Conſecratione. His ſubjungi ſolent quadraginta ſeptem Canones Pœnitentiales, qui ſic citantur, Can. Pœn. Item octoginta quatuor Canones, quos Apoſtolicos vocant, dicunturque collecti per Clementem Papam, & ſic citantur, Can. Apoſt.

Pars 2. Juris Canonici ſunt libri quinque Decretalium, id eſt Conſtitutiones & Epiſtolæ Pontificum juſſu *Gregorii IX.* collectæ *à S.Raymundo de Pennafort Ordinis S. Dominici* circa annum 1234. & habent ſuos titulos, hi autem ſua Capitula, & ſic citantur, *C.Damnamus de Summ.Trin.* id eſt, Capite, quod incipit, *Damnamus*, in titulo, de Summa Trinitate. Quandoque apponitur, *extra*, vel ex, quo ſignificatur, quod ſit extra Decretum *Gratiani*; ſed non eſt opus hoc addi, nam hoc ipſo quòd nihil addatur, intelligitur eſſe in libris Decretalium Gregor.IX. Gloſſator Decretalium eſt *Bernardus Parmenſis*. Materiæ ſingulorum librorum continentur hoc verſu, *Judex. Judicium. Clerus. Sponſalia. Crimen.*

Pars 3. Eſt liber ſextus Decretalium, Authoritate Bonifacii VIII. compilatus *à Guilielmo Ebredunenſi, Berengario Biterrenſi*, & *Richardo Senenſi* circa annum 1297. qui dividitur in alios quinque libros reſpondentes quinque libris Decretalium. Libri illi dividuntur in ſuos titulos & capitula, fit autem citatio, addendo, in 6.v.g. *C.Ut ſuper 4. de appel.in 6.* id eſt, Capite, quod incipit, *Ut ſuper*, & eſt quartum, in titulo, de Appellationibus, in libro ſexto Decretalium. Gloſſator hujus libri eſt *Joannes Andreæ*, Bononienſis, Juriſc.

Pars 4. Sunt Clementinæ; id eſt, Conſtitutiones partim editæ à *Clemente V.* in Concilio Viennenſi, partim ejus juſſu collectæ, & poſt ejus mortem promulgatæ à *Joanne XXII.* circa annum 1317. & dividuntur in 5. libros, hi in titulos & Capitula: fit autem citatio tantùm addendo Clement. v.g. *C.Sicut, de Appel.Clement.* id eſt, Capite, quod incipit, *Sicut* in Titulo de appellatione, in Clementinis: vel ſic, Clem. un. de rer.permut. id eſt, in Conſtitutione Clementina unica, Titulo, de rerum permutatione; & dici tur, unica, quia titulus ille habet unicum Capitulum. Quòd ſi Capitulum ſit paſſim notum, omiſſo titulo dicitur, Clement. *Exivi*, id eſt, in Clementina, quæ incipit, *Exivi*: quandoque etiam ſic, *Clem.V.* Extrav. *Exivi*, id eſt, *Clemens V.* in Extravagante, quæ incipit, *Exivi*, Gloſſator eſt idem *Jo. Andreæ*.

Pars 5. Sunt Extravagantes Joannis XXII. id eſt, viginti Conſtitutiones editæ à Joanne XXII. quæ dicuntur Extravagantes, quia vagantur per varias materias, ultra illas, quæ in libris Decretalium habentur; citantur autem addito nomine hujus Papæ, v.g. Extrav. *Execrabilis* Jo.XXII. id eſt, in Extravagante Joannis XXII. quæ incipit. *Execrabilis*. Gloſſator eſt *Zenzelinus de Caſſanis*.

Pars 6. Sunt extravagantes communes, id eſt, Conſtitutiones, quæ poſt priora omnia emanarunt à diverſis Pontificibus, & dividuntur in 5. libros, hi in titulos, & capita, ſicque citantur, Extrav. *Unigenitus de pœn. & remiſ.* id eſt, Extravagante, quæ incipit, *Unigenitus*, in titulo de pœnitentiis & remiſſionibus. Gloſſas addiderunt *Joannes Monachus*, *Guilielmus de Monte Lauduno*, & *Joannes Franciſcus de Pavinis*.

Corpori Juris Canonici aliquando reperitur adjectus liber ſeptimus Decretalium collectus à *Petro Matthæi* Juriſconſulto Lugdunenſi, ſed hic, prout nunc eſt editus, non eſt authoritate publica in Corpus Juris Canonici receptus, licèt habeat Conſtitutiones reipſa obligantes, quales ſunt decreta & Canones poſteriorum Conciliorum uſque ad Tridentinũ incluſivè: item Conſtitutiones varias aliorum Pontificum: unde eò etiam poteſt referri totum Bullarium, id eſt, Volumina, quibus continentur Bullæ omnes Pontificum, quamvis vim legis non ideò habeant, niſi aliunde conſtet eſſe authenticas & originali ſuo conformes, uti rectè Plettemb. *in Introd. ad Jus Canon. c.19.* Notat autem Fagn. apud eundem Plett. *cap.25.* librum illum ſeptimum authoritate Clementis VIII. aliter editum, adhuc tamen ſupprimi, quominus publicetur. Citatio illius fit, uti libri 6. Decretalium, loco illius, in 6. addendo in 7.

§.2. Per

879 §.2. Per Jus Civile hic intelligitur jus Cæſareum ſive collectio legum, quibus omnes Imperio Romano ſubjecti diriguntur ad pacem, tranquillitatem, aliaque commoda temporalia & publica. Cœptum eſt colligi in ordinem circa annum 528. tempore *Juſtiniani* Imperatoris: dividitur autem ab aliquibus in tres partes: à quibuſdam in quatuor; ab aliis commodiùs in quinque.

Pars 1. Sunt Inſtitutiones *Juſtiniani*, quæ ſunt veluti elementa & compendium totius juris civilis: conſtantque libris quatuor in ſuos titulos, & paragraphos diſtributis; & ſic citantur, §. *Feræ*, *Inſt. de rer. divi∫.*. id eſt, paragrapho, qui incipit, *Feræ*, in Inſtitutionibus, Titulo de rerum diviſione.

Pars 2. Sunt 50. libri Pandectarum à *πᾶν totum* & *δέχομαι contineo*, quia continent totum jus: aliter dicuntur Digeſtum ſeu libri Digeſtorum, collecti juſſu *Juſtiniani* per 37. Juris peritos, quorum tandem ſedecim labore triennali bis mille libros contraxerunt in illos quinquaginta. Primi 24. libri ſunt Digeſtum vetus: Sequentes 14. dicuntur Infortiatum, non ſcitur autem ſatis origo vel ſignificatio illius nominis, niſi quòd Phæbeus §. 2. *n.* 7. dicat fortè ideò ſic dici, quia continent leges circa teſtamenta & ultimas voluntates: quæ ſunt *fortiſſimæ* & irrevocabiles. Reliqui dicuntur Digeſtum novum. Hi libri diviſuntur in titulos; tituli in leges; leges, ſi magnæ ſint, in paragraphos. Pro digeſtis fit hoc ſignum, ff. deberet autem eſſe π græcum, ſignificans pandectas, quod π per celeritatem ſcribendi & abuſum, eſt converſum in ejuſmodi duplex ff. quandoque etiam ponitur D. id eſt, Digeſtum, quandoque DD. vel PP. id eſt, Digeſta vel Pandectæ, unde citatio ſic fit, *l. Si quis vi*, §. *Differentia*, *ff. de acq. poſſ.* id eſt, Lege, quæ incipit, *Si quis vi*, paragrapho illius legis, qui incipit, *Differentia*, in Digeſtis, Titulo de acquirenda poſſeſſione.

Pars 3. Eſt Codex novus (nam ante hac fuit antiquus, dictus Juſtinianeus, qui emendatus fuit) conſtans 12. libris in titulos & leges diſtributis, quorum tres poſteriores quandoque ſeparatim compinguntur & dicuntur Volumen. Et pro Codice fiunt citationes plerumque per majuſculam litteram C. Porrò primi 9. libri citantur ſine addito; pro tribus ultimis additur numerus libri, ideoque ſi numerus non addatur, eſt ex novem primis libris, v.g. *L. Inteſtamento*, *C. de teſtam.* id eſt, Lege, quæ incipit, *Inteſtamento*, *in Codice*, *Titulo*, *de teſtamentis*. *L. Omnes profugi*, *C. De agricolis l.* 11. id eſt, Lege, quæ incipit, *Omnes profugi*, *in Codice*, *Titulo de agricolis*, in libro undecimo Codicis.

Pars 4. Sunt Authenticæ ſeu Novellæ, ad quas pertinent, in primis Conſtitutiones 168. collectæ in 46. titulos in ſua capita diſtributos; hi autem tituli rediguntur ad 9. Collationes. Accedunt *Juſtiniani* Edicta tredecim, quæ etiam in ſua capitula diviſuntur: Item Novellæ *Juſtini*, Conſtitutiones *Leonis*, *Tiberii*, & *Juſtiniani*: Item 113. Conſtitutiones *Leonis*, quas vocant correctorias Legum repurgationes: Item variæ aliæ Conſtitutiones Imperatoriæ, quibus in recentibus impreſſionibus adduntur Canones Apoſtolorum. Citationes ſic fiunt. *C. Sed tamen*, Auth. ſeu Nov. 129. de Samaritis, Col. 9. id eſt, Capite, quod incipit, *Sed tamen*, Authentica ſeu Novella 129. Titulo de Samaritis, collatione nona. Pro Edictis *Juſtiniani* apponitur littera E. & numerus Capituli; Pro Novellis *Juſtini*, Littera N. I. pro Novellis Leonis, N. L. pro Conſtitutionibus Imperatoriis, C. I. Reliqua vix citantur, vel exprimuntur longiùs.

Pars 5. Sunt feudorum conſuetudines, quæ conſtant duobus libris in ſuos titulos ac paragraphos diviſis; adjiciuntur Conſtitutiones quædam *Friderici II.* Item Extravagantes: ac denique Liber de Pace. Citatio fit hoc modo; F. vel Feud. De prohib. feud. alien. per Frid. §. *Calidis inſuper*, id eſt, in libris Feudorum, Titulo de prohibita feudi alienatione, per Fridericum, paragrapho, qui incipit, *Calidis inſuper*. Reliqua longiùs citantur.

Quomodo Leges Juris Civilis quandoque diſcrepent & ſæpè corrigantur à Jure Canonico, videri poteſt apud Plett. *à cap. 6. uſque ad* 11. in quibus autem abſolutè ſequendum ſit Canonicum præ Civili, notat Engel. *in proœm. ad Colleg. Juris Canon. num.* 19. Denique quomodo variæ Leges, quæ ſibi Contrariæ videntur, explicari debeant & ad conſenſum adduci oſtendit Feneck *in Additamento poſt Flores caſuum*, editos Coloniæ anno 1692.

LIBER SECUNDUS.

De Præceptis virtutum Theologicarum.

1 

Væſtio 1. *Generalis hìc eſt, An ſit ſpeciale præceptum eliciendi actus fidei, ſpei & charitatis?*

Reſp. Præter alios negavit Janſenius, uti refert du-Bois *ad propoſ.* 1. *ab Alexan. VII.* damnatam, *a.*1. ſed oppoſitum eſt nunc certum, poſtquam idem *Alex.* die 24. Septembr. anno 1666. damnavit hanc 1. propoſ. *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*: Itaque certum eſt Deum præcipere, ut actus illi eliciantur: cùm autem præcepta illa non determinent tempus, quando actus illi elici debeant, concludit du-Bois *a.*5. quòd obligent primo quoque tempore, uti dictum eſt *lib.*1. *n.*587. hinc obligant ab initio uſus rationis, quando homo jam agnoſcit Deum, & capax eſt intelligendi ea præcepta, ita ut ſit mortale diù negligere vel differre illos actus.

Prætereà etiam certum videtur, quòd ſit obligatio eos actus eliciendi ſæpius in vita, uti conſtabit ex ſequentibus; quandonam autem, & quàm ſæpè, manet dubium, circa quod in decurſu referemus ſententias: conſultum eſt, ut eliciantur quàm ſæpiſſimè, tum quia maximè neceſſarii ſunt & meritorii, tum ut præceptis illis divinis certò ſatisfiat. Vide dicenda *à n.*50.

TRACTATUS PRIMUS.

De Præceptis Fidei.

CAPUT PRIMUM.

Quæ Myſteria Fidei neceſſariò credenda ſint.

2 „ EX iis, quæ fideles explicitè credere tenentur, quædam
„ neceſſariò credenda ſunt, neceſſitate medii, ſeu finis,
„ ſine quibus, etiam inculpabiliter ignoratis, finis ultimus
„ obtineri nequit: alia neceſſitate præcepti, ſine quibus in-
„ culpabiliter omiſſis finis poteſt obtineri. Sanch.2. *Moral.*
„ *cap.*2. Azor. Valent.

„ Reſp.I. Neceſſitate medii neceſſaria ſunt hæc duo, 1. Explicitè credere Deum eſſe, & remuneratorem bonorum eſſe, juxta illud Apoſtoli *ad Hebr.*11. *Credere oportet.* Trid. *ſeſſ.6. c.*8. 2. Poſt ſufficientem Evangelii promulgationem credere explicitè, ut vult Mol. aut ſaltem implicitè, ut probabiliter quidam docent, cum Kon. & Laym. Chriſtum & Sanctiſſimam Trinitatem, V. Eſcob. *Ex.*2. *c.6. n.*20. ubi ex Vaſq. *lib.*2. *d.*126. *c.*3. docet culpabilem ignorantiam horum myſteriorum, ſive negligentiam ea diſcendi, eſſe grave peccatum, diſtinctum ab eo, cujus eſt cauſa. V. Dian. *p.*3. *tr.*5. *R.*47 *&* 48.

„ Porrò implicitè credere dicitur, qui credit aliquid explicitè, in quo alterum implicitè eſt; v.g. ſi credas, quod credit Eccleſia. V. Schol. & Laym. *l.*2. *tr.*1. *c.*8.

„ Reſp.II. Neceſſitate præcepti, quivis fidelis ſub mortali explicitè credere, & ſcire, craſſò ſaltem modo & quoad ſubſtantiam tenetur hæc: 1. Symbolum. 2. Orationem Dominicam. 3. Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ. 4. Sacramenta maximè neceſſaria; ut Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pœnitentiam: reliqua autem tunc, quando vult ſuſcipere. Suar. Sanch. Fill. *tr.*22. *num.*39. Quæ omnia intellige, niſi impotentia, aut invincibilis ignorantia excuſet, *Unde reſolvitur*,

„ I. Non omnes tenentur ſub mortali hæc prædicta ſcire memoriter, aut eo ordine, aut iis verbis, quibus proponuntur; ſed quoad Orationem Dominicam, ſcire, omnia bona petenda eſſe à Deo, quæ eſt ejus ſumma; quoad Symbolum verò, Præcepta, & Sacramenta, ſufficit, ſi quis interrogatus de ſingulis rectè reſpondeat. Bon. *to.*2. *d.*3. *q.*2. *p.*2. Laym. *c.*9. Sanch. *l.*2. *c.*3.

„ II. Quamvis ſit præceptum Eccleſiæ diſcendi memoriter Symbolum, & Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, velitque Barboſ. *p.*3. *c.*27. non eſſe abſolvendum, qui ob negligentiam, vel verecundiam ea addiſcere non curat; conſuetudo tamen, ut notat Nav. & Lopez, expoſuit obligationem non eſſe ultra veniale, uti nec eſt ultra veniale, neſcire facere crucem, ut docet Sanch. contra Sylv. qui docet eſſe mortale.

„ III. Moraliter nihilominus neceſſarium eſt, ut rudiores memoria teneant Symbolum ſua lingua, quia alioqui non poſſunt habere ſufficientem cognitionem Articulorum.

„ IV. Falſa eſt opinio quorundam Canoniſtarum, ruſticis eſſe ſatis, articulos fidei, aliaque dicta credere implicitè, credendo quidquid credit Eccleſia.

„ V. Excuſantur ii, quibus aut defuit Doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio ſimilia diſcendi; aut qui nimis ſunt rudes, ita ut non poſſint ea comprehendere aut retinere: quod ſæpè contingere docet Azor. & Bec. contra alios.

„ VI. Si Confeſſarius probabiliter judicet pœnitentem ignorare ex doctrina Chriſtiana ea, quæ ſcire tenetur (quod de litteratis, vel benè educatis, vel frequenter confitentibus præſumendum non eſſe monet Sanch.2. *mor.cap.*3.) debet eum interrogare de negligentia in iis addiſcendis, cùm per eam plurimi graviter peccent. Ledeſm. Azor. *t.*1. *l.*8. *c.*8. Trull. *l.*1. *c.*1. *d.*4.

„ VII. Poſſunt abſolvi (contra *quoſdam*) qui ignorant ea, quæ ſub mortali ſcienda eſſe dixi. Ratio, quia licèt peccarint omittendo diſcere, poſſunt tamen de hoc dolere, cum propoſito diſcendi. Sanch. Quod ſi tamen ignorarent ea, quæ neceſſitate medii ſcienda ſunt, deberent inſtrui ante abſolutionem. Bon. *d.*3. *q.*2. *p.*2. Sanch. *n.*21.

„ VIII. Parochus ſuas oves (ſicut parentes liberos) tenetur ſub mortali, per ſe vel alium docere, ea ſaltem, quæ ſub mortali ſcire tenentur. Sanch. *l.c.* Fill. *tr.*22. *num.*47. Palaus, Kon. &c.

ADDENDA.

3 *Quæſt.*2. *Quid notandum ſit circa varias propoſitiones in hac materia damnatas?* R. ſeqq. §.1. Conc. Rhemenſe anno 1148. damnavit hanc prop. Petri Abailardi, *Nihil credendum eſt, quòd excedat noſtri intellectus virtutem*: unde certum eſt nos teneri multa credere quamvis excedant captum noſtri intellectus, uti ſunt myſteria SS. Trinitatis, Incarnationis, &c.

4 §.2. Inter propoſ. ab *Innoc. XI.* damnatas hæc eſt 19. *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium*; ex qua damnatione colliguntur ſequentia. 1. Voluntas in rebus inevidentibus habet quoddam imperium politicum in intellectum, ſive, habet vim inclinandi illum & determinandi ad unam partem præ altera, non obſtante ratione in oppoſitum. 2. Cùm actus fidei ſit inevidens, ad illum prærequiritur pia motio voluntatis inclinantis intellectum ad aſſenſum, nam motiva de ſe obſcura non neceſſitant intellectum, ergo debet voluntas intellectum applicare potiùs ad aſſenſum quàm ad ſuſpenſionem aſſenſus; & per hoc etiam habetur libertas fidei. 3. Quò voluntas magis inclinat, tantò firmius aſſentitur intellectus, etiamſi motiva ex parte intellectus, non ſint majora, uti pluribus evincit Carden. *in* 1. *criſi d.*13. *& l.*1. *à n.*398. *&* 414. ſatis explicavimus. 4. Ad actum fidei non ſufficit, quod voluntas non repugnet, ſed requiritur imperium poſitivum, cùm enim repugnantia ſit ſemper æqualis, & relinquat intellectum æqualiter indeterminatum, ſi non adveniret poſitivum imperium, voluntas nunquam faceret, ut aſſenſus eſſet jam magis jam minus firmus, uti rectè expendit Carden. *c.*3. 5. Certum eſt voluntatem poſſe facere, ut aſſenſus fidei ſit in ſe firmior, quàm mereantur motiva credibilitatis impellentia ad judicium de honeſtate & neceſſitate fidei, de illis enim ſolis motivis videtur explicanda propoſitio damnata, uti rectè Illſ. *t.*3. *n.*7. nam motivum ipſiuſmet fidei eſt ſemper dignum ſumma firmitate aſſenſus.

5 §.3. Prop.20. ab eodem *Innoc. XI.* damnata eſt hæc, *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat, ſupernaturalem*: ex qua damnatione conſtat, quòd is, qui ex rationibus ſufficientibus habuit aſſenſum ſupernaturalem fidei, non poſſit pro libitu ſuo repudiare illum, ſed teneri credere, quamdiu manet pondus illarum rationum. Per hoc tamen non damnatur ſententia eorum, qui dicunt hominem infidelem, cui religio catholica proponitur ut probabilior, ſi ſtatim adhibeat debitam diligentiam ad aſſequendam certitudinem, poſſe ſuſpendere aſſenſum, donec aſſequatur illam, uti rectè Carden. *cap.*4. cùm enim aſſenſus fidei debeat eſſe, non tantùm

certus

certus, ſed etiam firmus ſuper omnia, nemo poteſt obligari ad eum eliciendum, donec habeat ea motiva, quæ apta ſint inducere eam certitudinem & firmitatem. Nec damnatur ſententia illorum, qui dicunt, ſi motiva pro fide noſtra deſinerent alicui eſſe probabilia, & è contra motiva pro errore oppoſito fierent moraliter certa, idque invincibiliter, poſſe talem hominem ad tempus ſuſpendere aſſenſum fidei, donec iterum comperiſſet veritatem, nam hæc prop. damnata eſt illativa, uti conſtat ex particula, *hinc*, eſtque veluti concluſio deducta ex prop. 19. antecedente, ita ut dicat poſſe pro libito voluntatis repudiari aſſenſum fidei, quando habitus eſt, & illum adhuc meretur pondus rationum ad eum impellentium, quod falſum eſt: in altero autem caſu pondus rationum non amplius meretur aſſenſum, quia probabilitas earum eſſet eliſa per motiva in oppoſitum moraliter certa, uti ſupponitur.

6 §. 4. Prop. 21. ab eodem Innoc. XI. damnata eſt hæc, *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, an ſit locutus Deus*: ex qua damnatione ſequentia deducuntur, 1. ad actum fidei ſupernaturalem neceſſarium eſt, ut credens ſit certus, quòd Deus revelarit hoc, quod ipſe credit: non videtur tamen opus eſſe, ut ea certitudo oriatur ex argumentis, alioquin homines rudes & pueri vix unquam credere poſſent, cum non capiant illam evidentiam argumentorum, quæ ſunt pro credibilitate myſteriorum revelatorum; itaque ſufficiet certitudo, ſive oriatur ex argumentis pro fide ipſa, ſive oriatur ex lumine ſupernaturali ſeu illuſtratione Dei, quæ ſequitur poſt cognitionem probabilem revelationis, & à Deo datur ante omnem actum fidei, tollitque omnem formidinem de oppoſito, uti rectè Carden. *d.* 14. *c.* 3. vide tamen dicenda *à n.* 43. 2. Propoſitiones, quæ tantùm probabiliter continentur ſub aliqua univerſali revelata, non poſſunt credi fide divina, v. g. hæc univerſalis eſt revelata, *Omnis fidelis, qui ritè abſolvitur à peccatis ſuis, conſequitur Dei gratiam*; illa autem particularis ſive ſingularis, *ego fidelis, qui ritè ſum abſolutus à peccatis meis, ſum conſecutus gratiam*, non poteſt credi fide divina, quia tantùm probabile eſt me eſſe ritè abſolutum, neque de eo poteſt haberi ſufficiens certitudo, ergo prudenter non poſſum mihi de eo imperare aſſenſum fidei ſuper omnia firmum: ſimiliter non poſſum per actum omnimodè abſolutum credere hanc determinatè hoſtiam eſſe conſecratam, quamvis enim hæc univerſalis ſit revelata, *Chriſtus eſt præſens ſub omni hoſtia ritè conſecrata*, tamen probabile tantùm eſt hanc determinatè hoſtiam eſſe ritè conſecratam, poſſet enim, qui conſecrare debuit, non habuiſſe intentionem, omiſiſſe verbum aliquod, non eſſe ritè baptizatus vel ordinatus &c. nos autem credimus hanc determinatè hoſtiam eſſe conſecratam ſub conditione implicita, ſi adfuerint neceſſaria: aliquis tamen imprudenter faceret, ſi ad hanc conditionem ſe reflecteret, quando vult de hoc elicere actum fidei, multò minus debet de eo cogitare, quando adorat hoſtiam, nam adoratio fieri debet abſolutè, ſupponit enim duos actus, nempè actum fidei, qui implicitè includit eam conditionem, & actum prudentiæ, qui dictat non poſſe hic, & nunc dubitari de vera conſecratione, cùm non occurrat prudens motivum dubitandi, ideoque jam intelligitur purificata illa conditio, & ideo adoratio procedit abſolutè & ſine conditione, uti rectè Carden. *cap.* 2. 3. Ille non eſt martyr, qui moritur pro aliqua veritate, quam tantùm probabiliter judicat eſſe de fide, uti pluribus oſtendit Carden. *à n.* 82. Si autem moraliter certum ſit, quòd aliqua propoſitio particularis contineatur in univerſali revelata, poterit illa particularis credi, v. g. hæc eſt univerſalis revelata, *Omne Concilium legitimè congregatum eſt infallibile in materia fidei & morum*; ſumus autem moraliter certi, quod Concilium Tridentinum legitimè fuerit congregatum, ideoque credere poſſumus & debemus eſſe infallibile: illa autem moralis certitudo debet eſſe talis, ut neceſſariò, & ſemper excludat omnem prudentem formidinem de oppoſito, ideoque debet velut certum ſupponi, quòd illa particularis contineatur in univerſali. Quòd ſi aliqui AA. dicant aliquid eſſe de fide, alii hoc negent, uti multi docent eſſe de fide, quòd hic *Clemens XI.* ſit verus Papa, alii autem negent id eſſe de fide, putat Carden. *cap.* 5. hoc credi poſſe ab illis, qui hoc aſſerunt; è contra *Lugo* probabilius dicit tale objectum non poſſe credi, quia cum ſententia illa affirmante ſtat judicium de probabilitate alterius ſententiæ, adeoque de oppoſito eſt formido, quæ excludit fidem: hi itaque AA. tantùm dicunt probabile eſſe, quòd illud objectum ſpectet ad fidem, ſed non ideo debent vel poſſunt illud credere. 4. Sententia illa, quæ docet in eodem intellectu poſſe ſimul ſtare fidem, opinionem & ſcientiam, non eſt ideo damnata, ut malè infert *Hozes*, falſum enim eſt, quod formido actualis ſemper adſit opinioni, ut ſuppono ex Philoſophia.

7 §. 5. Prop. 22. ab eodem Innoc. XI. damnata eſt hæc, *Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris*. Ex qua damnatione conſtat, de neceſſitate medii ad ſalutem etiam requiri fidem de eo, quòd Deus ſit retributor bonorum & malorum, uti *n.* 19. dicetur, hinc abſolutè rejici debet Filguerra apud Carden. *d.* 15. *c.* 5. dicens poſſe juſtificari & ſalvari hominem, quamvis nihil cogitet de Deo ut remuneratore, dummodò eum amet ſuper omnia, eò quòd fides virtualiter contineatur in charitate tanquam in forma perfectiore & eminentiore; *nam* ex conſenſu SS. PP. & Theologorum prærequiritur actus formalis fidei de Deo ut remuneratore, uti oſtendetur *n.* 23. & 24. ergo ſententia illa ſuſtineri non poteſt, nam ſecundùm illam non eſſet opus unquam præceſſiſſe ullum actum fidei, nequidem de exiſtentia Dei: Controvertunt tamen adhuc aliqui, an neceſſaria ſit fides Dei ut remuneratoris ſupernaturalis, nam Hurt. *d.* 43. *ſ.* 7. citans alios, putat ſufficere fidem remuneratoris, abſtrahendo à naturali & ſupernaturali, ſed communiùs tenent alii cum Mauro *q.* 142. *n.* 11. & Eſp. *q.* 128. requiri fidem de remuneratione in ſe, & ſpecificativè ſupernaturali, quamvis per fidem non attingatur ſignatè ut ſupernaturalis, idque rectè probat Lugo *d.* 12. *n.* 131. quia debet cognoſci Deum eſſe remuneratorem per vitam æternam in cœlo, cùm Deus hanc ſolam de facto revelaverit & promiſerit, illa autem eſt ſupernaturalis, ergo.

§. 6. Prop. 23. ab eodem Inn. XI. damnata eſt hæc, *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum ſimilivè motivo, ad juſtificationem ſufficit*: Circa quam damnationem, *Notandum eſt*, AA. aliquos dividere fidem, in ſtrictè & latè dictam; fidem ſtrictè vocant, ſi ſit aſſenſus ad objectum revelatum ex motivo authoritatis Dei revelantis, & propriè loquentis; fidem latè vocant, quamcumque cognitionem ſupernaturalem objecti credendi, ex quocumque tandem motivo eliciatur, aut ſaltem ſi eliciatur ex motivo à creaturis deſumpto, in quantùm Deus per eas dici poteſt aliquo modo, & impropriè nobis loqui, uti fusè explicat Lugo *d.* 12. *n.* 9. Hoc ſuppoſito, certum eſt ex iſta damnatione ad juſtificationem requiri actum conceptum ex motivo formali fidei Theologicæ, quod eſt authoritas Dei dicentis, & de hoc plura *n.* 23. 8

§. 7. Prop. 64. ab eodem Inn. XI. damnata eſt hæc, *Abſolutionis capax eſt homo, quantumvis laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Hac damnatione non obſtante certum eſt, quòd ille ſit capax abſolutionis, qui ignorat aliqua myſteria fidei, multa enim ſunt, ad quæ explicitè credenda non tenemur, uti quod Chriſtus fuerit ſepultus in ſepulchro novo, aut licèt teneamur credere, non tamen ſemper tenemur in ordine ad abſolutionem: quænam autem teneamur credere ante abſolutionem ſacramentalem, dicetur *n.* 19. 9

§. 8. Prop. 65. ab eodem Inn. XI. damnata eſt hæc, *Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe*. Ex hac damnatione conſtat, non ſufficere ad præceptum divinum implendum, ſi ſemel circa illa elicuerimus actum fidei, nam tenemur, ſæpius, uti rectè Carden. *d.* 42. *c.* 2. quoties autem, & quando, dicetur ad c. ſequens: De aliis propoſitionibus damnatis dicetur *in qq. ſeqq.* 10

Q. 3. *An fides omni planè homini ſit ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medii?* R. Ita neceſſariam eſſe omni adulto ratione utenti, uti habet communis cum S. Th. 2. 2. *q.* 2. *a.* 3. Valent. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 2. Ovied. *contr.* 7. *p.* 2. Lug. *d.* 12. *ſ.* 1. ſic enim *ad Corinth.* 1. *v.* 21. dicitur, *Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*: Semper autem ita fuiſſe neceſſariam, inde probatur, quia omnibus in peccato etiam originali tantùm exiſtentibus neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate medii juſtificatio, ſed ad juſtificationem hominis adulti ratione utentis prærequiritur fides, uti oſtendetur *à n.* 14. ergo. *Dixi* 1. adulto, nam puer baptizatus ſalvatur ſine fide actuali, uti Catholici omnes tenent contra *Lutherum* & ſequaces: imò probabilius tenent Suar. *d.* 12. *ſ.* 2. *n.* 10 Lug. *n.* 3. Pennaf. *d.* 8. *n.* 2. quòd puer baptizatus, ſi ſtatim moriatur poſt acquiſitum uſum rationis, antequam audierit de rebus credendis, ſit ſalvandus ſine actuali fide, quia eſt in gratia, & non moritur ut adultus, cùm moraliter reſpectu credendorum ſit adhuc puer: imò Merat. *d.* 6. *ſ.* 1. & Platel. *n.* 219. videntur adhuc plus velle, nam dicunt abſolutè, ſi homo talis moriatur in gratia, ſalvandum, neque addunt, an ſtatim an diù poſt moriatur, & videtur idem ſentire Ovied. *n.* 15. Maurus *q.* 141. *n.* 11. licèt Granad. *t.* 10. *d.* 1. *num.* 9. Tann. aliique cum Baſſæo *in Floribus t.* 1. *v. Fides n.* 5. dicant ejuſmodi puerũ, quamvis ſtatim moriatur, non ſalvandum, & ſpectare ad Dei providentiam facere de eo, quod volet. *Dixi* 2. ratione utenti, nam perpetuò fatui poſſunt ſicuti infantes per baptiſmum juſtificari ſine fide actuali, & reipſa hi non cenſentur adulti.

Objic. 1. Homo baptizatus, etiamſi diù in gratia vivat poſt annos diſcretionis, nec eliciat fidem, ſi moriatur in gratia, eſt amicus, & filius adoptivus Dei, ergo debetur illi regnum & hæreditas, ideoque ſalvabitur. R. Moritur amicus Dei, ſed non debetur omni amico hæreditas, ut patet: deinde moritur filius adoptivus, ideoque habet jus in actu primo & inchoatum ad hæreditatem, ſed non completum, ſic enim, licèt quis ſit filius 12

natu-

naturalis, poteſt adhuc ob cauſas excludi hæreditate. Breviter ſic diſtingui poteſt, filius habet jus ad hæreditatem, ſi ſit naturalis, tranſeat, ſi ſit adoptatus, ſubdiſt. habet jus, ſi ponatur conditio, ſub qua promiſſa eſt hæreditas, C. ſi hæc non ponatur, N. conditio autem eſt fides actualis. *Inſtabis*. Durum nimis eſt, hominem in gratia conſtitutum non ſalvari defectu ſolius fidei actualis, ſi de fide nihil audierit. R. 1. Neque caſum eventurum in hac providentia: tamen. R. 2. Si vivat ſecundùm legem naturæ, faciatque, quòd in ſe eſt, Deus non deerit, qui per hominem aut ſaltem per Angelum proponet credenda, uti habet S. Th. *de verit. q.* 14. *ar.* 11. *ad* 1. Et de hoc mira divinæ providentiæ exempla leguntur; poteſtque videri Gonz. *d.* 6. *n.* 46. & 91. Unde nec talis inſtructio dici debebit ſtrictè miraculum, quia hanc exigent leges ordinariæ providentiæ Dei, volentis omnibus dare auxilia ſufficientia, uti rectè Suar. Vaſq. Arriag. Valent. Ruiz apud Ripald. *d.* 17. *n.* 191. cum Gon. *ſupra*.

13 *Objic.* 2. Quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, debet influere in primam gratiam, uti fusè diſputant Lug. *de Euchar. d.* 7. *ſ.* 1. & Dicaſt. *de Bapt. d.* 1. *dub.* 10. atqui fides actualis non eſt aliquid influens in primam gratiam hominis baptizati nam præſupponitur eam habere, ergo talis fides actualis non eſt medium neceſſarium ad ſalutem. Reſp. N. maj. poteſt enim aliquid eſſe neceſſarium, quia Deus ex alio fine requiſivit, v. g. ut cognoſcatur modo debito tanquam exiſtens & remunerator &c.

14 *Q.* 4. *An & qualis fides de neceſſitate medii prærequiratur ad juſtificationem; item ad meritum alioſque actus ſupernaturales?* R. Quod dicemus de fide, valet cum proportione de ſpe, uti patebit ex ſeqq.

§. 1. Aliquam fidem prærequiri ad juſtificationem, eſt certiſſimum, nam *ad Hebr.* 11. *v.* 6. dicitur: *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: ad Galat.* 2. *Ex operibus legis non juſtificatur omnis, ſed per fidem*: Idem conſtat ex omnibus locis Scripturæ, quibus ſignificatur, quòd fides diſponat ad juſtitiam: hinc Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 7. loquens de fide, ait: *Sine qua nulli unquam contingit juſtificatio*: ſimilia habent Conc. Arauſ. & Milev. apud Val. *d.* 1. *q.* 2. *p.* 1. In eum ſenſum dicit S. Auguſt. *Serm.* 38. *de Temp. Fides eſt humanæ ſalutis initium; ſine hac nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt pervenire, quia ſine ipſa nec in hoc ſæculo quiſquam juſtificationis conſequitur gratiam, nec in futuro vitam æternam poſſidebit*. Similiter loquuntur SS. Iren. Baſil. Ambr. Leo apud Valent. *p.* 2.

15 §. 2. Non ſufficit fides in voto, ſed requiritur fides in re, uti patebit ex dicendis. *Nec obſtat*, quòd ſufficiat Baptiſmus in voto, *nam* de Baptiſmo ſcimus aliunde, cùm Scriptura dicat Prov. 8. *Diligentes me diligo, &c.* ex quo colligunt SS. PP. ad ſalutem ſufficere votum Baptiſmi incluſum in dilectione Dei, quando Baptiſmus in re ſuſcipi nõ poteſt: Similiter Trid. *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. expreſsè dicit, ſine lavacro regenerationis aut ejus voto fieri non poſſe primam juſtificationem, nihil autem ſimile legitur de voto fidei; & diverſitatem colligit S. Bern. *Epiſt.* 77. ex verbis Chriſti Marc. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui verò non crediderit condemnabitur*, ubi cùm ſtatuta eſſet neceſſitas fidei & Baptiſmi, poſteà non dicitur, qui non fuerit baptizatus, condemnabitur, ſed tantùm dicitur, qui non crediderit: & congruentias affert Suar. *d.* 12. *ſ.* 2. *à n.* 10. quarum præcipua eſt, quia contritio vel amor ſupernaturalis cauſat gratiam, ergo ſupplet cauſalitatem Baptiſmi: è contra in homine nulla datur cognitio ſupernaturalis, quę ſuppleat agnitionem certam & ſupernaturalem objectorum credendorum, Dei exiſtentis & remuneratoris, unde patet reſpectu adulti majorem eſſe neceſſitatem fidei in ſe, quàm Baptiſmi in ſe.

16 §. 3. Non ſufficit fides habitualis, id eſt, ſemel habita & non retractata, ſed requiritur vel formalis vel virtualis, ut poſteà dicetur: Per hoc autem diſtinguitur virtualis à formali, quòd formalis ſit actus præſens fidei perceptibiliter tendens in objectum materiale propter formale, uti ſi advertenter dicam, credo Deum eſſe Trinum, quia Deus dixit, qui eſt infinitè ſapiens & verax. Virtualis eſt, ſi quis aliquando habuerit explicitam fidem circa myſteria credenda, illamque adhuc ita retineat, ut permaneat in aliquo ſaltem ſuo effectu. Rem explicat S. Th. *de charit. q. un. a.* 11. *ad* 2. exemplo Medici, qui colligit herbas ad faciendam potionem, licèt de ſanitate, ad quam colligit, fortè non cogitet, aut non advertat ſe cogitare: & 1. 2. *q.* 1. *a.* 6. *ad* 3. exemplo itinerantis, qui pergit, quò tendit, licèt de eo loco non ſemper expreſsè cogitet: idem explicat Carden. *d.* 15. *à n.* 32. in exemplo ſpei, nam agricola arat, ſeminat, occat, non ideò ſemper expreſsè memor fructuum, ob quos habendos iſta facit, nihilominus cùm aliquando habuerit ſpem illam, & ex ea motus fuerit ad colendum agrum, quamvis poſteà, quando iſta facit, non ampliùs ita cogitet de hac ſpe, tamen habet illam virtualiter, alioquin non faceret iſta; in hoc autem conſiſtit illa virtualis ſpes, quòd illa ſeminatio ſit effectus imperatus & cauſatus ab illa ſpe fructuum, unde ſpes illa dicitur virtualiter permanere in effectu illo, nempe in ſeminatione: Idem explicat Carden. *d.* 16. *n.* 54. exemplo Philoſophi, qui tenet concluſionem, quam didicit, licèt actu expreſsè non recordetur fundamenti, propter quod ad illam eſt inductus. Manet autem controverſum, quid reipſa ſit talis virtualis fides; aliqui dicunt eſſe effectum à fide actuali cauſatum, diſtinctum ab omni actu fidei in ſe, & permanentem in ſerie actionum à fide illa præterita trahentium originem: & alii probabiliùs dicunt eſſe aliquem fidei actum, ſed tenuem & imperceptibilem, quales actus certum eſt nos ſæpè habere, nam qui ex uſu facillimè ludit Cythara, habet actus imperceptibiles & regulas in mente, quibus luſus ille dirigitur; item qui expeditè loquitur latinè, dirigitur actu regulis, quas olim didicit, licèt nunc ad eas expreſsè non attendat, nec advertat vel percipiat ſe illas in mente ſua habere: & in hac ſententia fides actualis dividitur in formalem, & virtualem, ſicque omnis fides virtualis eſt reipſa actualis, cùm ſit actus fidei, quia qui non eſt ita perceptibilis, & ſequitur ad alium priorem magis expreſſum, & perceptibilem, dicitur tantùm virtualis, ſeu in virtute permanens.

§. 4. Certum eſt ad juſtificationem hominis, qui vel nunquam habuit actum fidei, vel fidem amiſit per peccatum oppoſitum, prærequiri actualem fidem, ut latè ex Scriptura, PP. & ratione demonſtrat Carden. *d.* 15. *cap.* 2. & *d.* 16. *c.* 5. & 6. talis enim homo nullam habet fidem, nequidem habitualiter, cùm eam vel nunquam habuerit, vel abjecerit, ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo vel ad Deum accedere. 17

§. 5. Non tantùm ad primam juſtificationem in Baptiſmo, ſed etiam ad quamvis aliam juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ vel vi contritionis obtinendam prærequiritur fides ſaltem virtualis ſecundùm dicenda *n.* 25. Ita docet Trid. *ſeſſ.* 6. *c.* 6. & 7. ubi poſtquam explicaſſet neceſſitatem fidei ad primam juſtificationem, *c.* 8. explicans in genere, quomodo impius per fidem dicatur juſtificari, dicit ideo eſſe, *Quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo & ad filiorum ejus conſortium pervenire*. 18

Catech. Rom. *de Sacram. pœn. c.* 1. *num.* 3. *In eo, quem pœnitet, fides pœnitentiam antecedat neceſſe eſt*: & ſubdit docens quibus viis ad virtutem pœnitentiæ perveniatur, *Primùm itaque Dei miſericordia nos prævenit, &c. deinde hoc lumine illuſtrati, per fidem ad Deum animo tendimus &c.*

S. Ambr. *de pœn. l.* 1. *c.* 1. *Nemo enim poteſt benè agere pœnitentiam, niſi qui ſperaverit indulgentiam*: certum autem eſt fidem prærequiri ante ſpem, uti poſteà dicetur.

S. Th. *in* 4. *d.* 14. *q.* 1. *a.* 2. *ad q.* 2. *Motum pœnitentiæ præcedit motus fidei, quia accedentem ad Deum oportet credere*, ad Hebr. 11. *& iterum motus ſpei conjunctus motui timoris, per quem fit æſtimatio de poſſibilitate veniæ conſequendæ*.

Clerus Gallicanus *in Gener. Conventu in Palatio San-Germano anno* 1700. *die* 4. *Septembr. in declaratione de dilectione Dei in Sacram. Pœnit. Ne quis putet in utroque Sacramento* (Baptiſmi & Pœnitentiæ) *ſecurum ſe eſſe, ſi præter fidei & ſpei actum non incipiat diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem*.

Suarez *de gratia l.* 8. *c.* 15. *n.* 1. *Supponimus primam diſpoſitionem ad juſtitiam eſſe actum fidei. N.* 3. *Dicendum eſt illam fidem, quæ eſt juſtitiæ fundamentum, eſſe fidem intellectus, id eſt, aſſenſum firmum in revelatione divina fundatum. N.* 7. *Dicendum eſt hanc fidem intellectus eſſe primam diſpoſitionem ad juſtitiam. C.* 18. *n.* 2. *Certum eſt præter fidem neceſſarium eſſe actum ſpei, ut impius ad ſuam juſtificationem diſponatur*. Rationem dat *n.* 3. *Quia juſtificatio & indulgentia peccatorum non eſt humanum opus, quod viribus hominis fieri aut comparari poſſit, ſed à Deo eſt expectandum juxta promiſſa ipſius, ergo non poteſt convenienter conari ad remiſſionem peccatorum obtinendam, niſi firmiter ſperet illam eſſe obtenturum &c. C.* 19. *n.* 6. *Dico ergo neminem poſſe moveri ad agendam etiam imperfectam pœnitentiam, & cum Sacramento ſufficientem, niſi priùs de venia obtinenda cogitet, & illam ſperet*.

Vaſquez *in* 3. *p. q.* 85. *a.* 5. *d.* 2. *n.* 14. loquens de virtute pœnitentiæ, *Semper incipit à fide & ſpe, reſpicitque Chriſti merita, quibus credit & ſperat hanc faciendam eſſe compenſationem peccati*.

Ruiz *de provid. d.* 19 *ſ.* 3. *n.* 6. *Fides eſt initium totius diſpoſitionis ad juſtificationem*. Probat *n.* 8. *Quoniam ante fidem nihil ſupernaturale reperiri poteſt niſi gratia vocans, & excitans ad fidem, & quidquid naturale reperitur, nihil valet, ut ad juſtificationem diſponat. D.* 24 *ſ.* 2. *n.* 6. *Quælibet pœnitentia utilis, ſive inchoata ſive perfecta, ſupponit fidem ſupernaturalem. N.* 10. *Ex ſupernaturali fide procedere debent quæcumque opera miſericordiæ, ut peccatoribus obtinere valeant gratiam & remiſſionem mortalium peccatorum. N.* 17. *Opera miſericordiæ utilia ad juſtificationem ſunt per ſe indigentia ſupernaturali auxilio & per ſe ſupponentia fidem. S.* 3. *n.* 9. loquens

de

de Cornelio centurione, Latrone, Zachæo &c. *Divina gratia præveniente & adjuvante conceperunt prius fidem, deinde verò virtute gratiæ atque fidei orabant, donabant eleemosynas & cætera opera pietatis exercebant, quæ nihil valerent ad juſtificationem, niſi procederent ex illa radice.*

Turrianus *de gratia opuſc.4.d.2.d.1. Communis ſenſus eſt ad juſtificationem eſſe neceſſarium actum fidei, & non ſufficere ſolam legis notitiam, uti probavi 2. 2.tom.1.d.25.* & docuit S. Th.1.2.q.113.a.4.ad 2. *An verò iſte actus ſit neceſſarius neceſſitate medii vel præcepti explicavi in ea diſp.dub.2.ubi probavi eſſe neceſſarium aliquem actum fidei neceſſitate medii, ſi juſtificandus eſt adultus. Diſp.3.d.1. Certum eſt actum ſpei eſſe neceſſarium ad juſtificationem*, uti definivit Trid. *ſeſſ.6.c.6. & ratio eſt, quia qui conſiderat ſua peccata & credit eſſe digna pœna, niſi ſperaret divinam miſericordiam, non moveretur ad juſtificationem*, ut benè explicuit P. Vaſq.1.2.d.210.c.2. In 2.2.to.1.d.41.d.5. *Quòd verò fides dicitur initium omnis juſtificationis, de omni juſtificatione adultorum intelligendum eſt*: cujus rationem dat n.8. *quia ſpes non poſſet eſſe firma & certa, niſi cognitionem aliquam certam ſupponat: non eſt autem certa cognitio naturalis ordinis, ut requiritur ad ſpem ſupernaturalem, ad quam tamen idonea eſt fides, & eadem ratione probatur fidem eſſe priorem ordine generationis aliis virtutibus ſupernaturalibus.* Lugo d.12.n.44. *Sequitur eſſe obligationem eliciendi fidei actum, quando homo vult ſe ad juſtificationem in Sacramento comparandam præparare, quia debet præmittere deteſtationem abſolutam, & efficacem ſuorum peccatorum, ad quam debet præcedere actus fidei.* Caſtr.tr.4.d.1.p.10.§.8.n.3. *Ratio, quare hic actus fidei neceſſarius ſit ad juſtificationem, eſt, quia nemini adulto & ratione utenti contingit juſtificatio, niſi juſtificationem ſperet & de peccatis doleat &c.*

Dicaſtillo *de Pœn.d.6.n.17. Pœnitentia utilis ad juſtificationem debet eſſe fundata in fide, nec enim eſt vera pœnitentia, id eſt, verè diſponens ad juſtificationem, niſi quæ fundatur in fide, & quæ ex fide procedit juxta Authorem, qui habetur apud* Aug. *de vera & falſa pœn.c.2. nam actus, qui ex fonte fidei non procedit, non poteſt placere Deo ad ſupernaturalem finem juſtificationis, ut docet verus* Aug. *l.4.contra Julianum c.18. in fine, & in ſimili* S. Leo, *ſerm.7.de Jejunio, nulla autem ratio eſt, ob quam pœnitentia, quæ diſponit ad juſtificationem, fundari debeat in fide & ex fide procedere, niſi quia effici debeat ex aliquo motivo ſupernaturali tranſcendente limites rationis naturalis, ex quo motivo voluntas operari non poteſt niſi per fidem.*

Eſparſa *de pœn.q.80.a.2. Certum eſt actum pœnitentiæ non eſſe primum tempore, quia neceſſariò illum præcedunt actus fidei & ſpei, ex quibus dependet.*

Hiquæus ad Scotum *in 4.d.14.q.2. n.110. Nullus movetur ad pœnitentiam, niſi ex regula fidei & dictamine, neque ad pœnitentiam inclinatur voluntas, niſi ex fiducia divinæ miſericordiæ & remiſſionis peccati.*

Elizalde *in doctr.morum l.7.q.9.§.2. in fine, Ergo ſine hac fide nullus juſtificatur peccator. Q.11.§.8.* loquens de fide ait, *Sine qua nulla eſt poſſibilis vera pœnitentia, & juſtificatio.*

Maurus *de juſtif.q.81.n.24. Non poſſumus efficaciter & abſolutè nos velle dare Deo ut amicos perpetuos, niſi ex fide, qua credamus Deum offerre ac promittere ſuam amicitiam, adeoque remiſſionem peccati.*

Rhodes *d.2.q.3.ſ.4.§.1. Dico 1. Fidem ſupernaturalem & propriam ita eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad juſtificationem & ſalutem, ut ſine aliquo interno ejus actu nemo juſtificari unquam aut ſalvari poſſit.*

Herinx *d.7.n.77. Per accidens obligatur quis ad actum fidei eliciendum, dum inſtat præceptum, quod ſine fide impleri non poteſt, puta dilectionis, contritionis vel attritionis, qui actus ſine directione actuali fidei elici non poſſunt.*

Todtfeller *q.57.§.4. Radix omnis juſtificationis eſt fides.*

Platelius *de Sacram. n.727.* loquens de Sacramento Pœnitentiæ, *Sine actibus fidei & ſpei ſtare nequit hoc Sacramentum, eò quod ſine illis haberi non poſſit ſupernaturalitas & efficacia doloris, ac propoſiti ad hujus Sacramenti ſubſtantiam eſſentialiter requiſita.*

Stoz *l.1.p.2.n.19. Ad veram contritionem, prout præſcindit à perfecta & imperfecta, neceſſariò præſupponuntur actus fidei & ſpei de venia peccatorum per merita Chriſti à Deo obtinenda.*

Gormaz *de Pœn.n.343. Actus fidei & ſpei ſunt diſpoſitiones à Deo deſtinatæ in hac providentia pro adulti juſtificatione in quocumque caſu.* Eadem repetit *p.2.n.300.*

Gobat *in Exper.t.7. n.621.* loquens de Pœnitente moribundo, *Potuere adeſſe ſupernaturales actus ſpei, dilectionis, contritionis, fundati in ea fide.*

Taberna *p.1. tr.5.c.2. Aliqua fides actualis neceſſaria eſt neceſſitate medii ad juſtitiam recuperandam.*

Illſung *de Sacram.in genere n.49. Diſpoſitio ad ſuſcipienda Sacramenta mortuorum cum effectu gratiæ ab ipſis cauſandæ, in adultis neceſſaria, ſunt actus fidei, ſpei, propoſiti &c. ita communis & certa Theologorum ſententia:* probatur ex Trid. *ſeſs.6.c.6. ubi enumeratos actus pro diſpoſitione ad Baptiſmum expreſsè requirit; & ſeſs.14.c.4. ubi eoſdem actus exigit ad Sacramentum pœnitentiæ, utrobique allegans teſtimonia Scripturæ.* Non eſt operæ pretium plures referre, nullum enim puto eſſe, qui in re diſſentiat.

Ratio jam ſæpè inſinuata eſt, quia ut dolor ſufficiat ad pœnitentiam, & conſequenter ad juſtificationem, debet eſſe ſupernaturalis, uti certum eſt, & probabitur *l.6.t.4.c.1.ad dub.2.* non erit autem ſupernaturalis, niſi præcedat fides & ſpes, uti habent AA. citati, & *Conf.* nam dolor, qui ad juſtificationem requiritur, eſt vel contritio vel attritio, ſed ad utramque prærequiruntur fides & ſpes: in primis ad contritionem, nam *fides & ſpes*, inquit S. Th.1.2.q.65.ar.5.ad 2. *ſecundùm propriam rationem præſupponuntur ad charitatem*, & conſequenter ad contritionem, ideòque etiam Suar. *degrat.l.1.c.35.n.24.* docet amorem ſupernaturalem indigere per fidem, & ſpem proprio principio ſupernaturali phyſice adjuvante potentiam: neque fieri poteſt moraliter, ut voluntas in hac natura corrupta immediatè aſſurgat ad perfectum amorem, qualis eſt contritio, niſi priùs erigatur per ſpem ſupernaturalem, uti rectè S. Th. *ſupra O*, Suar. *de grat.l.8.c.19.n.6.* Lug. *d.12.n.110.* Palav. *de Pœn.n.101.* Maurus *de juſtif.q.81.n.24.* ſpes autem, uti & charitas, ratione ſui ſupponit fidem, quæ certò & proportionatè proponat objecta ſupernaturaliter ſperanda, & amanda, uti de ſpe oſtendunt Con. *d.14.n.107.* & Eſp. *q.32.* de utraque autem habet S. Th. 2. 2. *q.4.ar.7. Naturalis cognitio non poteſt attingere ad Deum, ſecundùm quod eſt objectum beatitudinis, prout tendit in ipſum ſpes & charitas.* Deinde actus fidei & ſpei etiam prærequiruntur ad attritionem, uti expreſsè Maurus *q.243.n.29.* nam attritio, ordinariè ſaltem prout elicitur à rudioribus, eſt, aut fundatur in ſpe præmii, aut in metu pœnæ, qui etiam ad ſpem pertinet: & univerſaliter de omni attritione, etiam de illa, quæ concipitur ex conſideratione turpitudinis peccati, dicit Trid. *ſeſs.14.cap.4.* poſſe eſſe ſupernaturalem & diſponere ad gratiam in Sacramento, ſi ſit cum ſpe veniæ, ſpes autem ſupponit fidem, uti dictum eſt, ergo.

§.6. Ad attritionem ſupernaturalem, prout ordinariè elicitur ex ſpe præmii vel ex metu pœnæ, neceſſarium eſt, ut priùs per fidem ſupernaturalem cognoſcamus hæc objecta, 1. *Deum eſſe*, à quo ſperatur præmium vel timetur pœna. 2. *Deum eſſe remuneratorem* bonorum per præmia, & punitorem malorum per pœnas: & hæc duo conſtant ex Apoſt. *ad Hebr.11.v.6.* & ex dictis *n.18.3. Animam noſtram eſſe immortalem*, uti habent Suar. *hic d.12.ſ.3.n.19.* Con. *n.122.* Lugo *n.125.* anima enim noſtra eſt, cui pro altera vita debet ſperari præmium vel timeri pœna. 4. *Gratiam Dei eſſe neceſſariam ad ſalutem*, ut rectè Con. *n.123.* nam ſperatur, ideoque credi debet remuneratio ſupernaturalis, uti rectè Suar. *n.8.* & 11. Con. *n.106.* aliique apud Lugo *n.127. qui n.131.* conſentit; hinc etiam Gran. *tr.10.d.2. n.4.* ad juſtificationem requirit fidem Dei ut Authoris ſupernaturalis, quod etiam volunt Cajet. & Canus apud Lugo *n.123.* Et *ratio* ulterior eſt, quia voluntas non poſſet erigi ad ſpem veniæ, & ſalutis firmam ſuper omnia, niſi præiret certa cognitio gratiarum ex meritis Chriſti, ſine quibus nihil poſſumus conducens ad ſalutem, uti rectè Con. & in re conſentit Suar. *n.19.* ideoque etiam Trid. *ſeſs.6.c.6.* dicit impium credere ſe juſtificari per gratiam & redemptionem, quæ eſt in Chriſto: conſequenter, 5. Credere debet Chriſtum, ſive, per fidem cognoſcere aliquam è SS. Trinitate Perſonam eſſe pro nobis factam hominem quod vult S. Th. *3.p.q.70.ar.4.* O, dicens uſque adeò in circumciſione datam eſſe gratiam ex virtute fidei paſſionis Chriſti; *& q.85.ar.3. ad 4.* dicit pœnitentiam eſſe cum fide paſſionis Chriſti: ſimiliter Bellarm. *de pœn.l.1.c.2.* dicit juſtificationem fieri cum fide meritorum Chriſti: Vaſq. ſuprà ait *Fides illa ſemper reſpicit Chriſti merita, quibus credit, & ſperat*; Con. *n.163.* requirit fidem Chriſti ut Salvatoris: Stoz relatus *n.18.* requirit fidem & ſpem de venia peccatorum per merita Chriſti: Sasbout *hom.in Domin.2.quadrag. pag.150.* ait, quoſdam ſemper accuratiſſimè confiteri, & tamen nunquam ad confeſſionis fructum pertingere, *Quia quod præcipuum eſt, negligunt, nimirum fidem in Chriſtum, quam diximus complecti, & certam perſuaſionem de miſericordia Salvatoris & fiduciam de impetranda miſericordia.* Putat tamen Suar. *ſ.4.n.11.* per ſolam fidem Dei ut remuneratoris ſupernaturalis poſſe ſufficienter dari juſtificationem cum ignorantia invincibili Chriſti; quod verum eſt ſpectata natura rei: quid autem Deus circa hoc ſtatuerit, eſt incertum: nam ſicuti voluit Chriſtum eſſe unicum Juſtificatorem, ita pro illius gloria potuit fidem de illo prærequirere ad juſtificationem, & reipſa prærequiſiviſſe docent AA. citati. 6. Per eandem fidem cognoſci debet objectum ſpei materiale & formale, ſcilicet promiſſa eſſe illa præmia, quæ ſperamus à Deo fideliſſimo & potentiſſimo ſervare ſua promiſſa; item intentatas eſſe pœnas illas, quas timemus à Deo juſtiſſimo vindice. 19

Ratio horum omnium eſt, quia niſi iſta omnia certò, & pro-

por-

portionatè cognoſcantur, voluntas non poterit erigi ad ſpem firmam vel ad metum efficacem & ſupernaturalem, conſequenter nec ad attritionem ſupernaturalem ex tali ſpe vel metu, ſecluſa autem fide ſupernaturali non poteſt dari cognitio illorum certa & proportionata, id eſt, ſupernaturalis, ergo. Et quod de iſta attritione dictum eſt, applicandum eſt cum proportione cuicumque dolori ſupernaturali ad juſtificationem requiſito, ad quem neceſſe erit per fidem proponi illius ipſius doloris objecta: eſtque valdè probabile, quòd voluntas in hac infirmitate naturæ corruptæ vix unquam immediatè emoveatur ad contritionem vel dolorem ſufficientem, quin debeat excitari priùs vel juvari per ſpem præmii aut metum pœnæ, atque ita ad omnem dolorem, qui ſupernaturalis ſit, & ſufficiat cum Sacramento, prærequiretur cognitio iſtorum objectorum per fidem, ad quam ſequatur dicta ſpes vel metus.

20 §.7. An, & quorum objectorum fides explicita requiratur ad juſtificationem, non poteſt ita facilè definiri: Malder. & Bon. *in Dec.d.3.q.2.p.2.n.9.* putarunt ſufficere implicitam, quæ ſimul habetur cum actu doloris, *ſed* non explicant, quid intelligant per fidem implicitam, nam in primis ex hactenus dictis conſtat requiri fidem explicitam ſaltem de Deo exiſtente, & remuneratore, hinc Ovied.*contr.7.n.33.* ait, *In omni ſtatu neceſſaria eſt fides explicita Dei, non ſolùm ut exiſtentis, ſed etiam ut remuneratoris*; pro qua concluſ. citat Suar. Turr. Con.Gran.Tann.G.Hurt.Carden.*d.41. n.11.* ait, *Conſtat fidem explicitam Dei ut remuneratoris retributione æterna, eſſe medium ſimpliciter neceſſarium ad juſtificationem*: infert, *Ergo qui ignorat, etiam invincibiliter, non eſt capax abſolutionis*: Platelius *n.226. Licèt credens Deum eſſe ſummè bonum, abſolutè & phyſicè poſſit elicere actum ſupernaturalem amoris Dei ſuper omnia, quamvis neſciat ipſum eſſe remuneratorem, atque ita juſtificari ſine fide explicita Dei ut remuneratoris, id tamen non poteſt ex hypotheſi præſentis providentiæ, qua Deus ſtatuit non dare auxilia ad actum proximè juſtificativum, niſi mediante fide de Deo remuneratore*; addit, moraliter fieri non poſſe in natura corrupta, ut ſine ſpe eliciatur amor Dei, nulla autem poteſt eſſè ſpes, ſine aliqua fide explicita Dei, ut remuneratoris. Deinde, ſi requiratur fides implicita, uti *Malder. & Bonac.* requirunt, hæc non poteſt eſſe, niſi adſit aliqua explicita, in qua de aliis objectis habeatur implicita, uti qui explicitè credit, quidquid Deus dixit, credit implicitè omnia revelata, cùm autem reliqua objecta fidei etiam occurrere debeant homini juſtificando facilè aderit explicita, ſaltem virtualis, etiam aliorum objectorum.

Arriaga dicit ſufficere ſaltem fidem implicitam de neceſſitate gratiæ, quam *Lugo* dicit ſufficienter haberi per hoc, quòd credat Deum eſſe ſupremum remuneratorem; è quo per gratiam ejus ſperemus ſalutem æternam: *Gran.* ſupra dicit requiri fidem explicitam Dei ut Authoris ſupernaturalis, quòd nempè ſit bonum quoddam ſupremum, à quo provenire nobis debent beatitudo ſupernaturalis, remiſſio peccatorum, & dona ad beatitudinem obtinendam neceſſaria: Con.*n.123.* ait, *Debet explicitè credere ſe non poſſe ſuis viribus à miſeriis erui, & æterna illa præmia conſequi*: Suar.*ſ.3.n.19.* dicit requiri ſufficientem fidem explicitam de neceſſitate gratiæ, quam tamen fidem dicit ſatis haberi per hoc, quòd credat in Deum ut juſtificatorem, nec requirit diverſos de his conceptus: Addit, fidem de hoc ita explicitam, ut per diſtinctos conceptus habeatur, dici poſſe per ſe & regulariter, vel, ut alii loquuntur in voto neceſſariam, non tamen ſemper in re & actualiter.

Bernal *de Sacr.d.2. n.79.* putat fidem expreſſam SS.Trinitatis pro lege veteri & nova fuiſſe ac eſſe neceſſariam; Ovied. *p.* 3. probat omnes etiam in lege veteri indiguiſſe juſtificatione per fidem in Chriſtum; Maurus *n.11.* requiſivit explicitam Chriſti ut mediatoris, reliqui cum S.Th.*2.2.q.2.a.7. ad 3.* communiter dicunt tunc ſufficiſſe implicitam; nunc autem in lege nova poſt promulgatum ſufficienter Evangelium requirunt explicitam de Incarnatione & Trinitate S.Th.*ar.7. &* 8. Thomiſtæ communiùs cum Gonet.*d.6.n.67.* & alii graviſſimi AA. cum Mauro *à n.45.* Card.*n.3.* Mendo *in ſtat.d.1.q.1.* & licèt alii multi, etiam fortè probabiliùs, id negent, tamen ubi agitur de valore Sacramenti, ſententia tutior eſt ſequenda: & præſcindendo ab hoc, certum videtur ex dictis, quod requiratur talis fides, quæ ſit non qualiſcumque cognitio illorum objectorum *nu.19.* relatorum, ſed ſufficiat ad emovendam voluntatem, ut actualiter erigatur ad ſpem firmam veniæ peccatorum & remunerationis à Deo obtinendæ: atque hoc volunt AA. cum Lugo *à num.123.* quando ad juſtificationem requirunt fidem de illis objectis explicitam.

21 §.8. Etiam ad omnem actum bonum, ſive de condigno ſive de congruo meritorium præmii ſupernaturalis, prærequiritur fides: ita docent Concilia, SS.PP. & AA. communiſſimè.

Conc.Arauſic.II.*cap.ult. Confitemur, quòd in omni opere bono nos non incipimus, ſed ipſe nullis noſtris præcedentibus meritis priùs fidem inſpirat.* PP.Concilii Milev.*in Epiſt.ad Innoc.* quæ apud Aug.eſt 95.dicunt, quòd gratia præveniens, ad omnem effectum ſupernaturalem neceſſaria, pertineat ad fidem; Trid. *ſeſſ.6.c.7.* vocat fidem *initium ſalutis*, per quod innuere videtur eſſe initium omnis actus ad ſalutem conducentis.

S.Aug.*de Civ.l.15.c.20. Non eſt opus bonum; niſi quod procedit ex fide ſummi Dei.* S.Ambr.*l.6. in Lucam c.7. Miſericordiæ præfertur fides, quia miſericordia tunc habet meritum, ſi fide præcedente conferatur.* S.Gregor. *hom.19. in Ezech. Non virtutibus venitur ad fidem, ſed per fidem pertingitur ad virtutes.* S.Leo *ſ.7. in quadrag. Quod non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non pervenit.* S.Proſper *l.1. de vocat.gent.c.24.* dicit fidem nullis præcedentibus meritis tribui, ſed ad hoc donari, ut principium poſſit eſſe meritorium. Similia plura habent etiam alii PP. apud Lugo *ſ.2.*

Suar.*de gr.l.1.c.35.n.24.* docet amorem ſupernaturalem (idem eſt de actibus aliarum virtutum) *per fidem, & ſpem indigere proprio principio ſupernaturali phyſicè adjuvante potentiam ad illum eliciendum: L.8.c.15.n.7. Omnis bona operatio ab intellectu inchoari debet.* Ruiz *de provid.d.19.ſ.3.n.9. Fides eſt totius impetrationis initium: S.4.n.2. Fides eſt initium meriti*: hinc *S.5.* in ipſis infidelibus requirit aliquam fidem inchoatam & imperfectam, qua præeunte poſſint aliquid ſupernaturale velle circa fidem ipſam conſequendam. *D.24. ſ.1. n.18. Oratio, niſi ſupernaturalem fidem ſupponat, nihil valet ad impetrandum.* Lugo *n.46. Omnia merita debent procedere ex fide, ut probant teſtimonia PP. adducta, qui videntur hoc ipſum ſumpſiſſe ex modo loquendi Sacræ Scripturæ.* Eſp.*de pœn.q.89.ad 4. Actus fidei & ſpei ſunt prærequiſiti ad actus reliquarum omnium virtutum.* Platelius *n.223. Ad omnem actum meritorium prærequiritur fides ſtricta, & quidem ſupernaturalis, uti rectè* Lugo, *& alii communiſſimè contra* Vaſquez *volentem ad meritum de congruo ſufficere cogitationem congruam ordinis naturalis, datam tamen ex meritis Chriſti.* Haunoldus *n.396. Dicendum cum cæteris Theologis ad omne opus meritorium ſupernaturale præcedere donum fidei ſtrictè ſumptæ.* Rhodes *ſuprà, Ante fidem, nullum omninò eſſe poteſt opus, etiam congruè meritorium, vel juſtificationis vel ipſis fidei*: rationem jam dederat ante his verbis, *Ad 3.R. Non poſſe in nobis dari adhuc in via cognitionem ullam ſupernaturalem, quæ vel non ſit dependens à fide, vel moraliter non faciat unum cum fide, idque conſtare omninò ex Conciliis & Scripturis.* Terillus *in Regul. morum q.64. n.75. Quod autem dicitur gratiam non deeſſe, qua bona opera evadant ſupernaturalia, admitti non debet niſi cum limitatione, ſcilicet quando opera illa per veram fidem ſupernaturalem regulantur, quia ordo gratiæ hoc poſtulat, ut bona opera ſupernaturalia per fidem ſupernaturalem regulentur.* Carden.*d.16.n.41. Eſt vera ſententia, quæ docet ſine fide ſtricta neminem infidelem poſſe elicere actus ſupernaturales, antequam perveniat ad fidem ſtrictam: N.53. Veram cenſeo ſententiam Cardinalis de Lugo relati, quæ docet nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri, niſi procedat ex dictamine fidei ſupernaturalis*, Spor.*in Dec.tr.2.c.2. n.21. Quandocumque homo tenetur exercere actum ſupernaturalem, v.g. ſpei, charitatis, religionis &c. etiam tenetur habere actualem fidem.* Fagnanus *in cap. Firmiter de Sum. Trinit. n.16. Actus virtutum dependet ab actu Fidei, qui intentionem dirigit.* Plures AA. adducentur *n.22.*

Ratio eſt, quia ad omnem actum ſupernaturalem, quo mereamur à Deo præmium ſupernaturale, prærequiritur cognitio, qua certò cognoſcatur Deus & finis ſupernaturalis, debetque cognitio illa eſſe ſupernaturalis, nam ex parte intellectus præcedere debet actus proportionatus, & qualis oportet ad ſalutem, qui dirigat voluntatem ad actum ſupernaturalem virtutum, uti fusè probat Oviedo *degratia, controv.6.p.4.* ſed non poteſt aſſignari actus, niſi fidei, aut ſaltem fundatus in fide, per quam ſolam poteſt certò cognoſci finis ſupernaturalis, ergo.

§.9. An ejuſmodi fides prærequiratur ad actum ſupernatu- 22
ralem ſpei, doloris vel alterius virtutis, ex natura rei, an tantùm ex ordinatione Dei in hac providentia, manet incertum: prærequiri ex ſola ordinatione Dei tenent Ripalda *d.17. n.205.* G. Hurt.Oviedo *hic controv.7.n33.* Con.*d.14. n.108.* Platel.*n.226.* Herinx *d.7.n.39.* Rhod.*ſupr.§.2.* nec diſſentit Carden.*d.16. c.4.* E contra Lugo *ſect.5.* Palav.aliique cum Turr. *in ſelect.p.1. d. 18.dub 1. & 2.* dicunt prærequiri ex natura rei; ſed hoc nihil facit ad praxim, cùm omnes fateantur prærequiri de neceſſitate medii, uti rectè Card.*ſuprà.*

§.10. Fides, quam hactenus requiſivimus, debet eſſe ſtri- 23
ctè dicta, ſecundum explicationem datam *num.* . & colligitur ex prop.23.ibidem relata. Hoc ipſum expreſsè tenent Suar. & Rhod.*n.18.* relati; item Platel. Haun. Carden. relati *num.21.* ſequitur Maurus *q.141.n.23.* aliique communiſſimè: oppoſitum quidem tenuerat Ripald.*de Ente ſuper n.d.20. ſect.21. & ſeqq.* iterumque *d.63.* putans ſufficere fidem latè dictam, ſed graviſſimè oppugnatus à Lugo *ſect.1.* licet poſteà iterum ſcribens

de

de fide *d.*17.*ſ.*10. *& ſeqq.* conatus ſit ſe tueri, tamen *n.*304. abſolutè decernit fidem ſtrictam eſſe neceſſariam ad juſtificationem; ideoque etiam Ovied.*contr.*7.*n.*13.poſtquam dixiſſet certum eſſe apud omnes Theologos, quod actus fidei prærequiratur ad juſtificationem per Baptiſmum, & ad gratiam poſt Baptiſmum amiſſam iterum recuperandam, *n.*22.ſubdit, ſe nunquam auſurum teſtimonia (quibus ita clarè, & expreſsè fides ad ſalutem expoſcitur à Paulo, & Trid.exponere de fide latè dicta: & quod dicitur de neceſſitate fidei ſtrictè ad juſtificationem, valet de neceſſitate ad omnem actum ſupernaturalem, uti ſignanter notant AA.*n.*21.relati.

Rationem dat Platel.*n.*222. ubi loquens de illa ſententia Ripaldæ, ait, *Ne eam ſequar, faciunt.* 1. *communiſſimus cæterorum DD. ſenſus in contrarium.* 2. *Scripturæ, & Patres cum Conciliis abſolutè requirentes fidem ſimpliciter, quo nomine venit fides ſtricta.* 3. *Præcipuè Apoſtolus ad Hebr.*11. *& alibi, de hac ſatis apertè loquens*: dicit enim fidem illam eſſe neceſſariam, quam ibidem dixerat eſſe ſperandarum ſubſtantiam rerum, argumentum non apparentium: Item ad Rom.10.dicit unumquemque per talem invocationem nominis Domini ſalvum fieri, ad quam requiritur credidiſſe, & ad quod credere requiritur audiviſſe, & prædicatum eſſe, hæc autem omnia ſonant fidem ſtrictam, ergo. Similiter *Concilia & PP.*loquuntur de illa fide, per quam intellectus captivatur in obſequium Dei; ſic *Trid.* expreſsè dicit de illa fide, quæ ex auditu concipitur; & quando PP.loquuntur de neceſſitate fidei, contraponunt eam cognitionibus comparatis ex ratione humana vel naturali per evidentiam, ideoque dicunt talem fidem procedere debere liberè ex pia affectione voluntatis, uti oſtendit Lugo *n.*12.ergo intelligunt fidem ſtrictè dictam. Denique licèt probabile ſit, quod docet Card.*d.*11. *n.*73. nempè aſſenſus firmos, qui poſt habitum actum fidei ſtrictè repetuntur, dici poſſe ſimpliciter fidei, quamvis aliquis non recordetur motivi fidei, quia cauſantur à ſpecie ſupernaturali relicta poſt actus, qui procedebant cum reflexione ad motivum fidei; tamen id non eſt certum, niſi intelligatur de fide virtuali, ſecundùm dicenda *n.*25.

24 §.11. Si fides virtualis ſumatur ſecundùm primam explicationem *n.*16.relatam, non eſt certum, quòd ſufficiat ad juſtificationem alioſque actus ſupernaturales: eſt contra Card.*d.*15. *c.*4.*Probatur*, quia Scriptura, Conc. PP.& AA. requirunt fidem, abſolutè & ſimpliciter: imò eorum plerique expreſsè requirunt *actum fidei* vel *fidem actualem*, uti Clerus Gallicanus, Suar.Turr.Lugo, Caſtrop.Eſp.Rhod. Herinx, Platel. Stoz, Gorm.Tabern.Illſ.relati *num.*18. Item Spor.& Fagnan. relati *num.*21. Et idem eſt ſenſus reliquorum tum ibi tum numeris aliis relatorum, uti colligitur ex rationibus, quas addunt: non dicitur autem abſolutè & ſimpliciter fides, multò minus dicitur *actus fidei*, vel *actualis fides*, ſine addito, niſi reipſa & in ſe ſit fides, uti *n.*23.dictum eſt, ergo. Ratio etiam à priori eſt, quia ideo requiritur fides, ut intellectum ſupernaturaliter illuſtret, ut certificet, ac proportionatè repræſentet proponatque voluntati objecta, in quæ tendere debet per actus ſpei, doloris & aliarum virtutum ſupernaturalium, hæc autem certò haberi non poſſunt per quemcumque alium effectum à fide cauſatum, ſi non adſit actus fidei ſaltem tenuis & imperceptibilis, uti colligitur ex Authoribus & rationibus *num.* 18.19.20.21.ubique ſub finem, additis, ergo.

25 §.12. Certum eſt ad juſtificationem, ſpem, dolorem de peccatis alioſque actus ſupernaturales ſufficere fidem virtualem, ſecundùm explicationem ſecundam *n.*16. datam, ſi nempè ſit actus in ſe fidei, licèt tenuis & imperceptibilis: nam ſimpliciter, & ſtrictè eſt fides actualis, poteſtque præſtare omnia, per ſe loquendo, quæ *n.*24. diximus per fidem eſſe præſtanda: Nec invenio Authorem, qui diſſentiat, licèt enim Dicaſt.*de pœn.d.*1. *num.*231.ad juſtificationem requirat actum fidei formalem, & Eſp.*de Pœn.q.*88.*a.*2.actum ſpei formalem, ideo eſt, quia ſupponunt fidem, & ſpem virtualem non eſſe reipſa actualem, & ſic dicunt idem, quod diximus *n.*24. non negant autem ſufficere virtualem illam, quam nos dicimus eſſe reipſa in ſe fidei actum. Vide dicta illo *n.*16.

26 *Q.*5. *Quænam opponi ſoleant contra dicta qu.præced. & quomodo ſolvantur?* R.Præcipuè ſunt ſeqq.

§.1. *Objicitur* 1. Si fides, & ſpes prærequiratur ad dolorem ſufficientem pro Sacramento pœnitentiæ, uti *n.*19. & 20. dictum eſt, ergo qui non elicuerit illos actus ante Confeſſionem, tenebitur Confeſſiones repetere. R. Si ſciret ſe nequidem virtualiter habuiſſe, c.Ex hoc præcisè, quòd nunc non meminerit ſe habuiſſe, n. ſeq.nam qui de more frequentarunt catechiſmos, ac poſtmodùm aſſueverunt formaliter credere ac ſperare objecta neceſſaria, prudenter ſupponunt ſe ea iterum credidiſſe ac ſperaſſe ſaltem virtualiter, dum dolebant de peccatis, volebantque confiteri: Ratio eſt, quia dolor, qualis ordinariè elicitur, prærequirit cognitionem omnium illorum objectorum, uti *n.*19.dictum eſt, ergo moraliter fieri non poterat, quin excitarentur ſpecies de illis objectis, vel ſaltem de prioribus actibus circa illa, & cùm ſpecies illæ eſſent connexæ, connaturaliter loquendo, excitabantur omnes ſimul, ergo intellectus, qui ſemper quærit certitudinem, nec aliunde poterat eam habere, continuò recurrebat ad ſimiles certas cognitiones fidei, conſequenter etiam emovebatur voluntas ad correſpondentes actus ſpei vel timoris, quamvis homo non ſemper adverteret ſe eos actus habere: hinc infert Lugo *diſp.*13. *num.*44. ſtultè aliquos ſcrupulis angi, eò quòd non recordentur, an habuerint fidem ante Confeſſionem, ſi enim habuerint dolorem, dicit putare debere, quòd habuerint etiam fidem: quod intelligendum eſt de illis, qui antecedenter ſatis ſciverunt credenda, & modum credendi; atque idem eſt de ſpe: aliud de aliis, qui nunquam ſciverunt credenda aut ſperanda, neque modum eos actus eliciendi, de quo dicetur *à n.*30. *&* 115. Notatque rectè Platel.*n.*241.Confeſſarium, priuſquam abſolvat, teneri interrogare pœnitentem, ſi rationabiliter dubitet, an ſciat neceſſaria neceſſitate medii. Addit tamen dubium non eſſe rationabile, ſi pœnitens ſit litteratus, bene educatus,& frequenter confiteatur.

*Inſt.*1. Nemo poteſt eſſe certus ſe neceſſaria ſciviſſe, aut antę Confeſſionem ſufficienter elicuiſſe actus neceſſarios, ergo manebit obligatio repetendi illas Confeſſiones, quia circa valorem Sacramentorum non eſt licitum ſequi incerta, & tantùm probabilia. R. Dato ant. n. conſ. cujus prob. diſt. circa valorem Sacramenti ſuſcepti non eſt licitum ſequi tantùm probabilia, n. circa valorem Sacramenti ſuſcipiendi, c. aſs. Diſparitas eſt, quòd in caſu Sacramenti probabiliter validè ſuſcepti, non tantum ſit poſſeſſio pro valore actus, ſed nullum inſuper Sacramentum ideo exponetur periculo nullitatis, licèt enim peccata illa omittantur in ſequentibus Confeſſionibus, non ideò Confeſſiones exponentur periculo nullitatis, quia certum eſt Confeſſionem tantum formaliter integram ſufficere ad valorem, uti dicetur *lib.*6.*tract.*4. *cap.*1. *ad d.*3. Oppoſita omnia ſunt, ſi agatur de Sacramento ſuſcipiendo, tunc enim fateor meritò adhibendam majorem cautelam, ut per præmiſſos actus fidei, & ſpei voluntas diſponatur ad dolorem ſupernaturalem, præſertim cùm neſciamus, quando actus illi deſinant eſſe virtualiter, & tantum habituaLiter permaneant.

*Inſt.*2. Ad dolorem ſupernaturalem ſatis eſt, quòd præcedat naturalis cognitio peccati, ergo etiam ſufficiet, ſi præcedat cognitio naturalis Dei ut remuneratoris vel ut ſummè boni: R. N. conſ. præcognitio peccati eſt pura conditio, de ſe non diſponens ad gratiam vel ſalutem, ſed de ſe indifferens, ut peccatum ametur vel odio habeatur; e contra præcognitio Dei per fidem eſt propriè diſpoſitio ad ſalutem, ſaltem ex ordinatione Dei in præſenti providentia, ſecundùm dicta *n.*22. & id reſcimus ex Scriptura, Conciliis, PP.& Doctoribus, qui nil ſimile dicunt de præcognitione peccati.

*Inſt.*3. Saltem ad dolorem de peccato, quod certò cognoſco eſſe plenè remiſſum, non prærequiritur ſpes veniæ, quia ſpes eſt deſiderium, quod tendit in bonum abſens probabiliter obtinendum, venia autem talis peccati cognoſcitur certò præſens, & obtenta. R. N.aſſ. per ſpem veniæ intelligitur ſpes remiſſionis peccati, id eſt, gratiæ remiſſivæ peccati, talis autem remiſſio poteſt fieri ſæpius, ac ſæpius cauſari talis gratia per novam abſolutionem, uti ſuppono ex dicendis *lib.*6. *tr.*4. *c.*1.*ad dub.*1.

*Objic.*2. Durum eſt, contra mentem omnium fidelium 27
dicere, quòd per omnia opera etiam in ſtatu gratiæ facta, v.g. per eleemoſynas, nihil mereamur præmii ſupernaturalis, niſi prius tendamus in Deum per fidem, & ſpem, ergo dicta *n.*21. ſuſtineri non debent. R. N.ant.nam ad hoc dicendum cogunt nos Authoritates, & rationes ibi adductæ. Neque hoc videri debet durum, nam qui ſcit objecta credenda, & ſperanda, ac ſæpè exercuit fidem ac ſpem, ſi ex bono fine det eleemoſynam (quod requiritur ad meritum apud Deum:) virtualiter, & exercitè cognoſcit honeſtatem illius operis Deumque remuneratorem, à quo proinde ſperabit, uti *num.*26. explicatum eſt: ſimiliter quoties formabit Crucem, adorabit Crucifixum, audiet Miſſam, orabit &c. concomitanter eliciet actus fidei, & ſpei, quibus aſſuevit circa talia objecta tunc occurrentia. Denique talis homo, cùm fidem Chriſtianam ſæpius poſuerit tanquam certiſſimam regulam ſuarum actionum, quibus ad Deum, & beatitudinem vult tendere, quoties hoc vel illud honeſtum volet agere, etiam volet tendere ad Deum, & beatitudinem ſuam ex directione ſuæ regulæ, licèt non ita advertat; ſicuti qui ex regula didicit ſyllogiſmos facere, poſteà ex regula eos repetit, licèt non ita advertat ſe ab ea regula dirigi, uti dictum eſt *n.*16.Et ratio à priori eſt, quia difficillimum eſt, ut amans aliquem finem eligat medium, quod novit eſſe conducens ad illum, & non prius tendat in eum finem, ergo cùm omnis Chriſtianus amet beatitudinem, & ex fide ſciat honeſtatem omnis actus boni conducere ad beatitudinem,

quando operabitur honestè, facillimè, & pro priori per fidem tendet in illam beatitudinem.

*Inst.*1. Incredibile est homines pios, & simplices, qui nihil cogitantes de actu fidei, meditantur aliquid de creaturis, & inde accenduntur, v.g. ad laudem Dei, habere actus tantum naturales. R. De infidelibus non habemus exempla, quòd ita accendantur: si fideles sint, vel erunt actus naturales, vel prius per fidem, saltem virtualem, agnoscent Deum ut Authorem talis creaturæ.

*Inst.*2. Talis laus Dei posset dirigi per actum prudentiæ supernaturalis, dictantis Deum ex tali creatura esse laudandum, ergo non est opus actu fidei. R. Talis laus, si sit supernaturalis, posset dirigi per actum prudentiæ supernaturalis, suppositâ cognitione fidei, c. hac non suppositâ, n. Prudentia enim, ut dictet Deum esse laudandum laude, quæ ad beatitudinem conducere possit, supponere debet omnia principia laudis supernaturalis adesse ex parte actus primi, inter quæ est cognitio fidei certa de eo, quòd Deus sit finis ultimus, objectum & author beatitudinis.

*Inst.*3. Pia affectio credendi, & judicium credibilitatis sunt actus supernaturales, neque tamen ad eos prærequiritur fides, cùm hanc præcedant, ergo nec prærequiritur ad alios actus supernaturales. R. n. conf. priores enim actus spectant ad fidem completè sumptam, uti rectè Lugo *d.*5. *n.*46. & Platel. *n.*223. Concilia autem, PP. & AA. prærequirunt fidem ad actus supernaturales à fide distinctos.

*Inst.*4. Oratio, qua primò oraturus ardenter petit fidem, est actus distinctus à fide, præcedens fidem, & tamen supernaturalis, ergo. R. Rhod. *d.*2. *q.*3. *s.*4. §.1. & Card. *d.*16. *n.*20. putant talem orationem esse naturalem, & tantùm removere impedimentum fidei: *Lugo* permittit esse supernaturalem, sed dicit pertinere ad fidem ac in ratione doni computari pro fide, cùm sit quædam ejus inchoatio, & reipsa oriatur ex lumine fidei, sicuti crepusculum matutinum computatur dies, quia est à lumine Solis, & inchoat diem; favetque huic sententiæ S. Gregor. *hom.*9. *in Ezech.*

*Objic.*3. SS. PP. loquentes de necessitate fidei sæpè sumunt fidem pro cognitione honestâ; uti ostendit Ripald. *d.*17. *s.*2. 3. & 4. eo sensu, quo dicitur, omnia esse peccata, quæ non fiunt ex fide, ergo malè explicantur de fide stricta, & consequenter dicta *n.*23. non subsistunt. R. n. conf. nam alibi talem requirunt fidem ad meritum, qualem ad justificationem, hæc autem debet esse stricta, uti certum est ex dictis *n.*8. ergo.

*Inst.*1. Conc. Moguntinum *c.*7. *de justif.* dicit, prævenientem gratiam, tum per alia media, tum potissimùm in prædicatione verbi ad conversionem hominum operari, ergo agnoscit sine prædicatione verbi dari gratiam prævenientem, etiam ad justificationem, ergo dari potest etiam justificatio sine fide stricta. R. N. secundam seq. nam imprimis secluſa prædicatione poterat revelatio proponi per lectionem vel illuminationem internam, ad quam sequi poterat fides stricta: Deinde licèt omninò primæ gratiæ prævenientes datæ fuissent ante fidem, tamen fides debuisset supervenire tanquam medium ad justificationem.

*Inst.*2. S. Aug. & alii PP. agnoscunt in infidelibus gratias supernaturales excitantes ad bona opera, planè independentes à fide, uti latè ostendit Ripald. *s.*6. & 7. sic *S. Basilides*, quia adhuc infidelis defenderat *S. Potamienam* à quorundam petulantia, meruit converti post triduum: sic *S. Greg. Naz.* orat. 19. loquens de actibus virtuosis Patris sui adhuc infidelis, ait, *Pro his rebus fidem quoque, ni fallor, præmii loco retulit*: sic Daniel *cap.*4. suadet *Nabuchodonosori* infideli, ut peccata sua eleemosynis redimat. R. Illis gratiis non consentiebant consensu supernaturali, nisi mediante fide: *S. Basilides* isto actu non meruit gratiam conversionis, sed *S. Potamiena* pro ipso orans impetravit: *S. Greg.* latè sumit Tò *præmium*, nam opera illa non merebantur fidem, sed impropriè disponebant, removendo impedimenta graviora, ut verba illa exponunt interpretes apud Lugo *n.*74. *Daniel*, vel supponebat priùs habendam fidem, ex qua darentur eleemosynæ, vel si ante fidem suadebat eleemosynas, hæ tantùm poterant avertere pœnas temporales, quod fuisset præmium tantùm naturale. Ex hactenus dictis,

29 §.2. *Inferuntur seqq.*1. Quàm gravis sit obligatio illorum, qui curam animarum habent, ut sibi commissos benè instruant in fide, utpotè à qua velut principio primo pendent omnia: *Planè*, inquit Herinx *d.*7. *num.*42. *longè utiliùs instituerentur coram plebe conciones catechisticæ quàm aliæ, in quibus subtilizantur loca Scripturæ, & conceptus ac discursus captum plebis excedenter proponuntur, prout tamen frequenter fieri videmus.* 2. Quàm prudenter etiam faciant alii, qui sine obligatione regunt animas, si modum exercendi virtutes Theologicas benè edoceant, earumque exercitium frequenter commendent: longè plus proderit per medium quadrantem actus fidei, spei, charitatis elicuisse, quàm per dies multos se afflixisse ciliciis vel jejuniis, aut vacasse aliis suis devotiunculis. 3. Quàm quisque pro se sollicitus esse debeat, ut in his quoque frequenter se occupet, partim ut assuescat, sic enim fiet, ut actus illi sæpè, & maximè in necessitate recurrant quasi ex habitu; partim quia sunt regula, anima & perfectio omnium agendorum ac patiendorum pro vita æterna.

*Q.*6. *Quomodo homo, etiam rudis practicè instrui, & in-* 30
duci debeat ad credendum? R. Quidam animarum Curatores hic parum operæ ponunt, & putant satis esse, si interrogarint, numquid credis omnia? &c. alii putant se multum fecisse, si mysteria credenda ordine proposuerint, & verbo addiderint, numquid hæc credis, quia Deus dixit? Rudes sic instructi nunquam credent, licèt millies dicant, credo, & insuper recitent omnia symbola fidei. Itaque procedendum est hoc vel simili modo, edocendo sequentia.

§.1. Credere fide divina, non est tantùm cogitare de objectis 31
à Deo revelatis, v.g. de Deo existente, de Deo remuneratore &c. sed credere est habere assensum circa illa objecta: & quidem ex motivo illo, quia Deus dixit, uti statim explicabitur; si enim assentiatur ex alio motivo, vel quia homines hoc dicunt, vel quia ratio naturalis hoc suadet aut evincit, erit tantùm fides humana vel opinio vel scientia naturalis, planè inutilis ad salutem, justificationem, vel meritum.

§.2. Præcipua objecta, quibus homo assentiri debet in ordi- 32
ne ad eliciendos actus virtutum, ad suscipienda Sacramenta, ad meritum è bonis operibus reportandum, sunt seqq. 1. Deum esse, qui gubernat omnia. 2. Deum esse remuneratorem bonorum, & punitorem malorum. 3. Animas esse immortales. 4. Gratiam esse necessariam ad salutem. 5. Deum esse unum in essentia, & Trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. 6. Secundam personam, quæ dicitur Christus, esse pro nobis factam hominem, & passam. 7. Christi gratiam nobis conferri per Sacramenta ab ipso instituta, speciatim per illa, quæ suscipere volumus. 8. Deum esse infinitè sapientem, & veracem, ideoque non posse in eo, quod dicit, falli aut fallere: item promisisse nobis æternam beatitudinem ac media ad illam, & esse infinitè fidelem ac potentem servare sua promissa: item esse infinitè bonum, propter se dignissimum amari, & non offendi. 9. Deum esse finem ultimum rerum omnium, ad cujus agnitionem, amorem, honorem dirigenda sint omnia.

Hæc omnia objecta credenda, debent ad captum exponi rudibus, alioquin nequidem intelligent, quid sit hoc, quod illis proponitur credendum.

§.3. Inculcandum est, quòd omnia ista sint revelata à Deo, 33
& nobis credenda proponantur per Ecclesiam, quam Christus dixit esse columnam veritatis, quam vocavit petram non evertendam per portas inferi, quam qui non audit, vult Christus eum haberi tanquam Ethnicum & Publicanum.

§.4. Si homo instruendus velit rescire, ubi Deus singula ista 34
revelaverit, dicatur ipsi, quòd revelaverit in sacra Scriptura, uti pro singulis facilè incidet aliquis textus, aut antecedenter eos sibi notaverit Instructor: de cætero illis, qui sunt catholici, satis esse debet, quòd Romana Ecclesia, quæ sola est vera Ecclesia, proponat ista credenda: si autem hactenus non fuerit Catholicus, explicari illi debet, quòd sola Ecclesia Romana sit vera Ecclesia, eò quòd ipsa sola habeat veræ Ecclesiæ notas: quæ sunt esse *Unam*, *Sanctam*, *Catholicam*, *Apostolicam*: & pro his singulis probandis debet Instructor aliundè in promptu habere convincentia argumenta: Etiam inde ad captum rudium suadetur solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, quia in illa fuit semper, & adhuc est gratia miraculorum: in illa observantur Evangelica Christi consilia: ipsius fides per totum mundum jam dudum prædicata est: in ipsa mori cupiunt plerique etiam Acatholici, quando advertunt se per mortem ituros in æternitatem.

§.5. Illis objectis ita à Deo revelatis, & ad credendum per 35
Ecclesiam propositis assentiri debet unusquisque firmissimè; firmius, quàm si oculis videret, quia visioni oculorum potest subesse deceptio, non autem fidei divinæ; debet autem assentiri ex motivo infinitæ authoritatis Dei, qui ista dixit.

§.6. Authoritas illa Dei est aliqua perfectio, & excellentia in 36
Deo, propter quam est dignissimus, cui firmissimè assentiamur, si ipse aliquid dicat, reipsa autem ista authoritas consistit in hoc, quòd Deus, qui hoc dixit, in primis sit infinitè sapiens, qui omnia sciat, sicuti in se sunt, nec possit falli: deinde quòd sit infinitè verax, qui aliter loqui non possit, quàm sciat, ideoque non possit fallere; & hoc utrumque necessarium est, nam si posset falli, quamvis non posset fallere; aut si posset fallere, quamvis non posset falli, non esset summè dignus, cujus verbis firmissimè assentiremur: utroque autem illo habito jam est summè dignus tali assensu.

§.7. Ut ille, qui instruitur, hæc meliùs capiat, rogari 37
debet, cur potiùs credat, v.g. D. Pastori sibi aliquid dicenti, quàm alicui petulanti juveni; utique dicet, quia puto D. Pastorem benè scire, quid dicat, & non velle aliter dicere quàm sciat, sive, quia puto illum non errare nec mentiri; talis

autem

autem juvenis ſæpè dicit, quod neſcit, aut etiam ſæpè mentitur: id applicet Deo, qui neceſſariò ſemper ſcit omnia, ſicut in ſe ſunt, & non poteſt aliter loqui, quàm ſciat; ſi enim poſſet falli vel mentiri, non eſſet Deus, quia eſſet valdè imperfectus, Deus autem eſt talis, cui nulla perfectio poteſt deeſſe; ex quo colliget Deum eſſe digniſſimum, cui in omnibus credamus per aſſenſum firmiſſimum.

38 §.8. Licèt inſtruendus viſus ſit iſta cœpiſſe, eadem tamen aliàs repetenda ſunt, tum quia per ſe ſatis ſunt difficilia, tum etiam quia facilè elabuntur apud homines aliis intentos, niſi firmata ſint longo uſu. Pueri ſæpè ſciunt omnia iſta verbotenus dicere, rem autem non capiunt, uti inde conſtat, ſi eadem aliis verbis per interrogationes proponantur, tum enim hæſitabunt vel errabunt, unde ut hi aliique ſimiles ſufficienter informentur, debent paulatim per partes edoceri de ſingulis, aliis vicibus repetendo omnia ſimul quaſi curſim, ut memoria retineant, diutiùs autem inhærendo illi puncto, quod tunc accuratiùs explicandum aſſumitur.

39 §.9. Ad firmandam, & perficiendam ejuſmodi inſtructionem multùm juvabit cum ipſis ſæpè, ubi occaſio erit, conceptis, & ſemper iiſdem verbis elicere actum fidei, aut etiam in ſcripto vel impreſſo dare, ſæpiùs pro privata devotione orandum.

40 *Q.7. Quomodo practicè elici poſſit ejuſmodi actus fidei?* R. Formulam ejus dabo *n.*153. ubi conjungam etiam formulam actuum Spei, Charitatis, & Contritionis.

CAPUT II.

Quando obliget Præceptum fidei.

41 „ RESP. I. Præceptum fidei internum obligat, 1. Pueros „ inter fideles educatos, quando rationis uſum perfe- „ctè conſecuti myſteria fidei audiunt, apprehenduntque, „ quòd illa credere, ſit res neceſſaria ad ſalutem: peccantque „ mortaliter omittendo, Sanch. Bon. *tom.*2. *d.*3. *q.*2. *p.*2. addens „ plurimos eorum excuſari inadvertentia, aut invincibili igno- „rantia. 2. Adultos infideles, quando ratio incipit dictare, „ res fidei ſufficienter propoſitas eſſe, & contrariam ſectam „ eſſe falſam, Sanch. *l.*2. *mor. c.*1. Kon. *d.*14. *de fide*, Fill. *t.*22. „ *n.*25. 3. Quando urget tentatio contra fidem, quæ aliter vinci „ nequit: Quod tamen non convenire ſcrupuloſis, rectè mo- „net *Sanch.* quia hi avertendo mentem ad alia objecta, facilius „ ſuperant: & in his duobus caſibus præceptum obligat per ſe: „ in ſequentibus per accidens. 4. Quando tentatio urgens con- „tra alias virtutes aliter ſuperari nequit. 5. Quando facienda „ eſt profeſſio fidei exterior, vel ex præcepto eliciendus eſt „ actus alterius virtutis, v.g. Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, „ quæ fidem ſupponat, Bon. *q.*2. *p.*2. Hic addit *Hurt.* contra „ *Sanch.* 6. in hora mortis: & 7. Semel quotannis. V. Dian. „ *p.*5. *t.*13. *R.*19. *Ex iis reſolvuntur hi caſus;*

„ I. Hæreticus, quamdiù ſuam ſectam judicat eſſe credibi- „liorem, vel æquè credibilem, non tenetur credere; quia „ fides nondum eſt ſufficienter ipſi propoſita, ageretque im- „prudenter, Sanch. *l.c.* Laym. *l.*2. *t.*1. *c.*10. & 12.

„ II. Quando iis, qui in hæreſi nutriti ſunt, perſuaſum eſt „ à puero, nos abjicere & perſequi verbum Dei, eſſe idololatras, peſtilentes deceptores, ideoque tanquam peſtes fugien- „dos; non poſſunt ſtante hac perſuaſione, ſalva conſcientia „ nos audire; & laborant ignorantia invincibili, cùm non „ dubitent ſe eſſe in bona via, Laym. *c.*10. Sanch. *l.c.*

„ III. Si talibus oriatur dubium de ſua ſecta, tenentur ul- „teriùs inquirere, & à Deo petere lumen, (quod ſi negligant, „ peccant contra fidem, cùm non adhibeant media ad im- „plendum præceptum fidei,) quòd ſi deinde noſtra fides eis „ ſufficienter proponatur, tenentur amplecti. Ib. V. Palao „ *t.*4. *d.*1. *p.*12.

„ Reſp. II. Præceptum exteriùs fidem confitendi, jure natu- „rali obligat duplici caſu; ſcilicet, cùm vel honor Deo debi- „tus, vel utilitas proximo impendenda, privativè vel contra- „riè ſubtraheretur. Dixi 1. *Privativè*, ut ſi ideò ceſſaret ma- „gnus honor in Deum, vel utilitas in proximum redundans. „ Dixi 2. *contrariè*: ut ſi alioqui Deus afficeretur injuria, vel „ proximus gravi malo, v.g. ſi inde penderet aliorum conver- „ſio, aut perverſio, contemptus religionis, ſcandalum, &c. „ Ratio reſponſionis eſt: quia actus virtutis tunc videtur præ- „ceptus, quando eſt neceſſarius ad finem præcepti, quod hic „ contingit, quia finis præcepti eſt Charitas, S. Th. 2.2. *q.*3. *ar.* „ 2. Suar. Reg. Fill. *t.*22. *c.*3. *q.*1. *Unde reſolvitur hic Caſus:*

„ Si hæretici conculcent imagines, aliiſve injuriis fidem af- „ficiant, tenetur eam ſua confeſſione tueri Catholicus, ſi qui- „dem inde prudenter ſperet profectum.

„ Reſp. III. Ad profeſſionem fidei externam, jure Eccleſia- „ſtico tenentur ſub mortali, ſecundùm *Tridentinum*, cum „ juramento obediendi Eccleſiæ Romanæ, ut docet Fill. *c.*3. „ ſequentes perſonæ,

„ I. Proviſi de Beneficio curato; idque intrà duos menſes „ à die poſſeſſionis, coram Epiſcopo, aut ejus Vicario ge- „nerali, vel Officiali, *Seſſ.*24. *c.*22. *de reform.*

„ II. Proviſi de Canonicatu vel dignitate, in Cathedrali Ec- „cleſia; idque non tantùm coram Epiſcopo vel ejus Vicario, „ ſed etiam in Capitulo, *Ibidem*, addita pœna (ad quam non vi- „dentur teneri ante ſententiam) ut alioqui fructus non faciant „ ſuos. V. Sanch. *l.*2. *cap.*5. Barb. *de pot. Epiſc. alleg.*61. *num.*29.

„ III. Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, in prima Sy- „nodo Provinciali, cui intererunt, Trid. *ſeſſ.*25.

„ IV. Extendit Pius IV. hanc legem ad omnes Prælatos Re- „ligionum, etiam Militantium, S. Pius V. autem apud „ Rodriq. *to.*2. *q. regul. q.*72. ad omnes promovendos in Docto- „res, Magiſtros, Regentes, Profeſſores, addita excommu- „nicatione latæ ſententiæ, & privatione omnium Beneficio- „rum in eum, qui alios promovet ad talem gradum ſine præ- „via profeſſione. V. Fill. *q.*11. Barb. *in remiſſ. ſ.*24. *n.*12. Ve- „rùm ubi hoc decretum non eſt receptum uſu; non obligare „ monèt Sanch. *c.*3. *n.*4. *Unde reſolvitur:*

„ I. Non tenentur ad dictam profeſſionem proviſi de Ca- „ nonicatibus in Eccleſiis tantùm Collegiatis, vel de Benefi- „ ciis tantùm ſimplicibus.

„ II. Etſi probabile ſit, hanc profeſſionem poſſe fieri per „ procuratorem, ut docent Azor. Nav. & Sanch. probabiliùs „ tamen eſt, teneri, perſonaliter, ut docet Fill. *n.*96. Ratio „: eſt, tum, quia aliàs non videtur fieri ſatis juramento, quod „ perſonaliter faciendum eſſe docet Gloſſa apud Fill. tum „ quia ita decidit Rota apud Garz. *l.*3. *de Benef. c.*3. „

ADDENDA.

*Quæſt.*8. *Quid notandum ſit circa obligationem fidei eliciendæ, quando tentatio urget?* Reſp. Hoc unum, quod ſit quidem illa obligatio, ſi tentatio aliter vinci non poſſit, cùm quiſque de jure naturæ teneatur ſuæ ſaluti proſpicere: putant tamen multi hoc plerumque intelligi de tentatione externa, v. g. ſi Tyrannus urgeat ad negandam fidem, nam interna tentatio communiter oriri ſolet ex ſcrupulis, & augetur per ſollicitum timorem eliciendi tales actus fidei, unde tunc conſultius erit cogitationes aliò divertere, aut ſaltem, ſi quis actum fidei elicere volet, non cogat ſe circa objectum, de quo tentatur: in actuali enim, & ferventi tentatione melius eſt ab illo abſtrahere, ſed eliciat in genere, dicendo: Credo omnia, quæ Deus dixit & Eccleſia proponit credenda, &c. vide dicta *lib.*1. *n.*551. 42

Q.9. Quid addendum ſit circa 4. *Prop. ab Innoc. XI. damnatam?* R. Propoſitio ſic habet, *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens ductus opinione minùs probabili.* Ex hac damnation e certum eſt infidelem non excuſari, ſi non credat, quando noſtra fides ipſi proponitur ut probabilior, quamvis ſua infidelitas ipſi adhuc videatur probabilis: ſed cùm ſecundùm dicta *num.*6. ad credendum requiratur certitudo, & evidentia de revelatione Dei, ex qua formetur Judicium certum & evidens, quòd myſterium propoſitum prudenter poſſit, & debeat credi, hinc difficultas eſt in explicando ſenſu illius damnationis, pro quo ſit, 43

§.1. Bann. Gonet, Lumbier & alii apud Card. *in* 2. *criſi d.*15. *n.*97. dicunt, ad credendum ſufficere, quòd noſtra fides infideli appareat probabilior, ideoque ad credendum ſufficere evidentiam majoris probabilitatis. *Contra eſt*, quia quando eſt evidentia majoris tantùm probabilitatis, eſt tantùm probabilis notitia revelationis, cum qua notitia ſtare poteſt formido, ne Deus non ſit locutus, quòd enim tantùm eſt probabilius, non egreditur fines probabilitatis, & conſequenter non eſt certum, ergo circa illud ſtare poteſt ſimul dubium vel formido de oppoſito, atqui ex dictis *n.*6. ad credendum non ſufficit notitia tantùm probabilis revelationis, ſed requiritur certitudo, excludens omnem formidinem de eo, quòd Deus non ſit locutus, ergo. 44

§.2. Hozes apud Card. *d.*5. *n.*39. dicit talem infidelem non poſſe quidem adhuc credere poſitivè, ideò tamen non excuſari, quia tenetur deſerere ſuam infidelitatem, & implere præceptum negativum fidei, quod eſt abſtinere ab erroribus in fide. *Contra eſt*, nam in primis poteſt meritò formidare, & dubitare de hoc, an ſua ſecta ſit falſa, & conſequenter poteſt dubitare de veritate noſtræ fidei, habet enim tantùm probabilem notitiam de falſitate ſuæ, ergo non tenetur ad præceptum negativum fidei, quod prohibet, ne etiam dubitemus de veritate noſtræ fidei. Deinde ſi in eo caſu tenetur deſerere ſuam ſectam, ideò erit, quia debuit judicare illam eſſe falſam, hoc autem non judicat certò, alioquin non poſſet ipſi apparere ut probabilis, ergo judicat probabiliter tantùm, ergo etiam habet formidinem, ut ſit vera, & conſequenter eam non deſeret, quia perget judicare, quod ſit probabilis. 45

§.3. Filguera apud Carden. *n.*32. dicit ideò non excuſari, quia myſteria noſtræ fidei ſunt evidenter credibilia. *Contra eſt*, 46

quamvis ſint evidenter credibilia ſecundùm ſe, & etiam reſpectu illius, cui ſufficienter proponuntur, non tamen ſunt evidenter credibilia illi, cui proponuntur ut probabiliora tantum, quia cum majori probabilitate adhuc ſtat formido de oppoſito, ergo infidelis, qui non poteſt habere niſi majorem probabilitatem de iis, necdum tenebitur credere.

47 §.4. Eliz.*l.5.q.8.§.5.* docet teneri credere, quamprimùm ipſi fides noſtra promulgatur, unde ſi ſtatim fidem non admittat, peccaturum peccato formali ignorantiæ, etiam neſciendo quid faciat. *Contra eſt*, nam temerarium eſt credere cuivis quidvis dicenti, ergo licitum eſt tantiſper ſuſpendere aſſenſum, dum motiva examinaverit, & credibilitatem agnoverit. Deinde ſi Calviniſta veniat ad Judæum annuntians ei fidem ſuam, aut Judæus ad Calviniſtam, nec Calviniſta, nec Judæus tenetur ſtatim credere, ergo nec tenebitur, licèt Catholicus ei fidem ſuam annuntiet, ſuppono enim non eſſe pro uno majora ſigna credibilitatis quàm pro altero, hinc S.Th.2.2.*q.1. art.4.* ait, quòd licet non videantur myſteria fidei in ſe, tamen videantur in ratione credibilium, *non enim*, inquit, *crederet, niſi videret ea credenda eſſe, vel propter ſignorum evidentiam, vel propter aliquid hujuſmodi*: & ideò etiam *Chriſtus* Joan. 15. ait, Judæos peccatum non habituros, *Si Signa non feciſſet, quæ nemo alius fecit.*

48 §.5. Senſus propoſitionis damnatæ videtur eſſe hic, quòd infidelis, qui non credit, dum habet majorem probabilitatem pro fide noſtra, ideò non excuſetur ab infidelitate, quia eſt in ignorantia vincibili circa fidem noſtram, & ex culpa ſua caret certitudine requiſita ad credendum, eò quòd non adhibeat diligentiam in inquirendo: hoc ipſo enim, quòd noſtra fides ei appareat ut probabilior, cùm fides vera ſit de neceſſitate medii ad ſalutem, tenetur inquirere in argumenta pro, & contra, quod ſi faciat, myſteria fidei noſtræ facilè apparebunt ei eſſe evidenter credibilia; itaque talis infidelis non tenetur determinatè ad credendum, nec ideò præcisè peccat, quòd, quamdiù habet majorem tantùm credibilitatem, hoc ipſo ſtatim non credat, ſed tenetur vel ad credendum, quantùm poteſt, vel ad adhibendam majorem in inquirendo diligentiam, ideò autem peccat, quia ex culpabili negligentia non credit, uti oportet, cùm negligat adhibere diligentiam, qua poſita acquireret certitudinem, & Deus adderet illuſtrationem intellectus ac piam inclinationem voluntatis, ſicque crederet. Quod ſi talis infidelis cum ejuſmodi probabilitate deprehenderetur in articulo mortis, neque haberet tempus vel potentiam diligentiùs inquirendi, teneretur Deum rogare pro illuſtratione intellectus, quam Deus, qui omnes vult ſalvos fieri, non negaret facienti, quod in ſe eſt; per hanc autem illuſtrationem tranſiret illa probabilitas in certitudinem: ita quoad omnia Card. *d.5.c.2.& d.15.c.7.*

§.6. Ex his facilè intelligitur, quomodo cohæreat damnatio hujus 4. prop. & 21. *n.6.* relatæ, nam 21. dicebat probabilitatem ſufficere ad credendum; ex damnatione autem hujus 4. non poteſt inferri, quòd probabilitas aut etiam quòd major probabilitas ſufficiat ad credendum, ſed tantùm infertur, quòd quando eſt major probabilitas, infidelis non excuſetur, ſi non credat, eò quòd teneatur magis inquirere, per quod acquiret, ut credat.

49 §.7. *Buſemb.* hic dicens hæreticum, quamdiù ſuam ſectam judicat eſſe æquè credibilem, non teneri credere, tantùm vult non teneri determinatè credere, tenetur tamen ulteriùs inquirere, quia pro ſua ſecta non habet evidentiam, ergo cùm teneatur credere, tenetur in una Religione quærere evidentiam, quam inveniat in Catholica, ſi indifferenter examinet: è contra quamvis nobis incidat cogitatio, an non fortè ſit aliqua alia Religio vera, non tenemur examinare aut inquirere, ſed tenemur talem cogitationem poſitivè repudiare, quia pro noſtra fide habemus evidentiam ſaltem moralem, nam qui notas veræ Eccleſiæ conſiderat, omninò dubitare non poteſt.

50 *Q.* 10. *Quid addendum ſit circa alias propoſitiones hic damnatas?* R. ſeqq.

§.1. Propoſitio 16. ab *Innoc.XI.* damnata eſt hæc, *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale & ſecundùm ſe.* Hæc damnatio confirmat illa, quæ dicta ſunt *n.*1. circa propoſitionem 1. ab *Alexand.VII.* damnatam, neque opus eſt aliquid addere, niſi hoc, quod notat Card. *d.11. num.26.* nempè certum eſſe, quòd præcepto ſpeciali obligemur ad fidem, non tantùm precepto negativo prohibente diſſenſum, dubitationem, & formidinem in fide, ſed etiam affirmativo obligante poſitivè ad eliciendum actum fidei, uti conſtat ex propoſitione ibi relata: *Innocentius* autem faciens in ſuo decreto mentionem *Alexandri*, in eodem ſenſu loquitur cum illo, uti notat Card. *num.29.*

51 §.2. Propoſitio 17. ab *Innoc.XI.* damnata eſt hæc: *Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.* Ex hac damnatione conſtat, neceſſe eſſe ſæpiùs in vita elicere actum fidei: abſtrahitur autem hic, an id neceſſe ſit de neceſſitate medii an præcepti: item an ſit neceſſe per ſe ratione ipſius præcepti fidei, an autem per accidens ratione præceptorum ſpectantium ad alias virtutes, ſecundùm dicta *àn.*14. qualiſcumque enim, & undecumque ſit ea neceſſitas ſæpiùs eliciendi actum fidei, propoſitio damnatæ contradictoria eſt vera, nempè quòd non ſit ſatis ſemel actum fidei in vita elicere: & ſatisfiet præcepto fidei ex quacumque tandem cauſa vel occaſione ponatur actus fidei; probabilius autem eſt præceptum fidei non obligare per ſe omni die feſto, uti volunt aliqui; neque illis feſtis, quibus aliqua fidei myſteria celebrantur, ut alii volunt, quorum opinionem Ovied. *contr.7.n.73.* dicit paſſim rejici, non enim datur ſufficiens fundamentum ejuſmodi obligationum: eſt tamen obligatio illis temporibus, quæ breviter notat Buſemb. fuſiùs Sanch. *in Decal.l.2.c.1.* Debere frequenter elici, probat multis ex Scriptura, PP. & ratione Card. *d.11. àn.51.* in primis, quia dum nobis occurrit objectum à Deo revelatum, reverentia divinæ locutioni debita poſtulat, ut aſſentiamur: deinde quia non poſſumus diu permanere abſque mortali, niſi frequenter nos excitemus per fidem & ſpem; quod etiam fatetur Lug. *d.13.n.45.* & inſinuare videtur Apoſt. *ad Rom.1. verſ.17. Juſtus autem ex fide vivit.* Denique quia tenemur continuò vivere chriſtianè, hoc autem non facit, qui non credit frequenter, cùm præcipua actio vitæ chriſtianæ ſit credere: Unde Lug. *n.23.* dicit fidelem teneri toties repetere actum fidei, quoties ſatis ſit, ut moraliter dicatur habitualiter ſcire objecta credenda, & profiteri Religionem chriſtianam: notantque communiter AA. Epiſcopis, Parochis, Doctoribus, Concionatoribus, Confeſſariis plura, & magis explicitè eſſe credenda, quàm cæteris, quia non aliter poterunt ſuo docendi officio ſatisfacere, poteſtque de hoc videri Con. *d.14.d.10.* Hi tamen actus fidei concomitanter elici poſſunt, quando quis ſe ſignat Cruce, audit Miſſam, recitat Credo, &c. uti *n.27.* inſinuatum eſt: hinc non eſt ratio, cur quis ſe ideò ſcrupulosè divexet (quamvis conſultiſſimum, & maximè utile ſit ſæpe elicere, explicitè & reflexè, ut *n.29.* in fine dictum eſt) & ideò Lugo *n.45.* ait, cùm materia honeſtè, & inhoneſtè operandi frequenter occurrat, non eſſe dubitandum, quin homo, qui fidem chriſtianam toto corde amplexus eſt, pluſquam ſufficienter ſatisfaciat præcepto fidei.

*Q.*11. *An ille ſpecialiter obligetur præcepto eliciendi fidem, qui per hæreſin vel aliud peccatum infidelitatis amiſit habitum fidei?* R. Affirmat cum aliis multis Ovied. *contr.7.n.69.* & probabiliter, ſi enim teneatur adultus, qui nunquam credidit, multò magis talis, qui fidem propria culpa abjecit: tenetur autem de præſenti ſive primo quoque tempore, quia quando præcepta non determinant tempus, cenſentur obligare pro præſenti, uti *lib.1. n.587.* dictum eſt. Cur autem non ſit ſimilis obligatio ad ſtatim pœnitendum poſt peccatum, dicetur *de Pœnit.* & videri poteſt Arr. *d.12.àn.23.* 52

*Q.*12. *Quid addendum ſit circa obligationem profeſſionis fidei?* R. Hoc unicum, nempè præceptum, quo ex Bulla *S. Pii V.* tenentur facere profeſſionem fidei omnes promovendi in Doctores, Magiſtros, Profeſſores, à Congregatione Cardinalium extenſum eſſe etiam ad eos, qui docent Grammaticam aliaſque artes liberales, licèt eas non tradant in ſcholis publicis, ideoque obſervari debet, ubi uſu receptum eſt. 53

*Q.*13. *An præceptum affirmativum credendi ſit naturale an poſitivum?* R. In quantum obligat ex virtute fidei, dicunt Hurt. & alii cum Ovied. *num.66.* eſſe tantùm poſitivum divinum; docet tamen valdè probabiliter Lug. *d.13. àn.2.* ſaltem obligationem juris naturalis eſſe, ut in communi credatur, quod Deus dicit, ſuppoſito quòd aliquid dicat, adeoque præceptum credendi eſſe etiam naturale, non eo ſenſu, quaſi ſequatur ex conſtitutione naturæ ſecundùm ſe conſideratæ, ſed quia connaturaliter ſequitur ex conſtitutione ordinis ſupernaturalis, in quo Deus aliqua revelare debebat, uti rectè explicat Maur. *q.144. n.8.* ratio enim dictat, quòd reverentia Deo debita exigat, ut ſi loquatur, ei aliquando ſaltem credatur. Deinde in quantùm fides prærequiritur ad Spem, Charitatem vel Contritionem, ad quarum virtutum actus ſæpè eſt obligatio ex jure naturæ, ſic per accidens, & ratione talium virtutum poteſt ad fidem eſſe obligatio ex jure naturæ. Denique præceptum addiſcendi aliqua, etiam ex illis, quæ credi debent, v.g. Pater noſter, Symbolum, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, numerum Sacramentorum, eſt præceptum Eccleſiaſticum, uti rectè Az. hac tamen notitia ſuppoſita, eſt præceptum divinum illa credendi: quæ omnia pluribus deducit Lugo *àn.153.*

CA-

CAPUT III.

An aliquando liceat exteriùs fidem veram negare, aut falsam profiteri?

54 Resp. Nullo casu licet, sive voce, sive alio signo fiat, dicente Christo: *Qui me negaverit coram hominibus, &c.* Interim verò etsi licitum non est mentiri seu simulare quod non est, licet tamen dissimulare quod est, sive tegere veritatem verbis, aliisque signis ambiguis, & indifferentibus, ob justam causam, & cùm non est necessitas fatendi. Est com.S.Th.Kon.*d.*15.*dub.*2.*n.*9.Laym.*l.*2. *t.*1. *c.* 11. *Unde resolvuntur:*

I. Rogatus de fide in odium religionis, sive publica authoritate, sive privata, nullo modo potest, utendo restrictione mentali aut verbis ambiguis, ita respondere, ut præsentibus videatur fidem negasse: multò minùs dicere, se esse hæreticum, vel Calvinistam, vel non Catholicum. Az. Fill.*tr.*22.*n.*67.

II. Qui rogatus, seu privata, seu publica authoritate, vel tacet, vel respondet obscurè, vel ait se nolle respondere, se jure non rogari, non teneri se, nec velle aliis dicere, quid ipse credat, ac simili modo tergiversatur, non videtur negare fidem, sed nolle prodere. Unde si sic potest molesta inquisitione liberari, licet, ut habet Kon. *loc.cit.* Generatim enim verum non est, quòd interrogatus authoritate publica, teneatur positivè fidem profiteri, nisi quando id necessarium est, ne præsentibus videatur fidem negasse, Kon. Nav.Azor.Sanch.Bec.*c.*9.*q.*4.

III. Non negat fidem, sed prodit, qui fugit: quod etsi liceat, non tamen Pastori, tunc cùm ejus opera oves indigent: uti contra, si eis consultius est, ut ad tempus se subducat, & in bonum eorum reservet, tenetur fugere, Regin. *l.*17.*n.*26.Bec.*c.*9.Fill.*n.*75.*&c.*

IV. Si quo casu tacere esset negare, tunc id non liceret: v.g. si aliis rogatis, an fidem negare vellent, iisque respondentibus, quòd non, tu taceres. Ibid.V. Bon.*l.c.* Laym. *l.*2.*t.*1.*c.*11.Tol.*l.*4.

V. Si Princeps generali lege jubeat, ut fideles se prodant gestato signo; vel sistendo se, vel aliter, non tenentur; cùm nemo teneatur verum dicere, nisi specialiter rogatus. Excipe, nisi eæ sint circumstantiæ, ut hoc ipso, quòd se non prodant, videantur fidem negasse, ut v.g. si quidem antea noti essent, & tunc ex hoc putarentur defecisse, Sanch. Bec.Reg.Fill.*n.*88.*&c.*

VI. Cùm non rogaris de fide, non solùm licet, sed sæpè melius est ad Dei honorem, & utilitatem proximi, tegere fidem, quàm fateri: ut si latens inter hæreticos plus boni faciat; vel si ex confessione plus mali sequeretur, v.g. turbatio, neces, exacerbatio Tyranni, periculum defectionis, si torquereris. Unde temerarium plerumque est offerre se ultrò. S.Th.Sanch.Laym.*c.*11.*n.*2.

VII. Redimere pecunia, ne de tua fide fiat inquisitio, licitum est; & sæpè magna virtus discretionis est, vitam ad Dei gloriam servare, ac fidem tegere modis licitis.

VIII. Talis modus non est, uti vestibus aut signis in fidelium, quæ alium usum non haberent, quàm quòd essent signa professiva falsæ religionis seu cultus; uti essent vestes, quarum usus est in sacrificiis, item incensio thuris, aut genuflexio coram idolo: item sumptio cœnæ hæreticæ, &c. Sanch.*l.*2.*c.*4.Fill.*n.*7.8.*&c.comm.*

IX. Licitus autem modus est, quando subest causa (ut v.g. ad evitandum grave periculum, ad obtinendam victoriam, eludendos hostes) uti vestibus, & signis infidelium, quæ alium aliquem usum habent quàm profitendæ religionis; quales sunt vestes talis nationis, (non religionis) quibus uterentur, etsi converterentur; ut sunt vestes, & signa nationis Turcicæ. Quod verum est, etsi sint vestes ipsorum Religiosorum, dummodò non habeant peculiare signum profitendi erroris, sed sint tantùm indicium nitidioris cultus, ut saga Prædicantium in Germania; vel eminentioris vitæ inter suos, ut togæ Bonziorum in Japonia. Idem dicendum est de signis, quibus Judæi utuntur, v.g. flavo annulo in pallio Francofurti, &c. quia hæc sunt signa merè politica, & distinctiva unius generis hominum ab alio, & non propriæ professiva fidei; Quæ sententia probabilis est. V. Sanch.2.*mor.c.*4.Bec.2.2.*c.*9.*q.*5.*d.*6.Laym.*lib.*2.*t.*1.*c.*11.*n.*4. Kon.contra Caj.Nav.Tolet.

X. Licitus item modus est, cùm Catholicus transit per loca hæretica, & periculum grave ei imminet vitæ v.g. vel bonorum, (non tamen, si derisio tantùm, vel vexatio, ut habet Bec.*c.*9.) ad dissimulandam fidem, vesci carnibus die prohibito; quia præceptum Ecclesiæ non obligat sub tali periculo: Neque hoc est fidem negare, cùm esus carnium non sit institutus ad professionem religionis; & Catholici etiam mali, & gulosi id faciant. Si tamen ex circumstantiis fieret signum professivum fidei, ut si v.g. in odium fidei convivæ statuerent, ut qui est hostis fidei Pontificiæ, comedat carnes; peccaret contra fidem, qui ederet sine protestatione: secus, si protestaretur, Bon.Azor.Bec.& com.*l.c.*

XI. In Germania audire conciones hæreticorum, deducere funus, assistere Baptismo pro Patrino, non habentur signa professiva fidei, vel communionis cum hæreticorum sacris. Fill.*n.*85.Azor.Sanch. *ll.cc.* Unde seclusis aliis, v.g. scandalo, periculo, prohibitione &c. si ex justa causa fiant, licent. Imò Patrinum fieri talis infantis, videtur potiùs optandum, seclusis aliis, quia non est aliud, quàm obligare se ad eum olim erudiendum in fide Catholica.

XII. Infidelium & hæreticorum sacris non licet ita interesse, ut eis communicare censearis; alioquin licet, v.g. ut quis spectet tanquam comœdiam, aut famulatum præstet politicum domino suo, exemplo Naaman Syri, de quo v. Bec.Fill.Sanch.*l.c.*Laym.*l.*2.*tr.*1.*c.*11.

XIII. Si Princeps hæreticus mandet sub gravissima pœna omnibus subditis, adire conciones hæreticorum, etiamsi verbis dicat, se hac re aliud nihil exigere, quàm obedientiam civilem, nec velle cogere, ut à fide discedant; cùm tamen reipsa contrarium velle videatur, (nam obedientiam suorum aliter exercere potest) & hæc res ex se apta sit Catholicos paulatim pervertere, & insuper conciliare authoritatem hæresi, ac vilipensionem veræ fidei, non licet obedire. Atque ita bis rescripsit Anglis Paulus V. apud Sanch. *l.*2.*c.*4.*n.*27.Fill.*n.*86.& Azor.*ll.cc.*

XIV. Catholici viventes inter hæreticos, si ex præcepto Magistratus contrahant Matrimonium coram ministro hæretico, peccant contra fidem, etiamsi contraxerint ante, vel contracturi sint postea coram Sacerdote catholico. Kon. *d.*15.*d.*3.Paulus *t.*4.*d.*1.*p.*12.*n.*12.13. *&* 14. testaturque contrahens cæremonia illa, se illum agnoscere veræ fidei Ministrum, quæ sunt intrinsecè mala, Mald.2.2.*q.*2. *art.*3. quia authoritas Ministri, & consequenter doctrinę ejus augetur concurriturque ad ritus hæreticos, quos Minister isto actu exercet: Licitè tamen contrahunt coram Magistratu civili, vel potiùs testantur se, contraxisse, modò priùs vel posterius ritu catholico contrahant; quia hęc actio est instituta ad finem politicum, ut conjuges habeantur, & proles non censeantur illegitimę.

ADDENDA.

Quæst. 14. *Quid notandum sit circa propositiones hic damnatas?* R.Seqq. *In Concilio Romano* sub *Cornelio Papa*: (uti habet *Baron.*ad annum 254.) damnata est hęc propositio tanquam hęretica contra Elisaitas, *Licitum est exteriùs fidem negare instante persecutione, & sufficit eam in animo suo interiùs retinere.* Anno 1679. *Innoc.XI.* damnavit hanc propos. 18. *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.* Pro cujus explicatione, ne quis occasionem errandi habeat ex doctrina Busemb. *ad n.*2. notanda sunt aliqua ex Carden.*d.*12. 55

§.1. Sensus propositionis ab *Innoc.* damnatę est hic: quando quis à publica potestate interrogatur de sua fide, per se loquendo non peccat, si fileat: Hic sensus est falsus, & damnatus; è contra verissimus est iste sensus contradictoriè oppositus, quando quis à publica potestate interrogatur de sua fide, per se loquendo peccat, si fileat, quamvis per accidens possit non esse peccatum. *Ratio* autem primę partis est, quia quando quis interrogatur à potestate publica, cùm illam non audeat eludere, dicendo v.g. quid ad te? cur me interrogas? si fileat, illud silentium non tam erit contemptus personę interrogantis, quàm fidei, unde silens in illis circumstantiis, per se, & regulariter, dat signum, vel negatę fidei, vel suę erubescentię, ob fidem, vel timoris pœnę, ob quem nolit in circumstantiis ita fidei prejudicantibus confiteri Christum, aut saltem communiter dat grave scandalum, adeoque per se est illicitum tale silentium: id exprimit S.Th.2.2.*q.*3.*art.*2. his verbis, *Confiteri fidem non semper nec in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda, putà, si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide*: addit *Ad* 1.*dicendum, quod finis fidei, sicut & aliarum virtutum, referri debeat ad finem Charitatis, qui est amor Dei, & proximi, & ideò quando honor Dei vel utilitas proximi hoc exposcit, non debet esse contentus homo, ut per fidem suam ipsi veritati divinæ conjungatur, sed debet fidem exteriùs profiteri. Ratio* 2.partis est, 56

quia poſſet per accidens, & in caſu rariore non eſſe illicitum ſilere, ſi nempe nullum ejuſmodi inconveniens ſequeretur ex illo ſilentio: imò poſſunt dari multi caſus, in quibus ſilere ſit confiteri fidem, v.g. ſi interrogatus de fide in Chriſtum ſileat; & crucifixum reverenter oſculetur, aut ſuum collum exporrigat gladio; item ſi duo interrogentur, an ſint Catholici, & unus reſpondeat, ſumus, alter verò ſileat, vultu, uti ante, compoſito; item ſi interrogatus taceat, & rideat ad verba minaſque Tyranni; tale illorum ſilentium eſt virtualis confeſſio fidei, unde non eſt damnatum, quòd in ejuſmodi caſibus licitum ſit ſilere.

57 §.2. Si quis taceat interrogatus à perſona privata, pari modo peccat, ſi hoc ſilentium ſit ſignum negatæ fidei, vel erubeſcentiæ de confitenda fide, vel infirmi timoris, vel ſi per hoc detur ſcandalum; negare enim fidem, vel eam erubeſcere, aut dare ſignum timoris tanti, ut potiùs quis vellet fidem quàm vitam relinquere: item proximo dare occaſionem ruinæ, hæc omnia ſunt intrinſecè mala, neque pro hoc eſt diſparitas, ſive perſona publica interroget ſive privata: & hoc vult S.Th. *ad* 2. ubi univerſaliter ſic ait: *In caſu neceſſitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur fidem ſuam aliis propalare, vel ad inſtructionem aliorum fidelium ſive confirmationem, vel ad reprimendam infidelium inſultationem.* Quia tamen ſilere ad interrogationem perſonæ privatæ ſæpè ſæpiùs eſt contemptus perſonæ quàm fidei ipſius, hinc quandoque ſileri poterit, ſi tacitè expreſsè ſignificetur hic contemptus perſonæ interrogantis, & non fidei ipſius, unde poterit dicere, quid ad te? aut etiam omninò ſilere contemptim ridendo, quaſi diceret, non habes jus interrogandi.

58 §.3. Si poteſtas publica decretum faciat in odium fidei, ut qui ſunt Catholici, ſe ſiſtant, & manifeſtent, manet probabile cum Buſemb. quòd Catholici non teneantur ſe ſiſtere, nam licèt ibi ſit decretum poteſtatis publicæ, tamen non cenſetur eſſe interrogatio, niſi perſona nominatim, & in particulari rogetur, quia nemo propriè in generali interrogatur: ſic autem vocatus propter odium fidei non tenetur obedire, ita Suar. Lug. Con. & Caſtrop.

59 §.4. Si quis interrogetur, non in odium fidei, ſed in odium perſonæ, quam interrogatus vult vexare; Con. Lorca & Caſtrop. *d.*1. *p.*14. *n.*3. dicunt, dummodò non cenſeatur negare fidem, nec det ſcandalum, poſſe ſilere ac diſſimulare, quia ibi non agitur cauſa fidei, nec patitur Dei honor, nec nocetur proximo; & parum faceret ad poſitivum Dei honorem, ſi in his circumſtantiis manifeſtarem me eſſe catholicum: è contra ſi poteſtas publica interroget in alium finem honeſtum, uti ſi in Belgio interroget Princeps Catholicus Titium, an ſit catholicus, volens eum promovere ad aliquod officium, Titius tenetur fateri, quia quamvis hæc interrogatio non fiat in odium fidei, tamen agitur cauſa fidei. V. Carden. *num.*37. Poſſunt etiam de illis omnibus videri Arr. *d.*21. *ſ.*2. & 3. Ovied. *contr.*8. *p.*3. Lugo *d.*14. *à n.*37.

60 §.5. Objici hic ſolet: Poteſt quis etiam publica authoritate interrogatus declinare confeſſionem fidei per fugam, ergo etiam per ſilentium. R. n. conſ. fugiendo exercitè fatetur fidem, non item ſilendo.

Inſt. Talis interrogans non eſt legitimus Judex reſpectu quæſtionis fidei, ergo non eſt obligatio illi reſpondendi. Reſp. n. conſ. cùm enim communiter habeatur pro habente authoritatem publicam, debet ut talis reſpici ac honorari, & aliàs ſequeretur idem deſpectus Dei, negatio fidei, ſcandalum proximi: Adde, quòd ſaltem de fatenda tunc fide ſit ſpeciale præceptum Dei, ut nobis declaravit Eccleſia.

61 *Q.*15. *Quandonam prætereà cenſeatur, vel non cenſeatur quis negare fidem?* R. §.1. Si quis neget ſe Papiſtam aut Romaniſtam apud eos, qui per illa nomina intelligunt ſectatorem fidei Eccleſiæ Romanæ, cenſetur implicitè negare fidem, uti cum communi Steph. *tr.*3. *d.*1. *n.*38. an autem hic pro diſſimulanda fide licitum ſit uti verbis ambiguis, non conveniunt Authores, negant Verjuys *in Paſt. miß. t.*3. *art.*2. & Arſdek. *to.*2. *p.*3. *t.*3. *q.*5. quia eſt contra honorem Dei, veritatem fidei, & Eccleſiæ authoritatem, permittere ſe apud audientes haberi pro hæretico. *Conf.* nam qui verba ambigua proferret, quæ apud audientes ſignificarent blaſphemiam aut contumeliam, licèt ipſe alium ſenſum in mente haberet, tamen deberet cenſeri blaſphemus, & contumelioſus, ac reipſa læderet honorem Dei, & proximi, ergo hic à pari cenſeri deberet hæreticus, & reipſa peccaret contra fidem. Oppoſitum tenent Sanch. *in Decal. l.*2. *c.*4. *n.*6. Az. Ban. Nav. Con. Suar. Laym. Fill. Tann. Marchant. Sangall. Reiffenſt. cum Caſtrop. *d.*1. *p.*13. *n.*4. qui dicunt ex gravi cauſa licere hic uti verbis ambiguis ſeu æquivocis, ac etiam reſtrictione non purè mentali, ſicuti iſta quandoque licita ſunt in aliis materiis, ſupponendo ſemper, quod non ideò negetur fides, nec patiatur debitus Deo honor, nec detur ſcandalum proximo, ſicque tantùm permittatur error in audientibus; ſed hæc omnia difficulter aderunt: unde non videtur audiendus Gob. *t.*11. *n.*609. neque ejus *vindex*, dicentes catholicum à Calviniſta interrogatum, an ſit reformatæ religionis; aut à Lutherano, an ſit Evangelicæ, poſſe affirmare, quia religio catholica eſt in multis reformata, etiam per Trid. *de reform.* & revera eſt Evangelica. *Contra* enim eſt, quòd hic circumſtantiæ ſimul ſignificent interrogari de reformatione Calviniana vel Evangelica, id eſt Lutherana fide, ergo id affirmare non poteſt. Vide tamen Vind. Gob. *prop.*20. qui conatur excuſare.

§.2. Qui teſtimonia, ſalvoſconductus aut alias immunitates obtinent, ideò validas vel utiliores, quia in illis exprimitur, quòd ſint Religionis alterius à Romana, moraliter negant fidem, & ſimulant falſam Religionem ideoque peccant mortaliter, uti rectè P. March. *t.*2. *t.*2. *ſ.*5. *q.*3. *d.*2. & Verjuys *art.*12. 62

§.3. Sive generaliter ſive in particulari mihi præcipiatur, ut v.g. claudam officinam, & abſtineam à ſervilibus, die, quo acatholici habent feſtum, vel preces, ſi adſit metus gravis damni, obedire poſſum, quia per hoc non cenſeor approbare feſtum vel finem extrinſecum illorum, ita Leſſ. *in Auct. v. Hæreticus caſu* 9. Verj. *art.*17. ſimiliter ſi etiam publico edicto præcipiatur, ut omnes omnibus diebus comedant carnes, poſito quòd edictum non fiat in contemptum fidei vel Religionis, ſed tantùm ad deprehendendos Catholicos, potero diebus prohibitis comedere carnes, ut rectè Verj. *art.*14. tum enim non cenſeretur fieri in contemptum fidei, ſed ad licitam occultationem perſonæ. 63

§.4. Si aliquis, v.g. ebrius in navi, in qua ſunt Catholici ſtricto enſe dicat, ſi quis hic ex vobis eſt Catholicus, ſurgat, à me ſtatim occidendus; rectè cum aliis reſolvit Sanch. *n.*6. neminem, per ſe loquendo, teneri ſe prodere, cùm nemo cenſeatur interrogari, ſecundùm dicta *n.*58. 64

§.5. Si Acatholicus ſit baptizaturus prolem Acatholici Sanch. Az. Navar. Ledeſm. Hurt. putarunt eſſe illicitum pro Patrino intereſſe Baptiſmo, ſed oppoſitum eſt tenendum cum Laym. *l.*5. *t.*2. *c.*9. *n.*6. & rationem habet Buſemb. 65

§.6. Leſſius *v. Baptiſmus caſ.*1. docet, non licere deferre infantem ad Miniſtrum Acatholicum, ut ab hoc baptizetur, quia ſic videtur profiteri illum eſſe legitimum Miniſtrum Eccleſiæ; ſed in hoc attendenda eſt conſuetudo patriæ, nam per illam delationem, per ſe loquendo, tantùm profitetur illum eſſe Miniſtrum ſufficientem ad Baptiſmum validè conferendum, quod verum eſt: Unde Lug. *d.*14. *n.*161. dicit ob neceſſitatem gravem excuſari poſſe cooperationem ad petendum Baptiſmum ab hæretico, quæ neceſſitas ad minùs debeat eſſe tanta, quanta ſufficeret, ut poſſet peti à laico; & reipſa in periculo gravis damni non videtur illicitum, dummodò ea delatio non cenſeatur eſſe agnitio Miniſtri Acatholici tanquam perſonæ ſacræ, uti inſinuatum eſt. 66

§.7. Etiam licitum eſt honoris vel amicitiæ cauſa intereſſe Matrimonio Acatholicorum contrahendo coram Acatholico Miniſtro, uti habent Nald. Con. Hurt. Lug. *n.*156. Steph. *n.*48. Leſſius quidem *v. Hæreticus caſ.*26. ait non licere adire convivium nuptiale hæreticorum, aut munera dare ad gaudendum vel congratulandum de conjunctione, eò quòd hæc ſit irrita, ſed iſta ratio *Leſſii* non tenet ubique, nam ubi Tridentinum non eſt receptum, aut ubi contra illud præſcriptum eſt, talia Matrimonia valent, uti ſuo loco dicetur; & univerſim iſta licebunt ſaltem honoris vel amicitiæ cauſa. *Conf.* nam Leſſius *ipſe caſ.*25. & Gob. *t.*9. *n.*474. excuſant illos Catholicos, qui pro contrahendo Matrimonio ex gravi cauſa coguntur comparere coram Miniſtro Acatholico, non ob religioſam aliquam cæremoniam, ſed purè ob cauſam politicam, ita ut Miniſter hic non habeat ſe veluti Miniſtrum Eccleſiæ, ſed tantùm ſit veluti perſona ſæcularis, coram qua contrahentes teſtentur ſe Matrimonium inire, uti teſtari poſſunt coram Magiſtratu Acatholico, ne eorum Matrimonia in foro externo cenſeantur illegitima: notant tamen rectè cum *Buſemb.* ejuſmodi Miniſtros plerumque comparere tanquam perſonas ſacras, hinc plerumque illicitum eſſe ſic contrahere coram illis: proclamationes tamen, ſi abſit ſcandalum, fieri poſſunt in eorum templis, uti & fiunt proclamationes aliorum contractuum. 67

§.8. Rectè notat Leſſius *caſ.*10. & 11. non eſſe licitum in templis aut conviviis Acatholicorum eorum Pſalmos ſimul canere: item non licere in eorum templis pulſare organum aut alia inſtrumenta, quia in his videtur eſſe publica approbatio vel ſcandaloſa communicatio in ſacris: ſi quis tamen pulſet organa aut campanas eo tantùm tempore, quo ibi congregantur Cives aut Mercatores tractantes de negotiis ſæcularibus vel commerciis, nullum erit peccatum, uti rectè Arſdek. *p.*2. *t.*6. *q.*9. Laym. *quoque l.*2. *t.*3. *c.*13. *n.*5. excuſat eum, qui pulſat apud eos organum, aperit templum, ſi anteà fuerit Ædituus, & volens ſe convertere ſtatim non poſſit ab eo officio diſcedere ob gravem neceſſitatem, dummodò ſigno prodat ſe illa facere, ut actiones indifferentes ſunt, non autem ut ordinantur ad exercitia Acatholica: ſed etiam in hoc contradicit Verjuys *a.*9. 68

§.9. Qui externè fingit, ac ſi dubitaret circa aliquem articulum 69

eulum fidei, ne per hoc aliis diſpliceat, peccat contra fidem, quia externè negat certitudinem fidei, ideoque dicit dubiam, quod eſt graviter injurioſum divinæ authoritati.

70 §.10. Licitum eſt promoveri ad gradus Juris, Medicinæ, Artium, in Univerſitatibus Acatholicis, dummodò nihil promittant contra fidem aut bonos mores, ita Leſſ. Arſdek. *q.33.*

Plura his affinia addentur *à num.95.* Et ſpeciatim circa occultationem fidei per geſtationem veſtium, eſum carnium &c. de quibus Buſemb. habet breviter: videri poſſunt Lugo *diſp.14.ſect.5.* Pennaf. *d.9.ſ.4.* Ovied. *controv.8. p.4. & ſeqq.* Caſtrop. *d.1.p.17.* Dian. *p.5.tr.7.R.33.* 34. videndus tamen ſimul Verjuys *art.11.*

CAPUT IV.

De infidelitate, & vitiis Fidei oppoſitis.

DUBIUM I.

Quid, & quotuplex ſit infidelitas?

71 „ REſp.I. Infidelitas generatim eſt triplex. *Prima* dicitur *negativa*, eorum ſcilicet, qui nihil unquam de „ fide audiverunt, quæ non tam eſt peccatum, quàm pœna „ peccati; quia ſi feciſſent, quod in ipſis erat, Deus fidem „ eis non abſcondiſſet. *Secunda* dicitur *contraria*, eorum ſcilicet, qui fidem ſibi ſufficienter propoſitam vel contemnunt, vel ei contradicunt pertinaciter; ut hæretici. *Tertia* dicitur *privativa*, quæ privativè opponitur fidei, & „ eſt culpabilis ignorantia, vel error circa res fidei, S.Th. „ Sanch. Vaſq. *l.2.t.1.c.12.*

„ Reſp.II. Infidelitas contraria, ex triplici modo repugnandi fidei, eſt triplex, ſcilicet paganiſmus, qui fidei „ nondum ſuſceptæ: judaiſmus, qui fidei ſuſceptæ in typo; „ & hæreſis, quæ fidei ſuſceptæ in veritate, repugnat. Apoſtaſia à fide revocatur ad hæreſin, à qua tantùm differt, quòd „ hæreſis ſit error fidei ex parte tantùm contrarius; apoſtaſia „ verò ex toto, S.Th. Laym. *l.c.*

ADDENDA.

72 QVæſt.16. *Quandonam deficiat fides in aliquo?* R. Rejectis erroribus, dicemus, quod verum eſt.

§.1. *Lutherus* docuit fidem amitti per quodlibet peccatum mortale, ſed damnatur à Trid. *ſeſſ.6. c.15.* Alii putarunt, ſi deſit charitas etiam deeſſe fidem, ſic Janſenius *l.5. de gratia Chriſti c.6.col.510.* ait, *Nullam Auguſtinus agnoſcit fidem veram atque chriſtianam, niſi ex Dei charitate dimanet.* Repetit *c.7.col.516. Niſi amor flectat hominem ad credendum, non eſſe veram fidem chriſtianam.* Similia habent alii Doctores Lovanienſes: ſed *Contra eſt*, vel loquuntur de fide habituali, vel de actuali; ſi de habituali, damnantur in Trid. *Can. 28. Si quis dixerit amiſſa per peccatum gratia:* (ſeu charitate:) *ſimul & fidem ſemper amitti; aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viva; aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe chriſtianum, anathema ſit.* Si loquantur de actuali, damnantur ab Apoſtolo. 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Hinc S.Aug. *l.15. de Trin. c.18. Fides juxta Apoſtolum ſine charitate eſſe poteſt.* Damnantur etiam ab Alex.VIII. in hac propoſ.12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamſi videantur credere, non eſt fides divina ſed humana.* Ratio eſt, quia poteſt homini non habenti Charitatem evidenter proponi authoritas Dei interpoſita, v.g. pro Incarnatione, hic homo poterit ex eo motivo firmiſſimè aſſentiri, aſſenſus autem ille non erit niſi fidei divinæ, cùm moveatur authoritate Dei, ergo ſine Charitate poteſt dari aſſenſus fidei divinæ. Idem aperte ſignificat Trid. *c.6.* ubi exponens modum, quo etiam magni peccatores diſponuntur ad juſtificationem, dicit primò excitari ad fidem ex auditu concipiendam, tum terreri metu pœnarum, deinde per ſpem converti ad Dei miſericordiam, denique incipere illum diligere tanquam omnis juſtitiæ fontem, ergo ex mente Trid. prius creditur, quàm diligatur Deus.

73 §.2. Fides amittitur per peccatum infidelitatis, uti habet Trid. *c.15.* per infidelitatem autem communiùs intelligitur peccatum mortale, quod eſt directè contra fidem, & opponitur objecto formali illius: Unde probabile eſt non amitti per ignorantiam fidei etiam craſſam, & affectatam, quamvis per eam peccetur mortaliter contra fidem, quia non eſt ſimpliciter infidelitas oppoſita objecto formali fidei.

74 *Q.17. An omnes actiones infidelium ſint peccata?* R. Id docuit Janſ. *l.3. de gratia Chriſti c.2. col.306. Probavimus fusè in præcedentibus nullum opus, quod non ſit peccatum, ab infidelibus poſſe fieri.* Idem habet *c.21.col.306.* Secuti ſunt Sinnichius & alii, ſed *Contra eſt*, nam inter propoſitiones Bajanas damnatas à S.Pio V. Greg.XIII. Urb.VIII. eſt hæc 25. *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.* Erat autem aliquorum fundamentum, quia omnis actio peccatoris eſt peccatum, ſed inter eaſdem Bajanas damnatas eſt hæc 35. *Omne, quod agit peccator vel ſervus peccati, peccatum eſt.* 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Similiter inter damnatas ab Alex.VIII. hæc eſt 8. *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.* Conatur quidem *Sinnichius* oſtendere aliqua opera infidelium poſſe eſſe bona, eò quòd poſſit eis lux à Deo immitti, per quam ad Deum opus dirigant, ſed neque hoc negat Bajus, in cujus ſenſu damnata eſt propoſitio: itaque dicendum, non omnia opera infidelium eſſe peccata, quia poſſunt ex fine honeſto elicere actus, v.g. ſuccurrere miſeris, obedire Parentibus &c. quæ nemo prudens dicet eſſe peccata: hinc inter Bajanas damnata eſt hæc 37. *Cum Pelagio ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit, agnoſcit.*

Opponunt S.Aug. *l.4. contra Julian. c.3.* qui Juliano quærenti, ſi Gentilis nudum operuerit, nunquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt? reſpondet: *Prorſus in quantum non eſt ex fide, peccatum eſt, non quia per ſeipſum factum, quod eſt nudum operire, peccatum eſt, ſed de tali opere non in Domino gloriari, ſolus impius negat eſſe peccatum.* R.S.Th. 2.2. *q.23. art.7. ad 1.* rectè ſic explicat, *Actus infidelis, in quantum eſt infidelis, ſemper eſt peccatum, etiamſi nudum operiat vel quidquid aliud hujuſmodi faciat, ordinans ad finem ſuæ infidelitatis.* Similiter *S. Aug.* eo ſenſu virtutes Philoſophorum vocat vitia, quo opus carens fine debito & neceſſario dicitur defectuoſum ſeu vitioſum. 75

Q.18. An certum ſit, quòd infidelitas purè negativa ſit inculpabilis? Reſp. Eſſe certum, nam etiam inter Bajanas eſt hæc 68. *Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Ratio autem eſt, quia certum eſt omne peccatum debere eſſe voluntarium, ergo cùm infidelitas negativa nullum habeat adjunctum actum voluntatis, qui intendat vel negligat eam removere, certum eſt non eſſe peccatum. Quæ contra objici poſſent, abundè ſoluta ſunt *lib.1. à num.720. & 727.* 76

Q.19. Quam poteſtatem habeant Eccleſia & Principes catholici circa infideles? R.§.1. Eccleſia ſecundùm *cap. Gaudeamus, De divortiis*, non habet directam poteſtatem in infideles non baptizatos, nam Chriſtus dedit Petro poteſtatem tantùm in oves ingreſſas ovile, ideoque etiam Trid. *ſeſſ.14. c.2.* dicit Eccleſiam non poſſe in illos exercere judicium ſecundùm illud 1. ad Cor. 2. *Quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?* & conſequenter nec poterit eos punire. *Si dicas*, poſſe defendi jus innocentis, & vindicari injuriam ipſi factam, ergo etiam poſſe Eccleſiam defendere jus, quod habet Deus, ne offendatur, & vindicare injuriam per peccatum factam. R. Tum tantùm poteſt defendi jus & vindicari injuria innocentis, quando innocens hoc vult, vel ſaltem permittit; Deus autem potens ipſemet defendere, & vindicare, id non permittit hominibus paſſim, ne dentur occaſiones perpetuorum bellorum & confuſionum. 77

§.2. Omnes baptizati poſſunt etiam per pœnas adigi ad fidem catholicam profitendam, ſunt enim ſubditi Eccleſiæ, maximè quoad ea, quæ ſalutem ſpectant. *Nec obſtat*, quòd fortè nunquam crediderint, *nam* reipſa per Baptiſmum ingreſſi ſunt Eccleſiam, & ſubjecerunt ſe ejus poteſtati ac legibus. E contra non baptizati, nec ſubjecti Principibus fidelibus, non poſſunt cogi ad fidem, quòd enim *Chriſtus* Luc.14. voluerit invitatos compelli intrare, explicat *S. Aug.* de hæreticis, in quos juriſdictionem habet Eccleſia. 78

§.3. Cogi poſſunt non baptizati, ut ne impediant prædicationem fidei, ad quam per univerſum mundum prædicandam jus à Chriſto accepit Eccleſia *Matth. & Marc. ult.* Probabilius quoque eſt cum Suar. Hurt. Arr. Lug. *d.9.n.54.* Herinx *d.9. q.4.* poſſe non baptizatos, v.g. Judæos à Principe fideli cogi ad audiendam prædicationem fidei chriſtianæ, ſic enim coguntur Romæ per Conſtit.9. Greg.XIII. *Sancta Mater Eccleſia.* Ratio eſt, quia Princeps poteſt mandare ea, quæ ſunt licita & honeſta, ac conducunt ad politicam gubernationem, ſeu ad concordiam, & pacem communem, quale quid eſt communis profeſſio ejuſdem veræ Religionis: Unde & poterit Princeps prohibere eis omne exercitium falſæ Religionis. An autem poſſit directè cogere ad fidem, dubium eſt, negant S.Th. *q.10. art.8. & 12.* Suar. *d.18. ſ.3.* Caſtrop. *d.2.p.6.* aliique communiùs, maximè cùm ſit contra uſum Eccleſiæ, & id prohibeatur expreſsè, ſaltem de Judæis. Affirmant tamen non improbabiliter ſaltem de aliis infidelibus Scotus & Scotiſtæ cum Herinx *num. 46.* quia Princeps poteſt adigere ſubditos ad ea ſervanda, ad quæ jure divino & naturæ tenentur, ſed jure divino & naturæ tenentur acceptare veram fidem, ergo. 79

80 §.4. Potest, imò tenetur Princeps omnes subditos etiam non baptizatos cogere, ut relinquant errores & vitia, quæ sunt contra naturam, uti sunt idololatria, blasphemia, &c. priùs illa prohibendo per leges, & postea puniendo transgressores: Ratio est, quia tenetur subditos dirigere ad finem gubernationis naturalis, qui est vivere secundùm rectam rationem, contra quam sunt tales errores & vitia, quæ præterea maximè dehonestant Remp. uti pluribus Lugo *n.* 116. & Herinx *q.* 5. Si tamen illi infideles non sint subditi, communis est sententia non posse cogi, quia in illos nullam habent jurisdictionem, neque Ecclesia neque Principes catholici; poterunt tamen etiam armis impediri à peccatis, quæ sunt nociva innocentibus, saltem si hi permittant: Item quæ sunt injuriosa Religioni, quæ defensio innocentium & fidei est illis licita, uti rectè cum aliis Herinx *supra*.

81 §.5. Principes infideles non baptizati non possunt privari Jurisdictione in eos, qui fideles sunt, aut se ad fidem convertunt, Ecclesia tamen prohibet, ne Princeps Christianus infidelem præficiat infidelibus *cap. Cùm sit nimis*, de Judæis & Saracenis: Posse autem infidelem privari dominio proprietatis in fideles veluti servos, idque ob honoren fidei, quamvis abesset periculum perversionis, docent S. Th. *art.* 10. Bann. Lorc. & alii negant Nav. Covar. Suar. & alii communiter, nullibi enim legitur hanc potestatem esse Ecclesiæ concessam: possent tamen fideles, si eorum fides periclitaretur, aut si in exercitiis fidei paterentur injuriam, excutere tale servitium, imò jus positivum supra privat infidelem subjectum christiano Principi dominio servi, hoc ipso quòd hic fiat christianus, quæ omnia pluribus deducunt Lugo & Herinx *q.* 6.

DUBIUM II.

De Judaismo.

Quæritur hic tantùm, quæ communicatio cum Judæis sit interdicta Christianis?

82 „ RESP. I. His casibus, qui colliguntur ex *c. Nulli, c. Judæi & c.* De Judæis. 1. Non licèt cohabitare. 2. Nec „ conviviis interesse. 3. Nec uti communi balneo. 4. Nec Medicos adhibere. 5. Nec medicinas ab iis datas recipere, emere „ tamen licebit præscriptas. 6. Nec Judæorum filios enutrire „ in ipsorum domibus. 7. Iis non famulari. 8. Nec servitute „ subjici. 9. Prohibentur publicis officiis inter Christianos „ fungi. 10. Vetitum est eorum azymis vesci. Quibus addit „ *Azor*, prohibitum esse, accedere ad eorum nuptias, festa, „ synagogas, cum eis ludere, saltare &c. Ratio horum est, „ tum ut conservetur dignitas christianæ religionis, tum ut „ caveatur familiaritas cum Judæis, & periculum perversionis. V. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 17. Sanch. *l.* 2. *c.* 31. Fill. *c.* 22. *n.* 128.

„ RESP. II. In decem dictis casibus communicare cum Judæis, ex genere suo videtur esse mortale. Ratio, quia si „ Clericus id faciat, incurrit periculum depositionis: Laicus „ verò excommunicationis: (*c. Constituit*, 17. *q.* 4.) quæ non „ nisi ob peccatum mortale imponi solet. Dixi *Ex genere suo*; „ quia probabile est, vel ob materiæ parvitatem, vel ob necessitatem, aliamve causam rationabilem (si tamen non sit „ periculum perfidiæ, nec familiaritatis cum Judæis) sæpè „ excusari à mortali, aliquando etiam ab omni peccato. Ita „ communiter. V. Auth. suprà cit. & Bonac. *disp.* 3. *q.* 2. *p.* 6. „ item Laym. *l. c.*

ADDENDA.

83 QUÆST. 20. *Quomodo intelligenda sint ea, quæ prohibentur in Jure circa communicationem cum Judæis?* Resp. Non prohibetur omnis communicatio, hinc P. March. *t.* 2. *t.* 2. *t.* 2. *s.* 3. *q.* 4. ait, *Certum est leges omnes antiquas conversationem Judæorum prohibentes, modo secundùm omnes suas partes non esse in usu ubique.*

§.1. Si absit periculum irreverentiæ, potest Judæo dari panis benedictus, aqua benedicta &c. Item potest Judæus invitari ad concionem, aut Missam, si per hoc sit spes eum convertendi: ita Lugo, & alii cum Stephan. *to.* 3. *d.* 1. *n.* 43.

84 §.2. Non est prohibitum habere servos aut conservos Judæos, ita Suar. Sanch. Bon. Putatque Con. quando fidelibus prohibetur habitatio cum Judæis, intelligi solùm habitationem, in qua Christianus sit subditus Judæo.

§.3. Non peccat Christianus, qui vel invitatus à Christiano vel etiam casu concurrens, in eadem mensa comedit cum Judæo, licèt à Judæo cibos acciperet, nam nec est invitans illum nec invitatus ab illo, ita Sanch. & Bonac. Addunt Az. & Con. illam tantùm comestionem cum Judæo prohiberi, in qua Judæi discretionem ciborum observant secundùm legem Mosaicam.

§.4. Tunc tantùm prohibitum est cum Judæo balneum, si hoc fiat ex condicto, & per modum societatis, non autem si alter sequatur nesciens de altero, uti Steph. *supra*.

§.5. In casu gravis necessitatis semper fuit licitum uti Judæo, 85
Medico, v. g. si hic est notabiliter doctus, vel morbus indigeat multis Medicis, & Christiani non sufficiant, ita Sanch. Bonac. Suar. & alii. Marchant. supra ait, *Videmus passim Medicos Judæorum ad infirmos vocari, etiam per timoratos, & probos*: per receptionem autem medicinarum putant Suar. Sanch. & Bonac. tantùm prohiberi illas, quas Judæi per manus, & ministerium suum præstant, uti sunt, si Judæus venam incidat Christiano, aut ipsemet medicinas applicet velut Chirurgus, hæc tamen licent in gravi necessitate: uti semper licet permittere, ut à Judæo sibi radatur barba vel capilli, & similia, hæc enim nullibi prohibentur. Probabilius quoque est contra Sanch. quòd Christiano liceat medicinas adhibere Judæo, quia prohibitio non est extendenda ultra casus in Jure comprehensos.

§.6. Tantùm prohibitum est famulari Judæo, habitando 86
in propria domo Judæi, illi enim soli propriè dicuntur famuli, ita Bonac. Con. & alii contra Sanch. hinc licebit extra domum famulari Judæo, v. g. conduci ad operas, esse colonum vel agricolam etiam originarium, hi enim propriè non sunt servi, ita Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 16. *n.* 1. Item licebit die Sabbati eos adire, & illis coquere.

§.7. Illa sola comestio azymorum est prohibita, quæ ritu 87
Judaico fit, id est, quæ fit ex observatione legis Mosaicæ; & illa, ex qua hoc scandalum posset generari, ita Suar. & Con.

§.8. Non licet Christiano facere Judæum hæredem vel lega- 88
tarium, quamvis esset consanguineus, ita Silv. Suar. Sanch. & alii: Con. tamen notat attendendam esse consuetudinem.

§.9. Ea solùm familiaritas cum Judæo prohibetur, ex qua 89
periculum perversionis vel scandalum timeri potest, uti communiter habent AA. licitum est autem Christianis in fide confirmatis, qui in conversionem Judæorum incumbunt, cum Judæis familiariter agere, & cibum capere, quia hic non est periculum perversionis, cùm in fide stabiliti sint, uti suppono; neque scandali, cùm fiat ad eos convertendos, ita S. Thom. Sanch. Laym.

§.10. Illæ prohibitiones de Judæis non sunt extendendæ ad 90
omnes Paganos, neque ad alios casus vel contractus in Jure non expressos, quia prohibitio, utique odiosa, non est extendenda extra verba legis; ita Sanch. & alii: hinc non est prohibitum accedere ad nuptias spectandas, vel festa, vel ritus in synagoga, si absit periculum perversionis, & scandali, hæc enim in Jure non prohibentur, uti nec ludere vel saltare cum Judæis, licèt contrarium putet Azor. citatus à Busemb. Hactenus relata docet, & late probat Castrop. *d.* 2. *p.* 9.

§.11. Notat March. *Reg.* 2. & 3. etiam illicita esse Christia- 91
nis hæc duo, in primis venditionem sacræ supellectilis Judæo factam; deinde Matrimonium cum Judæo; & de hoc patet, cùm disparitas cultus sit impedimentum dirimens.

DUBIUM III.

Quid sit hæresis.

RESP. Hæresis, est error intellectus, liber, & perti- „ 92
nax contra fidem, in eo, qui fidem suscepit. Ita „
comm. Suar. Bec. *c.* 14. *q.* 2. Unde patet, ad hæresin, uti „
& apostasiam, duo requiri: 1. Judicium erroneum, quod „
est ejus quasi materiale. 2. Pertinaciam, quæ est quasi for- „
male. Porrò pertinaciter errare, non est hic acriter, & mor- „
dicùs suum errorem tenere, aut tueri, sed est eum retinere, „
postquam contrarium est sufficienter propositum, sive quan- „
do scit contrarium teneri à reliqua universali Christi in ter- „
ris Ecclesia, cui suum judicium præferat; sive id fiat ex va- „
nagloria, sive libidine contradicendi, aliave causa. Ita Sanch. „
Vasq. Laym. *l.* 2. *t.* 1. *c.* 13. *& alii comm.* Ratio, quia tunc putat, „
judicium Ecclesiæ non esse sufficiens fundamentum cre- „
dendi, quæ est vera pertinacia: quam cum *Kon.* facilius sic „
explicant alii, eam tunc esse, cùm etsi objectum fidei cre- „
dibiliter proponatur, ita ut prudenter de eo non possit du- „
bitare, contrarium tamen judicet, à quo nolit avelli ullo „
casu, vel saltem nisi evidenter convictus. V. Kon. *d.* 18. „
Unde resolves, „

I. Non est hæreticus, qui exterius tantùm fidem negat, „
aut adorat idolum. Ratio, quia non errat. Neque talis in- „
currit in foro conscientiæ censuras latas contra hæreticos, „
etsi in foro externo secundùm externa procedatur. Fill. *t.* 22. „
c. 6. *q.* 4. „

II. Est hæreticus, qui affirmativè de aliquo articulo fi- „
dei dubitat, hoc est, judicat esse dubium. Dixi *affirmativè*, „
quia negativè tantùm dubius, hoc est, suspendens ju- „
dicium, per se & simpliciter non est hæreticus, quia non „
habet judicium; ergo nec errorem: modò tamen non ideo „
suspen-

„ ſuſpendat, quòd virtualiter judicet, non liquere de certitu-
„ dine objecti, Sanch. Azor. *l.8.c.9.q.5.* Tol. contra Sanch. &
„ Malderum.

„ III. Nemo eſt hæreticus, quamdiù paratus eſt judicium
„ ſuum Eccleſiæ ſubmittere, aut neſcit contrarium tenere ve-
„ ram Chriſti Eccleſiam; eſtò ex ignorantia etiam culpabili,
„ & craſſâ ſententiam ſuam mordicùs tueatur. Laym. *l.c. n.2.*

„ IV. Nec eſt hæreticus, qui ita diſpoſitus eſt, ſaltem habi-
„ tualiter, ut à ſuo errore eſſet diſceſſurus, ſi ſciret eſſe con-
„ trarium fidei; dummodo pertinaciam actualem nunquam
„ habuerit. Ibid. & Kon. *l.c.*

„ V. Ruſtici, aliique homines ſimpliciores in Germania,
„ qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non ſunt, poſſunt
„ abſolvi à ſuis Parochis. Ratio, quia non ſunt hæretici for-
„ males, habentque fidem catholicam in Baptiſmo acceptam,
„ quæ non perditur, niſi errando pertinaciter. Laym. *l.c.n.4.*

„ VI. Cùm hæreſis, & quævis infidelitas mortalis ſit, pec-
„ cant quoque mortaliter, qui ejus periculo ſe exponunt, ſive
„ converſando, ſive conciones audiendo, ſive libros legendo;
„ quæ proinde, ſi cui periculoſa ſint, illicita ſunt jure natu-
„ ræ: ſi verò periculum abſit, lectio librorum hæreticorum
„ nihilominus illicita eſt jure poſitivo Eccleſiæ; uti etiam for-
„ malis diſputatio Laici de fide. Quod poſterius tamen in
„ Germania locíſque ſimilibus, uti Catholici hæreticis ſunt
„ permixti, abrogavit conſuetudo. Azor. Fill. Bec. Sanch.
„ Bon. *d.3.q.2.p.5.*

„ VII. Matrimonium contrahere cum hæretica, etſi per ſe
„ ſit illicitum, habeaturque in Hiſpania, & Italia mortale;
„ probabile tamen eſt, ob gravem Doctorum authoritatem
„ (Sanch. *de Matrim.tom.2.l.7.d.72.num.5.* Azor. *t.1.l.8.c.11.*
„ *q.5.* Regin. *tract.2.l.32.n.169.* Baſilius Pontius *de Matr. c.6.*
„ V. Lugo *de Sacram.in gen.d.8.ſ.14.n.220.*) in Germania lice-
„ re, ex gravi cauſa, ſalvo tamen jure naturali, & ſemoto peri-
„ culo, tum contrahentis, tum prolium; unde de iis initio
„ conſtitui debet, ut catholicè educentur. V. Bec. *l.5.c.19.*
„ Dian. *p.3.t.4.R.269.*

„ VIII. Eum, qui lapſus eſt in hæreſin, non teneri in Con-
„ feſſione explicare, qualis illa ſit, eò quòd omnes ejuſdem
„ ſpeciei ſint, docent Regin. Dian. *tom.1. tr. de circumſt.R.46.*
„ citans alios: & Eſcob. *Ex.2.c.6.*

„ Alii tamen contrarium tenent, quos ſequitur Lug. *de Pœn.*
„ *d.16.num.288. & num.291.*

ADDENDA.

93 *Quæſt.21. An præſumi poſſit in Germania eſſe aliquos, qui ſint hæretici materiales tantùm?* Reſp. Sunt, qui dubitent, nec immeritò:

§.1. Pro parte negativa ſunt hæc argumenta: 1. Hæretici in Germania ſciunt de fide noſtra, neque poſſunt vel audent eam damnare apertæ falſitatis, ſed debent judicare eſſe ſaltem probabiliorem, pro ſua enim fide, ſi argumenta conſiderent, non poſſunt habere evidentiam credibilitatis, ergo debent dubitare de ſua, & examinare noſtram, quod tamen negligunt, nam ſi examinarent, & inſpicerent Notas veræ Eccleſiæ, ac animo indifferente diſcuterent, an eæ inveniantur in Eccleſia ſua an in noſtra, manifeſtè comperirent, ſtare pro noſtra & non pro ſua, ergo quod id non agnoſcant, eſt defectus inquiſitionis, ad quam obligantur, ergo ignorant vincibiliter, & culpabiliter, ac conſequenter non excuſantur ab hæreſi formali. *Si dicas*, non incidere ipſis cogitationem de illa obligatione inquirendi, *contra eſt*, quia nullus erit, qui vel per inſpirationem Dei, vel per inſtinctum aut ſcrupulum internum ad id non excitetur; his autem ipſi reſiſtunt, quod non deberent, cùm careant evidentia & certitudine de veritate ſuæ ſectæ, maximè defectu Notarum veræ Eccleſiæ. 2. Sciunt multa affingi nobis, *v.g.* quòd adoremus Sanctos, vel Imagines, & quamvis dicatur ipſis eam non eſſe doctrinam noſtram, manent in ſuis præjudiciis, nec dignantur in veritatem inquirere, ergo ignorantia eſt ipſis volita. 3. Sæpè ſunt ita conſtituti, ut ideò non velint fieri Catholici aut in veritatem fidei inquirere, quia ſui Parentes & Proavi non fuerunt catholici, aut quia amiſſuri eſſent opes, honores, officia; eſset irridendi, perſequendi ab aliis; dicerentur inconſtantes &c. hæ autem cauſæ non excuſant, quia ſunt reſpectus humani & rationes purè naturales, quæ pro ſalute animæ contemnendæ forent. 4. Nolunt credere fieri miracula, quæ fide ſaltem humana poſſent & deberent credere, uti fide humana credunt alias hiſtorias, v.g. de bello vel victoria alicubi relata; quòd ſi fidem humanam adhiberent miraculis pro fide noſtra factis, hoc ipſo propiùs accederent ad veritatem, & illuminarentur à Deo. 5. Multi fuerunt, & ſunt in Eccleſia Catholica viri ſancti & docti, qui in oratione, multa diſcunt à Deo, multa prædicunt ſpiritu prophetico &c. hæc audiunt hæretici in Germania, hæc ſciunt: è contra etiam noverunt apud ſuos talia non fieri: *Hæc ratio*, inquit, Caram. *in Hercule Log.lab.3.pag.66. me ſummoperè movet*. Tamen,

§.2. Probabilius videtur, quòd etiam in Germania ſint hæ- 94
retici tantùm materiales: inveniuntur enim aliqui ita ſimplices vel præventi doctrina ſuorum Miniſtrorum, ut firmiter exiſtiment ſe non debere dubitare de fide ſua; ſimulque ita ſincerè procedunt cum Deo in conſcientia ſua, ut ſi ſcirent fidem ſuam eſſe falſam, ſtatim admitterent noſtram: tales autem non ſunt hæretici formales ſed materiales tantùm: Et tales eſſe multos teſtantur Confeſſarii plurimi in Germania Authoreſque experientiſſimi, Tann. *tom.3.d.1.q.8.d.1.n.10.* Teril. *in Reg.q.64.an.* 51. Gob. *tr.7.n.621.* Reiffenſt. *tom.4.d.4.q.2.n.19.* Sporer *in mor. t.2.c.3.ſ.2.§.2.n.14.* V. Vind. Gob. *p.2.prop.3.* Hoc miſerandum eſt cum illis, ſi in aliud peccatum mortale inciderint, quod omninò pronum eſt ejuſmodi hominibus, eos gratia præcipuorum Sacramentorum deſtitui, & communiter damnandos, non ex defectu fidei (ſuppono enim, quòd credant neceſſaria neceſſitate medii) ſed propter alia peccata, quæ commiſerunt, & à quibus non expiantur, neque per Sacramentum pœnitentiæ, quod apud ipſos non eſt; neque per contritionem vel amorem perfectum, ad quem, præterquam quòd difficillimum ſit ejuſmodi homines ad eum pertingere, ipſi tamen non attendunt, nec communiter curant, nec ſtudent elicere, putantes ſe per ſolam fidem & fiduciam in Chriſtum juſtificari, qua damnabili confidentia pereunt miſerrimè.

Q.22. Quid obſervandum ſit circa Matrimonium cum hæ- 95
reticis? R. ſeqq.

§.1. Gob. *in Experien.t.9.n.216.* & Verj. *t.33.a.5.* rectè probant Matrimonia perſonæ hæreticæ cum catholica regulariter eſſe illicita, tum ob periculum perverſionis, tum maximè, quia proles facilè poſſent ad hæreſin deflecti: Nihilominus Sanch. Azor. Verj. *a.6.* Leſſ. *in auct.v.Hæreticus, caſ.23.* putant tunc licere. 1. Si abſit periculum perverſionis. 2. Si detur libertas educandi proles catholicè. 3. Si non facilè ſit invenire parem & convenientem inter Catholicos. 4. Dummodò hæreticus non ſit vitandus. 5. Si ſit conſuetudo ibi, ita ut abſit ſcandalum: & horum unum ſi deſit, non licebit; hæc omnia autem vix concurrent; additque Gob. quòd Authores, qui dicunt id licere, non ſciant, quomodo agatur in Germania.

§.2. Quando reliquæ conditiones adſunt, quamvis adſit 96
aliquod periculum perverſionis, ſi tamen non ſit proximum, licebit tale Matrimonium ex gravi cauſa, uti tenent Lugo, *d.22. n.22.* Arſdek. *t.2.p.2.t.6. in Reſ. de hæreſi q.25.* Verj. ſuprà, quia ſpes magni fructus prævalere poteſt tali periculo remoto. *Nec refert*, quòd perſona hæretica ſit illicitè & in peccato mortali contractura, *nam* id per accidens eſt, & gravis cauſa excuſat cooperantem actioni, quam alter poſſet bene facere, uti dicetur à *nu.255.*

§.3. Docet Lugo *n.31.* ad tale Matrimonium opus eſſe diſ- 97
penſatione, quod intelligit de locis, in quibus conſuetudo eſt in ejuſmodi dubiis recurrendi ad Papam, quia Eccleſia meritò potuit ſibi reſervare judicium, an ſufficiat cauſa, vel non præponderet periculum mali. Notant tamen Lugo *n.17.* Arſdek. *q.* 24. aliique contra Sanch. & Pont. non eſſe opus diſpenſatione, ſi pars hæretica promittat converſionem, credaturque id ſeriò facere, id enim expreſsè excipitur in Jure; immò putat Hurt. ſufficere ſpem converſionis ortam ex ipſius indole vel aliunde, ſed contradicunt Lugo & Arſdek.

§.4. Notant communiter Auctores, ſi aliunde cauſæ ad- 98
ſint, facilius permitti poſſe, ut Catholicus cum hæretica, quàm ut hæreticus cum Catholica jungatur Matrimonio, quia vir majore authoritate pollens facilius trahet uxorem, & proles ad ſuam fidem.

§.5. Non licet pactum inire de ulla prole educanda in hæreſi, nequidem hoc permittendo, tale enim pactum eſt impium & irritum, uti omnes docent poſt Sanch. *de Matr.l.7.d.72.nu.6.* quia Parentes ex Jure naturæ tenentur omnes ſuas proles educare in vera fide: Tann. *tamen de Matr.d.8.q.4.n.91.* dicit in caſu, ubi Matrimonium cum perſona hæretica licitum eſt & valdè utile ad bonum commune, non eſſe illicitum addere pactum, ut aliqua ſaltem pars prolium educetur catholicè, nihil interim præjudicando juri catholici Parentis circa reliquas proles, quas poſteà pro viribus tenebitur educare in vera fide.

§.6. Catholico Parocho licitum eſt benedicere nuptias per- 99
ſonæ catholicæ cum acatholica, idque in gratiam perſonæ catholicæ, quæ Jure illo privari non debet, uti rectè Lugo *d.14. n.158.* & Arſdek. *q.27.* contra Sanch. *d.3. n.13.* Etiam in Germania ex juſta cauſa licitè aſſiſtit Matrimonio, quod duo hæretici in ſua Parochia habitantes contrahunt, uti habent Laym. & Gob. *n.498.* illicitum tamen eſt benedicere illis nuptiis, nam indigni ſunt benedictione Eccleſiaſtica, qui cæremonias Eccleſiæ damnant, ita Tann. *num.93.*

§.7. Si poſt contractum Matrimonium, & ſuſceptas pro- 100
les ſit parenti catholico moraliter poſſibile facere, ut proles

edu-

educentur catholicè, ad hoc ſub mortali tenetur, uti jam inſinuatum eſt, ſepoſito omni reſpectu humano, & etiam cum incommodo; unde ſi non faciat, inſtrui debet de obligatione, quam ſi non promittat implere, & poſtea non impleat, non eſt diſpoſitus ad abſolutionem. Si autem parens ille prævideat graviſſima incommoda ex eo, quòd uxorem coget ad proles catholicè educandas, quæ ſubire vel pati cenſeatur moraliter impoſſibile imbecillitati humanæ, uti ſunt exilium, privatio bonorum, jurgia graviſſimacum uxore, non tantùm ad breve tempus, ſed certò duratura in perpetuum; permittere poteſt educari acatholicè: nam moraliter impedire non poteſt, ſed adhuc monendus de graviſſima obligatione naturali, ut quantum poteſt, ipſe ſuo loco & tempore proles inſtruat catholicè, & animandus, ut contempto metu, ſi fortè ſit, uti ſæpè eſt, vanus, audeat tentare aliquid pro Deo, & animabus prolium à ſe repetendis in extremo die.

101 §.8. Ex dictis rectè infert Steph.*t.3.d.1.n.44.* quàm malè faciant illi, qui proles ſuas mittant ad terras hæreticas, ut ibi, v.g. diſcant mercaturam vel ſtudeant; paulatim enim imbibunt; aut ſaltem molliuntur ad errores, incipiunt liberiùs tranſgredi præcepta Eccleſiæ &c. Idem dicit de illis, qui ſine rationabili cauſa multùm converſantur cum hæreticis, nam ad eadem veniunt, falſas propoſitiones ſibi imprimunt, & quando hæreticorum converſatio ac mores magis placent, incipiunt minùs affici ad Catholicos.

102 *Q.23. An liceat famulari hæretico?* R. De hoc fusè agit Gob.*in Quin.t.5.c.33.dn.93.& in Exp.t.5.ànum.313.* cum quò in pleriſque conſentio, unde ſit,

§.1. Si quis famulans hæretico, ob converſationem illam ſit in proximo periculo deficiendi à fide, Jure naturæ tenetur ſtatim diſcedere cum quocumque etiam incommodo, quia non licet permanere in proximo periculo peccandi, uti dicetur *l.5. ànum.252.*

103 §.2. Licèt periculum illud abſit, ſi tamen famulus impediatur in obſervatione præceptorum Eccleſiæ, v.g. quia debet carnes diebus vetitis comedere, feſtis laborare ſerviliter, negligere Miſſam &c. ſervitium eſt illicitum, niſi excuſet notabile incommodum, uti rectè Nav. Bonac. Sanch. Suar. Laym. & alii communiter cum Caſtrop.*t.22.p.ult.n.6.* Ratio eſt, quia præcepta Eccleſiæ ad ſui obſervationem obligant, niſi grave damnum intercedat, tum autem eſſet grave damnum, ſi vel deberet amittere ſuum ſalarium, vel non poſſet invenire Dominum Catholicum, à quo acciperet ultra dimidium illius, quòd ab hæretico accipit; ſi tamen à Catholico tantùm accipere poſſet, v.g. 6. florenos, & ab hæretico 7. non eſſet notabile damnum: quod ſi 4. tantùm accepturus eſſet à Catholico, videtur reſpectu ipſius fore notabile damnum, niſi aliunde haberet, quo ordinariis ſuis neceſſitatibus ſufficienter provideret.

104 §.3. Si rarò impediretur ab obſervatione feſti, liceret ſervire hæretico, dummodò aliud nihil obſtaret: Ratio eſt, quia etiam difficile eſt reperire Dominum Catholicum, qui quandoque ita non impediat famulum, uti rectè *Suar.& Laym.* ſi quis autem ſingulis menſibus bis deberet impediri, ille non rarò, ſed frequenter impediretur in anno.

105 §.4. Si quis communiter impediatur die feſto, quominus templum adeat, ſed ex juſta cauſa, quia nempè occupatur in miniſterio juxta vivendi modum neceſſario v. g. quia debet cuſtodire pecora, vigilare in excubiis militaribus, navigare in mari per duos treſve menſes, eſſe tabellarius per loca hæretica, non ideò tenetur deſerere Dominum hæreticum vel officium, ita *Laym. Sà, Gob.* Ratio eſt, quia illa etiam apud Dominos Catholicos excuſant ab obſervatione præceptorum Eccleſiæ.

106 §.5. Si quis ex juſta cauſa ſerviat hæretico, & diebus vetitis habeat unum ferculum quadrageſimale ultra panem, non licet illi veſci carnibus, quia etiam famuli apud Catholicos talibus diebus debent ita contenti vivere: ſi omnia alia negarentur, ut ſic adigerentur ad carnes, non liceret ei comedere, niſi prævia expreſſa proteſtatione, quòd ex neceſſitate faciat, alioquin ageret in contemptum fidei: Cauſa autem ſufficiens ad carnes tunc comedendas non eſt periculum irriſionis, ſed neceſſitas, quia vita aliter ſuſtineri, vel labor debitus perſolvi non poteſt.

107 §.6. Antequàm quis addicat operam hæretico, debet expreſsè apponere conditionem, ut permittatur obſervare præcepta Eccleſiæ, alioquin exponit ſe proximis periculis non obſervandi præcepta illa, ad quæ hic & nunc tenebitur; poterit autem appoſita tali conditione tollere impedimentum proximum, ergo ad hoc tenetur.

108 *Q.24. An licitum ſit Catholico adminiſtrare officium politicum apud hæreticos?* Reſp. Licitum eſt, ſi officium nullam habeat communicationem cum ipſa hæreſi; ſi autem talem communicationem vel cooperationem habeat annexam, v.g. quia debet inſtituere Prædicantes, aut quoque modo ordinare miniſteria ad hæreſin ſpectantia, eſt illicitum, quia non licet cooperari ad hæreſin, neque eam defendere, ad quod tamen ejuſmodi Officiales ſæpè tenebuntur: neque hic eſt tantùm materialis cooperatio, nam agunt tanquam ſubordinati intentioni ſupremi Principis hæretici, cujus authoritate faciunt, ergo etiam directè & formaliter tendunt in malum, quod Principes illi intendunt, ita Pet.March.*t.2.t.2.d.2.ſ.5.q.3.d.1.*

Q.25. An liceat Catholico promovere, v.g. ad Parochiam, 109
aliquem Miniſtrum hæreticum, quem putat minùs nociturum veræ Religioni? R. Si id faciat per conſilium tantùm, vel per preces & interceſſionem, licitum eſt, quia poteſt conſuli minus malum, ut impediatur majus alioquin eventurum: & tum non conſulit abſolutè malum, ſed ſub conditione, ſi alter eorum aliquod eſt electurus, ut eligat hoc præ illo; hinc etiam ſecundum Lugo *d.14.n.170.* non videtur illicitum, ſi Patronus catholicus, ob jus, quod habet, præſentet & eligi velit unum Parochum hæreticum præ alio pejori, ubi hæreticus præſentari & eligi debet, nam præſentat illum ad actus, quos ex voluntate ſaltem præſumpta Eccleſiæ poteſt exercere: quòd ſi ipſe poſteà velit ſine titulo redditus Eccleſiaſticos ſibi retinere, aut exercere miniſterium ſuum ritu hæretico, ad hoc permiſſivè ſe habet Patronus, qui ſolùm intendit impedire majus malum, neque intendit malum ſimpliciter, ſed præeligit minus, prout eſt impeditivum majoris. Denique ipſius voluntas non deſervit neque ſubordinata eſt voluntati alicujus alterius intendentis malum, uti fiebat in caſu *num.*108.

Q.26. An liceat hæreticos ſepelire in loco ſacro? R.§.1. Si quis 110
hæreticus ante mortem dederit manifeſta ſigna converſionis, quamvis ab hæreſi abſolutus non ſit, poteſt in loco ſacro ſepeliri, ita Laym.*l.1.t.5.p.2.c.4.n.9.* ubi dicit ad vitandum ſcandalum priùs eſſe admonendum Epiſcopum.

§.2. In quibuſdam Germaniæ locis ex longa conſuetudine 111
permittitur, ut notoriè hæretici in locis ſacris ſepeliantur à ſuis Miniſtris, ita poſt Laym. & alios Lugo *d.14.n.159.* docens cum Nav. Verj. & aliis, Eccleſiam etiam non violari per ſepulturam ullius hæretici, niſi fuerit nominatim denuntiatus vel publicus percuſſor Clerici. Addit Lugo *n.160.* ſi Miniſtri hæretici publica authoritate uſurpent ſibi jus ſepeliendi etiam Catholicos, non licere cooperari, ſed poſſe permitti, quod impediri non poteſt.

§.3. Verj.*t.4.a.9.* univerſaliter docet, per jus canonicum 112
etiam præſcindendo à conſuetudine, non excludi à ſepultura in loco ſacro, niſi hæreticos nominatim excommunicatos, ſed, uti notavit *Laym* obſervanda eſt conſuetudo locorum; nullo modo tamen debet Sacerdos catholicus ad ejuſmodi ſepulturam concurrere more catholico, adhibendo cæremonias Eccleſiæ, ſic enim profiteretur fuiſſe ovem ſuam, & ex judicio Eccleſiæ dignum eſſe ejuſmodi favoribus, ſuffragiis, orationibus, quod falſum eſt, & eſſet cauſativum ſcandali gravis in populo catholico.

Q.27. An in locis, ubi adhuc viget vetus Calendarium, 113
licitum ſit feſta & jejunia ſecundùm illud obſervare? R. Leſſ. *v.Feſta Eccleſiæ, caſ.7.* putat, ſi novum Calendarium ibi fuerit receptum & lapſu temporis comprobatum, non licere ſequi vetus, quia hæretici non poſſunt legem Eccleſiæ, maximè uſu receptam, abrogare, ergo catholici, niſi adſit gravis cauſa excuſans, tenebuntur ſua feſta & jejunia celebrare ſecundùm novum. His contradicit Verj.*a.21.* docens poſſe ſe conformare ſtylo locorum, in quibus ſunt, idque eſſe conveniens ad vitandas plurimas confuſiones, quæ ex illa difformitate orirentur; neque hoc eſt contra mentem Eccleſiæ, quæ novit ita fieri, & non contradicit.

Q.28. An ſit obligatio denuntiandi hæreticos formales? 114
R. Hoc reſolvetur *num.*215.

Q.29. Quis poſſit abſolvere ab hæreſi? R. Hoc dicetur 115
de pœn. quando agetur de caſibus reſervatis.

De libris hæreticis dicemus lib.7. quando de excommunicatione.

TRACTATUS II.

De Præcepto Spei. 116

PEr Spem, quæ eſt ſecunda virtus Theologica, intelligitur amor concupiſcentiæ erga Deum, quo Deum & divina præ omnibus aliis concupiſcibilibus, nobis concupiſcimus, ita ut omnia potiùs parati ſimus perdere, quàm Deum & divina. De hac quæritur, quando ejus præceptum obliget.

Reſp.I. Probabile eſt, præceptum Spei obligare per ſe, cùm primùm homini uſum rationis aſſecuto, Deus & beatitudo tanquam finis, ad quem tendere debet, ſufficienter eſt propoſitus, ita ut notabili tempore non differat. Ita Becan.*c.17. q.7.n.7.* Turrianus & cæteri comm. Et ratio eſt, quia ſine actu Spei nec juſtificari, nec in juſtitia divina perſiſtere, nec meritoriè operari poſſumus. V. Schol.

Reſp.II.

„ Resp.II. Præceptum Spei per accidens obligat. 1. Quando actus Orationis, Pœnitentiæ, Charitatis, &c. in præcepto sunt, qui sine prævio actu spei exerceri non possunt. Auth.cit.&Fill.*t.22.n.255.*

„ Quando quis ita tentatur, ut periculum sit consensus, nisi animum spe erigat. V.Fill.*l.c.* Laym.*lib.2.t.2.c.2.n.1.* Bon.*to. 2.d.5.q.3.p.2.prop.2. Unde sequentes Casus resolvuntur:*

„ I. Mortale peccatum est, sperare, sive amare magis (amore concupiscentiæ) terrena hæc, quàm cœlestia: v.g. si quis ita comparatus sit, ut desideret perpetuò degere in hac vita, & Deo relinquere cœlum, si sibi relinquat terram.

„ II. Mortale item est, desperare de consequendo Deo aut salute & venia peccatorum, aut mediis ad illam consequendam necessariis; v.g. auxiliis gratiæ, & emendatione vitæ: Quod peccatum ratione parvitatis materiæ non potest esse veniale, cùm sit injuriosum misericordiæ Dei. S.Thom. 2. 2.*q.20.a.3.* Laym.*n.3.*

„ III. Mortale item est, præsumere de misericordia Dei, v.g. cùm quis sperat id, quod est impossibile secundùm legem Dei ordinariam, ut si speres remissionem peccatorum & salutem sine pœnitentia, vel per propria merita & vires naturæ; vel etiam si quis statuat perseverare in peccatis, quamdiù benè valet, & tamen speret se acturum pœnitentiam ante mortem S.Th.*q.21.a.1.* Laym.*l.c.*

„ Denique mortale est, odisse Deum, odio scilicet abominationis seu aversionis, v.g. si Deus displiceat tanquam nobis infestus propter vindictam peccatorum. V.Laym.*loc.cit.* Bon.*d.3.q.4.§.1.n.4.*

ADDENDA.

117 *Quæst.30. Quanta sit necessitas spei?* R. Constat, partim ex illis, quæ habet Busemb. hic, partim ex dictis *n.1.& an.11.& 14.*

2. Q.31. Quomodo aliquis practicè instrui & induci debeat ad spem Theologicam? R. Debent ipsi explicari seqq.

118 1. Sperare est optare sibi aliquod bonum, & confidere se illud obtenturum: ex quo patet, quòd spes nostra ad Deum includat duos actus, primus est desiderium boni, quod optamus à Deo; secundus est quædam confidentia & erectio animi sibi quasi spondentis, quod bonum illud desideratum sit obtenturus à Deo: hinc S.Th.1.2.*q.25.a.1. in O* dicit spem supra desiderium addere quendam conatum, & quamdam elevationem animi ad consequendum arduum, idemque innuit Trid.*sess.6.c.6.* dicens peccatorem per spem erigi ad veniam consequendam.

119 2. Objectum materiale spei, sive bonum, quod à Deo speramus, est in primis pro altera vita beatitudo æterna, id est, visio, amor & fruitio Dei, ac cumulus omnium gaudiorum, quæ erunt in cœlis: deinde pro hac vita sunt omnia media ad illam beatitudinem, inter quæ præcipua sunt remissio peccatorum, & gratia sanctificans in fine vitæ.

120 3. Cùm spes includat duos actus, unum desiderii, & alterum confidentiæ, ideo habet duplex motivum, nam motivum respectu desiderii est bonitas Dei, in quantùm illa nos potest æternum reddere Beatos; motivum autem respectu confidentiæ sunt perfectiones Dei, qui propter merita Christi nobis eam beatitudinem promisit, si faciamus, quod in nobis est, hinc Trid.*c.16.* ait, *Sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

121 4. Motivum, ex quo ardentissimè supra omnia desideramus æternam beatitudinem, est infinita Dei bonitas, cujus possessio præferri debet omnibus possibilibus bonis & gaudiis creatis: motivum autem, ex quo super omnia firmissimè confidimus nos beatitudinem illam obtenturos, est, quia Deus, qui illam promisit, est fidelissimus in promissis suis servandis & potentissimus ea servare: Huc etiam plurimum confert, quia sit misericordissimus, ut dare velit auxilia, uti habet S.Th. *q. un.de Spe, quæ est q.7.de spiritualibus creaturis art.1. Sicut objectum formale fidei est veritas prima, per quam sicut per quoddam medium assentit his, quæ creduntur, quæ sunt objectum materiale fidei, ita etiam objectum formale spei est auxilium divinæ potestatis & pietatis, propter quod motus spei tendit in bona sperata; quæ sunt materiale objectum spei:* Et 2.2.*q.18.a.4.ad 2.&* 3. dicit, quòd spes innitatur omnipotentia & misericordia Dei.

122 5. Infinita fidelitas Dei in hoc consistit, quòd Deus sit necessariò determinatus ad hoc factis implendum, quod promisit verbis: infinita autem potentia in hoc consistit, quòd Deus facere possit, quidquid promittit, cùm sit omnipotens: debetque utraque illa perfectio divina adesse, ut possimus firmissime confidere; nam licèt esset fidelissimus & libentissimè vellet explere promissa, si tamen explere non posset; item licèt esset potentissimus, si tamen non maneret constans & fidelis in suis promissis, non possemus firmissimè confidere nos obtenturos, nunc autem possumus, quia ille promisit, qui est fidelissimus & potentissimus.

123 6. Ut ille, qui instruitur, hæc faciliùs capiat, rogetur, si ipsi suus Parens, v.g. & suus juvenis Frater promitterent novam vestem, à quo vellet magis sperare? utique à Parente, quem scit velle servare sua promissa & posse dare, quod promittit; juvenis autem Frater sæpè negligit promissa, aut quamvis libenter servare vellet, tamen non semper potest: id applicet Deo, qui quidquid promittit, vult dare, quia fidelissimus est, & potest dare, quia est potentissimus, ac consequenter ab eo firmissimè sperare possumus æternam beatitudinem nobis propter Christi merita appromissam; itemque media ad illam.

124 7. Actus spei utilis ad salutem, justificationem, & meritum debet esse supernaturalis, qualis erit, si beatitudo promissa, Dei promissio & motivum ipsum spei proponantur nobis per fidem supernaturalem, quæ ideò præire debet, uti à *n.14.* dictum est. Vide etiam *n.24.*

125 *Q.32. Quomodo practicè elici possit actus spei?* R. Formula dabitur *n.154.*

126 *Q.33. An sit præsumptio, si quis ideo audaciùs peccet, quia scit Deum esse infinitè misericordem, aut quia scit se una Confessione vel uno actu contritionis delere posse multa peccata?* R. Si cognitio & spes illa remissionis sit ipsi ratio peccandi, tum est præsumptio; si autem non sit ipsi ratio peccandi, sed tantùm habeat se concomitanter, non est præsumptio, sed est actus spei, bonum enim est etiam tum, quando quis peccat vel vult peccare, sperare veniam à Deo, & proponere posteà confiteri vel pœnitere.

127 *Q.34. An sit præsumptio, si quis ideo peccet, quia simile peccatum commisit, posteà una opera confitendum?* R. Non est, licèt enim per hoc ostendatur, quòd animus sit malè dispositus, qui à peccato plus deterreatur ob pudorem vel difficultatem confitendi, quàm per aliud motivum, tamen ex illa intentione, peccare, nihil aliud est, quàm se solvere à metu novæ & distinctæ erubescentiæ seu difficultatis in confitendo, & ideò peccare liberiùs & sæpiùs, quòd non est præsumptio, ita Tann *t 3.d.2.q.1.n.79.* & post illum Burgh.*cent 1.ca.31.* Si tamen peccans sibi promitteret tam facilè remissionem plurium peccatorum quàm unius, & ideo sæpius peccaret, esset præsumptio, uti rectè Steph.*t.3.d.2.d.un.*

128 *Q.35. An detur parvitas materiæ in præsumptione?* R. Negant communiter omnes, sed Bonæsp.*d.4. n.48.* affirmat, docens eum tantùm venialiter peccare, qui ex præsumptione de bonitate Dei peccaret venialiter aut in sequentem diem differret agere pœnitentiam circa peccatum mortale; neque contradicit Steph. suprà.

129 *Q.36. Quando nam amittatur Spes?* R. Amittitur 1. per peccatum, quo amittitur fides, cùm hæc sit veluti fundamentum omnium virtutum 2. Per quodvis mortale spei directè oppositum, id est, quod directè tollit objectum formale spei, uti sunt positiva & efficax nolitio vel contemptus beatitudinis; neglectus mediorum ad illam, eò quòd judicetur impossibilis; dejectio animi ex eo, quasi Deus non possit aut non velit nos salvare &c. 3. Non amittitur directè per præsumptionem vel per omissionem actus spei graviter præcepti, cùm hæc præsumptio vel omissio directè non opponatur motivo spei.

TRACTATUS III.

De Præceptis Charitatis.

CAPUT I. 130

An, quando & quomodo obliget præceptum Charitatis Dei?

CHaritas Dei est amor amicitiæ, quo Deo bene volumus, & omnia bona ipsi cupimus, ob summam & infinitam ejus divinæ naturæ perfectionem. „

Resp.I. Præceptum charitatis Dei præcipit Deum super omnia amandum; patet ex *Scriptura.* Ratio est, quia finis ultimus plùs est diligendus, quàm omnia media, quæ ad eum referuntur, non quidem intensivè (etsi enim hoc etiam deceat, non tamen est in præcepto) sed appretiativè, ita ut nullam creaturam pluris facias, quàm Deum; velisque potiùs omnia perdere, quàm Deum offendere; & sic illi malè velle. S.Th.2.2.*q.27.art.3.* Azor.*tom.2.l.12 c.1.* Sanch.Bec.2. 2. *cap.19.* „

Resp.II. Probabile est, præceptum Charitatis Dei obligare. 1. Quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinitè boni, à quo omnia sua bona habet, & cui omnia debet. Ratio est, quia cùm teneatur Deo ex filiali amore tota „

vita

„ vita ſervire, id non videtur poſſe fieri, niſi eliciat actum „ amoris. Ita S.Th.1.2.*q.*89.*a*6. Nav.*man.c.*11.*n.*7. Valent.*t.*3. „ *diſp.*3.*q.*19.*p.*1.*&c. comm.* (Notat autem Kon. *de act.ſupern.* „ *diſp.*24.*d.*3. *num.*50. non ſtatim poſt talem notitiam peccare „ mortaliter, ſed tantùm ſi differat notabiliter, v.g. ultrà annum) contra Palaum *p.*1. qui dicit probabile eſſe, quòd non „ obliget. Si ſcrupulus te angat, an præcepto huic ſatisfeceris, „ docet Eſcob. ex Pet. Hurt. 2.2.*d.*174.*ſ.*5.*ſubſ.*2. §.24. quòd ſi „ poſitivè non meminiſti te omiſiſſe, tenere poſſis te ſatisfeciſſe. „ Trul.*tamen l.*1.*c.*5.*d.*3.*n.*9. monet expedire, ut quis ſe in Confeſſione aliquãdo accuſet ſub dubio, ſi fortè præceptum iſtud „ violarit, vel alia præcepta affirmativa, de quibus non certò „ conſtat, quando obligent, vel violentur. II. Quando eſt periculum labendi in odium Dei, niſi actum Charitatis elicias. „ III. Quando quis tenetur conteri, v.g. moriturus, aut celebraturus, cui Confeſſarius deeſt. Ratio quia contritio includit „ actum Charitatis. IV. Si quis gravem tentationem, præſertim „ in articulo mortis, putet ſe aliter vincere non poſſe. Quibus „ aliqui addunt articulum mortis abſolutè, eò quòd tunc ſecuriſſima via eligenda ſit. V. Laym. *l.*2.*t.*3.*c.*2. Bon.*t.*2.*d.*3.*q.*4. *p.*2. Hurt.2.2.*d.*174.*ſ.*5.*ſubſ.*2.*ſ.*6. *Ex dictis reſolves:*

„ I. Mortale eſt, ſi quis omittat dilectionem Dei tunc, quando præceptum obligat.

„ II. Mortaliter peccat etiam, ſi quis amet Deum amore „ appretiativè, ſeu æſtimativè minore, quàm creaturas.

„ III. Peccat item contra charitatem Dei, ſi quis Deum non „ diligat principaliter propter ſe, tanquam finem ultimum „ omnium rerum, ſed tantùm propter aliud, v.g. vitam æternam, vel ad evitandum infernum: Quod eſſe mortale docet „ *Sylv.& Nav.* quia ſcilicet Deus non diligeretur appretiativè „ ſuper omnia, ſi aliud ab illo amaretur, ut finis principalis. „ Addo, *Principalis*, quia ut benè Tolet.*l.*4.*c.*9.*n.*2. Deus propter retributionem vitæ æternæ amari poteſt, ſed minus „ principaliter, ut ſcilicet vita æterna, vel alia Dei dona ſint „ tantùm cauſa movens, ut faciliùs, expeditiùs, & ferventiùs diligatur.

„ IV. Mortale & graviſſimum omnium eſt, ſi quis Deum „ formaliter oderit odio inimicitiæ, ſeu malevolentiæ, (amori „ amicitiæ oppoſito) v.g. ſi optes Deum non eſſe, non habere „ ſcientiam, potentiam, &c. De his V. Laym.*l.c.c.*8.*n.*31. Bonac. *l.c.p.ult.* Sanch.*l.*2.*c.*3.*&* 5. Regin.*l.*17.*n.*100.

ADDENDA.

131 *Quæſt.* 37. *Quid notandum ſit circa propoſitiones hic damnatas?* R. ſeqq. §.1. Inter damnatas ab *Innoc.XI.* ſunt ſequentes: 5. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.* 6. *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.* 7. *Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.* Ex damnatione harum propoſitionum certum eſt nos obligari ad actum explicitum & formalem charitatis perfectæ erga Deum, non tantùm ſemel ſed ſæpiùs in vita: Item ſæpiùs quàm ſingulis quinquenniis; neque hoc tantùm per accidens, in quantum fortè actus charitatis erga Deum neceſſarius eſt ad actum alterius virtutis, qui fortè præcipitur, ſed etiam per ſe & ratione præcepti ſpecialis exigentis actum Charitatis erga Deum, uti conſtat, tum ex relatis propoſitionibus, tum ex propoſitione 1. ab *Alex.VII.* damnata, quam retulimus *num.*1.

132 §.2. Quandonam & quoties hoc præceptum obliget, manet incertum: Aliqui nimis arctant; Alii nimis laxant: Quidam dixerunt obligare omni ferè tempore & hora, quorum fundamentum eſt duplex; aliquorum eſt hoc, quia homo non poteſt eſſe ſine aliquo amore: vel ergo habet amorem Dei vel mundi; ſi Dei benè eſt; ſi mundi, peccatum eſt, ergo obligatio eſt ſemper habendi amorem Dei: hæc eſt ratiocinatio *Janſenii l.*3. *de ſtatu naturæ lapſæ c.*19. *Omnis affectus animi in alicujus rei amore verſatur, qui cùm non poſſit eſſe alius, niſi vel Creatoris vel Creaturæ, & ille bonus, hic culpabilis ſit, utpotè amor mundi ab Apoſtolo vetitus, profectò liquet omnem amorem, præter iſtam Charitatem, eſſe illam culpabilem cupiditatem:* ſecuti ſunt Sinnichius, Opſtr. Haverm. aliique Lovanienſes, ſed opus non eſt doctrinam illam confutare rationibus, cùm fulmine Vaticano ſit ſæpiùs percuſſa, nam inter Bajanas *à S.Pio V. Greg. XIII.* & *Urb.VIII.* damnatas hæc eſt 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Deinde inter damnatas ab *Alex.VIII.* hæc eſt 7. *Omnis humana actio deliberata eſt Dei dilectio vel mundi; ſi Dei, Charitas Patris eſt; ſi mundi, concupiſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.* Aliorum fundamentum eſt, quòd omnis actio ſit peccatum, quæ non procedit ex motivo Charitatis, ſed & hæc doctrina reproba eſt, nam inter damnatas ab *Alex.VIII.* etiam ſunt ſeqq. 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem & diſconvenientiam cum natura ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.* 10. *Intentio, qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, merè ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta nec Deo placens.* 11. *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* 13. *Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licèt beatitudinis operatur.* 16. *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus ac ſupernaturalis. Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate,* eſt propoſ.16. inter Bajanas. Ecce quàm graviter errarint, ubi qui ubique ſpirabant charitatẽ & hoc ipſo ſibi nomen faciebant apud rudem populum! Suadenda eſt quidem ubique charitas, ſed non ideò in omnes noſtras actiones invehẽda eſt illius obligatio; habendum eſt itaque pro certo, non peccari per eleemoſynam datam merè ex compaſſione naturali, ſine ullo ad Deum dilectum reſpectu. *Si dicas*, non peccari ex parte operantis ſeu per commiſſionem, peccari tamen ex parte operantis per omiſſionem relationis ad Deum. *Contra eſt*, qui negat genus, negat omnes ſpecies, v.g. qui negat eſſe animal, negat eſſe tam hominem quàm brutum, ergo qui negat ſimpliciter peccari, dicendo abſolutè non peccari, dicit nec peccari peccato commiſſionis nec omiſſionis, alioquin bene dicam abſolutè eum non peccare, qui non audit Miſſam die feſto, quia non peccat peccato commiſſionis.

*Objicies L.*5. *n.*209. dicetur eſſe obligationem omnia referendi ad Deum, ideòque præcipere Apoſtolum, ut omnia faciamus in gloriam Dei: quod etiam dicunt SS.PP. ibidem referendi, ergo eſt obligatio omnia agendi ex charitate erga Deum, ergo ſemper amandi Deum Reſp. Omnia poſſe referri ad Deum, quamvis id non fiat ex motivo Charitatis, ſed cujuſcumque alterius virtutis vel honeſtatis uti dicetur *l.*5. *n.*317. Et hoc vult S.Th. *de Volunt. Dei art.*7. *ad* 8. dicens non teneri agere *ex dilectione naturali* ∴ ad quam aliquis per principia naturalia pervenire poteſt, quæ invenitur in bonis ex genere & in virtutibus politicis.

Inſt. S.Th. 1.2.*q.*100.*a.*10. *ad* 2. ait, *qui honorat parentes, tenetur ex Charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod eſt, Honora parentes, ſed ex vi hujus præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.* R. Tantùm vult teneri illum honorem parentum aliquo modo referre ad Deum, nam expreſsè addit, cùm iſta ſint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad ſemper ∴ poteſt contingere, quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc tranſgrediatur præceptum de omiſſione modi Charitatis.

§.3. *Sot. Ang. Almai. Gabr. Tabien. & alii* dicunt hoc præce- 133
ptum obligare omni die feſtivo, quam ſententiam Carden. *in* 2. *criſi d.*6. *n.*9. dicit non eſſe contemnendam, quia cùm certùm videatur nos obligari ad frequentem repetitionem Charitatis, & tempus remittatur ad arbitrium prudentum, videtur prudens deſignatio temporis eſſe dies feſtivus, qui dedicatus eſt cultui Dei, cultus enim optimus eſt actus Charitatis. Econtra Caſtrop. *t.*6. *d.*1. *p.*4. aliique communiter hoc probabiliùs negant, quia non ſcitur de tali præcepto; in dubio autem certiùs probari debet, maximè cùm fideles in praxi illud non obſervent, neque agnoſcant pro die feſtivo alia præcepta, niſi de audienda Miſſa & omittendis ſervilibus, aut etiam quibuſdam forenſibus.

§.4. Idem *Sotus & Valent.* dicunt tunc obligare, ſi quis 134
adultus ſit baptizandus: *Contra eſt*, ratione Baptiſmi non obligat, quia ad hunc ſufficit attritio: deindè nec ideò tum obligat, quod baptizandus teneatur tunc ſe profiteri ſervum Dei, hoc enim faciet, ſi ex honeſto metu, licèt non ex perfecto amore, ad hoc moveatur.

§.5. *S. Anton. S. Bonav. Caj.* aliique 11. graviſſimi Authores 135
cum Carden. *à n.*47. dicunt obligare, ſi quis inciderit in mortale, & non poſſit vel velit ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ; idque ſtatim, ſive quamprimùm poſt peccatum occurrit cogitatio ipſius peccati, nec intervenit neceſſarium impedimentum: fatentur autem hanc obligationem non oriri ex generali obligatione virtutis pœnitentiæ, hæc enim non obligat pro ſemper ſed pro certo tantùm tempore, v.g. omni anno ſemel; neque ex lege Juſtitiæ, etiamſi concedatur, quòd peccatum ſit injuria contra Deum, quamvis enim ſit obligatio ſtatim reparandi injuriam factam homini, hoc ideò eſt, quia homo patitur damnum in bonis ſuis, ſi differatur reſtitutio, quod in Deum non cadit, qui nullum damnum pati poteſt ex dilatione reparandæ injuriæ; neque ex lege Charitatis erga Deum ſecundùm ſe, hæc enim tantùm obligat, ut non multo tempore differatur dilectio Dei, non autem, ut ſtatim diligatur, quando patratũ eſt peccatum; itaque obligationem illam colligunt, in primis ex verbis Chriſti, qui *Matth.*24. *&* 25. *Marc.*13. *Luc.*12. præcipit nos ſemper vigilare & paratos eſſe ad mortem, non vigilat autem neque paratus

eſt

eſt, qui non quærit juſtificationem à mortali, in quo eſt, quod fieri debet per dilectionem, quando deeſt vel non aſſumitur Sacramentum pœnitentiæ, ergo qui tunc non diligit Deum, non implet præceptum Chriſti. *Si dicas*, verba illa continere conſilium tantum: *Contra* inſurgit Carden. *an.*55. probatque ex SS. PP. Ambr. Hier. Theoph. & alii, qui expreſsè aſſerunt eſse præceptum; & ratio eſt, quia conſilium eſt de re voluntaria, hic autem imponitur aliquid neceſsarium ad ſalutem & ſub comminatione, ne excludamur regno Dei, uti factum ſatuis Virginibus, per quas ſignificantur peccatores, ergo non proponitur per modum conſilii ſed præcepti. *Conf.* quia homo ſub mortali tenetur ſuam ſalutem reddere ſecuram à tali periculo, in quo ſi eam perdat, meritò cenſetur vituperabilis, ſed qui eſt in mortali, & non poteſt vel non vult confiteri, non reddit ſalutem ita ſecuram, nam in primis exponit periculo, niſi Deum diligat & conteratur, quia omni momento poteſt mori, vel naturaliter vel violentè; deinde ſi in tali ſtatu moriatur, meritò cenſetur vituperabilis, ergo peccavit, & quidem mortaliter, cùm non detur materia gravior, ergo erat præceptum in iſtis circumſtantiis diligendi Deum. Hæc argumenta reddunt ſententiam illam probabilem, & meritò ſequenda eſſet in praxi, nihilominus communior, & abſolutè probabilis etiam eſt oppoſita, quam *Sanct. Thom.* aliique Authores innumeri docent; quod enim Chriſtus velit nos ſemper eſſe paratos, hoc eſt pro ſecuritate; quòd autem præcipiat eſſe paratos, quando ipſe veniet, ſeu quando moriemur, in hoc agnoſcunt omnes eſſe præceptum, quod ſufficit implere, quando prudenter judicatur adeſſe periculum proximum mortis, non autem dum adeſt remotum tantùm. Quòd ſi adſit aliquod humanum periculum mortis, nec omninò proximum, nec planè remotum, v.gr. ſi quis navigationem vel iter ingrediatur, in quo aliqui quandoque merguntur vel à latronibus occiduntur, videtur fore grave peccatum, ſi quis ſine Confeſſione vel dilectione Dei ſe in tale periculum immittat, quia eſt ſumma imprudentia & temeritas in negotio ſupremi momenti: ſed de quæſtione tota redibit ſermo, quando agemus de pœnitentia.

136 §.6. *Sanch. Bon. Alloz. & alii* dicunt hoc præceptum obligare, quando quis tentatur ad odium Dei. *Contra eſt*, quia hoc in eo tantùm caſu verum eſt, quo tentatio aliter vinci non poſſet, & tunc per accidens obligaret illud præceptum.

137 §.7. *Sotus Val. & Nav.* dicunt obligare, quando quis audit blaſphemari aut gravem injuriam fieri in Deum, ut ſic quaſi reparetur injuria, *Contra eſt*, non reparatur injuria, niſi is, qui blaſphemat Deum, è contra amet: deinde non ſpectat ad Charitatem, ſed ad Juſtitiam vel Religionem reparare talem injuriam.

138 §.8. *Sot. Val. Tol.* dicunt obligare, quando quis beneficium à Deo accepit. *Contra eſt*, quia tunc ſufficiet gratias agere, ſic enim ſatisfit honeſtati debitæ.

139 §.9. *Sot. & Val.* dicunt obligare, ſi aliquod opus magnum & difficile ſit aggrediendum, v.g. defenſio fidei coram tyranno vel martyrium. *Contra eſt*, quia homo poteſt ſe aliter contra tyrannum munire, quàm præcisè per elicitum formalem actum Charitatis.

140 §.10. *Bannez* dicit tunc obligare, quando quis vult Euchariſtiam ſumere. *Contra eſt*, quia tale præceptum nullibi extat; & ad Euchariſtiam ſufficit ſtatus gratiæ.

141 §.11. *Caſtrop.* ſupra poſt rejectas ſententias hactenus relatas ſubdit cum *Suar. & Con.* eſſe obligationem ſæpius diligendi Deum, quàm ſingulis trienniis ſemel: Led. Hurt. Arr. III. *t.* 3. *n.*80. alique cum Mendo *d.*1. *n.* 143. dicunt eſſe obligationem ſaltem ſemel ſingulis annis: Carden. *n.*18. dicit eſſe obligationem frequenter diligendi, ita ut videatur ipſi mortale, ſi quis ultra unum menſem integrum differat; & ratio eſt, quia Deus præcipit dilectionem ſui in operibus, quæ frequenter ſolemus agere, poſtquam enim *Deut.*6. dixiſſet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, ſubdit, *eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque conſurgens:* ergo Deus vult continuationem & frequentiam illius dilectionis. Deinde homo graviter obligatur ad obſervanda reliqua Dei mandata, ſed moraliter impoſſibile eſt ea omnia obſervare, niſi quis frequenter eliciat actum dilectionis Dei, ut experientia probat, qui enim vix ſemel per annum quærunt placere Deo, diù non perſiſtent ſine mortali, nec unquam aggredientur media ardua & naturæ contraria, quę ſepè neceſſaria ſunt ad vitanda peccata, ergo eſt obligatio gravis frequenter diligendi Deum, maximè cum reliqua omnia præcepta ultimatè ordinentur ad charitatem, quę eſt finis & perfectio Legis. Itaque cùm in tanta ſententiarum varietate neſciamus, quando & quoties ſit diligendus Deus, arripiamus tutiora, tum ut ſic aſſueſcamus dilectioni Dei, tum ut certò ſatisfiat præcepto, tum etiam, quia actus dilectionis eſt omnium præſtantiſſimus, & ſupra omnes alios meritorius. Neque id cenſeri debet nimis difficile, nam ſi homines toties diebus occupari poſſunt amore creaturæ, voluptatis, lucri &c. cur non magis Dei, qui ſolus eſt omni amore digniſſimus?

§.12. Satisfit huic præcepto, quamvis amor Dei eliciatur in 142
ordine ad alia præcepta implenda aut ad aliam virtutem exercendam, v.g. ſi quis eliciat, quia vult confiteri; vel ut vincat tentationem, qua infeſtatur, ita Carden. *an.*14. Tenendum eſt tamen contra multos, quos citat & ſequitur Moya *tr.*1. *q.*9. *n.*21. præcepto charitatis pro articulo mortis non ſatisfieri per Sacramentum pœnitentiæ ſuſceptum cum attritione cognita, quia reipſa perfectè amandus eſt Deus in fine vitæ, Sacramentum autem cum attritione non eſt amor, qualis requiritur.

§.13. Fideles, qui ſciunt elicere actum dilectionis Dei, & 143
cum aliqua reflexione operantur, facilè ſatisfaciunt huic præcepto, quia concomitanter elicient; charitas enim hæc eſt duplex, afficiens & efficiens, tum dicor habere charitatem afficientem, quando Deo faveo ſuas perfectiones, volo illi bona, quæ habet, gaudeo illum eſſe, qui eſt, gratulor ei de honore, qui exhibetur, opto, ut nullus eum offendat, ut omnes ei ſerviant, eum ament & colant; quos affectus habere eſt omninò facile. Tum dicor habere charitatem efficientem, quando mandata Dei obſervo, vel aliquid boni facio: ideo, quia ſcio hoc velle Deum atque infinitæ ejus bonitati placere; itaque fideles, qui ſciunt opera ſua, orationem v.g. auditionem Sacri, jejunium, eleemoſynam, fugam peccatorum, obſervationem cujuſcumque mandati placere Deo, ſive Deum infinitè bonum hoc velle, niſi ea opera agant ex vana gloria vel pravo alio fine, præſumere poſſunt ſe ideò agere, quia ſciunt Deum infinitè bonum id velle, quia Deo infinitè bono gratum eſt &c. atque ſic habent actum Charitatis efficientis erga Deum. Similiter qui attentè & ſeriò orat, *Pater noſter*, quando dicit *Sanctificetur Nomen tuum, fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*, hoc ipſo habet duos actus Charitatis erga Deum.

*Q.*38. *Quid notandum ſit circa propoſitionem, quam* Alex. 144
VIII. die 24. Auguſti 1690. *damnavit velut hæreticam? Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis verò in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè . . . . . hunc hominem non tenetur amare, neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moraliter.* R. ſeqq.

§.1. Hæc propoſitio habet quatuor partes; *prima* pars dicit, in quo conſiſtat bonitas objectiva actus moralis; *ſecunda*, in quo conſiſtat bonitas illius formalis; *tertia*, quòd ad actum moralem ſufficiat tendere in finem ultimum interpretativè, id eſt, quamvis operans, actu neque formaliter neque virtualiter neque habitualiter refe at actionem ſuam ad finem ultimum, quia de eo non cogitat neque cogitavit, dummodò ſit ita conſtitutus, ut ad eum referret, ſi de eo cogitaret, actio erit moraliter bona; per finem autem ultimum intelligi poteſt, vel beatitudo formalis ſeu poſſeſſio Dei, vel Deus ipſe, qui eſt finis ultimus objectivus. *Quarta* pars dicit hominem non teneri amare finem ultimum, neque in principio vitæ, quando nempè accipit talem diſcretionem, ut poſſit liberè bene vel malè operari; neque per decurſum vitæ ſequentis: *Prima & Secunda* pars non ſunt damnatæ, ſed manent veræ, ſi accipiantur ſeparatim ab aliis partibus, ad hoc enim, ut tota propoſitio cenſeatur falſa & hæretica, non eſt opus ſingulas partes, ſed ſatis eſt unicam eſſe talem, uti patet, ſi dicam, *Petrus eſt homo, Chriſtus autem non eſt homo*, tota realiter propoſitio ſecundùm ſe eſt falſa & hæretica, cùm ſit unus indiviſibilis aſſenſus, non conformis toti objecto, ſed difformis objecto revelato; à toto autem deſumi debet veritas, uti ſuppono ex Logica. An *Tertia* pars ſit damnata necne, non pertinet ad hanc materiam; videtur tamen eſſe falſa, quia ſi nulla ſit vel fuerit relatio ad finem ultimum aut ad aliam moralitatem objectivam, non appareret, unde poſſit in actu eſſe vera moralitas formalis. *Quarta* pars eſt damnata, & ideò in quibuſdam impreſſionibus ſola pars illa ſcribitur majuſculis: Ex hac autem damnatione conſtat, eſſe obligationem finem ultimum amandi, & hoc quidem, quamprimùm aliquis diſcernere poteſt, quid ſit finis ultimus. An autem homo primo inſtanti rationis ita obligetur ſe convertere ad Deum & finem ultimum, ut ſi non faciat, hoc ipſo peccet mortaliter, diſputant Authores. *Thomiſtæ, Nav. Tol.* affirmant; alii probabiliùs negant; certum videtur, quòd ſæpiſſimè à mortali excuſet defectus perfectè advertentiæ vel ad obligationem vel ad malitiam omiſſionis, vel etiam ad bonitatem finis ultimi: notatque rectè Petſch. *in app. qq. ſelect. q.*11. §.2. per inſtans uſus rationis, quo tenemur diligere Deum, non intelligi aliquod inſtans phyſicum indiviſibile, ſed totam illam durationem, qua homo indiget ad diſcernendum inter bonum & malum, & ad deliberandum quodnam ex illis ſit amplectendum.

§.2. Ex eadem damnatione colligitur, etiam obligatio- 145
nem eſſe aliquando amandi finem ultimum per decurſum vitæ, uti rectè probat Mendo *ſupra q.*13. probabiliùs enim videtur, quòd illa quarta pars damnetur diſtributivè, ita ut non tantùm

vera

vera ſit hæc contradictoria, *Amari debet finis ultimus, vel in principio, vel in decurſu vitæ*, ſed etiam illa contraria, *Amari debet finis ultimus, & in principio, & in decurſu vitæ*, hoc enim cenſeri debet voluiſſe declarare Pontifex, quod aliunde certum erat ex fide vel damnatione aliarum propoſitionum, ſic autem erat certum nos teneri & in principio & in decurſu vitæ tendere ad finem ultimum, ergo cenſeri debet voluiſſe hoc declarare Pontifex.

146 *Q.39. Quomodo aliquis diſponi poſſit ad perfectum amorem Dei?* R. Proponendo ſeqq.

§.1. Amare nihil aliud eſt, quàm voluntate ferri in aliquod bonum, vel deſiderando illud, vel de illo gaudendo, vel ſibi complacendo in illo &c. Quod ſi ferar in illud bonum quia mihi amanti bonum eſt, dicitur amor concupiſcentiæ; ſi autem ferar in illud, quia perſonæ amatæ bonum eſt, dicitur amor amicitiæ aut benevolentiæ.

147 §. 2. Tunc amo Deum amore concupiſcentiæ, ſi ideo amem, quia Deus mihi bonus eſt, v.g. quia me creavit, redemit, ſanctificavit, conſervat, quia mihi remiſit peccata, tot gratias & beneficia contulit univerſalia,& particularia,quia vult mihi dare beatitudinem æternam: Tunc amo Deum amore amicitiæ, ſeu benevolentiæ, ſi ideò amem eique velim omne bonum, quia hoc Deo ipſi bonum eſt. Amor concupiſcentiæ eſt imperfectus, licèt ſit bonus, poſſitque eſſe ſupernaturalis; amor autem amicitiæ eſt amor perfectus, de quo explicando nunc laboramus.

148 §.3. Bona Dei alia ſunt intrinſeca, alia extrinſeca: Intrinſeca, ſunt infinitæ perfectiones, quas in ſe habet, uti Sapientia, Juſtitia, Miſericordia, Æternitas, Immenſitas, Omnipotentia, Pulchritudo, Bonitas, Incomprehenſibilitas &c. Extrinſeca ſunt, quæ à creaturis fieri poſſunt & placent Deo, nempè quod agnoſcatur, ſicuti in ſe eſt perfectiſſimus, quòd ametur, ſicuti in ſe eſt optimus, quòd colatur, laudetur, honoretur, ſicuti in ſe eſt præcellentiſſimus; itaque tunc amabo Deum perfectè, ſi Deo velim iſta bona, ideo, quia Deo bona ſunt; ſi faveam illi ſuam infinitam ſapientiam, ſi gratuler de infinita potentia, ſi gaudeam de ipſius pulchritudine, ſi complaceam mihi in ejus incomprehenſibilitate, ſi optem, ut agnoſcatur, ametur, colatur ab omnibus, quia hoc ipſi placet & propter ſe dignus eſt; ſi orem, & quantùm in me eſt, impediam, ne offendatur; quia ipſe propter infinitam bonitatem ſuam, id eſt, propter infinitas illas perfectiones, quas habet, dign iſſimus eſt non offendi, ſed ſuper omnia amari, coli, honorari.

149 §.4. Cùm amor ſequatur æſtimationem boni, ad concipiendum perfectum Dei amorem juvabit magnam de Deo ideam ſibi formare & quid in ſe ſit Deus, agnoſcere ac conſiderare, tum ex lumine naturæ, tum ex doctrina fidei: Deus *Platoni* eſt Genitor Univerſitatis, Author maximus, Supra omnem ſubſtantiam, Plenæ perfectionis, Summum bonum, *Ariſtoteli*, Ens entium: *Senecæ*, Summa & pulcherrima omnium natura: *Ciceroni*, Præſtantiſſima mens. *Alcinoi*, Seipſo perfectus, ſemper perfectus. Omni ex parte perfectus, *Triſmegiſto* Deus eſt circulus, cujus centrum ubique, circumferentia nuſquam: *Platonicis*, Ipſum bonum, ipſum pulchrum: *Ægyptiis*, Incognita caligo, Ter tenebræ: *S.Dionyſio*, Ipſum eſſe: *S.Auguſtino*, Sine qualitate bonus, ſine quantitate magnus, ſine indigentia Creator, ſine ſitu præſens, ſine habitu omnia continens, ſine loco ubique totus, ſine tempore ſempiternus, ſine ulla ſui mutatione mutabilia omnia faciens. *S.Th.* Univerſaliter ens perfectum, cui non deeſt alicujus generis nobilitas; actus purus: *S.Clementi Alexandrino*, Unus omnia, in quo omnia, per quem omnia: *S.Bernardo*, Quidquid cogitas, ultrà non circa quærendum eſt: *S. Damiano*, Cujus ineffabile eſt nomen & incomprehenſibile: *Lactantio*, Æterna mens ex omni parte perfectæ conſummatæque virtutis: *Caſſiodoro*, Virtus inexplicabilis, Pietas incomprehenſibilis, Sapientia ineffabilis: Cujus definitio eſt finem in Sanctorum laudibus non habere. *Eccleſiæ Catholicæ*, Rex tremendæ Majeſtatis, ſolus Sanctus, ſolus Dominus, ſolus Altiſſimus. *Scripturæ Sacræ*, Alpha & Omega, eſt qui eſt, Deus Sabaoth, Dominus exercituum, Deus deorum Dominus, Dominus Dominantium, Dominator Dominus, magnus Dominus & laudabilis nimis, Dominus virtutum, Dominus excelſus, magnificus, terribilis, Rex Regum, Rex magnus ſuper omnem terram, cujus magnitudinis infinita eſt multitudo, cujus magnitudinis non eſt numerus neque finis: O Majeſtas! ò perfectio! ò Bonitas! ò Pulchritudo! ò Deus omnia! *S.Michael* adhuc prætendit ſcutum & exclamat, *Quis ut Deus?* huic Deo ſi faves & gratularis eas perfectiones, ſi in eis tibi complaces, ſi gaudes, quia ipſi bonæ ſunt, & ipſe ſibi in eis complacet, amas Deum perfectè.

150 §.5. Etiam ex creaturis æſtimari poteſt & amari Deus, nam in primis quidquid tibi occurrit in natura honeſtum, pulchrum, jucundum, optabile, hoc totum à Deo & in Deo eſt neceſſariò, independenter, æternaliter, indefectibiliter. Quidquid cogitari poteſt æſtimabilitatis, dignitatis, excellentiæ, magnificentiæ, majeſtatis, amabilitatis, totum in Deo eſt ſine admixtione ullius imperfectionis. Omnia ad nutum ejus ſtant aut feruntur, Terra, Elementa, Cœlorum Orbes, Stellæ, Sol, Luna; ipſi ſubſunt omnes Monarchæ terræ; ipſi ſubmittunt ſe Angelorum Chori, velantes facies & inceſſanter acclamantes, Sanctus, Sanctus, Sanctus: quod omnium maximum eſt, homo-Deus infinitæ Dei majeſtati ſe per profundiſſimam adorationem ſubmittit: ſi hæc amas Deo, de eis gaudes, hæc gratularis, quia Deo bona ſunt &c. amas Deum perfectè.

§.6. Etiam ſic excitari poteſt in Deum amor: Conſidera, 151
quid ames; fortè iſtum hominem, quia ſincerus eſt; illum, quia beneficus; alium, quia juſtus; alium, quia prudens, diſcretus, circumſpectus; alium, quia vir pius eſt & Sanctus &c. Amas virtutem, quia honeſta; Cibum, quia ſuavis; Potum, quia delectat; Opes, quia utiles; Florem, quia pulcher &c. hæc omnia à Deo & in Deo, ſunt modo infinities perfectiore.

§.7. Ut amor Dei ſit perfectus, debet voluntas ſerio, & 152
efficaciter ſic eſſe conſtituta, ut quamvis nec cœlum eſſet nec infernus, nec præmium ullum ſperandum, nec pœna ulla timenda à Deo, tamen amaretur Deus propter ſe, quia in ſe eſt ſummè bonus. Notandum tamen eſt, quòd hic amor perfectus non excludat imperfectum, ſed ab hoc incipiat, & ab eodem communiter adjuvetur; hinc modus ille eliciendi amorem, *Non amo te, ò Deus! quia me creaſti, quia vis mihi cœlum dare, ſed purè ideò, quia es propter te infinitè dignus amari*, ordinariè non eſt ſuadendus, ſed potiùs ſic elici debet; *Amo te ò Deus! quia me creaſti, quia vis cœlum dare; ſed magis ideo, quia ipſe propter te es omni amore digniſſimus, ita ut licèt non benefaceres, nec cœlum dares, tamen amarem te, & amo, quia propter infinitam tuam bonitatem es amabiliſſimus:* Et ideò etiam *Inn.XII.* die 12.Martii 1699.inter propoſitiones Archiep. Cameracenſis, per quas videbatur ſpes excludi à perfecto amore, damnavit etiam ſequentes, 1. *Datur habitualis ſtatus amoris Dei, qui eſt Charitas pura, & ſine ulla admixtione motivi proprii intereſſe: neque timor pœnarum, neque deſiderium remunerationum habent ampliùs in eo partem; non amatur ampliùs Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. 2. In ſtatu vitæ contemplativæ ſive unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris, & ſpei, &c.*

Q.40. Quomodo practicè elici poſſit actus Charitatis in 153
Deum? R.Præire debent Fides & Spes, ac convenientiſſimè ſubjicitur Contritio, hoc aut ſimili modo:

Fides.

OMnia, mi Deus! quæcunque per Eccleſiam Unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam proponis credenda, firmiſſimè credo, quia tu dixiſti, qui es infinitè ſapiens, verax & perfectus. Credo te eſſe, qui gubernas omnia, te eſſe ſupernaturalem Remuneratorem bonorum & Punitorem malorum, Animas eſſe immortales, Gratiam eſſe neceſſariam ad ſalutem, Te eſſe unum in eſſentia & Trinum in perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, Secundam Perſonam eſſe pro nobis factam hominem & paſſam, Chriſti gratiam nobis conferri per Sacramenta, & propter ejus merita nobis promiſſam eſſe æternam beatitudinem à te Deo fideliſſimo, potentiſſimo, & miſericordiſſimo dandam: Credo te in te ipſo propter infinitas tuas perfectiones eſſe Deum amabiliſſimum, Finem ultimum rerum omnium, digniſſimum non offendi, ſed ſemper amari & honorari: hæc cæteraque omnia credo, mi Deus, quia tu dixiſti, qui es infinita Veritas, non potens falli, aut fallere, non potens errare aut mentiri. Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.

Spes.

SPero, mi Deus! remiſſionem omnium peccatorum, gra- 154
tiam in fine vitæ, omnia media ad ſalutem, ſpero vitam æternam: Deſidero illa omnia, quia tu es animæ meæ bonum ſummum & unica beatitudo; erigor autem & confido me illa omnia obtenturum per gratias & propter merita Chriſti, quia tu Deus es virtus mea auxiliatrix, quia tu promiſiſti, qui in promiſſis tuis ſervandis es Deus fideliſſimus, potentiſſimus ſervare, & miſericordiſſimus, ut ſerves. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.

Charitas.

AMo te, mi Deus! non ideò tantùm, quia creaſti me, 155
redemiſti, ſanctificaſti, conſervas, & innumeris quotidiè beneficiis cumulas: neque tantùm ideò, quia inſuper dare vis mihi æternam in cœlo beatitudinem, ſed ideò maximè & ſuper omnia te amo, quia tu Deus es ob infinitas perfectiones tuas omni amore digniſſimus; Tu es Deus ſapientiſſimus, potentiſ-

ſimus

ſimus, ſanctiſſimus, pulcherrimus, indefectibilis, æternus, immenſus, incomprehenſibilis; tu es omne bonum inte ipſo, propter te æſtimari digniſſimus, coli, honorari, licèt nec præmium à te ſperandum nec pœna timenda eſſet. Illas tuas perfectiones tibi ex animo faveo & gratulor, gaudeo te ab hominibus agnoſci, te ab Angelis tuis inceſſanter laudari, te tibi complacere in te ipſo: Utinam ceſſent omnia peccata hominum, quia tibi infinitè bono mala ſunt: utinam te creaturæ omnes ament, revereantur, adorent, quantùm poſſunt, & ſicuti propter infinitam tuam Excellentiam mereris: utinam in omnibus impleatur tua ſanctiſſima voluntas, & fiat ſemper, quod tibi maximè eſt placitum: Ex hoc in te amore, mi Deus! amo Angelos & homines ejuſdem mecum beatitudinis capaces, amo me ipſum, ſed ſemper propter te, quia tu infinitè bonus hoc vis, & tibi hoc placet, quia tibi bonum eſt, quòd ita ab omnibus, & in omnibus agnoſcaris, ameris, lauderis.

Contritio.

156 EX hoc eodem tui amore, ò Deus! deteſtor omnia peccata, quia tibi ſummè bono diſplicent: Doleo de omnibus non tantùm quia demeritus ſum præmia, & gratias tuas, ac è contra à divina Juſtitia promeritus ſum pœnas, ſed maximè ideo, quia diſplicui & malum feci tibi, qui licèt nec cœlum eſſet nec infernus, nec præmium vel pœna, attamen propter infinitam bonitatem & perfectionem tuam eras & es digniſſimus non offendi, ſed ſemper amari, coli, honorari. Propono per gratiam tuam impoſterum non facere amplius.

157 *Q.41. Quomodo præterea poſſit voluntas noſtra exerceri in actibus amoris perfecti?* R. Subjiciam aliquos modos ex Scriptura, Sanctis Patribus, & Authoribus aſceticis, ut quiſque in promptu habeat ad ſuos, & aliorum uſus.

Amor affectivus.

DIligam te Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum & Liberator meus. *Pſ.17.* O Domine, qui introſpicis cor meum, tu ſcis, quia amo te: Domine tu ſcis, qui amo te, *Joan.21.* Tu Domine interiora mea noſti, & quantùm in anima mea mihi conſcius ſum, videor mihi, quod te in veritate diligam, & quòd neque fictus neque ſimulatus amor ſit, adeo ut ſui proditor cor meum eſſet, ſi in hoc ipſo ſe ipſum falleret. *S. Aug.30. Conf.c.9.* O Deus! cor mihi teſtantur, quòd te diligat, & tibi offert omnes Filii tui tuoſque ipſius amores, ad ſuccurrendum deſiderio, quod habeo, te perfectiſſimè amandi. O Deus amor meus; qui ſemper ardes; nec unquam extingueris! O Charitas, Deus meus, accende me; fac, ut te inveniam, ò cordis mei deſiderium! Teneam te, ò amor animæ meæ! Poſſideam te in medio cordis mei, Vita beata, Dulcedo ſumma animæ meæ, *S. Auguſt.10. Conf.c.29.* Pondus meum, Amor meus, eò feror, quocunque feror. *S. Aug.13. Conf.c.9.* Deus meus, Amor meus; tu totus meus & ego totus tuus; dilata me in amore, ut diſcam interiori cordis ore deguſtare, quàm ſuave ſit amare, & in amore liquefieri, & natare; tenear amore vadens ſupra me: præ nimio fervore & ſtupore cantem amoris canticum, ſequar te Dilectum meum in alto, deficiat in laude tua anima mea, jubilans ex amore; amem te plus quàm me, nec me niſi propter te, & omnes in te, qui verè amant te, Th. de Kemp. *de imit. Chriſti l.3.c.5.* Abſorbeat me quæſo Domine vis ignita, & melliflua amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. *S. Franciſc. Aſſiſ.* O Deus meus, ò amica quies cordis mei! ò ardor & ſuavitas Deus meus & omnia! *Idem.* Deſidero te millies, mi Jeſu! quando venies? *S. Bern.* Amo te Deus meus & magis atque magis amare te deſidero: ſerò te amavi pulchritudo tam antiqua, pulchritudo tam nova, ſerò te amavi. *S. Aug.* O indignitas! ò Jeſu! quia amor tuus non amatur, non æſtimatur, imo vilipenditur; totus amor es, & non amaris. *S. Jacoponus.* O ſpes mea! Gloria mea! Gaudium meum! ò amabile principium meum! ò ſatietas & ſufficientia mea! quando erit ille dies, cùm te verè & ex toto corde diligam? quando me tibi gratum in omnibus & pro omnibus exhibebor? quando mortuum in me ſentiam omne id quod tibi adverſatur? quando ero totus tuus? quando deſinam eſſe meus? quando veniet illa hora, in qua nihil præter te in me vivet? quando me totum amore tui inflammatum ſentiam? quando rapies me cum impetu, quando inebriabis me uberum tuorum dulcedine? quando me totum in te transferes? Lud. Granat. *l.5. memorialis.* Diligam te, Domine, amore arctiſſimo fortiſſimoque, extendam omnium affectuum & deſideriorum meorum brachia, ut amplectar te, Sponſe dulciſſime animæ meæ! hedera vicinam arborem tam fortiter apprehendit, ut ſingulæ fibræ ſingula videantur eſſe brachia, cur ſimiliter omnia membra mea non vertuntur in brachia, ut omni ex parte amplectar te? *Idem in 1. append.memor.* O æterna Veritas! ò vera Charitas & chara Æternitas! tu es Deus meus, tibi ſuſpiro die ac nocte, *S. Auguſt.7. Confeſſ.c.10.* Vide Domine, Domine meus unde ſit deſiderium meum, narraverunt mihi injuſti delectationes ſuas, ſed non ſicut lex tua Domine: Ecce unde eſt deſiderium meum. *Idem 11. Confeſſ. c.2.* Tumultuoſis varietatibus dilaniantur cogitationes meæ, intima viſcera animæ meæ, donec in te confluam purgatus, & liquidus igne amoris tui. *Ibid.c.29.* Da mihi te, Deus meus! redde te mihi, te enim amo, & ſi parum eſt, amen validiùs, non poſſum metiri, ut ſciam, quantùm deſit mihi amoris ad id, quod ſatis eſt, ut currat vita mea in amplexus tuos, nec avertatur, donec abſcondar in abſcondito vultus tui; hoc tantùm ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed & in me ipſo, & omnis copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt, *Idem 13. Confeſſ. cap.18.* Oro te, cognoſcam te, amem te, ut gaudeam de te, *S. Anſel. in proſol.cap.25.*

Amor effectivus.

JAm dixi & dicam, amore amoris tui facio iſtud, *S. Aug.* 158
11. Conf.c.1. O ignis, qui me accendis! ò Charitas, quæ me inflammas! ò Lumen me illuminans! ò Requies mea! ò Vita mea! ò Amor meus, qui ſemper ardes & nunquam extingueris, quando te perfectè redamabo, quando te nudis animæ meæ brachiis amplexabor? quando me & mundum univerſum amore tui contemnam? quando anima mea cum omnibus potentiis & viribus ejus tecum unietur? quando in abyſſo amoris tui abſorbebor? Ludov. Granat. *in proœm.lib.4. de Oration. & Medit.* Dulciſſime, amantiſſime, pulcherrime, ſapientiſſime, ditiſſime, nobiliſſime, pretioſiſſime & digniſſime, qui ameris, & adoreris, quando ſic te amabo, ut in amore tui totus jaceam abſorptus? ò vita Animæ meæ, quæ, ut me vivificares, mortem ſubjiſti, & moriens mortem occidiſti, occide etiam & me, hoc eſt, omnes meas perverſas ad malum pronitates, voluntatem quoque propriam, & quidquid impedit, quò minùs tu mecum vivas. *Idem ibid.* Age Domine, & fac, excita, & revoca nos, accende & rape, flagra, dulceſce; jam amemus & curramus, *S. Aug.8. Conf.c.4.* Sed, ò Domine! quid tibi bonum exhibere poſſum, cùm creaturis non indigeas, & te ipſo infinitè bono ſemper gaudeas? quia tamen vis, ut in effectu monſtrem, quantùm te amem, ad hoc intendam vires animæ & corporis: tu ergo, Domine, diu noctuque eris objectum mentis meæ, ſemper ſuaviſſima recordatio tui præſentis obverſabitur memoriæ, ſemper intellectum occupabit cogitatio perfectionum tuarum, ſemper voluntas recreabitur in bonitate tua, à manè uſque ad veſperam attendam ad nutus SS. tui beneplaciti, ut eos perfectè expleam. O utinam loqui poſſem & ſentire cum *S. Paulo*, quòd in laboribus & adverſitatibus mihi complaceam propter amorem Dei mei, non ſit periculum, non incommodum, non fames, non nuditas, non perſecutio, non ſervitus, non tentatio, non afflictio, non morbus, non ſupplicium, non mors, non homines, non tyranni, non dœmones me ſeparent à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Amore tui, mi Jeſu, hodie frænabo hanc in me paſſionem, abſtinebo ab iſto conſortio, exercebo iſtam virtutem: Amore tui faciam hoc opus: ſuper cuncta ſis amatus, ſuper cuncta ſis laudatus, Deus, mea gloria.

Amor appretiativus.

OJeſu mi! dulcis amor, nil diligo præ te, *B. Victo-* 159
ria. Quidquid non eſt Deus, hoc omninò mihi nihil eſt, *S. Franc. Saleſius.* Deus meus & omnia, *S. Franc. Aſſiſien.* Sine illo nihil eſt, ſolus ille eſt, quem laudo, extra illum contemno omnia: Pater meus ipſe eſt, protector meus ipſe eſt, curator meus ſemper eſt; ipſi ſoli ſtudeo, ipſe tota mea ſcientia eſt, mea ſpes & deſiderium, theſaurus meus & felicitas. Si trahant voluptatum illecebræ, dicam, quis ut Deus? quid ita delitioſum & amabile? Si alliciant honores, tentent homines, infeſtent dœmones, creaturæ omnes inſidientur, ſemper dicam, quis ut Deus? quid Deo melius? Hic ſolus eſt amari dignus, quia ſolus ſine nube puriſſimus, ſine labe ſanctiſſimus, ſine admixtione mali optimus, ſine pari maximus, ſine defectu perfectiſſimus, ſolus omnia, ſolus ſupra omnia. Plùs ego te diligo Deus, quàm omnes mundi voluptates, honores & divitias; pudet quidem hæc dicere, quid enim æquius eſt, quàm ut te magis diligam? dico tamen iterum, amo te, mi Deus! plùs quàm res omnes creatas, quia quidquid in his bonum eſt, à te eſt, & in te eminentiſſimè: amo te plus quàm amicos, propinquos, parentes; plùs quàm me ipſum, quia nemo bonus niſi tu ſolus Deus. Dico tibi, Deus meus es tu, & verè quantus tu mihi ſis, exprimere non poſſum, unde cum *Auguſtino* tuo exclamo, quid mihi es, & quid tibi ſum? Domine, totus tuus ſum; omnia, quæ intra me ſunt, volo eſſe tua: Anima mea tua ſit, nec vivat alteri niſi

tibi,

tibi, voluntas mea tua ſit, nec amet quidquam niſi te: amor meus tuus ſit, nec in aliud feratur quàm in te, quia nemo dignus eſt, niſi tu ſolus; intellectus meus tuus ſit, nec aliud cogitet niſi te; omnis intentio mea tua ſit, nec aliud quærat niſi te, quia nemo dignus eſt, niſi tu ſolus Deus.

Amor, Dei perfectiones admirans.

160 DOmine, qui non es aliàs aliud & aliàs aliter, ſed idipſum & idipſum & idipſum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, ſis infinitè benedictus, *S. Auguſt. 12. Conf. c. 7.* Hei mihi, quàm excelſus es in excelſis & quàm profundus es in profundis & nuſquam recedis! *Idem 8. Conf. cap. 3.* Pulchra ſunt omnia faciente te, & ecce tu inenarrabiliter pulchrior, qui feciſti omnia, *Idem 13. Conf. cap. 20.* Excita nunc, Anima mea, & erige totum intellectum tuum, & cogita, quantum potes, quale & quantum ſit illud bonum; ſi enim ſingula bona delectabilia ſunt, cogita intentè, quàm delectabile ſit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis ſumus experti, ſed tantò differentem, quantò differt Creator à creatura, ſi enim bona eſt vita creata, quàm bona eſt vita Creatrix! Si jucunda eſt ſalus facta, quàm jucunda eſt ſalus, quæ facit omnem ſalutem! ſi amabilis eſt ſapientia in cognitione rerum conditarum, quàm amabilis eſt ſapientia, quæ omnia condidit ex nihilo! denique ſi multæ & magnæ delectationes ſunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta eſt delectatio in illo, qui fecit ipſa delectabilia! *S. Anſelmus in proſol. c. 24.* Summe, optime, potentiſſime, miſericordiſſime & juſtiſſime, ſecretiſſime & præſentiſſime, pulcherrime & fortiſſime, ſtabilis & incomprehenſibilis, immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia. *S. Aug. 1. Conf. c. 4.* Domine non ſolùm es, quo majus cogitari nequit, ſed es quiddam majus, quàm cogitari poſſit, quoniam namque valet cogitari eſſe aliquid hujuſmodi, ſi tu non es hoc ipſum, poteſt cogitari aliquid majus te, quod fieri nequit: *S. Anſel. in proſol. c. 15.* Tu in omni re perfectus es ſine aliqua deformitate, magnus ſine quantitate, bonus ſine qualitate, fortis ſine infirmitate, verus ſine falſitate, ſine loco ubique præſens, ſine diviſione in omni loco totus, in magnitudine es infinitus, in virtute omnipotens, in bonitate ſumus, in ſapientia ineſtimabilis, in conſiliis terribilis, in judiciis juſtus, in cogitationibus ſecretus, in verbis verus, in operibus ſanctus, in miſericordia copioſus, erga peccatores patiens, erga pœnitentes pius. Lud. Granat. *l. 5. memor.* Tu es pelagus omnium perfectionum, omnis magnitudinis abyſſus, infinitæ miſericordiæ atque bonitatis oceanus, incomparabilis pulchritudinis imago: Tu es Deus deorum, Sanctus Sanctorum, Rex Regum, Dominus Dominantium, Cauſa cauſarum, Ens entium, Vita viventium, ordo univerſi, pulchritudo mundi, gloria cœli. *Idem l. 6. memor.*

Amor in bonis Dei complacens.

161 BEnedictus es, Domine Deus Iſrael Patris noſtri, ab æterno in æternum; tua eſt Domine magnificentia, & potentia & gloria atque victoria, & tibi laus, cuncta enim, quæ in cœlo ſunt & in terra, tua ſunt; tuum, Domine, regnum, & tu es ſuper omnes Principes: tuæ divitiæ, & tua eſt gloria, tu dominaris omnium; in manu tua virtus & potentia. In manu tua magnitudo & imperium omnium; nunc igitur, Deus noſter, confitemur tibi, & laudamus Nomen tuum inclytum, *David. 1. Paral. c. 29.* O divinitas! omnis boni primæva & interminabilis poſſeſſio, omnis vitæ inſeneſcibilis tota ſimul & perfecta poſſeſſio, omnis beatitatis ſine principio & fine ſuperpleniſſima fruitio, Deus amabiliſſime, noverim me, noverim te. *S. Aug.* Amabiliſſime Deus, dicere non poſſum, tu noſti, quomodo intus afficiar, dum cogito, quòd ſis, qui es, Deus infinitus, ineffabilis, incomprehenſibilis; qui intelligentias omnes profunditate excedis, affectus exæquas latitudine, amores omnes inacceſſa abyſſo ob infinitos titulos abſorbes, tu totus bonus es, totus ſpecioſus, ſanctus, ſapiens, potens, juſtus, miſericors, imò ipſa pulchritudo, ſapientia, potentia, juſtitia, miſericordia, & perfectio omnis; & complexio omnium perfectionum, ſemper æterna, ſemper neceſſaria, ſemper eadem: quàm gaudeo tibique gratulor, mi Deus! quòd nulli viciſſitudini, progreſſui, defectui, declinationi ſis ſubjectus, ſed omnem perfectionis modum indiviſibili tuo eſſe immutabiliter comprehendas! faveo tibi, quòd omnia ſpatia univerſi impleas, extendas, ambias, neque tamen ab iis contineari: animitus tibi gratulor, quòd tempora omnia poſſibilia ab æterno in æternum anticipes, protendas, circumſcribas, neque tamen terminis ullis durationum definiaris, ſed in momento rerum præteritarum, præſentium, & futurarum, moras, motus & ſucceſſiones metiaris; de omnibus his gaudeo, non minùs quàm ſi perfectiones illas tecum participarem. O delectabile ſpectaculum, dum contemplor creaturas omnes etiam ratione deſtitutas, & inſenſibiles in obſervationem ordinis, quem illis æterna lex tua præſcripſit, tanta concordia, & ſedulitate conſpirare, ut etiam ſe conſumant, ne ullam ſapientiæ tuæ diſpoſitionem perturbent: decurrunt aſtra per vices, volvuntur cœli per gyros, Sol & Luna obſervatis acceſſibus ac receſſibus circumaguntur, nec in puncto à præſcripta ſemita deflectunt, ut ſic perpetuò ſapientiæ tuæ magnitudinem nobis eloquantur: fulmina ejecta ſe conficiunt, nubes depluentes ſe ipſas perdunt, ignis ardens ſemet perimit, aer diffiatur, terra fatiſcit, rupes diſſolvuntur, elementa tranſmutantur, ut imperiis tuis obtemperent: Benedictus ſis Deus in throno Divinitatis tuæ, quia omnia ita fortiter diſponis, ſuaviter gubernas, inenarrabiliter diſpenſas. Da, Domine, ut comprehendam, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum Divinitatis tuæ: tu pelagus infinitum eſſentiæ, omne eſſe, & omne bonum in te concludens, & ab æterno eminenter anticipans, tu omnium principium, omnium finis, omnium locus, omnium ævum, omnium ordinatio, omnium conſummata felicitas, tu Deus omnia. Quàm gaudeo, Deus immenſe, quò te habeam ubique præſentem per eſſentiam, potentiam, & operationem: quòd videam in omnibus quaſi promicantem; quod ſentiam in me toto, ac præſertim in fundo animæ meæ amiciſſimè conjunctum; apud te rerum omnium mutabilium immutabiles ſunt rationes, tu ſemel æternus, ſemper idem, nihil amittis, nihil acquiris, quia per eſſentiam habes, & es omnia. Complaceo mihi intimè, ò Deus! & tibi gaudeo, quia es eminentiſſimè omnis ſplendor aſtrorum, omnis amœnitas hortorum, omne pretium gemmarum, omnis decor colorum, omnis ſuavitas ſaporum, omnis fragrantia odorum, omnis magnificentia ædificiorum, omnis pulchritudo rerum omnium, omnis oblectatio ſenſuum, omnis voluptas cordium: Tu ſine figura pulcher, ſine tempore æternus, ſine loco immenſus, ſine extenſione diffuſus, ſine ſitu altus, ſine numero infinitus, ſine multiplicitate omnia: tu centrum es univerſi, omnis amoris illicium, omnis motionis terminus, omnis deſiderii conſummatio. Magnificentiſſime Deus! in ditione tua poſita ſunt omnia: tu es Dominus vitæ & necis: gratulor tibi, quòd nihil poſſit reſiſtere voluntati tuæ.

Amor redamans.

162 AMaſti me, Deus, te toto, nam tu ipſe totus es amor ille, quo me amas: dat ſe mihi omnipotentia creans, miſericordia redimens, ſapientia dirigens, providentia ordinans, immenſitas complectens, ſanctitas exornans, æternitas immortalem reddens, eſſentia beatificans, ò Deus! tu totus meus es, ſim totus tuus. Amaſti me, Deus, toto univerſo, cum Sole mihi luces; cum igne me calefacis, cum terra ſuſtines, cum aere foves, cum aqua reficis, me mihi conſervas, ut ſentiam, intelligam, velim, tu idem facis: & cur te, ò Deus! his omnibus non redamem? imò te his omnibus redamo, neque creatura ulla vel potentia uti volo, niſi propter te, ut agnoſcaris, lauderis, ameris in omnibus, ab omnibus & per omnia. Amaſti me, Deus, ſuper omnia, ſuper Angelos, nam redemiſti me non illos; ſuper terram & elementa, quæ propter me feciſti; ſuper cœlos & aſtra, quæ produxiſti, ut mihi ſerviant; ſuper cæteras omnes creaturas, quas pro me condidiſti: imò, amantiſſime Jeſu! amaſti me plus quàm te, quia pro me dediſti ſanguinem, & vitam tuam: loquor cum tuo *Auguſtino*: dilexiſti me Domine, plus quàm te, quia mori dignatus es propter me: ò non ſim, niſi te ſuper omnia amem, niſi amem te plus quàm me, & paratus ſim agere, pati & mori propter te. Benedic ergo Anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, Nomini ſancto ejus; benedic Anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones ejus: benedicite pariter mecum Domino omnes Angeli & Archangeli, omnes Principatus, & Poteſtates, omnes Virtutes, & Dominationes, omnes Throni, Cherubim & Seraphim, benedicite, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam; laudent illum Cœli, Terra, Mare & omnia, quæ in eis ſunt, laudent & ſuperexaltent in ſæcula, illi honor, illi benedictio, illi gratiarum actio ab omni creatura in omnes generationes ſæculi ſæculorum.

Amor deteſtans, quæ Deo mala ſunt.

163 SIquid, Domine, ad impetrandam gratiam præſervationis à peccato mihi patiendum eſt, ſi cruces, ſi labores, ſi tormenta, ſi ignominiæ, ſi perſecutiones, ſi mortes, ſi omnes inferni pœnæ ſuſtinendæ ſunt, veniant, Domine, veniant, obſecro, ex nunc omnia iſta ſuper me ad tempus vel in ſempiternum, ſi tibi placuerit, dummodò, Domine, te non offendam. Quidquid, Domine, omnipotentia tua facere poteſt, ut patiar, pati volo, & acquieſco, & eligo, & rogo, dummodò non permittas, ut te offendam, Alex. à S. Franc.

ſolil.4. Quàm mihi dolet, ò amantiſſime Salvator, quòd tot hæreſes, & infidelitates videam! digna erat infinita tua Veritas, ut agnoſceretur ab omnibus. En in mundo dominatur omnis malitia contra ſanctiſſimam voluntatem tuam, blaſphematur ſanctum nomen tuum, ecce Domine infernus repletur animabus æternùm te maledicturis, qui debuiſti ab iiſdem æternùm benedici: ah potentiſſime Deus habe curam gloriæ tuæ, deſinant tandem impietates peccatorum: tu in compenſationem laudis, in ſuppletionem omnis gloriæ, quæ tibi negatur à dœmonibus, damnatis & ingratis peccatoribus attende ad Sanctorum omnium laudes, ad tuum in dilecto Filio tuo, & in te ipſo ſanctiſſimum beneplacitum.

Amor conformans ſe voluntati Dei.

164 TU Pater ſolus bonus es, tu ſolus pulcher, tu ſolus amabilis, tu ſolus animarum noſtrarum ſponſus es, ideoque tu ſolus regna, tu ſolus impera, tu ſolus dominare, tu ſolus voluntatem meam dirige, tu ſolus Rex meus eſto, & ego fidelis tuus ſubditus, pectus meum in te ſolo recreetur, cor meum in te ſolo quieſcat, Anima mea te ſolo repleatur, Lud. Granat. *l.7.memor.in medit.3.* Parum eſt, Domine, ſi tibi promittam me poſthac perfectè mandatis tuis obtemperaturum, non minimam ex tuis legibus violaturum, plus aliquid prætendo, & per tuam gratiam deſidero, me divinæ tuæ voluntati ſic in omnibus conformare, ut in cunctis conſiliis, inſpirationibus, motionibus ſim totus ſemper ſupplex, & ſubditus beneplacito tuo, ſymbolum meum erit, quod *S. Gertrudis* Virgo trecenties ſexageſies quinquies per diem repetebat, *Fiat voluntas tua, Domine, non mea:* Nomen meum erit poſt hac, quod vult Deus, quia quod vis, hoc volo, in lætis & triſtibus, & in adverſis & proſperis, in morbis & ſanitate, in vita & morte: in omnibus vox mea ſemper erit, Deus ita vult, propterea & ego ſic volo: ſic volo, quia Deo placet, & ita rem unicam in mundo faciam ſemper, nempe quod tu vis Deus. Deus optime, maxime, ad teſtandum amorem erga te meum, accepto hanc afflictionem, hanc injuriam, hoc damnum, atque in omnibus quæ mihi accidere poſſunt, in ſanctam voluntatem tuam me reſigno. Sapientiſſime Deus, abjicio me totum in diſpoſitiones infinitæ tuæ providentiæ, fac mecum ſicut ſcis, & vis, ut te amen, benedicam, glorificem in omnibus, & ſuper omnia.

Amor Gloriæ Dei.

165 LAudent te Deus noſter in excelſis omnes Angeli tui, omnes virtutes tuæ, Sol & Luna, omnes ſtellæ & lumen, cœli cœlorum & aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen tuum. S.Aug.7.*Conf.c.*13. Ecquando tamen, ò Deus! te agnoſcent homines, ſicuti in te es perfectiſſimus, quando amabunt te, ſicuti es infinitè bonus, quando te colent, uti es præcellentiſſimus? Domine da gloriam nomini tuo, & fac illud celebrari ab omnibus.

Amor Dei, ſe ad proximum extendens.

NOn amo te, mi Deus, ſi propter te non amem proximum; amo itaque illum, quia creatura tua eſt, quia vis eum amari, & in eo vis ipſe amari: amo, quia imago tua eſt, quia tibi placet eum à me amari. Bene ſit omnibus, ò Domine, etiam inimicis meis, qui ſi propter ſe digni non ſint, quos amem, tu tamen dignus es, propter quem illos amem. O Domine ſi te homines noſſent. *S. Ignatius Loyola:* memento clementiſſime rerum omnium conditor Deus animarum infidelium, hæreticorum & peccatorum à te creatarum, quas ad imaginem & ſimilitudinem tuam feciſti, ecce Domine in opprobrium tuum his ipſis quotidie impletur infernus: *S.Franc.Xav.* Quando tandem in ovile Chriſti redibunt tot errantes populi, ut agnoſcant Nomen ſanctum tuum? memento Domine omnes eſſe creaturas tuas, Chriſti ſanguine redemptas eo fine, ut te æternùm benedicant; revoca eas Domine ſub triumphale vexillum tuæ charitatis.

Amor paciſcens.

166 INeamus itaque (ſi ſic tibi placeat Domine) pactum, tu curam habe mei, & ego curam habebo tui: tu diliges me & ego diligam te; tu corpus & animam meam protege ac conſerva, & ego legem tuam te juvante obſervabo, fac mecum Domine, quod tibi placet, tu enim ſcis, quid deſit mihi, & quid expediat mihi, tuus eſſe volo & non alterius, da mihi gratiam Domine, ne quidquam præter te quæram aut deſiderem. Lud.Granat. *in proœm.lib.4.de Medit. & Orat.* O Deus! quoties vena micabit in corpore, toties volo, ut in laudes tuas exſiliant omnes creaturæ, & cor meum te ſuper omnia amet, quoties hominem intuebor, toties conſtituo, ut te ſupremum Dominum vitæ, & necis demiſſiſſimo affectu revererar. Magne Deus, tibi memetipſum offero, & conſecro per donationem, & pactum irrevocabile, omnes actiones ſenſuum, imaginationes phantaſiæ, cogitationes intellectus, recordationes memoriæ, affectus voluntatis, verba omnia, actiones ſingulas manuum, motus pedum, ſingulas palpitationes cordis, momenta vitæ omnia, omnia, quæ dono tuo mea ſunt, dono meo tua ſunt, tibi illa iterùm offero, dico, tranſcribo, & inſuper volo, ut ab hoc momento uſque ad vitæ finem, & inde uſque in perpetuam æternitatem amoris tui ſigillo conſignentur, tibi ſoli impoſterum deſerviant, & placeant.

Amor exceſſivus.

AMem te, mi Deus, plùs quàm Angeli & Beati, plùs 167
quàm Seraphini omnes; amem te amore omni poſſibili, utinam totus in flammas redigar amore tui. O Deus! quòd te tantum non poſſum amare ſolus, quantum ſimul omnes Animæ beatæ: & cur mihi cor in amore tui non eſt adeò inflammatum, ſicut omnium ſimul Martyrum & Sanctorum corda? O ſi, qui in omnibus ſparſim exarſerunt, nunc collectim in una mea anima flagrarent amores! *S.Franc. Aſſiſ.* O Deus meus! utinam amor tantus mihi ſit, & fervor, quantus eſt poſſibilis; amem te amore omnium poſſibilium creaturarum, amem te amore, quo te ipſum amas infinitè. Quis det, ut ameris juxta menſuram dignitatis tuæ, latè ab omnibus in mundo creaturis, altè amore ſublimiſſimo tua excellentia digno, profundè cum demiſſiſſima agnitione noſtri nihili, longè ab hoc momento in æternum, & ultrà. Si tibi, mi Deus, aliqua perfectio imaginabilis deeſſet, quæ in me aut in poteſtate mea eſſet, libens me illa ſpoliarem, ut ſi talis non eſſes, redderem te perfectiſſimum, & amabiliſſimum. Proteſtor, Domine mi, quod nec gloriam æternam velim, quatenus bona mihi eſt, ſed quia dignus es, ut per gloriam meam tu glorificeris, & in æternum ameris à me, & ab omni creatura. Pauluſcki *die 6. med.1.p.3.* ò Verbum divinum! cur pati me non ſacis infernum, & vitam amittere: ut ſaltem in aliqua parte placarem iram Patris tui? Domine, ſi non vis mihi facere iſtam gratiam concedendi mihi has animas, quas à te flagito, dicam ego me nolle venire ad poſſidendam gloriam à te mihi præparatam, *S.Maria Magdalena de Pazzis in ejus vita, c.99.*

Utere libello, quem poſt hæc deſcripta accepi, hoc titulo: *Aſpirationes Theologicæ in 52. anni Hebdomadas diſtributæ à P.Joanne Nadaſi Societ.Jeſu &c. Pragæ typis Univerſitatis, & Coloniæ typis Servatii Noethen:* hic libellus ſocum habet, æſtuat ignibus, vibrat flammas, ſed præcipuè apud animam Theologiæ principiis imbutam. Similia invenies ex Ludov. Bloſio apud Anton.Sucquet *in via vitæ l.3.c.20. in fine.* Charitatem Dei non ſtare cum peccato mortali probabitur lib.6. quando de Pœnit. & Contritione.

CAPUT II.

De Præceptis Charitatis erga proximum. 168

CHaritas proximi præcipit. 1 Ordinem in eo diligendo. 2. Dilectionem inimicorum. 3. Eleemoſynam. 4. Correptionem fraternam. Deinde prohibet. 1.Odium proximi. 2. Scandalum. 3. Ne injuria, bellum, aliudve grave damnum, vel malum inferatur: De quo poſtremo agetur in Decalogo; de reliquis hic.

DUBIUM I.

Quis ordo ſervandus inter perſonas, quæ diliguntur?

REſp.I. Ordine Charitatis quiſque tenetur poſt Deum, diligere. 1. Seipſum, ſecundùm bona ſpiritualia. 2. Proximum, quoad eadem bona. 3. Seipſum, quoad bona corporalia. 4. Proximum, quoad eadem. 5. Denique ſeipſum, & deindè proximum, quoad bona externa. Ita Laym.*l.2.t.3. c.3,* ex S.Th. & communiter. *Unde reſolvuntur hi caſus:*

I. Peccat contra charitatem ſui, qui ſalutem ſuam ſpiritualem, vel corporalem negligit: quod grave eſt, ſi fiat ſine cauſa & cum gravi damno, v.gr. mortis, vel gravis morbi. Trull.*l.2.c.6.d.1.n.1.*

II. Nullius boni conſequendi cauſa licet peccare, etiam venialiter, quia talis vellet ſibi malum ſpirituale, Laym. *ibidem.*

III. Tenetur quiſque proximo in extrema neceſſitate ſpirituali conſtituto ſuccurrere, etiam cum certo vitæ periculo: dummodò ſit æquè certa ſpes illum juvandi, neque gravius inde malum immineat: v.g. teneris cum vitæ periculo baptizare vel abſolvere moriturum, ſi alius non adſit,

„ qui id faciat S. Aug. *lib. de mend.* S. Thom. 2.2. *q.* 26. *ar.* 5. *qu.* 44. „ Regin. *l.* 4. *c.* 25. *ſ.* 6.

„ Dixi, *in extrema*, v.gr. qua certò putetur moriturus in „ mortali, quia in gravi tantum obligatur is, qui ex officio „ alienam ſalutem curat, ut Parochus; cui ideò non licet fu- „ gere tempore peſtis, niſi ſubſtituto æquè idoneo, Val. *tom.* 3. „ *diſp.* 3. *q.* 4. *pun.* 3. & Laym. *l. c.*

„ IV. Ordinariè non licet vitam ſuam poſtponere alienæ. „ Addo *ordinariè:* quia licet, ſi ſit perſona publica, à qua „ multùm pendet, uti etiam pro Rep. pro fide, religione de- „ fendenda; imò etiam pro amico propter Deum dilecto, Leſſ. „ *l.* 2. *c.* 9 *d.* 6. *n.* 27. 30. & 31. Laym. *l. c. n.* 4.

„ Reſp. II. Quoad proximos inter ſe, ſervandus eſt hic or- „ do: 1. Qui melior eſt, magis diligendus eſt, ea dilectione, „ quàm comitatur gaudium circa bona poſſeſſa, item honor, „ cultus & reverentia, ſic, v.g. plus diligendus eſt vir ſanctus, „ quàm parens improbus. Ratio, quia eſt magis conjunctus „ cum præcipuo objecto Charitatis, quod eſt Deus: Item „ parentes magis quàm filii vel uxor; magiſque benefactores, „ quàm ii, quibus bene fecimus, Laym. *l. c. n.* 5. & 6. & *comm.* „ 2. Appretiativè, & dilectione ea, qua alteri optamus bo- „ num nondum poſſeſſum cum beneficentia, magis diligen- „ di ſunt ii, qui nobis ſunt conjunctiores, quoad ea bona, „ quæ ſunt debita tali conjunctioni, & in quibus hæc funda- „ tur. *Unde reſolves:*

„ I. In bonis pertinentibus ad naturam, & vitam corpora- „ lem conſervandam, ſuccurrendum eſt (extra neceſſitatem „ extremam) Primò omnium, uxori; quia eſt una caro cum „ viro. 2. Filiis. 3. Parentibus, & quidem Patri præ matre. „ 4. Fratribus, ſororibus; deinde propinquis, domeſticis, & „ familiaribus. Dixi *extra extremam neceſſitatem*, quia in hac „ parentes, eò quòd vitam dederint; præferendi ſunt etiam „ uxori, & liberis, Laym. *ibid. n.* 5. & 6.

„ II. In rebus pertinentibus ad civilem communicationem, „ præferendi ſunt concives; in bellicis, commilitones; in „ ſpiritualibus, ſpirituales filii, patres, fratres. *Bannez* ta- „ men probabiliter docet, parentes carnales, etiam in ſpiri- „ tualibus præferendos, quia conjunctio carnalis eſt funda- „ mentum aliarum conjunctionum. V. Laym. *l. c.*

ADDENDA.

169 *Quæſt.* 42. *An teneamur proximum diligere actu interno, & formali?* Reſp. Tenemur, uti patebit ex ſeqq.

§. 1. Sequentes propoſitiones damnatæ ſunt ab *Innoc. XI.* 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* 11. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.* Itaque certum eſt, nos non ſatisfacere præ- cepto diligendi proximum, ſi ei externè demus ſigna dilectio- nis, ſi eum juvemus, ei ſuccurramus exterius, quando eſt in neceſſitate, ſed præterea requiritur, ut hoc facientes habeamus actum internum, quo bene velimus proximo, ſicuti enim tene- mur nos internè diligere & nobis bene velle, ita etiam tenemur diligere proximum cum præceptum *Luc.* 10. dicat, *Diliges pro- ximum ſicut te ipſum.*

170 §. 2. Datur obligatio per ſe, & ratione præcepti Charitatis ad diligendum proximum actu interno, & formali, nullum omnino excludendo, ſed in univerſali omnes complectendo, etiam inimicos, ita omnes cum S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 25. *art.* 8. *in O.* Ratio eſt, quia præceptum Charitatis abſolutè dicit, *Diliges proximum*, vox autem illa, *proximus*, complectitur omnes ejuſdem nobiſcum beatitudinis capaces, etiam inimicos. Quan- donam verò, & quàm ſæpè repeti debeat illa dilectio proximi, de illo nihil eſt declaratum, vel expreſſum, ſed cùm 1. Petri 4. dicatur, *Mutuam in vobiſmetipſis charitatem continuam habentes*, videtur colligi, quòd frequenter eliciendus ſit ille actus, aut quòd ſaltem in illo ſemel elicito ſit virtualiter per- manendum.

171 §. 3. Non eſt per ſe obligatio, ut diligantur ſinguli in indi- viduo proximi, nam de hoc nullum extat præceptum, & reipſa eſt impoſſibile; nihilominus requiritur in nobis præparatio ani- mi, ut parati ſimus ſingulos, etiam inimicos, diligere, ſi occaſio vel neceſſitas poſtulet. *S. Th.* ſupra.

172 §. 4. Si odium hujus numero proximi vel diſcordia aliter dimitti non poſſit, quàm ſi hic numero diligatur actu interno, & formali, erit per accidens obligatio ad hunc ſic diligendum, cùm enim actus internus in his circumſtantiis ſit unicum me- dium ad deponendum tale odium, quod quis graviter obliga- tur deponere, patet eſſe obligationem adhibendi illud medium, qui enim tenetur ad finem, tenetur ad medium neceſſarium. Simi- liter ſi occurrat obligatio ſuccurrendi neceſſitati extremæ vel gravi hujus numero proximi, docet Granadus 2.2. *contr.* 3. *t.* 6. *d.* 6. *num.* 2. eſſe ſimul obligationem cum diligendi actu in- terno, & formali, quia tunc tenetur ſuccurrere proximo, ergo etiam tenetur habere voluntatem ſuccurrendi, hæc autem vo- luntas ſuccurrendi eſt amor internus. Extra caſus illos docet Carden. *in* 2. *criſi d.* 8. *n.* 31. non eſſe per ſe obligationem actu in- terno, & formali diligendi hunc vel illum in individuo proxi- mum.

§. 5. Optimè ſatisfit præcepto Charitatis erga proximum, ſi 173 hic diligatur propter Deum, v.g. quia Deus ſummè bonus vult, quia Deo infinite bono ſic placet; tunc enim manet Charitas, proximi, & quidem perfectior, Carden. *n.* 40.

Q. 43. *An Paſtor cum quocumque damno ſuo teneatur ſubve-* 174 *nire ſubdito in gravi neceſſitate ſpirituali conſtituto?* Reſp. No- mine Paſtoris veniunt Epiſcopi, Parochi, & alii ex officio cu- ram animarum habentes, de quibus omnibus certum eſt ſub mortali teneri ſuccurrere, ſubdito, non tantùm in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate ſpirituali conſtituto: & ad hoc qui- dem tenentur cum quantocumque magno ſuo detrimento tem- porali, imò & cum vitæ propriæ damno, ita S. Thom. 2.2. *q.* 26. *art.* 5. *ad* 3. & *qu.* 185. *art.* 5. Suar. *qu.* 1. *par.* 2. *ſ. Quartò dico*, Gra- nad. *d.* 4. *n.* 4. Caſtrop. *d.* 1. *p.* 9. Con. *d.* 25. *d.* 7. *concl.* 1. & 3. Aravio, Bann. Arrag. Nav. Tapia, quos citat & ſequitur Carden. *in* 1. *criſi d.* 76. *c.* 2. *Probatur* 1. nam aſſumens officium Paſtoris ad hoc ſe obligavit veluti per pactum, ideoque communitas ipſi aſſignavit proventus ac ſtipendia. 2. Sic tenetur Belli dux adeſſe exercitui, Gubernator Urbi de ſalute temporali periclitanti, ergo multò magis Paſtor ſubdito periclitanti de ſalute animæ. 3. Unuſquiſ- que tenetur etiam cum damno vitæ ſuccurrere proximo in extre- ma neceſſitate ſpirituali conſtituto, ergo Paſtor tenebitur etiam in gravi: Ratio enim & communis ſenſus dictat proprium Pa- ſtorem ad amplius teneri erga oviculam, quàm extraneum. Ad- dit Suar. *d.* 9. *ſ.* 2. *n.* 5. etiam teneri cum periculo magni damni tem- poralis, ſi tantùm ſit magna utilitas ſpiritualis, ad hanc enim ſubdito procurandam ſe ex vi officii obligavit.

Q. 44. *Quænam neceſſitas ſpiritualis dicatur extrema, gra-* 175 *vis vel communis?* Reſp. Extrema eſt, cùm proximus verſatur in periculo proximo damnationis æternæ: item quandoque, ſi ſit in periculo proximo peccandi mortaliter ex vehementia paſ- ſionis vel tentationis. Gravis eſt, ſi non ſit quidem periculum proximum damnationis æternæ, attamen ſunt circumſtantiæ, quæ ſalutem æternam reddunt difficilem. Communis eſt, in qua communiter ſunt peccatores in mortali conſtituti, ita Car- den. ſuprà: Et de his plura videri poſſunt apud Valent. 2.2. *d.* 3. *qu.* 4. *p.* 3. Bonac. *in* 1. *præc. decal. d.* 3. *qu.* 3. *pun.* 4. *num.* 5. Baldel. *t.* 2. *l.* 2. *d.* 18. *num.* 15. Baſſ. *t.* 1. *v. Charitas num.* 21. Caſtrop. *t.* 6. *d.* 1. *p.* 9. *n.* 10. ubi dant exempla, præſertim extremæ neceſſitatis ſpiritualis.

Q. 45. *An quis poſſit aliquando vitam aut bonum ſuum poſi-* 176 *ponere vitæ aut bono alterius privati?* R. §. 1. Si hic homo pri- vatus ſit in certo, & extremo periculo vitæ, licebit tibi adire pro- babile periculum vitæ tuæ pro illius vita ſervanda, quia certa mors alterius eſt majus malum quàm probabile periculum vitæ propriæ: ad hoc tamen non teneris, quia nimis durum videtur obligari hominem ad exponendam vitam ſuam gravi periculo pro ſervanda vita alterius privati hominis.

§. 2. Si tu ſis in æquali periculo cum altero, poteris tibi 177 priùs providere quàm illi; nihilominus poteſt etiam homo per- mittere mortem ſuam, ut ſalvet vitam proximi etiam privati, v.gr. poteſt defendere illum contra latronem, quamvis prævi- deat ſe occidendum: Similiter poteſt in naufragio non arripere tabulam, ſed permittere alteri, nam in his non amat Proximum plùs quàm ſe, ſed amat bonum heroicæ virtutis plus quàm vitam ſuam, uti ex S. Thoma rectè obſervant Ovied. *contr.* 8. *num.* 87. & Caſtrop. *tom.* 6. *d.* 1. *p.* 8. neque ejuſmodi homo vitam ſibi directè tollit, ſed tantùm non ſervat ex motivo virtutis. An autem poſſit, v.gr. tabulam jam inſeſſam dare alteri evaſuro, ſi præ- videat ſe certò ſubmergendum, major eſt difficultas; affir- mat Lorca, negant alii communiùs cum Suar. & Ovied. *num.* 72. quia jam in tabula conſtitutus erat extra periculum, in quod ſi ſe directè reingerat, videtur, moraliter loquendo, ſibi directè vitam tollere, ut alteri ſervet, quod illicitum eſt: putat tamen *Suar.* fore tantùm veniale, quia gravitas hu- jus peccati non debet deſumi à vita propria, ſed ab exceſ- ſu tituli, qui eſt, ut potiùs conſervem vitam meam, quàm alienam, hic autem exceſſus videtur eſſe levis, unde ſicuti peccarem tantùm venialiter, ſi beneficium quantumvis pin- gue conferrem digno prætermiſſo digniore, ſi exceſſus di- gnitatis inter illos eſſet tantùm levis, ita & hic. Oppoſitum te- net Ovied. *num.* 83. quia titulus, qui eſt conjunctio major me- cum ipſo, videtur eſſe gravis. Videri poteſt etiam Lugo *de juſt. d.* 10. *num.* 48.

§. 3. Si latro te invadat, quamvis credas te eſſe in gratia, 178 non teneris permittere te occidi, quia latro non eſt in extre- ma neceſſitate ſpirituali, propter quam debeas exponere vi- tam tuam, ſed eſt in extrema malitia, à qua liberare ſe po- teſt, ſi velit, ita Con. Bonac. aliique cum Caſtrop. *p.* 9. *num.* 7. Quod ſi te invadens eſſet phreneticus, adhuc non teneris per- mittere te occidi, licèt pro tuenda vita tua deberes eum

occi-

occidere, quia non debet reputare eum eſſe in peccato, in quo ſi eſt, neſcis, an ſit rediturus ad rationem, & pœnitentiam; & reipſa nimis grave eſt ſic te imparatum trudi in æternitatem, hinc Bartholus, Gomez, Mol. Mald. Tann. Bonac. Caſtrop. Tamb. Dicaſt. Sangallenſes, quos citat & ſequitur Vindex Gobati *p.2.prop.10.nu.4.* abſolutè docent talem etiam rationis impotem poſſe occidi. Vide Vind. Gob. *ad prop.10.* & dicenda *l.3.p.1.n.814.*

179 §.4. An laudabilius ſit hominem morientem transferre in alias animas purgatorii omnia ſuffragia, & ſatisfactiones pro ſe offerendas, an ſibi retinere, fusè in utramque partem diſcutit Arriaga *d.40.ſ.2.* & concludit eſſe minùs laudabile, quia eſt velle Deum potiùs laudari ab alio quàm à ſe, quod videtur eſſe hominis minùs amantis Deum: E contra Hautinus *in patr. defunct. à n.627.* citans pro ſe S. Thomam Suar, & Lug. fusè contendit, id eſſe laudabilius, quia per actum illum Charitatis plus meretur gratiæ, & conſequenter gloriæ ſibi, & Deo per totam æternitatem. An autem ſit obligatio juvandi defunctos, videri poteſt Haut. *à num.438.*

180 §.5. Probabilius videtur, quòd poſſim ad tempus velle carere gratia Dei vel beatitudine pro impediendo peccato vel damnatione Proximi, uti rectè Ovied. *num.15.* multò magis etiam potero ſecundùm ordinatam Charitatem omittere actus bonos, ut ſic impediam majora mala proximi; non poſſum tamen ideò velle peccare etiam leviſſimè, & ut volunt Arr. & Ovied. *n.23.* non poſſum velle in perpetuum carere beatitudine etiam pro totius mundi ſalute, quamvis hoc abſque peccato contingere poſſet, quia teneor ultimò tendere ad finem meum, quando poſſum ſine peccato: in hoc tamen contradicunt alii cum Bonæſpei *d.4. num.10.* docentes eum eſſe actum excellentiſſimum Charitatis, & favent exempla quorundam Sanctorum.

181 *Q46. Quid debeat facere ſacerdos, ſi ſimul vocetur ad baptizandum infantem, & ad abſolvendum adultum, quorum alter certò morietur abſque Sacramento, ſi poſtponatur alteri?* Reſp. Si adeſt laicus, qui baptizare poſſit, debet eum mittere ad infantem baptizandum, & ipſe ire ad abſolvendum adultum: ſi autem nemo adeſt, qui baptizare poſſit, debet infantem præferre adulto, infans enim certò periret, non item adultus, qui fortè non eſt in peccato mortali, vel per contritionem ſe juvare poteſt: hoc autem eſt arripiendum, quod minus habet de periculo, uti docet S.Th. *3.p.qu.83.art.6.* Ita cum Gob. Steph. *t.3.d.3.d.1.*

Circa ordinem Charitatis aliqua addentur *lib.3.par.1.à num. 719. & 731.*

DUDIUM II.

182 *De odio, & dilectione inimicorum.*

„ CErtum eſt inimicos aliquo modo diligendos, cùm ſint „ proximi, cum S.Th. *2.2.q.25. art.1. communiter omnes.* Sed quæritur de modo, & an poſſint odio haberi.

„ Reſp.I. Quilibet homo, ſaltem privatus, tenetur proximo, etiam inimico, communia dilectionis ſigna, & beneficia exhibere ex præcepto: ſpecialia verò ex conſilio tantùm, niſi aliunde ratio obligationis accedat. Ita communiter cum Laym. *l.2.t.3.c.4.* ex S.Thom. *l.c.qu.25, art.8.& 9.* Dixi 1. *communia:* qualia ſecundùm Caj. *ver. odium* ſunt, quæ Chriſtiano debentur à quovis Chriſtiano in communi, concivi à concive, cognato à cognato. Ratio autem eſt, quia iſta negare, eſt vindicare injuriam, quod non licet privato. Dixi 2. *Niſi aliunde accedat ratio obligationis*, qualis eſſet v.g. 1. Timor ſcandali ex omiſſione. 2. Spes ſalutis inimici, ut vid. Azor. *p.2.l.12.c.3.* 3. Neceſſitas temporalis, vel ſpiritualis. 4. Culpæ deprecatio, & exhibitio ſpecialium ſignorum amoris. Ratio, quia his caſibus, neglectus ſpecialium ſignorum eſſet exterior odii declaratio, Laym. *l.c. Unde reſolves Caſus ſequentes:*

„ I. Per ſe loquendo, nemo tenetur ad inimicum diligendum poſitivo, & peculiari actu, neque ad eum ſalutandum, alloquendum, ægrotum inviſendum, mœſtum conſolandum, hoſpitio excipiendum, vel familiariter cum eo agendum, &c. quia hæc ſunt ſigna ſpecialia amoris. Fill. *t.28. p.1.cap.1.* Dico *per ſe*, quia ſi omiſſio ſcandaloſa eſſet, aut per aliquid horum poſſes ſine tuo incommodo, inimicum tibi, & Deo reconciliare, id omittere eſſet grave, uti etiam, ſi inæqualis perſona ſoleret alium ſalutando prævenire, v.g. ſubditus Prælatum, Laym. *l.c.*

„ II. Non licet inimicum excludere à communibus orationibus, v.g. oratione Dominica, & quæ pro communitate inſtituitur: nec à communibus eleemoſynis, reſalutatione, reſponſione, expoſitarum mercium venditione, quia hæc ſunt communia dilectionis ſigna; ideoque contra hæc facere, v.gr. cognatos omnes invitare, obvios omnes ex vicinia vel collegio ex conſuetudine ſalutare, ſolo inimico excluſo, eſt ex genere ſuo, & regulariter mortale. S.Tho. Nav. Laym. *ll. cc.* Addo 1. *ex genere ſuo*, quia ſi levitas materiæ, aut cauſa rationabilis excuſet, v.g. ſi pater vel ſuperior, filio vel ſubdito, ob correctionem ea ſubtrahat ad tempus, leve vel nullum erit, quia habet jus puniendi. Addo 2. *regulariter* quia ſi perſona multò major inferiorem non reſalutet, v.g. nobilis ruſticum, pater filium, non videtur mortale: ut notat Sà *v. Charitas*, Bon. *tom.2.d.3.q.4.p.3.* V.Azor. *q.5.*

„ III. Etſi quivis teneatur inimico veniam legitimè petenti, non tantùm interiùs remittere, ſed etiam externa remiſſionis ſigna oſtendere, negat tamen Trull. *l.5.c.5. d.5.* ex Azor. & Fill. *n.25.* teneri ſtatim poſtquam offenſio eſt illata: eò quòd ſit res violenta, & ſupra fragilitatem humanam. Non tenetur autem remittere ſatisfactionem pro damno, ſi ab eo ſit læſus, imò nec eam acceptare, ſi offerat, ſed etiam juridicè poteſt compenſationem petere, dummodò in utroque caſu deponatur odium, ut docet Val. Nav. *cap.14. n.25.* Laym. *c.4.* Quod ſi tamen pœna ſit valde gravis, v.g. capitis, mutilationis, neque læſo ex ea commodum proveniat, non videtur ea, depreçante altero, ſine peccato vindictæ poſſe expeti. Similiter, ſi ſatisfaciat quantùm poteſt, ad id, quod non poteſt, eum urgere, videtur contra charitatem, ut docet Syl. & Fill. *q.9.*

Reſp.II. Etſi odium inimicitiæ ſive perſonæ ſecundùm ſe, & bonorum, quæ in ſe habet, volendo ſcilicet illi malum, ut ſic, ſive quatenus illi malum eſt, ex genere ſuo ſit mortale; odium tamen abominationis, ſive qualitatis, quo non hominem, ſed ejus malitiam, vel ſaltem perſonam tantùm quatenus malam, ſed nobis noxiam, averſamur, ſæpè licitum eſt, ut docet Kon. *diſp.29. dub.3. & commun. Unde reſolvuntur ſequentes Caſus:*

„ I. In Confeſſione ſatis eſſe, ſi dicas te grave malum voluiſſe proximo, nec opus eſſe explicare ſpeciem mali, v.g. mortem, infamiam, &c. quòd omnia comprehendantur, ſub una ratione mali; Caj. Bonac. Tur. Trul. *l.1.c.6.* docent probabiliter: ſed contrarium probabilius docet Suar. *hic d.6.ſ.2.n.2.& 3. tom.2.* Pal. *tr.2.d.4.par.1.n.6.*

„ II. Licet proximo velle malum aliquod, v.g. temporale, (dummodò non ſit juſto gravius) quatenus id illi bonum eſt v.g. morbum, vel adverſitatem, ut à peccatis emendetur, Bonac. *tom.2.d.3.q.4.pun.ult.ſ.1. ex multis.* Cavendum tamen eſt; ne fiat ex vindicta, ex qua, ſi Pſalmum 108. ſuper inimicum tuum legas, peccas mortaliter. Generatim verò, ob bonum ſpirituale proprium vel alienum, licet mala pœnæ, ineffícaci affectu, aliis velle, quia cùm in hoc affectu bonum ſpirituale præferatur temporali, non eſt inordinatus. V. Leſſ. *l.2.cap.47.*

„ Sic licet, v.g. mortem optare hæreſiarchæ vel publicæ pacis turbatori, ob bonum commune, & multorum: juxta illud *Galat.5. Utinam abſcindantur.* Item triſtari de eo, quo dignitates conferantur indignis: vel de ſanitate ejus, qui ex illa ſumit occaſionem paccandi. Item mortem, egeſtatem, aut morbum alicujus deſiderare, ut ceſſet à peccatis, & vitam in melius mutet. Eadem ex cauſa Bon. Azor. & Palaus *t.6.d.4.p.1.n.11.* excuſant à peccato matrem, quæ mortem filiarum exoptat, eò quòd ob deformitatem vel inopiam commodè, & honeſtè nuptui tradere non poſſit. Etſi verò ſibi ipſi optare mortem *Nav.* & cæteri dicant eſſe mortale, ad evitanda tamen gravia mala, v.g. afflictionem internam, id licere volunt Sanch. Sot. Gran. *2.2.t.6.diſp.2.ſ.4.n.20.* Dian. *p.5.t.14.R.92.* Ita Trull. *l.1.d.2.n.11.* excuſat fœminam, quæ ſibi (vel alteri) mortem optat ad vitandam gravem infirmitatem, mendicitatem, vitam acerbam, &c. vel alia ſimilia mala à marito, v.gr. inflicta, vel infligenda. Mulierculas tamen ob minimas moleſtias mortem optantes Dian. *l.c.* mortalis damnat, niſi (ut plerumque fit) excuſet defectus advertentiæ, & deliberationis.

„ III. Privatus, qui averſus ab alio fugit illum, ſi id faciat, ut eum ſuo colloquio, & ſolatio privet, atque ita contriſtet, & malè illi ſit, eſt odium inimicitiæ, & peccatum; ſi verò nihil mali optando, tantùm fugias, quia tuæ naturæ eſt difformis, vel tibi ſolet eſſe moleſtus, eſt odium averſionis, & peccatum, ſi ſit irrationabile: quale non erit, ſi ſit perſona valde aſpera: modò abſit contempus, ſcandalum, & vindictæ cupiditas. Vide Bonac. *l.c.*

ADDENDA.

183 *QVæſt.47. An licitum ſit triſtari de vita aut gaudere de morte alterius?* Reſp. Intelligetur ex ſeqq.

§.1. Ab Innoc. XI. damnata eſt hæc 13. propoſitio; *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alterius triſtari, & de illius morte naturali gaude-*

ve, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum. Ex qua damnatione certum eſt, nunquam eſſe licitum ex odio, inimicitia vel vindicta gaudere de morte proximi aut illam deſiderare: Deinde etiam certum eſt, ſi quis ob leve aliquod emolumentum temporale deſideret directè; etiam inefficaciter, mortem proximi, aut de illa immediatè gaudeat ſive morosè delectetur in illa: hoc eſſe peccatum mortale, in hoc enim ſenſu damnatur relata propoſitio: & ratio eſt, quia cùm ſit emolumentum leve, & quidem poſſit eſſe tale aliquid, quod ſolummodò ſperatur, nec adhuc poſſeſſum eſt, imò ad quod ne quidem habeatur aliquod jus, irrationabile eſſet velle mortem proximo, ut tale quid obtineatur: hinc juſtè damnata eſt illa propoſitio, ſine reſtrictione dicens, licitum eſſe deſiderare mortem alicui propter aliquod temporale emolumentum, ſicuti enim nemo poteſt ſibi mortem optare, ut liberetur aliquo levi incommodo, v.g. tuſſi, modico dolore capitis, ita non poteſt optare alteri ob aliquod leve commodum ſuum.

184 §.2. Licitum eſt deſiderare vel gaudere de morte proximi propter magnum bonum ſpirituale ipſiuſmet proximi; ſic Pater poteſt deſiderare mortem Filii nunc in gratia conſtituti, qui aliter certò prævidetur futurus improbus: Ratio eſt, quia bonum ſpirituale juſtè præfertur temporali, ergo licitè ipſi favet mortem ita utilem, potiùs quàm vitam ita noxiam, ita Carden. *in 2. criſi d.10.num.7.*

185 §.3. Licitum eſt deſiderare vel gaudere de morte proximi ob ingens bonum etiam temporale communitatis, & Eccleſiæ, quòd aliàs haberi non poſſet; ſic licitè opto mortem Turcæ potius, quàm ut Eccleſiam vel Imperium Romanum vincat; & ratio eſt eadem, quia bonum commune juſtè præfertur privato, id autem cenſetur bonum commune, quod eſt communitatis, in qua ſum, ita Carden. *num* 8.

186 §.4. Manet probabilis ſententia, quam poſt S. Thomam *2.2. qu.76. art.1.* tenent Authores graviſſimi, quos citat, & ſequitur Mendo *d.4. qu.1. & 4.* Arſdek. *t.2. p.2. de prob. Opin qu.4.* Carden. *num.9. & 21.* Moya *t.1. t.6. d.6. q.5.* nempè quod homo poſſit deſiderare mortem proximo ad vitandum aliquod ingens malum ſibi vel alteri proximo impendens, quod aliter vitari non poteſt, v.g. ne injuſtè occidatur ab illo, ne per illius injuriam ſpolietur bonis ſuis, quod alioquin futurum eſt: ſicuti aliquis ſibi ipſi licitè optat mortem, ut evadat ingens malum ſpirituale vel temporale, v.g. ſi aliter non poſſit vitare peccatum, vel perpetuum, & durum carcerem. Ratio eſt, quia in primis tunc non optat propter aliquod emolumentum, quod acquiri deberet, ſed propter damnum in re ſua actu poſſeſſa, quod ſubire non tenetur, cùm rem ſuam vel alterius amici tenere ac defendere poſſit, etiamſi proximus injuſtè volens tollere occidi deberet, dummodò ſit res magni momenti, uti dicetur ad 5. præceptum Decalogi. Deinde illud gaudium vel deſiderium directè, & immediatè fertur in ſolum bonum ſuum vel proximi, ita ut mors, quatenus proximo eſt mala, nullo modo ſit objectum illorum actuum, atque ideò S.Thom. *in 3. diſt.30. q.1. art.1. ad 4.* ſic habet: *Proſperitas unius induxit adverſitatem alterius, unde quia Charitas ordinem habet, & plus debet quiſque diligere ſe quàm alium, & propinquos quàm extraneos, & amicos quàm inimicos, & bonum commune multorum quàm bonum privatum unius, poteſt aliquis ſalva Charitate optare malum temporale alicui, & gaudere; ſi contingit, non in quantum eſt malum illius, ſed in quantum eſt impedimentum malorum alterius, quem plùs tenetur diligere.* Addit S.Doctor, *Sed hoc non eſt per ſe de malo gaudere, ſed de bono, quod adjunctum eſt malo.* Fatendum tamen, quod facilè ſe poſſit hic inſinuare odium vel vindicta.

187 §.5. Licitum eſt gaudere de ſuo emolumento per mortem proximi cauſato, v.g. hæres licitè gaudet ſe accepiſſe bona per mortem alicujus, tale enim gaudium non terminatur ad mortem proximi, ſed præſuppoſita morte verſatur circa hæreditatem, de qua licitè gaudet. Ob eandem rationem etiam licitum eſt deſiderare emolumentum ſuum, quod obveniet per mortem alterius, poteſt enim deſiderium terminari ad tale emolumentum, abſque eo, quòd feratur in mortem proximi, quia deſiderat, ſi fuerit, vel quando erit mortuus: foret autem illicitum, ſi affectus ferretur in ipſam mortem proximi tanquam in medium pro obtinendo illo emolumento, unde cùm in hos ſimileſque actus gaudii vel deſiderii facilè ſe inſinuet malus affectus, expedit in praxi eos non admittere ob periculum peccandi. Vide Vind.Gob.*p.2. ad prop.8. & 9.*

188 *Q.48. An aliquando ſit obligatio petendi veniam vel ſe inſinuandi apud offenſum?* Reſp. §.1. Tum eſt gravis obligatio ad petendam veniam vel quærendam reconciliationem, quando alterum graviter offendiſti, nec ſupereſt aliud medium reconciliandi, quia ſicuti tenebaris non ponere offenſam, ita teneris eam tollere.

189 §.2. Non eſt obligatio petendi veniam, 1. Si injuria non fuerit gravis, aut ſi alter intulerit graviorem. 2. Quando aliter ſatisfieri poteſt læſo, v.g. per pecunias, per alia ſigna honoris vel amicitiæ, per interceſſionem aliorum. 3. Quando injuriæ mutuæ ſe compenſant. 4. Quando læſus petitionem veniæ non curat, vel cenſetur remittere. 5. Si læſus per illam magis exacerbaretur. 6. Quando apud aliquos, v.g. nobiles viros, illa in uſu non eſt, ſed aliter fieri ſolet reconciliatio. 7. Quando offendens eſt longè ſuperior offenſo, niſi fortè enormitas injuriæ urgeret, ut etiam à ſubdito veniam peteret. 8. Quando prudenter præſumitur alterum non acquieturum nec correſponſurum, ſi tu pro tua parte veniam peteres, & ſatisfacere velles. 9. Quando alter exigit inſuetam humiliationem, nam ad extraordinariam, & ita arduam non teneris ante ſententiam Judicis, ita Caſtrop. *d.1. p.6.* Tamb. *in Dec. l.5. c.1. §.3.*

§.3. Qui priùs offendit, etiam priùs contraxit obligationem ſatisfaciendi, ideoque, per ſe loquendo, & cæteris paribus, ipſe tenetur priùs veniam petere aut dare ſigna reconciliationis, ita *Nav. Bonac. & Con.* Si tamen prior offendens levem injuriam intulit, & poſterior graviorem, vel ſi prior eſt longè nobilior, poſterior autem inferior, prior po erit ſuſpendere ſatisfactionem, uſque dum poſterior etiam debitam præſtet, ita cum Bonac. Con. Regin. Caſtrop. *n.13.* Addit Tamb. *n.27.* ſi omnibus conſideratis non ſit major ratio, cur unus potius quàm alter debeat eſſe prior in venia petenda, tunc utrumque teneri pro data occaſione incipere, niſi conſuetudo eſſet, ut unus deberet prævenire; ſic enim moris eſt, ut ille, qui tranſit vel accedit, priùs ſalutet illum, qui ſtat. 190

§.4. Qui fugit, ne occurrat inimico, quem à longè videt, ſi inimicus advertat id fieri propter ſe, & graviter ſentiat, eſt mortale contra Charitatem, ſi autem non advertat, vel non multùm curet, non erit mortale, Spor. *in mor. t.2. c.6. num.28.* addens *n.29.* tunc tantùm peccari mortaliter non ſalutando, quando ex circumſtantiis colligitur omitti ex odio, inimicitia vel vindicta; quòd ſi tantùm ſit oſtenſio juſti doloris vel faſtus aliquis aut aliud ſimile, non videtur fore mortale, ut innuit Tamb. *n.16.* & docet Spor. *n.32.* Res tamen periculoſa eſt, quia facilè ſubeſt ſpiritus odii vel vindictæ. 191

§.5. Si allocutio vel oſtenſio benevolentiæ non ſit debita, & tamen prævideas ex illa futurum, ut inimicus odium deponat, teneris alloqui, ſi ſine multa animi difficultate poſſis: ſi autem notabilem difficultatem patereris, non teneris, quia bonum ſpeciale proximi, quale tunc eſt depoſitio odii, tenemur quidem ex Charitate curare cum aliquo, non tamen cum magno incommodo, Suar. Con. Caſtr. Tamb. Burg. *cent.2. caſ.66.* 192

§.6. Ad declarandum magis præceptum diligendi inimicos, infert Pet.March. *t.2. t.2. t.4. ſ.2. q.1. §.4.* quicumque non impedit injuſtum damnum grave ſui inimici, quando abſque aliquo alicujus momenti detrimento impedire poteſt, peccat mortaliter, quia reipſa oſtendit ſe odium habere, quod mortale eſt, ubi materia eſt gravis. 193

DUBIUM III. 194

De Præcepto Eleemoſynæ ſeu miſericordiæ corporalis.

SUppono I. Hujus præcepti obligationem naſci ex triplici capite, 1. Ex neceſſitate proximi egentis. 2. Ex perſona poſſidentis bona, vel neceſſaria, vel ſuperflua.

Suppono II. Triplicem dari neceſſitatem proximi, 1. Dicitur extrema, ex qua egenti imminet periculum vitæ, vel etiam gravis, & diuturni morbi, ſecundùm Dian. *p.5. t.8. R.1.* 2. Gravis, ex qua imminet periculum gravis mali, ut captivitatis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum, vel ſtatus; unde fiat, ut difficulter ſe poſſit ſuſtentare, v.g. ſi non poſſit vivere ſecundùm ſuum ſtatum, vel ſi nobilis cogatur alteri famulari; vel artifex, aut vir honeſtus, mendicare, 3. Dicitur communis, qua laborant mendici triviales, Laym. *l.3. tract.2. c.6.*

Suppono III. Bona neceſſaria, & ſuperflua dici, vel reſpectu vitæ ſive naturæ, vel reſpectu ſtatus, vel decentis conditionis perſonæ: quomodo ſæculares rarò putant ſe habere ſuperflua, ut docet Lay. & Nav. *in man. cap.24.* nam quæ ſunt neceſſaria, ad alendos liberos, famulos, honeſtas donationes, convivia, hoſpitum tractationem (qualia tamen non ſunt, quæ ad quemcunque faſtum, & pompam quiſque ſibi requirit) ſpectatis etiam communibus eventibus, hæredibus, neceſſitate futura, &c. non ſunt ſuperflua.

Reſp. 1. Nemo tenetur dare eleemoſynam ex bonis ſibi ad vitam neceſſariis, niſi eſſet perſona talis, ex qua penderet ſalus Reip. *Eſt communis.* Et ratio patet ex ordine charitatis.

Reſp. II. Probabile eſt, ex ſuperfluis naturæ, & ſtatui, teneri aliquem etiam in gravi neceſſitate ſuccurrere proximo, ſi probabiliter putet alium non ſubventurum: idque ut Azor. *tom.2. p.2. l.12. c.7.* Sylv. & Fumus volunt, ſub mor-

mortali, contra *Medinam*, qui vult esse tantùm consilii. Ratio, quia cùm in Scriptura frequenter damnentur homines ob neglecta opera misericordiæ, hæc non sunt restringenda ad extremam, & raram necessitatem. V. Laym. *l.c.*

Resp. III. Proximo in extrema necessitate teneris succurrere ordinariè, ex bonis etiam aliquo modo ad statum necessariis, *Suar. Laym.* est communis. Satisfaçis tamen probabiliter, si des cum onere restituendi, quando erit ditior, Vasq. &c. contra Suar. Kon. &c. Vid. Dian. *p.5.t.8.R.5.*

Addo, *ordinariè*, quia si majus damnum æstimaretur, te excidere tuo statu, quàm mors pauperis, non tenereris, Azor. *l.c.*

Resp. IV. Probabile est, quòd proximo in gravi necessitate constituto quisque teneatur subvenire, cum modico detrimento proprij status: quia parvo suo incommodo tenetur magnum incommodum proximi impedire. Laym. *l.c.* ex D. Th. Bon. *t.2.d.3.q.4.p.6.* Ex dictis collige:

I. Homines privati non tenentur inquirere pauperes, *Vasq. &c.* si tamen dubitent de extrema alicujus indigentia, tenentur inquirere veritatem, Sanch. Dian. *p.5.t.6.R.39.*

II. Nemo tenetur magnam vim pecuniæ dare pauperi, ad pretiosissimam medicinam emendam, vitæ servandæ necessariam, vel ad redimendum à periculo mortis, Sà & Kon. *disp.27.d.8. num.135.* Et ratio patet ex dictis.

III. Si proximus tantùm egeat usu rei, satis est illam accommodare, v.g. si ab hostibus spoliato vestem commodes, vel vulnerato equum, donec domum revertatur. Laym. Bonac. *l.c.*

Resp. V. In communibus pauperum necessitatibus tenetur aliquando dare eleemosynam, qui habet bona naturæ & statui superflua. Ita communiter, D. Thom. Suar. *disp.7. sect.3.num.7.* Bellar. contra Navarr. & Vasq. qui negant teneri. Ratio est, tum quia quisque tenetur diligere proximum sicut seipsum: tum, quia alioqui pauperes isti inciderent in necessitatem gravem. Videtur tamen hæc obligatio tantùm esse sub veniali, ut rectè *Medina*: idque si nulla sit justa causa negandi: aliàs sub nullo. V. Laym. Bon. *l.c.* *Unde resolvuntur casus sequentes:*

I. Pauperibus trivialibus, etsi ex nuditate, morbo, &c. videantur ostendere signa extremæ necessitatis, rarò quis tenetur ex præcepto subvenire, etiam de superfluis, tum quia ferè ad movendos spectatores ista necessitas exaggeratur, tum quia ab aliis juvandi præsumuntur, Mald. V Viggers, *in 2.2.q.32.a.8.n.32.* Dian. *p.5.t.8.R.17.*

II. Si quis dives, & abundans diù neget omnes eleemosynas, cum proposito dandi meliore & commodiore loco ac tempore, vel egentioribus, vel in alium pium usum convertendi, is non peccat, cùm habeat justam causam negandi: si verò talis, sine rationabili causa, omnes à se pauperes inhumaniter repelleret, eum dicit Laym. *l.c.* versari in malo statu.

III. Nulli omnino quantumvis diviti, omnes pauperes sine eleemosyna repellenti, facilè neganda est absolutio, cùm ob dubium & dissensum DD. de hac obligatione: tum quia vix reperitur, qui causam saltem apparentem non prætendat, si superflua se habere fateatur. Laym. *ibid.*

IV. Etsi dicta de eleemosyna danda, intelligantur respectu omnium gentium, etiam peccatorum, infidelium, & inimicorum, damnandi tamen non sunt Magistratus, excludentes à suis civitatibus, justa de causa, pauperes peregrinos. Laym. *ibid.* Trul. *l.1.c.5. d.10.*

V. Religiosis æquè ac aliis pauperibus debentur eleemosynæ, quia eorum paupertas & necessitas est vera & justa, tametsi voluntariè contracta, cùm voluntas & causa fuerit rationabilis & grata Deo. Lorca, Dian. *R.18.* Aliud est de iis, qui sponte sua culpabiliter sunt pauperes, ut vagabundi, *ibid. R.19.*

Resp. VI. Eleemosyna tantùm facienda est ex bonis propriis, & quorum quis liberam habet administrationem: potest tamen fieri ex alienis, quando proximus est in extrema (vel etiam secundùm Less. *lib.2.cap.12. dub.12. num.71. d.13. num.80. & d.14. num.48.* in valde gravi) necessitate, aliunde succurri non potest, tunc enim omnia sunt communia. In communi verò necessitate, licet tantùm cum consensu Domini, tacito vel expresso. V. S. Th. 2.2. *q.32. ar.7.* Reg. *l.4.n.286.* Fill. Laym. Bonac. *l.c.n.11.* Less. *l.c.* *Unde resolves:*

I. Non licet dare Eleemosynam ex bonis obnoxiis restitutioni, v.gr. furto ablatis, licet tamen ex acquisitis per opus illicitum, sed non cum injustitia, v.g. ex lucro meretricum. Ratio, quia hæc sunt propria; priora non, Bon. *ibid.*

II. Pueris, filiis-familias, servis, ancillis, uxoribus non licet dare eleemosynam nisi tenuem, in qua parentum, dominorum, & maritorum voluntas præsumitur. Partiales verò casus, in quibus uxor dare potest, v. suo loco. *Præcepto 4.c.2.d.4.& 5.* Bon. *to.2.d.3.q.4.p.6.* Dia. *R.25.* ubi ex Hurt. notat, si pater nullas det eleemosynas, posse pro eo dare filium.

III. Tutores & curatores, qui habent curam bonorum alienorum, possunt facere modicas eleemosynas ex bonis; quæ administrant, quales nimirum ipsi facere deberent, quorum sunt. Vasq. Azor. *l.c.c.10.q.5.* Kon. Dian. *R.35.*

ADDENDA.

Q. 49. *Quænam necessitas corporalis dicatur extrema, gravis vel communis?* Resp. Ad illa, quæ habet Busemb. *in supp.2. adde seqq.* 195

§.1. Tunc etiam est necessitas extrema, si sit periculum mortis intrà tres menses alioquin incurrendæ, uti ait *Ledesm.* aut secundùm *Cajet.* si sit periculum mortis, quamvis tempus longè distet, & non appareat alia via illi periculo occurrendi: debet autem esse aliqua moralis certitudo, vel saltem, uti volunt Vasq. Valen. Nav. Dicast. *de Just.l.2.t.2.d.9.num.211.* Moya *t.6. d.6.q.4.num.1.* Carden. *in 1.crisi d.80.num.13.* prudens ac probabilis timor, si non subveniatur, incurrendi mortem, it rationabile enim foret expectare usque dum quis incidat in periculum proximum mortis; unde Carden. *num.74.* ait, si probabiliter peribit egenus deficiente hoc levamine, ea necessitas est evidenter extrema. Ad necessitatem extremam reducunt S. Th. aliique cum Carden. *num.5.& in 2.crisi d.9. num.8. & 17.* necessitatem urgentem, quam alii vocant quasi extremam, estque tum, quando adest periculum proximum incidendi in gravissimam calamitatem, sive in malum morti æquivalens; quodnam autem censeatur æquivalere, non potest certa regula determinari, sed spectandæ sunt circumstantiæ, maximè personarum, Dicast. Castrop. *d.2.p.2.num.1.* & Tambur. *suprà s.1.* dicunt sufficere mutilationem membri principalis, amissionem sensus, v.gr. oculorum, perpetuum carcerem, infirmitatem perpetuam, vel amentiam; addit *Bann.* si homini pro ratione sui status gravissimum esset dedecus mendicare, afferens illi impossibilitatem moralem, eò quòd præeligeret mortem: Lorc. Arr. & Leander *à S. Sacram.* si alicui ratione similis status foret ignominia & impossibilitas exercendi artem mechanicam, aut famulandi; item si ob paupertatem esset periculum labendi in peccatum mortale, uti habet *Villal.* v. gr. in filia, quam Parens ob inopiam vellet prostituere: item si quis ob inopiam vellet se occidere, lapsus in tristitiam non voluntariam: imò *Cajet. Maj. Villal. Trul. Az. Fill. & Leander* dicunt eos quoque esse in extrema necessitate, qui sunt Catholici apud Turcas captivi, eò quòd sæpè vita aut fides eorum periclitetur, sed id negat *Hurt.* & ex parte *Carden.* alioquin, inquit, divites omnes damnarentur non statim mittentes ea, quæ supersunt statui, ad eos redimendos. Denique dicemus *l.3.p.2. num.1146.* gravem necessitatem Reip. communiter æquivalere necessitati extremæ particularium.

§.2. Necessitas gravis universaliter dicitur, quando quis ex defectu rerum necessariarum est in periculo incidendi in miseriam magnam, quæ reddat vitam notabiliter molestam, uti esset ille, qui è statu commodo delapsus cogeretur victitare solo pane & oleribus; qui ita esset nudus, ut vel illi inde esset ignominia magna, vel præ frigore impenderet periculum gravis morbi, cui spectata valetudine & viribus esset nimis molestum semper super pavimento aut tabula dormire; qui duram subit captivitatem, qui diuturno tempore detinetur in carcere nimis molesto. 196

§.3. Necessitas communis est, quando est aliquod incommodum in necessariis ad vitam & statum, ita tamen, ut non reddat vitam nimis miseram vel molestam juxta statum patientis, & in tali necessitate sunt plerique pauperes ostiatim mendicantes. 197

Q. 50. *Quid ad propositionem hic damnatam sit addendum?* R. Propositio 12. ab Innoc. XI. damnata sic habet, *Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantùm ex superfluis statui.* Circa hanc damnationem notanda sunt seqq. 198

§.1. Dubium est, quid dicatur superfluum statui, *Cajet. Nav. & Vasq.* putarunt hoc solùm esse superfluum, quod non requiritur ad statum, neque præsentem servandum, neque futurum obtinendum, quem quis licitè & dignè potest quærere: sed hæc sententia rejicienda est, alioquin vix unquam ulli homini esset superfluum ad statum, quia quisque licitè potest quærere meliorem statum, & eo etiam plerumque dignus esset, hinc vix unquam homo obligaretur ad ullam eleemosynam etiam in gravi necessitate proximi, uti advertit Carden. *in 2.crisi d.9.n.19.* quod hic videtur damnari. Alii dicunt illud esse superfluum, quod necessarium non est ad statum neque præsentem neque futurum, quem aliquis probabiliter & pro- 199

proximè ſperat; & hæc ſententia probabilis eſt: Alii plures cum Arſdek. *de prob. Opin. q.6.* dicunt hoc eſſe ſuperfluum, quod ad ſtatum præſentem ſatis commodè ducendum non eſt neceſſarium, nulla ſtatus futuri habita ratione. In his duabus ultimis acceptionibus patet multos eſſe, ſaltem tempore pacis, quibus ſunt ſuperflua, multæ enim ſunt familiæ non potentes prudenter ſpem habere brevi altiùs emergendi, & quæ de facto plus habent, quàm neceſſe ſit ad ſtatum illum ſervandum, & hos dicimus habere ſuperflua, ac teneri ad eleemoſynas, ex quo patet falſitas propoſitionis damnatæ: Ad hæc confirmanda facit authoritas S. Aug. *de 10. chordis cap.12. Tom. 9. Magna excuſatio! filiis mei ſervo: videamus; ſervat tibi pater tuus, ſerva tu filiis tuis, filii tui filiis ſuis, & ſic per omnes, & nullus facturus eſt præcepta Dei &c. palliare ſe volunt nomine pietatis & dealbare, ut quaſi propter filios videantur ſervare homines, quod propter avaritiam ſervant.*

200 §.2. Plures docuerunt, quòd extra neceſſitatem extremam non ſit, vel tantùm ſub veniali ſit obligatio dandi eleemoſynam ex ſuperfluis, ut refert Moya *t.6.d.6.q.4.§.4.* ſed S. Thom. aliique communiter rectè contradicunt, ideoque etiam *Suar.* dicit horum opinionem eſſe practicè improbabilem nec ſecuram in conſcientia, probatque fusè Carden. *in 1. criſi d.20. à n.9.* divites ſub mortali obligari ſubvenire pauperi graviter indigenti, ſaltem ex illis, quæ ſtatui ſunt ſuperflua.

201 §.3. Si privatus extremè periclitetur de vita ob cauſam extrinſecam juſtam, v.g. quia morti juſtè adjudicatus eſt, nihil teneris pro ejus vita conſervanda expendere, quia ob bonum Reipublicæ talis mors infertur, & ipſemet non obligatur ſe liberare, ergo nec alii: Si autem ſit in extrema neceſſitate ob aliam cauſam, v.g. ratione morbi, teneris etiam aliqua ſtatui tuo convenientia expendere, ut ei ſuccurras, ita Con. & Tamb. *in Decal. l.5.c.1.§.1.n.9.* contra aliquos apud Moyam §.5. qui dixerunt non eſſe obligationem etiam in extrema neceſſitate dandi ex neceſſariis ad ſtatum, quam ſententiam vocat *Bannez* inhumanam, *Valent. Granad. & Hurt.* improbabilem: Manet tamen dubium, an tenearis, ſi per hoc è ſtatu tuo caderes, nam te in his circumſtantiis non teneri, docent Authores graviſſimi, quorum ſententiam *Moya* ſequitur vocans probabiliſſimam. Sicuti enim non teneris pro vita tua conſervanda ſubire conditionem duriſſimam, ita multo minùs pro aliena: duriſſimum autem eſt omnino dejici de ſuo ſtatu. *Nec obſtat*, quòd vita proximi ſit nobilior quàm bona tua temporalia, *nam* ſi argumentum illud valet, teneberis pro vita proximi tibi permittere abſcindi brachium, quod nemo dicet: hinc Caſtrop. *d.2.p.2. n.6.* & Tamb. *n.10.* abſolutè dicunt, te non teneri expendere ea, quibus expenſis notabiliter à ſtatu tuo caderes, uti ſi ex nobili fieres opifex, ex opifice mendicus, quia nec ſic tenereris vitam tuam conſervare, talia enim damna ſubire æquiparatur morti. Addunt *Con. Caſtrop. & Tamb.* neminem obligari pro vita alterius expendere magnam ſummam, v.gr. ter mille aureos, etiamſi non ideò excideret ex ſuo ſtatu, tum quia Charitas jubet ſuccurrere mediis ordinariis & communibus tantùm, non autem extraordinariis, tum etiam, quia illæ expenſæ in morali æſtimatione & quoad utilitatem Reipublicæ pretioſiores ſunt quàm vita hominis privati. Vide dicenda *l.3. p.1. n.953.* Probabiliter tamen putat Tamb. *n.11.* Patrem teneri pro filio, vel filium pro Patre gravem & extraordinariam ſummam expendere, non ex neceſſariis, ſed ex ſuperfluis, aut etiam ex convenientibus ſuo ſtatui, inter hos enim eſt major conjunctio, unde & videtur eſſe ſtrictior obligatio, quia tamen ex illa ſententia ſequeretur, quòd aliquis etiam pro vita ſua teneretur tantundem expendere, v.g. in medicinam extraordinariam, hinc putat *Tambur.* oppoſitam ſententiam etiam eſſe probabilem, nempè quod nunquam ſit obligatio ita extraordinario modo ſibi vel alteri ſuccurrendi.

202 §.4. Macarius Havermans *in Epiſt. Apol. cap.4. num.91.* ſic accuſat Buſemb. in hac materia; *Alias laxitates circa illud præceptum in particulari referre non eſt neceſſe, cùm omnes ſufficienter includantur in enormi illa doctrina, quam tradit* Herm. Buſemb. *in ſuo libello vulgò noto.* Ut accuſationi reſpondeatur, tantùm legendus eſt *Buſembaum*, qui ſolùm dicit non facilè negandam abſolutionem alicui diviti, qui communibus pauperibus negat eleemoſynas, in quo nihil eſt dignum reprehenſione: Et quamvis Societatis Authores communiter doceant divites teneri in communi neceſſitate dare eleemoſynas ex ſuperfluis; uti oſtendit Pollenter ſuper propoſitiones ab Innoc. XI. damnatas *à num.402.* hanc tamen obligationem negant alii Viri graviſſimi, Sylv. Alenſ. Arm. Palud. Gabr. S. Anton. Sot. Nav. uterque. Molf. Fernan. Victor. J. Medin. Covar. quos refert & ſequitur Diana *p.2.tr.15.R.32. & t.16.R.26.* pluribus firmans eam ſententiam *p.5.tr.8. R.17.* Mald. Doctor Lovanienſis *2.2.qu.32.art.6.d.4.* ait, *Probabilius eſt, in communi neceſſitate pauperum non teneri divitem ſub mortali ulli in particulari determinatè aut etiam in confuſo alicui dare eleemoſynas.* Molanus etiam Lovanienſis Doctor *in Theol. pract. t.2.c.5.num.46.* dixit, ſe non auſurum condemnare. Unde male hic doctrina *Buſemb.* dicitur enormis, uti & *Laym.* quem ob eandem cauſam culpat Sinnichius, ſed rectè defendit Guilielm. le Maire *in Sta. ſ.1.cap.10.§.3.* neuter enim dicit abſolutè dandam abſolutionem tali, ſed volunt attendi, an fortè pœnitens non habeat cauſam negandi tales eleemoſynas, aut excuſationem non afferat juſtam, & an profit ei abſolutionem negare.

§.5. Cajet. aliique cum Gonet *in diſc. de prob. n.152.* docent 203 ſolam ſuperfluitatem eſſe ſufficientem radicem, & quaſi rationem formalem, unde oriatur obligatio dandi eleemoſynam, indeque inferunt, quoties dives habet ſuperflua ad ſtatum, hoc ipſo ſtatim ſub mortali teneri ad dandam etiam in communibus neceſſitatibus eleemoſynam. Hæc ſententia communiter rejicitur ab aliis, quos citat & ſequitur Carden. *in 1. criſi d.9. n.13.* quia ſi illa obligatio præcisè oritur ex ſuperfluitate, ergo etiam neceſſitate omni proximi ceſſante, manebit obligatio, quia manebit ſuperfluitas, hoc autem nemo dicet, quia ubi non eſt neceſſitas, non poteſt eſſe eleemoſyna; unde manet probabilis opinio communis, inquit Carden. *num.15.* quòd dives non teneatur ſub mortali ad danda ſuperflua ſtatui, niſi ſit gravis neceſſitas.

Q. 51. *An etiam peccet contra juſtitiam, qui pauperi* 204 *extremè indigenti non dat eleemoſynam?* Reſp. De hoc ſunt tres ſententiæ:

Prima, quæ eſt communior, abſolutè negat: hanc tenent AA. triginta & plures apud Carden. *in 1. criſi d.20. n.76.* qui in divite agnoſcunt tantùm obligationem ex Charitate, dicuntque bona tunc fieri communia, non quoad dominium ſed quoad uſum: Ratio poteſt eſſe, quia tunc fit eleemoſyna, ubi autem eſt eleemoſyna, non eſt juſtitia: Deinde aliàs ſequeretur, quòd dives negans illa, poſteà teneretur ad reſtitutionem, & ad damna ſecuta compenſanda.

Secunda, abſolutè affirmant: hanc tenet *Pet. Hurt.* citans 205 alios ſex & ſequitur *Carden.* Rationem dant, quia ex mente SS. Patrum, quos refert *Carden.* Deus bona dedit divitibus ſub eo onere, ut in neceſſitate diſpenſent egenis, ergo ex hoc contractu innominato, *do, ut des*, vel *do, ut facias*, tenentur divites ea bona ſic elargiri indigentibus, ergo tenentur ex juſtitia. Deinde non dare ſic egenti eſt homicidium, uti aſſerunt SS. Patres, omne autem homicidium eſt contra Juſtitiam, ergo. Ad rationes oppoſitas dicunt, titulum Charitatis eſſe compoſſibilem cum titulo juſtitiæ, ſicuti ſi debeam centum, & incidas in paupertatem, ſolvens centum ſatisfacio titulo Charitatis & Juſtitiæ: nec ideò debebitur reſtitutio, ſi tranſierit neceſſitas, quia debitum erat tantùm pro circumſtantiis neceſſitatis, & quaſi conditionale, ergo deſinente neceſſitate deſinit; admittit tamen *Hurt.* ſi negans eleemoſynam præviderit damna, obligari compenſare.

Tertia, diſtinguit cum Lugo *de Juſt. d.16. n.142. & 153.* 206 & Tamb. *in Decal. lib.8.t.2.cap.6.§.2. num.5. & 6.* hi dicunt in extremè indigo eſſe verum jus juſtitiæ ad ea bona arripienda, quamvis in poſſidente non ſit obligatio juſtitiæ ad ea danda, ſicuti ante diviſionem bonorum quiſque habebat jus ea ſibi acquirendi, quamvis nullus teneretur ea tradere, nam ſicuti ſi res aliqua ſit communis, Petrus ante illius occupationem non habet jus Juſtitiæ, quo alii obligentur eam ipſi tradere, ita etiam extremè pauper non habet jus Juſtitiæ impediens alios, ne ea re utantur, vel cogens eos ad eam offerendam, ſed tantùm habet titulum, ut eam occupatione poſſit facere ſuam. Quod autem jus accipiendi in uno, & obligatio ſuccurrendi in altero non neceſſariò ex eadem virtute procedant, probat *Tamb.* à pari, nam qui vovit eleemoſynam tibi dare, tenetur ex Religione eam dare, tu tamen non habes jus nec Religionis nec Juſtitiæ eam arripiendi. Addit Tamb. *num.8.* obligationem divitis, ut non impediat pauperem ab occupatione rei, eſſe ex Juſtitia, quia cùm omnia ſint communia pro iſta neceſſitate, pauper habet jus, ut non impediatur ſaltem in uſu, hinc infert Tamb. *num.9.* ſi dives non offerat extremè indigenti, non obligari ad damna ſecuta, ſi fortè hic fame moriatur, & Uxor cum prolibus deſtituatur alimentis, quia non offerendo peccavit tantùm contra charitatem, ſi autem vi impediat eum à ſumendo, vel ſi cibum à paupere jam occupatum vi recipiat, tenebitur ad damna, quia peccavit contra Juſtitiam.

Q. 52. *An ſit obligatio gratis dandi extremè indigenti?* 207 Reſp. Si alibi habet aut alio tempore habebit bona, v.gr. per hæreditatem vel laborem proprium, docent S. Tho. Suar. Valent. aliique communiter cum Dicaſt. *de Juſt. l.2.t.2.d.9. num.* 228. non teneri dare gratis, licet enim ſit pauper re, tamen non eſt pauper ſpe; ſed ſi ſupponamus eſſe pauperem re, & ſpe, id eſt, neque nunc habere nec probabiliter poſthac habiturum aliquid, adhuc docent Adri. Covarr. Vaſq. Leſſ. Lug. *de Juſt. d.16. à n.167.* ſatis eſſe, ſi det mutuo ſub conditione, ſi fortè ad meliorem ſortem redeat, quam ſententiam *Dicaſt.* vocat probabilem; & ratio eſt, quia ſic ſuccurritur neceſſitati:

è con-

& contra S.Thom.Fill.Con.& alii cum Burgh.*cent.*1.*caſ.*89.probabiliùs dicunt teneri dare gratis; quam ſententiam Val. dicit eſſe tam certam, quàm certum eſt dari præceptum eleemoſynæ: hinc Bann. oppoſitam ſententiam appellat falſiſſimam, ſed omiſſis cenſuris probatur ſententia noſtra, nam tunc urget præceptum eleemoſynæ, quæ non eſt ſine donatione; deinde quia ſic ſimpliciter non levaretur neceſſitas pauperis; ſed una mutaretur in aliam. Videri poſt Dicaſt.*ſuprà*.

Quo ordine ſit ſubveniendum in extrema vel communi neceſſitate ſanguine junctorum, dicetur *lib.*3.*p.*1.*an.*719.*&* 731.

208 DUBIUM IV.

De miſericordia ſpirituali, ſeu præcepto correptionis fraternæ.

» COrreptio fraterna, eſt admonitio, qua quis proximum
» conatur revocare à peccato: De quâ certum eſt, præ-
» ceptam eſſe jure tum naturali, quo membra unius corporis
» ſe mutuò juvare tenentur; tum divino poſitivo: Matth.18.
» *Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipſum.* Bec.2.2.
» *c.*21.Laym.*c.*7.Fill.Bon.*p.*7.Quæritur autem quæ ſit ejus ma-
» teria, quos & quomodo obliget?

» Reſp.I. Omne mortale peccatum proximi per ſe eſt ſuf-
» ficiens materia, ut hoc præceptum obliget ſub mortali. *Ita*
» *communiter.* Et ratio eſt quia cùm vitam ſpiritualem proximi
» tollat, ſufficientem neceſſitatem correptionis inducit. Dixi
» 1.*omne mortale*; quia etſi etiam veniale ſit materia correptio-
» nis, non tamen graviter obligans; nec niſi facillimè poſſis.
» Dixi 2.*per ſe*: quia ſi quis ob timorem, verecundiam, puſil-
» lanimitatem, putet ſe non ita ſtrictè obligatum, vel minùs
» eſſe idoneum ad corripiendum, videtur tantùm peccare ve-
» nialiter. Vide S.Thom.2.2.*qu.*23.*art.*2.*& cæteros ſuprà cit.*

» Reſp.II. Præceptum hoc obligat concurrentibus his cir-
» cumſtantiis: 1.Si certò tibi conſtet de peccato proximi: in-
» dagare enim tenetur ſolus Superior. 2. Si probabile ſit non
» emendaſſe, nec emendaturum, vel relapſurum; quia ele-
» emoſyna egenti tantùm danda eſt. 3.Si alius æquè idoneus
» non adſit, qui correpturus putetur. 4. Si ſit ſpes fructus,
» quia deſperato fine, ceſſant media. 5. Si ſit bona occaſio,
» locus, & tempus opportunum, poſſiſque ſine tuo gravi
» damno facere: Quod ſi horum aliquid deſit, præceptum
» non obligat. Unde patet, ejus omiſſionem in privatis vel
» nullam eſſe, vel levem culpam. Bon.*l.c.*

» Reſp.III. Etſi hoc præceptum obliget omnes, etiam ſubdi-
» tos; magis tamen Prælatos. Ratio prioris eſt, quia omnes ſunt
» commembra, tenenturque ſibi externa officia Charitatis præ-
» ſtare. Ratio poſterioris eſt, quia ſubditi tantùm ex Chari-
» tate, Prælati verò etiam ex officio, & juſtitia tenentur:
» Unde peccare poſſunt etiam graviter, veniales culpas non
» impediendo, ſi vigor diſciplinæ per hoc minuatur. Eadem-
» que ferè eſt ratio de patrefamilias, præſertim erga liberos.
» Laym.*l.c.num.*5.Palaus *tract.*6.*diſp.*3.*p.*8.*n.*8.Trull.*lib.*1.*c.*5.
» *d.*13.*&* 15.*& cæteri.*

» Reſp.IV. Ordo in correptione ſervandus eſt, quem Chri-
» ſtus præſcripſit, *Matth.*18.ſcilicet, 1.ut corripias in ſecreto
» deinde coram teſtibus, tum ad Prælatum Eccleſiæ ſive Su-
» periorem, deferas. Excipe tamen, 1.Niſi præſtet Superio-
» ri, viro probo & prudenti, quàm aliis teſtibus innoteſcere,
» prout cautum eſt *in Regula* S.Aug.2. Niſi peccatum ſit pu-
» blicum; tunc enim poteſt publicè corripi. 3. Niſi vergat in
» grave damnum tertii aut communitatis, ſi Superiori non ſta-
» tim innoteſcat, v.g.ſi quis proditionem moliatur, hæreſin
» occultè ſpargat; tunc enim immediatè Superiori indican-
» dum, quia commune bonum præferendum eſt privato.
» Fill.*tr.*28.*p.*1.*c.*7.*n.*149.*&* 155. 4. Quando corripiendus eſt
» contentus, ut Superiori ſtatim ſignificetur, ut eſt apud quoſ-
» dam religioſos, qui quoad hoc juri ſuo renuntiarunt. Vid.
» Suar.*hic diſp.*8.*ſect.*5.*n.*12.*&* Bec.Laym.Sanch.*l.*6. *mor.c.*18.
» Fill.*l.c.Ex dictis reſolvitur.*

» I. Qui facilè poteſt impedire peccatum mortale proximi,
» & ob mali temporalis timorem negligit, peccat mortaliter.
» Ita Laym.Suar.*diſp.*7.*de correct.ſect.*3. *num.*5. V.Palaum *p.*
» 6. *n.*1. *&* 2.

» II. Si certò conſtat fratrem perfectè emendaſſe peccatum
» occultum, nec ex eo eſſe ullum periculum relapſus, vel
» damni, ipſi aut alteri, non licet (etiam in Societate JESU)
» denuntiare Patri, vel Prælato, niſi frater expreſsè in iſtam
» denuntiationem conſentiat. Sanch.*2.mor.lib.*6.*cap.*18.*num.*
» 49.*&* 60.Palaus *p.*12.Fill.*n.*157.Trul.*l.*1.*cap.*5.*d.*14.*num.*15.
» Suar.*to.*4.*de relig.cap.*10.*nu.*11.*&* 12.Hurtad.*d.*163. *Sect.*2.
» *&* 5 *ſubſ.*28.& denique C.Lugo *Reſp.mor.l.*4.*d.*46.Ubi tamen
» notat, in Societate JESU caſum eſſe rariſſimum. Ratio au-
» tem eſt, quia ceſſat motivum charitatis, atque adeò ratio
» denuntiandi, ideoque eſt peccatum, & quidem ut C. Lugo
» *l.c.*not.Suar.mortale ex genere ſuo, Vide inf.*l.*4.*c.*3.*d.*5.& »
» Dian.*p.*4.*tr.*4.*R.*71. »

III. Si Superior immediatus ſe ſolo poſſit delinquentem »
emendare, ita ut nullum periculum damni vel relapſus, ipſi »
vel alteri, vel communitati immineat, videtur peccare ma- »
nifeſtando Superiori mediato delictum. Palaus *l.c.* Trull. »
*d.*16.*num.*1. »

IV. Prælati & Magiſtratus tenentur aliquando inquirere »
in ſubditorum peccata, ut corripiantur, non tamen multùm »
& curiosè de aliquo in particulari rogare debent, niſi is ſpe- »
ciale ejus ſignum dederit: neque facilè admittere excuſatores »
ſpontaneos, quia illi ſpecie boni communis ſæpè ſe quærunt, »
Hurt. &c. Dian.*p.*7,*tr.*3.*R.*10.*&* 11. »

V. Epiſcopi, Prælati Religioſorum, Paſtores anima- »
rum, tenentur etiam cum ſuo incommodo, imò aliquando »
cum vitæ periculo, adhibere diligentiam, quam poſſunt, »
ut peccata publica & occulta impediant, quiâ cum Chriſto »
pacti ſunt curam & ſollicitudinem gregis, pro qua multa ab »
eo accipiunt, Hurt.*to.*2.*d.*162.*ſect.*7. §.60. (apud Dian. *R.* »
28.) aitque hanc eſſe omnium Patrum & Theologorum do- »
ctrinam, quam Chriſtus verbo & exemplo docuerit, addit- »
que idem eſſe de Magiſtratibus & Concionatoribus. Licèt »
verò hi non teneantur ad id ex juſtitia, (ſicuti Prælati & Ma- »
giſtratus) tenentur tamen peccata publica corripere: (ſed »
non facilè Prælatorum & Religioſorum, quorum authoritas »
ad bonum commune eſt neceſſaria) etiamſi non ſit ſpes »
emendationis, Kon.*diſp.*28.*d.*5. Hurt.Dian.*R.*13. »

VI. Correptio adhibenda eſt, non ſemper ſtatim, ſed »
dum major fructus ſperatur: Hinc interdum permitti poteſt »
reiteratio peccati, ut ferventiùs reſipiſcat, Dian. *R.* 29. *&* »
30. & ex Reginal.Fill.*n.*139.Trull.*n.*8. Neque ſufficit ſemel »
eſſe factam correptionem, ſed debet iterùm iterumque fieri, »
quandiù ſperatur fructus. Dian.*R.*32. »

ADDENDA.

*Quæſt.*53. *An aliquis teneatur corrigere proximum, qui* 209
mortaliter peccavit, ſi non ſit periculum, ut relabatur?
Reſp. Affirmant *Bann. Valent. Bonac. & alii*, quia exiſtens in mortali eſt in maxima miſeria, ergo ſi commodè poſſum, teneor ſublevare, & per correptionem movere ad pœnitentiam: Negant Regin.Sot.Lorc.Sà, Con.Torr.& alii cum Caſtrop.*d.*3.*p.*2. partim quia proximus non cenſetur eſſe in gravi neceſſitate ſurgendi ab illa miſeria, niſi vel prævideretur moriturus in peccato, vel inde ſumeret occaſionem iterùm peccandi; partim quia ipſe poteſt ad tempus differre pœnitentiam, ergo non tenetur meam correctionem admittere, ergo nec ego ad eam obligor. Utraque ſententia eſt probabilis, ſed prima videtur conformior præcepto Charitatis: ſi tamen probabiliter judicem proximum vel alterius ope vel ſua ſponte æquè citò pœnitentiam facturum, non teneor corripere: quia jam reſcio eum correptione mea indigere, uti rectè cum aliis Caſtrop.*p.*6.

*Q.*54. *An ſpes fructus debeat eſſe certa, vel ſufficiat eſſe* 210
probabilem, ut quis teneatur corripere delinquentem? Reſp. Cajet. putat debere eſſe certam, ſed dicendum eſt cum S.Tho. Caſtrop.*p.*5.& aliis ſufficere eſſe probabilem, alioquin vix unquam eſſet obligatio corripiendi, nam vix unquam ſpes eſt certa, cùm emendatio pendeat à libera voluntate peccantis, quæ poteſt perſeverare in malo: ſi tamen probabiliter putes te nihil effecturum per tuam correptionem, communis ſententia eſt te non teneri corripere, quia prudenter judicas correptionem tuam fore inutilem: nemo autem tenetur ad actionem inutilem: Quòd ſi dubites, an correptio tua ſit nocitura vel profutura, ferè omnes conveniunt omittendam eſſe, ſi timor ſit nocumenti gravis, v.gr. novi peccati mortalis vel novæ obſtinationis: Excipiunt tamen *Suar. Bonac.Con. & alii* caſum illum, in quo peccator foret in extremis, dicunt enim tunc eſſe adhibendam correctionem, quamvis æquale dubium eſſet de fructu ac nocumento, nam dubium nocumenti compenſatur per ſpem fructus, qui poteſt eſſe maximus, & ſi tum negligatur, reparari ampliùs non poteſt.

*Q.*55. *An ergo ſemper ſit obligatio gravis corripiendi proxi-* 211
mum, ſi aliàs putetur in peccato moriturus? Reſp. *Bann. Valent. Bonac. & alii* communiùs affirmant eſſe talem obligationem, etiam cum periculo vitæ propriæ, quia ſalus æterna proximi eſt præferenda vitæ propriæ temporali, uti conſtat ex dubio primo: Tamen Lorc. aliique cum Caſtr. *p.*6. dicunt; cum periculo vitæ propriæ non eſſe talem obligationem, niſi quis foret Superior proximi, quia proximus tunc non eſt in extrema neceſſitate, cùm poſſit ſe ipſum juvare, ſi velit, dolendo de peccatis. *Nec obſtat*, quòd quivis etiam cum periculo vitæ teneatur baptizare puerum aliàs ſine baptiſmo moriturum, *nam* hoc dato diſparitas hìc eſt, quia per Baptiſmum eſt certa ſpes, non per correptionem; baptizandus

nequit ſe juvare, poteſt hic proximus; baptizandus non perit ex malitia perſonali, hic peccans ſic perit: Hæc ſententia eſt probabilis, quamvis prior ſit magis pia.

212 *Q.56. Si verba non juvent, an debeat vel poſſit proximus aliter corrigi?* Reſp. Si ſit ſubditus, poteſt & debet à Superiore corripi, etiam pœnis aliiſque modis coactivis: ſi tamen non ſit ſubditus, etiam licitum erit ipſi aliquam vim amicam adhibere, v.g. occultare gladium, ſubducere pecuniam aliaque peccandi inſtrumenta, uti docent S. Anton. Nav. Mol. Lug. *de Juſt. d.2. n.* 33. non *videtur* tamen licitum abſolutam vim inferre, v.g. ligare vel includere, quia hæc eſt exceſſiva uſurpatio juriſdictionis: Excipe, niſi adeſſet cauſa proportionata, uti ſi cogitaret inferre grave malum Reipublicæ, Superioribus vel familiæ, tunc enim liceret, & quandoque, ſed rarò, eſſet obligatio ſic impediendi, ita Lug. *num.* 34.

213 *Q.57. An aliquando ſit etiam gravis obligatio corripiendi ſolos defectus Subditorum?* Reſp. De hoc videri poteſt Lug. *de Juſt. d.9. à n.*21. hoc enim concernit plerumque ſolos Superiores Religioſos.

214 *Q.58. An ſit obligatio corripiendi eum, qui ex ignorantia peccat?* Reſp. Si ignorantia ſit vincibilis, utique eſt obligatio, nam ignorantia illa non excuſat à peccato: ſi autem ignorantia ſit invincibilis, Bonac. *in Dec. d.3. q.4. p.7. n.*11. abſolutè docet non eſſe obligationem, ſive ſit ignorantia juris ſive facti, quia tantùm tenemur corrigere peccatum proximi, proximus autem tunc non peccat. Excipit tamen ipſe cum aliis omnibus, niſi ex officio alicui incumbat monere & inſtruere, v.g. quia eſt Paſtor, Confeſſarius: Item, niſi inde oriretur damnum tertii, vel ignorantis ipſius, aut ſcandalum, aut irreverentia in Deum vel Religionem. Alii Authores diſtinguunt, ſi enim quis peccet ex ignorantia juris naturalis, omnes communiter docent te teneri corripere, quia licèt proximus non peccet, actio tamen ejus eſt in ſe mala & indecens ac diſplicens Deo, ita Ovied. *1.2. t.5. contr.*2. *num.*30. qui ait idem communiter doceri etiam, quando quis peccaret ex ignorantia juris divini: E contra, ſi peccet ex ignorantia juris humani, docet *Ovied.* cum *Bann. Nav. Val. & aliis* non eſſe obligationem corripiendi, tum quia proximus non eſt in gravi miſeria, tum quia nihil facit intrinſecè malum, conſequenter ſecundùm hos Authores non teneberis admonere eum, qui ignorans die Veneris comedit carnes, aut veſperi it cubitum oblitus orare Horas; ſed his omnibus probabilius contradicunt Con. Sanch. Caſtrop. & alii cum Burgh. *cent.*3. *caſ.*69. dicentes eſſe obligationem corripiendi peccantem ex quacumque ignorantia, tum quia ſic exigit reverentia legis, contra quam eſt illa actio vel omiſſio, tum etiam quia materialis tranſgreſſio legis, ſi non corrigatur, facilè fit formalis, aut habitum pravum inducit, diſcretione tamen utendum eſt, nam imprudenter agit, qui inculpabiliter errantem in re nulli prorſus noxia corrigit cum non levi ejus rubore, vel aliorum incommodo, & ita, inquit Gob. *in Exp. t.3. num* 343. malè fecit ille, qui ſacerdotem oblitum ſtolæ, de hoc defectu eum in Sacrificio ad aram monuit.

215 *Q.59. An, & quando ſit obligatio denuntiandi vel deferendi aliquem?* Reſp. §.1. Eſt obligatio gravis ſub pœna excommunicationis hæreticos denuntiandi apud Inquiſitores Fidei, uti conſtat ex variis Bullis Pontificum & decretis Juris canonici apud Caſtrop. *t.*4. *d.*3. *p.*4. *n.*21. quam obligationem & pœnas innovat Alex. VII. octava Julii 1660. per Bullam, *Licèt aliàs*, in qua præterea graviſſimè præcipit, ut omnes Religioſi, etiam leviter tantùm ſuſpecti de hæreſi, ſtatim nulla facta correptione fraterna, nec re communicata cum Superioribus Ordinum, deferantur ad inquiſitores à Papa conſtitutos, & ne aliquis prætenderet ignorantiam illius decreti, mandavit illud in omnibus Collegiis, & Monaſteriis publico loco ſuſpendi, ac ſingulis annis prima die Martii omnibus prælegi ſuper menſam vel in Capitulo: Et cùm poſteà aliqui Authores dicerent, quamvis aliquis ſciret alium eſſe hæreticum, non teneri tamen denuntiare, ſi probare non poſſet eſſe talem, idem Alexander 24. Septembris 1665. inter 45. propoſitiones etiam damnavit hanc 5. *Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denuntiare, ſi probare non poſſis:* Ex qua damnatione certum eſt, ubi Bullæ illæ uſu receptæ ſunt, eſſe abſolutè obligationem denuntiandi ſecundùm verba Bullarum, & declarationes Pontificis. *Dixi*, ubi uſu receptæ ſunt, nam plures viri prudentes & eximiè docti cenſent in his partibus non eſſe uſu receptas, quoad punctum denuntiationis, tum quia nimis multi hic ſunt hæretici, tum quia ſunt ſatis noti, tum maximè quia vix poteſt ſperari inde fructus, cùm in pleriſque locis Germaniæ ſit libertas Religionis, nec tales poſſint coerceri vel cogi per Eccleſiaſticam poteſtatem. Denique Papa & Inquiſitores ſciunt Germanos omittere illas denuntiationes, & tamen non urgent, ergo cenſentur obligationem remittere: ſi tamen ſciretur, quòd Epiſcopus, Parochus, Profeſſor Theologiæ, Confeſſarius aliuſque ſimilis eſſet hæreticus, & ſe externè tantùm fingeret Catholicum, cùm talis multùm poſſit præjudicare bono Eccleſiæ & animarum, eſſet gravis obligatio ſaltem ex jure naturæ talem denuntiandi apud illos, qui malum illud poſſent impedire.

§.2. Eſt obligatio Inquiſitoribus vel Ordinariis locorum denuntiandi illum Sacerdotem, qui in confeſſione, vel occaſione & quomodocunque prætextu Confeſſionis, aut quamvis Confeſſio ſecuta non ſit, qui in Confeſſionali aliove loco, ubi Confeſſiones audiri ſolent, ſollicitat ſive fœminam ſive maſculum ad aliquod peccatum carnis ſecum vel cum alio perpetrandum, aut ſi ibidem cum aliquo habuerit illicitos, & inhoneſtos ſermones ſive tractatus, uti poſt alios Pontifices ſeveriſſimè & ſub excommunicatione latæ ſententiæ ſtatuit Gregorius XV. Bulla 34. *Univerſis domini gregis*, to.3. Bullarii. Et ut mentem Pontificis magis declaret Alex. VII. damnavit has duas propoſitiones: *6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſtea legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denuntiandus:* 7. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ ſollicitationis eſt, ſi ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denuntiandi.* Putant autem iidem Viri docti idem dicendum eſſe de obligatione hos denuntiandi, quod dictum eſt de denuntiatione hæreticorum, & teſtatur Gob. *in Exp. t.7. n.*575. *&* 577. decreta illa in pleriſque Epiſcopatibus Germaniæ non eſſe uſu recepta: additque *n.*576. tantùm promulgari Regularibus, hos autem ſe poſſe accommodare moribus ſæcularium quoad leges utrique ſtatui communes: ideoque ſi ſæculares non obligent defectu promulgationis, etiam non obligare Religioſos. De his obligationibus denuntiandi hæreticos & ſollicitantes, pro locis, in quibus vigent ea decreta, videri poſſunt Dicaſt. *de cenſ. d.3. d.43. & ſeqq.* Item Mendo *in Stat. d.1. q.7. & ſeqq.* ubi de illis fuſiſſimè diſputant. 216

§.3. Quamvis aliquid habeas ſub ſecreto naturali, nihilominus potes & debes deferre, ſi hoc ſit neceſſe ad cavendum damnum commune, quia tum non obligat ſecretum, etiamſi ſit juratum, eò quòd ſit de re illicita, cum commune bonum debeat prævalere, uti habet Dicaſt. *d.*41. *&* 42. aliique communiter cum Caſtrop. *t.6. d.3. p.4. n.*5. 217

§.4. Licitum eſt, per ſe loquendo, deferre crimen occultum Religioſi ad ipſius Superiorem tanquam Patrem, non præmiſſâ ullâ correptione fraterna, uti fusè docet Ovied. *hic contr.* 12. *p.*10. contra Loream. Poteſt tamen & debet meritò prætermitti correptio fraterna, ſi ſit ſpes prudens, quòd ſit habitura effectum, quia ſic conſulitur famæ & ſufficit fratrem corrigere uno modo ſufficiente, licèt non optimo; quomodo autem Superior cum ſubdito ſic delato procedere poſſit, videri poteſt apud Ovied. *p.*11. An licitum ſit deferre crimen emendatum, dicetur *l.3. p.2. n.*1199. 218

§.5. Non ſemper eſt obligatio impediendi damnum innocentis per denuntiationem illius, qui damnum infert, ſi hic pati deberet æquale damnum, quia cùm hic ſit proximus, non eſt, unde naſcatur obligatio hunc ita damnificandi in gratiam alterius, ita Cordub. Adrian. Gabriel Suar. *de Cenſ. d.*46. *ſ.*3. Perſch. *de reſtit. pag.*302. *Dixi*, non ſemper, nam eſt obligatio, ſi innocens tibi ſit valde conjunctus, v.g. ſi ſit Pater vel Filius tuus, aut ſi redundaret in commune damnum, aut ſi damnificator ex ſe debeat damnum illud ſubire ad liberandum innocentem. 219

Q.60. Quale detrimentum, vel cujus emolumenti amiſſio excuſet à correptione fraterna? R. Lugo *de Juſt. d.*20. *n.* 139. ſic fermè diſcurrit: licèt correctio fraterna non obliget cum magno detrimento proprio, quando proximus, ſi velit, poteſt ipſe facilè vitare peccatum, hoc tamen intelligendum puto de damno extrinſeco, quod ex correctione proveniet corrigenti in iis bonis, quæ aliunde habet vel haberet independenter à peccato ipſo per proximum committendo. Unde non excuſaris à correctione propter periculum amittendi lucri, quod ex ipſo peccato proveniret, v.g. Pater tuus, homo avarus, non vult ſuccurrere extremè egeno, faceret autem, ſi tu eum admoneres, peccas, ſi non admoneas, etiamſi ita privandus ſis magna ſumma egeno illi danda, & alioquin tibi obventura per hæreditatem: ſimiliter ſi, ut aliquid accipias per legatum vel donationem, omittas correctionem debitoris, & ſinas eum peccare non ſolvendo, quod peccatum facilè poſſes impedire, monendo ut debitis ſatisfaceret, peccas ſi non moneas, & reipſa cenſeris velle peccatum, quia taces ex affectu ſolo lucri, quod tibi non adveniet, niſi mediante peccato, ideoque videris deſiderare peccatum ipſum: Si tamen crederes proximum ex ignorantia inculpabili excuſari à peccato, putat Lug. te in his caſibus non teneri corripere, quia non eſt in periculo peccandi, & aliunde non videris teneri cum tanto damno tuo impedire violationem illam materialem Juſtitiæ, ad quam, ut ſupponitur, ut nullo modo prorſus concurris. De excuſatione propter damnum, videri poteſt etiam Dicaſt. *de Cenſ. d.3. n.* 790. *& ſeqq.* item Tamb. *l.5. c.*1. §.3. 220

DU-

DUBIUM V.

De Scandalo.

221 ### ARTICULUS I.

Quid, quotuplex ſit, & quale peccatum.

„ RESP. I. Scandalum, dicitur peccatum occaſionatum, „ & eſt duplex: Activum & Paſſivum, Activum eſt, „ dictum vel factum (quo nomine etiam omiſſio intelligitur) „ minùs rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis. „ Ex S.Th.2.2.*q.*43.*art.*1.Sanch.Azor.Laym.*l.*2.*t.*3.*c.*13. Bon. „ *to.*2.*d.*2.*q.*4.*p.*2. Dixi, *minùs rectum*, hoc eſt, quod vel in ſe „ malum ſit, ut ſi loquaris turpia coram adoleſcente, vel ma- „ li ſpeciem habeat, ut ſi juſta de cauſa coram aliis eam igno- „ rantibus, comedas carnes die vetito.

„ Scandalum Activum aliud eſt per ſe tale, aliud per acci- „ dens. Per ſe dicitur, quando directè intenditur alterius rui- „ na; id eſt, ſi ideo aliquid fiat, ut aliquis ad peccatum in- „ ducatur: v.g.ſi adulter alienam ſolicitet ad adulterium. Per „ accidens dicitur, quando indirectè, & interpretativè tan- „ tùm cauſatur alterius peccatum; ut ſi quid facias, quod tibi „ in mentem venit, aptum natum eſſe inducere alterum hìc & „ nunc ad peccatum, & nihilominus facis, ut ſi coram puſil- „ lis pecces, vel die vetito carnes comedas, non dicendo, „ quod habeas veniam. Item, ſi Clericus domi ſuæ alat mulie- „ rem populo ſuſpectam, eſtò, abſit omne peccatum & pec- „ candi periculum. V.Sà. V.Clericus Laym.Bonac.*l.c.*

„ Scandalum Paſſivum, eſt ipſa ruina, ſive peccatum, in „ quod labitur proximus ex occaſione alterius dicti vel facti. „ Quod dividitur in Datum ſeu puſillorum, quod oritur ex „ activo, & in Acceptum, quod non oritur ex activo, ſed ex „ ipſius ſumentis malitia, quale erat odium, & invidia Phari- „ ſæorum in Chriſtum, occaſione ejus dictorum vel factorum; „ unde hoc dicitur Phariſaicum. *Ex his patet,*

„ I. Ad ſcandalum activum non requiri, ut de facto paſ- „ ſivum ex eo ſequatur, ſed ſatis eſſe, quòd data ſit occaſio, ex „ qua natura ſua ſequi poſſit, ut ſi quem inducere velis ad „ peccatum, qui tamen non conſentiat, ſicut etiam contra, „ Paſſivum poteſt dari ſine activo. Laym *ibid.*

„ II. Scandalum paſſivum non eſſe ſpeciale peccatum, ne- „ que addere circumſtantiam aggravantem, v.g.qui viſo alte- „ rius furto etiam furatur, non ideo peccat gravius. Laym *ibid.*

„ III. Non ſemper eſſe ſcandalum, ſi pecces coram aliis, ſed „ tantùm, quando attentis omnibus circumſtantiis, tum perſo- „ næ agentis, quàm coram quibus fit actus, poteſt probabiliter „ timeri, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui aliàs „ peccaturi non eſſent. Sanch. Laym. *ibid.*

„ IV. Omne ſcandalum activum directè intendens ruinam „ proximi, eſſe ſpeciale peccatum contra Charitatem, ut ha- „ bet communis ſententia. An verò idem ſit, quando intendi- „ tur indirectè, controvertunt Scholaſtici, & parum refert „ ad praxin. Sanch.*l.*1.*mor.c.*6.*n.*9. Azor.1.*p.l.*4.*c.*7. Bonac.*l.* „ *c. Unde reſolves hoc Caſus:*

„ I. Mortaliter peccat, qui alteri dat occaſionem ruinæ mor- „ talis, niſi indeliberatio excuſet, & ſic opus indifferens vel ve- „ niale, ſæpe tranſit in mortale ratione ſcandali, v.g.ſi jocoſum „ verbum proferat Religioſus coram fœminis, vel iis, qui inde „ occaſionem peccati mortalis ſumere poſſunt.

„ II. Venialiter peccat ratione ſcandali, qui alteri dat occa- „ ſionem ruinæ venialis tantùm. Quod verum eſt, etſi directè „ illam intendat, & quidem per actum mortalem: Sanch.*n.*11. „ *ex communi* contra Suar. Ratio autem eſt, quia ruina eſt „ parva. Et patet à ſimili, ut ſi quis per fornicationem inten- „ dat furari rem minimam, furtum tantùm erit veniale.

„ III. Scandalizans committit præter peccatum ſcandali, „ etiam peccatum ejus ſpeciei, ad quod alterum inducit; ideo- „ que confiteri debet ſpeciem peccati mortalis, per quod, „ & ad quod induxit, cum numero inductorum, vel qui pro- „ babiliter induci potuerunt. Sanch.Azor. Laym.Bonac.*l.c.* „ Lugo *de pœn.d.*16.*ſ.*4. Dieaſt. *de Sacr.t.*2.*t.*4.*art.*114. Excipit „ tamen Lugo *loc. cit.* ſi præter intentionem ſcandalum dede- „ rit. Tamb.*de exp.conf.l.*2.*c.*1.§.1. ait, quoad inductos ſuf- „ ficere, ſi dicas, fui multis occaſio peccandi meo exemplo. „ *Vid.infra lib.*3.*t.*6.*cap.*1.*d.*2.

„ IV. Etſi is qui ſcandalizavit alios, teneatur illis rurſus „ dare bonum exemplum, ut inquit *Sa*: ſi quis tamen nudo „ exemplo ſuo alios ad furtum induxit, neque alio peculiari „ modo, v.g.exhortatione, conſilio, mandato eſt coopera- „ tus, non tenetur ad reſtitutionem, quia talis inductio eſt „ tantùm contra charitatem, non juſtitiam: Idem docet ef- „ ſe Leſſius, ſi cum Cajo v.g.pactus es ea intentione, ut ipſe „ conſumptis pecuniis furetur. V.Leſſ.*l.*2.*c.*9.*d.*16.*n.*113.

„ V. Non cenſetur dare ſcandalum, qui licèt publicè pec- „ cet, facit id tamen coram iis, qui vel ſunt ita viles, vel „ infames aut improbi, ut nemo moveatur ad peccatum; vel „ qui ſunt ita probi, v.g.ſi quis fornicetur coram aliis, qui pa- „ rati ſunt idem facere, nec ejus exemplo moventur, vel ſi co- „ ram manſuetis quis contendat, rixetur, vel alium cædat, „ Sanch.*n.*7. „

„ VI. Non ideo factum aliquod eſt ſcandalum, quia alius in- „ cipit de tali homine malè ſuſpicari aut ſentire, quia hic non „ peccat, ſi ob ſufficientia indicia ſuſpicetur: Secus tamen eſt, „ ſi incipiat malè ſentire de fide catholica, Clero, Ordine Re- „ ligioſo, vel minùs ad pietatem affici. Unde patet facilius da- „ ri ſcandalum ab iis, qui ſunt in magna authoritate, vel pie- „ tatis exiſtimatione, quàm ab aliis. Con.*d.*32.*n.*33. „

ADDENDA.

222 QUæſt.61. *An ſit peccatum ſcandali ſuadere minus peccatum illi, qui facturus eſt alioquin majus?* R. Plures ſunt ſententiæ. Val. & Sa apud Mendo *in Stat.d.*1.*q.*18. videntur abſolutè dicere eſſe peccatum ſcandali, quia minus peccatum eſt peccatum, ergo illud ſuadere eſt intrinſecè malum. Laym Dicaſt. Arr. Men. aliique cum Gob. *in Quin.t.*5. *c.* 13.*n.*24. diſtinguunt, & dicunt licere, ſi minus peccatum includatur in majori, ſicuti fornicatio includitur in adulterio, vulneratio in occiſione, furtum centenorum in furto mille- norum: & in ejuſmodi caſibus dicunt licitum ſuadere minus, quia non ſuadetur, ut fiat peccatum vel pars peccati, ſed tan- tùm ſuadetur, ut aliqua pars peccati omittatur, ſi homo non poſſit à toto abduci. E contra ſi illud minus, quod ſuadetur; ſit planè diverſum, nec formaliter nec virtualiter incluſum in majore, dicunt eſſe illicitum: ſic ſi homini volenti occidere ſua- deas furari, non ſuades, ut omittat partem ſui peccati, cùm furtum non includatur nec formaliter, nec virtualiter in ho- micidio; neque etiam facis, ut peccatum homicidii fiat minus, ſed ut ex toto fiat peccatum aliud planè diverſum, nempe fur- tum, ergo reipſa es author hujus furti. Sanch. *de Matrim.l.*7. *d.*11.*n.*15. citans alios graviſſimos Authores, Steph.*t.*3. *d.*3.*n.* 79. Carden.*in* 2.*criſi d.*23. *n.*148. abſolutè dicunt licitum eſſe ſuadere minus, quamvis ſit diverſum; pro qua ſententia alios plures citant Mend.*q.*18. Caſtrop.*t.*6 *qu.*6.*p.*6. Gob.*n.*25. vo- cans practicè probabilem, Dian.*p.*5,*t.*7.*R.*18. vocans etiam pro- babilem; & rationes ſunt, in primis quia minus peccatum cen- ſetur includi in majori, licèt ſit diverſæ rationis, quia majus habet malitiam minoris, & aliquid amplius: deinde quia non ſuadetur malum abſolutè, ſed ſub conditione, ſi eſſet factu- rus majus: præterea non ſuadetur ut malum eſt, ſed ut eſt im- peditivum majoris mali: denique ſuadetur commutatio majo- ris mali in minus, ſive electio minùs mali præ majori, quæ bona eſt: conſentit Con.*de act.ſupern.d.*2.*n.*48. Caſtrop. ſupra his non acquieſcit, ſed dicit hoc modo eſſe diſtinguendum; ſi ille qui paratus eſt facere majus malum, ſimul cogitet facere minus, tum licebit ſuadere ſolùm minus, quia hoc tantùm eſt retrahere voluntatem à majori malo: ſi autem non cogitet fa- cere minus malum, non licebit, quia ſuadens verè eſſet cauſa hujus minoris mali.

223 Omnes hæ ſententiæ ſunt probabiles, & ſententia Laym. videtur probabilior, ad quam accedit ſententia Caſtrop. nihi- lominus ſententia Sanch. etiam eſt probabilis.

224 *Q.*62. *An ergo etiam ſine periculo ſcandali ſit licitum aliquem inducere ad ebrietatem, ut ſic impediatur aliud ma- jus peccatum?* R. Secundùm Laym. & alios hoc eſt illicitum, quia nunquam licet inducere ad actionem, quæ intrinſecè ma- la eſt: è contra ſecundùm Sanch. & alios, & expreſsè ſecun- dùm Le ſſ. cujus ſententiam Diana, Med. Gob. & alii cenſent probabilem, eſt licitum: fatenturque Laym. & Dicaſt. licì- tum eſſe tali homini offerre vinum fortiſſimum, cujus vires neſciat, quo abſque peccato ſuo inebrietur, ſicque omittat majus peccatum: imò Leſſ. & Baldel. excuſant eum, qui ad ebrietatem provocaret latrones, à quibus detineretur, vel alios à quibus injuſtè cuſtodiretur; quod Gob. ſupra *n.*30. admit- tit, ſi ad materialem tantùm ebrietatem provocet. Vide di- cenda *l.*5.*n.*318. *&* 343.

225 *Q.*63. *An ſit peccatum ſcandali vel injuſtitiæ, ſuade- re alicui, ut potiùs furetur Petro quàm Paulo, vel potiùs diviti quàm pauperi?* R.1. Si fur eſſet determinatus ad furan- dum, vel multum à Petro vel parum à Paulo, ſed indeter- minatus à quo furetur, docet Pont. apud Dian.*p.*11.*t.*6. *R.*58. & poſt Vaſq. Tamb.*in Dec.l.*5,*c.*1.§.4.*n.*11. te non peccare nec te- neri reſtituere, ſi ſuadeas, ut Paulo furetur minus, ſic im- pediendo ne Petro furetur majus, quia tantùm optas eum è duobus malis eligere minus, & hìc debet potiùs reſpici honor, & minor offenſa Dei, quàm damnum quod infertur Paulo: ſed communis ſententia ferè omnium eſt cum Sanch. ſuprà *n.* 24. non licere conſulere minus malum inferendum alteri per-

ſonæ,

ſonæ, in individuo eam determinando, quia hæc habet æquè jus ad ſuum minus, quàm alia ad ſuum majus; & conſentit cum aliis Carden. ſupra *n.162.*

226 §.2. Si fur ſit determinatus ad furandam æqualem quantitatem à Petro vel Paulo, ſed indeterminatus a quo furetur, putant Lug. Pont. Tamb. *n.64.* aliique apud Dian. *p.5. t.7. R.7.* te non peccare, ſi, cùm ſis amicus Petri, ſuadeas, ut potiùs furetur Paulo, quia amicus poteſt proſpicere, ut, ab amico potiùs avertat malum quàm à non amico; & ſimiliter dicunt, ſi velit furari pecuniam, te poſſe ſuadere, ut potiùs furetur pannum, eo fine, ut Petrus ſolvat tibi pecuniam debitam, ſed probabilius quoad primum contradicit Sanch. ob rationem jam datam aliaſque apud ipſum.

227 §.3. Si fur dicat ſe velle Petro furari centum, niſi tu eum juves ad furandum Paulo quinquaginta, juvare non poſſes, etiam ſi fortè ſuadere poſſes, quia ſuaſio tenderet ad evitandum majus peccatum, quod alter alioqui committeret, minus autem peccatum tantùm permitteres, ſed in hoc caſu auxilium tuum per ſe tenderet ad ipſum peccatum, quod tibi non licet committere, neque ſoli neque ſocio, uti etiam alteri non licet neque ſoli neque tecum: ita Vaſq. & Tamb. *n.64.* Docent tamen Tamb. *n.14.* & Dian. *R.19.* te licitè cooperari ad minus furtum eidem perſonæ inferendum, ut impedias majus, quia ſic bene geris rem illius perſonæ; nec reſpectu tui eſt furtum, cùm invita non ſit, ſed omnino velit à graviore damno liberari per te.

228 §.4. Si fur ſit determinatus ad furandum vel diviti vel pauperi, eſt peccatum & injuſtitia determinare illum ad furandum determinatè diviti, ut jam dictum eſt: ſi autem fur ſit determinatus ad furandum utrique, & non poſſit niſi alterutrum impediri, licebit ſuadere, ut furetur diviti & non pauperi, eligendo minus malum præ majori, nam cæteris paribus gravius peccatum eſt furari pauperi quàm diviti, neque per hoc à ſuadente fit injuria diviti, quia idem damnum fuiſſet illatum ſine ipſius ſuaſione, ita Nav. & Sanch. ſupra.

229 §.5. Si fur non determinavit ſe ad furandum certæ perſonæ, ſed tantùm voluit furari alicui in communi, Sanch. putat licere ſuadere minus malum, nempe ut diviti alicui furetur, nullum tamen in particulari determinando, nam ſic non determinatur voluntas furis ad damnum alicujus, ſed tantùm avertitur à majori peccato & damno, quod eſſet, ſi furaretur pauperi, unde, inquit, Sanch. *n.25.* ſi quis bona mea velit rapere, licebit mihi potiùs ſuadere, ut aliena rapiat, non nominando ullam perſonam, ſed in genere dicendo eſſe alios, à quibus rapere poſſit. Caſtrop. tamen ſupra *n.12.* iterum vult ſic diſtingui; ſi conſulas, ut furetur diviti, peccas, quia es cauſa peccati; ſi autem perſonas tantùm hanc veritatem, dicendo, quòd minus peccatum ſit furari diviti quàm pauperi, non peccas, quia nec ſuades nec inducis, ſed tantùm offers materiam minoris mali, quod in tali caſu licitum eſt.

230 §.6. Si fur erat determinatus ad furandum tantùm pauperi, Molin. Sanchez & Tamb. ſuprà adhuc putant licitum eſſe convertere voluntatem furis, ut potiùs furetur diviti quàm pauperi, non determinando ullum divitem in particulari: quia ſic tantùm convertitur à majori malo, & permittitur eligere minus: ſed Caſtrop. hic loquitur, uti ante, nam ſi tantùm proponas veritatem illam, quod minus malum ſit furari diviti quàm pauperi, non peccas; ſi autem inducas ad furandum alicui diviti, peccas, & teneris reſtituere, quia licèt non inducas ad furandum uni determinatè, tamen omnes ſimul ſumpti habent jus, ut nemo inducat furem ad damnum ipſis inferendum potiùs quàm aliis: habet enim dives æquè jus ad res ſuas, quàm pauper; ideoque fit contra jus etiam illius determinatè divitis, cui poſteà reipſa furabitur, ſicuti peccares & tenereris reſtituere, ſi induceres fures ad furandum alicui, quamvis nullam in particulari perſonam ei determinares, à qua furaretur: & hæc ſententia videtur probabilior, quæ tamen contra alias afferuntur, ſolvunt Authores locis citatis, ſpeciatim Mol. *de Juſt. t.2.t.2. d.355.* & Card. *à num.152.*

231 §.7. Contra omnes fermè illas ſententias *objici* ſolent. 1. Non licet conſulere uſuram pro vitanda occiſione captivi: uti habetur *Cap. Super eo, de uſuris*, ergo non licet ullo modo conſulere minus peccatum, etiam pro vitando majori. R.N. conſ. non ſunt facienda mala, ut eveniant bona, ideò nemo debet committere uſuram pro redimenda alterius vita: ſi autem aliquis ſtatuiſſet occidere & uſuram committere, licitum eſſet ipſi ſnadere ſolam uſuram.

2. Ille ſuadens etiam indeterminatè furtum, eſt reipſa moralis cauſa damni. R.N. Aſſ. nam eſt cauſa melioris fortunæ unius: damnum autem alterius non cauſat, ſed tantùm permittit: cùm impedire non poſſit utrumque.

3. Qui exequitur minus malum peccat, ergo etiam qui conſulit. Reſp. N. Conſeq. qui exequitur, poteſt & debet utrumque omittere: qui conſulit minus, neutrum vellet, ſed vult impedire majus, quòd non poteſt niſi per minus.

4. Non licet petere, quod alter non poteſt licitè facere. R. Non licet petere abſolutè. C. ſub conditione, ſi unum è duobus ſit faciendum. N.

Q.64. An nunquam ſit mortale inducere aliquem ad venia- 232
niale? R.§.1. Ordinariè non eſt mortale, licèt quis etiam vi vel fraude inducat, directè intendens hoc ſpirituale ejus damnum, ita Sanch. *in Dec. l.c.6.n.10.* Arr. *de peccatis d.41. n.22.* Lug. *de Juſt. d.9.n.18.* Haun. *t.2.n.723.* Bonæſp. *de pecc. d.8. n.54.* aliique communiter contra Vaſq. Con. Platel. *p.2. num.185.* & alios. Probatur, quia hoc malum cenſetur leve, cùm ſit facilè reparabile, & venialia omnia regulariter vitari non poſſint: unde inductus etiam non cenſetur graviter invitus.

§.2. Duo opponi ſolent: 1. Quòd veniale in ſe ſit gravius 233
malum, quàm quodvis malum temporale, ergo ſi peccet mortaliter, qui vult alteri mortem corporis, multò magis qui vult illi veniale. R.N. Conſ. quia nihilominus veniale eſt in genere ſuo quid leve, ideoque poſſum mihi velle veniale nec ideò pecco mortaliter, licèt ſi vellem mihi mortem, quæ minus malum eſt quàm veniale, peccarem mortaliter. Quod ſi argumentum illud valeret, non poſſet dari veniale in detractione, quia fama in genere ſuo eſt majus bonum quàm omnes divitiæ, & conſequenter ſicuti mortaliter peccat, qui tollit magnas divitias, ita peccaret mortaliter, qui auferret alteri quemcunque gradum famæ: hinc rectè dicit Caſtr. *t.6.d.6.p.2.* debere in quovis genere boni vel mali creati dari aliquod, quod ſimpliciter ſit leve: eſſe autem leve inde colligitur, ſi ſit facilè amiſſibile vel reparabile: hoc ipſum innuit ipſemet Platel. *n.184.* ubi docet graviùs peccare eum, qui occidit fœminam, quàm qui illam inducit ad fornicationem, quia licèt peccatum fornicationis ſit malum ſuperioris ordinis & gravius, quàm corporis, tamen eſt magis reparabile & magis voluntarium fœminæ, quæ abſolutè poteſt non conſentire.

2. Peccato veniali reſpondet pœna ignis purgatorii ad 234
minimum per horam, ſed aliquem conjicere in ignem ad horam eſt grave, quia eſt meritò graviter contriſtativum, ergo. Reſp. Aliquem conjicere in ignem ad horam eſt grave, ſi quis directè intendat, vel hoc cauſet proximè & principaliter, Tranſ. ſi indirectè tantùm & remotè, neque ut cauſa principalis, N. Peccato veniali reſpondet pœna purgatorii, in quantùm eſt offenſa Dei ſaltem ſecundùm quid: inducens autem ad veniale nòn intendit directè ut offenſam Dei, uti ſuppono, ergo nec intendit ut eſt cauſativum talis pœnæ: Deinde pœna illa non reſpondet proximè veniali facto, ſed illi facto & non expiato, qualiter expiare erat peccanti facile: denique pœna illa reſpondet malitiæ peccati venialis, quæ principaliter eſt à voluntate peccantis, neque tamen inde ſequitur, quòd ipſe peccans ideò peccet graviter, nam illam pœnam ſibi vult, non abſolutè, & ſine cauſa, ſed juſtè taxatam à Deo, ex ſuppoſitione venialis commiſſi.

§.3. Si quis veniale alterius intenderet ex odio Dei, cer- 235
tum eſt peccaturum mortaliter, quia in odio Dei non datur parvitas materiæ: ſed ſuppoſito quòd tantùm intendat ex quodam odio proximi, adhuc peccari poteſt mortaliter in quibuſdam caſibus, v. g. ſi quis Religioſum valde perfectioni deditum vi aut dolo induceret ad peccatum veniale deliberatum, ex intentione hujus damni ſpiritualis, rectè docet Lug. *n.20.* fore mortale, quia veniale deliberatum reſpectu illius cenſeretur damnum grave ſpirituale, eò quòd non ſoleat in illud labi, & nunc per illud dejiciatur de excellenti gradu perfectionis, in quo erat. *Nec obſtat*, quod homo quantumcunque ſanctus peccet tantùm venialiter, ſi velit ſibi veniale, ergo etiam tantùm venialiter peccabit, qui eum inducit ad veniale. R.N. conſ. ſi homo peccet, peccat volens, è contra talis homo eſt graviter invitus ad ejuſmodi vim vel dolum: ſicuti poteſt quis ſine mortali ſuas pecunias projicere in flumen, eſt tamen graviter invitus, ſi vi aut dolo, ad hoc adduci. Occaſione inductionis ad veniale hæc ſubjicit Lugo, *Caveant ergo, qui juvenes puros & integræ vitæ trahunt dolosè ad colloquia vana & impura, quæ licèt aliquando mala ſint venialiter, hoc tamen ipſum eſt grave nocumentum, quod illis in eo ſtatu & vitæ puritate infertur.*

Q.65. Quomodo peccent pingentes vel exponentes ima- 236
gines obſcœnas? R. Pingentes vel exponentes imagines planè obſcœnas peccant mortaliter, ut docent Authores plurimi cum Dian. *p.11. t.4. R.32.* Ratio eſt quia talis imago magis movet ad malum, quàm ſermo obſcœnus, & tamen certum eſt per ſermonem obſcœnum dari grave ſcandalum. Infert Dian. eos, qui retinent ejuſmodi imagines palàm, & ſaltem non cooperiunt, etiam peccare mortaliter, & eſt eadem ratio. *Nec obſtat*, uſus communis, vel quòd ars ſic oſtendatur, *nam* uſus ille eſt peſſimus abuſus; ars autem, quæ ad bonum Reipublicæ eſſe debet, per hoc perdit finem artis, quia ſit perniciosiſſima, ideoque à numero artium, quoad illam partem, eſſet expungenda.

Q.66.

237 *Q66. Quid de turpibus comœdiis ſit dicendum?* R. De his videri poteſt comœdio-criſis, ſive theatrum Hieronymi Florentinii, in quo oſtendit originem comœdiarum; deinde adducit ſententias Patrum contra eas; poſtmodùm judicia Doctorum ſcholaſticorum & moralium ex omni ſtatu ac ordine; denique ſic concludit, 1. peccant mortaliter qui componunt vel agunt comœdias notabiliter obſcænas ratione verborum, factorum, geſtuum vel nutuum. Ratio eſt, tum quia non poſſunt non ſeipſos exponere periculo ſaltem probabili peccandi mortaliter; tum quia ponunt actiones excitativas ſpirituum genitalium & de ſe inchoativas pollutionis, tum denique quia ſunt cauſa peccatorum in Spectatoribus & Auditoribus.

238 2. Quamvis nonnulli Authores eos damnent venialis tantùm, qui ejuſmodi comœdiis intereſſunt, tantùm quærentes delectationem ex repræſentatione & modo agendi, non autem ex re repræſentata, tamen quia vix habebitur delectatio ex repræſentatione, quin ſe ingerat delectatio ex re, dicendum eſt eos peccare mortaliter, quia etiam ſe exponunt probabili periculo peccandi mortaliter. Item cenſentur velle inchoatam in ſe pollutionem; & præterea cooperantur peccato Comœdorum.

239 3. Peccant mortaliter, non tantùm primi Spectatores vel Auditores, qui ſunt cauſa determinativa, ut agatur comœdia, ſed etiam alii, qui ſuperveniunt, & ſine quibus adhuc ageretur, uti contra Baldel. Turr. Ferrant. Bardi. & Vidal. docent alii. Ratio eſt, quia licèt demus non eſſe cooperantes, eò quòd ſine illis adhuc poneretur actio, tamen ſunt approbantes eam actionem graviter peccaminoſam, cùm per actum complacentiæ & delectationis tendant ſimul in illam; imò ſolvunt agentibus mercedem, favent, applaudunt, & hoc ipſo cooperantur, quamvis enim actio poneretur ſine illis, tamen adhuc poſitivè concurrunt, ut ponatur, unde ſicuti qui adjungit ſe aliis decem trahentibus lignum dicitur cooperari tractioni, licèt illi decem ſoli ſufficienter traxiſſent, ita & hi, nam etiam propter hos & horum pecuniam agunt comœdi.

240 4. Clerici nunc accedentes ad tales comœdias peccant inſuper ratione gravis ſcandali. *Nec refert*, quòd multi accedant, per quod nunc à ſcandalo Clericos excuſare volunt Cajet. Sanch. Barb. Bonac. Dian. Baldel. *nam* vel ideo graviùs peccant, quia quò plures Clerici ibi à laicis videntur, eò magis laici confirmantur, ut & ipſi intereſſint liberiùs ſicque incauti vident & audiunt, per quod certò peccant mortaliter.

241 5. Baldel. putat non peccare Magiſtratus, ſi pro aliquo tempore ad vitandam in populo majorem licentiam Comedos permittant, talis enim permiſſio, quæ non ſit approbando, ſed tantùm ex juſta cauſa non puniendo, non videtur illicita: E contra Florentinius contendit malum illud majus, quod evitari deberet, aſſignari non poſſe, deberet enim eſſe majus peccatum, (nam mala pœnæ vel damna temporalia non debent præponderare malo culpæ) jam verò tanta eſt gravitas & multitudo peccatorum, quæ cauſatur per has comœdias, partim in componentibus & actoribus, partim in ſpectatoribus & auditoribus, ut quidquid alio loco harum comœdiarum eſſent acturi, non viderentur ponenda tot tamque gravia peccata.

242 6. Juſtè poſſet & meritò deberet Epiſcopus edicto ſuo ac etiam pœnis ſpiritualibus cogere comœdos ad non agendas comœdias, niſi priùs à Deputatis recognitas, ſic enim fecit S. Carol. Borr. & ratio eſt, quia laicus propter peccatum populo ita ſcandaloſum efficitur de foro Epiſcopi, ut probant Menoch. *l. 2. de Arbitr. caſ. 69. n. 33.* aliique cum Barboſ. *in collect. n. 5. & de Off. Epiſc. Alleg. 82. n. 17.*

243 ## ARTICULUS II.

An & quando ſcandalum paſſivum permitti poſſit; aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?

„ REſp. I. Permitti non poteſt abſque neceſſitate, vel utilitate, propria vel aliena. Ratio eſt, quia tenemur ex „ Charitate impedire peccata proximi, ſi id facilè poſſimus. „ Laym. *l. 2. t. 3. c. 13. ex communi. Unde reſolvitur hic caſus:*

„ Abſque cauſa non licet petere mutuum ab uſurario, vel „ ab infideli juramentum per falſos Deos, à concubinario ad„miniſtrationem Sacramenti, vel ut celebret, cùm enim abſ„que peccato id non ſit facturus, cooperareris ejus peccato „ Suar. Sanch. Trul. *l. 1. c. 6. d. 5. n. 15.*

„ Reſp. II. Ex cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, poteſt per„mitti. Patet in dicto caſu, qui ſimpliciter ſine peccato fieri „ poteſt; ideoque licet talia petere ex rationabili cauſa, etſi al„ter ex ſua malitia ſit peccaturus. Requiritur autem major ne„ceſſitas, ut permittatur ſcandalum puſillorum, quàm Phari„ſaicum: Item major, ſi plures ſint ſcandalizandi, ſi timeatur „ peccatum grave, & denique, ſi certò prævideatur, quàm „ aliàs. Laym. *l. c.* Bon. *to. 2. d. 2. q. 4. p. 2. & d. 4. q. 1. p. 11.*

„ Reſp. III. Debet permitti, ſi alioqui propria ſalus periclitaretur, vel aliis, præſertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona ſpiritualia neceſſaria ad ſalutem nec „ debet, nec poteſt quiſquam dimittere, ob cujuſquam ſcan„dalum. Fill. *tr. 28. c. 6. n. 136.*

Reſp. IV. Bona ſpiritualia, (& ſecundùm Lorcam apud Dian. *p. 5. t. 7. R. 24.* etiam temporalia) non neceſſaria ad „ ſalutem, non tenetur quis omittere, vel differre, ob ſcanda„lum Phariſaicum, juxta illud *Matth. 15. Sinite illos &c.* niſi „ tamen ex dilatione fructus ſperaretur. Facilius verò ac ſæ„pius talia bona differenda, vel etiam omittenda ſunt ob ſcan„dalum puſillorum, v. g. ingreſſus religionis debet differri ob „ ſcandalum parentis, ſi conſenſus illius brevi ſperetur. „ Laym. *l. c.*

Reſp. V. Ad vitandum grave ſcandalum puſillorum, quæ„dam præcepta impleri non debent, niſi tamen omiſſio eſſet „ magis damnoſa omittenti, v. Laym. *l. c.* Ratio hujus eſt, quia „ tunc concurrente duplici præcepto, ſcilicet naturali de ca„vendo ſcandalo, & poſitivo, majus & fortius eſt naturale. „ *Ex dictis reſolvuntur hi Caſus:* „

I. Prælati Eccleſiaſtici non tenentur, (imò nec poſſunt) „ ea, quæ ad bona Eccleſiæ conſervanda ſunt neceſſaria, v. g. „ lites, &c. omittere ad vitanda ſcandala Phariſaica, imò „ etiam puſillorum etſi his priùs reddi debeat ratio rectitudinis „ Dian. *p. 5. t. 7. R. 24.* ex D. Thoma &c. „

II. Si fœmina utatur veſte virili, vel contra, tantùm ex le„vitate, ſine prava intentione, periculo ſcandali, & libidinis „ veniale tantùm erit, aliàs mortale: nullum verò, ſi ex neceſ„ſitate. Dian. *R. 32.* ex D. Th. Silv. &c. „

III. Peccatum, ex quo Confeſſarium in Confeſſione (ex „ infirmitate tamen) graviter ſcandalizandum noſti, debes „ reticere. Laym. *l. c.* ex Nav. *c. 9. n. 12.* &c. „

IV. Uxor ſemel vel iterum debet omittere jejunium, ex quo „ maritus graviter offendatur, & oriatur diſcordia. *Ibid.* „

V. Si ituro te ad Sacrum die feſto, excitanda ſit gravis ri„xa, vel cædes, non teneris ire, *ibid.* „

VI. Superior peccata ſubditi ſæpe poteſt diſſimulare, ad „ vitandas turbas & majora mala, quę alioqui teneretur punire. „

VII. Mulier, quæ ſcit in ſe, vel in ſui aſpectu aliquem in „ particulari ſcandalizandum, mortaliter peccat, ſi data opera ei ſe conſpiciendam offerat: adeoque poteſt, & debet, „ non tantùm publico, ſed etiam ſacro abſtinere die feſto ſe„mel aut iterum, ad peccatum illud evitandum. Dixi *aliquem in particulari*, quia ob timorem ſcandali alicujus ex „ communitate in genere, vel etiam plurium, abſtinere nimis „ eſſet difficile, & plenum ſcrupulis. Dixi 2. *Semel aut iterum*, „ quia ſæpe nimis eſſet grave, & durum. Bon. San. Laym. *l. c. n. 10.* & alii V. Dian. *R. 21. & 22.* Ubi in contrarium citat ali„quot Authores, negantes obligationem prætermittendi rem „ præceptam, ad evitandum aliorum ſcandalum. „

VIII. Mulier, quæ ex ornatu, etiam conveniente ſuo ſtatui, probabiliter prævidet aliquem in particulari lapſurum „ mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere, aut ta„lis conſpectum fugere. Dixi, *ad breve tempus*: quia ad lon„gum, nimis illi grave foret. V. Dian. *l. c.* „

IX. Si verò idem timeretur in particulari ex ornatu ſuper„fluo, vano, & inconvenienti (quem aſſumere vanitatis & „ placendi cauſa, ut videantur pulchræ, & procos facilius in„veniant, ſecluſis aliis, nonniſi veniale eſt) teneretur eum „ omninò dimittere etiam ſub mortali, quia nullum habet jus „ ad illum ornatum, & ex altera parte tenetur vitare peccatum „ alterius, quando commodè poteſt. V. Syl. V. Ornatus. „ Alii tamen, ut Caj. & Nav. *c. 14. n. 31. man.* videntur docere „ eam tantùm teneri ſub veniali (ſed minùs probabiliter, quan„do in particulari lapſus prævidetur, & brevi tempore abſti„nendum eſt) qui etiam cum Azor. Leſſ. & Bon. excuſant à „ mortali eas, quæ ex conſuetudine loci media ubera dete„gunt, fuco, pigmentis, alienis crinibus utuntur, dummo„dò non aliorum laſciviam, ſed tantùm, majorem pulchri„tudinis ornatum intendant, abſque alio fine mortali, aut „ lege peculiari id ſub mortali prohibente: Addunt tamen, „ fore grave & mortale peccatum, hujuſmodi morem dete„gendi pectus, vel tenuiter tantùm tegendi, ubi non eſt, in„troducere, Nav. *l. c.* Leſſ. *l. 4. c. 4. dub. 14. n. 112.* Laym. *l. c.* &c. V. Bon. *t. 1. d. Matr. q. 4. p. 9. n. 1. 25. 26.* „

X. Si mulier, non in particulari, ſed in genere tantùm, „ aliquos in ſe ſcandalizandos putet, modò eorum laſciviam „ non intendat, nec ei placeat, (licèt ei placeat, quòd laude„tur ut formoſa) non videtur teneri abſtineri ab illo ornatu, „ etiam ſuperfluo, ſub mortali, v. g. fucando faciem, imò etiam „ denudando ex communi conſuetudine pectus: niſi tamen de„nudatio, vel ornatus eſſet valde turpis per ſe, ac directè ad „ libidinem provocans. Ratio eſt, tum quia eſt ſcandalum po„tiùs acceptum, quàm datum, & ornatus ille, ac pulchritu„do remotè tantùm ad peccatum provocat, ut docet Laym. & „ Bon. tum quia nimis grave eſſet iſti ſexui, præſertim ſi mari„tum quærant, perpetuò ſic abſtinere: cum illa occaſio ſit uni„verſa-

„ verſalis, & perpetua: nec formoſiores unquam licitè irent „ foras, cùm pulchritudo naturalis plùs noceat, quàm artifi- „ cialis. Plura de hac re, v.Dian.*p.*11.*t.*4.*miſc.Reſ.*32.Bald.*t.* „ 1.*l.*3.*d.*5.*nu.*15. Interim fœminam nudum pectus gerentem „ non mala intentione, etſi quidam excuſent à mortali, ego „ tamen, inquit Sanch.difficilè abſolverem. Et certum eſt, „ quòd Confeſſario incumbat, hujuſmodi ornatum diſſuade- „ re, & deterrere ab eo. *Sav.Ornatus*, &c.*ll.cc.*

„ XI. Peccant etiam graviter, qui componunt, deſcri- „ bunt, repræſentant, vel pingunt turpia, & ad libidinem „ provocantia. Bon.*n.*23.Sanch.& Fill.

„ Reſp.VI.Poteſt aliquando permitti proximi ruina,quan- „ do is paratus eſt ad malum, & alter non intendit, ut peccet, „ ſed tantùm non auferendo occaſionem permittit unum pec- „ catum, ne fiant plura, ita ut permiſſio ſit impeditiva majo- „ ris mali. *Unde reſolves:*

„ I. Hero licet non auferre occaſionem furandi filiis,aut fa- „ mulis, cùm eos nihilominùs ad furandum propenſos & pa- „ ratos novit, ut ſic deprehenſi puniantur, & reſipiſcant: „ tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, ut eviten- „ tur plura. Sanch.Laym.Bon.*t.*2.*d.*2.*q.*4.*p.*2.

„ II.Probabile eſt, non licere talia ultrò ponere, aut iis obj- „ icere,quia poſitivè concurreret ad peccatum, & non tam au- „ ferret occaſionem, quàm poneret, Sa V.Peccatum,& Sanch. „ *l.*10.*de Matr.diſp.*12. *n.*52. qui ex eadem cauſa docet, non „ licere marito dare uxori anſam adulterandi, vel adultero,ut „ tentet uxorem. Interim probabiliter contrarium docet Lay. „ *lib.*2.*tr.*3.*c.*13.Quod confirmari poteſt exemplo Judith, quæ „ vix aliter videtur feciſſe, cap.9. cùm enim ſciret permiſſio- „ nem libidinis in Holoferne, fore impeditivam malorum, „ poſuit ei occaſionem, nempe ornatum ſuum, alioqui lici- „ tum, & tamen communiter cenſetur in hoc non peccaſſe. „ V.Bon.*t.*2.*d.*2.*q.*4.*p.*2.Pal.*tr.*6.*d.*6.*pun.*5.

ADDENDA.

244 *Quæſt.* 67. *An ſit obligatio omittendi actionem ad evitandum aliorum ſcandalum?* R. Buſembaum abſolutè affirmat, & hoc etiam eſt tutius atque probabilius. Alii tamen etiam probabiliter putant eſſe limitandum: quorum ſententias referam:

§.1. Quoad opera præcepta, Caſtrop.*t.*6. *d.*6. *p.*15. aliique apud Dian.*p.*5.*t.*7.*R.*21.*&* 22. & apud Paſq.*de Sacrif. q.*1347. univerſaliter ſuſtinent, quòd ob evitandum præcisè ſcandalum non ſint omittenda ulla opera præcepta: hinc Tamb. *in Dec.l.* 4.*c.*2.§.2.*n.*8.docet, quòd puella ſciens ſe ardenter amari à juvene, qui erit in templo, poſſit quidem die feſto abeſſe à Miſſa propter Charitatem, non tamen teneatur, quia hoc eſt ſcandalum non datum ſed acceptum, quod homo non tenetur vitare cum tanto detrimento omiſſionis Miſſæ: conſentit Illſ. *tr.*3.*n.*111.dicens nequidem ſemel teneri emanere.

245 §.2. Caſtrop.ſupra cum aliis & Dian. *R.*23. docent omitti debere vel ad aliquod tempus differri actionem bonam, quæ eſt tantùm conſilii, uti eſt ingreſſus in Religionem, ſi proximus ex ignorantia vel infirmitate ideò ſcandalizetur; ſi autem ſcandalizetur ſua malitia & peccet ex pravo affectu, non ideo erit abſtinendum, quia non teneor alterius malitiæ condeſcendere cum tali damno meo ſpirituali.

246 §.3. Rarò vel nunquam teneris in propriis bonis jacturam gravem facere, ne proximus ob aliquam actionem tuam etiam ex infirmitate inde accipiat occaſionem peccandi, ita Caſtrop. *p.*17.Rationem dat Sanch.*in Dec.l.*1.*c.*7. *n.*11. quia quando inde oritur grave damnum, eſt veluti moralis impotentia vitandi talem occaſionem, & tum cauſa eſt eam permittendi ponendo rem indifferentem.

247 §.4. Quando aliquid non eſt per ſe malum aut ſpecialiter prohibitum, non teneor ab eo abſtinere, etiamſi alius illo utatur ad malum finem, ſi ego ob bonum vel indifferentem finem cum rationabili cauſa id faciam, ita Leſſ.*in Auth.v.Matrimonium caſ.*18.ex quo ſequitur quamvis puella ſine ulla cauſa præbens ſe conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſcit ſe turpiter amandam, peccet mortaliter, ſi dedita opera ſe offerat, tamen non peccat, ſi hoc faciat ex neceſſitate, & ſaltem non mortaliter, ſi faciat ex utilitate, aut ne ſe privet ſua libertate vel jure exeundi domo, aut ſtando ad oſtium domus vel feneſtram, ita Cajet. Bonac.Sanch.Dian.*p.*2.*t.*15.*R.*30.

248 *Q.*68. *Quid addendum ſit circa denudationem colli, & pectoris in mulieribus?* R.De hoc videri poteſt Eliz. *in Reg. mor.l.*8. *q.*13.§.9. qui morem illum verbis graviſſimis perſequitur: præcipua ejus ratio eſt, quia ejuſmodi mulieres quærunt placere, & appeti à viris, certæ autem ſunt pleroſque per hoc habituros complacentias, & appetitus pravos: quod valet non tantùm de liberis, ſed maximè de conjugatis, quibus minùs licitum eſt quærere placere alienis: *Nec obſtat*, quòd mulieribus licitum ſit oſtendere ſuas facies, quæ tamen ſunt pars pulcherrima, *nam* in primis oſtenſio faciei eſt neceſſaria, & à natura ipſa inducta in humanam converſationem, ut homo ab homine dignoſcatur; deinde eſt ordinaria, ideoque minus movet; & ſi quandoque ad malum trahat, eſt culpa defixè aſpicientis: è contra denudationes illæ ſunt veluti contra naturam, quæ vult reliquas partes præter faciem & manus tegi, deinde eſt contra morem communem mulierum honeſtarum. Verba Eliz. ſunt hæc. *Homines videntes mulieres, quæ faciem ſolùm oſtendunt, credere ex hoc aut apud ſe dicere non poſſunt: iſtæ peculiariter & tanquam fœminæ à nobis amari & appeti volunt, aut eò eunt, ut placeant nobis, ſin verò eas videant nudas, credere dicereque poſſunt, iſtæ amari & appeti à nobis volunt, & placere nobis, hæc autem eſt maxima motio & tentatio, & per ſe ad hoc ipſum ordinata, ergo eſt grave peccatum: & explico, quia ſi quid hujuſmodi etiam remotiſſimum fœminæ Viris loquerentur, valde tentarent & peccarent, at æquivalenter opere ipſo loquuntur ∴. Hoc eſt genium & ingenium mulierum, ut avidè cupiant amari & appeti, cùm enim ſint natura valde ſuperbæ, & nihil ipſis relictum ſit, in quo ſuperbire poſſint, non enim plauſus doctrinæ, non gloria militaris, nec potentia civilis: in hoc gloriam omnem ponunt, ut homines hinc ſaltem ſibi ſubjiciant, illiciant, & irretiant, & quanquam ad alia tranſire nolint, amant tamen hanc ſuam victoriam, & triumphum ac ſuperioritatem ∴. Olim quidem ego exiſtimabam plures mulieres quàm viros ſalvari ex pari numero, quia nec Magiſtratus, nec præfecturas gerunt, neque alia propter quæ multi homines pereunt; at poſtquam iſtam mulierum vanitatem, & ſuperbiam hominibuſque placendi maximum appetitum, & inde captam gloriam conſideravi, plurimùm dubitare cœpi ∴. Si igitur, ut dicebat Hieronymus, quiſquis aliquid ita facit; ut videatur ab hominibus, Scriba eſt & Phariſæus, iſtæ quid erunt, quarum hoc ferè unum eſt negotium, ut benè videantur ac placeant, & quantum ipſæ poſſunt opere ipſo moveant, illiciant, impellant, & ſic triumphent? Nec juvat*, ſi ſe excuſent aliæ per alias, dicendo, iſta & iſta facit: *nam* hic circulus eſt vitioſus, omnes enim, quæ faciunt, in hoc malè faciunt.

*Q.*69. *Quid dicendum ſit de fœminis, quæ permittunt ſui tactus vel oſcula?* R.Fœmina permittens tactum ſui vel oſculum turpe ac venereum, peccat mortaliter, ſi non impediat quando commodè poteſt, quia concurrit ad actum mortaliter malum:ſi tamen publicè id fiat, docent Azor.aliique cum Bon. *de Matr.q.*4.*p.*9.*n.*10.non peccaturam graviter, ſi permittat, quia repellendo ingereret animis adſtantium ſuſpicionem peccati,& infamaret alterum; ſed hæc ratio vix habet locum in praxi, quia potiùs cenſetur honeſtatis, & verecundiæ id repudiare; nec ideò, ſi repellatur aliquis, apud vulgus patitur infamiam: ſi autem hoc tentetur ſecretò, omnes tenent fœminam, non poſſe permittere ob rationem datam. Quod ſi dubitet, an id ab altero fiat malo animo, Filliucius & Tamb.*in Dec.l.*5.*c.*1.§. 4.*n.*25. negant teneri impedire, quia in dubio nemo præſumitur malus; Bonac.probabiliùs affirmat, quia vix aberit culpa, & fœmina utitur jure ſuo, conſulitque ſaluti proximi.

ARTICULUS III.

An liceat alterius peccato materialiter cooperari?

REſp. Cooperari tantùm materialiter, ſubminiſtrando „ ſolùm materiam, & facultatem peccandi, vel exhi- „ bendo objectum, licet, ſi ſequentes conditiones adſint. I. „ Si tuum opus, vel cooperatio ſit ſecundùm ſe bona, vel ſal- „ tem indifferens. II.Si bona intentione, & rationabili ex cau- „ ſa fiat, & non, ut juves alterum peccare. III. Si alterius „ peccatum impedire nequeas, aut ſaltem non tenearis, pro- „ pter cauſam rationabilem.

Circa quam notat Sanch.& Laym.etſi ejus gravitas certa „ regula definiri nequeat, ſed prudentis judicio metienda „ ſit; tantò tamen graviorem requiri. 1. quantò gravius eſt „ peccatum, cujus occaſio datur. 2. quantò probabilius eſt „ te non cooperante alterum non peccaturum,aut quantò cer- „ tior eſt affectus peccati. 3.quantò propinquiùs tua coopera- „ tio peccatum attingit. 4. quantò minus juris habes ad tale „ opus. 5. denique quantò minùs peccatum cum juſtitia pu- „ gnat, idque propter damnum tertii. Laym.*l.*2.*t.*3.*c.*13.*Un-* „ *de reſolves hos Caſus*; „

I. Hoc modo licitè materialiter cooperatur ſponſa contra- „ hens cum ſponſo,quem ſcit Sacramentum accipere in pecca- „ to mortali. Sciens verò eum habere votum caſtitatis, peccat „ contrahendo cum ipſo, quia ad contractum illicitum con- „ currit. Laym.*l.c.*ex Sanch.*de Matr.d.*11.*n.*11. „

II. Licitè quoque poſt Matrimonium contractum mate- „ rialiter cooperatur conjux, ſi conjugi obſtricto voto caſti- „ tatis reddat debitum; imò ad id tenetur ex juſtitia, ſi eum „ exigentem non poſſit à propoſito avocare. *Ibid.* „

III. Si-

III. Similiter Parochus Euchariſtiam licitè poteſt, & debet miniſtrare peccatori, & excommunicato, & hæretico occulto, ſi petat publicè: imò Confeſſarius præbere debet petenti, etiam privatim, ſi ex ſola Confeſſione ejus peccatum novit. *Ibid.*

IV. Excuſantur à peccato famuli, ſi ratione ſui famulatus præſtent quædam obſequia, quæ ſine gravi ſuo incommodo negare non poſſint; ut v.g. veſtiant Dominum, ſternant equum, comitentur ad lupanar, meretrici deferant munera, eidem venienti aperiant oſtium: quia hæc tantùm remotè ſe ad peccatum habent, & ſine iis peccatum fieret. Unde tamen non ſequitur, alteri cuivis licere ea præſtare. Bon. *p.*11. *n.*26. Azor. *to.*2. *p.*2. *l.*12. *c. ult. q.*8. Laym. *l.c.* Sanch. *lib.*1. *moral. c.*7. *n.*21.

V. Ad ea opera, quæ propinquiùs ſe ad peccatum habent aut juvant, v.g. ſubjicere humeros, admovere ſcalas hero per feneſtram aſcendenti ad concubinam, deferre litteras amatorias ad meretricem, comitari ad duellum, &c. non ſufficit communis ratio famulatus, ſed exigunt majorem neceſſitatem & cauſam, ut licitè fiant: v.g. periculum gravis aut ſaltem notabilis damni, ſi detrectent, *ibid.*

VI. Ob ſimile periculum excuſantur ut plurimum caupones & propolæ in locis, ubi Catholici vivunt mixti hæreticis, qui miniſtrant aut vendunt carnes die jejunii comeſturis; item vinum ebrioſis, dum poſtulant, etſi ſciant eos à peccato non excuſari; quia plerumque peccatum æquè fieret ſubminiſtrantibus aliis; & ipſi damnum notabile paterentur, dum paulatim nemo ad eos veniret, Sanch. *nu.*16. Bon. &c. Quod ſi tamen hæ rationes non adeſſent, non excuſarentur: Unde non licet ea patri familias (uti nec cenam die jejunii) miniſtrare ſuæ familiæ, neque cauponi illi, præter quem non ſunt alii, niſi tamen alia gravior cauſa cogeret. *Ibid.*

VII. Ea, quæ ad peccatum proximè concurrunt, vel inducunt, vel cum juſtitia pugnant, etſi ex genere ſuo ſint indifferentia, v.g. hero alterum occiſuro gladium dare, oſtendere illum, qui ad necem quæritur, compulſare campanam (ſine ſcandalo tamen) ad concionem hæreticam, meretricem, etſi conductam ac paratam, è domo evocare, & ad herum deducere, furi ſcalam applicare, gerenti injuſtum bellum dare mutuas pecunias, pagum hæretico domino vendere, graviſſimam cauſam requirunt, hoc eſt, metum tanti mali, quòd ſecundùm leges charitatis nemo teneatur ſubire ad evitandum malum alterius, v.g. ſi aliàs occidendus eſſet. Laym. *n.*4.

VIII. In civitatibus, in quibus id vitandi majoris mali cauſa permiſſum eſt, licet domum locare uſurario (excipit tamen jus alienigenam) & meretricibus; maximè ſi alii conductores deſint; niſi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honeſtis, vel ob ſitum anſam majorem darent peccatis. Sanch. *n.*20. Bon. *l.c.*

IX. Excuſantur à mortali, imò etiam veniali, ſi cauſa adſit, artifices, qui faciunt, aut vendunt res indifferentes, quibus quis benè poteſt uti, licèt plurimi abutantur, v.g. aleas, fucos, gladios. Ratio, quia remotè tantùm ordinantur ad peccatum; & ſimpliciter impedire non poſſunt. Quòd ſi tamen abuſus eſſet contra juſtitiam, non liceret, v. g. ſi occiſuro dares gladium, ob magnum pretium, quod offert: Item, ſi quis ſciat, hunc innocentem non pervertendum, niſi per has ſuas merces, quia modicum lucrum certæ ſaluti alterius eſt poſtponendum. Sanch. *l.c.*

X. Excuſantur etiam, qui ob juſtam cauſam vendunt agnum Judæo, vel infideli, uſuro ad ſacrificium. Item, qui Judæorum Synagogas, hæreticorum templa, legitimo Magiſtratu permittente, ædificant, vel reſtaurant; præſertim ſi fieret æquè ſine ipſis. Navar. *l.*5. *conſ.*1. *de Judæis.* Laym. *n.*4. Venena autem vendere, niſi iis, qui benè uſuri putantur, v.g. ad confectionem colorum, vel medicinam, non licet. V. Sanch. *n.*17. Unde venditio veneni, quod non ſervit niſi ad hominis occiſionem ſimpliciter eſt mala.

XI. Chriſtiani captivi, ex gravi metu, in triremibus Turcarum vel hæreticorum, licitè remigant contra Catholicos: ſarcinas, machinas; arma ad bellum neceſſaria convehunt, propugnacula ædificant, ita probabiliter Leſſ. *l.*2. *c.*9. *d.*18. Sanch. *n.*18. Suar. Laym. *l.c.* contra Tol. & alios, qui docent, peccare mortaliter. Quod ſi tamen eo loco res eſſet, ut hæc negantes magno periculo claſſem Chriſtianam eriperent, vel victoriam conferrent, tenerentur tantum bonum vitæ ſuæ anteferre Suar. Leſſ. Sanch. *l.c.*

XII. Incolæ urbis vel provinciæ, quam Tyrannus occupavit; licitè manent inter iniquos poſſeſſores, eoſque cogente imperio juvant excubiis, foſſione, contributione; idque ex legitimi Principis præſumpto conſenſu: ex quo etiam talia obſequia licitè promittunt cum juramento ad majora mala ſua, & legitimi Principis declinanda. Laym. *n.*5.

XIII. Nautæ, & aurigæ Catholici in Hollandia, etiam ſine gravi metu, ſi abſit prava intentio, licitè vehunt annonam ad caſtra hæreticorum: ſi adſint alii, qui illis ceſſantibus facerent, quia niſi id faciant, excludentur omni lucro tanquam oſores boni publici. V. Leſſ. *n.*123. Sanch. *l.c.* Filliuc. *l.*22. *cap.*5.

ADDENDA.

*Quæſt.*70. *Quid hic notandum ſit circa propoſitionem* 51. *ab Innoc. XI. damnatam?* R. Propoſitio illa ſic habet, *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.* Circa hanc damnationem notanda ſunt ſequentia. 251

§.1. Ex hac damnatione colligitur, non eſſe licitum cooperari alterius peccato per talem actionem, quæ per ſe & proximè ad illud peccatum concurrat ſeu adjuvet, qui enim ſic concurrit, reipſa directè vult peccatum. 252

§.2. Quamvis aliquæ actiones hujus famuli de ſe non adjuvent per ſe & proximè ad peccatum, uti v. gr. aperire januam aliquam, quod de ſe eſt quid indifferens, tamen certum eſt cooperationem illius Famuli poſitam in collectione omnium circumſtantiarum, quæ hic recenſentur, dici debere per ſe, & proximè adjuvare ad peccatum, ideoque eſſe illicitam; circumſtantiæ autem ſunt hæ, in primis quod faciat ſcienter, id eſt, ſciens herum velle inferre ſtuprum cum gravi violatione juſtitiæ, ſi enim neſciret vel tantùm dubitaret, non deberet præſumere herum ſuum velle ingredi ex malo fine: cùm delicta non præſumantur, tumque ex juſta cauſa poſſet materialiter cooperari: deinde multoties cooperatur, & ſcit illam ſuam cooperationem multoties juvare ad ſtuprum: præterea damnum, quod timet, non eſt ſummè notabile nec graviſſimum, nam ſemel percuti non eſt famulo intolerabile; aſpici torvis oculis eſt adhuc magis tolerabile; expelli domo etiam communiter non cenſetur graviſſimum malum, quia tales heri poſt impetum iræ revocant vel permittunt redire famulos, aut ſaltem talis famulus poteſt plerumque ſimile ſervitium invenire; itaque nunc certum eſt, quando cooperatio ad peccatum fit per collectionem harum vel ſimilium circumſtantiarum, ſemper peccari. 253

§.3. Dubitat Carden. *in* 2. *criſi d.*31. *n.*4. an talis cooperatio licita foret illi famulo, ſi ab hero timeret graviſſimum malum, v.g. lethale vulnus, mutilationem, mortem? Illſ. *t.*3. *n.*114. putat excuſandam à mortali, ſed probabilius eſt non excuſandam, quia operatio poſita in illis circumſtantiis videtur per ſe & proximè tendere ad peccatum, ideoque eſſe intrinſecè mala, nec poſſe ex ulla cauſa honeſtari: hinc limitanda eſt doctrina Buſemb. quamvis enim non contineat propoſitionem damnatam, eò quòd non loquatur de hero volente inferre ſtuprum, quod eſt peccatum contra juſtitiam, neque de famulo multoties ſic ſubſerviente, favet tamen propoſitioni damnatæ. 254

*Q.*71. *Quomodo liceat petere, permittere vel cooperari ad aliquid, quod non ſit ſine peccato?* R. §.1. Pro hoc communiter dantur ſeqq. regulæ. 1. Si abſolutè petis rem ab altero fieri, quæ nullo modo poteſt fieri aliter, quàm peccando, peccas, quamvis certò ſcires alterum paratum eſſe ad faciendum. *Dixi*, abſolutè, quia poſſes conditionatè petere, ut impedires majus peccatum, uti n.222. dictum eſt. 2. Hoc ſolum licitum eſt petere ab eo, qui paratus eſt facere, quod ipſe poteſt licitè præſtare. 3. Non peccat, quia ex juſta cauſa petit opus, quod benè & malè fieri poteſt ab altero, licèt ſciat ipſum malè facturum, & faciendo peccaturum; Ratio eſt, quia ex rationabili cauſa petis, quod tibi utile eſt, & alius rectè præſtare poteſt; quod ſi non præſtet, ſicuti debet, ipſi imputatur, nam tu jure tuo uteris neque ob illius malitiam teneris cum gravi incommodo tuo abſtinere. 4. Non peccas, ſi ex juſta cauſa offeras materiam ex ſe licitam, qua alter ex malitia ſua abutetur ad peccandum: Ratio pro hoc eſt eadem, id enim eſt præter intentionem tuam: advertendum eſt tamen non ubique ſemper ſufficere eandem cauſam, nam tantò major requiritur, quantò peccatum, ad quod præbetur occaſio, eſt gravius, & quantò proximiùs ac magis concurrit ad illud; item quantò probabilius eſt peccatum non ſecuturum, ſi non præberem occaſionem &c. 5. Qui facit aliquid indifferens, ignorans an alter ſit abuſurus, necne, non dicitur cooperari, ſi hoc faciat ex rationabili cauſa, abſque intentione, ut alter abutatur, quia in dubio alter præſumi debet non abuſurus. 6. Non pecco, ſi faciam opus indifferens & remotè concurrens ad peccatum, quo poſito alter peccat, adhuc peccaturus, licet ego illud opus non feciſſem. 7. Pecco, ſi permittam peccatum alterius eo fine, ut peccatum 255

catum fiat. Has regulas communiter tradunt Doctores, cum Sanch. *in Decal. l.1. cap.7. & l.3. cap.*8. Bonac. *de pec. d.1. qu.*4. *p.*2. §.1. Castrop. *t.6. d.6. p.*10. Tamb. *in Decal. l.*5. *c.*1. §.4. *n.*2. *&* 16. ex quibus iidem Authores sequentia deducunt:

256 §.2. Peccas invitando Titium ad cœnam die jejunii, quamvis scias eum paratum esse ad frangendum jejunium, quia petis rem fieri, quæ eo tempore ab ipso fieri non potest sine peccato, Vasq. Castr. & alii. Catholicus tamen aliquis nobili hæretico ad se divertenti potest amicitiæ, & humanitatis causa apponere cibos in die jejunii, si alioqui daret occasionem gravibus querelis, & murmurationibus contra se tanquam rusticum, inurbanum, superbum, Lug. *de fide d.*14. *n.*168. & Arsdek, *t.*2. *p.*2. *t.*6. *de hæreticis q.*16. Et de tali circumstantia vel occasione offendendi amicum invitatu sic habet S. Aug. *serm.*231. *de temp. Tu eum noli adjurare, noli cogere, sed in potestate ejus dimitte, ut quantum sibi placuerit, bibat, si se inebriare voluerit*; idem autem est de ministratione cibi, hinc addit Tamb. amicum posse amico apponere cœnam urbanitatis causa etiam die jejunii, & rationem dat *l.*4. *c.*5. §.6. *n.*9. quia ex una parte ratio hospitii excusat, ex alia parte hæc opera sunt indifferentia, hospites enim tantum poterunt sumere, quantum sibi licebit, nec ipse invitat ad transgressionem jejunii. Addit Illsf. *t.*3. *n.*117. eum in civitate acatholica non peccare, qui die vetito apponit carnes alicui, qui nihilominus alibi eas erat certò comesturus, quia apponens non inducit nec determinat ad illud peccatum, sed tantum determinat ad individuum hujus materiæ præ illa, in quo nihil est distinctæ moraliter malitiæ: atque pro ea sententia citat Nav. Less. Sanch. Laym. contra Castrop.

257 §.3. Si Dominus velit comedere carnes in contemptum Ecclesiæ, non peccat famulus eas coquens, & porrigens, si sine gravi damno non possit evitare, quia actio, quæ præcipitur famulo, non est illa, qua contemnitur Ecclesia, sed hæc actio est ipsa manducatio: si autem nullum signum exterius appareat, præsumi potest, quòd non præcipiatur ex contemptu Ecclesiæ, ita Less. *in Auth. V. Hæreticus, cas.*13. Steph. *t.*3. *d.*1. *n.*41. *& alii.*

258 §.4. Si absit scandalum, potest venator vel auceps in quadragesima capere feras vel aves, & vendere in terris hæreticorum, quia opus illud per se est indifferens, & valdè remotè cooperatur violationi præcepti Ecclesiæ, sic enim in plerisque locis tum venditur caro pro iis, quibus licet comedere, quod eorum conscientiæ relinquitur, ita Less *cas.*14. Similiter si Opifex catholicus famulos habeat hæreticos valde peritos, qui nolint apud eum in quadragesima permanere, nisi carnes apponantur, quos tamen absque gravi rei familiaris jactura dimittere non potest, si absit scandalum, posse illis apponere carnes, docent Burgh. *cent.*1. *cas.*21. & Arsdek. suprà, quia hoc non videtur esse formaliter cooperari peccato, sed solùm illud permittere; & pluribus locis, ubi Catholici hæreticis permixti vivunt, id usu receptum esse dicunt.

259 §.5. Non licet diebus festis petere laborem servilem ab hæreticis, quamvis alibi sint laboraturi, ita Arsdek *q.*17. §.3. Ratio est, quia hæretici obligantur illo præcepto tum abstinendi à servilibus, ergo licitè non laborant, ergo pecco petendo ab illis, quod nullo modo licitè fieri potest in illis circumstantiis.

260 §.6. Potest aliquis privatus aliquod opus dare faciendum alteri sive hæretico, sive Catholico, quamvis putet hunc etiam die festo laboraturum, dummodò ad hoc illum non inducat, & ille nihilominus erat tali die laboraturus, tunc enim passivè se habet ad violationem Festi, neque privatus sed solus Superior tenetur curare, ut serventur Festa, ita Less. *cas.*6.

261 §.7. Qui sine justa causa vinum vendunt illis, quos probabiliter putant se inebriaturos, peccant mortaliter: Causa autem sufficiens, per se loquendo, non videtur esse lucrum quo carerent non vendito illo præcisè vino, hoc enim lucrum est omnino modicum, ita S. Th. 2.2. *q.*250. *ar.*1. Beja *p.*1. *cas.*48. Val. Rod. Sanch. Bonac. *de pecc. d.*2. *q.*4. *p.*2. *§.*1. *n.*30. Gob. *in Quin. t.*5. *c.*13. *à n.*46. &c. Similiter, inquit Beja, si quis Caupo, ut plures hospites habeat, permittat ad ædes suas venire meretrices & inservire mensis, peccat mortaliter, quia dat occasionem proximam peccatis, tum meretricum tum hospitum: Causas tamen justas promendi vinum etiam se inebriaturis dicunt Sanch. & Castrop. esse, si alioquin esset afficiendus, non tantùm contumeliis sed etiam gravibus molestiis & incommodis: item si notabiliter minuendus esset affluxus hospitum, id enim cum tempore esset ipsi grave damnum; & ita docent Authores gravissimi relati in *vindiciis* Gobat, *p.*2. *ad prop.*17. favetque S. August. *n.*256. relatus. Quòd si dubitet, an hospites sint se inebriaturi, putat Gob. *n.*52. contra Navar. etiamsi abesset talis causa, promere posse, quia est in possessione; quod sibi liceat promere, neque delictum aliorum debet præsumi; verius tamen videtur, si probabile sit alios inebriandos, non posse sine justa causa promere, ne eos exponat periculo proximo peccandi.

§.8. Peccat graviter, qui alium provocat ad haustus, è 262
quibus prævidetur secutura ebrietas, quamvis id fiat amicitiæ causa: similiter peccant graviter, qui alios vexationibus inducunt ad blasphemias, imprecationes, contumelias &c. quia formaliter cooperantur ad peccatum.

§.9. Non peccat, qui vendit ornamenta puellæ per illa 263
sollicitaturæ alios ad peccatum, quæ ornamenta venderentur ab alio, ita Sanch. Nav. Azor. Less. Bonac. *n.*35. Diana *p.*5. *t.*7. *R.*38. contra Castrop. & alios. Ratio est, partim quia illa venditio est quid indifferens & remotè se habens ad peccatum, partim etiam quia si vendens peccaret, esset ideo, quia non impedit peccatum proximi, atqui licèt non venderet, non ideo impediret, alius enim esset, qui venderet, ergo vendendo non peccat. Ex eadem ratione judicarunt viri docti me non peccare, si vendam panes hæreticis, quibus utentur in suo falso sacramento cœnæ.

§.10. Si fœmina munera acceptet oblata ab amasio ea lar- 264
giente ex malo fine, quamvis ipsa non consentiat ejus intentionibus, regulariter peccat graviter, quia fovet impurum ejus amorem, desiderium ac spem. *Nec refert*, quod dicat se nolle consentire, *nam* reipsa acceptando adhuc relinquit spem, ita Sporer *t.*5. *c.*5. *n.*141.

§.11. Peccat, qui alteri irato reddit sum gladium, quo 265
prævidetur occisurus alterum, nisi excuset metus gravis incommodi, ita Sanch. Bonac. & alii. Ratio est, quia licèt illa redditio sit res de se indifferens, tamen in his circumstantiis proximè se habet ad occisionem, ergo teneris non reddere, si possis sine gravi incommodo. Similiter peccat, qui alterum reddit audaciorem vel animosiorem ad peccandum, si id faciat per actionem propinquam peccato, uti si gladium suum meliorem det duellaturo, non audenti duellare suo minùs apto, ita Tamburin. *n.*19. *&* 22.

§.12. Si adsit justa causa licitum est petere juramentum ab 266
eo, quem putas pejeraturum, ita cum aliis Suar. Dian. *R.*9. Tamb. *in Dec. l.*3. *c.*1. §.6. *n.*1. contra Sot. Vasq. Sylv. & alios. Quòd si scias alterum determinatum esse ad non jurandum aliter, quàm falsò, Bonac. Castrop. & alii dicunt non licere petere, quia peteretur juramentum illud, quod alter non potest licitè præstare: si autem inducas Cajum ad jurandum aliquid, quod ipse putat esse verum, tu autem scis esse falsum, quamvis ignorantia illum à peccato excuset, tu autem peccas, quæ inducis, ut adducat Deum in testem falsi, quod est intrinsecè malum, ita Azor. Suar. Sanch. Tambur. *à num.*3. contra Hurt. cujus sententiam Dian. *R.*14. vocat probabilem: si tamen ille se offerret ad sic jurandum, & hoc juvaret ad probandum aliquid, quod scires esse verum, licebit permittere, ut juret, ita Sanch. *in Dec. l.*3. *c.*8. *n.*11.

§.13. Licitum est petere mutuum ab usurario, quando 267
est rationabilis causa, ita S. Thom. aliique communiter: unde si quis pecunia indigeat ad negotiationem necessariam, nec possit facilè aliunde habere, licitè petet ab usurario: imò etiamsi sciret illum non esse mutuaturum, nisi ipsemet petens usuram offerat, poterit sic dicere: da mihi mutuo centum, & restituam tibi centum, & si volueris, etiam decem; ita Mol. Sanch. Hurtad. apud Dian. *p.*5. *t.*5. *R.*8. Idem tenent Tamb. *in Dec. l.*5. *c.*1. §.4. *à n.*44. & Spor. *t.*6. *c.*4. *nu.*125. Ratio est, quia non petit peccatum usurarii sed mutuum, quod licitè dari potest; ex rationabili autem causa utitur adjuncto peccato usurarii, & dat occasionem scandalo tantùm pharisaico. Quòd si peteretur mutuum à tali usurario sine necessitate, sed tantùm ad lusus non necessarios vel ad negotiationem superfluam, Cajet. Nav. & alii multi apud Sanch. *num.*23. adhuc putant peccari tantùm venialiter, quod Sanch. putat probabile, Castrop. tamen & alii communiùs dicunt peccari mortaliter, quia non adest sufficiens causa honestans permissionem istius peccati.

§.14. Non peccat, qui juvat usurarium in numerandis 268
pecuniis, in scribendis nudis rationibus, quæ nihil faciunt ad repetendas usuras, in deferendo pignore pro securitate usuræ, in exigendis amicè usuris, ne alter videatur infidelis. Ratio est, quia hæc supponunt peccatum, vel unde concomitantur, neque mutuatarius ad hæc est invitus. Peccat tamen Notarius scribens contractum usurarium, quia licèt mutuatarius consentiat, ipse facit contra suum juramentum, quo tenetur non servire in actibus injustis: atque idem est de Testibus firmantibus talem contractum, ita Tamb. *num.*60. Quomodo autem Principes non semper peccent permittendo usuras, videri potest apud Dian. *p.*9. *t.*8. *R.*14. Vide etiam dicenda *l.*3. *p.*2. *à n.*625. An autem licitum sit domum suam elocare usurario vel meretrici, dicetur *Ibid. n.*1042.

§.15. Ex causa licitum est mutuare usurario, quamvis hic 269
pecunia illa sit abusurus: causa autem justa est periculum offendendi illum, qui potest multùm nocere, ita Azor. Pirh. *l.*5. *tit.*19. *n.*116. Less. *in Auct. V. usura c.*5. Ratio est, quia mutuare est actio indifferens & usurarius posset non abuti; neque mutuans tenetur cum gravi suo incommodo peccatum

illius

illius impedire: notat tamen Leſſ. quòd ſolùm commodum juſti lucri non ſit cauſa ſufficiens, quia tale lucrum poteſt haberi in alia honeſta negotiatione.

270 §.16. Qui vendit alteri, quem novit injuſtè revenditurum, quia hic revendens miſcebit v. g. vinum aqua, non peccat, ſi difficulter vel cum damno debuiſſet vendere alteri: peccat autem contra Charitatem, ſi alteri potuiſſet æquè commodè vendere, ita cum aliis Tamb. *n.*37.

271 §.17. An liceat petere à malefico, ut tollat maleficium, dicetur *l.*3.*p.*1.*an.*41. Peccant tamen omnes, etiam Judices, qui vel ex curioſitate, vel ad explorandum an aliquis ſit magus, inducunt ut exerceat coram ſe opus maleficii, vel magiæ, v.g ut faciat mures, quia inducunt ad opus, quod nunquam licitè fit, cùm ſemper fiat ex pacto cum dæmone: ſimiliter non licet petere à mago vel quoquam alio, ut furem occultum oſtendat, quia hoc non fit niſi recurrendo ad dæmonem, vel utendo aliquo pacto cum illo, ita Leſſ. *V. Magia, caſ.*5. Quod ſi ſaga ſponte ſe offerat ad notas in alio oſtendendas, per quas cognoſcatur etiam eſſe maleficus vel complex, Leſſ. dicit non licere ſiſtere alterum coram ſaga, quia, qui ſiſteret, conſentiret, & poni vellet actionem, per quam ſaga illum convinceret, hæc autem actio eſt uſus pacti cum dæmone: ſimiliter qui materiam præparat mago, circa quam operetur, v.g. qui tenet ſpeculum, ut magis in eo oſtendat furem, aut qui ponit cribrum vel pelvim intendens ut ipſe arte ſua utatur, graviter peccat, quia actioni magicæ cooperatur, ita Leſſ. ſupra. Vide dicenda *l.*3.*p.*1.*n.*44.

272 §.18. Peccas, ſi extra neceſſitatem vel utilitatem magnam petas ab excommunicato tolerato, ut tibi Sacramenta miniſtret, ita *Suar. & alii* contra Sanch. Hurt. & Tamb. *n.*40. ſi autem petas ab impio Sacerdote, ut tibi Sacramenta miniſtret vel celebret, ſi non adſit neceſſitas vel utilitas magna, etiam probabiliter peccas, quamvis id negent Azor. Hurt Dian. *p.*5.*t.*7.*R.*8. quia petis actum prohibitum in eis circumſtantiis, in quibus non eſt moraliter poſſibile, ut licitè ponatur ab illo à quo petitur.

273 §.19. Peccat famulus, qui ſcribit, vel ad alterum defert litteras aut nuntia directè tendentia ad peccatum, v.g. ad fornicationem vel duellum, ita Sanch. Bonac. Rebellus. Rationem dant, quia hæc nuntia, & hæ litteræ ſunt intrinſecè malæ: de veritate hujus rationis dubitat Caſtrop. *t.*6.*d.*6.*p.*11. *n.*7. ſi enim abſit animus & finis malus, videntur indifferentia reſpectu ſcribentis vel deferentis; non licebit tamen ſcribere vel deferre, quia per ſe & proximè habent ſe ad peccatum: unde audiendus non eſt Merolla apud Dian. *p.*3. *t.*6. *R.*1. qui excuſat ſcribentem ex gravi cauſa. Quòd ſi famulus dubitet, an litteræ contineant turpia, Sanch. adhuc putat deferre non poſſe, ſed Caſtrop. abſolutè dicit poſſe, Rebellus & alii dicunt debere, quia famulus tenetur obedire, ubi non eſt peccatum; & in dubio ſtat præſumptio pro Domino.

§.20. Aurigæ vel nautæ, qui vehunt ab uno loco in alium 274
quendam, quem ſciunt eò proficiſci ad peccandum, non peccant, quia remotè tantùm cooperantur ad malum, per actionem de ſe indifferentem, ita Nav. Merol. Dian. apud Tamb. *n.*30.

§.21. Si Patria injuſtè ſit capta ab hoſte, ſecluſo ſcandalo 275
non tenentur antiqui Officiales ſua officia deponere, quamvis aliquando debeant ſcribere aut ſubſcribere decreta, vi quorum fiant injuſtæ exactiones, nam idem fieret ab aliis plùs nocituris. Ideoque Reſpublica aut prior Dominus cenſetur malle, ut tales maneant in officio, qui id faciant animo impediendi majus malum, & cum ſpe faciliùs reſtaurandi cauſam juſtam, quem etiam animum habere debent ejuſmodi officiales, ita Leſſ. *v. Rebellio caſ.*2. ubi *caſ.*5. ait multò magis licitum eſſe colligere vectigal vel contributiones, licèt impendendæ ſint ad bellum injuſtum, collectio enim illa de ſe eſt indifferens, & remotè ſe habet ad peccatum malè impendentis. Addit caſ.4. ſecluſo ſcandalo, etſi adſit metus gravis damni, licitum eſſe proclamare diem precum pro felici ſucceſſu belli, quod injuſtum eſt, tum autem intendi non debet victoria hujus injuſtæ partis, ſed ſucceſſus felix, quia injuſtè bellanti felicius eſt vinci quàm vincere.

§.22. Si peccatum permittas eo fine, ut peccantem pu- 276
nire poſſis, v.g. ſi Cuſtos gabellæ ſe abſcondat, ut nauta præteriens puniatur, peccat, quia qui pœnam necdum contractam intendit, etiam intendit peccatum, ad quod pœna conſequitur: non tenebitur tamen reſtituere, quia non eſt contra Juſtitiam ſed tantùm contra Charitatem, ita Tamb. *n.*3. Quòd ſi intenderes, ut ſemel deprehenſi aliis vicibus ſibi magis timerent defraudare gabellam, & ſic minus delinquerent, non peccares, quia ex cauſa permitteres unum delictum, ut impedirentur plura. An liceat alicui occaſionem offerre ad peccandum, aut ſaltem eam permittere, ut in peccato illo deprehenſus corrigatur & reſipiſcat, de his habet Buſemb. relatus *n.*243. in fine, poſſuntque videri Mendo *in Stat. d.*1. *q.*20. & Moya *t.*6.*d.*6.*q.*3. ubi quæſtiones illas optimè tractant. Illſ. *tr.*3. *n.* 116. docet poſſe offerre occaſionem peccati venialis, ut ſe ſervet indemnem & alterum emendet.

§.23. Chriſtianos captivos, qui ſimul cum Turcis ad lit- 277
tora Chriſtianorum adventant, poſſe cum Dominis Infidelibus cooperari ad rapinas & incendia ob vitandam mortem ſibi aliàs imminentem, docent Lorca, Dian. Caſtrop. & alii apud Mendo *d.*6.*q.*10. qui defendit velut probabile, quia ſunt in extrema neceſſitate, in qua licitum eſt uti bonis temporalibus aliorum pro liberanda vita ſua.

LIBER TERTIUS.

De Præceptis Decalogi, & Eccleſiæ.

PARS PRIMA.

De ſeptem primis præceptis Decalogi.

1  *Quæſtio* 1. addenda hic eſt: *an præcepta Dei obſervari poſſint, deturque gratia ſufficiens ad illa obſervanda?*

Reſp. §. 1. Janſenius docuit, aliqua Dei Præcepta etiam à Juſtis obſervari non poſſe, & deeſſe gratiam, qua obſervari poſſint: Sed Innoc.X. & Alex. VII. hanc 1. *Janſenii prop. Aliqua Dei præcepta hominibus Juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*, damnarunt veluti temerariam, impiam, blaſphemam hæreticam. Similiter *Trid. Seſſ. 6. cap.* 11. ait: *Debet nemo temeraria illa & à P. P. ſub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet; ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Can.* 18. *Si quis dixerit, præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit.* Eundem errorem vocavit S. Aug. ſtultum; S. Baſil. impium: S. Hier. anathemate dignum; uti adductis eorum verbis oſtendit Eliz. *l.* 7. *q.* 5. §. 2. *Ratio* eſt: quia imprudens & tyrannicum foret, obligare, aut velle punire propter illud factum vel omiſſum, quod quis omittere vel facere non poteſt. Quæ opponuntur de præcepto dilectionis Dei & inimicorum, de præcepto Charitatis, &c. dudum ſolverunt S. S. P. P. apud Eliz. ſupra, & falſa eſſe probat experientia. Et quod non ſit obligatio ex Charitate implendi præcepta, conſtat ex dictis *l.* 1. *n.* 691.

2 §. 2. Idem Janſenius docuit nullam à Deo dari gratiam propriè ſufficientem ad obſervanda præcepta, ſed omnem gratiam eſſe efficacem, cui reſiſti non poſſit. Ex quo inferebat eum, qui præceptum non obſervaſſet, non habuiſſe gratiam ad illud obſervandum. *Sed* iidem Pontifices has ejuſdem Janſenii propoſitiones velut hæreticas damnarunt. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Semi-Pelagiani *admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare. Trid. Seſſ. 6. Can.* 4. anathemate ferit illum, qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum non poſſe diſſentire, ſi velit.

3 §. 3. Sinnichius docuit gratiam ſufficientem, quæ daretur ad obſervanda præcepta, fore pernicioſam, ita ut meritò rogare poſſemus Deum: à gratia ſufficiente libera nos Domine. Sed Alex. VIII. damnavit hanc 6. Prop. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic ut proinde meritò poſſimus petere: à gratia ſufficiente libera nos Domine.* Unde certum eſt gratiam etiam purè ſufficientem dari nobis, eamque eſſe utilem, quia cooperando poſſumus facere efficacem; Et ita doceri à S. Aug. demonſtrat Arſd. inter Controv. recent. de gratia, *c.* 2. §. 3.

4 §. 4. Quidam Religioſi Duacenſes in libello, *De Scientia media*, *n.* 168. docent, quòd homo, qui caret gratia victrice, reddatur impotens ad implenda mandata. In Triumpho Thomiſtico n. 126. & 132. docent, quòd ſine auxilio gratiæ victricis non poſſit impleri præceptum. Et *n.* 114. *Cùm non in omnibus Juſtis vincatur concupiſcentia, nec tollatur ignorantia, concludendum eſſe, non omnibus Juſtis auxilium ſufficiens dari.* Si opponas illis: quoties homo peccat contra præceptum, non habet gratiam victricem ad obſervationem præcepti; ergo tum eſt impotens ſervare præceptum; ergo peccat in eo, quod vitare non poteſt. Item: ergo Deus jubens non dat gratias ſufficientes ad implendum illud, quod jubet. *Reſpondent*, talia 5 præcepta non poſſe quidem obſervari ex gratia data: poſſe tamen obſervari ex gratia oblata & danda, ſi non impoſuerit impedimentum, id eſt, *ſi amaverit*, non creaturas, ſed Deum aut Juſtitiam. *Contra eſt*: Ergo diſpoſitio ad acquirendam gratiam pro obſervandis præceptis erit amor Dei & Juſtitiæ; ſed hunc ipſum amorem, ſecundùm Adverſarios, non poteſt habere ſine gratia victrice, prædeterminante ad illum, quam gratiam, & prædeterminationem non habet ille, qui tranſgreditur præceptum; ergo talis ſimpliciter non habet gratiam, qua obſervare poſſit præceptum, quæ eſt hæreſis Janſ. Hinc Gonet. *T.* 5. *d.* 5. *num.* 243. meritò dicit, veros Thomiſtas unanimiter profiteri tanquam certa fide tenendum, omnibus Juſtis inſtante aliqua gravi tentatione (idem eſt de obſervatione præcepti) auxilia ſufficientia non tantùm eſſe oblata; ſed de facto collata, & conceſſa.

TRACTATUS PRIMUS.

De primo præcepto Decalogi.

HUjus præcepti, prout eſt affirmativum, materia propria ſunt actus Virtutis Religionis. Eſt autem hæc, virtus moralis, qua interior & exterior cultus Deo debitus exhibetur. Actus ejus internus eſt animi ſubmiſſio, qua infinitam Dei excellentiam veneramur. Externus eſt, quo internum teſtamur, ut Oratio, Sacrificium, de quibus *v. Schol.* 1. 2. *& 3. parte.* Prout verò eſt negativum, prohibet vitia Religioni oppoſita, quæ quia opponuntur virtuti inter morales præcipuæ, ſunt peccata, poſt ea, quæ contra Virtutes Theologicas committuntur, graviſſima, & ex genere ſuo mortalia. Sunt autem duplicia: alia, quæ opponuntur per exceſſum, ut ſuperſtitio cum ſuis ſpeciebus; alia per defectum, ut irreligioſitas cum ſuis. 6

CAPUT I.

De ſuperſtitione, & ſpeciebus ejus.

DUBIUM I.

Quid ſit, & quotuplex?

REſp. I. Superſtitio eſt falſa religio, ſeu cultus vitioſus veri & falſi Numinis, Leſſ. & convenit cum definitione communi ex S. Thom. qua dicit, eſſe vitium, quod Religioni opponitur ſecundùm exceſſum. Dicit: *per exceſſum*: non quòd Deus nimium coli poſſit, aut majore honore quàm dignus ſit; ſed intelligitur ſecundùm circumſtantias, eò quòd exhibeat cultum, vel quem non debet; vel eo modo, quo non debet; vel illi, cui non debet.

Reſp. II. Superſtitio eſt duplex: alia cultus indebiti, ſive incongrui, quo verus Deus, ſed modo indebito colitur, tribuendo ei cultum falſum & pernicioſum vel ſuperfluum, qui nimium ſit contra vel præter Eccleſiæ conſuetudinem, ac præſcriptum. Alia eſt ratione rei cultæ, cùm ſcilicet cultus Deo debitus falſo Deo, vel creaturæ defertur. Et hæc ſubdividitur in idololatriam, divinationem, & vanam obſervantiam; ad quam Magia vel revocatur, vel potiùs quartam ſpeciem conſtituit. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 1. ex S. Th. 2. 2. *q.* 92. *ar.* 2. ex quibus *reſolves:*

I. Superſtitionem cultus falſi committit. 1. Qui Deo nunc offert cultum per cæremonias veteris legis: v. g. circumciſionem, immolationem agni, &c. quia ſignificant Chriſtum adhuc venturum, & nondum veniſſe. 2. Laicus, qui DEUM colit tanquam publicus Miniſter Eccleſiæ, v. g. ſacrificando, abſolvendo; quod ſemper eſſe mortale, docet Suar. *de Rel. l.* 2. *de ſuperſtit. c.* 2. 3. Is qui ſua authoritate proponit aliqua facienda, tanquam ordinata ab Eccleſia ad Dei cultum. 4. Qui falſas reliquias proponit, vel miraculum factum eſſe per aliquam imaginem, vel ſe habuiſſe has vel illas revelationes fingit, ſive ad faciendum lucrum ſive ad devotionem augendam. 5. Qui, ut populum moveat, fingit

„ git miraculum aliquod, vel hiſtoriam reperiri in Scriptura „ Sacra, &c. Et hæc ſuperſtitio, etſi ſit ex genere ſuo morta- „ lis, quia primæ Veritati injuriam irrogat, & religionem „ fundat in mendaciis, ſæpè tamen excuſatur ignorantia, vel „ ſimplicitate, Leſſ. *L.2.c.43.dub.1.*Sanch.2. *mor.c.37.* Nav. „ Man.*c.12.*Laym.*l.c.*Bonac.*Tom.2.d.3.q.5.p.1.*

„ II. Superſtitio cultus ſuperflui eſt v. g. 1. Cæremonia au- „ diendi Miſſam ante ortum Solis, cum certo numero, ſitu, „ ordine cereorum; vel Sacerdotis, qui dicatur Joannes, „ vel qui habet ſtaturam Chriſti, &c. quia hic cultus eſt ex ſe „ ipſo inanis, & ad ſpiritum excitandum inutilis. 2. Jejunare „ die Dominico, cùm non jejunas aliis diebus. 3. Item in Miſſa „ contra rubricam plures formare cruces, pluries dicere *Al-* „ *leluja*, dicere *Gloria* vel *Credo* contra Rubricas, aliaſve cæ- „ remonias demere vel addere (etſi fiant ex devotione; hæc „ enim corrigenda eſt) quia ſunt præter Eccleſiæ conſuetudi- „ nem. Hæc tamen & ſimilia, bona intentione facta, venialia „ tantùm ſunt ordinariè, ut docet Toll. Leſſ. *loc. cit.* Navar. & „ Laym. quia eſt materia levis, & actio ex ſe non mala; & „ multa excuſat ſimplicitas. Quòd ſi tamen ex ſe mala eſſet, „ ut ſi rem furtivam offeras, turpia verba in templo canas, „ ore vel organo notabiliter laſcivam vel ad impuritatem pro- „ vocantem vocem edas, eſt ſuperſtitio vere mortalis, ut „ Laym. *l.c. ex communi.*

DUBIUM II.

De Divinatione.

Quid, & quotuplex ſit divinatio.

„ RESP. I. Divinatio eſt, cùm quis opem dæmonis taci- „ tè vel expreſsè invocat, ut noſcat res contingentes, & „ liberè futuras, aliterve occultas, naturaliter incognoſci- „ biles. Quæ ſi ſint tales quæ ſolus Deus ſcire poteſt involvitur „ tacita idololatria, quòd dæmoni tribuatur cultus divinus: Si „ verò ſint tales, quas dæmon naturaliter ſcire poteſt (nam ex „ ſignis, aliiſque modis occultiſſima quæque cognoſcere po- „ teſt, etiam plurimas hominum cogitationes & res futuras, „ ut v. Delr. *l.4.cap.2.qu.2.*Sanch.2. *mor.c 38.*) Nihilominus „ illicita eſt: eò quòd commercium habeatur cum Dei jurato „ hoſte, quod importat quandam proditionem, & apoſta- „ ſiam à Deo: ac fortè etiam, ut vult Suar. contra Valent. „ ſuperſtitionem, V. Laym. *l.4.T.10.cap.3.*Bon. *T.2. d.3.qu.* „ *5.p.3.*S.Th.2.2.*qu.5.art.1.*

„ Reſp. II. Divinatio eſt duplex: una, in qua eſt invocatio „ vel pactum expreſſum cum dæmone, & generali nomine dici- „ tur *Necromantia*: cùm dæmon occulta docet per pythones, „ arreptitios, præſtigias, vel perſonas mortuorum vel vivorum „ apparentium, aliave ſigna in aere, aqua, igne, ſpeculis. „ Alia eſt, in qua tantùm eſt invocatio vel pactum tacitum, „ ſeu interpretativum; ut cùm ex lineamentis corporis, vo- „ cibus, garritu avium, & ſimilibus, quibus ſe dæmon im- „ miſcere ſolet, quæritur cognitio, ad quam ea ſunt impro- „ portionata. S. Thom. *q.95.* Cùm verò utriuſque ſpeciei va- „ riæ rurſus ſint ſpecies, eas hic omitto, eò quòd ſecundùm „ ſententiam communiorem in genere moris non differant, „ nec ſpecialem habeant malitiam, ideoque in Confeſſione „ non ſit opus explicare, an V. G. facta ſit divinatio ex ſpecu- „ lis, aere, mortuo, &c. Exprimendum tamen neceſſariò „ eſt, utrùm invocatio ſive pactio expreſſa, an tacita interve- „ nerit, quia ſive hæ moraliter inter ſe ſpecie, differant, ſive „ non, notabiliter tamen mutant judicium Confeſſarii. V. „ Laym. *l.c.*Sanch. *l.c.*Leſſ. *L.2.c.43. d.5.* Delrium *q.6. & ſeq.* „ Bon. *l.c.*

„ Reſp. III. Divinatio, quæ fit per pactum expreſſum, & qua „ dæmon expreſsè invocatur, excuſari non poteſt à mortali; „ eam verò, quæ fit per pactum tantùm implicitum, aliquan- „ do excuſari à mortali, quidam aſſerunt, videlicet tunc, „ cùm vel intercedit ſimplicitas & ignorantia non craſſa, nec „ affectata, vel fides certa non adhibetur; ſed tantùm timor „ quidam, aut ſuſpicio ſuſcipitur eventus futuri. Laym. *l.c.* „ Sanch. Leſſ. Suar. Cajet. Baldel. *Tom.2.l.4. d.3. num.22.* &c. „ eò quòd tunc ſuperſtitioſa verè non ſit, cùm intentio non ſit „ talis. V. Suar. Leſſ. Sanch. Laym. Cajet. Navar. Sayr. Valent. „ & Tannerum *d.5. de rel. qu.7.d.1.num.21. & Dub.2. num.23.*

„ *Ex dictis reſolvuntur ſequentes Caſus:*

„ I. Expreſsè cenſetur invocare, ſeu convenire, & pactum „ facere cum dæmone, qui vel verbis dæmonem invocat, vel „ ſaltem facto aliquid uſurpat, per quod ſcit aut putat dæmo- „ nem cooperari.

„ II. Is verò tacitè paciſcitur, qui vanis & naturaliter im- „ proportionatis utitur ad aliquid cognoſcendum vel efficien- „ dum. Neque requiritur, ut dæmon aliquando pactus ſit, „ ſe ad talis vani medii adhibitionem concurſurum, eò enim ipſo, quò quis vanitatibus iis utitur, dæmon ſe immiſcet, „ licèt præter intentionem utentis ſit eum invocare, ut docet „ Suar. Leſſ. & Sanch. *ll.cc.* „

III. Non excuſatur à peccato, qui utendo talibus rebus „ de quibus conſtat eſſe naturaliter improportionatas, prote- „ ſtatur ſe nullum cum dæmone commercium intendere, quia „ reipſa facit contra ſuam proteſtationem: Cùm enim nec „ DEUS, nec Angeli boni talibus ſe miſceant, dæmon im- „ plicitè iis invocatur, uti præter citatos docet Laym. & Bon. „ *ll. cc.* „

IV. Neque is excuſatur, qui talia media utilia credit pro- „ pter experientias, quia has dæmon procurat, ut homines „ paulatim illaqueet, & ad ſimilia uſurpanda inducat. Vid. „ Sanch.2. *mor.c.38.* „

V. Si quis ab aſtris, ſomniis, ſimilibuſve ita dependeat, „ ut omnes penè actiones ſuas & vitam juxta ea regulare ve- „ lit, eum mortaliter peccare docet Leſſ. Suar. Sanch. *l.c.* „

VI. Ex talium obſervatione ſemel atque iterùm aliquid „ omittere, ad quod alioqui ſub mortali non teneris, veniale „ tantùm eſſe cenſet *Cajet. & Armilla, V. Somnium.* Uti & „ ſubinde timere leviter, ne ita ſit, aut eveniat, quod porten- „ dunt, ut notat Suar. „

VII. Communiter, & ut plurimùm, in ſimilibus, in qui- „ bus tacitum tantùm eſt pactum, venialiter tantùm peccari, „ docent conſequenter Doctores ſuprà citati & mox citandi, „ quia communiter ferè aliquid iſtorum intervenit, quæ à „ mortali excuſare dicunt, ut v. g. quod Fides integra non „ adhibeatur, Sanch. *num.21.*Cajet. *in ſumma*, Armilla, &c. „ Rectè tamen notat *Delrio*, eſſe ſemper rem valde periculo- „ ſam, juxta illa ſuas actiones dirigere, etiam non credendo „ V. Sanch. *l.c.* „

VIII. Licita eſt 1. Phyſiognomia, quæ fit ex vultu, diſpo- „ ſitione & habitudine corporis & membrorum, 2. Chiroman- „ tia, ſi ex lineis & partibus manuum conſideret temperiem „ corporis, imò etiam animi propenſiones & affectus proba- „ biliter conjectet. 3. Item divinatio, quæ ex ſomniis conje- „ ctat hominis complexionem, & hinc affectiones animi diur- „ nas. 4. Item illa, qua ex avium, piſcium, aliorumve ani- „ malium voce, motu, aliiſve actionibus, naturales aliqui „ effectus prenuntiantur futuri ut plurimum, v. g. ſerenitas, „ pluvia, &c. 5. Aſtrologia naturalis, quæ effectus corpo- „ reos & naturales, ut ventos, eclypſin, fertilitatem, ſalu- „ britatem, morbos & ſimilia prædicit, quæ ad medicinam „ vel agriculturam conducunt: imò etiam, cùm ex puncto „ nativitatis ſive horoſcopo, probabiliter prædicit comple- „ xionem corporis & affectiones animi: Quia hæ divinationes „ omnes naturales ſunt, & mediis proportionatis utuntur. „ Leſſ. *d.7.* „

IX. Illicitæ verò ſunt omnes prædictæ divinationes, ſi ex „ iis aliquid noſci aut prænuntiari intendatur circa ea, ad quæ „ proportionata non ſunt; ut circa effectus contingentes & li- „ beros, aut quæ à Deo pendent, ut circa ſtatum animæ, do- „ na gratiæ, divitias, honores, fortunam, nuptias, ſtatum „ vitæ, & ſimilia, quorum electio voluntaria eſt, & à libera „ hominum voluntate pendet: itemque de rebus occultis, ut „ furto, theſauro abſcondito. V. Leſſ. *l.c.*Bon. *num.11.*Suar. „ Sanch. *l.c.* „

X. Peccat, qui Ægyptios de fortuna conſulunt, & qui- „ dem (ſi fiat cum firma fide vel ſcandalo, &c.) mortaliter; „ ſi verò cauſa curioſitatis vel riſus, ut fit communiter, ve- „ nialiter tantùm. Fill. *t.24.n.135.*Sanch. „

XI. Superſtitioſa eſt divinatio, quæ fit per ſortes divina- „ torias, ad futurum vel occultum aliquid cognoſcendum, „ quaſi ſortibus vis aliqua divina inſit: ut ſi quis v. g. ex taxil- „ lorum projectione & diſpoſitione divinet, quis ſit obtentu- „ rus victoriam, Beneficium, &c. Idem ferè eſt de ſortibus „ conſultoriis, quibus inquiritur, quid in hac vel illa re ſit „ agendum. Dixi: *fortè*: quia aliquando hæ licitæ ſunt, quan- „ do cauſæ neceſſitas & honeſtas exigit, aptiorque modus du- „ bium vincendi non apparet, dummodò fiant præmiſſa Ora- „ tione, cum debita reverentia; & indicium non expectetur, „ niſi à ſolo Deo, ut v. g. ſi quis hærens in bivio aliter quoad „ viam ſe determinare non poſſit: vel ſi divino inſtinctu aut „ juſſu fiat, ut 1. Reg. 10. in electione Saulis contigit. Fill. *n.* „ *106.*Sanch. Bon. *l.c.* „

XII. Sortes diviſoriæ ſine ſuperſtitione, & plerumque li- „ citè fieri poſſunt, ſive ad honeſtum ludum, ſive ad hæredi- „ tatis diviſionem, ſive ad litis compoſitionem, dummodò „ litigantes, qui æquale Jus habent, conſentiant, quia nihil „ aliud continent quàm contractum inter eos, qui ad aliquam „ rem jus habent, ut illius ſit, cui ſors obtigerit. Sic etiam ſi „ plures mortem ſint meriti, nec expediat omnes puniri, ſor- „ te definiri poteſt, quis ex iis ſit occidendus. Dixi: *plerum-* „ *que*: tum quia in electionibus eccleſiaſticis ſunt illicita, ut „ Laym. *L.4.t.10. cap.3. num.8.* & Bon. Tum quia officia ſæ- „

» cularia, non ſorte, ſed ſecundùm perſonarum aptitudinem
» ſunt dividenda, etſi inter plures æquè aptos & dignos ſorte
» agi poſſit. V. Leſſ. *l.c.*
» XIII. Poteſt excuſari à ſuperſtitione, qui modo illicito
» futura ſe velle divinare oſtendit joci cauſa; Ratio: quia non
» eſt actus ſuperſtitioſus, nec affectatio cognitionis Dei pro-
» priè, ſed tantùm vanitas aliqua. Suar. Sanch. Regin. *l.* 17.
» *num.* 170.

ADDENDA.

9 Q*Væſt.* 2. *Quænam hic præterea cenſeri debeant licita vel illicita?* R. Conſtabit ex ſeqq. §. 1. Non eſt peccatum, ſaltem mortale per Aſtrologiam velle cognoſcere aliquod contingens liberum, judicando illam cognitionem eſſe incertam & tantùm conjecturalem. Ita Cajet. Tol. Val. Delr. Caſtrop. Tamb. *hic l.* 2. *cap.* 6. §. 1. *num.* 14. contra Sanch. & alios. *Ratio* eſt, quia reverà aſtra inclinant. *Nec refert*, quod Sixtus V. videatur hoc prohibuiſſe: *Nam Suar.* aliique cum Sporer *T.* 2. *c.* 9. *num.* 16. dicunt eam prohibitionem reſtringi ad ſolum forum externum, ob præſumptionem divinationis internæ: aut ſaltem dici poteſt, quòd prohibeat ea, quæ alioquin jure naturæ ſunt illicita, quale quid non eſt conjecturalis ejuſmodi prædictio, quæ in natura ſufficiens habet fundamentum, ob dictam inclinationem, quam aſtra afferunt. Quod ſi ad conjecturam ex aſtris etiam accederet ratio ex temperamento perſonæ, aut ex conſuetudine vivendi, aut alia ſimili circumſtantia, non eſſet divinatio etiam probabiliter talia prædicere, unde & ſe regulans ſecundùm talem prædictionem, dummodò non haberet certam credulitatem, excuſaretur ſaltem à mortali, uti cum Tamb. cenſet Arcud *hic* §. 2. *n.* 4.

10 §. 2. Credere ſomniis, non eſt mortale, quando quis non omnino credit rem in ſomnio oſtenſam eſſe veram ſeu futuram, ſed tantùm propter tale ſomnium aliquid de ſe non malum operatur, ut evitet malum, quod ſomnium minatur; tunc enim quamvis ſit aliqua levitas vel ſimplicitas aut nimia timiditas, tamen non apparet gravis malitia, quia non tam credit illud eſſe à Deo, aut ideò eſſe verum, quàm poſſe aliunde eſſe verum, ita Suar. *de Relig. T.* 1. *T.* 3. *L.* 2. *c.* 13. *n.* 25. Ex quo infert Tamb. *num.* 22. hominem in ſomno ſæpius admonitum, ut certo loco terram effoderet, ſicque reperiret ollam auro plenam, non peccaſſe graviter, quamvis deceptus ſit & invenerit ollam plenam nigris carbonibus. Similiter Leander & Tamb. apud Gob. *in Exp. T.* 11. *n.* 913. negant te peccare mortaliter, ſi pauculas actiones modereris ſecundùm prædictionem Aſtrologi, v. g. ſi navem non conſcendas eo die, quo prædixit te ſubmergendum.

11 §. 3. Si quis mediis vanis utatur joci cauſa, aut experiatur, quid caſu accidat, aut quid tale ſignum deſignet, credens totum eſſe futile & inane, Val. Suar. Sanch. Bonac. Delr. Gob. *num.* 937. & alii putant non eſſe niſi veniale ob imperfectionem actus, quia non videtur planè conſentire in divinationem: ſed Caſtrop. *T.* 17. *d.* 1. *p.* 3. *num.* 6. meritò dicit rarò excuſari poſſe à mortali, quia quando ex mediis talibus, quæ ſcis eſſe improportionata, tentas videre, quid accidat, tentas experiri, an dæmon de facto ſe illi immiſceat: ergo tentas cum dæmone ſocietatem habere, quod videtur ſemper eſſe mortale, licèt ex joco fiat, ſecundùm illud 1. ad Corinth. c. 10. *v.* 20. *Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum.* Idem tenet Leſſ. *in Auct. v. Magia c.* 3 quia hoc eſt advocare dæmonem ſub conditione, dicendo æquivalenter, Si pactus es te ad futurum ponenti tale ſignum, adſis, ut ſciam, an pactus ſis. *Vide dicenda num.* 35.

12 §. 4. Graviter peccat, qui coquit partem aliquam animalis veneficio interfecti, v. g. cor vel ungulam equi, ut ſic cognoſcat veneficum. *Ratio* eſt, quia utitur pacto cum dæmone, qui promiſit ſe poſito tali ſigno nociturum venefico, vel ſe proditurum illum, ita Leſſ. *c.* 2. Gob *n.* 942.

13 §. 5. Non peccat graviter, qui cum altero pactum init, ut præmoriens appareat ſuperſtiti, Deo id permittente, moniturus alterum de rebus ad ſalutem ſpectantibus, in hoc enim nihil intendit cognoſcere ope dæmonis: poterit tamen adeſſe veniale peccatum ob curioſitatem vel periculum deceptionis; ita cum aliis Caſtrop. *n.* 8.

14 ## DUBIUM III.

Quid, & quotuplex ſit idololatria.

» RESP. I. Ea eſt, quando tribuitur honor creaturæ ſicut
» Deo. D. Th. 2. 2. *qu.* 94. *art.* 1. Id verò fit, ut docet
» Leſſ. *l.* 2. *c.* 43. *d.* 2. non tantùm ſacrificio, ſed etiam quovis
» ſigno honoris, quo quis creaturæ tanquam Deo ſe ſubmit-
» tere intendit, v. g. genuflexione, ſuffitu, detectione capitis
» ad ſtatuam Jovis.
» RESP. II. Idololatria eſt duplex: alia materialis, ſive ſimulata, ut cùm quis ſine interno affectu, ex metu mortis, cultum idolo exhibet. Alia formalis, ac propria; eaque perfecta, ut cum quis adorat idolum quod ex infidelitate putat eſſe Deum; vel imperfecta; cùm quis vel ex odio Dei, vel ex affectu aliquid à dæmone aliave creatura obtinendi, ipſi quaſi Deo cultum defert. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 2. ex S. Aug. & ex S. Th. *Unde reſolves,*

I. Idololatria aliquando conjungitur cum infidelitate vel hæreſi, cùm ſcilicet creatura adorata in intellectu habetur pro Deo, aliquando non.

II. Idololatria; etiam materialis & ficta, eſt grave & mortale peccatum, quia eſt ſaltem mendacium pernicioſum & contra Religionem: ſæpè etiam contra confeſſionem fidei externam. Sanch. *L.* 2. *mor. c.* 37. *n.* 21. Azor. 1. *p. lib.* 9. *c.* 11.

III. Idololatria imperfecta, ob malitiam voluntatis, eſt peccatum gravius, quàm perfecta. V. Laym. & Sanch. *ll.cc.*

ADDENDA.

15 Q*Væſt.* 3. *Quid notandum ſit circa imagines & circa cultus varios hominum vel rerum ſacrarum?* R.

§. 1. Inter Prop. ab Alex. VIII. damnatas eſt hæc 25. *Dei Patris ſimulacrum neſas eſt Chriſtiano in templo collocare.* Hanc Prop. docuit *Calvinus*; item *Joannes Heſſelius* Doctor Lovanienſis, citans pro ſe S. Aug. *L. de Fide & Symb.* ſed perperàm nam S. Doctor tantùm agit contra illos, qui putabant perfectam Dei ſimilitudinem & formam poſſe figura & coloribus exprimi: nos autem dicimus eſſe tantùm metaphoricam: nunc ex damnatione propoſitionis allatæ certum eſt licere tales imagines ponere in templis, & ratio eſt, quia per hoc non ſignificamus Deum eſſe corporeum ſed exprimimus illum more humano, ut ipſe apparuit aut ſeipſum expreſſit in Scriptura, in qua dicitur ſtare, ſedere, ambulare, habere caput, manus, pedes, &c. Ergo nec illicitum erit in pictura talem exhibere, qualis in Scriptura depingitur. Sic in Symbolo de Chriſto dicitur: *Sedet ad dexteram Patris.* Ergo ſicuti ibi exprimitur verbis; ita licitum erit exprimere coloribus, præſertim cùm nunc non ſit periculum erroris in Fide, quia hac de re ſufficienter inſtruuntur imperiti ſecundùm expreſſum decretum *Trident. Seſſ.* 25.

16 §. 2. Inter Propoſitiones ab eodem Alex. VIII. damnatas hæc eſt 26. *Laus, quæ defertur MARIÆ ut MARIÆ, vana eſt.* Huic propoſitioni videtur occaſionem dediſſe libellus inſcriptus: *Monita ſalutaria B. Mariæ Virginis ad cultores ſuos indiſcretos.* Ubi monito 6. ſic inducitur loquens B. Virgo: *Laus, quæ mihi defertur ut mihi vana eſt*: Quod verò attinet ad ſenſum propoſitionis damnatæ, hic valde obſcurus eſt: Si ſenſus eſſet, quòd ſpecialis laus non debeatur Mariæ, præcisè ut perſona humana eſt, ibi ſiſtendo, hoc non foret falſum, cùm enim etiam improbiſſimi homines ſint perſonæ humanæ, ſi hæc præcisè ratio poſtularet ſibi laudem, etiam hi, prout ſunt perſona humana, eſſent laude ſpeciali digni. Si autem ſenſus ſit, quòd non debeatur ei laus, in quantum eſt affecta ſpecialibus prærogativis à Deo, patet falſitas, quam etiam agnovit author libelli; ſubdit enim: *Quæ verò mihi defertur ut matri & ancillæ Domini, ſancta eſt.* Si autem ſenſus ſit, quod non debeatur illi laus, niſi in quantùm eſt Dei Mater, etiam patet falſitas, alioquin nullus alius Sanctus eſſet laudandus. Denique ſi ſenſus ſit, quòd omnis laus illius ſit vana, niſi illi formaliter deferatur propter Deum, uti imaginibus non debetur ullus honor, niſi præcisè propter Sanctos, quos repræſentant, etiam hic ſenſus eſt falſus, & damnari potuit, quia perſona B. Virginis, in quantùm eſt benè agens, habet excellentiam præ aliis creaturis, eſtque hoc ipſo per ſe digna laude, uti docet S. Thom. *in* 3. *diſt.* 9. *q.* 1. his verbis; *Quod B. Virgo ſit perſona quædam per ſe agens, ei debetur honor per ſe.* In quocumque autem ſenſu intelligatur propoſitio, eſt ad minimum ſcandaloſa quia ſic crudè prolata eſt apta offendere pias aures populi & imminuere cultum Hyperduliæ B. Virgini debitum. *Nec obſtat*, quod 1. ad Timoth. 1. dicatur: *Soli Deo honor & gloria. Nam* vel dicendum eſt cum S. Auguſt. *L.* 2. *de Trin. c.* 8. *&* 17. quòd Tò *ſoli* non cadat ſuper Tò *debetur*, ſed ſuper Tò *Deo*, ita ut ſenſus ſit: illi, qui ſolus eſt Deus, honor & gloria: vel intelligi ſic debet, quòd ſoli Deo principaliter debeatur omnis honor & ſuprema gloria.

17 §. 3. Circa imagines notandum, quod Tom. 4. Bullarii apud Cherubinum p. 54. in Decreto, quod à S. Congreg. 13. Martii 1625. approbante *Urb. VIII.* inter ejus Bullas num. 37. emanavit, ſic ſtatuatur: Sanctiſſimus re etiam cum Cardinalibus Inquiſitoribus communicata & maturè conſiderata declaravit, ſtatuit & decrevit; ne quorumvis hominum cum ſanctitatis ſeu Martyrii fama (quantacumque illa ſit) defunctorum imagines & quodcumque aliud venerationem & cultum præferens & indicans, in Oratoriis aut locis publicis ſeu privatis vel Eccleſiis tam ſæcularibus, quàm Regularibus appo-

apponantur, antequam ab Apoſtolica Sede canonizentur, aut Beati declarentur; & ſi quæ appoſitæ ſunt, amoveantur, prout eas ſtatim amoveri mandavit: ac pariter imprimi de cætero inhibuit libros eorundem hominum geſta, miracula vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes ſine approbatione Ordinarii, qui in eis recognoſcendis Theologos alioſque pios ac doctos viros in conſilium adhibeat, & ne deinceps aliquid novum ac inordinatum committatur, negotium inſtructum ad Sedem Apoſtolicam tranſmittat, ejuſque Reſponſum expectet. Ad horum hominum ſepulchra vetuit tabellas atque imagines ex quacumque materia pictas, fictas vel exculptas appendi, & lampades ſive alia quæcumque lumina accendi ſine recognitione ab Ordinario, omnino ut ſupra facienda, Sedique Apoſtolicæ referenda ac probanda: declarans, quòd per ſupradicta præjudicare in aliquo non velit iis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorialem temporis curſum, aut per Patrum virorumque SS. Scripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ vel Ordinarii coluntur. Denique pœnas injungit tranſgreſſoribus hujus Decreti. Sed advertendum eſt, quòd ibidem pag. 55. habeatur declaratio ejuſdem Urb. VIII. data 4. April. 1625. quæ fuſiùs repetitur in Append. Tom. 4. pag. 38. in Conſtitution. 22. aliàs 132. data 5. Jul. 1634. in qua permittit ejuſmodi imagines ſeparato ab Eccleſia loco cuſtodiri, ſi approbantibus Ordinariis facere poſſint ad qualemcumque ſuo tempore probationem ſanctitatis.

18 §. 4. Quod attinet ad cultum Beatorum necdum canonizatorum, S. Congregatio 27. Sept. 1659. præſente & approbante Alexandro VII. edidit, & 3. Febr. 1660. publicavit Decretum, in quo hæc ſtatuuntur. 1. Quòd eorundem Beatorum imagines, etiam non principaliter, & uti ſupplices appoſitæ, ſimulacra, picturæ, tabellæ aut ſcripturæ eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes, in Eccleſiis, Sacrariis & Oratoriis quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ Sacrificium vel alia Divina Officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica nullo pacto exponantur. 2. Quod ubi indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam imagines, ſimulacra pictaſque tabellas in Eccleſiis poni & coli poſſe, in pariete tantùm, non autem ſuper altari collocandi facultas tributa cenſeatur. 3. Quòd ſi conceſſa fuerit per eandem Sedem Apoſtolicam altarium erectio, non tamen ob id Miſſam & Officium de prædictis Beatis celebrandi vel recitandi facultas tradita præſumatur, etenim ſpecifica & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet. 4. Ubi in loco cultus fuerit conceſſus, non extendatur inconſulto Pontifice ad alium locum quavis alia concurrente authoritate. 5. In locis, ubi Beatos prædictos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſeatur, ſed tantummodò privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit. 6. Miſſæ pariter, quæ fuerint indultæ certis perſonis alicujus loci vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ, à confluentibus Sacerdotibus quavis dignitate etiam Cardinalatus inſignitis minimè celebrentur. 7. Dies feſti in Beatorum eorundem memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali indulto Apoſtolico proviſum fuerit. 8. Eorundem nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantùm loci earumque perſonarum, in quo & à quibus cultus cum Officio & Miſſa celebratur. 9. In quibuſvis Eccleſiaſticis precibus, etiam in Oratoriis privatis, recitandis particularia eorundem ſuffragia non apponantur vel recitentur. 10. Publicis in precibus præter indultas & à Sede Apoſtolica approbatas iidem Beati non invocentur. 11. Eorundem Reliquiæ in proceſſionibus minimè circumferantur. S. tamen Congregatio removere non intendit cultum Beatis per communem Eccleſiæ conſenſum, vel per immemorialem temporis curſum, aut per Patrum virorumque ſanctorum Scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis ſcientiam ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ ac Ordinariorum hactenus præſtitum, ac certo modo & forma ab eo tempore eis exhibitum: verùm ſi à centum annis citrà, cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtiterit auctus & extenſus, eo caſu Congregatio eundem in priſtinum reduci jubet, prout quemvis cultum extra caſus prædictos ad expreſſa tantùm verbaliter in Apoſtolicis Indultis omnino revocari mandat, ſub pœnis, &c. Firmis quoque remanentibus Decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur, ne eorum Natalitia cum Octavis celebrentur, & aliis quibuſcumque à Sacra Congregatione hactenus emanatis, quæ præſenti Decreto renovantur.

19 Poſtmodum allatis ad S. Congregationem dubiis circa obſervationem & intelligentiam illius Decreti, 1. An ubi indultum fuerit, ut Miſſa de aliquo Beato celebretur, liceat ejus imaginem & ſimulacrum ſuper altari exponere, nec non votivas tabellas ibidem appendere? An ſi dies feſti in Beatorum honorem non celebrentur, extendatur ad Feſta devotionis? 3. An indulta recitandi Officium cum Octava vel ſine Octava, & celebrandi Miſſam de Beatis, fuerint revocata per dictum Decretum? 4. An in Eccleſiis, in quibus Officium & Miſſa de Beatis recitari ac reſpective celebrari poſſunt, liceat eorum reliquias exponere? 5. An Epiſcopi Regulares, qui ex indulto Sedi Apoſtolicæ gaudent privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, poſſint de Beatis ſuæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere? Sacra Congregatio 17. Aprilis 1660. reſpondit, ad 1. affirmativè. Ad 2. negativè. Ad 3. Negativè. Ad 4. affirmativè. Ad 5. negativè.

§. 5. Suppoſitis illis proponebatur nuper hic caſus: Titius, 20 quia obtinuit à Deo gratiam per preces *Thomæ Mori* in neceſſitate invocati, quem omnino putat Martyrem eſſe, vovet ejus picturam, attamen ſine radiis, appenſurum in Eccleſia, *Quæritur*, an id poſſit, ideoque teneatur hoc voto? *Ratio* pro parte affirmativa eſt, quia non vult picturam illam exponere ad publicum cultum, ſed ad ornatum templi, & quidem extra altare ad parietem, ergo ſicuti licitum eſt ibi appendere picturam quamcumque aliàs honeſtam; v. g. ejus, qui templum ædificavit vel altare fundavit, ita & *Thomæ Mori*. Nihilominus ex judicio virorum doctorum, quos conſului, reſpondi non poſſe, ob illa Decreta n. 17. & 18. relata, nam non licet exponere imaginem non beatificati, imò nequidem beatificati in Eccleſia, in qua non eſt licitum de eo celebrare Miſſam, ergo multo minùs *Thomæ Mori*, qui non eſt beatificatus. Ad rationem oppoſitam, diſparitas eſt, quia ſcitur, quòd pictura Fundatoris non exponatur propter venerationem & cultum ratione ſanctitatis vel martyrii: hinc non comprehenditur prohibitione Pontificum, è contra cùm populo alia non poſſit occurrere cauſa, cur exponatur pictura *Thomæ Mori* in Eccleſia, niſi ad aliquam conteſtationem ſanctitatis vel martyrii, reipſa prout expoſita in iſtis circumſtantiis præſefert venerationem & cultum, ergo comprehenditur prohibitione Pontificum.

§. 6. S. Congregatio 26. Junii 1642. approbante Urb. VIII. 21 inhibuit, ne imagines Chriſti, Deiparæ, Angelorum, Sanctorumque aliorum pingantur vel exponantur cum habitu certorum Ordinum, aut aliter, quàm in Eccleſia hactenus fuit uſus: ibidem prohibet, ne in Eccleſiis vel earum frontiſpiciis aut atriis exponantur imagines profanæ vel aliàs indecentiam, & honeſtatem præſeferentes, uti refert Manigart *in Praxi Paſtor. p. 3. c. 8.*

§. 7. Reliquiæ Sanctorum honorari poſſunt eodem cultu, 22 quo perſona, cujus ſunt reliquiæ; & quamvis per ſe coli nequeant: cùm ſint irrationales, poſſunt tamen coli reſpectivè propter excellentiam & ſanctitatem perſonæ, cujus ſunt: ad honorandas autem privatim tantùm reliquias ſufficit privatum teſtimonium ſanctitatis ab una perſona fide digna aut ex alia probabili ratione, uti rectè *Manig.* ſuprà: notat autem Loth. *in Reſol. Theol. t. 24. art. 3.* ex Gavanto, S. Congregationem Epiſcoporum & Regularium declaraſſe, Reliquias Sanctorum non poſſe radi, ut raſuræ dentur infirmis in potum. De cultu aliarum rerum benedictarum vel conſecratarum dicetur *Lib. 6. p. 1. an. 222.*

§. 8. Probat Manig. *pag.* 904. ex Decretis Pontificum, Cæſa- 23 rum, Sanctorumque virorum, illicitum eſſe imaginem crucis in pavimento vel lapide humi pingere vel effingere, crux enim coli debet cultu latriæ, ergo irreligioſum eſt calcare pedibus: rectè tamen addit illam ſolam calcationem Crucis eſſe peccatum, quæ fit animo injuriandi aut irreverenter tractandi, de cætero paſſim videantur cruces ſculptæ in ære vel lapide, quas ſine ſcrupulo omnes prudentes calcant.

Q. 4. *An ſit idololatria credere dæmoni, aut eum inter-* 24 *rogare, ſi loquatur in obſeſſo?* R. §. 1. Propriè non eſt idololatria, ad eam tamen reducitur, ſi credatur dæmoni ſua ſponte aliquid dicenti, quia ſic mendaciorum pater plus honoratur, quàm mereatur, ob revelationem rei naturaliter incognitæ, quæ revelatio à ſolo Deo petenda eſſet. Dixi, *ſua ſponte dicenti*, quia ſi dicat aliquid coactus vi exorciſmi, credi poteſt, quia Deus non poteſt cogere ad mendacium: attamen non facilè ei fides indubitata eſt adhibenda, quia incertum eſt, an fiat vi exorciſmi, ita Leſſ. *in Auct. v. Magia cap. 6.*

§. 2. Haberi poteſt ratio aliqua eorum, quæ dæmon ex ob- 25 ſeſſo dicit, non ut ideo credatur vel feratur ſententia, ſed ut inquiratur vel caveatur; & ſic poteſt quis fodere, ſi dicat alicubi eſſe theſaurum, ita *Leſſ.* ſuprà. Quod ſi dicat aliquem eſſe maleficum, rectè docet Gob. *t. 11. n. 794.* ſi deſint alia indicia, non ideo licere apprehendere accuſatum; multò minùs ei credendum erit, ſi dicat ſe à Deo miſſum ad populi inſtructionem, ut qui non credunt Concionatoribus & Parochis, ſaltem credant diabolo, idque eſſe extremum remedium, quo Deus utitur ad converſionem hominum, *nam* hoc prorſus vanum eſt, & fraus dæmonis volentis errores cum vera doctrina inſinuare, uti probat ibidem *Leſſius*.

26 §.3. Veniale tantùm eſt, ſi quis ex levitate vel curioſitate dæmonem in obſeſſo loquentem uno aut altero verbo imperativè interroget rem vanam & inutilem, dummodò non fiat animo diſcendi aliquid ab ipſo, nam hoc eſſet expectare beneficium, & communicare cum illo: nec firma fides adhibenda eſt, nam ſic valde honoraretur dæmon, ita cum multis, quos refert, Sanch. *hic L.2.c.42.* ubi latè tradit, quid liceat interrogare vel facere illi, qui exorcizat dæmonem in obſeſſo; de quo etiam videri poteſt Tamb. *L.3.c.8.§.2.* & præcipuè *Leſſ.* ſuprà *caſ.4.5.6.* ubi dicit licitum eſſe perſonam aliundè accuſatam vel infamatam ſiſtere coram dæmone in obſeſſo, ut ſi velit, eam confrontet ac convincat de crimine: vide tamen dicenda infrà n. 41. *nam* in hoc videtur eſſe aliqua communicatio cum dæmone.

27 DUBIUM IV.

Quid, & quotuplex ſit vana obſervantia, & unde colligatur?

„ RESP.I. Ea eſt ſuperſtitio, qua medio aliquo improportionato & à Deo non inſtituto, procuratur aliquis effectus, v.g.ſanitas, ſcientia, &c.S.Th.2.2.*qu.96.art.* „ 1. Bonac.& alii. Differt autem à divinatione, quòd hæc tantùm ordinetur ad occultorum cognitionem: illa verò ad effectum externum. Convenit cum eadem, quòd utraque nitatur pacto dæmonis, eique tribuat perfectionem propriam Dei. Unde quæ de divinatione dicta ſunt, proportionabiliter huic accommodari debent.

„ Reſp.II. Dividitur 1. ſicut divinatio, in eam, quæ ex „ pacto expreſſo cum dæmone, & in eam quæ ex implicito „ pacto procedit. 2.Dividitur communiter in quatuor ſpecies. „ *Prima* dicitur Ars notoria, quæ inſpectione certarum figurarum, vel certo aliquo jejunio, oratione, &c.utitur ad „ ſcientiam, repentè ac ſine labore acquirendam, ut faciunt „ Anabaptiſtæ. *Secunda* dicitur magia (quod nomen alioqui „ generale eſt) quæ verſatur circa corpora variè immutanda, „ alioſque effectus miros. *Tertia* eſt obſervatio eventuum, „ qua ex conſideratione alicujus eventus conjicitur, quid ſit „ futurum: v.g.ſi ex eo, quod caſu occurrat vulpes, canis, „ aut cadaver, certa imminere credat, & inde actiones ſuas „ moderetur. *Quarta* dicitur Obſervatio ſanitatum, cùm adhibentur quædam ſigna, orationes, certus numerus crucium, ſacra verba, &c. velut neceſſaria & efficacia ad pellendos morbos. Idem eſt de geſtatione reliquiarum cum vana circumſtantia, v.g.in tali capſa, tot diebus, cum tali „ herba, &c.Sanch. *L.2.mor.c.40.n.11.* Fill. *T.24.n.157.*

„ Reſp.III. Vana obſervantia, ſicut divinatio, eſt peccatum mortale ex genere ſuo. Ratio, tum quia tribuit honorem divinum creaturæ, expectando ab ea, quod à ſolo Deo „ expectari debet: tum quia nititur pacto cum dæmone, Leſſ. „ Bon. *T.2. d.3. q.5. p.4. & alii.* Nec poteſt excuſari à mortali ex parvitate materiæ, quia ſimpliciter & in omni materia „ uſurpatur cognitio aut virtus Dei propria. Aliunde tamen „ fieri poſſe, ut non ſit mortale, docent *Auth. ſuprà citati Dub.2. Reſp.3.* 1. Ratione ignorantiæ, ſi pactum ſit implicitum tantùm. 2.Si non adhibeatur fides, licèt timeatur ita „ eſſe, vel futurum. *V.dicta de divinatione dub.2.reſp.3. caſu 7.* & Leſſ. *l.2.c.43.dub.8.n.53. & dub.10.n.66.*

„ Reſp.IV. Vana obſervantia cognoſci poteſt, 1.Ex inſufficientia cauſæ adhibitæ ad effectum, ſi nimirum nec habeat naturalem virtutem, nec de ſupernaturali legitimè conſtet. 2.Ex adjunctione falſæ vel vanæ circumſtantiæ, ut v. g.ſi flagellatio fieri debeat certa hora, numero, manu, flagro ſerico, nomina adhibeantur ignota vel characteres peregrini, verba falſa vel apocrypha, v.g.Chriſtum habuiſſe „ febres vel ſpaſmum, &c.Item ſi ponatur vis in modo ſcribendi, v.g.Evangelium S.Joannis à virgine, oriente Sole, &c.3.Si effectus ſtatim evaneſcat, &c.Delrio *l.2. q.5.* Sanch. *n.43. Ex dictis reſolves,*

„ I. Superſtitioſum eſt, 1. Sumere aliquam potionem vel „ bolum, vel quidvis aliud uſurpare, ad ſcientiam aliquam „ ſubitò acquirendam. 2.Geſtare amuleta, ligaturas, & involucra falſis characteribus conſignata, contra vulnera vel „ ſubitam mortem, ne poſſint lædi, vel ne ſanguis effluat, vel „ ad conciliandam inviſibilitatem, impenetrabilitatem, amorem, fortunam, nocumenta & maleficia. 3. Ex caſu fortuito conjicere de eventu, v.g. ſibi aliquid boni vel mali eventurum: ut ſi manè egrediens pedem offendat, ideoque domum regrediatur, timens aliquid infauſti. 4. Dies aliquos „ habere tanquam fauſtos, alios verò infauſtos, ideòque negotium omittere, v.g.die Veneris nolle unguens præſcindere „ 5. Fœminarum carminatricum benedictiones, & preces ad „ morbum depellendum adhibere. 6. Projicere ſtatuam alicujus Sancti in flumen, ut pluat. 7. Si putentur Miſſæ non prodeſſe Defunctis, niſi legantur ſeptem, cum ſeptem certi „ coloris candelis, & ſeptem eleemoſynis. 8. Si unguento ar- „ mario, quo gladius inungitur, abſens curetur. 9. Si certo „ Feſto v. g. S.Joannis, certa orentur, vel feſto S. Mathiæ „ hederæ folia aquis imponantur, ut cognoſcatur, cui debeant nubere. 10. Si quibuſdam precibus, imaginibus, aut „ characteribus, aut crucibus tribuatur vis certa & infallibilis, „ v.g.evadendi ab hoſte, expellendi morbos, non moriendi „ ſine prævia Confeſſione, non incidendi in infortunium, „ &c.Aliud tamen eſt, ea per orationes petere ac ſperare. Delr. „ *l.3.p.2.q.4.ſect.7.* Suar. *c.15.* Leſs. *d.10. num.63.* Sanch. *n.34.* „ *& 37.* Fill. *n.150.* „

II. Superſtitioſum non eſt, 1. Obſervare Lunam aut tempora aptiora colligendis herbis, (v.g. die S.Joannis Baptiſtæ) purgandis corporibus, cædendis arboribus, &c.2. Verba Sacræ Scripturæ, vel reliquias geſtare ad Dei tantùm honorem & ſine dictis vanitatibus. 3. Circa templum alicujus certi Sancti ter jumentum circumducere, die alicujus certi Sancti equis venam ſecare &c.Si ſcilicet hæc fiant, ut major devotio excitetur, & effectus Sanctorum meritis adſcribatur. Aliud tamen eſſet, ſi putarentur tales circumſtantiæ infallibiles, aut planè neceſſariæ, aut per ſe efficaces. V.Navar. *in Man. cap.11.* Addit Laym.ex Cajet.ſi homines rudes bona fide & ex devotione aliquem ritum ab Eccleſia non receptum obſervent, aliquando in ſua ſimplicitate relinquendos, cùm difficulter abducantur ab eo, quod bona fide à ſuis Majoribus acceperunt. 4. Nec damnandæ quædam devotiones, quas vocant Novendiales, (v.g.novem, vel ad exemplum S.Gregorii triginta, vel alium certum numerum Sacrorum celebrare cum certo numero, & magnitudine candelarum, & ſimilia) ſi fiant in memoriam alicujus myſterii, v.g.novem menſium, quibus Chriſtus fuit in utero, vel quinque vulnerum &c.Eſſet tamen ſuperſtitioſum, credere, eas preces non prodeſſe in majore vel minore numero. 5. Multi excuſant etiam eos, qui ſanant morſus à rabido cane, quòd putent illos ad hoc habere gratiam gratis datam, & ſic tenet Nav. *l.c.* V.Sanch. Laym. Bon. *ll.cc.*

III. Non eſt illicitum uti virtute rei naturalis, quæ per ſuperſtitionem cognita eſt, modò ejus obſervatio aut operatio non pendeat ob ope dæmonis. Ratio eſt, quia licèt illa cognitio malè parta ſit, peccatum tamen tranſiit, neque virtus naturalis ex eo quidquam mali contraxit, V.Sanch. *lib. 2.Moral.cap.38.* Bonac. *q.5.p.4.* Laym. *lib.4.t.10.cap.4.*

ADDENDA.

28 QUÆST.5. *Quas præterea regulas tradant Authores pro dignoſcenda vana obſervantia?* R.§.1.Sanch.Caſtrop. Tamb.Gob. & alii tradunt ſequentes. 1. Quando rei vis tribuitur ad effectum, quam vim nec à natura ſua, nec à Dei vel Eccleſiæ inſtitutione habet, ſemper eſt ſuperſtitio, quia effectum expectas, non à natura, nec à Deo, ergo à dæmone, cùm ſperari non poſſit, quod caſu ſit eventurus. 2.Si res ſacræ adhibeantur ad effectus vanos & inutiles, aut ſi ſigna, aut res vanæ adhibeantur ad effectum qualemcumque obtinendum, eſt ſuperſtitio, quia Deus non immiſcet ſe rebus vanis, ergo effectus non poteſt expectari niſi à dæmone. 3. Præſumitur dæmonis invocatio ſaltem tacita, quando adſunt, vel verba non ſignificativa, vel figuræ inutiles, vel falſitas, v.g. in conditione aliqua, vel promiſſio effectus infallibilis, quia nec DEUS ſe immiſcet vanis, nec infallibiliter appromiſit tales effectus, ergo cùm à natura non ſint, ſi tunc expectentur, à dæmone expectantur. 4.Quando dubitatur: an effectus ſit à vi occulta naturali, an à dæmone, potius judicandum eſt eſſe à natura, adeoque non eſſe ſuperſtitioſum, quia plurimæ ſunt virtutes in rebus naturalibus nobis incognitæ: itaque in dubio dicendum eſt id potiùs eſſe à natura, cùm miros à natura effectus fieri videamus, quorum rationem reddere non poſſumus, ergo etiam in tali dubio ſumus in poſſeſſione Juris ad utendum ejuſmodi rebus, donec reſciatur non eſſe à virtute naturali occulta. 5.Si dubitetur, an effectus ſit à Deo, an à dæmone, præſumendum eſt eſſe à dæmone, quia cùm res, quæ adhibetur, non ſit naturalis cauſa illius, erit tantùm ſignum, ad cujus poſitionem vel Deus vel dæmon effectum ponet: de Deo autem talia operante neſcimus, niſi in Sacramentis & Sacramentalibus, eſtque temerarium dicere tum ſemper fieri miracula, ergo mortaliter certò præſumitur eſſe à dæmone. 6. Quando ab aliquo homine aliquid mirum efficitur, potius credi debet fieri naturaliter, quàm magicè, quia nemo præſumitur malus, niſi probetur; quandoque etiam, maximè ſanctitas operantis vel alia urgentiſſima indicia ſuadent aliquid fieri ſupernaturaliter & per miraculum, Deo per ſanctos ſuos operante. 7.Si aliqua videantur bona, aliqua autem admiſceantur redolentia ſuperſtitionem, poteris uſurpare cum ſpe eventus, ſi removeas ſuperſtitio-

ſtitioſa, v. g. ſanitas ſpondetur puero, ſi B. Virgini offeratur candela præcisè æquè ponderoſa, quàm eſt puer, ſi tu offeras magis aut minus ponderoſam, & ſperes ſanitatem, rectè agis.
29 §. 2. Ex datis regulis colligitur, ſequentia eſſe ſuperſtitioſa. 1. Facere ligaturam rei alicujus, ne vaccis lac effluat. 2. Certò credere ſe non moriturum ex vulnere, ſi Feſto S. Stephani in pane & aqua jejunet, ritèque confeſſus communicet. 3. Feſto Paſchatis vel alio ſolemni die abſtinere à carnibus, credendo ſe per hoc infallibiliter liberandum à febri aut alio malo. 4. Nolle adire convivium, in quo ſunt tredecim, eò quòd unus certò credatur brevi moriturus, uti è convivis tredecim in ultima Cœna unus mortuus eſt, nempe Chriſtus aut Judas. 5. Pondere aliquo ad funem ſuſpenſo inter pollicem & indicem explorare, quota ſit hora, toties enim dicitur pulſus dari ad latus vaſis: eſſe autem ſuperſtitioſum evincit *Lugo* ſua experientia, uti refert Tamb. *l.2.c.6.§.1. n.39.* confirmatque *n.79.* ex Baldel. & Delr. Sporer quoque *T.1.cap.5.n.22.* fatetur ſe ſæpius uſum bona fide, ſed audita experientia Lugonis damnat, & addit, *Aliis ergo, & maximè illis quibus, ut idem experirentur, imprudens author fui, jam pœnitens diſſuadeo.* Dicunt aliqui hoc eſſe à pulſu arteriæ, ſed contra eſt, nam pulſus arteriæ eſt conſtans & naturalis, numeratio autem horarum, v. g. primæ, eſt arbitraria, poſſet enim numerari ab ortu vel occaſu Solis, & per accidens eſt, quòd apud nos numeretur à tempore, quo Sol poſt horam tranſiit Meridianum, ergo cùm arteria eſſet pulſatura eodem modo, licèt homines vellent, ut prima aliter numeraretur, non poteſt eſſe ab arteria, quòd nunc ſonet prima. Deinde non poteſt oſtendi, cur arteria, quando eſt prima, det potiùs unum, quàm duos aut tres pulſus, ſemper enim æqualiter movetur per impulſum ſanguinis. Alii dicunt provenire à ſpeciebus phantaſiæ, quæ moveat ſanguinem, & id eveniſſe *Lugoni*, qui tum tenebat Italiam per diem & noctem, hinc etiam fieri tantùm in ſanguineis calido-humidis: talem autem eſſe vim phantaſiæ docent Medici; nam ſi tangant arteriam *Titii* & proferant nomina *Caji & Sempronii*, dignoſcere poſſunt, quem eorum magis amet vel oderit. *Contra eſt*, unde ſunt illæ ſpecies? An infuſæ? an acquiſitæ? & per quos actus? Deinde ſi ſit hora ſecunda & ipſe æqualiter neſciat, ſitne prima, ſecunda an tertia, uti fieri poteſt ſaltem noctu expergiſcenti, cur ſpecies phantaſiæ movebunt ſanguinem ad duos præcisè pulſus? Item, cùm ſpecies phantaſiæ ſint mortuæ, non poſſunt movere phantaſiam, niſi cauſando actum phantaſiæ, de hoc actu quæro, quid pro objecto habeat? non certum numerum horarum, nam ignoratur, & vult horam explorare; nec aliquid aliud, quia nihil aliud erit connexum cum tot præcisè pulſibus. Præterea, pone quòd planè imaginetur ſibi, eſſe tertiam, quando eſt prima, ſi arteria pulſet ter, tua experientia fallit; ſi pulſet ſemel, non eſt ex vi phantaſiæ; unde ergo? Denique ſequitur, quod non explorem, quæ ſit hora in tempore, ſed quam horam mihi imaginer, id autem non eſt opus explorare pulſu annuli, ſed hoc certiùs ſciam reflectendo me ſupra meam phantaſiam, ergo tuum experimentum eſt planè inutile & vanum. 6. Nolle die Lunæ aliquid dare mutuo, quia credit non ita facilè reddendum: item nolle die Martis iter incipere, ne in milites incidat: item nolle nere die Sabbati. 7. Subitò reddere vires vel ſanitatem inſufflatis quibuſdam verbis in aurem. 8. Reddere canes mutos inſufflatis vel prolatis illis verbis: *in camo & fræno maxillas eorum conſtringe*: item iſtis ſiſtere ſanguinem: *Libera me de ſanguinibus*: item illis, *Verbum caro factum eſt*, velle reddere partum felicem: item illis: *conſummatum eſt*, ſanare luxationes equorum: item illis in aurem inſufflatis velle excitare laborantem morbo caduco, *ò creatura Dei memento Creatoris tui*. 9. Si quis oret certas preces, ut Chriſtus, B. Virgo vel Angelus ſibi appareat in morte, omninò certò putans eos apparituros. 10. Certas preces orare, vel ſchedulas circumferre, cum certa fiducia, ſe ideo non moriturum ſubitò vel ſine confeſſione. 11. Folium trifolii geſtare ad felicitatem conciliandam. 12. Ægrotantis lecto ſupponere certas herbas, ne deſperet in agone. 13. Schedas profanas infra limen ſtabuli deponere, ut pecora tranſeuntia omne malum evitent. 14. Putare domum muniri contra fulmen, ſi die palmarum ramus palmæ ter circumferatur, & extra domum relinquatur. 15. Credere gallinas fore liberas ab accipitre, ſi primum, quod ponunt, ovum detur pauperi. 16. Conſervare ova die Veneris ſancto poſita ad reſtinguendum incendium. 17. Fricare dentes vel oculos ſub elevatione, ut dolor dentium vel oculorum depellatur. 18. Aliquid infauſtum metuere, ſi videantur duo Sacerdotes ſimul elevantes Hoſtiam in Miſſa. 19. Si avis mæſtum canat, corvus crocitet, lepus prætercurrat, credere prænunciari alicui mortem vel infortunium. 20. Pueros aut chartulas nomine puerorum inſcriptas mittere per fiſſuram arboris, ut ſanentur à ruptura, uti S. Thom. & alii cum Burgh. *cent.1. caſ.46.* habent. 21. Ungere gladium adhuc calentem ſanguine vulnerati, ut in diſtans ſanetur, cum communi Burgh. *cent.3. caſ.29.* 22. Ex nomine in Baptiſmo impoſito conjicere, an aliquis ſit probus vel improbus. 23. Dum tonat, volutare ſe in terra, ut dolor tergoris ceſſet. 24. Cingulo metiri ægrotum, ad dignoſcendum, à quo ſit ſanandus. 25. Filo metiri corpus ægroti, illudque poſteà ſecare ad ſanandum morbum. 26. Securi dividere ſtramen, ut tumores manuum ſanentur. 27. Ferrum, quo læſus es, infigere larido porcino, ut tu ſaneris. 28. Ligare arborem aut rem aliam loco vulneris ſanandi. 29. Summo mane ſcopis tangere olera, ut ſint ſecura ab erucis. 30. Manè lavare manus, credendo tum ſagas nocere non poſſe. 31. Ferrum catenæ, ex qua pependit patibularius, aut manum ſuſpenſi adhibere ad miros effectus. 32. Certam ſchedam affigere januæ, ut ad eam cogatur venire fur. 33. Si plures veniant ad ſuſpicionem delicti, comedere ſalem & panem, ut is, qui nocens eſt, malè habere incipiat & ſic prodatur. 34. Si adſit mulier, de qua ſuſpiceris, quòd ſit ſaga, invertere ſcopas, ut ſi ſaga eſt, abire non poſſit, niſi greſſu averſo ſeu cancrino. 35. Ad pellendos morbos uti annulo confecto ex oblatis Crucifixo die Veneris ſancto. 36. Globos tranſmittere per certum annulum certo die & hora fabricatum, ut quandocumque explodes, tangas, quod intendis. 37. Credere lac ſtatim coagulandum in butyrum, ſi in illum immittatur ſerra ferrea necdum adhibita ad uſum. 38. Lignum è feretro, in quo jacuit mulier mortua, appendere collo pecudum, ne ægrotent vel ut ſanentur. 39. Credere ſe peccaturum, ſi extrema Unctione ſemel accepta ambulet nudis pedibus. 40. Cingulo prægnantis mulieris pulſare campanam, ut habeat felicem partum. 41. Si gallina inſtar galli cantet, credere malum imminere. 42. In luſu mutare ſitum corporis, aut complicare pedes, ad evitandum infortunium. 43. In nocte S. Joannis orare, ut in ſomno appareat ille, cui nubere debeat; item credere ſe non ducturum uxorem eo anno, quo coram ſe ignis fuit coopertus cineribus: atque de ſimilibus ſuperſtitionibus circa ſponſos & ſponſas multa habet Gob. *T.11.a num.1010.* 44. Adjurare creaturas irrationales, modo in Eccleſia inſolito, ne incipiant aut pergant nocere; item animalia noxia citare ad judicium, vel excommunicare: aliud eſt, ſi fiat modo ab Eccleſia præſcripto, tunc enim nubes & tempeſtates non adjurantur directè, ſed vel Deus deprecativè, ut malum avertat, vel dœmon imperativè, ne noceat. 45. Geſtare lapidem fulmineum, ſuper quo tria Sacra ſint lecta, utquis ſit fortis. 46. Tres virgas ſalicis ducere per os, deinde eas ſuſpendere in camino, ut poſtquam fuerint arefactæ, deſinat graveolentia halitus. 47. Vertere ſe ad Lunam creſcentem, & ſtruma manu apprehenſa dicere, *Quod video, creſcat, quod tango detumeſcat*. 48. Credere me moriturum ideo, quia alius me innocentem ad judicium divinum citavit: Si tamen citatus es, quia eras nocens, meritò times, quia Drexellius *in ſuo Tribunali Lib.2. cap.3.* affert 24. ejuſmodi citationes, quæ effectum habuerunt: an autem liceat ita citare, dicemus, *Lib.4. num.1530.* 49. Ponere certam ſpem in deferendis certis nominibus, quæ, ut licitè circumferantur, habere debent has conditiones, ut ſint nota & ſancta, ut habeant characteres notos & ſanctos, ut contineant vera ac pia, ut nulla ponatur ſpes in loco, tempore, numero ſcribendi, nec in modo deferendi vel allegandi ea, ita Alloza *V. Superſtitio, S.2.num.24.50.* Credere, quòd imagines aſtrologicæ & characteres aliæquæ figuræ artificiales, quæ ſunt factæ ſub tali conſtellatione vel ſigno, ratione ſui artificii vel imaginis habeant vim ad hunc vel illum effectum, S. Thom. & Sanch. *L.2. c.40. num.50.* cum aliis multis, contra quoſdam, qui conantur defendere. Qui plura volet exempla ſuperſtitionum hoc tempore uſitatarum, conſulat *Gob.* qui per 30. paginas præcipuè à *n.923.* ſexcentas ejuſmodi nugas affert.

§. 3. Multa ſecundùm diverſos Authores damnantur vel 30
excuſantur à ſuperſtitione, v. g. 1. *Leander* negat, alii probabiliùs affirmant eſſe ſuperſtitionem, ſi quis ex aura, quæ eſt certo die, v. g. Feſto *Sancti Urbani*, vel converſionis 31
Sancti Pauli, velit prædicere, qualis ſit futura per annum. Audi *S. Chryſoſt.* Homil. adverſus eos, qui obſervant novilunia: *Non audis Apoſtolum dicentem, dies obſervatis & menſes & tempora & annos? metuo vobis, ne fruſtra in vobis laboraverim: nempe extremæ hoc amentiæ eſt, propter unum diem, ſi auſpicatus fuerit, per univerſum hoc expectare annum &c.* 2. Rayn. apud Gob. *n.960.* arguit ſuperſti- 32
tionis eos, qui ſtatuunt Patronum ſuum menſtruò honorare jejunio, licet Feſtum illius in Dominicam incidat; item eos, qui omnes ſuas ſatisfactiones donant Defunctis, cùm ipſi maximè indigeant, ſibique applicare deberent. *Sed* alii meritò contradicunt, nam quoad priorem partem, rectè docent *Sanch. & Tamb.* per ſe loquendo, nullum eſſe peccatum die Dominico jejunare: quoad alteram, vide dicta *Lib.2.n.179.* 3. Gob. *n.961.* non omnino damnat certæ ſuperſtitionis eos, qui putant ſanguine vulnerati miſto cum quodam pulvere ſympatico ſanari

nari poſſe recens vulnus hominis ad trecentos paſſus diſtantis, quia fortè verum eſt, quòd aliquæ qualitates diffundantur per medium, uti cadavera odorem mittunt per multa milliaria, teſte *S.Th.* multiſque Philoſophis: Sed rem illam reliqui communiter damnant, videtur enim incredibile, quòd qualitates talis pulveris poſſint ita longè per muros & media corpora interjecta undequaque diffundi; quòd ſi dicant agere in diſtans, adhuc minùs probabilitatis habet. 4. Quidam ſuſpectum ha-
33 bent, ſed Gob.*n.*1014. abſolvit à ſuperſtitione eum, qui geſtat nummum benedictum & inſignitum figura *S.Georgii*, cum fiducia, ſe non caſurum ex equo, vel ſi cadat, caſum fore innoxium, non apparet enim, cur ſuperſtitioſum ſit, ſi quis non appromittat ſibi infallibiliter talem effectum, ſed ſperet per merita & interceſſionem *S. Georgii* Equitis. 5. Aliqui abſolutè
34 damnant, aliqui autem abſolutè excuſant à ſuperſtitione os, qui putant ſe habere vim aut gratiam, ſanandi certos morbos, vel qui ad tales accedunt ſanitatis cauſa, uti refert Sanch.*n.*45. Dian.autem *p.*11.*T.*4.*R.*42.citans Delr.& alios ſic habet: *Non videtur ſuperſtitioſum, quod in Belgio omnes nati die Veneris ſancto putentur ſuo contactu ſanare à febribus, aut quod ſeptimus maſculus ex legitimo Matrimonio natus nulla fœminea prole intermedia, ſanare poſſit ſtrumoſos.* Sanch.verò & Gob.nec univerſaliter improbant, quia DD.graves approbant, & Eccleſia id permittit, poteſtque Deus certis familiis certas ejuſmodi gratias gratis datas tribuere; imò etiam poteſt certis hominibus certa virtus naturalis convenire ad morbos ejuſmodi ſanandos, uti ex *Plinio* oſtendit *Azor*, attamen etiam univerſaliter non eſt approbandum, nam in primis putat *Delr.* hanc gratiam ſolis Catholicis concedi à Deo; deinde non eſt credibile tam multis hominibus impiis concedi, quot ſe habere jactant: unde ab Ordinario priùs rigidè examinandi ſunt, & repellendi, ſi vana, vel parum honeſta admiſceant. Videri poteſt *Sanch.* ſuprà, ubi optimè & fusè de ea virtute diſcurrit, affertque ſigna dignoſcendi, qualis ſit.

35 §.4. Quod attinet ad virgam, quam vocant divinatoriam, Sacra Congregatio generalium Inquiſitorum de Mandato Clementis XI. poſt exactum examen Theologorum, die 26. Oct. 1701.damnavit & prohibuit librum, cui titulus, *La Phyſique occulte ou traitè de la baquette divinatoire*: uſum tamen talis virgæ pro inveniendis metallis & fontibus approbarunt vel auſi non ſunt improbare *Majolus*, *Peucer*, *Fludd. Libavius*, *Villemius*, *Fromman*, *Dechales*, *Hirnhaim*, *Saint Romain*, *Royer*: è contra eum uſum damnant *Agricola*, *Paracelſus*, *Roberti*, *Stengelius*, *Forerus*, *Ceſius*, *Fabri*, *Kircherus*, *Aldrovandus*, *Scotus*, *Conradus*, *Sperling*, *Meneſtrier*. *Natalis Alexander*, Commentator Liter. *Tolly*, Author libri ſub titulo, *Hiſtoire critique des practiques ſuperſtitieuſes*, qui *p.*2.*c.*3.ad diſcernendum, ſitne effectus naturalis an non, ponit hanc regulam, *Tum eſt cauſa naturalis, ſi in eiſdem circumſtantiis Phyſicis ſemper agat eodem modo: è contra, tum non eſt naturalis, ſi in eiſdem circumſtantiis Phyſicis non ſemper agat eodem modo*, ſed requirat, v.g.ut à certis perſonis applicetur, ut cum certa intentione, ſub recitatione certorum verborum, cum circumſtantiis aliquibus purè moralibus, quæ modum agendi phyſicum immutare non poſſunt. Ex illa regula infert c.4.per virgam non poſſe detegi limites agrorum, nec latrones vel homicidas, nec res perditas vel furto ſublatas, quia quòd hìc vel ille lapis ſit limes agri, pendet à circumſtantia morali hominum ponentium ex illa intentione: virga autem coryli vel quæcumque alia non attingit moralia: Similiter quòd hic homo ſit latro vel homicida, aut quòd hæc pecunia ſit perdita aut furtiva, eſt circumſtantia moralis, qua non immutatur vis aut modus naturalis agendi, quem habet virga. Similiter c.5. infert non eſſe effectum naturalem, ſi virga detegat fontem vel metalla. 1.Quia virga flectitur, ubi illa non ſunt; & non flectitur, ubi illa ſunt, uti experientia certum eſt: cauſa autem naturalis ſemper eodem modo agit in eiſdem circumſtantiis: 2. Virga ad nimis multa flectitur, quæ planè diverſas habent naturas, & exhalationes: 3.Cur non æquè flectitur ad detectas aquas, & metalla? 4.Non flectitur ad aquas, & metalla, ſi intentio ſit inquirendi aliquid aliud, hæc autem eſt circumſtantia moralis tantùm, nec per intentiones noſtras poteſt variari effectus naturalis. 5.Vis exhalationum non eſt tanta, ut poſſet flectere virgam, multò minùs frangere, quando forti manu attinetur. 6. Non deberet torqueri in manu, ſeu verti, ſed purè flecteretur versùs locum, uti non vertitur ferrum per magnetem, ſed purè trahitur, vel rectà accedit. 7. Apud aliquos torquetur ad ferrum, ſi in acie virgæ ponatur ferrum, apud alios per hoc non impeditur ejus virtus, ergo ob diverſitatem moralem perſonarum agit difformiter, ergo non eſt cauſa naturalis. Idem Author probat c.7.dœmonem ſæpè agere, quamvis nullum cum eo pactum intercedat, ut ſic decipiat, & in peccata paulatim inducat. Denique p.3.c.4. circa clavem *S.Huberti* & ſimilia dicit expedire, ut non ſit ejus uſus. Addit in talibus ſæpè committi ſuperſtitionem, quia exigitur miraculum per ſigna, quæ aliquando miracula patrarunt, ſed non habent à Deo promiſſionem futuri ſemper miraculi: è contra, illa circa Reliquias & Novenam *S.Huberti* nil continere ſuperſtitionis, poſt audita judicia Theologorum, & Medicorum Lovanienſium, declaravit 4.Octob.1690.*Joannes Ludovicus* Ep.Leod.

§.5. In dubio, an aliquid ſit ſuperſtitioſum, putant *T amb.* 36
Gob. & alii non peccari mortaliter, ſi quis ſemel aut iterum operetur, non expectans, certò effectum, ſed veluti experturus. Addit *T amb.* extrinſecè ſaltem probabile eſſe, quòd in tali dubio, ſi adſit gravis neceſſitas, v.g.ob recuperandam ſanitatem, quæ aliter reſtitui non poteſt, poſſis ſine ullo peccato, adhibere tale medium, facta priùs proteſtatione, quòd nolis in ullum pactum cum dœmone conſentire: Alloza *n.*5.citans alios ſic habet, *Licitè poteſt quis experiri, an in aliqua obſervantia ſit pactum cum dœmone, proteſtando ſe nolle talem effectum, ſi à dœmone eſt*: tum enim magna neceſſitas, inquit *Gobathi*, facit tibi jus ad exponendum te dubio periculo ſuperſtitionis. *Sed* non obſtante horum ſententia, res illa plena eſt periculi, adeoque vitanda; unde quod Sanch.*n.*25.ait, ſi quis non ſeriò, ſed joci cauſa, & ad experiendum effectum cauſa curioſitatis ſemel utatur vana obſervantia, hoc fore tantùm veniale, quamvis non auſim dicere eſſe improbabile, cùm etiam *Tancredi*, *T amb. Arſd.* & alii dicant fore tantùm veniale, licèt fiat ſemel aut iterum, eſt tamen prorſus diſſuadendum, & circa hoc idem videtur dicendum eſſe quod num.11. eſt dictum. Denique Tann.& Stoz *l.*1.*p.*3.*n.*428. ſapienter monent, ſæpè meliùs eſſe ad tempus permittere ſuperſtitiones ſimplicium hominum, quàm admonere, ſi prævideantur jam non abſtenturi, nam admonendo fiet, ut ſublata invincibili ignorantia peccent mortaliter aut ſaltem graviùs, cùm anteà vel bona fide vel ſaltem cum minore remorſu operantes, vel non peccarent, vel peccarent leviùs: poſtmodum tamen data occaſione paulatim erunt diſponendi, & ab ejuſmodi abducendi.

Q.6. Si mulier ſit ſuſpecta, an licitum ſit per ſubmerſionem in aquam explorare, an ſit ſaga? dicuntur enim ſagæ habere ex pacto cum dœmone; ut licèt immergantur, tamen non demergantur, ſed ſupernatent. R.Non eſt hoc permittendum Magiſtratui, quia eſt aliquid inſolens & non ſecundùm præſcriptum Legum: Si tamen fiat, Leſſ. *in Auct.V. Magia cap.*1. putat ſecluſo ſcandalo non fore mortale, quia mea immerſio nullum habet annexum pactum cum dœmone, ſed pactum, quod eſt inter dœmonem & ſagam, reſpicit tantùm ſupernatationem ſagæ, quæ ſequitur poſt meam immerſionem, ego autem tantùm volo per actionem de ſe indifferentem deprehendere, an mulier habeat illud pactum; ſicuti, inquit Leſſ.c.3.ſi ſaga haberet pactum cum dœmone, ut quamvis pungeretur aciculis, tamen non ſentiret dolorem, poſſet etiam Magiſtratus experiri, an ita eſſet, ob rationem jam datam: addit tamen ex ejuſmodi indicio non licere procedere, nequidem ad torturam, præſertim gravem, ſed tantùm eſſe ſignum probabile, quod multis aliis junctum poſſet æquivalere ſemiplenæ probationi. 37

Authores alii communiter cum Binſf.& Delr.*l.*4.*c.*4.*q.*4.*&* 38
5. damnant ejuſmodi actiones. 1. Quia aliàs etiam liceret per ferrum candens vel prunas ardentes explorare, an aliqua eſſet adultera. 2.Quia non licet cooperari arti magicæ, uti dictum eſt L.2.n.271. nec communicare cum dœmone, nec ſagam inducere ad illicitum uſum ſui pacti.

Ad has rationes Reſpondet Leſſ.ad 1.n.conſeq. hìc enim eſ- 39
ſet tentatio Dei, quia expectaretur effectus miraculoſus, quod non eſt de immerſione in aquam. Ad 2.dicit nihil horum fieri, ſed immergentem iſta omnia tantùm permittere, uti non cenſeor communicare cum hoſte, nec concitare cives ad rebellionem, ſi, ut explorem an non habeant pactum cum hoſte, curem noctu hora 12. in mœnibus accendi facem, de quo ſigno pro me invadendo dicebatur eſſe conventum inter illos, nec ideo ſum cauſa, niſi tantùm permiſſiva, quod cives viſo ſigno renovent voluntatem rebellandi, ſed tantùm dedi occaſionem per actionem de ſe licitam.

Quidquid ſit de his, ſufficit nobis, quòd Eccleſia probam 40
illam graviter prohibuerit, uti fusè oſtendit *Delrio*, hinc dicimus eam ſaltem ideò eſſe illicitam.

DUBIUM V. 41

Quid ſit maleficium, & quomodo poſſit tolli.

REſp.I. Maleficium eſt vis nocendi aliis ex pacto & co- „
operatione dœmonis. Differt à Magia, quòd hæc „
intendat facere mira, illud autem dirigatur ad nocendum, „
Tol.*l.*4.*c.*16.Fill.*T.*24.*c.*8.*q.*1. „

Reſp.II. Maleficium aliud dicitur Amatorium ſeu phil- „
trum, cujus uſus eſt ad carnalem amorem vel odium excitandum, dœmone hominis phantaſiam commovente, ni- „
hil tamen agente in voluntatem: Unde patet, ſi maleficio ſic „
infe-

„ infecti labantur, eos verè peccare, quia libertas non auferˇ„ tur. Aliud dicitur veneficium, quo alicui perſonæ, vel ejus „ bonis damnum infertur. Fill.*l.c.n.*183. Azor.*to.*1.*l.*9.*c.*26.

„ Reſp. III. Contra maleficia uti licet, 1. Remediis petitis „ ex medicina, 2. Exorciſmis & Sacramentis Eccleſiæ, pere„ grinationibus, invocationibus Sanctorum, &c. 3. Deſtruˇ„ ctione ſignorum per quæ dæmon nocet, abſque alio tamen „ maleficio, Nav. & communiter alii. 4. Si maleficus licito „ modo poteſt maleficium tollere, licet eum ad id accerſere, „ rogare, imò etiam pecunia inducere, vel verberibus aut „ tormentis cogere, (non tamen interficere, ſi nolit,) Lugo „ Dian.*p.*8.*t.*7.*R.*53. idque etiamſi conſtet eum id facturum, „ per novum maleficium: ſicuti ex cauſa licet ab uſurario peˇ„ tere mutuum ad uſuram. Ratio, quia cùm habeam jus peˇ„ tendi, quod ab illo rectè præſtari poteſt, & eſt indifferens, „ imputabitur illius malitiæ, ſi id malè faciat. V. Sanch.*lib.*7. „ *de Matr.d.*95.*n.*11. Fill.*n.*192. Leſſ.*lib.*2.*c.*44.*d.*6. contra Delˇ„ rio. 5. Licet etiam contrarium ſignum poſitivum apponere „ ex ſe tamen honeſtum, v.g. ſi dœmon eſſet pactus cum maleˇ„ fico, ſe tamdiu nociturum, quamdiu maleficiatus ſe cruce „ non ſignaret, aut lavaret corpus, (nam plerumque fit cum „ tali aliqua conditione, v.g. ut tamdiu duret, quamdiu maˇ„ net aliqua ligatura, aut res aliqua certo loco defoſſa) liceˇ„ bit illi ſe ſignare, lavare, &c. Suar. Leſſ. *n.*45. Ratio eſt, quia „ non eſt intentio poſitivè recuperandi ſanitatem eo medio, „ ſed tantùm tollendi ſignum, & diſſolvendi pactum cum dæˇ„ mone. Unde ulteriùs patet, licere repercutere ſagam, „ quæ te tetigit, ea enim repercuſſa ſolet noxa ceſſare, ut haˇ„ bet Leſſ. *l.c.* & Sanch. *d.*95. *&* 96. 6. Si maleficus non poteſt „ tollere maleficium, niſi per novum, non licet eum ad id „ inducere, quia id eſſet inducere ad peccatum, & actui inˇ„ trinſecè malo cooperari, Suar. Sanch. Leſſ. &c. *ll.cc.*7. Si dubiˇ„ tetur, an poſſit ſine maleficio novo tollere, non licet ab eo „ petere, ut habet Laym. *l.*4.*tr.*10.*c.*4. *n.*5. ex Sanch. & Suar. „ quia eſt periculum peccandi. Faciliùs autem præſumi poˇ„ teſt, eum, qui ſigna poſuit, poſſe ea ſine novo maleficio „ deſtruere, quàm eum, qui non poſuit: unde ſi hic ſuam „ operam offerat, priùs erit examinandus de modo ſolvendi; „ V. Laym. hic Bon. *d.*3.*qu.*5.*p.*5.

„ *Quæres*: Quomodo confeſſario agendum cum Divinaˇ„ toribus, Magis, &c.

„ *Reſp.* 1. Examinandi ſunt, præterquàm de variis ſuperſtiˇ„ tionibus, 1. Quo fine tali ſuperſtitioni ſe addixerint, v.g. An „ ratione vehementis paſſionis, triſtitiæ, vindictæ, avaritiæ, „ aut ſanctitatis nomen conciliandi, quæ eſſet ſacrilega hyˇ„ pocriſis. 2. De apoſtaſia, idololatria, & hæreſi, abnegant „ enim Chriſtum & Deum, renunciant Sacramentis, habent „ dæmonem pro Deo vel Sancto, nec damnatum putant aut „ miſerum, & conſequenter illius aſſeclas non eſſe damnanˇ„ dos. 3. De blaſphemiis in Deum & Sanctos; de ſacrilegiis; „ abutuntur enim rebus ſacris, ut aqua benedicta, Euchariſtia, „ &c. 4. De luxuria, commixtione cum dæmone. 5. De damˇ„ nis proximo illatis, Suar. Sanch. Fill. *c.*7.*n.*180. Bonac. *l.c.*

„ *Reſp.* 2. Monendi ſunt, eos teneri, 1. Pactum expreſſum, „ ſi quod habent cum dæmone, aut commercium, adjurare „ & diſſolvere. 2. Libros ſuos, ſchedas, ligaturas, aliaque „ inſtrumenta artis comburere. 3. Comburere chirographum, „ ſi habent: Si verò ſolus dæmon id habeat, non neceſſariò „ cogendus eſt, ut reddat, quia pactum ſufficienter diſſolviˇ„ tur per pœnitentiam. 4. Damna illata reſarcire: ad quod „ proinde etiam tenetur Fiſcus, (ubi veneficorum bona conˇ„ fiſcantur) uti & hæredes, ſi ad eos bona deveniant. Laym. „ *loc.cit.* Suarez *Tom.*1.*de rel.l.*2.*c.*17. Sanch. *l.*2. *Mor.cap.*40. *n.* „ 53. Fill. &c.

„ *Reſp.* 3. A Parochis moneri, & à Confeſſariis examinari „ circa hoc præceptum potiſſimùm debent. 1. Opiliones, qui „ variis dediti eſſe ſolent obſervationibus, ut gregem ſuum à „ lupis, vel ſcabie, vel aliis incommodis tueantur. 2. Fabri „ ferrarii, qui circa equos ſanandos utuntur verbis, vel ex „ Pſalmis, vel ex Oratione Dominica deſumptis. 3. Ruſtici, „ qui ad ſananda pecora, inanibus & ſuperſtitioſis obſervatioˇ„ nibus utuntur, vel recurrunt ad peritos talium artium. 4. „ Vetulæ, quæ circa mulieres laborantes in partu, vel ex maˇ„ trice, vanas & ſuperſtitioſas adhibent orationes. 5. Milites, „ qui deferunt ſecum ſacra nomina, vel orationes, ad certituˇ„ dinem, quod in bello vel duello non ſint vulnerandi, nunˇ„ quam aqua, igne vel ſubita morte perituri.

ADDENDA.

42 *Quæſt.*7. *Quomodo liceat tollere maleficium?* R. Si fiat per aliquid de ſe non malum, quod tantùm impediat continuationem pacti, licitum eſt illud directè ponere, uti habet Buſemb. poſt Suar. Sanch. Leſſ. Caſtrop. *T.*17. *d.*1. *p.*11. Hinc non ideo peccavit ruſticus apud Tamb. *l.*2. *c.*6. §.2. *n.*12.

qui cum audiſſet dœmonem pactum feciſſe cum avaro ſene, ut nemo theſaurum terra defoſſum inveniret, niſi qui ſuprà locum pultem comederet, ibi pultem comedit, & theſaurum invenit. Similiter licitum eſt Judicibus lavare maleficos & illorum pilos abradere, quando torquendi ſunt, ſi timeant, apud illotos remanere aut in pilis occultari maleficium, quo reddantur inſenſibiles ad tormenta: ratio eſt: quia per talia tantùm tollitur dœmoni cauſa operandi. Notat tamen cum aliis Sylv. *p.*1. *v. maleficium*; ſuperſtitionem eſſe reiterare contractum Matrimonii ad tollendum maleficium, quo impeditur copula, quia talis renovatio nec à Deo, nec à natura habet vim ad tollendum ejuſmodi maleficium. Similiter ſi dæmon declararet ſe non receſſurum ab obſeſſo, niſi hoc vel illud fieret, non eſſet licitum tale quid facere quaſi obſequendo ejus conſiliis aut dictis, eſſet tamen licitum deſtruere omnia ſigna ab eo poſita, quibus permanentibus dixiſſet ſe permanſurum, hoc enim fieret in deteſtationem, & deſtructionem omnis operis diabolici.

*Q.*8. *An ſit licitum uti effectu maleficii?* R. Si ſit alteri 43
nocivus, patet non licere, quia fieret injuria: deinde quamvis non ſit nocivus, ſi tamen debeat conſervari à dæmone, qualis eſſet ſcientia, qua quis doctè reſpondet, aſſiſtente & ſuggerente dæmone, adhuc non licebit uti, quia continuaretur pactum: Si tamen effectus ſemel poſitus poſteà ſit independens à commercio dæmonis, uti eſſet vera pecunia à dœmone tibi data, poteris illa uti, nam licet peccaveris admittendo, tamen ſi te hujus pœnituerit, reſcidiſti pactum, nec per ſe malum eſt uti pecunia, Suar. Sanch. Bonac. aliique multi cum Caſtrop. ſuprà, qui etiam notant, quamvis dæmon ſæpè ſurripiat uni pecunias, & det alteri, quamdiù tamen tibi hoc non conſtet, potes uti, credendo attuliſſe v.g. ex fundo maris vel ex theſauro perdito vel aliunde, nulla cuiquam facta injuria.

*Q.*9. *Si Medicus ſciatur eſſe Magus, an ſit licitum pe-* 44
tere vel admittere curationem ab illo? R. Si neſciat, aut dubium ſit, an ſciat medium licitum ſanandi hoc malum, ſententia communis eſt cum Sanch. *De Matr l.*7.*d.*95.*n.*13. & Leſſ. *l.*2.*c.*44.*n.*46. non licere petere vel admittere: Si autem ſciat medium licitum ſanandi, Suar. *De ſuperſtit.l.*2.*c.*18. *n.*10. Sanchez *n.*12. Leſſ. ſupra abſolutè affirmant licere ex juſta cauſa, quia petitur hoc, quod ipſe poteſt facere licito modo, quòd autem faciat modo illicito, imputatur ejus malitiæ; idem videtur tenere Buſemb. relatus *n.*41. Fatentur tamen Authores illi, fore obligationem ex charitate monendi, ut medio licito utatur. E contra Cajet. Delr. Vvigg. & alii abſolutè negant id licere, non ex eo, quaſi ſit formalis cooperatio ad peccatum Magi, nam ab eo excuſat juſta cauſa, uti quando petis mutuum ab uſurario vel juramentum à pejeraturo; ſed ratio, cur non liceat, ab illis datur hæc, quia ſic petens vel admittens, peteret vel admitteret, aut ſaltem ſe exponeret periculo habendi commercium cum dæmone, & ab illo admittendi beneficium: dæmon enim ſaltem mediatè per Magum applicabit medicamentum, ergo tu illud admittens, & eo utens communicas, & admittis à dœmone beneficium. *Conf.* nam Sanch. fatetur non licere, ſi advertatur medium eſſe vanum aut ſuperſtitioſum, ſed quando prævidetur ſanaturus per artem magicam, ſatis advertitur medium fore vanum aut ſuperſtitioſum, ergo. Has duas ſententias fusè proponit Boſco *De Sacr.d.*1.*S.*8. *anum.*70. & non immeritò magis inclinat in poſteriorem. Qui autem diſtinguunt, & dicunt licere petere, ut ita medeatur alteri, non verò, ut medeatur ſibi, quia per hoc ipſe non habebit commercium cum dæmone, ſed tantùm alter, hi facilè confutantur, nam reipſa peteres alteri beneficium à dæmone, & ſi permittens hoc ſibi fieri habeat commercium cum dæmone non poteſt eſſe licitum ad hoc inducere alterum. *Si dicas*, nimis durum eſt ſic ſuam vel alterius mortem permittere, cùm poſſes avertere. *Reſpondet* S. Chryſ. Orat. 5. adversùs Judæos, *Si repuleris incantamenta, veneficia, ac magicas artes, etiamſi morbo moriaris, Martyr perfectus fueris, eò quòd aliis pollicentibus morbi levationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate.*

CAPUT II.

De Irreligioſitate, ejuſque ſpeciebus.

IRRELIGIO, quæ Religioni opponitur per defectum, „ 45
vel tendit directè ad irreverentiam Dei, & eſt tentatio Dei „
aut perjurium; vel tantùm tendit ad irreverentiam rerum ſa- „
crarum, & eſt ſacrilegium, aut ſimonia. De perjurio, in „
ſecundo præcepto: de reliquis hic. „

DUBIUM I.

Quid ſit tentatio Dei?

REſp. Tentatio Dei eſt dictum vel factum, quo quis explorat, num DEUS ſit potens, ſapiens, miſericors, aut aliquam aliam perfectionem habeat. S.Thom.2.2.*q.*97.*a.* 1.Sanch.&c. Ea eſt duplex, ſcilicet vel formalis quando quis expreſsè dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit: ut ſi quis petat miraculum, quo pateſiat Fidem Catholicam eſſe veram; vel det ſe præcipitem ex turri, ut experiatur, an Deus ſit miſericors, eum eripiendo à læſione: vel eſt implicita, & interpretativa, quando quis, etſi expreſsè non intendat Deum tentare, id tamen petit vel agit, quod ſuapte natura eò referri videtur; ut ſi quis ſe committat periculo, à quo vel nullo modo, vel vix poſſit eripi, niſi miraculosè; vel ſi media naturalia omittat, ſperans, à ſolo Deo effectum, v.g. in morbo periculoſo reſpuens medicinam, petenſque ac ſperans à Deo temerè ſanitatem, Nav. Man.*c.* 11.*n.*40.*&* 41.Leſſ.*l.*2.*c.*45.*n.*4. Item ſi ſine neceſſitate & cauſa, rudis abſque præparatione velit concionari, ſperans à Deo ſibi ſuggerendos conceptus, Suar.Sanch. Leſſ. Laym.*l.* 4.*T.*10.*c.*5.*Unde reſolves:*

I. Tentatio Dei formalis eſt peccatum ex genere ſuo mortale, in quacunque etiam materia. Ratio, quia includit dubitationem de perfectionibus Dei, quæ in gravem Dei contemptum redundat; vel magnam irreverentiam, curioſiùs agendo cum Deo quaſi cum ludione, Leſſ.*l.c.*Sanch.*l.*1.*Mor.* *c.*34.*n.*5.Suar.& alii communiter.

II. Interpretativa tentatio, cui dubitatio illa deeſt, plerumque eſt tantùm peccatum veniale, ob imperfectionem actus, ignorantiam, inconſiderationem, vel parvitatem periculi, Imò ſæpè nullum eſt peccatum, quando ſcilicet juſta cauſa ſubeſt, v.g. Dei inſtinctus, neceſſitas, vel pia utilitas, Suar. Tol.*l.*4.*c.*19.*n.*6.Cajet.S.Th.2.2.*q.*97.

III. Si quis in puteum ſe conjiciat, ad declarandam Dei erga ſe providentiam; aut ſupra prunas ambulet, ad innocentiam oſtendendam, eſt interpretativa tentatio Dei, uti etiam ſunt eæ probationes, quæ fiunt per ferrum candens, aquam ferventem vel frigidam, &c. de quibus V.Binsfeld.& Delr.*l.*4.*diſq.qu.*4.*&* 5.Licèt enim Deus aliquando tales purgationes miraculosè comprobaverit, id contingit, vel quia Deo inſpirante factæ ſunt, vel quia innocentes ad eas compulſi, ſunt liberati, Bonac.*d.*3.*q.*9.*Prop.*3.

ADDENDA.

46 *Quæſt.*10. *An ſit tentatio Dei, ſi petas, ut Deus voluntatem ſuam manifeſtet aliquo miraculo?* R.Negat Valentia, quamvis admittat eſſe irreverentiam erga Deum, quia nimium petitur. Ratio ipſius eſt, quia talis non dubitat de aliqua perfectione Dei, quod ad tentationem Dei requiritur, ſed tantùm dubitat de objecto voluntatis divinæ. E contra affirmat Caſtrop.*T.*17.*d.*2.*p.*1.*n.*3. citans pro ſe *S.Th.*& alios, quia vult explorare voluntatem Dei mediis indebitis: addit tamen, ſi cauſa petendi adſit, & quis humiliter petat ſignum aliquod divinæ voluntatis, v.g. pro confirmatione ſuæ fidei aut pro re periculoſa aggredienda, non fore peccatum: tunc autem petetur humiliter, inquit Suar.cum Sanch.*l.*2.*c.*34.*n.*9.ſi paratus ſit credere aut facere, quod judicabit Deum velle, quamvis ſignum non concedatur.

47 *Q.*11. *An ſit tentatio Dei, offerre ſe ad martyrium?* R. Eſt, ſi fiat temerè & abſque juſta cauſa, ita Nav. Lop. aliique cum Sanch.*n.*15.quod ex *S.Th.*ſic probat *n.*1.*&* 2. quia talis interpretativè & implicitè ſumit experimentum de Dei potentia & providentia, cùm ſine neceſſitate aut utilitate juſta a Deo id cogente expectet à ſolo Deo effectum conſtantiæ, & victoriæ inter tormenta ordinariè excedentia vires naturales, quæritque periculum, à quo nullatenus, aut vix liberari poteſt, niſi à ſolo Deo. Tum autem tantùm eſt juſta cauſa, quando adeſt præceptum vel conſilium Martyrii: tum adeſt præceptum, quando eſt neceſſarium ad fidem vel ſalutem multorum ſervandam, ad vitandas blaſphemias, &c. Tum adeſt conſilium, quando ſentitur peculiaris Dei inſtinctus, aut ex eo nil aliud quæritur vel conſequitur, niſi Dei gloria & fidei exaltatio: de cætero ſine tali cauſa provocare tyrannos, infideles, aut hæreticos ad inferendum Martyrium, etiam eſt cooperari ad peccatum illorum, uti cum aliis docet S.Th.2.2.*q.*124.*a.*1.*ad* 3.

DUBIUM II.

Quid, & quotuplex ſit ſacrilegium? 48

REſp. Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ, hoc eſt, dicatæ cultui divino, & peccatum mortale ex genere ſuo, ſi opus ſpecialiter repugnet, cum rei ſanctitate; non verò, ſi generaliter tantùm repugnet; quomodo omnia peccata mortalia generaliter repugnant ſanctitati, v.g. templi, ita ut ibi cum veniali peccato committantur. Eſt autem ſacrilegium triplex, Perſonale, quo perſona; Locale, quo locus; & Reale, quo res aliæ violantur, S.Th.2.2.*q.*99.*ar.*3.*& cæteri Theologi. Unde reſolves:*

I. Perſonale ſacrilegium eſt percuſſio Clerici: pertractio ejuſdem ad judicium ſæculare; item luxurioſa violatio perſonæ Deo per votum caſtitatis ſacratæ, de qua *v.infr.t.*4. *c.* 2.*de* 6.*Præc.dub.*2.

II. Locale ſacrilegium eſt omnis actus, quo Eccleſia polluitur, ut eſt v.g. occiſio hominis, effuſio humani ſanguinis vel ſeminis; illicita & notoria ſepultura excommunicati, vel non baptizati: item ſi actus quidam profani fiant in Eccleſia, & repugnantes ejus immunitati, ut ſi negotiationes, illiciti concubitus, & ſpurcities, ſeditiones, Concilia ſæcularia, ſtabulationes equorum, incendia, effractiones, ſpoliationes. Item, ſi materia rei ſacræ vel Eccleſiæ directè ad profanos uſus convertatur: Si Reus ex Eccleſia velut aſylo extrahatur, (niſi tamen ſit latro publicus, vel nocturnus populator agrorum, vel enorme maleficium fiducia aſyli iſtic commiſerit.) Denique ſi furto auferantur res Eccleſiæ, aut ibi depoſitæ, Laym.*l.*4.*tr.*10.*c.*7. Bon. *qu.*6. Si verò res ablata fuerit per accidens tantùm in Eccleſia, v.g. crumena viri divitis, probabiliter non committi ſacrilegium, docet Dian.*p.*1.*tr.*7.*R.*27.ex Fagund.*præc.*2.*l.*4.*c.*4.*n.*9.*&* 12.*& ſex aliis*, contra Suarez Laym.& alios.

III Reale ſacrilegium eſt indigna tractatio,& adminiſtratio Sacramentorum; ut ſi miniſtrentur vel ſuſcipiantur cum peccato mortali. Item profanatio vaſorum, inſtrumentorum ſacrorum, v.g. ſi quis calice utatur in convivio; ornamenta altarium vel Sacerdotum ad uſus profanos applicet: intellige de iis, quæ conſecrari, vel ſaltem benedici ſolent, nam ad nuptias vel communem uſum adhibere tapetes, candelabra, pelvim, imò & manutergium, & cætera, quæ mediatè ſerviunt miniſterio ſacro, non eſſe peccatum docet Tamb.*De exped.ſacrif.l.*1. *c.*2. niſi fiat ex aliquo contemptu ſaltem implicito, ut ſi ſemper & indifferenter ſic utaris ſupradictis. Atque idem affirmat de candelis, ramis, aqua, incenſo, & ſimilibus benedictis, quòd in modicis iſtis benedictionibus non agatur cum tanto rigore ab Eccleſia, ut patet in pane, ligno, carbonibus &c. benedictis. V.Tamb. §.3. Item violatio vel indignæ tractatio ſacrarum imaginum & Reliquiarum. Item abuſus Scripturæ Sacræ, v.g. ad ſtabiliendas hæreſes vel res turpes. Item raptura bonorum Eccleſiæ, ſuppreſſio piorum legatorum, vel jurium Eccleſiæ fraudatio &c. V.Fill.*tr.*24.*c.*9.Regin.*l.*19.*n.*57.Suarez.

IV. Peccatur etiam ſacrilegio, peccato omiſſionis, v.g. ſi, quæ ad Sacrificium ſpectant, ut corporalia, & ſimilia, ſint valde immunda, Bon.*to.*1.*de Euchar.diſp.*4.*q.ult.p.*9.*n.*24.

V. In Confeſſione exprimenda eſt ſpecies, & materia ſacrilegii. Ratio prioris, quia ſæpè diverſam malitiam habet; v.g. percuſſio Sacerdotis, & fornicatio cum eodem. Ratio poſterioris, quia etiam materia aliquando auget & addit malitiam, v.g. ſi ſit contra Euchariſtiam, addit ſecundùm Gordonum, communi violationi rei ſacræ aliud peccatum contra Latriam. Attingere autem nuda manu calices, patenas, aras, agnos cereos, &c. chriſmate delibuta, non licet fœminis & laicis: Citra contemptum tamen non eſt mortale, ſi vacua ſint; & ſi cauſa ſubſit, nec veniale, Suar.Tamb. §.1. Sine cauſa autem, veniale eſſe docet Suar. Kon. & alii communiter: licèt Tamb. *l.c.* ex Sà &c. contrarium cenſeat probabile; uti & ſi corporalia & purificatoria laventur ab iiſdem. V.Tamb.§.2. Cætera autem, quæ Euchariſtiam immediatè non contingunt, nec chriſmate unguntur, ut mappas, veſtes ſacerdotales, immediatè contingere omnibus licet, Suarez Laym.Tamb. *l.c.* ubi ex Palao, &c. idem concedit de Reliquiis; ſicut etiam, ut eaſdem thecis incluſas penes ſe habeant, vel laici in publicis proceſſionibus geſtent. Idem docet cum Laym.de pyxide ſive ciborio, & lunula benedictis, quando ſacram Euchariſtiam nondum continuerunt. Item de Corporalibus, pallis, & Purificatoriis, quando poſt ſacrum uſum lota ſunt, ex Laymanno, & Bon. Imò etiam ante lotionem, Laym.Tamb.*l.c.*

ADDENDA.

49 Quæſt.12. *Quandonam prætereà cenſeatur committi ſacrilegium?* R.§.1. Sacrilegium committitur, quamvis ille, cujus res eſt, conſentiat: v.gr. ſacrilegium eſt profanare Eccleſiam, licèt impius Papa vel Epiſcopus juberet; ſacrilegium eſt percutere, quamvis conſentiat Clericus percuſſus; ratio eſt, quia adhuc fit læſio ſeu injuria rei dicatæ Deo ad talem actionem invito, ita Caſtrop.*t.*17.*d.*2.*p.*3.*§.*1.

50 §.2. Sacrilegium eſt vim inferre Eccleſiæ vel innocentibus in ea exiſtentibus, etiamſi inſtar arcis munita eſſet ad defenſionem innocentum, qui ſe aliter defendere nequeunt: Si tamen eſſet munita ad vim inferendam hoſtibus, liceret expugnare, diruere vel incendere, ita cum aliis Steph.*t.*3.*d.*3.*n.*55. addens licitum eſſe abducere omnia arma & tormenta bellica ab Eccleſiis, quæ ibi collecta ſunt, ne videlicet hoſtis illis utatur.

51 §.3. *Valent. & alii* putant committi ſacrilegium, ſi quis Eccleſiaſtico furetur aliquid titulo Eccleſiaſtico acquiſitum, v.g. per recitationem Horarum in Choro, ſed *Azor. Suar. & Caſtrop.* ſupra probabiliùs negant, quia nullum Jus circa hoc invenitur favens magis perſonis Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus. Si tamen læderentur bona, quæ non ſunt ſub dominio Eccleſiaſtici, ſed tantùm ſunt deputata ſervitio Eccleſiæ, aut ſpecialiter attributa ſuſtentationi Miniſtrorum ejus, cenſent Caſtrop.& Tamb.*l.*2.*c.*6. *§.*3. *n.*9. fore ſacrilegium, non adversùs perſonam, ſed rem ſacram. Quòd ſi bona tantùm remotè ſint deſtinata Eccleſiæ, v.g. per teſtamentum, ſed necdum poſſeſſa, *Buſemb.ex Suar. Fill. Regin.* reſolvit etiam cum *Leſſ. Valen. & aliis* fore ſacrilegium, ſi quis ea rapiat aut violet, ſed negant Caſtrop.& Tamb.*n.*10.quia talis remota deſtinatio non videtur ſufficere ad faciendum rem eſſe actu ſacram.

52 §.4. Defraudare Decimas non eſt ſacrilegium, ſed injuſtitia, & irreligioſitas ſacrilegio pejor, injuſtitia quidem in homines, & irreligioſitas in Deum, Caſtrop.*n.*9.& Tamb.*n.*11.Ratio eſt, quia homines à Deo Jus habent exigendi Decimas, & ſolutio Decimarum eſt præcepta in recognitionem ſupremi dominii Dei; uti dicetur *L.*4.*n.*1361.

53 §.5. Furari Reliquias, etiam devotionis cauſa, eſt ſacrilegium, Sa, Alloza *v. Sacrilegium*: eſtque peccatum grave vel leve, prout Reliquiæ ſunt, uti dicetur hic *n.*1003.

54 §.6. Circumſtantia temporis ſacri non addit rationem ſacrilegii, v.g. licèt quis peccet die feſto vel in Quadrageſima, non ideò committit ſacrilegium,quia (propriè loquendo)non tempus ipſum, ſed res in tempore Deo ſacrantur, Caſtrop.§.2.*n.*11. Eſſet tamen ſpecialis irreverentia, v.g. erga Paſſionem Chriſti, ſi quis die Veneris ſancto haberet ludricam comœdiam, uti rectè Tamb.*num.*12.

55 §.7. Aliqui putant violationem cujuſcunque voti,v.g.ſi quis violet votum dandæ eleemoſynæ, eſſe ſacrilegium, quia res per votum eſt Deo dicata,ergo qui violat, eſt ſacrilegus: Sed Suar. Caſtrop.*n.*2. & Tamb. *n.*13. probabiliter negant, quia pecunia, quam voviſti dare pauperi, nondum cenſetur eſſe res Deo dicata, ſed tantùm eſt res deſtinata ad executionem voti, per quod non fit ſacra, ergo tantùm peccabitur directè contra fidelitatem Deo debitam, non autem contra rem aliquam Deo ſacratam, quod ad ſacrilegium requiritur.

DUBIUM III.

De Simonia.

ARTICULUS I.

56 *Quid ſit, & quotuplex?*

» Reſp.I. Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi aut vendendi pretio temporali aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum.D.Th.2.2.*q.*100.*a.*1.Laym.*l.*4.*tr.*10.*c.*8.*&c.* Dicitur 1. *Voluntas emendi &c.* quibus verbis intelligitur quivis contractus oneroſus, ſive venditionis, ſive locationis, ſive permutationis aut renunciationis; quia ſimonia non conſiſtit ſine pactione aliqua tacita vel expreſſa, & obligatione ex pacto: quod addo, quia obligatio naturalis quæcumque, ut gratitudinis, ſive antidoralis, non ſufficit; v.g. quando quis ſperat vel intendit tantùm, non tamen obligat, Sa *v. Simonia.* Ratio, quia non facit contractum. V.Bonac. *tom.*1. *De ſimon.d.*1.*q.*6.*p.*1. Leſſ.*lib.*2.*c.*35.*d.*1. Dicitur 2. *pretio temporali*, ſive illud ſit muneris, ſive linguæ, ut eſt laus, vituperium, patrocinium; ſive obſequii & famulatus. Dicitur 3. *ſpirituale*, quo nomine intelligitur res ſupernaturalis ad ſalutem ordinata, ſive ſit formaliter talis, ut gratia, & dona Spiritus Sancti; ſive cauſaliter, ut ſunt Sacramenta, concio, preces, & Sacramentalia; ſive ſit effectus, & uſus poteſtatis ſupernaturalis, ut eſt conſecratio, abſolutio, diſpenſatio, benedictio, excommunicatio, electio, præſentatio, confirmatio, collatio Beneficii, aliique actus Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Dicitur 4. *ſpirituali annexum*, ad comprehendendum ea, quæ non ſunt per ſe ſpiritualia, ſed ad ea ordinantur, iiſque ſunt annexa; ſive antecedenter, ut Jus Patronatus reſpectu Beneficii, vaſa & veſtes ſacræ reſpectu Sacramentorum: ſive concomitanter, ut labor in adminiſtratione Sacramentorum, juxta ſenſum infrà dicendum: ſive conſequenter, ut redditus beneficiorum, qui dantur propter officium ſpirituale. Unde patet malitiam ſimoniæ conſiſtere in irreverentia, quæ committitur, dum res ſpirituales inſtar temporalium pretio æſtimantur & contractibus ſubjiciuntur, atque eſſe peccatum mortale ex genere ſuo, nec veniale fieri poſſe ex materiæ levitate, quia nullum donum gratiæ, licèt parvum, poteſt vendi ſine gravi irreverentia, tum ipſiuſmet doni, tum etiam Dei. Poteſt tamen eſſe veniale ob actus imperfectionem, & ignorantiam. Suar.*To.*3.*de Relig. l.*4.*c.*36. Azor.Fill.*tr.*45.*c.*1. Laym.*l.c.* Leſſ.*l.c.*

Reſp.II. Simonia eſt triplex: *Prima* dicitur mentalis, cùm exterius vel nihil datur temporale, (& dicitur purè mentalis;) vel cùm aliquid datur, & dicitur mixtè mentalis, cum intentione obligandi ad reddendum ſpirituale, ſine ullo pacto externo. *Secunda* dicitur Conventionalis, quæ ad ipſum pactum exterius procedit ſine reali executione; dicturque pura, ſi fiſtat in mutua conventione; mixta autem, ſi de reali & conventionali aliquid participet, ut v.gr. ſi ex altera tantùm parte realiter compleatur. Atque huc reducitur ſimonia confidentiæ, cùm quis alteri dat Beneficium, ut illud ſibi vel alteri reſignet, vel cum onere dandi certam partem fructuum. *Tertia* dicitur Realis, quæ ſcilicet utrimque realiter completur. V.Leſs.*dub.*6.

Reſp.III. Simonia dividitur in eam, quæ eſt *Juris Divini*, eſtque prohibita propter malitiam ſuam, v.g. Hoſtiam conſecratam vendere; & eam, quæ eſt *Juris humani*, eſtque mala tantùm propter prohibitionem: Et ſic ab Eccleſia prohibetur. 1. Venditio Beneficiorum, ſecundùm id, quod in ipſis temporale eſt, ſcilicet quoad jus præciſum percipiendi fructus. 2. Venditio officiorum extrinſecè tantùm ordinatorum ad res ſacras, v.g. Sacriſtæ, Oeconomi, Advocati, Eccleſiæ, Theſaurarii. 3. Oblatio pecuniæ alicui facta, ut ſuadeat alteri, ut det Beneficium. 4. Pactio de reſignando Beneficio vel ſolvenda penſione, ſi alter Beneficium tibi impetret. 5. Permutatio & reſignatio Beneficiorum; item reſervatio penſionis ex Beneficio reſignato; & in cauſa permutationis Beneficiorum, æquatio fructuum, &c. ſi abſque Superioris authoritate fiant; quæ ſi accedat, licita erunt. 6. Acceptio muneris, etiam ſponte oblati, pro examine ad Parochiam, ex Trid. *ſeſſ.*24. *cap.*18. Pro collatione Ordinum, pro Tonſura, litteris dimiſſoriis, ex Trid.*ſeſſ.*21.*c.*1. Excipitur tamen decima pars aurei pro Notario, ſi ſalarium, non habet, & conſuetudo permittat. 2. Exactio pecuniæ pro admiſſione ad Religionem, non pro ſtatu tantùm, is enim ſpiritualis eſt, ideoque jure divino invendibilis, ſed etiam pro onere ſuſtentationis; niſi Monaſterii tenuitas vel conſuetudo contraria excuſent. V.Laym.*lib.ult.* Bonac. *d.*1.*q.*1.*&* 2.Leſs.*d.*10.*&* 12. Azor.*3.p. l.*12.*c.*14. *Ex dictis reſolves:*

I. Simonia eſt, concionari, catechizare, Miſſas facere pro pretio, niſi excuſetur ratione laboris, non intrinſeci (is enim facer eſt, & inæſtimabilis, ſcilicet vel ipſa actio ſacra, vel in ea intrinſecè incluſus) ſed extrinſeci non annexi rei ſpirituali, aut pro labore itineris vel cantus in Miſſa, vel ratione alterius incommodi, pretio æſtimabilis. Ratio, quia illæ actiones ex natura ſua ordinantur ad aliquid ſupernaturale, & ad ſalutem, non autem ad aliquid temporale: ſicut doctio quæcunque, etiam Theologiæ, quæ pretio æſtimabilis eſt. Bon.*l.c.*ex Suar.Fill.&c.*v.infra l.*6.*t.*3.*cap.*4.*d.*1. Laym.*l.c.*§.4.

II. Item ſimonia eſt, dare vel accipere pretium pro abſolutione à peccatis, cenſuris; pro diſpenſatione in voto, juramento, impedimento Matrimonii, irregularitate &c. Poteſt tamen in his aliquid exigi per modum mulctæ,ad cauſam piam applicandæ. Laym.§.2.*num.*24.

III. Non eſt ſimonia, dare aliquid ad redimendam vexam à negante Sacramenta in neceſſitate, Suar. Leſs. *d.*7. *&* 18. Laym. Vel ab iniquè impediente electionem vel poſſeſſionem Beneficii, ad quod Jus in re habes. Quod addo, quia ſi nondum habes jus in re, etſi poſſis redimere vexam ab eo, qui tantùm poteſt obeſſe, non tamen ab eo, qui & prodeſſe & obeſſe poteſt. Ratio eſt, quia non datur tanquam pretium æquivalens rei ſpirituali, ſed ut alter ad officium ritè præſtandum inducatur. Nec ſimiliter ſimonia eſt, dare ſtipendium ad ſuſtentationem Clerici etiam divitis, pro Miſſis, concionibus: aut de eo etiam paciſci. Ratio, quia non datur tanquam pretium ſpiritualis officii, ſed perſonæ in alterius

gra-

» gratiam occupatæ: nec pro operatione ſpirituali, ut ſpiritua-
» lis eſt; ſed ut in alterius gratiam ſuſcepta; proindeque non
» eſt eleemoſyna, ſed debitum Juſtitiæ, Suar. Laym. *l.c.* & alii
» contra Rich. Sylv. & alios.

» IV. Non eſt ſimonia, reddere vel redimere penſionem
» merè temporalem, quia non fundatur in titulo ſpirituali,
» nec refertur ad functionem ſpiritualem. Dixi, *temporalem*,
» quia ſpiritualis, quæ datur v.g. Concionatori vel Coadjuto-
» ri Epiſcopi propter Officium Eccleſiaſticum, in eoque fun-
» datur, nec differt à Beneficio, niſi quòd non ſit perpetua,
» vendi nequit: mixta verò ut, v.g. quæ datur Parocho ſeni
» vel Clerico pauperi ad ſuſtentationem, non quidem vendi
» poteſt, redimi tamen poteſt, modò obligatio recitandi
» Officium B. V. impoſita non extinguatur. Quod intellige, ſi
» in loco, ubi fit venditio, Bulla ſit recepta. Ratio, quia qui
» penſionem redimit, non emit jus ſpirituale, ſed extinguit
» onus temporale ſolvendi certam ſummam pecuniæ, Leſſ.
» *d.*22. Suar. *c.*26. *num.*5. Laym. *num.*46.

» V. Non eſt ſimonia Juris Divini, (etſi quandoque juris
» humani eſſe poſſit) ſpirituale cum ſpirituali permutare, v.g.
» Beneficium pro Beneficio, Reliquias cum Reliquiis, &c. Vel
» dare temporale pro temporali; ut ſi calicem, vel Agnos Dei
» præcisè ratione materiæ vendas: vel dare temporale pro ſpi-
» rituali, per modum doni gratuiti, etiam cum ſpe vel inten-
» tione excitandi ad remunerationem doni ſpiritualis, vel con-
» tra. Ratio eſt, quia gratitudo non reſpicit pretium, ſed Be-
» neficium; nec ſolvit debitum Juſtitiæ; ſed antidorale; quo
» non excluditur, quin gratis detur. Rectè tamen monet *Suarez* hujuſmodi dona, ob præſumptionem valdè cavenda.
» Item, donare, promittere, vel legare temporale quippiam,
» ſub conditione operis ſpiritualis præſtandi, modò non fiat
» per modum retributionis, ſeu commutationis, ut v.g. ſit
» Parens filio promittat munus, ſi Sacramentum frequentet.
» Ratio, quia hic non intervenit contractus oneroſus, ſed ſi-
» ſtitur, vel in liberali donatione, vel donatione ſub tali con-
» ditione & modo, Suar. *l.*4. *c.*45. Laym. *l.c.* §.2. *n.*8. *& alii.*

ADDENDA.

57 Q. *Væſt.*13. *An ſimonia bene dividatur in eam, quæ eſt Juris Divini ſeu naturalis, & in eam, quæ eſt Juris humani, ſive Eccleſiaſtici?* R. Negat Gonet *in diſſ. de prob. n.* 147. & rationem dat, quia nec homines, nec Eccleſia poſſunt mutare naturas rerum, ergo non poſſunt facere, ut hoc ſit ſimonia, quod in ſe non eſt ſimonia: è contra Suar. *de Relig. To.* 1. *tr.*3. *lib.*4. *c.*2. 7. *&* 24. fusè probat illam diviſionem eſſe traditam à plurimis Antiquis, hinc dicendum cum Card. *in* 2. *criſi d.*27. *a n.*7. & Onnate *de Controv. d.*80. *ſ.*3. *& d.*81. *ſ.*8. dari ſimoniam Juris humani ſeu Eccleſiaſtici; neque ex eo ſequitur, quòd homines aut Eccleſia mutent naturas rerum, nam prohibendo, v.gr. permutationem Beneficiorum propria authoritate faciendam, idque ex motivo Religionis, facit materiam illius præcepti eſſe materiam Religionis, ſecundùm dicta Lib. 1. n.626. quod magis explicabitur hic n.111. conſequenter dicendum, quod ſimonia, prout definitur à *Buſemb.* ſit ſumpta ſtrictiſſimè; in genere autem, prout eſt communis ſimoniæ Juris divini, & humani, ſic debeat definiri: *Contractus à Lege prohibitus intuitu Religionis circa ſpiritualia aut ſpiritualibus annexa:* hæc definitio fundatur in Jure Canonico, nam *cap. Quæſtum, de rerum permutat.* dicitur, *Pactio circa ſpiritualia vel connexa ſpiritualibus labem ſemper continet ſimoniæ:* Et Cap. fin. de pactis, *Pactiones factæ à vobis pro quibuſdam ſpiritualibus obtinendis, cùm in hujuſmodi omnis pactio omniſque conventio debeat omnino ceſſare nullius penitus ſunt momenti:* Idem dicitur *Cap. Tua nos,* 34. *De Simonia,* ubi expreſsè dicitur fieri non poſſe ejuſmodi pactiones ſine vitio ſimoniæ: Similiter in Trid. *ſeſſ.*24. *c.*18. *de Ref.* dicitur, quòd dans vel accipiens aliquid occaſione concurſus ad Beneficium curatum, ſive faciat ante ſive poſt eum concurſum, nihilominus committat ſimoniam, non juris naturalis aut divini, uti patet, ergo Eccleſiaſtici, nempè propter prohibitionem Eccleſiæ ex tali motivo Religionis factam. V. Illſ. *tr.*5. *num.*311.

58 *Q.*14. *Quid notandum ſit circa ſimoniam mentalem?* Reſp. ſeqq. §.1. Difficile eſt eam explicare: Steph. *tr.*4. *d.*11. *num.*31. ait, *Eſt intentio accipiendi vel dandi aliquid temporale velut pretium pro ſpirituali:* Sed Leſſ. *l.*2. *c.*35. *n.*35. ait, *Simonia mentalis propriè hoc loco non eſt tantùm internum propoſitum, quo quis vult exteriùs ſimoniacè contrahere (quanquam hoc etiam ſic appellari poſſit, uti propoſitum furandi dicitur furtum mentale) ſed eſt propoſitum, quo quis conferens alteri ſpirituale, intendit illum obligare ad reddendum temporale vel contra, idque ſine ullo pacto externo.* Ray. *de Benef. l.*2. *ſect.*1. *c.*2. *n.*5. *Simonia mentalis* (inquit) *habet pro objecto externam commutationem rei ſpiritualis velut mercis, pro temporali velut pretio.* Sed tota difficultas eſt, quomodò poſſit quis eſſe ſimoniacus mentaliter, cùm nemo tam ſit inſipiens, ut credat aut poſſit velle alterum obligari ſuo actu interno: Et ideò Pirh. *l.*5. *t.*3. *n.*7. ſic habet, *Mentalis ſimonia non eſt nudum internum propoſitum committendi ſimoniam (hoc enim modo etiam datur mentale furtum) ſed eſt illa, quæ habet adjunctum opus externum, quod tamen nullo ſignò exteriore apparet eſſe ſimoniacum, uti ſi quis rem ſpiritualem alicui conferat tanquam compenſationem ex juſtitia debita pro re temporali ab ipſo accepta, vel animo obligandi alteram ad reddendam rem temporalem tanquam ex juſtitia debitam pro re ſpirituali, vel cum intentione obligandi ad reddendam viciſſim rem ſpiritualem, nullo tamen pacto expreſſo vel tacito interveniente, v.g. ſi quis inſerviat Epiſcopo hac intentione, ut pro mercede ei conferat Beneficium, ſine ulla tamen conventione externa verbis vel ſignis facta, is accepto Beneficio, erit mentaliter ſimoniacus:* Cum illo planè conſentit Laym. *l.*4. *t.*10. *c.ult. n.*67. ſic habens, *Mentalis ſimonia dicitur hoc loco, non ea, quæ in ſola mente ſive propoſito conſiſtit committendi ſimoniam, ſed quæ in externum opus tranſit, quod licèt exteriùs nullo modo nec per ſe, nec propter adjuncta ſimoniacum appareat, ex ſola tamen intentione & affectione tale eſt, videlicet ſi aliquis rem ſpiritualem alicui conferat, quaſi eam ex Juſtitia debeat pro obſequio, v.g. temporali ipſi exhibito, licèt nulla, neque expreſſa, neque tacita pactio anteceſſerit; & vice verſa, ſi aliquis rem temporalem alicui conferat, quaſi ex obligatione Juſtitiæ eam debeat pro re ſpirituali ſibi ab altero collata, nulla omninò antecedente pactione.* Eodem modo etiam explicat Suar. *c.*41. *ubi n.*3. ait: *Quando ſimonia dividitur, diviſum debet eſſe ſimonia aliquo modo externa habens aliquem effectum vel actum ſenſibilem & humanum circa alterum, nam debet conſiſtere in aliquo genere contractus dationis ac receptionis: hæc autem ſimonia mentalis dicitur, quando actus exterior, qui in illa intervenit, talis eſt, ut in illo non ſtatim appareat malitia ſimoniæ, nec in his, quæ circumſtant actum, probari poſſit, ſit autem prava & ſimoniaca intentione, cujus eſt capax, & tunc dicitur mentalis, quia licèt externum actum ſeu effectum habeat, malitia tamen ipſa non exteriùs ſe prodit, ſed in mente manet.* Idem Suarez *c.*44. *num.*8. dicit, quòd ſimonia mentalis propriè dicta ſeu interna conſtituatur per voluntatem dandi rem temporalem ut pretium rei ſpiritualis, adeòque, inquit Sot. *Illa præcisè ſimonia mentalis cenſetur, cujus objectum eſt quaſi ſimonia realis,* quia ſcilicet eſt intentio dandi vel recipiendi ſpirituale pro pretio temporali, uti reipſa fit in ſimonia reali. *Si dicas,* quod ante: quomodo fieri poteſt, ut nullo interveniente pacto aliquis intendat obligationem, cùm hæc à pacto pendeat? R. Intendens poteſt cogitare pendere ex re ipſa; hinc intendit accipere rem ſpiritualem tanquam debitam ratione rei temporalis à ſe exhibitæ vel exhibendæ: deinde dans ſpirituale poteſt credere dari temporale pretio, & poteſt intendere illo modo accipere. Si autem ex vi talis intentionis exterior datio vel acceptio imperetur, jam intenditur temporale velut pretium ſub obligatione, quam præſumit apprehendi ab altero.

§.2. Simonia mentalis committi poteſt, non ſolùm in ſi- 59
monia juris naturalis vel divini, ſed etiam humani tantùm: eſt communis cum Suar. *n.*16. contra *Gloſſam;* ratio eſt, quia voluntas faciendi, quod Eccleſia prohibet, mala eſt, licèt non progrediatur ad pactum externum.

*Q.*15. *An ſit ſimonia mentalis, ſi ſpirituale intendatur vel* 60
fiat principaliter propter temporale, aut contra? R. §.1. Card. *in* 2. *criſi d.*27. *c.*5. *a.*2. abſolutè affirmat: idem dicunt multi apud Suar. *c.*44. *à n.*1. conſentit Leur. *p.*3. *q.*744. *n.*2. Probant authoritate S. Th. *Quodl.*8 *art.*11. *Quæritur, utrùm ille, qui vadit ad Eccleſiam propter diſtributiones, aliàs non iturus, peccet? & ſic reſpondetur, ſi hujuſmodi diſtributiones reſpicit quaſi finem ſui operis principaliter intentum, ſimoniam committit, & ita mortaliter peccat: ſi autem habet finem principalem (Deum) in tali actu, ad hujuſmodi autem diſtributiones reſpicit ſecundariò, non quaſi in finem, ſed ſicuti in id, quod eſt ſecundarium ad ſui ſuſtentationem, conſtat, quòd non vendat actum ſpiritualem, & ita ſimoniam non committit, nec peccat, ſic enim acquiſitio diſtributionum non erit cauſa, quare ad Eccleſiam vadat, ſed propriè hujuſmodi determinatio, quare nunc vadat & non alia vice:* quandonam autem temporale ſit cauſa principalis, cur fiat ſpirituale, varii variè explicant. *Silv. Suar.* aliique Canoniſtæ dicunt tum eſſe, quando ſine ea intentione, & ſpe non fieret ſpirituale; *Nav.* & alii dicunt tum eſſe, quando temporale magis intenditur: *Ratio* autem, cur videatur tum eſſe ſimonia, eſt hæc, quia hoc eſt æquivalenter vendere actionem ſpiritualem; ſicuti enim, qui ſervit Domino propter mercedem, vendit actionem ſuam, quia commutat eam cum illa mercede, ita qui facit actionem ſpiritualem propter temporale, vendit ſpirituale, quia commutat cum temporali. Ex his infert *Carden.* eſſe ſimoniam, ſi quis

Miſ-

Miſſam celebret, Sacramenta adminiſtret, concionetur, oret Horas &c. propter ſtipendium vel emolumentum temporale tanquam propter finem principalem: Si tamen principaliter intendat Dei honorem vel bonum ſpirituale ſuæ animæ aut proximi, fatentur non peccare, quia temporale eſt tantùm finis ſecundarius & impulſivus, determinans ad eliciendum hoc potius tempus, quàm illud.

61 §.2. Certum eſt eſſe ſimoniam, ſi temporale intendatur veluti pretium, ſeu velut æquivalens in commutatione cum re ſpirituali, quia irreligio eſt, ſpiritualia æſtimare temporalibus aut temporalia æquiparare ſpiritualibus: ſed advertendum eſt, quòd ratio pretii & ratio finis principalis non ſint idem, uti patet in plurimis exemplis, ſic ſanitas eſt finis principalis ſumentis medicinam, non tamen eſt pretium; è contra ſi quis invitus vendat frumentum graviter indigenti pecunia eſt pretium, non tamen eſt finis principalis, nam ideo principaliter vendit, ut ſatisfaciat præcepto charitatis: & ratio illius à priori eſt, quia finis dicit reſpectum ad appetitum, tanquam bonum propter ſe appetendum, pretium autem non petit intendi, tanquam bonum propter ſe appetendum, ſed ſatis eſt intendi, tanquam habens æquivalentiam cum tali re, & tanquam dandum loco illius, adeòque ratio pretii requirit, ut per illud ſolvatur obligatio orta ex re accepta vel ex opere præſtito, reſpiciendo ad valorem, & æſtimationem ejus; aut è converſo, ut per datum pretium oriatur in alio obligatio dandi rem vel opus ſpirituale ſub proportionali habitudine rei vel operis ſufficienter æſtimati & recompenſati per tale pretiũ.

62 §.3. Docent Sanch.Maldonat.Silv. Suar.*n.*11. Caſtrop.*tr.*17. *d.*3.*p.*4.*n.*3.Pirh.*lib.*5.*tr.*3.*n.*130. ſi temporale non æquiparetur ſpirituali, non eſſe ſimoniam, licèt ſpirituale intendatur aut fiat principaliter propter temporale, quamvis fateantur in eo poſſe eſſe aliquam inordinationem, ſaltem venialem. *Rationem* dant, quia temporale illud non intenditur tanquam pretium, ſed tanquam eleemoſyna vel ſtipendium, quod ex officio peti poteſt pro ſuſtentatione: & ideò Con. *De act.ſupern.d.*19.*n.*82. & Burgh.*cent.*1.*caſ.*23.univerſaliter ſic habent: *Non eſt reprehenſibilis, qui bona opera facit, ut aſſequatur bonum temporale, quia bona opera ſunt media ordinata à Deo, non tantùm ad bona ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia*, ergo qui illa adhibet ut media ad bona temporalia obtinenda, ſecundùm illos non peccat, dummodò habitualiter paratus ſit etiam ſervire Deo, quamvis non daretur tale bonum temporale. *Confirmant*, nam qui dat Sacerdoti temporale ſtipendium, per illud principaliter intendit Miſſam, quæ eſt aliquid ſpirituale, & tamen non eſt ſimoniacus, ergo vice verſa, qui dat vel facit ſpirituale principaliter pro temporali tanquam ſtipendio, non eſt ſimoniacus, ideoque ſi intentio rei ſpiritualis non ſit mala nec conjuncta cum alio inordinato affectu, ſed tendat ad finem honeſtum, nullum erit peccatum ordinare rem ſpiritualem etiam principaliter & proximè ad finem temporalem, quia res ſuperioris ordinis poteſt honeſtè ordinari ad finem inferiorem, dummodò in hoc non ſiſtatur, ſed per illum ulterius ad finem alium honeſtum tendatur, uti notant Nav. & Suar.*n.*12. Vide tamen dicenda *n.*69.*&* 78.

63 *Q.*16. *Quid notandum ſit circa ſimoniam confidentialem?* R. ſeqq. §.1. Simonia confidentialis eſt, ſi quis ſine expreſſa Papæ licentia alicui procuret Beneficium, conferendo, eligendo, præſentando, inſtituendo, confirmando, reſignando, dando in commendam, &c. cum certa confidentia, ut is, cui procuratur, poſtmodùm conferenti ipſi aut alteri perſonæ illud reſignet, vel penſiones aut fructus ex eo præſtet alteri: ita ſtatuit *S.Pius V.* in Bulla: *Licèt felicis recordationis*, 5. Jan.1568. *& intolerabilis*, 6.Aug.1579.docentque Authores communiter cum Leſſ.*lib.*2.*c.*35. *n.*96. Et ſatis eſt, quòd unus, v.g. ſolus conferens, committat hoc cum Procuratore ignorantis, & accepturi Beneficium, Azor.*t.*3.*l.*12.*c.*10.*q.*2.imò ſufficit, à ſolo mediatore eſſe commiſſam, inito tali pacto cum alio quocunque, Suar.*c.*57.*n.*4.

64 §.2. Committitur hæc ſimonia tripliciter, uti cum communi tradit Pirh.*n.*114.1.Per acceſſum, v.g.Cajus cupit provideri Titio necdum habenti ætatem, hinc Cajus hoc Beneficium petit ſibi, & ſuum reſignat Sempronio, cum pacto, ut Sempronius tamdiu eo fruatur, ſed poſtea reſignet Cajo, cùm ætatem habuerit: 2. Per regreſſum, uti ſi Cajus Beneficium jam poſſeſſum reſignet Titio, reſervans ſibi Jus redeundi ad illud, ſi Titius illud accipiat: 3.Per ingreſſum, uti ſi Cajus collatum ſibi Beneficium, ſed necdum poſſeſſum Titio reſignet, cum ſimili pacto, uti in ingreſſu. Pœnæ hujus ſimoniæ longè ſunt graviores, quàm ullius alterius, uti patebit ex dicendis à n.220.& oſtendit Pirh.*n.*115.

65 §.3. Si reſignes cum intentione obligandi alterum ad iterum reſignandum, & hanc mentem non manifeſtes, eſt tantùm ſimonia mentalis; ſi verò tuam mentem manifeſtes, putant cum aliis Caſtrop.*tr.*17.*d.*3.*p.*18.*n.*4.& Dian.*p.*9. *t.*9. *R.*18.eſſe ſimoniam confidentialem, quia *S.Pius V.* dicit: *Sola dimittentis intentione &c.* Sed Azor.Nav.Leſſ.*c.*35.*n.*95.96. Suar.*c.*43. *n.* 12.*& alii* requirunt pactum ſaltem tacitum; & *S.Pius V.* tantùm vult præſumi poſſe ſimoniam, ſi illa intentio ſit manifeſtata, quia tunc præſumitur aliquod pactum: imò Nav.Bann. & Dian.*p.*11.*tr.*5.*R.*20.requirunt pactum civile ſeu legale, ex vi cujus debitum quaſi coram Judice exigi poſſit, ſed id meritò non requirunt alii.

§.4. Si reſignes cum onere, ut acceptans ſolvat penſiones 66
vel partem fructuum alteri, omnes tenent eſſe ſimoniam confidentialem: Si autem reſignes cum onere, ut ſolvat tibi reſignanti, Ugol.Menoch.Sanch.Nav.Leſſ.*n.*97.Dian.*p.*9. *tr.*9. *R.*17. dicunt eſſe tantùm ſimoniam communem, quia *D. Pius V.* tantùm dicit fore confidentialem, ſi ſe obliget aliis vel aliis, verba autem odioſa non ſunt extendenda ad perſonam non expreſſam: è contra Suar.*n.*7. Caſtrop. *num.*6. & alii probabiliùs dicunt fore, quamvis tibi reſerves. 1. Quia ſi reſignes ſub parte fructuum ſecundùm libitum tuum, eſt confidentialis, uti expreſsè habetur, ergo etiam ſi ſub penſione pro te, quia hæc eſt pars fructuum. 2 Signum dignoſcendi, an ſit confidentialis, aſſignatur, ſi reſignans percipiat fructus. 3.*Pius IV.* cujus Bullam confirmat *S.Pius V.* expreſsè dicit eſſe confidentialem, ſi reſignans ſibi reſervet. 4.Quando dicitur, *alii*, intelligitur alius ab eo, qui accipit Beneficium: atqui reſignans eſt alius ab eo, ergo.

§.5. Hæc ſimonia tantùm habet locum in acceptionibus 67
aut reſignationibus Beneficiorum, non autem penſionum, aliarumve rerum: imò nec in permutationibus Beneficiorum, uti tenent Nav.Suar.*n.*11.Leſſ.*n.*96.Laym.*cap.ult.*§.8.*n.* 75.Caſtrop.*num.*2.Pirh.*num.*113.Leur.*p.*3. *qu.*753. quia verba odioſa non ſunt extendenda ultra id, quod ſignificant: rectè tamen notant Caſtrop. & Dian. *Reſ.*18. eos, qui Beneficia cauſa permutationis vacantia conferunt ſub talibus confidentiis, incurrere hanc ſimoniam, quia Bulla habet generaliter: *Si quis conferat Beneficium vacans &c.* vacat autem ex cauſa permutationis, uti omnes tenent cum Garz.*de Benef. p.*11. *c.*4.*à n.*1.

§.6. Pretium hìc debet eſſe, vel Beneficium idem, vel penſio, 68
aut pars fructuum illius; unde ſi contrahatur de alio Beneficio, vel de alio pretio reddendo vel ſolvendo, erit tantùm ſimonia communis, uti notant Suar.Laym.Pirh.*ibid.*

*Q.*17. *Quomodo in materia Beneficiorum Eccleſiaſticorum* 69
contrahatur ſimonia communis? R. conſtabit ex ſeqq. §.1. *Innoc.XI* damnavit hanc 45.propoſ. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compoſitio pro ſpirituali: aut è contra*: Item iſtam 46. *Et idem quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; imò etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic, ut illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis*: pro intelligentia,

§.2. *Suppono*, quòd omnis pactio, etiam tacita tantùm & 70
implicita, circa Beneficium propriè dictum, facta authoritate propria ſit ſimoniaca Jure ſaltem humano uti n.57.dictum eſt, docentque AA.cum Rayn.*de Benef.l.*2.*ſ.*1.*c.*2.*n.*11.& Leur.*p.*2. *qu.*767.*n.*5.*item p.*3. *q.*727. nam reverentia erga rem ſacram & periculum tractandi velut profanam meritò movit Eccleſiam ad pacta in Beneficiis prohibenda, niſi fortè fiant ſub conditione, ſi Superior conſenſerit, ſive ſub futura ratihabitione illius, de quo dicetur *Lib.*4. *num.*1063. Hinc ſequitur eſſe ſimoniam, ſi expreſsè vel tacitè fiant pacta ejuſmodi: *Si mihi contuleris hoc beneficium, obligo me ad dandos tibi ex gratitudine* 100. *aureos*: Item, *Dabo tibi liberaliter Beneficium, ſi te obliges ad dandos mihi liberaliter* 100. *aureos*: Item, *Obligo me ad dandos* 100. *Aureos, non velut pretium, ſed veluti motivum compenſationis, quam explebis, mihi conferendo hoc Beneficium*: omnes hi aliique ſimiles contractus ſunt ſimoniaci: quamvis enim in duobus prioribus ſignatè dicatur fieri ex gratitudine vel liberalitate, tamen exercitè admittitur obligatio, ergo reipſa non eſt gratitudo vel liberalitas, inducitur enim nova obligatio diſtincta à debito gratitudinis, quod non obligat ad aliquid determinatum: in poſteriori autem, quamvis dicatur non eſſe pretium, tamen habet rationem pretii, & eſt ſaltem æquivalenter pretium, uti patebit ex dicendis. *Nec refert*, quòd multi Authores antehac docuerint tales contractus non eſſe ſimoniacos, ut videri poteſt apud Rayn.*cap.*10.*num.*38.& Dianam *p.*2.*tr.*16.*R.*39.*p.*6. *tr.*7. *reſ.*42.*p.*11.*tr.*6.*reſ.*31.*& tr.*7. *reſ.*23. nam omnis probabilitas earum opinionum eliſa eſt per damnationem relatarum propoſitionum, & opiniones illas latè confutarunt Suar. *cap.*45. *n.*9.Mendo *d.*1.*q.*22.Carden.*in* 2.*criſi*, *diſs.*27.*c.*3.

§.3. Quamvis ille, cui confertur aliqua gratia, de jure na- 71
turæ teneatur eſſe gratus, poſſitque etiam, ut innuit Card. *n.* 58.ſe obligare ad antidorum, ſive ad ſolvendum debitum gratitudinis, tamen non tenetur eſſe gratus exhibendo determinatè

hoc

hoc vel illud, v.g. dando pecuniam, ſed ſatis eſt, quòd ſit paratus gratificari, prout ipſe ſponte voluerit, v.g. per preces, jejunia aut eleemoſynas pro ipſo: & hoc habet obligatio antidoralis, quòd non obliget ad aliquid determinatum, hinc qui dicit: *Si mihi conferas Beneficium, ero gratus*, ut declinet ſimoniam & maneat in voluntate ſolvendi debitum puræ gratitudinis, non debet intendere ullo modo ſe obligare ad aliquid determinatum, uti à n.102. magis explicabitur.

72 §.4. Qui dat aliquid temporale velut pretium pro ſpirituali, committit ſimoniam, uti omnes docent; ſive detur ante, ſive poſt obtentum ſpirituale, quia ſpirituale æſtimat temporali, in quo eſt manifeſta irreligio: poteſt autem aliquid dari ex pretium, vel formaliter vel virtualiter; tunc datur ut pretium formaliter, ſi directè intendens dare loco rei ſpiritualis, & in commutationem cum ea, nam, uti rectè notant Suar. *cap.36. num.7.* & Raynaudus *n.36.* in hac commutatione, & quaſi quadam comparatione ſeu æſtimatione ad invicem conſiſtit ratio formalis pretii: tunc datur ut pretium virtualiter, ſi proximè, & immediatè tunc des, quando intendis obtinere aliquid ſpirituale, & non adſit alius titulus, ob quem des, das enim ex aliquo motivo, ergo ſi non das ex alio, das ex præſente, quod eſt, ut obtineas illud ſpirituale, & hoc eſt dare veluti pretium pro ſpirituali: alii tituli dandi poſſent eſſe, ut ſublevares egeſtatem, ut expleres gratitudinem aliunde debitam, cujus explendæ hactenus non fuiſſet occaſio, &c. hoc ipſo autem quòd non des ex alio tali motivo, convinceris exercitè dare velut pretium rei ſpiritualis obtinendæ, quamvis ſignatè dicas, & velles non haberi velut pretium: Sic autem dari temporale pro ſpirituali videtur prohibere Pontifex per damnationem allatarum propoſitionum: potuit enim Eccleſia hoc prohibere, quamvis fortè non eſſet intrinſecè malum, quia nempè eſt periculoſum, & facilè eſſet occaſio mali: quòd autem ſic prohibuerit, inde ſuadetur, quia verba illa, *quando temporale eſt motivum*, aliquid ſignificant, & non aliud, niſi quod dictum eſt, nam temporale habet ſe ut motivum, quando non eſt aliud, quod efficaciter moveat, quamvis fortè quærantur prætextus aliorum motivorum: quando autem in dubio præſumi poſſit aliquid eſſe vel non eſſe datum tanquã pretium, rectè explicant Suar. *à n.9.* & Pirh. *l.5.t.3.n.91.*

73 §.5. Qui dat aliquid temporale tanquam motivum ſpiritualis ſibi reciprocè dandi, v.g. ut alter moveatur ad conferendum ſibi Beneficium, committit ſimoniam ſaltem Juris Eccleſiaſtici, quamvis nullum aliud pactum nè implicitum quidem interveniat, uti patet tum ex propoſ.45. damnata n.69 relata, tum etiam quia per pecuniam proximè parat ſibi viam ad Beneficium, quod S.Th.2.2.*q.*100.*art.2.ad* 5. *& alii* communiter dicunt eſſe ſimoniacum; imò illud temporale habet ſe ut pretium virtualiter, cùm enim non det alio titulo, dat v.g. pro Beneficio, ut jam dictum eſt, ergo committit ſimoniam, quam etiam admittit recipiens tale temporale, ſi per hoc motus illi conferat Beneficium, quia ſpirituale reddit pro temporali, unde ſicuti Judex, qui ideo fert ſententiam iniquam, quia accepit munera, dicitur vendere Juſtitiam, ita ille, qui propter munera confert Beneficium, dicetur vendere Beneficium; tale enim munus in utroque caſu eſt virtualiter pretium, & uterque concurrit in hunc mutuum contractum, unus ut per munera moveat, alter ut propter munera det, uti rectè advertit Card. *c.2.* ubi addit *n.23.* & ex Jure probat *n.20.* ſi munus temporale fuerit parvi momenti, tunc non præſumi ſimoniam, quia dans non cenſetur per illud inducere voluiſſe, neque acceptans credi debet per illud eſſe motus, ideoque etiam S.Thomas *in* 4. *d.25.art.1. qu.3. ad* 1. dicit probabile non eſſe, quòd animus Judicis flectatur ad aliquid faciendum pro parvo munere: & de hoc habetur notabile *Cap.Etſi quæſtiones, de Simonia*, ubi inter cætera dicitur, *Quod autem ſcriptum eſt, Beatus, qui excutit manus ſuas ab omni munere, de illis donis dictum eſt, quæ accipientis animum allicere vel pervertere ſolent*; & additur, *quòd electuarium, vel de vino: ſive alia hujuſmodi cenſeantur non movere*: Et prò colligenda levitate muneris additur, *in accipiendis, vel dandis muneribus tria maximè ſunt attendenda, perſonæ ſcilicet dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus.*

74 §.6. Si quis etiam antecedenter det aliquid vel præſtet obſequium temporale, non intendens in altero ſtrictam obligationem, neque debitum ad hoc vel illud determinatè, ſed tantùm expectans naturalem gratitudinem, ad quam quiſque obligatur poſt acceptum beneficium, vel è contra ſi quis præſtet beneficium ſpirituale ſic expectans naturalem gratitudinem per aliquid temporale, nec committit ſimoniam nec peccat, ut docent multi cum Suar. *cap.45. num.4. & 7.* Dian. *par.10. tract.15. Reſ.5.* Rayn. *num.33.* Ratio eſt, quia non vult obligare acceptantem determinatè ad aliquid; nec movere ad dandum ſpirituale propter temporale, ſed tantùm vult ei benefacere, & illa tantùm obligationem inducere, quæ neceſſariò ſequitur ex omni obſequio, quod alteri præſtatur: facere enim aliquod obſequium, & obligare recipientem ad aliquam gratitudinem moraliter loquendo ſunt unum & idem, quia obligatio gratitudinis intrinſecè ſequitur ex vi beneficii vel obſequii præſtiti, unde Rayn. *n.*40. dicit planè certam, & ferè omnium ſententiam eſſe, quòd non ſit ſimonia, neque illicitum, per ſe loquendo, dare antecedenter aliquid temporale, ex intentione, ut alter, qui tunc de Beneficio ſpirituali dando non cogitabat, ſuo tempore ſit benè affectus erga dantem, velitque eſſe gratus, qualis poterit eſſe, ſi quando occaſio tulerit, donet Beneficium ſpirituale: & ratio ulterior eſt, quia nullo Jure prohibemur demereri omni modo honeſto eum, qui poteſt nobis aliquando benefacere, unde ſicuti ſecundùm S.Th.2.2.*q.* 78.*ar.*2.*ad* 3 licitum eſt dare mutuum ad ingenerandam in mutuante obligationem gratitudinis, & intendendo, ut ex illa rependat aliquid, prout ipſi placuerit, ita & hìc licebit dare temporale ex intentione vel ſpe, ut reddat ſpirituale, non propter temporale datum, ſic enim vellet, ut temporale eſſet motivum conferendi ſpirituale, quod eſt damnatum, ſed ſponte ſua, quia ita placebit, & erit aliquid aptum extinguere obligationem naturalem gratitudinis; ideoque docet idem Rayn. *n.*41. etiam licitum eſſe dicere ſe optare ab eo gratitudinem præſtari per collationem talis beneficii, ſicut enim ſecundùm *S.Thom.* ſupra, petere poſſum à mutuatario, ut aliqua retributione ſponte data liberet ſe naturali obligatione gratitudinis, quam contraxit ſumendo mutuum, ita & hìc; & ratio utriuſque à priori eſt, quia nullo jure prohibemur petere, ut alter id, ad quod tenetur, eo modo faciat, quo ipſi facere eſt licitum, qualiter ſolùm hìc petitur: ſapienter tamen monet Suar. *n.*8. hæc poſtrema eſſe cavenda ob periculum, & ſpeciem pactionis; quod tunc maximè verum eſt, ſi proximè & immediatè anteà detur aliquid, quando agitur de Beneficio conferendo, tum enim facilè induet rationem pretii virtualis.

§.7. Ille, cui aliquid temporale datum vel præſtitum eſt 75
ab altero, ideòque naturaliter obligatur ad gratitudinem, non peccat, ſi donet ſpirituale, aut è contra ſi accepto ſpirituali donet temporale, ad ſatisfaciendum illi obligationi antidorali, uti dictum eſt, quia non dat tanquam determinatè debitum, ſed velut aliquid aptum extinguere debitum gratitudinis anteà contractum, & potiùs reſpicit affectum illius, qui benefecit, cui reſpondere vult per exhibitionem ſimilis affectus, ita Suarez *num.6. &* 14. addens *num.*13. ſic redonantem poſſe etiam verbis exprimere, quòd per illud velit extinguere illam naturalem obligationem anteà contractam, quia exprimere ea, quæ inſunt non facit ſimoniam, hìc autem ſolùm illud exprimitur, quod ineſt: omnis enim redditio beneficii ex natura ſua eſt extinctio obligationis antidoralis anteà contractæ, manetque gratis redditum, quamvis reddatur ad ſatisfaciendum illi obligationi, uti rectè Suar. *num.*14.

§.8. Si ex pacto detur aliquid temporale veluti gratuita 76
compenſatio pro ſpirituali, aut è contra ſpirituale pro temporali, eſt ſimonia, uti conſtat ex prop.45. damnata, & ex dictis num.70. Etiam eſt ſimonia, ſi temporale, quantumvis ſine pacto, ſed omninò gratis, detur veluti aliquid compenſans ſpirituale, id eſt, veluti adæquans æſtimabilitatem rei ſpiritualis, uti colligitur ex prop.46. damnata, hoc eſt enim grave vilipendium rei ſpiritualis, ſi illi æquiparetur temporalis, ac ſi eſſet juſtum ejus pretium: & hoc ſignificat illa particula, *pro*, uti notant Cajet. apud Suar. *c.*44.*n.*3. & Carden. *n.*68. quia denotat commutationem, neque cadit in illud, quod datur merè gratis.

§.9. Gratuita donatio, quæ fit poſt acceptum aliquid ſpi- 77
rituale, ab omnibus ſolet permitti tanquam licita: March. *tamen in Tribun.T.3.tr.*10. *t.6. q.9.* notat donationes gratuitas eſſe duplices, primæ ſunt omninò independentes mutuò ab invicem; & certum eſt has licere, v.g. Titius mihi gratis ceſſit Beneficium, & poſteà incidit in paupertatem, in qua, ſi ego memor beneficii accepti donem ipſi ſummam pecuniæ, non ſum ſimoniacus, quia utraq; donatio eſt ab altera independens: è contra aliquæ donationes ab invicem dependent, & dicuntur reciprocæ ſeu relativæ, ſolentque exprimi his verbis, *do quia das, do ut des, do quia dediſti, do quia dabis*, & has dicit eſſe ſimoniacas, tum quia minuunt rationem gratuiti, quod in Beneficiis debet eſſe puriſſimum: tum etiam quia videntur includere quoddam pactum virtuale retributionis tanquam debitæ, eò quòd una propter aliam reſpectivè fiat. *Fateor* (inquit March.) *Multa hìc afferri poſſe in contrarium, quæ in ſpeculatione aliquam probabilitatem præſeferunt, ſed in praxi non ſine murmure conſcientiæ proponuntur, & ut plurimùm ſi mentiamur nobis, & hominibus, non poſſumus tamen mentiri Deo.* Hæc doctrina March. vera eſt, ſi accedat pactum illud virtuale, aut ſi poſtea redonetur aliquid temporale veluti compenſatio ſtricta pro ſpirituali, id eſt, veluti adæquans æſtimabilitatem rei ſpiritualis, uti anteà dictum eſt. De

cæte-

cætero ſi omnino gratis donetur velut munus, quo recognoſcatur effectus benefactoris, per ſe loquendo, non eſt ſimonia, nam de jure naturæ non eſt, uti patet, cum nihil detur veluti pretium rei ſpiritualis; neque de Jure Eccleſiaſtico, quamvis enim Eccleſia poſſet etiam omninò gratuitas ejuſmodi donationes prohibere veluti ſimoniacas ob ſuſpicionem; ſpeciem vel periculum ſimoniæ, quæ intervenire poſſet, ſicuti prohibuit veluti ſimoniacam omnem donationem etiam gratuitam, quæ fieret occaſione concurſus ad Beneficium curatum facti vel faciendi, tamen non ſatis oſtenditur, quod Eccleſia tales gratuitas donationes, quæ fiunt poſt obtentum beneficium, de facto ſic prohibuerit, uti rectè Carden. *à num.*70. Hinc *Cap. Sicut* 1. *q.*2. dicitur: *Oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione proceſſit*: Item *Gratanter recipi poterit, quod fuerit ſine taxatione gratis oblatum*, inquit *Innoc. III. cap. Dilectus*, 30. *de Simonia*. V. Leur, *p.*3. *q.*746.

78 §.10. Si quis alteri det ſpirituale propter temporale veluti propter principale extrinſecum motivum, in quod tendit per dationem illius ſpiritualis, v. g. ſi quis alteri conferat Beneficium Eccleſiaſticum principaliter ex illo fine, ut accipiat, vel quia accepit pecuniam aut ſervitium aliquod temporale, quamvis omninò nullum adſit exterius pactum nè implicitum quidem, eſt, ſaltem plerumque, ſimonia mentalis, ita Carden. *n.*96. & patet ex propoſ. 46. damnata: ratio autem, quia ſic conferens, plerumque ſaltem in mente ſua æquivalenter vult vendere ſpirituale pro temporali, cum intendat ſpirituale commutare cum illo temporali, ſeu dare aut habere loco illius, ſicque appretiat ad invicem, quod eſt ſimonia. Dixi, *plerumque ſaltem*, quia ſi poſt acceptum aliquid temporale, daret ſpirituale etiam principaliter intendens extinguere obligationem gratitudinis, non autem appretiando illa inter ſe, non eſſet ſimonia, uti n.75. dictum eſt. Notat etiam Suar. *c.*36. *n.*7. ex illa conditione negativa, quòd ſine commodo temporali non eſſet quis daturus rem ſpiritualem, non colligi ſufficienter, quòd adſit virtualis ſimonia.

79 *Q.*18. *Quibus præterea modis contrahatur ſimonia in materia Beneficiorum Eccleſiaſticorum?* R. Planè variis, quorum aliquos recenſebo. §.1. Simonia eſt ſecundùm dicta num.76. in primis ſi temporale munus detur pro ſpirituali: munus autem temporale aliud dicitur à manu, aliud à lingua, aliud ab obſequio, uti declaravit *Urbanus II. cap. Salvator* 8, *cauſ.* 1 *q.*3. Per munus à manu intelligitur pecunia vel res quæcunque pecunia æſtimabilis, ſive mobilis, ſive immobilis, item ceſſio aut remiſſio debitorum, dilatio aut anticipatio ſolutionis aliunde debitæ, datio mutui, &c. Per munus à lingua intelligitur laus, commendatio, defenſio, interceſſio apud alios. Per munus ab obſequio intelligitur quodvis ſervitium vel promotio aut executio negotii in gratiam alterius facta: per ſpirituale autem hic intelligitur, quod ex natura ſua ordinatur ad finem ſupernaturalem, uti rectè Illſ. *T.*5. *n.*302. Deinde etiam ſimonia eſt, ſi ex pacto detur etiam ſpirituale pro Beneficio: quæ omnia jam declarabuntur.

80 §.2. Si certem cum collatore pro mille aureis, quòd ipſe Beneficium non ſit mihi, ſed alteri collaturus, eſt palliata ſimonia, nam æquivalenter facio, ut ipſe pro illa pecunia acquirenda mihi Beneficium conferat, lucrando mille aureos ex illa ſponſione, ita Arſd. *T.*2. *p.*2. *t.*5. *c.*12. §.2. *q.*1. hinc Sanch. cum Dian. *in Comp. V. Simonia num.*14. *& in Summ. n.*8. docet concertationem, qua Cajus certat ſe non accepturum beneficium, Titius autem certat eum accepturum; item contractum initum inter Cajum & Titium, ut qui prior obtinebit Beneficium, det alteri tertiam partem fructuum, plerumque eſſe ſimoniam, quia talia fiunt cum intentione obligandi alterum, ut procuret ipſi Beneficium, ſi tamen ſincerè fierent ſine tali intentione, non eſſet ſimonia. Similiter ſi ab illo, cujus votum in electione deſideras, mutuo accipias magnam ſummam, eo fine, ut te eligere cogatur, ne mutuum ſuum perdat, eò quòd futurus ſit impotens ad reſtituendum, ſi non eligaris, eſt ſimonia, quia timore damni temporalis, & reſtitutione illius ſummæ emis votum.

81 §.3. Pactum hoc, quo Titius dicit Cajo, ſi tu luſum viceris, conferam tibi Beneficium, ſi autem ego vicero, tu mihi dabis centum aureos, Steph. *t.*4. *d.*11. *n.*38. *& alii* rectè dicunt, per ſe loquendo, eſſe ſimoniacum: *Si dicas*, non eſt ſimonia, ſi Titius & Cajus certent inito hoc pacto, ut ſi Cajus vincat, Titius legat Miſſam pro Cajo: ſi autem vincat Titius, Cajus det ſolidum Titio, ergo nec eſt in priore caſu. R. Lopez dicit utrumque eſſe ſimoniam & Lugo *de Juſt. d.*31. *ſ.*1. *n.*5. improbat tale pactum propter periculum ſimoniæ: tamen Rodriq. Leſſ. Bonæſpei & Steph. *d.*9. *n.*53. negant eſſe ſimoniam, quia pecunia non habet ſe velut pretium: ſed difficultas eſt in danda diſparitate; fortè hæc eſſe poteſt, 1. Quod mens Titii vel Caji præſumatur eſſe in primo caſu dare vel acceptare beneficium in commutationem illius pecuniæ, adeòque ſemper ſit ſimonia ſaltem mentalis, quod non præſumitur in poſteriore caſu. 2. Quod licèt in neutro expetatur pecunia velut pretium aut exponatur velut æſtimatio rei ſacræ, tamen pro Miſſa legenda vel audienda, uti & pro precibus, licitum eſt ſaltem ex conſuetudine dare, & exigere aliquid velut ſtipendium ſuſtentationis aut pro laboribus extrinſecùs adjunctis; ergo etiam licebit contra ea exponere pecuniam; è contra in exequenda collatione beneficii nihil pro ſtipendio poteſt exigi, ergo ſi hic contraponatur pecunia, erit tanquam pretium, quo æſtimabitur res ſacra, hoc autem eſt ſimoniacum.

§.4. Si Titius Collator planè liberaliter dicat Cajo, *conferam* 82
tibi Beneficium; Cajus autem agnoſcens benevolum in ſe animum reponat, *& ego tibi donabo illud officium*, videtur eſſe ſimonia, nam æquè ſimonia eſt, ſi Collator per aliquid appromiſſum firmetur in promiſſione beneficii, ac ſi primò moveretur ad promiſſionem, quia firmatio promiſſionis equè connexa eſt cum ſpirituali ac promiſſio ipſa, promiſſio autem Caji eſt de ſe firmativa promiſſionis Titii, quia de ſe eſt apta firmare hominem ſimilis conditionis, cujus eſt Titius, neque promiſſiones expreſsè ac tacitè conditionatæ differunt in ſubſtantia, ſed tantùm in modo, unde ſic argumentor: ſi Cajus expreſsè dixiſſet, *ſi permanſeris in tua promiſſione, donabo illud officium*, eſſet promiſſio ſecundùm ſe ſimoniaca, uti patet, ergo etiam nunc eſt talis, quia eſt promiſſio ex cauſa futura & intenta, ergo tacitè conditionalis, nam reipſa, & ſpectatis circumſtantiis cenſebatur dicere: Quia promittis, & permanſurus es in promiſſione ac collaturus beneficium, donabo officiū, ergo æquivalenter dicebat, ſi permanſurus ſis, & conferas beneficium, donabo officium: quod iterum argui poteſt à poſteriori, nam ſi Titius non fuiſſet permanſurus in illa promiſſione nec collaturus Beneficium, Cajus noluiſſet donare officiū, uti inſpecta conſcientia fatebitur Cajus, ergo permanſio in promiſſione erat conditio reſpectu donationis, ſi non ſuſpenſiva, ſaltem reſolutiva, id eſt, talis, qua non poſita, Cajus voluiſſet reſolvi ſeu non tenere promiſſionem ſuam, ergo promiſſio Caji fuit tacitè conditionata, ergo cum expreſsè conditionata futura fuiſſet ſimoniaca, etiam nunc erit talis. Si tamen Cajus promiſiſſet propter viſam Titii in ſe benevolentiam, paratus donare officium, licèt Titius non fuiſſet permanſurus in promiſſione, & hoc ipſum etiam ſatis intelligere potuiſſet Titius, promiſſio Caji non fuiſſet ſimoniaca; verùm id non videtur præſumi poſſe, quia rarò continget.

§.5. Si quis alteri conferat Beneficium eo fine, ut ſe honeſtè ſuſtentare poſſit, non eſt ſimonia, quia quamvis ſuſtentatio ſit aliquid temporale, tamen non eſt aliquid, quod conferenti reddatur velut in commutationem pro ſpirituali, ſed ex ſpirituali conſequitur, manetque illi, qui ſpirituale accipit; deinde hæc ſuſtentatio eſt finis intrinſecus ſaltem ſecundarius Beneficii, ideò enim Eccleſia inſtituit Beneficia, ut Clerici Deo ſerviant, & fungantur officio, ſicque fruendo proventibus Beneficii honeſtè alantur, ergo non eſt illicitum etiam in hunc finem dare Beneficium. E contra eſt ſimonia, ſi conferam Beneficium ſub pacto, ut alter mihi ſecurè impoſterum ſolvat debita, uti docent Suar. Leſſ. Laym. Pirh. *l.*5. *t.*3. *à n.*139. conſentitque cum aliis Rayn. *l.*2 *ſ.*1. *c.*2. *n.*9. Idem eſt, ſi conferam Titio Fratri Caji debitoris mei ſub pacto, ut juvet Cajum in ſolvendo: ſi tamen debitor differendo ſolutionem inferret vim & injuriam, putat Suar. *c.*38. *n.*9. quòd poſſem ſine ſimonia dare ſpirituale tanquam medium tollendi præſentem vexam, & ſic inducendi ad faciendam juſtitiam; & idem dicunt Sot. Suar. Laym. Pirh. Leur. *p.*3. *q.*750. ſi ad evitandum de præſenti malum mihi injuſtè intentatum, v. g. ſi intentanti conferam Beneficium, ut me jam non occidat vel non diffamet, non eſſe ſimoniam, quia conferenti nihil datur pretio æſtimabile, quod antea jure ſuo non habuerit: & idem dicit Leſſ. ſi malum eſſet paulò poſt inferendum, ſicuti licitum eſt dare mutuum, petendo, ut alter viciſſim, non in futurum, ſed nunc in præſenti rem aliam det mutuam, uti colligitur ex S. Th. 2. 2. *q.*78. *ar.*2. *ad* 4. quia non injicitur obligatio nova diſtincta ab actu ſolvendi vel mutuandi, nec imponitur novum onus Juſtitiæ, ſed tantùm petitur modus vel conditio, ſub qua poſita gratis detur mutuum, uti explicant Rayn. *ſupra*, & Laym. *lib.*4. *t.*10. *cap. ult. n.*27. Vide tamen dicenda *n.*149. 83

§.6. Quamvis poſſit eſſe aliud peccatum, tamen non eſt ſimonia, ſi Beneficium alicui detur intuitu conſanguinitatis, vel propter preces armatas, vel propter metum etiam damni temporalis incurrendi, vel amittendi proprii debiti, hæc enim omnia non habent rationem pretii, Suar. Leſſ. Laym. Pirh. *ſupra*. 84

§.7. Qui acceptat Beneficium ſub pacto, v.g. docendi, 85
etiam Theologiam, aut quia docuit, ſi ſit tanquam pretium pro labore, eſt ſimoniacus; non eſt autem, ſi acceptet Beneficium, cui onus docendi per authoritatem Superioris eſt adjunctum, ita Nav. Alloz. *v. Simonia, ſ.*4. *n.*39. & utrumque fuse probat Rayn. *c.*10. *à n.*24. Poſſe autem adjungi tale onus temporale, ex eo patet, quòd Trid. *ſeſſ.*5. *c.*5. *& ſeſſ.*23. *c.*18. *de Ref.* jubet

beat addici aliqua Beneficia muneribus docendi; & ratio eſt. quia tale Beneficium habet aliquid, quòd juſtè aſſignari poteſt pro ſtipendio Miniſtri, nempè fructus temporales, unde ſi quis tale onus vellet adjungere Juri purè ſpirituali, v.g. Juri eligendi, eſſet ſimonia, quia Jus purè ſpirituale aſſignaretur pro pretio operis temporalis, cùm non poſſit habere rationem ſtipendii ſuſtentando Miniſtro convenientis, conſequenter daretur tanquam ſtipendium operis temporalis. Ita Rayn.*n.*26.

86 §.8. Eſt ſimonia bona ſua dare Eccleſiæ, cum pacto, ut in Canonicum v.g. eligatur, ſic enim ſtatuit *Innocentius III. cap. Tua nos*, 34. *de Simonia. Si quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur aut offerat bona ſua, ut illa poſtmodùm pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujuſmodi oblatio vel receptio fieri non poterit ſine vitio ſimoniæ, cùm in talibus omnis pactio aut conventio ceſſare debeat juxta canonicas ſanctiones: Si verò purè ac ſine pacto vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, & ut in Canonicum admittatur, & bona ſua retinere ſibi liceat pro præbenda, & Clerici ejuſdem Eccleſiæ purè conſentiant, hujuſmodi receptio fieri potuit abſque ſcrupulo ſimoniacæ pravitatis. Licèt autem taliter duximus reſpondendum, quia nobis datum eſt de manifeſtis tantummodò judicare, ſi tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, ſpiritualia valeat adipiſci, & Clerici, qui eum in Fratrem admittunt, non eſſent eum, niſi commoda temporalia perciperent, admiſſuri, ſine dubio tam ille quàm iſti apud diſtrictum Judicem, qui ſcrutator eſt cordium & cognitor ſecretorum, culpabiles judicantur.* Hæc tamen ultima ſimonia eſt tantùm mentalis, uti rectè cum aliis Pirh.*n.*89. & Card.*in 2. criſi d.*27. *à n.*24. Quòd ſi quis cum conſenſu Epiſcopi retineat ſibi Jus præficiendi Clericum in præbenda, quam inſtituit, nulla eſt ſimonia, uti tenent omnes.

87 §.9. Eſt ſimonia pro admiſſione in poſſeſſionem Beneficii ex pacto dare vel exigere aliquod temporale, etiam convivium, non obſtante ſtatuto vel conſuetudine etiam immemoriali, uti dicetur *à n.*191. & patet ex *cap. Jacobus, de Simonia*, Trid. *ſeſſ.*24. *c.*14. *de Ref.* docentque Abb. Garc. Leſſ. Pirh.*n.*91. Nicolartz *in praxi benef. t.*2. §.7. Leur.*p.*3. *q.*748. ſi tamen lege id ſtatutum ſit vel conſuetudine receptum, & hoc temporale, quod accipitur, applicetur ad pios uſus, & non exigatur prius, quàm liberè poſita ſint ſpiritualia, neque hæc denegentur, etiamſi nihil detur, Abb. Barb. Az. & Pirh. ſuprà dicunt non eſſe ſimoniam, & Leſſ. *l.*2. *c.*35. *n.*111. dicit paſſim non obſervari *Trid.* id prohibens quamvis mandetur Epiſcopis, ut obſervari faciant, quam conſuetudinem præſertim in Germania etiam damnare non audet *Pirh.* cùm toleretur ab Epiſcopis & Papa, ſaltem ubi recepta non eſt aut ubi non obligat Conſtit. *Inn. XII. Eccleſiæ Catholicæ*, quam referemus *l.*4. *n.*671. Addit Lott. *l.*3. *q.*29. *n.*131. ex deciſione Rotæ, etiam eſſe ſimoniam, ſi quis pro repellenda contradictione paciſcatur de Canonicis reddendis indemnibus ob receptionem ſui factam ad poſſeſſionem Beneficii ſibi collati. Vide Leur. *ſupra n.*1.

88 §.10. Si Senatus habens Jus præſentandi ſtatuat, ut præſentandus, ſingulis Senatoribus aliquid pecuniæ numeret, Burgh. *cent.*1. *caſ.*82. dicit probabile eſſe, quòd non ſit ſimonia, quia hìc nulla vera pactio intervenit, ſed adeſt alius titulus. 1. Donationis remuneratoriæ. 2. Donationis modalis, quam à ſimonia defendunt Suar. *c.*39. *n.*20. Tan. Fil. *t.*25. *c.*9. *n.*30. *& alii.* 3. Poteſt etiam eſſe titulus laboris, debent enim illo die convenire, ibi hærere, negotia ſua negligere, ergo jure pro hoc labore aliquid exigent, ut ait Bonac. *de Simonia, d.*1. *qu.*6. *p.*4. non commendat tamen hoc fieri *Burgh.* & meritò, qui enim acceptat tale jus præſentandi, acceptat obligationem exequendi gratis, uti mandat Eccleſia, ideoque *Nicol.* ſupra, quamvis non planè reprobet, ſi Capitulum ab illo, qui promovetur ad Beneficium, aliquid petat propter moleſtias congregationum, lecturam litterarum &c. tamen meritò monet non faciendum.

89 §.11. Qui accipit Beneficium, obligando ſe ad præſtandum homagium alter, quo continetur temporale commodum ejus, cui præſtatur, eſt ſimoniacus, ut expreſsè habetur *cap. Ex diligenti, de ſimonia*: ſic enim emit Beneficium pretio ſubjectionis vel ſervitii; poteſt tamen ſe obligare ad fidelitatem Epiſcopo præſtandam, uti notat Pirh. Vide etiam Leur. *p.*3. *qu.*747.

90 §.12. Si Cajus det pecuniam Titio, ut Titius intercedat apud Sempronium, ut Sempronius intercedat apud Collatorem pro Beneficio conferendo Cajo, aliqui apud Dian. *p.*4. *tr.*4. *R.*151. & iterùm alii *p.*11. *t.*6. *R.*31. cenſent non eſſe ſimoniam, ſed longè plures, quos citant & ſequuntur Caſtrop. *t.*17. *d.*3. *p.*11. *n.*4. Steph. *d.*11. *n.*39. Arſd. *q.*3. Rayn. *n.*26. *&* 30. Mendo *d.*1. *q.*23. longè probabiliùs affirmant eſſe, quæ ſententia omnino tenenda eſt, quia illud pretium ſaltem mediatè datur pro Beneficio idque directè ex intentione dantis & interceſſio illa eſt cauſa moralis Beneficii conceſſi, ergo ſi emis interceſſionem, virtualiter emis beneficium; erit tamen communiter ſimonia ſolius Juris Eccleſiaſtici, quamvis uni tantùm mediatori daretur pecunia, quia non emitur beneficium ipſum, ſed interceſſio, quæ non eſt ſacra, prohibetur tamen emi Jure Canonico apud Caſtrop. *ſuprà.*

§.13. Dare pecuniam, non pro interceſſione, ſed pro labore ineundo & redeundo ad collatorem, aut pro damno ideò cauſato, vel pro lucro ceſſante, aut pro diſpendio temporis, quod ad intercedendum conſumitur, & in quo negligitur utilitas alioquin obventura, non eſt ſimonia, uti habet communis apud Dian. *p.*10. *tr.*15. *R.*5. Caſtrop. *n.*5. Rayn. *n.*30. plus tamen dari non debet, quàm ſit labor vel damnum, quod ſi plus detur, v.g. centum aurei, cùm labor eſſet dignus tantùm denis, plerique cum Lugo *in Reſp. mor. lib.*6. *d.*4. *n.*4. cenſent fore ſimoniam, *Rodriq.* tamen & alii dicunt, quod plus eſt, cenſendum dari gratis, ſed Dian. *p.*6. *tr.*7. *R.*42. & alii dicunt hoc ultimum in praxi non eſſe amplectendum; *Lug.* ſuprà dicit, ſi proteſteris & ſincerè ita ſentias, nempè, quòd pro labore velis dare decem, ſive beneficium obtineas ſive non, & cùm ſcias, quid deceat gratum hominem, te dicere poſſe, quod habeas animum etiam donandi reliquum, ſed nolle ullam de eo obligationem ſuſcipere. 91

§.14. Si daretur pecunia, ut apud Collatorem ſolummodò exponerentur merita & dignitas petentis beneficium, non autem intercederetur vel urgeretur collatio, aliqui apud Dian. *p.*11. *tr.*6. *R.*31. putant non fore ſimoniam, & conſentit Rayn. *num.*28. quia pecunia datur pro illo munere exponendi merita, & finis proximus non eſt beneficium, ſed acquiſitio bonæ opinionis apud Collatorem: addunt tamen id eſſe periculoſum, imò Steph. *num.*39. dicit omninò eſſe ſimoniam, quia intentio dantis pecuniam hìc & nunc non ſiſtit in remuneratione hujus laudis, ſed tendit ad obtentionem beneficii, ergo datur etiam ut pretium ſaltem mediatum beneficii obtinendi. 92

§.15. Non eſt ſimonia, ſi detur vel acceptetur pecunia pro habendo faciliori aditu ad Collatorem, ita Suar. & alii cum Caſtrop. *p.*11. Mendo *n.*297. hinc nulla erit ſimonia, inquit Leſſ. *n.*109. & Rayn. *n.*35. ſi œconomo Epiſcopi des pecuniam, ut admittaris in ejus familiam, id intendens, ut Epiſcopo per obſequia fias charus, & ſic ab eo Beneficium obtineas, tum enim non das pecuniam pro beneficio, ſed pro opportunitate demerendi Epiſcopum & accipiendi ab eo gratis beneficium, & per pecuniam ſternis quidem viam ad beneficium, ſed remotè & indirectè, quod non eſt illicitum. 93

§.16. Si des pecuniam famulo Epiſcopi, ut tibi ſtatim notificet prima Beneficia vacantia, Caſtrop. *p.*3. *n.*4. dicit eſſe ſimoniam, quia pretio paras viam ad Beneficium, citatque pro ſe *Nav.* ſed *Nav.* loquitur de illo, qui tali famulo notificat vacare beneficium & penſionem promittit, ut beneficium ei impetret, in quo certum eſt eſſe ſimoniam, id autem non eſt in noſtro caſu, quia pretium non datur pro impetratione vel interceſſione, ſed tantùm pro manifeſtatione illa beneficiorum vacantium, quæ videtur omninò remotè & indirectè ſe habere ad beneficium. 94

§.17. Simonia eſt, ſi quis non velit conferre Titio Beneficium, niſi rogetur à Cajo, quem vult ſibi habere obligatum, quia paciſcitur de Beneficio pro temporali alterius erga ſe viciſſim obligatione, ita Rayn. *n.*34. Si tamen hoc ſine ullo pacto & obligatione peteretur, non eſſet ſimonia, uti docent Suar. Leſſ. Laym. apud Pirh. *n.*138. quia non haberetur ratio pretii ſeu commutationis pro re ſpirituali. 95

§.18. Si quis ex vana gloria vel appetitu laudis conferat alteri Beneficium, non eſt ſimonia, uti cum communi Alloza *v. Simonia, ſ.*2. *n.*33. addens per munus à lingua tunc ſolùm incurri ſimoniam, quando ex illo ſperatur temporalis utilitas, dicitque hanc ſententiam eſſe communem DD. 96

§.19. Eſt ſimonia ſervire alteri ſine ſalario, cum pacto ſaltem tacito, ut loco ſalarii accipiat beneficium, uti ſi quis dicat ſe velle ſervire gratis, vel ob ſalarium nimis modicum, & tamen hoc ipſo ex circumſtantiis cauſet in eo, cui ſervit, obligationem ad remunerandum ſervitium per collationem beneficii, quod ſerviens per hoc intendit, ita cum aliis Rayn. *n.*34. hinc plures cum Pirh. *n.*86. dicunt, ſi quis reverà gratis ſerviat, non debere ſervire principaliter hac intentione, ut beneficium obtineat, alioquin fore ſimoniam, quia intendet illud æquivalenter emere iſto ſervitio: addit Card. *c.*5. *art.*3. ſi ſerviat vel præſtet temporale obſequium etiam ſecundariò tantùm ex illo fine, ſi per hoc moveat conferentem ad dandum beneficium, fore ſimoniam, quia præſtat temporale velut motivum dandi ſpirituale, quod eſt virtualiter illud commutare cum illo. Si tamen ſerviat vel præſtet obſequium primariò propter mercedem, & ſecundariò habens ſpem obtinendi ab eo Beneficium, non eſt ſimonia, ſi per hoc non intendat movere collatorem ad compenſandum illud temporale per ſpirituale, imò ſi ſerviat 97

vel

vel obſequia præſtet omnino gratis aut pro pretio impari laboribus, ſed ſine pacto etiam tacito, quamvis cum ſpe Beneficii, Suar. Laym. Leſſ. aliique cum Rayn. *n.*35. & Pirh. *n.*135. docent non fore ſimoniam: addit Sanch. apud Dian. *p.*4. *tr.*4. *R.*151. etiam non fore, quamvis principaliter ſerviret ex ſpe Beneficii: ſe autem obligare ad dandum vel permutandum vel reſignandum beneficium ratione ſervitii ab altero præſtiti vel præſtandi, eſt ſimonia, licèt addatur conditio, ſi Papa conſenſerit, uti rectè Leſſ. *in auth. v. Simonia c.*2. licèt enim conſenſerit in translationem Beneficii, non tamen conſentiet nec conſentire poteſt in commutationem ſpiritualis pro temporali.

98 §.20. Eſt ſimonia, ſi quis obſequia temporalia famuli, quæ compenſare debet mercede temporali, velit compenſare beneficio Eccleſiaſtico, quia ſic commutat ſpirituale pro temporali, quod eſt virtualiter vendere ſpirituale: Si tamen mercedem temporalem dederit parem ſervitio, & famulus ex occaſione ſervitii invenerit gratiam apud Collatorem, ideoque Collator inclinetur & conferat beneficium; etiam ſi famulus gratis ſervierit, vel pro pretio impari laboribus, & Dominus viciſſim propenſus conferat ei beneficium, non erit ſimonia, tunc enim præſtita obſequia non habent rationem pretii, ſed tantùm conciliant benevolentiam, à qua procedit gratia beneficii: quamvis hoc ultimum non careat periculo & ſpecie ſimoniæ, uti notant Suar. & Laym. apud Pirh. *n.*137. quod ſi collato beneficio alter pergeret ſervire ſine ſalario, habendo beneficium in commutationem ſalarii, eſſet ſimonia, uti cum aliis Pirh. *n.*86. & Rayn. *num.*35.

99 §.21. Eſt ſimonia ſic paciſci cum aliquo qui miniſterium etiam ſpirituale præſtat: habebis annuè pro ſtipendio centum aureos, donec curaverim tibi beneficium, cujus proventus tibi afferant centum aureos, tumque continuabis tuum ſpirituale miniſterium: Sic enim fit permutatio miniſterii ſpiritualis cum beneficio ſpirituali: omnis autem pactio & permutatio etiam rei ſpiritualis cum ſpirituali in materia beneficiaria eſt ſimonia; Si tamen Epiſcopus conſtituat alicui è ſuis familiaribus penſionem, donec ei conferat beneficium, non eſt ſimonia, uti cum aliis Alloza *ſ.*4. *n.*35. Item, *Si Epiſcopus, antequam alicui Beneficium conferat, ob aliquam cauſam ordinaverit aliquid ſubtrahendum de fructibus Beneficii conferendi, & in pios uſus expendendum, non eſt illicitum; ſi verò ab eo, cui Beneficium confert, requirat aliquid ſibi exhiberi de fructibus illius Beneficii, idem eſt, ac ſi aliquod munus ab eo exigeret, & non caret vitio ſimoniæ.* S. Th. 2. 2. *q.*100. *art.*4. *in fine.*

100 §.22. Si quis promittat alteri ſe magnam pecuniæ ſummam aſſignaturum in eleemoſynam pauperibus, vel pio loco, ſi conferat vel impetret ei beneficium, Alloz. *n.*30. & Soria apud Diana *p.*11. *tr.*6. *R.*31. dicunt non eſſe ſimoniam, quia inter titulos excuſantes à ſimonia eſt eleemoſyna, uti ex Roccaf. refert Steph. *d.*11. *num.*30. pro eadem ſententia refert Turr. Dian. *p.*5. *tr.*14. *R.*75. ex quo affert hanc rationem, quia ſic uti Pater non committit ſimoniam, ſi Filio offerat novam veſtem ſub conditione & pacto, ut v.g. confiteatur & communicet, quia non datur pretium rei ſpiritualis, ſed ut moveat ad exercendum opus virtutis; ita dans aut procurans beneficium tantùm movet ad opus virtutis, quòd eſt eleemoſyna. Verùm hæc ſolùm probant non eſſe ſimoniam Juris naturalis ita paciſci de dando beneficio ſub onere dandi eleemoſynam, eſt tamen & manet ſimonia Juris Eccleſiaſtici, quo prohibentur omnes pactiones in materia beneficiaria.

101 §.23. Si Titius ad permovendum Patronum, ut ſe præſentet, promittat reparare ſacellum, in quo fundatum eſt beneficium, putarunt aliqui eſſe ſimoniam, quia eſt pactio in materia beneficiaria, uti jam ſæpè dictum eſt, & *Alexander II. cap. Ex multis* 1. *qu.* 3. ſic habet, *Ut nullus cujuſcumque gradus Clericus pro Eccleſiæ Beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Eccleſiarum vel donariis Eccleſiarum, ſeu etiam quod Pauperibus ſit tribuendum, quia teſte Scriptura, qui aliquid malè accipit, ut quaſi benè diſpenſet, potiùs gravatur quàm juvatur*: reſpondit tamen 9. Januarii 1700. Roma vir doctus non eſſe ſimoniam, quia reparatio ſacelli eſt obligatio innata Capellaniis aut Vicariis, ergo de ea inire contractum non eſt aliud, quàm aſſecurare reparationem, ad quam tenebitur; ejuſmodi autem contractus non prohibentur, ſed licitè quiſque ſe obligat ad faciendum id, quod poſtulat ſuum beneficium ſive officium.

102 *Q.*19. *An ſit ſimonia dicere, confer mihi Beneficium, intercede pro me &c. & ero tibi gratus?* R. Si in genere id dicat & ſincerè procedat ſine intentione dandi temporale pro ſpirituali aut contrahendi novam obligationem, ſed ſolùm exponendi ſuam obligationem antidoralem, cui poſteà liberum ſit ſatisfacere per quidcumque, non eſt ſimonia, & hoc tantùm volunt Authores aliqui, præſertim apud Dian. *p.*10 *tr.* 15. *R.*5. quando dicunt licitum eſſe dicere ſe fore gratum, eò quòd hæc verba non obligent, ſed tantùm dent ſpem, vel reciproci temporalis commodi vel cujuſcumque alterius, quam ſpem cum alter licitè habeat, etiam ego licitè eam in ipſo excito: rectè tamen notant Card. *in 2. criſi d.*27. *n.*66. & Leur. *p.*3. *q.*745. *n.*4. ſi tales ſint circumſtantiæ, ut his attentis promittat vel ſignificet ſe determinatè daturum temporale, fore ſimoniam, quia quamvis ea nuda prolatio iſtorum verborum id non ſignificet, tamen ex circumſtantiis & communi modo loquendi, quem inter ſe ſatis intelligunt homines hoc tempore, verè ſignificant promitti determinatè compenſationem temporalem, idque ex obligatione aliqua ſaltem gratitudinis, diſtincta ab obligatione antidorali: quod à poſteriori colligitur; nam ſi ille, qui beneficium accepit, nihil det temporale, cenſetur mereri nomen ingrati, pati debet exprobrationem aut juſtum pudorem, uti inter homines perſuaſio eſt; ſæpè etiam admonetur, ut gratitudini ſatisfaciat, ergo manifeſtum eſt adfuiſſe pactum ſaltem implicitum de dando temporali: hinc Leſſ. *in Auct. v. Simonia, caſ.*3. rectè monet cautè utendum eſſe talibus verbis, præſertim ubi ex conſuetudine acceptantur tanquam obligatoria ad aliquid determinatum, uti ferè ubique fit his temporibus, & difficile eſt credere, inquit Leſſ. tantas ſummas poſteà dari ex pura gratitudine: unde Carden. *num.*67. dicit per ita verba ſic prolata & acceptata incurri ſimoniam, non tantùm mentalem, ſed etiam conventionalem ſubjectam pœnis Juris, quia illa verba ita inter illos accipiunt, ut ſignificent promiſſionem compenſationis temporalis, ergo eſt ſimonia non tantùm in mente & intentione, ſed externis verbis ac ſignis expreſſa, ergo conventionalis.

*Q.*20. *Quænam hic veniant ſub nomine Beneficii?* R. 103 Tantùm reſolvam de illis circa quæ eſt dubium, an ſine ſimonia emi vel vendi poſſint?

§.1. Suar. Sanch. Leſſ. Pirh. *lib.*5. *t.*3. *n.*100. aliique plures cum Dian. *p.*4. *tr.*4. *R.*156. probabilius dicunt officia regularia, uti Provincialatus, Prioratus, Rectoratus &c. includi ſub nomine beneficii, adeoque eſſe materiam ſimoniæ, etiam in ordine ad incurrendas pœnas, quia ſunt beneficia regularia: tamen etiam probabiliter contradicunt Barb. Petrin. Azor. Bon. & Mendo *d.*1. *n.*311. quia propriè & abſolutè non dicuntur beneficia Eccleſiaſtica, in materia autem pœnali, verba non ſunt amplianda à propria ſignificatione, ſed potiùs reſtringenda: hinc infert Sanch. *in Conſ. l.*2. *c.*3. *d.*44. non eſſe ſimoniam ſic paciſci: Elige me in Provincialem, & ego te eligam in Priorem, quia pactio & permutatio in rebus ſpiritualibus tantùm prohibentur in materia beneficiaria, uti dicetur à n.112.

§.2. Nomine Beneficii non veniunt commendæ Equitum 104 Hieroſolymitanorum, quia licèt dentur ſolis Religioſis profeſſis, tamen dantur titulo laico & pro temporali militiæ miniſterio, profeſſio verò eſt tantùm conditio *ſine qua non*, ita Lez. Suar. *lib.*4. *c.*27. *n.*6. Barb *de Jure Eccl. lib.*3. *c.*7. *n.*9. Caſtrop. *tr.*17. *d.*3. *p.*13. *n.*13. & Theologi communiter cum pluribus Canoniſtis apud Dian. *in Summ. v. Simonia n.*4. contra Az. Torres, Garc. *p.*1. *c.*4. Sperel. *dec.*21. *Fori Eccl. nu.*37. ideoque cum prioribus docet Dian *p.*3. *t.*2. *R.*62. non fore ſimoniam, licèt daretur pretium pro impetrando Ordine Equeſtri, quia licèt Ordines tales ordinentur ad divinum cultum, tamen pro fine ulteriori, qui hic ſpectari debet, habent quid temporale, nempè militiam: docet quoque Dian. *par.*6. *tr.*8. *R.*17. cum *Suar.* & aliis multis, quod Commendæ Melitenſium non ſint beneficia, ſed dentur in ſtipendium pro ſervitiis non ſpiritualibus, adeòque non ſint materia ſimoniæ, advertit tamen *Caſtrop.* ſuprà cum *Suar.* & aliis, fore injuſtitiam, ſi Superiores vel Magiſtri Ordinum eas Commendas venderent, quia non ſunt Domini, ſed diſpenſatores, & quidem Papæ ſubordinati, qui non conſentit vendi, ſed benè meritis vult diſtribui; poſſunt tamen donari cum onere & obligatione exhibendi aliquod temporale munus, v.g. eundi in Africam, ſerviendi, ſolvendi penſionem pro neceſſitate; poſſetque etiam Pontifex dare poteſtatem eas vendendi.

§.3. Quamvis Præbendæ Canoneſſarum non ſint propriè 105 Beneficia; tamen eſſe materiam ſimoniæ reſolvit Sacra Congregatio ſub Eminentiſs. Emmerix anno 1692. uti in hanc Provinciam reſcripſit noſter Reviſor Hiſpanus: Aliqui tamen cum Leur. *par.*2. *qu.*722. putant diſtinguendum, & id admittunt de Canoniis, quarum fundatio primitus fuit Religioſa ſive Monialium, ſi per præſcriptionem necdum ſint ſæcularizatæ; negant autem de aliis fundatis, v.g. à Parentibus nobilibus pro educatione filiorum, quia hæ ab Eccleſia non cenſentur erectæ aut poſitivè approbatæ tanquam præbendæ ſpirituales. Vide dicenda *lib.*4. *à num.*229.

§.4. Capellaniæ authoritate Epiſcopi non erectæ, non 106 ſunt beneficia, nec materia ſimoniæ, uti cum aliis Caſtrop. *num.*14. ſimiliter hoſpitalia, ſi authoritate Epiſcopi erecta non ſint, neque ſub ejus cura exiſtant, quamvis ſint pia loca, non ſunt Eccleſiaſtica, conſequenter nec materia ſimoniæ, Suar. *n.*11. & alii cum Caſtrop. *n.*15. ſi autem authoritate Epiſcopi inſtituta ſint, & exiſtant ſub ejus cura, ac ſimul ſecum afferant

ad-

administrationem spiritualem, sunt materia simoniæ secundum *Suar.*& alios suprà: si autem functionem spiritualem non habeant, sed tantùm regimen temporale, cum tota solicitudine pertinente ad curam infirmorum, non est saltem Jure divino simonia vendere administrationem: videtur tamen esse Jure humano, quia prohibetur venditio administrationis rerum Ecclesiasticarum, quales ex instituto Ecclesiæ sunt bona temporalia talium hospitalium, uti tenent *Suar.*& alii cum *Castrop.* suprà.

107 §.5. Docent communiter omnes, quòd officia ad nutum revocabilia, uti sunt Vicariatus temporalis, officium Legati, non sunt materia simoniæ: Similiter officia Ecclesiæ temporalia, uti sunt Procuratoris rerum temporalium Ecclesiæ, Advocati, Syndici, Judicis ab Episcopo constituti in locis, ubi habet temporalem Jurisdictionem, item Dispensatoris seu Oeconomi, Sacristæ vel Custodis, non sunt materia simoniæ Juris naturalis, quia in se nil spirituale habent: si tamen soleant exerceri per Clericos, venditio illorum est prohibita jure Ecclesiastico tanquam simoniaca, Suar. *c.29. n.3.* Pirh.*n.*121. Quod si exerceri soleant etiam per laicos, vendi poterunt, Silv. & Pirh.*ibid.* Functiones tamen ejusmodi officiorum nullo jure prohibentur vendi, cùm sint merè corporales, Suar. *num.*13. Pirh.*n.*122.Etiam videri potest de illis Illf.*tr.*5. *n.*311.

108 §.6. Coadjutoriæ Beneficiorum,quæ nihil aliud sunt,quàm quædam facultates authoritate Pontificis concessæ exercendi officium, quod Proprietarius exercere tenetur, tametsi cum futura successione concedantur, Beneficia non sunt, hinc non sunt materia simoniæ Juris Ecclesiastici vel naturalis, si quid temporale detur solùm in sustentationem admittentis Coadjutoriam, *Castrop.* suprà: hæc enim sustentatio ipsi debita est. An autem præstimonium, titulus, Commenda aliaque similia sint strictè beneficia vel materia simoniæ, dicetur *lib.*4. *à num.* 217. item de Vicariatu Episcopi, Officialatu, & quibusdam aliis vide dicenda hic *n.*214.

109 *Q.*21. *Cur Beneficiorum permutatio propria authoritate facta sit simoniaca?* R.§.1. *Caram.* putat ideò esse, quòd Papa tollat ab uno beneficio spiritualitatem, & sic pro temporalitate unius detur spiritualitas alterius.*Contra est*,1.Papa vult utrumque beneficium manere invendibile, impermutabile & annexum suo officio spirituali, ideò enim ex motivo Religionis prohibet venditionem & permutationem utriusque,quia utrumque est spirituale & manet tale, propter connexionem cum officio spirituali, ergo à neutro tollit spiritualitatem. 2.Papa non determinat, quodnam ex illis determinatè fiat temporale, neque fundamentum est dicendi hoc potiùs fieri quàm illud, ergo neutrum fit temporale; sed neque indeterminatè tantùm vult unum esse temporale, tum quia hoc gratis fingitur, tum quia temporalitas debet subjecto determinato convenire, uti albedo, tum etiam quia Papa vult utrumque esse & manere spirituale, uti dictum est, ergo.

110 §.2. Carden.*in 1.crisi d.67.cap.3.* dixit esse ideò, quia spirituale commutatur cum temporali, nam temporale, quod est in beneficio A.est extrinsecè spirituale, propter nexum, quem habet cum spirituali, ergo beneficium A. est saltem partialiter spirituale: similiter beneficium B. ergo cùm totum beneficium A. detur pro toto beneficio B. utrimque datur aliquid saltem partialiter spirituale pro aliquo saltem partialiter temporali. *Si dicas*: singula habere aliquid spirituale & aliquid temporale spirituale autem commutari cum spirituali, & temporale cum temporali: *Reponit*, id gratis fingi, nisi enim accedat authoritas Superioris, temporale, quod inest, nequidem virtualiter separatur à spirituali, sed sunt moraliter unum, ergo dici non potest, quòd spirituale respondeat soli spirituali, & temporale soli temporali, sed temporale spiritualizatum totum indivisibiliter dabitur pro temporali spiritualizato, ergo aliquid partialiter spirituale commutabitur cum aliquo partialiter temporali, quod est simonia Juris naturalis. *Confirmatur*, nam si accedat authoritas Superioris, tunc permutatio non erit simoniaca; quia Jus temporale percipiendi fructus per dispensationem virtualiter separatur ab officio spirituali, per hoc nempè, quòd eo modo permittatur contractus circa Jura illa temporalia, atque si non essent annexa spirituali, qualiter etiam fit virtualis separatio, si vendatur calix consecratus, ergo è contra si Ecclesia id fieri prohibeat, uti prohibet in Beneficiis, temporale, & spirituale sic manebunt connexa, ut quod datur pro uno, censeatur dari etiam pro altero. Hæc explicatio est probabilis; sed

111 §.3. Simonia, quæ intervenit in permutatione Beneficiorum, facilius explicatur dicendo, quod sit simonia Juris Ecclesiastici tantùm, nam Lex facit objectum suum esse materiam illius virtutis, ex cujus motivo lex ponitur, uti explicatum est *lib.*1.*num.*626. Ecclesia autem talem permutationem prohibuit ex motivo Religionis, ne res spirituales subjiciantur humanis contractibus, & tractentur instar profanarum, & maximè ut caveatur periculum commutandi res spirituales cum temporalibus, quod periculum est in beneficiis, quibus annexum est Jus percipiendi temporalia, quorum posset haberi major ratio, quàm rei spiritualis, ergo id prohibendo facit transgressionem esse simoniacam irreverentiam erga res spirituales, sicuti præcipiendo ex motivo reverentiæ, ut jejuni communicemus, facit, ut communio sumpta à non jejuno sit sacrilega.

Quomodo in permutationibus, resignationibus, constitutionibus pensionum, committatur simonia, dicetur *lib.*4. quando de illis agetur.

112 *Q.*22. *An omnis permutatio rei spiritualis cum spirituali sit simoniaca?* R.§.1. Dictum est esse in materia Beneficiorum, uti si duo ita paciscantur: do tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in alia; tu elige nepotem meum ad hoc beneficium, & ego eligam tuum ad illud &c.ita cum aliis Rayn.*de Benef.lib.2.s.*1. *c.2. n.*32. si tamen sine pacto & obligatione ulla dicerent, fave mihi nunc tuo suffragio, & ego vicissim tibi alia vice favebo, Alloza *v. Simonia s.2.n.*28. dicit non esse simoniam, quia est tantùm petitio vel oblatio favoris liberè præstandi vel negandi; res tamen periculosa est, & ideò fugienda, quia vix aberit pactum tacitum & susceptio alicujus obligationis.

113 §.2. Pacisci de Beneficio alicui dando pro suffragio in electione, est simonia, uti patet ex hactenus dictis, quia est permutatio rerum spiritualium in materia beneficiaria, quæ prohibetur ab Ecclesia, ita cum aliis Pirh.*lib.*5.*tr.*3.*n.*87.

114 §.3. Permutatio rerum aliarum spiritualium etiam privata authoritate facta, non est simoniaca, neque ullo Jure prohibita, ita cum aliis Rayn. suprà: unde est licitum permutare calicem cum calice, Reliquias cum Reliquiis: &c. item licitum est sic pacisci, tu lege pro me Sacrum, & ego pro te orabo, vel dabo eleemosynam, ita Suar.*c.*30.*n.*4.*& c.*31.*n.*20. Pasq. *de Sacrif.q.*919.Dian.*p.*4.*tr.*4.*R.*150. Pirh.*n.*124.aliique communiter, ratio est, quia Jura tantùm prohibent permutationes in materia beneficiaria, ergo cùm hæc sint odiosa, non debent extendi ad alias materias; neque ulla irreverentia est, si una res spiritualis sit veluti pretium pro altera spirituali. Addit Haun.*de Justit.T.*6.*tr.*2.*n.*568.posse rem ejusmodi spiritualem, cum alia permutari, v. g. Ecclesiam cum Ecclesia, quam vis excessus valoris unius suppleri deberet per pecuniam, id enim conceditur *cap. Ad quæstiones, de rerum permutatione*: & universaliter licitè sunt pactiones vel transactiones propria authoritate factæ in aliis materiis, uti si contentio sit de Jure spirituali, posset inter Episcopos vel alios fieri transactio, ut alternatim visitent, præsentent, eligant: item ut unus jurisdictionem, alter provisionem Beneficiorum habeat, Suar.*c.*51. *n.*8.

115 *Objici* potest, quòd *cap. Quæsitum*, ibidem dicatur, *Pactio circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ.* R. Sermo ibi est de permutationibus Præbendarum, non autem aliarum rerum spiritualium.

116 *Q.*23. *An vendere Beneficium Ecclesiasticum sit simonia Juris divini seu naturalis?* R.§.1.Negant plerique Canonistæ cum Garzia *de Benef.p.*1.*c.*2. *n.*8. Canonistas sequuntur aliqui Theologi, inter quos est Less.*de Just.lib.*2.*c.*35.*n.*26.& Card.*in 1.crisi d.*67.*n.*11.*&* 21.Alii apud Suar.*c.*24. *n.*10. negant de Beneficio simplici non habente annexam jurisdictionem, affirmant autem de curato;sed de utrisque videtur esse eadem ratio, nam hæc & illa habent annexum saltem officium spirituale. Itaque ratio *Cardenæ* est,quia cùm beneficio insit jus percipiendi annuos proventus, licèt annexum sit officio spirituali, est tamen realiter diversum ab illo, ergo vendi potest (stando in Jure naturæ) tanquam Jus ad aliquid temporale, sicuti calix consecratus potest vendi ratione materiæ & formæ artificialis secundùm se pretio æstimabilis, licèt illi annexa sit consecratio spiritualis: ideò autem venditio beneficii est simoniaca, quia sacris Canonibus est prohibita intuitu religionis, uti *num.* 111.dictum est.

117 §.2. Notandum cum S.Bonav.& Suar.*à num.*12. hæc duo valdè distingui, *temporale annexum spirituali*, *temporale cui annexum est spirituale*: tunc dicitur temporale annexum spirituali, si spirituale præsupponatur sitque veluti fundamentum & præcipuum, cui adjiciatur & in quo fundetur temporale, & ita se habet res in beneficio, in quo primum & principale velut præsuppositum est officium spirituale, cui annectitur jus percipiendi temporales fructus. Tunc dicitur temporale, cui annexum est spirituale, si temporale præsupponatur tanquàm primum, quod etiam principaliter attendatur, & ita se habet calix consecratus, in quo materia & forma artificialis præsupponitur, illi autem adjicitur consecratio spiritualis, & talem rem posse vendi dicemus *à num.*152. Hoc supposito.

118 §.3. Videtur probabilius, quod vendere Beneficium Ecclesiasticum sit simonia Juris divini seu naturalis, ita multi cum Rayn.*lib.*2.*s.*1.*cap.*10.*à n.*10. & Pirh.*lib.*5.*tract.*3. *à n.*75. estque etiam S. Thom.2.2. *qu.*100. *art.*4. O.& eandem tenent ple-

plerique alii Theologi apud Garz.*num.*10. Ratio eſt, quia licèt Beneficium habeat aliquid temporale, tamen hoc temporale eſt annexum alicui antecedenter ſpirituali, ita ut ſpirituale ſit præſuppoſitum & præcipuum; talia autem ſunt intrinſecè invendibilia, uti rectè Suar. ſupra aliique communiter, & dicetur *à num.*152. ergo. *Conf.* ex principiis Cardenæ relatis *num.*110. nam temporale, quod ineſt Beneficio, ſi authoritas Superioris non accedat, nequidem virtualiter ſeparatur à ſpirituali, ſed eſt moraliter unum cum illo, ideoque vocatur ſpirituale ſpiritualizatum, ergo hoc ipſo, quòd venderetur temporale, etiam venderetur ſpirituale, ergo eſſet ſimonia Juris divini & naturalis. Et huc pertinet dictum Paſchalis Papæ, *Cap. Si quis objecerit, 7.cauſ.1. qu.3. Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Et hæc confirmabuntur in *qu. ſequent.* nam eſt contra juſtitiam vendere Beneficium, ergo eſt contra Jus naturale.

119 *Q.24. An ſit etiam injuſtitia, dare Beneficium aut aliud ſpirituale pro pretio temporali?* R.§.1. Eſſe injuſtitiam, uti patet ex propoſ.22. ab Alex.VII. damnata. *Non eſt contra juſtitiam Beneficia non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod conferre non tenebatur.*

120 §.2. Difficultas eſt in explicando, cui & cur fiat injuria: Aliqui dicunt fieri Deo, quia ſolus Deus eſt Dominus rei ſpiritualis, homo autem tantùm diſpenſator, uti habetur 1. *ad Corinth.*4. ergo qui rem ſpiritualem uſurpat invito Deo, facit Deo injuriam, ſed qui dat Beneficium pro pretio, ille uſurpat rem ſpiritualem invito Deo, qui *Matthæi* 10. dicit, *Gratis accepiſtis, gratis date*, ergo qui dat Beneficium pro pretio, facit injuriam Deo. Verùm dicendum eſt per hoc fieri Deo injuriam latè dictam tantùm, non autem ſtrictè quia Deus nulla re privatur, neque de hac injuſtitia loquitur damnatio.

121 §.3. Talis collatio Beneficii eſt injuſta reſpectu illius qui dato pretio accipit illud Beneficium, quia conferens accipit pretium, & tamen viciſſim de ſuo nihil dat pretio æſtimabile, nam fructus non dat, cùm necdum exiſtant, nec ad ipſum pertineant, ſed ad poſſeſſorem Beneficii, tum futurum; Jus autem ad illos eſt ſpirituale vel ſpirituali ita annexum, ut ſpirituale præſupponatur, & temporale ſemper fundetur & referatur ad illud; ſpirituale autem vel aliquid ſic connexum cum ſpirituali propriè non ſpectat ad hominem, ſed illius Dominus eſt ſolus Deus, & ſaltem tale aliquid non eſt pretio temporali æſtimabile, uti in *q.præced.* dictum eſt, & iterùm dicetur *à num.*152. ergo conferens accipiendo pretium nihil dat viciſſim de ſuo, quod ſit pretio æſtimabile, ergo facit injuriam danti pretium. Videri poteſt Onnate *de contr.diſp.*81.*ſ.*9.

122 §.4. In aliis materiis ſimoniæ, ubi aliquid ſpirituale datur pro temporali, Caſtrop.*t.*17.*d.*3.*p.*1.*n.*6. dicit quandoque intercurrere injuſtitiam, quandoque non, ſi enim vendens non ideò patiatur incommodum, nec amittat ullum emolumentum, dicit fieri injuriam ementi, quia viciſſim nihil fit huic, pretio æſtimabile; ſi autem vendens patiatur incommodum, vel amittat emolumentum, dicit non fieri injuriam, quia pretio reſpondet aliquid, quod eſt pretio æſtimabile, & ita etiam ſentiunt Suar. Val. Bonac. Laym. Fill. Az. Lugo *de juſt. d.*18. *n.*53. Rayn.*lib.*2.*ſ.*1.*c.*4.*n.*10. Pirh.*lib.*5.*t.*3. *n.*175. verùm ſententia illa eſt quidem vera, ſi temporale detur velut pretium incommodi vel amiſſi emolumenti; ſi tamen temporale comparetur ad ſpirituale, & detur velut ejus pretium, omnino fiet injuria ob rationem ante datam.

123 *Q.25. An ergo Beneficia Eccleſiaſtica nihil in ſe habeant, quod poſſit eſſe vendibile abſque ſimonia vel injuſtitia?* R. Quamvis per Beneficium communiter nunc intelligatur complexum aliquod, partim ex Jure exercendi aliqua miniſteria ſpiritualia, partim ex Jure percipiendi fructus temporales ob tale miniſterium, tamen, ſtrictè loquendo, Jus exercendi miniſteria ſpiritualia, dicitur Officium; Jus autem percipiendi fructus temporales, ſimpliciter vocatur Beneficium ſeu Præbenda. Quod ad officium ſpectat, certum eſt illud eſſe intrinſecè invendibile, quia ſuppoſita inſtitutione Eccleſiæ eſt ſpirituale, ergo pretio temporali inæſtimabile, quia ſpirituale eſt alterius & planè ſuperioris ordinis. Quod attinet ad Præbendam, certum quoque eſt ex hactenus dictis eſſe invendibilem Jure Eccleſiaſtico, & latè probat Rayn.*c.*10. *à n.*7. quod autem ſit invendibile etiam Jure divino & naturali, diximus tanquam probabilius *n.*118. ſi tamen talis Præbenda ſive Jus ad fructus authoritate Papæ (qui ſolus id poteſt) ſepararetur ab Officio, ita ut fructus non ampliùs ſolvi deberent ratione Officii, ſed ex alio titulo vel cauſa, v.g. ob liberalem donationem Papæ propter obſequia temporalia Eccleſiæ præſtita &c. tale Jus percipiendi fructus, pretio temporali emi ac vendi poſſet etiam laico, ut rectè Suar.*c.*24.*n.*23.*&* 25. Leſſ. *de Juſt.lib.*2.*c.*35.*n.*19. Rayn.*à num.*13.

An penſio ſit aliquid ſpirituale aut vendi poſſit, dicetur *lib.*4. *num.*1118. *&* 1172.

Q.26. An ſit ſimonia vendere vel locare Decimas, aut fructus Beneficiorum? Reſp.§.1. Si per Decimas intelligantur ipſi fructus, qui ex alieno fundo colliguntur, v.g. frumentum, vinum, certum eſt, quòd liceat hos vendere vel elocare alteri pro annua penſione, quia nihil ſunt ſpirituale, nec de ſe ſpirituali annexum: ſi autem per Decimas intelligatur Jus directum decimandi, hoc Jus eſt invendibile, quia eſt ſpirituale vel ſpirituali antecedenti annexum: poteſt tamen jus decimandi, quod eſt in uno loco, permutari cum jure decimandi in alio, ſecundùm dicta *n.*114. Denique ſi per Decimas intelligatur jus utile decimandi, ſi illud authoritate Papæ vel conſuetudine ſeparatum ſit à jure directo, quod ſemper manet penes Eccleſiam, illud poterit laicis competere & vendi atque emi, ita Engel *lib.*5.*tr.*3.*n.*22. Similiter ſi jus decimandi tibi laico à Papa ſit conceſſum, poteris vendere ſine ſimonia, Alloza *v. Simonia ſect.*4.*n.*41. *& alii.* 124

§.2. Communis eſt ſententia, licere beneficiato locare fructus ſaltem ad breve tempus, quia locatio non inducit ſeparationem à Titulo Beneficii, uti cum Suar. docet Pirh.*num.*78. Et quamvis in *Extrav. Ambitioſæ* ſolùm triennium concedatur, tamen communis ſententia eſt eam reſtrictionem non eſſe pleriſque locis receptam, uti teſtatur Tolet. apud Rayn.*cap.*2. *n.*25. & Caſtrop.*p.*13.*n.*5. dicit nullibi ferè eſſe receptam, hinc ubi recepta non eſt, poterit fieri locatio etiam ad tempus vitæ, ita Haun. *de juſt.t.*6.*t.*2.*n.*576. 125

§.3. Præſentatus, ſed à Papa vel Epiſcopo necdum confirmatus, non poteſt percipere fructus, niſi velut adminiſtrator, ſequeſtrando illos, donec obtineatur collatio Tituli & confirmatio, unde priùs non poterit de illis abſolutè diſponere vendendo vel locando, fructus tamen debentur Præſentato, ſi confirmetur, Leſſ. *in Auct. v. Simonia cap.*8. 126

Q.27. An ſit ſimonia vendere vel elocare Jus Patronatus? Reſp. §. 1. Jus Patronatus eſt poteſtas nominandi vel præſentandi Clericum promovendum ad Beneficium Eccleſiaſticum vacans. Eſt autem duplex, vel perſonale, quod perſonæ eſt affixum; vel reale, quod rei v.g. arci nobili adhæret: eſtque ſemper merè ſpirituale ſecundùm Suar. *cap.*26. *num.*7. Laym. *lib.*4. *tr.*21. *cap. ult. num.*60. contra Lott. *de re benef. lib.*2.*q.*9. *n.*5. & Leurenium *p.*2.*q.*25. partim quia principium habet à poteſtate Eccleſiaſtica; per quam Beneficia inſtituuntur, partim quia ordinatur ad Beneficium Eccleſiaſticum, & quamvis ſecundùm Az. alioſque Canoniſtas communiter cum Pirh. *l.*3. *t.*38. *num.*5. ſit tantùm antecedenter annexum ſpirituali, non poteſt tamen per ſe & ſolitariè vendi vel elocari ſine ſimonia, uti ex Jure & ratione pluribus probant Pirh.*n.*71. Suar.*c.*28.*n.*7. Leur.*q.*27. 127

§.2. Jus Patronatus reale tranſire poteſt ad emptorem per accidens & ratione rei, v.g. arcis venditæ, cui annexum eſt, uti cum aliis Lott.*num.*47. Pirh.*num.*72. ſi tamen res, cui Jus Patronatus eſt affixum, ideò pluris vendatur, eſt ſimonia, ita Azor. aliique communiter cum Caſtrop. *t.*13.*d.*2.*p.*4.*num.*10. contra Garz. *de benef.p.*5.*cap.*9.*num.*35. cui favet Molin. *de juſt. tom.*3.*t.*3.*d.*620.*num.*6. quorum ſententiam *Caſtrop.* dicit non eſſe improbabilem, ex hac ratione, quia Jus illud Patronatus reddit rem multùm æſtimabilem ratione temporalitatis annexæ, v.g. præcedentiæ, honorificentioris loci &c. quæ debentur Patrono ante alios: ſed ſtandum eſt in prima ſententia, alioquin etiam liceret aliquid temporale dare pro qualibet dignitate Eccleſiaſtica, ad quam ſequitur præcedentia vel honorificentior locus. 128

§.3. Si vendatur Jus Patronatus, vel per ſe & principaliter, vel etiam per accidens tantùm ratione rei, cui annexum eſt, quæ ideò pluris vendatur, ob hoc ipſum tam Jus illud, quàm pretium illi reſpondens amittitur; eſtque ſuſpicio vendi ideò pluris, ſi in contractu de eo fiat expreſſa mentio; in dubio tamen præſumendum eſt, quod mentio fiat, non ratione venditionis, ſed ut emptor ſciat Jura bonis venditis annexa, ita poſt alios Engel *num.*25. & Pirh.*num.*75. V. Leur. *qu.*67. *n.*6. 129

§.4. Si Jus Patronatus non ſit annexum rei, ſed immediatè inſit perſonæ, certum eſt vendi non poſſe vel elocari, Caſtrop. *num.*12. Corr.*p.*5.*c.*9. *n.*46. Imò nequidem poteſt ſine conſenſu Epiſcopi per donationem tranſire in Laicum, ſed tantùm ad perſonam ſacram vel pium locum, eſtque aliàs donatio invalida, uti ex deciſione Rotæ tenet cum pluribus Canoniſtis Barb. *de offic. Epiſc. alleg.*71.*n.*23. non eſt tamen ſimonia, inquit Ray. *n.*39. cùm ſit libera donatio. Addit cum Pirh. *n.*39. *&* 74. ſi quis ſit hæres etiam voluntarius & extraneus Patroni habentis tale Jus perſonale, hoc Jus etiam ſine conſenſu Epiſcopi à tali perſona ad hæredem tranſire. 130

§.5. Si res, cui annexum eſt Jus Patronatus, ad longum tempus elocetur, v.gr. ad 10. annos communis ſententia cum Garz. *de benef.p.*5.*cap.*6.*num.*10. dicit eſſe conductoris: è contra ſi ad modicum tempus elocetur, Abb. & Pirh. *n.*76. dicunt 131

non elocari Jus Patronatus, ſed manere apud locatorem, *Barb.* putat pro illo tempore tranſire ad Conductorem, & conſentit Caſtrop. *n.*13. prior tamen ſententia eſt communior, & ad tollendum dubium debet Locator vel ſibi expreſsè retinere, vel conductori committere, ut ſuo nomine præſentet, quando Beneficium vacabit. V. Leur. *q.*52.

132 §.6. Jus Patronatus permutari poteſt cum alia re ſpirituali, ut dicetur *lib.*4. *n.*347. *ubi a n.*330. plura addentur de Jure patronatus.

133 *Q.*28. *An ſit ſimonia, pro Beneficio pecuniam dare Patrono hæretico?* Reſp. §.1. Leſſ. *in Auct. v. Beneficium caſu* 6. abſolutè affirmat, ideoque conſulit, ut à Papa petatur collatio, ſimulque diſpenſatio, ut cum Patrono hæretico tranſigi poſſit de fructibus; eſtque ſententia hæc tutior & communior.

134 §.2. Si hæreticus (idem eſt de excommunicato) ſit publicè denuntiatus amiſit Jus Patronatus, unde fruſtra ab illo peteretur nominatio, ita Nav. & alii cum Sanch. *in conſ. lib.*2. *c.*3. *d.*51. *n.*10. Si autem non ſit publicè denuntiatus, uti non ſunt in his partibus, *Covarr. & Henriq.* adhuc dicunt amiſiſſe Jus Patronatus, quamvis Eccleſia ob cauſas in hoc diſſimulanter ſe gerat, & permittat eos agere, atque ſi jus haberent: ex quo deducunt aliqui, ſi hæretico tali detur pecunia, non dari pro re ſpirituali, circa quam ipſe nullam poteſtatem habet, ſed dari pro nihilo, & quidem illi, qui tantùm impedire poteſt, non autem juvare, adeoque non committit ſimoniam: ſed contraria ſententia, quòd nempè in hæreticis toleratis maneat Jus Patronatus, longè communior eſt & probabilior, quam probant Sanch. *de Matrim. lib.*3. *d.*22. *à num.*31. unde ex hac cauſa non excuſaberis à ſimonia, ſi pro Beneficio des pecuniam Patrono hæretico.

135 §.3. Probabile eſt non eſſe ſimoniam, ſi des pecuniam Patrono hæretico, qui alioquin Beneficium illud erat collaturus Acatholico, vel etiam Catholico certò indigno; aut ſibi retenturus; etiamſi contingat, ut occaſione datæ pecuniæ tibi conferatur Beneficium. Ita cum aliis multis Arſdek. *Tom.*2. *par.*2. *t.*6. *q.*11. & Verjuys *in Paſt. Miſſ. T.*4. *art.*11. & 12. Ratio eſt, quia primaria intentio offerentis pretium eſt & eſſe debet, redimere vexam Eccleſiæ, quæ jus acquiſitum habet, ut Beneficia conferantur idoneis Miniſtris, & vexatur injuſtè, ſi conferantur hæreticis vel indignis, aut ſi maneant inter manus hæreticorum; talem autem vexam redimere licitum eſt etiam illi, qui non habet jus in Beneficio, uti dicetur *à n.*138. quo poſito non eſt illicitum ſperare aut ſe offerre ad tale Beneficium, nam cùm debeat uni conferri, quamvis vi pretii mei non voluerim nec potuerim Patronum obligare ad conferendum mihi, tamen jus petendi habeo æquè ac alius; imò nunc congruum eſt, ut mihi potius detur quàm alteri, quia Eccleſiæ bonum procuravi, ergo & agere poſſum, ut mihi conferatur; nec cenſebor per pecuniam mihi paraſſe viam ad Beneficium, niſi remotè & indirectè, quod nullo jure prohibetur.

136 §.4. Conſequenter docet *Verj.* etiam poſſe aliquem oblato pretio in ſimili circumſtantia vexatæ Eccleſiæ tranſigere cum beneficiato hæretico vel indigno pro reſignatione talis Beneficii; in partibus tamen catholicis hæc non licent, quia Eccleſia hic non ita vexatur, ſed poteſt per ſe remedium adhibere, repellendo inhabiles vel indignos.

137 §.5. Quando Beneficium debet à Patrono hæretico ſine pernicioſa dilatione conferri, vel conferendum erat Catholico digno, non eſt licitum offerre pretium, multò minus eſt licitum, ut Catholicus competitor plus offerat, quàm obtulerit prior alius competitor catholicus, nam hic non redimeretur vexa Eccleſiæ, ſed ad ſummum propria vexa illius, qui Beneficium petit, nulli autem licitum eſt in re beneficiaria redimere propriam vexam, niſi habenti jus acquiſitum in Beneficio, ut jam dicetur.

138 *Q.*29. *Quomodo in his, & ſimilibus licitum ſit vexam redimere?* Reſp. Conſtabit ex ſeqq. §.1. Qui habet jus ſpirituale in re acquiſitum, poteſt pretio redimere omnem vexam injuſtam, qua quis vult, aut probabiliter timetur velle tollere ipſi Jus illud, eſt communis omnium cum S. Thom. 2.2. *q.*100. *art.*2. *ad* 5. Caſtrop. *t.*17. *d.*3. *p.*20. *num.*1. Pirh. *l.*5. *t.*3. *nu.*105. Laym. Corr. Lott. Leur. *p.*3. *q.*749. *num.*1. unde inquit Leſſ. *in Auct. v. Simonia, cap.*8. licitum eſt paciſci cum vexante de parte fructuum illi danda. Ratio eſt, quia tum non das pretium pro re ſpirituali, hanc enim habes, ſed pro liberatione ab injuria, quæ eſt quid temporale & pretio æſtimabile: unde & vexans, qui tale pretium recipit pro ceſſatione ab injuria, non erit ſimoniacus, ſed tantùm injuſtus, Suar. *de Relig. t.*1. *lib.*4. *c.*50. *n.*14.

139 §.2. Si quis juſtè vexetur vel impugnetur circa aliquod Jus ſpirituale jam in re obtentum, uti ſi agatur de eo ob delictum privando, ſimonia eſt pretio vexationem redimere, ita Suar. *num.*10. Pirh. *num.*107. aliique cum Dian. *p.*11. *t.*6. *R.*31. contra *Paſq.* qui dicit non fore ſimoniam, ſi redimas ab illo, qui non habet obligationem vexandi, quamvis juſtè vexet; ſed ratio noſtra eſt, quia tum Jus illius non eſt firmum, ſed auferibile, ergo qui tum vexationem redimit, reipſa emit ſibi Jus firmum & ut habendum pro futuro. *Si dicas*, pretium dari directè tantùm pro removenda vexa: *Contra eſt*, ſaltem erit Juris Eccleſiaſtici, uti docet Tanc. apud Dian. ſuprà, & dicetur *num.*145.

§.3. Si obtinueris Jus ſpirituale per indubitatam inſtitutio- 140
nem, & impediaris injuſtè à capienda poſſeſſione, licebit tibi pretio vexam redimere; videtur eſſe S. Th. *ſup. Poſtquam Jus alicui jam acquiſitum eſt, licet per pecuniam injuſta impedimenta removere*: Id abſolutè docent Rodriq. Vega, Arrag. Suar. *n.*31. Caſtrop. *n.*3. Dian. *p.*5. *t.*14. *R.*3. Rayn. *lib.*2. *ſect.*1. *c.*2. *n.*37. Pirh. *n.*111. contra Lott. Garz. Corr. Ratio eſt, quia poſſeſſio non eſt ſpiritualis, niſi ratione tituli ſeu Juris, cui annexa eſt, ergo acquiſito Titulo ac Jure pretium non datur pro aliquo ſpirituali, ſed tantùm ad tollendum injuſtum impedimentum poſſeſſionis, quæ illi Titulo debita eſt, & conſiſtit in aliquo facto merè temporali, ſicuti ſi haberes Jus acquiſitum decimandi, poſſes dare pretium pro obtinendis actu Decimis, ut ſic in actum temporalem poſſeſſionis venires; niſi Eccleſia hoc ſpecialiter vetuiſſet ob alias cauſas, v. g. ne laicis detur occaſio avaritiæ vel injuſtitiæ.

§.4. Si necdum indubitatè & pacificè obtentum ſit Jus, 141
ſed alius etiam habeat Jus probabile, uti ſi duo acceperint collationem, inſtitutionem, poſſeſſionem, ſimonia eſt dare pretium pro Jure tibi firmiter & ſine controverſia acquirendo, aut etiam, ſi necdum acceceperis, pro accipienda poſſeſſione, ita Suar. Caſtrop. Leſſ. *cap.*5. Pirh. Leur. *num.*5. Sylv. *p.*1. *v. Beneficium, cap.*2. contra Paſq. apud Dian. *p.*11. *t.*6. *R.*31. Ratio eſt, quia tum datur pretium, non pro nuda poſſeſſione, ſed ſimul pro jure nondum plenè acquiſito; ſed neque eſt redemptio vexæ injuſtæ, cùm enim alter habeat Jus probabile, non vexat injuſtè: dare autem pro redimenda vexa juſta eſt ſimoniacum.

§.5. Simonia eſt, ſi des pecuniam aut etiam aliud Bene- 142
ficium, ut alii competitores deſiſtant Jus ſuum proſequi in hoc Beneficio, aut ut non opponant cauſas ſeu juſtas prætenſiones: Ratio jam data eſt, quia redimis vexationem juſtam, paraſque directè tibi viam ad Beneficium per pecuniam, aut per permutationem Beneficii, hoc autem eſt ſimoniacum, ita S. Th. Suar. Leſſ. Barb. Caſtrop. *ſupr.* Beja *p.*2. *caſ.*3. Engel. *lib.*5. *tr.*3. *num.*31. Rayn. *n.*38. *contra* Paſq. qui inſuper dicit non eſſe ſimoniam dare pecuniam alicui, ne in electione opponat exceptionem, quam jure poteſt opponere; item non eſſe, ſi det concurrenti, ut à concurſu deſiſtat; item ne concurrat in hac electione, & tu non concurras cum illo in ſequente; item ſi det, quamvis jus ad poſſeſſionem ſit dubium; ſed alii cum *Dian.* ſuprà rectè dicunt omnes opiniones illas veluti ſingulares & contra communem, nullo modo eſſe admittendas: eſt item contra J. Pontium apud Dianam *Ref.*7. qui putat non eſſe ſimoniam litem redimere, ſi jus ſit litigioſum, eò quòd intentio ſit evitare majores expenſas litis per minus pretium, quod datur, & licere denis nummis redimere jacturam centenorum; ſed tenenda eſt ſententia prima, ſecundùm dicenda *n.*145. & Moya *T.*6. *d.*4. *q.*7. *n.*15. rectè dicit ſententiam illam *Pontii* eſſe contra omnes, uti eſt etiam altera, qua dicit aliquem, qui habet poſſeſſionem Beneficii poſſe accepto pretio hoc relinquere alteri, qui aliàs lite quæſiturus eſt; nullam enim in eis ſententiis probabilitatem invenio.

§.6. Si tantùm habeas jus ad rem, v.g. ſi ſis præſentatus, 143
ſed necdum habeas Inſtitutionem; item ſi ſis electus, ſed necdum habeas Confirmationem, eſt ſimonia dare pretium ei, qui inſtituere vel confirmare debet, quamvis injuſtè neget, quia necdum habes certum jus in re, & ſic per pecuniam ſternis viam ad Beneficium pacificè acquirendum, quod Canones prohibent, uti oſtendit Engel. *num.*31. unde univerſaliter loquendo,

§.7. Quando jus in Beneficio necdum eſt acquiſitum, 144
quamvis injuſtè impediaris, tamen non eſt licitum redimere vexam ab iis, qui ad Beneficium juvare poſſunt, id eſt, ad quos ſpectat conferre, eligere, præſentare, inſtituere, confirmare, inveſtire; potes tamen vexam injuſtam redimere ab aliis, qui tantùm poſſent impedire, & non juvare. Eſt communior cum Suar. Leſſ. *de juſt. lib.*2. *cap.*35. *n.*108. Caſtrop. Pirh. Leur. *n.*2. & 3. Dian. *p.*6. *t.*8. *R.*17. Ratio eſt, quia ſi des illi, qui juvare poteſt, jam per pecuniam directè paras viam ad Beneficium; dando autem alteri, qui tantùm poteſt nocere, directè intendis tollere injuriam, & tantùm remotè ac indirectè per pecuniam paras viam ad Beneficium, quod nullo jure prohibetur. Quòd ſi is, qui poteſt juvare, aliter te vexaret, quàm abutendo poteſtate, quam habet, v.g. ad eligendum, uti ſi infamaret te, ut alios Electores injuſtè à te averteret, poſſes & hanc vexam ab eo redimere pretio, quia tum non vexat te, ut eſt potens juvare, ſed ut aliquis alius, qui tantùm obeſſe poteſt. Ita Suar. & Leſſ.

§.8. Si

145 §.8. Si in concurſu ſis dignior vel ſolus dignus, probabile eſt non fore ſimoniam, ſi redimas injuſtam vexam, etiam ab illo, qui juvare poteſt; ita Nav. Val. & alii cum Caſtrop.*n.*4. Ratio eſt, quia directa intentio tua eſt, ut per illam pecuniam tollas injuriam, & ne priveris jure tuo, nam in tali concurſu habes jus quæſitum etiam contra collatorem, ut ab eo non impediaris, hinc licèt poſt datam pecuniam tibi conferatur Beneficium, tuque illud ante ſperaveris, tamen hoc Beneficium non erit merx tuæ pecuniæ, ſed erit aliquid conſequens ad effectum juſtè cauſatum per pecuniam, nempè ad voluntatem, qua Collator vellet, uti tenebatur, ab injuria hac abſtinere, & officio ſuo ſatisfacere; res tamen illa pericu loſa eſt, vel ideò, quia propria cupiditas facilè perſuadebit cuique ſe eſſe digniorem aut unicè dignum, cùm ſæpè ſit aliter; unde abſolutè, ut probabilius, videtur tenendum cum Suar.*n.*28. tum committi ſimoniam ſaltem Juris poſitivi, nam meritò potuit, & debuit Eccleſia prohibere redemptionem talis vexæ, partim ob ſcandalum, partim ob periculum ſimoniæ.

146 §.9. Si non ſcias certò, quòd electores propendeant ad pravam electionem, ſimonia eſt, ſi offeras pecuniam, ut eligant dignum, tunc enim non redimis vexam ullam, ſed pretio temporali directè intendis electionem tui, vel alterius, Caſtrop.*n.*8. ſi tamen ſcires eos nolle eligere dignum, & non eſſet alius facilior modus procurandi electionem digni, licitum eſſet illos dato pretio obligare ad eligendum in communi dignum, nullum determinando in particulari, uti docent communiter AA. cum Suar.*c.*22.*n.*6. Barb. *de offic. Paroch.c.*2.*n.*108. Pirh.*n.*78. Leſſ.*num.*112. Rayn.*num.*31. *Nec refert*, quò fortè ſit unicus dignus, aut quod tu ſis dignus & ſperes te eligendum, nam pretio tuo directè tantùm intendis obligare ad omittendam electionem injuſtam & ad tollendam vexam Eccleſiæ, quæ Jus habet, ut non eligatur indignus, quòd autem ſecundùm ſpem tuam cadat electio, per accidens eſt, ita Suar. *n.*39. Caſtrop. *ſuprà & aliis*; verùm etiam hæc res periculoſa eſt, quia intentio dantis pecuniam communiter erit, non tam tollere vexam Eccleſiæ, quàm ſibi aſſerere Beneficium: quòd ſi per pecuniam paciſcaris, ut omiſſo indigno, te eligant, tunc aperta erit ſimonia, inquit Rayn. *num.*36. Quòd autem putat *B. Pontius* ſemper licitum eſſe offerre pecuniam, ut redimatur vexa, hoc ipſo quòd offerendo ſis cauſa, ut fiat minus peccatum, *Raynaud.* ſuprà meritò improbat, dicens non apparere, quòd majus peccatum poſſit eſſe in vexante, quàm vendere jus ſacrum.

147 §.10. Si Cajus ſine rationabili cauſa moveat electorem precibus vel muneribus, ut tibi non faveat, ſed alteri, non eſt ſimonia, ſi des pecuniam Cajo, ut ab illa vexatione ceſſet, nam licèt actio illa non ſit injuria contra juſtitiam, eſt tamen nocumentum contra charitatem, adeoque potes illam redimere: Si tamen dares pecuniam, ut Cajus tibi potiùs faveret, quàm alteri, aut alicui dares, ut ſimiliter precibus vel muneribus pro te ageret apud electorem, committeres ſimoniam, quia per pecuniam proximè directè parares viam ad Beneficium, ita quoad omnes partes Suar.*n.*25.*&* 26. Leſſ.*n.*109. Rayn.*n.*35.*& alii*. Addit Caſtrop.*num.*6. & cum eo Villalob. Sanch. & Dian. *par.*5.*tr.* 14. *R.* 2. adhuc non fore ſimoniam, quamvis in eo caſu dares pecuniam ipſimet electori, non ut tibi ſpecialiter faveret, ſed ut deponeret animum à te averſum & ad alterum plùs converſum per irrationabiles preces & munera Caji: ſic enim rem tantùm reſtituis in juſto equilibrio, in quo relinqui debuit, & non magis paras viam ad Beneficium, quàm parata erat ante illam ſubornationem, ſi utrimque nihil actum eſſet, idemque docet Hurtad. apud Dian.*tract.*7.*R.*17. addens, ſi electo r à competitore ſit corruptus, te poſſe oſtendere, quòd etiam paratus ſis pecunias dare, ſi ipſe illas voluerit: hæc tamen omnia, uti fatetur *Caſtrop.* ſunt plena maximis periculis.

148 §.11. Si quis injuſtè velit in te ferre cenſuram, vel non abſolvere à cenſura, potes data pecunia vexas illas redimere, quia non das pecuniam pro actu ſpirituali, ſed ad ſatiandam ipſius cupiditatem & vexam redimendam, ſub onere non ligandi vel abſolvendi, ad quod Jus habes, & alter tenetur, ita multi cum Suar.*num.*43. Caſtrop. *num.*10. Pirh.*num.*51. & iterum dicetur *n.*159.

149 §.12. Si detur res ſpiritualis, v.g. Beneficium ſub pacto, ne ille cui datur, impoſterum vexet aut noceat, eſt ſimonia, quamvis vexatio vel nocumentum foret injuſtum, quia ſpirituale datur pro ſpirituali emolumento; & idem eſt, ſi dares Beneficium tenuius alicui te injuſtè vexanti in pinguiore, nam amotionem vexæ, quæ eſt commodum temporale, emeres ſpirituali, Suar. Leſſ. Laym. & alii cum Pirh. *n.*139. conſentitque Rayn.*n.*9. citans plures. Sed ſi rogares & ſine pacto intenderes eum placare, ne pergeret nocere, non eſſet ſimonia, quia evaſio talis mali non intenderetur ut pretium, ſed ut effectus conſequens ex toto actu ſpirituali, ita Suar.*c.*37.*n.*14. Quòd ſi daretur ſpirituale cum pacto, ut in præſenti ceſſet à malo aut ab injuſta actione, putant Suar. Laym. & Rayn.*n.*83. relati, non

fore ſimoniam, ſed oppoſitum eſt tenendum, quia eſt pactio de ſpirituali dando pro commodo temporali, & aliàs etiam liceret paciſci de pecunia debita in præſenti danda. Putat autem Corr.*l.*4.*c.*5.*n.*60. in omnibus caſibus, quibus licitum eſt redimere vexam, priùs petendam eſſe licentiam Epiſcopi, ut caveantur fraudes, ſed de hoc nullam legem invenio, quamvis omnino ſit conſultum ita fieri.

An liceat tranſigere circa litem, penſionem dandam, ſolutionem expenſarum litis vel pretium pro Bullis, dicetur *lib.*4. *à num.*552. *&* 1059.

*Q.*30. *An ſit ſimonia, ſi quis pecunia emat Titulum Ordinationis?* Reſp. §.1. Si emat Titulum jam conſtitutum, v.g. fundationem 4. Miſſarum hebdomadatim, quibus reſpondet ſtipendium ſufficiens ad ſuſtentationem honeſtam, eſt ſimonia, uti patet, quia officium illud legendi Miſſas, cui reſpondent iſti fructus, eſt jam antecedenter aliquid ſpirituale, ergo Jus ad illos fructus, quod hic emitur, eſt annexum antecedenter ſpirituali, ergo invendibile, ſecundùm dicta *n.*118. & dicenda *n.*153. 150

§.2. Si emat Titulum priùs conſtituendum, v.gr. ſi det pecuniam pro habendo Titulo Ordinationis ſuper menſa Abbatiali, dummodò abſit intentio dandi pecuniam pro Ordinatione vel Ordinibus, non videtur eſſe ſimonia, 1. Quia licitè emo menſam apud Abbatem, hoc enim eſt quid totum temporale, uti licitè emo agros, ex quibus annuè habeam 100. aureos, hoc autem ſuppoſito etiam licitè peto ordinari ſuper illa menſa vel agris, quia ſunt quid immobile, ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem, ergo. 2. Licèt poſteà ejuſmodi Jus habendi menſam ab Abbate, ſi acceptetur ab Eccleſia pro Titulo Ordinationis, accipiat aliquam connexionem cum ſpirituali, tamen antecedenter eſt in ſe temporale, cui tantùm poſteà adjicitur aliquid ſpirituale, tale autem aliquid licitè emitur, ſecundùm dicta & dicenda locis notatis, licitè enim emo calicem, licèt intendam & faciam, ut poſteà illi adjiciatur ſpiritualis conſecratio, ergo. 151

*Q.*31. *An ſit ſimonia vendere vel elocare res benedictas, conſecratas, aliaſque ſimiles?* Reſp. Colligetur ex ſeqq. §. 1. Alloza *v. Simonia ſect.*1.*num.*33.*&* 35. ponit has duas regulas. 1. Si ſpirituale ſit principale, & temporale ſit acceſſorium, hoc temporale vendi non poteſt, quia acceſſorium ſequitur naturam principalis. 2. Si temporale ſit principale, & ſpirituale ſit acceſſorium, temporale vendi poteſt, ſed non majori pretio propter ſpirituale annexum, Pirh. *l.*5. *t.*3. *n.*72. clariùs rem explicat per has 4. regulas collectas ex *S. Thom. Suar. Laym. & alii*. 1. Quod eſt annexum ſpirituali, non poteſt vendi, quatenus habet talem connexionem vel ordinem ad ſpirituale, tum enim ſpirituale æſtimaretur pretio temporali. 2. Quod eſt annexum ſpirituali, ita ut ſit præſuppoſitum ad ſpirituale, & cui ſpirituale poſteà advenit, ſi abſit ſpecialis prohibitio Eccleſiæ, poteſt vendi ratione materiæ vel artificii, etiamſi conſecratio vel benedictio ſit ab illis inſeparabilis, modò non ideò vendatur cariùs, ſed tantùm ſecundùm valorem, quem habet independenter ab illis; ratio eſt, quia talia retinent valorem intrinſecum totum aut ſaltem fere totum, nam putant aliqui de valore intrinſeco per hoc decedere, quòd ad uſus profanos ampliùs applicari non poſſint, ſed hoc parum attenditur, & communiter ad uſus profanos non fiunt vel non ſerviunt. 3. Quòd concomitanter eſt annexum ſpirituali, uti eſt labor intrinſecè, & inſeparabiliter conjunctus miniſteriis ſpiritualibus, non poteſt vendi ſine ſimonia, quia non tam eſt annexum ſpirituali quàm ipſum ſpirituale, ſeu intrinſeca pars ipſius functionis ſpiritualis: *Nec obſtat*, quòd fortè ſit actio materialis, nam rectè dicit *Suarez ex S. Bonaventura*, quod ipſummet materiale teneat locum ſpiritualis, & cenſeatur ſpirituale, ideoque empto labore emitur actio ſpiritualis, uti pluribus explicat Eſcob. *in Theol. Mor. lib.*8. *à num.*331. 4. Quod conſequenter eſt annexum ſpirituali; id eſt, quod præſupponit rem ſpiritualem, & in illa fundamentum vel æſtimationem habet, vendi non poteſt ſine ſimonia, & tale quid eſt jus percipiendi Decimas, vel fructus clericales, quamdiù hoc jus per Papam non ſeparatur à Titulo officii. 152 153

§.2. Ex dictis ſequitur, poſſe vendi calices, Agnos Dei, veſtes ſacras, oleum, panem benedictum, ſacrum chriſma &c. dummodò vendantur ſecundùm valorem intrinſecum tantum, Eccleſia enim tantùm prohibet vendi cariùs ratione benedictionis vel conſecrationis: poſſunt tamen vendi cariùs ratione laboris vel ſumptuum, v.g. ut adferrentur ex loco remoto, ubi benedici debuerunt, uti rectè Suar. Bonac. Dian. *p.*3. *t.*6. *R.*12. Engel *n.*17. Steph. *t.*4. *d.*11. *n.*34. *& alii*; itaque quando Canones vetant vendi res quaſdam ſacras etiam ratione materiæ, intelligendi ſunt, ſi in rebus ſacris fiat mercatura quædam quaſi profana, aut ſi adſit ſcandalum: prohibentur autem vendi Judæis, uti habet March. *Tom.*2. *tr.*2. *t.*2. *ſect.*3. *qu.*4. *Reg.*2. ob periculum irreverentiæ vel abuſus: hinc etiam 154

Laym. apud Pirh. *l.3.t.17.n.6.* putat calicem Chriſtiano laico non debere vendi integrum, niſi pro aliquo Oratorio, eò quòd laicus rem ejuſmodi ſacram poſſidere non debeat.

155 §.3. Suar.*c.14.n.23.* docet vendi poſſe etiam templa, quia videtur eſſe par ratio cum calicibus, utrobique enim materiæ de ſe vendibili ſupervenit conſecratio; contradicunt Laym. & Pirh.*n.9.* nam prohibentur vendi ligna & lapides Eccleſiæ etiam dirutæ: ſed pro *Suar.* reſponderi poteſt, prohiberi ne vendantur ad alios uſus profanos, eò quòd Eccleſia ſatis declaraverit in eis quamvis diſſolutis manere conſecrationem, eò quòd in ſe maneant, uti antèà, ligna & lapides, quod non eſt in aliis rebus, v.g. in calice effracto, cujus partes conſecrationem nullam retinent, nec in ſe manent calix.

156 §.4. Simonia eſt rem ſacram, v.gr. calicem aut paramenta Miſſæ elocare pro pretio, niſi pretium petatur præcisè, quantum eſt damnum vel detrimentum, quod res pateretur, ita Suar. *n.25.* Ratio eſt, quia res talis non elocatur, niſi ratione uſus, ergo uſus venditur, atqui uſus rei ſacræ eſt ſacer, non enim adhiberi debet ad uſus profanos, ergo.

157 §.5. Simonia eſt cariis vendere roſaria, imagines, numiſmata, quia Reliquias attigerunt, aut Reliquiaria ipſa. Quia Reliquias continent, ita Suar.*n.24.* Reliquias autem ipſas vendere ſecundùm omnes eſt ſimonia, uti rectè Stoz *l.1.p.3.n.303.* ubi tamen addit, ſi illæ ab infidelibus vel hæreticis detineantur, licitum eſſe eas ſibi vendicare dato pretio pro redimenda vexa, indigna tractatione aut injuſta earum poſſeſſione, & conſentiunt Laym. *l.4.t.7.c.5.num.17.* cum Sanch. *in Dec. l.2. c.43.num.22.*

De alienatione bonorum vel rerum Eccleſiæ plura addentur *lib.4.à num.1363.*

158 *Q.* 32. *An ſit ſimonia dare pretium pro Sacramento, precibus, cantu ſpirituali: item pro obligatione faciendi aliquid ſpirituale?* Reſp.§.1. Pro Sacramento ipſo dare pretium, eſt ſimonia, ut patet, & idem eſt, ſi detur pretium pro labore intrinſeco, qui eſt in adminiſtratione, uti *n.153.* dictum eſt; ſi tamen detur pretium pro habendo Matrimonio in ratione contractus civilis, v.g. per dotem vel aliter compenſando inequalitatem perſonarum contrahentium, quia una eſt nobilis, altera ignobilis, non eſt ſimonia, ita S.Th.Suar.Lay.Pirh.*l.5. t.3.n.12.* Illſ.*t.5.n.309.*

159 §.2. In extrema vel etiam gravi neceſſitate licitum eſt ad obtinendum Sacramentum dare pretium illi, qui non vult adminiſtrare gratis, non enim datur in pretium Sacramenti, ſed ut medium ad removendam vexam vel ad tollendum impedimentum pravæ voluntatis, & ad eam permovendam, ut officio ſatisfaciat, ita cum aliis Leſſ.Pirh. *n.13.* Burgh. *cent.3. caſ.73.* Eſcob. *in Theol. Mor. l.8. à n.326.* quod Suar.& Fill.*tr.45.c.3. n.17.* probabiliter extendunt ad neceſſitatem ſumendi Euchariſtiam pro viatico. Quòd ſi impius ille cogeret petentem ad jurandum, quòd pecuniam illam daret velut pretium Sacramenti, ſi non faciat in injuriam Chriſtianæ Religionis, ſed ad hoc cogat tantùm ex malitia vel odio privato, putat Fill. *n.14.* & Tanc.apud Dian.*p.11.t.6.R.32.* Suar. *c.12.n.16.* Eſcob. *n.330.* poſſe jurare ſub aliqua æquivocatione.

160 §.3. Non eſt ſimonia aliquid exigere pro adminiſtratione Sacramentorum, Officiis divinis, Litaniis, precibus &c. per modum ſtipendii pro ſuſtentatione, uti dicetur *n.165.* vel etiam ratione conſuetudinis, uti dicetur *n.192.* vel per modum eleemoſynæ, ita Suar. Laym. Eſcob. *n.333.* Pirh. *n.26.* Engel *l.5.t.3. n.15.* ideoque etiam *cap. Ad Apoſtolicam, 42. de ſimonia,* ubi dicitur nihil accipiendum pro ejuſmodi miniſteriis, additur, ut ſervetur conſuetudo ex devotione dandi aliquid: hinc inter prop. *V Vicleffi à Martino V.* damnatas etiam eſt hæc: *Omnes ſunt ſimoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus*, id eſt, pro illis, qui ipſis dant temporalia.

161 §.4. Non eſt ſimonia, ſi Muſicus vel cantor paciſcatur de pretio pro cantu non debito, ſed ad populi devotionem excitandam exhibito, ita Maldon. aliique cum Dian. *ſup. R.36.*

162 §.5. Si pretium petatur tantùm pro obligatione faciendi aliquid ſpirituale, v.g. non pro ipſa miniſtratione Sacramenti, ſed pro obligatione miniſtrandi, Caj. Nav. Leſſ. Laym. Bonac. quos citat Eſcob. *n.334.* & quos ſequitur Alloz. *ſ.1.n.27.* putant non eſſe ſimoniam, quia hæc obligatio diſtinguitur à functione ſacra, & ſicuti accipere poſſum pro obligatione mutuandi, quamvis non pro mutuo, ita pro obligatione miniſtrandi, quamvis non pro miniſterio: conſentit Eſcob. *n.336.* ſi onera corporalia vel moleſtiæ ſint illi obligationi accidentaliter annexæ, ſed S.Th.Suar. *c.16.n.20.& c.21.n.16.& 17.* Caſtrop. *t.17.d.3. p.11.n.3.* aliique meritò dicunt eſſe ſimoniam, quia talis obligatio connectitur cum ſpirituali tanquam cum fine; ordo autem ad ſpiritualia non cadit ſub pretium, hinc *Bonac.* meritò ſuadet, ut pretium accipiatur, non titulo emptionis vel alio ſimili, ſed ſolius ſuſtentationis, aut certe debet eſſe ratione laboris accidentalis, & extrinſeci.

163 *Q.* 33. *An ſit ſimonia dare vel accipere pretium pro exercitio virtutis, vel actu aliquo bono?* Reſp.§.1. Non eſt ſimonia promittere vel donare temporale, ſub onere ſeu conditione operis ſpiritualis præſtandi, modò non fiat per modum compenſationis, neque ſub pacto abſoluto, ut præſtetur ſpirituale, v.gr. poteſt Chriſtianus donare infideli pecuniam, ſub conditione, ſi Baptiſmum ſuſcipiat; poteſt Catholica hæretico promittere Matrimonium, ſub onere, ut ſe convertat; poteſt Dominus alere pauperem, ſub onere, ut vel fiat Religioſus, vel ut refundat ſumptus; item manumittere ſervum, ſub conditione, ut fiat Monachus; poteſt Pater filio dare novam veſtem, ſub conditione, ut ſingulis menſibus communicet: ita multi cum Caſtrop.*p.9.n.7.* & Pirh.*n.129.* ratio eſt, tum quia hic non imponitur abſoluta obligatio illi, qui pecuniam acceptat, ſed datur optio, ut ſi velit illa frui, præſtet hoc ſpirituale; ſi nolit, maneat, ſicut ante; tum etiam, quia dans viciſſim nihil recipit vi illius oblati: Et ſic Deus promiſit bona temporalia hominibus, ſi agerent bona moralia, neque per hoc cenſetur offerre, velut pretium boni moralis, ſed tanquam præmium.

§.2. Sanch. *de Sponſal. d.39. num.4.* docet, quamvis non 164
fiat talis quaſi optio, ſed reipſa inducatur obligatio ſub tali conditione, tamen non eſſe ſimoniam, hoc ipſo quod acceptans pecuniam nihil viciſſim tradat, nec dans pecuniam aliquid recipiat per ſe vel per alium, quod requiritur ad venditionem, venditio autem videtur eſſe de ratione ſimoniæ. *Suar. & Caſtrop.* non acquieſcunt hac ſola ratione; quamvis enim dans inde non accipiat utilitatem, adhuc tamen dicunt fore ſimoniam, ſi acceptans per pretium determinetur & obligetur ad exercendam virtutem: hinc Suar.*c.16. à n.18.* probat per hoc non evitari ſimoniam, quòd des pecuniam pro actu cedente in utilitatem acceptantis, nam ſi Religio aliqua emat à Cajo ingreſſum in Religionem, tantùm ob utilitatem Caji, erit ſimonia; & ratio à priori eſt, quia ad emptionem ſolùm requiritur, ut res empta non ſit ſub poteſtate mentis, & per emptionem conſtituatur ſub ejus poteſtate, quod fieri poteſt, licèt non cedat in utilitatem mentis, ſed ſolius vendentis, prout mens intendit. An autem ſit ſimonia, ſi quis ludat cum pacto, ut ſi perdat, oret roſarium; ſi lucretur, habeat ſolidum, dicetur *p.2.num.1096.*

Q. 34. *An ſit ſimonia accipere pretium pro actionibus* 165
juriſdictionis vel functionis ſpiritualis?

Reſp. §.1. Non eſt ſimonia, etiam ex pacto accipere, ſi non accipiatur ut pretium actionis ſpiritualis vel rei ſacræ, ſed per modum ſtipendii ad ſuſtentationem. Ita S.Th.2.2.*q.*100.*art.2.* Suar.*c.36.n.8.* Laym. Leſſ. Pirh. *lib.5.t.3.n.126.132.* Illſ.*t.5.n.304.* Rayn. *lib.2.ſ.1.cap.10. n.28.* confirmatque uſus Eccleſiæ: ratio autem eſt, quia obligatio ea dandi temporale oritur ex natura & juſtitia, quæ exigit, ut ei, qui in alterius gratiam & commodum laborat, ſufficiens ſuſtentatio detur: hinc pretium non datur pro miniſterio ſpirituali, quatenus eſt ſpiritualis operatio, ſed quatenus eſt ſervitium ſive operatio in alterius gratiam facta, ideòque commenſuratur, non operis dignitati vel conditioni, ſed perſonæ operantis. Deinde, inquit *Raynaudus*, non eſt pactum de exhibendo ſpirituali pro temporali, ſed de exhibendis fructibus ob annexionem ſpiritualibus pro ſuſtentatione perſonæ miniſtrantis, quam ſuſtentari neceſſe eſt, & æquum: *Nec obſtat*, quòd fortè perſonæ tales ſint divites & aliunde ſuſtentationem habeant, nam id per accidens eſt, & ex juſtitia debetur ſuſtentatio ex tali miniſterio, ita Eſcob. *in Theol. Moral. lib.8. num.339.*

§.2. Simonia eſt dare vel accipere pretium pro conſecratio- 166
ne templi, calicis &c. quia hæ actiones ſunt ſpirituales, & actus poteſtatis Ordinis, ita Suar.& alii cum Pirh. *num.34.* ubi addit poſſe Epiſcopum pro conſecratione exigere procurationem moderatam in agnitionem ſuperioritatis, daturque, ut Epiſcopi facilius inducantur ad conſecrandum.

§.3. Eſt ſimonia Juris Eccleſiaſtici, per ſe loquendo, ſi 167
Ordinandus det, aut ſi Epiſcopus vel ejus Miniſtri aliquid etiam ſponte oblatum admittant pro Ordinibus, præſentatione ad Ordines, dimiſſorialibus, teſtimoniis, &c. quacumque de cauſa fiat, & non obſtante quacumque conſuetudine, etiam immemoriali, exceptis Notariis Epiſcopi, qui ſi conſuetudo non ſit nihil accipiendi, neque ipſi habeant ſalarium, poterunt acceptare decimam tantùm unius aurei partem: habentur hæc omnia expreſsè in Trid. *ſeſſ.21.c.1. de reform.* & quamvis dicatur ſponte oblatum, tamen tum non cenſetur ſponte dari, & facilè ſibi perſuaderet cupiditas ſponte dari, quod coactè offertur, Pirh. *à num.16.* Quòd ſi tamen aliquid verè ſponte detur, & ut tale acceptetur, putat Leſſ. *cap.35.num.61.* non fore ſimoniam, quia tunc ceſſat omnis pactio etiam tacita, nec eſt ulla ratio debiti, quæ requiritur ad ſimoniam: præterea ibi tantùm reprobantur conſuetudines, quæ ante fuerunt, non autem quæ nunc ſunt ab eo tempore, præſumi enim poteſt, quòd hæ novæ conſuetudines dandi aliquid, attamen moderatum, ſint ex juſta cauſa introductæ; denique certum eſt *Trid.* in his ſaltem partibus quoad iſta non eſſe in omni rigore

rece-

receptum, & ideo ſuprà dixi, per ſe loquendo. An autem ſit ſimonia, ſi Examinatores occaſione concurſus ad Parochiam aliquid acceptent, dicetur *Lib.4.n.632.*

168 §.4. Etiam eſt ſimonia dare vel accipere pretium pro actionibus ex ſe ordinatis ad ſpiritualia, v.g. ad Beneficii adeptionem, vel per quas Beneficium habetur à cauſis proximis, uti pro præſentatione, electione, collatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, inſtallatione, immiſſione in poſſeſſionem, ac ſimilibus, ita Pirh.*à n.79.*Rayn.*cap.2.n.31.*Ratio eſt, quia hi ſunt actus functionis ſpiritualis, & ſpirituales, ob reſpectum, quem habent ad ſpirituale.

169 §.5. Notariis non prohibetur accipere aliquid pro ſcribendis contractibus circa ſpiritualia, aut pro expeditionibus litterarum circa Beneficia, modò non vendantur cariùs ratione materiæ ſpiritualis, ita Fill.*t.45.c.12.num.12.*etiam Procuratori in cauſis Eccleſiaſticis vel Advocato licitum eſt accipere mercedem ſui laboris, quantam acciperet ex eodem labore, ſi in rem profanam impenderetur, Caſtrop.*p.12.n.14.* Rayn.*n.30.*

170 §.6. Simonia eſt, ſi Judex Eccleſiaſticus accipiat pretium pro ſententia, quia eſt actus Juriſdictionis ſpiritualis, Suar. *c.20.n.16.* Pirh. *num.40.* imò ſimonia eſt accipere pretium pro actibus proficiſcentibus à Juriſdictione Eccleſiaſtica circa materiam temporalem & politicam, v.g.pro actu, quo Eccleſiaſticus ratione poteſtatis Eccleſiaſticæ jus habet cognoſcendi cauſas merè civiles. Si tamen poteſtas illa ipſi competat, prout eſt Princeps aut Dominus ſæcularis, non erit ſimonia pro illis accipere pretium, Suar.*n.17.*Pirh.*n.42.* Licitum quoque eſt Judici Eccleſiaſtico, ſi indigeat Aſſeſſore, pro eo ſtipendium ſuſtentationis exigere, Engel.*num.20.* Notandum tamen hic, quòd Bonif.VIII.Gregor.XIII. & Alexand.VII. in Bulla 19. data 2.Maji *1656.* ſub excommunicatione prohibeant omnes ex pacto donationes, promiſſiones &c. etiamſi hæ non ſint acceptatæ, pro obtinenda pro ſe vel alio Juſtitia vel gratia aliqua apud Sedem Apoſtolicam, etiam apud mediatos interceſſores, qui vel promovere vel impedire poſſent tales cauſas; & obtentionem declarant irritam: extendit Alexand. ad omnia verba & ſigna quovis modo apta inducere quamcumque obligationem juſtitiæ aut fidelitatis, etiam ſub titulo remunerationis vel gratitudinis, nequidem pro defenſione Juris quæſiti, nec ad redimendam vexam injuſtam, permittens ſolam mercedem convenientem actuali labori illorum, quibus non incumbit expeditio juſtitiæ vel gratiæ.

171 §.7. Si Judex vel adverſarius propter contumaciam judicandi, v.g.excommunicati, fecit ſumptus, illos ſolvere debet Reus, antequam abſolvatur, non ut pretium abſolutionis, ſed ad reſarciendam injuriam & damnum, Pirh.*n.51.*

172 §.8. In diſpenſationibus exigitur aliquid, vel per modum mulctæ ad cauſam piam applicandæ, vel ut compenſetur receſſus à Lege communi, vel per modum ſtipendii ad ſuſtentationem diſpenſantis aut Officialium ejus, Suar.*n.12.& 15.*Leſſ.*n.* 58.Laym.*c.ult.*§.4.*n.42.*Pirh.*n.49.* Quod in voto maximè valet, cujus commutatio fieri poteſt in eleemoſynam.

173 §.9. Simonia eſt vendere vel emere poteſtatem ſupplendi, v.g.in Parochia, quia venderentur vel emerentur & poteſtas & actus poteſtatis ſpiritualis, Suar.*n.4.& 5.*Pirh.*n.48.* Notat tamen Sanch.*in conſ.l.2.c.3.d.7.n.4.* Parochum, à quo petitur licentia, v.g. miniſtrandi Sacramenta, poſſe eam negare, niſi detur ſibi ſtipendium, quod haberet, ſi ipſe miniſtraret, quia Jus habet ſe ſervandi indemnem.

174 §.10. Aſſiſtentia in Sacramento Matrimonii ex inſtitutione Eccleſiæ eſt annexa officio Parochi, adeòque reducitur ad miniſterium ſpirituale, maximè cùm ex diſpoſitione Eccleſiæ requiratur ad Matrimonium quatenus Sacramentum, adeòque eſt intrinſecè invendibilis, unde quod pro ea admittitur, non debet eſſe illius pretium, ſed tantùm velut ſtipendium pro ſuſtentatione: aliud eſt de præſentia teſtium, quorum teſtimonium ſolùm requiritur ad probandum contractum Matrimonii, Suar.*c.19.n.11.*Pirh.*n.47.*

Circa hactenus dicta aliaque ſimilia etiam attendenda eſt conſuetudo, per quam ſæpè dari poteſt aliquid, non ut pretium rei ſpiritualis, ſed alio titulo, uti dicetur à n.191.

175 *Q.35. Quandonam committatur ſimonia, ſi detur pretium pro omiſſione aliqua?* R.§.1.Si omiſſio alicujus actus procedat à poteſtate Eccleſiaſtica, & fiat ob pretium, erit ſimonia, uti ſi audita Confeſſione omittas abſolvere, ſi promittas aliquem non abſolvere à cenſura, ſi paciſcaris, ut non eligas, non des votum &c. Ita Suar.*c.22.à n.9.*Laym.*c.ult.*§.4. *n.43.* Caſtrop.*t.17. d.3.p.12.n.17.*Pirh.*l.5.t.3.n.54.* Ratio eſt, quia non ſolùm abſolvere, approbare, eligere &c. ſed etiam ligatum detinere vel rejicere, eſt exercitium ſpiritualis juriſdictionis eccleſiaſticæ, adeòque pretio invendibile, ſuam enim æſtimabilitatem habet, quatenus ab illa juriſdictione habet moralem efficaciam, ergo ſi hæc & ſimilia fiant exercendo ſuam juriſdictionem aut curam ſpiritualem, idque pro pretio, erit ſimonia.

§.2. Simonia eſt, paciſci, non commendare ſeipſum vel 176
alium idoneum, ſi intendatur promotio tertiæ perſonæ ad aliquod v.g.Beneficium Eccleſiaſticum. Ita Suar. *n.18.* Leſſ.*l.2. c.35.n.109.* Ratio eſt, quia jus pro ſe vel alio ſollicitandi eſt ſpirituale, ergo qui ab altero emit ceſſionem illius, reipſa dat pretium pro jure illo alteri attribuendo, ergo pro ſpirituali: deinde directè parat alteri viam ad Beneficium per pecuniam, quod eſt ſimoniacum. Idem eſt, ſi pactio fiat, ut quis non contradicat; ut deſiſtat à prætenſione juſta, ut ſe non ſiſtat ad concurſum, &c.*uti dictum eſt n.142.*

§.3. Si omiſſio non ſit exercitium juriſdictionis ſpiritualis, 177
neque intuitu rei ſpiritualis pretio æſtimetur, quamvis ſit omiſſio actus ſpiritualis etiam ex officio debiti, non erit ſimonia pro illa dare vel accipere pretium; poterit tamen eſſe injuſtitia vel turpe lucrum. Sic ſi Parochus pecuniam accipiat, ut non audiat Confeſſionem alicujus, talis omiſſio non eſt exercitium juriſdictionis, ſed tantùm eſt voluntarius non uſus illius. Ita Suar.*n.11.*Leſſ.*n.64.& 65.* Laym. *n.43.* Pirh.*n.56.* Si tamen intuitu rei ſpiritualis pretio æſtimaretur, Suar.*n.18.* putat fore ſimoniam, uti ſi quis omittat audire Miſſam pro pretio, quod æſtimat æquivalere bono ſpirituali, quod haberet audita Miſſa.

§.4. Non eſt ſimonia dare pretium, ut alter abſtineat ab 178
actu ſpirituali injuſto vel ſacrilego, hinc ſecundùm dicta n.146. non eſt ſimonia dare pecuniam volentibus ad Parochiam eligere indignum vel minùs dignum, ut ſi permoveantur ad electionem dignioris; neque accipientes tale pretium committunt ſimoniam, ſed tantùm injuſtitiam vel turpe lucrum, ita cum aliis Suar.*n.8.*

Q.36. An ſit ſimonia Theologiam docere pro pretio? R. 179
§.1. Theologia eſt quintuplex, 1.*Poſitiva*, quæ in ſenſu Scripturæ explicando occupatur, ideoque dicitur poſitiva, quia ponit fundamenta ad locos argumentationum Theologicarum, ejuſque functio eſt interpretari Scripturas, 2. *Aſcetica*, ſive myſtica, quæ doctrinas ad perfectionem virtutum conſequendam neceſſarias tradit, & quia potiſſimùm docetur in Aſceteriis Religioſorum, dicitur Aſcetica; ejuſque functio eſt docere perfectionem Chriſtianam. 3. *Polemica*, ſic dicta à τὸ πόλεμος bellum, quia tractat Controverſias, & oſtendit modum defendendi veram fidem, & expugnandi hæreſes, ejuſque functio eſt proponere vera fidei myſteria fidelibus, ut confirmentur, infideles autem convincere de erroribus, ut convertantur. 4.*Scholaſtica*, quæ ſpeculati vas præcipuè quæſtiones diſputativè examinat; ejuſque functio eſt deducere concluſiones certas ex principiis partim fidei, partim luminis naturalis. 5. *Moralis*, quæ ad actus humanos ſeu morales hominum dirigendos ordinatur; ejuſque functio eſt explicare & reſolvere caſus conſcientiæ.

§.2. Functio 1. & 4. exerceri poteſt abſque ſimonia pro 180
pretio, uti habet communior cum Suar.Leſſ.Caſtrop.*t.17.d.3. p.10.*contra S.Anton. Palud.Silv. *& alios*. Ratio eſt, quia neutra per ſe & proximè ordinatur ad ſalutem animæ, ſed ad illuſtrandum intellectum in his materiis, ſicuti illuſtratur per alias ſcientias naturales, hinc etiam non eſt ſimonia emere Magiſterium, Licentiam vel Doctoratum in Theologia.

§.3. Functio 2.per ſe & proximè ordinatur ad ſalutem ani- 181
mæ, nempè ad voluntatem Deo tanquam fini ultimo perfectè uniendam, quod ſupernaturale eſt, ideoque eſt intrinſecè invendibilis. Ita Suar.Leſſ. Caſtrop. ſupra aliique communiter cum Burgh.*cent.3.c.21.*

§.4. Functio 3. videtur eſſe ſimilis ſecundæ, quia per ſe 182
& proximè ordinatur ad fidem ſupernaturalem firmandam vel generandam, uti AA.jam citati docent. Si tamen per Polemicam tantùm inſtrueretur intellectus, ut fidei noſtræ principia doctrinaliter propugnare poſſet & hæreſes argumentis convincere, dicendum eſſet de hac functione, quod dictum eſt de prima & quarta: addunt Suar.Laym.& Illſ.*t.5. n.308.* Ludimagiſtros pro ſimplici Doctrina Chriſtiana pueris tradenda licitè exigere mercedem, quia non tradunt modo exhortatorio aut tanquam Miniſtri verbi divini, ſed tantùm doctrinaliter informando rudem intellectum.

§.5. De quinta functione eſt dubium, nam Leſſ.*l.2.c.35.n.2.* 183
Sanch.aliique apud Dian.*p.5.t.14. R.4.* putant eſſe ſimoniam caſus conſcientiæ reſolvere pro pretio, ſed alii cum Suar.*c.18. num.19.* Caſtrop.*num.5.* Laym.Dian.Illſ. *num.307.* probabilius negant, quia inſtructio illa per ſe ordinata eſt ad intellectum naturali cognitione illuſtrandum, licèt poſteà ab eo, qui inſtruitur, referatur ad pacem vel directionem conſcientiæ, aut ad alium finem ſupernaturalem, quod meritò facere debemus etiam in omni alia actione, neque tamen ideo omnes ſunt invendibiles.

§.6. Licèt pro quibuſdam ex relatis functionibus accipi 184
non poſſit pretium ſecundùm jam dicta, tamen pro omnibus & ſingulis poteſt etiam ex pacto accipi ſtipendium pro ſuſtentatione, uti *n.165.* dictum eſt, quia non datur tanquam com-

commensuratio, æstimatio, vel æqualitas boni spiritualis, quod ad emptionem, & venditionem requiritur, & consequenter non datur ut pretium rei spiritualis, sed purè ut necessarium vitæ & sustentationi illius.

185 *Q.37. An sit simonia emere Jus sepulturæ vel sepulturam in loco sacro?* R.§.1. Communior sententia est ex S.Th. 2.2.q.100.ar.4.ad 3.Suar.& aliis cum Pirh.*lib.3.t.28. n.36.* esse simoniam, quamvis daretur pretium pro loco, in quantum honoratior est, quia licèt honor humanus sit motivum ementis, tamen locus sacer est id, in quo fundatur ille honor, v.g. quia locus est vicinior Altari, ergo sicuti simonia est emere Episcopatum, quia honoratior est, ita & hunc locum: Aliqui tamen apud Dian.*p.2.t.15. R.57.* & alii cum Barb.*de Offic. Parochi p.3.c.26.n.16.* Burgh.*cent.3. cas.12.* Caram.*in Theol. Mor.d.17.n.868.* probabiliter dicunt non esse simoniam, si quid accipiatur, vel pro illa circumstantia situs vel loci dignioris, vel saltem pro fundo, qui habet valorem antecedenter ad consecrationem, uti explicatum est *n.117. & 153.* unde si quis habeat cellam vel fornicem in templo subterraneum sumptibus suis ædificatum pro se & suis sepeliendis, poterit multò magis vendere juxta valorem fundi & expensarum, uti fatentur S.Th. suprà, Suar.Az.Carden.*in 1.crisi d.67.n.6.*& Pelliz.*de Regul.t. 8.c.5. n.172.* nam tale sepulchrum etiam per hæreditatem transit ad laicos; & si sit Jus personale habendi aliquo loco sepulturam, hoc Jus etiam transit ad hæredem, ut dictum est *n. 130.* ergo etiam transire poterit ad alios per venditionem rei, cui annexum est, uti *nu.128.* diximus de Jure Patronatus. Addunt Suar.*cap.14.n.22.*Carden.*n.8.*aliique apud Illf.*n.310.* posse exigi pretium pro onere & obligatione non sepeliendi in aliquo loco alium, quàm v.g.Cajum & familiam ejus, quia onus illud est pretio æstimabile, nec tamen est spirituale vel spirituali annexum; & fatentur omnes cum Laym.Castrop. Pirh. *n.40.* consuetudinem posse excusare, ut aliquid fabricæ Ecclesiæ applicandum detur pro loco sepulturæ, uti & pro sede vel loco honoratiori in templo.

186 §.2. Quando locus aliquis sacer est communis pro sepultura fidelium, simonia est saltem Juris humani exigere aliquid pro sepultura in illo, nisi iterum excuset consuetudo legitimè introducta, nam Ecclesiæ prohibitio est ex *cap. Abolendæ, de sepult.* ut non tantùm pro benedictione, sed etiam pro sepultura nullum pretium detur vel accipiatur, ita Suar.*n.19.* aliique cum Castrop.*t.17.d.3.p.18.*

Quis possit concedere alicui jus sepulturæ in loco sacro, vel cui de Jure illud competat, dicetur *l.7.c.2.ad dub.3.*

187 *Q.38. An sit simonia dare vel accipere pecuniam pro ingressu in Religionem?* R. §.1. Pro Religione ipsa dare vel accipere pecuniam, patet esse simoniam: attamen non est simonia facere mutuos contractus circa dotem & sumptus pro sustentatione ejus, qui Religionem ingreditur, aut pro oneribus temporalibus à domo religiosa sustinendis in gratiam admittendi, ita S.Th.supra ad 4. aliique sancti viri, & postillos 54.gravissimi Authores, quos refert & sequitur Jacobus à S. Antonio Carmelita *in Consult.Canon. consult.2. resol.2.* & in adjecta resolutione Dubii de hoc, specialiter edita Romæ: idem ostendit Pirh.*l.5.t.3.à num.59.* unde Less.*in Auct.v. Simonia cas.9. &* 10. dicit probabile esse, quod exigi possit certa pecunia, licèt Monasterium sit opulentum, ob consuetudinem, quæ nunc præscripserit, & consentit Urbanus ab Ascensione, apud Steph.*t.4.d.11. num.40.* addens præsumi simoniam, si tunc exigantur pecuniæ à tali admittendo, qui nullum aliud talentum Religioni utile adferre videtur, præterquam pecuniam. Quoad Moniales tamen minus scrupuli est faciendum, si bona sua dent Monasterio, id enim meritò permittit Ecclesia, ut illis non sit occasio evagandi extra Clausuram prætextu paupertatis.

188 §.2. Non est simonia, si gratis dentur munera Superioribus, vel aliis, ut facilius impetretur ingressus in Religionem, cùm id nullo Jure sit prohibitum, ita cum aliis Dian. *p.3.t.2. R.64.*

189 §.3. Nec est simonia muneribus allicere aliquem ad Religionem, etiamsi spes & intentio illa manifestaretur, ita Bon. cum Lez.*in qq. Regul. v.Simonia n.5.* Imò S.Th. *Quodlib.4. q.12.art.23.in O.* expresse asserit laudabiliter fieri, si pueri vel adolescentes munusculis ad Religionem alliciantur, quamvis S.Ignatius Loyola *in Constitutionibus suis, in exam.c.3.*§.14. ob justas & speciales causas noluerit inductos ad Societatem JESU admitti.

190 §.4. Nec est simonia, si v.g.Abbas alat aliquem in studiis, ea conditione, ut postea Religionem intret, uti *n.163.* dictum est: item si obliget se ad alendos ejus Parentes, qui indigent, aut ad solvenda ejus debita, ita Sanch.aliique cum Bon. *de Simonia, d.1.q.4.§.8.n.3.* Ratio est, quia hoc non offert velut pretium Religionis aut Religiosi, sed tantùm ponitur velut conditio, quam Juvenis admittere debet, si velit gaudere illo commodo temporali; vel tantùm tollitur impedimentum, quo excluderetur à Religioso statu, quod tollere licitum est.

An sit simonia dare vel accipere aliquid pro officio in Religione, dictum est n.103.

Q.39. An consuetudo excuset à simonia? R.§.1. Nulla consuetudo vel usus potest excusare à simonia Juris naturalis, quia Jus naturale est necessarium, nec aboleri potest; hinc nulla consuetudine potest induci, ut liceat dare vel accipere temporale tanquam pretium spirituale, ita omnes cum Suar. *c. 48.n.1.* & Pirh.*l.5.t.3.n.42.* 191

§.2. Consuetudo potest excusare à simonia Juris tantùm positivi, si habeat conditiones ad præscribendum requisitas, quia sicut consuetudo potest inducere obligationem Legis, ita, & tollere, uti dictum est *L.1.n.572.*& ita secundum dicta hic n. 160. inducta est per consuetudinem obligatio ad dona quædam seu oblationes faciendas Clericis pro exequiis, benedictionibus nuptiarum, cæremoniis Baptismi, & similibus, etiamsi illi, quibus dantur, aliunde sustentationem habeant, uti n. 165.dictum est; exigi tamen non debent, antequam functiones illæ fiant, ne sit species emptionis, sed dantur pro jam factis, ad ostendendum, quod originem habeant à gratuita recognitione; possunt tamen fideles per Episcopum cogi ad ea de more danda, nam præscriptio virtute Legum tale Jus fecit Parochis aut Ministris; ita Silvest.Suar.Pirh.*n.43.* idem est de consuetudine exigendi aliquid in administratione Sacramentorum, in admissione ad Monasterium, Suarez *à n.5.* Laym.*l.4. t.10. cap.ult.*§.2.*n.16.*Pirh.*n.44.* Hinc Dian.*p.6.t.8. R.17.* & Rocc.af. apud eundem Dian.*p.11.t.6. R.31.* absolutè docent non esse simoniam dare vel accipere aliquid temporale, quando exhibetur spirituale, si talis sit consuetudo, & solùm agatur de periculo simoniæ Juris positivi, quia tunc probabiliter judicari potest ejusmodi usum esse licitè introductum, jamque præscripsisse, ad quod in probabili sententia sufficiunt anni tantùm decem: addit Engel.*l.5.tr.3.n.16.* inter causas, ob quas tales consuetudines potuerint introduci, etiam esse hanc, quòd multæ Decimæ, v.g.lucri in negotiatione pecorum, lini, lanæ, pomorum, ovorum, &c.antehac Ecclesiæ dari solitæ, nunc in desuetudinem venerint, ideoque præsumi possit has esse conversas in particulares exactiones tunc faciendas, quando exhibentur ministeria quædam spiritualia: notat tamen rectè n.14. non licere Parochis ob denegatam pecuniam denegare Sacramenta, sed debere alia via v. g. apud Episcopum jus suum prosequi, alioquin non leve foret scandalum speciesque simoniæ, & grave Parochianis detrimentum, si ob negatam modicam pecuniam mediis salutis frustrarentur. 192

§.3. Licèt Cap.*Non satis 8.Cùm in Ecclesia 9. In tantùm 36.Sicut pro certo, 39. Jacobus*, 44. Tit.De simonia, & alibi sæpè reprobentur omnes consuetudines accipiendi aliquid pro sepeliendis mortuis, benedicendis nubentibus seu aliis Sacramentis conferendis seu collatis, tamen in his iterum prævaluit nova consuetudo, scientibus & conniventibus Superioribus ecclesiasticis, uti n.192.dictum est. 193

§.4. Quamvis nunc sit consuetudo fueritque dudum, ut per pecunias obtineantur Beneficia ecclesiastica; hæc tamen consuetudo non excusat, neque præscribit, unde frustra se in talibus excusant aliqui dicentes, *Hoc jam moris est, passim fit, faciunt omnes, &c.* Ratio est, quia plerumque est simonia Juris naturalis, cùm pecunia detur velut pretium rei spiritualis, circa simoniam autem talem nulla præscribit consuetudo. Deinde quamvis non foret contra jus naturale, est tamen contra jus positivum, & illi consuetudini constanter reclamat Ecclesia, partim per damnationem propositionum, quæ tali consuetudini favent, partim per responsa, quæ quotidie dat Curia Romana, quando enim interrogatur, semper declarat ejusmodi facta esse simoniaca, imò rarissimè dispensat, sed præcipit dimitti Beneficia, & restitui omnes fructus perceptos. 194

Q.40. Quid censeri debeat in dubio? R.§.1.Si probabile sit simoniam non interveniisse, non est, quòd aliquis sibi scrupulum faciat, tum quia sequi potest probabilem, tum etiam quia est in possessione suæ innocentiæ, quam adhuc præsumere potest, quamdiu non rescit se nocentem, unde rectè docent Zypæus aliique cum Dian.*p.6.t.8.R.17.* quamvis secundùm jus etiam ille sit simoniacus, qui non intelligit se illicitum agere, si reipsa committatur simonia, tamen qui processit ex authoritate Doctorum, excusatur à culpa, & pœna. Vide dicenda à num.204. 195

§.2. Si verum sit dubium, an commissa sit simonia necne, v.g.scis datos esse centum imperiales, sed nescis, an dati sint cum pacto aliquo aut gratis vel alio licito titulo, nec habes prudens motivum pro alterutra parte judicanda, in tali dubio poteris præsumere non interveniisse simoniam, quia delicta non præsumuntur, & innocentia est in possessione; donec probationes claræ, & convincentes afferantur. Ita Suar.Pirh. *l.5.t. 3.c.132.*Tamb.*in Dec.l.1.c.3.* §.7.*v.simonia.* 196

§.3. Ubi verba sunt dubia, Ecclesia præsumit simoniam, è contra ubi verba sunt dubia, jus civile non præsumit usu- 197

ram,

ram, diſparitas eſſe poteſt, quòd uſura non ſit ita communis, & habeat plures titulos excuſantes, ſimonia autem nunc ſit communiſſima, nec ſint tituli tales excuſantes.

198 *Q.41. An in ſimonia detur parvitas materiæ?* Reſp. Affirmat Alloza *v. Simonia ſect.4. num.29.* Item Molin. dicens, quod ad mortale furtum ſufficit, non ſemper ſufficere ad mortalem ſimoniam: ſequuntur Regin.Merol. Gord.apud Dian.*p.5.t.5.R.2.* uti (ſecundùm omnes) datur in ſacrilegio, v. g. in modico furto rei ſacræ; ſed oppoſitum dicit eſſe certum Haunold. *de Juſt. t.6. t.2. n.559.* ideò communiter AA. negant in ſimonia parvitatem materiæ, Suar. *cap.3. à num.5.* Sanch.*hic l.1.cap.4. num.1.* Illſ.*t.5. num.313.* quod verum eſt de ſimonia juris naturalis (de ſimonia juris Eccleſiaſtici dicetur *lib.4.num.632.*) Ratio eſt, quia parvitas non poteſt provenire ex vilitate ipſius rei ſpiritualis, quantumcumque enim videatur exigua, eſt tamen ordinis ſupremi, tendens ex natura ſua ad ſupernaturalem Dei poſſeſſionem, ergo eſt gravis irreverentia eam pretio temporali veluti proportionato & æquali æſtimare, cum hoc pretium ſit infinities vilius: neque poteſt provenire ex parvitate pretii, quia quò minus eſt pretium, eò minor eſt æſtimatio rei ſpiritualis, pro qua offertur tam exiguum pretium: idem confirmat Rayn.*l.2 ſect.1. cap.3.* quantum autem ſit ſcelus ſimonia, ſatis colligitur ex *c. Per tuas litteras, 32. de Simonia*, ubi *Innocentius III.* ait, cæteras exceptiones, ut furti, adulterii, propter immanitatem hæreſis ſimoniacæ, ad cujus comparationem cætera crimina quaſi pro nihilo reputantur, duximus repellendas: Similia habentur *cauſ.1.q.1. Eos qui*, ideoque *Paulus II. Extravag.2. de Simonia*, meritò vocat deteſtabile ſcelus: *Concilium Lateranenſe cap. Cùm in Eccleſia, 6. de Simonia*, vocat horribile nimis. Eandem malitiam ſimoniæ per multa capita ſequentia depingit Raynaudùs: denique *c.6.& 7.* refert exempla plurima ſimoniæ à Deo graviſſimè punitæ.

ARTICULUS II.

Quæ ſit pœna Simoniæ.

199 „ Reſp.I. Sola ſimonia confidentiæ & realis, in Ordine, Beneficio Eccleſiaſtico & Religionis ingreſſu, „ pœnas Juris ipſo facto inducit: licèt ob ingreſſum Religionis raro incurratur, ut dictum eſt, vel ob tenuitatem Monaſterii, vel contrariam conſuetudinem receptam, Suar. „ *lib.4.cap.56.& 57.* Leſſ.*lib.2.cap.53.d.23.* Laym.*l.4.t.10.cap. ult.§.7.*

„ Reſp.II. Ob ſimoniacam collationem & ſuſceptionem „ Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, incurritur excommunicatio & ſuſpenſio Papalis, Leſſ.*d.24.* Laym.*l.c.*

„ Reſp.III. Ob ſimoniam Realem in Beneficio Eccleſiaſtico „ incurritur. 1.Excommunicatio Papalis. 2.Irrita eſt electio, „ præſentatio, confirmatio & inſtitutio: Unde talis non fa„ cit fructus ſuos: idque etiam, licèt à tertia perſona taliter „ proviſus, id ignoraverit: niſi tamen contradixerit, vel niſi „ à tertio data fuerit pecunia per fraudem, ut redderetur inha„ bilis; vel niſi bona fide poſſèderit Beneficium per triennium. „ Leſſ.*d.25.* Laym.*l.c.* Bon.*d.1.q.7.p.2. n.20.* ex Gomez, Garz. „ & aliis. 3.Efficitur inhabilis ad idem Beneficium, etiam per „ diſpenſationem Epiſcopi obtinendum: aliis tamen Benefi„ ciis Jure ipſo non privatur; nec ad alia obtinenda fit inha„ bilis ante ſententiam Judicis, Suar.*q.57.n.47.*

„ Reſp.IV. Simonia confidentiæ completa dato & accepto „ Beneficio, licèt accipiens promiſſionem viciſſim non im„ pleverit, inducit. 1. Excommunicationem Papalem utri„ que parti contrahenti. 2.Annullat reſignationem, & collationem Beneficii, in quo eſt commiſſa, & inhabilitat ad „ idem poſtea obtinendum. 3.Privat omnibus Beneficiis, & „ penſionibus ante obtentis, non tamen ante ſententiam la„ tam. 4.Beneficia ſic collata ſoli Pontifici reſervantur. Leſſ. „ *d.26.* Suar.*cap.43.* Laym.*§.8.n.76.*

ADDENDA.

200 *Quæſt.42. Quid ſit ſimonia ficta, & an per eam incurrantur pœnæ?* R.§.1.Simonia ficta eſt, quando exterius fit promiſſio rei ſpiritualis pro temporali, vel temporalis pro ſpirituali, ſine intentione implendi promiſſum, vel ſe obligandi, & hanc non contineri ſub ulla ſpecie ſimoniæ docent Caj.Sot.Ledeſm.P.Nav.Eſcob.Moya *t.6.d.4 q.7.* Caſtrop. *diſp.3.pu.6. n.2.* aliique multi, nam ſimonia, quæ dividitur, eſt vera ſimonia, hæc autem non eſt vera ſimonia, quia deeſt animus implendi vel ſe obligandi. Navarr. reducit ad conventionalem, quia licèt promiſſio fuerit ficto animo facta, tamen commutatio rei ſpiritualis pro temporali fuit vera, actio enim illa promittendi, licèt ſit ficta, eſt vera realis actio & pretio æſtimabilis, cùm ſubjaceat multis oneribus, & obligationibus, per hoc autem temporale intendit conſequi ſpirituale: Suar. *c. 42.n.4.& 5.* ſic procedit, 1.Quando fictio tenet ſe ex parte ejus, qui rem ſpiritualem eſt daturus, ab hoc tantùm committitur mendacium graviter ſcandaloſum, & ſacrilegum, quia rebus ſaeris injuriam facit ita eis abutendo, poteſtque etiam injuſtitiam committere, ſi ſic intendat pretium ab altero rapere; alter verò promittens temporale animo implendi committit veram ſimoniam mentalem, fundatam in ſimili exiſtimatione de mente alterius, non eſt tamen conventionalis, quia vera conventio non poteſt eſſe ex una parte tantùm, ſed exurgit ex vero utriuſque conſenſu. 2. Ex quacumque parte ſe teneat fictio, certiſſimum eſt, inquit Moya *num.1.* ſic fingentem peccare mortaliter peccato mendacii, & inductionis vel cooperationis ad peccatum ſimoniæ, quod credit alterum committere. 3.Quando fictio intercedit ex utraque parte, ex neutra parte eſt ſimonia, niſi fortè ex conſcientia erronea, & ratione ſcandali, in quantùm uterque poteſt putare ſe inducere alterum ad veram ſimoniam. 4. Neque poteſt eſſe ſimonia conventionalis ratione promiſſionis fictæ, quæ videtur computari cum ſpirituali vel pro temporali, uti vult Nav. nam licèt ille deceptor intendat mediante illa promiſſione ficta obtinere Beneficium, non tamen intendit dare ipſammet promiſſionem ut pretium Beneficii, ſed ſolùm fictè offerre id, quod alter putat eſſe futurum pretium, unde etiam alter non intendit dare Beneficium pro promiſſione, ſed pro re promiſſa, & promiſſio habet ſe tanquam conditio conferens certitudinem de pretio: *Confirmatur*, nam ſi promiſſio eſſet pars pretii, ergo in omni ſimonia conventionali, hoc ipſo, quòd eſſet facta promiſſio pro Beneficio accepto, jam pars pretii eſſet ſoluta, adeòque ſemper eſſet ſimonia realis utrimque completa, quod nemo dicet. Cum Suar. tenent etiam Leſſ. *lib.2. cap.35. num.11.* Alloza *v. Simon.ſ.1.num.9.* Caſtrop.*d.3.p.6.* cum multis, quos citat.

§.2. Per ſimoniam fictam non incurruntur pœnæ Juris, 201
ita Suar.Laym.Leſſ.Tolet.Bonac.Tann. Pirh.Rayn. *lib.2. ſ.1. cap.4. num.1.* aliique cum Dian.*p.7. t.4. R.4.* Ratio eſt, quia vel non eſt vera ſimonia, vel eſt tantùm mentalis, quæ non inducit pœnas, uti ſtatim dicetur; poſſet tamen ſemper ejuſmodi conventio ex utraque parte puniri à Judice, ut iidem AA.docent.

Q.43. An ſimonia mentalis inducat pœnas? R.Affirmant 202
Sot.Maj.Med.& alii; ſed reliqui communiter cum S.Th. apud Dian.*p.4. t.4. R.158.* probabilius negant: hinc ſi quis ſervivit Epiſcopo animo recipiendi Beneficium tanquam pretium ſervitii, & Epiſcopus dederit Beneficium tanquàm illius ſervitii pretium, ſi nullum adfuit pactum, ſed uterque finxit ſe gratis 203
facere, accipiens Beneficium non tenetur reſignare, nec Epiſcopus tenetur ſolvere ſervitium: circa reſtitutionem autem diſputant Authores, an ſimonia mentalis ad illam obliget, Silv. & alii abſolutè negant: Hoſt.Abb.& Az. abſolutè affirmant: Suar.*c.59.n.45.* & Pirh.*l.5.t.3.n.190.* diſtinguunt, & dicunt, ſi ſimul non fiat injuſtitia, non deberi reſtitutionem; ſi autem fiat injuſtitia, tum deberi; tunc autem fit injuſtitia, ſi quis, v.g. recipiat pecuniam, credens dari ut pretium rei ſacræ; implicat enim eſſe ejus pretium, cùm res ſacra pretio ſit inæſtimabilis, ergo recipiens nullo juſto titulo poteſt pecuniam facere ſuam, ſed dominium illius manet apud alterum.

Q.44. An per ſimoniam tantùm materialem incurrantur pœnæ juris? R.§.1. Tunc ſimonia dicitur materialis tantùm, ſi reipſa intervenerit, attamen bona fide acta ſint omnia, ita ut formale peccatum ſimoniæ non ſit commiſſum. 204

§.2. Si materialis tantùm ſimonia intervenerit, Vvames 205
conſ.563.n.2. docet incurri pœnas, uſque adeò etiam irregularitatem, quia *cap. Per tuas, 37. de Simonia. Inn.III.* in caſu Ordinis ſimoniacè ſuſcepti ab illo, *Qui ſe in hoc egiſſe aliquid illicitum non intellexerit*, ſic declarat, *Quòd niſi cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum, nec ad ſuperiores aſcendere, nec in ſuſcepto debet Ordine miniſtrare*: idem videntur dicere S. Th.2.2.*q.100.ar.6.ad 3.* Suar.*c.57.n.35.* aliique communiter: ſed Leſſ. *in Auct.v. Simonia c.4.& 5.* & Lugo *in Reſp. Mor. lib.6. diſp.4. à num.5.* ſic diſtinguunt, ſi ex nulla parte ſit commiſſa formalis ſimonia, ita ut, v. g. nec accipiens Beneficium, nec conferens nec alius cooperans peccaverit, tunc dicunt non incurri ullam pœnam vel inhabilitatem, ſed proviſionem eſſe validam, quia nullitas proviſionis eſt pœna in odium delicti ſimoniaci, ergo ſi ex nulla parte fuit delictum, nullitas non incurritur, multò minùs excommunicatio, uti rectè Sa *v. Simonia num.13.* & videtur conſentire Suar.*de leg.l.5. c.22. n.3.* E contra quamvis vel ſolus proviſus vel ſolus collator vel etiam ſolus aliquis tertius commiſerit formalem ſimoniam, in odium hujus delicti irritatur proviſio, & incurruntur pœnæ, uti *q. ſeq.* declarabitur: & de hoc caſu explicandum eſt caput citatum, uti & S. Thom. & Suarez, nam ibi loquuntur de ſimonia interveniente per tertium, hinc etiam *cap. de ſimoniacè ordinatis, 22. de Simonia*, dicitur: *De ſimoniacè Ordina-*

dinatis certum tibi non poßumus dare reſponſum, niſi pleniùs cognoſcamus, qualiter fuerint ordinati, cùm quidam, licèt ſecundùm quandam ſpeciem ſimoniæ, utpotè ipſis ignorantibus, ſimoniacè ordinentur, poſſunt, quia ſimoniaci non ſunt, in ſuis Ordinibus remanere. Vide etiam dicta *n.*195.

206 *Q.*45. *Quid dicendum ſit, ſi ſimonia per tertium tantùm ſit commißa?* R.§.1. Si per Collatorem vel per quemcumque tertium commiſſa ſit ſimonia, collatio ſaltem poteſt invalidari, niſi ille tertius malitiosè id fecerit ad impediendum valorem collationis, vel niſi ipſemet proviſus contradixerit, uti ſtatim explicabitur, & docent omnes communiter cum S.Th. & Lugo ſupra; patetque ex *cap. Matth.*23. *Ex inſinuatione* 26. *Sicut tuis* 33. *Nobis* 27. *De ſimonia*, ubi ſic habetur: *Niſi conſtaret illos, qui promißum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè feciße, quamvis ipſo tempore promiſſionis conſcius non fuerit, ejus tamen electio tanquam ſimoniaca pravitate præſumpta, eſt penitus reprobanda.*

207 §.2. Si aliquis tertius dedit pretium, ut tu obtineres Beneficium, & id certò ſciveris, antequam obtinuiſſes, quamvis contradixeris, collatio adhuc eſt ſimoniaca, & aſſecutio Beneficii irrita, quia quando habens illam notitiam nihilominus acceptas, cooperaris ſaltem quoad executionem ſimoniæ cognitæ, ita Suar.*c.*57.*n.*29.Leſſ.*l.*2.*c.*35.*n.*143. Caſtrop.Rayn.*l.*2.*ſ.*1.*c.*4. *n.*8.Pirh.*l.*5.*t.*3.*n.*103.Si autem nihil ſciviſti, & contradixiſti, timens ne fortè factum eſſet aut fieret; vel ſi ſuſpicatus es, & contradixiſti, poſteà autem depoſita ſuſpicione, bona fide admiſiſti, licèt poſtea certò reſcias interveniſſe ſimoniam, proviſio non eſt ſimoniaca nec invalida, uti expreſsè habetur *cap. ſicut tuis*, 33. *de Simonia.*

208 §.3. Si poſtea reſciens ſimoniam interveniſſe refundas pecuniam nefario mediatori, ſi hoc facias ante Beneficium obtentum, licèt contradixeris, hoc ipſo revocas contradictionem, & cenſeris conſentire, hinc proviſio eſt ſimoniaca & invalida: Si facias poſt obtentum Beneficium, & quidem animo ratificandi factum alterius, committis ſimoniam, quia approbas, putatque S.Th.te teneri reſignare Beneficium & reſtituere fructus: è contra tamen Adr.Tancr.& Leſſ.apud Dian.*p.*11.*t.*5.*R.*16. putant te non teneri reſignare, nec ipſo facto incurrere pœnas ſimoniæ, quia cùm collatio ſit jam completa, non poterit invalidari per factum ſimoniacum ſubſequens: March. *in Trib.t.*3. *p.*1.*t.*10.*t.*7. *q.*3. tenet cum S.Th.quia conſenſus ille & ſolutio pecuniæ eſt moraliter pars contractus ſimoniaci: nam mediator ille promittebat pecuniam nomine tuo, & tanquam refundendam à te, ideòque tuus conſenſus & refuſio ſupponebatur futura, ergo quando refundis, jam prius abſolvitur & completur contractus ſimoniacus, & ob hanc rationem videtur hæc ſententia eſſe probabilior.

209 §.4. Si refundas, non approbando nec conſentiendo, ſed ne dicaris ingratus, aut ne alter propter te patiatur damnum, non erit ſimonia, neque ideo privari poteris Beneficio, quia hoc non eſt malum, ſicuti malum non eſt, ſi pater ſolvat debita filii malè contracta, ita Nav.Leſſ.*n.*144.Suar.*n.*72. Rayn. & Pirh.*ſup.*Moya *t.*6.*d.*4. *q.*7. *n.*11. Baun.apud Dian.*ſupr.* Idem eſt, ſi refunderes, quia ad hoc violentè cogereris, tunc enim redimeres vexam, uti notat March.*ſup.*

210 §.5.Si nullo modo ſciveris,quòd amicus ſimoniacè tibi quæreret Beneficium, ideòque nullo modo contradixeris, Nav. Ugol.Adrian.Millar.Baun. apud Dian. *R.*56. putant proviſionem eſſe validam, & tantùm manere infirmandam, ſi accedat ſententia Judicis, non enim eſt invalida Jure naturæ vel divino, uti probat Suar.*n.*15. nec Eccleſiaſtico, cùm oſtendi non poſſit clarus Textus: & hanc ſententiam probabilem eſſe dicit Leſſ.*ſupra*: favetque Textus *n.*206.relatus, tantùm enim dicit ejuſmodi electionem reprobandam: Oppoſitum tamen tenent S.Th.Suar.*n.*35.Valer.Henr.Covar.Rayn.*n.*6. Pirh.*à n.*95. & plerique Juriſ-Periti, docentes proviſionem eſſe ipſo jure & facto invalidam, ita ut quamprimùm reſciverit, ſtatim teneatur, vel petere diſpenſationem vel Beneficium dimittere & reſtituere fructus perceptos, iis exceptis, quos bona fide conſumpſerit, aut qui reſpondent ipſi miniſterio, quales ſunt præſentiæ, hos enim fecit ſuos, Suar.*n.*9 Pirh.*ſupr.* Prætereà talis proviſus illa vice eſt inhabilis, ut obtineat idem Beneficium: atque hæ veluti pœnæ infliguntur ob culpam etiam alienam, ut tantò magis removeatur labes ſimoniaca: notant tamen Navarr. & Henriq.apud Dian.ſupra non incurri ſuſpenſionem ab eo, qui neſcivit ſimoniam in ſua Ordinatione eſſe commiſſam; & idem habet Caſtrop.*de Cenſuris d.*5.*p.*10.§.4.*n.*1.

211 §.6. Si tantùm per tertium commiſſa ſit ſimonia, poteſt ab ignorante præſcribi jus in Beneficio per poſſeſſionem triennalem, uti dicetur *l.*4.*n.*709.

212 *Q.*46. *An per ſimoniam conventionalem necdum realiter completam incurrantur pœnæ juris?* R.Affirmant Cajet.Garz. Comit.& alii multi cum Pirh.*lib.*5.*tit.*3.*n.*100. quamvis enim pretium necdum ſit traditum, ſimonia tamen videtur completa, ſicuti contractus venditionis cenſetur completus, ſi res ſit tradita, quamvis pretium necdum ſit ſolutum: è contra Suar.aliique 30.apud Garz.*p.*8.*cap.*1.*n.*19.quibus conſentiunt Rayn.*l.*2.*ſ.*1. *c.*4.*n.*1.Leſſ.*c.*35.*n.*149.Regin.*l.*23.*n.*171.Moya *t.*6.*d.*4. *q.*7. *n.*9. probabilius negant; & hanc ſententiam fatetur Pirh. in praxi ſecuram eſſe. Ratio eſt, quia in odioſis, per ſimoniam intelligi debet illa, quæ complete & perfectè eſt talis, qualis non eſt, niſi ſit utrimque realiter completa: addunt adhuc non eſſe omninò completam, quamvis datum ſit chyrographum de ſolvendo pretio, quia illud chyrographum non eſt pars pretii; notant quoque Dian. Bann.& Rayn. *n.*1. contra Suar.ſi falſa pecunia daretur, etiam non compleri, quia falſa pecunia non eſt verum pretium: Quòd ſi pretium non ſolveretur ſtatim, ſed poſt aliquot v.g. menſes, quamvis in foro externo pœnæ retrotrahantur ad tempus conventionis, non tamen in foro conſcientiæ, hinc talis non tenebitur reſtituere fructus interim perceptos, ita Leſſ.Caſtrop.& Rayn. *n.*3. Dian.*p.*10. *tr.*16. *R.*15. Atque idem eſt de excommunicatione incurrenda, quæ nunquam retrotrahitur, ut iidem Authores habent.

213 *Q.*47. *An pœnæ Juris incurrantur per ſimoniam Juris Eccleſiaſtici tantùm?* R.Suar.Rayn.*n.*4. Pirh.*n.*100. & 155. aliique communiùs & probabiliùs affirmant, quia eſt vera ſimonia, licèt non ſtrictiſſimè dicta, & ſi caſus hujus ſimoniæ deferatur ad Curiam Romanam, ſemper declarat ſubjacere pœnis: è contra Nav.Leſſ.*n.*141.Sanch.*in conſ.l.*2. *c.*3. *d.*118. *n.*3.Dian.*p.*4.*t.*4.*R.*155.*p.*10.*t.*16.*R.*17.*p.*11.*t.*5.*R.*1. & 20. Item *t.*6.*R.*30.aliique cum Caſtrop *d.*3 *p.*15. *n.*4. etiam probabiliter negant, quia non eſt propriè, & ſtrictè dicta ſimonia, quæ communiter definitur, *Studioſa voluntas vendendi ſpirituale pro temporali*, quod ſoli ſimoniæ juris naturalis convenit: unde, qui, v.g.propria authoritate permutant Beneficia, quamvis graviter peccent, tamen ſecundùm hanc ſententiam non incurrunt excommunicationem, nec ipſo jure privantur Beneficiis, nec tenentur fructus reſtituere: excipiunt tamen omnes ſimoniam confidentialem, de qua *à n.*220. Item, ſi detur aliquid etiam gratis Officialibus Epiſcopi occaſione ſuſceptorum Ordinum, dimiſſorialium vel teſtimoniorum, ubi receptum eſt Tridentini Decretum hoc expreſsè vetans *Seſſ.*21. *c.*1. *de ref.*dicens per hoc utrimque incurri ipſo facto pœnas Juris in ſimoniacos.

214 *Q.*48. *Quid præterea ſit addendum circa pœnas ſimoniæ communis?* R. Seqq.§.1. Si quis committat ſimoniam in Sacramentis aliis, præterquam in Sacramento Ordinis; item ſi committat in conſecrationibus, benedictionibus, diſpenſationibus, in Officio Eccleſiaſtico, v.g.Legati vel Delegati, in Jure Patronatus, in Vicaria temporali, & probabiliter in penſione vendenda, emenda vel redimenda, non incurrit pœnas, quia pœnæ tantùm incurruntur per ſimoniam in Ordine, Beneficiis & Religionis ingreſſu, ita Leſſ.Sanch.Tann. & alii cum Dian.*p.*11.*t.*5.*R.*20.Rayn.*n.*3.Caſtrop.*p.*25.Pirh.*n.*101.154. & *ſeqq.*Alloza *v. Simonia, ſect.*4.*n.*45.unde nec ille incurrit, qui acceptat pecuniam velut pretium Miſſæ, Paſq.*de Sacrif. q.*922. Addit Dian.*p.*4.*t.*4. *R.*157. ſi Canonici Sede vacante convenirent inter ſe, ut qui ex ipſis *ad interim* eligeretur Vicarius Epiſcopalis, etiam reliquis communicaret partem emolumentorum, non incurſuros pœnas, quia licèt hic Vicariatus ſit aliquid ſpirituale, tamen non eſt Beneficium: & idem eſt de Officialatu, cùm partem conſentioſam Juriſdictionis Epiſcopalis contineat, Laym.Piaſ.aliique cum Du-Hamel *l.*1.*c.*7. *n.*6. qui clarè deducit ex Conc.Turon.*c.*11. & Later.ſub Alex.III.*c.*15. Quamvis autem officia illa aliaque ſimilia non ſint ſtrictè Beneficia, tamen Jure divino ſunt invendibilia, ideòque materia ſimoniæ. Addit iterum Dian. *R.*167. cum Sanch.ſi Cajus emat Vicariatum Epiſcopi, nec Cajum teneri reſignare, nec Epiſcopum teneri reddere pretium, ſed de hoc ultimo dicetur poſteà *à n.*237.Quid autem nomine Beneficii veniat, diximus *à n.*103.

215 §.2. Proviſio ſimoniaca eſt irrita ſaltem Jure poſitivo, & quamvis Nav.Felin.& alii cum Fagn.*in cap. Nobis* 27. *de Simonia à n.*67.dicant non eſſe irritam ipſo facto, probabilius tamen eſt oppoſitum, uti docent plurimi cum Pirh. *à n.*97. & ex Canonibus probat Buſemb.referendus *n.*236. Similiter licèt Nav. Leſſ.Laym.Caſtrop.Chok.apud Leur.*p.*3.*q* 847.dicant eos, qui dignitates vel Beneficia permutant propria authoritate, ipſo Jure non amittere Beneficia, ideòque poſſe propria authoritate ad illa redire, ſaltem pro foro conſcientiæ, quamdiu per ſententiam non privantur, uti videtur innui *cap. Cùm olim, de rerum permutatione*, tamen oppoſitum tenent Suar.*c.*57. *n.*41. Garz.*p.*11.*c.*4.*n.*59.Pirh.*l.*3.*c.*19.*n.*24.propter *Extrav.*2.*de Simonia.* Vide dicta *l.*1.*n.*612.*& hic n.*213.

216 §.3. Per ſimoniam in Beneficio, quamvis incurratur excommunicatio, tamen non incurritur ipſo facto ſuſpenſio ab officio vel Beneficio, de hac enim nihil habent Jura, ita Suar. Garz.Bon.Dian.*R.*18. Caſtrop.*de Cenſ.d.*5.*p.*10.§.4.*n.*1. Pirh. *l.*5.*t.*3.*n.*164. manet tamen talis perpetuò deponendus ab altaris miniſterio ſive ab officio, & conſequenter etiam à Beneficio, Pirh.*n.*165.

§.4. Qui

217 §.4. Qui confert Ordines ſimoniacè, ipſo facto ſuſpenditur à collatione omnium Ordinum ſaltem per triennium, & interdicitur ingreſſu Eccleſiæ: Ordinatus autem per propriam ſimoniam, etiam ipſo facto ſuſpenditur ab Ordine donec à Papa abſolvatur, uti habetur, Cap. *Siquis*, 45. De ſimonia, & docent Suar. Leſſ. Pirh. *àn.159.* probabile tamen eſt ex multis AA. cum Dian. *R.19.* ſuſpenſionem ſolùm attingere Ordinem illum, qui ſimoniacè eſt ſuſceptus, non autem alios ritè ſuſceptos, qui (per ſe loquendo) licitè exerceri poterunt.

218 §.5. Quòd ordinatus ſimoniacè incurrat irregularitatem, docent Alenſ. Rich. Comit. & alii, ſed probabilius negant Suar. *c.56.n.20.* Leſſ. *c.25. d.24.* Fill. Baun. & alii cum Dian. *R.17.* item *p.1.t.11.R.113.* quia id ex nullo jure probari poteſt; neque videtur infamia ſufficiens, niſi ſimonia eſſet notoria, uti habet Avila, & conſentit Megala, ſi ſimoniacus per ſententiam fuerit damnatus, quia omnes infames ſunt irregulares, per hoc autem eſſèt infamis: hinc Cap. *Accuſatum* 4. & C. *Quotiens* 5. De ſimonia, decernitur, ut accuſatus publicè infamatus de ſimonia, prohibeatur celebrare Miſſas & adminiſtrare Sacramenta, fientque tales ſimoniaci irregulares, ſi in excommunicatione vel ſuſpenſione ſolemniter exerceant actum Ordinis ita ſuſcepti, uti dicetur de Irregularitate.

219 §.6. Docet Baun. apud Dian. *p.4. t.4. R.17.* non incurri ſuſpenſionem per ſimoniacam collationem aut receptionem primæ Tonſuræ vel minorum Ordinum, nam probabiliter non ſunt Sacramenta, nec cenſentur ſtrictè Ordines, quam ſententiam Regin. *l.23. n.124.* vocat probabilem, quod de prima Tonſura admitti poteſt; oppoſitum tamen probabilius eſt de Ordinibus minoribus, uti dicetur de Sacramento Ordinis.

220 *Q.49. Quid addendum ſit circa pœnas ſimoniæ confidentialis?* R. Seqq. §.1. Per illam, licèt ex una tantùm parte ſit completa, incurritur ab utroque etiam inhabilitas ad quæcumque alia Beneficia obtinenda, uti habent Suar. *c.43.n.13.* & alii; Si tamen Confidentiarii recipientes ſint Epiſcopi vel Cardinales, non incurrunt excommunicationem, ſed interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, Nav. Suar. Pirh. *l.5.t.3.n.115.* fructus autem à tali ſimoniaco interim percepti à die commiſſæ ſimoniæ debent applicari Cameræ Apoſtolicæ, Navar. & Pirh. ſuprà.

221 §.2. Tann. aliique cum Dian. *p.11.t.6.R.20.* negant, ullam pœnam, præter excommunicationem ipſo facto incurri per hanc ſimoniam: Suar. ſupra Sanch. *de Matr. l.9. d.30.* Leſſ. *c.35.n.147.* Rayn. *l.2.ſ.1. c.4. n.15.* Pirh. ſupra fatentur Confidentiarium non excidere aliis Beneficiis priùs ritè obtentis, niſi accedat ſaltem ſententia declaratoria, quia quando aliquis per pœnam privatur re ſua, non obligatur ad executionem in ſe faciendam, niſi acceſſerit ſententia judicis: Suarez ſupra dicit omnes reliquas pœnas incurri ipſo facto.

222 §.3. Navar. Sà, & Garz. apud Laym. *l.4.t.10.c.ult.n.77.* docent renunciantem ita ſimoniacè, poſſe quidem privari, ſed non perdere ipſo jure Beneficium, quia renunciatio eſt irrita, adeòque etiam prærequiret ſententiam ſaltem declaratoriam; conſentit Alloza *v. ſimonia ſ.4.n.47.* dicens S. Pium V. intelligi, non de renunciantibus, ſed de acquirentibus Beneficium, obtentio enim eſt prorſus irrita.

223 §.4. Communiùs docetur, quod proviſus per hanc ſimoniam, hoc ipſo etiam fiat inhabilis ad illud Beneficium ſine ulteriore ſententia, & conſentiunt Tancr. apud Dian. *p.11.t.5.R.7.& 18.* Pirh. *n.169.* & alii, Leſſ. tamen & Caſtrop. *p.25.n.8.* dicunt non fieri ipſo facto inhabilem ad alia Beneficia, quia uſus habet, ut requiratur ſententia ſaltem declaratoria.

224 §.5. Mediatores, ſeu qui procurant Beneficium ſic reſignari vel obtineri, excommunicantur ipſo facto, ſed non priùs, quàm ſimonia illa ſit utrimque realis & completa, uti habent Suar. *n.15.* Laym. *n.78.* Pirh. *n.115.*

225 *Q.50. Si actus, in quo committitur ſimonia ſit invalidus, an pœnæ juris incurrantur?* R. Si ſit invalidus ratione ipſius ſimoniæ, patet incurri: Si autem ſit invalidus aliunde, quàm ratione ſimoniæ, v.g. ſi quis pro pecunia renunciet Beneficium non ex animo, ſed fictè, abſque authoritate Superioris, cùm conſenſus & authoritas requiratur ad valorem iſtius renunciationis, committi quidem poterit ſimonia, ſed non incurrentur pœnæ, quia ut hæ incurrantur, actus debet eſſe talis, ut niſi ſimonia interveniret, foret validus, hic autem actus eſt aliunde invalidus, uti dictum eſt, ita Nav. Sanch. aliique cum Lugo *in Reſp. Mor. l.2.d.3.*

226 *Q.51. An metus gravis excuſet, ut quis poſſit retinere Beneficium, alioquin propter ſimoniam dimittendum?* R. Si ſimonia ſit occulta, & adſint circumſtantiæ gravis infamiæ certò incurrendæ, non videtur eſſe obligatio dimittendi Beneficium, vel in ſe exequendi alias pœnas ſimoniæ; nam in primis docent Suar. *de Cenſ. d.13. ſ.1. n.11.* & Diana *p.4.t.4. R.56.* ſi quis, cui offertur occaſio Beneficii, eſſet inhabilis, *v.g.* ob excommunicationem, & ſubiret periculum infamiæ vel ſcandali, ſi non acceptaret, non teneri ſuam inhabilitatem prodere, ſed poſſe ſine ſcrupulo acceptare cum obligatione petendi diſpenſationem, quia Eccleſia non cenſetur velle obligare in tali caſu cum tali incommodo: Deinde idem Diana *p.11.t.5.R.56.* & Sanch. *in Conſ. l.2.c.1. d.34. n.14.* docent quando defectus eſt occultus, & ex dimiſſione Beneficii vel petitione novæ proviſionis magnum damnum ſtatus vel famæ pateretur, *v.g.* quia alii aliquod grave malum de illo ſuſpicarentur, eò quòd nullus appareat color, cur Beneficium illud dimittat, poſſe illud retinere, nec teneri dimittere cum gravi famæ jactura: *Conf.* Nam diximus *l.1. àn.775.* & docent AA. communiter cum Sanch. *in Decal. l.1.c.18.n.16.* Leges humanas non obligare, ubi eſt periculum incurrendæ gravis infamiæ vel alterius gravis incommodi: teneretur tamen ſic proviſus omnes fructus, quos percipere, reſtituere Eccleſiæ vel pauperibus, & inſuper dimittere Beneficium, ceſſante illo periculo.

Q.52. An Papa poſſit incurrere ſimoniam, & pœnas? R. 227
Poteſt incurrere ſimoniam juris naturalis & divini, uti per ſe patet; an autem etiam Eccleſiaſtici, diſputant Authores, negant Suar. & Bonac. quia hoc ipſo, quòd velit hoc vel illud agere, diſpenſat in lege ſtatuente ſimoniam: affirmant Leſſ. & alii, quia tenetur etiam ſuis Legibus, ſaltem quoad vim directivam, nec ideo diſpenſat, quòd contra agat; quidquid ſit de hoc, certum eſt, quod nullas incurrat pœnas jure Eccleſiaſtico etiam contra ſimoniam Juris naturalis ſtatutas, quia vis coactiva legum propriarum non ſtringit legislatorem, uti dictum eſt Lib.1. n.674. Quòd ſi aliquis cum Papa committeret ſimoniam, ſecundùm communiorem ſententiam incurreret pœnas, niſi Papa antecedenter expreſsè cum ipſo diſpenſaret: in hoc tamen contradicunt alii cum Dian. *p.10.t.16.R.16.* quia putant Pontificem ipſo facto diſpenſare, ſecundùm illud axioma, quòd ſcientia Principis purget crimen, quantùm ad pœnas Juris poſitivi.

An autem electio Papæ ſimoniaca, ſit irrita; videri poteſt Pirh. *l.5.t.3.n.104.*

Q.53. Quis diſpenſare poſſit in pœnis ſimoniæ? R. §.1. 228
Ab excommunicatione poteſt abſolvere ſolus Papa, & alii, qui privilegium habent abſolvendi à reſervatis Papæ, & in occultis necdum deductis ad forum contentioſum poſſunt ſecundùm Trid. *ſeſſ.24. c.6. de Ref.* Epiſcopus & Religioſi Mendicantes per ſua privilegia, uti pluribus dicetur L.6. quando de caſibus reſervatis, ubi etiam explicabitur, quid dicatur occultum aut deductum ad forum contentioſum.

§.2. Ab inhabilitate ad idem Beneficium, ſi ipſe ſcivit 229
vel tacitè conſenſit, poteſt ſolus Papa, & non Epiſcopus; quamvis ſimonia eſſet occulta, uti habet communior contra Henriq. Sanch. Leſſ. Caſtrop. *d.3. p.ult.* Tancr. apud Dian. *p.11. t.5.R.18.* quorum ſententia etiam videtur probabilis: Et quamvis Diana tantùm dicat de habilitatione ad alia Beneficia, Caſtrop. tamen etiam habet ad idem; imò & Diana ipſe poſteà R.56. dicit in Beneficiis ſimplicibus poſſe diſpenſare Epiſcopum, in curatis ſolum Papam. Si autem proviſus neſciverit & bona fide proceſſerit, quando Beneficium eſt Prælatura ſeu dignitas, vel eſt curatum, ſolus Papa poteſt diſpenſare pro illa vice, ſi tamen per ſententiam publicam non ſit condemnatus, poterit Epiſcopus diſpenſare, ut pro alia vice eligatur, unde ſi hac vice collatum fuerit alteri, & hic moriatur, poterit prior ab Epiſcopo diſpenſatus ad illud redire. Quod ſi Beneficium eſſet ſimplex, poteſt Epiſcopus poſt factam liberam ejus reſignationem diſpenſare cum eo, eique ſtatim iterum conferre, ita Caſtrop. ſupra & Pirh. *l.5.t.3. àn.171.*

§.3. Ab inhabilitate ad alia Beneficia obtinenda, ſi hæc in- 230
curratur ante ſententiam judicis, uti habet multorum opinio, poterit diſpenſare Epiſcopus, dummodò liberè dimiſerit Beneficium, priuſquam per publicam ſententiam ſit condemnatus: cum condemnato autem, quia infamis eſt, poteſt ſolus Papa, & non Epiſcopus, niſi in caſibus à jure expreſſis apud eoſdem AA. verùm etiam probabile eſt, quod hæc inhabilitas non incurratur ante ſententiam judicis, uti ante dictum eſt.

§.4. Secundùm eoſdem AA. poteſt Epiſcopus diſpenſare 231
etiam in ſuſpenſione, quæ incurritur ob ſimoniam occultam, ad hanc enim rectè extenditur facultas diſpenſandi in occultis caſibus pertinentibus ad abſolutionem ſacramentalem, & necdum deductis ad forum contentioſum, quam facultatem Epiſcopis concedit Trid. ſuprà. *Nec obſtat* Bulla S. Pii V. nam iidem AA. tradunt illam quoad iſtud punctum non eſſe receptam.

§.5. Si ſimoniacus acceperit diſpenſationem, Suarez & 232
alii dicunt ſine nova collatione poſſe retinere Beneficium, quia ſublato vitio convaleſcit collatio; limitant Gonzalez & alii, dummodò ad Diſpenſantem ſpectet collatio; ſi autem ad alium ſpectet, dicunt requiri novam, quia prior fuit irrita, nec poteſt convaleſcere, niſi Collatore volente: hanc limitationem rejiciunt multi, & abſolutè dicunt convaleſcere, dummodò vitium fuerit occultum, & collatio prior non fuerit contra jus alterius ſimul electi, tunc enim cenſetur moraliter manere voluntas collatoris, quæ ſublato impedimento vim ſuam habebit: ſi tamen proviſus illam collationem admiſiſſet ſciens illud vitium ſuum, jam eſſet prætereà intruſus, unde hæc intru-

ſio

ſio etiam purgari deberet, hac autem ſublata, & altero quoque vitio diſpenſato, manet probabile non eſſe opus nova collatione, ita Caſtrop. & Pirh ſupra.

233 §.6. Notant iidem Authores, nullam eſſe præſcriptam formam ad diſpenſandum in pœnis ſimoniæ, hinc perinde eſt, quibuſcumque verbis diſpenſans manifeſtet voluntatem, quam habet tollendi talem pœnam.

234 *Q.54. An Papa ſanet vitium ſimoniæ, ſi in Bulla confirmationis dicat ſe ſupplere omnes defectus, v.g. in electione commiſſos?* R. Negativè, ſed tantùm intelligit defectus, ſi fortè aliquid neglectum eſſet in forma electionis, aut ſimilis error foret commiſſus, neque enim nomine defectus venit ſimonia, quam Eccleſia vocat immane, deteſtabile, horribile ſcelus, in cujus comparatione cætera crimina quaſi pro nihilo reputentur, uti n.198. dictum eſt.

235 *Q.55. Quid notandum circa Judicem, accuſatorem, teſtes & litem in cauſa ſimoniæ?* R. Hæc pauca, 1. Judex ſæcularis non poteſt de ſimonia cognoſcere, quia eſt cauſa ſpiritualis, & eſt communis & certa cum Pirh. *n.*142. Poteſt etiam videri Leur. *p.3.q.*757.2. Et ſervus & meretrix & quicumque alius poteſt eſſe accuſator in ſimonia, uti habetur in Jure apud Rayn. *l.* 2. *ſ.*1. *c.*4. *n.*14. & Pirh. *n.*143. admittitur autem ſola exceptio capitalis inimicitiæ & conſpirationis. 3. Si in cauſa ſimoniæ agatur criminaliter contra aliquem, non admittuntur teſtes criminoſi & infames, Pirh. *n.*150. Si agatur civiliter contra Prælatum vel alium in dignitate conſtitutum, etiam non admittuntur, niſi ſint emendati de crimine, ubique autem repellitur perjurus, etiamſi fuerit emendatus. 4. In crimine ſimoniæ non datur appellatio, uti oſtendit Pirh. ſupra. Excipit Felin. niſi appelletur ante ſententiam, quales autem probationes requirantur, & ſufficiant, videri poteſt apud Caſtrop. *p.*27.

236 ## ARTICULUS III.

An, & cui reſtituendum, quod ſimoniacè acceptum.

Reſp. I. Nihil ſpirituale ſimoniacè acceptum, præter Beneficium, (ſub quo continetur penſio, ſecundùm Bon. *to.*1. *hic diſp.*1. *q.*7. *Diffic.*2. negante Leſſ. *l.*2. *c.*35. *d.*30.) eſt reſtituendum. Ratio, quia cætera vel reſtitui non poſſunt, ut Sacramenta, vel non ſunt reſtituenda ante ſententiam, cùm Canones aliud non ſtatuerint, ex Leſſio *nu.*168. Suar. Fill. & aliis contra Azor. & Laym. Bon. *p.*3. *diffic.*2. Dixi; *præter Beneficium*: quia hoc retineri non poteſt etiam ante Judicis ſententiam, ut patet tum ex Cap. *Si quis neque* 1. *q.* 1. tum ex 2. Extravag. *Cùm deteſtabile. De ſimonia.* V. Bon. *l.c.* Ubi addit etiam fructus perceptos eſſe reſtituendos, tum quia nullo juſto titulo poſſunt retineri, cùm adeptio Beneficii ſimoniaca ſit ipſo facto irrita, tum quia ſic expreſsè habetur in Extrav. *Cum deteſtabile, de ſimonia.* V. D. Th. 2.2. *q.*100. *art.*6. Nav. *l.*5. *Conſ.*62. Leſſ. *dub.*31.

Reſp. II. Pretium acceptum pro Beneficio, collatione Ordinum, Sacramentorum & Sacramentalium, ſi notabiliter excedat id, quod pro ſuſtentatione exigi poterat; item pro admiſſione ad Religionem; jure poſitivo reſtituendum eſt. Hoc tamen poſterius non niſi poſt latam ſententiam, ſi admiſſus in Monaſterium, maneat, quia plerumque ratione alimentorum retineri poteſt, modò in communem uſum convertatur. V. Bon. *l.c.* Leſſ. *dub.*30.

Reſp. III. Acceptum pro Beneficio aliave re ſpirituali, non ſecuta collatione, jure naturæ reſtituendum eſt ei, à quo eſt acceptum, quia deeſt titulus retinendi, cùm non præſtetur id, pro quo eſt datum: Si verò res tradita ſit, ſimonia utrimque completa, probabilior eſt reſtituendum eſſe Eccleſiæ, & non danti, quia Eccleſia utrumque punire intendit, v. Leſſ. *dub.*31. Laym. *l.*4. *tr.*10. *c. ult.* §.9.

ADDENDA.

237 *Quæſt.56. Quid circa hanc reſtitutionem ſit prætereà notandum?* R. ſeqq. §.1. Steph. *t.*4. *d.*11. *n.*41. abſolutè docet temporale acceptum non eſſe reſtituendum ante ſententiam judicis in nulla ſimonia, præterquam in Beneficio; è contra Pirh. *l.*5. *t.*3. *n.*176. dicit ſaltem ex jure poſitivo ſemper eſſe obligationem reſtituendi pretium ſimoniacè acceptum pro ſpirituali, quamvis fortè nihil factum eſſet contra juſtitiam, quia jus facit inhabilitatem acquirendi dominium, & reipſa etiam ſpectato jure naturæ non videtur eſſe titulus retinendi, cùm temporale non poſſit eſſe pretium ſpiritualis.

238 §.2. Si pretium acceptum non excedat commodum temporale, quod ex Beneficio provenit, Laym. *c. ult. n.*82. Leſſius *c.*35. *n.*160. dicunt non teneri reſtituere, niſi poſt ſententiam judicis, Suar. *c.*50. *n.*16. & Pirh. *n.*178. dicunt Prælatos teneri de jure naturæ & ante omnem ſententiam, quia cùm non ſint domini, ſed tantùm diſpenſatores Beneficiorum, faciunt injuriam, ſi conferant ſimoniacè, ſed ſuppoſito quòd in ſimonia juris naturalis ſemper interveniat injuſtitia, uti à *n.*119. dictum eſt, conſequenter dicendum, reſtitutionem accepti pretii ſemper eſſe faciendam ante omnem ſententiam: hinc Moya *T. 6. D.3. Q.7. Num.*12. dicit in eo convenire omnes, quòd in ſimonia circa Beneficia ſit obligatio reſtituendi ante omnem ſententiam judicis, quia etiam ipſo jure ſtatuta eſt inhabilitas ad acquirendum dominium. V. Leur. *p.3.q.*755.

§.3. S. Th. S. Anton. Cajet. Tamb. apud Moya ſupra dicunt pretium pro Beneficio acceptum debere reſtitui pauperibus: jus Canonicum *c. De hoc*, 11. De ſimonia, jubet reſtitui Eccleſiæ: Sot Bann. Sà, Med. Tann. Laym. *n.*81 & 83. Dian. *p.*4. *t.*4. *R.* 167. Pirh. *n.*182. Moya *n.*13. dicunt id verum eſſe poſt ſententiam, ſed ante ſententiam pro foro conſcientiæ dicunt poſſe reſtitui illi, qui dedit, unde ſi reſtitutio huic fiat, putat Leſſius *n.*172. hunc poſſe retinere, quia non abdicaverat ſe dominio, nec illo exuitur, donec privetur per ſententiam; aut donec jam ſit extraditum Eccleſiæ; poſt ſententiam autem docent quoque alii cum Sa apud Laym. ſupra; quòd pretium ſimoniacè acceptum ſit reſtituendum Eccleſiæ vel pauperibus, intelligitur autem illa Eccleſia, in qua eſt Beneficium, quia hæc paſſa eſt injuriam. Quòd ſi pactum eſſet reſciſſum ante collationem Beneficii, certum eſt pretium reſtitui debere illi, qui dedit, uti rectè Alloz. *v. ſimonia ſ.*4. *n.*24. V. Leuren. *à n.*6. 239

§.4. Cùm probabile ſit pretium etiam ante ſententiam poſſe reſtitui Eccleſiæ vel pauperibus; ſi ille, qui pretium accepit, ſit pauper, poterit retinere tanquam pauper, ita Sanch. & Diana ſupra. 240

§.5. Pretium datum pro divina gratia, v.g. pro abſolutione ſacramentali, reſtituendum eſt pauperibus, ſed datum pro ingreſſu Religionis eſt reſtituendum danti, uti ex jure probant Sanch. & Dian. ſupra. 241

§.6. Si quis domum nobilem carius vendat propter adjunctum jus patronatus, ita ut huic juri reſpondeat pars pretii, Suar. Laym. aliique cum Pirh. *n.*165. dicunt non teneri hanc partem reſtituere ante ſententiam, quia ob adjunctum temporale, quod eſt pretio æſtimabile, non videtur facere injuſtitiam, ſed oppoſitum eſt probabilius ſecundùm ante dicta, hoc enim pretium, quod ſuperadditur, datur pro ſpirituali, quod eſt invendibile, ergo pretium nullo juſto titulo retineri poteſt. 242

§.7. In ſimonia pro collatione Ordinum; ſi contra juſtitiam plus acceptum ſit, quàm pro ſuſtentatione exigi poterat, de jure naturæ reſtitui debet illi, qui dedit, quia jus poſitivum nihil circa hoc ſtatuit, ita Leſſ. *n.*169. Pirh. *n.*184. 243

An debeatur reſtitutio propter ſimoniam mentalem, dictum eſt *n.*203. Ex hactenus dictis,

Infertur, cum Roccaf. ap. Dian. *p.*11. *t.*6. *R.*31. pecuniam ſeu quid temporale dari & accipi poſſe aliquando ab uno abſque ſimonia, quando datur vel accipitur ſpirituale ab altero. 1. In ſuſtentationem vitæ. 2. In ſtipendium laboris extrinſeci conjuncti cum ſpirituali. 3. Tanquam gratis oblatum. 4. In eleemoſynam. 5. Ratione conſuetudinis. 6. In pœnam, uti quando aliquis abſolvitur à cenſura, vel diſpenſatur in delicto, quandoque imponitur mulcta pecuniaria. 7. In permutationem voti, à quo quis petit liberari. 8. Ad redimendam vexam, ſecundùm ante dicta. 244

Denique hic ſignanter annoto, quòd quamvis ſententiæ multæ circa ſimoniam ſint ſpeculativè probabiles, ſæpe tamen pro multis non ſunt probabiles practicè, quia in praxi non adhibentur cautelæ requiſitæ ad vitandam ſimoniam, unde qui benignioribus ſententiis hic uti volent, utantur ſimul conſilio viri docti & probi, qui diſcernat, an hic & nunc ob circumſtantias alias vel intentionem minùs rectam ſe non inſinuet ſimonia. 245

TRACTATUS II.

De ſecundo præcepto Decalogi. 246

PRohibet hoc præceptum omnem inordinatam uſurpationem nominis Dei, qualis potiſſimùm ſit blaſphemando, temerè jurando, vovendo, & non ſervando, de quibus hic agendum.

CAPUT I.

Quid, & quotuplex ſit blaſphemia.

Reſp. Blaſphemia directè oppoſita laudi Dei, eſt verbum maledictionis, vel convitii, ſeu contumeliæ in Deum: ſive id fiat attribuendo ei falſa, ſive negando vera; ſive tribuendo creaturis, quæ ipſi debentur; ſive etiam dicendo vera, ſed quæ ad ejus dehonorationem ſeu vilipenſionem tendant, ut ſit per modum ei indignantis,

con-

contemnentis, &c. Ita communiter Doctores S. Th. 2. 2. q. 13. Bon. *tom. 2. d. 3. qu.* 8. Sanch. 2. *Mor. c.* 32. Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 6. *& alii. Unde reſolves:*

I. Blaſphemat, qui contra Deum infrendens ei maledicit: item qui ait ſe aliquid acturum eo invito: item qui eum negat; qui ſeriò jurat per Deos falſos; qui eum vocat tyrannum, injuſtum; nolle aut non poſſe nos juvare; non curare noſtra; dœmonem eſſe fideliorem; plus poſſe; non omnia bene eſſe ordinata; melius in creatione quædam fieri potuiſſe, aut debuiſſe, &c. Quæ ſi quidem quis credat ita eſſe, & non tantùm in ira, aut deſperatè effutiat; tunc eſt blaſphemia hæreticalis; id eſt, cum hæreſi conjuncta; quod in Confeſſione addendum, quia ſpecie differt ab imprecativa, Hurt. 2. 2. *d.* 91. *ſ.* 12. §. 54.

II. Revocantur etiam ad blaſphemiam alia ſigna contra Deum, licèt verba non adſint; ut ſpuere in cœlum, frendere dentibus, &c. Imò etiam ſola mente blaſphemia interior committi poteſt, ſicut etiam laus mentalis Dei.

III. Blaſphemat item, qui in Sanctos vel ſacra contumelioſus eſt; intellige, uti Sancti ſunt, ſive cum habitudine ſaltem virtuali ad Deum, itaut moraliter hujus etiam honor cenſeatur tangi, quia alioquin tantùm erit contra Duliam, ſi nimirum contra illos, ut homines quidam in terris fuerunt, dicatur, quod veniale eſt, ſi joco fiat; v. g. ſi Sanctos Criſpinum, & Criſpinianum voces ſutores: Joannem & Paulum, eunuchos: grave verò erit, ſi contemptim, vel ex odio aut indignatione contra Sanctos. Licèt verò blaſphemiæ in Deum non admittant parvitatem materiæ, multi tamen admittunt in iis, quæ fiunt contra Sanctos. Eſcob. *t.* 1. *ex.* 3.

IV. Blaſphemat item, qui iratus, etſi non contra Deum, ſed contra alios aut alia, eadem tamen ſeriò profert, quæ ex ſua ſignificatione aut modo loquendi ac circumſtantiis, important imminutionem divini honoris aut improperium: licèt enim id non intendat formaliter, intendit tamen indirectè & virtualiter: quamvis id ex ſubreptione ſæpè ſit veniale tantùm, ſi tantùm materialiter fiat.

V. In Confeſſione exprimendum eſt, ſi quis (quod tamen rarò contingit) directè & formaliter Deum inhonorare intenderit, aut ei formaliter iratus fuerit. Laym. *lc.*

VI. Blaſphemat item, qui injuriosè uſurpat membrum Chriſti, ut v. g. perdat te Dei ſanguis, vulnera, mors Dei, caput, Paſſio, Sacramenta, Chriſma, & ſimilia ſacra; cùm ea non ad perdendum ſed ad ſalvandos nos data ſint, & communiter in his apprehendant homines magnam Dei earumque rerum vilipenſionem contineri Laym. *n.* 12.

VII. Qui talium verborum conſuetudinem habet, tenetur ſub peccato mortali ſeriò conari, eam tollere. Quòd ſi facit, & tamen labitur, poteſt excuſari aliquando; eò quòd juramenta iſta impetu naturali effuſa, non ſint voluntaria nec in ſe, nec in cauſa, utpotè retractata propoſito efficaci, Laym. *l.* 1. *t.* 2. *c.* 3. *n* 6. V. Eſcob. *t.* 1. *c.* 3. *n.* 36. Si non conatur, idque Confeſſarius notet, neget ei cum diſcretione abſolutionem. Laym. *l.c.*

VIII. Interim plurimi excuſantur ob inadvertentiam in ſubita commotione, tametſi non ſatis excuſare videatur, quod quidam ajunt, iis verbis aliud ſe non intendere, quàm uſurpare tanquam interjectiones ſignificativas iræ ſuæ; tum quia æquè ſe poſſunt aſſuefacere ad verba alia, iræ & ſeriæ voluntatis ſignificativa: tum quia tametſi id non poſſent, nihilominus non videtur licere uſurpare ea, quæ ex communi apprehenſione aliorum ſunt inhonorativa Dei.

IX. Quòd ſi verò quis in ira contra hominem, non indignando Deo, ſed homini tantùm nudè nominet mortem Dei, ſeptem Sacramenta, v. g. ò Dei mors, vulnera, &c. ſine ſcandalo, & ſine iis circumſtantiis, quibus vilipenſio importatur, non ſunt blaſphemiæ, ſed vana uſurpatio nominis divini, hoc præcepto prohibita, & peccatum inter venialia grave, ut Cajet. Armilla *v. blaſphemia.* Sanch. ſupra. Quanquam propter periculum incidendi in blaſphemias, & quia rarò abeſt ſcandalum, ac nihilominus apud audientes Deus, ejuſque ſacra cenſeantur inhonorari, rarò excuſantur, & meritò abſtinerentur homines à ſimilibus dictis, ut notat Laym. *l.* 4. *c.* 6. *n.* 8.

X. In ira imprecari aliis dœmonem, grandinem, fulgur, &c. etſi multi confundant cum blaſphemiis, non tamen eſt blaſphemia, ſed dira imprecatio, quæ plerumque, (ſaltem quando dicitur in illos, qui amantur ab irato) ob ſubitam commotionem, & inadvertentiam, ac defectum ſeriæ voluntatis, non eſt niſi venialis, quia cùm ſe homines reflectunt, ajunt longè aliter ſe ſentire ac ſenſiſſe, ita ut videantur interjectiones tantùm quædam eſſe ad ſignificandam iram: tametſi Chriſtianos parum deceat tam abſurdis interjectionibus uti. Bon. *l.c.* ex Nav. *Man. c.* 12. *n.* 86. Tolet. *lib.* 4. *c.* 13. *n.* 11. Regin. *l.* 18. *q.* 4. *n.* 203. Baldel. *d.* 25. *n.* 10. Ubi etiam cenſet veniale tantùm eſſe, ſibimetipſi ex ira dœmonem imprecari, eò quòd non lædat graviter charitatem. Verùm Molin. & alii non audent id excuſare à mortali, propter feditatem, horrorem & perverſitatem. Grave autem eſt, ſi ſubditi Superioribus, filii parentibus, (licèt materialiter tantùm) ſic maledicant; præſertim in faciem, quia eſt grave contra debitam reverentiam. Baldel. *l.c. vid. inf. l.* 5. *c.* 3. *d.* 6.

XI. In ira uſurpare dœmonem ſine imprecatione, non eſt per ſe peccatum: aſſidua tamen ejus nominatio non decet Chriſtianum: & ratione ſcandali poſſet eſſe gravis. Laym. *l.c.*

XII. In Confeſſione exprimenda eſt qualitas blaſphemiæ: videlicet utrum contra Deum, an Sanctos fuerit: illas enim ſpecie differre eſt probabile ſecundùm Suar. Sanc. Reg. Azor. Laym. Dian. *t.* 1. *tr.* 7. *R.* 50. Lugo *d.* 15. *n.* 2. 17. Trull. *lib.* 1. *cap.* 11. *d.* 2. *n.* 5. Contrarium tamen tenet Dian. *p.* 1. *t.* 7. *R.* 50.

ADDENDA.

247 *Quæſt.* 57. *Si quis contra homines vel jumenta iratus enunciet ſanguinem Chriſti, Sacramenta &c. quandonam cenſeri debeat peccare mortaliter?* R. §. 1. Si illa indignatio tendat ſaltem virtualiter in Deum, ſemper eſt gravis blaſphemia, quia eſt gravis irreverentia, & imminutio ſaltem indirecta honoris Deo debiti. Similiter ſi illa indignatio non tendat quidem in DEUM, ſed tamen ita loquens, advertat ad vilipenſionem Dei vel rerum ſacrarum, quam verba illa præſeferunt, etiam eſt gravis blaſphemia, uti rectè Tann. 2. 2. *d.* 1. *q.* 8. *n.* 134. quia iterum graviter derogatur honori Deo debito.

248 §. 2. Si neç illa indignatio ullo modo tendat in Deum, nec loquens advertat ad vilipenſionem Dei aut rerum ſacrarum, non peccat graviter, ita Laym. *l.* 4. *t.* 10. *c.* 6. *n.* 10. Burgh. *cent.* 1. *caſ.* 44. tum etenim eſt defectus plenæ cognitionis & voluntarii; hinc ſi verba blaſphema, quæ ex impetu vel ſubito motu proferuntur, omnem rationis advertentiam præveniant, nullum erit peccatum, ſed erunt actus primò primi, ubi enim malitia non eſt prægnita, non poteſt eſſe volita, uti pluribus probabitur L. 5. à n. 16.

249 §. 3. Si adſit aliqua advertentia, ſed non perfectè deliberata, erunt motus ſecundò primi, & peccata venialia tantùm, quia actus tales non ſunt perfectè liberi, & malitia, uti imperfectè eſt cognita, ita tantùm imperfectè poteſt eſſe volita, ut rectè Burgh. *cent.* 3. *caſ.* 49. manet tamen ſub mortali obligatio, quantùm in ſe erit, emendandi talem conſuetudinem, uti habet Buſembaum ſupra, quia intrinſecè mala, & de ſe graviter inhonorativa Dei.

250 *Q.* 58. *An ſit blaſphemia, vel quomodo peccet, qui ex joco ſæpè effutit verba blaſphema?* item, *qui verbis Scripturæ utitur ad res profanas?* R. §. 1. Quamvis per jocum directè non intendatur inhonoratio Dei, ſi tamen cum joco apud adſtantes ſit conjuncta illa inhonoratio Dei, eſt & manet blaſphemia, ita Sanch. Caſtrop. Tamb. hic *l.* 2. *c.* 6. §. 4. *num.* 5. Dicaſt. *de Juram. d.* 1. *n.* 218. Nihilominus Gob. *t.* 11. *n.* 706. putat non fore blaſphemiam, ſi quis ex gravi cauſa tantùm fictè proferat verba blaſphema, uti narrat feciſſe Medicum, qui ut terreret ægrum nolentem ſumere medicinas, horrendis ejuſmodi verbis in eum invectus eſt: probabilius tamen videtur tum adhuc eſſe blaſphemiam, ſi non internam & formalem, ſaltem externam & materialiter malam, adeòque non committendam ex advertentia, quia verba de ſe ſunt blaſphema, & ab ægro ſaltem putantur ſeriò dici, ergo illa proferens graviter inhonorat Deum apud ægrum.

251 §. 2. Propriè non eſt blaſphemia, ſi quis verbis Scripturæ utatur ad profana: Si tamen utatur ad turpia vel ad profana cum contemptu, ſemper eſt grave peccatum contra reverentiam rebus ſacris debitam: Si autem ad res honeſtas utatur per jocum, etiam ad facetias, abſitque contemptus neque tam ſæpè fiat, ut cenſeatur eſſe contemptus, non erit niſi veniale, ita Tamb. *n.* 17. Gob. *n.* 719.

252 *Q.* 59. *An Cajus blaſphemet, qui, ut ne blaſphemet, dimidiat vel parum immutat verba?* R. Non blaſphemat, quia ſic evitatur pronunciatio rei ſacræ, & in ejus locum uſurpatur vox aliud ſignificans vel non ſignificativa, per quam ira aut admiratio ſignificatur, ita Tamb. *n.* 20. Gob. *n.* 745. ſi tamen audientes non intelligerent illam mutationem, maneret ſcandalum, ratione cujus peccari poſſet.

253 *Q.* 60. *An Titius blaſphemet dicens ſe ad Dei gloriam velle, v. g. inebriare ſe?* R. Blaſphemat, quia vel ſignificat Deo placere peccatum, & ſic per modum convitii hoc dicit; vel quaſi minatur Deo ſe hoc facturum, in quo eſt gravis irreverentia; vel ironicè vult id intelligi, ſingula autem continent blaſphemiam: ita Suar. *de Relig. t.* 1. *l.* 1. *c.* 6. *n.* 17. ſi autem diceret, quòd ſe recreare vellet ad Dei gloriam, quamvis inde ſecutura eſſet ebrietas, non eſſet blaſphemia, peccaret tamen per comparationem animi conſentientis in ebrietatem fortè ſecuturam.

254 *Q.* 61. *An ſit blaſphemia, ſi quis dicat, ſtultus es, quamvis haberes Deum Patrem?* R. Excuſat cum multis viris doctis

Spo-

Sporer hic *c.5.n.24.in fine*, quia ſenſus eſt, vel quòd Deus poſſit creare ſtultos, inter quos ipſe à Deo ſit creatus: vel quod ſit ſtultus, etiamſi haberet patrem, qui eſſet ſapientiſſimus: eſt tamen reprehendendum tale dictum tanquam peſſimè ſonans.

255 *Q.62. An peccet, qui ebrium vel ſtultum vel puerum rationis uſu non utentem inducit ad blaſphemandum?* R. Affirmat Caramuel *in Th.Int.l.2.c.3.num.1053.* quamvis enim non peccet proferens defectu libertatis, tamen blaſphemia, quæ eſt res intrinſecè mala, utpote inhonoratio Dei, imputatur illi, qui liberè ad eam inducit, uti ſi non recordantem diei Veneris inducam ad comedendas carnes: quod multò magis valet in priore caſu, cùm blaſphemia ſit intrinſecè mala, illa comeſtio carnis tantùm extrinſecè: unde audiendus non eſt Gobat, qui in Quin. *T.5.c.9.& 19.n.48.* & à peccato excuſat talem inducentem, eò quòd illa locutio non retineat objectivam malitiam, ſi proferatur ſine uſu rationis, nam licèt non retineat reſpectu proferentis, tamen retinet reſpectu inducentis, qui tanquam cauſa principalis cenſetur illa moraliter proferre per alterum veluti inſtrumentum, non aliter ac ſi aliquis per organum vel per os Pſittaci talia proferret.

CAPUT II.

De Juramento.

256 ### DUBIUM I.

Quid ſit Juramentum.

RESP. Juramentum eſt invocacio tacita vel expreſſa Numinis divini, tanquam primæ & infallibilis veritatis, in teſtem alicujus rei. Hæc autem invocatio in eo conſiſtit, quòd jurans, quantùm in ſe eſt, cupiat ac velit Deum id, quod jurat, teſtari, & manifeſtare (ſi, & quando nimirum illi placuerit, ſive in hac vita, ſive in altera) tanquam quod ab ipſo Deo ſit cognitum, & verum. *Ita communiter Doctores.* S.Th.2.2.*q.*89.*a.*1.Bon.*tom.*2.*d.*4. *q.*1. *p.*1.Sanch.3. *Mor.c.*1.Laym.*l.*4.*tr.*3.*c.*1. *Unde reſolvitur:*

I. Quoad forum internum, jurat, quiſquis interiùs intentionem habet, ſive formalem ſive virtualem; & invocat Deum in teſtem, ſive his, ſive illis verbis, ac ſignis, ſive etiam nullis uſus ſit; ita ut ſi quis utatur verbis nullo modo importantibus juramentum, & is tamen ea putet eſſe juramenta, verè juret: Suarez *l.*1.*c.*1.Sanch.*l.c.*Laym.*l.c.* Quoad forum autem externum, quænam formulæ jurandi rationem habeant, ac proinde quæ verba licitè uſurpari in converſatione poſſint, patet ex ſequentibus.

II. Quando dubium eſt de jurantis intentione judicari ſolet ſecundùm communè acceptionē verborū, quibus eſt uſus.

III. Veram rationem juramenti habent hæ formulæ: teſtor Deum, vel invoco Deum teſtem. Item *juro, juramentum facio: ad meum juramentum*: niſi aliud de uſurpantis intentione conſtet: quia multi ita loquuntur, v.g. hoc vel illud faciam, quorum tamen mens non eſt ſeriò id jurare, ſed tantùm iracundè & graviùs affirmare. Laym.*c.*2.

IV. Fides à Sacerdotibus loco juramenti exigi ſolita per eorum conſecrationem, ut & formula illa Principum, *meam, qui Princeps ſum fidelitatem & honorem obſtringo, vel obteſtor*, etſi non ſint juramentum, tamen in foro fori accipiuntur loco juratæ promiſſionis: uti & ſi à perſonis illuſtribus vel nobilibus dicatur, *meum, qui ſum nobilis & honorem, fidelitatem ac fidem obteſtor.* V.Laym.*l.c.*

V. Formulæ hæ, DEUS *novit, Deus teſtabitur ſuo tempore, coram Deo loquor, Deus novit omnia, Deus videt meam conſcientiam*, cenſentur tantùm narrativè proferri, non invocativè (atque adeò non ſunt juramenta) niſi aliud conſtet, aut ex circumſtantiis probetur. Laym.*n.*4.Bonac. *q.*8.*p.*2.ex Suar.Leſſ.Sanch.& aliis.

VI. Non ſunt juramenta, quæ dicuntur per modum ſponſionis, v.g. *expono caput meum, amputentur mihi aures, ni ita ſit, &c.* V.Sanch.*n.*42.

VII. Non verè jurat, qui ut juramentum coactus vitet, dicit ſe jurare per omne id, per quod poteſt, quia cùm nulla res ſit, per quam abſque neceſſitate jurare licitè poſſit, cenſetur per nihil jurare intendiſſe.

VIII. Non ſunt juramenta, (quòd Confeſſarii & Catechiſtæ, moneant, ne ex erronea conſcientia peccetur) *verè, certè, in veritate: fide boni viri, per fidem meam, fide boni Chriſtiani*, vel *Sacerdotis*: vel *Regis; per conſcientiam meam, &c.* ut habet Leſſ.*c.*42.*d.*1.*n.*4. Bon.*l.c.* quia tantùm ſignificant illum loqui ex dictamine conſcientiæ & notitia veritatis: nec in teſtem adducitur Deus. Eſſet tamen juramentum, dicere, *per Fidem Catholicam, per S. Evangelium*, quia tunc cenſetur in teſtem adduci illius Fidei & Evangelii author. V.Laym.*l.c.*

IX. Non jurat, qui dicit, *Tam verum eſt, quàm Sol lucet, quàm hic ſedeo, ambulo, &c.* Unde etſi comparatio falſa ſit, tantum eſt mendacium, cùm nullus in teſtem invocetur. Idem eſt, ſi dicat: *quod dico, eſt Evangelium, eſt inſtar Fidei, eſt de Fide, &c.*

X. Quamvis hæ, & ſimiles comparationes (*tam verum eſt quàm Deus eſt, quàm Chriſtus eſt in Venerabili Sacramento, quàm verum eſt Evangelium*: item, *tam ſum innocens quàm B.Virgo, vel S. Franciſcus, &c.*) communiter videantur continere juramentum cum blaſphemia; id tamen non ſatis apparet, quia nullus in teſtem invocatur. Neque videtur eſſe blaſphemia, ſi ſit verum, & animus proferentis ſit ſignificare tantùm ſimilitudinem; ut ſenſus ſit, hoc eſſe verum ſuo modo, ſicut alterum eſt verum ſuo modo. Tum verò eſſet blaſphemia, ſi uſurpans intenderet ſignificare, tantam eſſe (ſecundùm æqualitatem) in ſuo dicto certitudinem, quanta eſt in ea veritate Fidei. Sanch. 2. *Mor.c.*31.

XI. Non eſt juramentum, cùm quis jurat per creaturas, in quibus nihil divinæ bonitatis ſpecialiter elucet: quia tunc non cenſetur adduci cum relatione ad Deum, ut ſi dicas: *Juro per hanc barbam, veſtem* &c. Cenſetur autem juramentum, cum ſit per creaturas nobiliores; cùm per eas tunc accipiatur earum Creator, ut qui in iis ſingulariter reſidet ac relucet: ſic v.g. dum juratur per cœlum, intelligitur illius habitator; dum per terram, is, cujus hæc ſcabellum: dum per templum, is, qui ibi colitur: dum per aliquod Sacramentum, is, qui inſtituit: dum per crucem, is, qui in ea fixus eſt; dum per Evangelia, ea tangendo aut nominando, is, cujus verba ſunt. Bonac.*q.*1.*p.*1.*n.*4. ex Suar. Sanch. *ll.cc.*

ADDENDA.

257 *Quæſt.63. Quot modis fiat juramentum?* Reſp. Cum Tamb. hic *l.*3.*c.*1.§.1. *n.*2. his, quatuor, 1. *Mente*, ſi intra animum aliquid affirmes vel reſpondeas, Deumque in confirmationem invoces velut teſtem: 2. *Nutu*, uti ſi tibi dicatur, jures per Deum, & tu oculis vel capite annuas: 3. *Facto*, uti ſi oblatum ad jurandum Evangelium tangas: 4. *Verbo*, etiam unico, dicendo aut ſcribendo, v.g. juro, in iis circumſtantiis, quando ſic intelligitur Deus vocari in teſtem, uti rectè Dicaſt. *de juram.d.*1.*n.*108.

258 *Q.64. Quandonam præterea cenſeatur quis jurare vel non jurare?* R. Gob. *T.*11.*a n.*483. plurimas affert formulas, 1. *ò Deus! eſto mihi teſtis*, dicit non eſſe juramentum, ſed meram precationem: *Contra eſt*, nam videtur eſſe invocatio Dei pro confirmatione veritatis, ergo eſt juramentum, 2. *Nego Deum, ſi ita non ſit*, eſt mera blaſphemia; & quidem hæreticalis, uti vult Caſtr. *T.*17.*d.*2.*p.*2.§.3.3. *Juro per caput Chriſti*, ſi cum debita reverentia dicatur, eſt licitum juramentum; ſi cum vilipendio, eſt juramentum cum blaſphemia, Gobat & Dicaſt. *n.*194. 4. *Sim nequam, ſim fur, ſi ita non eſt*, non ſunt juramenta Dicaſt. *n.*161. 5. *Juro per meam animam*, eſt dubium, an ſit juramentum, inquit Tamb. §.3. *n.*4. ex communi tamen uſu, inquit Caſtrop. *T.*14.*d.*1.*p.*1.*n.*7. Gob. *n.*486. Dicaſt. *n.*119. cenſetur eſſe juramentum, quia anima interponitur velut clariſſima Dei imago, vel ut Deo ſpecialiter obligata: quod ſi diceretur, *juro ſuper animam*, videtur eſſe juramentum execratorium. 6. *Juro per me: per eum, qui ſum*, aliqui volunt eſſe juramentum, quia homo eſt creatura perfecta, in qua ſpecialiter relucet Deus; Suar. tamen Sanch. & Dicaſt. *n.*124. rectiùs putant ex uſu non recipi velut juramentum, ſed tanquam interpoſitionem authoritatis vel fidei humanæ. 7. Sacerdos jurans fide ſacerdotali: item Princeps in fidem Principis &c. ſi id faciunt in circumſtantiis, in quibus exigi ſolet juramentum, debent in utroque foro præſtare omnia, atque ſi juraſſent per Evangelia: idem eſt, ſi in judicio juraſti, v.g. per fidem viri nobilis, quando tenebaris jurare per Deum: idem putant etiam extra judicium Sanch. Gob. *n.*488. Dicaſt. *n.*105. & 131. aliique, ſi deliberatè dicantur talia verba, per conſuetudinem eſſe & accipi velut juramenta. 8. Jurans per tactum libri, quem putavit eſſe Evangelia, reipſa juravit, licèt fuerit alius liber, quia error eſt tantùm materialis, Tamb. §.1.*n.*4. 9. Si jures per ignem vel aerem, non ſunt juramenta: Si per ignem Dei, aerem Dei, ſunt juramenta, Tamb. §.3. *num.*20. 10. Si per aliqua, de quibus dubitatur, an per illa invocetur Deus, neque poſitivè intendas invocare, neque intendas non invocare, quia non advertis, nec de hoc cogitas, reipſa non juras, Tamb. *n.* 6. 11. Si quis dicat verba, quæ non continent juramentum, velitque per ea jurare, reipſa jurat, ſi ſciat, quid ſit jurare, nempe quòd ſit Deum vocare in teſtem: ſi autem neſciat, quid ſit jurare, uti ſæpiſſimè non ſciunt rudes, etiamſi voluerit jurare, aut facere quod alii faciunt, reipſa non juravit, ſed inefficaciter tantùm jurare voluit, quia Deum non vocavit, in teſtem, non enim cognovit ſe hoc facere aut velle, Tamb.

§.1. *n.*8.

§.1.*n.*8. Dicaſt. *n.*102. 12. Quando quis protulit verba ambigua, de quibus ex uſu communi non conſtat, an contineant, juramentum vel non, ſtandum eſt intentione proferentis, & ſi quidem non ſolet jurare, cenſendum eſt non fuiſſe intentionem jurandi; ſi autem ſolet jurare, præſumendum eſt fuiſſe intentionem jurandi, Dicaſt.*n.*104.

259 *Q.*65. *An falsò jurans reipſa juret?* R. Jurat, quamvis enim non velit, ut Deus abſolutè teſtetur ſuam falſitatem, cùm hoc ſciat eſſe impoſſibile, tamen, quantùm in ſe eſt, vult, ideoque invocat Deum, ut ſi poſſit, teſtetur falſitatem eſſe veritatem, & in hoc conſiſtit graviſſima malitia perjurii, Caſtrop.*p.*1.*n.*8.

260 *Q.*66. *An omne juramentum falſum etiam ſit blaſphemia?* R. Communiter negatur cum S.Th.2.2.*q.*13.*ar.*3.*ad* 2. & Sanch.*in Decal.lib.*2.*c.*32.*n.*33. ſed Caſtrop.*T.*17.*d.*2.*p.*2.§.3. *n.*9. dubitat. 1. Quia qui jurat falsò, facit Deum teſtem & aſſecuratorem falſi, ergo Deo tribuit, quod illi convenire non poteſt. 2. Quia ſi diceret, confirmet Deus ſuo teſtimonio hanc falſitatem, utique blaſphemaret, ergo & blaſphemat falsò jurans, nam eundem ſenſum habent falſa juramenta, non quòd jurans abſolutè velit id fieri, ſed ſaltem, quantùm in ſe eſt, quod videtur ſufficere ad blaſphemiam.

261 ## DUBIUM II.

Quotuplex ſit Juramentum.

„ REſp. Diviſiones aliquot communiter afferuntur, ſed
„ tantùm accidentales, quæ ſpeciem non mutant, ut
„ in Confeſſione diſtinguere non ſit opus, Suar.Leſſ.*l.*2.*c.*42.
„ *d.*2.Bon.*T.*2.*d.*4.*q.*1.*p.*2.Itaque dividitur,

„ *Primò.* In Verbale, Reale, & Mixtum; cùm videlicet
„ fit vel verbis, vel actione aliqua, ut erectione digitorum,
„ contactu crucis, ſceptri, Evangeliorum; vel & verbis ſi-
„ mul & actione corporali, unde & vocatur Juramentum cor-
„ porale. V.Bonac.*l.c.*

„ *Secundò.* In Invocatorium ſeu Conteſtatorium, & in
„ Execratorium ſeu Imprecatorium. Illud eſt, quo Deus ſim-
„ pliciter ut teſtis invocatur: hoc autem, quo non ſolùm vo-
„ catur ut teſtis, ſed etiam ut vindex, cùm jurans, ſe vel alium
„ dilectum, vel aliquid ſui aut ſuorum, ſubjicit *Deo* punien-
„ dum, ſi falſum dicat: ut, *ita me Deus amet, adjuvet: pu-*
„ *niat me Deus; faciat Deus, ut hinc nunquam ſanus ſurgam:*
„ *nec conjugem, nec liberos vivos hodie intuear: tollat me Deus*
„ *ſubitanea morte; æternùm damner; ſuper animam meam,*
„ &c. In quibus quando falsò juratur, an ſit conjuncta altera
„ ſpecies malitiæ contra charitatem ſui, aut proximi, Schola-
„ ſtici controvertunt: Negat Suar. Val. &c. quia non ſolet quis,
„ etiam amico ſuo tale malum ex animo imprecari, ſed potiùs
„ cogitat Deum non facturum eſſe. V.Bon.*l.c.*

„ *Tertiò.* In aſſertorium & Promiſſorium. Illud eſt, quo
„ præterita vel præſentia affirmantur aut negantur: hoc au-
„ tem eſt, quo aliquid futurum promittitur. Addunt aliqui
„ Comminatorium, ut v.g.*per Deum ego te cædam*, ſed hoc
„ referri poteſt ad promiſſorium. In Confeſſione non opus eſt
„ explicare, utrum per Deum, an Sanctos juraveris, quia eſt
„ ejuſdem ſpeciei malitia, cùm jurans ſemper intendat Deum
„ adducere in teſtem. Suar.Leſſ.*l.c.*Lugo *d.*16.*n.*286.

ADDENDA.

262 *QUæſt.*67. *An juramentum aſſertorium eſſentialiter differat à promiſſorio, etiam in ratione juramenti?* R. Caſtrop.*T.*14.*d.*1.*p.*2.*n.*7. dicit probabilius eſſe, quod differant, quia in aſſertorio invocatur Deus purè ut teſtis, in promiſſorio autem etiam ut fidejuſſor, id eſt, ut Deus ſuam authoritatem præſtet pro eo, quòd jurans ſit rem executurus: Alii cum Caj. Valent. Suar. hic *l.*1. *c.*9. *n.*1. communiter contrarium tenent, eò quòd eſſentia juramenti quà talis conſiſtat in invocatione divini teſtimonii, cui accidentale eſt invocari ad firmandam veritatem rei futuræ vel præſentis: Dicaſt.*d.*2.*n.*61. docet fieri poſſe juramentum promiſſorium abſque eo, quòd Deus vocetur in fidejuſſorem veritatis implendæ de futuro, poteſt enim tantùm promitti coram ipſo tanquam ſummæ authoritatis Domino, qui novit animum de præſenti, efficiendi in poſterum, quod juratur, uti fit, dum quis promittit aliquid coram Rege. Vide dicenda *n.*305.*& p.*2.*n.*725.

263 ## DUBIUM III.

An, & quando ſit licitum jurare.

„ REſp. Juramentum, ſi debito modo fiat, licitum eſt.
„ Eſt de Fide. Et quidem eſt actus Religionis, ut
„ omnes docent. Tunc autem debito modo fit, cùm in eo ob-
„ ſervantur hæc tria: 1. eſt *Judicium*, quod exigit, ut cum
diſcretione, prudentia, conſideratione ac reverentia, non „
ſine neceſſitate aut gravi cauſa fiat. 2. Eſt *Juſtitia*, quæ exi- „
git, ut quod juratur, ſit res juſta, licita & honeſta. 3. Eſt „
Veritas, ut nimirum ſit res vera, aut ſaltem ex gravi ratione „
putetur eſse vera; ita ut, prout ex defectu alicujus horum, „
minor aut major in Deum injuria aut irreverentia redunda- „
re cenſetur, ita quoque majus aut minus committatur pec- „
catum: *Unde reſolvitur:* „

I. Quoad judicium, ſi hoc ſolum deſit, ut plurimum eſt „
veniale tantum, ut ſi quis abſque neceſſitate juret, ſive ex le- „
vitate quadam animi, ſive ex conſuetudine. V.Sanch.*l.*3.*c.* „
6.*n.*22.Leſs.*l.*2.*c.*42.*n.*17. „

II. Mortaliter tamen etiam hic, aut venialiter peccari po- „
teſt, juxta quantitatem negligentiæ, quam jurans admittit „
in inveſtigatione veritatis vel tollenda conſuetudine. Sanch. „
*num.*10. „

III. Et ſic mortalis eſt ſtatus illorum, qui non tollunt „
conſuetudinem jurandi ſine attentione, ſitne verum hoc an „
falſum, quod jurare ſolent. „

IV. Quod ad juſtitiam ſpectat, peccat mortaliter, qui ju- „
rat ſe facturum rem mortaliter malam; ut, ſe aliquem inter- „
fecturum; quia eſt gravis irreverentia, divina authoritate ſe „
ad peccatum mortale quaſi obligare, ita ut hic duæ malitiæ „
concurrant; una, quòd velit malum; altera, quòd ad hoc „
abutatur authoritate Dei, odientis omne malum, Leſſ. *l.*2. „
*c.*42.*d.*3.*n.*17.Bonac.*T.*2.*d* 4.*q.*1.*p.*3. „

V. Venialiter autem peccat, qui jurat facere rem venialiter „
malam, aut vanam, aut inutilem, aut frivolam: cùm ibi „
levis tantùm irreverentia cenſeatur. Bon.*ib.* Leſs.*l.c.* „

VI. Item peccat venialiter, qui jurat aliquid contra con- „
ſilia Evangelica; aut ſe non ingreſsurum Religionem, non „
daturum eleemoſynam aut mutuum. Suar. Leſs. Sanch. „
Bonac.*l.c.* „

VII. Quod ad veritatem ſpectat, cùm hæc deeſt, pecca- „
tur mortaliter, quia committitur gravis in Deum irreveren- „
tia, quippe cùm adducatur in teſtem falſitatis, quaſi vel ipſe „
veritatem neſciat, vel velit aut poſſit decipere, teſtando fal- „
ſum. Nec hic excuſat levitas materiæ: quia ſive hæc ſit gra- „
vis, ſive levis, ſeria ſive jocoſa, æqualiter tamen repugnat „
Deo teſtificari falſum, & tale juramentum dicitur perjurium. „
S.Th.2.2.*q.*97. *a.*7. Leſſ.*l.c.*Sanch. Bonac.*l.c.*An autem, & „
quando perjurium poſſit eſſe veniale per accidens, V. Eſcob. „
*T.*1.*c.*3.*n.*6. „

VIII. Non excuſatur, qui jurat verum, ſi is putabat eſ- „
ſe falſum; vel qui jurat pro certo, de quo ipſe dubitat, etſi „
à parte rei verum ſit, Sotus, Nav.Bon.*l.c.* „

IX. Peccat æquè graviter, qui ab altero exigit juramen- „
tum, ſciens eum eſſe pejeraturum. Excipe, niſi juſta cauſa „
& neceſſitas exigat: quia tunc perjurium ex ſola pejerantis „
malitia ſequitur: nec alter moraliter cenſetur illius cauſa, „
cùm utatur ſuo jure. Quod tamen extra judicium rarò habet „
locum in privatis perſonis. S.Th.*q.*89. Suar.*l.*3.*c.*13.*&* 14. „
Sanch.*l.*3.*c.*8. „

X. Non pejeravit, qui juravit aliquid reipſa falſum, quod „
ipſe bona fide, & cum ratione putavit eſſe verum. „

XI. Excuſari ſubinde quidem ſimplices à mortali perju- „
rio videntur poſſe, ratione inconſiderationis, cùm uſurpant „
quaſdam formulas juratorias, ut, *per animam meam; pu-* „
niat me Deus; etſi non ſciant id vocari juramentum, non „
tamen apprehendunt, quod jurare ſit aliquid grave, & in- „
vocare Deum in teſtem, ſed tantùm apprehendunt confu- „
ſam aliquam rationem mali, non tanti momenti. V.Bon. *l.* „
*c.*Laym.*l.*4.*t.*3.*c.*14. „

ADDENDA.

OMne juramentum eſſe illicitum docuerunt Vvaldenſes 264
aliique apud Arſdek. *de dogmatibus damnatis, v. Juramentum*: ſed eorum error reprobatus eſt in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.*8. inter errores Vviclef. *art.*43. è contra Priſcillianus, aliique eum ſecuti docebant omne perjurium eſſe licitum, ſed hic quoque error damnatur in Concilio Bracarenſi 1. Ann.563. His itaque omiſſis, ſit,

*Q.*68. *An ſit licitum jurare circa rem malam?* R.Reg. 265
& alii cum Bon. *d.*4.*q.*1.*p.*3. *n.*9. dicunt ſemper eſſe mortale adducere Deum in teſtem rei mortaliter malæ, ſed probabiliùs negant Suar. *c.*12.*n.*7. Sanch. *l.*3.*c.*4.*n.*33. Fill. *tr.*25.*c.*11. *n.*336. Caſtrop. *p.*5. *nu.*6. Dicaſt. *nu.*81. niſi Juramentum aſſumeretur tanquam inſtrumentum illius peccati, uti ſi quis detractionem confirmaret juramento, tum enim per juramentum auget infamiam, quia majorem facit fidem; de cætero non erit mortale jurare, v.g. furtum à ſe eſſe commiſſum, nam invoco Deum teſtem veritatis; imò rectè notat Fill. nullum fore peccatum, ſi quis cum cauſa juraret ſe aliquod mortale commiſiſſe, nam ex illo objecto materiali jurato nulla redundat irreverentia in Deũ

vel

vel in juramentum: aliud eſt de juramento promiſſorio, de quo Buſemb. ſupra, nam ſi jurem rem venialiter malam à me faciendam, communis ſententia eſt eſſe tantùm veniale; ſi mortaliter malam, communior eſt, quod peccem graviter; firmando me illa authoritate Dei in propoſito peccandi mortaliter, quamvis etiam Leſſ. & Dicaſt. *à n.67.* dicant nec hic ſatis apparere rationem convincentem, retorquentur enim in propoſito jurato peccandi venialiter, hinc fide digni referunt, Vaſq. & Rubium ſenſiſſe ſemper eſſe veniale tantum; ſed propter authoritatem contrariam non eſt recedendum à communi ſententia.

266 *Q.69. An ſit mortale jurare ſe facturum rem, quam jurans ſcit eſſe phyſicè vel moraliter impoſſibilem?* R. Communis ſententia apud Tamb. *l.3.c.3.§.3.n.8.* Dicaſt. *n.108.* Buſembaum ſupra affirmat, quia Deus vocatur in teſtem illius, quod judicari debet non futurum: conſentit Tamb. ſi juranti, quantùm in ſe eſt, deſit animus procurandi, ut eveniat, ſi autem huic animus adſit, putat cum aliis non fore mortale, quia deerit ſolum judicium.

267 *Q.70. An ſit licitum jurare rem, quam tantùm probabiliter judico eſſe veram?* R. Sanch. *l.3.cap.4 num.10.* Caſtrop. *p.5.n.2.* aliique cum Dian. *p.4.tr.4. R.77.* affirmant, quia juras hoc, quod judicas verum, ergo non pejeras; unde quod aliquis audivit à viro notabili & fide digno, poteſt ſecundùm illos AA. affirmare & extra Judicium jurare eſſe verum; quod aliqui apud Dian. extendunt ad Juramentum etiam in Judicio, ſed melius id negant alii, ibi enim poſtulatur Juramentum ſcientiæ, quod majorem certitudinem requirit, uti notat Caſtrop. *num.3.* nam teſtis hic cenſetur ſemper teſtari de viſu, & præſentia propria, uti etiam notavit Bon. ſupra *n.9.* Si quis putet utramque partem oppoſitam eſſe probabilem, poterit jurare & hanc & illam eſſe probabilem, tamen jurare non poterit & hanc & illam eſſe veram, cùm enim utrique ſimul aſſentiri non poſſit, illam tantùm jurare poterit, cui aſſentietur: è contra Suar. *c.7.n.7.* & Dicaſt. *n.147.* requirunt moralem certitudinem ad omne Juramentum, alioquin jurantem fore perjurum, quia qui jurat, ſignificat ſe plùs quàm opinari, & dicit ſe aliquo modo ſcire, ergo jurare non licet id, de cujus veritate certò non conſtat; & prærequiretur ſaltem talis certitudo, ut nulla vel parva & non prudens ſit formido de veritate partis oppoſitæ, vel ſaltem ut non ſit formido æqualis: admittunt tamen & ipſi requiri quandoque majorem, quandoque minorem certitudinem, etiamſi in Judicio jures, uti rectè explicat Dicaſt. *num.142.* nam in cauſis, ubi Juramentum erit in favorem, ſufficit minor certitudo, ubi autem ex eo grave incommodum naſci poſſet alteri, requiretur major, & hæc ultima ſententia videtur probabilior; omnes autem communiter docent cum Sanch. *num.11.* & Caſtrop. *num.3.* ad hoc, ut quis teſtificetur de Scholaſtico, quòd toto tempore ad curſum conficiendum requiſito frequentaverit ſcholas, non eſſe neceſſe, quod viderit eum ſingulis diebus, ſed ſufficere, ſi communiter viderit adeuntem ſcholas: inde enim rationabiliter credit ſatisfactum eſſe Statuto Univerſitatis, quod eſt, ut majore anni parte frequentet, & cùm alia teſtificatio ſit moraliter impoſſibilis, non cenſetur alia poſtulari. Quòd ſi tantùm audiviſſet à fide digno, quod frequentaſſet, non ſufficeret ad jurandum, nam hoc juramentum eſt veluti judiciale, quod requirit teſtem de viſu; poſſet tamen tum jurare, quod audiſſet à fide digno.

268 *Q.71. Quanta adhiberi debeat diligentia in inquirenda veritate, antequam jurari poſſit?* R. Secundùm Sanch. tanta, ut probabile Judicium poſſit formare, quo aſſentiatur: ſecundùm Dicaſt. tanta, ut non multùm formidet de veritate oppoſiti, ſed moraliter certus ſit: prout ergo negligentia aut contemptus hujus examinis erit gravis aut levis, fietque Juramentum cum reflexione ad eam, ſeu cum cognitione illius, erit perjurium grave vel leve, Dicaſt. *d.2.à n.135.*

269 *Q.72. An Cives vi, & injuſto bello ſubjugati, poſſint invaſoribus præſtare generale Juramentum fidelitatis?* R. Poſſunt, dummodò nihil illicitum expreſsè admiſceatur, & ipſi intelligant ſe ſolùm jurare fidelitatem ad licita & honeſta: legitimum tamen Principem ſuum abjurare non poſſunt, quia talis abjuratio eſt perjurium, cadens in materiam falſam, & in injuriam veri Principis, ita Leſs. *in Auct. V. Juramentum caſ.5.*

270 *Q.73. Si Cajus ſubordinet Titium Procuratorem ut pro ſe falsò juret, uter illorum ſit perjurus vel incurrat pœnas perjurii?* R. Silv. putat utrumque eſſe perjurum, ſed ſolum Cajum incurrere pœnas perjurii: Texeda apud Dian. *p.10. tr.14. R.13.* dicit ſolum Titium eſſe perjurum, & ſolum incurrere pœnas perjurii: videtur dicendum, quòd uterque ſit perjurus, Cajus moraliter & mediatè, quia mandavit, Titius phyſicè & immediatè, quia executus eſt, ita Sanch. *l.3.c.13.n.26.* Dicaſt. *d.3.n.442.* & alii: pœnas autem incurret ſolus Titius, quia hæ cadunt in eum, qui propriè perjurium ponit, hic autem ſolus Titius propriè jurat, & conſequenter pejerat, quia phyſicè ipſemet & immediatè id facit, ideoque peccatum ſolius Titii erit caſus reſervatus, v.g. *in Diœceſi Colonienſi*, in qua Epiſcopo reſervatum eſt perjurium manifeſtum.

Q.74. Quomodo peccet, qui jurat habens conſuetudinem jurandi? R.§.1. Si ſit conſuetudo jurandi non falsò, quamvis conſuetudinem nunquam retractaverit, non peccat niſi venialiter, quia ſingula talia juramenta ſunt tantùm venialia, uti ſuppono, & conſuetudo non aggravat mortaliter, licèt poſteà ſemper advertenter juret, ita Caſtrop. *T.14.d.1.p.9.* 271

§.2. Si ſit conſuetudo jurandi falsò, ſed inadvertenter, quam non retractavit, ſi Juramenta, quæ nunc fiunt, non proficiſcantur ab illa conſuetudine ſed ex paſſione vel ſubito motu, uti proceſſiſſent, licèt non adfuiſſet conſuetudo, non erit mortale, quia neque in ſe, neque in cauſa ſunt plenè voluntaria, cauſa enim eorum non eſt conſuetudo, ſed alius motus plenam rationem prævertens, ita S.Th. *in 3.diſt.39. art.5. in O.* Et ad Annib. *l.3. d.39. q.1. a.1. O.* Suar. Sanch. Cajet. *v. Perjurium*, Caſtrop. aliique cum Dicaſt. *d.2.n.170.* contra multos, quos referunt Dicaſt. & Dian. *p.10. tr.14. R.13.* Vide Vind. Tab. *in Collectan. ad prop.12.* Requiri autem plenam deliberationem ad mortale, probabitur *l.5.n.216.* 272

§.3. Si proficiſcantur ex conſuetudine non retractata, quamvis planè inadvertenter fiant, non erunt quidem in ſe peccata, uti dicetur *lib.5. à n.15.* cùm non ſint formaliter libera, erunt tamen peccata in cauſa ſeu in voluntate, quam jurans habet, non removendi conſuetudinem, ita Sanch. *l.3.c.5. à n.28.* Caſtrop. *num.5.* aliique multi cum Dian. *p.3.t.5. R.62.* putatque Suar. *l.3.c.8.n.6.* utile fore talem non abſolvi, ſi admonitus non emendet conſuetudinem, Sanch. tamen *l.2.c.32.n.45.* Caſtrop. *n.6.* & Burgh. *cent.1. caſ.3.* contra multos alios apud Dicaſt. *n.197.* putant poſſe abſolvi, quia diſpoſitus eſt, & abſolutio non eſt neceſsariò neganda vel differenda, quando peccata non pendent ex occaſione extrinſeca, quæ amoveri debeat, ſed tantùm ex intrinſeca fragilitate relabentis, uti hic fit, imò Dicaſt. *n.214.* dicit non poſſe licitè negari abſolutionem tali conſuetudinario, quia conſuetudo illa non eſt aliquid voluntarium, quod poſſit à ſe repellere, ſed eſt aliquid naturaliter relictum poſt actus, quod etiam non magis eſt occaſio proxima peccandi, quàm inclinatio naturalis, de qua tamen expellenda non tenemur habere voluntatem; unde notat Diana ſupra, quando Authores dicunt non abſolvendum eum, qui ex conſuetudine relabitur, intelligendos eſſe, ſi relabatur advertenter; alioquin enim non peccat per relapſus: an autem & quomodo talia, quæ inadvertenter ex conſuetudine ſequuntur, ſint confitenda, dicemus *Lib.VI.T.4.c.1.ad d.3.* 273

§.4. Rectè notat poſt Scotum Dicaſt. *nu.182.* quòd ſicuti conſuetudo amandi DEUM efficit, ut aſsuetus prorumpat in actus amoris quaſi imperceptibiliter & non omnino advertenter, ita tamen, ut actus illi ad meritum ſufficiant, non aliter etiam in illis, qui aſsueverunt ad Juramentum vel aliud peccatum, licèt non ita reflexè advertant malum, tamen ſæpè ſufficienter advertunt, quantùm ad culpam ſufficiet; quod maximè locum habet in iis, qui habent celeres motus ingenii. 274

DUBIUM IV. 275

An in Juramento uti liceat æquivocatione?

RESp. Jurare cum æquivocatione, quando juſta cauſa eſt, & ipſa æquivocatio licet, non eſt malum; quia ubi eſt Jus occultandi veritatem, & occultatur ſine mendacio, nulla irreverentia fit juramento. Quòd ſi autem ſine juſta cauſa fiat, non erit quidem perjurium, cùm ſaltem ſecundùm aliquem ſenſum verborum, vel reſtrictionem mentalem verum juret; erit tamen ex genere ſuo mortale contra Religionem; cùm ſit gravis irreverentia, ad alterum in re gravi decipiendum, uſurpare Juramentum. Ita communiter Doctores. V. Sanch. *l.3.c.6.* Bonac. *T.2. d.4. q.1. p.12.* Laym. *l.4.t.3.c.13.* Unde reſolvitur,

I. Graviter peccat, qui utitur æquivocatione, quando non rogatus, ſed ſponte ſua jurat: quia tunc tenetur uti vocabulis ſecundùm communem ſignificationem, inquit Tol. *l.4.c.21.* eò quòd non habeat rationem æquivocandi.

II. Graviter item peccat, qui utitur æquivocatione, quando Juramentum juſtè exigitur, ut à Judice, vel Superiore, in re gravi. Bonac. *l.c.*

III. Si autem fiat tale Juramentum in re levi, per jocum, & citra inobedientiam, ac notabile damnum alterius, erit tantùm veniale, ut probabiliter docet Sanch. *l.c.* contra alios, quia ſola diſcretione, ſive Judicio caret. V. Bon. *l.c.*

IV. Licet æquivocè jurare, ſi Juramentum exigatur injuſtè; ut v.g. ſi quis exigat Juramentum qui Jus non habet, v.g. Judex incompetens; vel ſi non ſervet ordinem Juris. Item ſi exigatur per vim, injuriam, metum, v.g. ſi vir exigat Juramentum ab uxore de adulterio occulto: ſi latrones exigant à te lytrum cum Juramento. Sayr.

„ *lib.4.c.5.& lib.12.c.17.*Trull.*l.2.c.1.d.15.*Leſſ.*l.2. cap.42. d.9.*
„ V. Qui exterius tantùm juravit ſine animo jurandi, non
„ obligatur, niſi fortè ratione ſcandali; cùm non juraverit,
„ ſed luſerit. In foro tamen externo poteſt cogi, ut ſervet.
„ Sanch.*7.Moral.cap.*10.*n.*11.Trull.*d.*10.*n.*2.

ADDENDA.

276 Q. *Væſt.*75. *An ſit licitum jurare ſine animo jurandi, aut cum animo non implendi, aut ſe non obligandi?* R.§.1. Primum eſt illicitum, uti patet ex propoſitione 25. ab *Innoc.XI.* damnata, *Cum cauſa licitum eſt jurare, ſine animo jurandi*: Sic tamen jurans (propriè loquendo) non jurat; uti rectè S.Th.2.2.*q.*98.*a.*3.*ad* 2. Suar.*l.*2.*c.*7. *n.*2. Sanch. *l.*3.*c.*10.*n.*4.Carden.*in* 2.*criſi d.*18.*n.*3.Dicaſt.*d.*1. *n.*92. aliique plurimi apud Vindicem Tabernæ *in collect.ad Prop.*12. ſicuti enim qui orationem vocalem exprimit ſine animo orandi, reipſa non orat; item qui vovet ſine animo vovendi, reipſa non vovet, ita & hic, ſed tantùm ſunt nuda verba apta ſignificare juramentum, ſi adeſſet animus vocandi Deum in teſtem, aut ſic ſe obligandi ad aliquid. Hoc non obſtante ſi quis exteriùs vocet DEUM in teſtem falſi, quamvis interiùs non habeat animum jurandi, omnes communiter dicunt eum peccare mortaliter, quia eſt grave vilipendium Dei, & directè contra finem juramenti, qui eſt aſſecurare de veritate, qui finis evertitur, ſi homines intelligant poſſe abſque gravi peccato fictè, & falsò jurari. Vide dicenda *n.*321.

277 §.2. Si quis ſine animo jurandi vocet Deum in teſtem rei veræ, certum eſt, quòd peccet venialiter, tum quia eſt aliqua irreverentia nomen Domini ita aſſumere in vanum, tum etiam quia eſt mendacium: talis enim exteriùs ſignificat ſe habere animum jurandi, & tamen illum non habet, ergo mentitur. Controverſia eſt, an talis hoc ipſo etiam peccet mortaliter; affirmant Cajet.Armill.Covarr. Filguera & alii ducti his rationibus, in primis quia mentiens jurat: deinde quia utitur juramento ad deceptionem proximi; præterea illudit teſtimonio Dei, cùm fingat ſe illud invocare, & tamen non invocet, unde ſicut ille peccat mortaliter, qui per hypocriſin ſimulat ſanctitatem, ita & qui ſimulat invocationem teſtimonii divini; è contra Suar.*c.*17.*n.*6.Sanch.*c.*6.*n.*10.Leſſ.*d.*8.*n.*46.Caſtrop.*p.*8. *n.*4.Illſung *T.*5.*n.*55.Dicaſt.*d.*2.*n.*278.Card.*n.*12. probabilius dicunt eſſe veniale tantùm, niſi fortè fiat in contractu, aut in judicio legitimo, aut in ſimili circumſtantia, quando eſt gravis obligatio ſerio jurandi, ut ſi proximus alioqui pati poſſet grave damnum: Ratio eſt, quia non apparet, unde colligi poſſit illa gravis malitia, nam Juramentum non cadit ſuper mendacium, neque ſuper deceptionem Proximi, ſed tantùm ſuper rem veram: unde ad rationem primam & ſecundam Adverſariorum dici debet non eſſe mortale, quamvis aliquis mentiens & decipiens juret, dummodò juramento non confirmet mendacium vel deceptionem, quod hic non facit. Ad tertiam rationem, nego per hoc graviter illudi divino teſtimonio, uti enim ſi quis fingat ſe orare, cùm tamen non oret, illa fictio non eſt graviter peccaminoſa, ita nec hic. Ad illud, quod additur, de hypocriſi, dico eum, per ſe loquendo, etiam venialiter tantum peccare, qui ex vana gloria ſimulat ſe ſanctum; aliud eſt, ſi per falſa miracula id fingeret, aut populos induceret in alios errores, aut nollet habere gratiam Dei, & tamen vellet videri ſanctus, tum enim per accidens peccaret mortaliter; tale quid non eſt in eo, qui jurat verum ſine animo jurandi, ille enim non intendit ejuſmodi indebitam excellentiam, neque alio fine graviter malo ducitur ad ſic jurandum, uti ſuppono.

278 §.3. Qui jurat ſine animo implendi, peccat mortaliter, quia vocat Deum in teſtem voluntatis implendæ, quam tamen ſcit ſe non habere: quòd ſi injuſtè cogeretur ad jurandum, & juraret cum animo id non implendi, quod jurat, ſed petita priùs relaxatione juramenti, non peccaret, uti habent Suar. *l.*2.*c.*7.*n.*20.Sanch.*l.*3.*c.*11.*n.*17.Dian.*p.*9.*tr.*8. *R.*56. quia habet animum faciendi, niſi ab ea obligatione fuerit abſolutus, à qua per legitimam poteſtatem abſolvi poteſt.

279 §.4. Si quis juret habens animum jurandi & implendi id, quod jurat, attamen non habens animum ſe obligandi, Sanch. *c.*20.*n.*8.Caſtrop.*p.*8.*n.*8. aliique plurimi apud Dicaſt. *d.*2. *n.* 278. dicunt eum non jurare, quia de eſſentia, vel ſaltem proprietas metaphyſica Juramenti eſt obligatio, ergo per intentionem ſe non obligandi deſtruitur eſſentia Juramenti: ſed quidquid ſit de hoc, adhuc dubitatur, an & quomodo talis peccet: Val. dicit, ſi ſic jurans nolit ſe obligare Deo, ſed ſoli homini, non peccare niſi venialiter, quia non eſt deceptio graviter injurioſa homini, eò quòd adhuc graviter obligetur ex virtute Religionis, de quo dicetur à *n.*316. ſed alii probabiliùs putant eum per hoc peccare mortaliter; quia videtur eſſe gravis irreverentia DEUM adducere in teſtem, & tamen nolle obſtringi ejus teſtimonio, ita Leſſ.*de Juſt.l.*2.*c.*42. *n.*4. Quòd ſi velit quidem ſe obligare Deo, ſed non homini, eò quòd homini nolit promittere, nullum erit peccatum, quia non tenetur homini promittere, aut illi Jus dare contra ſe, nulla autem apparet malitia in eo, quòd DEUM advocet in teſtem illius ſui propoſiti; ita Suar.*l.*3.*c.*17.*n.*10.Leſſ.ſupra Dicaſt. *n.*281. Vide dicenda *n.*321.

§.5. Quibuſdam in locis præſcriptum eſt, ut promovendi 280 ad Ordines, ad certas cathedras vel Beneficia, ejurent quinque propoſitiones *Janſenii*, & quidem in ſenſu intento à *Janſenio*, circa quod Decretum putant etiamnum quidam Janſeniſtæ licere hoc ſibi facere verbotenus tantùm, eò quòd hoc faciant, non in veritatem, ſed in reverentiam Bullæ id præcipientis, & ut externam ſubmiſſionem exhibeant Sedi Apoſtolicæ, ſed quid circa hoc declaraverit *Clemens XI.* videri poteſt *l.*1. *num.*210. ubi ejus Conſtitutionem retulimus: Certè mirum eſt Janſeniſtas uſque adeò rigoris amantes amplecti praxin ſententiæ, contra quam eſt manifeſta ratio, qui enim ſic jurat, vel jurat nolens implere id, quod jurat, vel nolens obligari, ergo vel manifeſtè eſt perjurus, vel jurat ſine animo jurandi, quorum utrumque certò eſt illicitum.

§.6. Si quis dicat verba juratoria, nihil affirmando vel ne- 281 gando, v.gr. *Teſtor Deum, reddas mihi librum; per Deum quàm nunc eſt frigidum* &c. peccat venialiter, quia temerè & in vanum aſſumit nomen Dei, & quidem ſine animo jurandi, quod eſt indecens: non eſt tamen gravis irreverentia; ita Card. *num.*33.

§.7. Qui narrat Juramentum ab altero factum, v.g. qui ſic 282 dicit, Titius ſic juravit: *Ego teſtor Deum, quòd ſim innocens*, nihil peccat, quia licèt dicat verba juratoria ſine animo jurandi, tamen nullo modo jurat nequidem exteriùs, nam illa verba non dicit nomine ſuo, ſed tantùm materialiter veluti dicta ab altero: neque in hoc, per ſe loquendo, eſt ulla indecentia.

*Q.*76. *Quid notandum ſit circa alias propoſitiones hic* 283 *damnatas?* R.§.1. *Innoc.XI.* damnavit ſequentes. *26.Si quis vel ſolus vel coram aliis, ſive interrogatus ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, vel quocunque alio fine juret ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus. 27. Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens & ſtudioſa. 28. Qui mediante commendatione vel munere ad Magiſtratum vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu vel ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Pro intelligendis his damnationibus,

§.2. Notandum, reſtrictionem mentalem eſſe duplicem, 284 alia eſt *purè mentalis*, alia *non purè mentalis*. Reſtrictio purè mentalis eſt, quando tota oratio ſpectatis omnibus circumſtantiis, prout exteriùs profertur, eſt abſolutè falſa, in mente autem aliquid ſubintelligitur, per quod fieret vera, & tamen illud ſubintellectum nullo ſigno externo manifeſtatur, neque in illius cognitionem, humano modo veniri poteſt, v.g. *Tu me interrogas, an hodie viderim Petrum? ego reſpondeo non vidi*, & in mente ſubintelligo, *non vidi in foro, cum tamen viderim domi meæ*, reſtrictio illa eſt purè mentalis, quia ex nullis circumſtantiis prudenter colligi poterat te interrogare de viſione in foro, aut me de illa reſpondere. *Reſtrictio non purè mentalis eſt*, quando oratio ſpectatis quidem præcisè verbis aliquem ſenſum abſolutum faceret; ſed prout in his circumſtantiis profertur, ſatis intelligitur aliquid ad illam ſpectans retineri in mente, ita tamen, ut per illas circumſtantias vel per aliud ſignum exterius conſignificetur illud, quod in mente retinetur, v. g. Titius jam recenter non vidit Sempronium, Cajus occurrit Titio & ſollicitè petit, vidiſtine Sempronium? hic Cajus in mente retinet, jam recenter, ideoque Titius reſpondet, non vidi, ubi etiam ipſe in mente retinet, Sempronium recenter: hæc verò tam ex parte Caji interrogantis, quàm Titii reſpondentis ſufficienter conſignificantur per circumſtantias ſollicitè quærentis & reſpondentis in illis circumſtantiis. Iterùm, hæ voces, *peto linguam bovis*, ſi dicas illas in macello, ſignificabunt linguam carneam animalis; ſi dicas in pharmacopeo, ſignificabunt herbam, quæ dicitur *lingua bovis*, ergo ſicuti circumſtantiæ loci hic poſſunt conſignificare aliquid, quod in mente retinetur, ita etiam aliæ circumſtantiæ vel alia ſigna poterunt conſignificare aliquid in mente retentum, licèt verba præcisè id non manifeſtent, ita Arſd.*T.*2.*p.*2.*t.*1.*q.*1.Steph. *T.*4.*D.*10.*D.*4.Vind.Gob.*p.*2 *prop.*21.aliique apud ipſos. His ſuppoſitis,

§.3. Reſtrictio purè mentalis non excuſat à mendacio vel 285 perjurio, ita multi apud Dic.*d.*2.*n.*299. licèt ipſe à *n.*300. contra-

tradicat, ſed videtur manifeſtè ſequi ex damnatione propoſitionis 28. Ratio autem eſt, quia locutio illa abſolvitur verbis illis præcisè prolatis, & exercitè ſeu æquivalenter dicit hunc eſſe totum conceptum mentis, quem ad audientem dirigit, ergo cùm neque ex ſe, neque ex circumſtantiis habeat vim ſignificandi totam propoſitionem internam, aut partem illam in mente ſubintellectam, per quam propoſitio interna ad audientem directa ſit vera, locutio totaliter ſumpta eſt contra mentem, ergo mendacium, &, ſi juretur, eſt perjurium.

286 §.4. Reſtrictio, ſi non ſit purè mentalis, excuſat à mendacio, & perjurio: patet, quia verba, ut conjuncta talibus ſignis vel circumſtantiis humano modo cognoſcibilibus, ſunt ſignificativa integræ propoſitionis mentalis, etiam illius partis, per quam verificatur oratio, oratio autem vera licitè juratur, ſi cætera adſint, ergo.

287 §.5. Reſtrictio non purè mentalis eſt licita, ſaltem ex graviſſimis cauſis, v.g. ſi aliter non poſſit vitari mors aut aliud malum morti æquivalens, uti mutilatio, perpetuus carcer; item ad ſalvandum ſecretum Principis, ſigillum Confeſſionis &c. Ratio eſt, quia cùm talis reſtrictio per ſe mala non ſit, quamvis per accidens & ſine cauſa uſurpata poſſit ſervire malis fraudibus & obeſſe commercio humano, uti rectè probat Palav. *de Fide cap.*2. tamen ubi tales graviſſimæ cauſæ eam honeſtant, reprehenſibilis non eſt.

288 §.6. Non eſt reſtrictio purè mentalis, ſi quis reſpondeat ad mentem interrogantis, quamvis verba, quæ reſpondet, de ſe forent falſa, ſi non dicerentur in illis circumſtantiis, v.g. ſi me interroges an occiderim Cajum, reſpondeo, non occidi, & licèt occiderim, non mentior nec pecco, quia in circumſtantiis illis, in quibus crimen eſt planè occultum, quod ſi fatear, periclitatur vita mea, non debeo præſumere, niſi aliunde mihi conſtet, quòd me interroges, an crimen commiſerim abſolutè, quia non habes Jus ad me ita abſolutè interrogandum, neque in illis circumſtantiis teneor id, quod nequidem ſemiplenè eſt probatum, revelare tibi, cum certa jactura vitæ, quamvis tu etiam eſſes Judex meus, ad hoc enim me obligare eſſet nimis durum & ſuperans humanam imbecillitatem, uti plurimi docent cum Carden. *in 2.criſi d.*19. *n.*81. & dicetur *lib.*4.*num.*1521. itaque prudenter præſumo, quòd interroges me, an occiderim Cajum, ita ut conſtet, ut probari poſſit, ut tibi fateri debeam: & conformiter ad mentem, quam tu interrogans habes vel habere debes, veriſſimè dico, non occidi, quia ſic non occidi, ut conſtet, ut probari poſſit, ut tibi in illis circumſtantiis fateri debeam; atque ad hoc ſignificandum determinatur mea oratio, partim per illa verba, partim per illas circumſtantias, in quibus me interrogas, & quas tu ſcis vel ſcire debes, ita Suar. Lug. Carden. *n.*48. Steph. Vind. Gob. *ſupra*. Quòd ſi tamen putarem te aliter & abſolutè interrogare, non poſſem ſic reſpondere, alioqui mentirer, ſed deberem te aliter eludere: ſimiliter; inquit Creſp. *in QQ. Mor. Q.*11. *num.*10. *& Carden.* ſupra, ſi feciſti ante annum homicidium & confeſſus ſis, hodie autem confitearis, uti ſoles, & te interroget Confeſſarius, an fortè aliquem occideris, dicis, *non*, neque mentiris aut peccas, quia interrogatio Confeſſarii æquivalet huic, occidiſtine, quod non ſis confeſſus, ſed nunc confiteri debeas? non enim habet Jus ad aliud interrogandum, & ad hanc ipſius mentem benè reſpondes te non occidiſſe: unde univerſaliter ponunt hanc regulam Sanch. & Carden. *n.*36. quamvis verba ex ſe ambigua non ſint, ſed deberent aliquid determinatè ſignificare: ſi tamen attentis circumſtantiis loci, temporis, & perſonæ, vel interrogantis vel reſpondentis, aut quovis alio ſigno, humano modo perceptibili limitentur ad aliud ſignificatum, non eſt reſtrictio purè mentalis, neque illicitum ſic uſurpare, ſi adſit gravis cauſa; & ita excuſat *Carden.* illum, qui interrogatur, an latro hac tranſierit, ſtatim manum in manicam inſerit, aut ſtans in loco, figit ſignanter pedem ſuper uno lapide, & dicit, non tranſiit hàc, intelligendo, per manicam vel per illum lapidem, ad quod ſignificandum dat ſufficiens ſignum, quando ſtatim ad interrogationem alterius advertenter ponit manum in manicam, vel pedem ita figit ſuper lapidem; quòd autem alter ſigna illa non advertat, uti advertere poterat, ſibi imputet.

289 §.7. Quando non ſunt valde graves cauſæ ita reſtringendi, ſi fiat reſtrictio, præſertim ex parte ſolius reſpondentis, communiter erit purè mentalis adeoque illicita, v.g. pater interrogat filium, fuiſtine in popina? non licet filio dicere, non fui, ſubintelligendo, ita ut tibi conſtet, ut fateri debeam &c. Ratio eſt, quia ubi non ſunt graviores cauſæ reſtringendi, interrogatio cenſetur fieri abſolutè ſecundùm verba tantùm; & ſic habet commune judicium omnium hominum, nam interrogans habet Jus ſic interrogandi; neque eſt ſupra humanam infirmitatem tum reſpondere ſecundùm verba præcisè; ergo hæ circumſtantiæ non ſunt tales, ut poſſint cenſeri ſimul cum verbis conſtituere orationem manifeſtativam alicujus, quod in mente reſervatur, ergo eſt reſtrictio purè mentalis & illicita.

§.8. Sanch. & Carden. *n.*32. putant, quando eſt aliqua juſta cauſa, ſemper licitum eſſe uti verbis æquivocis in uno ſenſu, quamvis audiens putet me loqui in alio, v.g. *Si occiderim hominem Gallum, me poſſe dicere, quod non occiderim gallum*, intelligendo, *gallinaceum*: item *quamvis Titius jam ſit domi, me poſſe dicere, Titius jam non eſt domi*, per Tò, *non eſt*, intelligendo, *non comedit*; item ſi aliquid non ſciam evidenter, me poſſe dicere, non ſcio, quamvis omnino probabiliſſimè ſciam, quia nempè non habeo ſcientiam de hoc, id eſt, concluſionem certam & evidentem deductam ex præmiſſis certis & evidentibus: ſed doctrinam illam ſic puto eſſe intelligendam, quòd licitum ſit uti vocibus æquivocis, quando adeſt cauſa rationabilis, dummodò per aliquod externum ſignum vel circumſtantias humano modo cognoſcibiles colligi poſſit aliqua determinatio talium vocum ad ſignificandum illum conceptum, qui eſt in mente; ratio autem eſt, quia per ſe non eſt malum nec mendacium, cùm voces de ſe ſint aptæ plenè ſignificare utrumque conceptum, ad ſignificandum autem hunc præ illo determinantur per alia externa ſigna vel circumſtantias. Deinde non eſt Lex, quæ id fieri prohibeat, aut quæ præcipiat ſigna vel circumſtantias omnino clarè explicare, quando eſt rationabilis cauſa diſſimulandi, tum enim ſatis eſt, quòd illa omnia ponantur, per quæ hìc determinatè conceptus mentis adæquatè manifeſtetur & humano modo intelligi poſſit, quæſi tu non capias vel non advertas, hoc tribue tuæ ignorantiæ vel tarditati: Si abſint tales circumſtantiæ, ſed adſint oppoſitæ, hæ determinabunt ad oppoſitum ſenſum, adeoque ſi aliter intelligam, ero mendax. *Sit exemplum*, tu interrogas me, an ſim *maleſanus*, & intelligis, an malè valeam; ego habens cauſam rationabilem non fatendi me malè valere, indignanti ſimilis reſpondeo, non ſum *maleſanus*, & intelligo non ſum ſtultus; neque per hoc mentior, neque purè mentaliter reſtringo, quia vox, *maleſanus*, utrumque ſignificat, & per indignationem determinatur ad ſignificandum potiùs ſecundùm mentem meam, quàm ſecundùm tuam, ſi enim vellem ad mentem tuam reſpondere, nulla foret cauſa indignandi, uti ſuppono, ſed ſimpliciter affirmarem vel negarem: quòd ſi non darem ſignum indignationis, mentirer, quia verba ſine illa circumſtantia hìc & nunc determinatè haberent alterum ſenſum. *Nec refert*, quòd talis oratio etiam poſſit ſervire fraudibus, *nam* hoc orationi per accidens eſt, quæ de ſe habet talem ſignificationem, ut humano modo ex ſignis, quæ pono, percipere poſſis ſenſum meum, & fraudem cavere. 290

§.9. Quando adjuncta ſigna vel circumſtantiæ interrogationis faciunt orationem aliam, quàm verba ſonent, mentitur, qui reſpondet falsò ſecundùm ſenſum talis interrogationis, ſi nullo ſigno externo oſtenditur, quod ad mentem interrogationis non detur reſponſio, ut probat Palav. *De Fide c.*2. v.g. Cajus Studioſus heri non fuit in Sacro ſtudioſorum, hodie Profeſſor Caji examinans abſentias heſternas petit à Cajo, an fuerit heri in Sacro, Cajus reſpondet, fui, & in mente intelligit, in ſummo Templo; dico Cajum mentiri, quia ſi Profeſſor expreſsè petiviſſet, an fuiſſet heri in Sacro ſtudioſorum, mentitus fuiſſet dicendo, fui; atqui circumſtantiæ illæ examinantis abſentias heſternas ab hoc Sacro ſtudioſorum ſimul loquebantur cum Profeſſore, & conſtituebant orationem illam petentis, an fuiſſet heri in Sacro ſtudioſorum, ergo ſi reſpondeat falsò ad propoſitionem in illis circumſtantiis factam, nullo alio ſigno dato, mentitur, & ſi hoc juret, pejerat. 291

§.10. Si nulla adſit rationabilis cauſa reſtringendi, videtur ſaltem veniale ſic reſtringere, quia eſt ad minimum otioſa locutio & deceptio, fidelitati inter homines debitæ ac ſinceritati aliquo modo oppoſita. 292

§.11. Cùm propoſitio 27. damnata dicat, *cauſa ſufficiens utendi his amphibologiis* &c. hoc ipſo quòd dicat, *his amphibologiis*, ſufficienter ſignificat, quòd per amphibologias prohibitas intelligantur reſtrictiones illæ purè mentales, de quibus habebat propoſitio 26. immediatè ante damnata: additque hæc damnatio non eſſe licitum illis uti ob quamcumque neceſſitatem vel utilitatem. 293

§.12. Ubi reſtrictio vel æquivocatio eſt licita, non eſt perjurium jurare talia eſſe vera, quæ dicuntur cum reſtrictione vel æquivocatione, quia per tale Juramentum confirmatur veritas, quam habet oratio, quæ tum licitè uſurpatur; quomodo autem loqui poſſit Confeſſarius, ſi interrogetur de peccato audito, dicetur pluribus *lib.*6. quando de ſigillo Confeſſionis. 294

§.13. Secundùm ante dicta debent nunc poſt damnationem propoſitionum relatarum limitari multa, quæ paſſim inveniuntur apud graves Authores, quos referunt Vvilh. Sandæus *ad prop.26.damnatam*, Dicaſt. ſuprà Moya *T.*2.*d.*1. *q.*6. qui uti & Carden *cap.*6. cautè eſt legendus, quia quædam ponunt, quæ meritò limitari debent. Vide etiam Vind. Gob. *p.*2. *prop.*21. ubi ex Scriptura & SS.PP. confirmat, quæ diximus. Item vide Vind. Tabernæ *ad propoſ.*11. *pag.*58. *& ſeqq.* in Collectaneis, ubi plurimas citationes Authorum refert pro licito 295

uſu

uſu reſtrictionum mentalium in certis circumſtantiis, uti & æquivocationum, etiam in Juramento.

296 *Q.77. An ſimulatio vel diſſimulatio ſit licita?* R. Certum eſt ſimulationem non eſſe licitam in adminiſtratione Sacramentorum, uti dicetur de Sacramentis: circa ſimulationes vel diſſimulationes in aliis materiis,

297 §.1. *Notandum eſt*: quòd ſimulatio propriè dicta ſeu formalis, non ſit licita, quia eſt reale mendacium, quod non committitur quidem verbo, fit tamen facto, perinde enim eſt ſive quis verbo ſive facto ſignificet aliud, quàm quod in mente habet, cùm factum æquè poſſit eſſe ſignum mentis internæ, quàm verbum, uti habet S.Thomas 2.2. *q.*111. *art.*1. *in O*, tum autem dicitur eſſe ſimulatio propriè dicta & formalis, quando quis per facta externa intendit aliud ſignificare, quàm in animo ſentiat, uti v. g. ſi quis poculo ori admoto ſimulet ſe multum bibere, cùm tamen parum aut nihil bibat, intendens ut alii putent eum multum bibere: item ſi exercitus aliquis fugiat, intendens ut hoſtis putet eum eſſe timidum, cùm tamen timidus non ſit; item ſi quis fingat ſe ire velle longiùs, intendens ut alii hoc putent, quamvis ipſe cogitet ibi manere.

298 §.2. Simulatio impropriè dicta ſeu materialis non eſt mendacium, ſed (per ſe loquendo) eſt licita; tum autem eſt talis, quando quis exteriùs facit aliquid, prævidens quidem ab alio habendum pro ſigno alicujus rei, quam tamen ipſe non intendit per hoc ſignificare, ſed ponit ex alio fine; ſive quando quis dat ſigna externa de ſe indifferentia ad ſignificanda plura, quia procedere poſſunt à diverſis cauſis, per quæ ſigna præter intentionem aliqui decipi ſolent putantes procedere ab una cauſa, cùm tamen procedant ab alia: & ſic poteſt aliquis poculo ori admoto parum aut nihil bibere, non intendens ut alii hoc judicent, ſed volens declinare hauſtum, licèt prævideat alios putaturos eum bibere; atque ita *Joſue* 8. legitur, quòd fugerit, non quia per fugam illam volebat ſignificare metum, ſed prævidens hoſtes fugam illam eſſe interpretaturos velut metum, voluit abire more fugientium, intendens ut cives urbis Hai per hoc longiùs abducerentur ab urbe, & reliqui milites *Joſue* ex inſidiis erumpentes irruerent in urbem, quod & factum eſt, receſſus enim ille per modum fugæ factus poterat quidem provenire à timore, ſed hic & nunc proveniebat à deſiderio eliciendi hoſtes longiùs, & habendi meliorem occaſionem victoriæ: Similiter *Chriſtus* Lucæ 24.apud Emmaus *finxit ſe longiùs ire*, non intendens ut Diſcipuli hoc putarent, ſed hoc prævidens, reipſa autem volens ſignificare, aut ſe, quando ab eis aſcenſurus eſſet in cœlum, velle retineri per hoſpitalitatem, ut ait S.Auguſtinus, vel ſe longè abeſſe ab eorum Fide, uti habet S.Gregorius, vel ſe omnino iturum fuiſſe longiùs, niſi invitaretur.

299 §.3. Simulatio materialis, ſi reſpiciat objectum vel circumſtantiam vitioſam, eſt illicita, uti ſi quis coram aliis ſtans ante idolum projiciat thus in thuribulum; quamvis enim ipſe fortè intenderet ſe odore illo recreare, & id facere potuiſſet, ſi fuiſſet ſolus, tamen in illis circumſtantiis non tantùm committeret ſcandalum, ſed re ipſa honoraret illud idolum; è contra ſimulatio materialis quandoque reſpicit objectum & circumſtantias omnino indifferentes, uti fuit illa *Joſue & Chriſti Domini*, & tum dicimus non eſſe illicitam, dummodo tamen non deſerviat ad injuſtam fraudem.

300 §.4. Diſſimulatio, per ſe loquendo eſt licita; tum autem eſt diſſimulatio, uti innuit S.Th. ſuprà ad 4. ſi quis nec verbo nec facto det ſignum illius, quod habet in mente, ſed ab illo quaſi præſcindat, ut ſi quis interrogatus an habeat pecuniam, faciat ac ſi non audiſſet, & de alia re quaſi inadvertenter loqui incipiat, ſicque diſtrahat interrogantem; talis homo diſſimulat loqui de pecunia. *Dixi*, per ſe loquendo licitam eſſe, nam poſſet eſſe illicita, ſi quis diſſimularet cum ſcandalo vel cum injuſto damno proximi, vel quando loqui aut apertè agere deberet.

301 *Q.78. Quomodo excuſentur mercatores, qui dicunt vel etiam jurant ſe non poſſe tali pretio merces vendere: item merces ſibi pluris conſtare, cum tamen neutrum in rigore ſit verum?* R. Primi per hoc excuſantur, quòd intelligant & ſatis ſciantur ſignificare velle, ſe non poſſe cum honeſto & mediocri lucro ita vendere. Secundi per hoc excuſantur, quia quando dicunt ſibi pluris conſtare, ſcimus, quòd non intelligant nudè pretium rei emptæ, ſed etiam computent, partim expenſas, v. g. vecturæ aliaſque, partim proportionalem partem ſumptuum, quos toto anno faciunt in ſuam communem negotiationem, hæc enim juſtè poſſunt venire nomine pretii, quo res ipſis conſtat, ita Gob.*T*.11.*n.*672. Quòd ſi locutiones eorum non eſſent in hoc ſenſu veræ, mentirentur; & ſi jurarent, pejerarent.

302 *Q.79. An complementa ſint mendacia*, v.g. ſi quis dicat, *ſum indignus, infimus ſervus* &c. R. Licèt complementa ab aliquibus vocentur completa mendacia, tamen mendacia non ſunt, quia omnes ſciunt, quòd per ejuſmodi formulas loquendi non intendamus ſtrictum ſenſum, quem verba præſeferunt, ſed tantùm velimus honorem exhibere, vel affectum oſtendere illi, ad quem diriguntur, unde ſi animus honorandi vel affectus aliquis adſit, erunt ſigna concordantia cum mente: itaque audiendus non eſt ille Caſiſta, qui ante aliquot annos in publicis Theſibus Leodii dixit eum committere idololatriam, qui litteris ſuis ſubſcribit, *Sum ſervus ex toto corde*, eò quòd ſoli Deo debeatur cor totum, nam illa verba inter homines ſignificant ſolam debitam propenſionem animi: quòd ſi quis diceret verba complementorum, & non intenderet honorem exhibere vel affectum ſeu propenſionem oſtendere, probabilius eſt fore mendacium; excuſari tamen poſſe putat Gob. *nu.*670. quia ſcimus ſic loquentes nolle ſibi credi, uti nec volunt ſibi credi Poetæ narrantes fabulas: deinde etiam nemo putat hæc aſſertivè & ex animo dici, ſed tantùm veluti modos loquendi ad urbaniter converſandum, vel ad paſcendas alterius aures, ideoque videntur à mendacio excuſari poſſe.

DUBIUM V.

Quæ & quanta ſit obligatio Juramenti promiſſorii?

RESP. In Juramento promiſſorio duæ affirmantur veritates; una de præſenti primaria, quòd ſcilicet jurans habeat animum implendi, quod promittit: altera ſecundaria de futuro, quòd ſcilicet impleturus ſit ſuo tempore, quod promittit; ſive promittat Deo, & eſt votum cum juramento, ſive homini, & eſt jurata promiſſio humana: unde oritur obligatio implendi, ſi rationabiliter poſſit. Ita communiter DD.V.Laym.*l.*4.*t.*3.*c.*6.Bon.*T*.2.*d.*4.*q.*1.*p.*7. *Und reſolves*, 303

I. Defectu primæ veritatis jurans verè pejerat mortaliter, ſi vel non habet animum implendi, ſive materia ſit parva ſive magna; licita ſive illicita, vel ſi dubitat, an facturus ſit necne, quod jurat: vel ſi putet ſibi moraliter impoſſibile, ut impleat quod promittit: quia quoad iſtam veritatem præſentem, promiſſorium ab aſſertorio non differt: unde nec parvitas materiæ excuſat. *Ibidem.*

II. Defectu ſecundæ veritatis verè pejerat is, qui, quod promiſit, poſteà non implet, ſi rationabiliter implere poteſt. Id ſolùm hìc dubitatur, an qui promiſit rem exiguam cum juramento, ut v.g.dare alteri unum pomum, vel nummum pro eleemoſyna, vel caſtigare prolem, vel inter vendendum nolle ſe minori pretio vendere, vel nolle primum locum occupare aut præcedere in ingreſſu portæ, &c. an, inquam, ſub gravi peccato teneatur hæc ſervare. Ubi ſpeculativè quidem videtur quòd ſic; quia verè adductus eſt Deus ut teſtis, quod ſit facturus, ergo ſi ſine cauſa non facit, quantum in ſe eſt, facit Deum teſtem falſum, Cajet. Valent. Tolet.*lib.*4.*cap.*2. *& alii*. Nihilominus alii probabiliter tenent contrarium, ut Sanch.V.Laym.*cap.*14.

III. Illud certum eſt, quòd ſi ex eo, quod juraſti, tantummodò parum aliquid non ſerves non eſſe grave; v. g. ſi juraſti te non bibiturum vinum, non peccas mortaliter parum bibendo, Sanch.*Moral.lib.*4. *cap.*32. *n.*21. quia tunc excuſat parvitas materiæ. Et ſic excuſantur, qui jurant ſervare Statuta alicujus Capituli, Collegii, Univerſitatis, &c. ſi poſtea parvum aliquod Statutum violent. Et idem dic de tabellionibus juratis, & aliis miniſtris Juſtitiæ; ut & de eo, qui ex ſumma, quam alteri, ſe daturum juraſſet, parum tantùm detraheret, Navarr.Suar.Sanch.v.Laym. Bon.*p.*14.

IV. Obligaris probabiliter Juramento promiſſorio, etſi extortum à te ſit per injuriam ac metum; ut ſi oblitus uti æquivocatione, juraſti prædonibus dare lytrum, uſurario Uſuram, Bec.2.2.*q.*89. *& alii*. Negant tamen Azor.*T*.1. *lib.*11.*c.*7.*q.*2. in Materia Matrimonii, quia Matrimonium coactum metu cadente in conſtantem virum, nullum eſt: hinc etiam Juramentum extortum de eo contrahendo, videtur relaxatum ipſo Jure, ait Cajet.*v. Perjurium*, Suar.*c.* 9.Sanch.Bon.*p.*9.

V. Obligaris item, etſi Juramentum ſit errore aut dolo extortum, ſi dolus vel error verſetur tantùm circa circumſtantias accidentales, non magni momenti; nam ſi verſetur circa ſubſtantiam, ut v. g. ſi annulum te daturum alteri jures, putans eſſe ferreum, cùm ſit aureus vel circa circumſtantias magni momenti, quibus cognitis non juraſſes, non obligaris, v.Sanch.*l.*3.*c.*11.*n.*42.Suar.& alios.

VI. Non inducit ullam obligationem, ſi jures rem malam, aut vanam, aut inutilem, aut, ut habet Cajet. indifferentem, quæ nec ex fine, nec circumſtantiis cohoneſtatur, quia Juramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis aut vanarum rerum ac otioſarum, ad quas Deus non vult nos obligari. Bon. *& alii communiter*. Ubi notat ex Laym.*c.*6. Juramentum non convaleſcere, etſi talis res illicita & vana, poſteà mutatis circumſtantiis fiat honeſta, cùm juxta regulam 18. Juris in *6. Non firmatur tractu temporis, quod initio non ſubſiſtit*.

„ VII. Nec obligaris implere, ſi quid juraſti contra con-
„ ſilia Evangelica; ut non ingredi Religionem, non dare
„ eleemoſynam, &c. Molin. Sanch. Laym. *l. c.* Et licèt peccaris
„ talia jurando, non tamen peccas non implendo, V. Cajet.
„ *v. Perjurium*.

„ VIII. Teneris implere, nec potes commutare in aliud opus
„ melius, ut v.g. Religionem, ſi aliquid juraſti in utilitatem
„ aut gratiam alicujus hominis aut aliquorum, dummodo ſit
„ honeſtum, & ſine peccato impleri poſſit; Unde v.g. Alum-
„ nus, qui juravit ſe ſerviturum Principi aut huic vel illi Ec-
„ cleſiæ, &c. non poteſt ingredi Religionem ſine relaxatione.
„ Excipe tamen, ſi juraſſes Titiæ, eam ducere: nam eo caſu
„ potes ea relicta ingredi Religionem, quia Juramentum ſor-
„ titur naturam actus, cui apponitur; promiſſioni autem Ma-
„ trimonii hæc tacita conditio ineſt, niſi ingrederer Religio-
„ nem. V. Laym. *c. 6.* Bon. *T. 1. de Matr. q. 1. p. 5.*

„ Reſp. II. Juramentum promiſſorium eandem habet con-
„ ditionem, eodemque modo explicandum eſt, quo promiſ-
„ ſio vel propoſitum, cui eſt annexum. Ratio, quia acceſſo-
„ rium ſequitur principale, ideoque quando non obligat pro-
„ miſſio, nec obligat Juramentum appoſitum. Leſſ. *l. 2. c. 42.*
„ *d. 4.* Bon. *p. 16.* Trull. *l. 2. c. 1. d. 17. n. 1. Unde reſolves,*

„ I. Titius, qui cum Juramento promiſit nuptias Bertæ
„ diviti, ſanæ, virgini, bonæ famæ &c. non tenetur ſtare Ju-
„ ramento poſtquam Berta incidit in paupertatem, infirmita-
„ tem, fornicationem, vel infamiam: quia promiſſio ipſa non
„ obligat eo caſu,

„ II. Qui urbanitatis cauſa juravit ſe ante alterum non ſeſ-
„ ſurum, bibiturum, vel ingreſſurum domum, &c. non pec-
„ cat contra Juramentum, ſi coactus ab altero prius ſedeat,
„ bibat, vel ingrediatur; tum quia promiſſio illa vel propoſi-
„ tum habet tacitam conditionem adjunctam (niſi me coege-
„ ris) qua ſublata non obligat & conſequenter nec Juramen-
„ tum: tum quia relaxatur ab altero cedente juri ſuo, Bon. *l.*
„ *c.* Sanch. Leſſ. *n. 22.* Trull. *n. 5.*

„ III. Qui juravit ſe ſervaturum Decreta & Regulas, vel
„ Statuta alicujus Congregationis, Univerſitatis vel Capituli,
„ tantùm tenetur ſervare ea, quæ ſunt in vigore, & quatenus
„ ſunt in uſu, vel ſervantur à majore parte Capituli: niſi ta-
„ men aliud conſtet de mente jurantis, vel hic voluerit ſe ad
„ illa independenter à Statutis obligare. Ratio patet, quia
„ promiſſio ipſa non aliter obligat. Trull. *num.* 8. Az. Leſſ. *l. c.*
„ Dian. *p. 2. tr. 6. R. 39.*

„ IV. Qui juravit ſe ſervaturum ſecretum, non peccat con-
„ tra Juramentum, illud detegendo, quando non poteſt il-
„ lud celare abſque gravi ſuo, vel alterius damno, quia ipſa
„ promiſſio fuereti, non videtur obligare, niſi hac conditio-
„ ne, ſi (non noceat.) Sylv. Bon. Sanch. Trull. *n. 9.*

„ V. Qui juravit Judici ſe dicturum, quæ novit, non te-
„ netur revelare occulta. Ratio patet. Leſſ. Bon. Trull. *n. 13.*

„ VI. Qui juravit ſe ſoluturum debitum intrà menſem,
„ non tenetur intrà illum vi Juramenti ſolvere, ſi à creditore
„ terminus ſolutionis prorogetur, quia cùm hic cedat Juri
„ ſuo, ceſſat obligatio promiſſionis, & conſequenter Jura-
„ menti, Azor. Bon. Trull. *n. 18.*

ADDENDA.

304 Q*Uæſt. 80. An in juramento falſo detur parvitas materiæ?* R. §. 1. In aſſertorio non datur, uti cum S. Th. & aliis habet Buſemb. relatus *n. 263. & 303.* quia ſic jurans vult, ut DEUS teſtetur falſum, adeoque ut fallat aut fallatur, quæ eſt gravis irreverentia, hinc *Innoc. XI.* damnavit hanc 24. prop. *Vocare DEUM in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem.*

305 §. 2. De Juramento promiſſorio eſt aliqua difficultas, nam licèt res jurata ſit levis, tamen ſi poſteà non impleatur, plures apud Buſemb. & cum Leſſ. *de Juſt. lib. 2. cap. 42. d. 5.* dicunt ſemper eſſe mortale, quia quantum in ſe eſt, facit Deum fuiſſe teſtem falſi, voluit enim, ut Deus teſtaretur aliquid futurum, quod tamen ipſe impedit, ne fit futurum, ergo facit Deum fuiſſe teſtatum aliquid falſum, in quo videtur eſſe gravis irreverentia, non minus, quàm ſi faceret DEUM teſtari falſum præſens, & hæc ſententia eſt probabilis, quam Cajet. & Covarr. limitant, & dicunt, ſi jurans nihil ponat de re promiſſa, tum fore mortale, ſi autem aliquid de ea ponat, fore veniale tantùm, v.g. ſi jurarit ſe oraturum Pater & Ave, ſi neutrum oret, dicunt fore mortale, quia deficit tota veritas propoſitionis, ſi autem alterutrum oret, dicunt fore tantùm veniale, quia ex illa parte non deficit veritas Juramenti: ſed hæc poſterior limitatio parum probabilitatis habet, nam qui promiſit orare & Pater & Ave, ſi alterutrum omittat, tota propoſitio copulativa eſt falſa, uti ſuppono ex Logica, ergo ſi in uno caſu deficit veritas, & ideo eſt mortale, etiam erit in altero: hinc Authores alii longè plures cum Caſtrop. *T. 14. d. 1. p. 6. n. 8.* Illſ. *T. 5. n. 52.* Carden. *in 2. criſt. d. 17. nu. 19.* multò probabiliùs, dicunt, ſi materia Juramenti ſive materia promiſſionis ſit gravis, & deſit juſta excuſatio, fore mortale non implere, e contra ſi ſit levis, fore tantùm veniale; ratio eſt, quia qui non implet, non mentitur, ut expreſſe S. Th. 2. 2. *q.* 110. *ar. 3. ad* 5. cùm nihil loquatur contra id, quod gerit *in* mente, ergo tantùm peccat contra fidelitatem, peccatum autem contra fidelitatem in re levi, eſt leve tantùm, uti cum communi rectè docet Lugo *de Juſt. d. 23. n. 92.* Unde ad fundamentum *Leſſii* dicendum eſt, quod talis homo non faciat Deum teſtem mendacii aut falſi formalis, ſed materialis tantum, in quo præcisè non eſt irreverentia, nam qui jurat aliquid reipſa falſum, quod tamen putat verum, etiam facit Deum eſſe teſtem falſi materialis, & tamen non peccat. *Confirm.* Nam jurans volebat ſe obligare & promiſſum implere, quamvis autem non impleat, non ideo Deus eſt vocatus in teſtem falſitatis cognitæ, ſed ignoratæ, ergo non eſt vocatus in teſtem falſitatis formalis, ſed materialis tantùm. Opponit Dicaſt. *de Juram. d. 2. n. 162.* Deum invocari velut teſtem & fidejuſſorem veritatis futuræ, hic autem fieri teſtem & fidejuſſorem falſitatis conſequentis, quod videtur ſemper grave. R. Tantùm vocari in teſtem voluntatis præſentis adimplendi promiſſum, & in fidejuſſorem obligationis, quæ ſemper eſt, ſed ratione materiæ poteſt eſſe gravis vel levis. Vide dicta *n. 262.*

306 *Q. 81. Utra obligatio ſit major voti, an juramenti?* R. Multi Canoniſtæ apud Suarez *hic lib. 2. c. 3. n. 1.* cenſent obligationem utriuſque eſſe parem, ſed 1. Probabilius eſt majorem eſſe obligationem voti quàm Juramenti promiſſorii, quod homini fit, ita S. Thom. 2. 2. *qu. 89. art. 8.* quem plerique ſequuntur cum Suar. *num. 7.* partim contra iſtos Canoniſtas, partim contra *Med.* & alios. Ratio eſt, quia per votum fides directè datur Deo, non autem per Juramentum promiſſorium homini factum, obligatio enim directè non fit Deo, ſed DEUS tantùm adducitur ut teſtis promiſſionis de aliquo futuro, ergo votum magis directè reſpicit Deum, ergo violatio voti erit magis contra DEUM, adeoque major illius injuria. Dixi, *quod homini fit*, propter dicenda *num. 228. 355. 555.* 2. Juramentum aſſertorium videtur magis obligare quàm votum, ita Suar. *n. 5.* ratio eſt, quia obligatio Juramenti aſſertorii eſt ex præcepto negativo obligante, ad non attribuendum Deo falſum, quod ſi fieret, foret graviſſima Deo injuria; obligatio autem voti eſt ex præcepto affirmativo me obligante ad reddendum hoc, quod Deo promiſi, quod ſi non faciam, cenſebor eſſe irreverens Deo, ſed non inferam tantam injuriam, quantam inferrem, ſi facerem eſſe teſtem falſi; & idem tenent Leſſ. *ſuprà n. 53.* Sanch. *hic l. 3. cap. 9. n. 4.* Dicaſt. *de Juram. d. 3. n. 20.*

307 *Q. 82. Quomodo Juramenta ſint interpretanda?* R. Fermè eodem modo, quo vota, de quibus vide dicenda *à n. 381.* unde 1. Qui dubitat, an juraverit, non obligatur, quia libertas eſt in poſſeſſione contra Juramentum, ita plurimis citatis Dicaſt. *num. 393.* idem eſt, ſi certus ſis te aſſeruiſſe aliquid facturum per verba ambigua & dubia, ſintne juratoria, necne; ſi etiam dubites de intentione tua, uti cum Cajet. Covarr. & aliis tenent Suar. *lib. 2. cap. 33. num. 3.* Lugo *de Juſt. d. 23. n. 110.* quia libertas adhuc manet in poſſeſſione, ſicque etiam in mitiorem partem reſolvit ejuſmodi dubium Pontifex *Cap. Clericus, 35. De jurejurando.*

308 2. Qui certus eſt ſe verba juratoria dixiſſe, ſed negativè dubitat de intentione ſe obligandi; aut etiam dubitat, an ſciverit vel cogitaverit de obligatione inde conſurgente, videtur obligari, ſi ſcivit, quid ſit jurare, quia poſſeſſio eſt pro juramento, quod talem obligationem trahit, ita Suar. *num. 4.* Sanch. aliique cum Lugo ſuprà, Dian. *par. 9. tr. 8. R. 17.*

309 3. Qui ſcit ſe juraſſe, & dubitat, an impleverit, adhuc obligatur, uti rectè cum communi Suar. *num. 7.* quia Juramentum eſt in poſſeſſione, & obligationi certæ non fit ſatis per ſolutionem dubiam.

310 4. Quando dubium eſt, an materia juramenti ſit licita necne, interpretatio ita eſt facienda, ut ſi in aliquo ſenſu poſſit juramentum eſſe de re licita, in illo factum eſſe credatur, etiamſi de intentione jurantis non certò conſtet: hoc enim poſtulat reverentia debita juramento, ne ſit vanum aut dicatur factum de re illicita, quod præſumi non debet: ſi autem juramentum nullo ſenſu poſſit eſſe de materia licita, non obligat, uti rectè Suar. *num. 8.* quia non debet impleri cum periculo peccandi.

311 5. Quando materia juramenti videtur eſſe illicita, & dubium ſolvi non poteſt poſt adhibitam diligentiam, opus eſt diſpenſatione ſaltem Epiſcopi, uti cum S. Thoma & aliis docent Suar. *num. 9.* & Dicaſt. *n. 398.* qui tamen *num. 401.* addit, non eſſe improbabile, quod tale juramentum poſſit non impleri, etiam non petita diſpenſatione: hinc Sotus putat S. Thomam dixiſſe hoc tantùm pro conſilio, notatque Dicaſt. *num. 399.* ſecundùm illa ſua principia, etiam in aliis dubiis, quæ ſe tenent ex parte jurantis, non eſſe opus diſpenſatione.

312 6. Juramentum eſt interpretandum ſecundùm conſuetudinem vel ſenſum communem Doctorum, hinc inquit Dicaſt. *num. 358.* citans plures alios, qui promovetur ad Licentiam, & jurat non accipere Gradum

dum Doctoratus in alia Academia, hoc intelligit virtute illius Licentiæ, illi autem integrum eſt in alia Academia iterum gradum Licentiæ & Doctoratus ſimul accipere, cui ſententiæ etiam
312 favet Sanch.*l.4.c.6.n.5.& 6.7.* Juramentum ita interpretandum eſt, ut non ſit cum alterius incommodo & detrimento, unde qui juravit ſe ſervaturum ſecretum, non tenetur ſervare, ſi id eſſet graviter noxium aliis vel ipſi, ſi quando juravit, non præſcivit nec cogitavit fore noxium, ita Sanch.*l.3. c.17. n.25.*
313 Dicaſt.*n.362.*citans plures, & habet Buſemb. *ſupra.* 8. Juramentum de ſervandis, v.g. Statutis, non extenditur ad Statuta facienda, ſed tantùm ad antiqua, Suar.Sanch.& alii cum Dicaſt.*num.365.*& clarè habetur *Cap.Clericus, 35. De jurejur.*
314 9. Promiſſio etiam jurata, quam obſervari vel non obſervari non magnopere intereſt ejus, cui facta eſt, nunquam ita durè eſt interpretanda, ut etiam cum graviſſimis incommodis obliget, neque præſumendum, quòd mens promittentis vel acceptantis promiſſionem fuerit, ut in omni eventu ſubſiſteret obligatio. Promiſſiones enim habent multas tacitas conditiones ex Jure vel hominum conſuetudine vel prudentum interpretatione, ita Leſſ.*in Auct.V.Juramentum caſu* 4.
315 *Q.83. An verum ſit, quòd juramentum ſequatur naturam actus, cui adjicitur?* R.Univerſaliter non eſt verum, ita Dicaſt.*d.3.num.*411.& patet 1. Quia Juramentum ſæpè eſt validum, licèt cadat ſuper actum invalidum, v.g. ſuper promiſſionem injuſtè extortam à latrone, uti pluribus explicabitur in *p.2.n.727.& in q.ſeq.*inſinuabitur. 2. Actus de ſe poteſt eſſe revocabilis, uti propoſitum faciendi aliquid, & tamen Juramentum cadens ſuper illud propoſitum eſt irrevocabile &c. Dicendum itaque cum Leſſ.*De Juſt.lib.*2.*c.*42. *num.*32. & Suar.*lib.*2. *cap.*32.*num.*5.quòd Juramentum ſequatur naturam actus, qui juratur, non quoad obligationem, nec quoad eſſe firmum vel irritum, ſed quoad ſenſum verborum, quoad rationem liciti vel illiciti; item quoad alias conditiones tacitas ſeu limitationes, quas contractus ex Jure vel conſuetudine contrahentium includit. Videri poteſt Illſ.*T.4.d.3.n.233.& T.5.n.64.* Quomodo autem explicandum ſit illud, *acceſſorium ſequitur principale*, dicetur *p.2.n.727.*
316 *Q.84. An juramentum illicitum poſſit obligare?* R. §.1. Juramentum homini factum, licèt in ſe ſit illicitum, vel fuerit prohibitum, aut etiam Jure naturali invalidum, poteſt obligare ex virtute Religionis, ſi ſit de re licita, ita Mol. *De Juſt.T.* 2.*d.*510.*& T.6.d.*35.*& T.*1.*d.*149.*&* 153. Suar.*cap.*24. *anu.*2. Sanch.*l.3.c.9.an.*22.Ratio eſt, quia interponitur teſtimonium divinum pro futuritione rei, quæ licitè fieri poteſt; ergo poſtulat reverentia, ut impleatur.
317 §.2. Juramentum de re licita homini factum ob malum finem, tum tantùm obligat, quando peractum eſt crimen, & nulla ſupereſt malitia in præſtanda materia promiſſa; non autem obligat, ſi ſic obtinendus eſſet finis malus, Sanch.*n.*28.Tamb.*l.3.c.* 3.§.5.*n.*18. hinc ſi juraſti meretrici dare pretium pro illicita copula, teneris reſcindere Juramentum ante patratum crimen, ſi tamen crimen patraſti, teneris ſolvere pretium, quia hæc ſolutio in ſe mala non eſt: aliud eſt de ſolutione pretii ſimoniacè promiſſi, hæc enim manet in ſe mala & prohibita.
318 §.3. Si juraſti principaliter ob finem bonum, ſed ſimul impellente fine malo, v.g. juraſti dare eleemoſynam ex charitate, ſed impellente ſimul vanagloria, omiſſo impulſivo malo teneris dare eleemoſynam, quia Juramentum eſt de re licita, & poteſt impleri ſine peccato, ita cum aliis Buſemb. referendus *num.*399.
319 §.4. Si juraſti donare aliquid per donationem prodigam, probabile eſt cum Sot. Suar. & aliis te teneri tantùm ad illam partem, quæ non eſt prodiga: etiam probabile eſt cum Molin. & Sanch.*num.*27.teneri ad totum, quia licèt ex modo promittendi ſit culpa, tamen non eſt ratione rei promiſſæ, & licèt fuerit prodigalitas in prima promiſſione, non ita eſt in executione rei promiſſæ, quam cohoneſtant promiſſio ipſa & Juramentum: Tamb. *n.*20. putat etiam probabile eſſe, quòd ad nihil tenearis, quia indiviſibiliter cenſeris totum promiſiſſe, ad totum autem non teneris, quia exequereris prodigalitatem inhoneſtam. Hæc ſententia videtur minùs probabilis, prima autem probabilior. Vide dicenda *p.2.n.795.*
320 §.5. Juramentum, quo amaſius & amaſia jurant ſe non permiſſuros factum ab alia perſona, ſecundum Sanch. *cap.*15. *num.*17. obligat, quia eſt de re licita, nam honeſtum eſt non tangi ab alio: ſecundùm Fag.Tamb §.3.*n.*3.Dian.*p.9.tr.*8. *R.*9. non obligat, quia tendit ad firmandam malam amicitiam: ſed dicendum eſt id pendere ab eorum intentione, nam ſi fiat ad firmandam malam amicitiam, poſterior ſententia eſt vera: ſi ad cavendum, ne cum aliis commiſceantur, prior eſt tenenda.
321 *Q.85. An qui fictè juravit, ſeu nolens ſe obligare, reipſa obligetur?* R.Buſembaum relatus *num.*275. in fine, Sanch. *c.* 10.*n.*8.Caſtrop.*T.*14.*d.*1.*p.*8.*n.*1. itemque alii apud Dicaſt.*d.*2. *n.*286.*& d.*3. *n.*322. negant, quia fictum juramentum non eſt juramentum: idem cum pluribus aliis tenet Dicaſt. *num.*339.

quia obligatio, quæ à voluntate pendet, eſt de eſſentia, vel ſaltem proprietas metaphyſica Juramenti, uti diximus *num.* 276.*&* 279 è contra S.Th.2.2.*q.*89.*art.*7.*ad* 4.Valent.Cajet.Sot. Covarr.Suar.*lib.*2.*cap.*7.*num.*11. aliique apud Dicaſt. *num.*314. *&* 338. affirmant, eò quòd putent obligationem ſequi ad externam aſſertionem verborum, neque contrahi per intentionem, ſed per deliberatam verborum atteſtationem: quod Vaſq. extendit etiam ad ſimplicem promiſſionem factam ſine animo ſe obligandi, quamvis hoc communius negetur; ſaltem (dicunt alii) obligationem Juramenti, quæ oritur ex virtute Religionis, non pendere à voluntate jurantis, uti pendet obligatio promiſſionis, & voti, ſed Jure naturali eſſe annexam ac inſeparabilem à Juramento externo, probatque S.Thomas verbis *Iſidori, Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hæc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit*: unde etiam hæc ſententia valdè probabilis eſt: manet autem certum, quod fictum juramentum obligare poſſit non tantùm ratione ſcandali, ſed etiam ex juſtitia, ratione damni, quod alter ex tali dolo pateretur, uti omnes docent cum Dicaſt.ſupra & Sylv.*in Ref.Caſ. p.*1. *v. Reſtitutio, Caſ.*1. attamen his ſententiis non obſtantibus docet abſolutè Illſung.*T.*5.*num.*56. fictè jurantem tum tantùm obligari, ſi juramentum ſit doloſum, id eſt, contra jus alterius, quia nempe ex juſtitia tenebatur ſeriò jurare; hinc dicit fictum juramentum nunquam cauſare obligationem ex virtute Religionis, ſed ſolius juſtitiæ, quæ ſententia etiam probabilis eſt.
322 *Q.86. An Juramentum obliget, ſi opponatur priori juramento?* R. §.1. Unum juramentum poteſt opponi alteri, vel in actu jurandi, vel in materia jurata: Tum opponitur in actu jurandi, ſi v.g.priùs juraſti te nunquam amplius juraturum, nam ſi poſteà iterum jures, te, v.g.daturum eleemoſynam, hoc Juramentum opponitur primo, non quoad materiam, prius enim Juramentum non fuit circa eleemoſynam, ſed tantùm quoad actum jurandi. Tum opponitur in materia jurata, ſi illam materiam, quam priùs juraſti facere, poſteà jures non facere, vel contra, uti quando juraſti dare eleemoſynam, ſi poſteà jures non dare: hoc notato,
323 §.2. Si poſterius Juramentum opponatur priori tantùm in actu jurandi, poſterius obligat, quia eſt de materia licita: Si autem opponatur in materia jurata, non obligat, quia materia illius eſt per prius Juramentum reddita illicita, ita Sanch.*c.* 9.*num.*26.Caſtrop.*d.*2.*p.*7.§.6.Tamb.§.5.*num.*7. hinc ſi juraſti Matrimonium Cajæ, & poſteà etiam jures Titiæ, hoc ſecundum eſt irritum, imò licèt non juraſſes, ſed tantùm promiſiſſès Cajæ, Sanch.*de Matr.lib.*1.*d.*50. *num.*2. adhuc dicit juramentum illi promiſſioni oppoſitum fore irritum, quia materia per obligationem promiſſionis erat reddita illicita, unde ſi Caja tibi poſteà remitteret primum juramentum vel promiſſionem, non obligareris Titiæ, quia quod initio invalidum eſt, tractu temporis non convaleſcit, uti habet communis regula juris: Si tamen tale Poſteriores contractus impleantur, ſunt validi, quamvis ſint illiciti, uti habet communis & vera ſententia cum Sanch.Tamb.*num.*9. & aliis, quia per juramentum non tollitur poteſtas faciendi actum, qui aliàs poterat validè fieri. Vide Dicaſt.*d.*3.*an.*199.
324 *Q.87. An Juramentum alteri factum obliget, ſi hoc, quod juraſti, obſtet fini perfectiori?* R.Affirmant Authores communiter, quia in promiſſione ſemper ſpectatur, quod gratius eſt illi, cui fit promiſſio, cùm autem homini ſæpe gratius ſit minus bonum, Juramentum de minori bono homini factum obligat, ſi tamen ſit acceptatum, ſecundùm dicenda num. 358.& iterum à num.532.Hæ tamen limitationes addi poſſent.
325 1. Si Matrimonium liberaliter juraſti, non teneris, ſi velis ingredi Religionem, uti omnes docent cum Caſtrop.*d.*2. *p.*6. *num.*10. ſi tamen ſacros Ordines tantùm velles ſuſcipere, non eſſès liber, uti notat Tamb.§.3.*num.*16. quia promiſſio tua ex diſpoſitione juris non habet aliam conditionem, quàm hanc, niſi Religionem elegero. 2. Si juraſti alia, quàm Matrimo-
326 nium, quæ obſtent ingreſſui in Religionem, v.g. ſi juraſti te famulaturum toto tempore vitæ, Tamb. *num.*14. putat te non obligari, quia ſi conditio illa, niſi elegero Religionem, involvatur in juramento Matrimonii ineundi, multò magis involvetur in cæteris promiſſionibus: ſed oppoſitum videtur verius, nam quòd illa conditio involvatur in promiſſione Matrimonii, non eſt ex jure naturæ, ſed poſitivo, quod de aliis promiſſionibus nihil ſimile diſpoſuit: & ratio potuit eſſe, quia Matrimonium adfert vinculum minùs diſſolubile, uti inſinuat Suar.*l.*2.*cap.*12. *num.*17. 3. Si matrimonium juraſti ex
327 juſtitia, v.g. quia defloraſti virginem, obligaris, nec poteris ingredi Religionem, Tamb. *num.*15. aliique communiter, quia jura id tantùm ſtatuunt de liberali promiſſione. 4. Si ju-
328 ratus liberaliter promiſiſti alteri famulatum vel aliud quid ſimile, putat Sanchez, teſte Tamb.*num.*16.te liberari, ſi velis Ordines ſacros ſuſcipere, quia tales promiſſiones non ſunt tanti momenti, ut Ordinibus ſuſcipiendis obſtare debeant;

ſed & hoc difficulter probari poteſt, cùm de hoc nulla adferatur Conſtitutio juris; de jure naturæ autem talis conditio non eſt imbibita, nec ſupponitur fuiſſe incluſa ex intentione jurantis, niſi hic aliter ſciat. Dixi in quæſtione, *Juramentum alteri factum*, nam juramentum de opere honeſto ſed minùs bono in Dei præciſè honorem & non in utilitatem hominis, non inducit obligationem, ſi oppoſitum eſt melius vel ſi ei opus melius ſubſtituatur, quia tum habet ſe uti votum, quod imbibit conditionem, *niſi quid melius occurrat*, ita communis cum S. Th. 2.2.*q.*89.*art.*7.*ad* 2. Illſ.*t.*5.*n.*59. & pluribus dicetur *n.*355.

329 *Q.*88. *An Juramentum obliget, quo quis jurat non revelare artem, v.g. curandi podagram?* R. Tum non obligat, ſi nec tu nec ille, qui te docuit, ſatis poteſt providere neceſſitati, & bono communi, aut ſi ars illa vobiſcum emoreretur, ita S. Th. Suar. Fag. cum Burgh. *Cent.* 1. *Caſ.*75. Ratio eſt, quia eſt contra charitatem nolle artem talem revelare aut ad poſteros tranſmittere; quamdiu autem tu, & ille poteſtis providere bono communi, teneris celare, uſque ad finem vitæ, ſi tibi ſupervivat alter, ne injuſtè impedias lucrum illius, qui te docuit, ita Tamb. §.5.*n.*65 Gob.*t.*11.*n.*555.

330 *Q.*89. *An qui juravit non revelare ſecretum, ſi à Judice vocetur in teſtem, poſſit dicere veritatem?* R. Affirmant Juriſtæ, Gloſſ. Panorm. Felin. Jaſ. aliique, quos refert & ſequitur Frid. Hiltropff. *in proceſs. judic. p.*3.*t.*18. *num.*34. Rationem dant, quia Juramentum, ſi obſtet mandato Superioris, item ſi ſit de non præbendo veritati teſtimonio, eſt contra bonos mores, ergo jurans non poterat velle ſe obligare ad tum tacendum, quia celans ejuſmodi veritatem peccaret mortaliter, uti Jura & Actores docent apud eundem n.33.

331 *Q.*90. *Si quis alteri neſcienti promittat & juret ſe daturum aliquid, an obligetur?* R. §.1. Si juraſti ſervare promiſſionem, qua promittis dare aliquid alteri, Juramentum obligat ſtante promiſſione, hac autem ceſſante non obligat, nec cadit immediatè in executionem rei, ſed in obſervantiam promiſſionis, unde ſi promiſſio non inſinuetur ei cui facta eſt, aut ſi priùs revocetur, aut non acceptetur, aut ſi acceptata legitimè tollatur, ceſſat obligatio Juramenti, neque qui ſic juravit, magis tenetur aperire promiſſionem, quàm ſi non juraſſet. Neque ideo Juramentum fuit fruſtraneum, nam erat ad inducendam obligationem abſolutam, ſi contingeret promiſſionem legitimè acceptari. Vide dicenda p.2. à n.*666.*

332 §.2. Si abſolutè juraſti te daturum, Juramentum cadit immediatè in executionem rei, nec eſt opus acceptatione, ſed teneris rem exequi, ne DEUM falſi teſtem facias; teneris præterea inſinuare promiſſionem & offerre rem; ſi tamen alter recuſet, es liber, quia inerat conditio, *ſi alter acceptet*: an autem promiſſoriè an abſolutè juratum ſit, colligendum eſt ex verbis, vel reſciendum ex intentione jurantis, ita quoad omnia Suar. *l.*2.*c.*1.*n.*13. *&* *c.*12.*n.*21. Sanch. *de Matr. l.*1. *d.*7. *n.*24. *&* 25. *in Dec. l.*3.*c.*9.*n.*10. Leſſ. *in Auct. V Juramentum. Caſ.*1. *&* 3. Item *De Juſt. l.*2.*c.*7.*n.*52. *&* 53. Item *c.*42, *nu.*22. Tamb. §.3. *nu.* 13. aliique.

333 *Q.* 91. *Si moroſo debitori juraſti rem mutuò acceptam reddere, an tenearis?* R. Negant Tamb. §.5. *à n.*35. & Gob. *n.* 559. dicentes te poſſe retinere in compenſationem debiti, etiam ante mutuationem contracti, ſi aliter ſolutionem obtinere non poſſis, citantque multos Juriſtas & Theologos; & ratio poteſt eſſe, tum quia mutuum ex voluntate mutuantis tranſit in dominium mutuatarii, qui non tenetur ſe iterum illo exuere, tum etiam quia mutuanti viciſſim remittit Jus exigendi debitum, ergo æquivalenter reddit illud, quod accepit, atque ita implet promiſſionem. Mol. Lug. *de juſt. d.*16. *num.*117. Sporer *t.*5. *c.*5. *n.*79. diſtinguunt & putant, ſi tantùm juraris ſolvere debitum, te poſſe retinere ob rationem jam datam, ſi autem ſimul juraveris non compenſare, te retinere non poſſe: ſed videtur abſolutè dicendum cum aliis, quòd tenearis reddere, ſicuti teneris ſolvere pecuniam latroni, cum Juramento promiſſam, quia per Tò *reddere* vel *ſolvere*, intelligebas, (uti ſuppono) non retinere, ſed iterum conſignare in ejus poteſtatem ac diſpoſitionem, hoc autem Juramentum eſt de re licita, ergo reverentia exigit, ut impleatur.

334 *Q.*92. *Si reus ad tempus emiſſus juraverit ſe rediturum in carcerem, an ad hoc teneatur?*

Reſp. §.1. Si carcer eſt juſtus tenetur, quamvis eſſet periculum mortis, ita Suar. Vaſq. Sanch. *c.*11.*n.*25. Caſtrop. *d.*2. *p.*4. *n.*13. Tamb. §.5.*n.*29. Gob. *n.*511. aliique paſſim; è contra ſi carcer ſit injuſtus, Vaſq. aliique multi apud Dian. *p.*9.*t.*8.*R.*57. *p.*11.*t.*2.*R.*53. item apud Caſtrop. *n.*14. & apud Sanch. *n.*26. *&* 37. negant teneri, unde & Bonæſp. *De Juſt. d.*4.*n.*64. dicit etiam poſſe fugere, licèt jurarit ſe non fugiturum, tum quia temerarium eſt ſe ſine cauſa objicere morti, tum quia ſtatus rerum mutatur, quando enim jurabat, non erat præſens occaſio fugiendi, quæ poſteà eſt: Suar. Laym. Leſſ. Bonac. Gob. *n.* 513. aliique dicunt tum teneri non fugere & teneri redire, ſi jurarit, quia Juramentum eſt cauſa graviſſima excuſans, ne dicatur temerè exponere vitam, exponit enim in reverentiam juramenti facti: Limitant Sanch. *n.*34. Caſtrop. *n.*16. Tamb. *n.*33. aliique, ſi quando juravit, non prævidit mortem vel alia gravia pericula, quæ poſtea prævidet, quando eſt occaſio fugiendi aut non redeundi: imò Covar. & alii abſolutè docent peccare, ſi tum non fugiat vel ſi redeat in talia pericula: poterit tamen Epiſcopus relaxare hoc Juramentum, ſi injuſtè ſit poſtulatum, uti fatentur omnes; imò ſi juſtè fuit poſtulatum, adhuc putant aliqui poſſe relaxari, ſed probabiliùs negat cum aliis Caſtr. *n.* 17. quia ageretur contra jus Judicis & cuſtodum.

§.2. Si quis, etiam injuſtè captus ab infidelibus, juraſſet 335
ſe rediturum vel miſſurum pretium redemptionis, hoc Juramentum à nemine poſſet relaxari, ſed obſervandum eſſet, quia neglectus ejus vergeret in detrimentum Fidei & in deſpectum Religionis Chriſtianæ, quæ fœdifragos reciperet, ita Cajet. Suar. Sanch. & alii apud Dian. & Caſtrop. *n.*18.

*Q.*93. *Ad quid teneatur, qui juravit nunquam v. g.* 336
ludere chartis, vel nunquam bibere vinum? R. Ad hæc poſtea reſpondebitur de voto à n.452. & 459. eſt enim fermè eadem ratio de voto & juramento.

*Q.*94. *Quomodo obligatio Juramenti dicatur eſſe perſo-* 337
nalis? R. Obligatio religionis contracta per Juramentum eſt perſonalis, quantum eſt ex parte jurantis, non tamen quantum eſt ex parte illius, cui juratur, ita Dicaſt. *d.*3.*num.*421. *&* 427. Sanch. *l.*3.*c.*3.§.7.*n.*1. Gob. *n.*648. & alii paſſim. Dixi, *obligatio religionis*, quia aliunde ex juſtitia vel ſpeciali ſtatuto poteſt adeſſe obligatio ex parte jurantis, quæ etiam ad hæredes tranſeat, unde

§.1. Si Cajus pro ſe & ſuis hæredibus juravit quotannis da- 338
re Titio centum, hæredes Caji non tenentur ex vi religionis, hæc enim obligatio non contrahitur, niſi à jurante: teneri tamen poterunt ex alio titulo, v.g. juſtitiæ, ſi Titius promiſſionem illam acceptarit, quia tum Titius acquirit jus, & Cajus tenetur debito, hæres autem repræſentans perſonam Caji, tenetur ad ejuſdem debita realia.

§.2. Si Cajus Deo juravit dare eleemoſynam pauperibus, 339
hæres Caji ad hoc tenebitur ex juſtitia, non quòd pauperibus ſit acquiſitum jus, ſed vel quia Deus veluti altera pars contrahens acceptavit promiſſionem illam in utilitatem pauperum, uti vult Sanch. *nu.*5. vel potiùs ex ſpeciali diſpoſitione juris tam civilis quàm canonici, uti refert Caſtrop. *n.*2. quod ſtatuit, ut hæreditas non adeatur, niſi ſub conditione exequendi Juramenta, & vota realia defuncti, quæ non ſunt per injuriam extorta.

§.3. Si Cajus juravit latroni dare centum, hæres Caji ad nihil 340
tenetur, quia latro injuſtè cogens jus nullum acquiſivit, ergo fuit ſola obligatio Religionis, quæ ad hæredes jurantis non tranſit, ita Sanch. & Caſtrop. ſupra. Tamb. *n.*3. contra Abbatem.

§.4. Qui Titio acceptanti juravit, tenetur id præſtare hæ- 341
redibus Titii, quia Titius jus acquiſivit & actionem contra jurantem, hæredes autem veniunt in jura & actiones ejus, cujus ſunt hæredes, Sanch. *n.*6. Laym. *l.*4.*t.*3.*c.*10.*n.*5. Caſtrop. *num.*3. Tamb. *n.*6. Gob. & alii paſſim.

§.5. Si jurans in favorem Titii noluiſſet ſe obligare Titio, 342
ſed ſoli Deo, hæredes Titii nullum jus vel actionem haberent contra jurantem, cùm Titius ipſe non haberet: Similiter hæredes latronis nullum jus vel actionem habent contra jurantem, quia nec latro haberet; unde videtur probabile, quòd qui ſic juraſſet, non obligaretur hæredibus Titii vel latronis. *Nec refert*, quòd hæres ex diſpoſitione Juris cenſeatur eſſe eadem perſona cum eo, cujus eſt hæres, *nam* hoc tantùm eſt, ubi jus ita diſponit, ſeu in ordine ad jura & actiones, quæ tranſire debent ad hæredem, hic autem nullum erat jus vel actio in Titio aut latrone, quæ ad hæredem poſſet tranſire.

§.6. Si Cajus juravit non repetere debitum à Titio, Azor. 343
*l.*11.*c.*8.*q.*5. putat Cajum poſſe repetere ab hæredibus Titii, ſed meliùs negat Sanch. *n.*4. tum quia Titius videtur fuiſſe abſolutè liberatus à debito, ergo & hæredes: tum etiam, quia obligatio Juramenti tranſit ad hæredes ejus, cui juratur, ſaltem quoad jura & actiones juſtas huic competentes.

§.7. Qui ratione officii Juramento ſe obſtrinxit ad aliquid, 344
ſi dimittat officium, abſolvitur Juramento, quod officio erat annexum, Sanch. *num.*10. ſimiliter qui alicui perſonæ juravit obedientiam propter officium vel dignitatem, quam illa habebat, ſi perſona, cui juravit, amittat dignitatem, non amplius illi tenetur, attamen tenetur ejus ſucceſſori eandem dignitatem habenti. *Nec obſtat*, quòd aliquando Juramentum exigatur à ſucceſſore, *nam* hoc eſt ad majorem ſolemnitatem vel ad renovandam memoriam, Sanch. *à num.*7. Laym. Caſtrop. Gob. ſuprà.

§.8. Juramentum ex neutra parte eſt ita perſonale, quin 345
poſſit fieri & acceptari per Procuratorem, Sanch. *à num.* 17. Caſtrop. *p.*12. Dicaſt. *n* 438. aliique paſſim.

*Q.*95. *Si ad me dicas: Adjuro te in virtute Dei, per no-* 346
men Dei, per ſalutem tuam &c. an tenear? R. Vi adjurationis tuæ ad nihil teneor, quia non habes poteſtatem me obligandi,

ne-

neque teneor acceptare illam interpositionem divinæ authoritatis, ita Tamb.*c.*8.§.1.*n.*3.

DUBIUM VI.

347 *Quibus casibus excusetur ab impletione, qui in promissorio juramento obligationem contraxit.*

„ REsp. Tales casus præter ea, quæ ex superioribus colliguntur, à Tolet.& Cajet.recensentur isti: I. Si quid „ bonum erat tempore Juramenti, propter circumstantias postea fiat illicitum, vel vanum, vel impeditivum majoris boni, vel melius sit omitti quàm impleri. Sanch.*lib.*3.*c.*15. „ II. Si Juramentum mutes in opus aliud apertè melius, & „ Deo gratius: id enim quisque per se potest, uti habet Tolet. „ *c.*13.Excipe tamen semper, si quid in hominis commodum „ jurasses; nec enim Deus illum vult defraudari. III.Si notabiliter mutetur status rei; ut si v. g. jurasses aliquem punire „ justa punitione, is autem supplex veniam peteret; & ageret „ pœnitentiam, posses ei sine periculo condonare; quia Juramentum obligabat servato eodem statu, in quo non pœniteret, Laym.*l.*4.*t.*3.*c.*9. IV. Si res jurata facta sit inutilis ad „ intentum, maximè si magis illius destructiva, ut si v.g. ex „ correctione impœnitentis filii notaretur is magis destruendus quàm emendandus; aut si turbanda familia, secuturæ „ rixæ cum uxore: & sic præstet non corrigere, Regin.*lib.*18. „ *n.*56.Bon.*t.*2.*d.*4.*q.*1.*p.*14. V. Si ita ferant conditiones illæ, „ quas in quovis promissorio Juramento tacitè subintelligi „ natura, & Doctores docent: tales autem sunt, ut Laym. „ dicit *l.*4.*t.*3.*c.*9. 1.Si potero. 2.Salvo jure Superioris. 3.Nisi „ res notabiliter mutetur. 4. Nisi obligatio tollatur. De quo „ sequens Dubium.

ADDENDA.

348 *QVæst*96. *Quandonam præterea sit excusatio à Juramento propter conditiones in Juramento inclusas?* R.§.1.Ob primam conditionem, *si potero*, Officialis, qui generaliter juraverit se procuraturum commoda sui Principis, & impediturum damna, non censetur voluisse Juramentum suum extendere ad omnia, non enim ita potest: & quamvis posset, non censetur intellexisse, nisi ea, quæ ad officium suum spectant, ita Less.*in Auct.V.Restitutio cas.*15.

349 §.2. Ob secundam conditionem, *salvo jure Superioris*, nullum Juramentum obligat ad aliquid, quod est contra Jus commune, Decreta Conciliorum, Pontificum aut Superiorum, quia authoritas Superioris semper censetur excepta circa materiam illi subjectam. Less *V.Religiosus cas.*5.*&* 15. Suar.*l.*2. *c.*20.*n.*2.Castrop.*d.*2.*p.*8.*a n.*2.Tamb. §.5. *n.*3. ubi cum aliis docet, non tantum Ecclesiam, sed etiam Principes habere potestatem remittendi obligationem talium Juramentorum; possuntque præterea, ut ostendit Castrop.*p.*13.*n.*2.materiam antecedenter reddere ineptam Juramento, aut etiam jurantem reddere incapacem Juramenti, quod an factum sit, colligendum est ex dispositione Juris.

350 §.3. Si Juramentum sit contra Leges civiles prohibentes vel jubentes, & latas pro communitate, non obligat, ita Sanch. *l.*3.*cap.*9.*num.*29. *& alii* communiter: imò etiamsi latæ essent in bonum privatorum tantùm, & agere contra eas de se ne veniale quidem peccatum esset, tamen adhuc probabile est non obligare, quia contravenire illis redundaret in damnum publicum, ita Castrop.*num.*6.contra Sanch.*num.*35.*& cap.*12.*n.*44. Si autem Leges illæ sint tantùm permittentes, teneris Juramento; hinc obligaris Usurario solvere pretium promissum pro mutuo, si jurasti te soluturum; id enim Lex permittit, ita Tamb.*n.*42.*&* 44.Dicast.*d.*3.*n.*216.citans plurimos, dicensque esse certissimum, ex quo infert n.257. etiam teneri te, si jurasti,dare pecuniam latroni, licèt injustè extorserit Juramentum: Quòd si Leges prohibentes, tantùm ideò prohiberent, quia præsumitur subesse fraus & injuria: si hæc absint, Juramenta non censebuntur esse contra Leges prohibentes, sed obligabunt, ita Tamb.*n.*48.

351 §.4. Si Lex vel Superior solum actum jurandi prohibeat;materiam autem relinquat aptam,& jurantem capacem ad jurandum, si juret, facit quidem illicitè, attamen validè, hinc obligatur, non aliter, ac si quis jurasset se non juraturum, & nihilominus posteà juraret, Sanch.*c.*12.*n.*31.Tamb.*n.*4.

352 §.5. Tertia conditio est, *nisi res notabiliter mutetur*, tum autem res notabiliter mutatur, inquit Gob.*t.*11.*n.*503. quando tanta sit mutatio, quanta sufficeret ad revocandam promissionem non juratam, quia Juramentum regulatur secundùm conditiones & qualitates actus, cui adjicitur, uti dictum est n.315. & latè probant Suar.*c.*32.Sanch.*de Matr.l.*1.*d.*52. excipe, nisi quis apponat Juramentum, quo velit includi conditiones alioqui exclusas, aut excludi solitas includi, ita Less. Addunt Gom.Sanch.Castrop.*Illf.t.*5.*n.*74.si finis deficeret, vel oppositum fieret utilius ad finem, deficere obligationem, quia videtur includi hæc conditio, si ejus executio sit utilis, vel omissio non sit utilior ad finem intentum.

§.6. Ob quartam conditionem, *nisi obligatio tollatur*, 353 plurima Juramenta cessant, v.g.parentum vel dominorum de puniendis filiis aut servis; item puerorum de accusando condiscipulo; item nobilium de non præveniendo in egressu vel ingressu, nam vel ab initio non obligant, quia sæpè deest intentio jurandi, estque tantùm comminatio; sæpè etiam sunt de re inutili, atque etiam inde facilè excusantur, tum quia frequenter fiunt ex ira vel passione, animoque vindictæ, & ut sic sunt de re venialiter saltem mala, tum ob alias causas, quas hìc refert Busembaum, ita post alios Gob.*num.*528.De cætero si v.g.punitio vel accusatio jurata cederet in Dei obsequium vel commodum tertii, nec similis causa excusaret, omnino obligarent talia Juramenta.

DUBIUM VII. 354

Quomodo obligatio Juramenti tollatur per irritationem, dispensationem, commutationem & remissionem.

„ REsp. De hoc ex conditionibus *Dub. VI. in fine* positis, & potestate Superiorum in suos ac suorum vota, „ Laym.*l.*4.*t.*3.*c.*11.& alii communiter hæc tradunt. „

I. Quod spectat ad irritationem. Irritare & annullare, „ potest Juramentum omnis is Superior, Maritus,aut Dominus, qui & quomodo irritare potest suorum vota. Sanch. „ *l.*3.*c.*19.*n.*7.Suar.Azor.Fill.*t.*25.*c.*9.*q.*9 *V.Caput seq.* „

II. Possunt & iidem irritare Juramenta promissoria facta „ in gratiam hominis, quotiescunque ipsam promissionem seu „ contractum infirmare iis concessum est. „

III. Quoad dispensationem; quicunque habet potestatem „ ordinariam vel delegatam,vel privilegium disponendi in votis, potest in iisdem dispensare, etiamsi jurata sint. „

IV. Quoad commutationem; eadem est ratio, quæ de „ dispensatione. „

V. Quod attinet ad remissionem, sive relaxationem; Juramentum factum in favorem hominis non potest relaxari, „ nisi ab eo, cui factum est, aut cui is & promissa materia „ subjecta est. „

VI. Et is quidem potest remittere, etsi talis favor ei juratus esset propter DEUM; v.g.si quis propter Deum jurasset „ pauperculæ eam ducere, potest ipsa Juramentum illud relaxare, ut habet Navar.& alii contra Sotum & Sylv.quia licèt „ Juramentum principaliter factum sit propter Deum,quia tamen executio est in favorem hominis, ab hominis etiam voluntate dependet. „

VII. An etiam civilis potestas relaxare possit Juramentum „ suorum subditorum in temporalibus, quando justa causa „ subest, v.g.quia metu, vel per aliam injuriam extorta sunt, „ controvertitur: Alii negant, alii ajunt, apud Laym.probabile est, quod docet Sanch.*l.*3. *c.*12. cum Suar.non posse relaxare directè, sicut potestas ecclesiastica, quando dispensat, sed tantùm indirectè, v.g.ratione materiæ;vel supplendo vicem ejus, cui juratum est, & qui remittere debeat. „ Plura ad forum externum spectantia circa Juramentum vid. „ apud Laym.*supra c.*11.Bon.*d.*4.*q.*1.*p.*17. „

ADDENDA.

*QVæst.*97. *Quid circa illas deobligationes Juramenti* 355 *sit præterea advertendum?* R. Seqq.§.1. Docent AA. gravissimi cum Moya *t.*2.*d.*1.*q.*3.Illf.*t.*5.*n.*70. Sanch.*de matr.l.* 8.*d.*2.*n.*18.Castrop.*p.*11.ante *n.*1.Tamb.*c.*7.§.3.*n.*11. Gob.*num.* 508.Belleg.*p.*3.*sect.*12.*q.*1. Juramentum quibus nullum jus homini acquiritur, habere rationem voti, ideoque posse, sicuti vota, dispensari vel commutari. Vide dicenda n.555.

§.2. Juramenta,quibus vendenses jurant non vendere mi- 356 nori, velementes non emere majori pretio, secundùm Tamb. *l.*3.*c.*3.§.5.*n.*49.non obligant,quia sunt de re prorsus indifferenti, non in honorem Dei vel utilitatem proximi, sed propriam tantùm; inde infert, licèt obligarent, hanc obligationem posse quemque sibi remittere, nam §.2.n.5.docuerat cum Tanc.si quis in suum commodum aliquid juraſſet, v.g. ire Romam ad accipiendam sibi pecuniam, posse sibi ipsi remittere hoc Juramentum; sed quoad hoc postremum meritò contradicunt Abbas, Suar.*c.*12.*n.*24.Illf.*n.*74.nam ideò potest remittere alius, in cujus favorem est juratum, quia juramentum includit conditionem, si alter voluerit, hoc autem non est, si quis in utilitatem suam juraverit, quia diceret, *Testor Deum me hoc facturum, si facere voluero*, quod esset nugatorium, & contra finem Juramenti, quo quivis vult stabilire voluntatem suam, ut non liceat pro libito velle oppositum.

357 §.3. Docet aliqui, licèt votum v.g. caſtitatis ſit reſervatum, non ideo reſervatum eſſe Juramentum de caſtitate ſervanda, ſed de hac ſententia poſtea feremus judicium num.555.

358 §.4. Licèt Juramentum ſit factum principaliter propter Dei cultum & honorem, ſi tamen cedat in utilitatem hominis, à quo ſit acceptatum, non poteſt diſpenſari vel commutari ſine hujus conſenſu, uti præter Buſemb. tenent Tab. Arm. Sayr. Lop. Vivald. Suar. Sanch. Leſſ. Eſcob. Malder. Dian. Mendo, quos citant & ſequuntur Lug. *De juſt. d.23.n.94.* & Moya *q.2.n.3.q.5.n.6.* & poſteà in ſimili dicetur de voto à n.532. quæ intellige, ſi illi tertio per ſuam acceptationem ſit jus aliquod acquiſitum, ut ibi explicabitur: Si tamen talis jurans fuiſſet impubes, poſſet ejus Juramentum irritari, uti rectè Leſſ. *l.2.de juſt.c.17.n.51.* & colligetur ex dicendis n.488. E contra, ſi homo ille remittat, deſinet obligatio, etiamſi eſſet ad cauſam piam, uti etiam docent præter Buſemb. Sanc. *de Matr. l.1.d.52.* & hic *l.3.c.20.n.7.* Tamb. *c.7.§.2.* quod Gobat *n.500.* dicit eſſe practicè tutum: *Nec obſtat*, quod opponit Suar. *l.2.c.39.n.8.* nempe hominem non poſſe cedere juri, quod acquiſivit Deus, ergo tantùm poterit reddere pecuniam, poſtquam ex vi Juramenti acceptaverit, *nam contra eſt*, quòd jus Dei habeat eſſentialem dependentiam à voluntate hominis, cui juratum eſt, non enim volebat ſe obligare Deo, ſi homo recuſaret vel remitteret, ergo ſi homo remittat, definit jus Dei. Vide p.2.n.744.

359 §.5. Si Juramentum interponatur de non petenda diſpenſatione vel relaxatione Juramenti communis eſt ſententia, quòd tale Juramentum ſit invalidum, quia quando eſt cauſa petendi, (peti autem non poteſt ſine cauſa) utilius & melius eſt peti quàm non peti; hinc illud ultimum Juramentum tantùm erit confirmatio prioris, ita Covar. Az. Dian. *p.11.t.2.R.35.* Sanch. hic *l.4.c.8.n.21.* contradicunt tamen etiam probabiliter Suar. *De Voto L.2.c.11.n.6.* Et Caſtrop. *t.15.d.1.p.3.§.5.n.4.*

CAPUT III.

De Voto.

DUBIUM I.

360 *Quid ſit Votum & quotuplex.*

» REſp.I. Eſt promiſſio facta Deo, deliberatè, de bono poſſibili, & meliore. D.Th.2.2. *qu.88.* V.Sanch. & Laym. *l.4.t.4.* Unde patet, quòd Votum ſit actus latriæ ſoli Deo debitus. Quare dum vovemus quiddam Sanctis, ſenſus eſt voveri ea Deo in honorem ſimul Sanctorum, ſicut templa & altaria ædificamus Deo in eorundem honorem. Porrò ex ſingulis particulis datæ definitionis, multi caſus reſolvuntur, quos, ut vitetur confuſio, & confulatur memoriæ, ſeparatis in dubiis proponam.

» Reſp.II. Dividitur votum, I. In *Abſolutum, & Conditionatum*. Illud eſt, quod ſit ſine ulla conditione, ut, *voveo eleemoſynam*: hoc autem, quod ſit cum conditione, ita ut niſi hac poſita non exurgat obligatio, ut, *voveo eleemoſynam, ſi ſanitati reſtituar*; vel (quod dicitur pœnale) *voveo facere diſciplinam, ſi hoc fecero*. II. In *Solemne, & Simplex*. Illud eſt, quod ut tale acceptatur ab Eccleſia, & ſunt hæc duo; votum caſtitatis, quod majoribus Ordinibus annexum eſt; & votum profeſſionis religioſæ. Simplex autem votum eſt omne aliud, quod talem ſolemnitatem non habet. Ubi ſciendum, quòd votum ſolemne reddat perſonam Jure inhabilem ad contractus vel actus contra votum, ut ad Matrimonium vel dominium bonorum habendum, prout *Vid. infra l.4.c.1. in Tr. de ſtatu Rel.* Simplex autem tale votum, v.g. caſtitatis, (excipio, quod in Societate JESU emittitur poſt Novitiatum) aut ingrediendæ Religionis, etſi reddat contractum, v.g. Matrimonii illicitum, non tamen invalidum. *Vid. infra L.VI. de Matr.* III. In *Reale & Perſonale*: Illud eſt, cùm pecunia, vel alia res externa pretio æſtimabilis promittitur; ut calix, eleemoſyna: Hoc autem, cùm aliqua hominis actio, vel ceſſatio ab actione, ut votum jejunii, peregrinationis, abſtinentiæ à luſu. His aliqui adjungunt *Mixtum* ex utroque; ut ſi voveas peregrinationem cum obligatione alicujus rei, v. Leſſ. *lib.2.cap.40.Dub.6.*

ADDENDA.

361 QUæſt.98. *An propoſitum firmum ſit votum, vel inducat aliquam obligationem?* R. Non eſt votum, quia propoſito deeſt promiſſio & animus ſe ex vi talis actus obligandi: major difficultas eſt, an per tale propoſitum inducatur ſaltem ſub veniali obligatio? de quo tres ſunt ſententiæ, *Prima* abſolutè affirmat, quia ſic proponens videtur ſe ſaltem obligare ex virtute conſtantiæ & fidelitatis; ita aliqui apud Sanch. hic *l.4.c.1.n.21.* *Secunda* abſolutè negat, quia propoſitum non eſt Lex, neque fit ex voluntate ſe obligandi, conſtantia autem & fidelitas tum tantùm obligant, quando bonum propoſitum aliunde eſt obligatorium. Ita Sanch. ſuprà. Tamb. *l.3.c.11.n.2.* aliique communiter. *Tertia* ſic diſtinguit, ſi cum cauſa mutes non peccas, quia prudentis eſt, ubi eſt cauſa, etiam immutare mentem; ſi autem mutes ſine cauſa, peccas venialiter, quia inordinatum eſt, & contra rectam rationem ita leviter recedere ab inſpiratione divina vel ab inchoato bono, deinde ſaltem eſt actus otioſus, ita Suar. *de Relig.t.2.t.6.l.1.c.2. n.7.* Caſtrop. *t.17.d.1.p.2.n.3.* Lugo *d.23.n.1.*

Q.99. Per quid propoſitum diſtinguatur à promiſſione? 362 R. Per hoc, quòd propoſitum contineat ſolam intentionem faciendi opus, promiſſio autem ſuperaddat voluntatem obligandi ſe alteri, ita Caſtrop. ſuprà: addit Lugo *in Reſp. Mor. l.6.d.8. n.6.* quod promiſſio obliget, non ex ſola veracitate, quæ jubet verba conformari cum mente, ſed etiam ex fidelitate, quæ poſtulat facta conformari cum verbis; è contra propoſitum non inducit obligationem ex fidelitate, nam proponens tantùm ſic dicit: *Jam eſt in me voluntas orandi Deum cras*, & hunc ſola veracitas obligat, ut verba conformet menti, id eſt, ut jam voluntatem habeat DEUM cras orandi; quòd ſi poſteà voluntas mutetur, facta non conformabuntur cum verbis, neque ipſe vi propoſiti præcisè ad hoc tenebatur, ex quo ſequitur, ſi quis in gravi morbo conſtitutus dicat: *Quando Deus mihi reſtituerit ſanitatem, ego vivam caſtè*, talis non vovet, ſed tantùm proponit: Item, ſi Pœnitens Confeſſario nolenti abſolvere ſic dicat, *Abſolve, promitto tibi ſedenti hic loco Dei, quod hoc peccatum nolim ampliùs committere*, talis pœnitens non videtur vovere, quia ordinariè tantùm eſt animus manifeſtandi ſerium propoſitum illi, à quo Dei vices gerente petitur abſolutio. Vide dicenda p.2.n.764.

DUBIUM II.

Quæ requiratur voti deliberatio & intentio. 363

» REſp. Cùm voti obligatio ſit graviſſima, requiritur intentio, deliberatio, & libertas perfecta; qua quis liberè & directè in ſe voluerit promittere, cum animo ſe obligandi. *Ita Doctores communiter.* Leſſ. Bonac. *d.4.qu.2.p.1. Unde reſolves:*

» I. Ætas & uſus rationis ad vovendum ea ſufficit, quæ ſatis eſt ad peccatum mortale, perfecto actu humano & directo in ſe volitum. Excipe tamen votum ſolemne Religionis, quod invalidum eſt ante certam ætatem.

» II. Non obligat votum factum cum ſemiplena animadverſione vel deliberatione, v.g. ex repentino animi motu vel conſuetudine, lingua mentem præveniente, vel ex calore iracundiæ, rationis uſum auferente, Azor. Sanch. Trull. *l.2.c.2.d.1.n.3.* Ubi notat, non eſſe ſufficiens indicium, quòd defuerit perfecta ratio vel deliberatio, ſi voventem facto voto mox pœniteat; item motum iræ rarò, & vix unquam impedire uſum rationis.

» III. Quòd ſi is, qui ſcit ſe voviſſe, dubitet, an cum ſufficienti deliberatione & uſu rationis, ob defectum ætatis, ſi quidem vovit ante ſeptennium, votum non obligat, niſi conſtet de ſufficienti rationis uſu; quia Jus in tali non præſumit & poſſeſſio ſtat pro libertate. Si verò poſt ſeptennium vovit, obligat; quia poſſeſſio eſt pro voto, cùm præſumatur uſus rationis, niſi conſtet oppoſitum. Si denique dubitet, utrum ante, an poſt ſeptennium voverit, teneri voto vult Sanch. & Palaus: negat Diana.

» IV. Vota facta in ebrietate, etiam ante præviſa, & ſic volita in cauſa, non ſunt valida, cùm non ſint volita in ſeipſis & directè, bonum autem non conſurgat niſi ex integra cauſa: quamvis ad peccatum ſatis ſit voluntarium indirectè & in cauſa. Laym. *l.4.t.4.c.1.n.4.*

» V. Vota facta in metu, non incuſſo ad hoc ipſum, ut votum extorqueretur, valida ſunt; quia ſunt ſimpliciter voluntaria & deliberata: facta autem in metu injuſtè incuſſo ad ipſum votum extorquendum, invalida ſunt; *ex communi*; non quia non ſint voluntaria, ſed quia vel Jus ea irritat, vel DEUS non acceptat, ne det vim injuſtæ coactioni; idque, ſive metus ſit gravis, ſive levis; dummodò quis formaliter ex ſolo tali metu voveat. Suar. *De voto lib.1.c.8.* Sanch. Fill. *t.26.c.1.*

» VI. Quoad vota emiſſa ex errore, ſi error fuerit circa ſubſtantiam materiæ promiſſæ, vel circa conditionem ſubſtantialem, vel circa finem ſive rationem formalem ac motivum vovendi, votum nullum eſt: v.g. *Circa ſubſtantiam*; ſi quis voveret certum aliquem ſuum calicem, quem putat argenteum, cùm ſit aureus, vel ſe ingreſſurum certum Monaſterium, putans eſſe ordinis S. Benedicti, cùm ſit Carthuſianorum. 2. *Circa conditionem ſubſtantialem*; ſi quis, v.g. voveret ſe ingreſſurum Monaſterium, ubi putaret religioſam diſciplinam & eſſentialia Religionis ſervari accurate, & tamen

„ tamen non ita eſſet; vel ſi voveret peregrinationem ad limina
„ Apoſtolorum, putans tantùm diſtare centum milliaribus,
„ cum tamen diſtarent trecentis. 3. *Circa cauſam finalem*, ſi
„ quis v. g. voveret aliquid in gratiarum actionem pro ſanitate
„ parenti reddita, & is reipſa non fuiſſet ægrotus, vel eſſet
„ mortuus. Et ratio nullitatis talium votorum eſt, quia hic
„ deficit liber conſenſus, qui non fertur in incognitum: & eſt
„ tam contrarium conſenſui, quàm error. Fill.*t.26.c.1.*

„ VII. Vota, quæ eduntur poſt Novitiatum in quocunque
„ approbato Ordine, inſtar Matrimonii carnalis, non ſunt
„ irrita ob ullum errorem, niſi ſolùm ſubſtantialem circa ſub-
„ ſtantiam.

„ VIII. Si error circa conditionem ſubſtantialem ſit de re
„ parvi momenti, non redditur votum irritum: ut ſi iter pe-
„ regrinationis, quam quis vovit, ſit paulò longius quàm pu-
„ tabatur, quia parum reputatur pro nihilo. Item ſi error ſit
„ tantùm circa cauſam impulſivam, valet votum, quia illa eſt
„ tantùm cauſa ſecundaria, qua ſepoſita actus eſt ſufficienter
„ voluntarius ſecundùm ſubſtantiam. Neque talis error in ce-
„ teris contractibus actum vitiat: v.g. vovit aliquis peregrina-
„ tionem Romam, ſtudio colendi Deum, & ſimul etiam ha-
„ buit cauſam ſecundariam impulſivam, ut inviſeret fratrem,
„ quem putavit eſſe Romæ; quem etſi intelligat deinde iſtic
„ non eſſe, non ideò definit obligari voto. Et ex his patet,
„ quomodo intelligendum ſit, quod dici ſolet, vota non obli-
„ gare ultra intentionem voventis. Sanch.*l.4.c.2.* Leſſ.*l.2. cap.*
„ 40. *d.2.*

„ IX. Ad votum non ſufficit nudum propoſitum, licèt fir-
„ miſſimum, quia qui tantùm propoſuit, non tenetur ſub
„ peccato præſtare; qui autem promiſit, obligatur, ſub pec-
„ cato, & niſi præſtet, agit contra fidem Deo datam. Bonac.
„ *t.2.d.4.q.2.p.1.* Laym.*l.c.*

„ X. Ad votum aliquando ſufficit promiſſio implicita, ut
„ patet in ſuſceptione Ordinum ſacrorum: ubi licèt non dica-
„ tur, *voveo*, vel *promitto caſtitatem*, votum tamen hoc fit
„ implicitè, hoc ipſo, quòd ſciens Eccleſiam annexuiſſe iis
„ Ordinibus iſtud votum, eos ſuſcipit. An verò, ſi quis pla-
„ nè id ignoraret, adhuc cenſeretur vovere ex implicita in-
„ tentione, dubium eſt; Aliqui ajunt, aliqui probabiliùs ne-
„ gant: dicuntque talem teneri ad caſtitatem, non ex voto,
„ ſed Eccleſiæ præcepto. Sanch.*de Matr.l.2.d.27. n.11.* Bon.
„ *q.2.p.1. & communiter.*

„ XI. Si quis haberet intentionem promittendi quidem, ſed
„ tamen ſe non obligandi, nullum eſſet votum, ſecundùm
„ Navar. Sylv. Sanch. *n.27.* Leſs. *dub.1. n.6.* Bon. & alios contra
„ Caj. quia talis non vult vovere, cùm opponat conditionem
„ contra ſubſtantiam actus. Unde Lugo *d.23. De juſt. ſect.1.*
„ *& alii* contendunt talem non poſſe dici promittere: verùm
„ videtur eſſe quæſtio de nomine. Si verò haberet animum vo-
„ vendi, & ſe obligandi, non tamen implendi, tunc etiam
„ graviter peccaret, & votum eſſet validum. Sanch Fill. Bon.
„ *p.1.n.14.* Laym. & alii.

ADDENDA.

364 Q. 100. *An voveat, qui ſic dicit, ò Domine! redde mihi ſanitatem, & vivam caſtè?* R. Pendet ab intentione dicentis, quæ conſulenda eſt: Quantum autem verba ſonant, videtur eſſe votum, ita Caj. Navar. Sanch. *l.4.c.1.n.35.* Gob.*t.11.n.14.* Ratio eſt, quia ad votum non requiritur, ut dicat expreſsè, promitto, voveo, me obligo &c. ſed ſatis eſt, quòd hoc dicat implicitè vel æquivalenter, jam verò locutiones conditionatæ, *faciam hoc, ſi des illud*, cui videtur æquivalere locutio iſtius hominis, quando fiunt alteri, & junguntur cum intentione impetrandi ab eo hoc, quod petitur, induunt rationem pacti, adeòque inducunt obligationem reciprocam volentis impetrare, ut ſi quis dicat, *Si me docueris artem, dabo centum aureos*, patetque hoc ex Jure, in quo hæ locutiones, *do ut facias, facio ut des*, &c. ſunt contractus innominati, ergo in dubio, an utens illis verbis habuerit intentionem ſe obligandi, præſumendum eſt habuiſſe, quia dixit verba, quæ de ſe pactum ſignificant.

365 Q. 101. *An ad obligationem contrahendam requiratur, ut vovens ſciat, quid ſit vovere?* R. Requiri; rectè tamen notat Tamb. *l.3.c.12.§.1.n.5* ſi ſcias naturam voti eſſe, quod adducat obligationem, vel ſi hoc neſcias, ſi tamen ſcias, quid ſit vovere, & voveas juxta modum ordinarium, quo alii vovent, te obligari, quia implicitè habes intentionem te obligandi, hoc ipſo quòd habeas intentionem vovendi, neque ad valorem voti requiritur plus, quàm virtualis intentio. Ex his reſolvuntur ſequentes caſus,

366 Berta novem annos nata, ut artem, quam diſcebat, poſſet perfectè capere, vovit omni Sabbato audire Miſſam, tamen nihil cogitavit de Deo vel Sanctis, quibus promitteret, nec ſcivit diſtinctionem inter *proponere & vovere*, & quantùm meminit, non cogitavit de obligatione ſub peccato; meminit tamen, quòd primo Sabbato voluerit Miſſam audire; putans ſe peccaturam etiam graviter, ſi non audiret; rogata, cur? dicit, ita mihi incidebat: *Quæritur*, an Berta cenſenda ſit voviſſe & teneri voto? Pro parte negativa eſt, quòd non videatur ſciviſſe, quid eſſet vovere, nec agnoviſſe obligationem voti: Pro affirmativa eſt, quòd primo Sabbato putarit ſe peccare graviter, ſi non audiret Miſſam, ergo agnovit obligationem, non aliunde ortam quàm ex ſuo voto, ergo præſumitur, cùm voveret, apprehendiſſe ſaltem implicitè obligationem; deinde cùm per auditionem Miſſæ vellet obtinere perfectam cognitionem artis, utique à Deo ſeu per gratiam Dei, ergo ſaltem obſcurè id promiſit Deo. R. Omnibus conſideratis videtur hoc votum eſſe ſaltem dubium, & conſequenter non obligare, ſecundùm dicenda n.382. nam licèt apprehenderit ſe peccaturam, id frequenter evenit rudibus, etiamſi fecerint nudum propoſitum ad honorem Dei, & tum jubemus eos deponere conſcientiam erroneam, ac judicare, ſe non obligari ſub peccato.

Titius abſoluto anno probationis accedit ad altare vota 367
profeſsurus coram Prælato, quæ etiam ex Scripto recitavit, ſed ita turbatus, ut nullam formalem deliberationem vel advertentiam habuerit; imò putat ſe voluntariè diſtractum fuiſſe: *Quæritur*, an ea vota ſint valida? R. Affirmative cum Tamb. Gob. *num.173.* Illſ. *t.5. n.87.* quia adfuit deliberatio virtualis, nam ex formali deliberatione præterita ſecuta eſt externa emiſſio profeſſionis, tanquam effectus deliberationis formalis, quo actu externo poſito, prius reſultat obligatio voti, fundata in priori voluntate virtualiter manente, quæ ſi virtualiter non maneret, v.g. ſi talis profitens, quando profitetur, eſſet inops mentis, profeſſio eſſet invalida, nec oriretur obligatio, niſi fortè, inquit Suar. quando fuiſti compos mentis, prævidiſſes te eo tempore fore impotem, & tamen voluiſſes obligari poſita prolatione verborum veluti conditione, licèt poneretur cum impotentia mentis, probabile enim videtur te tum obligandum: unde reſolvitur hic caſus,

Cajus ſciens ſe ſolere in ebrietate multa vovere, nihilomi- 368
nus ſe inebriat: *Quæritur*, an teneatur ad talia vota? R. Si ante ebrietatem conſenſit in eam obligationem, poſito, quòd in ebrietate promitteret, tenetur; ſi autem non conſenſit, non tenetur, quia tum nequidem adeſt virtualis intentio ſeu voluntas vovendi, ita cum aliis Gobat ſupra, Illſ. *n.86. Si dicas*: Prævidens ſe in ebrietate occiſurum, eſt homicida, ſi ſe inebriet & in ebrietate occidat, quamvis ante non conſenſerit in illud homicidium. R. Diſparitatem eſſe, quòd bonum, quale eſt votum, ſit ex integra cauſa, malum autem, quale eſt homicidium, ſi ex quolibet defectu, hinc qui vult actum malum, quem per ſe comitatur alius actus malus, vult utrumque: qui autem vult promiſſionem verbalem tantùm, non ideò vult votum, quia non ideo vult obligationem, neque per hoc habet intentionem vovendi.

Q.102. Quomodo peccet, qui vovet fictè vel abſque de- 369
liberatione? R. §.1. Qui fictè vovet in profeſſione Religionis vel ſuſceptione majorum Ordinum, peccat graviter, quia in re gravi illudit Religioni vel Eccleſiæ, niſi fortè gravis metus cauſam det æquivocandi: extra hos caſus, verbaliter tantùm vovere aut vovere ſine animo ſe obligandi, eſt peccatum, quia eſt inordinatum, quòd verba non conveniant menti; eſt tamen veniale tantùm, quia non irrogatur gravis injuria Deo, coram quo nulla datur fictio vel deceptio: vovere autem ſine animo exequendi, eſt grave vel leve, prout materia eſt gravis vel levis.

§.2. Si materia ſit levis, Valent. & Sanch. putant nullum 370
fore peccatum vovere ſine deliberatione, eò quòd ad rem parvam non requiratur matura deliberatio: Caſtrop.*t.15.d.1.p.4.*
n.5. meliùs dicit eſſe peccatum, quia cùm votum inducat obligationem Religionis, inordinatum eſt & indecens ſine prudentia & diſcretione velle illam ſubire; eſt tamen ſemper veniale tantùm, licèt materia ſit gravis; quia nihil abeſt niſi prudentia, ex cujus defectu non eſt mortale. *Si dicas* cum Suar. Exponit ſe periculo peccandi mortaliter, id eſt, vovendi graviter illicita. R. Qui ſemiplenè apprehendit votum, etiam ſemiplenè apprehendit periculum vovendi graviter illicita, qui autem ex ſemiplena advertentia ſe exponit periculo peccandi, non peccat mortaliter, ergo. Deinde ubi tantùm eſt ſemiplena libertas, reipſa non vovetur, uti dicetur n.380. ergo nec eſt periculum vovendi illicita. Videri poteſt Illſ. *tr.5.n.77.*

Q.103. Quid præterea notandum ſit circa errorem in 371
fine voti? R. Seqq. §.1. Finis voti eſt triplex, 1. communis omnibus votis, eſt divinus cultus & honor, qui ſi deficiat, votum eſt irritum. 2. Specialis, qui eſt intrinſecus materiæ promiſſæ, & ſi hic deficiat, mutatur objectum promiſſum, & conſequenter ceſſat promiſſio. 3. Eſt extrinſecus qui per votum intenditur obtineri, ideoque ſi per votum obtineri non poſſit, votum ceſſat.

§.2. Si eſſent duo extrinſeci fines voti, quorum unus obti- 372
neri poſſet, alter non poſſit, ſi ita voviſti diviſibiliter, ut etiam

deficiente alterutro voviſſes, teneris voto, ſi neuter fuit ſeorſim ſufficiens ad te movendum, quolibet deficiente non obligat votum; occaſio autem voti vel cauſa impulſiva dicitur, quod te ad celerius & libentius vovendum excitavit.

§.3. Si miſericordia motus erga alium, quem videbas in lacero habitu, voviſti ei dare eleemoſynam, ſi pauper non eſt, non teneris, quia finis intrinſecus eleemoſynæ eſt ſublevatio alienæ miſeriæ, quæ hic non erat.

374 §.4. Titius vovit Cajo pauperi dare eleemoſynam, & Cajus paulò poſt diteſcit per inventum theſaurum, Sempronius putans Cajum adhuc eſſe pauperem etiam vovet Cajo dare eleemoſynam: poſtea iterum ſubitò depauperatur Cajus: In hoc caſu Titius tenetur voto, quia tempore voti cauſa finalis ſubſiſtebat, quamvis autem per tempus ceſſarit, poſtea reviviſcit, ergo & redit voti obligatio: Sempronius non tenetur, quia tempore voti, cauſa finalis non ſubſiſtebat, nec fiebat votum pro ſequenti tempore.

375 §.5. Adoleſcens ob periculum ſeductionis vovet per integrum annum non ingredi domum A. quia putavit in ea eſſe procacem puellam, ſed error fuit, nam puella talis prius eò venit poſt menſem, hic Adoleſcens tenetur voto ad vitandam domum illam, quia executio voti complectebatur ſucceſſionem temporis per integrum annum, ergo obligat pro ea parte, pro qua verificatur cauſa finalis ipſius, quæ eſt præſentia procacis puellæ in ea domo. *Confirmatur:* Quia voverat per totum annum emanere, ita ut vellet emanere nunc ob cauſam nunc præſentem, ob futuram autem cauſam vellet emanere ſequenti tempore, ergo cùm ſequenti tempore cauſa ſubſiſtat, etiam ſubſiſtit votum. Vide dicenda à n.406.

376 §.6. Sponſa putat ſe teneri Sponſo revelare tactus illicitos cum alio habitos, quia autem ipſam valde pudet, vovet Religioſum Statum ingredi, ne id revelare cogatur: *Dico* votum eſſe nullum, quia eſt error circa finem & motivum: Si tamen ex devotione & affectu voviſſet Religionem, & erronea illa ſuaſio obligationis hoc tantùm effeciſſet, ut citiùs & libentius voveret, votum valeret.

377 *Q.*104. *Qualis debeat eſſe circumſtantia, cujus ignorantia vel error poſſit invalidare votum?* R. §.1. Debet eſſe magni momenti; quando autem & qualis illa ſit; judicio prudentum relinquitur: Mol. & Gob. *t.9. n.*55. dant hanc regulam, ſi ignorantia ſit talis circumſtantia, quæ homines ſimilis conditionis ſolet à vovendo retrahere, cenſendum eſt hunc ventem non teneri voto, quia cenſendum eſt non voluiſſe ſe aliter obligare, quàm ſoleant alii ſuæ ætatis, ſexus, conditionis; ſi verò non poſſit conſtare, quid homines ſimiles in tali caſu ſoleant facere, tunc quoties vovens poteſt ex aliquo ſuo actu aut ex fine voti veroſimiliter conjicere, dum promiſit, ita fuiſſe actu conſtitutum, ut promiſſurus non fuiſſet, ſi circumſtantiæ illæ cognitæ fuiſſent, liberandus eſt obligatione: hinc

378 §.2. Cajus luſtrans Carthuſiam recreatur ſilentio & modeſtia Religioſorum, ideòque vovet ingredi, putat tamen illos, ſicut alios, veſci carnibus: *Dico*, non obligari voto, quia eſt error circa circumſtantiam magni momenti. Similiter Titius vovet huic pauperi dare eleemoſynam, quem poſtea reſcit eſſe improbum, hinc vellet non dare: *Dico*, teneri dare, quia circumſtantia improbitatis ab eo ignorata cenſeri debet parvi momenti, cùm improbo æquè ac probo fieri poſſit eleemoſyna. *Nec obſtat*, quòd non voviſſet, ſi ſciviſſet eſſe improbum, *nam* nihilominus vovit neſciens eſſe improbum: imò quamvis dixiſſet, *non voverem, ſi ſcirem eſſe improbum*, tamen ſi abſolutè vovit, tenetur: è contra ſi dixiſſet: *Voveo, ſi ſit probus, non voveo, ſi ſit improbus*, non teneretur, quia votum ipſum fuiſſet conditionatum, nec ſubſtitiſſet non ſubſiſtente con-

379 ditione. Illſ. *t.*5. *n.*84. §.3. Caj. Sot. Vaſq. Sanc. Baldell. & Ovied. 1.2. *Contr.*3. *p.*7. *n.*93. docent votum non eſſe irritum, quamvis circumſtantia etiam magni momenti fuerit ignorata, ſi rei promiſſæ erat intrinſeca, quia habuit animum vovendi omne id, quod rei promiſſæ erat intrinſecum; hinc *inferunt* ventem omni die Veneris jejunare, etiam teneri, ſi Natalis Domini in diem Veneris incidat, uti dicetur iterum n.438.

380 *Q.*105. *An plena libertas requiratur ad omne votum?* R. Affirmativè, qualis nempe requiritur ad peccandum mortaliter; & hoc inſinuat Gloſſa *in cap. Mulier* 32. *q.*2. dicens quòd libertas ſufficiens, ut diabolo devincti ſimus, ſufficiat etiam, ut Deo obſtringamur; atque ita etiam docent omnes communiter cum Az. Suar. Sanch. Leſſ. Caſtrop. Trull. Tamb. Buſemb. Illſ. *n.*77. Ratio eſt, quia hic obligatio gravis vel levis deſumitur à gravitate vel levitate materiæ ſecundùm intentionem ventis, ergo neceſſe fuit ad omne votum requiri plenam libertatem, alioquin aliquis poſſet ex ſemiplena libertate ſibi imponere obligationem gravem, quod foret nimis oneroſum: atque idem eſt de juramento, ut iidem Authores notant. Vide dicenda n.429.

381 *Q.*106. *Quid dicendum ſit in variis dubiis circa vota?* R. Prius ſtatuendæ ſunt aliquæ regulæ, quæ etiam applicari poſſunt in materia juramenti, & communiter receptæ ſunt apud Authores: 1. *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*: Et valet non tantùm in materia juſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum, uti oſtenſum eſt Lib.1. à n.495. hinc ſi libertas poſſideat contra votum, votum non ligat; è contra ſi votum poſſideret contra libertatem, foret obligatio. 2. *Obligationes gratuitæ ſunt potiùs reſtringendæ, quam ampliandæ*: Laym. *l.*4. *t.*5. *c.*6. *num.*14. Suar. *lib.*4. *c.*5. *num.*13. *quia præſumitur actus ita confectus, ut ſit minùs, quàm fieri poteſt, oneroſus*, Menoch. *l.*6. *Præſumpt.*9. *Et nemo præſumitur ſibi velle onus & obligationem imponere, niſi manifeſtè conſtet*, Suar. Bonac. Caſtrop. *t.*3. *d.*3. *p.*2. *num.*13. 3. *Dubitans an plus an minus, tenetur tantùm ad minus*, Sanch. Bonac. aliique cum Ovied. 1.2. *t.*5. Controv. 4. *n.*64. Gob. *t.*11. *num.*89. 393. *quia in obſcuris, quod minus eſt, ſequimur*, ff. De reg Juris, & *libertas poſſidet contra majus*. 4. Si non ita diu, poſtquàm ſtatuiſti aliquid facere, dubites, an voveris nec ne, judicabis te non voviſſe, quia non tam facilè & citò obliviſcimur magnæ promiſſionis, qualis eſt votum. Sanch. Gob. *n.*387. 5. Si verba, quæ uſurpaſti, ex ſe non ſignificant votum, promiſſionem vel pactum, in dubio præſume te non voviſſe, quia *facti quæ ſunt, non præſumuntur*. Menoch. *Præſumpt.*14. Sanch. Gob. 6. Si verba, quæ uſurpaſti, ex ſe ſignificent votum, promiſſionem aut pactum, in dubio præſume te voviſſe, Sanch. Gob. Ovied. *num.*67. Ratio eſt, quia verba ſunt de ſe ſufficientia ſigna animi, & *nemo cenſetur dicere id, quod non habet in mente*. *L. Labeo*, ff. De ſuppell. legata. 7. *Præſumptio habetur pro veritate, quamdiu non elidit ur alia majore vel æquali*. Peckius & Gob. *num.*384. definitur enim præſumptio ab Alciato & Simanka apud Menoch. *l.*1. *q.*4. *Probabilis conjectura ex certo ſigno proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur*: quod ſi reſciatur veritas, *præſumptio cedit veritati*, argumento *L. Continuus* 137. *ff. De verb. obl.* Et *L. ult. ff. Quod metus cauſa*: Tuſcus *V. Præſumptio Conc.*112. Ex his ſolvi poſſunt pleraque dubia circa vota, ut jam patebit.

§.1. In dubio, an voveris, eſſe obligationem implendi, 382 docent Ang. Nav. Paſq. Turrian. aliique multi apud Ovied. *n.*61. qui putant in dubio partem tutiorem eſſe ſequendam, ſed principium illud univerſaliter intellectum non tenet, uti conſtat ex dictis L.1. à n.478. hinc obligationem tum implendi votum negant Suar. Henr. Sanch. Bonac. Laym. Gran. aliique plurimi, quos referunt & ſequuntur J. Sanch. *in Sel. d.*43. *n.*1. Gob. *n.*373. vocans probabiliſſimam. Ovied. *n.*62. addens eum Laym. Sanch. Caſtr. & aliis id verum eſſe, etiamſi quis magis propendeat in partem affirmantem votum. *Nec obſtat*, quod videatur eſſe dubium facti: *nam* rectè probat Teril. *in Reg. Maj. qu.*55. *à num.*32. reipſa etiam eſſe dubium Juris, quia eſt de Lege quam ſibi quiſque imponit vovendo, à quo voto præſuppoſito oriri deberet omnis obligatio, de tali autem Lege dubitatur, & libertas eſt in poſſeſſione, ergo. Idem eſt, uti cum aliis notat Tamb. *l.*1. *c.*3. §.7. *V. Votum*, ſi dubitetur, an fuerit promiſſio vel propoſitum: idem dicit ipſe in dubio, an votum ſe extendat vel non extendat ad certam materiam, quia libertas videtur manere in poſſeſſione contra iſtam extenſionem.

§.2. Qui ex motivo probabili opinatur ſe voviſſe & non ha- 383 bet motivum probabile, quòd non voverit, tenetur ſecundùm communem, uti habet Sanch. *de Matr. l.*2. *d.*41. *n.*34. Et hic *l.*1. *c.*10. *n.*36. quia tum potius eſſet poſſeſſio pro voto, nec propriè eſt dubium, aut ſaltem non ſufficiens paritas pro utraque parte.

§.3. Si voveris, ſed dubites, an te volueris obligare vel Deum 384 invocare, putat Tamb. probabile eſſe te non obligari, quia videris dubitare de ſubſtantia voti, conſequenter votum non videtur adhuc eſſe in poſſeſſione; ſed dicendum eſt cum Diana *p.*4. *t.*3. *R.*10. Gob. *num.*384. 388. & aliis communiter, te obligari, quia certus es de actu voti, præſumitur autem pro validitate actus, donec de invaliditate conſtiterit, Menoch. Tuſch. *Concluſ.*620.

§.4. Si quis dixerit, *ò Mater Dei! nolo ullam unquam ducere uxorem, ſed volote pro Sponſa habere & fieri Religioſus*: & 385 dubitet, an vovere voluerit necne, ſi poſteà ita fuit diſpoſitus, ut non putaſſet ſe peccaturum, ſi uxorem duxiſſet, Gob. *n.*395. dicit inde ſufficienter colligi, quod non habuerit animum vovendi.

§.5. Si dubites, an ſciveris, quòd votum afferat obliga- 386 tionem gravem, probabile putat Gob. *n.*389. te non obligari, quia ſubſtantia voti necdum videtur poſſidere; ſed oppoſitum videtur dicendum, maximè ſi habitualiter id ſciveris, quia omnis vovens ſatis cognoſcit exercitè, quòd ſe obliget Deo, cui advertenter vovet, ergo ſi res ſit gravis etiam ſufficienter advertit obligationem gravem.

§.6. Si dubites, an quando voviſti, habueris plenum uſum 387 rationis, Gob. *n.*390. dicit te non obligari: Alii diſtinguunt, & ſi quidem voveris ante ſeptennium, dicunt cum S. Thom. Suar. Ovied. *n.*69. Buſembaum aliiſque communiter præſumendum, non adfuiſſe plenum uſum, quia communiter tum non adeſt: è contra ſi voviſti poſt ſeptennium, dicunt cum Sanch. & Dian. *p.*4. *t.*3. *R.*10. præſumi fuiſſe plenum: Gobat ſuptà

adhuc

adhuc putat in his partibus Septentrionalibus id præſumi non debere, quia ſerius aſſequimur plenum uſum rationis, hinc addit, ſi puer Germanus dubitet, an ante nonum annum expletum emiſerit votum, ſe judicaturum non obligari, niſi ex ſingulari indole vel inſtitutione aliud colligeretur: *Sanch.* dicit, ſi dubites, an ſeptennium fuerit expletum, te teneri, tum quia raro fiunt vota ante ſeptennium, tum quia eſt certum & excuſatio dubia: oppoſitum tamen putat non improbabile Caſtrop. & Ovied.*n.*70.

388 §.7. In dubio, an paſſio ita obſcuraverit mentem, ut non adfuerit niſi ſemi-plena advertentia, ſtandum eſt pro valore voti, niſi tales conjecturæ occurrant in contrarium, ut prudenter credas te non ſatis conſideraſſe neceſſaria ad obligationem contrahendam; ita Suar.Sanch.Gob.*num.*170.Ovied.*num.*172. Similiter in dubio, an voveris in ebrietate vel phreneſi, Sanch. putat præſumendum, quòd extra, quia rarò in ejuſmodi ſtatu fiunt vota, ſed Caſtrop.& Ovied.*n.*71. rectè dicunt graves rationes requiri, ut quis dubitet de voto emiſſo in tali ſtatu, quæ ſi adſint, dicunt ſtandum eſſe pro libertate contra votum: ſi autem dubitetur, an ebrietas fuerit ſemiplena. *Sanch.* putat præſumi poſſe fuiſſe plenam, quia communiter eſt talis, quod verum eſt de illo tantùm, qui ſe communiter plenè inebriat, non autem de alio; ſi tamen fuerit etiam in hoc ſaltem tanta ebrietas, ut non relinqueret plenam libertatem, non teneret votum, ſecundùm dicta n.380. Et idem eſt, ſi dubitet, an fuerit ſemidormiens.

389 §.8. Si voviſti ſub conditionibus, & dubites, an eas intellexeris copulativè an disjunctivè, V.G. voviſti jejunare, ſi pater tuus abſens convaleſceret & domum rediret, nec potes ſcire, an utramque conditionem ſimul intenderis, an tantùm alterutram, non teneris, niſi utraque impleatur, quia nec verba nec materia rem declarant, in dubio autem favendum eſt voventi. Ita Sanch.*c.*22.*n.*20.Tamb.*n.*9.

390 §.9. Si ſcias te voviſſe jejunium pro die Martis, & dubites an habueris intentionem ſupplendi alia die, ſi iſta negligeres, Laym.& Gob.*n.*393. rectè dcunt te non teneri ſupplere alia die, quia in dubiis, quod minimum eſt, eligi poteſt.

391 §.10. Certus ſe voviſſe Religionem, ſed dubitans, an Religionem in genere, an hanc vel illam particularem, eligere poteſt, quam volet, Sanch.Gob. *num.*381. Ovied.*n.*64. Similiter certus ſe voviſſe caſtitatem, ſed dubitans, an perpetuam, an temporalem, quia neſcit, quibus verbis ſit uſus, cenſeri poteſt intellexiſſe temporalem; niſi dixiſſet, *voveo caſtitatem*, tum enim præſumi deberet abſoluta & perpetua, quia talem communiter intelligunt homines tali modo voventes, Gob. *num.*382.

392 §.11. Sciens ſe voviſſe caſtitatem & Religionem, ſed dubitans, an caſtitatem dependenter à Religione, non tenetur ad caſtitatem, ſi non admittatur ad Religionem, quia in dubio eligere poteſt, quod minus eſt, Sanch.Laym.Gob.*n.*304.394. contra Navar.

393 §.12. Certus ſe voviſſe Religionem, ſed dubius, an voverit perſeverantiam in illa, præſumere debet ſe etiam hanc voviſſe, uti rectè Gob.*n.*383. contra Bonac.& Dian.apud Ovied. *n.*65. quia per Religionem communiter intelligunt omnes Statum Religioſum, qui includit profeſſionem ſeu emiſſionem votorum: notat tamen rectè Laym.*l.*4.*t.*5.*c.*6.*n.*12. ſi in Novitiatu experiretur ſibi non conducere eum Ordinem, poſſe exire, quia cenſetur voluiſſe non exire, niſi ex juſta cauſa. Vide dicenda Lib.IV. à num.182.

394 §.13. Qui primùm invalidè vovit, ſed poſtmodùm renovavit votum, attamen dubitat, an renovaverit dependenter à prima emiſſione, an è contra voverit de novo & independenter à priore voto, præſumere poteſt eſſe factum dependenter à priore voto, adeoque non obligari, quia libertas poſſidet, ita Sanch. Dian.Gob.*n.*394. Si tamen ſint vota Religionis, contra quæ per integrum quinquennium non ſit proteſtatus, Trid.*ſeſſ.*25.*c.*19. *de Regul.* vult præſumi ſuperveniſſe novam ratificationem, ideoque obligandum ad illa obſervanda.

395 §.14. Quando ceſſavit cauſa, ob quam emiſiſti votum, & dubitas, an fuerit finalis an impulſiva, aliqui putant præſumi poſſe, quòd fuerit finalis, adeòque nunc ceſſare votum; ſed meritò contradicunt Sanch.& Gob.*num.*393. quia votum eſt in poſſeſſione: uti & tum, ſi voto ſuperveniant tales difficultates, ut dubites, an volueris illarum abſentiam ſub conditione fuiſſe incluſam necne, tum enim etiam poſſidet votum contra excuſationem dubiam.

396 §.15. Si dubites an executio voti ſit poſſibilis necne, teneris tentare, niſi tibi inde impenderet valdè grave incommodum, nam uti Leges humanæ non obligant cum valdè gravibus incommodis, ita multò minùs vota, quæ ſunt Leges privatæ, quas ſibi homines imponunt.

397 §.16.Si dubites an votum tuum ſit de re bona an mala,Sanch. Sot.Bonac. Tamb. Caſtrop. *d.*3.*p.*12. *n.*2. abſolutè docent non obligare; & videtur certum cum Gob.*n.*392. non obligare ad executionem, ſi nec Superior nec vir doctus interrogari, nec actio differri poſſit, quia nemo tenetur ſe exponere periculo peccandi; Suar. tamen Fill. aliique cum Dian.*p.*4.*tr.*3.*R.*13. & Ovied.*num.*73. fatentur quidem non teneri actu exequi, attamen votum valere, donec à Superiore diſpenſetur vel declaretur eſſe invalidum, certus enim eſt ſe voviſſe, & incertus, an DEUS acceptaverit, ergo tenetur inquirere.

§.17. Si voveris, & dubites, an expleveris, teneris, 398 uti omnes notant, quia votum poſſidet, & obligationi certæ non ſatisfit per ſolutionem dubiam. Vide dicta de Juramento à num.307.

DUBIUM III.

Quæ requiratur materia voti. 399

REſp. Ea debet eſſe poſſibilis: (cùm impoſſibile nec efficaciter poſſit intendi, nec ad illud ſit obligatio) & non ſolùm bona, ſed etiam melior quàm oppoſitum, ſive ejus omiſſio: quippe finis intrinſecus voti eſt, honorare per hoc Deum; id autem non poteſt fieri, niſi offeratur illi aliquid gratum; gratum autem eſſe non poſſit, ut quis obligetur ad relinquendum id, quod eſt melius. Sanch. *l.*4. *Mor. c.*7. Laym. Nav. & alii. *Unde reſolves:*

I. Invalidum eſt votum nunquam peccandi venialiter, cùm id moraliter & ordinariè ſit impoſſibile. Aliqui tamen volunt, ſic voventem teneri iſto voto ad vitanda mortalia, & venialia graviora, de quo Scholaſtici, Nav.*c.*12.*n.*65.Suar. *l.*2.*c.*3. Sanch.*de Matr.l.*9.*d.*35.

II. Invalidum eſt votum de re vana, vel inutili, vel indifferente, niſi ex circumſtantia, aut fine fiat bona, quia Deo diſplicet ſtulta promiſſio, & hinc eam non acceptat, ac peccat venialiter talia vovens; ut v.gr. ſi quis decidens ex equo, voveat non ampliùs equum aſcendere. Nav.*cap.*12.Sanch.4. *Mor.c.*7.

III. Invalidum eſt vovere mala; & qui vovet mortale, peccat mortaliter, qui autem veniale, eum venialiter tantùm peccare dicit Sà, Sylv. &c. *v.Juramentum;* licèt mortaliter peccare velit Cajet. *v.Votum*,& Leſſ.*l.*2.*c.*40.*n.*39. quod videtur probabilius.

IV. Invalidum eſt votum, cui adjungitur finis, vel alia circumſtantia mala, tenens ſe ex parte rei votæ; ut v.g. vovet quis eleemoſynam ad obtinendam vanam gloriam, aut impetrandam per eam victoriam injuſtam, felicem ſucceſſum furti, adulterii, &c. aut in gratiarum actionem pro ſucceſſu talis peccati: quia datio eleemoſynæ, in talem finem, eſt actio blaſphema, quaſi Deus peccata promoveat; ideoque non poteſt eſſe materia voti. Caj.Nav.*c.*12.Sanch.*c.*6.Laym. *l.*4.*t.*4.*t.*2.*n.*6.Fill.*t.*26.*n.*48.

V. Validum autem eſt, etſi ei adjungatur finis vel alia circumſtantia mala, tenens ſe tantùm ex parte voventis; ut v.g. ſi quis ex vana gloria, aut ex ira erga importunum mendicum, voveat ei dare eleemoſynam: quia tunc res iſta bona eſt, quam vovet, licèt ipſe voveat malè, & cum peccato. *Ibidem.*

VI. Validum item eſt votum factum ex affectu erga rem bonam, ut bona eſt, etſi conjuncta cum cauſa mala: ut ſi quis voveret eleemoſynam, ſi ex duello evaſerit ſalvus, ſi non capiatur in furto; ſi filius ſibi naſcatur ex adulterio, quod parat, &c. licèt enim duellum, furtum, adulterium velle, malum ſit, tamen his poſitis non lædi, non infamari, prolem gigni, mala non ſunt, ſed Dei dona: & votum non cadit ſuper iſta mala, ſed ſuper hæc bona, conſiderata (ut pono) quatenus in ſe bona ſunt. Nav.Laym.*l.c.*

VII. Invalidum eſt, & veniale peccatum, vovere bonum, quod eſt impeditivum boni majoris, ut præſertim ſunt vota contra conſilia Evangelica; ut v.g. manere in ſæculo, ducere uxorem, ire ad militiam, facere mercaturam. Nav.*n.*29. Suar.Fill. *num.*58. Sanch. & alii.

VIII. Si tamen aliquod bonum per ſe, & abſolutè minus fieret per accidens majus bonum, tunc talia vovere, valet, ut v.g.ſi quis voveret ſuſceptionem Ordinum ſibi damnoſam. V.Bonac.*p.*1.

IX. Matrimonium ordinariè invalidè vovetur; quia ordinariè melior eſt cælibatus. Dixi *ordinariè*: quia validè vovetur,1.Si quis ad hoc obligetur,ut quia ſine injuria aut gravi infamatione ſponſæ vel liberorum ex ea conceptorum, à ſponſalibus non poteſt recedere. 2.Si id Reip.valde utile futurum exiſtimetur,ut,quia v.g.ex eo ſperatur pax inter Principes, converſio hæreticorum,Regni tranquillitas. 3.Si quis ob fragilitatem, & inveteratam conſuetudinem peccandi adeò ſit pronus ad lapſum, ut prudentes judicent conſultum ei eſſe, ut nubat; in quo tamen ultimo Laym. & alii diſſentiunt. V.Bonac.*l.c.* Fill.*num.*61.Nav.Suar.*l.c.*Laym.*n.*12.

ADDENDA.

400 Quæſt. 107. *An votum de re partim poſſibili partim impoſſibili, partim apta partim inepta, ſit validum?* Reſp. Si expreſsè noluer is obligari ad partem, niſi obligareris ad totum, ad nihil obligaris, ut patet; ſi autem non conſtet de hac expreſſa voluntate, attendenda eſt materia promiſſa, nam ſi hęc ſit diviſibilis, & materia poſſibilis vel apta ſpectato communi uſu vovendi non pendeat à materia impoſſibili vel inepta, votum obligabit quoad partem poſſibilem vel aptam; ſi autem partes inter ſe copulari ſoleant, non obligabit: item, ſi inter partes una eſt principalis, altera tantùm acceſſoria, ſi principalis etiam ſola ſit poſſibilis vel apta, votum obligat; ſi ſola acceſſoria ſit poſſibilis vel apta, votum non obligat; v.g. voviſti pauperibus dare centum, & non potes niſi viginti, teneris ad hos viginti, quia eſt pars tibi poſſibilis, & ex communi uſu diviſibilis; è contra voviſti confiteri, & conſequenter etiam dolere de peccatis, ſi confiteri non poſſis, etiam non teneris dolorem de peccatis elicere: item, voviſti, jejunare in pane & aqua, ſi potes jejunare, ſed non ſine pane & vino, teneris; voviſti ire Romam nudipes, potes Romam ire, ſed non nudipes, hinc ire teneris; è contra voviſti certo die jejunare, ſi eo die non potes jejunare, etiam non teneris abſtinere à carnibus &c. Ita Suar. *l.2.c.2.* Sanch. *l.4.c.10.n.7.* Laym. *l.4.t.4.c.2.n.3.* Caſtrop. *p.8.* §.1. *num.10.* Tamb. *lib.3.c.15.§.5.* Illſ. *t.5.n.90.* Gob. *à num.76.*

401 Q.108. *An votum nunquam peccandi ſit de materia apta?* R. §.1. Votum nunquam peccandi mortaliter, item votum non peccandi venialiter deliberatè, item non peccandi certo genere venialium, v.gr. mendacio, eſt validum: notat tamen rectè Suar. *c.3.n.3.* facilè diſpenſandum eſſe in talibus votis, eò quòd communiter plus periculi habeant quàm utilitatis, unde multò cautiùs omitti debent.

402 §.2. Circa votum nunquam ampliùs peccandi in genere, nec mortaliter nec venialiter, tres ſunt ſententiæ, 1. dicit talem voventem obligari ad vitanda mortalia, & venialia deliberata, tum quia hæc pars eſt ab altera ſeparabilis & moraliter obſervari poteſt, tum quia tale votum eſt virtualiter triplex, quorum uno voviſſet vitare mortalia, altero venialia deliberata, tertio venialia etiam indeliberata, de mortalibus autem & venialibus deliberatis obligaret, neque prima vota debent vitiari per poſterius, quia *utile per inutile vitiari non debet*, uti habet regula Juris, & *Interpretatio facienda eſt pro valore actus, ut tantum valeat, quantum poteſt*, uti habet altera regula Juris, ita Suar. *num.16.* defendens hanc ſententiam veluti omnino probabilem. 2. quam *Suarez* dicit eſſe etiam probabilem & practicè tutam, tenet talem ad nihil obligari ex voto, tum quia materia illius eſt collectio mortalium & venialium cavendorum, quod eſt impoſſibile; tum etiam quia alioquin etiam obligaretur ad fugam certorum venialium minùs deliberatorum, quæ adhibita ſpeciali attentione vitari poſſent, nam etiam illa materia eſt moraliter impoſſibilis obſervatu, ita Sanch. *c.5.n.10.* 3. melius diſtinguit, nam ſi habuerit expreſſam voluntatem non obligandi ſe ad fugam mortalium, niſi ſimul obligaretur ad fugam omnium venialium, votum eſt irritum, uti patet, quia vovit rem moraliter impoſſibilem, ſi autem voluerit ſe diviſibiliter obligare, & quantùm obligari poteſt, tenebitur ad fugam mortalium, hæc enim eſt materia poſſibilis, ita Caſtrop. *num.8.*

403 Q.109. *Quid ergo dicendum ſit de voto vitandi omnia etiam venialia?* R. Suar. ſupra docet veluti probabile, quòd votum hoc obliget ad vitanda, non tantùm venialia deliberata, ſed etiam abſolutè ad vitandam partem illam quorumcunque venialium, quam vovens ſibi ſecundùm prudens arbitrium determinaverit, ſicut qui vovit jejunare per integrum menſem, & non poteſt niſi per medium, tenetur ſibi ſecundùm prudens arbitrium determinare priorem vel poſteriorem partem, aut eligere dies interpolatos: è contrà *Santh. Buſemb. & alii* abſolutè id negant ob rationem ante datam; ſi tamen voverit vitare omnia venialia, quantum in ſe erit, putat Sanch. *n.13.* & Leſſ. *de juſt. l.2.c.40.n.31.* vi voti teneri ad cavenda omnia, ſaltem adhibendo ſpecialem curam majorem, nam propoſitum de his omnibus vitandis & de diligentia tali adhibenda eſt validum, ergo etiam votum: ſed Caſtrop. *n.9.* & 12. utrumque negat, quia omnia vitari non poſſunt, ergo omnia ex vi voti non comprehenduntur, ergo votum ad omnia & ſingula nunquam poteſt eſſe determinatum, ergo etiam ex vi voti non poteſt exigi, ut hæc præ illis mihi determinem vitare, & ſic ſolvitur argumentum *Suarez*; nam diſparitas eſt, quòd votum jejunii ex vi ſua comprehendat, & determinatum ſit ad omnes & ſingulos dies illius menſis, & conſequenter vi illius exigitur, ut hos mihi determinem obſervandos præ illis, ſi obſervare non poſſim omnes. Ad rationem *Sanch.* diſparitas eſt, quòd votum & non propoſitum inducat obligationem, quæ ſemper debet eſſe de re humano modo cognoſcibili, hoc autem votum eſſet de re humano modo incognoſcibili, quia nemo unquam poterit ſcire, an debitam diligentiam adhibuerit, præſertim in peccatis, quæ minùs advertenter fiunt. *Si dicas*, Præceptum naturale obligat ad omnia venialia etiam indeliberata vitanda, ergo etiam poteſt obligare votum. Reſp. *N. conſeq.* ad obligationem præcepti naturalis ſufficit potentia phyſica implendi, habet autem homo potentiam phyſicam cavendi omnia venialia, è contra obligatio voti, cùm ſit libera & à vovente ipſo, reſpicit potentiam ejus moralem, non enim voluit ſe obligare ad aliquid moraliter impoſſibile; homo autem non habet potentiam moralem ad cavenda collectivè omnia venialia. V. dicta l.1. à n.780.

Q.110. Ad quid teneatur, qui vovit confiteri omnia venialia? 404 R. Tenetur confiteri ea, quæ fecerit, & memoriæ occurrent: quòd ſi aliqua priùs poſt Confeſſionem occurrant, expectare poteſt ſequentem Confeſſionem, licèt communicare velit: nam votum debet cenſeri factum de illis, quæ ante Confeſſionem memoriæ occurrerent. Ita Sanch. *c.5.num.20.*

Q. 111. Quid prætereà notandum ſit circa materiam 405 *voto aptam vel meliorem?* R. Seqq. §. 1. An materia ſit voto apta vel inepta, judicandum eſt, non ex tempore, in quo, ſed pro quo fit votum, ſic in naufragio voves Confeſſionem, quamvis pro tempore, in quo es, materia ſit impoſſibilis, eſt tamen poſſibilis pro tempore, pro quo voves; nempè cùm evaſeris, hinc ligat votum, ita Tamb. *l.3.c.15.§.5.n.5.*

§.2. Quando materia, dum voves, non eſt apta pro eo 406 tempore, pro quo voves, licèt poſteà fiat apta, votum non fit validum, nam quod initio fuit invalidum, tractu temporis non convaleſcit, v.g. ſi ex fine malo vel indifferente voviſti non adire certam domum, quamvis poſteà fieret lupanar, non tenereris eam vitare ex voto, quod ſe ad hoc motivum non extendebat, Tamb. *à n.7.* Aliud eſt in caſu, quem poſuimus *n.375.* ibi enim erat idem finis, & idem motivum intrà tempus, quod comprehendebatur à voto.

§.3. Quando materia ante, cùm fieret votum, apta, per 407 tempus fit inepta, votum per hoc tempus ſuſpenditur: ſic ſi voviſti non adire iſtam domum ob certam puellam, quæ ibi eſt, & tibi facit periculum, ſi ea abſit, votum ſuſpenditur, poteſque domum ingredi; ſi ea redeat, votum redit; ſi ea moriatur, votum omninò ceſſat. Quòd ſi puella alia etiam periculoſior eò veniret aut rediret non tenereris vi voti vitare, nam ad hanc non extendebat ſe tuum votum initio, ergo nec poſteà, *Tamb. ſuprà.*

§.4. Ut aliquid dicatur eſſe impeditivum majoris boni, 408 ideòque votum ſit invalidum, non eſt ſatis, quòd ſit impeditivum majoris boni cujuſcunque, ſic enim vix ulla vota valerent, cùm ſemper dari poſſit aliquid melius incompoſſibile cum illo, quod vovemus, ſed debet eſſe impeditivum majoris boni, quod vovens habeat tunc, cùm vovet; item ſecundùm Gob. *num.70.* votum debet eſſe de re meliori, quàm ſit res illa, cui privativè & directè opponitur res voto promiſſa. Hinc valet votum perpetuò ſerviendi in hoſpitali, quamvis te impediat à Religione, quia ſic ſervire melius eſt, quàm non ſervire: è contra votum nubendi, per ſe loquendo, non valet, quia impedit cœlibatum, quem habes, & qui de ſe melior eſt quàm connubium, etiamſi voveretur connubium cum paupere puella, inquit Tamb. §.4. *num.4. & 6.* de iſto tamen voto non nubendi videri poteſt etiam Gob. *t.10. num.42. & 406.* Item *t.11. à n.270.* Addit Tamb. §.1. *n.5.* contra Sanch. *c.1.n.24.* votum priùs factum valere, quamvis poſteà voveas aliquid melius imcompoſſibile cum priori; poteris tamen, ſi voles, illud prius votum commutare in poſterius.

§.5. *Valent. Sanch. & alii* cum *Rayn.* putant ad valorem 409 voti ſufficere, ſi res votiva in ſe ſit abſolutè melior, quamvis non ſit melior etiam reſpectivè ad voventem, prout eſt particularis perſona; ſed meritò contradicunt alii cum Gob. *num.70.* & cum Moya *t.2.q.1.n.18.* cùm enim vovens hanc ſuam actionem vel omiſſionem devoveat, hæc non acceptatur à Deo, ſi hìc & nunc non ſit Deo gratior, quàm oppoſitum: deinde ad intentionem voventis parum attinet, quod res aliis ſit melior, ſi ipſi non ſit talis, cùm voto ſuo tendat in utilitatem ſuam, & hæc ipſa eſt majus beneplacitum Dei, cujus voluntas eſt noſtra ſingulorum ſanctificatio.

§.6. Si quis ſic voveat, *Hodie vel jejunabo vel me ine-* 410 *briabo*, totum votum eſt irritum, quia, ut valeret, deberet voventi eſſe libertas ad eligendum utrumlibet, malum autem nemo poteſt eligere, Sanch. *cap.10. num.17.* Caſtrop. *p.8. n.28.* Gob. *num.79.* Si tamen intentio voventis eſſet conditionata tantùm, ita ut voveret jejunare, ſi ante prandium non haberet voluntatem ſe inebriandi, votum valeret, ita iidem Authores cum Tamb. *cap.15.§.5. num.9.* in dubio autem, an intentio fuerit disjunctiva, an conditionata, quamvis ſuſpicio eſſet pro conditionata, cenſeri debet fuiſſe disjunctiva, tum quia verba erant disjunctiva; præſumi autem debet, quòd mens concordaverit cum verbis; tum etiam, quia in dubiis minimum eligi poteſt.

§.7. Si

411 §.7. Si quis ſic voveat, *non ero Religioſus, vel ero Carthuſianus*; item, *voveo eſſe Carthuſianus vel nullus Religioſus*, votum probabiliter valet, quia melius eſt eſſe conditionatè obligatum ad Religionem, quàm nullo modo, Laym. Sanch.Gob.*num.36.* poteſt tamen votum illud ab ipſo vovente commutari in abſolutum de Religione alia etiam mitiore, quia melius eſt eſſe abſolutè obligatum ad aliquem Ordinem, v. gr. Canonicorum Regularium, quàm conditionatè ad Ordinem Carthuſianorum vel ad nullum: Conſequenter qui vovet ingredi, V.G. Ordinem S.Franciſci & non S.Dominici, quamvis ſecundùm Caſtrop.§.5.*num.16.*& Burgh.*centur.3.caſ.*13.videatur invalidè vovere, quia pars materiæ, quam vovet, ſcilicet non ingredi Ordinem S.Dominici, eſt inepta voto, tamen ſecundùm Sanch.*c.8.n.47.* alioſque plures validè vovet, quia votum illud directè eſt de bono meliore, quamvis indirectè aliud bonum excludat: deinde quia melius eſt hoc unum ex obligatione facere, quàm liberum eſſe ad utrumque, quorum neutrum fortè faceret: Has ſententias ut conciliet Tamb. ſic ait §.4.*num.7.* ſi voveas ingredi Religionem S.Franciſci & non S.Dominici,quia judicas priorem eſſe tibi aptiſſimum,poſteriorem autem non eſſe aptum, votum valet, ſi autem ſine tali cauſa temerè tibi tollas libertatem ad Ordinem S.Dominici, votum non valet: & eodem modo loquere de aliis, v.g. ſi voveas non orare niſi flexis genibus, non dare eleemoſynam, niſi ſemper ſit major quàm unius aurei, quamvis Caſtrop. dicat ejuſmodi vota eſſe invalida, quia habent hoc adjunctum, *non orabo ſtans, non dabo eleemoſynam medii aurei*, quæ ſunt materia inepta voto, tamen ſi adſit honeſta cauſa hæc adjungendi, materiæ iſtæ non erunt voto ineptæ.

412 §.8. Quamvis aliquis voveat Religionem ut lautè vivat, tamen materia eſt de meliori, & votum valet, quia lautus victus non eſt finis principalis, ſed tantùm cauſa impulſiva.

413 §.9. Probabile eſt, quòd votum Carthuſiani nunquam,nec in infirmitate quidem & periculo mortis, comedendi carnes, ſit de meliori bono, ſpectatis circumſtantiis Status & Regulæ, adeòque obliget, Tamb.*c.16.§.1.n.1.* V.Buſembaum referendum *num.769.*

414 §.10. Si finis voti ſit res omninò indifferens, v.g. ſi voveas jejunium, ut parcas ſumptibus; eleemoſynam, ut non videaris avarus, vota ſunt invalida, quia votum non acceptatur à Deo, niſi res voveatur, prout honeſta eſt, Suar.*l.4.num.5.* Sanch.*c.7.n.25.*Caſtrop.§.3.*n.6.* Illſ.*t.5.n.93.* è contra, quamvis materia & finis ſecundùm ſe ſit indifferens, ſi tamen imbibat aliquid honeſtum, v.g. agnitionem divinæ bonitatis donantis rem optatam, votum valet, uti ſi voveas jejunium, ut obtineas ſcientiam, honorem, valetudinem à Deo, quia honeſtum eſt intendere talem finem conſequi per donationem divinam. Laym.*l.4.t.4.c.2.n.10.* Caſtrop. ſuprà, Gob.*num.60.*

415 §.11. Ut res indifferens ſit materia voti ratione boni finis, debet eſſe apta ad bonitatem talis finis, hinc non valent hæc vota, ob reverentiam non præcidendi ungues die feſto, nunquam ſpuendi in templo, non comedendi capita animalium ad honorem S.Joannis decapitati, non nendi die Sabbati ad honorem B.Virginis &c. quia hæ materiæ ſunt vanæ & inutiles ad iſtos fines, Gob. *num.61.* Valerent tamen vota, ſi hæc ob aliquam circumſtantiam pertinerent ad aliquam virtutem, uti ſi multùm delectareris cibo è capitibus animalium, & voveres abſtinere ex motivo temperantiæ; ſi affectu nendi retardareris ab oratione, & voveres non nere, Tamb. *c.15.* §.2. *num.9.* Gob. *num.64.* qui *num.63.* ad dignoſcendum, ſitne votum irritum necne ratione finis extrinſeci dat hanc regulam:*Omnis ille & ſolus finis extrinſecus irritat votum pro quo fine obtinendo irreverenter & ineptè oramus expreſsè Deum*, quoties enim vovendo volumus obtinere aliquid, toties illud à Deo petimus ſaltem implicitè, non auderemus autem à Deo petere indecentia, vel non conducentia neque ad ipſius honorem neque ad ſalutem noſtram vel proximi, unde votum jejunii, ut obtineas divitias, præcisè in divitiis ſiſtendo & non referendo ad bonum uſum, eſt irritum. Suar.Sanch.Gob.*num.65.*

416 §.12. Votum bibendi mediocriter vel ludendi honeſtè, ſi fiat abſolutè & importet obligationem abſolutam ad potum vel luſum, eſt de re prorſus indifferente, vel ſaltem non eſt de meliori, quia ſæpè melius eſt ab his abſtinere, hinc non valet: Si tamen eſſet conditionatum, & ſic diceret, *Quandocunque bibam, faciam mediocriter; quandocunque ludam, honeſtè ludam*, eſt de meliori bono, & valet, quia ſuppoſito, quòd bibam vel ludam, ſemper melius eſt iſta facere mediocriter & honeſtè.

417 §.13. Votum non vovendi, ſi ſit abſolutè excludens omnem libertatem vovendi, eſt irritum, quia impedit majus bonum, nam abſolutè melius eſt vovere quàm non vovere; ſi autem voveas non vovere temerè, vel inconſulto Confeſſario aut viro prudente, votum valet, quia tantùm excludit hoc, quod malum eſt, nempe temeritatem & imprudentiam, nec opponitur voto ſecundùm ſe: Quòd ſi tamen poſteà memor voti antecedentis voveas temerè aut nemine conſulto, peccas quidem contra antecedens votum, attamen non mortaliter, nam ſuppono non eſſe temeritatem vel imprudentiam gravem; poſterius tamen votum eſt validum: Si autem poſteà voveres immemor antecedentis voti, dubitatur, an poſterius votum valeat, & videtur diſtinguendum, nam ſi anteà cum priori voto habuiſti expreſſam voluntatem non obligandi te unquam impoſterum, ſi fortè voveres immemor illius prioris voti, poſterius votum erit invalidum, quia prior voluntas non obligandi ſe videtur adhuc moraliter manere, ideoque Deus non acceptabit poſterius votum; ſi autem non habuiſſes talem expreſſam voluntatem, poſtremum votum eſſet validum, quia haberet omnia ad valorem requiſita, ita quoad omnes partes Suar.*l.2.c.11.num.5.* Sanch.*c.8.an.14.* Caſtrop.§.5.*n.3.* *& alii.*

418 §.14. Votum non petendi diſpenſationem, ſi ſit abſolutum, eſt invalidum, quia diſpenſatio ſæpè eſt neceſſaria vel melior voventi; ſed votum non petendi diſpenſationem ſine cauſa, eſt validum, Sanch.*n.21.* Caſtrop. *num.4.* Tamb.§.4.*n.8.* Si autem non conſtet de intentione, cenſendum eſt fuiſſe de non petendo ſine cauſa, tum quia nemo præſumitur malè voluiſſe vovere, tum etiam quia quando certus eſt actus, in dubio ſtandum eſt pro ejus valore.

419 §.15. Votum non admittendi Prælaturam vel dignitatem, ſi fiat ex humilitate vel ad vitanda pericula, valet, quia majus bonum eſt rejicere onus, in ſe quidem bonum & perfectum, attamen majori perfectioni ſubjecti oppoſitum vel periculoſum, quàm admittere, Tamb.*num.5.* quod Gob.*n.71.* dicit eſſe certum, quia Eccleſia approbavit votum, quod in Societate JESU fit de non admittendis dignitatibus; idem putat *Suar.* de voto non ſuſcipiendi ſacros Ordines, ſed, per ſe loquendo, meritò contradicit Tamb.*n.10.* quia, per ſe loquendo, afferunt majus bonum nec tantum periculum.

420 §.16. Votum Religioſi, impuberis, uxoris, ſervi, de materia per ſe quidem bona & honeſta, ſed illis legitimè quoad ſubſtantiam interdicta, eſt irritum, quia votum non debet adverſari præcepto, nam melius eſt obſervare præceptum quàm tranſgredi; ſi autem materia tantùm quoad modum interdicta ſit,v.g. ſi Superior prohibuerit, ne ſubditus abſque ſuo conſenſu jejunaret, votum ſubditi de jejunando ſub conditione impetratæ licentiæ valet, quia jejunium cum licentia non prohibebatur, hinc qui ſic voviſſet, teneretur petere licentiam, alioquin irriſoriè voviſſet. *Si dicas*, ſaltem ille, cui materia quoad ſubſtantiam eſt interdicta, poterit vovere ſub conditione impetratæ diſpenſationis, ſicuti duo prohibiti contrahere Matrimonium, poſſunt ſibi illud promittere ſub conditione impetratæ diſpenſationis. Reſp. Diſparitatem eſſe, quòd promiſſio humana, qualis eſt illa Matrimonii, ſpectet tantùm materiam promiſſario utilem & in ſe honeſtam, è contra votum ſpectat materiam meliorem & Deo gratiorem, Deo autem, per ſe loquendo, gratius eſt præceptum ſervari, quàm ab eo per diſpenſationem eximi.

421 §.17. Probabile eſt, quòd votum factum in gratiarum actionem pro re mala, v.g. pro obtenta injuſta victoria, vel filio ex fornicatione, ſit validum, quia non agis gratias pro victoria ex ea parte, qua eſt injuſta vel à te proceſſit, ſed quatenus proceſſit à Deo, qui meritò potuiſſet impedire, ita Suar.*l.2.cap.5.n.19.*Caſtrop.*p.8.*§.*3.n.4.* contra Sanch. Leſſ.& Laym. Similiter ſecundùm Gob.*num.67.* valet votum, ſi dicas, *Voveo me fore Religioſum, ſi in duello proximo occidero potiùs Adverſarium, quàm ille me.*

Materiam abſolutè levem non ſubſtare gravi obligationi, dicam *lib.3.num.233.*

422 *Q.122. Quomodo peccet, qui vovet illicita, vel indifferentia, vel ob malum finem; aut qui talia vota exequitur?* R.§.1. Si ſolus finis voventis ſit venialiter malus, præter peccatum, quod eſt deſiderium illius finis mali, etiam committitur veniale contra Religionem, quia irreligioſum eſt ad Dei offenſam abuti voto, quod per ſe ad cultum Dei ordinatur: eſt autem veniale tantùm, quia ſolummodò eſt defectus in modo vovendi ex fine extrinſeco, qui non redundat in materiam voti, nec obligationem minuit, adeoque culpam venialem excedere non poteſt.

423 §.2. Si res promiſſa ſit mortaliter turpis, vel promittatur propter finem mortaliter turpem, eſtò exteriùs tantùm ſine animo promittendi vel explendi fiat, præter malitiam pravi deſiderii, eſt mortale contra Religionem, quia promittens offert rem illam Deo, vel ergo ut gratam, & eſt gravis blaſphemia ac illuſio Dei, cùm ſciat eſſe ipſi ingratiſſimam; vel offert ut ingratam, & ſic æquivalenter minatur Deo, aut vult affligere; hæc autem omnia ſunt gravia.

424 §.3. Si res promiſſa vel finis ſit tantùm venialiter turpis, aliqui putant eſſe tantùm peccatum veniale ob levitatem materiæ, alii dicunt adhuc eſſe mortale, ob rationem jam datam: quia tamen verbum (*voveo*) in re vel fine turpi paſſim non ſignificat votum, ſed ordinariè Juramentum, uti cùm quis dicit,

cit, *voveo me vindicaturum*, intelligit, *juro*, tunc ſi materia ſit levis, ſecundùm dicta *n.*265. peccatum erit leve.

425 §.4. Votum rei indifferentis vel ob finem indifferentem eſt tantùm veniale, quia nec actus Deo eſt contumelioſus, nec materia poſitivè ingrata; putat quidem Beja *p.*1.*caſ.*66. hoc eſſe peccatum blaſphemiæ, ideoque grave, eò quòd æquivalenter dicat Deum delectari rebus vanis & inutilibus, ſed *contra eſt*, quòd non ſit illa mens voventis, ſed tantùm imprudentia circa electionem materiæ.

426 §.5. Executio votorum ſupradictorum eandem malitiam continet, quam emiſſio, quia executio ex obligatione voti, eſt facti voti approbatio.

DUBIUM IV.

427 *Quæ & quanta ſit obligatio voti.*

Reſp. Tanta eſt, quanta tum quantitas materiæ permittit, tum intentio voventis, qua ſe vel multum vel parum, vel abſolutè, vel cum certa conditione, reſtrictione temporis, qualitatis obligare vult, deſignat: ita ut, etſi obligatio voti ſit juris naturalis, vis tamen ejus pendeat à voluntate & facto hominis, tanquam prævia conditione, ut tantùm vel tantùm obliget. Ita communiter. V. Laym.*l.*4. *t.*4.*c.*3. Bon.*p.*5. *Unde reſolves*,

I. In materia levi nemo obligatur ſub mortali, quia materia id non permittit, Navar.*c.*12.*n.*40. Sanch.*l.*4.*c.*12. Laym. *l.c.* v.g. voviſti recitare quotidie *Salve Regina*; omittendo ſemel, iterumque non peccas mortaliter, quia materia eſt parva, Sanch. Laym.*loc.cit.* Azor.*l.*21.*cap.*15. Imò etſi toto anno omittas, eſſe tantùm veniale, eò quòd materiæ iſtæ parvæ non coaleſcant in unam, probabiliter docet Dian.*p.*3. *tr.*5.*R.*24. ex Soto, Arag. & Tannero 2. 2. *d.*4.*dub.*3. contra Valent. & alios.

II. In materia gravi, etſi quis poſſit ſe obligare tantùm leviter, communiter tamen cenſetur ſe voluiſſe obligare graviter, niſi aliunde conſtet. Unde violans tale votum, peccat graviter ex genere ſuo. V. *ibid.*

III. Qui poſtquam gravi voto ſe obſtrinxit, ſeriò deinde dolet, quòd fecerit, non peccat graviter, modò retineat animum implendi, V. Sà *v.Votum*.

IV. Qui violat votum de re jam ante præcepta, v.gr. qui poſt votum caſtitatis fornicatur, debet in Confeſſione addere, quòd votum id habeat, aut quòd Ordines acceperit, ſi Confeſſarius neſciat, quia duplex tunc eſt malitia peccati Suar.*c.*6. Leſſ.*l.*2.*c.*40.*n.*47. Sanch.*c.*5. Filliuc.*tr.*26.*num.*57.

V. Alieno voto nemo obligatur ex vi illius voti, unde ſi qui Canones videntur indicare, filium à patre Religioni devotum, teneri eam profiteri, intelligendi ſunt, ſi filius votum patris ſemel ratificaverit, Suar. *cap.*9. Sanch. Laym. *num.*7.

VI. Cùm hæres teneatur ſolvere vota realia defuncti, non tenetur vi voti, ſed ex Juſtitia: uti tenetur alia illius debita, legata &c. ſolvere. *Ibid.*

VII. Eodem modo ſi Communitas aliquid vovit, in quod poſteri non conſenſerunt, non tenentur id ſervare vi voti, ſed interdum ratione pacti, Statuti, vel longæ conſuetudinis, V. Laym.*num.*6.

VIII. Cùm quis vovet factum alterius, ſenſus eſt, ſe curaturum id eo modo, quò licitè poteſt, ut v.g. rogando, perſuadendo, vel etiam præcipiendo, ſi ſit Superior, vel etiam aliquando paciſcendo, & ſuppeditando ſumptus. Sic Parens, qui filium devoverit Religioni, ad nihil aliud tenetur, quàm ut conetur eam filio perſuadere. Sic ſi quis Miſſas vel peregrinationem alterius curandam ſuſcepit quando ſtipendium ac ſumptus ei perſolvit, non tenetur alium ſubſtituere novis ſumptibus, ſi prior non præſtet, ad quod ſe obligavit, Sanch.*num.*7.

IX. Vota perſonalia non implentur niſi per voventem; unde qui vovit peregrinationem Romam v.g. non ſatisfacit, ſi conducat alium: neque ad id tenetur, ſi ipſe non poſſit. *Ibid. num.*8. *&* 9.

X. Vota realia ſolvenda ſunt ex proprio; unde qui nequit ex ſuo, non tenetur ab alio mendicare. Quod ſi poſſit ex ſuo & tamen alius, ſive rogatus, ſive ſponte pro ipſo velit ſolvere, id valet, quia tunc, quod alter dat, fit ipſius; non autem actio alterius perſonæ poteſt fieri alterius, *v.ibid. num.*8.

XI. Vota conditionalia non obligant ceſſante conditione, etiamſi ipſe vovens cauſa fuerit, ut conditio non poneretur: dummodò id non impediverit per dolum, vim aut malitiam; ut v.g. voviſti peregrinationem, ſi eam Petrus, approbet; deinde ſubmittis, qui perſuadeat, ut non approbet: illo igitur non approbante, non teneris. Imò etſi malitioſè per fraudem, dolum, &c. impediveris, adhuc probabile eſt te voto non teneri, ut habet Lay.*c.*6. ex Suar. & aliis. Interim, *Laym.* rectè hic advertendum monet ad intentionem voventis; ut v.g. ſi filius vovit ingreſſurum Religionem, niſi pater contradixerit, videtur ejus intentio fuiſſe, niſi contradixerit ex ſe, ſua ſponte, ſibi relictus, &c.

XII. Qui vovit rem certam & determinatam, v.g. hunc calicem: ſi ea res pereat, non tenetur ad aliam; cùm id non ſoleat intendi: Si autem eam rem vendiderit, probabilius videtur eſſe, teneri dare pecuniam, quam accepit, quia qui vovet rem, cenſetur promittere omnem ejus utilitatem.

XIII. Qui vovit aliquid faciendum certo tempore, ut jejunare hoc vel iſto die; illo tranſacto, ſive cum culpa, ſive ſine culpa ejus, ad nihil tenetur: & neque, ſi præviderit impedimentum eo tempore ſuperventurum, tenebatur prævenire, cùm hæc non ſoleat intentio voventis eſſe. Suar. Nav. V. Bonac.*p.*5.

XIV. Qui vovit aliquid ſine certo tempore, v.g. peregrinationem tantùm, tenetur implere, cùm commodè primùm poteſt, quia ſic moraliter quiſque cenſetur intelligere ſuam promiſſionem, ut habita commoditate, non nimis diù differat; quamvis minor cauſa ſufficiat ad differendum quàm ad omittendum. Fill.*c.*4.*q.*10. Suar. Laym.*c.*3. Bonac. & alii.

XV. Qui vovit aliquid ſine certo loco, v.g. ingredi Religionem S. Benedicti, ſatisfacit intrando quodcunque Monaſterium illius Ordinis, in quo ſervantur ſubſtantialia Regulæ. Neque tenetur pro admiſſione peragrare provinciam, ſed ſatis eſt adire loca aliquot non nimis diſcita. Et ſatisfecit voto, ſi poſtquàm ingreſſus eſt, remittatur, aut egrediatur (ſaltem cum juſta cauſa, qualis eſt, v.g. gravis ac diuturna triſtitia & anxietas, ſive ex natura ipſa, ſive aliunde nata, Eſcob. ex Sanch.*l.*4.*c.*16.*n.*100.) ante profeſſionem. V. Trull. *l.*2.*c.*2.*d.*20.*num.*7. *&* 8.

XVI. Qui vovit aliquid ſine certa qualitate, v.g. Religionem in genere, poteſt ingredi quamcunque etiam laxiorem; modò ſerventur eſſentialia, & ſit approbata. Similiter, ſi quis vovit triticum &c. non tenetur dare optimum, quod habet, ſed ſatis eſt (loquendo de obligatione præcisè) ut det, quod non ſit planè ineptum.

XVII. Qui vovit aliquid ſine certa quantitate, v.g. eleemoſynam, pecuniam, frumentum &c. ſatisfacit dando quantum voluerit, modò non tam parum, ut videatur potiùs irridere ſuum votum, quàm implere. Ratio horum omnium petitur ex intentione voventis, qua nemo cenſetur ſe obligare, niſi ad id, quod commodè poteſt, & communiter eſt decens. Suar. Sanch. *l.*4.*c.*15.

XVIII. In dubio de mente voventis, debet fieri interpretatio ſecundùm verborum, quibus uſus eſt, proprietatem, vel potiùs communem & uſitatam acceptionem. Fill. *tr.*26. *c.*2. Laym.*c.*3.

XIX. Qui vovit, ſi ludat chartis, dare 10. imperiales, tenetur ſecundùm *Sanch.* dare toties decem, quoties ludit: quia pœna eſt actui acceſſoria. Videtur tamen negare Laym. *cap.*5.*num.*4. V. Trull. *l.c. dub.*5.*num.*25. Dian.*par.*5.*tract.*9. *Reſol.*60.

ADDENDA.

428 *Quæſt.*113. *Quæ ſint regulæ generales & quomodo ex illis diſcernenda ſit obligatio voti?* Reſp. Regulæ ſunt hæ: 1. Votum obligat ſecundùm intentionem voventis, & non ultrà, quia votum eſt veluti privata Lex, quam quis ſibi ponit. Lex autem non obligat ultra intentionem Legislatoris. 2. Quando non conſtat de intentione voventis, ſpectanda eſt materia promiſſa, & juxta illius naturam cenſendum eſt votum obligare, quia quilibet cenſetur eam obligationem ſubire velle, quæ materiæ promiſſæ eſt accommodata. 3. Si poſt diſcuſſam voventis intentionem & materiam inſpectam, adhuc dubium ſit, qualis ſit obligatio voti, attendendum eſt ad verba promiſſionis, quæ ſumenda ſunt ſecundùm communem uſum, & juxta illa verba eſt interpretanda obligatio voti, quia quiſque cenſetur facere velle, quod verbis indicat, uti ſuprà eſt dictum. 4. Si ſupradictis omnibus conſideratis adhuc dubia eſt obligatio voti, votum eſt interpretandum in favorem voventis, ut *num.*381. dictum eſt, quia obligatio non eſt imponenda, niſi de ipſa clarè conſtet, cùm libertas ſit in poſſeſſione contra illam. 5. Illa materia eſt gravis reſpectu voti de qua poſſet dari præceptum ſub mortali obligans, votum enim obligat inſtar præcepti, quod vovens ſibi ipſe imponit; non eſt autem conſideranda materia nudè ſecundùm ſe, ſed etiam videndum, an non ex circumſtantiis notabiliter conducat ad cultum divinum vel ad utilitatem voventis. 6. Qui vovet talia, quæ etiam præcipi ſolent, v.gr. jejunium, Miſſam, cenſetur ad tale opus ſe obligare, quale à Fidelibus præſtari debet ex præcepto. 7. Qui ſe obligat ad finem, obligat ſe ad media ordinaria, non tamen ad extraordinaria. 8. Si voto non ſit additum tempus

im-

implendi, obligat quàm primùm fieri poteſt commodè, quia *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præſenti die debetur, Reg.*14. *ff. de Reg. Juris*, ubi quando dicitur, *præſenti die debetur*, intelligitur, *ſi commodè fieri poſſit*, quando autem obligationi nullus eſt præfixus finis, ut ſi dixeris, *voveo deinceps caſtitatem, voveo jejunare diebus Veneris &c.* cenſentur vota perpetua, Illſ.*tr.*5. *n.*109. Has regulas tradunt communiter cum Caſtrop. *hic d.*1. *p.*12. Tamb. *c.*12. §.5. *n.*5. Gob. *tr.*11. *à n.*82. Ex his reſolvi poſſunt innumeri caſus, v. gr.

429 §.1. Obligatio voti poteſt eſſe levis, licèt materia ſit gravis, ita Suar. Sanch. Caſtrop. Tamb. aliique communiùs cum Illſung. *num.*101. contra Sot. Vaſq. & alios. Ratio eſt, quia Lex non obligat ultra mentem voventis; deinde vovere materiam gravem cum intentione ſe leviter obligandi, vel eſt poſſibile vel impoſſibile; ſi poſſibile, tum fiet, quando vovens id expreſsè intendet; ſi impoſſibile, ergo non erit verum votum, ergo nec gravis obligatio. *Si dicas*, obligationem voti eſſe ex Lege divina vel naturali, quæ obligat promittentem, ut ſit fidelis, Lex autem divina vel naturalis in materia gravi ſemper obligat graviter. Reſp. Legem divinam vel naturalem in gravi materia obligare graviter, ſi non ſit dependens, & non fundetur in voluntate hominis eam gravem obligationem impedientis; ſi autem ita dependeat vel fundetur in voluntate hominis, non obligat, niſi ſecundùm hanc voluntatem. *Si inſtes*, qui in materia gravi jurat, non poteſt ſe obligare leviter, ergo nec qui vovet. Reſp. Diſparitatem eſſe, quòd omne Juramentum vocet Deum in teſtem, cujus authoritas non ſuſcipit magis & minus, ideoque ejus obligatio ex voluntate jurantis limitari non poteſt. *Si urgeas*, in materia levi non poteſt eſſe obligatio gravis, ergo nec in materia gravi obligatio levis. Reſp. Diſparitatem eſſe, tum quòd Deus non acceptet materiam levem ad obligationem gravem, quia non conduceret ad ſalutem, ſed ad periculum animæ; tum quia materia levis non eſt capax obligationis gravis, materia autem gravis eſt capax obligationis magnæ, ergo etiam parvæ: notant tamen rectè Gob. & Lugo *d.*22. *num.*41. *& in Reſp. Moral. lib.*6. *dub.*8. vota Religioni & majoribus Ordinibus annexa, cùm involvant ſtabilitatem, eſſe irrita vel non acceptari, ſi tantùm intenderetur obligatio levis: Similiter notant Lugo & Gob. *num.*82. votum cum intentione ſe non obligandi ſub peccato, ſed tantùm ſub imperfectione, reipſa non fore votum, ſed tantùm propoſitum.

430 §.2. Qui vovit curare legi Miſſam, deditque ſtipendium Sacerdoti, ſi hic negligat, idque reſciat qui voverat, hic ad nihil ultra tenetur; quia non intendit niſi curare Miſſam, prout communiter fit, nempe dando ſtipendium ei, quem prudenter judicabat lecturum; neque enim ſe obligavit ad certum eventum ſecuturum.

431 §.3. Qui vovit caſtitatem, peccat ineundo Matrimonium, quamvis mutuo conſenſu vellent eſſe caſti, quia intentio voventis præſumitur fuiſſe abſtinere à ſtatu, vi cujus obligari poſſet ad copulam carnalem, Beja *par.*2. *caſ.*8.

432 §.4. Qui vovit orare Roſarium, ſatisfacit alternatim orando cum alio, quia hic modus orandi eſt ordinarius in Eccleſia, Az. Bonac. Tamb. Illſ. *n.*108. contra Caſtrop. item ſatisfacit, licèt per notabile tempus interrumpat unam decadem ab altera, quia nihilominus ſufficienter uniuntur per intentionem orandi totum, Trull. & Dian. *p.*9. *tr.*8. *R.*6.

433 §.5. Qui vovit quotidie audire Miſſam, ſatisfacit die feſto audiens unicam, Suar. *l.*4. *c.*7. *n.*15. Caſtrop. *p.*12. *n.*6. Tamb. *c.*12. §.6. *n.*4. etiam ſatisfecit, ſi audierit, licèt immemor voti. Sed, quid ſi voluiſſet per illam Miſſam non ſatisfacere voto? Reſp. Probabile eſt non ſatisfeciſſe uti ex Suar. & Laym. docet Buſemb. relatus *l.*1. *num.*693. quia ab ipſius voluntate pendebat debitum, ergo etiam ut maneret debitor; nihilominus etiam probabile eſt cum Sanch. *lib.*1. *cap.*13. *num.*18. Bonart. *de Horis lib.*2. *cap.*18. *num.*11. Caſtrop. *t.*3. *d.*1. *p.*17. *n.*14. Dian. *par.*3. *t.*6. *R.*77. *p.*10. *tr.*15. *R.*4. Gob. *in Exp. tr.*5. *num.*206. ſatisfeciſſe, quia licet debitum, ut exiſtat, pendeat ab ipſius voluntate, non tamen ita pendet, ut permanere poſſit, ſi ponatur ſolutio ſive materia voti, tum enim huic ſatisfactum eſt, niſi fortè fieret novum votum.

434 §.6. Qui vovit alere pauperem, non ſatisfacit, ſi alat Patrem ſuum egentem, quia cenſetur voluiſſe aliquid, ad quod non tenebatur ex Jure naturæ: item cenſetur voluiſſe facere eleemoſynam, quod autem dat Parenti, eſt de Jure naturæ debitum & ex Juſtitia, quia Parens habet jus ad alimenta à Filio, ita *Molina*, ſatisfaceret tamen, ſi cognatum pauperem aleret, quia hunc alere non tenetur.

435 §.7. Qui vovit peregrinari Romam, & tum cogitavit peregrinari pedes, ſatisfacit, ſi peregrinetur eques, quia peregrinatio equeſtris eſt vera peregrinatio, & cogitatio peregrinationis pedeſtris non facit obligationem, niſi de ea etiam facta ſit promiſſio, ita cum aliis Sanch. *c.*11. *n.*32. Tamb. *n.*3. ſi curioſitatis vel aliorum negotiorum cauſa etiam conductus mercede iret Romam, dummodò ſimul adſit voluntas inviſendi loca pia, ſecundùm intentionem priorem, ſatisfaciet voto, Caſtrop. *n.*9. Tamb. Illſ. *n.*108. contra Sanch.

§.8. Qui vovit peregrinari equitando, & poſteà equitandi occaſionem non habet, non tenetur peregrinari pedibus, quia non vovit peregrinationem, niſi ſub tali modo, qui difficultatem notabiliter minuebat. 436

§.9. Probabile eſt eum, qui vovit virginitatem, non ideò teneri ad perpetuam caſtitatem, ſed tantùm ad ſervandam carnis integritatem, quam vox illa (*virginitas*) propriè ſignificat, niſi conſtet aliam fuiſſe mentem voventis, aut ignoraſſet hanc ſignificationem vocis, Burgh. *cent.*1. *caſ.*59. contra Caſtrop. *n.*7. ſed de hoc iterum dicetur *n.*561. poteſtque videri Illſ. *n.*108. 437

§.10. Qui vovit omnibus anni diebus jejunare, non obligatur Dominicis, niſi aliunde de hac intentione conſtet, quia non eſt cenſendus voluiſſe ſe obligare contra receptam Eccleſiæ conſuetudinem, Sanch. Bonac. Caſtrop. *num.*11. Tamb. *num.*11. Illſ. *ſupra & alii*; imò Suar. *lib.*3. *cap.*6. *num.*21. & Sanch. *lib.*2. *cap.*37. *num.*16. dicunt votum jejunandi ordinariè diebus Dominicis eſſe irritum; validum tamen eſt pro quibuſdam Dominicis; Quòd ſi voveris omni anno jejunare certo die, ſi hic in Dominicam incidat, potes jejunare in Dominica, aut ſi velis, transferre in Sabbatum, accommodando te mori Eccleſiæ, niſi Sabbatum haberet aliud jejunium, Sanch. *à num.*17. Putant tamen Boſſ. & Dian. *p.*9. *tr.*8. *R.*6. *& p.*10. *tract.*16. *R.*50. ſi quis voviſſet per totum annum abſtinere à carnibus, etiam teneri in Dominicis, quia hoc non eſt contra morem Eccleſiæ, cùm fiat in Quadrageſima. Quòd ſi vovit jejunare omni die Veneris, tenetur etiam illo anno, quo Nativitas Chriſti in diem Veneris incidit, uti dictum eſt *num.* 379. quia Eccleſia illos ſolos eo die eximit, qui nec voto nec Regulari obſervantia ſunt adſtricti ad jejunandum, ita Suar. Sanch. Bonac Caſtrop. *num.*12. Beja *caſ.*6. dicens eſſe certum, quamvis oppoſitum teneant Azor. Molin. Tamb. & alii cum Illſ. niſi iſtum diem expreſsè voluiſſet includi voto. Vide dicenda *par.*2. *à num.*1319. 438

Si tamen iſta die non jejunaret, probabilius eſt contra Med. non fore duplex peccatum, quia obligatio præcepti per conſuetudinem generalem Eccleſiæ ſublata eſt, & Eccleſia tantùm declaravit, ſe non velle tollere obligationem voti vel Religionis: denique ſi tali die comedat carnes, toties peccat, quoties comedit, quia votum hoc obligat pro ſingulis diei horis, non aliter ac præceptum Eccleſiæ, Suar. *lib.*4. *cap.*7. *num.*9. *&* 12. Caſtrop. *num.*15. contra Sanch. *l.*4. *c.*11. *num.*42. Laym. *l.*4. *tr.*4. *c.*3. *n.*3. Tamb. *num.*12. qui probabiliter negant, in illa ſententia, quod ſumpta una refectione poſſit ſumi multiplex, quia abſtinentia à carnibus videtur tantùm indirectè voveri, in quantùm eſt quid acceſſorium ad jejunium, ergo ſi non ſit obligatio jejunii, nec erit abſtinentiæ; è contra præceptum Eccleſiæ videtur æquè directè tendere ad abſtinentiam à carnibus; unde ſi directè voviſſes non comedere aliquo die carnes, fatentur omnes communiter cum Dian. *par.*10. *tract.*14. *R.*32. contra Paſq. toties peccari, quoties caro comederetur, quia tale votum eſſet negativum, planè ſimile præcepto, quo Eccleſia prohibet carnes.

§.11. Si quis in juventute voverit certis diebus jejunare, probabile cenſent Sanch. Fagund. Dian. Tamb. *lib.*4. *c.*5. §.7. *n.*9. ſi ad ſexaginta annos perveniret, non amplius teneri, quia vota jejunii non cenſentur emitti, niſi ad modum jejunii Eccleſiaſtici, quod ſecundùm probabilem ſententiam ſexagenarios non ligat: idem dicit Tamb. *num.*10. quamvis votum caſtitatis perpetuæ, quod ad mortem uſque erat obſervandum, fuiſſet commutatum in perpetuum jejunium. *Nec refert*, quòd res ſubrogata dicatur ſapere naturam ejus, cui ſubrogatur, nam Tamb. *l.*3. *c.*16. §.4. *num.*35. & Illſ. *num.*146. dicunt hanc regulam Juris tantùm tenere in favorabilibus; in contrarium tamen occurrit, quòd ille, qui ante annum 21. vovit jejunare, teneatur, licèt præceptum Eccleſiæ tum non obliget, ergo votum etiam poterit obligare poſt annum 60. licèt fortè tunc non obliget præceptum Eccleſiæ; eſt tamen adhuc aliqua diſparitas, nam qui vovet ante annum 21. ſufficienter cognoſcit ætatem tum ſuam, & illam aſtringit ad votum; hoc non eſt de ætate ſexagenaria, de qua vovens non cogitavit, uti ſuppono, alioquin illam incluſiſſet aut excluſiſſet à voto. Vide dicenda *par.*2. *à num.* 1317. 439

§.12. Si è tribus calicibus, quorum unum voviſti dare Eccleſiæ, fures rapiant duos, Molin. & Sanch. *c.*13. *n.*19 putant te non teneri dare totum tertium, ſed poſſe dividere cum Eccleſia, cùm enim nullum determinaveris, videtur æquum, ut Eccleſia ferat partem damni; ſed Caſtrop. *n.*26. Illſ. *num.*109. cum Bonac. probabiliùs dicunt te teneri totum tertium dare, quia ſinguli toti ſunt promiſſi ſub disjunctione, nempe hic vel ille, ergo ſi reliquorum nullus dari poſſit, hic ultimus dari debet: addit tamen Caſtrop. *n.*29. ſatisfieri, ſi detur ejus pretium: quòd ſi tamen voluiſſes dare unum, quia habebas tam multos, ut poſſes carere uno, non videtur fuiſſe intentio dandi pro hoc caſu, quo raperentur, hinc ceſſaret votum. 440

§.13.

441 §.13. Si ſcias te voviſſe calicem, ſed neſcias cui è duabus Eccleſiis, Sanch. *num.*8. putat te poſſe dare, cui voles, quia tota obligatio dandi eſt à te; ſed Caſtrop. *num.*27. probabiliùs dicit te teneri dividere pretium pro qualitate dubii; uti ſi ſcires te aliquid debere & neſcires an Titio an Cajo, tenereris inter illos dividere: Ratio autem eſt, quia aliter te exponis periculo nulla ex parte implendi votum: fortè enim dabis illi, cui nihil voviſti; ſi verò dividas, certum eſt te ſaltem ex parte implere votum.

442 §.14. Quando votum non eſt impletum tempore deſignato, ſi tempus ideò deſignatum eſt, ne nimiùm differretur executio, adhuc teneris poſt illud tempus, quia duplex erat obligatio, una ad rem faciendam, altera ad faciendam in tempore, & hac non impleta manet illa principalior implenda; è contra ſi intendiſti ita affigere tempori, ut cum illo finiretur obligatio, elapſo tempore non amplius teneris, quia obligatio diutiùs eſſe non poteſt, quàm illud, cui voluiſti eſſe alligatam; hinc ſi voviſti omni die dare eleemoſynam, ut ſic nulla dies elabatur ſine bono opere, ſi una die omiſiſti, non teneris altera ſupplere; ſi autem voviſſes dare ex pietate vel miſericordia, tenereris poſteà ſupplere, item Tamb. *l.*3. *c.*16. §.2. *num.*8.

443 §.15. Si voveris jejunare pridie S. Franciſci, ipſo autem Feſto ingredi Ordinem, ſi pridie non jejunaveris, non teneris ſupplere, quia affixeras diei, niſi fortè voluiſſes jejunare, quia erat dies ante ingreſſum in Ordinem: Si autem iſto Feſto non ſis ingreſſus Ordinem, poſteà teneris ingredi, quia hæc devotio reſpiciens Feſtum erat finis minus principalis, & à principali, qui ſemper manet, ſeparabilis, Tamb. *num.*9.

444 §.16. Si voveris te facturum aliquid ſeptimana ſequente, licèt poſteà prævideas fore impedimentum, non teneris prævenire, quia necdum eſt tempus, quo obligaris; potes tamen prævenire, niſi illi ſeptimanæ affixeris, quia quòd eouſque rejeceris, non fuit ad augendum ſed imminuendum votum: è contra ſi voviſti jejunare hac ſeptimana, in qua jam ſis, ac prævides in fine fore impedimentum, teneris prævenire, quia jam es in tempore obligationis, ita Bonac, Suar. *l.*4. *c.*10. *n.*7. Sanch. *c.*11. *nu.*5. Laym. *c.*3. *num.*5. Tamb. *c.*12. §.3. *n.*2. & 3.

445 §.17. Qui vovit integro anno jejunare, & in decurſu per unam ſeptimanam omittit, ſi intendebat integro anno ſine interruptione jejunare, tenetur iterùm incipere annum, ſi autem expreſsam eam voluntatem non habuit, ſed tantùm voluit tot dies jejunare, quot ſunt in anno, ſatisfacit poſteà ſupplendo: denique ſi voluntas ejus non ferebatur in annuum tempus, ſed tantùm in multa jejunia, & per accidens annuum tempus ſumpſit; aut ſi voluit, quia erat ſpecialis cauſa in tali anno, v. gr. quia erat annus Jubilæi, illo elapſo nè tenebitur quidem ſupplere omiſsos dies.

446 §.18. Cauſæ differendi votum ſufficientes ſunt hæ ſingulæ; melior executio voti; declinanda gravis moleſtia vel offenſa aliorum; ſi te ſentias necdum ſatis idoneum ad perferendum id, quod voviſti; ſi v.gr. Carthuſiam ingreſsurus velis priùs ſcientiæ multùm utili ſtudere, cui ſtudere non licebit in Ordine &c. de quibus videri poteſt Caſtrop. *p.*13. *n.*5. Gob. *tr.*11. *n.*87. putat etiam ſufficere utilitatem publicam; item gravem neceſſitatem corporalem vel ſpiritualem, V. G. ſororis. Quouſque autem votum differri poſſit abſque mortali, difficile eſt definire, & univerſaliter dici poteſt, quòd vota, quæ durant uſque ad mortem, uti eſt votum Religionis, minori tempore ſint differenda, quàm alia vota, quæ in tempore finiuntur, uti ſunt vota eleemoſynæ vel peregrinationis: Ratio eſt, quia hæc poſtrema vota dilatione non minuuntur, ſed quocunque tempore præſtentur, integrè præſtantur: è contra priora vota dilatione minuuntur, quia cùm vi voti, v.g. Religionis obligeris Deo ſervire uſque ad mortem, quantum differs votum, tantum detrahis de tempore ſerviendi, & conſequenter de voto: putat quidem Tamb. *n.*10. ſi ſis quindecim annorum, non fore mortale, ſi differas ingreſſum in Religionem ad tres vel quatuor annos, attamen ſecluſo periculo deficiendi à voto: addit fortaſſis fore mortale, ſi differas ad octo vel novem annos, tum enim notabile tempus reſpectivè ad ſecuturam tuam vitam ſubtrahis ſervitio divino; ſi autem ſis quadraginta annorum, dicit dilationem ſex menſium fore notabilem & peccatum mortale; ubi autem votum nullum tempus determinat, nec dilatio imminuit de fine voti, nec incommodum adfert, nec habet adjunctum periculum omittendi, dicit cum S. Antonin. apud Sanch. *cap.*14. *num.*21. probabiliter fore veniale tantùm, quantumcunque diu differas, ſed Caſtrop. *num.*7. probabiliùs dicit univerſaliter tum fore mortale, ſi ſine cauſa differas votum Religionis ad ſex menſes; reliqua autem, licèt dilatione non minuantur, ad duos treſve annos, in eo enim eſt gravis deordinatio, uti ſi rem alteri debitam tamdiù ſine cauſa differas dare; non erit autem ne veniale quidem, ſi adſit rationabilis cauſa differendi; hinc rectè dicit Diana *par.*3. *tract.*4. *R.*100. ſi voviſti ſingulis menſibus confiteri, te ex cauſa poſſe per duos vel tres dies ultrà menſem differre; imò ſi intra octo dies poſt menſem ſequeretur ſolemne feſtum, & ægrè bis intrà octo dies confiteris, poſſes eouſque differre, & idem eſt de anticipando, ex ſimili cauſa.

§.19. Violatio voti non eſt contra juſtitiam, ſed fidelita- 447
tem tantùm ſeu Religionem, hinc ſi voviſti dare pauperibus 100. aureos, quos Cajus tibi debet, ſi Cajo bona vel mala fide remittas quinquaginta, non teneris pauperibus hos quinquaginta compenſare, ita Suar. Tamb. *cap.*16. §.2. *n.*12. An autem violatio voti poſſit eſſe contra virtutem illam, ad quam ſpectat materia voti, vide *lib.*1. *num.*628. & 629.

§.20. Si materia totalis alicujus voti ſit in ſe parva, & to- 448
ta omittatur, *Cajet. Arm. Tabien. Navarr. Tolet.* dicunt peccari mortaliter, quia totum votum negligitur, quod videtur eſſe grave contra Religionem, ſed Ledeſm. Sanch. aliique communiter cum Dian. *par.*5. *tr.*5. *R.*36. rectè contradicunt, notantque Confeſſionem mortalium, Communionem, auditionem Miſſæ, jejunium unius diei, ſi voveantur, eſſe materiam gravem, quia præcipiuntur ſub mortali: item materia gravis eſt lectio vel procuratio Miſſæ legendæ, quia continet maximum Dei cultum: Similiter qui vovit dare ter mille aureos pauperibus, ſi detrahat 50. peccat graviter, licèt 50. reſpectu trium millium ſint parva pars; quia ſecundùm ſe & in ordine ad finem, qui eſt ſublevatio pauperum, ſunt pars notabilis: è contra ſi detraheret tres tantùm aureos, non eſſet mortale: item ſi voveris orare Roſarium, & omittas duas decades, non eſt mortale, licèt duæ decades reſpectu Roſarii ſint pars notabilis, ſcilicet tertia: imò Roſarium ipſum cenſetur quid exiguum in ordine ad cultum Beatæ Virginis vel Dei, Tamb. *lib.*1. *cap.*1. §.3. *num.*21. Sporer *Tom.*1. *cap.*5. *num.*30. §.4. *Si dicas*, eſſe mortale omittere Roſarium pro pœnitentia injunctum in Confeſſione peccati mortalis; *hoc dato*, diſparitas eſt, quia ibi injungitur velut aliquid pœnoſum, & ſi eſt notabiliter pœnoſum, uti communiter cenſetur eſſe, eſt materia gravis; è contra per votum fit tantùm veluti cultus Dei, qui non videtur eſſe notabilis in recitatione Roſarii: per Roſarium autem communiter intelligitur, non integrum Pſalterium, ſed pars ejus tertia, Illſ. *num.*108.

§.21. Si quis diverſis votis voverit pro eadem die multas 449
materias leves, quæ ſimul ſumptæ faciant gravem, *Sanch.* & *Bonac.* dicunt fore mortale, ſi omittantur, etiamſi materiæ illæ eſſent diverſæ rationis, v.gr. partim orationes, partim eleemoſynæ, quia omnes videntur uniri in hoc, quòd ratione voti ſubſtent eidem virtuti Religionis, ergo conſtituunt unam materiam gravem, non aliter ac ſi unico voto eſſent promiſſæ, uti (inquiunt) ſi quis homini promiſiſſet diverſis vicibus plures leves ſummas, quæ ſimul ſumptæ conficerent magnam, peccaret mortaliter negligendo omnes: Hæc ſententia non videtur univerſaliter ſuſtineri poſſe, alioquin mortaliter peccaret Beneficiatus, qui die feſto parum omitteret de Horis, parum de Miſſa, parum de aliis Orationibus voto promiſſis, ita tamen ut omnia ſimul ſumpta eſſent materia gravis, quia hæc omnia ſubſtant eidem virtuti Religionis; hoc autem nemo dicet: item, ſi ejuſmodi materiæ leves per hoc unirentur in ordine ad conſtituendam unam gravem, quia ſubſtant eidem virtuti Religionis, ergo ſimiliter plures materiæ graves eidem virtuti ſubſtantes etiam unientur in ordine ad conſtituendam unam tantùm materiam graviorem, ergo Beneficiatus non peccabit, niſi unico peccato, ſi eodem Feſto omittat Miſſam & Horas, quod iterùm nemo dicet. Argumentum autem illud, quod adducit *Sanchez* de pluribus promiſſionibus levibus pecuniæ eidem homini factis, eſt diſpar, quia hæ promiſſiones uniuntur ex fine immediato, qui eſt utilitas iſtius hominis, qui promiſſiones acceptat, ita autem non uniuntur materiæ parvorum votorum, quæ ex diverſis occaſionibus vel finibus promittuntur. Hinc Suar. Rhod. Herinx aliique cum Caſtrop. *T.*2. *d.*2. *p.*9. *num.*11. negant tales materias uniri, etiamſi eſſent ejuſdem rationis, ideoque dicunt omittendo omnes, peccari tantùm venialiter, quod Diana *Reſ.*55. dicit eſſe probabile, ratio eſt, quia mens voventis nunquam fuit ſe obligare graviter, ſed fecit ſingula vota ſeparatim ab aliis, ergo violatio unius non poteſt augere violationem alterius: Huic ſententiæ non acquieſcit Ovied. 1.2. *T.*6. *controv.*3. *num.*137. ſed ſic diſtinguit, ſi vota facta ſint ex diverſis motivis, v.g. unum ad honorem Paſſionis Chriſti, alterum ad honorem B. Virginis, tertium pro Defunctis &c. quamvis materiæ ſint ejuſdem rationis, v. gr. quamvis omnes ſint precationes, dicit obligationes non continuari nec materias uniri, ideoque fore tantùm plura venialia, ſi omnes illæ materiæ eodem die omittantur, quia ubi ſunt diſtincti fines, ibi debent cenſeri diſtincta vota & ad invicem impertinentia: è contra ſi facta ſint ex eodem motivo, etiamſi materiæ ſint diverſæ rationis, dicit cenſendum eſſe, quòd tota materia per modum unius promittatur, & vovens voluerit ſe indiviſibiliter ad omnia obligare, v.gr. ſi quis in periculo naufragii priùs voviſſet quotidie orare Roſarium, poſteà in eodem periculo voveret quotidie dare pauperi medium Imperialem, putat

has

has materias coaleſcere, quia ultimum votum erat quaſi ratificatio & augmentum prioris, adeoque ultimum videbatur tendere in utrumque objectum per modum unius, unde ſi una die omitteret ex utraque materia tam multum, ut inde reſultaret materia gravis, putat fore mortale: addit *n.*139. ſi quis pro eodem die voveat Miſſam audire, orare Roſarium, dare eleemoſynam &c. licèt fecerit ex affectu erga eundem cultum divinum, non ideo materias illas uniri, neque ex levibus partibus omiſſis conflari unam gravem, quia motivum illud generale & mediatum Religionis non eſt ſufficiens ad ejuſmodi obligationes uniendas; quod verum putat cum *Caſtrop.* etiamſi materiæ illæ diverſæ unico actu eſſent promiſſæ, quia talis actus eſſet propter materias diverſæ rationis virtualiter multiplex, nam per materias diverſæ rationis intelligit illas, quæ quamvis fortè pertineant ad eandem virtutem, tamen diverſis Legibus præcipi ſolent, uti Miſſa & Horæ Canonicæ: Hæc *Oviedi* ſententia ſpectata ratione videtur probabilior, nihilominus ante omnia inquirendum eſt in intentionem voventis, & in dubio de illa ſtandum eſt pro minima obligatione, ſecundùm dicta *num.*381.

450 §.22. Si quis materiam parvàm quotidie ex voto explendam omittat multis diebus conſequenter, aliqui apud Dian. *part.*3. *tract.*5. *R.*24. abſolutè dicunt materias illas non uniri, nec unquam peccari mortaliter, quantumcunque ſæpè omittantur: alii abſolutè dicunt uniri, & peccari mortaliter, quando tam ſæpè omittitur, ut ſimul eſſet materia gravis. *Azor. Gran. Vaſq. Sanch. & alii* communiter probabiliùs diſtinguunt, & dicunt, ſi votum erat affixum diei, materias non uniri, ſed obligationem tranſire cum die; ſi autem non erat affixum, materias uniri: & obligationem ſupplendi tranſire ad ſequentes dies, ideòque poſſe tandem perveniri ad materiam gravem: in dubio autem, an votum ita fuerit affixum diei necne, Sot. Ledeſm. Suar. Laym. Caſtrop. Tann. & alii cum Dian. *part.* 5. *tract.*5. *R.*52. dant hanc regulam, ut ſi vota ſint perſonalia, id eſt, de actione tantùm præſtanda à vovente, v.gr. de orationibus, præſumatur obligatio deſinere cum die; ſi autem vota ſint realia, id eſt, de aliqua re alia præſtanda, v.g. de eleemoſyna, præſumatur obligatio non deſinere cum die, adeoque fore mortale, ſi tot diebus omittatur, ut fiat materia gravis: Ratio eſt, quia utraque vota communiter fiunt cum tali intentione, ergo in dubio præſumuntur ſic facta, quia ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio: rectè tamen notant Caſtrop. *T.*15. *d.*1. *p.*14. *num.*5. & Herinx *de pec. d.*7. *n.*53. etiam in votis realibus quandoque præſumi poſſe, quòd obligatio deſinat cum die, ſi nempe in ſingulis diebus reperiatur motivum, ob quod facere voluiſti omni die, v.gr. quia per talem eleemoſynam voluiſti à Deo obtinere opem ad ſpeciale negotium tali die tractandum, hinc Gob. *tract.*11. *num.*85. rectè dicit recurrendum eſſe ad intentionem voventis, an nempè voluerit alio die compenſare, ſi uno die negligeret; in dubio autem dicit præſumendum eſſe, quòd noluerit obligationes unius diei copulari cum obligatione alterius, ideoque ſemper peccari tantùm venialiter, quia obligationes gratuitæ ſunt potiùs reſtringendæ quàm ampliandæ, uti dictum eſt *num.*381.

451 §.23. Nemo tenetur manifeſtare ſe aliquid voviſſe, ut ſic facilius obtineat media ad licentiam implendi ſuum votum, niſi ſaltem tacitè ad hoc ſe obligaverit, quia hæc revelatio non eſt inter media ordinaria, ad quæ ſolùm procuranda ſe obligavit, ita Navar. Suar. Sanch. Laym. *l.*4. *t.*4. *c.*7. *n.*7. Tamb. *l.*3. *c.*12. §.5. *n.*7. contra Sotum, Armil. Azor. Leſſ. Eum autem, qui dolet ſe aliquid voviſſe, non ideo peccare mortaliter, habet *Buſemb.* Peccare tamen venialiter putant Caſtr. & Tamb. §.2. quia ponit aliquid retardans executionem; ſed meliùs negat Suar. *de voto l.*5. *c.*7. quia uti potuit non vovere, ita optare poteſt non voviſſe, maximè ſi minùs cautè, vel tale aliquid voverit, propter quod ſit ipſi periculum gravius vel ſæpiùs peccandi.

452 *Q.*114. *Ad quid teneatur, qui vovit nunquam amplius ludere v.g. chartis?* Reſp. cum Gob. *T.*11. *à n.*524.

§.1. Si voviſti abſolutè non ludere, nil cogitando, an de luſu tantùm immoderato & periculoſo intelligeres, an etiam de moderato, non teneris abſtinere à luſu moderato, quia votum in dubio explicari debet in favorem voventis, uti dictum eſt *num* 381. & docent cum aliis Bonac. *de Juramen. quæſt.*1. *punct.*16. *num.*4. Tambur. *cap.*3. §.5. *num.*57. Dian. *part.*7. *tr.*9. *Reſ.*56.

453 §.2. Si voviſti, intelligendo luſum etiam moderatum, teneris abſtinere etiam ab hoc, quia perfectius eſt hoc privari propter mortificationem, S. Th. 2.2. *q.*168. *art.*2. *in O.* Sanch. Bonac. Caſtrop. *tr.*14. *d.*2. *p.*7. §.1. *num.*3. Tamb. *num.*58.

454 §.3. Ex fine, ob quem voviſti, colligi poteſt, an comprehenderis luſum etiam moderatum; item an voveris non ludere etiam pro alio, nam 1. Si intendiſti vitare jacturam tuæ pecuniæ, excluſiſti ſolùm luſum immoderatum, & quidem eum, quo luderes pro te, nam ludendo moderatè aut pro alio, non incurris iſtud malum, hinc licebit ludere moderatè vel pro alio: imò & per alium tradita ei pecunia & aſpiciendo, niſi aliter conſtet de mente tua, ita Bonac. *num.*5. Sanch. *l.*3. *cap.*18. *n.*7. Dian. *R.*57. Caſtrop. *num.*5. Gob. *n.*526. Ratio eſt, quia licèt hic inveniatur finis, ob quem voviſti, tamen res propriè non comprehenditur ſub materia promiſſa, verè enim & propriè non ludit, pro quo alius ludit. 2. Si voluiſti redimere jacturam temporis, comprehendiſti ludum etiam moderatum, itemque luſum pro alio, quia verè luderes cum jactura temporis; poteris tamen per alium ludere, licèt aſpiciendo perdas tempus, Caſtrop. Tamb. *à num.*59. 3. Si eo fine voviſti, ut vitares rixas, blaſphemias, juramenta, hæc ſi naſcantur, uti communiter naſcuntur ex luſu, ſi fiat nomine proprio, aut ex jactura propriæ pecuniæ, non autem periculum habeas, ſi ludas nomine alieno vel per alium, licebit tibi ludere nomine alieno vel per alium; imò & ludere licebit per alium, licèt hæc incommoda timeantur, quia reipſa non ludis, uti anteà dictum eſt; item licebit tibi facere ſponſiones de hoc vel illo lucraturo, quia hoc non eſt propriè ludere, Bonac. *ſuprà*, Sanch. *num.*8. Dian. *R.*58. Addit Gob. *ſuprà*, ſi voviſti non ludere ad vitandas rixas, non fore mortale ludere cum hominibus notoriè pacificis: hinc 4. Univerſaliter loquendo, ex conſideratione finis, propter quem voviſti, potiſſimùm metienda eſt gravis vel levis tranſgreſſio voti, ſi v.gr. voviſti non ludere; ne pecuniæ jacturam faceres, non peccas graviter, ſi notabilem ſummam non exponas periculo jacturæ, neque ſi pro alio ludens multum perdas: Si autem ideo voviſti, ne tempus perderes, ſi non conſumis tempus notabile, v.g. plus quàm duas horas, non erit mortale, & ita de aliis: Fagund. Caſtrop. Sanch. *num.*7. Tamb. *num.*60.

§.4. Si voviſti non ludere, donec Pater tuus domum redi- 455
ret, qui tamen in via moritur, putant Bonac. *num.*6. & Sanch. *num.*15. te nunquam poſſe ludere, quia nunquam redit Pater, ſed Tamb. *num.*64. rectiùs dicit ex mente voventis tantum eſſe obligationem abſtinendi ad tale tempus, quo Pater commodè potuiſſet reduſſe.

§.5. Si voviſti non ludere, niſi volente Cajo, ſi Cajus 456
moriatur, non amplius obligaris abſtinere; ſi autem fiat furioſus, adhuc obligaris, quia voluntas abſolutè ceſſat per mortem, non autem per furorem, ergo ſecuta morte non ampliùs attenditur, ſed ſecuto furore adhuc expectari poteſt, Sanch. *num.* 14.

§.6. Si in vindictam vel ſignum malæ voluntatis voviſti non 457
ludere cum certo homine, votum non debet ſervari, ne ſit fomentum iniquitatis: item ſi voviſti non ludere cum certo homine, in certa domo, certo genere ludi, quia credebas hominem illum eſſe fortunatum, te in illa domo vel ludo ſpecialiter eſſe infortunatum, etiam non debet ſervari, quia hoc eſt ſuperſtitioſum, ergo nequit eſſe materia voti, Navar. Sot. Sanch. *num.*9. Bonac. *p.*4. *n.*2. Caſtrop. *n.*7.

§.7. Mulier, quæ vovit non ludere, ut ſic teſtetur dolo- 458
rem de morte Mariti, non tenetur abſtinere, quia hoc votum eſt vanum vel de re indifferente, Tamb. *c.*15. §.4. *num.*3. Gob. *num.*527. Si tamen voviſſet in gratiam Affinium, teneretur, quia votum in gratiam hominis factum obligat, licèt ſit de re indifferente, ſi homo, in cujus gratiam vovetur, promiſſionem acceptaverit.

*Q.*115. *Ad quid teneatur, qui vovit non bibere vinum?* 459
R. §.1. Tenetur efficaciter non deſiderare bibere, nam qui promittit non bibere, primariò promittit non velle bibere, quia voluntas bibendi eſſet voluntas violandi votum: non peccaret tamen, ſi moroſa cogitatione detineret ſe in delectatione potus, quia per votum non bibendi tantùm excluduntur actus directè tendentes in tranſgreſſionem voti, nec peccaret, ſi ineffaciter deſideraret ſub conditione voti abſentis.

§.2. Quamvis voverit non bibere vinum, ut ſic vitaret 460
ebrietatem, tamen non tenetur abſtinere à cereviſia vel aliis potibus inebriantibus, eſt communis cum Sanch. *l.*4. *c.*11. *n.*44. Gob. & aliis contra Cajetan. & Baldell. Ratio eſt, quia non ſunt vinum, hic autem in re odioſa non debet fieri extenſio ad illa, quæ non comprehenduntur verbis: imò etiam probabile eſt non teneri abſtinere ab eo liquore, qui aliquo nomine vini afficitur, ſed ita à natura vini diſceſſit, ut non ſit materia apta Conſecrationi, quale eſt vinum aduſtum, Gob. *in Quin. t.*5. *c.*4. *num.*11.

§.3. Poteſt in Miſſa ſumere utramque ablutionem, Azor. 461
*lib.*11. *c.*20. aut ſi ſit Laicus, ablutionem poſt Communionem, Paſq. *in praxi jejun. dec.*235. & in utroque aſſentitur Gob. *n.*10. quia hæc non veniunt nomine potus vini, quem quis cenſetur ſibi velle interdicere.

§.4. Si non poſſit ſervare votum, niſi parum vini ſumat, 462
tenetur parum ſumere, quia qui tenetur ad finem, tenetur ad medium facile & ordinarium, Paſq. *deciſ.*242. Dian. *par.*3. *tr.*5. *Reſ.*61.

§.5. Quando vovit eo fine, ut non inebriaretur, ſi bibat 463
vitrum, materia eſt levis, imò ſi bibat multum, non peccat mortaliter, dummodò certus ſit hic & nunc abeſſe ebrietatis periculum: ſi autem vovit, quia per potum dilapidabat ſua,

tunc

tunc tantùm peccat mortaliter, quando bibendo dilapidat notabilem quantitatem pecuniæ; unde si de alieno bibat, non peccat, Sanch.*n.*3. *&* 6. Gob.*n.*13. *&* 15.

464 §.6. Si voverit unicè ob mortificationem gulæ, si ex eo nullam percipiat voluptatem, licitè bibet, quia votum habet se uti Lex privata pro hoc homine lata, ergo cessante pro hoc causa adæquata, cessat votum, Sanch.Gob.*num.*14. Si autem vovisset ex motivo temperantiæ, etiamsi voluptatem perciperet, tamen ut materia esset gravis, deberet tam multum bibere, quantum pro potu unius prandii ordinariè sufficit homini temperatè vino utenti, v.g. dimidium mensuræ, cujus proinde tertia vel quarta pars esset materia tantùm levis, Sanch.*c.*12.*n.*21. Castrop.*T.*15.*d.*1.*p.*12.*num.*21. Dian. *p.*5.*tr.*5. *R.*37. Spor.*T.*1.*c.*5. *n.*30. §.4.

465 §.7. Qui vovit se tota die non gustaturum vinum, si sæpius per diem bibat, prima tantùm vice peccat, ita Az.*suprà*, Gob. *n.*17. Ratio est, quia talem intendit abstinentiam, qua dicere possit, hodie non gustavi vinum, vino autem semel poto, non potest hoc dici, uti secundùm Sanch. *cap.*11.*num.*45. Pasq. *dec.*230. qui hodie vovit jejunare in pane & aqua, intendit tale jejunium, quo dicere possit, hodie præter panem & aquam nihil à me sumptum est, undè si sæpius vinum potet aut alium cibum edat, sola prima vice peccat; si tamen vovisset se hodie bibiturum solam aquam, toties peccaret, quoties alium liquorum biberet.

466 §.8. Si voverit non bibere vinum, ob mala, quæ causat vinum, non cogitando de hoc vel illo, quamdiu vinum ei causare potest aliquod malum, tenetur abstinere, quia manet finis voti.

467 *Q.*116. *Quomodo obligatio voti conditionati sit explicanda?* Resp.§.1. Si conditio tota non sit pendens ab arbitrio voventis, peccat contra votum, qui ante impeditam conditionem, reddit se impotentem ad explendum votum, quia vovens tum noluit obligationem voti subesse soli arbitrio suo, sed etiam conditioni ab alio pendenti: è contra si tota conditio pendeat ab arbitrio voventis, potest ante illam impeditam reddere se impotentem ad votum, quia tum & materia voti & conditio planè subdita est ejus voluntati, v.g. qui vovit Religionem, si sanitatem recuperet, peccat ineundo Matrimonium, quamdiù spes est recuperandæ sanitatis: si autem vovit sub conditione, si adhuc semel se inebriet, potest inire Matrimonium, antequam se inebriet, ita cum aliis Castrop. *p.*17. *num.*6. *&* 7. Gob. *t.*11.*n.*34.

468 §.2. Quando impletio conditionis non est præcepta, qui impedit eam sine dolo, non peccat contra votum, v.gr. vovisti Religionem, si esses doctus, si negligas doctrinam, non eo fine, ne debeas fieri Religiosus, sed quia piger es & laborem fugis, vel aliis te occupas, non agis contra votum, Suar. Sanch.Castrop.Illf.*T.*5.*num.*114. Laym. dicens esse certum: Si autem impletio conditionis sit præcepta, uti quando quis vovit Religionem, si toto anno non peccaret contra castitatem, si ea intentione peccet, ut ab obligatione liberetur, illudit Deo, & peccat contra votum; probabile tamen est etiam tum liberari ab obligatione voti, ita Laym. Castrop.*numer.*12. Gob.*num.*35. Illf.*num.*116. contra Navar. Az. Sanch. & alios. Ratio est, quia tum reipsa non impletur conditio, ergo votum nunquam acquirit obligationem absolutam, quam tamen vovens intendebat; estque per accidens, quòd reportet commodum suæ malitiæ. *Nec obstat*, quòd dicatur *L. in executione*, §. *ult. ff. de verb. oblig. Quicunque sub conditione obligatus, curaverit, ne conditio existeret, nihilominus obligatur: Et Regul.*66. *Juris in* 6. *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quò minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset*, nam Textus illi loquuntur de promissione acceptata, quæ causet obligationem Justitiæ, ideoque fiat injuria, si conditio ex malitia impediatur, consequenter sic impediens tenebitur reparare damna secuta; è contrà votum soli Deo factum causat tantùm obligationem Religionis, Religio autem non obligat ad reparanda damna secuta, nec prius obligat, quàm votum fuerit absolutum & conditio impleta.

469 §.3. Si conditio pendeat à consensu alieno, v.g. vovisti Religionem, si Pater tuus consentiat, potes rogare Patrem, attamen sine vi aut dolo, ut non consentiat, Suar. Laym.Gob. Illf.Castrop. *num.*8.*contrà Sanch.*qui *cap.*23.*num.*45. pro contraria sententia malè citat certum omnium assensum. Ratio est, quia nè implicitè quidem vovit non ita rogare, ut suppono, & utens jure suo non censetur facere fraudem: Si autem Pater moriatur, mors habetur pro consensu, adeoque filius tenebitur, Laym. Sanch. *cap.*8. *num.*47. Tamb. *cap.*15. *§.6. num.*10. addens cum Illf.*num.*112. votum sub conditione, si Pater consentiat, obligare eo non contradicente, quamvis positivè non det consensum; nec videtur requiri, ut votum Patri fuerit propositum, uti vult *Sanch.z.*, reipsa enim censeri potest consentire, ut filius Religionem ingrediatur, quamvis de ejus voto nihil sciat: Item votum obligat, licèt Pater primò contradixerit, dummodo postea consentiat, quia intentio fuit vitare offensam vel turbationem Patris, quæ tunc vitatur, ita Sanch.& alii contra Castrop.Illsung. si autem prius consenserit & postea consensum retractet, Laym.& Sanch. putant adhuc teneri, quia conditio per antecedentem consensum est impleta, sed Illf.& Tamb.*n.*9.probabilius negant, quia conditio non est impleta secundùm mentem voventis, qui, uti suppono, voluit evitare offensam aut molestiam Patris.

§.4. Si quis, quia habet Patrem, & sororem indigentes, 470
voveat anno sequente ingredi Religionem, si Pater intereà moriatur & soror ineat Matrimonium, si hi supervivant & subitò ditescant, aut aliunde illis provideatur, Laym.& Sanch.*c.*23. *num.*27.dicunt teneri voto, quia mens voventis fuit ingredi, si levaretur indigentia patris & sororis, quæ nunc levata est: oppositum etiam probabiliter tenent Castrop.Tamb.& Illf. *n.*113. quia obligatio voti non debet extendi ultrà sensum verborum, verba autem voventis non dicebant, si indigentia illorum quomodocunque levaretur, sed, si levaretur per mortem Patris & per Matrimonium sororis; & quamvis Jus positivum apud Castrop.*num.*5. disponat, ut in aliis contractibus sit satis, si conditio apposita per aliud quodcunque medium impleatur, tamen sic non disponit in materia votorum, ergo cùm hæc materia sit onerosa, dispositio Juris non debet ad eam extendi.

*Q.*117. *Quid dicendum sit de voto pœnali?* R.§.1.No- 471
tandum cum Illf.*t.*5.*n.*117. votum pœnale posse fieri tribus modis: 1.Ut non voveatur evitatio culpæ, sed sola pœna, si intervenerit culpa, v.g.*voveo jejunium, si me inebriavero*. 2.Collectivè promittendo evitationem culpæ & solutionem pœnæ post admissam culpam, uti,*Voveo non inebriare me, & si me inebriavero, voveo jejunium*. 3. Disjunctivè promittendo utrumque vel evitationem culpæ, vel solutionem pœnæ, uti, *voveo vel me non inebriare, vel si me inebriavero jejunare*. In primo casu, materia voti non est culpa; sed sola pœna, hinc si se inebriet, non tenetur in Confessione facere mentionem voti. In secundo, materia voti est culpa & pœna, hinc dum confitetur inebriationem, tenetur addere esse contra votum. In tertio, culpa non est determinatè materia voti, hinc confitens inebriationem non tenetur meminisse voti, dummodò postea jejunet; si tamen se inebrians noluisset postea jejunare, contraxisset simul malitiam contra Religionem, deberetque in Confessione addere se peccasse per ebrietatem cum animo non solvendi pœnam, ideò sibi ex voto impositam.

§.2. Si Cajus vovit non inebriare se sub pœna jejunii, si se 472
inebriet sine ulla culpa, non obligatur ad pœnam, uti habet communis cum Gob.*t.*11. *n.*31. & universaliter, quando quis excusatur à voto, etiam excusatur à pœna, Tamb.*l.*3.*c.*12.§.7. *n.*4.Si se inebriet cum levi culpâ, etiam non tenetur, quia gravis pœna non censetur volita pro levi culpa, Tamb.*n.*5.Si se inebriet cum gravi culpa, sed planè immemor voti, etiam non tenetur, quia non peccat contra votum, quod tum non cognoscit, Sanch.*l.*4.*c.*22.*n.*18.Dian.*p.*3.*tr.*6.*R.*41.

§.3. Si se inebriaverit cum culpa gravi & memor voti, sed 473
immemor pœnæ, Dian.*suprà*, Castrop.*tr.*15.*d.*1.*p.*18.*n.*3.Illf. *n.*120.docent non teneri ad pœnam, quia censetur ideò sibi imposuisse pœnam, ut deterreretur à culpa, sed si de pœna non cogitaverit, non poterat per pœnam deterreri à culpa, ergo nec mens ejus fuit tum obligari ad pœnam: Oppositum tenent alii cum Laym.*l.*4.*t.*4.*c.*5. *n.*3. nam per pœnam, quam persolvet, deterrebitur à relapsu imposterum; limitant Sanch. *n.*19. & Gob.*n.*32.nisi pœna esset gravissima, v.g.Religionis, castitatis, peregrinationis transmarinæ,quia non videtur se voluisse ad tam graves pœnas obligare, nisi gravissimè peccaret contra votum, id est, nisi illud transgrederetur memor tantæ pœnæ sibi impositæ. V.dicta *l.*1.*à n.*767.

§.4. Si dubium sit, an voverit pœnam solvere toties,quo- 474
ties transgrederetur,an autem tantùm semel post primam transgressionem, aliqui dicunt teneri toties quoties: Sa *v.Votum*, *n.*26. dicit teneri tantùm prima vice, quod admittit Laym. si tantùm voverit solvere pœnam, non autem si etiam voverit vitare culpam, & hoc probabile putat Castrop.sed Tamb.*num.*2. Spor.*T.*3.*c.*2.*n.*55.Sanch.*n.*21.Dian.*p.*7.*tr.*9.*R.*60. Illf.*nu.*121. Castrop.*n.*6.sic distinguunt, si pœna est ordinaria, quæ iterari consuevit, uti est jejunium, tenetur toties quoties; si sit gravissima, & quæ iterari non consuevit, tenetur tantùm prima vice, quia sic communiter vovent homines & sibi pœnam imponunt, ex communiter autem contingentibus est prudens præsumptio. Addit *Sanch.*suprà, in dubio, an pœna sit exorbitans an mediocris, obligari toties quoties, cum enim tale votum communiter & ex natura sua obliget *toties quoties*, videtur esse in possessione.

§.5. Si scias, quòd tibi pœnam imposueris, & nescias 475
quam, *Tamb.* dicit probabile esse, quod non tenearis ad ullam, sed probabilius est oppositum, quia habes certitudinem, quod tenearis ad aliquam, ergo teneris determinare tibi aliquam,

quàm, qualem prudenter præſumes te in iſtis circumſtantiis imponere voluiſſe.

476 §.6. Si neſcias, an ſub pœna emiſeris votum, non teneris ad ullam pœnam, quia nemo tenetur pœnam ſolvere aut ſibi imponere, ſi certa non ſit obligatio, cùm libertas poſſideat, Tamb. *num.3.*

§.7. Probabile eſt eum, qui petit abſolutionem à voto vitandi culpam ſub pœna, non teneri dicere de pœna, quia votum de culpa & pœna ſunt quaſi unum votum, cùm votum pœnæ ſit ad confirmandam voluntatem in evitatione culpæ; cauſa autem, quæ ſufficit ad tollendam obligationem primam, etiam ſufficit ad ſecundam, ita Sanch. Laym. Caſtrop. *num.*4. Tamb. §.5. *num.*5. Illſ. *num.*119. qui cum Sanch. Laym. Caſtrop. *num.*5. rectè addit, ſi quis abſolvatur à voto evitandi culpam, ſimul abſolvi à voto ſolvendi pœnam, quia ſublato principali, tollitur acceſſorium in principali fundatum.

477 *Q.*118. *An votum per alium impleri poſſit vel debeat?* R. multa huc ſpectantia habentur *à num.*337. ubi dictum eſt, quomodo obligatio Juramenti dicatur eſſe perſonalis, ſimilis enim eſt ratio de voto: Buſemb. relatus *num.*427. etiam aliqua reſolvit, ſed adhuc addenda quædam.

§.1. Votum perſonale non poteſt impleri per alium, reale poteſt: dummodò fiat ex re propria voventis, ita tenent omnes: hinc ſi Cajus voveat aliquem mittere Lauretum, cùm hoc votum ſit reale, tranſit ad hæredes ejus obligatio, Leſſ. *in Auct. v. Teſtamentum, Caſ.*14. ubi addit cum communi tale votum Teſtatoris aut obligationem hæredis non poſſe à Confeſſario commutari, quia hæres ipſe non tenetur ex voto ſuo, ſed ex quaſi contractu, uti docet idem Leſſ. *de Juſt. lib.*2. *cap.*40. *n.*66. uti ſi promiſiſti Titio votum ejus ſolvere, non poſſum te liberare, non enim poteſt votum commutari, niſi volente & petente authore voti, cùm requiratur acceptatio ejus circa novam materiam: Poſſet tamen commutare Nuncius Apoſtolicus, ſi magnus ſumptus requireretur, & hæres eſſet tenuis; item in hoc caſu poſſet peregrinatio cum munere offerendo præſcripta à teſtatore, eadem opera obiri ab aliquo, qui illuc peregrinaretur, Leſſ. *in Auct. ſup.*

478 §.2. Si Cajus Religionem ingreſſurus & valedicens Parocho voveat ſe Eccleſiæ, in qua baptizatus eſt, daturum calicem, ſub finem autem Novitiatus inſtituat Monaſterium pro hærede, ſi Cajus poſteà profiteatur, Monaſterium ad nihil tenetur, quia profeſſione extinguuntur omnia vota perſonalia & realia, hæres autem non tenetur ſolvere vota tempore aditæ hæreditatis extincta: Si Cajus noluiſſet ſuum votum profeſſione extingui, putat *Bonac.* Monaſterium teneri, quia votum non poterat commutari ſine voluntate profitentis, ſed *Caſtrop.* dicit adhuc fore extinctum, quia Profeſſio ex ſe eſt perfectiſſima ſolutio omnium votorum antecedentium, neque voluntas profitentis poteſt hanc ſolutionem impedire: Si tamen Cajus promiſiſſet Eccleſiæ, & Parochus nomine Eccleſiæ promiſſionem acceptaſſet, Monaſterium teneretur, hæc enim promiſſio acceptata dediſſet novum jus Eccleſiæ, quod profeſſione non extinguitur: Quòd ſi Cajus mortuus fuiſſet ante profeſſionem, Monaſterium etiam teneretur, quia non eſſet hæres per profeſſionem, ſed per mortem Caii, mors autem non extinguit vota realia. Plura videri poſſunt apud Caſtrop. *Tr.*15. *d.*1. *p.*15. *& 16.*

479 *Q.*119. *Quo ordine veniant ſolvenda debita, vota, legata?* R.§.1. Debita juſtitiæ prius ſolvenda ſunt, quàm vota realia, tum quia Deus non acceptat vota cum præjudicio juris à tertio quæſiti: tum quia vota ſolvenda ſunt ex bonis defuncti, æs autem alienum eſt potiùs alterius, quàm defuncti: tum denique quia debita juſtitiæ extrahuntur ex toto cumulo hæreditatis, non autem vota.

§.2. Vota ſolvenda ſunt ante legata, quia vota obligant defunctum, non autem legata, ergo cenſendum eſt, quòd ſit major obligatio illorum quàm horum.

DUBIUM V.

480 *Quot modis tollatur obligatio voti.*

» REſp. Dupliciter tolli poteſt. 1. Nullius authoritate
» interveniente; idque vel materiæ mutatione: ut ſi
» materia ante honeſta fiat turpis, indifferens, vel impeditiva
» majoris boni, ratione novæ circumſtantiæ vel prohibitionis:
» vel ſi fiat impoſſibilis, abſolutè aut moraliter: vel deſitione
» conditionis, à qua pendebat. 2. Interventu authoritatis humanæ: idque tripliciter: irritatione, commutatione, vel
» diſpenſatione: de quibus in ſequentibus dubiis. Eſt com-
» munis. Sanch. *lib.*4. *cap.*24. Leſſ. *l.*2. *cap.*40. *dub.*11. Suar. Fill.
» *tr.*26. *c.*8. *Unde reſolves:*
» I. Etſi tua culpa materia facta ſit impoſſibilis, inutilis,
» &c. tamen poſtquam jam talis facta eſt, ceſſat obligatio, &
» ſufficit pœnitere de culpa.

II. Si concurrat obligatio duorum votorum incompoſſibilium, implendum eſt id, quod eſt præſtantius, & Deo gratius; alterum ceſſat. Quòd ſi verò ſit æquale, aut neſcias, utrum ſit melius, implendum eſt, quod prius voviſti, & ruit poſterius, Si & hoc neſcis, libera eſt electio. V. Trull. *l.*2. *c.*2. *d.*9.

III. Si materia voti fiat impoſſibilis quoad partem tantùm, tunc ſi commodè talis materia dividi non poteſt, aut non ſolet, ad nihil teneris: v.g. voviſti ædificare templum, ſi totum non potes, non teneris ad partem.

IV. Si verò dividi commodè poteſt, & ſolet, manet obligatio ad illam partem, quam potes: ut v.g. 1. Qui non poteſt jejunare tota hebdomada, poteſt autem aliquot diebus, ad hoc tenetur. 2. Qui Matrimonium contraxit, & conſummavit poſt votum Caſtitatis, tenetur non petere debitum, cùm eatenus votum adhuc ſit poſſibile, (reddere enim debet.) V. Bonac. *d.*4. *q.*2. *p.*7. §.1.

V. Quòd ſi votum dividi quidem poſſit, ſed unum in eo ſit principale, reliqua verò acceſſoria tantùm, non per ſe ſeorſim intenta, ſed dependenter à priori, tanquàm illius appendices & modi, tunc ſi principale fiat impoſſibile, ruit etiam obligatio acceſſorii, non autem contra: ut v.g. voviſti peregrinationem Romam in cilicio & ibi certi aliquid offerre: ſi peregrinatio impoſſibilis fiat, non teneris cilicium ferre, & oblationem mittere. V. Sanch. *cap.*10. Bonac. *p.*4. §.4. Trull. *cap.*1. *d.*10. *num.*5.

ADDENDA.

481 *Quæſt.*120. *An votum caſtitatis aut Religionis obliget, ſi ille, qui vovit, ſit ita proclivis in luxuriam, ut ipſi ſalubrius videatur inire Matrimonium?* R. Non obligare putant Ledeſm. Bonac. & alii apud Moyam *T.*2. *d.*1. *q.*1. qui *n.*20. vocat ſententiam illam valde probabilem; idque tenent plures, etiamſi illa fragilitas ſuperveniſſet poſt emiſſum votum; rationem dant, quia votum debet eſſe, & jam non eſſet de bono meliori. Non audeo ſententiam illam dicere abſolutè probabilem, hinc tenenda eſt oppoſita cum *Sanch. Caſtrop. Moya & aliis*, quia abſolutè majus bonum eſt Status caſtitatis & Religionis, poteſtque, qui vovit, aliis mediis reprimere luxuriam, & voto ſuo ſe implicitè obligavit ad illa alia media adhibenda, ergo tenetur voto uſque dum allegata hac cauſa diſpenſetur. *Confirmatur:* quia aliàs, qui etiam per culpam contraxiſſet proclivitatem ad luxuriam, hoc ipſo liberaretur à voto, quod nemo dicet, quia daret multis illicium luxuriandi, ut tandem votum excuterent.

DUBIUM VI.

De voti irritatione.

ARTICULUS I.

482 *An & quomodo tollatur obligatio voti per directam irritationem?*

» REſp. Cùm non debeat violari cujuſquam dominium,
» ac quilibet Dominus poſſit uti ſua libertate; hinc ſi po-
» teſtati dominativæ alterius ſit ſubjecta alicujus voluntas, po-
» teſt is ſubditi iſtius omnia vota, qualiacunque ſint, ad ſuum
» libitum, ſine ulla cauſa, validè irritare directè, hoc eſt,
» poteſt velle & pronunciare, ut illa vota nulla ſint, ita ut nul-
» lo etiam caſu obligatio poſteà reviviſcat (etſi peccent, ſi
» abſque cauſa irritent, ut docet Leſs. *lib.*2. *cap.*40. *n.*69. Nav.
» Suar. Fill.) Porrò hoc jus provenit ex jure poſitivo, quo da-
» tur alicui legitima poteſtas dominativa in voluntatem alte-
» rius. Ita communiter DD. Vid. Sanch. *lib.*4. *c.*24. *n.*30. *&* 31.
» *Unde reſolves,*
» I. Quivis Pater, & in ejus defectu, Avus paternus, Tutor,
» imò etiam mater, non tantùm ſi tutrix ſit, ſed etiam in prio-
» rum defectu, & ſecundùm quoſdam, reliquis deficientibus,
» etiam Magiſter, vel herus, ut Suar. Leſs. *n.*82. contra Sanch.
» poteſt directè irritare vota liberorum impuberum; ut colli-
» gitur ex *c. Mulier 32. qu.*2. *cap.*1. *&* 2. 20. *qu.*1. *Et cap. Si quis,*
» *de Regular.* Impubertas autem (ſecundùm Jura) finitur in
» maſculis anno decimo quarto completo, in fœminis duo-
» decimo completo, à die nativitatis computando, ut Sanch. *l.c.*
» V. Laym. *t.*4. *c.*7. *num.*10. Bonac. *d.*4. *q.*2. *p.*7. §.2.
» II. Vota Religioſorum (non tamen Novitiorum) etiam
» ſub Prædeceſſoribus emiſſa, irritare poſſunt directè præter
» Papam, Abbates, Guardiani, Priores & Rectores, ac
» probabiliter etiam Abbatiſſæ, ut habet Suar. *lib.*6. *de voto*
» *cap.*7. *num.*19. Reginald. *lib.*18. *num.*342. Filliuc. Bonac. *n.*26.
» Excipitur tamen votum tranſeundi ad Religionem ſtrictio-
» rem. V. Binsfeld 1. *P. Enchirid. c.*9. Leſs. *num.*75. Sanch. *c.*14.
» *num.*30. Bonac. *l.c.*
» III. Item poteſt ſecundùm Sanch. *lib.*9. *de Matr. diſp.*39.

„ Maritus reſpectu votorum uxoris: licèt probabiliùs id alii „ limitent ad ea vota, quæ mariti juri præjudicant. Laym.*l.*4. „ *tr.*4.*c.*7.*num.*12. Fill.*tr.*26.*c.*8.*q.*8.Leſſ.*num.*89.

„ IV. Qui ſemel votum irritavit, ſi poſteà nolit, non ideò „ revalidatur. V. Sa *V. Irritatio voti*.

„ V. Nullus ſupradictorum poteſt directè irritare vota „ emiſſa ante ſubjectionem, v.gr. ante Matrimonium; facta „ verò intrà tempus ſubjectionis, de re implenda poſt tempus „ ſubjectionis, v.gr. in pubertate, vel poſt obitum mariti, „ poſſunt irritare, Bonac.*l.c.*

„ VI. Votum, de quo dubium eſt, utrùm emiſeris tempo- „ re libertatis, an ſubjectionis, non poſſe irritare Superiorem, „ docet Salas *T.*2.*q.*21. & Caram.*l.*3. *c.*1. *d.*1. Sed contrarium „ tenet Suar.Sanch. Bonac. & alii cum Bardi *d.*6.*c.*1.§.28.

„ VII. Facta tempore ſubjectionis poſſunt adhuc irritari „ poſt illud; v.gr. quando filius jam eſt pubes. Quod verum „ eſt, etſi in pubertate ea ratificaſſet putans ex errore eſſe firma: „ ſecus tamen, ſi infirma eſſe noviſſet, & independenter à „ prioribus ratificaſſet. V.Leſſ.*l.*2.*c.*40.*d.*14.*num.*83.

„ VIII. Supradicti poſſunt revocare, ac directè irritare vo- „ ta etſi ſemel ea ratificaverint, quia non privarunt ſe domi- „ nio & poteſtate ſua. V.Suar.*de voto l.*6. *c.*9. Quòd ſi tamen „ id ſine cauſa fiat, erit (ſecundùm quoſdam) peccatum „ mortale, licèt probabiliùs id neget Suar.*c.*4. & Laym. hic.

„ IX. Prælatus poteſt irritare votum ſubditi à Prædeceſſo- „ re æquali vel inferiore confirmatum, non tamen à ſuperio- „ re. Vide de his Bonac.*l.c.*§.2. Laym.*c.*7.

ADDENDA.

483 Q. 121. *Per quid irritatio differat à diſpenſatione voti?* R. Irritatio eſt ablatio obligationis facta nomine proprio per poteſtatem dominativam in perſonam voventem, aut in rem, de qua fit votum; è contra diſpenſatio eſt ablatio obligationis facta nomine alieno, ſcilicet Dei, qui poteſtatem Juriſdictionis dat quibuſdam in Eccleſia ad tollendam, ubi cauſa eſt, voti obligationem, Sanch.*l.*1.*c.*24.*n.*14.

484 Q. 122. *An Papa vel alii Prælati Eccleſiæ poſſint directè irritare vota Chriſtianorum?* R. Aliqui affirmant, quia vota ſubditorum ſemper imbibunt hanc conditionem: *Si Superior conſenſerit, ſeu non contradixerit*, Papa autem eſt Superior Chriſtianorum & Epiſcopus Diœceſanorum: Oppoſitum tenent S.Thomas aliique communiter cum Sanch. *num.*17. & Caſtrop.*d.*2.*p.*2.*n.*2. quia non conſtat illis à Chriſto datam eſſe poteſtatem dominativam, neque hæc neceſſaria fuit ad Eccleſiæ gubernationem, ſatis enim erat, quod haberent juriſdictionem, & poſſent vota diſpenſare vel commutare, aut eorum executionem impedire per poteſtatem præceptivam, aut ſaltem valorem votorum impedire, antequàm fierent; unde illa conditio, *ſi Papa conſenſerit*, tantùm ſignificat, ſi non ſuſtulerit obligationem diſpenſando, prohibendo executionem, antecedenter impediendo. Poteſt tamen Papa directè irritare vota, quæ Religioſi poſt vota ſua ſubſtantialia emittunt, quia vi voti Obedientiæ acquiritur Papæ poteſtas dominativa in voluntatem eorum.

485 Q. 123. *An Superior poſſit propria vota irritare?* R. Nec poteſt irritare, nec alteri committere, ut irritet, ita Sanch. *n.*60. Caſtrop. *n.*5. Ratio eſt, quia nemo poteſt votum emittere ſub conditione ſui conſenſus, hæc enim conditio deſtruit obligationem voti, quæ ſtricta eſſe debet, poteſtas autem irritandi fundatur in eo, quòd votum includat conditionem, ſi Superior conſenſerit. *Nec obſtat*, quòd quis diſpenſare poſſit ſecum, ſecundùm dicta *l.*1. *n.*799. Quia poteſtas diſpenſandi nititur juriſdictione, quam Deus conceſſit Superioribus etiam reſpectu ſui, non quidem coactivam vel contentioſam, ſed tantùm voluntariam & gratuitam; neque requiritur diſtinctio perſonæ diſpenſantis & diſpenſatæ, nam diſpenſatio non eſt actus judicialis, ſed tantùm juriſdictionis voluntariæ, in qua aliquis poteſt ſuſtinere plures perſonas, uti habet communis cum Covar.Suar.Bon.Sal.Sanch.Fill.*T.*21.*num* 441. Laym.*l.*1. *tr.*4.*c.*22.*num.*31. Tamb.*l.*3.*c.*16.§.4.*num.*6. Addit Illſ.*T.*1.*d.*2. *num.*49. ſaltem ſufficere diſtinctionem, quæ eſt inter diſpenſatum & principalem diſpenſantem, qui eſt alius Superior vel Eccleſia vel DEUS conferens ei juriſdictionem.

486 Q. 124. *Quid præterea ſit addendum ad melius intelligendam naturam irritationis?* R. Seqq.

§.1. Vota merè interna irritari poſſunt, quia ad irritationem plùs non requiratur, quàm negatio conſenſus illius, cujus domino ſubjacet voluntas voventis, Illſung.*T.*5.*n.*129.

487 §.2. Licèt requiratur, ut commutans vel diſpenſans vota, hæc cognoſcat ſpeciatim, non tamen eſt neceſſe, ut irritans ita cognoſcat ſed poteſt in genere tollere omnia per ſolum ſuum diſſenſum, Tamb. §.3. *n.*1. Neque etiam requiritur, ut qui vovit, id reſciat aut conſentiat, ſed votum irritari poteſt ipſo invito, Caſt.Tamb.*num.*13. Illſ.*num.*140.

§.3. Vota ab impubere emiſſa tam realia quàm perſonalia 488
poteſt Pater ſemper irritare: Tutor tantùm ad annos pubertatis: Curator tantùm ad annum majoratus ſive 25.completum pupilli necdum emancipati, nam tantùm ad illud tempus ſubſtituuntur loco Patris, Sanch.Leſſ.Lay.Caſtr.Tamb.Illſ.*t.*5.*n.*123.134. Ratio eſt, quia talia vota involvunt conſenſum Patris & poſteà eorum qui à Jure ſunt loco Patris, idque fit non tantùm propter dominium, quod Pater habet in voluntatem filii, ſed etiam propter immaturitatem ætatis & judicii in impubere. Mater (ſecundùm Sanchez) poteſt quantum Tutor, ſecundùm Sa, Sayr.Tamb.*l.*5.*c.*3. §.1. *num.*14. quantum Curator, ipſa enim etiam abſente Curatore ſui intrat in ejus locum: *Tanc.* putat etiam Socerum reſpectu Generi ſui poſſe irritare vota, ſi hic careat Patre, Matre, Tutore, Curatore, ſed rectè diſſentit *Tamb.* Similiter probabile putat *Sanch.* Maritum ſuccedere loco Patris vel Curatoris, ſi uxor his careat, ſed etiam rectè contradicit Illſung.*num.*127. quia poteſtatem talem neque ex Jure naturæ vel poſitivo, neque ex contractu habent, hinc etiam vota filii puberis tantùm illa poteſt irritare Pater, quæ gubernationi domeſticæ & adminiſtrationi præjudicant, Illſ. *n.*124. Ex jam dictis ſolvuntur hi duo caſus.

Cajus 13. annos natus petit à Patre licentiam vovendi jeju- 489
nium pro ſingulis Sabbatis: audiens Titius ejus frater annos 15. natus etiam petit, & præterea, ut vovere poſſit dare pauperi portionem ſuam; Pater omnia permittit, hinc vovent; ſed Pater non multò poſt jubet utrumque filium die Sabbati ſecum cœnare, & conſumere cibum appoſitum, dicens ſe irritare vota facta. In hoc caſu Leſſ. *de juſt. l.*2.*cap.*40.*num.*75.Suar.*de voto l.*6.*c.*8.*n.*7. negant votum Caii potuiſſe irritari à Patre, quia fundamentum poteſtatis in Patre reſpectu impuberis eſt levitas in vovendo & imbecille judicium, ergo his ceſſantibus ceſſat poteſtas irritandi vota, atque hic nulla eſt in vovendo vel levitas vel imbecillitas judicii, quia prudens Parentis approbatio ea vel tollit vel ſaltem ſupplet: è contra plures cum Sanch.*cap.*27. *num.*18. & 21. Laym. *l.*4. *t.*4. *cap.*7. *num.*17. Caſtrop. *d.*2.*p.*3.§.2. *num.*5. probabilius dicunt votum Caii eſſe validè irritatum, adeoque Cajum debuiſſe cœnare, quia licèt Pater approbet, hæc tamen approbatio non tollit, quin impuberes in vovendo ſint leves & imbecillis judicii, ergo ratio, cur talia vota ſint irritabilia, reipſa manet, quod pluribus probant *Sanch.* & *Caſtrop.* Quod Titium attinet, hic duo vota emiſit, unum perſonale abſtinendi à portione ſua, alterum reale donandi portionem pauperi: primum Pater irritare non potuit, quia Titius eſt pubes, pater autem non poteſt irritare vota perſonalia puberis: ſecundum irritare potuit, cùm ſit reale, præjudicans gubernationi domus, itaque Titius non potuit cœnare cum patre, attamen non debuit portionem, à qua abſtinebat, dare pauperi.

Sempronius pupillus completo anno 13. vovet ſe omni 490
Sabbato menſa excepturum duos pauperes, eiſque miniſtraturum: Tutorum unus audiens hoc, poſtquam Sempronius jam pubes eſt, utrumque prohibet: In hoc caſu dicendum eſt Sempronio jam pubere ceſſaſſe officium Tutoris, & in officium Curatoris tranſiiſſe, cujus eſt adminiſtrare bona pupilli uſque ad annum 25. completum: itaque cùm votum adhibendi pauperes ad menſam ſit reale, Curator validè irritat: quoad votum perſonale miniſtrandi menſæ, ſi Curator fortè promiſiſſet pauperes menſæ adhiberi, major eſt difficultas, an irritare potuerit, negat cum aliis Suarez *c.*6.*num.*24. quia Sempronius quoad ſuam perſonam nunquam fuit ſubditus Curatori, non ante pubertatem, quia tunc non datur Curator, ſed Tutor; nec poſt pubertatem, quia tunc Pupillus quoad ſuam perſonam eſt ſui juris, & Curatori competit tantùm adminiſtratio bonorum; è contra Sanch.*c.*30.*num.*15.Laym.*num.*11.Leſs.*n.*83. Caſtrop. §.3. *n.*6. probabilius dicunt Curatorem poſſe irritare vota Minoris ante pubertatem emiſſa nec confirmata poſt pubertatem, quia Curator ſuccedit Patri in gubernatione filii, ideòque indirectè & ſecundariò etiam gaudet poteſtate gubernandi perſonam pupilli. Pater autem validè irritaſſet tale votum, ergo, & Curator.

§.4. Pater poteſt reſpectu filii ſpurii idem, quod reſpectu 491
legitimi, nam licèt non ex lege; attamen ex Jure naturæ etiam in illum habet patriam poteſtatem; putatque *Tamb.* contra *Caſtrop.* id eſſe verum, licèt ſpurius habeat Tutorem.

§.5. Hoc ordine venit poteſtas irritandi vota; Pater, Tu- 492
tor, Curator, Avus ex parte Patris nil poteſt vivente Matre, Suar.Sanch.Caſtrop. Tamb. *ſup.*

§.6. Quamvis probabile ſit cum *Soto*, *Sanch. Tamb.* 493
quòd Maritus vota Uxoris directè irritare poſſit, eo quòd voluntas ejus videatur eſſe plenè ſubjecta dominio viri, ſecundùm Apoſt. ad Epheſ.5. Verſ.22. *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quia vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, &c.* nihilominus videtur probabilius cum S.Anton.Nav.Azor.Valent.Suar.Leſs. Bonac. Laym. Caſtrop. Illſung.*n.*126. id tantùm intelligi de illis votis, quæ præjudi-

cant

cant usui Matrimonii, educationi prolis, vel administrationi familiæ: ex qua causa potest etiam uxor irritare vota Mariti. Ratio est, quia subjectio uxoris fundatur tantùm in contractu Matrimonii, ergo tantùm datur in ordine ad finem Matrimonii, ex quo uxor etiam acquisivit simile jus ad eosdem fines obligandi maritum, ideòque etiam irritandi ejus vota, in quantum huic fini præjudicant.

494 §.7. Vota emissa ex licentia Superioris subordinati possunt irritari à Superiore altiori, non contra, quia subditus & superior subordinatus tenetur se semper conformare voluntati Superioris altioris, Suar.Sanch.Castrop.Illf.*num.*130.

495 §.8. Vota emissa à Religioso tempore subjectionis non possunt irritari ab eo Superiore, à cujus subjectione Religiosus jam est liber, quia desiit potestas in Superiore, vel fundabatur in jure super voluntatem voventis; & idem est de votis Religiosi facti Episcopi, aut in alio Ordine professi, aut à Monasterio ejecti, quamdiu non redeant ad priorem subjectionem, Tamb. *l.*3. *c.*16.§.2.*num.*34.Illf.*num.*134. Similiter vota facta in sæculo vel Novitiatu non possunt irritari à Superiore, quia vovens tum non erat subjectus, nec sunt facta sub conditione beneplaciti Superioris, qui tamen posset suspendere quantùm gubernationi præjudicant: putat tamen Tamb.§.3.*num.*41.& Illf.*num.*136. vota facta ante Religionem ab impubere vel pupillo posse à Superiore irritari, uti irritari potuissent à Patre, Tutore vel Curatore; & consentit Sanch.*de Matrim. lib.*9.*disp.*41. idem asserens de marito respectu voti ab uxore impubere emissi.

496 §.9. Votum emissum tempore subjectionis, sed implendum postea tempore libertatis potest irritari ab habente dominium in ipsam Voluntatem, hic enim directè potest annullare actum, ex quo oriri deberet obligatio: è contra irritari non potest ab habente dominium in rem tantùm promissam, nam non habet dominium in actum, ergo actus manet validus pro tempore libertatis; hinc Curator non potest irritare vota puberis post Minoratum implenda; nec maritus vota uxoris implenda in viduitate vel divortio; nec Dominus vota servi implenda post servitutem; possunt tamen hæc vota suspendi quoad executionem, in quantùm præjudicant, Illf.*num.*135.

497 §.10. Vota emissa cum licentia Superioris possunt irritari ab eodem Superiore, nisi fortè renuntiarit juri, quod habebat in rem promissam, aut promissione ab altero acceptata se obligaverit non revocare, tum enim res esset facta juris alterius, Sanch.*n.*11.Castrop. §.2. *n.*5. & alii mox citandi. Item irritari possunt ab alio habente æqualem potestatem, v.g. si unus Tutor dederit licentiam vovendi, potest alter Tutor irritare votum: ratio est, quia dans licentiam, per se loquendo, retinuit suum dominium plenum, nisi expresè se abdicare voluerit; & alter Superior per licentiam sibi æqualis etiam non est privatus dominio suo in voventem, ita Abb.Navar. Cajet. Silv. Sot. Az.Suar.& alii, quos citant & sequuntur Laym.*n.*14.Less.*n.*76. Castrop.*num.*3.Illsung.*num.*131.132.137.& 138.

498 §.11. Vota realia cum consensu Superioris emissa, & ad hæredem translata non possunt irritari ab ullo Superiore, quia post mortem voventis, nec persona vovens, nec res promissa manet sub dominio Superioris, Sanch.Castrop.Illf.*n.*132.

499 §.12. Si Superior sine justa causa irritet votum grave, in quod consentit, communis sententia est cum *Sot.Sanch.Rosel. Castrop.* quòd peccet graviter, uti graviter peccat, qui sine causa non observat: Illsung. tamen *n.*133. probabiliter dicit peccare tantùm venialiter, quia licèt abutatur sua potestate, sine causa impediendo alterum à majore suo bono, tamen non est grave contra charitatem, cùm non graviter noceatur subdito, uti suppono, nec videtur grave contra religionem, cùm irritato voto desinat ejus obligatio; unde patet disparitas de eo, qui non observat: hujus enim votum manet & frangitur, atque ideo etiam peccat mortaliter, qui sine causa dispensat in Lege Superioris, tum enim manet obligatio Legis, quia dispensatio illa est invalida, & ipse est causa transgressionis illius Legis adhuc permanentis: unde à contrario sumitur hoc argumentum, nam uti qui sine causa dispensat cum subdito in sua Lege quantumvis gravi, tantùm venialiter peccat, quia temerè tollit Legem, ita & hic,

500 §.13. In dubio, 1. An votum sit irritabile. 2. An non sit emissum vel confirmatum extra tempus subjectionis. 3. An executio non sit destinata in tempus libertatis, videtur Superior posse irritare, quia cùm sit in possessione sui dominii & potestatis respectu omnium votorum subditi, nullum debet ab ea potestate extrahi, nisi certò constet sub ea non contineri, Illsung.*num.*141.

501 *Q.*125. *An qui vovit non petere dispensationem à voto, possit petere irritationem aut commutationem, vel contra?* R. Posse, quia hæc differunt, & diversam requirunt potestatem, ergo qui sibi intercluſit potestatem ad unum, non ideo intercluſit ad alterum, Navar.Sanch.Tamb.*l.*3.*c.*15.§.4.*n.*9. Si tamen mens ejus fuerit nullam petere deobligationem, si petat, peccat: deobligatio tamen est valida.

*Q.*126. *An votum non utendi irritatione vel dispensatione sit irritabile aut dispensabile?* 502 Resp. Esse, ideoque ultimo sublato semper poterunt priora etiam tolli, quod si absolutè voviſſet nullo casu uti tali facultate, votum esset irritum, quia sæpè melius est uti quàm non uti; est itaque conditionatum non utendi, nisi melius fuerit uti, Suar. Sanch. Castrop.Less. *in Auct. V. Votum c.*2. Similiter votum sub pœna, ut non possit dispensari à Papa, est dispensabile ab Episcopo, quia à Papa nullibi reservatur, nec ideo tolli potest potestas Episcopo ordinaria, Trull. aliique cum Dian.*p.*7.*t.*9.*R.*59.

ARTICULUS II.

Quis vota indirectè possit irritare? 503

Resp. Si alicui, non quidem voluntas voventis, sed voti materia sit subjecta, ita ut in hanc jus habeat, is tale votum potest irritare irritatione indirecta, hoc est, ejus obligationem suspendere, in quantùm suo juri præjudicatur: idque ex lege naturæ docente, quod nemo possit alteri promittere aliquid in præjudicium tertii. S.Th. *in* 4.*d.*38.Suar. Less. &c. *Unde resolves,*

I. Sic irritare possunt, præter suprà nominatos, mater respectu filiorum puberum, quamdiu manent in domo paterna, nec sunt emancipati: item Tutor puberis, usque ad annum vigesimum quintum, in iis, quæ eorum potestati officiunt, Laym.*l.*4.*t.*4.*c.*7.

II. Idem potest uxor respectu mariti; v.gr. si is voverit longiorem peregrinationem, habitare alibi, cubare seorsim, quæ derogant vitæ sociali, & usui dominii, quod habet in corpus mariti, Fill.Less.*l.*2.*c.*40.*num.*98.

III. Item Dominus & Domina respectu famulorum; ut si voverint jejunium, quo fierent inepti ad obsequia Domini, quale votum non est castitatis, vel brevis orationis, Less.*n.*86.

IV. Item non tantùm Pontifex respectu omnium Fidelium, sed etiam Episcopi, & Principes respectu subditorum, quando materia illis præjudicat. Denique Superiores respectu Novitiorum, in iis, quæ impediunt Novitiatus exercitia, Less.*num.*80.

V. Non possunt irritare indirectè vota de re aliàs præcepta, v.g. non furandi; quia nemini præjudicant. Item neque vota implenda tunc, quando materia voti non erit ampliùs subjecta; v.gr. vota servi implenda, cùm erit liber & Conjugis, cùm alter erit mortuus.

VI. Potest quis etiam indirectè irritare vota longè ante facta quàm sibi materia subjiceretur; v.g facta à Conjuge longè ante Matrimonium.

VII. Potest quis etiam vota à se, vel ab antecessore concessa & confirmata, indirectè irritare ut patet ex *Articulo superiore*. Excipe tamen, nisi suo juri cessisset, & hanc cessionem subditus acceptasset; ut v.g. in voto castitatis, mutuo mariti & uxoris consensu facto. Secus tamen esset, si vel sola uxor, vel uterque independenter ab altero voviſset.

VIII. Vota indirectè tantùm irritata reviviscunt & obligant, quando alteri desinunt præjudicare. Vide de his Bon. *l.*4.*q.*2.*p.*7.§.2.*num.*36. Laym.*c.*8.

ADDENDA.

*Quæst.*127. *Quid præterea hic notandum sit?* R. Hæc pauca, §.1. Illsung.*t.*5. *num.*127. docet neutrum Conjugem posse irritare alterius votum de non petendo debito conjugali, cùm neuter habeat jus obligandi ad petendum, sed tantùm, ad reddendum. Fatetur tamen oppositum esse probabile, & in praxi tutum, quia unus potest obligare alterum, ne se reddat inhabilem ad petendum, quia inde nasceretur grave onus & molestia in Matrimonio, cùm sæpè difficile sit, & maximè uxori verecundæ, debitum petere. 504

§.2. Domini propter solum dominium utile, quod habent in servos aut famulos, possunt ea tantùm vota, etiam ante tempus servitutis emissa irritare seu potiùs suspendere, quæ obsequio illorum præjudicant, Illf.*num.*128. 505

DUBIUM VII.

Quid sit commutatio voti.

Resp. Commutatio est substitutio alterius operis honesti loco ejus, quod voto promissum erat, sub eadem obligatione. Circa quam, ut licitè fiat traduntur hæ regulæ. *Prima.* Ad commutationem voti requiritur authoritas ecclesiastica. 1. Quando commutatio fit in paulò minus bonum: quod si notabiliter minus sit, miscetur dispensatio. 2. Quando dubium est de æqualitate boni, 3. Quando fit in bonum æquale, licèt aliqui tunc putent sufficere authoritatem propriam. Hæc tamen sufficit ad 506

„ commutationem in melius, quia in meliori minus continetur. Voco autem melius, quod eſt tale in ordine ad utilitatem ſpiritualem voventis, & Deo gratius.

„ *Secunda.* Ad commutationem voti in æquale requiritur cauſa, licèt minor, quàm ad diſpenſationem, quia diſpenſatio planè liberat ab obligatione voti: commutatio verò aliud ſubrogat. Unde ſi fiat in melius, nulla cauſa requiritur, ſi in æquale cum authoritate Superioris, ſufficit major in illud propenſio. Si verò dubitetur, an ſit æquale, ſufficit notabilis moleſtia in implendo, Vid. Leſſ. *l.2.c.40.d.16.*

„ *Unde reſolves,*

„ I. Quamvis Oratio abſolutè ſit melior jejunio, non licet tamen propria authoritate hoc in illam commutare, quia hic & nunc poteſt jejunium eſſe Deo gratius, utpotè utilius ad bonum ſpirituale hujus hominis. Leſſ. *num.*101. Sanch. *c.*56.

„ II. Omnia vota perſonalia, propria authoritate commutari poſſunt in votum Religionis, imò ipſo Jure omnia vota realia ſic mutantur in Profeſſione.

„ III. Qui habet votum Religionis, non poteſt illud propria authoritate commutare in ſuſceptionem Epiſcopatus, tum quia hic non efficit hominem perfectiorem quàm Religio, licèt perfectiorem eſſe ſupponat; tum quia non conſtat, quod illud hìc & nunc ſit Deo gratius, tum quia ſic reſpondit Innocentius III. apud Bonac. *in 2. Præcep. d.4. q.2. p.7.* Idem habet Leſſ. *n.*103. Azor. Sanch. Laym. *l.4.t.5. cap.6. num.*15. Palaus *t.6.d.1.p.6.num.*2. Diana *p.6. t.6.R.62.*

„ IV. Qui habet facultatem diſpenſandi, habet etiam commutandi; non tamen contra, quia commutatio eſt pars diſpenſationis; qui autem poteſt majus, etiam minus poteſt. Qui autem habet facultatem commutandi tantùm, non poteſt mutare niſi in æquale: quod moraliter & non ſcrupuloſè æſtimandum eſt; ut monet Laym. *l.4.t.4.c.8.n.*24. In qua æſtimatione (ait Cajetan.) non negligenda ſunt concomitantia, v.g. in voto peregrinationis habenda eſt ratio non tantùm laboris, ſed etiam expenſarum, quas feciſſet. Suar. Leſſ. *num.*108. V. Bonac. §.3.

„ V. Si is, cujus votum mutatum eſt, malit deinde implere primum, id poteſt, tum quia id eſt melius, vel æquale, tum quia in ejus favorem factum eſt, cum tacita conditione, ſi ei placuerit, Leſſ. *num.*111. Sà, Fill. *num.*289.

„ VI. Si voti legitimè à Superiore commutati materia, ſive opus fiat impoſſibile, vel indifferens, non tenetur redire ad prius, quia obligato extincta eſt, Vid. Laym. Bon. *ll.cc.*

ADDENDA.

507 Q*Væſt.*128. *Quid circa hanc votorum commutationem ſit præterea notandum?* Reſp. Seqq. §.1. Probabile eſt commutationem fieri poſſe extra Confeſſionem, ita Suar. Sanch. Henriq. Bonac. Laym. Caſtrop. Dian. Gobat cum Belleg. *de jubilæo p.3.ſ.12.q.5.* contra Rodriq. Bejam, Sayr. & alios: quia nullibi præſcribitur, ut in Confeſſione fiat: Addunt Diana & alii cum Sanch. *l.4.c.*54.*n.*17. etiam fieri poſſe ab eo, qui Confeſſiones meas ordinarias non audit, ſi tantùm ſit aptus audire, licèt enim hoc ſpectet ad forum conſcientiæ, non ideo ſpectat ad forum Pœnitentiæ: *Nec obſtat,* quod fortè in Bulla Conceſſionis addatur, *Confeſſionibus auditis valeat abſolvere à peccatis & commutare vota, nam* Tò *auditis Confeſſionibus,* refertur ad abſolutionem à peccatis, quæ immediatè ſequitur, hinc commutatio voti fieri poteſt etiam cum abſente, Tamb. Belleg. ſuprà.

508 §.2. Poteſt commutans dicere, commuto in hoc, quod poſteà deſignabo, Sanch. *num.*31. Rodriq. Vivald. Sayr. Dian. Alloz. Belleg. *q.6.* Imò & dicere poteſt, commuto in illud, in quod vir ille doctus, quamvis laicus, cenſuerit commutandum, Sanch. Leſſ. Laym. Gob. aliique cum Belleg. ſupra; tumque obligatio eſt translata in illud aliud; nec peccas agendo contra materiam priorem, Sanch. Leſſ. Trull. Caſtr. Gob. Belleg. ſupra cum Dian. *p.1.t.11. R.*52. contra Rodriq. debet tamen illa dilatio ſubſtitutionis eſſe rationabilis ac bona fide fieri; & ita poteſt differri commutatio ultra tempus, v.gr. jubilæi, Suarez, Sanchez, Caſtrop. aliique cum Belleg. ſupra; quod verum eſt, etiamſi Pœnitens in genere tantùm petierit commutationem votorum, & nullum in ſpecie explicaverit, v.gr. quia jam non meminerat aut Confeſſarius impediebatur, quò minùs jam commutaret, Suar. Sanch. Caſtr. Gob. Belleg. qui rectè addunt requiri, ut Pœnitens in hoc caſu lucretur jubilæum, alioquin non acquiret jus ad commutationem.

509 §.3. Si Pœnitens ſciat ſe voviſſe, ſed neſciat quid, poteſt Confeſſarius adhibere prudens arbitrium, & ſecundùm rem probabiliter præſumptam ac circumſtantias commutare in certam materiam, Suar. Sanch. Trull. Belleg. ſuprà.

510 §.4. Poteſt etiam commutari votum pœnale, uti quando voviſti dare eleemoſynam, ſi mentireris, Suar. Sanch. Leſſ. Mald. Fill. Dian. & alii cum Belleg. *q.7.*

511 §.5. Votum unum reſervatum nequit commutari in aliud nè reſervatum quidem, præterquam in ingreſſum Religionis, uti notant omnes cum Illſ. *n.*149. quia cùm contineant res arduas, Eccleſia negando poteſtatem relaxationis voluit injicere prudentem horrorem Fidelibus, ne leviter vel temerè emitterent; poteſt tamen votum reſervatum differri ex juſta cauſa, & tantiſper aliquid aliud injungi, uti cum communi Sanchez. Similiter commutari poſſunt circumſtantiæ voti reſervati, uti dicetur *num.*550.

§.6. Dilatio voto jejunii promiſſi poteſt modica commuta- 512
tione ſuppleri, & præſcindendo ab aliqua peculiari circumſtantia, inquit Tamb. *l.3.c.16.§.6.n.6.* facilè eam concederem fieri in aliam diem ſine ſupplemento, quia ſic parum aut nihil decedit de cultu divino.

§.7. Vota etiam jurata commutari poſſunt, ſecundùm di- 513
cta *n.*355. docentque Authores ibi citati & alii cum Belleg. *q.1.* & nemo dubitat, quin Epiſcopus poſſit diſpenſare in votis juratis, inquit Leſſ. *in Auct. v. votum. Caſ.3.* ſi nempe non ſit in præjudicium tertii, uti dicetur *à num.*532.

§.8. Poſſunt etiam commutari promiſſiones factæ Sanctis, 514
quia veniunt nomine voti, licèt reipſa vota non ſint, Gob. Belleg. ſuprà.

§.9. Omnia vota in ſæculo vel Novitiatu emiſſa poſſunt à 515
vovente vel Superiore commutari in vota profeſſionis Religioſæ: item in vota ſimplicia Societatis JESU, nam etiam hæc ultima irritant Matrimonium, & abſolutè ſunt de meliori bono: Si quis tamen cum culpa dimittatur à Societate, priora vota reviviſcent, non autem ſi ſine culpa, nam implet conditionem, & perſeverat, quantùm in ſe eſt, Tamb. §.3. *n.*5. Quòd ſi priora vota non ſint à te vel à Superiore commutata, etiamſi ſine cauſa dimittaris, reviviſcent, quia per ſimplicia vota tantùm ſuſpenduntur, & per ſolam profeſſionem extinguuntur, Tamb. *num.*8. V. Dian. *p.3.t.2.R.*71.

§.10. Facta per legitimam Juriſdictionem commutatione 516
extinguitur prius votum, hinc ſi materia ſubrogata fiat inutilis vel impoſſibilis, etiam ex culpa voventis, non tenetur redire ad prius votum: Vt probabilius eſt idem valere etiam in votis ſæculi commutati vi profeſſionis religioſæ, ſi quis in ſæculum, attamen ſine culpa ſua, ex diſpenſatione Papæ rediret, Tamb. §.7. *n.*1. Licèt autem ſic extinguatur prius votum, tamen ex benigno & interpretativo conſenſu Eccleſiæ poteris, ſi velis, ad illud redire, loco materiæ ſubrogatæ, commutatio enim videtur facta in favorem tui, ut materiam ſubrogatam expleas, ſi nolis priorem, Leſſ. Laym. Spor. *c.3.num.*135. quamvis Suar. Sanch. & alii cum Diana in Comp. V. Votum *n.* 55. negent te poſſe ad priorem materiam redire, ſi materia ſubrogata fuerit melior, quia putant commutationem eſſe factam in favorem Dei, qui acceptavit; ſed hanc limitationem non admittunt alii: notat tamen rectè Tamb. *n.6.* quòd per commutationem propria authoritate factam non transferatur vinculum ad rem ſubrogatam, ideoque tenearis redire ad priorem materiam, ſi hæc ſubrogata reddatur inutilis vel impoſſibilis. *Ex dictis ſolvuntur hi caſus,*

Titius voto peregrinationis Romanæ obſtrictus ingreditur 517
Statum Religioſum, & in Novitiatu vovet, ſi in illa Religione non permaneat, ſe aliam ingreſſurum, profitetur deinde, ſed poſt aliquot annos ob delicta ex Religione expellitur: In hoc caſu, *Vivald.* putat teneri Romam proficiſci, quia in commutationibus, quæ à Jure fiunt, videtur ſubintelligi illa conditio, *ſi in materia permutata permanſeris:* Oppoſitum tenet *Sanch.* quia nobilior commutatio plùs extinguit voti prioris obligationem, quàm ignobilior, ſed commutatio, quæ à Jure fit per profeſſionem religioſam, eſt nobilior aliis commutationibus, quæ ab homine fiunt, ergo voti prioris obligationem plus extinguit, & conſequenter hoc non reviviſcit. Quoad alteram partem, *Leſſ.* putat Titium teneri ingredi aliam Religionem, quia votum hoc ingrediendi aliam Religionem, ſi in hac non perſeveret, non eſt commutatum per Profeſſionem religioſam, cùm aſſumptum fuerit ſub conditione ceſſationis Profeſſionis religioſæ: Oppoſitum tenet *Caſtrop.* quia non eſt major ratio de voto ingrediendi aliam Religionem, quàm de quovis alio voto, ergo illud ſimiliter extinguetur per primam Profeſſionem: Sententiæ hæ ſunt probabiles, ſententiæ tamen *Sanch. & Leſſ.* videntur conformiores dictis.

Cajus obſtrictus voto Religionis obtinet diſpenſationem 518
contrahendi Matrimonium cum Caja, ſub onere commutationis in ſabbatinum jejunium. Caja moritur ſecundo anno, in hoc caſu *Sanch.* putat Cajum teneri ad utramque materiam exequendam, nam primi voti obligatio redit, in qua videtur diſpenſatum eſſe tantùm pro tempore Matrimonii cum Caja: materiæ autem ſecundæ obligationem putat colligi ex modo ſcribendi Pontificis, quo denotatur perpetuitas materiæ permutatæ; è contra *Caſtrop.* dans redire prioris voti obligationem: probabiliùs negat manere obligationem ſecundi, quia generalis regula eſt, voto principali redeunte

ceſſa-

ceſſare ſubrogatum, quod ſi abſolutè diſpenſatum eſt ad ineundum Matrimonium ſub onere ſabbatini jejunii, videtur liber voto Religionis, licèt maneat viduus aut iterum ducat aliam, ſemper tamen obſervando ſabbatinum jejunium. Vide dicenda *num.*564.

519 §.11. Poſſunt vota ſemel commutata iterum commutari in aliquid aliud. *Chap.*

520 §.12. Rectè notant Authores communiter, quantùm fieri poteſt, commutationem eſſe faciendam in rem, quæ ſerviat ad finem voti: ſæpè tamen expedit commutare in opera, quæ vovens ſolet ex devotione facere, ſi periculum ſit tranſgreſſionis, quia illa alacriùs peraget; ſed non poteſt fieri in opera, ad quæ aliunde ex gravi obligatione tenetur, Leſſ.Gob.Alloz. Belleg.*q.6.* poteſt autem dari optio Pœnitenti, uti ex pluribus propoſitis hoc vel illud faciat loco ſui voti; item ut jam hoc jam illud, hoc vel illo die, Gob.Belleg. *ſup.*

521 §.13. In commutatione non eſt ſpectanda præcisè excellentior virtus, in quam commutetur, ſed quod hic & nunc eſt melius voventi, ſic ſi ad domandam carnem voverit flagellationem, melius erit commutare in jejunium quàm orationem, Tamb.§.*6.n.3.* addens *num.*5. non eſſe tamen opus, ut votum perſonale in actionem perſonalem, aut reale in realem mutetur, quamvis conſultius ſit ſic fieri. Et eſt communis cum *Laym. Lohner*, qui etiam cum *Vaſq. Con. Dicaſt.* notant fieri poſſe in opera à vovente fieri ſolita, uti ante dictum eſt.

522 §.14. Si commutatio fiat ex cauſa rationabili, fieri poteſt in æquè bonum; ſi autem fiat ſine cauſa ex mero beneplacito, fieri debet in melius; S.Th.Cajet.Beja *p.1. Caſ.*28. Et univerſaliter loquendo videtur probabilius cum Sanch. *c.49. num.*12. Illſ.*n.*150. aliiſque plurimis contra multos apud Caſtr. *d.2.p.15. n.4.* quos ſequitur Sporer *t.3.c.3.num.*122. neminem poſſe propria authoritate votum ſuum commutare in aliquid tantùm æquale, hoc ipſo enim quòd hæc materia ſit voto promiſſa, habet honeſtatem objectivam religionis, jamque cenſetur melior, quàm altera libera ſecundum ſe tantùm æqualis; authoritatem tamen dedit DEUS Superioribus Eccleſiæ, quia ſic expediebat ad utilitatem Fidelium, & prælatus in Eccleſia, inquit S.Th.2.2.*q.*88.*a.*12. *in O.*gerit vicem Dei, hinc Apoſtolus 2. ad Corinth.2.v.10. ait: *Quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in nomine Chriſti.*

523 §.15. Ut materia voti propria authoritate commutari poſſit in aliam tantùm probabiliter meliorem, requirunt Suar. Sanch. & Caſtrop. certitudinem, quod ad minimum ſit æqualis, ſed Illſ.*n.*149. id non requirit, dicens, uti ſecundùm probabilem ſententiam alia præcepta ad plus non obligant, quàm ut eis probabiliter ſatisfaciam, ſecundùm dicta L.1.n.600. ita & hic eſſe,

524 §.16. Commutatio abſque ulla cauſa etiam à Superiore facta in rem æqualem videtur eſſe invalida: Suar. Caſtrop.*p.*17. *n.4.& alii.* Ratio eſt, quia procedit à non habente poteſtatem, DEUS enim nemini dedit poteſtatem remittendi obligationem aliquam abſque cauſa: quia talis conceſſio eſſet irrationabilis, ſi tamen Superior bona fide proceſſerit, putans eſſe cauſam, commutatio valet, uti tenent iidem Authores cum Diana *in Summa V.Votum n.*48. quia ipſa bona fides Superioris eſt pro cauſa, nec DEUS credi debet in hoc eſſe rigidior exactor: addit Sanch. apud Dian.*P.2.T.*16.*R.*8. peccaturum tantùm venialiter, qui ſine cauſa commutaret in aliquid æquale.

525 §.17. In jubilæo ſufficit cauſa, ob quam Papa dat facultatem commutandi, eſtque ordinariè generalis cauſa boni communis, quæ ſufficit ad commutationem æqualem, Suar.*c.*19. *num.*10.Sanch.*c.*50.*num.*19. Gob. & alii cum Belleg. *q.*4. Etiam extra jubilæum pro commutatione in rem æqualem ſufficit cauſa levis, uti habet communis cum Caſtrop.*p.*15.*num.*8. v. g. ſi commutatio ardenter petatur, cum ſpe majoris fervoris & fructus in executione materiæ ſubrogandæ conſentit Dian. ſuprà cum aliis, hinc Suar.*l.6.c.*20.*n.*7. dicit moraliter hic nunquam deeſſe cauſam.

526 §.18. Si commutatio fiat in minus à non habente poteſtatem diſpenſandi, Sanch.Dian.Tamb.§.5.*num.*9. Belleg.*q.*3. dicunt eſſe probabile, quòd valeat, ſed remanere obligationem ſupplendi id, quod deeſt ad æqualitatem; è contra Suar.Nav. Azor.Caſtrop.*p.*17.*n.*2.Illſung.*n.*155.aliique multi probabilius dicunt, quod commutatio ſine ulla cauſa in aliquid minus ſit invalida, quia poteſtas ſic commutandi non eſt data à Deo, nec DEUS acceptat, quod minus eſt: imò nec quod de ſe eſt tantùm æquale; quando nulla eſt cauſa ſic commutaudi, quia nunc reipſa eſt inæquale, & minus, uti *num.*522. dictum eſt; hinc concludit Illſung. *nu.*153. quando Authores dicunt poſſe vota per authoritatem Superioris commutari in paulò minus, intelligi de opere, quod adhuc moralem æqualitatem habeat, hinc etiam *Belleg.* addit valere talem commutationem, dummodò id, quod ſubſtituitur, non ſit notabiliter minus.

527 §.19. Med.Leſſ. aliique apud Dian.*in Comp. V.Votum n.*51. dicunt Regulares probabiliter poſſe commutare in quid minus, ſed nullibi lego illud privilegium, Gob. & alii apud Dianam *p.2. t.16. R.*8. putant tempore jubilæi fieri poſſe in rem certò minus bonam, quia ipſa opera ad jubilæum lucrandum requiſita dici poſſunt venire in partem operum ſubſtituendorum, quod non videtur improbabile: de cætero ſatis certum eſt, & notant omnes, ſufficere æqualitatem moralem & bona fide exiſtimatam, nimis enim difficile & moraliter impoſſibile eſt mathematicè attingere æqualitatem.

§.20. Commutatio à priori facta in aliquid, quod videtur 528
eſſe minus, non facilè improbari debet à poſteriori Confeſſario, ſed potiùs præſumendum habuiſſe cauſam: Et ſententia aliorum apud Laym.*l.*4 *t.*4.*c.*8.*num.*24. docentium id licitè aut ſaltem validè fieri, probabilis eſt, inquit *Lohner*.

§.21. Exempla commutationum in aliquid æquale videri 529
debent apud Tamb.§.*6. à num.*11. Gob. *de jubil. à n.*324. Spor.*à num.*126.Lohner & alios paſſim: ac inter reliqua advertendum, an prima materia voti ſit multùm utilis ad finem, quem habuit vovens, ſi enim nunc ſit minus utilis, facilius attingetur æqualitas.

§.22. Quamvis non peccaret, qui votum commutaret ſub 530
aliqua conditione de futuro, tamen melius eſt abſolutè commutare vel differre commutationem, Suar. *c.16. num.*10. Gob. *num.*296. Belleg. *q.6.*

§.23. Poteſtatem commutandi Vota non reſervata dedit 531
Confeſsariis Societatis JESU Paulus III. in Bulla, *Dilecti Filii* 5. Junii 1546.& conſequenter eandem habent alii Religioſi, qui cum illis gaudent communicatione privilegiorum.

*Q.*129. *An votum factum in favorem tertii poſſit commu-* 532
tari? R.§.1. Nec commutari poteſt nec diſpenſari, ſi hoc cederet in præjudicium tertii: tum autem cederet in præjudicium tertii, ſi eſset contra jus à tertio acquiſitum, uti ſi ille tertius promiſſionem in voto incluſam & non injuſtè extortam acceptaſſet, jamque non conſentiret in commutationem voti: Si tamen vovens fuiſset impubes, poſset irritari ſecundùm dicta *n.*488. & rectè notat Leſs.*de juſt.l.*2. *c.*17. *num.*51.

§.2. Si tertio non ſit jus acquiſitum, uti ſi non acceptave- 533
rit promiſſionem, quamvis votum factum ſit in ejus favorem, commutari poteſt, Suar.*T.*1.*l.*14.*c.*41.*n.*9. *Ex his reſolvuntur ſeqq. Caſus*,

Titius vovit dare eleemoſynam Cajo pauperi, qui tamen 534
de hoc voto nihil reſcit: Hoc votum poteſt commutari, quia Cajo nullum jus eſt acquiſitum; Suar.Sanch. Leſs. Mald. Fill. Caſtrop.Diana *p.1.t.*11.*R.*47. Belleg.*q.*2.

Cajus vovit vel etiam juravit latroni, votum & juramen- 535
tum acceptanti dare pecuniam: hoc votum & juramentum relaxari poteſt, quia latro injuſtè cogens nullum jus acquiſivit, ſed Cajo nata eſt obligatio tantùm ex virtute religionis; uti dictum eſt *num.*358. quam ex cauſa poſsunt Superiores relaxare, Bartol.Jaſ.Covar.Sanch.*l.*3.*c.*12.*n.*63. Lug.*de juſt.d.*22.*à num.* 190. Leſs. ſuprà. Et admittunt omnes ſufficientem cauſam relaxandi eſse, ſi ille, in cujus gratiam juratum eſt, injuſtè, vel turpiter exegerit juramentum, Sanch.*n.*65. Lugo *n.*192. Vide dicenda *P.*2.*n.*736.

Sempronius vovit uni Eccleſiæ calicem, ſed quia audit eſ- 536
ſe divitem, petit votum commutari, & dat alteri Eccleſiæ pauperi: In hoc caſu dicendum eſt, ſi Eccleſia dives hoc votum acceptarat, illicitè fieri, uti habet communiſſima cum Sanch.*l.*4.*c.*41. quia commutatio facta eſt in præjudicium Eccleſiæ divitis, & votum facta acceptatione jam tranſierat in contractum. His non acquieſcit Burgh. *Cent.*2.*caſ.*25. qui pro ſe citans *Cajet. P. Nav.* & nonnullos alios dicit id licitè factum quia ejuſmodi vota primariò tendunt ad Deum ut finem, cujus gratia fiunt, Eccleſia autem erat tantùm *per accidens* finis, cui fiebat promiſſio, ergo acquiſitio juris per promiſſionem acceptatam fiebat dependenter à Dei beneplacito, ergo cùm Deo gratius ſit illud, quod eſt melius, melius autem ſit dare Eccleſiæ pauperi quàm diviti, propter hunc principalem voti finem promiſſio alicui facta non erit valida, niſi ſerviat ad illum finem principalem. *Confirmatur*: nam qui in Religione profeſsus eſt, poteſt per ſe loquendo tranſire ad ſtrictiorem, etiam non obtenta facultate, uti habetur Cap. *Licèt*, De Regularibus: Hinc reſpondet ejuſmodi votum Eccleſiæ diviti factum tranſire in contractum tantùm conditionatum & dependens à Dei beneplacito jam explicato: nihilominus non eſt recedendum à ſententia communi, quam *Sanch. & alii* dicunt eſse manifeſtam, quia negari non poteſt, quin promiſſio etiam facta ſit Eccleſiæ; quæ per acceptationem jus acquiſierit, ergo ſi revocetur ipſa invita, fiet contra jus illius. Quod autem liceat tranſire ad Religionem ſtrictiorem, quamvis prior Religio jus acquiſiverit in perſonam, hujus cauſam reddunt Authores, quia ex ipſa diſpoſitione juris includitur hæc conditio; *Niſi elegerim ſtrictiorem, volo in hac permanere*, qualis diſpoſitio non eſt circa alias promiſſiones.

DUBIUM VIII.

537 *Quid ſit diſpenſatio, & qui poſſint diſpenſare in votis.*

„ RESP. I. Diſpenſatio eſt abſoluta obligationis voti condonatio, nomine Dei facta. Ad hanc, ut valeat, juſta cauſa requiritur: qualis v.g. eſt, 1. Bonum Eccleſiæ, „ vel commune Reipublicæ: 2. Notabilis difficultas in obſervatione voti, 3. Imperfectio actus, vel levitas ac facilitas, „ ex qua proceſſit votum, Suar. *lib.6.c.*17. Filliuc. *t.26. n.*260. „ Sanch. *l.4,c.*45. V. Bonac. *d.4.q.2.p.*7. §.4. *n.*1. Laym. *l.4. c.*8. „ *num.*5. *Unde reſolves,*

„ I. Cùm cauſa non ſufficit ad integram diſpenſationem, „ partim diſpenſari, partim commutari poteſt. Bonac. *l. c.*

„ II. Prælatus videns, ac (cum facilè poſſit) non contradicens, videtur diſpenſare, inquit *Sa.*

„ III. Poteſtas etiam delegata diſpenſandi in votis extendit „ ſe etiam ad vota jurata, & juramenta pia ſoli Deo facta, V. „ Suar. *lib.6. de voto*, Sanch. *l.8. de Matr. d.3.*

„ IV. Ante voti acceptationem à certa perſona aut ab Eccleſia, non cenſetur jus acquiſitum, ideoque ſine ejus injuria poteſt diſpenſari vel commutari.

„ Reſp.2. Poteſtas diſpenſandi convenit omnibus Prælatis, „ qui habent Juriſdictionem in foro externo, vel privilegium. „ Leſſ. *l.2.c.*40. *n.*115. *& ſeqq.* Sanch. *Mor. l.4. cap.*38. *& communiter*. Unde diſpenſare poſſunt ſequentes: I. Papa, reſpectu omnium Fidelium in omnibus votis. II. Epiſcopus, „ reſpectu ſuorum ſubditorum, non autem Parochus, quia „ tantùm habet Juriſdictionem fori interni. Suar. *l.c. cap.*12. „ III. Prælati Regulares exempti, reſpectu ſuorum Religioſorum & Novitiorum, idque circa vota, quæ in ſæculo, vel „ etiam in Novitiatu fecerunt, Leſſ. *n.*80. *&* 107. Sanch. *l.9. de* „ *Matr. d.*29. non autem Prælati non exempti, neque Abbatiſſæ, Suar. Leſſ. *ll.cc.* IV. Ex privilegio Papæ Confeſſarii Ordinum Mendicantium, ſecundum conceſſionem & moderationem ſuorum Superiorum, ut notat Leſſ. *num.*115.

„ Reſp.3. Supradicti omnes Papa inferiores poſſunt diſpenſare in omnibus votis, exceptis quinque ſoli Papæ reſervatis, ſcilicet voto caſtitatis perpetuæ, Religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apoſtolorum, ad S. Jacobum „ Compoſtellam, & Ultra-marina, ſive in Terram ſanctam, „ V. Bonac. Leſs. Laym. *ll.cc.*

ADDENDA.

538 *Quæſt.*130. *An Superior, ſi rogetur & poſſit, teneatur diſpenſare in votis?* Reſp. Quæſtio procedit de diſpenſatione circa quaſcunque materias, unde univerſaliter loquendo, §.1. Si rogetur propter neceſſitatem ſpiritualem extremam vel gravem diſpenſandi, tenetur, hinc Suar. *de leg. l.6. cap.*18. *num.*22. rectè ait poſſe de Jure naturæ eſſe debitam diſpenſationem, in primis quando eſt neceſſaria ad commune bonum, vel ad vitandum publicum ſcandalum, vel ob ſimilem cauſam, uti ſatis colligitur ex Cap. *Ut conſtitueretur 26. diſt.*50. Deinde etiam ſubinde tenetur ex officio, ſi diſpenſatio fuerit neceſſaria ad ſpirituale bonum poſtulantis, vel ad vitandum grave periculum animæ; quia Prælatus ex officio tenetur providere periculo ſubditorum, eſtque ſæpè obligatio juſtitiæ, & ſæpius charitatis, uti colligitur ex dictis *L.2. num.*174. ubi *n.*175. explicatum eſt, quandonam cenſeatur adeſſe neceſſitas extrema vel gravis ſpiritualis apud proximum.

539 §.2. Quamvis non ſit neceſſitas gravis, ſi tamen adſit ſufficiens cauſa, Superiorem teneri diſpenſare docent S. Anton. Silv. Rebuff. Armil. Roſ. aliique quos referunt Suar. *n.*19 Sanch. *de Matr. l.3. d.*10. *n.*2. Caſtr. *t.3. d.6. p.*8. §.2 *n.*8. quibus conſentit Tamb. *l.3. c.*16. §.4. *num.*12. quia hæc poteſtas eſt ipſis commiſſa in bonum Reipublicæ, & ſubditorum, valetque hic communis regula, quòd Superiori conveniat omnium utilitati proſpicere, ſed melius dicunt Sanch. *num.*3. Suar. *num.*20. Sal. aliique cum Caſtrop. *n.*9. Superiorem non teneri ſemper diſpenſare, quando adeſt cauſa ſufficiens, quia ſæpè non eſt ita urgens quin ferè æqualiter urgeat cauſa non diſpenſandi, ſed ſervandi Legem communem, & uti Superior non ſemper tenetur ferre Legem, licèt futura eſſet ad bonum commune, cùm poſſit aliter proſpicere bono communi, ita & hic: unde hi Authores cum Buſembaum relato *l.1. n.*796. ponunt iſtam regulam generalem, tunc Superiorem teneri diſpenſare, quando bono communi vel ſpeciali graviter conducit, neque alia cauſa in contrarium præponderat, qualis poſſet eſſe bonum univerſaliſſimum Communitatis, ne tales diſpenſationes paſſim petantur &c. quando autem id ita conducat, relinquendum eſt prudentiæ & judicio Superioris.

540 *Q.*131. *Quid prætereà circa diſpenſationem votorum ſit notandum?* Reſp. De hac dicta ſunt multa *l.1. à n.*797. quæ videri debent: hic præterea notari poſſunt ſeqq.

§.1. Dari in Eccleſia poteſtatem diſpenſandi, docent SS. PP. & Theologi communiter ex illo Matth. *16. v.19. Quodcumque ſolveris ſuper terram &c.* Item Cap. *19.v.*18. *Quæcunque ſolveritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælo.* Pertinebat enim hoc ad rectam Eccleſiæ gubernationem, & ſalutem animarum.

§.2. Diſpenſans in gravi voto ſine cauſa peccat mortaliter, 541 quia in re gravi arrogat ſibi poteſtatem, quam non habet, Tamb. *l.3. cap.*16. *§.4. num.*12. Ad juſtam autem cauſam requirit *Valent.* difficultatem exequendi, & grave periculum violandi: Addunt aliqui, ut difficultas notabilis ſit cauſa diſpenſandi, neceſſe eſſe, ut non fuerit præviſa; tamen licèt fuerit præviſa, adhuc putat Tamb. *num.*18. probabile eſſe, quòd ſufficiat; additque cum *Laym.* & aliis ſufficientem cauſam eſſe, non tantùm ſi ſit periculum lapſus, ſed etiam ſi ſperetur major utilitas ſpiritualis voventis, attamen in his ſimilibuſque caſibus, ubi cauſa diſpenſandi eſt dubia, potius utendum eſt commutatione; hinc Navar. Sanchez & alii cum Illſ. *t.5. num.*143. dicunt ad diſpenſandum, ſaltem ſi miſceatur commutatio, ſufficere, quod adfuerit levitas in vovendo, defectus perfectæ libertatis, vehementia affectus inordinati, error vel ceſſatio cauſæ impulſivæ &c.

§.3. Si diſpenſatio facta bona fide vel cum cauſa dubia po- 542 ſtea inveniatur facta ſine cauſa, Azor. Leſſ. Sanch. Tamb. aliique cum Illſung. *num.*142. dicunt probabiliter valere; alii cum Caſtrop. probabilius dicunt non valere, ſecundum dicta *L.1. n.*802. nec idem eſt de commutatione, de qua dictum hic *n.*524. nam per diſpenſationem planè tollitur obligatio, per commutationem autem transfertur in aliam materiam, quæ moraliter eſt eadem, quando cum cauſa probabili mutatur.

§.4. Diſpenſatio Juramenti vel voti non poteſt fieri in præ- 543 judicium tertii, uti dictum eſt *n.*358. *&* 532. Denique ex conſuetudine poſſunt Parochi diſpenſare in jejuniis & operibus ſervilibus, non tamen in Juramentis vel votis, Tamb. *num.*6. An autem Superiores diſpenſare poſſint in votis Novitiorum, videri poteſt Dicaſt. *de Cenſ. d.*3. *à n.*603.

*Q.*132. *Quid circa vota reſervata ſit notandum?* Reſp. 544 Sequentia, §. 1. Cùm reſervatio ſit odioſa, dicendum eſt non reſervari vota, niſi ſint omnino libera, perfecta, plenè obligantia, certò valida, Suar. Sanch. aliique communiter cum Moya *t.2. d.1. q.1. num.*23. Belleg. *p.3 ſect.*13. *quæſt.*2. Hinc non reſervatur votum 1. Emiſsum ex metu, etiam levi tantùm, injuſtè incuſso, quia non eſt perfectè liberum, Sanch. Leſs. Dian. Illſung. *t.5. n.*146. Belleg. ſuprà. 2. Quo quis ſe obligat ad emittendum votum reſervatum, v. gr. ad caſtitatem vovendam poſt trigeſimum annum. 3. Conditionatum, ut 545 *voveo Religionem, ſi convaluero*, quia non eſt plenè voluntarium, cùm principaliter moverit gravis neceſſitas corporis, Sanch. Leſs. Caſtrop. Dian. Tambur. aliique communiter: Si tamen impleta ſit conditio, Leſs. & Laym. apud Illſung. *ſuprà* putant tale votum eſſe reſervatum, quia tranſiit in abſolutum ſed contradicunt alii communiter cum *Belleg.* quia ab initio non fuit reſervatum, ergo nec tale fit poſteà, cùm nulla nova voluntas accedat. Addit cum aliis Diana *p.6. t.*8. *R.*16. etiamſi poſt impletam conditionem fuiſſet confirmatum, non ideo fore reſervatum, quia confirmatio ſemper cadit ſuper idem votum à principio conditionale, niſi nunc eſſet emiſsum independenter à primo voto. 4. Pœnale, v.g. *Voveo ingredi* 546 *Religionem, ſi adhuc ſemel me inebriavero*, manet enim diſpenſabile, non tantùm ante inebriationem, uti habet communis contra aliquos apud Bejam *p.1. caſ.*28. ſed etiam poſt illam, quia valdè deficit à natura perfecti voti, nam propriè non eligit Religionem, ſed ejus metu vult ſe deterrere ab inebriatione, ideoque directè potiùs vovet ſe non inebriare, & Religionem potiùs refugit velut pœnam. 5. Si directè non ten- 547 dat in virtutem, ad quam pertinet materia voti, uti jàm inſinuatum eſt; hinc Sanch. Moya *quæſt.2. n.*2. aliique multi cum Illſung. ſuprà docent, ſi quis in aliquo periculo voveat, v.g. caſtitatem, votum non eſſe perfectum, ſed reipſa conditionatum, quia intelligit, *ſi evaſero*, nec directè tendit in caſtitatem, ſed in evaſionem periculi, uti ante dictum eſt. 6. Alternativum ſeu disjunctivum, cujus altera pars reſervata 548 non eſt, uti voveo peregrinari Romam vel jejunare per menſem, Val. Az. Suar. Sanch. Bon. Rebel. Caſtrop. & alii cum Belleg. ſuprà, ita enim habet Reg.70. Juris in 6. *In alternativis debitoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.* Quod verum eſt, licèt jejunium fieret voventi impoſſibile, & quamvis liberè nollet jejunare, ſed ſtatuiſſet peregrinari, Mald. Dian. Tamb. Moya *num.*7. Illſung. ſuprà; quòd rectè limitat *Belleg.* ſi habuerit tantùm ſimplex propoſitum, non tamen ſi priorem obligationem determinare voluerit, tum enim cenſeretur peregrinationem determinatè vovisse. Quòd ſi utraque pars eſſet reſervata, uti, *voveo Religionem vel peregrinationem Romanam*, votum eſſet reſervatum, uti tenent omnes

549 nes communiter contra *Paſq.*7. Emiſſum cum animo ſe obligandi tantùm venialiter, *Suar. Sanch. Bonac. Dian. Alloz. Gob. & allii* cum *Belleg. ſuprà*. 8. In dubio, an ſit reſervatum; ſive ſit dubium facti, ſive Juris, uti habet communis. Quod ſi bona fide ſit commutatum, & poſteà reſciatur fuiſſe reſervatum, valere commutationem ex præſumpta benignitate Eccleſiæ dicunt *Sanch. Lug. Tamb. Belleg. ſup.*

550 §.2. Si addidiſti conditiones vel circumſtantias, in his diſpenſari poteſt vel fieri commutatio, manente voti reſervati ſubſtantia, uti habet communis, quia tales circumſtantiæ non ſunt reſervatæ, ſic ſi voviſti Religionem ingredi hoc anno, poteris ex cauſa differre ſecundùm dicta *n.*511. item ſi voviſti ingredi Carthuſiam, peregrinari Romam pedibus, vel Compoſtellam mendicando, poteſt Confeſſarius ex cauſa diſpenſare vel commutare, ut alium Ordinem etiam laxiorem ingrediaris, ut peregrineris eques vel non mendicando, Azor. Sanch. Caſtrop. Leſſ. Illſung. *num.*145. & alii cum Belleg. ſuprà.

551 §.3. Materia ſubrogata pro voto reſervato non eſt reſervata, ſed commutari poteſt vel diſpenſari. *Nec obſtat*, quòd ſubrogatum videatur ſapere naturam illius, cui ſubrogatur, *nam* Authores *n.*439. relati dicunt hoc valere in ſolis favorabilibus: debet tamen explicari, quale fuerit primum votum, ne commutans temerè remittat de materia ſubrogata, uti pluribus explicat Lugo *in Reſp. Mor. l.*4. *dub.*41. *à. num.*7.

552 §.4. Vota reſervata Papæ non poſſunt diſpenſari vel commutari ab alio, ſecundùm dicta *n.*511. poſſunt tamen irritari ab illis, qui habent poteſtatem dominativam in voluntatem voventis, Suar. Sanch. Mald. Dian. *p.*1. *t.*11. *R.*84. Quòd ſi daretur poteſtas tantùm in genere diſpenſandi vel commutandi omnia vota, non ideo intelliguntur reſervata, quia quæ ſpeciatim reſervantur, requirunt ſpecialem & expreſſam conceſſionem, Laym. & Belleg. *q.*1. ſi tamen concedatur facultas ad omnia vota, & addatur, *exceptis votis caſtitatis & Religionis*, poſſunt commutari vota trium peregrinationum, quia exceptio firmat regulam in non exceptis, *Sanch. Belleg. ſup.*

553 §.5. Vota reſervata Papæ diſpenſare poſſunt aut ſaltem commutare Epiſcopi ob neceſſitatem urgentem, uti explicabitur *n.*563. Item illa diſpenſare poſſunt, ſecundùm dicta, etiam alii, 1. Si fuerint imperfectè voluntaria: 2. In dubio de valore voti vel de reſervatione: 3. Si tantùm relaxetur circumſtantia: 4. Si materia reſervata mutata ſit in non reſervatam: 5. Ratione conſuetudinis: 6. Per privilegium.

554 §.6. Quamvis circa quinque vota reſervata Mendicantes non poſſint, quod Epiſcopi, ſecundùm dicenda *n.*563. tamen è contra non poſſunt Epiſcopi ſe extendere extra ſuos Diœceſanos, hoc autem poſſunt Mendicantes quoad ea, ad quæ poteſtatem habent, quia hi agunt nomine Papæ, Epiſcopi poteſtate quaſi ordinaria, hinc poteſt Epiſcopus poteſtatem ſuam circa vota delegare alteri, non autem poteſt Mendicans, niſi in aſſignanda materia commutationis, ſecundùm dicta *num.*508. quod tamen propriè non eſt delegare.

555 §.7. Si quis juret materiam, quæ, ſi voveatur, eſt reſervata, Tabien. Led. & alii apud Moyam *q.*4. putarunt ejuſmodi Juramenta non eſſe reſervata: quam ſententiam Dian. vocat probabilem, eamque admittunt Mald. Sanch. Tamb. Gob. *t.*11. *n.*657. ſi juramento nullum ſit adjunctum votum, quia in Jure nullum Juramentum invenitur eſſe reſervatum, neque reſervationes, utpotè odioſæ, extendendæ ſunt ab uno ad aliud, præſertim cùm major ſit obligatio voti quàm Juramenti, ſecundùm dicta num. 306. E contra Cajet. Sot. Tolet. Val. Suar. Laym. Moya aliique apud Belleg. *q.*5. dicunt eſſe reſervata, quia Juramenta pia in Jure æquiparantur votis, & reipſa includunt votum, cujus inſuper Deus invocatur ut teſtis. Hæ ſententiæ videntur componi poſſe, dicendo, ſi hæc Juramenta fiant Deo, eſſe promiſſiones Deo factas, adeoque in illis includi votum, vi cujus materia ſit reſervata, ſecundùm dicta num 355. Ideoque hæc Juramenta majorem obligationem afferent, quàm præcisè vota, quia per iſta Juramenta Deus bis directè reſpicietur, uti inſinuatum eſt num. 306. ſemel tanquam ille, cui fit promiſſio, & iterum tanquam teſtis voluntatis adimp'endi: è contra ſi fierent homini, aut ſaltem non Deo, non eſſet votum, adeoque Juramentum non eſſet reſervatum, ſed Deus tantùm vocaretur in teſtem promiſſionis factæ homini, aut cuicunque alteri.

556 *Q.*133. *Quid ſpecialiter notandum ſit circa votum caſtitatis?* Reſp. Seqq. §.1. Ut ſit reſervatum, debet eſſe perpetuum, perfectum & abſolutum omnimodæ caſtitatis, ſive abſtinendi ab omni voluntaria delectatione venerea tam interna, quàm externa, tam in, quàm extra Matrimonium, ita Authores communiter cum Sanch. Suar. Moya *t.*2. *d.*1. *qu.*2. *num.*1. Belleg *p.*3. *ſect.*13. *q.*3. hinc votum caſtitatis non eſt reſervatum, 1. Emiſ-
557 ſum ad certum tempus, Nav. Sot. Sanch. Caſtr. Laym. *l.*4. *t.*4. *c.*8. *n.*8. Notant tamen rectè Sanch. Leſſ. Trul. Gob. Belleg. ſuprà votum caſtitatis ad 100. annos cenſeri perpetuum, quia hominis vita præſumitur non fore longior, unde ſi quis octogenarius voveret caſtitatem ad 20. annos, votum cenſeri deberet perpetuum. 2. Si quis diverſis votis varia voverit, quæ 558
ſimul ſumpta facerent votum totale caſtitatis, quia ſingulatim facta non ſunt votum perfectum caſtitatis, & poſteriora habent ſe per accidens ad priora; unde à contrario, ſi ultimo voto intendiſſet ea omnia conjungere, hoc ultimum eſſet perfectum votum & reſervatum, *Sanch. Dian. Trul. Belleg. ſuprà.* 3. Votum non fornicandi, *Navar. Leſſ. Sanch. Belleg.* Item 559
non nubendi, *Henriq. Val. Sanch. Tamb. Belleg.* Item non petendi nec reddendi debitum, *S. Anton. Sà, Henriq.* apud *Laym. ſuprà*, quod verum eſt; licèt factum eſſet de mutuo conſenſu conjugum, *Leſſ. Belleg.* Ratio horum omnium eſt, quia non ſunt omnimodæ caſtitatis: Et eadem ratio eſt de voto caſtitatis conjugalis, niſi annexum ſit Ordini militari, Sanch. Illſung. *t.*5. *num.*145. Belleg. ſuprà.

§.2. Votum abſolutum omnimodæ caſtitatis emiſſum à 560
conjuge poſt conſummatum Matrimonium abſque alterius licentia, non eſt reſervatum, quia etiam non eſt omnimodæ caſtitatis, cùm teneatur reddere debitum, *Sanch. Trul. Belleg.* qui putant fore reſervatum, ſi cum licentia alterius conjugis eſſet emiſſum animo ingrediendi Religionem, quia alter jam irrevocabiliter, uti ſupponimus, ceſſiſſet juri ſuo. Similiter ſi factum ſit matrimonio necdum conſummato ex intentione ingrediendi Religionem, erit reſervatum, uti iidem Authores tenent: quòd ſi conjux manſurus in ſæculo etiam poſt conſummatum Matrimonium ita voverit cum conſenſu alterius conjugis, Tann. apud Gob. *t.*10. *n.*627. dicit non eſſe reſervatum; conſentit Quintanadv. apud Gob. *num.*630. licèt uterque voviſſet cum licentia mutua, dummodò non fecerint per mutuum contractum & conventionem, qua ceſſerint juri licentiam illam revocandi; in priore enim caſu non eſſent firmè obligati ad perpetuam caſtitatem, ſed ſi intervenerit talis mutuus contractus & conventio irrevocabilis, dicendum eſt cum Nav. Silv. Rodriq. Sà, Diana, Belleg. aliiſque communiter fore reſervatum: putant tamen B. Pontius & Diana *P.*4. *t.*4. *R.* 125. ſi ad Pontificem non ſit facilis recurſus, & conjuges pergant cohabitare, votum fore diſpenſabile, ſecundùm dicenda *num.*563. propter periculum incontinentiæ, quod (moraliter loquendo) ſemper aderit, verùm potiùs antecedenter monendi ſunt tales conjuges, ut tale votum non faciant, niſi fortè ſint ſenes, vel advertantur habere ſpeciale donum continentiæ, & ſe lecto ſeparent.

§.3. Circa votum perpetuæ virginitatis, an ſit totale ca- 561
ſtitatis necne, recurrendum eſt ad mentem voventis, nam ſi tantùm voluit abſtinere à primo actu, quo perditur virginitas, erit votum caſtitatis partiale & non reſervatum, uti omnes tenent cum Moya *num.*4. ſi autem hanc expreſſam intentionem non habuerit, Authores communiter cum Azor. Sayr. Sanch. Leſſ. Trull. Dian. Belleg. Caſtrop. *d.*1. *p.*12. dicunt eſſe totale ac reſervatum: Alii apud Moyam *n.*6. dicunt non debere cenſeri totale, niſi habuerit expreſſam intentionem vovendi omnimodam caſtitatem, quod ut probabile defendit Burgh. *Genr.*1. *Caſu* 59. hinc Illſung. *t.*5. *num.*108. dicit etiam amiſſa virginitate teneri abſtinere ab omni delectatione læſiva virginitatis, quia hic eſt communis ſenſus ita voventium, ideoque cenſeri debere eſſe votum caſtitatis perpetuæ ſaltem imperfectæ excludentis omnem voluptatem veneream corporalem, niſi manifeſtè fuerit alia mens voventis, citatque pro ſua ſententia S. Th. Suar. Sanch. Caſtrop. Tamb. ſed Moya *num.*7. probabilius ſic diſtinguit: ſi vovens cognovit differentiam inter virginitatem & caſtitatem, ac dixerit, voveo virginitatem, erit partiale; ſi non cognovit, uti communiter non cognoſcunt juvenes & puellæ, cenſendum eſt totale, quia pro eodem ſumunt. Addit rectè eum, qui dubitat, an emiſerit votum partiale caſtitatis an totale, poſſe reſolvere in favorem ſuæ libertatis, quia tantùm eſt certitudo pro voto hoc vel illo, votum verò ita disjunctivum relinquit libertatem eligendi quod volet, uti dictum eſt *num.*548.

§.4. Votum ſacros Ordines ſuſcipiendi non eſt reſerva- 562
tum, quia eſt tantùm votum vovendi caſtitatem, & necdum caſtitatis, Henriq. Sà, Az. Suar. Leſſ. Sanch. Caſtrop. Dian. Illſ. *num.*145. Bell. *q.*3.

§.5. Sanch. *de Matrim. lib.*8. *d.*10. *num.*22. referens alios 563
ait: *Hæc votorum reſervatio non ita amarè ac ſtrictè accipienda eſt, quin liceat Epiſcopo diſpenſare in his votis caſtitatis perpetuæ & Religionis, quando magnum incontinentiæ periculum imminet, nec facilis aditus ad Pontificem patet præ paupertate vel alia cauſa, quia jure optimo credi poteſt non eſſe mentem Pontificis velle in tali caſu reſervare ſibi hæc vota, neque eſt veriſimile velle eum, ut animæ laqueis irretitæ in tanto periculo verſentur.* Et infrà: *Imò ob eaſdem rationes idem dicendum eſt, quamvis non immineat periculum incontinentiæ ex mora, ſi aliud quodcunque grave periculum immineat: ut gravis ſcandali vel magni damni tertiæ perſonæ*: Idem habet Leſſius, ſi non ſit facilis recurſus ad Papam vel ejus Delegatum: Item Garz. Torre. Led. Dian. Paſq. quos adductis verbis refert Moya *à num.*10. Idem tenent Silv. Nav. Henriq. Val. Sà, Suar.

Laym. Caſtropal. aliique cum Carden. *in 1. criſi d. 79. n. 17.* qui dicunt non eſſe credendum, quòd Papa velit ſibi cum damno ſalutis animarum reſervare illam poteſtatem à Chriſto in bonum animarum conceſſam: conſentit etiam Alviſ. *de privil. Regul. ſect. 3. c. 5. §. 3. n. 33.* Imò Paſqu. apud Moyam *num. 16.* dicit, cùm Confeſſarii in jubilæo poſſint vota non reſervata commutare, poſſe commutare vota, in quibus diſpenſare poſſet Epiſcopus, quod Boſſ. dicit probabile: addunt Crouſ. Leand. Alviſ. & alii apud Moyam *à num. 17.* Mendicantes ſemper poſſe per ſua privilegia diſpenſare, uti Epiſcopos, quando eſt caſus talis urgentis neceſſitatis, ſed his ſententiis Paſq. & Crouſ. meritò contradicit communiſſima cum Suar. Sanch. Barb. Henriq. Laym. Rodriq. Fagund. Mirand. Lezan. Caſtrop. Tamb. *l. 3. c. 16. §. 4. num. 49.* Burgh. *cent. 3. caſ. 32.* Moya *num. 22.* quia omnes Doctores antiqui concedentes Epiſcopis ex præſumpta licentia Pontificis hanc poteſtatem extraordinariam, attamen in juriſdictione ordinaria fundatam, negant reliquis Confeſſariis & Mendicantibus pro tempore jubilæi. Hinc in Bullis jubilæi & privilegiis Mendicantium expreſsè ſolent excipi vota illa: quoad hęc omnibus conſentit Illſung. *num. 147.* attamen rectè addit cum Silv. Nav. Suar. Sanch. Lug. *in Reſp. Mor. l. 6. d. 1. num. 4.* plus non poſſe Epiſcopum, quàm præcisè neceſſitas præſens exigat, hinc licèt diſpenſetur ad contrahendum Matrimonium, adhuc obligari vitare peccata contra caſtitatem: denique addit Moya *d. 1. q. 1. num. 23.* votum caſtitatis vel Religionis emiſſum à tali in Venerem proclivi, vel cui proclivitas illa ſupervenit, non eſſe reſervatum Papæ, ſed etiam ideo eſſe diſpenſabile ab Epiſcopo, eò quòd certum non ſit illud obligare, ſed de hoc ſatis diximus *n. 481.*

564 §. 6. Si diſpenſatio voti caſtitatis obtenta ſit ad effectum ineundi Matrimonii, non ideo votum deſinit eſſet reſervatum, neque ideo diſpenſatur quoad reliqua, neque etiam ad ſecundum Matrimonium, ſi hæc uxor moriatur, quia communiter additur, ut hac mortua cælebs maneat, utpote eodem voto obligatus, unde reipſa manet reliqua partialis materia prioris voti reſervata, & mortua uxore eſt tota obligatio prior, uti ſi quis obſtrictus abſoluto voto caſtitatis ducat uxorem & diſpenſetur ad petendum debitum, non ideò reliquæ partes voti deſinunt obligare aut eſſe reſervatæ, ſed ſi uxor iſta moriatur, diſpenſatus obligatur eodem voto omnimodæ caſtitatis, uti pluribus deducit Lugo ſuprà toto Dubio 1. Laudabile eſſe emittere votum caſtitatis in ſæculo, probat fusè Leſs. in Auct. V. Votum *caſu 1.*

565 *Q. 134. Quid circa votum Religionis ſit notandum?* Reſp. Seqq. §. 1. Ut ſit reſervatum, debet eſse abſolutum & perfectum Religionis propriè & ſimpliciter dictæ, unde votum Religionis ab Eccleſia non approbatæ non eſt reſervatum, ita cum communi Belleg. *p. 3. ſect. 13. q. 4.*

566 §. 2. Reſervata ſunt omnia vota, per quæ quis fit Religioſus, qualia ſunt paupertatis, caſtitatis, obedientiæ in Religione emiſsa; item quædam alia vota particularia ſecundùm ſpecialia Statuta quorundam Ordinum, *Suar. Dian. Belleg. ſup.*

567 §. 3. Si aliquis continentiam ſervare non poſſet, nec daretur recurſus ad Papam vel Delegatum, eſſetque periculum in mora, poſſet Epiſcopus in voto Religionis ineundæ diſpenſare, ſecundùm dicta *n. 563.*

568 §. 4. Votum, quo Religioſus vovet eligere Religionem ſtrictiorem, non eſt reſervatum quoad circumſtantiam ſtrictioris, uti habet communis cum Sot. Silv. Navar. Azor. Leſſ. Sanch. Dian. *p. 1. t. 11. R. 55.* Illſung. *num. 145.* & dictum eſt *num. 550.* nequit tamen poſteà irritari à Superiore, uti habet Buſemb. relatus *n. 482.* & præter ibi citatos docent Suar. Laym. Tamb. *l. 3. c. 12. §. 5. num. 5.* quia Religioſus quoad hoc ſubjacet ſoli Pontifici.

569 §. 5. Probabiliter tenent Sanchez, Fagund. Mald. Diana, Trull. Beleg. ſuprà, Leſſ. in Auctario V. Votum. *Caſ. 3.* votum perſeverandi in Religione non eſſe reſervatum, ſed commutari poſſe, ſi quis in Novitiatu experiatur Statum ſibi non convenire, nam non eſt Religionis in ſe, ſed circumſtantiæ, quæ non reſervatur ſecundùm dicta *num. 550.*

570 *Q. 135. Quid circa votum trium peregrinationum ſit notandum?* Reſp. Hoc unicum, quod vota trium peregrinationum non ſint reſervata, niſi ſint emiſſa devotionis cauſa, Tamb. Illſung. *t. 5. num. 145.*

TRACTATUS III.

De tertio, & quarto Præcepto.

CAPUT PRIMUM.

Quoad tertium præceptum,

Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. 571

PRæceptum hoc, quatenus vult tempus aliquod ſanctificari, ſive impendi cultui divino, eſt naturale & adhuc obligat: quatenus verò per id tempus deſignatur dies ſabbatinus, eſt cæremoniale, & in novo teſtamento abrogatum, ac pro eo ab Eccleſia deſignatus dies Dominicus & feſti; præſcriptuſque modus colendi, ut quædam opera illis diebus fiant, quædam non: hæc prohibentur, illa præcipiuntur. Bonac. Laym. ex D. Thom. 2. 2. *Q. 122.*

ADDENDA.

Quæſt. 136. An præceptum obſervandi Feſta obliget ſub mortali? Reſp. Affirmativè, nam Innocentius XI. damnavit hanc 52. Prop. *Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* 572 Et quamvis obligatio gravis obſervandi Feſta non conſtaret, neque ex ſenſu communi Fidelium, neque ex univerſali conſuetudine Eccleſiæ determinantis Jus naturale & divinum, quo tenemur aliquando Deum ſpecialiter colere, nihilominus ex hac damnatione obligatio illa fit evidens, quia cùm iſta Lex, prout cadit in certos dies, ſit Eccleſiaſtica, ad Pontificem, qui primarius Author eſt Legis, ſpectat declarare, an graviter obliget necne, ergo cùm declaret graviter obligare, evidens eſt ita eſſe, Carden. *in 2. criſi d. 32. num. 16.* Atque ex hac damnatione etiam ſequitur, improbabilem eſſe ſententiam illorum, qui dicunt nullum præceptum graviter obligare, niſi ſit de aliquo, quod opponatur charitati Dei vel proximi, nam in primis violare Legem quamcunque ex contemptu illius Legis ſeu poteſtatis legislativæ, ſemper eſt mortale, ut tenent omnes, nec tamen eſt contra charitatem Dei vel proximi: deinde certum eſt, quòd Legislator etiam humanus in materia gravi poſſit graviter obligare, habet enim poteſtatem præcipiendi, & prohibendi non reſtrictam ad obligationem tantùm levem, ergo ſi declaret ſe velle obligare graviter, erit obligatio ſub mortali, neque tamen tranſgreſſio erit contra charitatem Dei vel proximi. *Nec refert*, quòd omne mortale è ſubjecto, in quo eſt, expellat charitatem: *Nam* ex hoc tantùm ſequitur, quod omne mortale opponatur charitati ſubjectivè, in quantùm tollendo gratiam facit abeſſe charitatem, ſed non ideò ſemper opponitur objectivè, quia verum non eſt, quod omne mortale opponatur motivo formali charitatis, quod eſt eſse contra charitatem.

DUBIUM I.

Quæ opera tum hoc præcepto, tum ab Eccleſia prohibeantur. 573

REſp. 1. Die feſto prohibentur omnia opera ſervilia, hoc eſt, quæ & verſantur circa materiam externam & vel mechanica & illiberalia ſunt, v. g. ſuere, fabricare; vel requirunt tantùm, laborem corporis, & ab operariis tantùm, & ſervis fieri ſolent. Ita *Doctores communiter.* Vid. Laym. *l. 4. tract. 7. cap. 1.* Suar. Filliuc. & alios ex D. Thom. *l. c.* *Unde reſolves.*

I. Impertinens eſt ad rationem operis ſervilis, utrum fiat ex lucro, an recreatione; ex hac, an iſta intentione pia, vana, & turpi. Cajet. Suar. Laym. *loc. cit.* & alii contra Sylv. & Canoniſtas.

II. Impertinens quoque eſt, ſive fiat cum defatigatione & labore, ſive non; ſive brevi, ſive longo tempore, &c. quia nihil horum mutat naturam operis.

III. Servile non eſt, ideoque nec prohibitum, Feſto ludere, choreas ducere, inſtrumenta muſica pulſare, iter facere pedibus, equo, curru, vel navi: unde etiam ad hæc neceſſaria ſunt licita. Navarr. *cap. 13.* Tolet. & Laym. Suar. *De Feſt. c. 27.*

IV. Nec ſervile eſt, ducere jumenta ſine opere; cùm id ſit iter facere, ut ait Filliuc. *tract. 27. c. 9. n. 170.* Ducere autem jumenta, currus, vel navigium onuſtum mercibus, eſt ſervile. Suar. Filliuc. *ll. cc.* Quod ſi tamen ante Feſtum talia itinera incepta ſint, continuatio eorum permittitur, vel ob publicam utilitatem, vel propter damnum, quod aliàs ſequeretur.

V. Item nec ſervile eſt, ſive gratis, ſive pro pretio docere,

» cere, ſtudere, ſcribere, tranſcribere, & ſecundùm quoſdam, » ut Medinam, Lopez & Armillam, quorum ſententiam pro- » babilem docet Laym. *n.* 3. *&* 4. contra Sà, Fill. Azor. *& alios* » *multos*, pingere etiam coloribus (nam de rudibus lineamen- » tis plerique concedunt) terere tamen colores, & non pin- » gere, ſed tingere, ut v.g. colorare aſſeres, vel pannos, de- » albare parietes, illiberale eſt.

» VI. Videntur etiam excuſari poſſe in typographiis littera- » rum collocatores, quando poſt divina collocant neglectum » penſum, ut habet Laym. *n.* 3. Imprimere tamen, ſervile ha- » betur. Eſcob. *E.* 5. *c.* 4. Suar. Laym. *& alii*.

» VII. Excuſat etiam Fill. *n.* 169. diſtillationem, quæ ſine » corporis fatigatione, potiùs ad experientiam & peritiam fit, » quàm ex officio & arte.

» VIII. Servile aliqui non putant, (alii contrarium tenent, » & excuſant per conſuetudinem, ad otium aliaque pejora vi- » tanda) venari. Gran. 2. 2. *c.* 3. *t.* 12. *d.* 4. *ſ.* 7 *n.* 63. aucupari, mi- » litare, gladiari, piſcari, (ſaltem in fluminibus recreationis » gratia) & ſimilia; piſcatio tamen moderata eſſe debet. V. Lay. » & Fill. *q.* 12. Bonac. *to.* 2. *d.* 5. *q. un. p.* 2. *n.* 25. Eſcob. qui docet la- »borioſam, & ex officio, non licere. Similiter quidam excu- » ſant puellas ad otium vitandum acu pingentes. Armill. Az. » Palaus, Sa, March. V. Dian. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 15. *& p.* 4. *t.* 4. *R.* 62.

» Reſp. II. Prohibentur præterea quædam opera non ſervi- » lia, quæ dicuntur *forenſia*; ut ſunt mercatus, Placitum, » Judicium ad mortem vel pœnam, & ſtrepitus omnis judi- » cialis, ideſt, actiones, quæ ad deciſiones cauſarum, tam » civilium, quàm criminalium, tam ſæcularium, quàm Ec- » cleſiaſticarum ſpectant. *Ita communiter DD. ex Cap.* 1. *De* » *Feriis. Unde reſolves.*

» I. Feſto non licet citare, adducere teſtes, id eſt, exigere » Juramentum judiciale, proferre, aut exequi ſententiam; » quæ ſi feratur eſt irrita. V. Laym. *c.* 2. *n.* 7.

» II. Nec licet emere & vendere res non neceſſarias, nego- » tiari publicè vel privatim, inire contractus emptionis, lo- » cationis, permutationis, &c. (niſi ex conſuetudine, vel » aliis juſtis cauſis excuſentur) quia intelligitur nomine mer- » catus, qui prohibitus eſt *Cap.* 1. *De Feriis*, ut docet Bon. ex » Suar. *c.* 13. & Fill. *n.* 180.

» III. Feſto licet excommunicare, diſpenſare, Judicem » privatim informare, Advocatum conſulere, conſilia con- » ficere, eligere, &c. quia non requirunt ſtrepitum judicia- » lem. V. Bonac. *l. c.*

ADDENDA.

574 *Quæſt.* 137. *Quænam præterea opera cenſeantur ſervilia?* R. Generatim loquendo, opus ſervile ſic deſcribitur: *Opus, quod commoditati corporis inſervit, & a ſervis regulariter fieri ſolet:* vel ſecundùm Illſ. *t.* 5. *num.* 166. *Actio, quæ quia vel immediatè in utilitatem corporis, vel corporis potiùs quam animi viribus efficitur, vulgaribus communiter hominibus committi ſolet:* Eſt tamen maximè habenda ratio uſus & conſuetudinis, nam ſervilitas operis maximè pendet ab æſtimatione hominum, uti notant Tamb. & Illſ. Nunc addi poſſunt ſeqq.

575 §. 1. Lineas notis muſicis ſolitas ſubjici ſeriò & per ſe ducere videtur ſervile, non tamen notas ſcribere aut per accidens tales lineas ducere; ſi quæ neceſſariæ ſunt ad notas tum ſcribendas, Tamb. *l.* 4. *c.* 3. §. 1. *n.* 7. Nec ſervilia ſunt, rationes inire vel computus, nec deſignare in charta opus alteri fabricandum, Sanch. *in Conſ. l.* 5. *c.* 2. *d.* 14. Caſtrop. *t.* 7. *d* 2. *p.* 5. *n.* 4. Tamb. *ſup.*

576 §. 2. Servile eſt ex propoſito reficere retia; item retia magno niſu & labore per longum tempus attrahere, hinc ut liceant ſimilia, fieri debent ſine magno apparatu, Tamb. *n.* 9. *&* §. 2. *n.* 23. venatio autem & aucupium, quamvis fiant lucri cauſa, & ex officio, ſi fiant ſine magno apparatu, die feſto licent, quia ſunt opera ſecundùm ſe communia liberis & ſervis, *Sanch.* ſuprà; idem dicens de piſcatione, quæ fit arundine, *& dub.* 6. univerſaliter dicit, omne opus, quod licitum eſt die feſto vel ex ſe vel ex neceſſitate vel ex conſuetudine, etiam eſſe licitum, quamvis fiat ob lucrum, nam non ideo fit ſervile, nec ideo deſinit neceſſitas aut jus faciendi, quod habetur per uſum: ſculpere tamen in cera, creta, gypſo, eſt ſervile, uti habet communis cum Tamb. §. 1. *n.* 10.

577 §. 3. Tamb. *n.* 11. & Illſ. ſupra dicunt licitum eſſe iter facere in lectica ab hominibus portata, ſed dicendum videtur id eſſe illicitum, quia illa portatio lecticæ eſt opus ſervile, ergo non licet, niſi excuſet neceſſitas vel alia cauſa. Et fruſtra citat Tamb. pro ſua ſententia Caſtrop. *p.* 5. *n.* 12. Item Bon. *hic d.* 5. *p.* 2. *nu.* 25. nam *Caſtrop.* loquitur tantùm de lectica ab animalibus portata: *Bonac.* autem tantùm dicit licitum eſſe parare ea, quæ neceſſaria ſunt ad Dominum deportandum, aut ferre ſecum neceſſaria ad uſum itineris, uti cibum, veſtes &c. hæc enim acceſſoria ſunt itineri de ſe licito in die feſto.

§. 4. Simpliciter loquendo licita eſt occupatio modiciſ- 578
ſimæ applicationis, hinc ſi cooperatio, cum animalibus, ventis, aqua, igne &c. nullam vel modicam habeat applicationem, eſt licitum illis cooperari: & ita licitum eſt voce, ſtrepitu, baculo excitare animal ferens onus, molere, diſtillare die feſto. Quod ſi notabilis applicatio vel cooperatio ſervilis requireretur, ut ſi onus eſſet ſæpius imponendum, deponendum; animal ſæpius exuendum, induendum; mola ſæpè obvertenda; ligna findenda ad alendum ignem &c. foret illicitum, Tamb. *n.* 14.

§. 5. Illicitum eſt die feſto imponere laborem hæreticis, 579
hi enim illo Eccleſiæ præcepto tenentur: probabilius tamen eſt cum Lay. *l.* 1. *t.* 4. *c.* 9. *n.* 3. & Dian. *p.* 5. *t.* 14. *R.* 7. imponi poſſe perpetuò amentibus, item infidelibus vel Cathecumenis uti docet idem *Dian.* cum *Gran.* quia hi, cùm non ſint baptizati, non ſunt Eccleſiæ ſubditi, nec illius præceptis obligantur: attamen etiam probabile videtur cum Tamb. *n.* 16. id non licere, licèt enim hi die feſto poſſint laborare, ſi ſua ſponte velint, ob rationem datam, non ideo licebit alteri, qui præceptis Eccleſiæ tenetur imponere laborem, quia huic moraliter imputaretur labor & inhonoratio diei. Hanc ſententiam non putant probabilem *Illſ.* ſuprà, 1. Quia qui mandat puero rationis incapaci die Veneris carnes comedere, vel die feſto non audire Miſſam, non peccat, ergo ſimiliter hic. 2. Qui die feſto ſine ſua cooperatione facit per equos molam circumagi, non peccat, ergo ſimiliter hic. 3. Lex ſanctificandi diem feſtum imponit obligationem perſonalem, ergo ut non ſatisfacit Legi, qui die feſto audit Miſſam per alium, jubendo illum audire, ſic non facit contra Legem, qui in propria perſona non laborat. 4. Addo pro *Illſ.* qui jubet diſpenſatum laborare, non peccat, ergo nec peccat, qui jubet laborare non ſubjectum Legi. R. Hæc dici probabilius; ſed non concludunt certò: *Ad* 1. N. conſ. Quia mandans iſta, non ideo cenſetur carnes comedere aut negligere Miſſam; è contra mandans laborare die feſto, cenſetur per illos laborare tanquam per inſtrumenta. *Ad* 2. etiam N. conſ. quia equi aut alia irrationalia non ſunt per ſe apta ſanctificare aut profanare diem: ſi enim fluvius exundans toto die feſto evolvat arenas ad littus, nemo dicit profanari feſtum; è contra homines ſunt inſtrumenta rationalia de ſe apta ſanctificare vel profanare diem feſtum, qui enim videret etiam infideles, die feſto laborantes; diceret, non colunt diem, ut vult Eccleſia: atque in his multùm tribuendum eſt exiſtimationi hominum, uti fatetur *Illſ. Ad* 3. Si argumentum valet, ergo nec facit contra Legem, qui mandat Fideli, ut laboret, quia nec per illum poteſt audire Miſſam: itaque N. conſ. quia licèt ipſe non laboret, tamen ipſi imputatur labor alienus, & inhonoratio diei fit moraliter ipſius. *Ad* 4. N. conſ. quia pro diſpenſato eſt poſitiva conceſſio Eccleſiæ, quæ facit laborem non cenſeri inhonorativum diei: è contra vult Eccleſia etiam infideles abſtinere, quamvis eis imperare non poſſit.

Q. 138. *An peccet mortaliter, qui die feſto mandat ſex* 580
famulis, ut ſinguli una hora laborent? R.

§. 1. Si mandet, ut laborent ſimul, ſecluſo ſcandalo eſt veniale tantùm, quia non eſt una gravis inhonoratio Feſti, ſed ſex leves; è contra ſi mandet, ut laborent ſucceſſivè Sanch. Bonac. Caſtr. Ovied. Trull Dian. Paſq. Herinx *de peccat. d.* 7. *n.* 50. Tamb. §. 2. *n.* 2. Illſ. ſuprà aliique communiùs adhuc excuſant mandantem à mortali, 1. Quia ſinguli laborantes peccant tantùm venialiter, ergo & mandans. 2. Quia labores illi non poſſunt moraliter coaleſcere, cùm exerceantur à diverſis perſonis habentibus diverſas obligationes perſonales ab invicem independentes. 3. Quia qui in die jejunii ſex hominibus ſuadet, ut parum comedant, non peccat graviter, quamvis parva illa, quæ à ſingulis ſumuntur, eſſent materia gravis tranſgreſſionis, ſi ab uno ſumerentur, ergo idem eſt hic.

§. 2. Spectata ratione videtur probabilius talem mandan- 581
tem peccare mortaliter, ita Arſdek. *tom.* 2 *p.* 2. *t.* 5. *c.* 3. §. 1. *q.* 4. nam 1. Mandans cenſetur ipſemet principaliter laborare per notabilem diei partem, adhibitis aliis velut inſtrumentis, adeoque reſpectivè ad ipſum coaleſcunt partes laboris; & cùm mandet ſucceſſivè fieri, reipſa ponitur gravis inhonoratio Feſti, quia ponitur labor per ſex horas durans, & quidem moraliter ab ipſo eodem, qui cauſa eſt hujus totius laboris, ergo mandans eſt cauſa gravis inhonorationis Feſti. 2. Si Cajus centum famulos habens, ſingulis mandaret, ut uno quadrante facerent incendium ſucceſſivè, ille diceretur eſſe cauſa diuturni incendii, quamvis ſinguli facerent breve incendium; & etiamſi apud diverſos illa incendia facerent, tamen eſſet diuturnum incendium, ideoque ſi ad grave peccatum incendii ſufficeret, diuturnitas; hic poſuiſſet grave incendium; ſed ſic ſe habet res in noſtro caſu, nam ad gravem inhonorationem Feſti ſufficit diuturnitas inhonorationis, ergo. 3. Cajus mandans decem famulis, ut ſinguli à Titio furentur ſolidum, peccat mortaliter, licèt ſinguli tantùm venialiter, quia ab eodem Cajo moraliter ponuntur ſingula furta, & totum damnum, ergo ſimiliter hic;

uti

uti enim illa partialia furta uniuntur ratione unius damni à Cajo causati, ita singuli labores ratione unius diuturnæ inhonorationis à mandante causatæ, 4. Saltem hoc est graviter scandalosum, nam posset quis ab uti multitudine hominum, & facere, ut toto die in sua domo serviliter laboraretur, quod utique esset graviter inhonorativum Festi, ergo.

582 §.3. Ad argumenta contraria facilis est responsio. *Ad* 1. N. conf. nam singuli labores non coalescunt respectu laborantium, quia hi independenter ab invicem laborant: è contra omnes laborant dependenter ab uno mandante, ergo est ratio, cur defectu hujus coalescant: & sic patet etiam *ad* 2. *Ad* 3. N. conf. Dispatitas est, quòd per omnes illas etiam simul sumptas comestiones nulla fiat gravis transgressio præcepti: quia non ponitur secunda plena refectio, sed singuli adhuc servant substantiam jejunii, & macerant corpus, qui est finis præcepti: è contra in nostro casu per illos labores ponitur gravis inhonoratio Festi, omnes autem alii labores attribuuntur uni mandanti, ergo meritò illi attribuitur gravis inhonoratio Festi, non minus, quàm si illos labores ipse physice poneret.

DUBIUM II.

Quæ causæ excusent ab observatione Festorum, ob quas opera prohibita liceant.

583 „ TAles præcipuè sunt septem, *Prima*, Dispensatio „ Episcopi, vel habentis potestatem quasi Episcopa- „ lem; uti Superiores Religionum, imò & Parochi, quando „ non datur facilis accessus ad Episcopum. Suar. *c.*33. Bonac. „ *p.*3. *num.*20.

„ *Secunda*, Consuetudo: nam sic licent nundinæ illæ, in „ Festis passim haberi solitæ: Et præparationes deliciarum „ non necessariarum: ut cupediarum, placentarum, & si- „ milium ciborum artificiosorum, item emptiones & vendi- „ tiones recularum parvi momenti. Bonac. *l.c.* Laym. *l.*4. *t.*7. „ *c.*2. *n.*6.

„ *Tertia*, Pietas in Deum: per quam licent opera, quæ pro- „ximè, (non quæ remotè) spectant ad cultum Dei: ut pulsa- „re campanas, circumferre imagines, vel cruces in supplica- „tione. Ornare autem, & verrere templa, ac similia, quæ ad „ ipsum officium non spectant, si absque ratione in Festum „ differantur, venialia habentur. Fill. *t.*27. *n.*218. Bonac. *l.c.*

„ *Quarta*, Charitas erga Proximum: per quam licent & „ valent actus judiciales pauperum orphanorum, viduarum, „ & miserabilium personarum, ne expensis graventur. Sic „ etiam possunt rusticanorum, in parvis oppidis, si aliis die- „ bus adesse nequeant, causæ civiles agitari. Similiter licet „ pauperibus & infirmis, pro tunc egentibus, subvenire. „ Item emere & vendere rusticis, qui aliis diebus impedian- „ tur. Laym. *n.*7. V. Dian. *p.*2. *t.*15. *R.*34.

„ *Quinta*, Necessitas propria vel aliena, corporis vel ani- „ mæ, si nimirum sine gravi incommodo, aut detrimento „ aliquid omitti non possit. Quo modo excusantur, 1. Judi- „ cia, quæ celeritatem requirunt, v.g. si latro sit fugiturus, „ nisi tunc capiatur. 2. Servi & ancillæ coacti à Dominis la- „ borare, nec audentes recusare: quòd si tamen frequenter „ contingit, eos deserere debent. Suar. Laym. *c.*4. *n.*3. Idem „ & similes reficientes suas vestes, cùm id aliis diebus non pos- „ sint. 4. Pauperes, qui se suosque alere non possunt operan- „ tes privatim, sine scandalo; maximè quando multi dies fe- „ sti concurrunt. Bonac. *n.*13. 5. Coqui & culinarii. 6. Pi- „ stores, laniones, & similes in oppidis populosis, & con- „ cursu Festorum. 7. Chirurgi, & Pharmacopolæ. 8. Con- „ flatores ferri & vitri, coctores laterum, calcis, &c. Et qui- „ cumque, quorum opus semel cœptum, non potest inter- „ rumpi sine damno. 9. Molitores, & Naucleri pendentes à „ ventis. 10. Piscatores halecum, tinnorum, &c. qui certo „ tantùm anni tempore id possunt. 11. Instauratores fontium, „ pontium, viarum publicarum, & similium, quæ moram non „ patiuntur. 12. Sartores in operibus necessariis, ut funeri- „ bus, nuptiis, &c. si aliter fieri non potest, ut satisfaciant. „ 13. Agricolæ ad cavendum damnum ruri laborantes; ut si „ ob pluviam imminentem segetes vel fœnum congregent. „ Bonac. *n.*13. Fill. *n.*211. 14. Denique excusantur etiam mer- „ catores, qui clausis tabernis quædam vendunt; cum præsup- „ ponere possint, emptoribus ea tunc esse necessaria, nec alias „ commodè emere posse. De supra dictis V. Suar. Fill. Laym. „ Bonac. *ll.cc.*

„ *Sexta*, Utilitas non simpliciter necessaria, sed ad com- „ munem lætitiam, vel splendorem: Sic enim licet in adventu „ vel ortu Principis laborare, ut perficiantur theatra, ignes, „ vestes, &c. quamquam monet rectè *Suar.* præstare in hoc „ casu petere veniam à Pastoribus. *V. Bonac.*

„ *Septima*, Excusat item, saltem à gravi peccato, parvitas „ operis, seu temporis. Unde grave non videtur una hora laborare, ut habet Suar. *lib.*2. *De Festis*, *cap.*32. maximè, „ ut notat Laym. *cap.*4. *num.*1. si labor non sit nimis servilis, „ & fatigans corpus. Imò durum videtur mortalis damnare, „ si quis duas aut tres horas impendat. V. Fill. *n.*205. In foren- „ sibus autem & judicialibus materiæ quantitatem non ex „ quantitate temporis, sed ex qualitate operis desumendam, „ monet Escob. *E.*5. *c.*3. *n.*14. ex Palao *tract.*9. *d.*2. *p.*1. *num.*4. „ Sic grave peccatum esse asserit venditionem rei magni mo- „ menti, cum magna solemnitate, licèt brevi tempore fiat. „ Quod intellige (secundùm supradicta) nisi consuetudo vel „ necessitas excuset. „

ADDENDA.

584 *Quæst.*139. *Quid notandum sit circa dispensationem pro labore in die festo?* R. Hæc pauca, in Festis Jure communi inductis, si causa adsit, valide dispensat Episcopus & ejus Vicarius pro omnibus Diœcesanis, Parochus pro Parochianis, Superior pro subditis, non tamen pro famulis sæcularibus; Papa pro omnibus, etiam sine causa, sic tamen dispensans peccare potest. Deinde qui potest dispensare potestate ordinaria, potest suas vices alteri delegare, dicendo, si ille approbaverit causam, dispenset: Si autem ipsemet habeat potestatem delegatam non potest subdelegare, attamen dicere potest: dispenso, si ille causam approbaverit: Denique si causa moraliter certa excuset, non est opus dispensatione superioris, nisi fortè ratione scandali, quod oriretur, si publicè laboraretur, Tamb. *l.*4. *c.*3. §.2. *a.n.*31. V. Leur. *p.*1. *q.*437. *n.*2.

585 *Q.*140. *Quid circa consuetudinem?* R. Hoc unum, quòd per consuetudinem videatur nunc licitum molere, non tamen advehere frumenta vel farinam avehere: non ubique tamen est talis consuetudo. Escob. & Stoz per consuetudinem excusant etiam eos, qui tempore messis die festo sub vesperum acuunt falcem, vel præparant materiam pro labore sequentis diei necessariam.

586 *Q.*141. *Quomodo pietas excuset?* R. Propter hanc licitum est die festo fodere sepulchrum pro mortuo illo die sepeliendo, Illf. *t.*5. *n.*167. item veniale tantùm esset erigere sepulchrum Christi, præsepe vel moles artificiosas ad excipiendam Eucharistiam, licèt die præcedenti fieri potuisset, item collocare scenam in Ecclesiis ad repræsentationem sacram, Tamb. *num.*3. Illf. *suprà*. Dubitatur autem, an excuset voluntas vitandi otii: negant Suar. Comit. & alii, quia opus, quod ex se est servile, manet tale quamvis fiat pio fine: è contra à mortali excusant Sa, Silv. aliique cum Burgh. *cent.*1. *cas.* 77. quia si liceat laborare ad vitandum damnum temporale, magis licebit ad vitandum malum spirituale, quale est otium; sed dicendum est cum Sanch. *in Consil. lib.*5. *cap.*2. *d.*8. Castrop. Tamb. Illfung *suprà*, tum tantùm licitum esse laborare evitandi otii causa, quando aliter vinci non posset aliqua tentatio, si enim liceret præcisè ad vitandum otium, etiam liceret quibusvis opificibus, ne otiosi essent, aut saltem ne ad popinas, aut ad alias periculosas conversationes irent, uti rectè Steph. *t.*1. *d.*5. *n.*154. Denique ex *cap. Conquestus*, 5. *de Feriis*, plures apud Sanch *d.*21. docent opera servilia ob pietatem, vel Ecclesiam vel Monasterium vel Pauperes alendos absolutè esse licita: limitant *Silv.* & alii, exceptis Dominicis & Festis solemnioribus: Alii excipiunt solam Dominicam Paschæ & Pentecostes; sed hæc omnia melius negantur, nisi prout dicetur *quæst. seq.*

587 *Q.*142. *An charitas excuset laborantem pro paupere?* Resp. Excusat laborantem pro tali paupere, cui ratione gravis necessitatis tum liceret laborare: debes autem scire, quis determinatè sit ille pauper, cui laboras, Sanch. *d.*23. & alii, Illf. Tamb. §.3. *n.*16. qui Domicellis otii vitandi causa volentibus laborare die festo, rectè suasit, ut laborarent pro tali paupere, aut etiam pro Ecclesia in gravi necessitate constituta, tum enim excusabit charitas.

588 *Q.*143. *Ad quæ præterea se extendat excusatio ob necessitatem?* R. §.1. Ob hanc licitum est laborare in messe, fœno, vindemia, quando aliàs ratione tempestatis & pluviarum probabile damnum timeretur, Illf. *t.*5. *n.*167. item ad cavendum grave damnum aliud; non esse autem licitum ob extraordinarium lucrum, docent Suar. & Castrop. *t.*9. *p.*10. *n.*3. sed probabiliter putant licere Sanch. *d.*19. Dian. *p.*2. *t.*15. *R.*34. Tamb. §.2. *n.*8. quia amittere notabile lucrum extraordinarium videtur esse grave damnum, neque putandum est Ecclesiam, utpotè piam Matrem, velle Fideles ad hoc obligare: quantum autem debeat esse lucrum, ut pro eo liceat laborare, insinuabitur *num.*681.

589 §.2. Licitum est pro victu præparando occidere, excoriare vel deplumare animalia: si pridie fieri non potuerit, Sanch. *d.*18. Tamb. *n.*22. plus dicit Castrop. *supr.* his verbis: *Parantes cibum & potum, tametsi superfluè & ad delectationem, excusantur consuetudine, namque sic jam est introductum, idque*

idque extenſum eſt ad colligendos fructus eodem die, ut ſaniores, & integriores ſint, & ad occidenda, & excoriandaanimalia, præcipuè ſi ſit ratio aliqua, qualis eſt cibaria non eſſe ita ſuavia, ſi alio die diſponantur &c. & idem de cibis etiam ſuperfluis docet Fagund. *in 1. præcept. Eccl. l. 1. c. 11. n. 1.*

590 §.3. Si recitanda eſt comœdia die feſto: poteſt tum fieri apparatus, qui commodè non potuit præveniri, Tolet. & alii cum Sanch. *d. 18.* item licitum eſt fabris ferrariis calceare equos ob neceſſitatem itinerantium, Sanch. Tamb. Item partim per conſuetudinem, partim ob neceſſitatem licitum eſt ſecare venam, irrigare olera & alia ſimilia, quæ paſſim fieri videmus non reclamantibus Prælatis Eccleſiæ, Sanch. *ſuprà.*

591 §.4. Barbi-Tonſores communiter excuſantur, vel parvitate materiæ, ſi unum tantùm vel alterum tondeant, vel neceſſitate, vel conſuetudine, vel ob lucrum ceſſans & oriturum damnum, ſi petentes non tonderent, Tamb. §. 2. *n.* 13. Dian. *p. 2. t.* 15. *R.* 34. & alii, quod probabile agnoſcit Illſ. *num.* 166. Et quamvis Sanch. *d.* 21. abſolutè dicat conſuetudinem illam ſemper fuiſſe improbatam, excuſat tamen, ſi ante non potuerit fieri, aut ſi alioquin Barbi-Tonſor eſſet deferendus, aut ſi ideo die feſto tondeat, quia tum veniunt Ruſtici aut alii operarii aliis diebus impediti, poterunt enim tonderi, licèt barbi-tonſio ad longum tempus duraret.

592 §.5. Sartores, qui bona fide appromiſerunt veſtem, quam reipſa putaverunt ante diem feſtum perficiendam, excuſantur, ſi, ut ſtent promiſſis, laborent poſt mediam noctem uſque in Feſtum. Laym. *l. 4. t. 7. c. 4. n. 2.* Dian. *p. 4. t. 4. R. 62.* intellige, ſi ideò paſſuri eſſent incommodum, nam ſi excuſare poſſint, tenentur à labore abſtinere.

593 §.6. Famulantes laborare poſſunt, ſi recuſando, Dominos ſuos ad gravem indignationem commoverent, ex qua prudenter timerent incommoda, Illſ. *num.* 177.

594 *Q.* 144. *Quomodo aliquis ratione temporis excuſetur à mortali?* R. §.1. Azor. Bon. Regin. putant eſſe mortale laborare ad horam; Fagund. apud Illſ. *num.* 168. adjicit medium, vel pro ſummo, integrum quadrantem; Caſtrop. & Trull. ponunt duas horas: è contra aliqui Canoniſtæ requirunt tertiam partem diei, ſed communiter ab omnibus exploduntur. Non eſſe mortale per duas horas laborare, eſt jam recepta noſtra ætate ſententia, inquit Tamb. *l. 4. c. 3. §. 2. n. 1.* aſſentiuntur Gran. & Illſ. *ſup.* Dian. *p. 5. t. 5. R. 6.* dicit non fore mortale, ſi duæ horæ non excedantur; Sanch. dicit minùs quàm duas horas non ſufficere ad mortale, teſtaturque juniores Theologos plùs quàm duas requirere; & ratio poteſt eſſe, quia duæ horæ videntur pars modica diei, utpotè duodecima: Fill. March. & Gob. *in Clypeo n.* 283. requirunt tres horas, ſed communior nunc & probabilior eſt ſententia, ſi ſaltem multum ultrà duas horas laboretur, fore mortale.

595 §.2. Non eſt mortale ſingulis Feſtis ad duas horas laborare, quamvis id velis facere & reipſa facias toto anno, quia dies & labores illi non uniuntur in ordine ad conſtituendam materiam gravem pro inhonoratione alicujus Feſti, Sanch. *in Dec. lib. 1. cap.* 4.

596 *Q.* 145. *Quid notandum circa forenſia?* R. De his habet Buſemb. relatus *n.* 583, aliqua tamen clarius explicanda ſunt, ut etiam melius intelligatur, quandonam adſit excuſatio.

§.1. Per forenſia intelliguntur actiones, quæ quamvis non ſint ſerviles, tamen quia nimis diſtrahunt animum & cultum divinum impediunt, prohibentur, *Tit. De Feriis cap. 1. Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere, ut in eis mercatum minimè fiat neque placitum, neque aliquis ad mortem vel ad pœnam judicetur, nec ſacramenta,* (*id eſt* Juramenta) *niſi pro pace vel alia neceſſitate, præſtentur. Cap. ult. Debet judicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis.* Et poſt recenſita Feſta ordinaria in fine additur: *Niſi neceſſitas urgeat vel pietas ſuadeat, uſque adeo convenit ab hujuſmodi abſtinere, ut conſentientibus etiam partibus, nec proceſſus habitus teneat, nec ſententia, quam contingit diebus hujuſmodi promulgari: licèt diebus feriatis, qui gratia vindemiarum vel meſſium ob neceſſitates hominum indulgentur, procedi valeat, ſi de partium proceſſerit voluntate.* Ex his inferunt communiter omnes, præter mercatum principaliter prohiberi actiones judiciales, quæ dicuntur *placitum*, & ſunt citatio partium, formatio proceſſus ſive cognitio cauſæ, ſententia, quæ quamvis Jure civili *L. Ut in die, 2. Cod. De Feriis*, ſi in die feſto fiant, tantum dicantur irritari, id eſt, irritanda, tamen vi citati Juris Canonici, ex quo hic loquitur, ſunt ipſo facto irrita.

597 §.2. Citatio, ut quis compareat die feſto, eſt irrita, quamvis ibi tantùm eſſet Feſtum, ubi eſt ille, qui citatur, nam citatio reſpicit locum, in quo eſt is, qui citatur, uti è contra mandatum & ſententia reſpiciunt locum, ubi eſt mandans vel ſententiam ferens: Si autem citatio fiat, ut quis compareat intra octo dies, etiamſi octavus dies eſſet Feſtum, valet, poteriſque (ſecundùm Suar. & Fagund.) differre, ac priùs comparere ſequenti die, ſed ſecundum Bonac. alioſque cum Caſtr. *t. 9. p. 7. n. 3 & 4.* debebis prævenire.

§.3. Ad formationem proceſſus ſeu cognitionem cauſæ 598
ſpectat examinatio teſtium & Jusjurandum, item depoſitio ſola teſtimonii, uti probabilius cum aliis tenent Suar. Bon. Caſtr. *num. 6.* contra Azor. & alios: imò iidem cum Regin. putant etiam examinationem teſtium vel Juramenta in cauſa ſpirituali eſſe illicita & irrita, ſed Sanch. *in Conſ. lib. 5. c. 2. d. 30.* putat tantùm prohiberi Juramentum judiciale, quod fit pro rebus temporalibus, non quod pro ſpiritualibus, nec quod fit pro fide, pace, obedientia, fama vel alia neceſſitate. Communis etiam eſt ſententia cum Caſtrop. *p. 8. n. 4.* quando judicium vel contractus eſt licitus die feſto, etiam licere Juramentum, quia conceſſo principali conceduntur acceſſoria. Probabilius autem eſt cum Suar. Fagund. Laym. Caſtrop. Illſ. *num. 169.* contra Panorm. non prohiberi alia Juramenta, quæ nec ad Judicium nec ad mercatum ordinantur.

§.4. Oblatio libelli etiam pro cauſa temporali fieri poteſt, 599
dummodò die feſto non intimetur parti adverſæ, quia non videtur ſpectare ad formationem proceſſus, cùm non procedat à Judice vel à poteſtate Juriſdictionis, ſed à litigante, Fagund. & Caſtrop. *num. 9.*

§.5. Licitum eſt Advocato in Feſtis patrocinari, ſive ver- 600
bo ſive ſcripto, & informare Judicem; licèt fiat ob pretium, quia nec eſt ſervile, nec prohibitum, Sanch. *d. 28.* Item Judici licitum eſt concipere vel etiam ſcribere privatim ſententiam poſteà proferendam, Pirh.

§.6. Secundùm Sanch. *d. 27. n. 17.* Caj. Tol. Henr. & alios 601
peccant mortaliter Notarii in Feſto tranſcribentes acta ſpectantia ad judiciales ſtrepitus; ſed probabilius id negant Suar. aliique plures cum Dian. *p. 2. t. 15. R. 35.* nam nec eſt opus ſervile nec prohibitum, hinc docet quoque Dian. *in Summa v. Feſtum, num. 3.* non peccare Notarios, ſi ſecluſo ſcandalo celebrent contractus die feſto, quia non ſunt ex forenſibus, quæ prohibentur.

§.7. Licitum eſt die feſto facere præſentationes, inſtitutio- 602
nes, collationes, proviſiones Beneficiorum; item exercere actus juriſdictionis voluntariæ, v.g. adoptare aliquem in filium, condere teſtamentum, hæc enim non afferunt ſtrepitum judicialem, Pirh. & alii cum Caſtrop. *p. 6. n. 3. ubi nu. 5.* addit etiam conſuetudine excuſari conductiones operariorum, venditiones publicas ſub haſta, v.g. bonorum alicujus defuncti &c.

§.8. Licitum eſt die feſto ferre ſententiam, ſi aliàs impedi- 603
retur juſtitia, ſi ratio temporis; v.g. conditio belli ita exigat, ſi ſit atrociſſimum crimen, ita ut ad incutiendum terrorem non ſit danda mora, Sanch. *d. 29.* Caſtrop. *p. 7. n. 17.*

§.9. Judicia, quæ de partium conſenſu fiunt per Judicem 604
Arbitratorem, ſunt licita die feſto, eſt communis cum Sanch. *d. 27.* Caſtrop. *n. 16.* Illſ. *ſup.* Porrò ille dicitur *Judex Arbitrator*, qui eligitur, ut dicat, quod ſibi videtur, & ſic ſuo judicio litem pacificè componat ſine ordine judiciali uſitato in foro; è contra *Judex Arbiter*, dicitur, qui procedit ſervato ordine proceſſus forenſis.

§.10. Probabilius eſt contra *Panorm.* etiam prohiberi exe- 605
cutionem ſententiæ latæ die non feſto, quia eſt complementum ſententiæ, Caſtrop. *nu. 12.* Illſ. *ſuprà & alii.* Quod autem ad appellationem attinet, communior quidem ſententia dicit licere die feſto, ſed etiam probabile eſt non licere, uti oſtendit Caſtrop. *à n. 13.* adductis pro utraque parte Authoribus & rationibus.

§.11. Per conſuetudinem videtur nunc omnino licitus eſſe 606
mercatus privatus, ſive quidvis vendere vel emere clauſa officina, Caſtrop. *p. 6. n. 5.* Tamb. Illſ. *num. 171.* Etiam licere contractus, ſi fiant ſine inſtrumentis & Judicis authoritate, docent Sanch. & alii cum Illſ. *ſuprà.*

DUBIUM III.

Quæ opera feſtis diebus præcipiantur.

RESp. Præcipitur. I. Auditio concionis: non tamen „ 607
ſub mortali, niſi quatenus quiſque tenetur diſcere „
neceſſaria ad ſalutem. V. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 4. de reform.* Fill. „
t. 27. c. 8. q. 7. Bonac. *t. 2. d. 5. q. un. p. 2. n. 27.* Suar. &c. Dixi, *niſi* „
quatenus, &c. quia homines rudiores ignorantes præcipua „
myſteria Fidei, ea præſertim quæ ſub gravi obligatione eos „
ſcire teneri dictum eſt ſuprà *lib. 2. t. 1. cap. 1.* tenentur Lege „
charitatis, (ſi aliàs ea commodè addiſcere non poſſint) ſub „
gravi peccato concioni, vel potiùs catecheſi intereſſe. Bon. „
d. 5. in præcept. 3. num. 28. addens, eo caſu concion m etiam „
Miſſæ præferendam eſſe Trull. *l. 2. c. 1. d. 4. n. 12.* Fagund. *p. 1.* „
l. 2. c. 9. n. 12. &c. „

II. Præcipitur ſpeciali præcepto obligante ſub mortali, „
audire Miſſam, hoc eſt, morali & humana aſſiſtentia ſive „

præ-

præſentia ei intereſſe. Eſt communis ex *c.Omnes Fideles*: Et ex *c.Miſſas, de conſecrat.diſt.1.*contra *Angelum & Roſellam*, qui ſemel vel iterum negligere, dicunt eſſe veniale. Obligat hoc præceptum omnibus Feſtis omnes baptizatos uſum rationis habentes, non autem infantes, amentes, vel catechumenos. Ratio primæ partis, quia eſt univerſale. Ratio ſecundæ, quia aſſiſtentiam humanam habere non poſſunt. Ratio tertiæ, quia non ſunt Eccleſiæ ſubjecti. Lugo *diſp.22.ſect.1.& 2.*ex Nav.Sanch.& Kon. *Unde reſolves*,

I. Non eſt obligatio audiendi concionem in Parochia propria: tum quia Doctores multi nullum hac de re præceptum agnoſcunt: cum Trid.*ſeſſ.24. can.4. de reform.* dicat, teneri, *ubi id commodè fieri poteſt*: tum quia ſi quæ obligatio fuit, ei derogatum eſt per privilegia Regularium,& generalem conſuetudinem contrariam Suar.*de Relig.tom.1. l.2. c.16.*Azor.Nav.Cened.Zerol. *p.1. v.Prædic.*Trull.*l.3. c.1. d.4.n.11.*Barboſ. *in Trid.ſeſſ.24. c.4.* Imò Fratres Prædicatores, & Minores, & qui cum ipſis in privilegiis communicant, concionantes in ſuis Eccleſiis, quovis anni tempore poſſunt Auditoribus ſuis concedere 18. annos. & 320. dies Indulgentiarum nomine Papæ, Dian.*p.4.t.4. R.22.* ex Rodriq.& aliis.

II. Non eſt obligatio ad audiendam Miſſam Feria quinta, & ſexta, & Sabbato majoris hebdomadæ: neque diebus Rogationum. Az.Henr.Suar.*d.88.ſect.5.*

III. In die Nativitatis Chriſti tantum teneris audire unam Miſſam. Nav.Suar.Fill.*tr.5.n.207.*

IV. Satisfacit, qui recitat ſub Miſſa (ex obligatione) Horas Canonicas, vel pœnitentiam injunctam in Confeſſione, ut contra Caj. Sylv.Ang.Armil. docent Suar. Sa, Rodriq.Fill.*n.216. & alii*. Ratio, quia duobus præceptis poteſt ſimul ſatisfieri, ut v.ſuprà *l.1.t.2.cap.3. dub.3.* Idem de eo, qui confitetur tempore Miſſæ, affirmat Regin.*l.19. n.14.* dummodò intentionem habuerit audiendi Miſſam: Negat autem Suar *ſect.6.*Azor. *cap.7. q.6.* Gordonus, Lugo *loc.cit.* ſi quidem poſſit differre Confeſſionem, nec adſit neceſſitas præcepti Confeſſionis. Idem dicit Bonac.*tom.1. d.4. q. ult.p.11.* ubi contrariam praxim quorumdam excuſat, vel ob neceſſitatem communicandi: vel propter intentionem audiendi Miſſam aliam: vel denique propter bonam fidem.

V. Satisfaciunt etiam inſervientes Miſſæ, ſi recedant allatum neceſſaria, v.g.vinum, hoſtiam, thus, &c. quia cùm hæc ordinentur ad Officium, non cenſentur abeſſe: dummodo non recedant ab Eccleſia, vel ſaltem non longè. V.Bonac.

VI. Peccat, qui non audit integram Miſſam, & quidem venialiter, ſi omittatur parva pars: mortaliter ſi notabilis, v.g.media, vel tertia pars. Laym.tamen, & alii durum putant, mortalis damnare eum, qui ab Offertorio uſque ad finem adſit, additque communiter excuſari à mortali, qui audiunt à principio Epiſtolæ, vel ſecundùm alios, Evangelii uſque ad finem: vel ab initio uſque ad Communionem. V.Bon.*t.1.d.4.q.ult.*Lugo *d.22.ſ.1.n.3.*

VII. Non peccat ſaltem mortaliter, qui à duobus Sacerdotibus ſucceſſivè duas dimidias Miſſas audit, ut habet Nav. *c.21.*Sa, Sotus, Henriq.Dian. *tom.1.tr.3. R.18.* Bon.*p.11.* Hurt.contra Suar. Kon. Fagund. quia audit integram Miſſam, ob quam cauſam eſt probabile, etſi ſimul audiat, ut habet Bonac.*l.c.*Hurt.& Diana contra Regin. Kon.Lugo, & alios, quorum ſententia videtur probabilior.

VIII. Non ſatisfacit,qui ſub Sacro dormit,pingit, docet, vel qui eſt poſt murum, aut poſt aliam rem, tali loco, unde nihil audiri, videri, vel notari poſſit, quid fiat; quia non cenſetur moraliter præſens. Satisfacit tamen ſurdus, cæcus, & quicumque (licèt ſit poſt oſtium, aut columnam, vel in feneſtra, vel procul à templo) ita eſt præſens, ut ex ſignis externis colligere poſſit, quid à Celebrante agatur, ſpectata loci natura, etiamſi ipſe per accidens nihil audiat, nihil videat, aut intelligat, ſitque pars per moralem conjunctionem ejus multitudinis, quæ dicitur præſens, & eſt in conſpectu altaris. Bonac.*l.c.*

IX. Audiens, debet eſſe attentus, ſaltem virtualiter, & *in confuſo*, ut aliquo modo advertat, quid fiat: hinc ſi quis nunc attendat, nunc fabuletur, ut tamen ſemper advertere poſſit, quid fiat, licèt peccet irreverentia, non tamen damnandus eſt mortalis; imò Kon.cum Sylv.Roſell.& Med.docet, eum ſatisfacere, qui voluntariè toto Sacro eſt diſtractus, modò ſibi ſit præſens, & cum reverentia externa aſſiſtat. Quod probabile eſſe docet Laym.contra Suar.Bon. & alios. V.Kon.*l.c.*& Lugo *n.26. &* 27. Plura de hac tota materia v.ſupra *lib.1.tr.2.c.3.dub.2.3.& 4.*

X. Præceptum audiendæ Miſſæ impletur quocumque in loco, ſive in Parochiali, aut Cathedrali, ſive in Regularium Eccleſia, ſive in Oratoriis privatis, ſive extra Eccleſiam audiatur. Ratio, quia Eccleſia tantùm auditionem Miſſæ præcipit, non autem locum, ergo quovis loco impletur. Tol.*l.9.c.7.*Azor.*c.6.* Rodriq.Nav. Fill. *num.203.* Nugn.Suar.Kon.Bonac.*d.4.q.ult.p.12.n.4. & plures*: Quæ doctrina, licèt certa ſatis ſit, nihilominus quia poſt omnes ſuprà citatos Authores à quodam moderno, viro aliàs docto, in dubium vocatur, peculiari Dubio examinanda eſt, ne cui (quia Liber obvius eſt) ſcrupulus, aut conſcientia naſcatur erronea.

ADDENDA.

608 Q.146. *An ſatisfaciat præcepto Miſſæ, qui partes illius ſimul audit?* R.§.1.Certum eſt non ſatisfacere, nam Innoc.XI.damnavit hanc 53.propoſ. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit.* Propoſitio illa nunc amiſit omnem probabilitatem, licèt Buſemb. relatus *n.607.*dixerit eſſe probabilem.

609 §.2. Ratio, ob quam propoſitio illa putabatur probabilis, erat hæc: Unus audiens ſimul duas Miſſas poteſt per hoc ſatisfacere obligationi audiendi unam ex præcepto & alteram ex voto, ergo etiam unus audiens duas ſimul partes Miſſæ poteſt ſatisfacere præcepto audiendi unam totam, quia uti ſe habet totum ad totum, ſic ſe habet pars ad partem, & uti attentio ad unam Miſſam non impedit attentionem ad alteram, ita attentio ad unam partem non impedit attentionem ad alteram. Hanc rationem rectè retorquet Card.*in 2. criſi diſ.32. num.36.* Motus Solis, qui fit à duodecima ad primam, coexiſtit motui horologii, qui fit ab eadem duodecima ad primam, ergo uti illi duo motus, Solis & horologii coexiſtunt, ita poſſunt coexiſtere duæ mediæ horæ unius horologii, quia uti ſe habet totum ad totum, ita pars ad partem, quod patet manifeſtè eſſe falſum. Ratio autem, cur in neutro valeat conſequentia, eſt, quia una Miſſa, uti etiam una hora, eſt unum totum ſucceſſivum, cùm Miſſa conſiſtat in motu verborum & actionum ſibi ſuccedentium: quamvis autem unum ſucceſſivum poſſit coexiſtere alteri ſucceſſivo, adeoque & audiri una Miſſa cum altera, non poteſt tamen pars ſucceſſivi coexiſtere alteri parti ejuſdem ſucceſſivi, & ideò non poteſt audiri una Miſſa, cujus una pars coexiſtat alteri parti ejuſdem Miſſæ, uti non poteſt perſolvi Officium Horarum, ſi ſimul audiantur tres diverſæ Lectiones à diverſis, ſed una debet audiri ſucceſſivè poſt alteram.

610 §.3. Quamvis daretur ratio intrinſeca probabilis, quòd duæ partes Miſſæ ſimul auditæ conſtituere poſſent unam Miſſam, tamen nunc certum eſt per auditionem talium partium non ſatisfieri præcepto Miſſæ, quia hoc præceptum latum eſt ab Eccleſia, quæ nunc declaravit præcipi auditionem unam ſucceſſivam partium, Card.*num.41.*

611 *Q.147. An opinio, quæ dicit ſatisfieri: ſi ſucceſſivè audiantur duæ medietates, ſit adhuc probabilis*, uti v. g. ſi quis ad Elevationem unius Miſſæ veniat in templum, & poſteà audiat ſequentem Miſſam uſque ad Elevationem tantùm? R. §.1. Aliqui dubitant, quia duæ tales medietates non videntur dici poſſe una Miſſa, cùm ſint lectæ à diverſis, & fortè intercedat ſpatium temporis inter illas partes. Nihilominus dicendum eſt opinionem illam adhuc manere probabilem, uti oſtendit Carden.*c.7.* nam cum illis, quos citat Buſembaum, docent illam 32. AA.apud Paſq. *de Sacrific. quæſt.1290.* accedunt P.March. *in Trib.de Miſſa T.4. tr.2. q.1. d.2.* Gob. *t.5.num.143.*vocans in praxi tutam, & eandem Suar.apud Illſ. *t.1.n.161.* dicit communiorem, nec poſſe practicè condemnari. Ratio autem eſt, quia manet unum Officium, licèt priùs orem partem poſteriorem & poſteà priorem, v. g. Tertiam ante Primam, aut unum Pſalmum ante alterum: item manet unum Roſarium, licèt incipiam à tertia decade, & finiam recurrendo ad illam, ergo etiam erit una Miſſa, licèt per medias partes ſive priores ſive poſteriores audiatur. *Nec refert*, quòd hæ medietates fiant à diverſis Sacerdotibus, aut etiam cum interpoſitione temporis: *Nam* ſi duo ſimul recitent Officium, duæ medietates ponuntur à diverſis recitantibus, imò in Choro ſæpè novem diverſi legunt novem diverſas Lectiones, & tamen eſt unum Officium; interruptio autem non tollit unionem moralem, uti dicetur de Horis. *Confirmatur*: Nam eſt una Miſſa, ſi Sacerdos in media Miſſa deficeret, & alius Sacerdos poſt mediam horam ſuccederet illam completurus, ergo etiam poteſt eſſe una Miſſa, licèt ſint duo Sacerdotes, & tempus aliquod intercedat: eſt quidem (quoad illud exemplum) aliqua diſparitas, eò quòd poſterior Sacerdos agat nomine prioris, & compleat eandem moraliter Miſſam; hoc tamen non obſtante in noſtro caſu adhuc æquivalenter videtur manere una integra Miſſa, quia nempè eſt idem Principalis offerens, nempe Chriſtus; etiam eſt idem, quod offertur, conſecratur, & ſumitur, ſcilicet idem

Chri-

Chriſtus; ſunt etiam eædem Orationes & actiones externæ &c. Licet autem Tamb. *lib.4.c.2.§.1. n.10.* putet manere unitatem, dummodò eodem die tales partes audiantur, tamen hæc ab invicem ſeparatio videtur eſse nimia; ſi autem ſit ſaltem ad horam tantùm, non eſt nimia, nam ſæpè per concionem unius horæ & amplius interrumpitur Miſsa, & tamen manet una.

612 §.2. Si quis ſine juſta cauſa audiat duas tales medias Miſsas, peccat venialiter, ut qui in Horis oraret unam ante alteram, aut interrumperet ſine cauſa; ratio eſt partim quia obſervatio ordinis & continuationis eſt decentia requiſita, partim etiam quia talis auditio per medietates aut interruptiones non eſt ſatis conſentanea communi praxi Fidelium, à qua recedere ſine juſta cauſa eſt ſaltem veniale, juſta autem cauſa eſset defectus temporis, rationabile impedimentum, vel quævis incommoditas alicujus momenti.

613 *Q.*148. *Quinam obligentur ad Miſsam?* R.

§.1. Hæretici non obligantur, quia præſumuntur excommunicati, hinc jubentur emanere: in Germania tamen non peccant adeundo, quia non ſunt denuntiati, nec putant ſe excommunicatos, imò ſic diſponi poſsunt ad converſionem, ſi videant etiam ritus omnes nil ſuperſtitionis habere, Gob. *in Exp.t.5. n.396.* An autem excommunicatus vi hujus præcepti teneatur procurare abſolutionem, ut Miſsam audire poſſit, dictum eſt *l.1.n.794.*

614 §.2. Omnis Sacerdos, ſi alius celebraturus deſit, tenetur ipſemet celebrare, ut Miſsam audiat, ita cum aliis Gob.*n.*40. Steph. *t.5. d.4. num.95.*contra Fagund.Ratio eſt, quia tum tenetur, & ſic poteſt audire Miſsam, neque medium illud eſt extraordinarium; qui autem tenetur ad finem, tenetur ad media ordinaria: ergo.

615 §.3. Circa ætatem, qua pueri obligentur ad Miſsam, variant ſententiæ, *J.March.* putat tunc priùs obligari, quando incipiunt eſse idonei ad Communionem: Sot.apud Gob.*t.*4. *n.*129.putat neminem ante annum duodecimum teneri legibus Eccleſiæ, ſed iſtę ſententię paſſim rejiciuntur, & ſunt contra praxin Fidelium. Azor.Sanch.Bonac.Tann. Baſs. & alii apud Gob.*t.5.n.*310. abſolutè obligant pueros omnes & puellas circa finem ſeptennii, quia tunc præſumuntur habere ſufficientem uſum rationis, quam ſententiam admittit *Gob.* de pueris educatis in urbe, quibus utpotè melius cultis communiter citiùs oritur plenum lumen, de ruſticanis autem aliiſque ſimilibus non admittit, ſed cum *Con.* contendit pueros inter 9.& 10. annum, puellas verò inter 8.& 9. communiter priùs aſsequi plenam diſcretionem, qua habita priùs obligentur præceptis Eccleſiæ: Si autem ante ſeptennium haberent plenam diſcretionem, quamvis tunc ex Lege naturali tenerentur Deum aliquo cultu colere, tamen probabile eſt, ſecundùm dicta *l.1. num.676.* non teneri Legibus Eccleſiæ. Denique Dicaſt.apud Gob.*t.*4. *n.*129. dicit pueros, quando venialiter peccare poſſunt ſub veniali obligari ad Leges Eccleſiæ, quando autem mortaliter, ſub mortali, quæ ſententia eſt multorum, & à Dian.*p.*10.*t.*12.*R.*37.reputatur probabilior.

616 §.4. Qui ſimul eſt ſurdus, cæcus & mutus à nativitate non tenetur adeſse Miſsæ, quia non poteſt habere moralem aſſiſtentiam nec attentionem ullam internam: imò ſcire non poteſt, quid ſit Miſsa, Paſq.*de Sacrif.q.*1256.unde quamvis eſſet talis, non à nativitate, ſed per infirmitatem, adhuc putat Gob.*t.5.n.*30.contra Fagund.Paſq.Dian.*p.5.t.4.R.*8.non teneri, quia non poteſt ſcire, an, ubi & quando incipiat Miſsa, ergo non poteſt habere intentionem debitam, neque attentionem ullam, & licèt quis trudendo eum admonere poſſet jam fieri Miſsam, ac ipſe ſcripto peteret duci ad templum, adhuc putat Gob. *nu.*32. non obligari, quia Eccleſia cenſetur tantùm eos obligare, qui humano & ordinario modo intereſſe poſſunt, Leges enim non comprehendunt caſus extraordinarios; hinc Caſtr. etiam eximit eum ab obligatione Miſsæ, qui eſt cæcus ſurdus, ſed non mutus, quia neque præſumitur Lex obligare in hoc caſu exotico: Si tamen quis eſſet, vel tantùm mutus & ſurdus, vel tantùm cæcus, vel tantùm cæcus & mutus, teneretur, uti communiter docent Authores cum Gob.*num.*29.

617 §.5. Regulares etiam exempti tenentur ad ſervanda Feſta, quæ Epiſcopus cum conſenſu Cleri & populi indicit, uti habetur in Trid.*ſeſs.*25. *de Regul.c.*12. Et conſequenter etiam tenebuntur ad Miſsam tali die audiendam: an autem teneantur etiam ad Feſta, quæ populus vovit approbante Epiſcopo, non eſt ita certùm, affirmant Vaſq.Nugn.Sanch.*l.4.c.*15.*n.*21. negant alii, & meritò dubitat Gob.*n.*77. quia exempti non jubentur obſervare alia Feſta, niſi quæ Epiſcopus imponit, qualia non videntur eſse illa, quæ populus vovit approbante tantùm Epiſcopo; ſi tamen hæc approbatio cenſeretur eſse per modum præcepti, tenerentur uti reliqui.

618 *Q.*149. *Quibus diebus audienda ſit Miſsa?* R.

§.1. Si Feſtum ſit à Principe ſæculari impoſitum, aut ex conſuetudine obſervetur à populo ſine approbatione Epiſcopi, non eſt in conſcientia obligatio audiendi Miſsam vel abſtinendi à ſervilibus, quia non eſt Feſtum ſacrum, ſed ſæculare, ita Tamb.Gob.*t.5.n.*75.*&* 87. Paſq. *q.*1251. ſimul notantes poſse peccari contra obedientiam Principis debitam, ſi hic ſtrictè mandaſſet obſervari.

§.2. In Feſto, quod ſolus Epiſcopus indicit reclamante Clero vel populo, etiam non eſt obligatio audiendi Miſsam, quia Epiſcopus nequit ullum Feſtum inſtituere ſine Cleri & populi conſenſu, uti habetur *cap. Conqueſtus ult.de Feriis*, & probant pluribus Barb.Gav.Jord.Gob. *n.*72. poteſt autem conſentiente Epiſcopo populus vovere Feſtum, ad quod tenebuntur etiam poſteri, non vi voti, quod erat perſonale, ſed ex præcepto Epiſcopi approbantis & ita implicitè præcipientis tale Feſtum, uti notant Suar. Laym. & Gob.*n.*86. poſſetque eſse Feſtum mediæ tantùm diei, in qua manè eſſet obligatio ad Miſsam & ad abſtinendum à ſervilibus, à prandio autem laborari poſſet, Gob.*n.*122.Poteſt autem Epiſcopus unum tantùm proprium in Dioceſi Feſtum inſtituere præter communia, v.g. Feſtum Patroni vel Tutelaris, deinde poteſt ex cauſa, uti ob vindemiam, transferre Feſtum fori, v.g.S.Michaelis ad aliud tempus, uti habet Gob.*t.3.n.*230.licèt alii repugnent, an verò expediat multa eſse Feſta, diſputat Gob.*in Quin.t.5. c.45.ſect.3.* ubi videri poteſt, *in Exp.t.5.n.*72.dicit hac ætate, quia ita invaluit multitudo Feſtorum cum ingenti Moleſtia Mechanicorum; magis cogitandum eſse de modo abrogandi plura, quàm inſtituendi nova.

620 §.3. Non eſt obligatio ad Miſsam die Cinerum, Feſto S. Marci, Feſto Animarum; Neque Coloniæ Feſto Theophoriæ. De reliquis ejuſmodi diebus habet Buſemb.

621 §.4. In dubio, an ſit Feſtum, teneris mediocre ſtudium adhibere, ut intelligas: non teneris tamen per ſeſquihoram iter facere, ut id interroges, hoc enim foret immodicum ſtudium, quo fortè fruſtra, impediri poſſet labor diuturnus per longum tempus; unde ſi permaneat dubium, non erit obligatio ad Miſsam, quia in dubio poſſeſſio eſt pro libertate, Paſq. *q.*1325. Quod ſi Pater dicat eſse Feſtum præcepti, Mater verò dicat eſse devotionis tantùm, teneberis (per ſe loquendo) potiùs credere Patri, quia ejus teſtimonium eſt majus, & ejus poteſtate es dirigendus, Gob.*àn.*460.

622 *Q.*150. *Qualis Miſsa ſit audienda?* R.§.1.Peccat, qui audit Miſsam excommunicati non tolerati, aut publici percuſſoris Clerici, uti cum communi S.Th.3. *p.q.*82.*a.*2. Si tamen quis audiſſet, ſecundùm Dicaſt.& Gob.*t.5.n.*522. ſatisfeciſset præcepto, quia poſuiſset ſubſtantiam rei præceptæ, ſecundùm Paſq.*q.*1269.non ſatisfeciſset, quia tum tantùm impletur præceptum per actum peccaminoſum, quando ponitur materia, quæ præcipitur, hic autem non ponitur materia illa, quæ præcipitur, nam Miſsa illa prohibetur legi & audiri, Miſsa autem prohibita non eſt Miſsa præcepta, ergo. *Neque dicas* Miſsam ſecundùm ſe præcipi: *Nam* præcipitur cùm omnibus circumſtantiis neceſsariis ad hoc, ut hic & nunc audiatur, inter illas autem circumſtantias eſt perſona celebrans, cujus Miſsa hic prohibetur. Utraque ſententia eſt probabilis, ſed prima videtur verior.

623 §.2. Satisfacit, qui audit Miſsam, quocumque ritu & idiomate fiat, uti ſi audiat Miſsam Sacerdotis Græci in his partibus celebrantis, quia quoad ſubſtantiam eſt eadem apud omnes Catholicos Miſsa, Paſq.*q.*1259.Gob.*n.*161.*& alii.*

624 *Q.*151. *Quo tempore audiri debeat Miſsa?*

§.1. Probabilius videtur, quod ſatisfiat præcepto, quacumque hora audiatur à media nocte ad alteram mediam noctem, F.Lug.Leand.Dian.*p.*10.*t.*10. *R.*21. Gob.*t.5. num.56.* contra Paſq.*q.*1260.qui putant non ſatisfieri, niſi audiatur intrà tempus, quo licitum eſt celebrare: ſed ratio noſtra eſt, quia quacumque hora audiatur, verum eſt Miſsam eo die eſse auditam, ergo ſatisfactum eſt præcepto, quod tantùm exigit Miſsam audiri illo die.

625 §.2. Qui nocte Nativitatis Chriſti audit Miſsam, quæ Romæ vel Venetiis ex privilegio dicitur ante mediam noctem à Sacerdote jejuno, ſatisfacit præcepto pro die Nativitatis; quia ſic anticipatur illa dies, uti in Matutino, quod pridie recitatur, hinc ſi dies Nativitatis inciderit in diem Lunæ, non ſatisfaceret præcepto pro die Dominica, quia Miſsa illa ſpectat ad ſequentem diem Nativitatis, & non ad Dominicam, ita Lug. Dian.*p.7.t.*12.*R.*12.*p.*10.*t.*12.*R.*22. Item *t.*14. *R.*35. & abſolutè loquendo non poſse per auditionem unius Miſsę ſatisfieri præcepto audiendi Miſsam duobus diebus, rectè probat Creſp. à Borgia *in QQ.Mor.q.*10.

626 *Q.*152. *Quo loco audiri debeat Miſsa?* R. Præcipuum dubium eſt, an ſatisfiat, ſi audiatur in loco privato vel profano pro quo ſit,

§.1. Privatum Oratorium, eſt locus aliquis in domo vel arce privati hominis ad tempus deputatus cultui Dei, unde Oratorium erectum in palatio Epiſcopi, aut in Conventu Regularium, aut perpetuò deſtinatum divino cultui habenſque ingreſsum ex publica via, aut à Miſsionariis privilegiatis certo

loco

loco conſtitutum, non cenſentur privata Oratoria, uti cum aliis docent Quarti *in Rubr.p.3.t.10.n.1.ſ.3.* Et Tamb. *de Sacrif. lib.1.c.4.§.4.* hinc abſolutè dicit Illſ.*t.5.n.163.* non eſse quęſtionem de Oratoriis privatis Epiſcoporum vel Regularium, ſed tantùm de privatis Oratoriis aliorum Clericorum ſecularium, & laicorum, de quibus jam loquemur.

627 §.2. Privilegiatus & tota ejus familia, id eſt, omnes illi, qui habitant in domo Privilegiati cum quadam habitudine ad illum, uti ſunt pater & mater, nurus & gener, uxor, filii, filię, nepotes, pronepotes, & alii per lineam rectam deſcendentes, & manentes ſub regimine parentum, habitanteſque cum illo; item ſervi, & ancillę, quandoque etiam hoſpites, ſi ita addatur in Bulla, & conſequenter etiam illi, qui his famulantur, uti docet *Tamb.* hi (inquam) omnes, ſi audiant Miſsam in privato Oratorio, ſatisfaciunt die feſtivo, quo ibi celebrare licitum eſt: ita omnes communiter.

628 §.3. An præter privilegiatum ejuſque familiam ſatisfaciant etiam alii ibi audientes, quando audire poſsunt alibi, duplex eſt ſententia, 1. Paſq.*q.659.* ubi alios undecim pro ſe citat; quibus accedunt Dian.*p.6.t.8.R.40.p.9.t.1. R.3.* Baſs.*v. Miſſa n.8.* Gob.*t.5.n.356.* Quarti *dub.13.* Spor.*t.3.c.4. n.24.* Illſ. ſuprà dicens eſse nunc certam; hi omnes abſolutè dicunt non ſatisfacere; ratio eſt, quia Pontifex in Bullis expreſsè addit: *Volumus autem, ut alii, qui non ſunt de familia, non cenſeantur liberi ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia*, & hoc à Cardinalibus declaratum eſse, dicunt AA. hic citati. 2. Sententia eſt Az. Henriq. Homob. Caſtr. Pelliz. quos citat Paſq. *ſup.* quibus accedunt Buſemb. Burgh. *cent.3. caſ.60.* citans Barboſ. Item P. March *t.2.t.4.t.2.q.1.dub.1.* quorum ſententiam Gob. *t.3.n.254.* vocat probabilem & uſu receptam, hi dicunt ſatisfieri à quovis ibi audiente; Ratio eſt, quia de Jure communi plus non præcipitur quàm Miſsam audire, de loco autem nunc nullum eſt præceptum. Ad verba Bullarum dicunt antehac de Jure antiquo fuiſse obligationem audiendi Miſsam in Parochia, ut probat Paſq.*q.1257.* cui Juri aut alteri cuicumque obligationi, ſi quę adhuc eſt, Pontifex non vult derogari per tale privilegium privato datum; quod ſi non ſit talis obligatio, uti nunc Jure novo non eſt, reſtrictio illa nil operatur, apponitur tamen, quia ſervatur ſtylus antiquus Curię, & dantur privilegia ſecundùm antiquas formulas reſcribendi, hinc teſtatur *March* verba illa communiter non recipi alio ſenſu, etiam inter timoratos. Prior ſententia eſt communior, tutior & probabilior, tum quia pro ſe habet verba Legis, quorum explicatio pro altera ſententia eſt dubia, tum etiam quia Lex communis erat, ut Miſsa audiretur in Eccleſia publica, imò in Parochia; privilegium autem habent Religioſi, ut in ſuis Eccleſiis ſatisfiat, quale privilegium non eſt, neque legitima conſuetudo, neque certa interpretatio pro privatis Oratoriis, ergo poſſeſſio eſt pro communi Lege. Nihilominus ſecunda ſententia etiam videtur eſse probabilis; hinc *Sporer* ſapienter in praxi ſuadebat, ut illi, qui de familia non erant, alibi audirent Miſſam, nolentes autem non urgebat.

629 §.4. Probabile eſt ſatisfieri præcepto, quocumque alio loco etiam profano audiatur Miſsa, v.g. in caſtris cum militibus, in Iittore, quando legitur pro navigantibus licèt quis non ſit miles, nec de comitatu navigantium, ita *n.præced.* citati pro ſecunda ſententia cum Bonac. *de Sacram.d.4.q.ult.p.12.n.4.* Ratio eſt, quia quamvis fortè reſtrictio ſit de privatis Oratoriis, tamen nulla eſt de aliis locis, ergo rectè ſtamus Lege communi præcipiente Miſsam, abſtrahendo à loco: gratis autem dicit Paſq.*q.1257.* præcipi, ut Miſsa ab omnibus audiatur in Eccleſia vel publico Oratorio a Eccleſia deputato, nam tale præceptum nunc non extat, ſed tantùm præceptum Miſsę, quę reipſa Miſsa eſt, quocumque loco fiat.

An Regulares ri privilegiorum poſſint abſque licentia Epiſcopi ubique Miſsam legere: item à quo & quomodo concedi poſſint privata Oratoria, dicetur *lib.6.tr.3.c.3.ad d.4.* ubi etiam pluribus exponetur, quis dicatur eſse de familia ſeu familiaris Privilegiato.

630 *Q.153. Quænam requirantur, ut quis ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam?* R. Seqq. 1. Intentio. 2. Preſentia corporalis. 3. Aſſiſtentia moralis. 4. Attentio aliqua. 5. Ut integra Miſsa audiatur, de quibus ordine addendum eſt aliquid.

631 *Q.154. Qualis intentio requiratur?* R. Requiritur intentio ſeu voluntas audiendi Miſsam tanquam rem ſacram, qua exhibetur Deo cultus. Ita Suar. Bonac. aliique communiter cum Gob.*t.5.num.194.& 196.* Paſq.*q.1309.* contra Dicaſt. Ratio eſt, quia Eccleſia per Miſsam præcipit aliquem Dei cultum, hinc,

632 §.1. Non ſatisfacit, qui intereſt, ut irrideat, aut eo tantùm animo, quia expectat amicum illuc venturum, aut ut occidat Sacerdotem, cùm ab ara venerit, aut ſolius curioſitatis cauſa, ita Gob *ſup.& n.210.* citans Lugo, & Tamb. imò Paſq. ſuprà putat eum, qui accederet Eccleſiam ad meditandas res divinas aut ad orandum abſque voluntate audiendi Miſsam, non ſatisfacturum, licèt interea legeretur, conſentiunt Sanch. Bon. & Leander, quamvis contradicat F. Lug. Caſtrop. & Dian.*p.3.t.6.R.77.* ſi tamen, quando inchoatur Miſsa, accedat ad altare, aut aliquem motum corporalem edat in ordine ad aſſiſtendum Miſsę, jam habet intentionem ſufficientem, nec requiritur, ut velit ſatisfacere, uti dictum eſt *l.1.n.692.* & fusè oſtendit Paſq. *q.1308.* citans pro ſe 23. AA. contra alios 11. addens *qu.1311.* cum 28. Authoribus contra alios 15. etiam ſatisfeciſse illum, qui expreſsè noluiſset per talem Miſsam, quam audit, præcepto ſatisfacere. Addit ibidem cum Sanch. Laym. Lug. & aliis *contra* Suar. Leſs. Fill. Con. & alios, nequidem poſteà requiri mutationem propoſiti durante tempore audiendi, ut ſcilicet velit ſatisfeciſse illa auditione, nam plùs adhuc probaverat *q.1310.* reipſa ſatisfeciſse, licèt audierit animo non implendi præceptum & ſimul animo non audiendi aliam Miſsam.

§.2. Satisfacit, qui intereſt ea tantùm mente, ut obſervatis 633
actionibus Sacerdotis diſcat accuratè celebrare, hoc enim eſt velle audire Miſsam, ut diſcat legere.

§.3. Non eſt neceſse, ut interſis per modum orantis, Suar. 634
Leſs. Medin. & alii cum Gob. *num.197. contra* Bon. & Baſs. Ratio eſt, quia Miſsa audiri & DEUS aliter coli poteſt, quàm orando.

§.4. Sufficit intentio implicita audiendi Miſsam tanquam 635
rem ſacram, quam habet ille, 1. Qui adit templum volens facere officium Chriſtiani. 2. Qui adit, ut preſentia ſua honoret Sacrificium: 3. Qui ſolet intereſse Miſsę tanquam rei ſacræ: 4. Qui templum accedit ex nulla alia cauſa, cùm enim accedat liberè, accedit ex aliqua cauſa, ergo ſi non accedat ex alia, accedit ex hac, ut audiat Miſſam: 5. Quicumque Miſſam audit, ſi non conſtet eum habere intentionem contrariam, præſumitur habere ſufficientem, ita cum aliis Suar. Gob. *num.198.* Dian. *p.3.t.6.R.68.*

§.5. Etiamſi intentioni audiendi Miſſam adjungatur alia 636
intentio mala, adhuc ſatisfacis præcepto, v.g. ſi vis audire Miſſam, etiam principaliter ob vanam gloriam: aut ſimul volens te delectare turpi aſpectu puellæ præſentis, ſatisfacis, ita AA. 20. omnino graves, quos nominatim recenſet Paſq. *q.1313.* Gob. *n.208.* contra paucos alios. Ratio eſt, quia parva intentio adjuncta non excludit intentionem debitam, quamvis impediat illius fructum, vult enim, & reipſa audit ut rem ſacram, hoc ipſo quòd exteriùs modeſtè ſe gerat, & interiùs attendat ad rem ſacram, nam per hoc colitur Deus, cui per ſacrificantem & aſſiſtentes immolatur Sacrificium. *Nec obſtat*, quòd Eccleſia præcipiat actus bonos: Quia ſatis eſt eſse bonos quoad ſe & ſecundùm ſubſtantiam, quamvis ratione operantis aut quoad modum, quo fiunt, non ſint boni, uti communiter docent AA. cum S. Thom. 1.2. *q.100. art.9.* Sot. & aliis, dicentes modum, & finem præcepti non cadere ſub præceptum. *Si inſtes*, non ſatisfit præcepto per Communionem ſacrilegam, ergo nec per auditionem Miſſæ peccaminoſam. Reſp. N. conſeq. Eccleſia declaravit ſe præcipere Communionem fructuoſam, ita ut ſi non reſpondeat fructus, non ſatisfiat ejus voluntati ac præcepto; id non declaravit de præcepto vel auditione Miſſæ, ergo prudenter ſtamus authoritate & ratione adducta pro ſententia noſtra, quamdiu Eccleſia aliud non declarat.

§.6. Si quis templum ingreſſus ad audiendam Miſſam putet 637
priùs inchoandam poſt quadrantem: interim ipſo non advertente legatur ad aliquod altare, quod priùs advertit ex ſigno campanulę ad *Sanctus*, Gob. *n.115.* dicit, ſi habuerit hanc intentionem, volo eſse unus de numero audientium Miſſam, quandocumque inchoabitur, tum audiviſſe etiam primam partem, ſi autem talem intentionem non habuerit, non audiviſſe nam nemo cenſetur moraliter intereſse actioni, quam neſcit exerceri, & cui non cupit intereſse, hoc ipſo autem quòd velit intereſse, ſi fiat, quando fit, reipſa intereſt, quia hęc voluntas conditionata tranſit in abſolutam: ſed hoc patitur difficultatem, nam reipſa talis aſſiſtentia non eſt moralis, uti colligetur ex dicendis *à n.646.*

§.7. Si quis pluribus titulis teneatur audire Miſsam, & 638
non determinet, cui obligationi ſatisfacere velit, utrique autem per eandem auditionem ſatisfacere non poſſit, dicendum eſt, quod ſatisfaciat urgentiori, ſive illi, quę vel ratione temporis vel aliunde exigit præferri, quia tum valet voluntas interpretativa, ſecundum quam quiſque præſumitur velle prius ſatisfacere graviori obligationi.

Q.155. Qualis præſentia corporalis requiratur? R. Ta- 639
lis, per quam quis ſit ita præſens phyſicè vel moraliter loco, in quo fit Miſsa, ut poſſit dici eſse unus è numero eorum, qui circumſtant & cum Sacerdote offerunt Sacrificium, hinc

§.1. Non eſt opus videre vel audire Celebrantem, ſed ſi 640
nec videre nec audire poſſis immediatè, ſatis eſt, ſi adſis aliis, qui vident vel audiunt, & te conformes illis in ſurgendo aut flectendo.

§.2. Sufficit, ſi ſis in loco, qui communicat cum tem- 641
plo,

plo, v.g.in Choro poſt Altare, aut in loco per murum ſeparato, ex quo feneſtra vel foramen fert in templum, aut in Odeo ſeu lorica ſuperiori: ubicumque in templo fiat Miſsa, dummodo id ſcias & poſſis percipere ſaltem aliis mediantibus, quid agatur, atque ita dici pars communitatis infrà flectentis.

642 §.3. Etiam ſufficit eſse extra templum, dummodò ſcias Miſſam inchoari ſeu fieri, & ſis aliis junctus, cum quibus facias unam multitudinem in templum vel ad altare uſque protenſam, uti communiter habent AA. cum Gob. *àn.*22. & Paſq. *àq.* 1300. Quòd ſi quis non eſset junctus multitudini, ſed ſolus ſtaret ad murum extra templum, licèt audiret Sacerdotem, putat *Paſq.* non auditurum Miſsam, quia non eſset corporaliter preſens Eccleſiæ ſeu illi Congregationi Fidelium; contradicunt tamen alii apud Dian. *p.*4. *t.*4. *R.*154. *& p.*10. *t.*14. *R.*47.

643 §.4. Lug. Gord. Dicaſt. Tamb. Gob. *num.*172. & alii, quos refert Paſq. *q.*1303. dicunt illum adhuc eſse ſufficienter præſentem & audire Miſſam, qui etiam per interjectam parvam plateam è domo ſua in templum vel ad altare poteſt reſpicere, ſed occurrit hæc ratio in oppoſitum, nam ſi excommunicatus ex altera parte plateæ è feneſtra ſuæ domus videret & audiret te celebrantem, non ideò peccaret, neque tu ideò tenereris deſiſtere à Miſſa, ergo ſignum eſt, quod ex communi judicio non cenſeatur moraliter præſens. Addunt Lug. & Eſcob. apud Gob. *num.*174. non obſtare diſtantiam triginta paſſuum, quod tamen *Tamb.* non admittit, uti nec *Gob.* niſi Miſſa fieret ſub dio, tum enim admittit, licèt nullus homo eſſet interjectus; hinc ſi magna ſit diſtantia, rectè dicit Gob. *num.*27. aliquem non cenſeri præſentem, licèt domi ſuæ audiret totum cantum aut etiam Miſſam alta voce pronuntiatam.

644 §.5. Putat Dicaſt. cum Gob. *num.*173. eos, qui manent in navi, ſi Miſſa fiat in littore; item milites in tentoriis ſuis, quamvis utrique diſtent ad 30. paſſus, adhuc eſſè moraliter præſentes corpore, & Miſſam audire.

645 §.6. Si quis etiam ad afferendum aliquid ad Miſſam neceſſarium recederet à templo ad locum remotum, qui non communicat cum templo, v. g. ad domum Paſtoris, & maneret per notabile tempus, aut negligeret actionem ſubſtantialem, v.g Conſecrationem, probabilius eſt contra Leand. & Dicaſt. non audiviſſe Miſſam, quia non manſiſſet corporaliter præſens, nequidem moraliter, hinc ſi poſſet, teneretur audire aliam Miſſam, vel ſupplere; quod neglexerat: ſi autem non poſſet, excuſaretur propter neceſſitatem rei adferendæ. Si autem iret ad Sacriſtiam aliquid allaturus, aut ad campanile tracturus campanas, cenſeretur manere moraliter præſens corpore, quia hæc loca communicant cum templo, cùm ſint quaſi aliquid templi: & pulſatio campanæ, quæ quibuſdam locis fit ad Evangelium vel ſub Elevatione, ordinatur ad illum Dei cultum, qui per Sacrificium exhibetur, ita AA. communiter cum Paſq. *q*1275.

646 *Q.*156. *Qualis aſſiſtentia requiratur?* R. Moralis, per quam quis adſit tanquam homo ratione præditus, & non ut brutum vel inanimatum aliquid, debet enim aſſiſtere humano modo liberè & religioſè, hinc,

647 §.1. Non audit Miſſam, qui coactus intereſt, v.g ligatus & reluctans, uti habet communis cum Gob. *t.*5. *n.*212. ſi quis tamen violentè detentus, ſuppoſita detentione liberè applicaret animum ad actionem Sacerdotis, ſatisfaceret, quia aſſiſtentia eſſet libera ſub ratione advertentiæ, Illſ. *t.*5. *n.*154. neque etiam obſtaret, ſi quis intereſſet ex metu, quia metus non tollit libertatem, ergo nec impedit aſſiſtentiam moralem, uti habet communior cum Paſq. *q.*1307. contra ſex alios.

648 §.2. Ebrius vel dormiens non audit Miſſam, quia non adeſt humano modo: quod verum eſt, ſi dormitet per vices, ita ut per notabilem partem nequeat attendere, quamvis dormitatio eſset involuntaria, ita Dicaſt. & alii cum Gob. *n.*244.

649 §.3. Si quis tempore Miſsæ in altam contemplationem ſive in extaſin à ſenſibus abripiatur; putant Suar. Filſ. Ledeſm. & alii adhuc audire Miſsam, quia manet moralis aſſiſtentia per præcedentem voluntatem necdum revocatam; ſed hoc probabiliùs negant Lug. Averſ. Leand. Tamb. *hic cap.*2. §.1. *num.*11. Illſ. *num.*154. quia tam parum videtur moraliter aſſiſtere, quàm qui dormit: Paſq. *q.*1306. probabiliter diſtinguit, ſi in illa extaſi pergat contemplari myſteria, quæ peraguntur in Miſsa, putat durare moralem aſſiſtentiam: ſi autem rapiatur in aliam contemplationem, putat non durare, adeoque nec audire Miſsam.

650 *Q.*157. *Qualis attentio requiratur?* R. §.1. Attentio eſt duplex, externa & interna: *externa*, eſt omiſſio actionum exteriorum incompoſſibilium cum attentione interna: *interna*, eſt advertentia ſeu applicatio animi ad aliquid, v. g. ad illa, quæ in altari geruntur, certum autem eſt requiri attentionem externam, ut ſatisfiat præcepto. Deinde communis ſententia eſt ex Soto, Suar. Lug. Graff. Bon. Laym. & aliis cum Gob. *t.*5. *n.*227. contra Mendo *in Stat. d.*7. *q* 1. *n.*6. non requiri tantam attentionem ad Miſsam, quantam ad Breviarium; quæ autem & quanta ad Breviarium requiratur, dicemus *lib.*4. *àn.* 1340. Et hic ſupponimus cum communiori, quod aliqua attentio interna requiratur, ſaltem talis, per quam dicat religioſè exiſtere ſub ſpecie & cultu externo colentis Deum reſpectu Sacrificii, uti rectè explicat Paſq. *q.*1315. ubi etiam multos AA. adducit, qui requirunt majorem aliquam attentionem internam ad Miſsam vel ad Deum, & è contra alios etiam multos, qui dicunt ſufficere ſolam attentionem externam; quidquid ſit de hoc, de quo dicetur, quando de Horis Canonicis, *lib.*4. *q.*220. *& ſeqq.*

§.2. Miniſtrantes Miſsæ ſufficienter attendunt exhibendo 651
ſuum miniſterium, nam hoc eſt actualis cooperatio ad Sacrificium, imò eſt exhibitio partis luſus Sacrificii, ita Gob. *num.*239. Illi tamen, qui diebus ſolemnibus accendunt candelas per totum templum tempore Miſsæ, ſi ſimul non attendant ad Miſsam, non ſatisfaciunt, quia hoc non eſt miniſterium Miſsæ, ſed vel prærequiſitum vel per accidens concomitans, ita Paſq. *q.*1287.

§.3. Muſici, chelyſtæ, organœdi, tympaniſtæ, tubici- 652
nes audiunt Miſsam, dummodò ſimul attendant ad hoc, quod in ara geritur, nam cantus vel ipſius ipſorum refertur ad hunc Dei cultum, nec neceſsariò tollit requiſitam advertentiam ad illa, quæ in ara geruntur. Idem dicit Leſs. *in auct. v. Miſſa, caſ.*3. de collectoribus eleemoſynarum, ſi ſimul attendant ad Miſsam: Idem contra Paſq. *q.*1317. dicunt cum aliis Dicaſt. & Gob. *àn.*305. de illo, qui deambulando aut ſe comendo in templo Miſsam audiret, nam poteſt quis debambulans aut ſe veſtiens orare, ergo multò magis ad Miſsam attendere.

§.4. Non audiunt Miſsam, qui ſcribunt vel pingunt 653
ſub illa, uti recte Navar. & alii communiter cum Gob. *n.*307. quia hæ actiones ita occupant animum, ut cum illis attentio interna videatur eſse incompoſſibilis: Neque illi audiunt, qui per notabile tempus de re ſeria confabulantur, vel res aliàs fixè aſpiciunt & conſiderant, ita ut moraliter loquendo nequeant attendere ad ea, quæ geruntur in ara, quia etiam hi carent attentione externa, Gob. *num.*288. Paſq. *q.*1323. Ill. *t.*5. *num.*158. ſi tamen iſta interruptim tantùm fiant, & relinquant attentionem internam, quamvis illam minuant, erit veniale tantùm, uti iidem docent cum Sot. Med. Suar. Dicaſt. Baſs.

§5. Non ſatisfaciunt, qui per notabilem partem Miſsæ le- 654
gunt attentè librum profanum, v.g. Poetam, Philoſophum: item litteras, Gaſettas &c. Ita Regin. Lug. Tamb. aliique cum Gob. *num.*245. Ratio eſt, quia actio illa profana ex natura ſua avertit animum ab intentione ad res ſacras. Idem tenet Suar. apud Gob. *àn.*254. de illo, qui hiſtoriam ſacram legeret animo indifferenti aut volens diſcere ſtylum, item qui lectionem catecheticam mandaret memoriæ, item qui preces latinas in gallicum mente verteret, ut ſic linguam diſceret.

§.6. Qui ſub Miſsa conſcientiam examinat, poteſt audi- 655
re Miſsam, quia poteſt attendere, uti habet communis: multò magis audit, qui ſub Miſsa elicit dolorem vel aliis piis actionibus ſe præparat ad Confeſſionem: an autem ille, qui ſub Miſsam per longum tempus confitetur, Miſsam audiat, variæ ſunt ſententiæ, nam 1. Suar. Az. Tann. & alii dubitant, quia incertum eſt, an habeat attentionem debitam. 2. Alii abſolutè negant: ſed diverſas rationes afferunt, nam Bon. & Baſs. dicunt ideo non audire, quia non orat, ſed hæc ratio non ſtringit, nam non præcipitur Oratio, uti dictum eſt *n.*634. & quamvis præciperetur, habebitur ſufficienter per externam compoſitionem corporis, qua colatur Deus; hinc J. March. Tamb. Dicaſt. Steph. & alii dicunt ideò non audire, quia enarratio peccatorum ita diſtrahit, ut cum illa non videatur ſtare poſse attentio ad Miſsam; Paſq. *q.*1318. dicit, quamvis mentaliter attenderet, tamen non audire, quia non habet præſentiam ſeu aſſiſtentiam moralem reſpectu Sacrificii, nam Confitens non habet ſe per modum alicujus, qui cum Sacerdote offert Sacrificium, ſed per modum Rei, qui ſe accuſat, accuſatio autem aut perſona Rei non ſpectat ad Sacrificium. 3. Regin. Caſtr. Leſſ. Rhod. Eſcob. & alii cum Gob. *n.*258. abſolutè affirmant, quia habet intentionem audiendi, ut ſuppono, adeſt corpore, quia confitetur in templo, aſſiſtit moraliter, quia adeſt humano & religioſo modo: denique etiam attendere poteſt ad Miſsam: & licet fortè actu non attendat, tamen occupatur actione pia, adeoque adhuc cenſetur cum Sacrificante & circumſtantibus Deo cultum exhibere. 4. Alii diſtinguunt & dicunt, ſi per experientiam ſcias te cum enarratione peccatorum adhuc aliquo modo attendere, ſatisfacies; ſi autem ſcias, te non attendere, non ſatisfacies, quia hæc narratio peccatorum non eſt res ad Miſsam ſpectans, ergo qui per illam ita occupatur, ut ad Miſsam attendere non poſſit, non videtur habere attentionem externam. Omnes hæ ſententiæ ſunt probabiles, in praxi autem ſuadendum, ut ſi Confeſſio deberet eſse longa, potiùs fiat extra Miſsam: ſi autem ſit brevis, curandum ut potiùs fiat ſub aliqua parte non ita ſubſtantiali, v. g. ſub Oratio-

nibus,

nibus, *Gloria*, *Epiſtola*, *Credo*, non verò ſub Offertorio, Conſecratione vel Communione. Si tamen etiam ſub his partibus fiat, debet confitens ita ſimul attendere ad Miſſam, ut dicere poſſit, quouſque Celebrans pervenerit. Quòd ſi Confeſſio alioquin eſſet omittenda, uti ſæpè fieret ancillis & famulis, ſuaderi poteſt, ut fiat ſub Miſſa, quia voluntas Eccleſiæ præſumitur eſſe potiùs, ut ſic audiatur Miſſa & Confeſſio fiat, quàm ut attentius audiatur Miſſa & Confeſſio non fiat, uti rectè Leſſ. *in Auct. v. Miſſa*, *caſ.*3. ſi enim damnum temporale poſſit excuſare ab auditione Miſſæ, magis excuſabit damnum ſpirituale in omiſſione majoris attentionis; denique ſi quis ſub muſico vel cantabili Sacro confiteatur, non eſt tanta difficultas, niſi confeſſio eſſet valdè longa, facilè enim advertet, quouſque Celebrans pervenerit, aut confitebitur ſub aliqua parte, quæ per cantum longiùs trahitur, vel ubi Celebrans ſiſtit.

656 §.7. Paſq. ſupra abſolutè dicit eum, qui Confeſſiones audit, non poſſe audire Miſſam, quia non aſſiſtit veluti unus offèrentium, ſed velut Judex, cujus actio non ſpectat ad Sacrificium: Oppoſitum communiùs docent alii cum Gob. *num.* 269. quia quòd ſimul ſit Judex in confeſſionali, non impedit, quò minùs etiam ſit unus illorum, qui circumſtant & cum Sacerdote Sacrificium offerunt: certum quoque videtur, quòd Confeſſarius poſſit faciliùs ſimul attendere ad Miſſam, quàm Confitens.

657 §.8. Sporer *de Pœn. num.* 579. putat Celebrantem non poſſe audire Miſſam, quæ ab alio legitur eo tempore, quo ipſe celebrat, ideoque non ſatisfacturum debito, ſi promiſiſſet unam Miſſam audire & unam dicere, velletque ea facere eodem tempore, ſed probabilius eſt celebrantem poſſe ſufficienter attendere ad ſuam & alienam Miſſam, ſi autem non ſatisfaciat iſti promiſſo, ideo erit, quia qui promittit Miſſam unam audire & alteram dicere, cenſetur promittere actus ſucceſſivos, non aliter ac ille, qui promittit duas Miſſas audire, niſi enim fuerit alia intentio promittentis, cenſetur promiſiſſe duas diverſo tempore.

658 §.9. Qui voluntariè toto tempore habet diſtractiones, & ſimul attendit ad ea, quæ in ara geruntur, audit Miſſam, quamvis peccet venialiter ratione irreverentiæ, ſi ſimul oret, eſt communis cum Suar. Caſtr. Baſs. Paſq. *q.*1321. Gob. *n.*228. Illſ. *n.*159. nec quemquam movere debet, quod *Author Anonymus* contra Archi-Epiſcopum Mechlinienſem anno 1691. editus dicat opinionem illam non eſſe admodùm conformem genuinis regulis pietatis & juſtitiæ Chriſtianæ, nam, uti demonſtrat *Oropega*, evidens eſt attentionem ad Miſſam poſſe ſtare cum tali diſtractione: poſſumus enim ad plura ſimul attendere, uti experientia docet, quamvis minùs attentè ad ſingula: eſſe autem talem diſtractionem tantùm venialem, communis eſt ſenſus omnium, unde liber ille *Anonymi* propter inſolentiam, qua Archi-Epiſcopo illi inſultat, combuſtus eſt Ruræmundæ juſſu ſupremi Senatus Geldrici.

659 §.10. Quamvis communis ſit ſententia, quam ſupponunt Con. & Lugo *de Euch. diſp.*22. *ſect.*2. *num.*36. quòd diſtractio involuntaria non impediat, quò minùs aliquis ſatisfaciat præcepto Miſſæ, quia communiter non impedit, quin ita attendas, ut poſſis eſſe teſtis Sacrificii peracti, aut reddere rationem de iis, quæ geruntur ad aram: Si tamen evagatio eſſet talis, ut redderet hominem veluti abreptum & nullo modo attendentem ad Sacrificium, impediret auditionem Miſſæ, ſive eſſet voluntaria, ſive involuntaria, ita Paſq. ſuprà & Caſtrop. *tr.*22. *p.*16. *num.*3. Ratio eſt, nam ſomnus involuntarius ideo impedit, quia tollit moralem, humanam, & religioſam aſſiſtentiam, atqui illam æquè tollit talis extraordinaria evagatio animi, ergo.

660 §.11. Pueri aut alii rudiores *in actu ſecundo* non tenentur ad tantam attentionem, ad quantam alii, quia talis attentio eſt illis moraliter impoſſibilis.

661 §.12. Pro habenda attentione & devotione in audienda aut etiam celebranda Miſſa, juvabit hanc conſiderare tanquam memoriale Paſſionis Chriſti, reſpiciendo ſingulas actiones Miſſæ veluti repræſentativas cujuſdam myſterii: & pro imaginatione ad hoc diſponenda, poteſt Sacerdos conſiderari veluti ſuſtinens perſonam Chriſti patientis, nam *velum*, quod imponit capiti vel humeris, ſignificat velum, quo tecta eſt ejus facies ab illuſoribus: *Alba*; veſtem ab Herode injectam. *Cingulum*, *Stola*, *Manipulus*, funes, vincula & catenas quibus ligatus eſt & raptatus: *Tonſura capitis ſacerdotalis*; ſpineam coronam Chriſti: *Caſula*, crucem, &c.

Miſſa Memoriale Paſſionis Chriſti.

Sacerdos.	*Chriſtus.*
Ingreditur ad aram.	Ad hortum Gethſemani.
Inchoat Miſſam.	Orat in horto.
Dicit: *Confiteor* &c.	Stratus ſudat ſanguine.
Aſcendens oſculatur altare.	Traditur oſculo Judæ.
Abit ad locum Epiſtolæ.	Ligatus trahitur.
Legit introitum.	Tunditur pugnis apud Annam.
Dicit. *Kyrie eleiſon.*	Negatur à Petro apud Caipham.
Dicit. *Dominus vobiſcum.*	Reſpiciens convertit Petrum.
Legit Epiſtolam.	Ducitur ad Pilatum.
Dicit, *Munda cor meum.*	Ducitur ad Herodem.
Legit Evangelium.	Illuſus reducitur ad Pilatum.
Denudat calicem.	Veſtibus ſpoliatur.
Offert Deo panem & vinum.	Flagellis cæditur.
Tegit calicem.	Coronatur ſpinis.
Lavat manus.	A Pilato pronunciatur innocens.
Dicit. *Orate Fratres.*	Pilatus dicit, *Ecce homo.*
Dicit ſecretas orationes.	Conſpuitur, facie velatur, luditur.
Dicit Præfationem, uſque ad *Sanctus.*	Poſtponitur Barabbæ; clamatur, *Crucifige*; morti adjudicatur.
Facit *Memento* pro vivis.	Portat crucem ad Calvariam.
Proſequitur actionem.	Occurrit Veronicæ.
Benedicit oblationes.	Clavis affigitur cruci.
Elevat hoſtiam conſecratam.	Elevatur in cruce.
Elevat ſacrum calicem.	Profundit è vulneribus ſanguinem.
Proſequitur Canonem.	Videt afflictam Matrem.
Dicit. *Nobis quoque peccatoribus.*	Orat pro genere humano.
Dicit. *Pater noſter.*	Dicit 7. verba in cruce.
Dividit hoſtiam.	Emittit ſpiritum è corpore.
Immittit particulam in calicem.	Secundùm animam deſcendit ad limbum.
Dicit. *Agnus Dei.*	Convertit multos adſtantes.
Proſequitur Orationes.	Ex aperto latere fundit ſanguinem & aquam.
Sumit Chriſtum.	Deponitur in ſepulchrum.
Purificat calicem.	Ungitur à piis mulieribus.
Iterum operit calicem.	Reſurgit cum corpore.
Dicit. *Dominus vobiſcum.*	Apparet Matri, & Diſcipulis.
Dicit ultimas Collectas.	Converſatur 40. diebus cum ſuis.
Dicit ultimum. *Dominus vobiſcum.*	Aſcendit in cœlum.
Benedicit populo.	Mittit Spiritum Sanctum.
Dicit. *Ite*; Evangelium S. Joannis.	Facit ab Apoſtolis circumferri Evangelium.

Piè auditur Miſſa, ſi hæc nudè conſiderentur, utiliſ- 662
ſimum autem erit, ſi breves affectus admiſceantur, prout ſuggerent myſteria & propria cujuſque devotio.

Q. 158. *Quandonam peccetur graviter vel leviter non audiendo integram Miſſam, ſive omittendo partem?* R. Diſtinguendum eſt inter partes Miſſæ, nam *pars eſſentialis*, in qua conſiſtit Sacrificium, probabiliter eſt ſola Conſecratio: *pars ſubſtantialis* eſt oblatio & ſumptio: *partes principales* ſunt Canon, qui incipit ſtatim poſt *Sanctus*, uſque ad *Pater noſter*; item *utraque oblatio*, Evangelium &c. Partes non regulares ſeu non ordinariæ ſunt, *Gloria*, *Credo*, *plures Epiſtolæ*, *plures Collectæ* &c. hæ enim non ſunt in omni Miſſa, ſed tantùm aliquando; *partes regulares ſeu ordinariæ* ſunt, quæ communiter ſunt in omni Miſſa. Hoc notato:

§.1. Veniale ſaltem eſt quamcumque partem etiam parvam 663
omittere abſque rationabili cauſa, eſt communis cum Gob. *n.* 132. Paſq. *q.*1270. Mendo *in Statut. d.*7. *q.*1. *n.*3. quia Eccleſia præcipit Miſſam, non tantùm prout eſt Sacrificium, ſed etiam prout eſt cæremonia ſacra, ſic autem complectitur omnes actiones ſacras. Probabile, tamen eſt Evangelium S. Joannis non eſſe partem Miſſæ, quia ante illud dicitur, *Ite, Miſſa eſt*, & data benedictione licentiatur populus.

§.2. Qui omittit tertiam partem Miſſæ, peccat morta- 664
liter

liter ſecundùm omnes: quod aliqui dicunt de omittente quartam partem: partes autem non regulares faciliùs omitti poſſunt, nec tam citò conſtituent unam tertiam vel quartam partem Miſſæ, uti conſtituerent principales etiam minores, quia partes non debent tantùm conſiderari ſecundùm diuturnitatem, ſed maximè ſecundùm dignitatem; uti habet communis.

665 §.3. Quid vel quantum omitti debeat, ut cenſeatur eſſe tertia vel quarta pars Miſſæ, variant Authores; ſecundùm Paxjord. & alios ſufficienter omittis ad mortale, ſi omittas ab initio ad Epiſtolam excluſivè. Secundùm Navar. Bonac. Tol. Turr. & alios, tum priùs peccas mortaliter, ſi omittas ab initio cum Epiſtola, quamvis multæ & longæ eſſent Epiſtolæ, cùm ſint partes non regulares. Secundùm Sot. Suar. Henriq. Rodriq. Graff. Kon. Dicaſt. & alios tum priùs peccas mortaliter, ſi omittas ab initio cum Evangelio: imò Azor. Suar. Rodriq. Caſtrop. Dicaſt. Tamb. & alii cum Paſq. *q.*1282. excuſant te à mortali, ſi ſtatim poſt Evangelium veniens maneas uſque ad finem ultimi Evangelii S. Joannis: Et licèt ſimul omittatur *Credo*, adhuc dicunt non fore mortale Henriq. Lug. Burgh. *cent.2.caſ.*86. aliique apud Mendo *num.*1. quia, *Credo*, eſt pars non regularis, unde iidem cum Laym. *l.4.t.7.c.4.num.*3. & Illſ. *t.*5. *n.*160. non damnant te mortalis, dummodò venias ante Offertorium, quia olim ibi incipiebat Miſſa teſte *Iſidoro*. Probabilius tamen & ad ſenſum vulgi magis accommodatum videtur eſſe, ſi dicamus Miſſam non audiri, ſi quis non veniat ſub initium Evangelii, & permaneat uſque ad finem: quis enim diceret, inquit Mendo, eum audiviſſe Miſſam in Dominica Palmarum, qui poſt Paſſionem pro Evangelio lectam veniret ad templum?

666 §.4. Qui omittit ſola illa, quæ ſunt poſt Communionem Sacerdotis, non peccat mortaliter, Suar. Fagund. Illſung ſuprà aliique communiter: item qui omittit omnia ante Epiſtolam & omnia poſt Communionem Sacerdotis, etiam non peccat mortaliter ſecundùm eoſdem *Authores*, & alios apud Mendo ſuprà contra Trull. Leand. Paſq. *q.*1383. qui autem omittit omnia ante Evangelium & omnia poſt Communionem, peccat mortaliter ſecundùm Suar. Con. Caſtrop. Tann. Illſung. & alios contra Baun. & Llamas apud Paſq. ſuprà, qui dicunt non peccari mortaliter, quia ſunt partes ferè ſimiles, quæ non facilè conſtituunt tertiam vel quartam partem Miſſæ.

667 §.5. Qui ſolum Offertorium, ſive ante Præfationem, ſive poſt Conſecrationem omittit, ſecundùm Paſq. *q.*1275. tantùm venialiter peccat; qui autem omittit Conſecrationem & Sumptionem, mortaliter peccat, quia eſſentia Sacrificii in alterutra harum actionum conſiſtit, eſt communis cum Gob. *n.*132. Communior quoque ſententia eſt cum Ledeſm. Henr. Regin. Bon. Con. March. Lug. Averſ. Dicaſt. Dian. & aliis eſſe mortale, ſi omittatur utraque Conſecratio, imò Paſq. ſuprà putat; ſi quis non adeſſet uni tantùm Conſecrationi, v.g. ſolius panis, fore mortale: Idem plerique è ſupradictis cum Bonac. Caſtr. & Illſ. *n.*160. dicunt de eo, qui ſolam Communionem omitteret, quia omitteret partem ratione dignitatis notabilem; è contra G. Hurtad. & alii cum Burgh. ſupra dicunt non peccari mortaliter, ſi tantùm omittatur tota Conſecratio, & in hanc ſententiam inclinant Suar. Fagund. Garz ſaltem quoad rudes, quam Lugo dicit probabilem: quod autem Communionem attinet, Hurt. Gaſp. Pelliz. Leand. Laym. & Burgh. ſuprà dicunt non eſſe mortale illam ſolam omittere, quia quamvis ſint partes valdè dignæ, tamen ſunt pars non magna: Sed quod ad utramque Conſecrationem attinet, prior ſententia videtur verior, & eam tenent plurimi cum Paſq. *q.*1276. & Herinx *de Pecc.d.7. nu.*48. quia pars illa eſt digniſſima, ergo meritò cenſetur notabilis: deinde Miſſa ab Eccleſia præcipitur principaliter, prout eſt Sacrificium, quo colitur Deus, ſed ſi omittatur utraque Conſecratio, longè probabilius eſt omitti rationem Sacrificii, ergo. Addunt Hurtad. Leand. & Paſq. *q.*1284. peccari mortaliter, ſi omittatur ab elevatione calicis uſque ad *Pater noſter*, quia eſt pars principalis, dignitate notabilis.

668 §.6. Qui non poteſt intereſſe nec Conſecrationi nec Sumptioni, eum non teneri ad alias partes, docent Lug. Tamb. & alii cum Gob. *n.*140. ſed probabilius videtur oppoſitum, quia poteſt audiri major pars Miſſæ, prout eſt cæremonia ſacra, qualiter etiam præcipitur ab Eccleſia; unde à potiori is, qui venit ad ultimam Miſſam paulò ante Conſecrationem, tenetur ad hanc & reliqua audienda, uti habet Communior cum Gob. *n.*139. & Paſq. *q.*1292. contra Molf. & J. Sanch. ſi quis autem veniat poſt Conſecrationem, eum non teneri ad reliqua, docet Tamb. *c.*2. §.1. *n.*6. quia deficit pars præcipua & eſſentialis; ſed probabilius eſt oppoſitum, tum quia multi docent eſſentiam Sacrificii conſiſtere in Sumptione, tum præcipuè, quia audiri poteſt pars notabilis cæremoniæ ſacræ ab Eccleſia præceptæ: & quamvis pro utraque ſententia Authores multos adducat Paſq. ſuprà, nunc tamen videtur tenendum cum illis, qui obligant, uti rectè Illſ. *n.*165. hoc enim videtur ob paritatem præcepti & rationis colligi ex hac propoſ.54. ab *Innocentio XI.* damnata: *Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.*

669 §.7. Si Sacerdos concionem interponat, vel faciat *Memento* unius ſemi-horæ, illo tempore abeſſe poteris, Tamb. *n.*4. Gobathi *n.*149. Item *Gloria*, *Credo* & *Kyrie*, quæ canuntur à Muſicis; item alia, quæ hi interponunt, non ſunt pars Miſſæ, hinc omitti poſſunt ſine peccato, dummodò aſſiſtatur ad *Kyrie*, *Gloria*, & *Credo*, quæ recitat Sacerdos, Paſq. *q.*1287.

670 §.8. Quando caſu vel ex juſta cauſa veniſti ſerò, ſed non notabiliter, ſecundùm Suar. Fill. Fagund. Dicaſt. Gobat *n.*140. Paſq. *q.*1293. non teneris nequidem ſub veniali ſupplere partem illam parvam: in ſententia tamen illorum, qui dicunt ſatisfieri præcepto per partes Miſſarum auditas ſucceſſivè, quam probabilem eſſe diximus *n.*611. teneris ſub veniali ſupplere, quia teneris totam Miſſam audire, ſed potes totam audire ſupplendo, & non ſupplendo non audis totam, ergo teneris ſupplere. Quòd ſi quis notabilem partem neglexiſſet, ſub mortali teneretur aliam Miſſam audire, vel ſaltem partem neglectam ſupplere, uti omnes fatentur.

671 §.9. Multi Miſſam audiunt; quia caſu ſatis maturè veniunt qui tamen peccarunt mortaliter, quia per negligentiam expoſuerunt ſe periculo multùm ſerò veniendi, unde circa hoc examinandi ſunt illi, qui confitentur ſe ſerò veniſſe, inquit Caſtr. *tr.22.p.16.n.*14. idemque notant Suar. & Gob. *n.*156. ſæpè enim ſerò veniunt ſine, & ſæpè cum culpa gravi, quamvis non neglexerint notabilem partem Miſſæ.

DUBIUM IV.

An ſit obligatio audiendi Miſſam in Parochia Dominicis, & Feſtis majoribus?

672 RESP I. Etſi id quidem decens ſit, non tamen eſt obligatio. Eſt communis Authorum (quos *vide ſuperiore dub. Caſ.ult.*) & ut ait Cerdinalis Lugo *diſp.*22. *ſect.*1. *num.*2. certa; etſi Marchant. *in Candelabro Myſtico t.*4. *c.*7. *Et in Reſolutionibus Paſtoralibus*, in forma manualis editis *tr.*4. *cap.*7. in dubium vocet, ſcrupulumque movere conetur. Ratio eſt. 1. Quia nullum extat de hac re præceptum. 2. Quia *Cap. Ut Dominicis, De Parœciis*, jubetur Parochus ante Miſſam ejicere eos, qui proprio Parocho contempto, iſtic Miſſam audire vellent: ergo ſine contemptu (formali) licet. 3. Quia *Cap. Si quis, de Conſecr.* jubentur ii, qui habent Oratorium domi, in majoribus feſtivitatibus audire Sacrum in Parochia, vel in civitatibus. 4. Quia univerſalis Fidelium, & ipſorummet etiam Parochorum, Doctorum, & Confeſſariorum (qui pœnitentes hac de re non interrogant) conſuetudo id non tantùm, (ut loquitur Marchantius *loc.cit.*) inſinuat, ſed manifeſte docet. 5. Quia Trid. *ſeſſ.*22. *cap.*8. tantùm dicit, populum debere moneri, (non autem teneri) ut frequenter adeant Parochias, ſaltem Dominicis, & Feſtis majoribus. V. Fagund. *p.*1. *l.*2. *c.*3. *num.*8. *& ſeqq.* Lugo, Barboſa, Zenedo, Trull. *lib.*3. *c.*1. *d.*6. *num.*4.

Neque obſtant, quæ *Marchantius* objicit, ut:

I. Quòd Jura antiqua decernant contrarium, eò quòd Sixtus IV. *De tregua & pace*, præcipiat, ne Mendicantes prædicent, non teneri audire Miſſam in Parochia Dominicis & Feſtis: nam in primis ex illo Sixti Decreto nihil ſequitur, cum is non dicat teneri, ſed tantùm prohibeat, ne publicè prædicetur, non teneri: Cùm enim honeſtiſſimum ſit, populum audire Miſſam in Parochia, idque ſuadere deceat, minimè deceret, id (publicè præſertim) diſſuadere, nam inde ſcandala, & proprii Parochi contemptus ſequi poſſent. Et hoc eſt, quod Sixtus cavere voluit. Deinde, eſto antiqua forſan aliqua Jura id habeant, eis, poſterioribus temporibus, per varia privilegia, receptamque conſuetudinem univerſalem, eſt derogatum. Lugo, & cæteri AA. citati.

Nec obſtat 2. Quòd multos Canoniſtas eam opinionem ſecutos aſſerit: Eſto enim olim quidam ſic ſenſerint, hoc tamen tempore, poſt tot & tam ampla privilegia, poſt tam claram & diuturnam conſuetudinem, poſt Eminentiſſimorum Cardinalium declarationes, & etiam ipſorum Pontificum nota Decreta contraria, (ut *vide ſequenti Reſp.*) an aliqui id doceant, neſcio.

Nec obſtat 3. Locus Tridentini paulò ante in Reſp. citatus, quem objicit: ut patet ex ipſis verbis & declaratione Eminentiſſimorum Cardinalium; Authorumque communi explicatione.

Reſp. II. Epiſcopus non poteſt cenſuris, mulctis aliiſque pœnis cogere ad audiendam Miſſam in Parochia. Eſt contra Marchant *loc.cit.* ubi ait, *Regulares ita communiter reſpondere, ut privilegiorum ſuorum fimbrias magnificent, &*

» *dilatent phylacteria*: & contra *Authorem Parochiani obedientis*. Ratio autem eſt: quia (ut ait Navar.) Epiſcopus » non poteſt tollere (nec reſtringere) Jus commune, & generalem totius orbis conſuetudinem. Ita docent præter Auth. » ſupra citatos S. Antonin. *p.2. tit.9. cap.*10. §.1. *dub.*4. Sylv. » *v. Miſſa*. Tol. Laym. *l.4. t.7. c.3. &c. Et communiter omnes* » *Theologi, & Canoniſtæ moderni*: afferuntque Az. *to.1. l.7.* » *c.8. q.6.* & Card. de Lugo *d.22. ſect.1.* pro hac ſententia, declarationem Cardinalium in Trid. quæ expreſsè habet; *Non* » *poſſe Ordinarium mulctis, & pœnis cogere ad audiendam* » *Miſſam, vel Concionem in propria Parochia, etiam in caſu negligentiæ, & contumaciæ*. Et ſi his duobus tanquam » Regularibus minus fidat, legere poteſt eandem declarationem apud Barb. *in Trid. ſeſſ.22. c.8. de Sacrif. Miſſæ, & ſeſſ.* » *24. de Reform. c.4. n.*12. Item *Tractatum de officio & poteſtate Parochi*, ubi eandem ſententiam Barboſa ipſe ſequitur, & » pro ea ſupra 20. AA. celebres, partim Theologos, partim » Canoniſtas, quà Regulares, quà non Regulares citat. Vide ejuſdem *Remiſſiones in Tridentinum impreſſas Coloniæ* » *Anno* 1700. Et Zerolam *in praxi Epiſcopali p.2. v. Parochia, & p.1. v. Miſſa*, §.6. Idem diſertis verbis confirmat » *Clemens VIII.* Anno 1592. 22. Decembris Decreto ſuo, circa » hanc ipſam controverſiam Duaci excitatam, quo eam dirimit, his verbis: *Præſenti noſtro Decreto ſancimus, licere* » *Sæcularibus, Chriſtiæ Fidelibus univerſis, Miſſas diebus Dominicis & Feſtis aliis majoribus audire in Eccleſiis tam Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis JESU, juxta eorum privilegia, & antiquas conſuetudines, dummodò id in contemptum Parochialium Eccleſiarum non faciant: & tam dictis Patribus Prædicatoribus, ac Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis privilegiatis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio tempore confiteri licitè poſſe, &c.* Quòd ſi verò dicta privilegia, & alia ſimilia clariùs cognoſcere lubet, inſpiciatur, (ut alia taceam) Compendium Privilegiorum Societatis JESU, ubi præter *Leonis X.* clara ſunt verba *Pauli III. in Extrav.* data anno 1549. Kalendis Novembris, quæ incipit: *Licèt debitum*, quà *omnibus Chriſti Fidelibus, cujuſcumque conditionis, qui verbi Dei prædicationibus, in templis ejuſdem Societatis interfuerint, concedit, ut ibidem Miſſas audire, & Sacramenta recipere, liberè & licitè valeant; neque ad id parochiales Eccleſias accedere teneantur*. Porrò ne quis miretur tam ampla privilegia Regularibus conceſſa à variis Pontificibus, placebit inſpicere eorum Bullas, in quibus reperiet motiva graviſſima: aut ſi nec inſpicere lubet, recogitet ſaltem, Deum ipſum *Innocentio III.* (dum vidit Eccleſiam Lateranenſem jam jam ruituram) oſtendiſſe eam ſuſtentari à *S. Dominico*, & à *S. Franciſco*. Conſideret; quòd ſicut olim in varias Orbis plagas, & in ipſam Germaniam, doctrina Chriſti translata eſt opera Regularium, ita ſine eorum ſubſidio conſervata diù non fuiſſet, vel ſaltem minùs floruiſſet. Et denique ne Regularibus ſuccenſeat quiſquam, quòd privilegia ſua tueantur, ſciendum eſt, quòd ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ iis renunciare, aut cedere non poſſint. » *Vid. l.2. Decret. tit.*43. *de arbitr. cap.*5. Imò etſi facerent, irritum fore, & peccaturos; quia injuriam inferrent Ordini, & Eccleſiæ toti. *Nunc ad argumenta Marchantii breviter reſpondeo.*

» I. Affert authoritatem cujuſdam P. Capucini, qui *Parochianum obedientem* ſcripſit. Et huic quidem me paulò ante » ſat multas graveſque authoritates oppoſuiſſe exiſtimo.

» II. Ait, quorumdam Epiſcoporum praxim eſſe contrariam, eamque fundari in Jure antiquo & novo Trid. *l.c. ſeſſ.* » 22. *& ſeſſ.*24. ubi dicit: *Teneri unumquemque Parochiæ* » *ſuæ intereſſe, ad audiendum verbum Dei, & rudimenta Fidei*: Hæc autem in pleriſque locis ruralibus docentur » in Miſſa; ergo etiam ad Miſſam poſſunt compelli.

» Reſp. I. Praxin iſtam (ſicuti eſt) paucorum eſſe, & » contrariam praxi communi Epiſcoporum, in omnibus Regnis & Provinciis, & inſuper Præſulis ſummi.

» II. Praxin iſtam nec fundari in Jure antiquo, cum illi (ſi » quod fuit) per privilegia ſit derogatum & abrogaverit conſuetudo; nec in novo, tum quia Trid. *loc.cit.* loquendo de » concionibus & Catecheſi, nullam facit mentionem Miſſæ: & in pœnalibus non valet illatio. Tum quia *Tridentinum* » expreſsè addit, (quod *Marchantius* in ſua citatione » omittit, cùm tamen ad rem plurimùm faciat) *ſi commodè fieri poteſt*. Tum quia nec illam quidem obligationem, quoad conciones, eſse receptam, oſtendit univerſalis Eccleſiæ conſuetudo, eò quòd fortè regulariter *commodè fieri non poterat*, ut » notat Card. Lug. *l.c.* Neque Catecheſis communiter docetur » in Miſſa, niſi fortè in pagis, ubi rariùs contendunt Regulares cum Parochis de re præſenti. Denique neſcio, an non » Epiſcopi, de quibus loquitur, ex numero fortè ſint eorum, » de quibus *S. Pius V.* in Bulla: *Etſi Mendicantium*, queritur, quòd etſi Epiſcopi Ordines mendicantes meritò colere, & adjuvare deberent, non ſolùm id negligant; verùm » etiam *Concilii Tridentini* verbis in pravum ſenſum detortis, » eos incommodis & perturbationibus afficiant.

III. Citat Decreta Synodi Leodienſis, & Namurcenſis, » ſubjungitque: *Quis verò audeat hæc condemnare, & Patres iſtius Synodi, inter quos multi Theologi fuerunt?*

Reſp. Decreta iſta (& ſi quæ fortè ſunt ſimilia) intelligenda » eſse, ne cum contemptu proprii Parochi audiant Sacrum » extra Parochiam: aut ſi quæ ſenſum alium habent, non eſse » recepta, vel eſse uſu abrogata. Ita AA. *citati communiter*. » Videri poteſt Card. Lugo *loc.cit.* Barboſa & Zerola *ll. cc.* & digniſſimus lectu libellus Franciſci Pontani, Concionatoris » Regii, cujus titulus *Reſponſa ad quæſita cujuſdam primarii* » *Prælati, &c.* excuſus primùm gallicè Nancæi, anno 1625. » poſteà verò latinitate donatus, & recuſus Viennæ Auſtriæ, » typis Michaelis Rictii, Anno 1634. Mitto rationes cæteras, » quibus frequentationem Parochiæ (ſine obligatione tamen) » perſuadere conatur; cùm eam, utpotè honeſtam in primis » atque decentem, minimè improbare, ſed erroneam tantùm » conſcientiam impedire contendam; ne videlicèt cum perſuaſione obligationis Parochialis, vel cum apprehenſione » peccati, Regularium templa frequententur.

Eandem quæſtionem pluribus tractant Archidekin *p.3. t.1.* 673
*De opin. prob. q.*22. *&* 23. Nicolaus du-Bois in motivo Juris; (libellus verò ille additus eſt ad Tract. ejuſdem Authoris ſuper propoſ.45. ab Alexandro VII. damnatas) Leuren. *p.1. q.*438. qui videri poſſunt.

DUBIUM V.

Quæ excuſent de auditione Sacri?

REſp. Duæ ſunt cauſæ, quarum altera, ſi adſit, non te- » 674
neris curare celebrari privatim in portatili cum privi- »
legio, neque (etſi id conſilii) preces interim alias loco Miſ- »
ſæ dicere, ut habet Nav. *c.*13. Suar. Fill. *t.5. c.7. q.*11. »

Prima cauſa eſt *impotentia*, vel ſimpliciter, vel moralis, aut » difficultas ex notabili incommodo, proprio vel proximi, corporis, vel bonorum, vel etiam honoris; quia hæc eſt mens » Eccleſiæ præcipientis inſtar diſcretæ & benevolæ Matris. » Bonac. *t.1. d.4. q.ult. p.ult.* Nav. Fill. *l.c.* Suar. *d.*85. »

Secunda cauſa eſt *quodcumque motivum rationabile*, quo » quis bona fide putat ſe excuſari. *V.* Suar. *in 3. p. ſect.6. cap.*5. » Laym. & Bon. *l.c. Unde reſolves:* »

I. Excuſantur qui ſunt in navigatione vel in carcere: Item » in morbo, vel convaleſcentia, in qua obſit prodere foras: » Item qui ſunt in excommunicatione, vel interdicto; de quo » ſuo loco. »

II. Item, qui cuſtodiunt caſtra, urbem, gregem, infantes, » (vel puerum, qui in templo quietus & ſine perturbatione » aliorum contineri non poteſt) vel domum, aut ægris ſolatio » ſunt, aut coquere debent, & ſimilia curare, quæ omitti non » poſſunt. Bon. Con. *n.86. &* 314. »

III. Item, cui periculum eſt gravis offenſionis Mariti, Pa- » rentum, vel Dominorum. Henr. Suar. Fill. *n.*227. Si tamen » id ferè ſemper fieret, de alio medio laborandum eſset. »

IV. Item, ſi quis alioquin omiſsurus eſset occaſionem » commodam itineris, v.g. ſocios, cùm viam ignoret, vel pe- » ricula metuat: aliàs verò tenetur ad Miſſam ante iter, vel in » itinere. Suar. Rodriq. Bon. *l.c.* »

V. Si ſit gravis difficultas eundi ad Eccleſiam ob diſtan- » tiam, v.g. unius vel alterius milliaris Germanici, vel etiam » minoris ſpatii; maximè ſi via ſit moleſta, cœlum pluvium: » uti habenda eſt ratio perſonarum, loci, temporis, & conſuetudinis. Bon. Suar. Fill. *n.*226. March. *Reſol. Paſt. t.4. c.6. n.7.* »

VI. Si ex conſuetudine Patriæ fœminæ egredi non ſo- » leant tempore luctus, vel etiam poſt partum, Sylv. Caj. Fill. » *num.*229. »

VII. Si quis non habeat veſtes ſtatui ſuo convenientes. » Navar. Henriq. Sà, Az. Bon. *l.c.* »

VIII. Si quæ ex occulta fornicatione prægnans metuat, » ne id advertatur, ſi prodeat, Laym. *l.4. c.4. n.3.* »

IX. Si quæ ſciret alteri, à quo perditè amaretur, ſecutu- » ram occaſionem peccati, ſi prodiret. Sà, Fill. *n.*227. »

ADDENDA.

QUæſt.159. *Quæ ſit regula generalis ad dignoſcendum* 675
ſine aliquis ab audienda Miſſa excuſatus necne? R. Hanc dant Suar. Azor. Tann. Fill. Caſtrop. Dicaſt. Maſtr. Reiffenſt. & alii cum Gob. *t.5. n.*441. *&* 467. Illa omnis & ſola

cau-

cauſa excuſat, quæ eſt mediocriter gravis, ſive quæ involvit notabilem & ſaltem mediocrem incommoditatem in bonis animi, corporis, honoris aut fortunarum, propriis, vel proximi, uti pluribus exponitur in Vind.Gob.*p.2. prop.5.*

676 §.1. Si quis habeat privilegium in Oratorio domus ſuæ Miſſam audiendi, non tenetur quidem ſibi Miſſam dato ſtipendio procurare, uti habet communis cum Dian.*p.9.t.1. R.19.*Tamb. *l.4.c.2.§.2.n.4.* contra aliquos apud Fagund.*in 1. præcept.Eccl. l.2.c.9.n.9.* ſi tamen Miſſa nihilominus legatur, aut ſi gratis haberi poſſit, tenetur ibi audire, ſi alibi non poſſit, ita Lugo & alii communiùs cum Tamb.& Gob. *n.352.* contra Suar.Merol. Homob.Eſcob.Pelliz.Delb.*de Immun.Eccl.t.3.d.2. ſect.2. n.8.* & Dian. *ſupr.* Ratio eſt, quia talis tenetur audire, & ſine incommoditate mediocriter gravi audire poteſt, ergo. *Si dicas* : Nemo tenetur uti ſuo privilegio: *Reſp.* Non tenetur vi ipſius privilegii, *Tranſeat*, vi alterius præcepti poſtulantis actum, qui poni poteſt per privilegium, N.Dixi, *Tranſeat*, quia Clericus per privilegium habet, ut conveniri non poſſit coram Judice laico, vi cujus privilegii tenetur non comparere, ſi citetur; ſimiliter ſi per privilegium ſis exemptus à Decimis,& incidas in caſum, ut ſi ſolveres Decimas, non poſſes ſolvere debita juſtitiæ, teneris uti privilegio non ſolvendi Decimas, ut debita juſtitiæ ſolvas. Et quod dictum eſt de Miſſa in privato Oratorio, intellige de Miſſa tempore Interdicti, ſi quis privilegium habeat tum audiendi, uti fatetur Dian. *ſupr.* contra Avil.Con.& alios apud Paſq.*q.1346.*

677 §.2. Fœminæ, quæ non ſolent ad Eccleſias ire niſi famulis comitantibns, tenentur hos modico ſtipendio conducere, ut Miſſam adeant, quia quiſque tenetur ad impletionem præcepti adhibere media facilia, etiamſi non ſint ita ordinaria, ſi ex ſola ipſius voluntate ſint requiſita, ita cum aliis Fagund.*ſup.*

678 §.3. Quando infirmitas impedit egredi domo ad negotia magni momenti, etiam excuſat à Miſſa, Suar. Caſtrop. imò Sanch.Dicaſt.Gob.*n.470.*dicunt, etſi ad negotia alia, ad quæ afficeris, exire poſſes, te non ideò ſtatim teneri adire Miſſam, ſi hanc adiens cum repugnantia naturæ alterari poſſes, & pati non leve incommodum.

679 §.4. An in hoc vel illo caſu, v.g.ratione valetudinis, ſit mediocriter grave incommodum necne, Suar. & Regin. dicunt ſtandum eſſe judicio viri prudentis; Silv.& Tann. dicunt ſtandum judicio Medici aut boni viri; Henr.judicio Medici aut Superioris aut Parochi; Sanch.Bonac.& Dicaſt.judicio vel Medici vel Superioris vel Parochi, vel etiam proprio, ſi æger ipſe ſit ita prudens, ut poſſit per ſe ferre judicium, & conſentit Gob. *n.474.*addens ſtari poſſe judicio Medici, etiam acatholici, niſi peculiaris ſit ratio judicandi eum hìc non reſpondere fideliter: Si verò omnibus his & tibi ipſi adhuc permaneat dubium, Suar. dicit petendam eſſe diſpenſationem, Bonac.Caſtrop.& Gob.*n.* 479. negant id opus eſſe, quia eſt contra praxin univerſalem. *Nec obſtat*, quòd præceptum videatur eſſe in poſſeſſione contra excuſationem dubiam, *nam* dicunt tum tantùm obligare ratione poſſeſſionis, quando ex obſervatione illius non aditur periculum damni notabilis, ſi enim adeatur tale periculum, non eſt paritas inter præceptum & illum, qui præcepto obligatur. Regula autem Juris tantùm dicit in pari cauſa vel delicto meliorem eſſe conditionem poſſidentis, & ita illam explicat Lugo *in Reſp.mor.l.1.d.4.n.3.*hinc Gob.*n.463.*univerſaliter ſic dicit, quoties dubitas, an habeas cauſam ſufficienter excuſantem necne, & non habes, quem interroges, ſi ſimul dubites, an auditio Miſſæ, non ſit tibi allatura grave incommodum, judica, quòd Eccleſia, benigna Mater, non obliget ad exponendum te periculo gravis incommodi; imò Dicaſt.dicit talem dubitantem non debere egredi domo, quia tenetur ſibi proſpicere in re gravi: Addunt Præp.Caſp.Paſq.*q.1327.*eum ſufficienter excuſari, qui exeundo poſſet retardare ſanitatem, rectè tamen monet Gob. *n.479.* has ſimileſque ſententias non eſſe cuivis proponendas, quia nimium proni ſumus ad credendum aliquid multùm obfuturum, quod tamen minimè oberit, præſertim quando agitur de re, quam illubenter facimus.

680 §.5. Si Cajus æger nolit à ſe dimittere Titium, quamvis ipſi ab alio, qui Miſſam audiviſſet, æquè benè deſerviri poſſet, peccat Cajus, niſi fortè apprehenderet eam Titii aſſiſtentiam ſibi eſſe neceſſariam aut multùm proficuam, Titius tamen poterit ex Miſſa emanere, ſi aliàs in Cajo oriretur gravis turbatio, triſtitia & indignatio, tum enim excuſat grave incommodum proximi. Ita Paſq.*q.1328.*

681 §.6. Multi negant propter lucrum notabile poſſe omitti Miſſam, affirmant tamen Az Baſs.Jord.Tamb. *num.7.* Gob. *anum.492.* qui etiam putat, ſi ſis tenuis fortunæ, te excuſari ob lucrum duorum ducatorum; ſi ſis verè pauper, unius ducati, quia hoc lucrum reſpectu illorum eſt notabile, quo non cenſetur Eccleſia velle eos privari.

682 §.7. Si Miſſam negligas, ut iter agas cum aliquo, qui faciet expenſas itineris, aut multùm ſublevabit, excuſant te Suar. Dicaſt.& alii cum Gob.*num.496.*Imò (ſecundùm aliquos) ſola derelictio ſociorum itineris videtur eſſe cauſa ſufficienter excuſans, quod alii cum Paſq. *q.1339.* limitant ad iter longum & ſolitarium; conſentiunt Henriq.Tamb.Gob.Illf.*t.5. num.164.* ſi ſocius levaturus eſt tædium longæ viæ, nam tale diuturnum tædium ferre, videtur eſſe grave incommodum, & ferè conjunctum habet timorem vel periculum gravis incommodi, uti fatetur Paſq.

§.8. Communior ſententia tenet cum Paſq.*q.1342.* quòd 683 major utilitas ſpiritualis non excuſet, niſi ſit conjuncta cum neceſſitate, quia præcepta habent vim obligandi, major autem utilitas pendet à libera electione noſtra, atqui omittere aliquod præceptum ex libera electione eſt violare præceptum, ergo. Admittit tamen Illf.conſtitutum in peccato mortali poſſe Confeſſionem præponere Miſſæ, ſi hanc vel illam deberet omittere, quod intellige, ſi aliquamdiù in ſtatu peccati mortalis eſſet alioqui permanſurus.

§.9. Aurigæ, qui per conſuetudinem habent jus vehendi 684 aliqua die feſto, etiam habent jus omittendi Miſſam, ſi hac audita vehere non poſſint, quia quando aliquid conceditur, conceduntur omnia neceſſaria ad illud, Dicaſt. & Gob. *n.9.* ideòque etiam Suar.cum Gob. *num.500.* dicit molitorem excuſari à Miſſa, qui excuſatur in labore ſervili, ſi audita Miſſa non poſſet exercere laborem ſibi licitum, ex quo omiſſo ſequeretur mediocriter gravis jactura: Addunt aliqui, etſi tu poſſes vecturam omittere ſine notabili damno, tamen pleroſque non poſſe, & ideo te poſſe cum illis uti privilegio conſuetudinis: præterea ſi alter jus habet curandi, uti vehantur ſua, tu habes poteſtatem vehendi, quia vehi & vehere ſunt correlativa, regula autem correlativorum eſt regula partium, inquit ex jure Gob.*n.10.*

§.10. Famuli, qui ut miniſtrent Dominis ſuis, omittunt 685 Miſſam, tum excuſantur, ſi miniſterium illud ſecundùm communem æſtimationem, & vivendi modum ſit neceſſarium, & non permittat audiri Miſſam, uti ſunt; educere greges, domum cuſtodire &c. neque tum peccant Domini, ſi ſic impediant, quia eſt moralis neceſſitas miniſterii cum Miſſa incompoſſibilis: quòd ſi talia ſint miniſteria, quæ præveniri poſſint, non tenentur famuli extraordinariam adhibere diligentiam v. g. notabiliter decurtare ſomnum, ut ſic Miſſam audiant, ſi tamen miniſterium non ſit neceſſarium, Domini mandantes omitti Miſſam peccant, famuli verò excuſantur ſaltem pro aliquot vicibus, ſi ſine gravi incommodo detrectare non poſſint; ſi autem tale impedimentum non ordinarium neque per ſe neceſſarium foret continuum, tenerentur deſerere talem Dominum, uti dictum eſt *l.2. à n.103.* Denique ſi famuli cum mediocri vigilia ſeu moleſtia prævenire poſſent tale impedimentum, tenerentur. Caſtrop.*t.22.p.ult.n.6.*

§.11. Si vir vel uxor debeat cuſtodire domum & ſic Miſſam 686 omittere, quamvis vir ſit caput mulieris, adeòque poſſit jubere hanc manere domi, tamen cùm etiam ſit ſocia & conſors, non poteſt jubere manere ſemper, ſed tenetur aliquando permittere acceſſum ad Miſſam, ipſe manens domi, vel ponens alium domus cuſtodem: Si autem famulum aut famulam habeant, poterunt jubere hanc ſemper manere domi, non peccant tamen, ſi quandoque permittant adire Miſſam, & illorum unus domi maneat, quia tanta utilitas famuli excuſat: quòd ſi ipſorum unus ex pigritia maneret, foret veniale, Steph. cum Gob.*n.494.*

§.12. Communiter non excuſat diſtantia mille paſſuum; 687 nobiles tamen & teneras fœminas non obligat Dicaſt. ad mille quingentos paſſus, ad quos obligat fœminas mediæ ſortis; ruſticas verò ſimiles viris etiam ad longius ſpatium; Si autem pluat aut ningat, ſpatium proportionatè minus excuſat ſingulos; & univerſaliter loquendo de hominibus mediocriter valentibus, abſtrahendo à malignitate tempeſtatis, ſecundùm Suar.Fag.Fill.Dian.*p.10. t.15. R.35.* Gob. *num.486.* videtur excuſare diſtantia ter mille paſſuum, id eſt, unius bonæ horæ apud nos ſeu fermè quinque quadrantium. Et licèt Superiores in Germania punirent illos, quos ſcirent ferè ſemper abeſſe ob diſtantiam ſeſqui-horæ, neque excuſarent emanentes ſemper ob diſtantiam duarum horarum, tamen prudens Confeſſarius, inquit Gob. *num.487.* non movebit ſcrupulum, niſi tales crebrò maneant domi. Quòd ſi quis hora diſtet & ſit pluvia vel auræ intemperies, Gob.*num.488.* eum excuſat: imò Burgh. *cent.3.caſ.1.* ait univerſaliter ſufficere unius horæ diſtantiam, ut Miſſa ſubinde omittatur intrà annum, ſed videtur debere alia cauſa accedere, v.g. debilitas, pluvia aut ſimilis incommoditas.

§.13. Ex rationabili cauſa, v.g.in pœnam juſtam delicti po- 688 teſt pater filio negare veſtes, vel Dominus ſervo prohibere egreſſum, detinendo domi velut clauſos, licèt per accidens non ſint audituri Miſſam, ita Fagund.Tamb.*n.4.*

§.14.Timens, ne propter delictum comprehendatur, ſi foras 689 prodeat, poteſt manere domi, Henr.Dicaſt.Gob. *n.501.*

§.15. Non ſtatim condemnandi ſunt mortalis adoleſcen- 690

tes vel puellæ emanentes è Miſſa, quando pro eorum Matrimoniis fiunt proclamationes, niſi aliam Miſſam aut in alio templo audire poſſint, nam ſi adſint, aſpiciuntur, ridentur, verecundantur, & conſuetudo tum emanendi, ſi alicubi ſit, eos excuſat, J.March. *in Candelabr. Reſ. Caſ. c. 6. q. 1.*

691 §. 16. Nè Papa quidem poteſt abſolutè, & totaliter diſpenſare cum aliquo ſuper obligatione audiendi Miſſam, ſaltem quoad illam partem, in qua eſſentia Sacrificii conſiſtit, quia colere Deum per Sacrificium ſpectat ad jus naturale, & in Lege nova ſpectat per ſe ad Jus poſitivum divinum, in neutro autem etiam poteſt diſpenſare Papa, nec poteſt eſſe cauſa deobligandi abſolutè & totaliter eum, qui eſt & manet potens, Paſq. *q.* 1324. docentque March. & Spor. *t. 3. c. 4. n. 36.* excuſatos à Miſſa die Dominico teneri ſub mortali Deum colere aliquo ſpeciali cultu ſaltem interno, quia præceptum divinum eſt, ut in Sabbato, quod apud nos eſt Dominica, Deus ſpecialiter colatur. Hoc vult S. Auguſt. *Serm. 251. de Temp. Obſervemus diem Dominicum & ſanctificemus illum .:.:., Qui verò hoc non poteſt, ſaltem in domo ſua oret & non negligat Deo ſolvere votum, & reddere penſum ſervitutis ſuæ*; ſatis tamen erit abſtinere à ſervilibus ea intentione, ut colatur Deus, qui in Sabbato quievit: nec obligatio illius intentionis eſt in Feſtis purè ab Eccleſia inſtitutis.

CAPUT II.

De quarto præcepto,

Honora Patrem, &c.

DUBIUM I.

Ad quid teneantur liberi erga Parentes?

692 „ RESP. Tenentur vi hujus præcepti, tum genitoribus, „ tum Superioribus, in iis rebus, in quibus quiſque „ & quamdiu ſubjectus iis eſt, amorem, reverentiam, & obe„ dientiam præſtare; ita ut ſi notabilis horum defectus ſit in „ re gravi, graviter peccetur: quod facilius fiet reſpectu Pa„ rentum, quàm aliorum. Ita communiter. V. Fill. *t. 28. p. 2. „ c. 1.* Regin. *l. 2. c. 1. Unde reſolves,*

„ I. *Contra amorem* graviter peccat filius, 1. Si ſigna odii „ parentibus oſtendat, & aſperè tractet. 2. Si torvo oculo ferè „ ſemper eos intueatur, ac ita aſperè loquatur ac ſi odio habe„ ret. 3. Si non ſubveniat in gravi neceſſitate ſpirituali, vel „ corporali. 4. Si non impleat eorum teſtamenta & legata, „ modò hæres ſit. 5. Si grave malum, v.g. mortem optet. „ Navar. Regin. *l. 20. n.* 8. Fill. *q. 3. & 7.*

„ II. *Contra reverentiam* graviter peccat filius, 1. Si per„ cutiat etiam leviter; & ſecundùm *Regin.* 2. Si manum ad per„ cutiendum deliberatè attollat. 3. Si graviter contriſtet. Reg. „ *n.* 24. Fill. *n.* 17. & 18. 4. Si animo deliberato ad gravem iram „ provocet verbis contumelioſis, vel talibus, quibus ſciat gra„ viter offendendos. 5. Si maledicta, convitia, &c. in eos „ conjiciat. Nav. Fill. &c. *6.* Si pauperes deſpiciat, vel nolit „ agnoſcere. Quòd ſi tamen exteriùs tantùm diſſimulet ſe „ noſſe & nolit apud ſe habere, ex juſta cauſa, dummodò pro„ videat de neceſſariis, Bon. *t. 2. d. 6. p. 2.* excuſat à peccato gra„ vi, eò quòd rationabiliter non ſint inviti. 7. Si in foro ex„ terno, etiam de vero crimine accuſet; extra crimen hære„ ſis, proditionis, vel conjurationis in Principem, cùm non „ eſt alius corrigendi modus. V. Bonac.

„ III. *Contra obedientiam* graviter peccat, 1. Si in re gravi „ ſit inobediens circa ea, quæ pertinent ad gubernationem do„ mus, ad bonos mores, vel ad animæ ſalutem. Fill. *n.* 20. 2. Si „ contra voluntatem Parentis ducat uxorem ſe indignam. In„ digna autem dicitur, cum qua non poteſt contrahere ſine de„ decore, juxta ſuæ regionis uſum; non tamen idcircò poteſt „ exhæredari. 3. Si ſine juſta cauſa nolit eam ducere, quam vult „ Parens; maximè ſi inde ſopirentur odia, aut Parentum neceſ„ ſitas levaretur. Erit autem juſta cauſa, v.g. ſi ſit impar fami„ lia, ſi infirma, ſi deformis, ſi fatua, vel immorigera. 4. Si in„ conſultis Parentibus nubat, ut habet Sanch. Poteſt tamen, „ ubi conſuluit, ipſis invitis prudenter contrahere cum ſe di„ gna: cùm circa electionem ſtatus ſit ſui juris. Leſſ. *l. 2. c. 40. n.* „ 63. Sanch. *l. 4. c. 15.* Fill. *n.* 20. An & quomodo peccent liberi „ furando Parentibus, *vide infra l. 3. tr. 5. c. 1. dub. 4.* Item an „ alienare poſſint bona, *vide ibidem c. 3. d. 2. & c. 4. d. 5.*

„ IV. Tenetur proles alere Parentes egentes, adeo ut ſi in „ gravi neceſſitate aliter juvari non poſſint, teneatur manere in „ ſæculo (niſi tamen in hoc illi certum, vel certè valdè proba„ bile periculum ſalutis immineret) & ſi Religionem ſit ingreſ„ ſus, teneatur egredi, & juvare Parentes: dummodò eorum „ neceſſitas eorum profeſſionem anteceſſerit. Fill. *n.* 9. Bon. *p.* 5.

„ V. Si verò neceſſitas poſt profeſſionem ſuperveniat, ſi ea extrema ſit, tenetur egredi petita priùs, licèt non obtenta ve- „
nia. Si autem ſit gravis tantùm, in qua utcumque poſſint vi- „
vere, non tenetur quidem, poteſt tamen egredi, ſi Prælatus „
permittat. Quo caſu tenetur, in quantum non obſtat ſuo in- „
tento, deferre habitum, & obſervare ſubſtantialia Religio- „
nis: at poſtquam Parentibus ſubventum eſt, redire. V. Leſſ. „
l. 2. c. 41. dub. 3. n. 34. Et vide infrà tr. 5. c. 1. dub. 1. Reſol. 6. „

ADDENDA.

693 *Quæſt. 160. An liceat filio optare vel gaudere de morte patris propter commodum ſibi inde proveniens?* R. Negativè, hinc ab *Innoc. XI.* damnatæ ſunt ſequentes propoſ. 14. *Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirum ipſi obventura eſt pinguis hæreditas.* 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Circa has damnationes dicenda ſunt omnia illa, quæ habentur *lib. 2. à n.* 183. Si enim non ſit licitum, nequidem inefficaciter optare damnum proximo, aut gaudere de ejus malo, quamvis ejus malum ſit conjunctum cum noſtro emolumento, multò minus id erit licitum filio reſpectu patris, cùm id ſpecialiter repugnet etiam pietati, quam patri debet filius, unde præter ibi dicta non eſt opus hic quidquam addere. Vide tamen Vind. Gob. *p. 2. ad prop. 8. & 9.*

694 *Q. 161. Quid addendum ſit circa obligationem filii jam in ſtatu religioſo profeſſi, ſi Parentes egeant?* R. Hoc reſolvetur *lib. IV. num.* 180.

DUBIUM II.

Ad quid teneantur Parentes erga filios?

PARENTES, quo nomine etiam intelliguntur aſcenden- „ 695
tes, v.g. Avus, Proavus, &c tenentur gravi obligatio- „
ne Juris naturalis, conſervationem & educationem libero- „
rum curare. Circa quod ex Bon. *t. 2. d. 6. q. un. p. 6.* Az. *p. 2 l. 2.* „
q. 17. Fill. *tr. 28. p. 2. c. 2. reſolvuntur hi Caſus:* „

I. Graviter peccant Parentes, qui ſine juſta cauſa prolem „
hoſpitali, vel locis publicis exponunt. V. Bon. hic & Fill. „
q. 1. & infrà tr. 5. c. 1. „

II. Mater tenetur (ſub veniali tamen) lactare proprio lacte; „
niſi habeat juſtam excuſationem; tunc verò tenetur ſub gra- „
vi peccato bonam nutricem quærere, Bon. & Laym. Item „
tenetur ſecundum Jura prolem alere ad finem anni tertii: „
poſtea educatio uſque ad emancipationem ſpectat ad pa- „
trem. *Excipe*, niſi hic eſſet pauper, & mater dives, Fill „
Laym. *l. 5. t. 10. p. 3. c. 5.* Regin. *l. 20. n. 32.* „

III. Pater tenetur proli, non tantùm legitimæ ſed etiam „
(in quo Jus civile à Canonico correctum, juxta *c. Cùm haberet de eo, qui duxit*) ſpuriæ curare alimenta, hoc eſt, ci- „
bum, potum, veſtitum, & honeſtas artes, juxta ſuum ſta- „
tum: niſi tamen aliunde de ſe alere poſſit, & non indigeat; „
deinde etiam dotem filiæ. Et quidem Clerici, etiam ex fru- „
ctibus Eccleſiaſticis, poſſunt hæc ſuis ſpuriis præſtare. Fill. „
n. 31. Laym. *l. c. V. infrà tr. 5. c. 4. d. 5. q. 2.* Hinc peccant, 1. Si non „
adhibeant diligentiam ſaltem mediocrem, ut acquirant bo- „
na, quibus filii alantur, habeantque hæreditatem ſecundùm „
ſuum ſtatum. 2. Si bona dilapidando impotentes ſe reddant „
ad liberos honeſtè ſecundùm ſtatum ſuum educandos, ac do- „
tandos. Bon. *l. c.* Az. Fill. *& c.* 3. Si ſine legitima cauſa filiæ do- „
tem negent; (vel filium exhæredent) v.g. quia vult ingredi, „
vel eſt ingreſſa Religionem, vel quia ipſis invitis nupſit, licèt „
ſe indigno. Bon. §. 2. ex Az. Reg. *& c.* vel quia filius Ordinem „
ſacrum ſuſcepit: Sicut enim pater tenetur dotare ſuas proles „
pro Matrimonio vel ingreſſu Religionis, ita etiam ad ſuſci- „
piendos ſacros Ordines. Neque hæc donatio eſt revocabilis: „
imò ſic donata non poſſe computari in legitimam, aut divi- „
ſionem cum fratribus, docet Barb. *cap. 17.* Contrarium ta- „
men tenet Molin. *& c.* cum Dian. *p. 8. t. 6. R. 91. & 92.* „

IV. Parens tenetur proli ſubvenire relicta Religione, iiſ- „
dem caſibus, quibus proles Parenti; quos vide *ſuperiore* „
dubio caſ. 4. & 5. „

V. Parentes gravi obligatione tenentur inſtruere liberos „
per ſe vel per alios, in neceſſariis ad ſalutem. Hinc gravi- „
ter peccant, 1. Si quantùm in ipſis eſt, non curent, ut bo- „
nis moribus imbuantur, doctrinam Chriſtianam ſeu fidei „
rudimenta addiſcant, pravorum conſortia viten., manda- „
ta Dei & Eccleſiæ obſervent, Sacramenta frequentent, à „
peccatis abſtineant. Azor. Fill. Bon. 2. Si occaſiones pec- „
candi ab iis non avertant, vel in locis, aut domibus ſuſpe- „
ctis habitare permittant, Trull. *l. 4. c. 1. d. 3. num. 4.* 3. Si con- „
ſilio, vel exemplo malo depravent. 4. Si non objurgent, pu- „
niantque diſſolutos; moderatè tamen: nam peccant etiam „

„ verberando immoderatè, v.g. ut notabiliter lædantur. Sot.
„ Sylv. Bonac. *l.c. & d.3. De Contr. qu. ult. p.3.*
„ VI. Tenetur etiam proli relinquere libertatem circa ele-
„ ctionem ſtatus: Unde peccant, invitos ad Matrimonium,
„ vel Religionem cogendo, vel abſtrahendo. Et quidem Trid.
„ *ſeſſ.25. de Regul. c.26.* excommunicat cogentes ad Monaſte-
„ rium filias.
„ VII. Etſi frater fratri vel ſorori, ſaltem in extrema, vel
„ quaſi extrema neceſſitate teneatur ſubvenire, Lege tum cha-
„ ritatis, tum pietatis: non tamen eſt ea obligatio, quæ inter
„ Parentes & liberos; cùm non ſit iſta dependentia. V. Leſſ.
„ *l.2.c.41.n.34.* Unde ſi profeſſus eſt in Religione non tenetur
„ egredi, ut ſuccurrat. Trul. *l.2.c.2.dub.24.n.9.* ex Suar. &c.
„ *Quæres.* An filius aliquando poſſit à patre privari hære-
„ ditate?
„ Reſp. Poteſt ex juſta cauſa, aliàs non: eaque in teſtamen-
„ to debet exprimi. *Auct. Sed hodie, C. de inoffic. teſtam.* Ta-
„ lis autem cenſetur,
„ I. Ingratitudo (niſi in gratiam patris redierit, ipſumque
„ pœnituerit ante teſtamentum conditum) ut ſi affecit patrem
„ gravi injuria, vel ejus vitæ inſidiatus eſt, vel manus injecit,
„ vel maleficis ſe immiſcuit. Bonac. §.1. ex Con. Sanch. Azor.
„ Molina &c.
„ II. Si novercam, ſeu patris uxorem cognoverit carnali-
„ ter: Si parenti furioſo, vel carcere detento noluit ſuccur-
„ rere fidejubendo: Si impedierit patrem teſtari: Si bona Pa-
„ rentum dilapidaverit, cum gravi ipſorum diſpendio.
„ III. Si filia minor 25. annis luxurioſam vitam elegerit,
„ &c. Circa quas,
„ *Nota.* Valere has cauſas, quando filius aliunde habet,
„ unde vivat: nam alimentis ad vitam neceſſariis privari non
„ poteſt, cùm debeantur Jure naturæ, quod à Jure civili tolli
„ non poteſt. Bon. §.3. ex Sanch. Mol. Az. Regin. Fill. Trull.
„ *l.4.c.1.dub.3.n.15. & tom.2.l.7.cap.18.t.10.*

ADDENDA.

696 *Quæſt.162. Quid notandum ſit circa obligationem alendi vel aliter juvandi proles, aut proximè agnatos?* R. §.1. Apud aliquos AA. legitur patrem teneri curare, ut filii litteris operam dent, quod Gob. *in Quin.t.5.c.28.n.15.* ſic intelligit, Parentes teneri dare operam, ut filii imbuantur iis artibus, quibus ſecundùm ſtatum ſuum poſtmodùm honeſtè ſe poſſint alere, hinc infert *n.17.* Parentes nobiles aut Doctores, qui tenuioris ſunt fortunæ, obligari ad curandum, ut filii inſtruantur litteris, ut ſic poſtmodùm conformiter ſuo ſtatui vivere poſſint.

697 §.2. Mater primo triennio nihil tenetur dare præter lac, unde ſi proli alia neceſſaria ſubminiſtraverit ſine animo donandi, poteſt repetere à Patre, non tantum ſi proles ſit legitima, uti vult Laym. ſed etiam ſi ſit illegitima, Jura enim non diſtinguunt, ergo nec nos debemus diſtinguere. Quòd ſi mater ipſamet nequeat lac præbere proli, pater tenebitur ſuis impenſis nutricem conducere: Si autem poſſit ipſamet, tenetur præbere vel ſuis impenſis nutricem conducere, Azor. Bonac. Gob. *num.19.*

698 §.3. Filii etiam ſpurii alendi ſunt ab hæredibus Parentum, uti habetur in Jure apud Gob. *num.31.* aut à Fiſco, ſi bona patris ei ſint addicta ob crimen diſtinctum ab hæreſi vel à læſa Majeſtate.

699 §.4. Uxor filii eſt alenda à patre mariti, ſi filius eam alere non poſſit, nec alius velit, quia filiis, ſi uxores habent, incumbit alere uxores, pater autem in defectu ſupplere debet vices filii, Sanch. & Gob. *n.32.*

700 §.5. Frater, ſi dives eſt, ſecundùm Gob. *n.33.* tenetur fratrem etiam illegitimum alere, ſecundùm Jus, *L. Mariti, ff. de Jure dotium*, teſtaturque Bonac. *de leg.d.6.p.6.§.1.n.2.* ſæpius ita deciſum in Rota Romana.

701 §.6. Si pater in filium ſtudioſum majores fecit impenſas ſine animo donandi, poteſt eas detrahere de parte ejus legitima, quia ad eas non tenebatur: Si tamen ante mortem non ſtatuerit; ut illi filio ſubtrahantur, cenſetur condonaſſe, uti reipſa condonare potuit, neque poſſunt fratres illi fratri ideo aliquid detrahere, ita cum aliis communiter Az. & Gob. *n.36.*

702 §.7. Si pater nequeat alere proles, tenetur mater, priùs tamen tenetur Avus paternus, uti habent Laym. & alii apud Gob. *in Exp.t.10. n.782.* quamvis addat uſum præſenti um temporum eſſe contrarium.

703 §.8. Parum probabilis videtur eſſe opinio quorundam Juriſtarum apud Gob. *ſuprà in Quin. n.39.* qui dicunt filios ſpirituales eſſe alendos à patribus ſpiritualibus, v.g. à patrinis ſuis, ſi Parentes naturales deſint, nulla enim Lex vel conſuetudo hoc habet.

704 *Q.163. Si dubitetur, quis è duobus ſit pater, à quo proles ſit alenda?* R. Caſus tum habet locum, ſi duo eandem mulierem cognoverint, ita ut ipſamet neſciat, aut probare non poſſit, an ex hoc an ex illo conceperit; in hoc caſu AA. communiter apud Lug. *de Juſt.d.13.n.19.* & cum Bardi *de conſc. d.6.cap.9.§.21.num.2.* dicunt partialiter teneri alere, quia ſaltem unus tenetur, & æquale eſt de utroque dubium, ergo debent æqualiter ſuſtinere onus, non aliter ac ſi duo ſagittam conjecerint in bovem alterius, & neſciatur, utra ſagitta ſit confixus, uterque tenetur contribuere, uti argumentatur Molina; aut uti ſi quis dederit conſilium furti, inquit Bardi, & ſecutum ſit furtum, tenetur ad damnum, quamvis dubitet, an furtum ex ſuo conſilio ſit ſecutum, quia ob furtum ſecutum, cujus dedit cauſam, præſumi debet ex illa cauſa eſſe ſecutum, niſi probetur contrarium, uterque enim poſuit cauſam generationis. Addunt Salas, Caſtrop. Oviedo & Diana, ſi unus eorum ſit ditior vel nobilior, debere plus contribuere, quia obligatus fuiſſet proli ſuæ dare meliora alimenta: quòd ſi unus illorum non poſſit vel nolit, Azor. Villal. & Bonac. *De uſu Matrim.q.4.p.15.* dicunt alterum teneri ex integro, quia probari poteſt alterutrum eſſe patrem, quod autem determinatè dici non poſſit, an ſit hic vel ille, oritur ex malitia & peccato ipſorum, ex quo non debent referre lucrum: Contradicunt plurimi alii apud Gob. *in Quin.t.5.cap.28. num.41.* quia videtur eſſe iniquum, ut ex dubio fundamento oriatur certa obligatio: fundamentum autem iſtius obligationis eſt paternitas, quæ reſpectu utriuſque eſt dubia: Salas & Vaſq. dicunt, ſi filius reſpectu unius eſſet ſpurius, id eſt, natus à tali patre, cum quo mater, tum non potuiſſet inire Matrimonium, & reſpectu alterius naturalis tantùm, præſumi debere eſſe tantùm naturalem, adeòque ab eo ſolo patre debere ali, cum quo mater tum potuiſſet inire Matrimonium, quia in dubio debet præſumi in favorem prolis, ſed contradicit Lug. *num.21.* nam ſi ideo deberet judicari eſſe naturalis tantùm, quia ſic poſtulat favor prolis, ergo ſemper debebit judicari, quod natus ſit è ditiore vel nobiliore, hoc enim etiam eſt favorabilius proli; itaque neutrum determinatè debet judicari; ideoque etiam talis proles nec excludi debet ab iis favoribus, à quibus excluditur ſpurius, neque tamen etiam admitti poteſt ad illos, ad quos admittuntur illi, qui probare debent ſe non eſſe ſpurios: hinc contendit Lugo, quem cum aliis ſequitur Gob. *à nu.42.* neutrum teneri aliquid dare ad alendam talem prolem, uti talis proles à neutro poſſet aliquid occultè rapere, ideòque debere illi provideri à matre, non aliter ac ſi planè neſciret, quis eam cognoviſſet. Rationem dant, quia ſinguli ſunt in poſſeſſione contra prolem exigentem alimenta, & cùm ipſi ſint Rei, proles autem ſit Actor, huic incumbit probatio, quòd ille ſit Pater, à quo aliquid ideo exigit, quia dicitur eſſe Pater: quod poſt Leſſ. & Fill. admittit ipſemet Bonac. ſi proles ex matre adultera ſit genita, *in hoc enim caſu dicit adulterum ad nihil teneri: quia pro ipſo eſt poſſeſſio libertatis & pecuniæ ſuæ;* quod confir. Nam ſola malitia matris videtur eſſe cauſa illius dubii: viri enim, qui cum ea copulam habuerunt, non ſciverunt eſſe cognoſcendam à pluribus, & ipſa per ſuam malitiam admiſit coitum plurium, ergo ipſa potiùs eſt obliganda ad alendam prolem. Hæc ſententia eſt probabilis, quamvis contradicat iterum Rebel. obligans etiam adulterum ad expenſas pro alimentis faciendas ſecundùm quantitatem dubii, de quo plura videri poſſunt apud Gob. *à num.47.* Sententia Bon. etiam videtur probabilis, ideoque argumenta Lugonis ſolvit Bardi *à num.4.* admittit tamen Bonac. apud Gob. *num.49.* ſi unus aut uterque haberet rationem poſitivam & probabilem de eo, quòd non eſſet pater, etiam non teneri alere, quia poſſet ſe ſuæ opinioni probabili accommodare: quænam autem poſſint eſſe rationes probabiles, exponit Gob. *Sect.4.* & de his omnibus iterum agit in *Experientiis T.10. à num.19.*

Quomodo peccent Parentes, qui cogunt proles ſua ad Monaſteria, vel impediunt, ne ingrediantur, dicetur *lib.4. à n.43.*

DUBIUM III.

Ad quid teneantur Tutores, & Curatores, qui Parentum ſunt loco?

TUTOR (idem eſt de Curatore) tenetur curam gere- „ 705
re Pupilli, ejuſque bona ritè & fideliter adminiſtrare. „
Ratio, quia in hunc finem conſtituitur & aſſignatur pupillo „
Patris loco. Quare ſi delinquat, vel notabiliter ſit negligens „
hac in re, peccat graviter, & ad compenſationem damni, „
quod pupillus ex eo accepit, obligatur, (& ſaltem de dolo „
& culpa lata) imò etiam, ſi Tutoris officium exercet pretio, „
(quod tamen ſi ab initio non eſt conſtitutum, cenſetur ſu- „
ſcepiſſe gratis) tenetur etiam de levi culpa, Bon. *t.2. de Contr.* „
d.3.q.19.p.4. Unde reſolves: „
I. Tutor tenetur tueri perſonam pupilli, dum opus eſt, „
eumque bonis moribus imbuere, & benè educare per ſe, vel „
per alios. Bon. *l.c.* „

II. Tenetur bona pupilli fideliter administrare, ideòque (officium tutoris suscipiens) inventarium conficere; alioqui damna ex ejus defectu secuta resarcire: nec licet illi pupillo pecuniæ nimium, ad usus inutiles concedere.

III. Tutor (uti & Curator) tenetur conservare omnia jura, bona, & actiones, pupilli, (vel Minoris,) & bona aliàs peritura vendere, pecuniamque convertere in emptionem bonorum stabilium, vel in censum, &c. prout fuerit utilius. Ibidem ex Rebel. *p.2.l.17.q.1.*

IV. Si Tutor vel Curator pecuniam pupilli convertit in suos usus, tenetur ad restitutionem totius lucri cessantis, vel damni emergentis, quod inde accepit pupillus vel minor *l.c.* Rebel. *q.17.*

V. Tenetur item ad restituendos fructus (deductis expensis) quos ex bonis pupilli percipere poterat, & sua culpa non percepit. Sylv. *v. Tutor.* §.4. Rebel. *l.c.*

VI. Tenetur nomina debitorum exigere, & debita pupilli persolvere, ita tamen, ut quantum fieri potest, bono pupilli consulat, Sylv. Rebell. *ll.cc.* Tabien. *ibid.*

VII. Tutor vel Curator non potest donationes vel remissiones gratiosas facere de bonis pupilli: quia non ad destruendum, sed tuendum est constitutus. *Ibidem.* Excipe donationem remuneratoriam; sic enim potest v.g. stipendio debito pro liberali servitio aliquid addere, ex liberali donatione. Mol. Lug. *d.23 sect.*10. Sanch. Trull. *l.7.c.28. d.3.n.6.* V. Dian. *p.8.t.6.R.17.*

VIII. Denique tenetur (officio finito) reddere rationes: quia hoc onus est commune eorum, qui bona aliena administrant. V. Bonac. *l.c.* Et infrà hoc libro *tr.4.c.4. dub.* 1. *Resol.9.*

DUBIUM IV.

Quæ obligatio Dominorum & famulorum, aliorumque Superiorum & inferiorum erga se invicem?

706 Resp. I. Domini & Superiores tenentur habere curam famulorum, aliorumque suorum subditorum. Patet ex 1. Timoth. 5. v. 8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Et ratio est, quia sunt ipsorum caput, & vices Parentum gerunt: ideoque tenentur quodammodo ad eadem, ad quæ Parentes. In primis verò curare tenentur, quantùm in ipsis est, ut servent præcepta Dei, & Ecclesiæ. Bonac. *tom.2.d.6.q.un.p.8. Unde resolves:*

I. Peccant Domini graviter, 1. Si sine justa causa impediant famulos, ne Festis Missam audiant: vel si Festis opera servilia imponant; vel si jubeant ea, quæ sine peccato fieri non possunt. Nav. *cap.*14. *&c.*2. Si peccandi occasionem permittant, cùm possint impedire; aut si graviter delinquentes non corrigant, vel negligentes necessaria ad salutem non moneant, non corripiant. Bon. *l.c.*

II. Peccant item graviter. 1. Si gravibus injuriis afficiant; diabolos, canes, &c. appellent. Bon. *l.c.* & Trull. *l.4.c.1.d.6. n.2.* licèt Diana *p.7.t.7. R.47.* excuset à peccato talem contumeliam, quòd ex ira & indeliberatione soleat proferri. 2. Si alimenta convenientia non præbeant; mercedem justam (dummodò fideliter serviverint) non solvant, vel differunt absque rationabili causa. *Ibidem.* 3. Si ante elapsum terminum temerè domo expellant: in quo casu (nisi gravissima ex causa id fecerint) tenentur ad solutionem integræ mercedis. Less. Az. *c.14.q.1.* Fill. *t.28.p.2.n.79.* Regin. Mol. &c. Escob. *T.3.E.3.n.39* 4. Si eum, qui liberos aliosve domesticos, verbis, exemplo, vel moribus pravis corrumpit, & reprehensione non emendatur, è domo non dimittant, Navar. *c.14.* Trull. *l.c.d.6.n.2.*

III. Herus non tenetur famulo infirmo (quamdiu ægrotat) dare salarium, (nisi in extrema vel gravi necessitate; tunc enim debet ex charitate) imò sumptus in ejus curationem impensos potest repetere. Mol. *l.1.t.28.c.4.n.8.* Escob. *t.3.c.9.*

Resp. II. Famuli, cæterique subditi tenentur suis Dominis & Superioribus aliquo modo eadem, quæ filii Parentibus, nimirum amorem, reverentiam, & obedientiam præstare. Ratio patet ex dictis, quia sunt illis quasi loco Parentum. S. Th. 2.2.*q.*303. Regin. *lib.*20. *n.*62. *Unde resolves,*

I. Peccant famuli graviter, 1. Si non laborent, vel serviant fideliter, tenenturque ad compensationem damni. Mol. Less. *l.2.c.*24. 2. Si grave damnum inferant, vel inferri permittant; cùm possint impedire. Nav. *c.4.n.*22. Regin. *l.c.* Et quidem si damnum inferatur, (sive à confamulis, sive ab extraneis) in rebus, quarum cura eis commissa est, à restitutione non possunt excusari. Mol. Less. *c.13.n.*75. Fill. *t.36. n.*114.3. Si absque gravissima causa discedant à Domino ante terminum elapsum, ultrà hunc verò manere non tenentur, etiamsi morbo impediti servire aliquandiu non potuerint. Mol. *l.c.* Regin. *n.*517. Escob. *E.7.n.*57.4. Si Domino in rebus magni momenti non obediant. Bon. *l.c.*

II. Famuli non peccant, si sustentationem, vel mercedem justam Domino negante, utantur compensatione occulta. Mol. *l.c.* Fill. *n.*105. dummodo tamen alius modus non sit impetrandi; nec plus accipiatur, quàm debetur; neque scandalum, aut aliud incommodum grave timeatur. V. Bonac. *tom.2. de restit. d.1.q.ult.p.2.n.16.*

III. Similiter pro obsequiis, ad quæ non tenebantur, præstitis (si quidem illa non gratis & liberaliter, sed animo mercedis exhibuerint) licere ex rebus Domini accipere compensationem, quæ aliter obtineri non possit, docet Nav. *c.17. n.*108. Less. *l.c.* Plura de his *vide infrà tr.5.c.1.d.4. & c.3.d.10.* & Bon. *tom.2. circa 4. præcep. d.6.q.un.p.8.*

ADDENDA.

Quæst.164. *An Superiores religiosi graviter peccare possint dissimulando leves defectus subditorum?* R. Possunt, uti recte Lugo *de Just. d.9. àn.*21. nam si Superior dissimulando, sit causa, quòd subditi passim peccent venialiter, peccat ipse mortaliter, quia notabile malum est, si in communitate religiosa, cujus perfectioni graviter tenetur studere Superior, invalescat consuetudo peccandi venialiter. Similiter peccat mortaliter Superior, si per ejus dissimulationem passim negligatur observantia alicujus Regulæ, v. g. Regulæ prohibentis ingressum in aliena cubicula, Regulæ silentii, &c. licèt transgressio talis Regulæ ne veniale quidem esset. Ratio est, quia observatio talis Regulæ multùm confert ad decorem, ædificationem & utilitatem talis Communitatis, sæpè etiam præcavet gravia mala in subditis, ergo si Superior negligat, infideliter fungitur munere suo, nocetque graviter Communitati, ac gravius peccat, quàm si in administrandis temporalibus gravem committeret negligentiam; mortale tamen non erit, si tantum aliquando, & non frequenter violetur Regula propter dissimulationem Superioris, aut si talis Regula negligatur, quæ non multùm confert ad disciplinam vel ornamentum Monasterii, vel ad spiritualem profectum subditorum, sic v.g. si apud aliquos sit Regula, ut latinè loquantur, non videtur fore mortale, si per dissimulationem Superioris causetur negligentia istius Regulæ. 707

DUBIUM V.

Quid teneantur Conjuges erga se mutuò vi hujus præcepti.

Resp. Uxor in illis, quæ spectant ad domus gubernationem & bonos mores, tenetur obedire marito; hic verò uxorem, non ut servam, sed ut sociam tractare. Ratio est, quia maritus est caput, & uxor commembrum. Nav. *c.14. num.*20. Tol. Fill. *t.28. p.2. n.*144. *& comm. Unde resolves:* 708

I. Conjuges peccant. 1. Si debita intentione non contrahant Matrimonium. 2. Si sine dispensatione prætermittant proclamationes. 3. Si Sacramentum Matrimonii in statu peccati mortalis recipiant. 4. Si utantur Matrimonio contra naturam, vel modo indebito, vel cum periculo abortus. 5. Si debitum sine justa causa negent. 6. Si cum periculo pollutionis tactus habeant impudicos.

II. Peccat graviter uxor, 1. Si maritum rixis, vel aliter verbis, ad gravem iram vel blasphemiam provocet. Fill. *num.*145. & Bonac. 2. Si quid notabile expendat contra voluntatem viri, & consuetudinem fœminarum similis status; nisi tamen ex paraphernalibus, si habet. 3. Si spreto viro sibi imperium vindicet. 4. Si nolit sequi virum domicilium mutantem, dummodò possit sine periculo vitæ, & salutis; & contrarium non sint pacti; & maritus post nuptias non sit factus vagus, Nav. Tol. Bon. *ad Dec. d.6.p.7. V. infrà tr.5.c.1.d.* 4.5. Si sine sufficienti indicio, malè judicet de mariti incontinentia. 6. Si sine justa causa debitum neget. *V. infrà lib.6.* 7. Si se ingerat in administrationem domus sine justa causa, qualis est, si v.g. maritus prodigus bona familiæ dilapidet. Sylv. Trull. *l.4.c.1.d.4.n.16.*17.18.

III. Peccat graviter maritus. 1. Si verbis contumeliosis, vel infamatoriis afficiat uxorem. 2. Si impediat illam circa præcepta Dei vel Ecclesiæ sine justa causa, Sayr. *lib.7. cap.7.* Nav. *cap.*14. Si verò impediat, etiam sine causa, circa ea bona, quæ consilii tantum sunt, ut est *Confessio, Communio,* &c. communiter tantùm peccat venialiter, nisi constet, quòd magnam ex iis utilitatem percipiat. Sayr. Fill. Bonac. *l.c.* Trull. *n.2.3.* Si cedat graviter; moderatè tamen castigare, verbis, vel etiam ex gravi causa, moderatis verberibus, habita ratione conditionis & status, quandoque potest. 4. Si alimenta neget; nisi tamen uxor à consortio mariti propria culpa discesserit. 5. Si negligat gubernationem domus,

„ domus, & rem familiarem. 6. Si uxori non cohabitet, vel „ ſine juſta cauſa diu abſit. 7. Si cùm poſſit, alimenta non pro- „ curet. Fill. *n.* 140. & 141. Nav. *c.* 14. *n.* 19. Tol. *l.* 5. *c.* 2. Sanch. „ *l.* 10. *de Matr. diſp.* 18. *n.* 16. Bon. *l. c.*

ADDENDA.

709 Q. *Væſt:* 165. *Quid ſit circa alimentationem Conjugis notandum?* R. Seqq. §. 1. Vir tenetur alimenta præſtare uxori, uti habetur *L. Si cùm dotem, §. Sin autem, ff. Soluto Matrimonio.* Per alimenta autem intelliguntur victus, veſtitus, habitatio, lectus, medicinæ, aliaque ad vitam, item ad ludos & recreationes honeſtas neceſſaria, juxta perſonæ conditionem & qualitatem, ita Gob. *in Quin. t.* 5. *c.* 24. *n.* 42. *& c.* 28. *n.* 1. addens id intelligendum eſſe etiam de uxore, quæ dotem non attulit, ſi maritus ſcivit non habere dotem; imò *c.* 24. *n.* 12. docet cum Covar. & Rodriq. contra Sanch. & Bonac. teneri alere etiam indotatam, quamvis ipſa ſit dives, quia ducendo tacitè ſe ad hoc obligabat, cum hic ſit mos apud omnes: ex quo infert Dicaſt. hominem implicitum debitis, quibus ſolvendis eſt impar, peccare, ſi ducat uxorem indotatam, quia aſſumit in ſe novam obligationem contra jus priorum creditorum, ſed meritò contradicit Gob. *nu.* 13. alioqui etiam peccaret Parens, qui cùm impar ſit debitis ſolvendis, habet actum conjugalem, nam & hic novam aſſumit obligationem alendi prolem generandam. Quòd ſi dos ſit marito promiſſa & non ſolvatur, non tenetur alere uxorem, quia non obligabat ſe ad alendum, niſi ſub pacto dotis; ſi autem dos marito ſoluta caſu pereat, adhuc tenebitur vir alere uxorem, quia ipſa ex parte ſua præſtitit hoc, ad quod tenebatur, Sanch. Bon. Gob. *c.* 28. *n.* 5.

710 §. 2. Si ob culpam mariti fiat divortium, adhuc tenetur uxorem alere, quia ab illa obligatione non liberatur per ſeparationem ipſius culpæ debitam; ſi tamen cauſa divortii ceſſet, ut uxor renuat redire, maritus non tenebitur ulteriùs, quia ipſa tum eſt in culpa, Gob. *cap.* 39. Statuit quoque Jus apud Gob. *cap.* 40. *num.* 5. ſi divortium fiat propter adulterium mariti, ut uxor acquirat proprietatem dotis, & omnium donatorum propter nuptias, ſaltem poſt ſententiam Judicis.

711 §. 3. Si divortium fiat ob culpam ſolius uxoris, maritus non tenetur eam alere, quia ipſa non fecit, quòd debuit. *Nec refert*, quòd dotem attulerit; *quia* non obligavit ſe ad alimenta, niſi ipſa ſatisfaceret ſuo officio.

712 §. 4. Si divortium ſit factum ob utriuſque culpam, Sanch. & Gob. *c.* 28. *n.* 13. dicunt videndum eſſe, utrius culpa ſit poſterior, & putant virum ſi non peccaverit ultimus, habere jus negandi alimenta: ſed probabilius videtur maritum manere obligatum alere, quia culpa unius compenſatur per culpam alterius, ergo Jura & obligationes manent æquales, uti ante: denique ſi divortium fiat ſine culpa alterutrius, v. g. quia maritus cepit eſſe leproſus, maritus, uti ante, tenetur uxorem alere.

713 §. 5. Si vir otio, luſu aut potu reddat ſe impotentem ad alendam uxorem, peccat graviter: è contra ſi vir ſe alere nequeat, tenetur eum alere uxor: *Quid enim tam humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum vel uxorem viri participem fieri?* inquit *Lex Si cum dotem*, 22. §. 7. *ff. ſoluto matrimonio*. Videri poteſt Gob. *in Exp. t.* 10. *n.* 781.

714 *Q.* 166. *An uxori adulteræ debeantur alimenta, pars acquiſitorum, reſtitutio dotis ſaltem per hæredes, ſi maritus objerit?* R. §. 1. Vir certus de adulterio uxoris, in foro conſcientiæ non tenetur ad alimenta, Caſtr. *de Sponſ. d.* 3. *p.* 6. §. 5. Sanch. *de Matr. lib.* 10. *d.* 8. *n.* 25. uti enim negare poteſt convictum, ita & alimenta, maximè ſi adulterium ſit notorium, & quamvis ipſa dotem attulerit.

715 §. 2. Gob. *in Quin. t.* 5. *c.* 24. *n.* 13. dicit ſpectato Jure naturali, Canonico, & Cæſareo, ea, quæ Maritus tempore Matrimonii lucratur ſua arte, labore, bonis, per mutuum, elocationem: venditionem &c. eſſe ipſius, ac poſſe de iis liberè diſponere, ideoque non eſſe communia, quia ſpectatis iis Juribus non magis competit jus uxori in ea bona, quàm maritò in parapherna, id eſt, in ea, quæ uxor acquirit propria induſtria, donatione &c. hæc autem ſunt uxoris, ergo: Ita Bon. *de Reſtit. d.* 2. *q.* 10. *p.* 2. *n.* 1. Dicaſt. *de Juſt. l.* 2. *d.* 9. *num.* 195. & alii contra pleroſque Juris Conſultos, qui volunt eſſe communionem bonorum quaſi ex contractu ſocietatis inter Conjuges: Si tamen in quibuſdam provinciis hæc communitas ſpeciali Lege ſit Statuta, eſt obſervanda; neque bona communia per adulterium perduntur, quia Jus circa illa nihil ſtatuit; illa autem bona hic dicuntur communia, quæ communi labore acquiruntur, vel durante Matrimonio è bonis communibus accedunt, vel quæ ex pacto aut ſtatuto ſunt utriuſque Conjugis.

716 §. 3. Dos adulteræ non pertinet ad maritum ante ſententiam Judicis, quia ſpoliatio dotis eſt pœna; hinc tenebitur maritus dotem uxori reſtituere, à qua propria authoritate ſeparavit ſe propter adulterium, ita Caſtr. *ſup.* Oppoſitum tenet Sanch. *n.* 13. quia marito competit exceptio contra uxorem ratione adulterii, & in *c. Plerumque, de donatione inter virum & uxorem*, dicitur, ſi mulier ob cauſam fornicationis judicio Eccleſiæ aut propria voluntate à viro receſſerit, nec reconciliata poſteà ſit eidem, dotem vel dotalitium, id eſt, quod donatur propter nuptias, repetere non valebit: verùm hæ rationes non convincunt, quia poteſt retineri id, pro quo per Jura habetur exceptio, ne ſolvat, ut adulterium non excipit ipſo Jure à ſolutione dotis, neque ipſo Jure dotem marito concedit, ſed media ſententia, unde quamdiu hæc non habetur, non habet maritus jus retinendi dotem: quòd autem adulteræ negetur judicialis repetitio dotis, non probat maritum ante ſententiam poſſe retinere, uti ex eo non infertur acquiri, ſed tantùm infertur in foro externo uxorem nullum jus habere, ut ſibi dos concedatur, cùm potiùs poſito adulterio veniat dote privanda: unde verius videtur non poſſe maritum ante ſententiam Judicis retinere dotem, ſi propria authoritate recedat ab adultera, licèt uxori repetenti poſſit opponere exceptionem adulterii, & facere uti ſibi applicetur, uti rectè Abb. *dict. cap. Plerumque* & alii cum Caſtrop.

§. 4. Cùm hæc ſententia Caſtrop. ſit tantùm probabilis, ſi dos uxoris non ampliùs extet, quamvis bona mariti defuncti, cujus poſſeſſionem habent hæredes, fuerint tacitè hypothecata pro dote, tamen nunc videtur eſſe melior conditio hæredum, utpotè poſſidentium, unde ſequi poterunt ſententiam *Sanch.* & retinere dotem ac dotalitium, cùm ſucceſſerint in jus defuncti, cui licitum fuiſſet retinere; item poterunt curare per Judicem declarari dotem eſſe amiſſam ob adulterium, & ſic dotem irrevocabiliter acquirent. Ante ſententiam autem retinere poterunt propter exceptionem adulterii, quæ marito competebat, licèt propria authoritate feciſſet divortium, uti docent Abb. Ang. Silv. Tabien. apud Sanch. ſuprà; Differentia autem inter retentionem irrevocabilem poſt ſententiam, & retentionem ratione exceptionis ante ſententiam, eſt, in primis quia ſi uxor poſſideat bona non tenetur dare ante ſententiam; deinde ſi ante ſententiam vir fornicetur, non habet jus excipiendi nec retinendi dotem, quia mutua delicta compenſantur; poſſe autem etiam hæredes retinere ratione exceptionis, docent Taner. & Sanch. 717

§. 5. Opponi poteſt, quòd ſit certum debitum; quia dos certò fuit reddenda; incerta autem eſt excuſatio. R. Excuſationem fieri certam, ſi per Judicem feratur ſententia in favorem hæredum, qui certo habent jus opponendi adulterium uxori repetenti dotem. 718

Q. 167. *Cui conjux teneatur primò ſubvenire?* V. G. poteſt eſſe hic caſus: Titius prævidet orituram ſibi totique familiæ, imò & patriæ extremam inopiam, hinc petit, cui primò teneatur ſubvenire, ſi ipſe, Pater, Mater, Uxor, Filii, Fratres, Cognati improbi, extranei probi, Benefactores, Creditores, Confeſſarius egeant? 719

R. §. 1. Titius poteſt ſibi primò providere neglecta aliorum quorumcumque vita, ſi ſibi ſimul & alteri providere nequeat, quia ordinata charitas incipit à ſeipſo, cùm ſibi ipſi ſit conjunctior: poteſt tamen, ſi velit, neglecta ſua vita ſubvenire vitæ alterius, ut probabiliter dictum eſt *lib.* 2. *n.* 177.

§. 2. Conjunctio naturalis præferenda eſt ſpirituali, adeò- 720
que Titius tenetur priùs ſubvenire ſanguine junctis, quàm Confeſſario aut alteri ob ſpiritualem titulum conjuncto, ita Suar. Con. Caſtrop. *t.* 6. *d.* 1. *p.* 10. contra Valent. Bonac. & alios. Ratio eſt, quia conjunctio naturalis eſt magis intrinſeca, antiquior, immutabilior, & fundata in natura ipſa ac majore beneficio: conſentit Burgh. *cent.* 1. *caſ.* 41. Putat tamen cum *Con.* Prælatum teneri priùs ſubvenire ſuis Religioſis ſubditis, quàm quibuſvis Conſanguineis, exceptis Parentibus, ſun. enim Filii in Religione, eſtque Religio etiam ideò obligata, quia Religioſos, cùm Patrem carnalem, & Matrem deſererent, ſuſcepit in Filios, uti rectè Ovied. *de Charit. contr.* 8. *num.* 119. quod certum videtur, ſi ſubveniat ex bonis Religionis, hæc enim magis obligata ſunt Religioſo, quàm cuicumque Conſanguineo Prælati.

§. 3. In extrema vel gravi neceſſitate debet Titius potiùs 721
ſubvenire Patri, & Matri, quàm Uxori, Filiis, vel cuicumque alteri, Tamb. *l.* 5. *c.* 3. §. 5. Ratio eſt, quia Titius plus habet à Patre aut à Matre, quàm ab ullo alio, nempè *Primum eſſe*, quod eſt fundamentum ad recipienda ab alio beneficia.

§. 4. Titius in pari neceſſitate potiùs ſubvenire debet Patri 722
quàm Matri, quia quamvis Mater plùs paſſa ſit, tamen abſolutè loquendo Pater eſt principalior & nobilior origo totius *eſſe*, quod eſt in Titio, Tamb. Caſtr. & alii communiter.

§. 5. In communi neceſſitate tenetur Titius potiùs prolibus 723
ſubvenire, quàm Parentibus, quia proles ſunt ſub cura Parentum, & ab illis etiam extra gravem neceſſitatem jure poſtulant alimenta, non item Parentes, Tamb. & alii cum Dian. *in Comp. v. Debitum, num.* 12.

§. 6. Titius in communi neceſſitate debet uxorem præferre 724
Parentibus & prolibus, ita *Tamb.* contra *Caſtrop.* qui dicit

uxorem eſſe quidem præferendam prolibus, ſed non Parentibus; ratio noſtra eſt, quia vir & uxor civiliter ſunt quid unum, ergo extra neceſſitatem extremam vel gravem, ubi Lex naturæ non dictat aliud, uxor cenſeri debet conjunctior, ergo præferri debet: & ad hoc alluditur Geneſ.2.v.24. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.*

725 §.7. In quacumque neceſſitate priùs ſubvenire debet Parentibus, filiis & uxori, quàm fratribus vel ſororibus, quia illis eſt conjunctior, ergo ad illos eſt major obligatio.

726 §.8. Tenetur prius ſuccurrere ſanguine junctis, licèt improbis, quàm non junctis ſanguine & probis, quia conjunctio ſanguinis inducit naturalem obligationem, non autem probitas vitæ, S.Thom.Suar.Con.Caſtrop. Nec obſtat, quòd probi ſint conjunctiores Deo. *Nam* ex eo tantùm ſequitur oriri in nobis obligationem eos præ improbis amandi amore complacentiæ, non autem priùs ſubveniendi in neceſſitate.

727 §.9. Sanguine junctus per ſe loquendo præferendus eſt benefactori extraneo, quia ad illum eſt major conjunctio, ergo & obligatio; poteſt tamen eſſe caſus, in quo magnus benefactor poſſit præferri etiam fratri, quamvis non ſit obligatio præferendi, v.g. ſi frater violaſſet jura fraternitatis, tum magnus benefactor poſſet illi præferri, & gratitudo in illis circumſtantiis eſſet virtus honeſtior, quàm pietas, Suar. Con. Valent. Caſtrop.ſupra.

728 §.10. Debet Patrem, Matrem, Uxorem, filios, fratres in extrema neceſſitate præferre creditoribus, Bon.Leſſ.Con.& alii cum Dian.ſupra. Ratio eſt, quia in extrema neceſſitate ceſſat obligatio ſolvendi, & urget ſola obligatio alterius virtutis, v.g. charitatis, charitas autem magis urget ad magis conjunctos: idem putat Caſtrop. fieri debere in neceſſitate tantùm gravi.

729 §.11. Si Titius ordinem inter proximè & fermè æqualiter junctos invertat, ſubveniendo uni præ altero, cui priùs ſubvenire deberet, v.g. Matri priuſquàm Patri, non peccaret graviter, quia inter tales obligationes non eſt tantum diſcrimen, ut una alteram notabiliter anteçellat, Suar.Bonac. Caſtrop. Tamb.& alii.

730 §.12. Hactenus dicta intelligenda ſunt, cæteris paribus uti rectè notant S.Th.Bonac. Caſtr. & alii, cujus exemplum dedimus *nu.*727. Similiter ſi pater eſſet homo crudelis, & mater benigna, mater abſolutè poſſet præferri patri, & ita de aliis.

731 *Q.*168. *Quis viro teneatur priùs ſubvenire, an uxor, an Pater, an Filius?* R.§.1. Aliqui apud Dian.*p.*10.*t.*13.*R.*3. dicunt patrem prius teneri, quia qui genuit filium etiam jure tenetur eum alere; ſed communior eſt ſententia cum S.Th. in extrema neceſſitate priùs teneri filium ſuccurrere patri ſuo. Ratio eſt, quia æquè vicina eſt connexio naturalis filii ad patrem ſuum, quàm patris ad ſuum filium, filius autem plus habet à patre ſuo, quàm pater à filio, ergo eſt major obligatio naturalis filii erga patrem, quàm patris erga filium: quòd ſi uterque vellet perſiſtere in ſua opinione probabili ſibi favente & ſe deobligante à ſuccurrendo priùs, onus in utrumque eſſet dividendum, uti docet Tamb.*l.*5.*c.*3.§.2.*n.*11. aut per Judicem alteruter cogendus eſſet, prout ex circumſtantiis videretur æquius. *Nec obſtant* dicta *num.*704. *Nam* non videtur hic eſſe par ratio, cùm incertitudo non cauſetur per delictum, ſed ex natura rei.

732 §.2. In extrema neceſſitate, ſi deſit filius, pater tenetur priùs ſubvenire, quàm uxor, quia conjunctio naturalis, quæ eſt inter patrem & filium, magis eſt intrinſeca, ideòque etiam poſt ſe trahit majorem obligationem ad conſervandum *eſſe* filii, quod pater genuit, quàm civilis tantùm & extrinſeca conjunctio uxoris, quæ illud *eſſe* mariti non genuit, ergo nec ita arctè obligatur vindicare ab interitu.

733 §.3. In communi neceſſitate tenetur uxor priùs ſubvenire marito, quàm pater vel filius, quia in communi vita vir & uxor ſunt unum, & tanta eſt inter eos conjunctio, ut debeant ſe ſemper comitari & adeſſe, ergo etiam ad ipſos primò ſpectat ad invicem levare difficultates communes in quotidianis caſibus occurrentes.

734 *Q.*169. *Quomodo liceat marito uxorem percutere?* R.Gob. *in Exp.t.*10.*n.*773.habet ſequentia: *Obſervo non videri objurgatione dignos maritos, qui plebejas (etenim inter has, & nobiles facio diſcrimen cum* Caſtrop.) *uxores, ebrioſas, aut ſectantes conſortia ſuſpecta, poſt gravem increpationem bis terve fruſtra factam ita caſtigant fuſte, vel pugnis, ut ſenſus doloris duret ad* 4. *vel* 5. *dies*: è contra Steph.*t.*4.*d.*6. *n.*7. dicit maritum rarò uti debere verberibus, & in caſu neceſſitatis magis moderatè; quod etiam habet Buſemb.relatus *n.*708. & ipſemet Gob.*in Quin.t.*5.*c.*29.*ſect.*1. etiam molliùs loquitur, nam docet in hunc ſenſum, verba, quibus uxorem corripit maritus, poſſunt quandoque continere convitium, & contumeliam materialem, uti habet S.Th.2.2.*q.*72.*a.*2.*ad* 2. ſic enim *Chriſtus* vocavit Diſcipulos *ſtultos*, *Apoſtolus* Galatas *inſenſatos*; non debent tamen continere formalem, id eſt, non debent proferri ex intentione inhonorandi, quamvis in ſe contineant inhonorationem, uti rectè S.Chryſ.S.Th.Tol.Regin.& alii: Item non debent continere infamiam, quia uxor non ceſſit juri ad famam, S.Th.Nav. Cov. Leſſ.Mol. Fill. Unde communiter peccant mortaliter mariti, qui uxores valdè honeſtæ familiæ temerè vocant ſagas, meretrices, adulteras, aliud eſt, ſi plebejas, hæ enim communiter talia non curant, niſi reipſa putarent ſeriò dici, tum enim meritò graviter apprehenderent: Marito etiam competit jus uxorem verberandi, uti docent paſſim Canoniſtæ, quos refert & ſequitur Sanch.*de Matr.lib.*10.*d.*18. *n.*16.itemque Theologi, quia vir eſt Superior mulieris, & familiæ, ad illum autem ſpectat etiam pœnis exigere debitum; non eſt tamen licita percuſſio ſæva ſive gravis, & verberatio illa moderata debet eſſe etiam rara: hinc tum cenſetur maritus graviter, adeoque illicitè uxorem verberare, quando eam cædit graviùs, quàm conſuetudo loci permittat: nec referret, ſi biduo triduoque duraret verberum aliquis ſenſus.

Quid poſſit maritus circa bona uxoris vel uxor circa bona ſua, dicetur poſteà *à n.*1017.

DUBIUM VI.

Quæ obligatio Parochorum erga ſuos?

RESP. CURATUS, ſive Parochus jure divino tenetur, „
1. Reſidere in ſua Parochia, Trid.*ſeſſ.*23.*c.*1.*de Ref.* „ 735
Barboſ.*de Off.Paroch.c.*8.*n.*1. alioqui in conſcientia fructus „
non facit ſuos, teneturque pro rata abſentiæ reſtituere fa- „
bricæ Eccleſiæ, vel cauſæ piæ. Poteſt tamen ex juſta cauſa „
& licentia Epiſcopi ad breve tempus abeſſe, v. Nav.*cap.*25. „
Az.*t.*2.*l.*2.*c.*4.Poſſev.Barb.Trul.*l.*4.*c.*1.*d.*8.*n.*9. „

II. Tenetur adminiſtrare Sacramenta. Quoties & quanto „
cum periculo, v.infrà. Et Bon.*ad Decal. d.*6. *p.*8.Poſſev. „
Barb.*ll.cc.* „

III. Orare pro populo, & celebrare, ut populus audiat „
Miſſam: quam etiam teneri eum eidem applicare diebus ſal- „
tem feſtis, & aliquot aliis, docet Tol.*l.*3.*c.*5. Sed negat Suar. „
Kon.*in* 3.*p.q.*83.*art.*1.*d.*11.cùm nullo jure id cautum ſit, v. „
Bon.*n.*4.Barb.*l.c.* „

IV. Docere populum, concionando, arguendo, &c. per „
ſe vel per alios. Tol.*l.*5.*cap.*5.Poſſev.Barb.Trull. *ll.cc.* Vide „
ſuprà. „

V. Tenetur ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis ſolemni- „
bus populo doctrinam Chriſtianam explicare, per ſe vel per „
alium, ut conſtat ex Trid.*ſeſſ.*24.*c.*4.*de Ref.* idque, ſub gra- „
vi obligatione etiam juris divini, ob ſummam neceſſitatem, „
propter quam eos ab Epiſcopis, aliiſque Prælatis ad id cogi, „
poſſe ſub pœna excommunicationis (omneſque alios, ut „
eam audiant, diſcant & ſciant) docet Trull.*l.*1.*c.*1. *d.*4.*n.* „
7.*&* 8.Baldel.*tom.*2.*l.*1.*d.*48.ex Sanch.Palao, Barb.&c. „

VI. Tenetur infirmos viſitare, pauperum curam habe- „
re, peccata corrigere, &c. de quibus Poſſev.Regin.*t.*2.*l.*20. „
*c.*5.*ſect.*3.Barboſ.*c.*7. Vide infrà. „

ADDENDA.

*Quæſt.*170. *Quomodo Parochus teneatur reſidere, & quanto tempore poſſit abeſſe à Parochia?* 736

R. §.1. Trid.*ſeſſ.*23.*c.*1. *de Reform.* ſtatuit non licere illi ultrà bimeſtre intrà annum abeſſe ſine cauſa, & licentia Epiſcopi, alioquin teneri reſtituere fructus; & quidem ante ſententiam Judicis, uti putant Bonac.*de oblig.benef.d.*5. *p.*3. *n.*5. *& p.*4.*n.*7.aliique communiter cum Caſtrop.*t.*13.*d.*5. *p.*3. *n.*3. ſtando in Jure Tridentini, putat tamen Laym.*lib.*4.*t.*2.*c.*6.*n.*6. verba Tridentini, licèt expreſsè ſic habeant, non eſſe in eo rigore recepta, ut obligent ante ſententiam ſaltem declaratoriam, dummodò per abſentiam damnum non ſit illatum Eccleſiæ, in quam ſententiam etiam inclinat Nav. teſte Bonac. Alias pœnas non reſidentium vide apud Caſtrop. ſupra & apud De Luca *de Benef. diſc.*77. quomodo autem debeat Epiſcopus procedere cum Parocho negligente Reſidentiam, habet Caſtrop.*à num.*10.

§.2. Quamvis communior ſit ſententia, quòd Parochus, 737
qui abſque cauſa & licentia ultra bimeſtre abeſt, teneatur reſtituere totos fructus, tamen etiam probabile eſt non teneri reſtituere, niſi illos, qui reſpondent Reſidentiæ neglectæ, quia non tantùm percipit fructus pro Reſidentia, & oneribus illi annexis, ſed etiam pro recitatione Horarum, aliiſque Officiis, ergo ſi Horas oret, & Officia illa per alios expleat, poterit fructus his correſpondentes percipere, ita Bon. & alii de pœnis Parochi non reſidentis, vide Leur.*p.*1.*q.*388.*& ſeqq.* Item dicenda *l.*4.*à n.*864.

§.3. Cauſa abſentiæ debet eſſe juſta & vera, alioquin Paro- 738
chus non facit fructus ſuos: neque ſatis eſt, ſi juret Epiſcopo ſe habere cauſam juſtam, quam nolit ob rationes graves revelare, quia cauſa debet eſſe Epiſcopo cognita & approbata, Barb. *de Off.Paroch.c.*8. *n.*59.

§.4. Li-

739 §.4. Licentiam emanendi ultra bimeſtre debere eſſe expreſſam & ſcripto datam ab Epiſcopo tenent communiùs Authores cum Caſtrop.*n.*8. quia ſcriptum à Trid.requiritur veluti forma conceſſionis; probabile tamen eſt ſecundum Navarr.Bonac.*p.* 4.*num.*12.Leſſ.*de Juſt.lib.*2.*c.*34.*nu.*68. in foro conſcientiæ ſufficere eſſe datam ore: imò Con.Sanch.Regin. & alii putant ſufficere tacitam, ſaltem ſi talia concurrant ſigna,ut conſtet Superiorem actu conſentire; nemo autem dicit ſufficere præſumptam vel interpretativam licentiam: quòd ſi cauſa eſſet evidenter juſta, & tamen Epiſcopus negaret licentiam, Abb. Lott.*l.* 3.*q.*27.*n.*213.Garz.& Caſtrop.*num.*6. dicunt ex deciſione ſacræ Congregationis adhuc non eſſe Parocho licitum abeſſe, quia à gravamine illo conceditur appellatio ad Superiorem, ergo ſignum eſt non ideo haberi licentiam,& conſequenter Parochus, ſi abſit, tenebitur fructus reſtituere, non aliter ac ſi cauſa non fuiſſet juſta. Ad quantum autem tempus poſſit Epiſcopus cum Curato diſpenſare quoad reſidentiam, relinquendum eſt arbitrio boni viri juxta exigentiam neceſſitatis vel rationabilis cauſæ, Laym.*ad c.Licèt de elect.*reſtringit ad annum. V. Leur.*q.* 374. *n.*2.

740 §.5. Si occurrente ſubita & evidente neceſſitate Parochus nequeat Epiſcopum adire, poteſt abſque licentia abire, ſic enim per Epiikiam explicandum eſſe Trid.cenſent Bonac.Fill.& alii; ſed ex quacunque cauſa abſit, ſemper ſubſtitui debet idoneus, qui vices abſentis agat, poteſtque eſſe vicinus Parochus, Barboſ.*n.*53.putat etiam Caſtrop.*p.*5.*num.*2. pro abſentia unius vel alterius diei ferialis, ſi nullus ſit in Parochia infirmus, non eſſe opus ſubſtituere aliquem, quia non adeſt morale periculum neceſſitatis ejus præſentiæ. Alias cauſa excuſantes à petenda licentia, vide apud Leur.*q.*378.

741 §.6. Si Parochus cum cauſa, ſed ſine licentia, & abſque damno gravi Ovium abſit per bimeſtre tantùm in anno à Parochia, non peccat graviter, quia hoc per ſe non eſt malum,alioquin Trid.nunquam permitteret etiam cum licentia fieri: ex eo autem, quòd non petatur licentia, non eſt materia peccati gravis: imò Navarr.Garz. Bonac.Barb.& alii excuſant à mortali, ſi abeſſet ſine cauſa, quia talis abſentia ad duos tantum menſes cenſetur modica, ſive ſit continua ſive interrupta.

742 §.7. Probabile eſt, quòd ad emanendum tantùm per bimeſtre extra Parochiam, nunc non ſit opus licentia Epiſcopi, dummodò cauſa ſubſiſtat, ita Navar.Bonac. & alii multi apud Barboſ.*n.*54.quorum ſententiam Leſſ.*n.*159.& Caſtrop.*n.*3. dicunt eſſe probabilem, licèt oppoſitam teneant cum Vaſq.Sanch. Regin.Garz.Fill.Barb.& aliis.Probatur,quia uſu eſt receptum, ut ad brevem abſentiam non petatur licentia Epiſcopi, neque Epiſcopi reſcientes contradicunt. Vide Leur.*q.*372. Rectè autem notat Laym.*n.*7.ſecuriſſimum eſſe cujuſvis Diœceſis,in qua quis eſt, in hoc conſuetudinem ſequi: univerſaliter autem putat Caſtrop. licentiam Epiſcopi petendam, ubi eſt dubium de juſtitia cauſæ, *& n.*5.addit cum Garz.ad abſentiam bimeſtrem ſufficere quamlibet honeſtam cauſam, etiam recreationem in inviſendis amicis, quod tamen non admittit Gob. *in Exp.t.*5. *n.*602. *Lit.L.*ſi ad hoc, bimeſtre impendatur, Trid. enim videtur requirere aliam cauſam æquam.

743 §.8.Si Parochus per bimeſtre tantùm vel per brevius tempus abſit, non tenetur ad reſtitutionem ullorum fructuum, ita Bonac.& alii contra Garz.Ratio eſt, quia non peccat graviter, Trid.autem videtur tantùm illos obligare ad reſtitutionem fructuum, qui graviter peccant & emanent ultrà bimeſtre: unde conſequenter inferunt Navar. Azor. Bonac. & alii cum Caſtrop.ſuprà,eum,qui juſta de cauſa, ſed abſque licentia Epiſcopi abeſt ultrà bimeſtre, teneri quidem reſtituere, ſed tantùm illos fructus, qui reſpondent tempori, quod excedit bimeſtre, quia Trid.abſentiam duorum menſium impunè permittere videtur, ſi fiat ex juſta cauſa, ſi autem abſit ultrà duos menſes, requirit & juſtam cauſam & licentiam Epiſcopi.

744 §.9. Si Parochus habeat duas Eccleſias unitas, tenetur reſidere in digniori; ſi non conſtet, quæ ſit dignior, in frequentiori; & ſi una fuerit extra, altera intrà urbem, reſidere debet in ea, quæ eſt intrà urbem, licèt ſit minùs frequens, pro idendo externis pro nocte de Miniſtris Sacramentorum in neceſſitate ſecundùm conſuetudinem antiquam loci, Barb.*n.*9. & 28. Caſtrop.*p.*2.

745 §.10. Parochus cenſetur reſidere in parochia, in quocunque loco illius commoretur, v.g. apud Parentes vel fratrem extra parochialem domum: item quamvis conſideret extrà fines Parochiæ, ſed parum diſtans, uti docet Riccius apud Dianam *par.*3.*tract.*4.*R.*156.*in fine*, nam quod parum diſtat,nihil diſtare videtur, inquit Bonacina; ſi autem extra parochiam diſtet ad bis mille paſſus, non cenſetur reſidere, licèt ſingulis Feſtis & Dominicis ad eam accederet & prætereà relinqueret Vicarium loco ſuo, ita Barboſ.*num.*39.poteſtque videri Gob. *Lit.I.* Quòd ſi eſſet intra fines parochiæ, ſed in tali loco, ad quem parochiani non ſemper accedere poſſint, v.g.in arce non *actu* clauſa, reſideret quidem, non tamen ſufficienter ad uſus, ad quos reſidere debet, nempe ad promptè inſerviendum populo in neceſſitate, adeoque non ſatisfaceret, Luca ad Trid. *diſc.*4.*n.*11.Lott:*lib.*3.*quæſt.*27.*num.*39.Paxjord.*lib.*10.*tr.*4.*n.*56. Leur.*quæſt.*371.

§.11. Continuæ Reſidentiæ non obſtat, ſi quis aliquibus 746 diei horis extra parochię fines exeat,v.g.recreationis cauſa,quia manet moraliter præſens, ita Bonac.& alii cum Barboſ. *n.*44. item manet reſidens, qui eadem die reverſurus excurrit ad vicinum oppidum, nullus enim ſibi in hoc peccati conſcientiam facit; & ratio ſuggeritur à Trid.ſuprà: *Quia qui aliquantiſper tantùm abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt*: Aliud tamen eſt, ſi noctu ſæpè emaneret, uti rectè Gob. *Lit.D.& ſeqq.*

§.12. Juſta cauſa obtinendæ licentiæ ad non reſidendum 747 pro aliquo tempore etiam ultrà duos menſes eſt quadruplex ex Trid.ſuprà 1.*Chriſtiana charitas*, uti ſi alibi ſublevanda ſit gravis neceſſitas proximi, odia & lites componendæ. *Urgens neceſſitas*, v.g.ob gravem corporis infirmitatem, ob cauſam proſequendi litem de juribus Beneficii, ob piam peregrinationem. 3.*Debita obedientia*, uti ſi abſit ex mandato Papæ, vel occupetur in ſervitio Sedis Apoſtolicæ. 4. *Evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas*, uti ſi negotium commune ab alio geri non poſſit. Notat autem Gob. *Lit.K.*non licere ob alias cauſas: poſſuntque plura videri apud Barboſ.ſuprà & Leur.*q.*376. item *q.* 382.*& ſeq.*ubi *q.*386.agit de occupato in ſervitio Epiſcopi.

§.13. Nunc jure novo Trid.non eſt licitum Parochis abeſ- 748 ſe, nec Epiſcopus dare poteſt licentiam, ut abſint à Parochia, per ſeptennium vel quinquennium ſtudiorum cauſa, quia antequam adeant Parochiam, debent examine prævio eſſe judicati habere ſufficientem ſcientiam ad curam animarum, ergo cauſa ſtudii non poteſt illos excuſare ita Bonac.Filliuc. Garz. Gonz.Paxjord.Leur.*q.*380.Engel.*de Cleric.non reſid. n.*11. alique nunc communiſſimè cum Barboſ.*n.*47. & Caſtrop.*T.*7.*d.* 3.*p.*9.§.9.*n.*8.qui tamen *à n.*9.oppoſitam ſententiam cenſet probabilem, pro qua citat multos, & quam abſolutè tenent Leſſ.*n.* 104.Laym.*ſuprà n.*5.Lott.*n.*152.Zerola *p.*1.*v.Studium*, qui docent ex *cap. Cùm ex eo, de electione in* 6. Epiſcopum poſſe diſpenſare cum promotis ad Eccleſias parochiales, ut uſque ad ſeptennium,quo in ſtudiis morari poſſunt, non teneantur promoveri ad Sacerdotium, dummodò intra annum poſt adeptam parochiam fiant Sub-Diaconi, ſed ſententia illa videtur per Tridentinum eliſa, nec ipſe Laym. textui illi multùm fidit; nam requirit, ut adſit neceſſitas vel major Eccleſiæ utilitas, quod nunc difficulter in praxi habebit locum: adhuc tamen ſunt aliqui Epiſcopi, qui ad biennium quandoque diſpenſant, quo Parochus ſe ad curam meliùs diſponat ac perficiat, ſed etiam quoad hoc ſervanda eſt conſuetudo cujuſque Diœceſis: requiritur tamen etiam pro hoc caſu diſpenſatio Epiſcopi in ſcripto, Leur.*q.*375.Vide dicenda *Lib.*4.*à n.*64.

*Q.*171. *An Parochus teneatur ad curam per ſeipſum?* 749

R.§.1. Putant Jo.Sanch.*in ſel. d.*47. & alii apud Dian.*p.* 3.*t.*4.*R.*156.Parochum, ſi per ſeipſum non exerceat curam,non tantùm peccare mortaliter, ſed etiam teneri fructus reſtituere, quia qui non facit, quod debet, non percipit, quod oportet; deinde, quia fructus Beneficii ſunt propter officium,denique quia ſtipendium, quod datur propter cauſam, cauſa non ſubſecuta retineri non poteſt,uti habent Regulæ communes Juris. Sed quoad fructus, contradicunt Garz.Ugol.Bon,& alii,quia Trid.ſecundum dicta *qu.præc.*eos tantùm privat fructibus, qui non reſident: quod autem attinet ad obligationem, videtur aliqua diſtinctione opus: hinc

§.2. Supponendum cum communi, Beneficium illud 750 dici principaliter curatum, cui à principio cura animarum eſt annexa tanquam principale onus: poteſt autem annexa eſſe cura, vel actualis, ſi Beneficiatus eam actu per ſe teneatur exercere, vel habitualis tantùm, ſi non teneatur actu per ſe habere exercitium illius curæ, quia per fundationem,privilegium vel conſuetudinem onere illo ipſe levatus eſt, & à Sacellanis, vel à Vicario præſtari debet.

§.3.Qui ſuſcipit Beneficium principaliter curatum,quam- 751 vis habitu tantùm ſit tale, debet habere omnia requiſita ad hoc, ut per ſe, ſaltem in neceſſitate, poſſit curam exercere, ſic enim habet Trid.*ſeſſ.*7.*c.*3.*de Ref. Inferiora beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis, & habilibus, & quæ in loco reſidere ac per ſeipſos curam ipſam exercere valeant, conferantur, aliter autem facta collatio ſive proviſio omnino irritetur*: Itaque Trid. hic ad omne Beneficium curatum, quod eſt inferius Eccleſia Metropolitana ſeu Cathedrali, poſtulat induſtriam perſonæ, ideoque etiam *ſeſſ.*24. *c.*18. *de Ref.*mandat collationi ejuſmodi Beneficiorum præmitti examen pro approbatione, &c.ita ut debeat poſſe exercere curam.

§.4. Si Beneficium ſit tantùm habitu curatum, poteſt tota 752 cura commiti Sacellanis; è contra ſi ſit actu curatum, communior ſententia eſt, quòd ſit obligatio aliquando per ſe exercendi

endi curam, v.g. excipiendo Confeſſiones, cùm hæc ſit prima & præcipua pars curæ, hinc Bonac. *in Dec. d.5. p.2.* Barboſ. *de Offic. Paroch. c.8. n.41.* aliique plures dicunt eum peccare mortaliter, ſi ipſemet commodè poſſit exercere curam, & ſemper faciat per alium, quia cùm Eccleſia ad officium Parochi prærequirat capacitatem & induſtriam perſonæ, hujus quoque obligatio eſt perſonalis, uti etiam argumentatur Pirh. *l.3. t.4. num.3.* addunt tamen poſſe etiam frequenter & ad difficiliora adhibere Sacellanum, & quandoque etiam alios, præſertim ſi Parochiani ſint contenti, & per alium æquè bene fiat. An autem Parochus per ſeipſum teneatur concionari, dicetur *num.765.* Vide etiam Leur. *p.1. qu.371. num.3.*

753 §.5. Si ille, qui bona fide ſuſcepit Beneficium curatum, ſit illitteratus & imperitus, id eſt, inhabilis ad ea, quæ incumbunt officio curæ, ut explicat Barboſ. *in Collect. ad Trid. ſeſſ.21. c.6. de Reform.* ita ut non poſſit ſe qualificare ad curam per ſe gerendam, *Trid.* ibidem permittit illi, ſiquidem aliàs honeſtæ vitæ ſit, ſubſtitui Vicarium, aſſignata huic parte fructuum ſecundùm proportionem onerum, quæ ſupplet: Si autem ejuſmodi illitteratus & imperitus turpiter ac ſcandalosè viveret, vult moneri, & ſi ſe non emendet, permittit privari Beneficio.

754 *Q.172. Quæ ſit obligatio Parochi tempore morborum, & belli?* Reſp. Hanc rem bene tractat Chapeav. *in Lib. de miniſtrandis tempore peſtis Sacramentis*, ex quo Gob. *in Exp. T o.1. à num.121.* pleraque deſumpſit. Excerpo aliqua:

§.1. Poteſt Parochus graſſante peſte cum licentia Epiſcopi ſe ſubducere, dummodò ſubſtituat æquè profuturum, & ſubſiſtat in loco, in quo poſſit gerere providentiam pro grege ſuo: Si autem ſubſtituere non poſſit idoneum, non poteſt uti privilegio Tridentini emanendo ad bimeſtre, neque poteſt reſignare Beneficium, eſt enim conductus pro tali neceſſitate, ſicut miles pro futuro prælio: quid autem agere poſſit & debeat Epiſcopus, ſi Parochus fugiat, & deſint, qui ſe offerant, habet Gob. ſuprà. V. Leur. *p.1. qu.384.*

755 §.2. Certum videtur Parochum teneri etiam vitam exponere, non ſolùm in extrema, ſed etiam in gravi neceſſitate ſpirituali alicujus ſibi ſubjectæ Oviculæ, uti dictum eſt *lib.2. n.174.* ſi tamen unicus eſſet Sacerdos, vel Parochus, quo ſublato deeſſet Communitati Miniſter Sacramentorum, hic non debet ſingulis miniſtrare Sacramenta, ſi ſit probabile periculum infectionis, ſine quo aliis miniſtrare poſſet, quia ſalus omnium præferri debet ſaluti unius particularis, & Parochus obligatus communitati tenetur ſe illi conſervare, Barboſ. *de Offic. Parochi c.17. n.15.* P. March. *in Trib. t.3. p.1. t.9. t.2. q.6. §.2. R.1.* vocans communem.

756 §.3. Parochus tenetur ingredi domum peſte infectorum, ſi nequeat aliter adminiſtrare Sacramenta neceſſaria: ſi autem poſſit aliter, v.g. ſi æger poſſit exire foras, non tenetur: quod ſi bis terve acceſſit ædes peſte infecti, & tamen reperit imparatum, obligatur ad redeundum, quando erit paratus: Si verò æger malitiosè Parochum repulit, aut debito tempore noluit Sacramenta ſuſcipere, debet nihilominus ad eum redire, ſi intelligat reſipuiſſe, vel adſit magna ſpes illum ad frugem reducendi, quia certum periculum damnationis præferri debet illi moleſtiæ & periculo Parochi obligati ad procurandam ſalutem Ovium.

757 §.4. Si Parochus moraliter certus ſit peſte infectum non eſſe in peccato mortali, Caram. Chapeaville aliique apud Gob. *n.138.* dicunt non teneri accedere pro Sacramento Pœnitentiæ, Verjuys *in Paſt. Miſſion. t.14. art.4.* dicit teneri, ſi petat infectus, habet enim jus confitendi, ergo alter obligationem miniſtrandi, præſertim cum ſciri non poſſit, an quis ſit in gratia: utrùm autem, quando & quomodo teneatur peſtiferis miniſtrare Euchariſtiam & extremam Unctionem, dicemus, quando de illis Sacramentis, poteſtque videri Verjuys *art.8. & ſeqq.*

758 §.5. Si peſte infectus nolit ullum peccatum altè & à longè confiteri, tenetur Parochus propè accedere; non tenetur autem totam Confeſſionem excipere, ſed poteſt uno vel altero peccato audito abſolvere, uti communiter docent AA. apud Verj. *art.5.* qui *art.9.* inter cautelas etiam hanc numerat, ut Confeſſarius nunquam ſe conſtituat inter infectum, & ignem vel feneſtram, quia aer ab infecto trahitur ad ignem vel ad feneſtram, adeoque inficiet Confeſſarium, hinc optimum erit, ſi interponat ignem aut ſaltem candelam inter ſe & ægrum: deinde nunquam debet ſe directè ponere contra infirmum, ſed ad latus averſa facie.

759 §.6. *Suar.* putat in contagione Parochum ipſum teneri ſibi providere de præſervativis & remediis, ſed Chapeav. Gob. & March. *R.3.* dicunt ipſi providendum eſſe à Magiſtratu, quia hic eſt caſus extraordinarius, & pro neceſſitate communi.

760 §.7. Non plenè officio ſuo ſatisfacit Parochus, qui poſtquam moribundum munivit extremis, eum deſerit, nec ulteriùs viſitat, ita Gob. & Steph. *T.5. d.6. n.9.* Ratio eſt, quia quò vicinior eſt mors, eò majus ſalutis periculum ingruit à dœmone infeſtante, & tantò major eſt corporis ac animi infirmitas, ergo tunc maximè tenetur ex officio Parochus ſaluti ſuorum providere. Quod ſi ſemel confeſſus & munitus, peteret iterùm confiteri, putans ſe indigere, quamvis eſſet peſte infectus, Parochus tenetur audire toties quoties, uti rectè Verj. *art.6.*

§.8. Tempore belli, ubi ſpeciale periculum non magis im- 761
minet Parocho quàm Parochianis, tenetur Parochus adeſſe Ovibus, ne deſtituantur Sacramentis, Officiis divinis & ſolatio neceſſario, eſt communis, & patet.

Plura addit Gob. *in Exp. T.2. à n.231.* qui videri poteſt, uti & Verjuys *toto T.14.* Generatim autem, quomodo teneatur Parochus adminiſtrare Parochianis Sacramenta, videri poteſt Leurenius *qu.425.*

Q.137. An Parochus teneatur aliquando Miſſam offer- 762
re pro Parochianis? Reſp. Affirmant cum aliis Sot. Gavant. Bonac. Barboſ. ex Trid. *Seſſ.23. cap.1. de Ref. Cùm præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, Oves ſuas agnoſcere, pro his Sacrificium offerre:* deinde S. Congregatio apud Barboſ. *de Offic. Paroch. cap.11. & de Offic. Epiſc. alleg.24. num.23.* declaravit Parochum non poſſe accipere eleemoſynam manualem pro Miſſa, quando tenetur celebrare: denique Parochus à Parochianis habet ſuſtentationem, & ideò alitur, ut pro eis Miſſas offerat. E contra negant Navarr. Suar. Vaſq. Con. Reginald. Caſtrop. Lugo & alii apud Barb. ſuprà & cum Burgh. *cent.1. caſ.27.* quorum ſententiam Steph. *T.5. d.4. num.66.* defendit velut probabilem, Gob. *de Sacrif. num.492.* velut probabiliorem, hi dicunt Parochum non teneri applicare Parochianis illas Miſſas, quas certis diebus, aut in Feſtis & Dominicis tenetur legere, ſed poſſe pro eis accipere ſtipendium, quia ſufficit, quòd populum paſcat verbo Dei, Sacramentis, lectione Sacrificii, licèt fructum eis ſpecialiter non applicet, obligatio enim applicandi eis fructum eſt diſtincta ab obligatione legendi: unde ad *Trid.* dicunt tantùm velle, ut Parochus in Sacrificio generaliter oret pro ſuis; Sacra autem Congregatio loquitur de Sacerdote, qui aliàs tenetur celebrare pro aliquo, uti pluribus oſtendit Lugo *de Euchar. d.21. n.21.* Utraque ſententia eſt probabilis, prima tamen videtur eſſe conformior Tridentino, & uti agnoſcit *Gob.* declarationi Sacræ Congregationis, ac nititur quadam æquitate præſertim ſecundùm limitationem, quam apponit *Barboſa*, quod Parochus teneatur aliquando pro Parochianis Miſſam legere, *ſecundùm arbitrium boni viri*: notat tamen rectè idem Barboſ. *de Off. Paroch. c.11. n.8.* cum multis aliis, quod Feſto Nativitatis Chriſti non teneatur legere tres Miſſas, ſed ſatisfaciat legendo unicam, & conſequenter reliquas poterit applicare, cui volet. Vide Leur. *p.1. q.427.*

Q.174. Quæ ſit obligatio Parochi circa conciones? Reſp. 763
§.1. Trid. ſic præſcribit *ſeſſ.5. de Ref. cap.2. Paſcant ſalutaribus verbis docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant.* Ex quibus verbis patet non requiri conciones oratorias, uti etiam rectè notat *March.* quia communiter parùm proſunt Parochianis.

§.2. Peccat graviter Parochus diù omittens conciones die- 764
bus feſtis & Dominicis, hinc Bonac. *in Dec. d.5. p.2. n.31.* dicit, ſi omittat per integrum menſem continuum, vel per decurſum totius anni duobus tribuſve menſibus, fore mortale, & ſi pergat ſequente Dominica vel feſto omittere, toties de novo peccaturum mortaliter, uti & illum, qui per culpam ſuam, uti per intemperantiam, ſe reddit ineptum, quò minus concionari poſſit ad tam diuturnum tempus.

§.3. Barboſ. *de Offic. Paroch. c.14. num.9.* Bonac. & alii do- 765
cent Parochum non ſatisfacere officio coram Deo, ſi toto anno ipſemet nunquam concionetur, nam Trid. *ſeſſ.5. c.2. de Ref.* dicit: *Omnes Eccleſiarum Prælatos teneri per ſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum* S. JESU Chriſti *Evangelium*: Tol. tamen *de inſtruct. Sacerd. lib.5. c.5. n.9.* dicit ſatis eſſe, ſi per alium ſemper concionetur, in quam ſententiam etiam inclinat Poſſev. *c.3. num.3.*

§.4. Major eſt obligatio catechizandi, quàm concionan- 766
di, uti omnes docent, & non tantùm pro pueris, qui nunquam ſciverunt, ſed ſæpè etiam pro adultioribus, qui vel non ſciverunt ſatis, vel obliti ſunt: unde pro concione valde utiliter proponet Parochus res ſpectantes ad præcepta Fidei, Spei, Charitatis, Sacramentorum, Juſtitiæ Chriſtianæ. Vide Ler. *p.1. q.429.430. & 440.* Item *q.436.* ubi notat, quos admittere poſſit ad concionandum in ſua Parochia. Item *q.439.* ubi examinat, an ſuos cogere poſſit ad conciones in Parochia.

Q.175. Quandonam potiſſimùm ratione officii ſui gra- 767
viter peccet Parochus? Reſp. Ex communi ſententia peccat graviter, 1. Si deſerat gregem, ut *à num.754.* dictum eſt. 2. Si ignoret ea, quæ neceſſaria ſunt ad officium & directionem ſpiritualem Ovium, cùm enim ſit ex officio Paſtor, Doctor, Judex, Medicus & Conſiliarius in iis, quæ animam ac ſalutem concernunt, graviter peccat admittendo Paſtoratum, ſi ad iſta

deſit

deſit ipſi ſcientia, & quando inſufficientiam advertit, nec poteſt ſufficientiam acquirere, tenetur dimittere, niſi bona fide proceſserit, uti *num.*753. dictum eſt. 3. Si ſit negligens, ut ſi per negligentiam ipſius aliquis moriatur ſine Sacramentis; ſi rudes non inſtruantur, maximè in neceſsariis *neceſſitate medii*; Si peccata non impediat, ubi poteſt, Synodus Aquiſgranenſis *cap.*36. ait, *Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant, teſtante Domino ad Prophetam, ſpeculatorem domui Iſrael dedit te, ſi non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua, morietur, ſanguinem verò ejus de manu tua requiram.* Hinc fallunt magnoperè, ſi putent ſatis eſse Miſſam populo legere, concionari, catechizare, miniſtrare Sacramenta, nam tenentur etiam alia adhibere media, quibus Parochianorum ſaluti proſpiciatur: Parocho dicitur, quod Jerem.1.v.10. *Ecce conſtitui te ∴∴. ut evellas & deſtruas & diſperdas & diſſipes & ædifices, & plantes:* Servire debent ac privatim convenire etiam illos, qui ad templum accedere non poſſunt, eò quòd domum vel pecora cuſtodire debeant, hi enim, cùm plerumque inſtructi non ſint circa media ſalutis, ſunt in gravi neceſſitate ſpirituali, quam levare tenetur Parochus ſecundùm dicta *Lib.*2.*quæſt.*174. Exemplo præivit Apoſtolus: *Vos ſcitis*, inquit Act.20. *quomodo nihil utilium ſubtraxerim, quò minùs annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos.* 4. Si ſit malo exemplo, partim quia vita ejus longè majus præbet ſcandalum, eò quòd ſimpliciores putant ſe rectè omnia agere, ſi non agant pejus quàm Paſtor ſuus; partim etiam quia authoritatem, quam tenentur ſibi facere & conſervare, ut in concionibus & admonitionibus efficaciam habeant, prorſus amittunt, quòd potiſſimùm fit per immoderatas compotationes cum Parochianis.

Meritò legendus eſſet ab omnibus Parochis Barboſa *De Offic. Paroch. cap.*3. cujus titulus eſt: *De gravitate formidandi oneris, quod Parochorum humeris imponitur, dum illis animarum cura committitur:* Item cap.6.*De vita, & honeſtate Parochorum*, ubi expliçat, quo habitu uti, quibus conviviis & ludis intereſſe, quibus negotiationibus licitè vacare poſſit Parochus. Quæ autem ſit obligatio Parochi, ut certos libros habeat & quædam annotet, videri poteſt Leurenius *p.*1.*qu.*432.

DUBIUM VII.

768 *Quæ obligatio Præceptorum, & Diſcipulorum.*

» REſp. Inter Præceptores (idem eſt de Pædagogis) & Diſcipulos eſt quodammodo eadem obligatio, quæ inter Parentes & liberos. *Unde reſolves:*

» I. Diſcipuli peccant, 1. Si Præceptoribus & Pædagogis non exhibeant honorem & reverentiam. 2. Si non obediant in rebus pertinentibus ad ſtudia & bonos mores. 3. Si eos convitiis, vel contumelioſis verbis traducant. 4. Si negligenter ſtudeant, ſcholarum aut ſtudiorum tempore luſui vacent, vel otio. 5. Si pecunias Parentum dilapident vel inutiliter expendant. 6. Si malo fine ſtudeant. 7. Si Gymnaſii ſui Leges, vel Academiæ Statuta (ſi quidem ea ad peccatum obligent) non ſervent. 8. Si ſcientias ſuperſtitioſas aut vetitas addiſcant, vel libros prohibitos legant. 9. Si ſtipendium debitum Doctori ſuo non ſolvant, cùm poſſint, V.Navar. *cap.*23.*&* 25. Fill.*tract.*28.*part.*2.*cap.*10.*quæſt.*1.

» II. Magiſtri & Pœdagogi peccant, 1. Si peccata Diſcipulorum diſſimulent, & non corrigant, quando poſſunt. 2. Si profectum eorum in litteris non ſedulò promoveant. 3. Si non doceant bonos mores. 4. Si ex propoſito falſa doceant ut vera, vel ſuperſtitioſa & ſaluti noxia. 5. Si non ſtudeant ipſi, ut officio ſatisfaciant. 6. Si ſtipendium exigant majus juſto, vel quàm Gymnaſii Leges, aut conſuetudo permittat. 7. Si Doctoratus inſignia negent dignis, vel indignis conferant; quod *Navar.* dicit eſſe mortale; præſertim in Theologia, Jure Canonico, Civili, & Medicina, nam in Philoſophia fortè veniale tantùm eſſe cenſet Cajet. *v.Doctoratus.* 8. Si Diſcipulis malo ſint exemplo. 9. Si malis moribus imbutos, & qui aliis pernicioſi ſunt, ad ſcholas admittant, vel ex iis non dimittant, Vide Trull. *lib.*4. *cap.*1.*d.*1.*num.*2.

TRACTATUS IV.

De quinto & ſexto præcepto.

CAPUT I.

Quid quinto præcepto prohibeatur.

Non occides. 769

» PRohibetur hominis occiſio, mutilatio, verberatio, aliaque ſimilis afflictio injuſta; de qua quæritur, quæ & quando ſit injuſta.

DUBIUM I.

An aliquando liceat occidere vel mutilare ſeipſum.

» REſp. Abſque divina authoritate non licet ſeipſum directè & ex intentione occidere. Ratio, quia eſt contra charitatem ſui; & fit injuria Reipublicæ & Deo, qui eſt ſolus directus abſolutus Dominus humanæ vitæ. Dixi 1. *Abſque authoritate divina*, propter Samſonem & quoſdam Martyres, qui ſeipſos occiderunt, vel ex divina inſpiratione, vel inculpata ignorantia. Dixi 2. *Directè*: quia indirectè quandoque licet ſe occidere, hoc eſt, aliquid facere vel omittere, ex quo præter intentionem mors certò ſequatur, quia præceptum conſervandi vitam, utpotè affirmativum, non ſemper obligat, ſed poteſt omitti propter bonum finem, neceſſitatem, vel magnam utilitatem. S.Th.2.2.*q.*64. V.Fill.*t.*29.*c.*4. *q.*5. & Becan.2.2.*t.*3.*c.*7.*q.*8. *Unde reſolves:*

I. Miles poteſt, imò tenetur perſiſtere in ſtatione, etſi moraliter certus ſit ſe occidendum, Card. Lugo *d.*10.*ſect.*1. Item poſſe ad evertendam turrim hoſtilem, aut ad perdendos hoſtes, pulverem incendere, etſi ſciat ſe obruendum; uti & navem mergere vel incendere; ne hoſtis ea potiatur cum gravi Reipublicæ damno, docet Leſſ.*l.*2.*c.*9.*n.*32. Fagund.*to.*1.*l.*5.*c.*11. Similiter licet ſe objicere telo vel ictui, ad ſervandam vitam Principis, amici ad mortem injuſtè damnati vices ſubire, Leſſ.*num.*30. vel in naufragio tabulam cedere, ex Tol.Leſſ. *l.c.* Lopez 1.*p.c.*65. Item ſervire peſte infectis, vel ad fugiendum incendium ex alto ſe præcipitem dare, cum certo periculo mortis, Leſſ.*n.*31.*&* 35. Fill.*l.c.* Laym. *l.*3.*t.*3.*p.*3.*c.*1.*n.*3. Lug. *l.c.* Ubi tamen everſionem illam turris, & combuſtionem navis, (ſi quidem nulla ſit ſpes evadendi) timidè, & nonniſi ex graviſſima, v.gr. boni publici cauſa, videtur concedere, V.*num.*51. 52. *&c.* Malderum *tr.*3.*c.*1.*dub.*19. Dian.*part.*5.*tr.*4.*R.*26. Fagund.*p.*5.*cap.*11. *num.*6.*& ſeqq.*

II. Etſi virgini non liceat ad caſtitatem ſervandam directè ſe occidere, licet tamen ei certo periculo mortis ſe exponere, etiam pro ſola integritate corporali, licèt rationabiliter præſumeret ſe non conſenſuram: quia integritas iſta magni æſtimatur. V.Laym.*l.c.*

III. Reo licet non fugere, imò etiam ſponte ſe ſiſtere Judici plectendum; licèt poſitivè ſeipſum perimere non poſſit, etiamſi à Judice id ei committatur, V.Leſs.*n.*25.26.*&* 28.Lugo *n.*83. contra Vaſq. *T.*2.*d.*173.*cap.*3.

IV. Etſi Carthuſianus in extrema ægritudine poſſit ſervare vitam veſcendo carnibus, idque probabiliter ei tum liceat, (atque adeò non peccet, qui inſcio præberet cibos ex carnibus, Sanch.Dian.*p.*8.*tr.*7.*R.*70.) licitè tamen & laudabiliter etiam tum omittit, cum certo periculo mortis, ut contra Vaſq.& Gran. docet Dian.*p.*5.*tr.*4. *R.*32. ex Vict. Lorc. *&c.* quia rationabiliter negligit vitam pro bono communi Ordinis, Lugo *num.*33. contra Azor.& Eſcob.*T.*6.*cap.*7.ubi docet, teneri carnibus veſci, ſi exigat neceſſitas, ita ut aliter vitam conſervare non poſſit: quod Sanch.*Conſ.lib.*5.*c.*1.*d.*35. cum *aliis ſex* ita diſtinguit: Si neceſſitas veſcendi ſit ab intrinſeco v.gr. morbo, ex quo judicio Medicorum convaleſcere non poſſit, niſi eſu carnium, ait probabilius eſſe, non teneri veſci, (tametſi licitè poſſit) quia morietur naturaliter ex morbo, cujus ipſe non eſt cauſa: Si verò ſit ab extrinſeco (v.g. ſi ob inopiam aliorum ciborum fame moriendum eſſet) teneri veſci, quia mors illa, cùm ſit violenta, imputaretur.

V. Licet carnem vigiliis & inedia moderatè affligere; qui autem advertens vitam iis notabiliter minui, nihilominus continuaret, peccaret graviter, ut notat Laym.*n.*5.ex Cajet. Etſi hic multi ob bonam fidem, & zelum Deo placendi excuſentur, V.Bonac.*T.*o.2.*de reſtit.d.*2.*q.ult ſect.*1.*p.*5.*n.*9.Fill.*l.c.* Lugo *n.*32.33.36.*&c.* Ubi rectè notat, aliud eſſe procurare abbre-

„ abbreviationem vitæ ſeu mortem poſitivè ſibi afferre; aliud
„ permittere, vel periculum ejus ſubire, vel non adhibere me-
„ dia ad avertendam: prius ait eſſe illicitum, v.g. pœnitentiis
„ indiſcretis, carniſque macerationibus vitam notabiliter ab-
„ breviare; poſterius verò ſæpè licere, ideoque non teneri
„ Carthuſianum carnibus veſci, nec aliquem alium uti pretio-
„ ſa & exquiſita medicina, ad mortem vitandam; nec Sæcu-
„ larem relicto domicilio quærere ſalubriorem aerem extra pa-
„ triam.

„ VI. Excuſantur ægri, qui paulò ante mortem, cauſa hu-
„ militatis vel boni exempli, petunt humi collocari, quia non
„ intendunt vitam abbreviare. V. Vaſq. *l.c.* Addit Laym. *n.*5.
„ non teneri quenquam mediis extra-ordinariis, & nimis du-
„ris, v.g. abſciſſione cruris, &c. vitam conſervare: niſi ta-
„ men ea communi bono ſit neceſſaria, V. Leſſ. *l.c.* Sanch. *d.*34.
„ ubi dicit, infirmum in periculo mortis, ſi ſit ſpes ſalutis,
„ non poſſe medicamenta reſpuere. Non videtur tamen virgo
„ ægrotans (per ſe loquendo) teneri ſubire manus Medici, vel
„ Chirurgi, quando id ei graviſſimum eſt, & magis quàm
„ mortem ipſam horret, Eſcob. *E.*7. *c.*8. ex Turrian. *Sum. P.*1.
„ *c.*263. *dub.*5.

„ Reſp.2. Non licet ſe mutilare, niſi ſit neceſſarium ad con-
„ ſervationem corporis totius; quia nemo eſt ſuorum mem-
„ brorum abſolutè dominus. Leſſ. *d.*14. *Unde reſolves*,

„ I. Non licet ſe caſtrare ad conſervandam caſtitatem, vel
„ ad ſedandas tentationes: quia hoc ad eum finem non eſt ne-
„ ceſſarium. S.Th.2.2.*q.*65. *art.*1. Leſſ. *l.c.* Molin. Fill. *q.*3. *&c.*

„ II. Peccant Parentes, qui filios etiam conſentientes ca-
„ ſtrant, ut ſint utiles cantui. V. Laym. *n.*2.

„ *Quæres*. An ſepeliendus ſit in loco ſacro, qui ſeipſum
„ occidit?

„ Reſp. Id vetant Eccleſiæ Canones: qui tamen non ſunt in-
„ telligendi de iis, qui ex furore, amentia, vel paſſione gra-
„ viſſimæ triſtitiæ, turbata phantaſia id fecerunt; vel qui ante
„ mortem verè de hoc doluerunt. Quòd ſi conſtet quempiam
„ ſeipſum occidiſſe, & dubitetur, utrum deliberatè, an ex ani-
„ mo turbato factum ſit, in praxi privatur ſacra ſepultura, cùm
„ præſumatur ſecundùm opus externum voluntariè eſſe fa-
„ ctum: niſi tamen ex circumſtantiis contrarium colligatur:
„ Si verò dubitetur, à ſeipſo, an ab alio, v.g. ſit præcipitatus
„ in aquam, delictum, tam atrox & contra naturam non præ-
„ ſumitur ſine evidentibus indiciis. Molin. *T.*3. *d.*20. V. Laym.
„ *num.*8. V. etiam Eſcob. *E.*7. *c.*8. ubi dicit, eum, qui mori-
„ tur ex vulnere in duello accepto, ſi vivus ex loco diſceſſit,
„ non eſſe privandum ſepultura Eccleſiaſtica.

ADDENDA.

770 Quæſt. 176. *Quanta ſit obligatio ſervandi vel prolon-gandi vitam?* R. §.1. Circumcelliones hæretici tem-
pore Conſtantini Imperatoris aſſerebant quemcunque homi-
nem ſe interimentem eſſe Martyrem, ſed damnati ſunt in Conc.
Bracharenſi, uti refert Lugo *de Juſt. d.*10. *n.*1. & Mendo *in Stat. d.*4. *num.*43. unde relicto illo inſano errore, dicendum eſt, quandoque eſſe gravem, quandoque nullam obligationem ſer-
vandi vitam vel prolongandi, uti explicat Buſembaum, quibus adde *ſeqq.*

771 §.2. Quamvis poſſit aliquis mortem ſibi directè ex bono fi-
ne optare, v.gr. ut liberetur ærumnis morti ipſi æqualibus, aut ut peccatis ſit liber, uti cum aliis docet Tamb. *lib.*5. *cap.*1. *§.*3. *num.*34. tamen nemini licitum eſt directè ſibi mortem in-
ferre. Ratio diſparitatis eſt, quia actus optantis eſt inefficax, id eſt, ſiſtit in deſiderio, quod ſuam moralitatem deſumit à mo-
tivo, quod poteſt eſſe bonum, neque tendit in læſionem alicu-
jus juris alieni, nam pro talibus circumſtantiis præſumitur Deus conſentire ſeu non reprobare tale inefficax deſiderium: è contra occiſio ſui eſſet actus efficax tendens ad ipſum effectum externum mortis, quo læderetur jus, quod habet ſolus Deus in vitam noſtram. Neminem autem ad peccatum vitandum poſſe ſe occidere, latè probat Bonæſp. *in Noctua dub.*21. *n.*660. idem tenent Dian. *p.*11. *tr.*1. *R.*23. & Lugo *num.*23.

772 §.3. Non eſt eadem obligatio vitam prolongandi, quæ eſt non abbreviandi ſeu conſervandi, ita Paſq. *in Praxi jejun. deciſ.*27. Sanch. *in Conſ. lib.*5. *cap.*1. *d.*33. Gob. *in Quint. T.*5. *c.*1. *num.*30. Ratio eſt, quia *vitam prolongare* importat ſingulare ſtudium, ad quod non tenemur, è contra *non abbreviare & conſervare* importat commune tantùm ſtudium, ad quod tene-
mur: unde non eſt idem non prolongare, & abrumpere vitam, uti rectè Victoria *Rel. de Temp. num.*9. qui cum Fagund. docet, quamvis Medicus diceret aliquem, v.g. utendo vino, poſſe ad decem annos vitam prolongare, tamen poſſe ex mortificatione abſtinere.

773 §.4. Omnes docent non licere abſtinere, v.g. à vino, dire-
ctè ea intentione, ut etiam hora citiùs moriatur, Lugo *num.*32. Gob. *num.*32. quia nemo etiam ad horam eſt dominus vitæ ſuæ: Idem tamen Lugo *n.*31. docet ſtrangulandum poſſe priùs abſti-
nere à cibo, ut ſic debilior factus citiùs ſuffocetur, quod Gob. *n.*75. dicit eſſe probabile, ſe tamen non ſuaſurum, niſi eſſet periculum deſperationis aut blaſphemiæ.

§.5. Licitum eſt abſtinere à parte etiam communis cibi & 774
potus, quamvis mors inde ſequatur citiùs, dummodò ſumatur, quod neceſſarium eſt ad conſervationem individui, Sanch. *n.*11. Paſq. *n.*8. Lugo *n.*34. Gob. *n.*40. Ratio eſt, quia ſic non tollo, ſed tantùm non prolongo vitam, ad quod non teneor, habens finem bonum, qui eſt utilitas ſpiritualis prævalens corporali, & ita fecerunt ſancti viri: quod ſi hoc licitum non eſſet, pecca-
rent plurimi per ſtudia & artes laborioſas nativum calorem cõ-
ſumendo, nam ſic etiam minuitur vita; unde univerſaliter do-
cet Granad. apud Dian. *p.*5. *t.*4. *R.*33. movendum non eſſe ſcru-
pulum, etiamſi quis pœnitentiis, vigiliis, mortificationibus ad obſequium Dei vitam ſuam abbreviet, hoc enim ſpectat ad gubernationem vitæ, quæ nobis à Deo commiſſa eſt, ut ita poſſimus illa uti ad exercitium virtutum, & ad majorem in cœ-
lo obtinendam gloriam: hinc poteſt quis Religionem ingredi, nec tenetur ex illa aut è Novitiatu egredi, etiamſi advertat ab-
ſtinentiam aliaque ſimilia nocere valetudini, & ſic abbrevian-
dam vitam, Lugo *n.*34. Gob. *n.*54. Conſequenter non tenetur Religioſus petere victum à communi diverſum, licèt commu-
nis noceat valetudini, Gob. *n.*60. nec ſalubriorem locum, quam-
vis in eo, in quo eſt, minùs diù ſit victurus, Vict. Sayr. Gob. *num.*59. Quod idem rectè aſſerunt etiam de homine ſæculari Vict. & Lug. *n.*36. quia applicatio rerum valetudini noxiarum aut omiſſio valetudini utilium à ſapientibus non cenſetur occi-
ſio ſui, quando ſit ex cauſa proportionata ſtatui ſuo, vel San-
ctorum exemplo conformi: Si tamen victus ordinarius inferret Religioſo grave incommodum, teneretur Superiori indicare, ut præveniretur majoribus incommodis, non autem teneretur indicare, ſi tantùm cauſet leviora incommoda, ut catharros, ſomnum inquietiorem &c. Gob. *n.*65. *& 66.* Quòd ſi indicarit, & non provideatur, debet acquieſcere & permittere, quidquid ſecuturum eſt.

§.6. Nemo, niſi poſtulet neceſſitas Reipublicæ vel Eccle- 775
ſiæ, tenetur vitam conſervare mediis extraordinariis aut pretio-
ſis, Sanch. Vict. Sayr. Lug. *n.*36. Gob. *n.*34. Ratio eſt, quia non tenemur conſervare niſi mediis ordinariis, ſecundùm dicta *l.*2. *n.*201. imò Vict. *n.*1. & Sayr. *l.*7. *c.*9. *n.*28. dicunt hominem non teneri conſervare vitam medicinis, quia incertum eſt, an eam non plùs minuant quàm prolongent: Similiter docet Sanch. *n.*4. neminem teneri quotannis ſumere medicinam, v.g. ad præca-
vendas febres, quamvis eſſet probabile periculum febris & mor-
tis, hæc enim non ſunt ordinaria media vitam conſervandi: ad-
dit tamen *n.*5. omnes teneri, dum ægrotant, ſi commodè poſ-
ſint conſulere Medicos, & uti cibis ſalutaribus, quia hæc ſunt media ordinaria & facilè parabilia, ideoque etiam Boudervins *p.*2. *q.*8. dicit ægrum periculosè laborantem, cui copia eſt Me-
dicorum & mediorum, teneri illis uti, ſi aliter ſanari non poſ-
ſit: addit *q.*9. quoties notabile periculum imminet ex omiſſione conſilii, teneri ægrum in licitis & honeſtis obedire Medico.

§.7. Docet idem Bouderv. *qu.*12. ſi notabile corpori dam- 776
num vel vitæ periculum immineat, teneri Patientem admittere etiam inſpectionem corporis; rationem dat, quia erubeſcen-
tia, quæ deterret, habet ortum à peccato, & vincenda eſt per mortificationem, nam ratione illius, quod culpa noſtra con-
traximus, non eſt nobis licitum aliquid contra Jus, quo Deus nos obligat ad conſervandam vitam: Nav. *tamen*, Leſſ. Bal-
del. Bonac. J. Sanch. Tamb. §.4. *n.*25. cum *Buſembaum* docent puellæ licitum eſſe negligere curationem ſui morbi, ne tangatur in partibus inhoneſtis, quia nemo tenetur admittere curatio-
nem, à qua non minùs abhorret quàm ab ipſo morbo: notant tamen rectè Turrian. & Dian. *p.*5. *t.*3. *R.*158. teneri admittere ſibi applicari medicinas ab alia honeſta fœmina.

§.8. Licitum eſt reſpuere medicinas, ut ſic tolerentur gra- 777
ves dolores citrà periculum mortis, Sanch. *n.*8. & ſic Ludovic. de Ponte teſte Lamparter *in ejus vita lib.*3. *c.*4. *§.*8. fecit, ut medi-
cina non applicaretur oculo, quem falſus humor planè eripuit.

§.9. Si tanta ſit dejectio animi & appetitus, ut æger non niſi 778
per ſummum laborem & cruciatum poſſit cibum aut potum ſu-
mere, *Vict.* ſuprà excuſat eum à mortali, ſi reſpuat, licèt mors inde ſequatur, quia tum eſt quædam impoſſibilitas moralis, quod maximè valet, ſi ſit ſpes exigua vitæ.

§.10. Damnatus à Judice ut fame vel ſiti pereat, poteſt re- 779
jicere victum aut potum oblatum, uti docent Leſſ. *de Juſtit. l.*2. *cap.*9. *num.*24. Laym. *lib.*1. *tr.*4. *c.*18. *num.*9. Gob. *num.*68. Si au-
tem per vices repetitas ſic poſſit tandem evadere mortem, Lu-
go *numer.*30. & Gob. dicunt teneri admittere, ſed ſi ſenten-
tia ſit juſta, videtur non teneri, poteſt enim permittere illius in ſe executionem, uti poteſt non fugere ex carcere, quamvis ſciat ſe morte afficiendum, uti docent Sot. Azor. Mald. Leſſ. & alii apud Dian. *part.*5. *tract.*4. *Reſol.*41. contra alios: imò Leſſ. aliique cum Lug. *n.*38. docent licere ſe Reum offerre Judici, ut

ſecun-

ſecundùm juſtitiam de eo diſponat: an autem liceat ſe, v.g. è turri præcipitare, ne acerbiore morte afficiatur, videri poteſt Lugo *n.*50.

780 §.11. Si Titius injuſtè ad mortem damnetur, poteſt alius ex motivo alicujus virtutis loco illius ſe offerre, uti colligitur ex dictis *l.*2.*n.*177. Si autem Titius juſtè damnetur, non poteſt ſe offerre alius, quia ſic Judicem volentem juſtè occidere nocentem, induceret ad injuſtè occidendum ſe innocentem, Lugo *n.*49. Tamb.*l.*6.*c.*2.§.2.*n.*5.

781 §.12. Si damnato ad mortem præcipiatur, ut exequatur in ſe ſententiam, v. g. venenum bibat, venam ſibi aperiat, ſe in ignem conjiciat, poteſt, ſi velit, illa facere, uti poteſt in ſe exequi pœnam exilii, quia tum conſtituitur Miniſter publicus ſuæ necis, uti docent cum aliis multis Haunold.*dejuſt.to.*1.*t.*2. *n.*613.& Illſ.*t.*4.*d.*3.*n.*56.contra Salas,Leſſ.Lug.*num.*25.Buſem. & alios apud Dian.*ſup.Reſ.*39. item poteſt facere omnia, quæ ipſi implicitè præcipiuntur, v.g. ſcalas aſcendere; ſi tamen non jubeatur, non poteſt ſeipſum dejicere è ſcalis, quia ſic ſe occideret authoritate propria,& hoc tantùm vult S.Th.2.2.*q.*64.*a.*5. *ad* 2. uti rectè Illſ. poſſe tamen, etiamſi non jubeatur, collo circumligare funem, docet Tamb.§.1.*n.*5. quia hoc habet ſe indifferenter & remotè ad mortem. Quòd ſi tamen nollet talia in ſe exequi, non obligaretur, quamvis juberetur, quia nimis durum videtur aliquem ſui ipſius carnificem agere, ita omnes communiter cum Dian.*R.*40.

782 §.13. Catholico optanti Martyrium licitum eſt non fugere è carcere, quamvis poſſet commodè, quia vix aberit ſcandalum; & quamvis abeſſet, tamen profeſſio fidei & teſtificatio fidelitatis in Deum eſt ſufficiens cauſa in eis circumſtantiis permittendi occiſionem ſui; quando autem Chriſtus Matth.5. dicit: *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, vel non mandat, ſed dicit, quid facere poſſint; vel ſi mandet, mandat illis, qui ad propagationem fidei erant neceſſarii: item non mandat hoc carcere clauſis, ſed adhuc à carcere liberis, quando nondum eſt occaſio proxima profitendæ fidei & teſtificandæ ſuæ in Deum fidelitatis. V.Lugo *num.*47. Non eſſe autem licitum ex ſola cupiditate Martyrii ſe ingerere in Martyrium, rectè docent S.Thom.Cajet. Sanch. aliique cum Gob. *in Quin.t.*5.*cap.*18.*n.*51.unde nec abſque neceſſitate licitum eſt infidelibus dare occaſionem ſui occidendi; ex juſta tamen cauſa id liceret, uti rectè Lugo *num.*39. apud quem circa iſta poſſunt plura videri.

783 §.14. Circumforanei ſumentes venenum, ut oſtendant efficaciam ſui remedii, non peccant graviter, ſi valetudinem non vitient notabiliter, quia periculum vitæ excuſatur per remedium moraliter certum, Dicaſt. Tamb. §.2. *num.*12. Dian. *R.*38. *& alii*.

784 §.15.Poſſet mulier non potens parere admittere exciſionem, ut infans baptizetur, ſaltem ſi aliqualis ſpes evadendi affulgeret, ad hoc tamen non obligatur, Bouderv. *Q.*20. quem caſum doctè tractat *Rayn.*De ortu infantium per ſectionem Cæſaream, ubi dicit ſpem ſemper affulgere, & nunquam ſectionem eſſe per ſe lethalem, cujus ipſe tradit praxin. Quòd ſi infans in utero mortuus ſit, docet Bouderv.*ſuprà*, matrem non teneri, ut vitam conſervet, ejus exciſionem pati.

785 §.16. Dubium eſt, an tenearis admittere, v.gr. ſectionem rupturæ, vel tibiæ abſciſſionem, ſi prævideas te alioquin ideò moriturum; aliqui affirmant, quia non es dominus vitæ tuæ; alii negant, quia nemo tenetur media extraordinaria & valde difficilia adhibere ad conſervandam vitam; quòd ſi tibi à Superiore graviter mandaretur, ſecundùm Nav. Leſſ. & alios tenereris, quia obedientia etiam ad res arduas obligare poteſt: ſecundùm Salon.Sot.Dicaſt.Lug.Dia.Burgh.*cent.*2.*caſ.*39. non tenereris, quia res tam arduæ, quæ communiter humanam fragilitatem ſuperant, ſuntque fermè æquè acerbæ ac mors ipſa, non cadunt ſub obedientiam; excipiunt tamen, niſi talis homo eſſet neceſſarius Reipublicæ vel Communitati, remedium verò foret certum & ſecurum, tum enim putant teneri admittere; omnes illæ ſententiæ ſunt probabiles.

786 §.17. Poteſt quis ſibi amputare manum, ut liber catena evadat mortem, pars enim meritò poſtponitur toti, Lugo *n.*21. & 22. Steph.*t.*4.*d.*5.*n.*6. Poteſt etiam quivis alius tibi hoc facere cum tuo conſenſu, Hurtad.& Dian.*in Comp.v.Homicidium num.*10.

787 §.18. An & quomodo liceat militi navem, in qua eſt, ne in manus hoſtium veniat, accendere, aut turrim evibrare, prævidens ſe certò occidendum, videri poteſt Mendo *d.*4. *q.*6. ubi tanquam probabilius defendit eſſe illicitum; Lugo à *nu.*51. putat in cauſa boni publici eſſe licitum, ſi ab hoſtibus eras occidendus.

DUBIUM II.

An, & quomodo liceat occidere malefactorem? 788

REſp. Extra cauſam neceſſariæ defenſionis, de quo infrà, nulli id licet, niſi authoritate publica, & Juris ordine ſervato, ut patet *Exodi* 22. *Et Rom.*13. *Unde reſolves:*

I. Non licet marito uxorem, aut patri filiam occidere in adulterio deprehenſas, quia ad id non habent authoritatem publicam, & Leges civiles id permittentes, à Jure Canonico ſunt correctæ, tanquam iniquæ. Secus eſt de proſcriptis, quos occidendi cuivis authoritas publica datur: idque non injuſtè, cùm ad Reip. defenſionem ſit neceſſarium. Peccant tamen, qui non ex zelo juſtitiæ, ſed odio, aut privatæ vindictæ cauſa faciunt. V.Laym.*l.*3.*t.*3.*p.*3.*c.*1.

II. Peccat Princeps,vel Magiſtratus,(regulariter loquendo) *v.infrà l.*4.*c.*3.*dub.*1. qui occidi jubet Reos non citatos vel non auditos, vel non damnatos etſi privata ſcientia conſtet eſſe nocentes: quia ex jure naturæ, actus publicus fieri debet ex ſcientia & authoritate publica, V.Cajet.*v.Homicidium*, Fill.*tract.*29 *num.*27. Bonac.*T.*2.*de Reſt.d.*2. *q.ult. ſect.*1.*p.*2.*num.*7. Et infrà *lib.*4.*cap.*3.*d.*1.

ADDENDA.

*Quæſt.*177. *An liceat marito occidere uxorem in adulterio deprehenſam?* R. Non licet, hinc ab Alexand. VII. damnata eſt hæc propoſitio 19. *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehenſam*. Circa quam damnationem notanda ſunt aliqua. 789

§.1. *L. Patri*, 20. *ff. ad Leg. Jul. de adult.* datur jus occidendi adulterum cum filia peccantem; ibidem *L. ſi adulter*, *& L. Marito*, etiam conceditur poteſtas occidendi adulterum cum ſua uxore deprehenſum: item in quibuſdam Regnis permittunt Leges maritis occidere uxorem non gravidam in adulterio deprehenſam, uti referunt Lugo *de Juſtit.d.*10.*num.*84. & Mendo *in Stat.d.*3.*qu.*2 *num* 17. Putantque multi Juriſtæ apud illos, item Th. Hurt. & Caram. apud Nicol Du Bois ad hanc propoſitionem damnatam, quod quibuſdam etiam aliis apud *Lugo* videtur probabile, illos non peccare, quia videntur facere authoritate publica, quam à Legibus accipiunt, per quas videntur ſtatui Miniſtri Juſtitiæ, Papa autem tantùm damnat, ſi fiat authoritate propria.Oppoſita ſententia eſt omnino tenenda,quam plurimi ſequuntur cum Lugo *num.*91.Mend.*num.*21. Barboſa, qui refert pro ea Authores 48. Probatur autem ex Jure Canonico, nam Nicolaus I. *Cap.Inter hæc* 33. *Quæſt.*2. expreſsè declarat ejuſmodi occiſionem non licere ſecundùm Leges Eccleſiaſticas, eſtò liceat ſecundùm civiles quæ non tollunt rationem culpæ,nec reipſa dant in conſcientia jus ſic occidendi, ſed tantùm volunt, ut talis occidens non poſſit in foro externo puniri, permittunt enim impunè fieri, ut indulgeant vehementi & juſto dolori, unde etiam rectè notat Lugo *n.*96. eum, qui occidit ejuſmodi adulterum Clericum, licèt peccet, tamen non incurrere excommunicationem, à qua excuſet vehementia juſti doloris, qui impellit.

§.2. Leges civiles, quæ darent facultatem authoritate publica occidendi adulterum aut adulteram, eſſent iniquæ, adeoque nullæ, Molin.Lugo *num.*91. Ratio eſt, 1.Quia permittunt occidi Clericum uti Laicum, eſt autem contra Jus Eccleſiæ, ſi poteſtas laica ſe conſtituat Judicem Clerici. 2. Quia quando delinquens capi poteſt, audiri, & ſervato ordine Juris condemnari, Jus naturæ dictat ita eſſe faciendum, niſi fortè eſſet grave periculum in mora, aut aliæ circumſtantiæ honeſtarent: hinc docent Sanct. Antonin. Sanch. & alii cum Lugo *num.*99. nè Judici quidem licere aliter procedere, ſi inveniret adulterum cum ſua uxore; atqui ita eſt in noſtro caſu, oppoſitum autem eſt de Bannitis, uti dicetur *num.*794. ergo. 3.Eſt contra charitatem, aliquem extra graviſſimam neceſſitatem occidere, qui ſcitur eſſe in mortali, nec per tempus poſſe ad gratiam ſe diſponere, hoc autem hic fieret, ergo. *Si dicas*, Deum *Num.*35. conceſſiſſe poteſtatem propinquis & cognatis occiſi, ut interficerent homicidam; R. Id potuiſſe Deum, qui eſt Dominus abſolutus vitæ & necis; deinde illa poteſtas à Deo data preſupponebat aliquam ſententiam Judicis,uti oſtendunt Laym. & Lugo *n.*98. 790

§.3. Ex his patet propoſitionem relatam rectè eſſe damnatam, dicit enim licere privata authoritate, quod eſt omnino improbabile. 791

*Q.*178. *An banniti, publici graſſatores vel criminoſi poſſint ubique, & promiſcuè ab unoquoque occidi?* R. Banniti dicuntur, qui publica authoritate declarati ſunt rei mortis, & de his aliiſque criminoſis reſolvuntur ſeqq. 792

§.1. Peccaret mortaliter filius, qui patrem ſuum bannitum occideret, quia id graviter repugnat charitati ex Lege

natu-

naturali debitæ Parentibus, Tamb.*lib.6.cap.*1.§.4. & alii.Idem dicit Laym.*l.3.tr.3.par.3.c.2.num.*2. de Parentibus reſpectu filiorum, de uxore reſpectu mariti; ſi tamen pater nullo modo aliter ab armis contra patriam averti poſſet, putant*Jul.Clarus, Dicaſt. & Laym.* poſſe occidi à filio, quia prævalet bonum univerſale patriæ, quæ eſt communis omnium mater.

793 §.2. Clericus in majori Ordine conſtitutus graviter peccat, ſi occidat bannitum, eſt communis contra *Riccium*. Ratio eſt, quia Eccleſia *Cap. Sententiam, Ne Clerici vel Monachi*, graviter prohibet Clerico, ne ſe in cauſas ſanguinis etiam juſtas immiſceat, ideoque *Sot.& Tol.* putant etiam Clericum in minoribus Ordinibus conſtitutum peccare leviter, ſi talem bannitum occidat.

794 §.3. Reliquis hominibus privatis licitum eſt occidere bannitos, quia quivis, publica authoritate, eſt conſtitutus Miniſter publicus Juſtitiæ in illos exequendæ: cur autem à Republica fiat poteſtas hos occidendi ſine peccato, è contra peccet maritus occidens adulterum vel uxorem, diſparitas eſt, quia banniti ſunt Reipublicæ hoſtes, qui nec capi nec accuſari poſſunt, ideoque ob bonum commune conceditur ea facultas: adulteri autem non ſunt Reipublicæ hoſtes, & poſſunt capi atque excuſari.

795 §.4. Bannitus poteſt occidi ſolùm in territorio Principis, qui illum proſcripſit, non autem in alieno, niſi tacito vel rationabiliter præſumpto conſenſu alterius Principis, in cujus territorio eſt,ita communior cum Moya *T.6.d.3.q.*3. Ratio eſt, quia exiſtens in territorio alieno eſt ſub alterius poteſtate, ergo ſi occidis, hoc altero invito, facis huic injuriam, imò & bannito, quia illum occidis ſine legitima authoritate Magiſtratus, cui nunc ſubeſt: quia tamen AA. contrariæ ſententiæ, quos referunt Laym.ſuprà, Dian.*p.*5.*t.*4.*R.*24.Moya *n.*2. *&* 3. putant communiter adeſſe conſenſum tacitum alterius Principis, ideò abſolutè docent licitum eſſe occidere in alieno etiam territorio: Bannitus autem à Papa poteſt occidi ubique, uti docent Fill. Eſcob.Diana ſuprà, Moya *n.*6. quia Papa habet Juriſdictionem per totum mundum, ſaltem indirectam etiam in temporalia, quantum neceſſe eſt ad adminiſtrationem ſpiritualium, uti tenent Catholici omnes, & demonſtrat Suarez contra Regem Angliæ *lib.*3. *c.*23.

796 §.5. Si quis necdum ſit bannitus, quamvis ſit publicus graſſator & raptor, per ſe loquendo, non poteſt à quovis occidi, eſt contra Dian. *ſuprà*. Ratio eſt, quia necdum publica authoritate eſt condemnatus, ergo qui occidit, privata authoritate occidit, ergo graviter peccat.

797 §.6. Lictoribus vel ſatellitibus non eſt licitum occidere malefactorem, quem juſſi ſunt comprehendere, & qui ſe opponit, ne comprehendatur, niſi concurrant hæ ſex circumſtantiæ. 1. Debent lictores habere certum & ſpeciale mandatum à Magiſtratu de capiendo illo: 2. Capiendus debet armata manu reſiſtere: 3. Crimen debet eſſe atrox & capitale: 4. Capiendus non debet poſſe ullo alio modo capi: 5. Debent ab ipſo, ſi evadat, graviora mala timeri: 6. Capiendus debet de crimine ſufficienter eſſe diffamatus. Si horum unum deſit, non eſt licitum occidere volentem ſe ex eorum manibus eripere, ita Jul.Clarus, Fachin. Farinac. apud Dian.*p.*8.*t.*7.*R.*44.

DUBIUM III.

798 *An, & quomodo liceat occidere privata authoritate iniquum aggreſſorem.*

„ REſp. Jus naturæ permittit, ut vim vi repellas, & aggreſſorem, qui iniquè eripere tibi conatur vitam aut „ quæ ad eam honeſtè agendam tibi ſunt neceſſaria, ut bona „ temporalia, honores, pudicitiam,membrorum integritatem, „ prævenias & occidas: ita tamen,ut id fiat animo te defendendi, & cum moderamine tutelæ inculpatæ; hoc eſt, non in fe„ rendo majus damnum, nec utendo majore vi, quàm neceſſà„ rium eſt ad arcendam injuriam. Ita communiter S.Tho.2.2. „ *q.*64.*art.*7.Mol.*&c.* Leſſ.*l.*2.*c.*9.*num.*44. *Unde reſolves:*

„ I. Non licet Reo occidere Miniſtros Juſtitiæ,à quibus ad „ carcerem, vel ad ſupplicium trahitur, uti nec licet id proſcripto, ut notat ex communi Laym.*l.*3.*t.*3.*p.*3.*c.*2.quia non „ ſunt iniqui aggreſſores.

„ II. Etſi ob contumeliam aliquam,v.gr. ſi viro honorato di„ catur, *mentiris*, non liceat alterum occidere, eò quòd aliter repelli poſſit, ac ſoleat, Leſs.*n.*78.Azor.Hurt.*&c.*Dian. „ *p.*5.*t.*4.*R.*12.*&* 13.licere tamen, ſi aggreſſor fuſtem, vel ala„ pam viro valde honorato impingere conaretur, quam aliter „ avertere non poſſet docent cum Dian.*R.*4.Leſs.*n.*77.Hurtad. „ & alii 12. Verùm & hoc videtur in praxi periculoſum.

„ III. Si fuſte, vel ſolo vulnere, vel amputatione brachii, „ vel aliter arcere injuſtam vim potes, non licet occidere. Un„ de ſi quis ſit perſona talis, cui non ſit dedecus fugere, debet „ fugere potiùs, ſi poteſt, & ſervare ſe: ſecus autem, ſi turpe „ ſit fugere, v.g. Viro nobili, vel Officiali bellico, niſi rurſus „ hic & nunc id tali turpe non eſſet, ob præſtantiam invaſoris, „ vel alias ejus qualitates, v.g. quia ebrius eſt, vel amens; ta„ lem enim occidere non licet, quando poteſt fugere. Mald. „ Dian.*R.*9. V.Laym. *cap.*3. „

IV. Non licet occidere furem ob res exiguas: licet autem, „ ſi quis auferat honorem valde notabilem aut bona magni „ momenti:niſi tamen alia via,v.g.Juris,vel aliter arceri aut re„ cuperari poſſint. Quare quando Jura ſignificant, furem no„ cturnum occidi impunè, non autem diurnum, præſuppo„ nunt, quòd plerumque nocturni non poſſint aliter arceri, „ diurni autem poſſint: alioqui enim,ſi nocturnus poteſt capi, „ non debet occidi; & ſi diurnus non poteſt capi, nec repeti „ ab eo, quod aufert, niſi occidendo, id licet: ea tamen non „ debent eſſe parvi momenti, & minimùm unius aurei, ſecun„ dùm Molin.*Tom.*4.*tr.*3.*d.*16.*n.*7. V.Laym.*cap.*3. vel potius „ ſecundùm alios apud Dian.*par.*5.*tr.*4.*R.*18. duorum: quan„ quam & hoc Dianæ *l.c.* nimis laxum videatur: imò Bonac. „ *de Reſtit.d.*2. *qu.ultim.ſect.*1.*p.*10. rem non magni valoris hic „ cenſet, etſi ſit trium vel quatuor aureorum. Si tamen talem „ (fur v.g.) uſurpet videntе ac reſiſtente Domino, aut cuſto„ de, aut huic vim faciat, v.gr. repetentem incipiat ferro in„ vadere,permittunt cædem Bonac.Dian.*&c. loc.cit.* uti etiam„ ſi dubium ſit, an res poſſit aliter ſervari, aut recuperari, „ Bonac. *loc.cit.* quia nemo (inquit) tenetur ſe exponere pe„ riculo amittendi res ſuas. Vid.Laym. *cap.*3. Nav. Leſs.*d.*11. „ Dian.*lib.*2. „

V. Probabilius eſt, hæc etiam licere Clericis & Religio„ ſis, ob bona temporalia: Jura verò in contrarium afferri „ ſolita, intellige, quando non ſervatur moderamen inculpa„ tæ defenſionis, Laym. *loc.cit.*Tann.*T.*3.*d.*4.*qu.*8.*d.*4. Eſcob. „ *E.*7.*cap.*8. Ubi etiam docet ex Tanner.*num.*68. licere virgini „ occidere invaſorem pudicitiæ, ſi violationem nequeat aliter „ evadere. „

VI. Cùm tamen iniquus aggreſſor ſit in periculo ſalutis „ poteſt quis ex charitate ei parcere, & injuriam potiùs pati, „ ſed non tenetur, eò quòd alter, ſua malitia, ſit in iſto pe„ riculo, Laym. *ibid.* „

VII. Non licet occidere, ſi injuria jam eſt contracta vel „ aggreſſor jam fugit: quia id non eſſet ſe defendere, ſed vin„ dicare, uti docet Tol.Rodriq. Sed Henriq.& Navarr.*cap.*15. „ *num.*5. Fernandez*par.*1.*cap.*9.§.1. dicunt, ſi læſus magnam „ faceret jacturam honoris, niſi fugientem mox perſequeretur „ poſſe eum perſequi, & percutere, quantùm eſſet ſatis ad de„ fenſionem honoris:quod Laym.Bon.Leſs.*num.*79.*&* 80.Fil. „ Lugo *&c.* putant practicè vix poſſe fieri ſine vindicta: etſi „ ſpeculativè videatur eſſe probabile, v.Dia.*p.*2.*t.*1.*R.*15. Con„ cedit tamen Lugo, Mol.Leſs. *n.*74. *&c.* cum Dian. *p.*8.*t.*7. „ *R.*47. licere furem fugientem v.g. cùm equo tuo, conficere „ telo vel ſagitta; quia invaſio adhuc durat. Etſi verò id non „ liceat, poſtquam in tutum ſe recepit, ſi tamen per Judicem „ non poſſis recuperare rem tuam, potes ingredi locum, ubi „ illa detinetur, eamque tibi vendicare, & ſi alter vi impediat, „ vim vi repellere, Tanner.Leſs.*num.*45.Mald.Hurt.Dian.*p.*5. „ *t.*4.*R.*37.*&p.*8.*t.*7.*R.*47. „

VIII. Ad defenſionem vitæ & integritatis membrorum, „ licet etiam filio,Religioſo & ſubdito,ſe tueri,ſi opus ſit, cum „ occiſione, contra ipſum Parentem, Abbatem, Principem: „ niſi fortè propter mortem hujus ſecutura eſſent nimis magna „ incommoda, ut bella, &c. Sylv.Bonac. *p.*8. „

IX. Licet quoque occidere eum, de quo certò conſtat, „ quòd de facto paret inſidias ad mortem: ut ſi uxor v.g. ſciat „ ſe noctu occidendam à marito; ſi non poteſt effugere, licet „ ei prævenire, Nav.Leſs.*num.*45.*tr.*29.*num.*39. „

X. Hinc etiam dicunt alii ut Sanch.2.*Mor.c.*39.*& alii*, li„ cere occidere eum, qui apud Judicem falſa accuſatione, aut „ teſtimonio, &c. id agit; unde certò tibi conſtat, quòd ſis oc„ cidendus, vel mutilandus, vel etiam (quod alii difficiliùs „ concedunt) amiſſurus bona temporalia, honorem, &c. quia „ hæc non eſt invaſio, ſed juſta defenſio, poſito quòd de alte„ rius injuria tibi conſtet, nec ſit alius evadendi modus, Leſs. „ *n.*47. Tamen Fill & Laym. non audent id defendere,propter „ periculum magnorum abuſuum. V.Eſcob. *Ex.*7.*c.*8. Hurt. „ Lugo *d.*10.*ſ.*7. Dian.*p.*8.*t.*7.*R.*52. „

XI. Quandocunque quis juxta ſupradicta habet jus alium „ occidendi, id poteſt etiam alius pro eo præſtare, cùm id „ ſuadeat charitas, Fill.Tann.*d.*4.*q.*8.Molin.*d.*18. An autem, „ & quando ad hoc teneatur, vid. Leſs.*l.*2.*c.*9.*d.*13. Dian.*p.*5. „ *tr.*4.*R.*9.14.*&* 20. „

ADDENDA.

799 QUæſt. 179. *Quid notandum ſit circa aliquas propoſitiones hic damnatas?* R. Inter damnatas ab Alexand. VII. ſunt, 17. *Eſt licitum Religioſo vel Clerico calumniatorem*

rem gravia crimina de ſe vel de ſua Religione ſpargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur: ſi calumniator ſit paratus vel ipſi Religioſo vel ejus Religioni publicè & coram graviſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. 18. *Licèt interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.* Prætereà inter damnatas ab *Innocentio XI.* hæc eſt 30. *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam vel fuſtis ictum fugiat.* Secundùm has damnationes, in primis intelligenda ſunt vel limitanda aliqua, quæ hic affert Buſembaum, deinde pro meliori intelligentia adde ſequentia.

800 §.1. Quamvis ſecundùm prop. 17. ab Alex. VII. damnatam certum ſit, illicitum eſſe Religioſo vel Clerico eum occidere, qui alioquin certò & proximè illaturus eſt calumniam, tamen Haunold. *de juſt. T. 1. t. 2. à n. 655.* Mendo *in Stat. d. 4. q. 2.* aliique docent id licere laicis ſæcularibus, quod Molin. Leſſ. Bon. aliique cum Lugo *de Juſt. d. 10. n. 165.* dicunt eſſe probabile; rationem dant, quia in homine ſæculari potior eſt fama & honor, quàm bona externa, imò quàm vita ipſa, atqui propter hæc licitum eſt occidere eum, qui certò & proximè aggreſſurus eſt, niſi occidatur, ergo etiam licitum eſt occidere propter famam vel honorem: diſparitatem verò de Clericis & Religioſis aſſignant, quia hi ratione perfectioris ſtatus, quem profitentur, & ex virtute Religionis tenentur etiam talis honoris jacturam ſubire pro ſalute proximi, ſi id neceſſe ſit, honor enim talis mundanus debet videri levis illi, qui vitam & humilitatem Chriſti propius ſequitur & profitetur, ideoque cenſetur renunciaſſe tali honori. Hæc ſententia videtur amiſiſſe probabilitatem, propter prop. 30. ab *Innocentio XI.* damnatam, quæ indefinitè loquitur de viro honorato, abſtrahendo an ſit Clericus, an Religioſus, an laicus, hinc abſolutè tenendum eſt cum Bonæſpei *in Noct. d. 20. & de Juſt. d. 19. n. 48.* Carden. *in 2. criſi d. 21. c. 2.* nunquam, etiam laico, licitum eſſe occidere aliquem, eò quòd invadat præcisè famam vel honorem; hinc etiam Lugo in fine addit: *In praxi vix poteſt occurrere caſus, in quo id neceſſarium & licitum ſit.* Ratio eſt 1. Quia occiſio infamatoris non eſt certum medium conſervandi famam, imò ſæpè eam plus inficit. 2. Quia talis defenſio famæ eſſet in certam & maximam perniciem Reipublicæ, uti demonſtrat Carden. ſupra, præſertim cùm quiſque ex invidia, alio malo affectu, vel præoccupatione judicii ſibi facilè fingeret ab hoc vel illo imminere proximum periculum infamiæ. Ad argumentum oppoſitum diſparitas eſt, tum quia licèt fama & honor ſit bonum nobilius, tamen non eſt ita neceſſarium ad communem vitam, neque ita cenſetur à nobis poſſideri, cùm ſit res, non tam honorati, quàm honorantis; tum etiam quia bona corporis vel fortunarum, ſi ſemel ſint amiſſa, recuperari non poſſunt, (ſi enim probabiliter recuperari poſſent per authoritatem Judicis, non eſſet licitum occidere raptorem) è contra bona famæ vel honoris recuperari facilè poſſunt, ſaltem authoritate Judicis. Videri poteſt Illſung. *T. 4. diſp. 3. n. 69.*

801 §.2. Quamvis ſæculari laico licitum eſſet occidere eum, qui certò & proximè parat calumniam, ſi aliter impediri non poſſet, tamen hoc tantùm liceret, quando parat extrajudicialiter, non autem ſi judicialiter vellet calumniam impingere; rationem dat *Du-Bois* ſuper propoſ. ab *Alexandro VII.* damnatas poſt *c. 11. num. 86.* quia publica ſecuritas aliud exigit, nam in jure habetur, & ex ratione conſtat ſpectare ad bonum commune, ut non impediatur accuſatio, teſtificatio, Judicium & Juriſdictionis executio, ſi autem aliquando liceret occidere accuſatorem, teſtes vel Judicem, meritò deterreri poſſent homines ab accuſatione, à teſtimonio dando & à ſententia ferenda; ne fortè ſub prætextu falſitatis vel iniquitatis à Reo prætenſæ occidi poſſent, hoc autem inconveniens non eſſet, quamvis laico liceret occidere alium quàm accuſatorem, teſtem vel Judicem: Quinam autem docuerint licere occidere falſum accuſatorem, teſtem, Judicem, videri poteſt apud Moyam *T. 6. d. 3. q. 1. §. 1.*

802 §.3. Quando honor impetitur, non tantùm verbo, uti ſit per calumniam, ſed etiam facto, Carden. *c. 2. a. 4.* dicit, quod liceat eum tueri armis, quamvis poſteà ſequatur occiſio, non ad defendendum ſolum honorem, ſed etiam vitam vel aliud bonum æquiparabile, ponitque hæc exempla: Titius maritus ſcit adulterum certa hora velle ingredi ad uxorem ſuam, Titius poteſt ei gladium opponere, ut emaneat, ſi autem adulter viciſſim ſtringat gladium viam vi facturus, ſi Titius aliter nequeat arcere, poteſt occidere, & in hoc tuetur, non ſolùm honorem ſuum, ſed jus thori & honeſtatem uxoris ſuæ, imò etiam vitam ſuam, quam adulter eriperet, ſi Titius ſe non defenderet. Item, ſi Titius fuſte intentet ignominioſam percuſſionem Cajo, qui ſine gravi nota aliter declinare non poteſt, poteſt Cajus opponere gladium, quòd ſi Titius viciſſim gladium opponat, jam non tantùm aggreditur honorem, ſed etiam vitam Caji, unde Cajus, ſi aliter non poſſit, poteſt defenſione etiam occiſiva vim arcere. Item, ſi deflorator virgini vim intentet, poteſt virgo, ſi aliter nequit, arcere vim defenſione etiam occiſiva, uti ſupponunt omnes communiter cum Lugo *de Juſt. diſp. 10. ſect. 10.* quia in eo non defendit ſolum honorem, ſed etiam integritatem corporis ſui. Idem eſt in ſimilibus caſibus, ubi non ſolus honor defenditur: ſed etiam aliud bonum magni momenti, neque tantùm defenditur à contumelia, ſed etiam ab alia violentia, ad quam arcendam quiſque jus habet, cùm vim vi repellere Jure naturali, divino & humano ſit licitum, ſaltem tum, quando eſt proportio inter vim, quæ infertur, & vim, qua repellitur, uti obſervat idem Carden. *n. 93.*

§.4. Non teneris fugere invaſorem, ſi per hoc incurras 803
gravem ignominiam, uti communiſſimè docent Authores, quorum 96. recenſet Vindex Gobati *P. 2. propoſ. 11.* adductis plerorumque locis: item alios plures recenſet Vindex Tabernæ *in Collect. ad Prop. 7. & 8.* adductis Authorum locis & verbis; inter illos autem Authores ſunt Bartol. Bald. Jaſon, Felin. Tiraq. Gomez. Sot. Navar. Cajet. Tolet. Salon, Henriq. Azor. Suar. Vaſq. Molin. Sanch. Valent. Leſſ. Lugo, Laym. Bonacina Tann. Maſtr. Sayr. Dicaſt. Barboſ. Filliuc. Caſtrop. Carden. Herinx, Sporer, Haunol. Illſung. Pirh. Caſpenſ. Vvigg. Baſſ. & alii. Ratio autem eſt, quia jus habes reſiſtendi ſtando, ne incurras tale grave incommodum. Clerici tamen & Religioſi ordinariè debent potiùs fugere, quia illis non ita eſt indecorum, nec debent tanti facere humanum judicium, qui Chriſti manſuetudinem ſectantur, & humilitatem profitentur, uti notant Haunold. *num. 639.* & Tabern. *p. 2. t. 2. c. 25. q. 6.* Dixi *ordinariè*, quia Felin. Fill. & Lugo *nu. 167.* tenent, ſi ſpectatis circumſtantiis etiam in illos redunderet gravis infamia, non teneri fugere, tum enim eſſet juſta cauſa ſe ibi defendendi: unde à contrario docent, homines viles & alios laicos, quibus non eſt uſus armorum, ideoque inde non ſunt infamandi, teneri fugere, uti & ille fugere tenetur, etiamſi ideò gravem infamiam ſubiret, qui injuſtè laceſſivit invaſorem, quia ratione ſuæ injuriæ tenetur procurare, ne invaſori inde oriatur damnum, Lugo *num. 168.* cum communiore contra Leſſ. *l. 2. c. 9. à n. 107.* Petſch. *p. 268.* Quòd ſi quis occidat, quando ſine gravi incommodo fugere poſſet, peccat non tantum contra charitatem, ſed probabiliter etiam contra juſtitiam, uti dicetur *p. 2. n. 305.*

§.5. Communior ſententia eſt apud Haunold. *n. 657.* & 804
Steph. *T. 4. d. 5. n. 17.* quòd nemini liceat repercutere, neque inſequi fugientem, qui percuſſit, ut repercutiat, quam ſententiam multis argumentis firmant Carden. *à n. 66.* Petſch. *p. 297.* Mendo *q. 3. 1.* Quia fugiens, hoc ipſo quòd fugiat, ſatis ſeipſum arguit & ſubjicit, honoremque reſtituit, quantùm reſtitui poteſt. 2. Quia, uti rectè Lugo *n. 190.* talis repercuſſio vel inſecutio aliter non juvat ad recuperandum honorem, niſi prout continet rationem formalis vindictæ, quæ nunquam licita eſt privata authoritate, nam in æſtimatione hominum mundanorum in tantum recuperatur honor per repercuſſionem vel inſecutionem, in quantum alii homines hinc æſtimant animoſitatem percuſſi in vindicanda injuria, ergo ſemper ſupponitur fieri vindicta, itaque per hoc non redditur honor, ſed tantùm ſubſtituitur æſtimatio animi vindicativi, quæ apud mundanos quandoque tanti fit, quanti honor amiſsus, hæc tamen æſtimatio eſt intrinſecè inappetibilis. Oppoſitam ſententiam tenent Henr. & alii, quos refert Carden. *n. 64.* qui dicunt licitum eſſe repercutere aut inſequi ad repercutiendum, quantùm neceſſe eſt ad tuendum honorem, quæ ſententia etiam videtur probabilis ſaltem ſpeculativè, quia non eſt opus id fieri ex vindicta, ſed poteſt eſſe intentio defendendi honorem alioquin adhuc magis perdendum in æſtimatione hominum, vel etiam reparandi æquivalenter; quia tamen in praxi vix aberit ſpiritus vindictæ, ſententia illa meritò cenſetur non tuta in praxi, ut etiâ notavit Buſembaũ.

§.6. Puella, quæ per vim ab aliquo tacta eſt, vel oſculum 805
furtivum accepit, poteſt fugienti alapam infligere, non in vindictam, ſed in defenſionem pudicitiæ pro futuro; ſi enim non oſtendat indignationem, credet amaſius gratum ei hoc eſſe & faciet iterum, Tamb. *l. 6. c. 1. §. 3. n. 7.* imò Lugo *num. 196.* dicit hanc alapam fore actum fraternæ correptionis.

Q. 180. *Quid addendum ſit circa alias propoſitiones hic* 806
damnatas? R. Inter damnatas ab *Innoc. XI.* etiam ſunt hæ. 31. *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.* 32. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.* 33. *Licitum eſt tam hæredi quàm legatario contrà injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.* Circa has damnationes notanda ſunt ſequentia.

§.1. Incertum manet, quanta debeat eſſe ſumma, pro cu- 807
jus conſervatione liceat occidere furem, tantùm enim damnatur,

tur, quòd liceat eum occidere pro conſervatione unius aurei, idque regulariter, ita ut hæc ſit regula & ordinariè ſufficiens materia reſpectu omnium, quod manifeſtè falſum eſt, cùm aureus reſpectu multorum ſit res levis; unde Haunol. *de juſt. t. 1. t. 2. n. 653.* ponit hanc regulam, ſi furtum ſit tanti valoris, ut illius damnum non tenerer ex charitate ſubire pro ſalvanda alterius vita, tunc liceret occidere pro defenſione illius rei meæ; ſed iterùm manet dubium, quantum damnum tenerer ex charitate ſubire pro ſalvanda alterius vita, de quo tamen aliquid dictum eſt *lib. 2. num. 201.*

808 §. 2. Carden. *in 2. criſi d. 21. n. 76.* rectè dicit virtualiter damnari, quòd licitum ſit occidere pro defenſione rei parvi momenti, unde ut liceat, debet eſſe res magni momenti, licere autem, ſi res ſit magni momenti, nec poſſit aliter ſervari vel reçuperari, eamque actu invadat fur vel raptor, docent Authores communiſſimè, quorum plures quàm centum adductis locis, & verbis enumerat Vindex Tabernæ *in Collect. ad propoſ. 8.* ſuntque inter eos Marta, Clarus, Gomez, Covarr. Navar. Cajetan. Bann. Sot S. Antonin. Tol. Salon. Arrag. Azor. Vvig. Mald. Vaſq. Molin. Valent. Laym. Lug. Bonac. Barboſ. Maſtr. Baſs. Sayr. Boſco, Herinck, Sporer & alii. Rem autem magni momenti abſolutè & reſpectu omnium putat Card. eſſe valorem 40. Imperialium, & quod minus eſt, putat eſſe abſolutè parvi momenti: poſſet tamen res minoris valoris eſſe magni momenti reſpectivè, v. g. ad pauperem, cui ſublata minore quantitate tollerentur neceſſaria ad vitam, hinc putant Tamb. Petſch. *pag. 291.* Sporer *t. 5. c. 2. n. 153.* unum vel alterum aureum eſſe magni momenti reſpectu pauperis, cujus ſubſtantia in eo reſideret; è contra etiam 20. aureos eſſe exigui momenti reſpectu divitis.

809 §. 3. Multi docent non eſſe licitum Clericis nec Religioſis occidere furem ad tuenda bona ſua fortunæ, uti ipſis licitum non eſt occidere aliquem pro defenſione ſui honoris, ſecundùm dicta *n.* 803. ſed Lugo *de juſt. d. 10. n. 175.* Dian. *p. 1. t. 4. R. 17.* Men. do *d. 3. q. 2. n. 16.* & alii valde multi ex citatis *n.* 808. tenent oppoſitum, quod ſuadetur ex *c. Delicto, de ſent. excomm. in 6. Cùm omnes leges, omnia jura vim vi repellere, cunctis ſeſe defendere permittant, licuit ipſi Decano (ſi prædictus Ballivus eum bonis ſuis mundanis injuriosè ſpoliare vel ea violenter occupare præſumpſerit) contra illius violentiam injuriamque ſe tueri.* Et quamvis Textus expreſsè tantùm dicat de defenſione per arma ſpiritualia, eadem tamen eſt ratio etiam de corporalibus, tum quia hæc facultas de Jure naturæ competit, neque Jure Eccleſiaſtico eſt ſublata, tum etiam, quia Clericus vel Religioſus Ordo non renunciat juri, quod habet ad bona ſua, quibus etiam ad vitam indiget, ergo poſſunt defendere uti laici: è contra vel renunciarunt ſimili defenſioni honoris ſui, vel ſaltem ille tanti non eſt faciendus apud illos, ſecundùm dicta *n.* 800. & denique de honore, mentem ſuam ſatis declaravit Eccleſia, ſecundùm dicta *à n. 799.* non item de bonis aliis.

810 §. 4. Licere occidere furem fugientem cum re mea magni momenti, ſi aliter recuperari non poſſit, docent plurimi & graviſſimi Authores ex relatis *n.* 808. Et apud Moyam *t. 6. d. 3. quæſt. 2.* Dian. *p. 5. t. 4. R. 17. & p. 8. t. 7. R. 47.* qui cum Lugo *n. 179.* teſtantur eſſe communem: & idem licere Clericis, docent Moya *n. 17.* Dian. *ſupra*, citans Tann. Sylv. Mald. Leſs. Becanum, & ratio communis pro omnibus eſt, quia ſi liceret abſque vitæ periculo ſic rapere aliena, multum augeretur audacia & malitia hominum: deinde talis fugiens reipſa cenſetur adhuc actu aggredi bonum, quod rapit, Illſ. *t. 3. n. 94.*

811 §. 5. Si ageretur de raptore ſtrictè dicto, qui per violentiam etiam corpori adhibitam vellet unicum aureum eripere, Molin. Leſs. Tamb. dicunt licitum eſſe ſe tueri, etiamſi neceſſe eſſet occidere, ſi vis aliter averti non poſſet, quia ibi non tantùm defenditur aureus à rapina, ſed etiam corpus à violentia, de quo caſu non loquitur prop. damnata, quod ſic explicant Lugo *num. 178.* & Carden. *num. 86.* Si fur vi intentet rapere aureum, poſſe opponi gladium ad vim arcendam, & ſi fur deſiſtat, non licebit plus ei facere, ſi autem urgeat & viciſſim educat gladium, alter, ſi aliter nequeat eum à ſe amoliri, poterit (ſecundùm illos) ſe defendere defenſione occiſiva cum moderamine inculpatæ tutelæ, quia fur, ſecundùm dicta *n. 802.* in hoc caſu non tantùm invadit aureum, ſed etiam vitam propter aureum, quem injuſtè petenti non tenetur dare. Hæc ſententia patitur difficultatem, nam invadens non vult vitam, ſed aureum, ergo ſi invaſus ex illa occaſione occidat, videtur occidere pro conſervatione unius aurei, quem ſi daret, deſineret vis, & non fieret occiſio.

812 §. 6. Duæ reliquæ propoſitiones etiam ideò rectè damnantur, quia in Repub. ſunt alia media obtinendi hoc, ad quod aliquis habet jus, poſſe autem ſtatim occidere illum, qui impedit, involveret Remp. infinitis turbationibus, uti patet.

Objicies 1. Vita proximi eſt ſuperioris ordinis & longè æſtimabilior quàm bona fortunæ, ergo non licet tollere vitam proximi pro quibuſcunque bonis ſuis conſervandis vel recuperandis. R. n. conſ. *Nam quæ inter rem, & vitam eſt inæqualitas, ea favore innocentis & raptoris odio compenſatur*, inquit Grotius *lib. 2. c. 1. n. 11.*

Objicies 2. S. Aug. *de lib. Arbitr. lib. 1. c. 5.* negat *à peccato liberos eſſe, qui pro his rebus, quas contemni oportet*, id eſt, *quas homines inviti amittere poſſunt, humana cæde polluuntur*. R. Ergo nequidem licebit occidere pro vita ſua defendenda, cùm etiam hanc inviti amittere poſſimus. Itaque loquitur de caſu, quo invaſor occideretur ex odio, vel quo excederetur moderamen, quia nempe res propria aliter defendi poſſet.

Inſtabis: Ordo charitatis poſtulat, ut vitam proximi præferam meo bono fortunæ. R. Ordo charitatis tantùm obligat in extrema aut ſaltem in gravi neceſſitate proximi, in qua non eſt fur vel raptor, ſed eſt in gravi ſua malitia.

Q. 181. *Quid præterea ſit addendum circa occiſionem aggreſſoris?* 813
R. Seq. §. 1. Abulenſis putavit injuſtè invaſum ſemper teneri occidere invaſorem, quando id neceſſe eſt ad tuendam vitam ſuam, tum quia videtur poſtulare ordo charitatis, ut ſe præferat alteri, tum etiam, quia quiſque tenetur vitam conſervare per media licita, quale hic eſt occiſio alterius; ſed alii communiſſimè contradicunt cum Molina & Lugo *de juſt. d. 10. à n. 153.* & ſatis diximus lib. 2. n. 177. quia nec charitas nec juſtitia obligat, per ſe loquendo, ut utar mediis ita difficilibus, & extra ordinariis.

§. 2. Quamvis injuſtus aggreſſor eſſet rationis compos adeò- 814
que in mortali, tamen charitas non obligat, ut vitam meam corporalem dem pro ipſo, nam nec ego ſcio, an ſim in gratia, & ipſe ſua malitia eſt malus, Lugo *num. 142.* & dictum eſt lib. 2. n. 178. Si autem ſit rationis impos, v. g ebrius, & ſimul in mortali, Pont. apud Dian. *p. 8. t. 6. R. 52.* dicit me ex charitate teneri admittere mortem, ſi credam me in gratia Dei eſſe, Lugo *n. 143.* & Gob. *in Quin. t. 5. c. 19. ſ. 1. qu. 3.* dicunt me tum teneri, ſi moraliter certus ſim me eſſe in gratia, & ipſum eſſe in mortali, negant autem teneri, ſi de alterutro non ſit certitudo: Et de hoc etiam dictum eſt l. 2. num. 178. Addit Gob. cum Leſſ. & Tanner. poſſe occidi talem aggreſſorem, quamvis ab eo non timeretur mors, ſed ſola enormis mutilatio, quia hæc inter graviſſima mala numeratur: de hoc tamen v. Vind. Gob. *p. 2. propoſ. 10. à n. 8.* *Si dicas* impotem rationis non eſſe *injuſtum aggreſſorem*, cùm non peccet. R. Per injuſtum aggreſſorem hic intelligi eum, qui ex parte cauſæ eſt injuſtus, quia ſcilicet me ſine juſta cauſa vult occidere, quamvis non ſit injuſtus ex parte ſua, uti rectè notat Arrag. in Vind. Gob. *n. 4.* quas vide.

§. 3. Innocens, qui ad mortem capiendus eſt à ſatellitibus 815
ſci entibus ipſius innocentiam, poteſt ſe defendere, etiam, ſi opus ſit, occidendo ſatellites: Si tamen hi neſcirent eum eſſe innocentem, uti communiter ſcire non poſſunt, non poſſet eos, occidere, quia bonum commune poſtulat, ut non inferatur damnum Miniſtris bona fide publicum officium exercentibus, Molin. Dicaſt. & alii cum Steph. *t. 4. d. 5. n. 10.* Nonnemo apud Dian. ſupra dicit etiam incarceratum, ſi ſciat ſe innocentem, poſſe occidere cuſtodes carceris, ut evadat, ſi alioqui erat injuſtè plectendus, ſed rectè contradicunt alii communiter cum Lugo *d. 40. ſect. 4.*

§. 4. An bannitus poſſit ſe defendere & aggreſſorem occide- 816
re, diſputant Authores, *Clarus & alii* affirmant, quia utitur Jure naturali defenſionis; reliqui communiſſimè & meritò negant cum Laym. *l. 3. t. 3. p. 3. c. 2. n. 3.* tum quia per authoritatem publicam privatur jure defenſionis, tum etiam, quia alioquin illi, qui ad ſupplicium educuntur, etiam poſſent ſe defendere & carnificem occidere, ut evaderent, tum denique quia ſic dari poſſet bellum ex utraque parte formaliter juſtum ſecluſa ignorantia, quod omnes negant. Vide dicenda *n. 870.*

§. 5. Sagæ poſſunt verberibus & tormentis cogi ad omitten- 817
dum vel ad tollendum maleficium, Lugo *d. 10. num. 162.* imò Bon. & alii volunt occidi poſſe, quia injuſtè aggrediuntur: Bonæſp. *de juſt. d. 19. n. 29.* limitat, ſi moraliter certum ſit eſſe ſagam, & conſtet, ſi ſupervivat, eſſe continuaturam damna, ſed cùm hæc conſtare non poſſint, & damna aliter per authoritatem publicam poſſint impediri, dicendum eſt nunquam licere occidere, ſed rem deferendam ad Superiores.

§. 6. Si quis mihi ſtruat inſidias, ita ut manus ejus tandem 818
non ſim evaſurus, niſi è Patria profugiam, non videtur licitum jam occidere, quia necdum eſt actu aggreſſor, poteritque mutari voluntas malitioſa. Videri tamen poteſt Lugo *à n. 155.*

§. 7. Si dubites de mala intentione alterius, qui videtur 819
velle aggredi, quamvis eſſent vehementia indicia, non eſt licitum eum occidere, Molin. Lugo *num. 152.* & ratio patet, quia alter eſt in certa poſſeſſione ſuæ vitæ, à qua non debet dejici per tuum dubium; imò nec per probabilitatem de mala intentione; poſſes tamen admonere, ne quid moliretur; & facere præcautionem, quanta neceſſaria eſſet ad excludendum malum, ſi ingrueret.

§. 8. Circa defenſionem etiam occiſivam bonotum tertii 820
contra injuſtum invaſorem, Lugo *ſ. 11.* cum aliis tenet ſeqq.
1. Etiamſi ipſe tertius abſit, licitè defendo ipſius res, ſicuti
ipſe-

ipſemet poſset, ſi adeſset. 2. Idem poſsum, licèt ipſe permittat injuriam, quia adhuc eſt damnum injuſtum alicujus mihi per charitatem connexi; ſi tamen poſitivè conſentiret, jam aggreſsor non eſset injuſtus, adeòque deberem & ego permittere. 3. Idem poſsum, licèt iſte tertius priùs fuerit nocens, dummodò jam innocenter patiatur injuſtam invaſionem. 4. Si abſque gravi incommodo poſſim, tenor ita defendere tertium innocentem, nam Cap. *Dilecto, de ſent.excomm.* dicitur: *Cùm liceat cuilibet, ſuo vicino vel proximo pro repellenda ipſius injuria ſuum impertiri auxilium, imò ſi poteſt, & negligit, videatur injuriantem fovere ac eſſe particeps ejus culpæ, &c.* Pro qua ſententia plurimos citat Barboſ. *in Collect. ad Can. Non in inferenda*, 23. *q.*3.*n.*2. quòd ſi ille tertius per injuriantem conjiciatur in extremam neceſſitatem, obſervanda ſunt illa, quæ lib.2.n.201. diximus: Si autem non aliter tertium defendere poſsem, quàm occidendo invaſorem, ſi hic invadat ſola bona externa, dicunt *Mol. & Bonac.* me, quamvis poſſim, non teneri occidere; ſi autem invadat vitam, dicunt me teneri occidere pro defendenda vita tertii, ſed contradicunt alii, nam ipſemet tertius non teneretur occidere invaſorem, uti dictum eſt n.813. & ratio hìc prætereà eſt, quia uterque eſt mihi æqualiter proximus, & invaſor adhuc eſt in majore periculo ſalutis, ergo charitas ſuadet, ut illi potiùs parcam: intellige tamen hæc (per ſe loquendo) nam ſi invaſor vel invaſus eſſet Reip. neceſſarius, aut mihi proximè conjunctus, poſſet eſſe ratio præferendi unum alteri; quiſnam autem ex officio teneatur defendere innocentem, & an teneatur etiam cum periculo ſuæ vitæ, videri poteſt Lugo *à num.*216.

821 §.9. Probabile eſt nunquam licere privato directè intendere mortem alterius, ita S.Th.2.2.*q.*64. *art.*7. *ad* 1. Cajet. & alii cum Steph. ſuprà *n.*10. Ratio eſt, quia talis agit ultra moderamen inculpatæ tutelæ, nam ſine illa directa intentione poſſet ſe ſufficienter tueri intendendo tantum defenſionem ſui. *Nec refert*, quòd in eo caſu licitum ſit inferre mortem, *nam* licitum eſt inferre, non intendendo directè mortem, quia occiſio per ſe & directè intenta ab homine privato eſt illicita, ſed intendendo defenſionem ſui, ad quam ſequitur occiſio & mors alterius. *Si inſtes*: Cui finis eſt licitus, illi eſt licitum intendere medium, quod ad finem eſt neceſſarium, defenſio autem eſt finis, & medium neceſſarium eſt occiſio aggreſſoris, ergo: Reſp. Occiſio non eſt propriè medium; nam defenſio eſt priùs, quia enim me defendo, ideò occido; licèt autem duo ſint connexa, non ideo ſemper intendens unum intendo alterum, ſic enim pater intendit generationem filii, non tamen peccatum originale illi connexum. Oppoſita tamen ſententia plurimorum, quos referunt & ſequuntur Leſſ. *lib.*2.*c.*9.*n.*53. Dian. *p.*5. *t.*4. *R.*16. Lugo *num.*149. eſt communior & ſatis probabilis, ob rationes jam inſinuatas, aliaſque apud Navar. *in man. cap.*15. *num.*2. Et Molin. *tr.*3. *diſp.*1.

DUBIUM IV.

822 *An aliquando liceat occidere innocentem?*

„ REſp. Directa intentione, & ſcienter, nunquam licet, „ niſi Deus omnis vitæ Dominus concedat: indirectè „ autem, & per accidens, aliquando licet, utendo nimirum „ ſuo jure & dando operam rei licitæ, & neceſſariæ ac tanti „ momenti, ut vitæ æquivaleat, S.Th. *& Doctores communiter. Unde reſolves:*

„ I. Si Tyrannus minetur urbi excidium, niſi innocens occi„ datur, id non licet directè: Neque valet, ſicut membrum „ licet abſcindere pro ſalute corporis, ita & civem pro Re„ publica, quia homo eſt tantùm pars moralis Reipublicæ, à „ qua non accipit *eſſe & vivere*, ſicut membrum corporis à „ corpore, Molin. *tom.*4. *tr.*3. *diſp.*10. Leſſ. *lib.*2. *cap.*9. *d.*7. „ Fill. &c.

„ II. Poteſt tamen Reſpublica eo caſu talem cogere, ut Ty„ rannum adeat, & ſi nolit, tradere; cùm ex charitate & ju„ ſtitia legali teneatur vitam exponere pro Republica; unde ſi „ id renuat, fit nocens. Neque hoc erit cooperari ejus morti, „ ſed tantùm permittere, cùm traditio de ſe ſit indifferens, & „ mors tantùm ſequatur indirectè, & præter intentionem Reip. „ Molin. Leſſ. *ll.cc.* Fill. *tr.*29. *num.*11. Laym. &c. Limitat Lugo „ *d.*10. *ſ.*4. ſi innocens ſit ſubditus, vel peregrinus teneatur mo„ ri pro Republica aliena.

„ III. Si fugere non poſſis mortem, perſequente hoſte, niſi „ per viam anguſtam, qua quiſpiam iſtic ſedens eſſet obteren„ dus, licet nihilominus (dummodò tamen, ſi infans eſt, ſit „ baptizatus, ut monet Lugo & Eſcob. *Ex.*7.*c.*8.) fugere cum „ ejus periculo, & interitu, præter tuam intentionem, Leſſ. „ *num.*59. Fill. *num.*36.

„ IV. Similiter ad expugnandam urbem, & ad victoriam „ reportandam, ſi neceſſarium ſit, licet tormenta in eum „ locum dirigere, ubi multi ſunt innocentes: quia horum mors „ præter intentionem ſequetur, Leſſ. *l.c.*

„ V. Non licet occidere obſides, etſi, qui eos miſerunt, „ non ſervent fidem: quia ſunt innocentes, Bonac. *tom.*2.*d.*2. „ *qu.ult.ſect.*1.*p.*7. Dian. *p.*5.*t.*4.*R.*31. contra Azor. &c. „

Quæres; An aliquando liceat procurare abortum? „

Reſp.II. Quicunque malitiosè in ſe vel in altero curat abortum, peccat graviter, ſive fœtus ſit animatus, quia eſt verum homicidium: ſive non, quia tendit ad occiſionem hominis, & eſt contra naturam generationis, Leſſ. *num.*61. Si tamen ad vitam matri conſervandam omninò ſit neceſſarium, ſequentes Regulæ tenentur. 1. Si fœtus mortem matri allaturus, probabiliter necdum ſit animatus anima rationali (animari autem communiter ajunt, marem die quadrageſimo, fœmellas verò octogeſimo, quæ res valdè incerta eſt) quidam permittunt, etiam directa intentione expelli, ut Sanchez *lib.*9. *de Matr.d.*20.*n.*9. & 10. Henriq. &. contra Leſſ. *d.*16. & alios, quorum ſententia in praxi ſuadenda eſt: quorſum enim directè expelles, cùm indirectè liceat, & ſufficiat. 2. Si verò fœtus ſit animatus, materque judicetur moritura cum prole, niſi medicinam ſumat, licet eam ſumere, & (ſecundùm quoſdam) tenetur, intendendo directè ſuam tantùm ſanitatem, etſi indirectè, ac conſequenter deſtruatur fœtus: quia in pari neceſſitate mater poteſt magis proſpicere ſibi quàm proli. 3. Si verò cum morte matris, ſpes vitæ & Baptiſmi prolis affulgeat, tenetur mater (ſecundùm pleroſque) ſub mortali abſtinere ab omni remedio deſtructivo prolis: quia tenetur vitam corporalem exponere pro extrema neceſſitate ſpirituali infantis. Contrarium tamen docet Lud. Lopez, quod Sà *V. Charitas* dicit eſſe probabile. V. Leſs. *l.c.* Sà, Fill. *t.*29.*c.*6.*q.*1. Bonac. *t.*3.*n.*3.

ADDENDA.

QUæſt.182. *Quid circa abortum ſit dicendum?* R. Innocentius XI. damnavit ſequentes prop.34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur aut infametur.* 35. *Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eam habere, cùm paritur, ac conſequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.* Circa has damnationes notanda ſunt ſeqq. 823

§.1. Certum eſt, quòd non liceat procurare abortum fœtus inanimati, ne puella occidatur aut infametur; probat hoc, etiam præſcindendo à damnatione propoſitionis jam relatæ, Carden. *in* 1. *Criſi d.*14. *c.*3. quia ſemper eſt periculum homicidii, nam incertiſſimum eſt, quandonam fœtus animetur, quidam enim graviſſimi Authores cum *Fieno* dicunt quandoque prima, quandoque ſecunda vel tertia die animari: poſtea tamen idem Carden. *in* 2. *Criſi d.*22. *num.*6. dicit certum videri, quod anima rationalis priùs infundatur, poſtquàm corpus per præcipua organa eſt diſpoſitum, quod etiam putat Schild. *t.*6. *cap.*2. quidquid ſit de hoc, de quo videri poſſunt variæ ſententiæ apud Delbene *De immunit. eccleſ. cap.*2. *d.*4. *ſ.*20. *à num.*16. Et dato, quòd fœtus priùs animetur circa trigeſimum diem, certum tamen manet nullo caſu licitum eſſe procurare directè talem abortum, licèt ſciatur, quòd fœtus necdum ſit animatus: Ratio eſt, quia nullo caſu licita eſt pollutio directè quæſita, ergo multò minus abortus: Conſequentiam demonſtrant Leſſ. *De juſt.*l.2.*c.*9.*n.*61. & Moya *t.*6.*d.*3.*q.*4. tum quia abortus longè magis eſt contra finem naturæ, cùm deſtruat duplex ſemen & inchoatam generationem, tum etiam quia ſemen, ejuſque operatio non tam ordinatur ab bonum individui, quàm ad conſervationem totius ſpeciei, cujus bono cedere debet bonum privati, eſt autem ad deſtructionem ſpeciei, ſi extra vas fundatur ſemen, ergo.

§.2. Etiamſi tota aliqua Communitas deberet pati infa- 824
miam vel extremam everſionem, adhuc illicitum eſt directè procurare abortum fœtus, etiam inanimati, ob rationem jam datam, Carden. *n.*33. hinc quamvis puella vim ab aliquo patiens poſſit repellere ſemen, ne immittatur, eò quòd hoc ſemen tunc ſit injuſtus aggreſſor ſuæ virginitatis, uti docent Sanch. & alii cum Carden. *n.*41. ſi tamen immiſſum ſit, jam deſiit eſſe aggreſſor, & reipſa violata eſt virginitas, ideòque illicitum eſt expellere, Carden. *n.*39. & 60. ſimiliter notat Lugo *de juſt.d.*10. *num.*126. peccaſſe uxoratam, quæ ut impediret graves dolores à ſemine virili cauſatos componebat ſe tali ſitu, quo ſemen efflueret, nam ſic directè intendebat effuſionem ſeminis, tanquam medium levandi dolorem. Vide dicenda *num.*928.

§.3. Sanch. *de Matrim.lib.*9.*d.*20. *cap.*9. citans alios, do- 825
cet licitum eſſe etiam directam expulſionem fœtus inanimati, propter quem alioquin moritura eſſet mater; rationem dat quia talis fœtus eſt aggreſſor vitæ, qualis non eſt, ſi mater aliunde deberet occidi vel infamari, quia eſſet gravida, hæc enim occiſio eſſet fœtui per accidens, deinde hic fœtus, eſt talis aggreſſor, qui deſervire non poteſt fini naturæ, nempe propagationi generis humani, mortua enim matre non naſcetur

ſcetur homo; aliud iterum eſt, ſi fœtus eſſet animatus, tum enim mortua matre adhuc poſſet vivere, baptizari & ſalvari. Hæc ſententia à multis judicatur probabilis, oppoſita tamen eſt abſolutè tenenda cum Lugo *à num.*130. & Delbene *à n.*27. ob rationem jam datam, quia aliàs pro ſalvanda vita etiam licitum eſſet directè procurare pollutionem, quod omnes negant. Vide *Delbene*.

826 §.4. Licitum eſt matri de vita perielitanti aſſumere medicamenta pro ſanitate, v.g. balneum, emiſſionem ſanguinis, quamvis hæc indirectè cedant in occiſionem fœtus etiam animati, uti cum aliis multis docent Sanch.*n.*34. Lugo *n.*55. Delbene *n.*67. ſi tamen medicina non aliter conduceret ad ſanitatem matris, niſi quatenus expelleret fœtum, illicitum eſſet ſumere, quia directè intenderetur expulſio fœtus tanquam medium ſanitatis, quod intrinſecè malum eſt, hinc debet medicina habere alium effectum in ordine ad ſanitatem, Lugo *n.*132. Addit Delb.*n.*71. cum S. Antonin. Navar. & aliis contra Cordub. & Lopez, ſi fœtus credatur vivus, poſſe exſcindi ex matre mortua, & baptizandus, fore illicitum uti tali medicamento pro ſalvanda vita matris, quia ordo charitatis poſtulat, ut ſpiritualis vita fœtus præferatur vitæ corporali matris: aliud eſſe dicit, ſi valde probabile eſſet utrumque nihilominus moriturum. Vide illum *à num.*72.

827 §.5. Extra caſum, quo ex morbo periclitatur vita matris, non eſt licitum ſumere medicamenta indirectè tendentia ad expulſionem fœtus etiam inanimati, quamvis matri immineret infamia vel mors ab extrinſeco inferenda, Card.*num.*64. Ratio diſparitatis eſt, quia in hoc poſtremo caſu directè intenditur & procuratur abortus ad vitandam infamiam vel mortem: tale enim medicamentum per ſe directè nihil facit ad impediendam infamiam vel mortem ab extrinſeco inferendam, niſi per expulſionem fœtus velut medium, ergo directè intenditur expulſio fœtus, ut vitetur infamia vel mors, quod damnatum eſt; è contra in priore caſu per medicamentum directè procuratur ſanitas, & conſervatio vitæ alioqui ab intrinſeco vitio perituræ, ad quam conſervandam mater jus habet, occiſio autem prolis accidit indirectè & præter intentionem.

828 §.6. Prorſus improbabile eſt, quòd fœtus priùs animetur, quando naſcitur, nam Lucæ 1. Joannes Baptiſta dicitur exultaſſe in utero & fuiſſe repletus Spiritu ſancto; item Geneſis 25. dicitur, quòd Eſau & Jacob in utero colliſi ſint ſeu pugnaverint, & pro eodem tempore vocantur parvuli, ergo erant individua humana.

829 §.7. Quamvis probabile eſſet, quòd fœtus tum priùs accipiat animam rationalem, quando naſcitur, tamen adhuc certum eſt committi homicidium in aliquo abortu, quia certum eſt eſſe ſaltem probabile, quòd fœtus aliquis in utero animetur, ergo ſi quis eum occidat, exponit ſe periculo morali, & proximo occidendi fœtum animatum, ergo committit homicidium, non aliter ac ille, qui explodit in hominem à longè viſum, dubitans an ſit homo vel fera, Carden. *num.*74.

830 §.8. Procurans abortum fœtus animati incurrit excommunicationem & irregularitatem, uti L.7. dicetur: poteſtque videri Lugo *in Reſp. Mor. l.*2. *d.*4. Quinam autem docuerint ſaltem probabile eſſe, quòd liceat propter vitam vel famam procurare abortum, videri poteſt apud Dian.*p.*6.*t.*8.*R.*37. Et apud Moyam ſuprà.

831 *Q.*183. *Si quis cum beſtia ſe miſcuerit, an ſit licitum beſtiam mactare?* Reſp. Licitum eſſe, ita Gob.*in Exper.t.*2,*n.*278. Ratio eſt, quia Judices ſolent mandare, ut beſtiæ cum malefactoribus comburantur, nec timent mortem fœtus, quia rariſſimè fit, ut pecudes ex tali ſemine concipiant.

832 *Q.*184. *Si iniquus aggreſſor objiciat infantem quaſi pro ſcuto, ut poſt illum tutus ſit, & me occidat, an poſſim infantem illum occidere, ſi aliter nequeam vim aggreſſoris retundere?* R. Poſſum, ita Bonac. Lugo *de juſt. d.*10.*n.*124. Tamb.*l.*6.*c.*1.§.1. *n.*12. Leſſ. *de juſt. l.*2.*c.*9.*n.*57. *& alii.* Ratio eſt, quia jus habeo vitam meam defendendi contra injuſtum aggreſſorem, quod jus non amitto ex illa infantis interpoſitione, ergo per illum infantem poſſum aggreſſorem injuſtum petere: notat tamen rectè Lugo *n.*125. mortem infantis non poſſe directè intendi, nequidem ut medium occidendi tranſgreſſoris, uti non licet velle occiſionem infantum, ut Parentes cogantur urbem obſeſſam dedere, nec intendere pollutionem aut ſumere medicinam de ſe cauſativam illius, ut ſic conſulas ſanitati tuæ, talis enim directa intentio eſt de objecto intrinſecè malo, adeoque ſemper illicita.

833 *Q.*185. *An fœminæ & pueri innocentes emiſſi ex urbe obſeſſa poſſint ab obſidentibus repelli in urbem, in qua vitæ periculum ſubibunt?* R. Lugo *n.*126. non probat hoc univerſim, quamvis eo fine fiat ut conſumptis frugibus urbs cogatur citiùs ſe dedere, quia egreſſi urbe jam acquiſiverant ſtatum meliorem, à quo injuſtè dejiciuntur, & reipſa directè vexantur in eum finem, ut alii ſimul vexentur, nunquam autem licitum eſt id aſſumere ad nocendum hoſti, quod ad eum finem non eſt utile, niſi quatenus innocentem lædit: non licere autem tales egreſſos fame enecare, dicetur *num.*885. An Judex poſſit innocentem condemnare, ſi probetur eſſe nocens; aut debeat nocentem dimittere, ſi probetur eſſe innocens, dicetur L.IV.n.1469.

DUBIUM V.

De duello, & bello.

ARTICULUS I.

Quid ſit, & an liceat duellum? 834

Reſp. Duellum eſt duorum (vel ſubinde etiam plurium) certamen, quod ex condicto, uno indicente, & altero acceptante, ſuſcipitur; ita ut non ſit vitam defendere, ſed exponere periculo. Quòd etſi communiter ſit mortale peccatum, licitum tamen eſt ex juſta cauſa, quæ ſemper eſt attendenda, Vid. Trid. *ſeſſ.*25.*c.*19. *de ref.* Sanch. 2. *Mor. c.*39. Item de pœna duellantium, *V. infrà de excommun.* & Sanch. *l.c. Unde reſolves:*

I. Duellum non eſt licitum ad indagandam veritatem, vel juſtitiam, vel purgationem objecti criminis, aut litem terminandam, quia eſt fallax, imò ſuperſtitioſum medium ad eum finem, cum etiam innocens, homicidium, & facere, & pati poſſit, Trull. *l.*5.*c.*2.*d.*13,*num.*2.

II. Nec ob inimicitias, aut ad injuriam vindicandam, neque ob ſolam oſtentationem virium aut propter delectationem.

III. Nec item ad evitandam ignominiam, quia apud bonos & prudentes honorem non perdit; imò nec apud alios, ſi provocanti dicat, ſe eum non æſtimare dignum, cum quo congrediatur contra leges divinas & humanas. Interim iturum ſe in dies liberè ſuas vias, paratumque ſemper fore & nunc eſſe, contra quemvis invaſorem ſe tueri, Trullench. *num.*4.

IV. Duellum licet acceptare vel offerre ad conſervandam æſtimationem exercitus apud hoſtem, eoſque debilitandos: vel ad terminandum bellum cum minore damno, V. Sanch. *loc. cit.*

V. Acceptare item licet, ſi quis aliàs te occiſurus, concedat tamen arma, ut ſic fortunam experiaris; quia eſt tantùm defenſio, poſitoque, quòd aliter non poſſis evadere. Similiter, ſi Judex duos ad mortem damnatos vellet duello congredi, quia alter alterius eſſet conſtitutus Miniſter juſtitiæ, Trull. *l.c.*

VI. Denique ſi vir nobilis in aula regia vel militaris in caſtris, provocatus ſiſteret ſe meræ defenſionis gratia, cum ſpe prævalendi, privandus alioqui, ob ſuſpicionem ignaviæ, dignitate, vel officio, vel favore Principis, non audet eum damnare, Laym. *l.*3.*t.*3.*p.*3.*c.*5. eundem excuſat Hurtad.2.2.*d.*170.*ſ.*8.§.76. Nav. *c.*15. Vide Leſs. *l.*2. *c.*9. *d.*8. Fill. *t.*29. *à num.*145.

ADDENDA.

*Quæſt.*186. *An ſit licitum acceptare duellum?* R. Non eſſe, nam *Alexander VII.* damnavit hanc ſecundam prop. *Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* De qua damnatione videri poteſt Du-Bois ſuper propoſitiones illas, ubi doctè ejus falſitatem oſtendit. Nobis ſatis eſt ſcire, quòd non liceat acceptare duellum, quamvis provocatus eſſet extremam infamiam paſſurus, quia tale duellum directè acceptare eſt intrinſecè malum, & ſola eſt apprehenſio mundanorum hominum, quòd tanta ex illo oriatur ignominia, nam quivis prudens approbare debet, ſi non acceptet, præſertim poſt tot prohibitiones, uti pluribus deducit Mendo *d.*1,*q.*21,§.2. ſed dato verè periclitari honorem, non ideò licitum eſt vitam alienam aggredi aut ſuam exponere periculo, quia utriuſque vita eſt bonum, cujus ſolus Deus eſt Dominus, ſumus autem domini honoris noſtri, cui tenemur cedere, ne violemus jus Dei. 835

*Q.*187. *An duellum liceat ultra caſus à Buſembaum notatos?* Reſp. Aliqui affirmant, nam 836

§.1. Si raptor vel latro dicat, auferam à te hæc pretioſa bona niſi duelles mecum, Sanch. *lib.*2. *cap.*39. *num.*7. Tamb. *lib.*6. *cap.*1. §.3, *num.*17. Steph. *t.*3. *d.*3. *num.*60. citans plures, item alii cum Dian. *p.*5. *t.*13. *Reſ.*27. dicunt te poſſe acceptare duellum, ſi aliter res tuas ſervare non poſſis, quia hæc tantùm eſt defenſio bonorum ſuorum contra injuſtum aggreſſorem; ſed hoc tantum videtur verum eſſe pro eo caſu, in quo ſtatim pugnandum eſſet, quando raptor aggreditur, ex condicto enim alio tempore & loco velle comparere non videtur neceſſarium ad res ſuas tuendas, ſed ſatis eſt reſiſtere, quando invadet, & occidere, ſi aliter ſervare non poſſis. Similiter ſi quis diceret te ſtatim occidam, niſi cras mecum illo loco duelles, non videtur licitum tale duellum acceptare, ſed licitum eſſet dicere ſe de-

ſe defenſurum cras, & ſemper vitam, ſi quis aggrediatur: quo reſponſo ſi non acquieſcat alter, ſed occidere velit, licebit ſe, etiam alterum occidendo, defendere.

837 §.2. Si aliter non poſſes ſalvare vitam, quàm provocando ad duellum, putant Sanch. ſuprà, Dicaſt. *de juſt. l.2. t.1. d.10. d.15. n.217.* aliique apud Tamb. & cum Dian. ſuprà, te poſſe provocare, quia etiam hoc videtur eſſe tantùm juſta defenſio vitæ tuæ; ſed *contra eſt*, quia vitam tueri potes defendendo, ſi impetaris, neque ad hoc opus eſt provocare in aliud tempus & locum, in quo non impeteris: quod ſi jam arma tibi deeſſent, poſſes provocare aggreſſorem pro alio tempore, non velut ad duellum, ſed ad æqualitatem armorum habendam, qua habita tantùm poteris te defendere.

838 §.3. Si duellum inter duos milites hoſtilium exercituum non ordinetur ad robur hoſtium imminuendum, ſed ad delectationem, vel vanam oſtentationem, duellum eſt illicitum, quia nefas eſt rem atrocem ſuſcipere ob tam vanum finem: Si tamen ab uno eo fine oblatum, ab altero ideo acceptaretur, ne hi milites dimitterent animos, ex hac parte non eſſet illicitum, Sanch. *n.14.* qui *n.19.* notat, ſi duo ex pacto ita in arenam deſcenderent, neminem debere ſuccurrere huic vel illi, quamvis enim unus injuſtè duellet, tamen bonum commune, quod præferendum eſt, poſtulat fidem ſervari hoſtibus. Si tamen quis in alio duello videret innocentem ſe vel ſua bona juſtè defendentem ſuccumbere, circumſtantes tenerentur huic ſuccurrere, uti tenent Sanch. & alii, & patet ex dictis *num.*820.

839 §.4. Si Judex mandet, ut duo Rei mortis duellent ad dandum ſpectaculum vel recreationem ſpectatoribus, peccat quidem judex ſecundùm dicenda *l.4.n.*1497. Et in eis circumſtantiis putant aliqui cum Burgh. *Cent.2. Caſ.*13. Reos non poſſe acceptare tale duellum, quia non imperatur authoritate legitima, ſed Nav. Azor. Leſſ. Laym. *l.3.t.3.p.3.c.5.n.5.* Caſtrop. *t.6.d.5.p.7. num.*12. meliùs contrarium affirmant, licèt enim judex peccet, per hoc non tollitur ipſi Juriſdictio ſeu poteſtas hunc & illum ſtatuendi Miniſtrum juſtitiæ, ideòque licèt modus utendi authoritate ſua non ſit legitimus, authoritas tamen eſt quoad ſubſtantiam legitima & præceptum validum, ſinguli autem pugnant ob ſpem vitæ conſervandæ, ſi vincant.

840 §.5. Dian. *p.2.t.6.R.*53. Et *p.3.t.6.R.*1. Eſc. *t.1. Exam.7.c.3. num.66.* Baſſ. *V. Duellum n.9.* Fill. *t.15. num.*113. Bon. *t.3.d.2.q.3. p.8. num.*14. *& alii* etiam excuſant eos, qui provocant vel acceptant duellum, quando certi ſunt non ſecuturam pugnam, aut peragendam ſine gravi utrimque incommodo, quia nempe non intendunt occiſionem alterius, & ſibi cavere poſſunt, ne occidantur: Idem dicunt, ſi ſciant impediendam eſſe pugnam, aut ipſi inter ſe convenerint, quòd permittent ſe impediri, poſtquam ſtrinxerint gladios & leves ictus ſine periculo contorſerint, ut ſalvent honorem ſuum; ſed res illa in praxi non habet locum, quia ſemper aderit ſcandalum apud eos, qui putant ſerium eſſe: item ſemper aderit quidem contemptus Legis eccleſiaſticæ, quæ etiam talia ficta duella prohibet tanquam ſcandaloſa & occaſiones aliorum duellorum, hinc illicitum eſt ſic ſimulatè inire duellum, præſertim cùm aliter ſalvari poſſit honor, ita Mendo *d.1.q.21. num.*270.

841 §.6. Si opponendo prohibitionem ex Jure naturali, divino & humano, adhuc non ſatis ſit conſultum honori, putant Vidal. & Caramuel apud Steph. *n.51.* licitum eſſe duellum in illa actuali aggreſſione honoris, ut ſic defendatur, ſed oppoſitum eſt tenendum, quia honor non cenſetur æquiparandus vitę alienæ ob rationes *n.*800. datas; licitum tamen erit ſic dicere, etiam gladium manu apprehendendo; Ego hoc enſe contra te me defendam, ubicunque me petiveris, quod hic, ſi me aggreſſus fueris, præſtabo, exire autem ad locum condictum non eſt hominis Chriſtiani, ſed contra Legem naturæ, Dei & Eccleſiæ, ita *Hurtad. Mendo aliique.*

842 §.7. Non eſt licitum provocato exire ad locum à provocante deſignatum, licèt in animo haberet non pugnare, niſi invaderetur, adeoque tantùm intenderet ſe defendere, quia quamvis exire ad talem locum de ſe ſit actio indifferens, tamen in his circumſtantiis eſſet directè ſe exponere periculo morali duellandi, adeoque tollendi vitam alienam aut amittendi propriam, Mendo *num.*267.

843 *Q.*188. *Quale ſit illud duellum, quod ab Eccleſia ſub pœnis prohibetur?* Reſp. Duellum dicitur quaſi *duorum bellum*, & alio nomine vocatur *Monomachia*, quia eſt *ſolius cum ſolo pugna*; eſtque tum ſub pœnis eccleſiaſticis prohibitum, ſi ſit ejuſmodi ſingulare certamen, & quidem grave, ex privatis cauſis inter duos vel plures inſtitutum ex condicto, deſignato tempore, & loco, Sanch. Bon Reg. *l.21. num.*73. Baſſ. *V. Duellum*: hinc inferuntur ſeqq. cum Tamb. *l.6.c.1.§.3. à num.*8.

§.1. Pugna, quæ ſit ſine armis aptis ad graviter vulnerandum, ut ſi fiat levi baculo, pugnis, evulſione capillorum, non eſt tale duellum, quia non eſt certamen grave.

844 §.2. Si duo ſubitò in iram & rixam verſi gladios extrahant, & in loco pugnent, etiam non eſt tale duellum, quia eſt ipſamet rixa, non autem certamen ex condicto, neque deſignato loco, & tempore, ita omnes communiter cum Sanch. *l.2.c.39. num.*18. Idem eſt, ſi vel locus vel tempus non deſignetur, requiritur enim deſignatio & loci & temporis copulativè, Bonac. aliique cum Dian. *p.5.t.13.R.*59.

845 §.3. Si in hoc loco pugnantes, ex eodem calore & impetu exeant ad alium locum, ibique gladiis pugnam proſequantur; item ſi ſint in templo vel in domo aliqua, ubi ob reverentiam, vel periculum loci non audeant pugnare, & alter dicat; exeamus, ſicque eant & pugnent, docent Tamb. aliique apud Dian. *p.3.t.6. R.1. & p.6.t.6.R.*21. non eſſe duellum ſub pœnis prohibitum, tum quia non fit deſignato tempore & loco, tum etiam quia eſt adhuc prima rixa, uti rectè Bonæſp. cum aliis apud Steph. *t.3. d.3. n.*58. ſi tamen dum ſimul in Eccleſia vel loco alio recuſant pugnare, non ob reverentiam vel periculum, ſed exeant, vel alter ad alterum dicat, exeamus, ut poſſint liberiùs & meliùs pugnare, *Sanch.* aliique apud *Dian.* ſupra docent fore duellum, quia condicitur locus & tempus ſaltem ſub aliqua indeterminatione: alii tamen negant, quod & probabile dicit Lezan. *v. Duellum n.3.* tum quia non condicitur locus & tempus determinatè, quod hic requiri videtur, uti docet Caſtr. *t.6.d.5.p.7.n.*18. cùm odioſa ſint ſtrictè interpretanda, tum etiam quia in hoc caſu non eſt conventio ad pugnam, ſed eſt una moraliter actio, quæ eſt rixa præſens & pugna; unde Dian. ſuprà & Bonæſp. *de charit. d.8. n.* 145. dicunt, ſi conventio ad pugnam fiat in rixa, ex eodem calore, etiamſi eant ad alium locum, ſi non intercedat ſpatium temporis, quo pugnantes ſe ad actus extraneos ab ipſa pugna diverſos convertant, non eſſe duellum ſub pœnis prohibitum, quia non eſt pugna ex condicto, ſed ipſa condictio eſt moraliter pugna, quæ oritur ex rixa adhuc durante. Addit cum aliis Dian. *p.6.* ſuprà, ſi pugna ſequatur eodem die, quo facta fuit rixa & conventio, credi poſſe, quòd commiſſa ſit ex eodem calore iracundiæ; ſed id univerſaliter non eſt verum, nam potuit ira prior deferbuiſſe, & pugna jam ex condicto eſſe reſumpta.

846 §.4. Si duo prius verbis vel pugnis certent, & uterque domum currens arma arripiat, redeatque ad eundem locum & pugnet, non eſt duellum ſub pœnis prohibitum, uti tenent plures apud *Dian.* ſuprà, quia pugna non eſt ex condicto, ſed ex rixa: item ſi quis dicat, tum pugnabo prima vice, qua per urbem tibi obvius fuero, licet id acceptet alter, Tamb. *n.*11. aliique cum Dian. *p.5.t.13.R.*59. contra Bonac. dicunt adhuc non fore duellum, quia neque tota urbs eſt locus determinatus, neque ex eo, quòd dicatur, prima vice, deſignatur aliquod certum tempus: Si autem alter dicat; hic expecta, donec veniam, ſumenſque domi arma redeat; vel ſi dicat, hic expecto, donec tu cum armis huc redeas; vel exi domo tua, hic in via expecto: vel provoco ad pugnam, quocunque loco mihi occurres, dubium eſt, an futura ſint duella ſub pœnis prohibita, aliique cum *Sanch.* ſupra affirmant, alii apud *Dian. & Tamb.* negant ob rationes pro hac & illa parte anteà inſinuatas. *Dixi* ſemper, non eſſe duellum tale, aut ſub pœnis ſic prohibitum, nam omne duellum privata authoritate factum illicitum eſt, cùm enim duellantes vitam ſuam exponant periculo, tribuantque jus vitæ ſuæ alteri, & viciſſim velint tribui ſibi jus in vitam alterius, agunt in primis contra Jus, quod ſolus Deus habet in vitam omnium, deinde agunt etiam contra charitatem ſibi, & proximo debitam; ideoque ſemper peccant mortaliter.

847 *Q.*189. *Quæ ſint pœnæ ſtatutæ ratione duellorum, & quinam eas incurrant?* Reſp. Eas accuratè enumerant Sanch. *l.2. cap.39. à num.*18. & Regin. *in praxi lib.21. cap.7.* Atque in primis Trid *ſeſſ.25. cap.19. de Ref.* ſic habet: *Deteſtabilis duellorum uſus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Chriſtiano orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint excommunicati, ac juriſdictione & dominio civitatis, caſtri aut loci, in quo vel apud quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, privati intelligantur; & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint, & qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis ac omnium ſuorum proſcriptionis ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta ſacros Canones puniri debeant, & ſi in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuò careant eccleſiaſtica ſepultura: Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli tam in jure quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam ſuaſerint, nec non ſpectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obſtante quocunque privilegio, ſeu prava conſuetudine, etiam immemorabili.* Hæc poſteà renovavit *Pius IV.* præterea *Gregorius XIII.* & *Clemens VIII.* eandem pœnam extenderunt ad quælibet duella privata, & abſolutionem à cenſura Sedi Apoſtolicæ reſervavit idem *Clemens:* denique ex *c. De Clericis pugnantibus in duello*, docet Regin. *num.*77. omnes, qui præcipiunt, conſulunt, defendunt pugnan-

gnantes in eo, ſi homicidium vel mutilatio ſequatur, eſſe irregulares. Circa hæc tamen nonnulla ſunt annotanda.

848 §.1. Excommunicatio, quæ incurritur, eſt latæ ſententiæ, uti cum communi Suar. & Sanch. *num.* 26. incurrunt autem eam omnes, qui duellant, provocant vel acceptant duellum, inſtigant, dant conſilium, arma miniſtrant, favent, ſunt patrini ſeu ſecundantes: item Principes vel Domini territorii, qui duellum inter Chriſtianos permittunt, qui non puniunt duellum, qui aſpiciunt: Clerici autem duellantes vel acceptantes duellum jure communi antiquo etiam ſuſpenduntur ab Officio, jure autem novo Pii IV. ſi etiam tantùm inſtigent, faveant, promoveant &c. præter excommunicationem etiam incurrunt privationem omnium dignitatum, Beneficiorum & officiorum eccleſiaſticorum, fiuntque inhabiles ad illa & alia impoſterum obtinenda, uti refert Sanch. *n.* 19. Sannig. *tamen in Jus Can. l.* 5. *t.* 14. *n.* 4. citans Suar. & Pirh. dicit Pœnas illas ſpeciales concernentes Statum clericalem non incurri à Clericis provocantibus & actu non duellantibus: denique Clemens VIII. civitates, oppida, vel terras, in quibus Principes vel Domini expreſsè aut tacitè duella permittent, ipſo facto ſubjicit Interdicto, quod relaxare poſſit ſolus Papa: ſed cica hæc iterum aliqua magis ſunt explicanda.

849 §.2. Si quis tantùm provocet vel acceptet, & poſteà non ſequatur pugna, Hurtad. apud Dian. *p.* 5. *t.* 14. *R.* 102. dicit etiam poſt Bullam Clementis VIII. non incurrere pœnas, ſed omninò dicendum eſt cum *Bon. Fill. Eſc. Tamb.* & aliis communiſſimè, quòd incurrat, ſic enim habent expreſſa verba Clementis apud *Dianam*: imò inde etiam oſtenditur, quòd ſola provocatio, quamvis non ſequatur acceptatio, ſit prohibita ſub excommunicatione reſervata, ſi enim incurrit inſtigans, multò magis provocans, & de utroque ſimiliter habent verba.

850 §.3. Si quis provocet ad duellum, non explicitè, ſed confuſè tantùm, v.g. ſi Cajus ſic ſcribat Titio: Deſidero à te audire explicationem & ſenſum verborum, quæ heri contra meum honorem dixiſti; ad hoc autem audiendum cras te hora decima expectabo in prato ſuburbano, & ſpero te facturum juxta debitum tuum: Si veniat uterque, & pugnent, aliqui putarunt illos non incurriſſe excommunicationem, quia Cajus directè tantùm voluit ſibi explicari verba offenſiva, & quamvis intenderet duellare, tamen ad incurrendas pœnas requiritur delictum externum, nec ſufficit intentio: ſed Lugo *in Reſp. Mor. l.* 2. *d.* 1. rectè docet utrumque incurriſſe, quia in primis adfuit intentio duellandi, alioqui non erat opus tendere ad talem locum aut arma ſumere ſecum: deinde illa intentio ſufficienter manifeſtata eſt per litteras vel nuncium, ideoque etiam ſufficienter facta eſt acceptatio à Titio, hoc ipſo, quòd comparuerit, nam ex praxi duellantium ſciunt omnes, & ſciebat Titius, verba illa ſpectare ad duellum, ergo uterque pœnas incurrit.

851 §.4. Fieri poteſt etiam hoc modo tacita provocatio ad duellum, v.g. Cajus iratus dicit Titio: Exi in plateam mecum, volo tecum parum loqui; nam ſi Titius moraliter certus ſit ſe evocari ad pugnam, & exeat, ſecundùm Sanch. *num.* 11. uterque incurrit pœnas, quia eſt invitatio, & acceptatio duelli, niſi fortè quis excuſet ex eo, quòd ſit quaſi prima rixa, & non fiat ex condicto, uti num. 845. dictum eſt; non tenetur tamen Titius, etiam in ſententia *Sanch.* ideò manere domi; ſi negotia poſtulent eum exire; imò etiam ſtatim exire poteſt, ſi credat fore, ut Cajus blandis verbis placetur, *Bann. & Sanch.*

852 §.5. Conſulens non incurrit, ſi revocavit conſilium, quantùm potuit, licèt ſecutum ſit duellum, Bon. & alii cum Dian. *p.* 6. *t.* 6. *R.* 21. idem probabiliter dicit Diana *p.* 3. *t.* 6. *R.* 1. de illo, qui ineffiaciter conſuluit, id eſt, conſuluit, ſed non ſecuto duello; contrarium tamen docent alii communiùs & probabiliùs, quia conſilium ipſum ſecundùm ſe prohibetur, & non tantùm ratione effectus ſecuti.

853 §.6. Qui narrat aliquid, ex quo prævideat aliquos ſe provocaturos ad duellum, non excommunicatur, niſi per hoc vellet incitare, Bon. & alii cum Diana *R.* 21. multò minùs illi excommunicantur, qui audiunt vel legunt ſcripta, quibus aliqui ſe provocant, uti poſt *Comit.* docet *Diana*; qui autem litteras provocatorias ſcribit vel eas defert, incurrit, quia cooperando favet & promovet, Regin. *num.* 83.

854 §.7. Commodans arma ſua amico volenti duellare, excommunicatur, ſi per hoc promoveat, quia nempe acceptis his armis magis excitatur ad pugnandum: ſi verò per arma meliora ſolùm id fiat, ut ipſe nihilominus æquè citò & audacter pugnaturus, ſit tantùm ſecurior in pugnando, & fiat victor, non eſt peccatum, nec incurritur ulla pœna, quia tum non facio, ut duellent, ſed tantùm ut amicus meus cùm minore periculo duellet, in quo nihil eſt mali, Hurt. apud Dian. *p.* 5. *t.* 14. *R.* 101. non eſt tamen licitum dare arma contra pactum duellantium inæqualia, quia voluerunt paribus armis certare.

855 §.8. Principes & Magiſtratus illi incurrunt excommunicationem, qui poſt duellum condonant ſeu non puniunt duellantes, Steph. *t.* 3. *d.* 3. *n.* 64. Imò incapax eſt abſolutionis, qui provocantem ad duellum non punit valdè graviter, eſtò non ſit ſecuta pugna, Gob. *in Exp. t.* 7. *n.* 573. *App.* 2. *Lit. F.* Ratio eſt, quia Superior tenetur adhibere media neceſſaria pro extirpandis criminibus Reipublicæ nocentiſſimis, quale crimen eſt ejuſmodi provocatio, neque enim ſine pœnis graviſſimis extirpabitur.

§.9. Si Princeps ſolis infidelibus concederet in ſua terra 856
locum ad duellum, non incideret in pœnas *Tridentini*, quod addit, *inter Chriſtianos*; uti nec tunc incurreret, ſi inter Chriſtianos permitteret ad vitanda majora damna vel ſcandala; Decretum enim intelligi debet de permittentibus illicitè, Sanch. *num.* 29. & 30. Regin. *n.* 75. Caſtrop. *t.* 6. *d.* 5. *p.* 7. *n.* 20. Incurreret tamen Princeps qui illicitè permitteret Chriſtiano cum infideli ob verba Clementis apud *Sanch. ſupra*, qui etiam ex verbis Gregorii videtur innuere incurſurum, ſi permitteret infidelibus: nam Gregorius videtur abſolutè loqui de permittentibus, abſtrahendo *inter quos*, niſi fortè dicatur tantùm voluiſſe explicare *Tridentinum*.

§.10. Qui approbant duellum vel provocationem nomine 857
ſuo factam, non ideò ſunt excommunicati, Bon. Baſſ. *v. Duellum num.* 9. Dian. *t.* 3. *d.* 6. *R.* 1. Tamb. *l.* 6. *c.* 1. §. 3.

§.11. Excommunicationem incurrunt ſpectatores ex com- 858
poſito, ſeu ſocii de induſtria ſpectantes, unde illi non incurrunt, qui caſu & per tranſitum ſiſtunt, ut obiter videant. Sanch. Bon. Dian. ſupra, & *p.* 5. *t.* 14. *R.* 100. imò nec illi, uti probabiliter docent Dian. & Tamb. quorum præſentia ſcitur non movere duellantes, & ſolùm curioſitatis cauſa eunt viſuri; certò autem non incurrunt, qui eunt, ut Confeſſionem audiant, ut impediant, ut medeantur vulneratis; hinc putat *Tamb.* eos ſolos aſpicientes incurrere, qui adſunt animum vel audacitatem dantes duellantibus, vel *ex condicto* tanquam teſtes aut Judices ſeu arbitri; idemque docet Fill. *t.* 15. *num.* 114. & Hurtad. apud Dian. ſupra, rationem dat, quia hoc videntur ſignificare illa verba, *ex compoſito*, & *ſocii ſpectatores*; Reg. *n.* 77. dicit eos ſolos vocari ſpectatores, qui ſe in publico exhibent, & præſentia ſua concurrunt ad ſolemnitatem ſpectaculi.

§.12. Qui acceſſit animo aſpiciendi, non eſt excommu- 859
nicatus, ſi duellum vel actus ad pugnam proximus non ſit ſecutus, Bon. Baſſ. *V. Duellum*, *n.* 9. Dian. *p.* 3. *t.* 6. *R.* 1. quia reipſa non fuit ſpectator. Excipit Sanch. *n.* 20. & 31. niſi conatus eſſet efficere, ut pugnaretur, vel ſaltem ſi non impediviſſet, cùm poterat, ſed maluiſſet pugnari, nam talem expreſsè excommunicat GREGORIUS XIII. etiamſi ad pugnam ventum non ſit, quando per ipſum non ſtetit, quò minus veniretur.

§.13. Qui ex occulto duellum aſpicit, non incurrit cen- 860
ſuram, quia nemo propriè eſt ſpectator, niſi qui ſe in publico exhibet, & actum ſua præſentia cohoneſtat, Regin. ſupra, Leſſ. *de juſt. l.* 4. *c.* 4. *num.* 83. aliique cum Dian. ſupra. Quòd ſi occultè videns id faciat duellantibus omninò non conſciis, adhuc certius eſt non incurrere pœnas, quia tum nullo modo poteſt movere ad pugnam: notat tamen *Regin.* etiam mortaliter peccare, 1. Si aſpiceret ita comparatus, ut tamen adhuc vellet aſpicere, licèt graviter prohiberetur. 2. Si ſit cauſa, cur alii duellent, ſcientes eum aſpicere. 3. Si inde oriretur grave ſcandalum aliis, quod facilius fieret, ſi Religioſus ita aſpiceret, & hoc ſciretur.

§.14. Excommunicatio hæc eſt reſervata Papæ, unde 861
Sanch. *n.* 27. & alii dicunt Religioſos, licèt poſſint abſolvere ab omnibus aliis caſibus Papæ reſervatis, tamen non poſſe ab illa abſolvere; poſſunt tamen Epiſcopi virtute *Tridentini*, ſi delictum ſit occultum nec adhuc deductum ad forum contentioſum. Addit Laym. *l.* 3. *t.* 3. *p.* 3. *c.* 5. *num.* 4. Bullas illas quoad pœnam cenſuræ non obligare in Germania & partibus Septemtrionalibus, tum quia ignorantur, tum quia in tanto rigore non ſunt receptæ, hinc Gob. *in Exp. t.* 7. *n.* 573. dicit Mendicantes in ſuperiore Germania, & alios, qui cum eis participant in privilegiis, ſine ſcrupulo abſolvere, loquitur tamen de duello privato, quod fit condicto tempore & loco, ſed non obſervatis omnibus ſolemnitatibus, inter quas ſunt chartellæ miſſæ, teſtes, fide-juſſores &c. ſed Dicaſt. *de juſt. l.* 2. *t.* 1. *d.* 10. *n.* 238. Bona-Gratia *V. Abſolutio*, Lotth. *t.* 6. *art.* 7. Tamb. *de conſ. l.* 3. *c.* 7. *n.* 15. Buſembaum *l.* 7. *c.* 1. *d.* 5. abſolutè docent Mendicantes poſſe abſolvere duellantes, ſocios & fautores, perinde atque ab aliis caſibus, & cenſuris Sedi Apoſtolicæ reſervatis, idque ex declaratione Clementis VIII. de qua teſtatur Comit. *l.* 6. *Mor. qu.* 17. Excipiuntur autem ſoli Itali extra Urbem, quibus ea poteſtas juſſu Clementis negata eſt, ut videri poteſt apud *Bona-gratiam*, qui etiam affert alia declarationem *Urb. VIII.* anno 1628. datam.

§.15. Non omnes pœnæ ratione duellorum ſtatutæ in- 862
curruntur ipſo facto, nam infamia, proſcriptio, bonorum amiſſio & loci, in quo fit duellum, inhabilitas ad Beneficia obtenta, prærequirunt ſententiam ſaltem declaratoriam criminis, cùm privent jure acquiſito: putantque probabile Nav. Molin. & Sanch. etiam inhabilitatem ad Beneficia obtinenda indigere ſententia Judicis: dubium autem eſt, an idem dicendum

ſit de

ſit de privatione ſepulturæ, ſi quis in duello moriatur, Baun. & Dian.*p.7.t.11.R.44.* putant indigere, cenſentque idem doceri à Sanch.& Caſtrop.*num.21.* eò quòd dicant ſolam excommunicationem, ſuſpenſionem & Interdictum ipſo facto incurri: ſed contraria ſententia, nempe quòd privatio ſepulturæ ipſo facto incurratur, eſt communior.

863 §.16. Quando duellum non fuit evidenter notum, Parochus non poteſt in illo defunctum privare ſepultura, Diana ſuprà. Ratio eſt, quia publicæ pœnæ ſolùm vitiis publicis ſunt infligendæ, inquit S.Thomas *Opuſc.73.c.21.*hinc docent Bonac. & Barboſ.*De Parochis cap.26.num.45.* ſi non ſit notorium delictum, Parochum non debere ſepelire mortuum in duello, nec denegare ſepulturam, ſed rem ad Epiſcopum vel ad ejus Vicarium eſſe deferendam: quod etiam tunc fieri debet, ſi Parocho eſſet notum, quòd duellum, in quo quis defunctus eſt, poſſet probari per ſufficientes teſtes, Baſſ. *V. Duellum num.9.* Dian. *p.8.t.11.R.34.* quia quando duellum non eſt notorium, non incurritur privatio ſepulturæ, niſi poſt declarationem criminis à Judice factam, uti tenent Lezan.& alii apud Gob.*in Quint.t.5. c.50.num.29.* tum autem ſpectat ad Judicem cauſa, quando fiet publica; Si tamen longè abeſſet Ordinarius, defunctus deberet à Parocho ſepeliri, attamen poſſet Ordinarius poſteà publicato crimine in pœnam curare exhumari corpus.

864 §.17. Si duellans non moriatur in loco conflictus, non privatur ſepultura, licèt moriatur eodem die ex vulnere in conflictu accepto, quia verba dicunt, *ſi in conflictu moriatur*, Dian.*p.2.t.16.R.52.& alii*: imò ſi poſt conflictum in eodem loco confiteatur ibique moriatur, non videtur privandus ſepultura, quia cùm intercedat tempus à vulnere ad Confeſſionem, non dicetur mori in conflictu, ſed poſt illum, *Tamb.* Nec obſtat Rituale Pauli V. dicens illis eſſe denegandam ſepulturam, etiamſi ſigna pœnitentiæ dederint: *Nam* ſigna moraliter adhuc in conflictu fieri poſſunt, non ita ſacramentalis Confeſſio, quæ plus temporis requirit; unde ſi aliquod tempus intercedat, & duellans ſigna contritionis dederit, ſed ex defectu Sacerdotis non fecerit Confeſſionem, putant Portell.*in Reſp. Mor.t.1.p.3.c.* 10. poſſe ſepeliri loco ſacro, quia moritur poſt conflictum, nam moritur, poſtquam elicuit contritionem, hanc autem elicuit etiam moraliter poſt conflictum, ſuppono enim aliquod tempus interceſſiſſe: An autem ſic defunctus, qui pœnitentiæ ſiga dedit, abſolvi poſſit aut debeat ab illa excommunicatione, dicetur Lib.7. & videri poteſt Dicaſt.*de Cenſ.d.3.d.30.*

865 §.18. Qui mortuum in duello ſepeliunt in loco ſacro, non excommunicantur, quia nullibi invenitur ſtatuta hæc pœna, Baun.& Dian. ſupra.

866 §.19. Mendo §.5.*num.274.* rectè notat hanc fore efficaciſſimam pro impediendis duellis, ſi inter conditiones promovendorum ad aliquod qualecunque, etiam ſæculare officium, ponatur velut indiſpenſabile impedimentum, duellaſſe, provocaſſe vel acceptaſſe duellum. *Nec obſtat*, quòd inter informationes pro admittendis ad Ordinem equeſtrem S. Jacobi quæratur, an provocatus recuſaverit duellum: *Nam* non approbatur, ſi acceptaverit, ſed tantùm volunt ſcire, an recuſaverit ex ignavia, ſi enim recuſavit dicens ſe nolle Deum offendere, nec poſſe per Legem naturalem, divinam & humanam, alioquin ſe compariturum, tum nihil obeſt admiſſioni ad illum Ordinem, uti rectè cum aliis Mendo §.2.*num.248.*

ARTICULUS II.

867 *An, & quouſque liceat bellum?*

„ REſp. *Bellum defenſivum*, quo ſcilicet vis injuſta repellitur, licet etiam privata authoritate; *offenſivum* verò, quo vis infertur, ut liceat, tres conditiones requirit: 1. „ Ut geratur authoritate Principis, vel Magiſtratus, nullum „ agnoſcentis Superiorem, qualis eſt Papa, Imperator, Reges & quædam Reſpublicæ, v.g. Venetorum, Genuenſium, „ &c. 2. Ut adſit juſta cauſa, eaque gravis, v.gr. neceſſitas „ boni communis, & quietis conſervandæ, recuperatio injuſtè „ ablatorum, coercitio rebellium, defenſio innocentum, &c. „ Vid.Laym. *l.2.tr.3.c.12.* & Molin. *t.1. d.104.* Dian.*p.6.t.4. „ R.3.* 3. Ut fiat ex recta intentione, hoc eſt, non ex odio, „ ſed ex amore boni communis, quamquam ſi hæc ultima ſola „ deſit, non ſit obligatio reſtitutionis. *Ita communiter* cum „ D.Th.*q.41.* Laym. *Unde reſolves:*

„ I. Si quis juſtum bellum gerat, non poteſt alter licitè ſe „ defendere: quia circa eandem rem non poſſunt duo habere „ contraria jura. Fieri tamen poteſt, ut neutra pars peccet, „ ob ignorantiam invincibilem, Fill.*t.29.num.185.*

„ II. Tenetur Rex, antequam bellum incipiat, omni diligen„ tia curare, ut certus ſit de ejus juſtitia, & gravi cauſa: ad „ quod ſequentia conducent: 1. Ut curet habere non tantùm „ peritos, ſed etiam bonos Conſiliarios. 2. Ut attendat, an „ etiam à ſuis impediantur vel interventur litteræ aut inſtructiones ad ipſum. 3. Si non tantùm à ſuis Conſiliariis, „ ſed etiam à diverſis Theologis curet juſtitiam belli ſecun„ dùm Leges evangelicas examinari, & liberè edici. 4. Si au„ ditis omnibus, ipſe quoque coram DEO illam examinet, „ ſtatuatque id, quod in puncto mortis ſe feciſſe vellet. De„ nique licèt ſufficiat opinio probabilis de juſtitia belli; ſi ta„ men juſtitia maneat æqualiter dubia, & alter ſit in poſſeſſio„ ne; non licet ei bellum indicere, cùm melior ſit conditio „ poſſidentis, Fill.*c.9.q.4.* Trull.*l.5.c.2.d.3.* ubi cum Dian.*p.4. „ t.4.R.72.* docet licere etiam Principi concedere repreſſalia, „ ſervatis tamen conditionibus certis, quas art. ſeq. vid. apud „ Palaum *t.6. d.5. p.4.* & hic infrà.

„ III. Perſpecta juſtitia belli, debet ea proponi parti adver„ ſæ, quæ ſi offerat competentem ſatisfactionem, non debet „ bellum inchoari. Imò (ut probabilius eſt) etſi cœptum ſit, „ debet, ſi non ex rigore juſtitiæ, ſaltem plerumque ex charitate mox finiri, V.Molin. *d.103.num.1.*

„ IV. Poteſt Princeps pro ſatisfactione petere reſtitutionem „ ablatorum, & expenſarum; item aliquid in pœnam illatæ „ injuriæ. *Dunal.* Hinc poteſt victos privare bonis, etiam in„ nocentes, tributa eis imperare, extruere arces, &c. quæ ad „ ſecuritatem ſunt neceſſaria, Kon.Dian.*p 6.tr.4.R.22.*

„ V. Principes tenentur ſtipendia ſolvere militibus; alio„ quin tenentur compenſare damna, tum ipſis militibus, tum „ aliis, qui ab iis damnum acceperunt, Kon.Palaus, Dian.*R.29.*

„ VI. Tenentur etiam aliquando Principes catholici à bel„ lo, alioqui per ſe juſto, abſtinere, ſi inde oriturum ſit ſcan„ dalum, & ſpiritualis ruina multorum, ac detrimentum Ec„ cleſiæ. V.Palaum, Dian.*R.7.*

„ VII. Etſi (per ſe loquendo) in bello juſto liceat advocare „ infideles in auxilium, per accidens tamen ſubinde, imò „ plerumque non licet, ratione ſcandali, vel periculi in fide, „ v.g. ne ſubditi pervertantur, ſacra profanentur, &c. Regin. „ *t.2.l.21.num.100.* Fill.*num.181.*

„ VIII. Similiter licet alteri Principi, etiam alterius fidei, „ in bello juſto auxilium ferre, niſi tamen ſit periculum ſcan„ dali, incrementi hæreſeos, & damni veræ fidei. Vid. Kon. „ *tr. de charitate, D. de bello.*

„ IX. Duces, Tribuni, Centuriones, aliique Officiales „ peccant, tenenturque ad reſtitutionem. 1. Si pauciores ha„ beant milites, quàm in ſolutione ſtipendii exhibent. 2. Quan„ do debent ex officio commeatum curare, & dant militibus „ cibum vel potum corruptum, ex quo morbi oriantur. 3. Si in „ tranſitu per regiones accipiant pecunias à variis pagis, ne „ iſtic pernoctent, aut morentur. 4. Si uni militi dent plura „ ſyngrapha ad domos diverſas, Molin. Becan. Dian. *Reſ.27.* „ *&* 28. 5. Si ſtipendium militibus ſubtrahentes, permittant „ extorquere ab innocentibus neceſſaria.

„ X. Miles, qui in bello, & juſto, & injuſto, paratus eſt „ mereri ſtipendia, eſt in malo ſtatu, & incapax abſolutio„ nis, niſi mentem corrigat: Et quidem ſimiliter in bello in„ juſto tenetur ad reſtitutionem damnorum, niſi inculpabilis „ ignorantia excuſet, tum enim ſufficit reſtitutio eorum, quæ „ in ſpecie habet; vel eorum, in quibus factus eſt ditior. *Vid.* „ *infrà.*

„ XI. Si vocatus ad bellum ſit ſubditus Principis, qui bel„ lum gerit, aut ab eo ante conductus, non tenetur inquirere „ de juſtitia belli, quamdiu nulla vehemens ſuſpicio occurrit „ in contrarium, quæ poſitivè reddat dubium: quia poteſt „ præſumere pro ſuo Principe, cui in dubio debet obedire, „ ejuſque authoritas plerumque illi ſufficiet ad formandum „ etiam poſitivè judicium probabile de juſtitia cauſæ, ne cum „ dubia fide operetur. V.Lug.*d.18.ſ.1.n.21.* Si verò non ſit ſub„ ditus tenetur priùs inquirere, & poſteà ſaltem probabile „ formare judicium, bellum eſſe juſtum, Mol. *d.113.* Fill.*n.* „ 181.Laym.*l.2.t.3.c.12.n.8.* Azor.Mald.Reg. contra quoſdam „ apud Dian. *Tom.2.t.5.miſc.R.96.* Et *to.3.t.3.R.7.* Lugo *l.c.* „ Eſcob.*E.7.c.8.*

„ XII. Miles intelligens bellum eſſe injuſtum, in quo eſt, „ non poteſt abſolvi, niſi velit, quamprimùm poteſt, curare „ dimiſſionem, & intereà abſtinere ab actibus hoſtilitatis, v.g. „ cæde, præda, &c. Vide Laym.*c.12.* An autem talis poſſit oc„ cidere militem hoſtilem ſe invadentem. V.Eſcob.*l.c.*

ADDENDA.

868 *Queſt.190. Quid circa jus bellandi, Officiales & milites, ſit prætereà notandum?* R.Seqq. §.1. Nunquam licere bellum, docuerunt Manichæi, & poſtmodùm *Oecolampadius* ac *Lutherus*, ſed damnantur in Concilio IV.Calcedon. anno 452. in Bracarenſi I. Anno 563. in Claro Montano anno 1084. in Lateranenſi 1120. eſtque apertè contra Scripturam, uti oſtendit Dicaſt.*de juſt.l.2.t.1.d.10.dnum.247.* & copiosè Grotius *l.1.c.2.* Quamvis autem Alexander III.*c.1. de tregua, & pace*, graviter prohibuerit bellum & pugnas tempore

Adventus & Quadrageſimæ, tamen prohibitio illa non eſt uſu recepta, vel jam conſuetudine eſt abolita, uti habet communis cum Dicaſt. *num.*495. hinc etiam die feſto licitum eſt pugnare, ſi poſtulet neceſſitas vel notabilis utilitas, maximè cùm videatur eſſe opus non ſervile, ita cum aliis Dicaſt. *num.*496.

869 §.2. Bellum non poteſt eſſe utrimque *materialiter & reipſa* juſtum, quia uni tantùm poteſt *à patre rei* jus competere; poteſt tamen eſſe utrimque *formaliter* juſtum, quia poteſt adeſſe ignorantia invincibilis, & opinio pro juſtitia utriuſque partis: Nulli tamen eſt licitum indicere bellum, priuſquam jus ſuum, & adverſæ partis fecerit à viris doctis ſufficienter examinari, quia bellum, quod affert tanta mala, debet eſse poſtremum medium, ita Mendo *d.*13. *quæſt.*15. §.3. Si autem poſt examen major probabilitas ſtaret pro illo, qui non habet poſſeſſionem rei, de qua diſceptatur, probabile eſt cum Mendo *num.*229. hunc, qui non poſſidet, poſſe rem illam quærere bello, quia major probabilitas facit exceſsum juris, & ſicut per ſententiam judicis res illi adjudicaretur, ſic quæri poterit armis: oppoſitum tamen etiam probabiliter tenent Salas, Molin. Breſs. Dicaſt. *num.*344. quia poſſeſſio eſt talis titulus retinendi rem, ut ex ea nemo juſtè expellatur, niſi contra ipſum ſit moralis ſaltem certitudo juris, hinc tenent omnes communiter habenti jus minùs probabile, & non poſſidenti eſſe illicitum rem bello quærere. *Nec obſtat*, quòd Advocatus poſſit tueri probabilem partem contra probabiliorem: *Nam* diſparitas eſt, quòd actio Advocati ſit tantùm inveſtigatio, ex qua parte ſtet tale jus; bellum autem non tantum eſt velut ſententia, ſed etiam eſt illius executio, quæ non eſt licita, quando pro parte altera eſt major probabilitas. Quænam autem ſint juſtæ cauſæ belli, exponit Dicaſt. *à n.*288. Et ſpeciatim an licitum ſit bellum ad imminuendam vim creſcentem, quæ aucta nocere poſſet, videri poteſt Grotius *l.*2. *c.*1. *num.*17. qui rectè negat. Vide etiam dicenda *lib.*4. *num.*1491.

870 §.3. Sot. Azor. & alii cum Burgh. *Cent.*2. *Caſ.*88. putant aliquem juſtè poſſe defendere ſuam vitam contra alium juſtè aggredientem, quia defenſio vitæ videtur eſſe de Jure naturæ vel ſaltem Gentium omni homini licita: unde ex parte defendentis non eſt propriè bellum, vel dici debet, quòd quando dicitur non poſſe eſſe bellum utrimque juſtum, intelligatur de bello utrimque offenſivo, & non de eo, quod ex una tantùm parte eſt offenſivum & ex altera defenſivum: ſed *Molina* meritò dubitat de veritate hujus ſententiæ, quia ſic ſe defendens reſiſtit alterius juri, ergo agit injuſtè; deinde aggrediens jus habet ipſum occidendi, nam eſt juſtus aggreſſor, ergo alter viciſſim aggrediendo agit injuſtè; denique aliàs etiam poterit quis defendere ſuam vitam contra carnificem, uti dictum eſt *num.* 816. quod tamen omnes negant. Videri poteſt etiam Lugo *de juſt. d.*10. *à num.*144.

871 §.4. Si rationes pro juſtitia belli utrimque ſint probabiles, putat Dian. *p.*4. *t.*4. *R.*32. militem poſſe pro parte, qua volet, militare: imò Caram. *in Th. fund. n.*1408. negat militem poſſe unquam dubitare de juſtitia belli, quia non incipitur temerè, ſed cum conſilio, ac pro utraque parte eſt authoritas Reip. & ſupremi conſilii, ſed Carden. *in 1. criſi d.*6. *n.*143. rectè oſtendit militem dubitare poſſe de juſtitia belli.

872 §.5. An liceant fœdera cum Turcis & hæreticis, fusè examinat Dian. *tom.*2. poſt *p.*10. & ſuppoſita juſtitia belli poſſe Principes chriſtianos cum illis inire fœdus, abſolutè affirmant Authores 12. & conſentiunt alii cum Dicaſt. *n.*280. ſi abſit ſcandalum ac periculum fidei: è contra alii 14. abſolutè negant: alii 6. dicunt licere in ſumma neceſſitate: Diana cum 17. Theologis dicit per ſe licere, in praxi autem ratione circumſtantiarum vix unquam, ac refert exemplum cujuſdam Regis, qui moriens dicebat: *Perii, quia volui eſſe fœderatus ei, qui hoſtis eſt chriſtiani nominis.* Rem hanc etiam bene tractat March. *in Trib. t.*2. *t.*6. *t.*3. *q.*1. *d.*4. Et *t.*2. *t ſ.*6. *qu.*3. *d.*1. clarè oſtendens in praxi ordinariè eſſe illicitum tale fœdus.

873 §.6. Chriſtianis illicitum eſt (per ſe loquendo) bello aggredi infideles, v.g. Indos, quia chriſtiani nullum habent jus in ipſos, & ipſi ſine cujuſquam injuria poſſideant ſua: *per accidens* tamen licitum eſt, 1. Si impediant prædicationem Evangelii, ſic enim faciunt contra jus, quod à Chriſto habet Eccleſia, evangelizandi ubique. 2. Quando damnificant proximum: nam ſicut qui damnum injuſtè patitur, poteſt ſe defendere, ita & alius poteſt ei ferre auxilium.

874 §.7. Papa habet poteſtatem prohibendi bella Principibus Chriſtianis, quando ita exigit bonum commune fidei vel Religionis, qui in his eſt Chriſti Vicarius cum poteſtate conſtitutus, tenenturque ipſi Principes, etiam primariò, hoc bonum attendere.

875 §.8. Peccant Belli Duces & tenentur reſtituere, ſi diſſimulent, qua via velint exercitum ducere, ut ſic à diverſis oppidis tranſitum redimentibus pecunias accipiant, quia uno tantùm loco debetur eis tranſitus, nec poſſunt ipſi illum venalem facere, aut pro libitu hos præ illis gravare, neque Princeps ipſe hoc concedere poteſt cum tanto R. eip. detrimento, Molin. Bonac. Con. Arſd. *tom.*2. *p.*2. *t.*6. *in Reſ. caſtr q.*3. Dicaſt. *num.*459.

§.9. Commiſſarius, qui Capitaneo petenti annotavit plu- 876
res milites, quàm habeat, tenebitur reſtituere, ſi Capitaneus deficiat; excuſari autem poterit à reſtitutione Capitaneus, 1. Si ſtipendia ordinaria judicio bonorum & intelligentium non ſint ſufficientia, quod tamen non facilè credendum. 2. Si illa utiliter pro Principe ſuo impendat. 3. Si Principi ſuo tantundem poſtea remittat ex debitis vel dandis nomine juſti ſtipendii, Leſſ. *in Auct. v. Bellum, caſ.*1.

§.10. Si Princeps aſſignet cuique militi 10. aureos, & Ca- 877
pitaneus paciſcatur de 9. unumque ſibi reſervet, peccat, quia ſi Princeps tanti taxavit ſtipendium, aureus ille eſt militis, & Capitaneus eſt tantùm velut Oeconomus: è contra ſi non aſſignavit ut pretium ſtipendii, ſed tantùm id, quod dari poteſt, ſi minus non ſufficeret, aureus ille manet Principis; & credibile eſt hoc ultimo modo fieri, ſi ſolvantur ordinaria ſtipendia menſium, Leſſ. *caſ.*2. quia tamen Principes norunt varias hic fraudes ſolere intervenire, videntur tacitè permittere aliquid: unde Alexander Parmenſis aliquando reſpondit Caſtrenſibus Societatis Jeſu, non eſſe faciendum ſcrupulum Capitaneis ob quinque, vel *ſex pagas muertas*, ut vocant, ita Leſſ. *Caſ.*3. De cætero, etiamſi Officiales ſciant Commiſſarios ſibi injuſtè retenturos id, quod poſt perſoluta ſtipendia ſupererit, non ideo licitum eſt ipſis, quod ſupereſt, retinere, quia Princeps poteſt (quoad utroſque) eſſe invitus, Arſdek. *q.*3.

§.11. Non licet ratione ſtipendii dimidiati aut malè ante- 878
hac perſoluti, poſteà in luſtratione militum ficta nomina conſcribere, ut ſuppleatur ſtipendium debitum, 1. Quia non licet compenſatio, ſi fieri debeat cum fallacia & falſitate. 2. Quia hoc fit cum periculo gravis damni Reipublicæ, quæ putabit ſe tot habere milites. 3. Quia qui talia officia admittunt, ſatis ſciunt non perſolvenda tam accuratè ſtipendia, ergo cenſentur ſuo Juri renunciaſſe: Uſu tamen in militia recepto Capitaneis conceditur locus mortuus pro duobus aut tribus famulis, & unus pro Signifero, etiamſi illos actu non habeant, ita quoad omnia Arſdek. ſuprà.

§.12. Si milites moriantur, Jus ad ſtipendium, quod lu- 879
crati ſunt, devolvitur ad hæredes, ſicut, aliæ actiones & credita Defunctorum; nec apparet, unde jus Officialibus poſſit competere, Arſd. *q.*2. Laym. tamen & Dicaſt. *n.*464. fatentur conſuetudine receptum eſſe, ut trium vel quatuor menſium ſtipendia retineantur quaſi in depoſito, ad milites in officio continendos; quòd ſi moriantur, dicunt nihil reddi hæredibus, ſed nil certi afferunt, per quod excuſent, niſi fortè quòd prævaleat bonum commune, aut quòd dantes nomen militiæ videantur in hoc conſenſiſſe, quod tamen non præſumitur.

ARTICULUS III.

Quid in bello juſto liceat. 880

RESP. Etſi circa hoſtes in bello juſto liceat ea omnia fa- „
cere, quæ ad finem belli ſunt neceſſaria, v.g. occidere, ſpoliare &c. innocentes tamen (quo nomine intelliguntur pueri, qui arma geſtare non poſſunt, mulieres, ſenes, „
Religioſi, Clerici, peregrini, mercatores, & ruſtici (directè vita ſpoliari non poſſunt; bonis tamen externis poſſunt, „
ſi ſint pars Reip. hoſtilis, aliterque finis belli obtineri non „
poſſit, Mol. Bec. *p.*2. *c.*10. 11 & 12. Laym. Fil. *t.*29. *n.*191. *&c.* „
Ratio eſt, quia cùm ſit pars Reipublicæ, poſſunt propter hujus delicta puniri, in iis bonis, quæ Reipublicæ dominio „
ſubſunt. *Unde reſolves*, „

I. *Per accidens* licet aliquando comburere etiam Eccleſias, & hoſtes ex iis extrahere, in iis ſpoliare, & occidere, ſi „
v.g. Eccleſia velut caſtro ad repugnandum utantur. Sylv. *v.* „
*Bellum, n.*11. Sà, Bonac. *de Contract. d.*2. *q. ult. ſect.*1. *p. ult.* §.3. „

II. Contra hoſtem licet uti inſidiis, & ſtratagematis, dum- „
modò abſint mendacia, etſi etiam hæc, v.g. quando exploratores ſe fingunt amicos, non ſint mortalia: ea verò, ad quæ „
cavenda nulla Prudentia datur, v.g. veneno inficere puteos, „
aquas, glandes, ſunt contra Jura belli, nec licent. Mol. *d.*11. 1. „

III. Fides hoſti data ſervanda eſt, niſi vel coactus dederis, „
vel in grave detrimentum cederet Reip. aut Religionis; aut „
ſi hoſtes eam non ſervent; aut denique conditiones aut circumſtantiæ planè ſint mutatæ. Duval. Palaus, Dian. *l.c. R.*10. „
Vide etiam Laym. *l.*2. *t.*3. *c.*12. „

IV. Capti in Bello, etiam ex parte capientium juſto, niſi „
obſtet ſcandalum, aut ſpecialis promiſſio, poſſunt fugere: „
Capti verò in bello ex parte capientium injuſto, & fugere, „
& bona hoſtium ſecum auferre poſſunt, Laym. *n.*16. An ob- „
ſides liceat occidere, *vid. ſup. dub.*4. *ref.*5. „

V. Poteſt quidem aliquando, (rarò tamen, & non niſi „
ob cauſas graviſſimas) dari urbs in prædam; milites tamen „
privata authoritate prædas agere aut hoſtibus damna inferre „

non

non poſſunt, quia ſunt executores tantùm & miniſtri. V. Sà, V. Bellum. Laym. *l.c.* Fill. *n.* 198. Dian. *p.6.t.4.toto*. Dum autem urbs ſpoliatur injuſtè, gregarios milites tantùm teneri ad damnum, quod ipſi intulerunt, probabile eſſe docet Diana *R.* 31. ex Sylv. Nav. *&c.* Item *p.3.t.5.R.86.* Vid. infra *t.5.c.2.d.3.*

VI. Milites peccant cum onere reſtituendi, ſi à Ruſticis aliiſve, apud quos hoſpitantur, vel per quorum loca tranſeunt, auferant, aut invitis extorqueant, vel etiam donata accipiant (niſi conſtet omninò liberè fieri, ſiquidem donationes iſtæ plerumque non ſpontaneæ, ſed coactæ ſunt, præter ea, quæ ex conſtitutione Principis iis debent ſubminiſtrare: niſi tamen ſint in extrema, vel ſaltem in gravi neceſſitate, Mol. Kon. Palaus, Becan. &c. Dian. *p.6.t.4.R.26.*

VII. Repreſſàlia licita ſunt his conditionibus: 1. Ut manifeſtè conſtet cives alterius Reipublicæ feciſſe injuriam. 2. Ut ſuperiorum illorum Rogati recuſent adminiſtrare Juſtitiam. 3. Ut conſtet eos culpabiliter id recuſare. 4. Ut Princeps ſupremus cauſa cognita id concedat. 5. Ut non inferatur plus damni, quàm juſta ſatisfactio requirit. 6. Ut non concedantur in perſonas Eccleſiaſticas, Mol. Dian. *p.4.t.4.R.72. ex* 18. *aliis*.

Quæres: Ad quem pertineant bona hoſtibus erepta?

Reſp. 1. Immobilia cedunt Principi, aut Reipublicæ: mobilia fiunt capientis, niſi conſuetudo habeat, ut pars cedat Principi & Communitati. 2. Jure Cæſareo, niſi conſuetudo ſit contraria, bona ablata juſto bello, qui ea injuſtè poſſidebant, fiunt capiẽtium, poſtquam ea in ſua præſidia deportarunt. Valent. *t.3.d.4.q.*18. *p.3.* Mol. *d.*18. & Hurtad. *tom.*2. *diſp.*169 *ſect.*12. §.110. ubi requirit, ut una ſaltem nocte poſſederint. V. etiam Sylv. Bon. *l.c.* de peccatis in bello committi ſolitis, Trull. *l.5.c.2.d.*10. *& ſeq.* Dian. *p.6.t.3.*R.23. ubi contra Durand. docet hanc ſententiam eſſe in praxi tutam.

ADDENDA.

881 Quæſt. 191. *Quid circa iſta præterea ſit notandum?* R. Seq. §.1. Hoſti etiam injuſtum bellum inferenti ſervanda eſt fides publicè data, uti habet communiſſima cum S. Thom. Covar. Molin. Dicaſt. *de juſt. l.2.t.1.d.*10. *à n.*435. quia fœdera publica ſpectant ad Jus Gentium: Quod tenet, etiamſi una pars injuſtè coacta eſſet paciſci, cùm enim paciſcentes non habeant judicem ſuperiorem, cujus authoritate reſcindatur contractus, facilè quiſque ſibi fingeret injuriam vel vim eſſe factam, quod redundaret in commune damnum ſocietatis humanæ: unde nec poteſt in eo diſpenſare Papa, licèt paciſcentes eſſent Catholici, niſi vergeret in notabile damnum Fidei vel Religionis. Quòd ſi pactum ſit initum cum hæreticis, etiam non poteſt per Papam reſcindi, quia hoc vergeret in Majus damnum totius Reipublicæ Chriſtianæ, nam nunquam poſſent iniri pacta cum hæreticis, qui ſe obligare nolunt cum dependentia ab authoritate Papæ.

882 §.2. Princeps ad muniendam urbem ædificans in fundo Caji, tenetur huic compenſare pro rata, ita ut omnes æqualiter ferant damnum, quia licèt privati teneantur ſubvenire neceſſitati communi, tamen tantùm tenentur ſecundùm Juſtitiam diſtributivam, & æqualiter ad alios, Mol. *de juſt.t.6.d.*47. circa medium, Lugo *de juſt. d.6. n.61.* Et *in Reſp. Moral. l.6. d.*17. Vide tamen Delbene *de Immunit. Eccl. c.5.d.*25.

883 §.3. Militibus cæteriſque ſtipendiariis licita eſt pabulatio in terra hoſtili, non autem in amica, ſi pretio comparare poſſint, quia nec Jus naturæ nec Principis authoritas hìc ſuffragatur, Leſſ. *in Auct. v. Bellum, caſ.*4. Quòd ſi pabulum ſufficiens non advehatur, vel per inopiam emi non poſſit, pabula fiunt communia, ita *Arſdek.* putatque *Leſſ.* etiam in gravi neceſſitate licitam eſſe pabulationem, dummodò uni non auferantur omnia, ſed ſervetur proportio, ut omnes æqualiter damnum patiantur: ſunt tamen (inquit Arſdeck. ſupra *q.*7.) qui exiſtimant ex communi conſuetudine licitam eſſe pabulationem tanquam onus commune prædiorum, quando pro utilitate Provinciæ bellum geritur; neque condemnanda eſt, inquit *Leſſ.* ſententia aſſerens divites meritò poſſe ferre graviora onera, quia à prædiis ſuis poſt bellum majora quoque commoda habent.

884 §.4. Religioſi aut alii Clerici, qui quoad ſpiritualia ſerviunt militibus, poſſunt ſicut hi accipere ac retinere ſpolia hoſtium, quia ſunt pars exercitus, ac patiuntur pericula & incommoda cum aliis, ergo æquum eſt, ut etiam participent commoda, Molin. Laym. Dicaſt. *num.*490.

885 §.5. Si urbs ex juſta cauſa detur direptioni & ferro (per ſe loquendo & directè) occidi non poſſunt innocentes, quia nil commiſerunt, ob quod ſint vita privandi, neque ſunt actu vel proximè aggreſſores, Fill. *t.29. num.*191. Bonac. *De reſtit. d.2.q. ult.p.ult.n.*17. aliique communiter. Et quamvis timeri poſſit, ne pueri, ſi adoleſcant, hoſtes fiant, non ideò poſſunt jam occidi, quia nemo punitur ob delictum futurum, maximè ita incertum: Molin. *d.*119. Conſequenter fœminæ & peregrini per transitum commorantes, ſi ab actione hoſtili abſtinuerint, occidi non poſſunt. *Cajetan. Vict. Molin. & alii* communiter. Idem eſt de Clericis & Religioſis, quia non reputantur eſſe pars Reipublicæ hoſtiliter agentis, cùm ipſi arma non gerant: pueri tamen & fœminæ quamvis ſint innocentes, poſſunt in captivitatem abduci, & ſi ſint infideles ſervituti ſubjici, quia ſunt pars Reipublicæ vel urbis ſubactæ, tota autem Reſpublica hoſtilis cenſetur eſſe punibilis in bonis fortunæ, quorum dominium habet; inter quæ etiam numeratur libertas; & ita etiam poſſunt parentes puniri in prolibus & uxoribus ſuis, facitque etiam talis captivitas ad ſecuritatem capientium, ut tollatur facultas injuſtè nocendi: ita Vict. Molin. *d.*120. Fill. *n.* 201. Quod ſi fœminæ aliique gerendis armis inepti, ſint expulſi ex urbe obſeſſa ob defectum annonæ, nec ſpes ſit, ut ab obſeſſis recipiantur; ſi ab his expulſis nullum obſidentibus immineat periculum, non poſſunt attineri, ut fame pereant, ſed permittendi ſunt tranſire caſtra, 1. Quia non ſunt hoſtes, cùm ſe ſubmiſerint, neque aliter promeriti ſunt mortem, uti ſuppono: eſt autem illicitum innocentes poſitivè, & directè occidere, quod hìc fieret poſitivè negando alimenta neceſſaria & directè impediendo, ne accipiant, ergo. 2. Eſt illicitum fame enecare amicos obſeſſorum, ſi hi illos in urbem recipere non velint, ad quod non tenentur, ſi laborent inopia annonæ, ergo ſimiliter in noſtro caſu, ſive enim priùs fuerint in urbe, ſive aliunde cogantur ad ingrediendum, eſt par ratio. 3. Si obſidentes innocentem filium illius, qui propugnat urbem, vellent ſuſpendere, niſi Pater gubernator ſtatim urbem traderet, agerent injuſtè, ergo ſimiliter ſi fame occidant hos expulſos. An autem liceat ejuſmodi egreſſos iterum compellere in urbem, *vide dicta num.*833. De juſtis cauſis belli vide Grotium *l.2.c.2.*

CAPUT II.

De Sexto, & Nono Præcepto.

Non Mœchaberis.

Non Concupiſces &c. 886

Conjungo hæc duo Præcepta, quia utroque idem explicitè vel implicitè prohibetur; ſcilicet peccata impudicitiæ & luxuriæ. Eſt autem luxuria inordinatus appetitus, vel uſus delectationis, ſeu ſenſus venerei, qui fit cum commotione ſpirituum generationi ſervientium, circa partes corporis venereas; ita ut appetitus vel delectationes aliæ, etiam ſenſitivæ aut ſenſitivorum, ſi tamen non ſint venereæ, aut venereorum, nec ad ea ordinentur, non ſpectent ad luxuriam. Porrò actus, ſeu peccata luxuriæ, diſtinguuntur in *imperfectos*, in quibus non intervenit ultimus terminus venereorum; quæ eſt deciſio ſeminis; ut ſunt actus interni deſideriorum, & oblectationum morоſarum, qui ſpeciem ſumunt ab objectis: & in *perfectos* ac *conſummatos*, qui terminum jam dictum habent adjunctum. Qui rurſus ſunt duplices; alii enim ſunt *naturales*, qui naturæ non repugnant, nec ſpecies differunt in ratione luxuriæ, (etſi per deformitatem ſuperadditam aliquando ſpecie differant) v. gr. adulterium, inceſtus, &c. Alii *innaturales* ſunt, ſeu *contra naturam*, in quibus conditiones à natura inſtitutæ, v. gr. identitas ſpeciei, vas debitum, &c. non ſervantur. Et hi etiam in ratione luxuriæ differunt ſpecie, quæ in illis variatur ſecundùm modos, quibus committuntur, naturæ repugnantes.

DUBIUM I. 887

An & quanta peccata ſint oſcula, amplexus, tactus, verba obſcœna & ſimilia extra Matrimonium?

Reſp. Ad id dignoſcendum, diſtinguenda eſt in primis intentio & delectatio venerea & venereorum, ab intentione & delectatione ſenſitiva & ſenſitivorum aliorum, quæ conſiſtit in quadam proportione, & conformitate rei tactæ cum organo tactus. Deinde ſciendum eſt, intentionem & ſenſum venereorum eſſe mortalem, & excludere à Regno cœlorum, ſecundùm Apoſtolum ad Galat. 5. *Unde reſolves*:

I. Oſcula, amplexus, aſpectus, tactus & ſimilia, ſi extra Matrimonium fiant, ex intentione actus luxurioſi, vel ob delectationem veneream, etiamſi non illam perfectam, quæ eſt in ſeminatione; ſunt tamen ſemper peccata mortalia: quia eo animo, extra Matrimonium, ſunt impudica, & natura ſua talis delectatio tendit ad perfectam, Fill. *tr.30.n.*174. Leſs. *l.4.c.3.d.*8. Sanch. *de Matr. l.9.d.*46.

II. Tales actus ſunt ejuſdem naturæ cum perfectis ſive conſummatis, ideoque in Confeſſione explicandum, utrum ſint habiti cum ſimili ſexu, an cum diverſo; cum libera, an cum conjugata, cum cognata, an cum perſona ſacra, &c. Leſſ.*d.*15.Sanch.*Moral.l.*1.*c.*2.

III. Oſcula, amplexus, compreſſiones manuum, & ſimilia non obſcœna, ſi fiant tantùm officii, aut amoris patrii, aut amoris honeſti, vel benevolentiæ augendæ cauſa, etiamſi delectatio venerea ſuboriatur, modò in eam non conſentiatur) non ſunt peccata, Leſſ.*n.*56.Fill.*n.*171.

IV. Si verò iſta fiant ex aliqua veniali vanitate, joco, curioſitate, levitate, petulantia, imò etiam ſenſualitate, ſive affectu ſenſuali ac naturali (dummodo non cum delectatione venerea, nec ejus cauſa, & ſi præter intentionem ſuboriatur, ea repulſa, ac tunc abſtinendo) venialem culpam non excedunt, ut v.Fill.hic, Leſſ.*n.*62. Sanch.*loc.cit.* Dian.*p.*4.*t.*4. *R.*136. Contrarium tamen eſt tutius, *ut vid.* Trull.*l.*6.*c.unic.d.*12.*n.*9.

V. Idem dicendum eſt de tactu & aſpectu inhoneſtarum partium corporis proprii, aut commixtionis animalium, non cum animo venereo, ſed ex curioſitate tantùm, aut levitate, ſecluſo tamen ſcandalo, & periculo conſenſus venerei. Imò ſi tactus talis, aut conſpectus proprii corporis naturali aliquo, ac non malo fine fiat, ne veniale quidem erit, ut v.g.ſi frictione extinguere velis pruritum non venereum: dummodò tamen abſit periculum pollutionis, aut conſenſus in eam, ſi improviſò præter intentionem fortè obveniret, Fill.*n.*200.Sanch.*de Matr.l.*9.*d.*44.

VI. Tactus nudi, & aſpectus partium inhoneſtarum alterius corporis, maximè diverſi ſexus, aut concubitus humani ex curioſitate (nam de neceſſitate aliud eſt) etiam ſecluſo affectu venereo, videntur non poſſe excuſari à mortali propter gravem indecentiam, & periculum proximum actus venerei: niſi tamen aſpectus fiat ex loco tam remoto, & ita obiter, ut hæc abſint. Sanch.*num.*22.*&* 29. Fill.*num.* 218. Laym.*&c.*

VII. Aſpectus verò, & ſubinde etiam (rarius tamen propter periculum adjunctum) tactus, ex petulantia, vel curioſitate partium inhoneſtarum alterius corporis, ejuſdem tamen ſexus, citra affectum & periculum conſenſus venerei, excuſari poſſe à mortali, ut v.g.quando ſimul aliqui natant, vel lavant, docet Laym.*l.*3.*ſ.*4. ex Sanch.*l.*5. *Moral.cap.*6.*n.* 12.13.27.*&* 28.Trull.*n.*15.

VIII. Verba turpia, lectio obſcœnorum, ſpectatio comediarum turpium, cantiones inhoneſtæ, geſtus, litteræ, & dona amatoria, ſi tantùm fiant ex curioſitate, vel vano ſolatio, non ſunt mortalia, ſecus tamen, ſi fiant vel animo inhoneſto ſive venereo, vel cum periculo ruinæ ſpiritualis ſui vel aliorum. Sanch.*de Matrim.l.*9.*d.*46. *à n.*31. Fill.*t.*30.*c.*10.*q.*3.

IX. Choreæ, niſi malo fine fiant, aut cum periculo aliquos, aut ſeipſum incitandi ad libidinem, vel cum alia circumſtantia mala, ſecundùm ſe, non ſunt malæ, nec actus libidinis, ſed lætitiæ. Quando verò Sancti Patres eas interdum valde deprehendunt, loquuntur de turpibus, & earum abuſu. Vid.Cajet.v.Chorea, Fill.*n.*223.

X. Exhibentes comedias turpes, item facientes libros, aut picturas incitantes ad libidinem, peccant mortaliter, quia ſunt ruina proximi, cùm moraliter certum ſit, multos inde ad peccatum incitandos, Fill.*num.*211. Similiter Magiſtratus, qui permittunt exhiberi turpes comedias, peccare mortaliter, docent Hurt.& concedit Bald.ſi authoritatem illis præſtent, approbent, vel foveant; addit tamen poſſe aliquando excuſari, ſi ad majus malum impediendum non puniant, & tantùm tolerent. V.Dian.*p.*1.*t.*13.*R.*82.

XI. Perſona ſoluta permittens ſe tangi ab alia tactu, qui vulgò cenſetur pudicus, ut prehenſio, contrectatio manus, amplexus, & oſcula, juxta morem Patriæ, non peccat, niſi ei conſtet fieri pravo affectu: huic enim cooperari non licet. Docet tamen Fill. etiam tunc admitti poſſe, ne tangens infametur. Admittens autem tactus impudicos, (ut mamillarum & obſcœnarum partium) vel oſcula furtiva, & moroſa, vel indecentia, peccat, quia præſumitur affectus malus. V.Fill.*n.*197.*& infrà l.*5.*c.*1.*d.*2.

Quæres. An, & quatenus liceant tactus, aſpectus, &c. inter Conjuges, & Sponſos?

Reſp.I. Conjugibus licent, ſi referantur ad copulam; ad hanc enim licitè ſe excitant. Alio autem fine, v.g.voluptatis cauſa ſi fiant, ſunt peccata venialia, quia Matrimonium eos cohoneſtat, ac defectus debiti finis non eſt mortalis; niſi tamen habeantur cum periculo pollutionis, quæ cùm iis ſit illicita, eo caſu erunt mortalia, regulariter ſaltem, Sanch. *l.*9.*d.*16.*n.*7.Fill.*n.*165.*& alii*.

Reſp.II. Sponſis tactus impudici non licent; pudici verò in partibus honeſtis licent, ſi ex iis tantùm intendant delectationem ſenſitivam; ſecùs ſi veneream. Sanch.*n.*50. *&c.* Bonac.*Tom.*1.*de uſu Matr.q.*4.*p.*9.*n.*6.*&c.*

ADDENDA.

*Quæſt.*192. *An oſculum carnale & ſenſibile ſit peccatum mortale?* R. Alexander VII. damnavit hanc prop. 40. *Eſt probabilis opinio, quæ dicit tantùm eſſe veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis.* Pro qua damnatione intelligenda, & ut ad quæſtionem reſpondeatur, ſit 888

§.1. Delectatio (in genere) eſt ſimplex complacentia in aliquo objecto ſine deſiderio rem illam aſſequendi vel exequendi: poteſtque eſſe de re turpi vel non turpi: res autem turpis hic dicitur, quæ ad Venerem ſeu luxuriam ſpectat, ut dicetur *lib.* 5. *num.*92. 889

§.2. Delectatio de re turpi poteſt eſſe vel merè ſpiritualis, quæ nempe in ſola voluntate eſt, uti ſi quis delectetur turpi objecto ſine ulla turpi commotione in corpore: vel non merè ſpiritualis, ſed ſimul carnalis, uti ſi ſimul adſit turpis motus in corpore. Et utraque dicitur *delectatio moroſa*, non ob moram temporis, nam poteſt in unico inſtanti haberi, ſed vel ideo, quia voluntas eam advertens, deliberatè admittit, & ſic moratur ſeu ſe detinet in ea: vel quia, cùm in illa ſe detineat, non vult pergere ad opus, ideoque dicitur illi immorari ſeu in illa ſola quieſcere & permanere. 890

§.3. *Delectatio carnalis* alia eſt *venerea*, quæ oritur ex commotione ſeminis vel ſpirituum genitalium, alia *purè ſenſibilis*, quæ habetur ex applicatione ſenſus ad ſuum objectum, & exurgit in appetitu ſenſitivo cum aliqua alteratione corporis per motum ſpirituum vitalium, v.g. circa pectus, ob ſolam proportionem ſeu connaturalitatem, quam talis res habet cum organo talis ſenſus. *Vide dicenda l.*5.*à n.*93. 891

§.4. Etiam præſcindendo à commotione ſpirituum genitalium, dicendum eſt, quòd *delectatio merè ſpiritualis* circa materiam veneream, ſemper ſit peccatum mortale, uti habet communis cum S.Th.1.2.*q.*74.*a.*8.Ratio eſt. 1.Quia talis delectatio eſt de objecto graviter malo, nam in materia venerea non datur levitas materiæ, uti dicetur à *n.*910.ergo eſt actus mortaliter malus, quia actus ſuam malitiam habet per ordinem ad objectum, in quod tendit. 2.Si conjugatus delectetur ſodomia, peccat mortaliter, non ratione commotionis ſpirituum, quia hæc in conjugato non eſt mortalis, ergo ratione objecti graviter mali, ergo delectatio ipſa ratione objecti venerei ſecundùm ſe eſt graviter mala. 3. *Si delectatio interna* eſſet mala ratione commotionis ſpirituum, ergo ubi æqualiter excitarentur ſpiritus, eſſet æqualis malitia, quod patet eſſe falſum, nam fieri poteſt, ut in cogitatione de fornicatione magis quàm de ſodomia excitentur ſpiritus, & tamen *delectatio de ſodomia* habet majorem malitiam, ergo illam habet ratione objecti, præſcindendo à commotione ſpirituum. 4.*Delectatio fornicationis* ut præſentis magis opponitur caſtitati quàm delectatio fornicationis ut futuræ, ſed delectatio fornicationis ut futuræ, eſt peccatum mortale, nam à Chriſto prohibetur deſiderium etiam inefficax fornicationis tanquam mœchatio interna, uti exponunt SS. Patres, ergo. 5. Qui tali objecto delectatur, conſentit in id, quòd affectus ſuus inclinetur in fornicationem, & ut conformetur objecto mortaliter malo, uti ait S.Thomas, hoc autem eſt mortaliter malum; ergo. 6.Quando voluntas deliberatè ſibi complacet in objecto turpi, ponit cauſam per ſe commotionis turpis, uti latè oſtendit Arr.*t.*3.*d.*45.*ſ.*3.*Subſ.*2.*n.*11.*&t.*5. *Tr.de Prud.d.*58.*ſ.*5.*à n.*42.nam moraliter neceſſe eſt, ut excitentur ſpiritus genitales, ergo eſt cauſa per ſe talis commotionis turpis, ergo peccat mortaliter. 892

Si dicas, licere gaudere de pollutione in ſomno facta. R. Licet gaudere de ea ut venereè delectabili. N.ut aliunde utili & bona, v.g.quia levat tentationem, prodeſt valetudini, *tranſeat*, non eſt autem hic paritas, tum quia non ponitur cauſa per ſe illius, tum etiam quia gaudium non fertur in pollutionem, ſed in aliquid illi aliunde & per accidens cauſatæ conjunctum. *Vide dicenda n.*933.

§.5. Motus venerei, qui oriuntur ex oſculo ſimilique cauſa, ſunt peccata mortalia, ſi intendantur, uti omnes tenent: Si autem non intendantur, ſed tantùm prævideantur ſecuturi, Vaſquez, uterque Marchantius, Leſſ.*Dejuſtit.lib.*4.*cap.* 3.*n.*102.Gob.*in Exp.T.*7.*num.*330. Sporer *in Th.Mor.t.*1 *cap.* 5.*à num.*19.dicunt non ſemper eſſe mortalia, quia ſunt tantùm indirectè voliti in cauſa non mortaliter mala, & abeſt periculum conſenſus in ipſam delectationem, pollutionem, aliudve opus turpe, uti ſupponitur, ergo non ſunt mortale. *Probant Conſeq.* quia cum motus tales facillimè oriantur, irrationabile & nimis durum foret ſub mortali obligare ad vitandas tales cauſas venialiter tantùm malas, quibus oriuntur, v. g.curioſum aſpectum vel colloquium cum fœmina, quæ nemo 893

dicet

dicet esse ex se peccata mortalia. Neque huic sententiæ (inquit Sporer) contrariatur Decretum *Alexandri VII.* nam prop.40. damnata manifestè loquitur de delectatione carnali sensibili, utique venerea, ex illis oscu lis orta & directè volita cum consensu in illam, uti constat ex illis verbis, *absque periculo consensus ulterioris* (nempè in fornicationem aliudve opus turpe) ergo supponitur jam consensus in ipsam delectationem veneream ex illis oscu lis ortam, qui utique mortalis est: *Et ita quidem* (inquit ille) *non meo solius judicio, sed plurium virorum doctorum requisito consilio sentio, salva semper authoritate S. Sedis.* Videtur consentire Busemb.*n.*887.relatus, & iterùm *l.*5.*n.*76. Et sententia illa est probabilis, attamen periculosa pro praxi, uti dicetur *n.*894.*&* 897.

894 §.6. Authores plures quàm 20.partim cum Fil.*tr.*30.*à n.*176. partim alii plures apud Mendo *d.*5.*n.*89.*&* 90. dicunt non esse mortale velle delectationem tantùm sensibilem, quæ oritur in oscu lis vel tactibus, 1.Quia per se non est mala, alioqui nunquam liceret, nequidem ex urbanitate more Patriæ vel necessitate; imò, uti latè probat Arr.1.2.*d.*48. *n.*18. & Henao *in Empyreol.p.*2. *l.*8.*Exercit.*32.*sect.*1.in cœlo erunt illæ delectationes sensuum, ergo sistendo in eis non peccatur saltem graviter. 2.Quia si sistatur in illa delectatione sensibili, non additur ullus finis mortaliter malus. 3. Quia hìc nulla est propriè libido vel luxuria, nam ad hanc requiritur excitatio obscenarum partium corporis, aut saltem spirituum genitalium circa illas, uti docent multi apud Mendo *n.*92.ergo etiam non apparet, cur peccetur graviter. Hæc sententia est saltem speculativè probabilis, & etiam practicè respectu illius, cui post quæsitam & admissam talem delectationem sensibilem, per se loquendo, non est periculum proximum delectationis venereæ, etiamsi per accidens quandoque oriatur, dummodo non detur consensus: quia autem quamdiu sumus in hoc mortali corpore, non videtur mortaliter possibile,ut cum tali delectatione sensibili deliberatè quæsita & admissa non adsit periculum proximum delectationis venereæ, hinc Mendo *n.*93.& Spor. *in Tyrocin. Sacr.p.*4. *n.*531. rectè dicunt hanc sententiam regulariter non esse practicè probabilem, probatque hoc variis argumentis Sanch. *de Matr.lib.* 9.*d.*46.*n.*7.quamvis posteà *n.*17.videatur in alteram sententiam deflectere: certum enim est vix posse ita sisti in illa delectatione sensibili, quin accedant delectationes venereæ, in quas consentire vel se exponere consentiendi periculo secundùm omnes est mortale: præterea si delectatio sensibilis sit circa objectum per se turpe, omnes dicunt esse mortale, quia experientia probat (inquit Sporer) quòd delectationi sensibili quæsitæ vel admissæ circa objectum de se turpe inseparabiliter semper conjuncta sit delectatio venerea, in quam pariter ordinariè consentiat voluntas ita malè dispositа. Atque ex his patet propositionem 40.rectè ab *Alexandro VII.* esse damnatam. *Vide dicenda lib.*5. *num.*106.

895 *Q.*193. *Quid sit delectatio speculativa, quid practica; & an semper sit peccatum mortale?*

Resp.§.1. Spor.*in Theol. Mor.p.*1.*t.*1.*c.*6.*num.*29.vocat illam *speculativam*, quæ est de ipsa cognitione actus mali, vel de modo miro illo illius, v.g. vides amicum prono vultu cadentem in lutum & efferentem nasum sordidum, ac rides, non casum, de casu enim doles, sed modum lepidum cadendi; hanc delectationem vocat ipse speculativam: *practicam* autem dicit esse tum, si sit de ipsa re vel actione cogitata, ita ut ratio delectans sit ipsa res: hinc *infert* cogitationem practicam de re turpi semper esse peccatum mortale; delectationem autem speculativam in imaginatione de rebus turpibus, si sit voluntaria & non adsit bonus finis, qui mentem aliò divertat (practicè loquendo) etiam semper esse peccatum mortale, quia (moraliter loquendo) nunquam sistitur in sola imaginatione; sed ob sympathiam ac connexionem potentiarum, naturaliter concitantur motus inordinati appetitus sensitivi: Et ita quoque docet Tamb.*l.*10.*c.*1.*n.*8.

896 §.2. Cardenas meliùs explicat, dicens delectationem speculativam esse actum, quo percipitur quidem delectabilitas objecti, tamen non ita, ut voluntas moveatur ad eam desiderandam vel exequendam, & sic studens Casibus, quando cogitat, legit vel loquitur de copula carnali, intelligit ejus delectabilitatem, attamen non movetur ad eam desiderandam: è contra *delectatio practica* est actus, quo ita percipitur delectabilitas objecti, ut voluntas etiam moveatur ad eam desiderandam vel procurandam, ut si cogitanti de copula oriatur carnis commotio & appetitus ad illam, tum enim cogitatio speculativa mutatur in practicam: itaque inde dicitur *practica* vel *speculativa*, quòd provocet vel non provocet ad amorem vel desiderium sui. Hoc suppositо,

897 §.3. Tenenda sunt sequentia, 1. Cogitatio purè speculativa objecti venerei non est de se peccatum, si absit periculum consensus in delectationem vel cogitationem practicam. 2. Cogitatio practica objecti venerei est illicita, unde qui illam quærit vel in illam consentit, peccat mortaliter, quia tali cogitatio est causa per se commotionis spirituum & delectationis externæ determinantis ad illam; peccat autem mortaliter, qui efficaciter & directè vult ponere causam per se illius commotionis vel delectationis. 3. Qui, v.g.studet, & conatur habere cogitationem tantùm speculativam, si loco illius, invito occurrat cogitatio practica, non peccat, quia hæc non est illi voluntaria. 4.Si quis, v.g.studendo intendat cogitationes de objecto venereo, & nesciat distinguere, sintne practicæ an speculativæ, non peccat, si eis non consentiat, nec sit periculum consentiendi in commotionem vel delectationem: quando autem voluntas solet resistere his consensibus, signum est, quòd invita patiatur cogitationem practicam. 5.Qui vacat cogitationi speculativæ objecti venerei cum prævi so periculo incidendi in cogitationem practicam graviter provocativam,attamen sine periculo consentiendi in illam, non peccat graviter, quia cogitatio purè speculativa non est causa per se, nec notabiliter influens in cogitationem practicam graviter provocativam, ideò licèt velit illam, non censetur hanc in causa velle. Ita quoad omnia Carden. addens eum, qui cum urgenti causa incumbit cogitationi speculativæ objecti venerei cum periculo consentiendi in cogitationem practicam graviter provocatoriam, non tamen in delectationem veneream, tum tantùm dicendum esse peccare mortaliter, si loco cogitationis practicæ, quam scit distinguere à speculativa, posset & non curaret habere speculativam tantùm, quia tum nulla esset causa habendi practicam & se exponendi illi periculo: Si tamen nesciret distinguere practicam à speculativa, ita ut loco practicæ posset assumere speculativam, putavit ipse adhuc non peccaturum, dans rationem, quia ex urgenti causa licitum est se exponere periculo proximo peccandi; sed hæc ratio ultima videtur amisisse probabilitatem per damnationem propos.62.& 63. ab *Innocentio XI.* factam, uti dicetur *lib.*5. *à n.*256.

Q. 194. *Quid præterea sit notandum circa aspectus,* 898 *oscula, tactus, turpiloquia quoad solutos?* R.seqq.

§.1. Si aspectus & oscula per se tendant ad delectationem veneream, id est, si non habeant alium effectum vel finem præter delectationem veneream, quæ cum illis percipitur, licèt hæc non intendatur directè sunt peccata mortalia, ita Rhod. Mendo *d.*5.*n.*18.aliique; probat multis Sanch.*in Decal.l.*5.*c.*6. quia qui sic illa intendit, virtualiter & exercitè simul intendit delectationem veneream: è contra si fiant ex necessitate, vel alio fine honesto cum causa rationabili, v. g. ad ostensionem amicitiæ secundùm morem Patriæ, ad fovendum amorem in ordine ad contrahendum Matrimonium, quamvis *per accidens* simul orirentur motus venerei, nullum essent peccatum, uti tenent AA.communiter cum Mendo *n.*11. Denique si fiant ex levitate, joco, curiositate, petulantia, secluso scandalo & periculo, erunt venialia tantùm, ita cum communi, Tann. *hic d.*4.*q.*8.*à n.*98.

§.2. Aspectus possunt in hac materia esse mortales, vel ex 899 objecto, si hoc in se sit valdè turpe & notabiliter apud plerosque ad libidinem provocans, uti si quis personam planè nudam aspiciat; vel ex sola intentione, quamvis objectum de se non sit ita turpe, uti si quis cum actuali affectu ad libidinem aspiciat faciem puellæ, vel ex solo periculo prævi so, ut si quis objecta minùs honesta aspiciat advertens periculum consensus in aliquam delectationem veneream, Spor. *in Tyrocin. Sacram. p.*4.*n.*345.

§.3.Oscula facta cum ardore vel mora ordinariè sunt mor- 900 talia propter morale periculum consensus in delectationem veneream: idem est de oscu lis in ore diù replicatis, lingua unius, ore alterius excepta; semper enim simul excitari debet delectatio venerea, Spor.*n.*546.

§.4. Oscu lari pueros affectuosè & magna cum suavitate ex 901 amore teneræ ætatis; item captare delectationem sensibilem ex mollitie teneræ carnis, per se loquendo, est tantùm veniale, March.Spor.Sanch.*de Matr.l.*9.*d.*46.*n.*13.

§.5. Ancillæ, quæ lavant aut vestiunt pueros ac aspiciunt 902 vel tangunt partes inhonestas eorum, etsi motus sensualis exurgat, secluso consensu vel complacentia turpi, aut non peccant si ita officium exigat, aut solùm venialiter, si leviter & ex curiositate faciant: Si autem id cum mora faciant, ordinariè peccabunt mortaliter ob morale periculum consensus libidinosi.

§.6. Animalia minora, v.g.catellos molliter tractare, de- 903 mulcere etiam ad genitalia, ordinariè est tantùm veniale, est tamen periculosum sic tangere genitalia, aut facere, ut effundant semen, quia ordinariè se ingeret motus aut delectatio venerea; & hoc est, quod volunt Salas, & Bonac.apud Dian.*p.* 2.*tr.*17.*R.*37.Potestque etiam videri Tamb.*lib.*7.*c.*9.§.2.*n.*5.

§.7. Tactus super vestes ad partes verendas tum est morta- 904 lis, si quæratur delectatio consurgens ex tactu mediato cogitato: Si autem fiat ex petulantia tantùm aut ex levi delectatione tactus vestium, erit veniale tantùm, Sanch.*n.*11.

§.8. Oscula in partibus inhonestis facta à solutis; aut im- 905 missio membri virilis in os alienum,semper sunt mortalia, quia

de se

de ſe ſunt valdè indecentia, & prætereà ſunt ſaltem venerei tactus, Fill.aliique communiter cum Dian.*p.3.t.4.R.225.*

906 §.9. Tactus impudicus verendorum eſt mortalis, etiam in illis, qui propter defectum ætatis aut alia de cauſa ſeminare non poſſunt, quia de ſe tendit ad pollutionem & ſpiritus venereos notabiliter excitat, Tamb.*c.7.§.2.Spor.n.332.*

907 §.10. Moya *t.6.d.2.q.4.n.11.* dicit eſſe mortale loqui verba turpia de ſe inductiva ad luxuriam, licèt abeſſet periculum ſcandali vel delectationis & conſenſus tam in loquente quàm in audiente, quia continent illam malitiam, ad quam ex natura ſua inducunt: *Excipe*, niſi ex circumſtantiis aliud ſigni ficarent, aut non cenſerentur eſſe inductiva: quod ſi præſentes ſint ita probi aut ita improbi: ut verbis turpibus non moveantur ad peccatum, Salon.Sanch.Caſtrop. & alii cum Dian. *p.5.t.7.R.3.* dicunt rationem ſcandali non continere. Denique ſi proferantur tantùm ad oſtenſionem ingenii, ob amorem laudis propter acumen, aut ob alium finem non mortaliter malum, ſecluſo ſcandalo & periculo ſunt tantùm venialia, S. Anton.Caj.Nav.Tol.aliique apud Moyam, *n.3.*

908 §.11. Eunuchi per hactenus dicta etiam peccare poſſunt mortaliter, quia etiam in illis datur commotio ſpirituum & motus humoris, qui non eſt quidem aptus generationi, attamen facit ſentiri delectationem diverſam à purè ſenſuali, & æquivalenter venereàm.

909 *Q.195. Quid circa illos ſit addendum, qui ſunt aut fuerunt in Matrimonio?* item *circa habentes ſponſalia?* R. De primis dicetur *lib.6. c.2. d.2. ad art.1.* De poſtremis dicetur *ibid. cap.1. ad d.2.*

910 *Q.196. An detur parvitas in materia venerea, ſive, an poſſit deliberatè quæri delectatio venerea ita levis, ut non ideo peccetur mortaliter?*

Reſp.§.1. Omnis delectatio venerea eſt mortalis in illo cui copula eſt illicita, unde non poteſt quæri delectatio venerea ita parva, quin propterea peccetur mortaliter. *Probatur* 1. Quia ſententia negans eſt approbata à *Clemente VIII. & Paulo V.* qui præceperunt eos denunciari Inquiſitoribus, qui docerent amplexus & oſcula libidinoſa non eſſe mortalia: licèt ſola delectatio venerea in eis placeret ſine ordine ad copulam: Et ideo aliqui apud Mendo *d.5.n.4.* putant ſententiam oppoſitam eſſe damnatam, alii vocant improbabilem, falſam, temerariam, ſcandaloſam. 2. Omnis delectatio venerea ex ſe ordinatur ad effuſionem ſeminis; cùm ſit commotio illius vel ſpirituum illud commoventium, ergo in illis, quibus copula non eſt licita, eſt mortalis. 3. In omni delectatione venerea quantumvis modica, in quam quis conſentit, datur periculum proximum majoris, quæ in homine ſoluto erit mortalis, ergo etiam illa modica eſt mortalis. *Probatur antecedens*, quamvis enim fieri poſſet in aliis materiis, tamen in hac nemo poteſt dicere, eouſque me oblectabo, talem præcisè motum volo & non majorem, non enim poſſumus pro libertate terminum præſcribere; cujus ratio hæc eſt, quia applicata cauſa ad excitandam commotionem, ſtatim adeſt alia cauſa neceſſaria augens illam, nempè vehemens inclinatio, quam habet appetitus carnalis ad eas delectationes, præſertim quando ſentit aliquam jam præſentem, ſicuti ſi ſcintilla de ſe parva incidat in pulverem pyrium, incendit quidem granum unicum, ſed hoc accenſo adeſt proximum periculum, ne accendatur aliud & ſic totus cumulus. Quod alio ſimili confirmat Cardenas, nam homo cæcus ſciens in menſa jacere nummos æreos, & aureos, quos diſcernere nequit, quamvis velit æreum tantùm furari & in mare projicere, tamen peccat mortaliter furando aliquem & projiciendo in mare, licèt fortè ſit æreus tantùm; quia exponit ſe proximo periculo projiciendi aureum, nec cum voluntate ſic projiciendi poteſt habere voluntatem efficacem non projiciendi aureum. Similiter homo quærens delectationem levem, nam dubitare debet, an non ſit futura fortè gravis, unde cum voluntate habendi levem non poteſt habere voluntatem efficacem non habendi gravem. Quæ hic opponi poſſent, ſolventur *l.5. à n.101.*

911 §.2. Quod ad Societatem JESU attinet, CLAUDIUS AQUAVIVA, V. *Generalis* tale dedit Decretum ad totam Societatem, 24. Aprilis 1612. *In virtute S.Obedientiæ & ſub pœna excommunicationis &c. præcipitur, ne quis in Societate publicè vel privatim, non modò ut veram & probabilem, ſed nè ut tolerabilem quidem ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæſitam propter levitatem materiæ excuſari à mortali; aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundùm illam conſilium cuiquam det.* Id extendit VINCENTIUS CARAFFA, VII. *Generalis*, 19. Jan. 1647. etiam ad delectationem non quæſitam, ſed naturaliter obortam: unde ſuſtineri non poteſt ſententia Arr. *de pecc.d.46. n.17.* qui putat non eſſe mortale, ſi quis conſentiat in tales motus leves ſponte obvenientes; ideo etiam ipſe poſtmodùm *t.5.d.58.n.46.* ſententiam ſuam retractavit: Et quia contingere poterat caſus, quo vir doctus judicans dari parvitatem in ea materia & nobis conſitens nollet recedere ab illa opinione ſua, dubitatum eſt, an talem poſſemus abſolvere; Reviſores Romani nomine GOSVVINI NICKEL.X. *Generalis* reſponderunt Gallo-Belgis, teſte Platel. *de pecc.n.252.* poſſe & debere abſolvi, nam hoc non eſt ullo modo approbare ſententiam affirmantem, aut ſecundùm illam conſilium dare, ſed ſuppoſita qualicumque exiſtimata probabilitate, quam Eccleſiæ authoritas juxta quoſdam DD. necdum eliſerit, jus ſuum tribuere Pœnitenti aliàs diſpoſito ad abſolutionem, ſecundùm dicta *l.1.n.445.*

§.3. Si luxuria ſumatur genericè, prout eſt quid commune delectationi ſenſibili & venereæ, communis ſententia eſt dari poſſe parvitatem in materia carnis & luxuriæ, uti dicetur *lib.5. n.105.* 912

Q.197. An ſit peccatum, ſi voluntas in motibus venereis habeat ſe negativè, id eſt, neque conſentiat, neque poſitivè reſiſtat, ſed quaſi permiſſivè ſe habeat? R. Hoc decidendum eſſe *l.5. à n.109.* 913

Q.198. Quæ generaliter ſint remedia contra luxuriam? R. Seqq.1. Oratio humilis, ut agnoſcens fragilitatem ſuam recurrat ad Dei auxilium, ſine quo nemo continens eſſe poteſt, *Sap.8.v.21.* ſolet DEUS quandoque ſuperbos punire, permittendo labi in has ſeditates. 2. Sobrietas, nam Bacchus & Venus amici ſunt. 3. Opera pœnoſa, uti jejunia, flagella, cilicia; *Copia vel mordacitas ſeminis, ex quibus ſæpiſſimè oritur commotio venerea, optimè ſanatur per jejunia, diſciplinas & carnis macerationes*, Bonæſpei *hic d.10. n.15.* 4. Mortificatio & cuſtodia ſenſuum. 5. Evitatio occaſionum & præcipuè familiaritatis cum mulieribus, in hoc vitio vincitur fugiendo. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, ſi vis obtinere victoriam*, S.Aug.in Pſalm.23. v.4. 6. Fuga otii. 7. Piorum librorum lectio. 8. Meditatio mortis & æternorum. 9. Frequens Confeſſio & Communio. 10. Occurrente tentatione cogitare Deum, ſeverum peccati vindicem, eſſe præſentem. 11. Frequenter animo revolvere hanc ſententiam: *Momentaneum eſt, quod delectat, æternum quod cruciat.* 12. Statim avertere cogitationem ad quidvis aliud primò occurrens. 13. Pro illis, qui ſunt bonæ conſcientiæ & qui deliberatè conſentire non ſolent, ſervit contemptus, nam timor nimius tentationem multùm auget. 14. Optimum eſt habere prudentem ac ſtabilem Confeſſarium, ejuſque conſilium ſequi, nam remedia illa ſuggeret, quæ ſubjecto erunt utiliora ac huic tentationi vincendæ hic & nunc magis accommodata. 914

DUBIUM II.

Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ naturales?

Reſp. Eæ dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura inſtituit, v.g. quando ſervatur ſexus diverſus, ſpecies eadem, vas, & modus naturalis, &c. *ut vide in principio hujus Cap.* Unde reſolvitur tales eſſe has ſequentes, quæ in Confeſſione ſunt exprimendæ. 915

I. Eſt *fornicatio*, quæ eſt concubitus ſoluti cum ſoluta, (hoc eſt, quæ ſit libera à voto, Matrimonio, Religione) ex mutuo conſenſu. Ad hanc reducitur, 1. *Concubinatus*, qui eſt fornicatio continuata: unde concubinarius (uti & meretrix) ordinariè non debet abſolvi, niſi dimiſſa concubina, aut muliere ſuſpecta, cujus retentio ſcandalum daret, licèt cum ea non peccaret, Sanch. *lib.1. Mor.c.8.* Nav.Fill. *tr.30. n.56.* 2. *Congreſſus cum alterius ſponſa*, quæ eſt fornicatio intrà eandem ſpeciem gravior, & in Confeſſione aperienda, ſaltem reſpectu ſponſæ, ut docet Rodriq. *tom.1.c.109.* Sanch. *de Matr.l.1.d.2.n.6.* Fagund. *tom.2.l.4.c.3.* Fill. *n.53.* contra Cov. Vivaldum, Ledeſm. Azor. quorum ſententiam, (etiam reſpectu ſponſæ) probabilem, & in praxi tutam, cenſet Dian. *p.1.t.7.R.5.*

II. *Stuprum*, hoc eſt, defloratio virginis, ipſa invita, (quia ſi conſentiat, erit tantùm fornicatio ſimplex) quæ circumſtantia in Confeſſione aperienda, ut probat Leſſ. *l.2. cap.10. num.1.* & Sanch. *de Matrim. lib.7. d.14.* contra Nav. Azor. & alios.

III. *Raptus*, cùm ſcilicet perſona aliqua, (ſive maſculus, ſive fœmina, ſive nupta, ſive innupta) libidinis cauſa abducitur, illata vi, ſive abductæ, ſive iis, quorum poteſtati ſubeſt. Si quæ tamen ſponte diſcedat cum amaſio, inſciis Parentibus, non erit propriè raptus, ſed fuga, non addens malitiam ſpecie diſtinctam fornicationi, Lug. *de Pœn.d.16. n.237.* Fill. *n.110.* V.Bon. Idem dicit Dian. *p.1.tr.7. R.37.* ex Leſſ. *d.1.* Sanch. *n.5. &c.*

IV. *Adulterium*, cum ſcilicet uterque, vel alteruter coeuntium, eſt conjunctus Matrimonio, etiamſi adulterantis conjux ſit contentus: eſtò enim tunc illi non fiat injuria, ſit tamen ipſi ſtatui, Sacramento, & huic Præcepto. Quòd ſi fœmina adulterans ſit conjugata, gravius habetur, quàm ſi vir, propter incommoda graviora, v. g. damnum veri

hære-

„ hæredis, prolis incertitudinem, &c. Si verò uterque ſit conjugatus, adhuc gravius eſt, quia ſunt duræ injuriæ in utriuſque conjugem, in Confeſſione exprimendæ, Fill. *n.* 85. & 89.

„ V. *Inceſtus*, hoc eſt, congreſſus cum conſanguinea, vel cum affine, uſque ad quartum gradum, eò gravius peccatum, quò gradus eſt propinquior: quem proinde in Confeſſione exprimere, ſaltem ſecurius eſt, ut habet Nav. *c.* 6. Lug. *n.* 312. Sicut etiam multo gravior eſt inceſtus cum conſanguinea, quàm cùm affine in eodem gradu, v.g. cum matre, quàm cum noverca; cùm ſorore propria, quàm cum ſorore uxoris. Et rurſus gravior eſt cum affine, quàm cum cognato ſpirituali vel legali. Addi verò debet, ſi in primo gradu fuerit, utrùm cum matre, an cum filia, an cum ſorore, Lugo *l. c.* & Eſcob. *de actib. human. E.* 2. *c.* 6. ubi ex Hurtad. *d.* 9. *de Pœnit. Dif.* 4. probabile dicit, inceſtum in eodem gradu & linea ejuſdem eſſe ſpeciei, (eò tamen graviorem quò gradus eſt vicinior ſtipiti) & ſatis eſſe dicere, habui rem cum conſanguinea in linea recta. Ad hanc ſpeciem revocatur tanquam analoga, fornicatio cum filia Confeſſionis, cùm propriè non ſit cognatio ſpiritualis, quam tamen circumſtantiam in Confeſſione exprimendam eſſe probat Sanch. *d.* 55. Kon. *d.* 15. Fagund. *& cæteri probabiliter*, contra Sa *v. Confeſſio*, & Dian. V. Lugo *n.* 355.

„ VI. *Sacrilegium*, hoc eſt, violatio rei ſacræ per actum venereum. Res autem ſacræ, quæ ſic violantur, ſunt locus, & perſona: unde ſacrilegium eſt, 1. Omnis actus luxurioſus exterior, (qualis etiam eſt, v.g. pollutio, & probabiliter, etiam tactus impudici, ut vide Lugo *n.* 404.) in loco ſacro, hoc eſt, in templo, vel cœmeterio: niſi tamen fiat à conjugibus, ex neceſſitate, v.g. ad vitandam incontinentiam. 2. Omnis actus luxurioſus tam interior, quàm exterior, in perſona, vel cum perſona voto caſtitatis conſecrata: circa quem tamen probabile eſt, non opus eſſe exprimere, utrùm fuerit votum ſolemne, an ſimplex. Sicut neque, ſi duplici titulo ſit ſacrata, v.g. quia eſt Sacerdos & Religioſus, quia moraliter eſt una numero malitia, Sanch. *d.* 27. *n.* 27. Henriq. & cæteri, quos citat & ſequitur Dian. *p.* 1. *tr.* 7. *R.* 3. V. Lug. *ſect.* 4. Bonac. *q.* 4. *p.* 17. Eſcob. *Ex.* 8.

ADDENDA.

916 Q. 199. *Quid ſit hic addendum?* R. Hæc pauca. Certum eſt coitum inter ſolutos eſſe peccatum mortale: & errorem oppoſitum damnavit *Concilium Viennenſe*, *Clement. Ad noſtrum*, *De hæreticis*, & *Concilium Florentinum* inter errores Græcorum. Docuit quoque *Simon Magus* cum aliis, quos refert Archdek. *P.* 2. *de Dogmat. damnat. v Copula*, quòd uſus fœminarum ſit communis, ſed hic error reprobatus eſt *in Concilio Hieroſolymitano* ſub *S. Petro Apoſtolo*. Docuerunt etiam Begardi coitum non eſſe peccatum, oſculum tamen eſſe, uti idem *Archdek.* refert, ſed hoc Delirium etiam damnatum eſt *in Concilio Viennenſi*, anno 1311. Quòd autem fornicatio ſit intrinſecè mala, declaravit *Innocentius XI.* per damnationem hujus 48. propoſ. *Tam clarum videtur fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur*. Eſſe autem intrinſecè malam propter periculum malè educandæ prolis, probat Ovied. *de peccat. contr.* 3. *num.* 150. 2. Etiam eſt certum, quòd coitus cum non ſua ſit adulterium, nam *Innocentius XI.* damnavit hanc 50. propoſ. *Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium, adeoque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum*: Et rationem dat Buſemb. *n.* 915. relatus. 3. Taberna *p.* 1. *t.* 1. *c.* 3. §. 1. dicit puellam non peccare, ſi ob evidens periculum mortis vel ingentis infamiæ non adhibeat omnia omnino media ad depellendum ſtupratorem, v.g. ſi hunc, cum poſſet, non occidat, ſi non inclamet viciniam, ſed merè patiatur coitum, tamen ſecluſo omni periculo conſenſus. Et licèt hanc propoſitionem editis libris teneant AA. plures quàm 50. quod adductis locis refert. Vind. Tabern. ad prop 1. inter quos ſunt S. Anton. *p.* 2. *t.* 7. *c.* 8. §. 2. Silveſt. *v. Homicidium* 1. *n.* 9. Sot. *l.* 5. *q.* 1. *art.* 5. Navarr. *Man. c.* 16. *n.* 1. Tol. *l.* 5. *c.* 6. Leſſ. 1. 2. *q.* 6. *art.* 5. Lug. *de juſt. d.* 10. *n.* 198. Regin. *l.* 22. *c.* 1. *ſect.* 1. Gonet *de act. human. d.* 1. *num.* 93. Steph. *t.* 1. *d.* 5. *n.* 43. Philip. *t.* 2. *d.* 9. *d.* 1. Boſco *p.* 3. *d.* 7. *ſ.* 10. *n.* 127. tamen non expedit eam publicè proponere aut defendere, quia apta eſt cauſare abuſus, præſertim apud rudes.

917 Q. 200. *In quo conſiſtat virginitas, & quando amittatur?* R. §. 1. Circa primum variæ ſunt Medicorum ſententiæ: Multi dicunt in mulieribus incorruptis inveniri ad orificium vaſis membranulam dictam hymen vel eugion, quæ ſi frangatur, per hoc amitti virginitatem: contradicunt alii cum Boudevv. *p.* 2. *q.* 19. cum Fill. *tr.* 30. *n.* 65. cum Leſſ. *de juſt. l.* 2. *c.* 10. *num.* 3. cum Sanch. *de Matr. lib.* 7. *d.* 14. *n.* 1. & dicunt clauſtrum virginale in mulieribus conſiſtere in membranis carnoſis illud conſtringentibus ita arctè, ut appareat eſſe quaſi ligamentum cutaneum: hinc ibidem docet Boudevv. poſſe ſemen circa muliebria effuſum ita attrahi à matrice, ut hoc ſufficiat ad conſummationem Matrimonii, licèt corpus virginis non penetretur nec fiat defloratio, & *hoc fieri poſſe*, *nullus*, *quod ſciam*, inquit Boudevv. *Medicorum dubitat*. Quod autem ad mares attinet, virginitas eorum conſiſtit in violatione vaſis genitalis, è quo nullum ſemen ſit adhuc effuſum.

§. 2. Virginitas in puella phyſicè amittitur per apertionem ſive diſtenſionem partium, quæ claudunt vas genitale; in maribus, per effuſionem ſeminis: ut tamen in utriſque moraliter amittatur, debet apertio vaſis & effuſio ſeminis eſſe voluntaria, hinc ſi ſit involuntaria, manet homo coram Deo virgo & capax laureolæ virginitatis, ſecundùm illud S. Luciæ: *Si invitam juſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam*: è contra laureola virginitatis amittitur tam à fœmina quàm à maſculo per pollutionem voluntariam, licèt (quoad ſtatum) coram facie Eccleſiæ maneat virginitas, quamdiù clauſtrum virginitatis non eſt violatum, in puella, *ab extrinſeco*; in maſculo autem per copulam carnalem, Spor. *poſt Tr.* 5. *in App. ad* 6. *&* 9. *Præceptum*, *n.* 5.

DUBIUM III.

Quæ ſint ſpecies luxuriæ conſummatæ contra naturam?

RESP. Cùm contra naturam eſſe dicantur eæ, in quibus fit ſeminatio modis repugnantibus inſtitutioni naturæ, ita ut juxta tales modos ſpecies varientur; hinc reſolvitur tales ſpecies eſſe ſequentes: 918

I. *Congreſſus inordinatus*, hoc eſt, innaturalis, ſive indebitus concumbendi modus, cùm ſcilicet ſervatur quidem identitas ſpeciei, diverſitas ſexus & debita naturæ organa, ſed inordinato tantùm modo acceditur; v.g. cùm vir ſuccumbit, vel aversè accedit more pecorum, vel à latere, vel ſtando, aut ſedendo, aliave ratione inſolita, quod eſt contra naturam, mortale, quando inde periculum eſt impediendæ generationis, ut effundendi ſeminis; aliàs ſi hoc periculum caveatur aut non ſit, eò quòd matrix fœminæ ſatis attrahat ſemen, & retineat, ut ſit plerumque, non contra, ſed præter naturam erit, & veniale grave, imò nullum, ſi gravis cauſa adſit, v.g. quia mulier eſt prægnans, vel quia corporis diſpoſitio, ſive utriuſque, ſive alterutrius conjugis aliter fieri non patitur. Fill. *tr.* 30. *n.* 157.

II. *Mollities*, ſive *pollutio*, & eſt, cum abſque congreſſu ſeu copula, voluntariè procuratur fluxus ſeminis, ſive id foras effundatur, uti in maribus, ſive totus diffluat in matricem, ut in fœminis. Et hoc peccatum, præter propriam malitiam, ſæpè aliam habet adjunctam, ut v.g. fornicationis, adulterii, inceſtus, &c. cùm quis nimirum ſimul imaginatur ac deſiderat congreſſum alicujus perſonæ liberæ, conjugatæ, &c. quod proinde, ſi fiat, in Confeſſione aperiendum eſt. Plura de mollitie *v. ſequenti Dubio*.

III. *Sodomia imperfecta*, & eſt congreſſus cum debito quidem ſexu, maris nempè cum fœmina, ſed extra vas naturale. Poteſt etiam ſimul habere alias malitias, v. g. adulterii, ſi fiat cum conjugata, inceſtus, ſi fiat cum conſanguinea. Bonac. *q.* 4. *de Matr. p.* 11. *n.* 1. Fill. *n.* 158.

IV. *Sodomia perfecta*, & congreſſus duorum ejuſdem ſexus, ut maris cum mare, vel fœminæ cum fœmina. Et poteſt etiam habere alias malitias adjunctas, v. g. inceſtus; quo caſu cognationis gradum non neceſſariò explicari docet Eſcob. *de act. human. E.* 2. *c.* 6. ſed ſatis eſſe dicere, coivi cum conſanguineo, vel cum affine; quia nec miſcetur caro, nec contrahitur affinitas; nec linea variat ſpeciem. *Ita ille*. Explicandum tamen eſſe, fuerisne *agens*, an *patiens*, dicit Lugo *de Pœnit. d.* 16. *num.* 423. contra Dian. *tom.* 2. *tr.* 4. *R.* 159. *& p.* 6. *t.* 6. *R.* 36.

V. *Beſtialitas*, quod eſt graviſſimum inter omnes: & eſt congreſſus, in quo non ſervatur identitas ſpeciei, v. g. ſi homo coeat cum beſtia, ſive ejuſdem ſexus ſit, ſive non. Neque opus eſt explicare, qualis, ſive cujus ſpecies fuerit, quia eſt differentia tantùm materialis, & in genere entis; non autem formalis & in genere moris, Eſcob. *E.* 2. *c.* 6. ex Fill. *num.* 161. Huc revocatur peccatum cum dæmone ſuccubo, vel incubo; cui peccato ſuperadditur malitia contra Religionem, & præterea etiam ſodomiæ, adulterii, vel inceſtus, ſi affectu viri vel mulieris, ſodomitico, adulterino, vel inceſtuoſo, cum dæmone coeat. V. Bon. *de Matr. q.* 4. *p.* 12. Fill. *n.* 162.

ADDENDA.

919 QVæſt .201. *Quodnam peccatum ſit gravius, ſodomia an furtum?* R. Sodomia videtur eſſe gravius, uti pluribus evincunt Mendo *in Stat.d.5. q.23.* & Moya *T.1. tr.6. d.4. q.5.* Quò autem reducatur abortus, videri poteſt Steph.*t.1.d.5.n.62.*

DUBIUM IV.

An aliquando liceat procurare pollutionem?

920 „ REſp.Authoritate Scripturæ, quæ molles à regno cę-
„ lorum excludit. 1.*Corinth.6.* docent omnes, nullo
„ caſu licitum eſſe intendere, vel procurare directè mollitiem,
„ nequidem cauſa ſanitatis, ac vitandæ aliàs certæ mortis. Cau-
„ ſam dat Sanch.*de Matrim. lib.9.d.17.* quòd natura adminiſ-
„ trationem ſeminis, extra Matrimonium, in omni eventu
„ homini denegaverit, eò quòd adeò vehemens ſit in ea re ſen-
„ ſus voluptatis, ut homines paſſione excæcati, paſſim ſibi fa-
„ cilè perſuaderent, habere ſe juſtam cauſam irritandi ſemi-
„ nis, unde plurima graviſſimaque vitia contra bonum com-
„ mune, & in impeditione generationis emergerent, Nav.*c.*
„ *16.*Leſſ.*l.4.c.3.d.4.& communiter. Unde reſolves:*
„ I. Diſtillatio, quæ eſt fluxus humoris, quaſi medii inter
„ urinam & ſemen, (cum quo coloris & viſcoſitatis ſimilitu-
„ dinem gerit) ſine ingenti illa delectatione, non eſt vera pol-
„ lutio, & ſi proveniat ſine omni commotione ſenſus venerei,
„ ut quandoque fit, de ea non magis laborandum, quàm de
„ ſudore, dicit Cajet. Si verò fiat cum ſenſu carnis, & com-
„ motione ſpirituum generationi ſervientium, tunc ei coope-
„ rari, vel cauſam præbere, non eſt, vel eſt peccatum:
„ idque veniale, vel mortale, ad eundem modum, quo de pol-
„ lutione dicetur. Sanch.*d.45.n.32.*Laym.*l.3.ſ.4.n.18.*
„ II. Si ſemen judicio Medicorum tranſivit in materiam ve-
„ nenoſam, licet eam medicamentis expellere, etſi præter in-
„ tentionem ſequatur aliqua veri ſeminis emiſſio. Sanch. *d.*
„ *17.n.16.*Filliuc.*tr.30.n.150.*Trull.*lib.6.cap.1.d.8.§.1.n.14.*
„ III. Non tenetur (modò tantùm abſit periculum conſen-
„ ſus in voluptatem; nec voluntariè promoveat) impedire pol-
„ lutionem ſponte ſua evenientem, aut jam cęptam, v. g. in
„ ſomno, reprimere, ſed poteſt ſanitatis cauſa finere, ut na-
„ tura ſe exoneret: quia id non eſt procurare, ſed pati, ut ef-
„ fluat, quòd aliàs corruptum, ſanitatem læderet. Unde idem
„ admittit Sanch. etiamſi orta eſſet priùs ex culpa; modò de ea
„ doleat: & conſenſum ulteriorem abſtrahat; additque ple-
„ rumque expedire, munire ſe cruce, & ſine alio attactu,
„ quietis manibus, rogare Deum, ne permittat lapſum in de-
„ lectationem, Sanch.*n.17.*Trull.*n.8.*
„ IV. Licitum eſt ob finem honeſtum, v. g. minuendæ
„ tentationis, ſanitatis, tranquillitatis animi, optare ſim-
„ plici affectu ſpontaneam, & naturalem exonerationem na-
„ turæ, modò deſiderium illud non ſit cauſa efficax pollutio-
„ nis. Similiter licet etiam de ea gaudere, via naturali & ſine
„ peccato facta, quia objectum iſtius deſiderii, & gaudii non
„ eſt malum, licèt ejuſmodi deſideria ſimplicia inutilia eſſe,
„ nec periculo carere, quidam benè obſervent, Leſſ. *n.* 105.
„ Laym.*n.17.*
„ V. Si quis facturus rem aliquam neceſſariam, vel licitam
„ & honeſtam, prævidet inde naturaliter ſecuturam pollutio-
„ nem, (idque multò magis valet de diſtillatione) quam ta-
„ men ille nullo modo velit, nec intendat, tunc, modò abſit
„ periculum conſenſus in delectationem, non tenetur abſti-
„ nere à tali actione; quia proſequenti ſuum jus, non impu-
„ tatur effectus per accidens, & præter intentionem ſecutus.
„ Hinc non obſtante periculo pollutionis, licet audire Con-
„ feſſiones mulierum, ſtudere caſibus conſcientiæ, tangere
„ ſe ex neceſſitate, feminas cautè, & cum neceſſitate alloqui,
„ oſculari, amplecti juxta morem Patriæ, ſi alioqui incivilis
„ habendus eſſet. Quòd ſi tamen periculum eſſet conſentiendi
„ in delectationem (quod colligitur inde, ſi ſæpius ex ſimili
„ occaſione mortaliter ſit lapſus) à cauſa illa quantumvis licita
„ abſtinendum eſſet: proindeque Confeſſarius tali caſu tene-
„ retur relinquere officium. Fill.Sanch. *d.45.* Nav.*cap.16.*
„ Laym.*num.16.* Monet autem Laym.eum, qui in actionibus
„ honeſtis & utilibus talem miſeriam experitur, facilius libe-
„ rari contemnendo, quàm æſtimando, quia imaginatione,
„ & timore augetur.
„ VI. Si pollutio ſecutura prævideatur ex re illicita, otioſa,
„ vel minùs neceſſaria, & hæc ſit cauſa propinqua, ac natura
„ ſua ad Venerem ordinata, ut ſunt actus luxurioſi, tactus,
„ aſpectus, lectio, auditio, locutio turpis, mortale eſt ab
„ illa non abſtinere; quia in eam conſentiens, moraliter in
„ effectum conſentire cenſetur: Quòd ſi verò res illa ſit cauſa
„ tantùm remota, per accidens tantùm ad pollutionem con- „
„ currens, qualis eſt v.g. eſus aut potus calidorum, equita- „
„ tio, confabulatio inutilis, crapula, ebrietas etiam morta- „
„ lis, (modò pollutionem non intendas, & abſit periculum „
„ venerei conſenſus) ſecuta pollutio non eſt mortale, quia in „
„ talem rem conſentiens, non ideò velle cenſetur effectum. „
„ Fill.*num.*152.Sanch.*loc.cit.*Leſſ.*num.90.* & 100.V.Dian.*p.5.* „
„ *t.13.R.4.* Addunt quidam DD. hanc regulam, pollutionem „
„ in cauſa volita tantum eſſe peccatum, quantum eſt ipſa; „
„ ut ſi cauſa ſit peccatum mortale, etiam fore mortalem; ſi „
„ ſit veniale, venialem: Si verò cauſa nullum ſit peccatum, „
„ nec ipſam fore, (ſecluſo ſemper periculo conſenſus) hinc „
„ venialem, v.g. eſſe illam, quæ provenit ex lectione curioſa, „
„ vel aſpectu per ſe non mortali. Trull.*num.5.* ex Lopez, „
„ Henr. Vaſq. Bon.*t.1.de Matrim.q.4. p.10.*V.Dian.*p.1. tr.2.* „
„ *Miſcell.R.56.* „
„ VII. Pollutio in ſomno facta eſt mortalis, 1. Si ante di- „
„ rectè vel formaliter eſt procurata, & cauſa non eſt retracta- „
„ ta. 2. Quando poſt ſomnum placuit, & approbata eſt pro- „
„ pter delectationem veneream; aliàs non. Fill. *num.* 148. „
„ Trull.*nnm.9.* „
„ *Quæres.* An mutua pollutio inter mares vel fęminas pro- „
„ curata, ſit mollities tantùm, an ſodomia? „
„ Reſp. Si fiat ex ſolo affectu ad veneream libidinem, abſque „
„ concubitu, eſſe tantùm mollitiem: Si verò fiat ex affectu „
„ ad perſonam illam indebiti ſexus (præſertim ſi adſit aliqua „
„ conjunctio, & commixtio corporum) eſt quoad malitiam „
„ ſodomia. Fill.*tr.30. cap.8.* Plura de tota hac materia *vid.* „
„ *infrà lib.5.n.76. & Authores citatos.* „

ADDENDA.

QVæſt.202. *In quo conſiſtat malitia pollutionis?* R. 921
In hoc præcipuè, quòd ſit contra finem naturæ, quæ in ordine ad ſolam generationem format ſemen, pollutio autem illud prodigit voluptatis cauſa. Deinde ſi licita eſſet pollutio, impediretur propagatio generis humani, quia nemo vellet inire Matrimonium ob graviſſima illius onera & difficultates, ſed ſatiarent ſe homines voluptate, quæ eſt in effuſione ſeminis, habeturque per pollutionem. Atque ex his conſtat pollutionem eſſe intrinſecè malam, quod etiam declaravit *Innoc. XI.* damnans hanc 49. propoſ. *Mollities jure naturæ prohibita non eſt, unde ſi DEUS eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali.*

Q. 203. *Quid circa cauſas pollutionis ſit addendum?* 922
R. Seqq. §.1. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, ſit mortale in materia luxuriæ, ſimulque cauſa per ſe & efficax pollutionis, pollutio ſecuta, eſt mortale, tum quia Lex obligans ad peccatum vitandum, obligat ad vitandas cauſas per ſe efficaces illius; tum quia talis pollutio cenſebitur intenta in cauſa & in natura operis, ad quod ſequitur; tum etiam quia qui conſentit in mortale circa materiam luxuriæ, exponit ſe periculo proximo conſentiendi in delectationem majorem pollutionis prævifæ, ergo ſaltem ratione periculi peccat mortaliter, Arriag.*d.46.n.23.*Rhod.*d.1.q.3.ſ.2.§.1.* Spor.*in Tyrocin. Sacr. p.4.n.335.& alii communiter.*

§.2. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, ſit tantùm venia- 923
le in materia luxuriæ, adhuc dicit Mendo *in Stat.d.5.q.2.* pollutionem ſecutam eſſe mortale, tum quia cauſa eſt in materia luxuriæ & directè ac per ſe tendit ad pollutionem, ergo qui vult illam, cenſetur hanc in cauſa velle, non aliter ac ſi illa eſſet gravis in materia luxuriæ: tum etiam quia cum iſtis ſemper eſt homini jam actualiter affecto ad rem turpem periculum proximum conſenſus in delectationem conjunctam pollutioni, ergo ſaltem ratione periculi ſemper eſt mortale. E contra Vaſq. Henriq. Bonac Fill. Salas, uterque March. Leſſ.*lib.4.c.3.n.102.* Dian.*p.1.t.7.R.65.& p.2.t.15.R.31.* Gob.*in Exp.t.7. num.330.* aliique plurimi cum Spor.*ſupr. in Th. Mor.t.1.c.5.n.19.* dicunt poſſe tum abeſſe omnem intentionem pollutionis & periculum conſenſus in eam, & conſequenter pollutionem tum ſecutam eſſe tantùm veniale, quia cùm ſit tantùm volita in cauſa, in tantùm eſt mala, in quantum cauſa eſt mala, quæ ſola eſt voluntaria, cauſa autem eſt tantùm venialiter mala, ergo etiam pollutio ſecuta.

§.3. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, non ſit pecca- 924
tum in genere luxuriæ, quamvis ſit mortale in alio genere, uti eſt ebrietas vel eſus carnium die Veneris, Spor. *ſupr.* Sanch. & alii apud Dian.*p.1.t.7.R.65.* dicunt eſſe veniale contra caſtitatem, quia quamvis cauſæ illæ non influant per ſe nec multùm in pollutionem, tamen videtur eſſe levis deordinatio contra caſtitatem, quòd ſine cauſa ponatur aliquid etiam remotè cauſativum pollutionis. *Nec obſtat*, quòd in re venerea non detur parvitas materiæ, ſecundùm dicta *n.910.* adeoque ſi peccetur, videatur peccari mortaliter; *nam* tum tantùm peccatur mortaliter, quando res venerea eſt directè in ſe volita aut ſaltem in

cau-

cauſa mortaliter mala & per ſe inductiva illius: de cetero poteſt peccari venialiter, vel per cauſam per ſe & directè volitam, ſi hæc tantùm leviter ſit inductiva, vel per cauſam per accidens & indirectam, quæ non eſt in materia luxuriæ; uti (ſecundùm omnes) peccari poteſt venialiter per negligentiam levem in cavenda pollutione, *ita illi*: è contra Arr.*n.*19.Rhod.ſuprà & alii probabiliùs dicunt, per ſe loquendo, nihil peccari contra caſtitatem, quia quòd peccetur contra temperantiam, comedendo die Veneris carnes, nihil ſpectat ad caſtitatem, tam parum, quàm ſi die Jovis comedantur carnes per actionem omnino indifferentem: idem eſt, ſi actio *per accidens* tantùm eſſet in materia luxuriæ, v.g.ratione finis, uti ſi quis carnes comederit die Veneris ad complacendum puellæ, animo inducendi eam ad fornicationem, pollutio enim ſequeretur ab illa comeſtione tantùm per accidens, & velut à cauſa remota.

925 §.4. Si actio, ex qua prævidetur pollutio, ſit de ſe honeſta & licita, licèt videatur ſpectare ad materiam luxuriæ, uti lectio caſuum turpium, ſi tamen ſit neceſſitas, utilitas, aut alia quævis cauſa rationabilis eam ponendi vel continuandi, nullum erit peccatum, quamvis ſequatur pollutio, uti latè ex S.Aug. S.Th. & communi omnium ſenſu probant Sanch.*de Matrim. lib.9.d.45.num.*4.Rhod.*ſuprà*, Tann.*d.*4.*q.*8.*n.*81. Ratio eſt, quia qui utitur jure, quod habet ad ponendam actionem de ſe honeſtam & licitam illi non imputatur ad peccatum, quod per accidens ſequitur, cùm hoc potiùs patiatur quàm agat; & tales actiones ſunt, ſecundùm Sporer, choreas honeſtas ducere; ſecundùm Jo.Sanch.*inſelect.d.*21.*n.*12.*&* 32. equitare, etiam rationabilis recreationis cauſa; certo & commodo ſitu cubare in lecto, ambulare citò, crus vel femur unum ſuperponere alteri &c.dummodò ſemper bona fide procedatur, id eſt, dummodò nullo modo intendatur oblectatio pollutionis, nec ſit periculum conſenſus in illam. *Ratio* omnium à priori eſt, quia talis cauſa, v.g.eſus calidorum, per ſe tantùm tendit ad roborandum corpus per augmentum ſanguinis & ſpirituum animalium, ex quorum vigore vel abundantia quandoque oritur pollutio, quod per accidens eſt tali comeſtioni, quæ habet alium honeſtum finem, meritò præponderantem illi periculo remoto pollutionis, quæ timetur: imò Merat.*de pecc.d.*7. *ſ.*8. ait eum non peccare graviter, qui exercet aliquem corporis motum nec neceſſarium nec utilem, certò prævidens ex eo orituram delectationem ſenſitivam: Illſ.*t.*4.*d.*1.*n.*72. citans Sanch. Caſtrop.Laym.Fill. abſolutè dicit hominem non teneri abſtinere à commoditate ſitus, lecti, equitationis, potus, etiamſi ex his natura per accidens concitari ſoleat; ſed qui ſtudioſi ſunt puritatis, talia cavent.

926 §.5.Si quis fricet verenda, volens abigere pruritum vel qualitatem morbidam fortè adhærentem genitalibus vel in eorum meatu, & ex frictione prævideatur ſecutura pollutio, docet cum aliis multis Mendo *qu.*4. eſſe mortale; conſentit Spor.*in Tyroc.p.*4.*n.*333.ſi fiat præcisè ad ſemen corruptum vel ad morbidam qualitatem expellendam, tum quia ſemper adeſt periculum conſenſus in delectationem, tum maximè quia illa frictio per ſe tendit ad verum ſemen provocandum, & eſt cauſa proxima ac per ſe efficaciter concitans ſpiritus venereos, ideòque per ſe proximè influens in pollutionem: unde Sanch. qui priùs *de Matr.lib.*9.*d.*17. *n.*19. docuerat licere talem frictionem ad expellendum ſemen corruptum, poſteà *in Dec.lib.*5.*c.*6. *n.*12. ſe corrigens dicit non licere, maximè cum ſuppetant alia media minùs periculoſa per medicinas, quas licitum eſſe ſumere ad depellendam morbidam qualitatem vel corruptum ſemen valetudini noxium, docent, cum communi Sanch.Fill.Trull.Plat. *de peccat.n.*241. licèt prævideatur ſimul per accidens expellendum verum ſemen. Et ratio diſparitatis eſt, quia medicina illa per ſe non tendit ad expellendum verum ſemen, ſed ad expellendam illam morbidam qualitatem, è contra frictio plùs facit ad excitandos ſpiritus & ad eliciendum verum ſemen, quàm corruptum; poſſuntque de hoc videri dicta *n.*826. Item Lugo *de juſt.diſp.*10.*n.*126.Docent tamen etiam Sanch.Laym. March. Sporer *n.*349.ſi frictio fiat ad abigendum moleſtiſſimum pruritum, non fore peccatum, quia eſt actio de ſe licita & neceſſaria, uti etiam applicatio medicamenti ad illas partes malè habentes, & per accidens eſt ſequi pollutionem; & hanc ſententiam fusè defendit J.Sanch.*àn.*29. citans alios plures: ſed iterùm hic addo, quod ſtudioſi puritatis meritò talia caveant, aut ſaltem talem modum adhibeant, cum quo non ſit conjunctum pollutionis periculum.

927 §.6. Si nulla ſit juſta cauſa ejuſmodi actionem exercendi, docent Laym.& Platel.*n.*238. adhuc fore veniale tantùm talem actionem de ſe licitam & honeſtam ponere, quæ eſt cauſa per *accidens & remota* pollutionis; Arr.ſuprà dicit, per ſe loquendo, nullum eſſe peccatum, *per accidens* verò poſſe eſſe otioſitatem vel aliquid ſimile: cùm tamen pollutio & ſimiles motus vehementes, dum contingunt in vigilia, magnam ſecum adferant voluptatem, pronum eſt, ut in hanc conſentiatur ſaltem imperfectè, unde caſtitatis amans etiam tales cauſas remotas omittit, attamen ſine anxietate, & non agnoſcendo obligationem ſaltem gravem, ne aliàs, quando poneret, per conſcientiam erroneam peccet graviter. Circa omnia hactenus dicta videri poteſt Tann. *àn.*113. ubi accuratè refert ſententias & rationes.

§.7. Quamvis aliqui doceant puellam, quæ ſemel conſen- 928
ſit in copulam, non poſſe poſteà pœnitentia ductam viro ſeminante non recipere ejus ſemen, quia pejus videtur ſemen prodigere, quàm copulam inchoatam complere; quam ſententiam Sanch.*de Matrim.l.*9.*d.*19. *n.*7. vocat probabilem, cenſet tamen idem Sanch. pœnitentia ductam teneri ſemen non admittere, ſicque permittere pollutionem maris, quia tenetur non continuare peccatum, quod incepit, nec poteſt habere veram pœnitentiam de illo, niſi abrumpat: quod valet ſecundùm omnes cum Lugo *num.*197. ſi vi opprimatur; ac tenetur etiam omni modo conari, ne opprimere volens poſſit ſemen injicere, ibi enim, ſi ſe paſſivè habeat, hoc ipſo cenſetur poſitivè conſentire, quia *copulam pati*, eſt *eam admittere*: hinc Cajet. dicit etiam teneri clamare ut invaſorem abigat; Sot. tamen Nav.Regin.Bonac. dicunt non teneri clamare, ſi inde timeat ſibi mortem, gravem infamiam vel nimiam verecundiam: certum autem eſt nunquam licere illi ſemen admiſſum ejicere, uti dictum eſt *n.*824.

*Q.*204. *Quid circa pollutionem in ſomno ſit addendum?* 929
Reſp. Seqq.§.1. Si quis per cogitationes, tactus, aſpectus, vel quaſcumque alias delectationes venereas habitas ante ſomnum intendat pollutionem in ſomno, certum eſt, quòd illæ delectationes præter malitiam, quam in ſe habent, etiam contrahant malitiam pollutionis, ſive illa poſteà ſequatur ſive non: Dubium autem eſt, ſi tales delectationes ſint habitæ ante ſomnum, & non intendatur, ſed tantùm prævideatur pollutio ex illis ſecutura in ſomno, an hæ antecedentes delectationes etiam habeant malitiam pollutionis; negant Caj.J. Sanch. & alii; quia cùm neque adſit intentio neque deſiderium illius, non eſt, cur ille effectus contingens & non liberè ſecutus poſſit imputari: è contra Suar.Leſſ. Sanch. aliique communiter & longè probabiliùs affirmant cum Mendo *d.*5. *q.*3. quia delectationes illæ per diem habitæ ſpectant ad materiam luxuriæ, & per ſe proximè influunt in pollutionem velut in effectum proprium, ergo qui vult illas, cenſetur etiam hanc velle in cauſa, maximè cùm talis cauſa ante ſomnum poſita de ſe plùs & potentiùs operetur in ſomno, quando phantaſia per ſpecies relictas agit vivaciùs, & libertas impediendi deeſt, unde talis tenetur in Confeſſione dicere ſe de die habuiſſe has vel illas delectationes, in quibus ſatis præviderit ſecuturam in ſomno pollutionem. *Nec refert*, quòd fortè non ſequatur, *nam* per accidens eſt, quòd aliunde impediatur, & cauſa per ſe ſufficiens poſita erat, quod ſufficit ad contrahendam ejus malitiam, ut ſi quis admoverit ignem horreo alieno, prævidens illud accendendum, poſuit cauſam damni, & peccavit contra juſtitiam, quamvis *per accidens* ab aliquo extinguatur ignis, & damnum non ſequatur.

§.2. Spor.*in Tyrocin. àn.*338. conformiter ad principia 930
*qu.præced.*relata ſic diſcurrit, 1. Prævifio pollutionis in ſomno eſt tale peccatum, quale eſt cauſa, in qua prævidetur, unde ſi cauſa ſit mortalis in genere luxuriæ & notabiliter influens in libidinem, pollutio prævifa erit mortalis, licèt autem cauſa ſit mortalis in genere luxuriæ, ſi tamen non eſt notabiliter influens, uti notabiliter non videtur influere breviſſima cogitatio voluntaria de objecto turpi, pollutio ex tali cauſa prævifa non videtur fore mortalis: Si autem cauſa ſit venialis, aut mortalis quidem, ſed in alio genere, uti eſt ebrietas, pollutio hæc prævifa videtur eſſe venialis tantùm. Denique ſi cauſa ſit de ſe honeſta & licita, ac adfuerit rationabilis cauſa eam ponendi, pollutio prævifa nullum erit peccatum. 2.Si quis evigilans non reprimat, ſed permittat abſolvi pollutionem in ſomno ex cauſis naturalibus inceptam, ne aliàs noceat valetudini, docent Sa, Tamb.Platel.*de pecc.n.*224.Spor. aliique cum Buſemb. ſuprà non eſſe peccatum, quia in tali caſu non eſt in ſe mala nequidem materialiter; ſed rectè monent omnes cum Sanch. eſſe periculum conſenſus ſaltem in delectationem, niſi eliciatur aliqua poſitiva diſplicentia. 3.Si quis experge factus promoveat pollutionem in ſomno inceptam, addendo conatum aut protrudendo ultimas ejus reliquias, peccat mortaliter, quia non permittit, ſed poſitivè continuat illam.

§.3. Arr.*d.*46.*n.*24. rectè notat eſſe diſcrimen inter pollu- 931
tionem ſecuturam in vigilia, & in ſomno, nam cùm in ſomno non ſit periculum conſenſus, cauſa, quæ pollutionem infert in ſomno, faciliùs ex hac parte excuſatur à peccato; hinc pro vigilia magis tenetur quis vitare cauſas, non ratione pollutionis, ſed ratione periculi conſenſus, & ideò etiam docet Suar. *de pecc.d.*5.*ſ.*7. *n.*21. magis vitanda eſſe illa, ad quæ ſtatim timetur concupiſcentia, quàm alia, ex quibus timetur ſecutura in futuro, quia hæc ſunt minùs certa, faciliùs impedibilia, & habent minus periculi.

932 *Q.*205. *An liceat inefficaciter appetere pollutionem naturaliter orituram, vel gaudere de ea involuntariè ſecuta?* R. §.1. Communior eſt ſententia, quòd licitum ſit affectu ſimplici & inefficaci deſiderare, ut pollutio merè naturalis & involuntaria eveniat ob aliquem finem bonum, & ita docent Nav. Leſſ.Sanch.Vaſq.*in Decal.lib.*1. *cap.*2. *à num.*18. Tann. *de pecc.d.*4.*q.*8.*n.*145. Platel.*de pecc.num.*244. Spor.*in Moral.p.*1. *t.*1.*cap.*6. *n.*34. quia ſecundùm hos AA.pollutio involuntaria tum tantùm retinet malitiam objectivam & materialem, quando ſequitur ex cauſa, non naturali, ſed ex alia, v.g.ex tactu, turpiloquio &c. & ſi naturaliter eveniat, putant eſſe naturalem evacuationem corporis, qualis eſt emiſſio ſudoris vel aliorum ſuperfluorum excrementorum. Difficultas tamen eſt, cur liceat affectu inefficaci deſiderare talem pollutionem, & non mortem alterius, nam *Innoc.XI.* damnat hanc 13. propoſ. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alterius triſtari; & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.* Diſparitatem dat Sporer, quòd appetere mortem alterius non ſit actus merè naturalis, ſed ex natura ſua petat eſſe moralis ac liber, qualis ſi ſit, intrinſecè eſt malus: è contra dicit pollutionem vi naturæ provenientem non eſſe actum humanum nec voluntati ſubjectum, hinc in eum inefficaciter tendere, non videri eſſe malum. *Contra eſt*, nam mors naturaliter cauſata ex morbo etiam non eſt actus moralis, ſed effectus naturalis, & tamen non eſt licitum eam appetere alteri, ſed actus talis deſiderii eſſet moralis & intrinſecè malus, ergo necdum apparet diſparitas. Alii dicunt mortem eſſe graviſſimum malum phyſicum ſubjecti, quòd deſiderare alteri non permittat charitas, niſi propter cauſam proportionatam, qualis eſſet ſpiritualis utilitas ſubjecti vel temporalis utilitas communitatis, ſecundùm dicta *l.*2. *à n.*184. non autem privata hæreditas obventura, ſecundùm dicta hìc *n.* 693. E contra pollutio orta ex cauſis naturalibus, ſecundùm Sanch.*de Matr.l.*9.*d.*45. *n.*14.non eſt malum nè phyſicum quidem ſubjecti vel prolis vel Communitatis humanæ, cùm tale ſemen ſit quid ſuperfluum, quo ſe exonerat natura; aut ſaltem eſt malum tam leve, ut propter utilitatem etiam privatam permitti poſſit.

933 §.2. Conſentiunt quoque DD. inquit Spor. *num.*32. licitum eſſe gaudere de ejuſmodi pollutione, quatenus cauſa fuit alicujus boni, uti quia ſic ceſſavit tentatio, ægritudo, & ita docent Vaſq.Sanch.Leſſ.Lugo, & alii: ſed iterùm difficultas eſt ratione relatæ propoſitionis 13.damnatæ, item 15. *Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.* Sed dicendum eſt, uti licitum eſt gaudere tantùm de hæreditate obtenta poſt mortem, non autem de ipſa morte, ſic tantùm eſſe licitum gaudere de effectu poſt pollutionem ſecuto, & ideò dixi, *quatenus cauſa fuit*, non autem de pollutione *ſecundùm ſe*, hinc

934 §.3. Non eſt licitum delectari de pollutione *ſecundùm ſe*, eſt communis, & certa apud Sanch.*in Dec.lib.*1.*c.*2.*n.*16.Ratio eſt, quia cauſa excuſat factum à peccato, qualis eſt ignorantia vel defectus advertentiæ aut libertatis, non excuſat talem delectationem, quæ fit cum ſcientia, advertentia & libertate: licitè tamen delector, v.g.de homicidio facto ob defenſionem inculpatam, de damno alteri in extrema neceſſitate cauſato, quia cauſa liberans factum à culpa, nempè licentia faciendi, etiam excuſat delectationem, Spor.*n.*31.

TRACTATUS V.

De ſeptimo præcepto.

Non furtum facies.

935 „ CUm hoc prohibeatur omnis injuſta damnificatio
„ in bonis proximi, quæ fit 1. Per furtum, & rapi-
„ nam. 2. Per omiſſionem reparationis damni illati. 3. Per
„ iniquitatem contractuum. De his tribus hic agendum erit.

CAPUT I.

De Furto.

DUBIUM I.

Quid ſit furtum, & quale peccatum.

REſp. Eſt occulta & injuſta rei alienæ ablatio, invito „
rationabiliter Domino. Quòd ſi res ſit ſacra, dicitur „
ſacrilegium, de quo ſuprà. Si apertè cum vi fiat, *rapina*, à „
furto ſpecie diſtincta. Licèt autem furtum cæteris paribus, „
quàm rapina levius ſit, & ex genere ſuo minimum inter ea, „
quæ circa proximum committuntur: eſt tamen mortale, ſi „
quantitas ſit notabilis. *Ita communiter omnes.* Vid. Bon. „
*tom.*2. *de reſtit. diſp.*2. *q.*8. *Unde reſolves:* „

I. Qui alienum accipit per jocum, vel propter bonum aut „
commodum illius, à quo accipit, non furatur: v.g.ſi uxor „
auferat marito pecunias, ne ludis aut comeſſationibus pro- „
digat; aut vinum, ne inebrietur; aut librum hæretium, ne „
legat; aut ſi famulus det eleemoſynam non nimis magnam „
valdè indigenti, in qua Dominus rationabiliter non ſit invi- „
tus, à quo tamen propter verecundiam vel aliam cauſam „
non auſit petere. Leſſ.*l.*2.*c.*12.*n.*4. „

II. Qui pro ſe, vel pro alio in extrema neceſſitate conſti- „
tuto alienum accipit, quantum neceſſarium eſt, nec fura- „
tur, nec tenetur reſtituere poſteà ſic abſumptum; ſi quidem „
re & ſpe indigens fuit. Idem docent Leſſ.*d.*12. Malderus, „
Diana &c.de neceſſitate gravi: verùm id probabiliùs alii „
negant cum Laym.*l.*3.*t.*3.*p.*1.*c.*1.*n.*7.ex S.Th.2.2. *q.*66. *art.*7. „
Sylv.Ang.V.Lug.*d.*16.*ſect.*7. „

III. Nec item furatur, qui accipit in compenſationem ju- „
ſtam, ſi aliter ſibi debitum accipere nequeat, v.g. ſi famu- „
lus juſtum ſtipendium non poſſit aliter obtinere, vel iniquè „
inductus ſit ad ſerviendum iniquo pretio. V.Laym.*loc.cit.*& „
Tol.*lib.*5.*cap.*15. „

ADDENDA.

*Quæſt.*206. *Quid notandum ſit circa naturam furti & rapinæ?* R.Seqq.§.1.Furtum dicitur eſſe *ablatio*, per 936
quod diſtinguitur à pura damnificatione, ſecundùm dicenda *p.* 2.*n.*17. nam ſi injuſtè comburas domum alienam, non eſt propriè furtum, Lugo *de juſt.d.*16.*n.*1.Hinc etiam furari acum ſartori inde habituro grave damnum, non cenſetur grave peccatum furti, ſed damnificationis, Fagund.Moya *in ſel.t.*1.*t.*3.*d.*3. *q.*3.*n.*1. Per ablationem autem intelligitur etiam retentio, nam *l.*40.54.76.*ff.de furtis* dicitur creditorem pignore utentem; item uſurarium, ſi rem alteri commodet; item commodatarium, ſi rem diutiùs uſurpet, furti teneri, quamvis de creditore videatur oppoſitum dici L.55.ſequente, ſed non poteſt eſſe quæſtio niſi de nomine, poteſtque videri Haun.*de juſt.t.*2.*n.*250.

§.2. Dicitur *ablatio rei*, intellige, externæ, mobilis aut 937
immobilis,uti ſi partem agri alieni in tuum trahas, Mol.*de juſt. d.*68.1.*n.*14.Per Tò *rei*,intelligitur etiam perſona non libera, uti mancipium; idem dicunt aliqui apud Lugo etiam de perſona libera, v.g.filio & ita videtur afferri §.9. *Inſtit.de obligationibus, quæ ex delicto*: ſed non poteſt eſſe quæſtio, niſi iterum de nomine, de qua Haun.*n.*254.

§.3. Dicitur *alienæ*, intellige, ſaltem quoad legitimam 938
detentionem,furtum enim committitur non tantùm contra dominum rei, ſed etiam contra ſolum poſſeſſorem aut legitimum tantùm ejus detentorem, v.g.circa depoſitarium, commodatarium, conductorem &c. *L.*10.*&* 11.*ff.de furtis*; unde dominus rei depoſitæ poteſt furari ſubducendo rem ſuam inſcio & invito depoſitario; & hoc eſt, quod innuit S.Th.2.2.*q.*66.*art.*3.*ad* 3. dicens rem depoſitam eſſe ſimpliciter deponentis, ſed ſecundùm quid eſſe depoſitarii. Videri poteſt Lugo *ſect.*8.

§.4. Dicitur *ablatio occulta*, & ſenſus eſt, quòd ſit talis 939
ablatio,quæ fit ſine vi domino illata, quamvis fortè eo præſente & vidente fiat, uti ſi eo præſente, & vidente pecuniam in menſa jacentem auferas, & fugias, non eſt rapina, ſed furtum.

§.5. Secundùm jam dicta explicari debent definitiones aliæ 940
furti, uti S.Th.*in O.Occulta acceptio rei alienæ: L.*4.*Inſtit.tit.*6. *Alienæ rei invito domino contrectatio lucri faciendi vel intercipiendi cauſa: L.*1.*ff. de furtis*, *Contrectatio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus poſſeſſionisve*: Mol.*n.*16.*Acceptio injuſta boni externi abſque vi & abſque ullo conſenſu ejus, cujus eſt, ſaltem quoad legitimam detentionem*: Tamb.*in Decal.l.*8.*t.*2.*c.*1.*n.*1. *Acceptio vel contrectatio rei alienæ externæ ſine vi, inviro rationabiliter domino.* Spor.*in Dec.t.*5.*c.*5. *n.*4. *Contrectatio occulta rei alienæ externæ domino rationabiliter invito*: Haun.*n.*252. *Acceptio occulta rei ab alio injuſtè detentæ, invito detentore.*

§.6. Ob-

941 §.6. Obſervandum eſt, quid veniat nomine furti apud Theologos ſeu Canoniſtas & Juris civilis peritos, quod colligitur ex jam dictis, nam ſi in furtum feratur pœna Eccleſiaſtica, v.g. excommunicatio, reſervatio, illa cadet ſuper furtum tantùm Theologicè conſideratum, uti rectè Lugo, Spor. Tamb. *n.*7. è contra ſi à jure civili feratur pœna in furtum, non cadet ſuper omne furtum Theologicè conſideratum ſecundùm jam dicta, nam apud Juriſtas nomine furti non venit acceptio rei immobilis, nec ſi conjuges ſibi mutuò aliquid auferant, uti notat Lugo contra Haun. *n.*257. nec quod aufertur ex hæreditate nondum adita, neque ſi tutor res pupilli injuſtè uſurpet, ideoque juriſtæ furta illa honeſtioribus titulis appellant, *delictarerum amotarum, expilatæ hæreditatis, rationum diſtractarum &c.* uti videri poteſt in legibus apud Lugo *n.*3. Quales autem actiones, & cui & contra quem competant ratione furti; item quales ſtatutæ ſint pœnæ contra furtum, videri poteſt apud Haun. *à n.*265.

942 §.7. Rapina eſt injuſta contrectatio rei alienæ externæ cum vi facta domino vel legitimo detentori: ideò autem diſtinguitur ſpecie à furto, quia ſuperaddit modum tendendi in rem alienam notabiliter diverſum, nempè cum vilipendio & injuria contra perſonam ipſam præſentem & renitentem, quæ tamen ob præeminentiam, quam habet ratione juris in re ſua, violari non deberet. Porrò per vim intelligunt Mol. & Lugo *n.*12. non tantùm violentiam ſeu impetum, qui corpori infertur, ſed etiam aliam vim, quæ fit per metum gravem injuſtè incuſſum, uti ſi latro minetur mortem, niſi extrahas pecuniam, ſi Princeps minetur exilium, niſi ſolvas iniqua tributa; ſi quivis alius potentior minetur grave malum, ſi rem tuam repetas &c. Et debet talis vis fieri perſonæ domini vel alterius, qui rem legitimè detinet, uti rectè Vict. Mol. Lugo *n.*13. contra Sot. hinc ſi fur unus alterum vi impediat, ut ipſe primus rem auferat, item ſi quis noctu violenté effringat oſtia & nemine præſente aut renitente rem ſubducat, non erit rapina ſed ſimplex furtum; putat tamen Haun. *n.*264. fore rapinam, ſi habuiſſet animum vim inferendi, & ita videtur innui *L.*52.§.10. *ff. de furtis*: ſimiliter quamvis per metum ſit vis illata, ſi non inferatur violentia, non erit rapina apud Juriſtas, nec in foro civili dabitur actio, quæ aliàs datur contra rapinam, & dicitur *De vi bonorum raptorum, Inſtit. & ff. hoc titulo*, ſed tantùm dabitur actio, *Quòd metus cauſa*, uti cum aliis notat Haun. *n.*263.

943 §.8. *Objici poteſt*. Homo tenetur bona ſua temporalia poſtponere ſaluti æternæ proximi, ergo nunquam eſt rationabiliter invitus, ut proximus hæc accipiat, ſed tenetur potiùs velle, ut habeat, quàm ut peccet mortaliter: ergo nunquam peccabitur ſaltem mortaliter per furtum vel rapinam. Reſp. Si argumentum valet, ergo nulla proximo fieri poterit injuria gravis: itaque diſt. ant. homo tenetur bona ſua temporalia poſtponere ſaluti æternæ proximi, ſi proximus per ſuam malitiam velit ſuam ſalutem perdere, n. ſi proximus non poſſit aliter ſuam ſalutem conſequi, c. ant. & n. conſ.

944 *Q.*207. *Quæ ſint ſpecies furti?* R. Species furti genericè ſumpti apud Theologos ſunt, furtum ſtrictè ſumptum & rapina, de quibus *à num.*936. dictum eſt, ad quæ accedit ſpecies Sacrilegii, ſi res ſit ſacra vel tollatur è loco ſacro ſecundùm dicenda *lib.*5. *num.*127. Et ſpeciatim de furto Reliquiarum dictum eſt *hic num.*53. Species furti apud Juriſtas ſunt, 1. *Manifeſtum*, in quo fur præſente adhuc inſecutione vel inclamatione deprehenditur cum re furtiva, eo die, quo furatus eſt, antequàm detulerit eò, quò deferre & ubi cùm furto manere conſtituerat: *Non manifeſtum*, in quo fur non ita deprehenditur. 2. *Diurnum*, quod fit in ea luce, qua fur agnoſci poſſit: *Nocturnum*, quòd ſit in eis tenebris, ut fur agnoſci non poſſit: Statuitur autem *L.*4. *ff. Ad legem Aquiliam*, ut ſolus nocturnus fur impunè occidi poſſit, ut tamen idipſum cum clamore teſtificetur; limitatur *L.*9. *ff. Ad legem Corneliam de ſicariis*, ſi parcere ei ſine periculo ſuo non poſſit. 3. *Qualificatum*, quod in Jure habet ſpeciale nomen & punitur ſpecialibus pœnis: *Non qualificatum*, quod ſpeciale nomen non habet in Jure, ideoque nec illi ſpeciales pœnæ decretæ ſunt. Qualificata ſunt, *Peculatus*, quod eſt furtum circa res vel bona publica ad fiſcum aut principem pertinentia, quò ſpectat etiam crimen legis Juliæ, ſi quis bona communitati diſtribuenda in proprium commodum vertat, aut debens diſtribuere pecunias, obtrudat aliquid aliud; item adulteratio monetæ facta à monetario; item cuſio monetæ ſine licentia, etiam in uſus proprios, & quamvis ex materia propria. *Abigeatus*, ſi ex grege abigantur plura pecora etiam ſucceſſivè, vel etiam unum, ſi ſit magnum, uti bos, equus, etiamſi è ſtabulo abſtrahatur, uti notat Illſ. *t.*4. *d.*3. *n.*131. *Plagium*, ſi homines liberi & inviti doloſè intercipiantur, ſupprimantur, vendantur, emantur. De his omnibus videri poſſunt plura apud Haun. *à n.*259.

945 *Q.*208. *An furetur, qui rem aufert domino videnti, & non contradicenti, aut ſi putetur eſſe contentus?* R. §.1. Si dominus videat, & ex metu vel verecundia non contradicat, auferens furatur, quia dominus eſt invitus: ſi videat, & non contradicat, idque ſine metu & verecundia, cenſetur conſentire, quia nil opponit, cùm poſſet & deberet, niſi conſentiret, ita plures cum Bonac. *de Reſtit. d.*2. *q.*8. *p.*1. *n.*1.

946 §.2. Si quis prudenter præſumat dominum eſſe omninò contentum, vel certo ſciat fuiſſe daturum, ſi rogaretur, non peccat ſaltem graviter auferendo, ita cum communi Lug. *d.*21. *n.*54. Leſſ. *l.*2. *c.*12. *n.*4. Ratio eſt, quia dominus tum non cenſetur invitus, ſaltem quoad ſubſtantiam, quamvis fortè invitus ſit quoad modum illum auferendi, ad excuſandum autem à furto non requiritur poſitiva voluntas domini, ſed ſatis eſt eum non eſſe nec fore poſitivè invitum quoad ſubſtantiam, ad quam tum eſt contentus: ſi tamen poſteà adverteretur non fuiſſe contentus nequidem quoad ſubſtantiam, eſſet obligatio reſtituendi, quia prior præſumptio non fecit eum eſſe reipſa contentum quoad ſubſtantiam. *Dixi* non peccare ſaltem graviter, quia communiter eſt ſaltem veniale, vel ob vanum reſpectum humanum, quo quis vincitur, vel quia fit contra voluntatem domini quoad modum ſaltem, qui aliter non vult carere ſua re, niſi ſe illa abdicet, ſciens, volens.

947 *Q.*209. *An ille furetur, qui pro ſtatu ſuo ſervando facit in veſtitu, victu, famulitio &c. expenſas, quibus ſolvendis ſcit ſe eſſe imparem?* R. De hoc dicendum eſſe *p.*2. *n.* 17. *&* 280.

*Q.*210. *An ille præſumi poſſit eſſe fur, qui rem alienam accipit, vel in cujus domo res aliena invenitur?* R. Hoc reſolvendum eſſe *p.*2, *n.*1186.

948 *Q.*211. *An licitum ſit furari in gravi vel extrema neceſſitate?* R. Non licere in gravi tantùm: hinc *Innocentius XI.* damnavit hanc 36. propoſ. *Permißum eſt furari, non tantùm in extrema neceſſitate ſed etiam in gravi*: quænam autem neceſſitas dicatur extrema, gravis, communis, dictum eſt *l.*2. *à n.*195. Porrò circa propoſitionem relatam adhuc notanda ſunt ſeqq.

949 §.1. Certum eſt nunquam licitum eſſe furari, ne quidem in extrema neceſſitate, uti cum S. Thom. 2. 2. *quæſt.*65. *art.*5. notant omnes, quia furari eſt occultè furripere vel detinere rem alienam domino rationabiliter invito, quod ſemper eſt intrinſecè malum. Si enim dominus rationabiliter invitus, non poteſt eſſe licitum contra illius jus agere: unde quamvis probabile eſſet licere in neceſſitate gravi aliquid furripere, tamen improbabile eſſet licere furari: & quidem Card. *in* 2. *criſi d.*23. *cap.*1. *ar.*1. putat mentem Pontificis hic fuiſſe præcipuè, ut reprobaret hoc, quòd unquam licitum ſit furari, ſed probabilius eſt, quòd per Tò furari intelligat etiam furripere, nam nunquam licere furari, erat per ſe ſatis evidens, & AA. quorum opinionem reprobare videtur, per Tò furari intelligebant furripere.

950 §.2. Extremè pauper poteſt furripere ſibi neceſſaria, quia habet jus naturale, imò & obligationem conſervandi vitam, ergo etiam ſibi applicandi media neceſſaria; neque per hoc furatur, quia ille, cui furripit, non eſt rationabiliter invitus. *Nec obſtat* Jus Gentium, quo facta eſt diviſio bonorum, *nam* cùm primarius finis bonorum externorum ſit conſervatio vitæ humanæ, diviſio non potuit fieri in præjudicium vitæ, ſed debuerunt in extrema neceſſitate omnia bona, ſaltem non valdè pretioſa, manere communia, & ita omnes unanimiter tenent, inquit Card. *n.*2. Quod autem quis poteſt pro ſe, poteſt etiam pro alio extremè indigente, uti habet S. Thom. *q.*66. *ar.*7. *ad* 3. & poteſt eum AA. communiter cum Dicaſt. *lib.*2. *t.*2. *d.*9. *n.*254. tum enim furripiens eſt veluti inſtrumentum indigentis. Addunt Con. Leſſ. *l.*2. *c.*12. *num.*69. Dicaſt. *num.*252. Tamb. *l.*8. *t.*2. *c.*6. §.1. *num.*1. Spor. *t.*5. *c.*5. *num.*90. à tali paupere poſſe etiam occidi eum, qui impediret, quominus ipſe arriperet rem ſibi ita neceſſariam, ſicuti raptor, qui bona magni momenti ſaltem neceſſaria tollit vel violentè retinet, poteſt occidi ſecundùm dicta *n.*811.

951 §.3. Si dominus bonorum ſit in pari tecum neceſſitate extrema, non poteris furripere ipſi, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, Leſſ. *num.*70. Tamb. *n.*3. & alii communiter: An autem tum excuſeris à reſtitutione, dicetur *p.*2. *num.*329.

952 §.4. Si extremè egens poſſet habere neceſſaria petendo, non eſſet licitum furripere, uti ex Leſs. & aliis docet Dicaſt. *n.*248. quia reverà tum non eſt in extrema neceſſitate furripiendi: ſi tamen tum furriperet, Leſs. *n.*72. putat tantùm venialiter peccaturum, quia dominus debet eſſe contentus quoad ſubſtantiam, ex hoc autem, quòd invitus ſit quoad illum modum, putat non refundi malitiam gravem: & ita teneri petere etiam virum nobilis familiæ docet *Con.* licèt eum valdè puderet mendicare, quia pudor ille eſt irrationabilis & à ſuperbia; in hoc tamen contradicunt Leſs. *n.*66. Cattrop. Dicaſt. *n.*249. putantes viro honeſtæ conditionis nimis durum eſſe oſtiatim mendicare, ſaltem eo loco, in quo notus eſt. Sed facilè opponet *Con.* id non eſſe opus, poteſt enim divitem convenire privatim, aut per litteras, quæ

non

non erubeſcunt: an autem ſic indigens teneatur media vitæ conſervandæ neceſsaria admittere tanquam tantùm mutuò data, dictum eſt *l.2.n.207.*

953 §.5. Probabilius eſt, quòd privatus non poſſit in extrema neceſſitate furripere rem valdè pretioſam, v.g. ter mille aureos, maximè ſi ſumma illa eſſet neceſsaria ad ſuſtinendum ſtatum alterius, uti notat Lugo *d.16.àn.147.* aut ſi alter ideo eſſet in gravia mala lapſurus, uti habet Tamb.§.2. *n.1.* charitas enim in proximum non obligat cum tanto diſpendio proprio, nec videtur ulla virtus obligare ad tam extraordinaria media pro conſervanda vita tam ſua quàm alterius privati, ſecundum dicta *l.2.n.201.* & hìc *n.775.* docentque AA. ibi citati: & quamvis in extrema neceſſitate omnia dicantur fieri communia, intelligi debent omnia, non abſolutè, ſed quæ ad vitam ſunt ordinariè neceſsaria, non quæ ſunt tanti momenti & extraordinaria: cùm tamen contraria ſententia etiam ſit probabilis, poſſet pauper hanc tenens veluti ſibi hìc, & nunc ſatis certam, furripere etiam pretioſa, & viciſſim dives ſecundùm alteram licitè negaret, neque ideo dabitur bellum utrimque juſtum materialiter & abſolutè, ſed tantùm formaliter & ex ſuppoſitione diverſarum opinionum probabilium, in quo non eſt inconvenientia ulla.

954 §.6. Si quis juſtè ſit condemnatus, ut fame pereat, probabile eſt non poſſe, etiamſi extremè indigeret, furripere neceſſaria ad vitam conſervandam, quia dives in eo caſu non tenetur ei ſubvenire, uti dictum eſt *l.2.n.201.* Imò nec ipſe tenetur vitam ſuam tum conſervare, ſecundùm dicta hìc n.779. ergo amiſit jus ad vitam ſic furripiendo conſervandam.

955 §.7. Non eſſe ulli privato licitum in neceſſitate tantùm gravi furripere, habet nunc ſententia communiſſima, quam meritò vocat veriſſimam Spor.*n.*105.& videtur habere *Cap.ſi quis de Furtis*, ubi dicitur, *Si quis propter neceſſitatem famis aut nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem vel pecus, pæniteat hebdomadas tres*, ergo jus canonicum ſupponit eſſe peccatum: & *Ratio eſt* 1.quia dominus eſt rationabiliter invitus, cùm enim nullùm hìc ſit vitæ periculum, nec malum amiſſioni vitæ æquivalens, bona non fiunt communia, ergo tali indigenti non competit jus occupandi. 2. Cùm hæc neceſſitas ſit omninò frequens, nimiùm multiplicarentur ejuſmodi rapinæ cum perturbatione communis pacis. 3. Homines non ſatis abſtinerent à dilapidatione bonorum ſuorum, ab otio, & inertia, cogitarent enim ſibi in gravem neceſſitatem lapſis facilè ſuccurrendum, rapiendo quod vellent, quod cederet in grave damnum communitatis humanæ. 4.Huic neceſſitati ſatis occurritur per præceptum charitatis obligans ad eleemoſynam graviter indigenti dandam, ſecundùm dicta *l.2.àn.199.* cùm autem ea obligatio ſit ad eleemoſynam dandam, patet in altero non eſſe jus eripiendi, nam ad illud, quod donatur, accipiens non habet jus, uti pluribus deducit Card.*n.*14.24.25. *Nec juvat*, quòd aliqui apud Mendo *d.3.n.8.* & cum Dicaſt. *nu.256.* probabile eſſe cenſeant; quòd pauper in gravi neceſſitate poſſit diviti furripere, *nam* hoc dato, adhuc manet poſſeſſio pro divite, qui non debet exui certo jure propter probabilitatem illam pauperis: notat tamen Laym.*t.3.l.3.c.1. n.8.* & Spor.*num.106.* ejuſmodi pauperes non eſſe facilè damnandos peccati mortalis, ſi à divite, præſertim antè rogato & negante, furripuerint neceſſaria pro ſublevanda neceſſitate ſua gravi: circumſtantia enim neceſſitatis multùm excuſat, cùm reddat divitem minùs rationabiliter invitum.

956 §.8. Si tota Reſp.ſit in neceſſitate gravi, licitum eſt auferre à divitibus ſuperflua, quæ neceſſaria ſunt ad Remp. ſublevandam, quia neceſſitas gravis Reip.æquivalet, imò ſuperat neceſſitatem, quam haberet unus privatus, uti cum S.Th.& aliis Card.*n.16.*

957 §.9. Si neceſſitas gravis ſit urgens, rectè docent Lugo *n.*154. Leſſ.*n.*71.Haun.*de juſt.t.1.t.2.àn.*347. Spor.*n.*103. Card.*n.*17. & fuſius *in 1.criſi d.*80. privato eſſe licitum furripere neceſſaria ad illam ſublevandam, nam ſecundùm dicta *lib.2. n.195.* tum cenſetur extrema eſſe moraliter præſens, cùm ſit proxima, aut hæc ſit illi æquivalens; & ideò hanc ſententiam dicit eſſe certam Tamb.§.1.

958 §.10. Licèt gravis neceſſitas non excuſet ut furripias, tamen excuſare poteſt, ut differas reſtitutionem vel ſolutionem debiti, uti dicetur *p.2.n.335.*

959 *Q.*212. *An occulta compenſatio ſit furtum?* R. §.1. Si adſint conditiones aliquæ, non eſt furtum, ſed licita per ſe loquendo, uti contra Henricum & Eliz.*l.8.q.7.*§.4. docent reliqui omnes, teſte Lugo *d.16.n.86. Ratio eſt* 1. Nam non poteſt eſſe contra juſtitiam, tum quia eſt procuratio æqualitatis, quam intendit juſtitia, tum etiam quia creditor accipit rem æquivalenter ſuam, ergo debitor non poteſt ſaltem quoad ſubſtantiam eſſe rationabiliter invitus; ſed nec quoad modum, quia hunc excuſat neceſſitas, & impotentia aliter accipiendi. 2.Per hoc cavetur major injuria, magis enim læderetur jus creditoris, ſi pergeret carere rebus ſuis, aut etiam injuſtè cogeretur novos ſumptus pro ea recuperanda impendere, ergo debitor non poteſt eſſe rationabiliter invitus. 3.Debet ſupereſſe medium moraliter poſſibile ad bona ſua recuperanda, ſed nullum aliud ſupereſt præter occultam compenſationem, uti ſupponitur, ergo. *Dixi*, per ſe, quia per accidens poteſt eſſe illicita, quamvis adſint conditiones alioqui requiſitæ, ſi enim acceperis rem mutuam à tuo debitore, & juraris te redditurum, non poteris ob reverentiam juramenti retinere in compenſationem tui debiti ſecundùm dicenda *n.333.*

§.2. Objici poſſunt ſequentia, 1.Lumen naturale inſitum 960
omnibus Gentibus dictat eſſe injuſtum, ſi quis inauditus condemnetur, fortè enim habet exceptiones, hinc ratio dicit omnem etiam reum eſſe audiendum, etiamſi ejus delictum videatur evidens: item eſt contra lumen naturæ, ut quis in propria cauſa, & pro commodo proprio ſit Judex, ideoque hoc prohibetur *L.un. Cod. Ne quis in propria cauſa*, & ideò etiam apud omnes Gentes ſunt inſtituta judicia pro dicendo cuique jure ſuo; ideò etiam rectè recuſantur judices uni parti amici vel infenſi, ergo compenſatio altero inſcio, & propria authoritate facta non poteſt eſſe licita. 2. Eſt contra omnem politiam, ad quam ſpectat attendere ad circumſtãtias, ſi occultè compenſans tantum conſideret quid, ſive æqualitatem, non autem conſideret, quis, ſive à quo hæc æqualitas procurari debeat, quod maximè eſt conſiderandum, nam ſi quis extraneus veniret velletque eſſe Judex talis æqualitatis, diceremus, quis te conſtituit Judicem? qua authoritate id facis? ergo id magis valet, ſi illud attentet facere pars adverſa maximè intereſsata. 3. Si id licet in juſtitia commutativa, ergo etiam licebit in vindicativa, adeoque potero propria authoritate ulciſci injurias, punire eum, qui mihi malè fecit, injuriæ parem injuriam referre, ſicuti enim, v.g. dato mutuo habetur inæqualitas, quam occultè compenſans reintegrat, ita per unam injuriam eſt poſita inæqualitas, & relata pari injuria redit ſua quoque æqualitas. 4.In foro externo nunquam approbaretur occulta compenſatio, & cenſeretur fur, qui ita occultè furriperet, nam poteſtas publica debebat priùs dijudicare, num fortè non eſset aliquis prior creditor, num debitor non afferret aliam exceptionem, &c.ergo nec approbandum eſt in foro interno, quia internum debet conformari externo, niſi conſtet de præſumptione falſi vel ignorantia, ex qua procedat externum, quod hìc non eſt, ita Eliz.Et ſimilia ſibi objicit Onnate *de Contract.d.8.n.167.* R.1. Si hæ rationes valent, ergo rem meam, quam apud furem invenio, non potero privata authoritate clam recipere, cujus oppoſitum dicetur *n.965.*R.2.Si attendantur conditiones, quas §. *ſeq.* proponemus, cadit ratio 1. & 2.nam dicemus debitum debere eſse certum, moraliter non recuperabile per Judicem vel alium modum, ergo fruſtra provocaretur ad Judicem aut ad poteſtatem publicam. *Ad* 3.N.ſeq.quia juſtitia vindicativa ſpectat ad ſolum Superiorem: quòd ſi per Superiorem amoliri non poſſim injuriam, & cæteræ conditiones adſint, licitum erit mihi damnum meum occultè compenſare, & ſervato moderamine inculpatæ tutelæ, me contra injuriantem munire, ne magis noceat. *Ad* 4.Forum externum præſumeret fieri ſine juſto titulo, quem ſi ſciret adeſse, uti & conditiones reliquas mox referendas, improbare non poſset. Videri poſſunt Card.*in 1. criſi ſuprà*, item Haun.*T.2.àn.336.*

§.3. Conditiones requiſitæ ad hoc, ut liceat compenſa- 961
tio occulta, ſunt ſequentes, 1. Ut debitum ſit ſtrictum, & non ſolius convenientiæ vel gratitudinis, eſtque oppoſitum improbabile, & Dian.*p.7. tr.10. R.19.* referens Petrum Nav. pro oppoſita ſententia, eſt deceptus, uti oſtendit Moya *t.6. d.4.q.1.n.12.*

2. Ut hoc debitum ſit certum; nec ſufficit, ut probabi- 962
liter tantùm putes tibi deberi, uti docent communiſſimè omnes cum Card.*in 2. criſi d.23. c.2. art.1.* & fuſiùs *in 1. criſi d.16. cap.8. art.6.* contra Joan.Sanch. *d.43. num.54. & d.44. num.57.*cui favet Lugo *num.99.* quamvis *num.106.* ſuſpendat judicium: *Ratio* noſtra eſt, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, & iniquum eſt, ut pro debito incerto certam tibi ſolutionem tua authoritate attribuas, poſſeſſio enim, quam habet alter, eſt jus certum retinendi, contra quod nulla valet probabilitas, quia contra certitudinem pro jure retinendi non poteſt dari probabilitas pro jure auferendi, cùm certitudo elidat omnem oppoſitam probabilitatem. *Conf.* Nam alioqui famulus probabiliter judicans ſibi deberi ſalarium majus, poſſet occultè illud furripere, quod tamen damnatum eſt, uti dicetur *num.* 971. Imò quivis facilè ſibi perſuaderet ſe hìc & nunc habere jus probabile, ac conſequenter poſſe clam furripere, ex quo ſequerentur graviſſima incommoda in ſocietatem humanam, Haun.*num.*341. Hinc Illſung *t.4. d.3. num.173.* meritò rejicit Molin. Leſſ.& alios, qui docent legatarium, cui certò conſtat de voluntate teſtatoris, poſſe legatum occultè furripere hæredi neceſſario, ſi renuat dare propter teſtamentum legali ſolemnitate deſtitutum, nam tantùm probabile eſt tali legatario jus competere: Idem eſt de illo, qui per Judicem compulſus eſt reſarcire damnum alteri cauſatum ab animali

ſuo

ſuo ſine ſua culpa Theologica, nam etiam tantùm probabile eſt, quòd per ſententiam Judicis non ſit translatum jus pretii perſoluti; Item ſi quis detraxerit de fama tua, & non poſſit aut nolit famam reſtituere, non poteris damnum famæ compenſare clam ſurripiendo illi pecuniam, uti habet communis contra Dian.*p.3.t.5.R.30.*& paucos alios, quia ſententia, quòd ſit obligatio reſtituendi in bono diverſi generis, non eſt certa, ſed tantùm probabilis, uti dicetur p.2.qu.62. *Nec obſtat*, quòd in foro externo res adjudicaretur habenti jus probabilius, licèt non certum, *nam* hoc fit ex communi conſenſu omnium, ut tollantur diſcordiæ, & dominia rerum reddantur certa, in quo ſi intercurrat materialis injuria, per poteſtatem dominii alti transfertur dominium, quia ſic poſtulat bonum commune, ſicuti ſi principi probabilius ſit, quòd adſit cauſa ſufficiens imponendi tributum, licitè imponit, quia tributa non imponuntur in bonum privatum Principum ſed Communitatum, & poſteà adhuc cedunt in bonum commune, unde Princeps in imponendis tributis agit veluti Judex, qui ex conſenſu omnium poteſt, imò debet ferre ſententiam ſecundùm probabiliorem. Similiter: Si mihi abſtuliſti rem, quam poſſidebam, de qua dubii eramus, ad quem è nobis pertineret, poſſum eam occultè recipere, quia licèt meum petitorium eſſet tantùm probabile, tamen poſſeſſorium erat certum, ergo certum eſt, quòd feceris mihi injuriam, & conſequenter tenearis reparare ſeu omnia reſtituere in integrum; & idem eſt de aliis ſimilibus caſibus, in quibus jus hoc vel illud eſt certum vel tantùm probabile. Quòd ſi AA. noſtræ ſententiæ, quandoque dicant, in hoc vel illo caſu licere occultam compenſationem, cùm tamen id videatur eſſe tantùm probabile, eò quòd alii oppoſitum teneant, dicendum eſt AA. illos putaſſe pro tali circumſtantia eſſe moraliter certum, rectè enim notant Rebel. & Dicaſt. *l.2. tit.2.d.9.n.93.* non requiri infallibilem certitudinem, ſed humano modo, ita ut viri prudentes non dubitent, nec putent hic & nunc poſſe prudenter dubitari de oppoſito: & ſic intelligi debent omnia dicenda.

Unum adhuc controvertitur hic, nempe an tum, quando contractus eſt tantùm irritabilis per ſententiam Judicis, ante hanc licita ſit occulta compenſatio & vendicatio rei; affirmant Sanch. de Matrim. *l.4.d.8.num.11.* & Leſſ. apud Lugo *d.22. num. 116.* ſi aliter non poſſit rem recuperare, & eam alter teneatur ante ſententiam reſtituere, quia cùm per ſententiam certò poſſit reſcindi contractus, videtur eſſe jam jus ſatis certum: è contra negant B. Pontius & Dian. *p.3.t.5.R.118.* quia quamdiu non ſcinditur contractus, manet jus in re acquiſitum alteri: ſed prior ſententia videtur vera, quia ut licita ſit occulta compenſatio, ſatis eſt jus certum ad rem alienam, alioquin nunquam eſſet licitum ſibi compenſare jus certum per retentionem, vel occupationem rei alienæ.

963 3. Ut debitum ſit præſens: aliqui tamen cum Tann. Dian. & Sporer *t.5.c.5.n.71.* concedunt etiam licere prævenire, & compenſare nunc pro eo, quod alter certò debebit poſt menſem, ſi poſt menſem non eras accepturus, quod probabile eſſe agnoſcit Lugo, docetque abſolutè Illſ. *n.172.* dummodò ex anticipata ſolutione non naſcatur damnum debitori, alioquin debebis hoc reſarcire, Tamb. *l.8.t.2.c.5.§.1.n.2.* Ratio prioris eſt, quia licitum eſt removere periculum, quod certò imminet rei meæ, meque indemnem reddere.

964 4. Ut res, quam accipis, ſit tui debitoris: unde non licebit accipere rem alienam exiſtentem apud debitorem, nec illi commodatam aut apud eum depoſitam, quia ipſe non eſt harum rerum dominus: ſi autem ipſe rem ſuam tibi commodarit aut apud te depoſuerit, Cap. *Bona fides, De depoſitis, & L. ult. Cod. de depoſitis*, dicitur non poſſe retineri pro compenſatione, quod multi intelligunt tantùm pro foro externo, unde retineri poſſe pro foro conſcientiæ docent Navar. Sà, Tann. Leſſ. *l.2.t.27.n.16.* Onn. *n.174.* Dicaſt. *n.91. & 96.* Sporer *n.76.* quamvis Haun. *De contr. in particulari n.738.* dicat tum tantùm fieri poſſe, quando res commodata non ampliùs exiſtit in ſe ſed tantùm eſt æſtimanda, ſed intelligere videtur, quòd tum etiam valeat pro foro externo, res enim tum non eſt, quæ habebat privilegium. Videtamen dicenda p.2.n.455. Saltem poteris accipere rem, quam debitor tuus mittebat alteri pro dono aut pro ſolutione debiti, dummodò ab altero necdum ſit acceptata, ſed adhuc ſub tui debitoris dominio, uti notat Illſ. *nu. 170.* ſi enim illam tu prior occupes, ſtatim per apprehenſionem poſſeſſionis in te transfertur dominium, cùm dominus non poſſit eſſe rationabiliter invitus. E contra tamen ſi alius mittat aliquid ad tuum debitorem, qui necdum acceptarit, aut ſi ipſi debeat aliquid, ſed necdum ſolverit, non poteris præripere, quia necdum eſt res tui debitoris, Vaſq. Lugo, *n.* 120. Tamb. §.4. Spor. *n.*80. 81.

965 5. Ut rem tibi debitam non facilè poſſis aliter obtinere, uti habetur L.13.ff. *Quod metus cauſa*: tum autem non potes facilè obtinere, ſi deberes per litem vel publicam poteſtatem cogere cum magnis expenſis vel jactura amicitiæ, & gratiæ tibi multùm utilis, uti cum aliis notat Tamb. §.1. *n.3.* ubi cum Diana dicit non fore mortale, quamvis deſit hæc conditio: è contra Mol. dicit fore mortale: quòd ſi fur habeat rem tuam, conſuetudo probat poſſe ſine ullo peccato propria authoritate recipi, Dicaſt. *n.79.* & habetur *l.48.ff. De furtis*.

6. Ut fiat cum minimo damno debitoris, unde etiam 966
abeſſe debet periculum, ne tibi vel tuo hæredi idem debitum iterum ſolvatur, item providendum, ne ille putans necdum eſſe ſolutum, maneat in conſcientia peccati, nolendo ſolvere ſi tamen non poſſes ſine gravi incommodo hæc cavere, poſſes accipere, ſed ſi iterum ſolveret, poſteà tenereris ſecundam ſolutionem reſtituere.

7. Ut fiat in eadem ſpecie, alioquin debitor injuſtè cogetur 967
ad permutandam rem ſuam: ſi tamen accipi non poteſt in eadem ſpecie, eſt communis ſententia cum Leſs. Lugo, Vaſq. Laym. Haun. *n.331.* Sporer *n.75.* Illſ. *n.171.* licere etiam diverſa ſpecie; & in re conſentit Dicaſt. *n.117.*

8. Ut fiat ſine damno tertii, quale eſſet, ſi ideò alius pu- 968
taretur furatus & cogeretur reſtituere: quia tamen hoc tantùm per accidens ſequitur, ſi quis abſque notabili damno ſuo non poſſet omittere compenſationem ſuam, non peccaret compenſando; licèt hoc ſequeretur; ſi autem poſſet ſine notabili damno omittere vel differre, peccaret compenſando; ſed tantùm contra charitatem, uti habet communis cùm Sporer *num.78.*

9. Ut fiat ſine præjudicio tertii, quale eſſet, ſi res eſſet alte- 969
ri, v.g. locata, commodata, huic enim facis injuriam, ſi ante tempus expletum eripias; item ſi eſſent alii creditores, quibus de jure deberetur anterior vel partialis ſolutio, ſecundùm dicenda p.2.qu.72. & ſeqq. quod optimè deducit Mendo *d.6. q.4.* Unde ſi Titius creditor ſciat Cajum debitorem ſuum non poſſe ſolvere omnibus etiam aliis creditoribus habentibus æqualiter jus, non poteſt Titius integrum debitum ſuum clam ſubducere Cajo, ſed tantum pro rata, uti p.2. num.307. dicetur, imò Lugo *n.127. & alii* docent, quamvis ego rem debitoris apud me haberem, me tamen non poſſe eam retinere integram excluſo anteriore creditore, quia etiam illam habeam nomine debitoris, mihi non favet poſſeſſio, nec illius alius titulus præferentiæ: in hoc tamen contradeunt alii cum Tamb. §.7. *à n.3.* & Sporer *n.82.* qui putant rem illam, quam apud me haberem, eſſe veluti pignus pro debito meo, ideoque poſſe retineri, donec ſolvatur debitum, quod ſuſtineri poteſt, ſi res illa ſit apud me depoſita tanquam pignus hujus meri præciſè debiti, alioquin præferenda videtur ſententia Lugonis.

Circa hanc conditionem, occurrit hoc dubium: Si Ca- 970
jus non poſſit debitum à Principe obtinere, an poſſit illud ſibi compenſare, v.g. defraudando gabellas, licèt has conduxerit vel emerit Titius? Poſſe affirmant Sylv. Sanch. Bonac. aliique cum Onn. *num.182.* & Lugo *d.36.ſ.5.* quia Titius tantùm emit jus, quod habebat Princeps, ſed Princeps non habuit jus ad gabellas niſi tales, quæ eſſent juſtæ, hæ autem reſpectu Caji non ſunt juſtæ, cùm gravent Cajum ſupra debitum, ſuppoſito enim quòd hoc contribuerit, quod ei debet Princeps, iniquè ab eo exigitur ulterior gabella. *Conf.* ex Vaſq. & Dicaſt. *l.2.t.20.d.3. num.74.* quia jus Titii fundatur in jure Principis, hinc ſi v. g. ceſſante neceſſitate deſineret obligatio ſolvendi Principi gabellas, etiam non eſſet obligatio ſolvendi Titio, ergo cùm Cajus hic non obligetur ſolvere Principi ſed retinere poſſit compenſando ſibi debitum, nec obligabitur ſolvere Titio. *Nec obſtat*, quod Cajus non poſſet ex fructibus horti compenſare debitum, ſi Princeps hortum locaſſet Titio, *nam* diſparitas eſt, quòd fructus horti non ſint Caji, imò nec Principis ſed Titii, è contra quod ſolvitur pro gabella eſt Caji, nam ſolvitur Principi, cui Cajus non tenetur ſolvere, ergo multò minus Titio: addit Lugo *n.80.* compenſationem hanc fieri non poſſe, ſi debitum à Principe ſit contractum, poſtquàm gabella jam Titio eſt debita, quia Princeps poterat hanc juſtè poſtulare, quando transferebat jus illius in Titium, ergo Titius, qui jus illud acquiſivit, etiam juſtè poſtulat. Infert Lugo *num.85.* ſi plures conduxerint diverſas gabellas ab eodem Principe, ex cujus commiſſione unus injuſtè exegerit nimium, te poſſe compenſare hoc ſubtrahendo alteri conductori, quia hic alter petit nomine Principis, ſed Princeps non habet jus à te petendi, ſuppoſito quòd alius ejus conductor à te exegerit nimium, ergo nec poteſt exigere hic alter. Vaſq. Turr. Mol. Dicaſt. *num.83.* admittunt primam illam ſententiam, ſi Titius tantùm conduxerit illas gabellas, non autem ſi emerit aut ei donatæ ſint, nam ſi conduxerit, videtur exigere adhuc nomine Principis; ſi tamen emerit vel donatæ ſint, exigit nomine ſuo, ipſe autem non debet Cajo, ergo Cajus injuſtè ex illis compenſat, quod debet Princeps, niſi forte debitum Principis eſſet antiquum, uti limitant Mald. Leſs. Diana apud Lugo *num.82.* qui dicit ſe non videre in hoc differentiam. Oppoſita ſententia, quam tenent Corduba, Regin. Graff. apud Lugo *num.72.* item Sporer *n.81.* videtur probabi-

lior, nempe abſolutè non licere talem compenſationem, ſive Titius emerit aut dono habeat, ſive conduxerit jus exigendi gabellas, tum quia fieret in præjudicium Titii, tum quia Cajus compenſaret ſibi non ex bonis Principis, ſed quæ fuiſſent Principis, & nunc eſſent Titii, qui etiam ſolus damnum illud ſentiret. *Conf.* quia licèt Titius conducat vel emat jus gabellæ, non ideò obligatio Principis transfertur in Titium, ſicuti ex eo, quòd conducam vel emam agrum tuum & jus percipiendi fructus ex illo, non ideò tuæ obligationes transferuntur in me, ergo non ideo habebis jus compenſandi ex gabellis, niſi quamdiu hæ manebunt Principis; ſuppono autem jus gabellæ non fuiſſe ſpecialiter hypothecatum pro illo debito, nulla enim eſt ratio, cur jus gabellæ determinatè potiùs debeat ferre illud onus, quàm reliqua bona, quæ Princeps retinet, ergo licèt Titius conduxerit vel emerit jus gabellæ à Principe, non ideò poteſt Cajus has fraudare ad compenſandum hoc, quod ei debet Princeps. Ad rationem *Lugonis*. R. Principem, quamdiu retinebat jus gabellæ, non potuiſſe exigere gabellam à Cajo, non quòd gabella eſſet de ſe injuſta vel indebita, ſed quia Princeps, aliunde Cajo debebat, ſi autem Princeps jus gabellæ locarit vel vendiderit Titio, Princeps manet debitor ex reliquis ſuis bonis, & debitum Principis nullo modo manet connexum cum jure ad gabellas, quod nunc eſt Titii, qui Cajo nihil debet.

971 *Q.213. An famulantes poſſint dominis ſuis occultè ſurripere aliquid ad compenſandum laborem, cui putant non reſpondere æqualem mercedem?* R. Non poſſe, *nam Innoc.XI.* damnavit hanc 37.prop. *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere; ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt*: quæ damnatio ut explicetur, notanda ſunt ſeqq.

§.1. Poſſunt omnes, etiam famulantes, uti occulta compenſatione, ſi adſint conditiones à num.961. requiſitæ, unde per hanc damnationem non reſtringitur ullus uſus licitæ compenſationis, nam compenſatio hic damnata ſemper fuit illicita, quia defuerunt ei conditiones ad licitum uſum neceſſariæ, quia propoſitio damnata dicebat ſufficere, quòd famulus judicet ſalarium eſſe minus quàm operam, hoc autem falſum eſt, tum quia ſecundum dicta num.962. requiritur, ut hoc ſit certum, tum etiam quia licèt labor ſit fortè major, tamen famulus non eſt ad eum conductus, & ex propria voluntate facit, vel ſaltem ex ſpe alterius commodi aut gratiæ.

972 §.2. Si famulus judicans ſuum ſalarium eſſe nimis parvum debeat pecuniam ſuo domino, v.g. quia acceperat ab eo mutuam, quamvis iſte famulus habeat poſſeſſionem hujus ſuæ pecuniæ, non ideo poteſt retinere, quantum putat ſibi ultrà deberi, uti cum aliis Carden. *in 2.criſi d.23.à nu.66.* quia poſſeſſio pecuniæ hic non facit ad rem, uti in ſimili notat *Lugo d.18. num.10.* ſed pro domino antecedenter ad omne dubium eſt certa poſſeſſio juris de recipiendo mutuo, quæ debet prævalere, cum famulus è contra non habeat poſſeſſionem ullius juris, quo elidatur illa certa poſſeſſio domini, jus enim, quod prætendit ad majus ſtipendium, eſt ad ſummum tantùm probabile, & incertum, quod non elidit certitudinem juris ad recipiendum mutuum, hinc praxis oppoſitæ ſententiæ ſecundum Card. eſt ſubjecta damnationi.

973 §.3. Damnatio hujus propoſitionis extenditur etiam ad omnes illos, qui vel alteri laborant, uti varii opifices; vel præſtant obſequia, uti amici, interceſſores, internuncii; vel obeunt officia, uti Conſiliarii, Secretarii, Quæſtores, Belliduces &c. his enim etiam illicita eſt occulta compenſatio, niſi adſint omnes conditiones à n.961. allatæ, Carden. *a.3.* Et ſpeciatim quoad famulos ſartorum, hi faciunt injuriam, ſi retineant fragmenta panni, fila ſerica, &c. ut ſic compenſent ſibi mercedem, quam dicunt ſatis magnam non ſolvi, ita cum communi Lugo *d.16. n.83.* Ratio eſt, quia merces, quæ communiter datur illis, & qua major non poteſt ordinariè obtineri, debet cenſeri juſta, quantitas enim juſtæ mercedis taxatur communi uſu & conſuetudine, ergo malè dicunt talem mercedem non eſſe juſtam. Idem videtur dicendum de ſartoribus ipſis ſeu magiſtris, uti rectè Villal. Dian. & Lugo *n.85.* contra Sanch. & alios, ſi invitis illis, qui veſtes conſtituunt, retineant ejuſmodi reliquias: an autem hic vel ille cenſeatur invitus, judicari debet ex circumſtantiis, quamvis enim plerique repoſcant fragmenta, tamen illi, quibus veſtes fractæ non reficiuntur, ſæpe cenſeri poterunt ea non repetere. Et quod dictum eſt de ſartoribus, valet de aliis, qui in aliena materia laborant,

974 §.4. Ut ejuſmodi hominibus ſit licita occulta compenſatio, non ſufficit, quòd putent ſibi irrogari evidentem injuriam, amor enim proprius facit credi evidens, quod ſæpe vix eſt probabile: imò nec ſufficit judicium Confeſſarii mediocriter docti, ſed requiritur, ut vir valdè doctus, multùm prudens ac verſatus in re morali judicet certum eſſe, quòd tali homini fiat injuria: Ratio eſt, quia difficillimum eſt judicare in hac materia ob plurimas circumſtantias, quæ poſſent compenſationem illam reddere illicitam, poſſet enim labor per aliquid aliud eſſe compenſatus, v.g. per favores, ſpem promotionis, inſtructionem &c. poſſet talis conductus ab initio ceſſiſſe juri ad majus ſtipendium; poſſet rogaſſe admitti ad tale ſervitium, quo caſu conventio pro minori pretio eſſet juſtas poſſet eſſe talis labor, quem alius libenter ſubiret pro illo ſtipendio, & tum etiam cenſeri debet juſtum, quamvis eſſet ſolito minus. Notat tamen rectè Card. *n.65.* ſi herus ſolvat famulo ſtipendium in rebus, de quibus non contraxerat famulus neque indiget, ſed cogitur divendere minori pretio, certum eſſe, quod fiat injuria, hinc ſi adſint reliquæ conditiones, poſſe uti occulta compenſatione.

§.5. Si famulus vel alius operarius propter paupertatem 975
coactus ſit paciſci pro inæquali ſtipendio, putat *Pourrè* apud Steph. *t.4.d.7.n.19.* poſſe occultè compenſare ſibi, ſed oppoſitum eſt omninò tenendum, quia hic nulla domini culpa intervenit, & ipſe per contractum ceſſit juri ſuo: ſi tamen aliunde cogatur invitus ſervire pro inæquali ſtipendio, rectè docet Card. *num.65.* deberi compenſationem ab eo, qui coegit, quia tum non conſenſit in minus ſtipendium.

§.6. Si certum ſit, quòd famulus occupetur in aliis, ad 976
quæ non eſt conductus, pro his poſſe ſtipendium petere, & ſi aliter obtinere non poſſit, occultè compenſare, docent Navar. Menoch. Caſtrop. Burgh. *cent.2.caſ.76.* Si tamen volens facit obſequia gratuita, non poteſt ſibi taxare ſtipendium, ſed remuneratio eſt libera domino, unde non poterit ideo ſibi quicquam occultè accipere,

§.7. Si famulus vel alius deſerviens etiam ex errore invin- 977
cibili & bona fide, v.g. ſequendo conſilium Confeſſarii non ſatis docti, ſubduxit domino aliquid, quod judicabat ſibi competere ſupra ſalarium, Carden. *n.79.* dicit teneri hoc reſtituere, vel ex re accepta, ſi illam adhuc habeat aut ex illa ſit factus ditior, vel ſaltem ex contractu: nam obligatio, quam inducit contractus, tamdiu durat, donec impleatur, ſed contractus inter ipſos fuit de ponendo famulatu, v.g. pro decem aureis tantùm & non pro duodecim, quos ille famulus ſumplit, ergo ſemper remanet obligatio famuli ex parte ſua complendi contractum, id eſt, non ſumendi duodecim, ſed ponendi laborem ſuum pro illis decem, ſicuti dominus maneret ſemper obligatus ad ſolvendos decem, quamvis per oblivionem inculpabilem antehac eos aut eorum partem non ſolviſſet. Hæc ſententia eſt vera, ſi famulus intendit ſe obligare ad non ſumendum amplius, è contra ſi contraxit de decem, tacitè reſervando vel non excludendo jus ad amplius, ſi prudenter cenſeretur ſibi competere, videtur excuſandus per bonam fidem, ſi illud amplius non exiſtat nec inde ſit factus ditior.

Plura circa ſtipendia famulorum, eorumque erga dominos, ac viciſſim dominorum erga ipſos obligationem, videri poſſunt apud Dicaſt. *l.2.t.2.d.9.d.7.*

DUBIUM II. 978

Quid ſit quantitas notabilis ad mortale peccatum.

VAriæ ea de re ſunt ſententiæ; Navar. nimis ſcrupulosè „
ſtatuit medium regalem; alii nimis laxè 100. aureos; „
moderatius Tol. Med Leſſ. *l.2.c.12.n.29.30.31.&c.* duos rega- „
les, etſi minùs ſufficiat, ſi notabiliter noceat. „

Reſp. Ea non mathematicè, ſed moraliter metienda eſt, „
non tantùm ex valore rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis „
perſonæ, cui aufertur, ſi nimirum ei grave damnum infera- „
tur, aut ſaltem charitas Chriſtiana graviter lædatur: quo- „
modo reſpectu valdè divitis, imò etiam Regis: unus vel al- „
ter aureus notabile quid videtur; reſpectu verò mediocriter „
divitum, quatuor circiter regales, ſive medius imperialis; „
reſpectu mechanicorum duo: reſpectu pauperis, unus. *Ita* „
nunc *plerique* cum Bon. *Unde reſolves:* „

I. Grave peccatum eſt auferre rem parvam domino valdè „
proficuam, v.g. ſartori acum, quam unicam habet, nec ha- „
bere aliam poteſt, qua ſe alat. Leſſ. *n.33.* „

II. Grave item eſt (etſi non in ſpecie furti) ſi fur ſciat „
ex jactura rei parvæ domino ſecuturam valde magnam mo- „
leſtiam, v.g. quia valdè ad eam afficiebatur, nec ſimilis re- „
cuperari poteſt: niſi tamen ſit nullius prorſus momenti. V. „
Bon. *to.2.de reſtit. in partic.d.2.q.8.p.1.n.8.* „

III. Plus requiritur ad notabilem quantitatem in rebus, „
quæ ultrò proveniunt, & ſunt valde expoſitæ, v.g. fructus „
ad viam publicam. V. Bonac. *n.10.* „

IV. Plus item, ſi quis à diverſis, vel ab uno interpolatim, „
parva & plura furetur. V. Leſſ. *n.46.* „

ADDENDA.

QUæſt.214. *Quidnam probabiliùs ſtatuatur pro ma-* 979
teria furti gravis? R. §.1. Aliqui putarunt non poſſe aſſignari regulam univerſalem unde deſumatur gravitas materiæ in furto, ſed hoc rectè confutat Eſp. *de juſt. qu.37.* nam

po-

poteſt determinari, quandonam fiat injuria gravis, ergo debet poſſe dari regula, ex qua colligatur gravitas injuriæ: injuria autem menſuratur in ordine ad aliquid tertium, quod ſit quid notius, & fundet rationem regulæ univerſalis, dicemuſque p.2. n.2. pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuam conjunctionem & amicitiam hominum inter ſe, eſſe regulam illam objectivam, qua menſuratur gravitas vel levitas injuriæ, & cùm iſta etiam ſint finis juſtitiæ, quod his graviter opponitur, eſt injuria gravis, adeoque etiam datur menſura gravis furti.

980 §.2. Materia furti poteſt dici gravis, vel abſolutè vel reſpectivè; illa dicitur gravis abſolutè, quam quicumque furatur, peccat mortaliter, à quocumque etiam furetur, non quòd ſemper tanta requiratur, ſed quòd tanta ſufficiat reſpectu omnium, & tanta requiratur reſpectu aliquorum. Materia gravis reſpectivè dicitur, ſi cenſeri debeat gravis reſpectu aliquorum, non tamen reſpectu omnium, quia nempe ſi auferam alicui, peccabo mortaliter, poſſem tamen auferre alicui alteri, & non peccare mortaliter, uti paulò poſt declarabitur.

981 §.3. In ſtatuenda hìc regula communi eſt difficultas, ſuntque diverſiſſimæ ſententiæ; Dian.*par.2.t.3.R.57.* recenſet novem; plures referunt Lugo *d.16.ſ.2.* Dicaſt.*l.2.t.2.d.9.d.2.* Haun. *t.2.c.3.controv.2.* Gormaz *à n.689.* Celebriores ſunt hæ, in primis Molin. & aliorum cum Eſp. *q.28.* qui dicunt reſpectu hominum non habentium pingues facultates ſufficere hoc, quod ordinariè datur in mercedem operario pro labore unius diei, *ſed* cùm mutetur illa merces pro varietate opificum, laborum. dierum, regionum, regula illa eſt obſcurior, & non ſatis determinata; deinde non eſt univerſalis, cùm non conveniat v.g. Regibus. Altera eſt Giatt. Haun. *n.329.* Illſ. *t.4.d.3.n.151.* qui pro regula ſtatuunt quantitatem neceſſariam congruæ ſuſtentationi hominis plebei uno die, *ſed* hæc quantitas etiam videtur nimis parva reſpectu ditiſſimi Regis, qui irrationabiliter faceret, ſi propter ſolidum (per hunc intelligo octavam partem Imperialis, apud Italos Julium, apud Hiſpanos Regalem, apud alios blamuſerum) graviter contriſtaretur aut indignaretur, cùm tamen reſpectu hominis pauperrimi communiter cenſeatur materia gravis.

982 §.4. Etiam in ſtatuenda quantitate pecuniæ pro materia gravi furti ſunt æquè diverſæ opiniones; Nav. pro materia gravi poſuit medium ſolidum: Covarr. Salon. Llamas, Cord. ſolidum, Med. Reb. Tol. Leſſ. duos ſolidos; Valent. Sayr. tres; Haunold. poſuit tertiam partem Imperialis, dicitque nu. 329. in illam quantitatem conſpirare majorem & ſaniorem Theologorum partem; *J. March. & alii* poſuerunt quatuor ſolidos, quam ſententiam Sanchez dicit eſſe in Hiſpania communem; Vega poſuit quatuor vel quinque ſolidos; Sot. Silv. Ang. poſuerunt duos circiter ducatos, (per ducatum hìc intelligo duos Imperiales.) Hæ aliæque ſimiles ſententiæ, ſi loquantur reſpectivè ad aliquos homines, ſuſtineri poſſunt, uti conſtabit ex dicendis, ſi autem ſingulas illas quantitates ponant pro materia abſolutè gravi reſpectu omnium ſuſtineri non poſſunt, ſaltem prima, ſecunda & ultima; quis enim dicat eſſe mortale, ſi ditiſſimo Regi furer unicum ſolidum? è contra quis dicat ad mortale reſpectu hominis pauperrimi requiri, ut ei furer duos ducatos? hinc,

983 §.5. Probabilius eſt non poſſe pro regula univerſali ſtatui unam certam quantitatem pecuniæ, quæ ſit materia abſolutè gravis, ſive, quæ ad mortale requiratur, & ſufficiat reſpectu omnium; eſt nunc ſatis communis cum Moya *t.3.d.3.q.3.c.1.§.2.* Gorm. *à n.693.* contra Authores §. præced. relatos; ad quos accedunt Tann. Arr. Eſp. *q.31.* Dic. *à n.26.* Illſ. *n.148.* Ratio eſt, quia quamcumque quantitatem poſueris, erit talis, ut vel minor ſufficiat vel major requiratur reſpectu alicujus, ut jam dictum, & patebit conſideranti ſingulas quantitates ab AA. illis allatas. *Neque* hoc habet ſe merè per accidens, uti putant Adverſarii, quaſi ditior aut alius ob certas circumſtantias remittat, *Nam* quòd ditior cenſeatur remittere & eſſe minùs invitus, videtur fundari in ipſa rei natura, ſuppoſita diſpari conditione, recta enim ratio dictat, etiam præſcindendo à diſſimili voluntate, gravius peccatum eſſe mendico auferre ſolidum, quàm eundem auferre Regi; & Rex meritò judicaretur ab omnibus irrationabilis, ſi vellet propter furtum ſolidi contriſtari vel indignari ſicuti mendicus, ergo. *Confirmantur* hæc à pari ex dicendis n.991. de injuria contra famam: quæ enim eſt gravis reſpectu unius, poteſt eſſe levis reſpectu alterius.

984 §.6. Probabilius eſt, quòd gravitas furti non ſit menſuranda præcisè ex quantitate rei ablatæ, ſed ſimul ex circumſtantiis perſonæ, cui aufertur. Ratio eſt, quia furtum in ratione gravis vel levis, conſtituitur per rationem damni illati domino rationabiliter invito; ergo ejus gravitas deſumi debet per ordinem, partim ad damnum, quod infertur, partim ad voluntatem ejus, qui damnificatur, atqui pauper accipit majus damnum, & eſt magis invitus, quàm dives; uti patet, docetque S. Th. *opuſc. de erudiendis Principibus l.8.c.8. In amiſſione unius gallinæ plus pauper gravatur, quàm unus multùm dives gravaretur in mille marcis*: in quem ſenſum *Chriſtus* Marc.12.v.43. dicit viduam, quæ quadrantem miſerat in gazophylacium, miſiſſe *plus omnibus* divitibus, quia nempe reſpectu pauperis viduæ erat unicus quadrans æſtimabilior; ideoque etiam pauper, ſi ipſi eripiatur ſua res parva, cenſetur habere majorem cauſam juſtæ contriſtationis & indignationis, ergo gravitas furti non eſt menſuranda præcisè ex quantitate rei ablatæ, ſed etiam ex circumſtantiis perſonæ, cui aufertur.

§.7. Materia gravis furti probabiliter ſtatuitur valor requi- 985
ſitus ad ſuſtentationem pro una die, congruam reſpectu illius, cui aufertur, ita cum aliis Sporer *t.5.c.5.n.29.* Gorm. *n.699.* & in re conſentiunt alii ſpeciatim Illſ. *n.147.* Ratio eſt, quia meritò ab omnibus multùm æſtimatur poſſe pro una die honeſtè ſubſiſtere, & cui hoc tollitur, verè redditur miſerabilis pro illa die, ergo cenſetur illi dari cauſa gravis contriſtationis & diſſolvendæ amicitiæ, ergo eſt injuria gravis, ſecundùm dicenda p.2.n.2. Deinde cui tantus valor tollitur, cenſetur pati grave damnum & eſſe graviter invitus, ergo & debet cenſeri pati gravem injuriam: Per ſuſtentationem autem hìc intelligo neceſſaria ad honeſtè vivendum una die quoad victum, veſtitum, & habitationem, ſecundùm communem & mediocrem modum, quem ſervant homines ſimilis conditionis. Nunc regula hæc magis determinanda eſt ad quantitatem pecuniæ.

§.8. Materia abſolutè gravis in furto perſonæ extraneæ, 986
probabiliter ſtatuitur eſſe quantitas duorum ducatorum. Ratio eſt, quia quiſquis tam multum furatur à quocumque peccat mortaliter, & tum multum videtur requiri, ut quis peccet mortaliter furando ditiſſimo Regi: eſt autem etiam reſpectu hujus gravis, quia videtur ſufficere illi, ac etiam requiri pro ſuſtentatione, una die, uti magis declarabitur num. 997. & 998. *Dixi*, perſonæ extraneæ, nam de furtis domeſticorum, & filiorum dicetur ſpecialiter à n.1014.

§.9. Quantitas reſpectivè gravis videtur ſic poſſe probabili- 987
ter ſtatui, ut reſpectu cujuſcumque etiam ditiſſimi Regis ſint duo ducati; reſpectu inferioris Principis, unus ducatus; reſpectu viri per-illuſtris aut mercatoris valdè divitis, unus Imperialis; reſpectu mercatoris mediocriter divitis, medius Imperialis; reſpectu civis mechanici, tertia pars Imperialis; reſpectu tenuioris civis vel ruſtici, duo ſolidi; reſpectu hominis utcunque pauperis, ſeſqui-ſolidus; reſpectu planè pauperis, etiam unicus ſolidus; & de omnibus intermediis loquendum eſt cum proportione. Ratio eſt, quia tam multum videtur requiri & ſufficere ad ſingulorum ſuſtentationem pro integra die, ergo cenſebuntur pati grave damnum & eſſe graviter inviti, ſi tam multum auferatur, non autem, ſi auferatur minus; intelligo autem dictas pecunias ſecundum monetam & æſtimationem, quæ nunc eſt in his partibus, nam rectè notat Dicaſt. *à n.32.* pretia, & valorem pecuniarum notabilitet variari pro varietate temporum & locorum, in quibus oporteret dicta ſic accommodare, ut tantundem tum & ibi aſſignaretur, quantum poſtularet honeſta ſuſtentatio ejus, cui res aufertur.

§.10. *Objiciuntur* multa contra hactenus dicta, ex quo- 988
rum ſolutione meliùs intelligetur ſententia noſtra: 1. Æſtimabilitas rei temporalis, v.g. pecuniæ, nullo modo dependet à privata indigentia Domini, ſed à conducentia, quam habet, ad uſum humanum tanquam ad finem ſuum, qui præcipuè eſt ſuſtentatio hominis, atqui hæc conducentia eſt eadem, ſive pecunia ſit pauperis, ſive divitis, ergo æſtimabilitas etiam eſt eadem, ergo quod reſpectu pauperis eſt materia gravis, etiam eſt reſpectu divitis; per ſe loquendo, ita Illſ. *n.148.* R. N. maj. Nam partialiter dependet à circumſtantiis perſonæ, cui ſervit, uti conſtat ex dictis n.984.

Inſtabis 1. Jus divitis ad ſuum ſolidum eſt æquè magnum, 989
quàm jus pauperis ad ſuum, ergo ſive diviti ſive pauperi furer ſolidum, lædo æquè magnum jus, ergo æqualiter pecco contra juſtitiam, quamvis magis peccem contra charitatem, ſi furer pauperi, ita Dicaſt. *à n.29.* R. Jus divitis eſt æquè magnum, *materialiter*, conc. *formaliter*, *n. ant. & conſ.* Quantitas materialis juris habetur per reſpectum ad res ſecundùm ſe; è contra quantitas formalis æſtimatur ſecundùm neceſſitatem vel utilitatem, ad quam ordinatur, ſic enim ſi habeam maldrum ſiliginis nunc valens tribus Imperialibus, & illud ſervem in ſequentem annum, tumque valeat ſex Imperialibus, habeo in mea ſiligine hoc anno jus æquè magnum materialiter, ac habiturus ſum poſt annum, attamen poſt annum habeo jus majus formaliter, quia erit mihi utilius, hinc qui eam ſiliginem mihi eriperet hoc anno, non faceret mihi tantam injuriam, quantam ſi poſt annum, ſuppoſito quòd hoc anno fuiſſem venditurus vel ea uſurus: Similiter autem eſt in pecunia reſpectu pauperis & divitis, hinc ſi donem ſolidum unum tam pauperi, quàm diviti, meritò cenſebor plus donare pauperi, qui magis æſtimabit ac majores referet gratias, quàm dives.

Inſtabis 2. Ergo ſi pauper unum ſolidum permutet cum 990
divite, permutatio erit injuſta, quia ſolidus pauperis erit for-

maliter pretiosior quàm solidus divitis, Ita Esp. *q.* 31. Resp. N.Sequelam: Nam solidus pauperis est soli pauperi pretiosior; non autem diviti, è contra solidus divitis est soli diviti minùs pretiosus, & non pauperi, hoc ipso autem, quòd pauper accipiat solidum divitis, & dives solidum pauperis, uterque solidus permutatus accipit suum pretium formaliter majus vel minus ab illis permutantibus, adeòque solidus divitis fit pauperi pretiosior, quàm fuerit diviti, & solidus pauperis fit diviti minùs pretiosus, quàm fuerit pauperi, ergo hæc permutatio habebit æqualitatem, non tantùm materialem, sed etiam formalem, ergo est justa.

991 *Instabis* 3. Ex hoc, quòd aliquis sit in fama dives, v. g. habeat famam in omni virtute, si illi detraham famam castitatis, non ideò minùs pecco, quàm si fuisset pauper in fama & habuisset solam famam castitatis, ergo ex eo, quòd furer solidum diviti habenti plures solidos, non ideò minùs pecco, quàm si furer pauperi habenti unum tantùm. Resp. 1. Isto argumento confirmatur nostra sententia, nam uti in detractione non debet tantùm attendi *quid*, sed maximè *de quo* & *cui* dicatur, ita in furto. Resp. 2. N. conseq. Ideò diximus sufficere minorem quantitatem in bonis fortunæ respectu pauperis, quia pauper in his patitur majus damnum & rationabiliter est magis invitus: oppositum est in fama, nam qui habet majorem famam, illi faciliùs nocetur & infertur majus damnum, ideòque est rationabiliter magis invitus, sic enim si de homine valdè sancto dicas esse mendacem, peccas graviter, si autem dicas de alio, non ita facilè peccas graviter, & ratio utriusque dabitur p. 2. n. 1194.

992 *Instabis* 4. Si omnes essent pares conditione, esset respectu omnium una quantitas gravis furti, ergo & jam est, quia natura in taxanda læsione gravi considerat hominem secundùm ea, quæ ipsi à natura insunt & debentur. *Confirmatur*: nam natura est eadem in omnibus, quæ nec divitias nec paupertatem curat, ergo quod ex natura est grave respectu unius etiam est respectu alterius. R. N. Conseq. & ejus probationem, oppositum enim fatentur omnes in læsione famæ, ubi maximè attenditur, cui detrahatur. *Ad confirm.* N. conseq. Nam, per naturam hic non intelliguntur causæ necessariæ vel naturales, sed intelligitur Jus sive lex naturæ vel recta ratio, suppositis autem divitiis in uno, & in altero paupertate, recta ratio dictat per ablationem solidi plùs noceri pauperi quàm diviti, quia pauper fit miserabilior, adeòque rationabiliter est magis invitus, ergo secundùm Jus naturæ non est æqualis quantitas statuenda pro utroque.

993 *Instabis* 5. Ex hoc, quòd dives damnum suum faciliùs reparet quàm pauper, non sequitur diviti fieri minorem injuriam, uti ex hoc, quòd Christus statim potuisset reparare omnia damna sibi facta per contumelias, vulnera, mortem, non sequitur ideò minorem ipsi factam esse injuriam. Resp. Neque nos hoc diximus: potest tamen probabiliter dici, si fiat injuria alicui, qui scitur facilè posse reparare illam, alioqui non facienda, nisi sciretur facilè posse reparari, non fore moraliter tam gravem injuriam: hoc tamen non habet locum in Christo, cui ita fiebant injuriæ, ut vel non sciretur posse reparare, vel æquè factæ fuissent, licèt inferentes hoc sciviſsent.

994 *Instabis* 6. Saltem (secundùm dicta) divites erunt pejoris conditionis quàm pauperes, quia poterit circa mortale plus illis auferri; cùm tamen Jus deberet potiùs illis favere, quia plus afferunt ad bonum commune. Resp. N. seq. nam etiam plus habent. *Nec obstat*, quòd quò plus habent, eò plus periculi habeant, ne auferatur: *Nam* hoc compensatur per alia commoda, habentque etiam divites plura media, quibus pericula propulsent & se tueantur.

995 *Objicies* 2. Non est ratio, cur gravitas furti potiùs desumatur per ordinem ad sustentationem diurnam quàm ad aliquid aliud. Resp. N. assumptum, nam in primis *indigere sustentatione diurna*, est commune omni homini, ergo inde peti potest regula universalis: deinde finis præcipuus bonorum externorum est sustentatio vitæ humanæ, ergo rectè dicimus id censeri grave in bonis externis, quod censetur grave contra istum finem, grave autem censetur, si homo privetur sustentatione per integrum diem, uti dictum est n. 985. ergo.

996 *Objicies* 3. Si gravitas furti metienda sit ex circumstantiis personæ, cui aufertur, nunquam determinari poterit ea gravitas, quia pendebit ab infinitis circumstantiis etiam ignotis, scire enim non possumus, an Dominus sit liberalis vel avarus, an nunc sit bene dispositus vel malè, adeoque magis invitus: item nescimus, an reipsa sit pauper an dives, nam aliqui videntur divites, qui sunt pauperes, & contra, ergo nunquam sciri poterit, quænam hic, & nunc sit quantitas requisita & sufficiens. Resp. N. seq. nam in primis, si aliud non constet, præsumere debemus Dominum esse talem, quales ordinariè sunt homines, spectata complexione & educatione communi secundùm rationem ætatis, conditionis, sexus & regionis: quòd si prudens sit suspicio esse v. g. avarum, tantò majorem causam habeo nil furandi: deinde quoad statum pauperis vel divitis, quisque prudenter reputatur talis, qualem se externè præfert, & simul qualis in communi à plerisque habetur, quòd si aliter est, per accidens erit, si fur occasione hujus erroris invincibilis diversimode peccet, & lædat jus majus, quod putavit esse minus, vel contra.

Objicies 4. Ad sustentationem diurnam potentissimi Regis non potest sufficere duplex ducatus, ergo hæc quantitas malè ponitur pro regula respectu illius, ita Lugo *num.* 26. Resp. N. antecedens, nam si semel in statu suo sit constitutus, ut hunc sustineat considerata sola ejus persona secundùm necessitatem victus, vestitus & habitationis, sufficeret ea quantitas; quod inde patet à posteriori: nam sæpe maximi Principes Regibus pares non dant in dies in victum Oeconomo alicui sustinenti familiam, nisi circiter ducatum pro singulis accumbentibus, & tamen talis Oeconomus habet insuper inde lucrum: quòd si alterum ducatum in dies adjiciat, habebit etiam, quæ vestitus & habitatio requiret, neque enim ad sustentationem personæ spectare censentur pompæ aliæ aularum aut apparatus armorum. 997

Instabis. Quantitas, quæ pro Rege statuitur, debet se ita habere ad quantitatem, quæ pro cive statuitur, uti se habet opulentia Regis ad opulentiam civis, sed opulentia Regis superat opulentiam civis longè magis, quàm duo ducati superent medium Imperialem, ergo respectu Regis non sufficient duo ducati. R. debet se ita habere, cum æqualitate arithmetica, seu cum proportione perfectè correspondente. N. Cum æqualitate geometrica & proportione quadam deficiente, C. maj. & n. conseq. Sic enim se habet, si considerentur majora onera, frequentiora damna, plura pericula Regum: imò sæpe Reges sunt respectivè pauperiores quàm aliqui cives, cùm sint in magnis debitis: atque etiam ideo AA. communiter posuerunt unum ducatum etiam respectu Regum, quia loquuntur de Regibus non ditissimis, prout nunc communiter non sunt, quod etiam valet de aliis, licèt multa possideant. 998

Objicies 5. Videtur nimis laxum dicere, quòd possit quis absque mortali furari ditissimo Regi ultra tres Imperiales. R. N. ass. cum Sporer suprà, Laym. *lib.* 3. *t.* 3. *p.* 1. *c.* 1. *n.* 3, aliisque gravissimis Authoribus, qui ponunt duos vel tres ducatos respectu ditissimi Regis; sed jam notavimus paucos esse ditissimos Reges, unde etiam pro illis variat regula secundùm varietatem opulentiæ. Instat Lugo: quamvis furtum trium Imperialium, si semel fiat, non sit actuale damnum grave respectu ditissimi Regis, tamen erit grave, si sæpiùs repetatur aut à diversis fiat: jam verò si homines semel sciant se posse citra mortale Regi ditissimo furari tres Imperiales, cùm Summa ita magna multum alliciat, omnino præsens periculum est, ne Summam illam sæpius, aut saltem plurimi eam furentur, ergo dicendum est esse graviter prohibitum tam multum furari. *Prob. conseq.* Ideo enim dicimus unicam pollutionem aut fractionem sigilli esse mortalem quia quamvis, si semel tantùm fierent, non ita graviter nocerent, tamen quia est periculum, ne, si scirentur aliquando licere, sæpiùs repeterentur, eò quòd homines putarent hic & nunc esse illam circumstantiam, in qua liceret, ideo debuerunt illa pro omni casu esse graviter illicita. R. Si argumentum valet, probat contra suos AA. etiam medium Imperialem esse materiam gravem respectu ditissimi Regis, eadem enim ratio applicari potest, ergo ne unus quidem ducatus requiretur, quem tamen requirunt cum Dicast. *n.* 36. itaque N. ideo fore periculum proximum aut per se repetendi ea furta, nam si repetantur, non manebit furtum trium, sed fiet sex, novem vel plurium Imperialium, qui erunt materia gravis. De pollutione vel fractione sigilli non est eadem ratio, nam quòd hæc, licèt unica vice facta, sint gravia, scimus etiam aliunde, saltem ex declaratione Ecclesiæ, & communi consensu Doctorum, de tali autem furto non persuadet, neque tanta authoritas, neque certa ratio. 999

Objicies 6. Quamvis diviti eripiatur, quantum requiritur ad sustentationem pro una die, ipse aliunde habet, quo ista die subsistat; ergo non censetur ei per hoc dari justa causa gravis contristationis vel dissolvendæ amicitiæ. Resp. N. conſ. nam quæ aliunde habet, jam considerata sunt tanquam constituentia personam divitem, à qua ideo possit citra mortale plùs eripi, adeoque jam antecedenter positum est, atque si præter illud non haberet aliquid, ergo facultas illa aliunde habendi sustentationem non debet iterum adduci in considerationem pro extenuanda gravitate illius injuriæ. 1000

Objicies 7. Si materia gravis, v. g. respectu Nobilis, sit Imperialis, ergo qui tali furaretur Imperialem, minùs obolo, non peccaret graviter. R. Haun. *n.* 330. Gorm. *n.* 723. Carden. *in* 1. *crisi d.* 27. *c.* 3. iterumque *in* 2. *crisi d.* 23. *num.* 110. *concedunt sequelam*, putant enim has quantitates debere statui in tanto determinatè, & quasi in indivisibili; ita ut si quid minimum desit, non sit materia gravis: è contra alii communiter & fortè probabiliùs constituunt in tanto moraliter, v. g. quando secundùm prudentem æstimationem diceris Nobili 1001

eri-

eripuiſse Imperialem, peccaſti mortaliter, uti ſi deficiant tantùm ſex nummi, quorum triginta v.g. faciant ſolidum; ſi autem eriperes minùs viginti-quatuor nummis, non cenſereris eripuiſse Imperialem nec peccaſses mortaliter. *Neque obſtat*, quòd juſtitia dicatur intendere æqualitatem arithmeticam: *Nam* hanc intendit, non phyſicè, ſed moraliter ſumptam. Quod ſi quis oppoſitam ſententiam tenere velit, dicere debet conſequenter, quòd Nobilis furans Imperialem minùs nummo non peccet mortaliter, quia aliàs etiam mortaliter peccaret furans minùs duobus nummis, ergo etiam furans minus tribus, & ita ulteriùs deſcendendo ad materiam certò levem: ex quo tamen non ſequitur, quòd unicus nummus ſit materia gravis, ſed tantùm, quòd conjunctus cum aliis faciat materiam gravem, adeoque per additionem vel ademptionem unius nummi ab aliis cenſeatur induci vel demi diſtincta differentia ſpecifica conſtituens rationem peccati gravis vel levis, quamvis enim materiæ illæ (phyſicè loquendo, & quoad entitates) non differant notabiliter, tamen differunt moraliter & quoad effectum, quia una eſt de ſe diſſolutiva amicitiæ, altera non: Et ſimilia habentur in rebus phyſicis, nam ad mergendam navem requiritur & ſufficit tantum præcisè pondus aquæ, ita ut ſi gutta deficeret, non mergeretur; item ad hominem plenè inebriandum requiruntur præcisè tot guttæ vini bibiti, ita ut ſi una deficeret, non eſsent ſpiritus ſufficientes ad plenam ebrietatem; ubi vides unam guttam aquæ vel vini cum reliquis conjunctam inducere moralem diverſitatem, & effectum notabiliter diſtinctum; & ita etiam eſt argumentandum in illa ſententia, ſed, uti dixi, altera eſt fortè probabilior.

1002 §.11. Ex dictis, *colligitur* 1. Non eſse grave peccatum (per ſe loquendo) furari ultimam partem complentem materiam gravem aut quantumcunque magnam Summam cum animo ſtatim reſtituendi, v.g. intrà quadrantem horæ, quia per illam ablationem non infertur grave damnum, neque eſt periculum diuturnæ retentionis, ideòque proximus non debet eſse graviter invitus, ita Vaſq. Salas, Hurtad. Leſs. Lugo *d.8.n.21.* Moya *t.6.d.4.q.4.* §.2. Gorm. *num.703.* Idem eſt, ſi velit intrà ejuſmodi breve tempus reſtituere etiam ſolam ultimam partem, quæ conſtituit materiam gravem, uti dicetur p. 2. n.249. aut ſi ad breve tempus reſtitutionem differat, Vaſq. Sanch. Sayr. Rebel. Dian. Reg. Baſſ. aliique plurimi cum Oviedo *de pecc. contr. 3. n.103.* & Moya §.3. ſed de dilatione *vide dicenda p.2.n.252.*

1003 *Colligitur* 2. Si materia furti ſacrilegi ſit res, quæ pretio temporali æſtimari ſolet, uti ſunt calix, aliaque ſpectantia ad Eccleſiam, gravitas determinanda eſt, uti diximus de re profana, attento valore ſecundùm æſtimationem communem. Si autem ſit res adæquatè ſacra, v.g. Reliquiæ, putant aliqui non dari parvitatem materiæ, ſed ſemper peccari mortaliter, quantumcunque parum quis furetur, quia Clemens VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. excommunicant ipſo facto eos, qui ſine conſenſu eorum qui præſunt Eccleſiis in Diſtrictu Romano extrahunt minimas, & quidquid poteſt habere umbram aut prætextum Reliquiarum, uti cum aliis teſtatur Baldell. *in Th. Mor. t.2.l.3.d.15.à n.29.* rectè tamen notant Sanch. Bonac. Caſtrop. & alii cum Dian. *p.5.tr.5.R.35.* pro locis extra Diſtrictum Romanum (pro quo fuerit ſpecialis ratio ſic prohibendi) dari parvitatem materiæ, & conſiderandam eſſe dignitatem aut raritatem Reliquiarum, ideoque fore mortale, ſi quis vel minimam partem ſanctæ Crucis furaretur: è contra fore veniale, ſi quis à corpore alicujus Sancti auferret aliquid pulveris, capillum, aut ſimile quid, quod neque deformat ipſam Reliquiam, neque illius æſtimationem minuit, ita Baldell. *n.25.*

1004 ## DUBIUM III.

Quàm graviter peccet, qui multa minuta furta committit?

„ RESP. Hic quoque quantitas læſionis vel damnificatio-
„ nis, quæ fit Proximo, & quam fur intendit, eſt
„ menſura quantitatis peccati. V. Leſſ. *l.2.c.12.d.8.* Sanch. *Mor.*
„ *l.7.c.21. Unde reſolves:*
„ I. Si quis ex occaſione tantùm furatur, ſive uni, ſive plu-
„ ribus modicum, non intendens notabile aliquid acquirere,
„ nec proximo graviter nocere, ſingulis furtis non peccat gra-
„ viter, neque ea ſimul ſumpta unum mortale conſtituunt;
„ poſtquam tamen ad quantitatem notabilem pervenit, eam
„ detinendo, mortaliter peccare poteſt. Leſſ. *d.7.* Bonac. *d.2.*
„ *q.8.p.2.* Verùm & hoc mortale evitabit, ſi vel tunc reſtituere
„ non poſſit, vel animum habeat paulò poſt reſtituendi, ea
„ ſaltem, quæ tunc accipit, Gran. Dian. *p.3.t.6.R.25.*
„ II. Si autem per plura parva furta uni vel pluribus facta,
„ habeat intentionem paulatim diteſcendi, vel inferendi
„ grave damnum, peccat graviter ea intentione; ac licèt
„ executio ſingulorum ſit tantùm venialis ex ſe, ut tamen ſub-
ſtat tali intentioni, eſt continuata executio peccati mortalis, „
Leſſ. Sanch. *l.c.* quia nocent graviter Reipublicæ, & praxis „
illa valdè pernicioſa eſt ſocietati humanæ: v.g. ſi ſartor par- „
ticulas panni à diverſis furripiat; ſi mercatores utantur bre- „
vioribus ulnis, &c. Interim hi excuſantur ſubinde à gravi „
peccato, 1. Ex eo quod dictum eſt *caſu primo.* 2. Si id fa- „
ciant, ut ſe ſervent indemnes; vel quia aliàs non lucrarentur; „
vel pretium augere deberent, & tunc non invenirent „
emptores. Roſella *V. Emptio.* 3. Si aliàs non habeant, unde „
ſe vel ſuos alant. „

III. Si plures ſimul vel ſucceſſivè plura furta parva alicui „
faciant, quæ ſimul ſumpta graviter illi noceant, tunc, ſi alter „
de altero non ſciat, nullus peccat graviter, v.g. ſi viatores „
ex vinea unam alteramve uvam rapiant, & comedant; etſi „
hoc licere dicat Covar. Valerius & Ripa contra Dianam *R.* „
20. Si autem ſinguli conſpirent, ſinguli graviter peccant. „
Si denique de ſe mutuò ſciant, nullus tamen alteri ſit cauſa, „
furti, probabilius eſt non eſſe mortale, ut docet Leſſ. Tann. „
&c. contra Suar. V. Bonac. *l.c.* „

ADDENDA.

Quæſt. 215. *Quid hic notandum ſit ad clariorem intelligentiam?* R. Seqq. §.1. Navar. Vaſq. Leſſ. *l.2.c.12.d.* 1005
8. Dicaſt. *l.2.t.2.d.9.n.50.* aliique fatentur, quòd retinere ultimam materiam levem cum aliis præcedentibus, ſi per illam compleatur materia gravis, ſit mortale, attamen negant mortale eſſe eam furripere; quam ſententiam Amic. *De pecc. d.23. n.227.* Oviedo *de pecc. controv.3. num.103.* vocant probabilem & tutam, ſed oppoſitum eſt tenendum cum communi, Mol. *d.688.* Lugo *d.16.n.38.* Sporer *t.5.c.5.n.37.* Moya *t.6.d.4. q.4.n.* 1. Quia voluntas intendens retinere priores materias, & adjiciens hanc, habet pro objecto totam illam materiam, quæ gravis eſt, & graviter damnificativa proximi. 2. Alioqui qui continuò erepta conſumeret, nunquam peccaret mortaliter, quamvis ſucceſſivè centies mille ſolidos eidem eriperet; imò ſi non eſſet inde factus ditior, non teneretur ſub mortali quicquam reſtituere, non ex re accepta, quia nullo modo extaret, neque ex injuſta acceptione, quia nunquam peccaſſet mortaliter, hoc autem videtur abſurdum, & oppoſitum dicetur p.2. n.244. 3. Explicari non poterit, cur peccetur mortaliter die feſto omittendo multas parvas partes Miſſæ vel Horarum, aut ponendo multa parva opera ſervilia, item die Jejunii comedendo ſæpius pauca, in his enim vel non eſt retentio, vel non facit ad rem; & quamvis homo vellet præcedentia non eſſe poſita, ſi tamen ultimum addat, per quod completur materia gravis, hoc ipſo peccat mortaliter, ergo & hic. *Si dicas:* ultima acceptio tantùm leviter concurrit ad materiam gravem addendo aliquid tantum leve, ergo non magis eſt mortale, quàm priores acceptiones, quæ etiam ſic concurrebant ad totam materiam gravem conſtituendam. Reſp. N. conſeq. Priores acceptiones non habebant pro objecto ſecuturas materias, ultima autem acceptio habet pro objecto omnes etiam priores materias, uti dictum eſt: hinc ſecunda acceptio eſt pejor quàm prima, & tertia quàm ſecunda, ac ita deinceps, quia volitio, v. g. ſecundi ſolidi habet pro objecto duos ſolidos, eſt enim volitio retinendi primum, & habendi ſecundum, & ita de reliquis, Ovied. *n.108.* Merat. *de pecc.d. 20. num.4.*

§.2. Adhuc peccat graviter, qui poſt levia furta, quæ non poteſt reſtituere, addit aliud leve, quo compleatur quantitas gravis, Lugo *n.39.* Sporer *n.39.* Illſ. *t.4.d.3. n.157.* & alii contra Gran. & Leſſ. Ratio eſt, quia liberè complet & conſentit in totum grave damnum Proximi; & aliàs, inquit rectè Dicaſt. *n.55.* Pauper vel Religioſus, qui ſucceſſivè damna inferret, nunquam peccaret mortaliter, quia poſt ſingula quantumcunque multiplicata manet impotens ad reſtituendum: Si tamen haberet efficacem voluntatem reſtituendi priora ſaltem uſque ad materiam levem, excuſaretur à mortali, ut notant Mol. Rebel. Sanch. aliique cum Lugo *à n.40.* 1006

§.3. Si quis poſt ſemel completam materiam gravem advertenter adhuc eidem furetur aliquid leve, Salas Mol. *d.688. n.2.* putant hoc ultimum furtum eſſe tantùm veniale aut tantùm aggravari prius mortale, quia non additur notabile damnum, ſed illud jam cauſatum eſt, & tantùm leviter augetur; quam ſententiam Bonac. *de Reſtitut. d.2. q.8. p.2.n.5.* dicit eſſe valdè probabilem: è contra probabilius docent Lugo *à n.43.* Dicaſt. *nu.59.* Amicus *n.233.* Spor. *n.39.* Ovied. *n.114.* toties eſſe mortale, quoties ulterius aliquid etiam leve tollitur, 1. Quia habet voluntatem ſaltem implicitam augendi prius damnum grave; neque poſteriora habent ſe quaſi ſeorſim ad priora, ſed cum illis conflant unum damnum majus. 2. Quia toties complet voluntatem habendi materiam gravem, partim retinendo priorem, partim addendo novam. 3. Alioquin etiam dicam nunquam compleri primum mortale, ſed ſemper inchoari 1007

materiam novi venialis aut ſaltem tantùm aggravari primum mortale, quantumcumque multum poſteà per repetitas vices addatur, quod videtur abſurdum. Hinc Dicaſt. *n.*60. à pari docet eum, qui in horis per omiſſiones parvas pervenit ad materiam gravem, toties poſteà peccare mortaliter, quoties aliquid leve iterum omittit, ſi pergat habere voluntatem iterum hoc parvum omittendi ſimul cum prioribus.

1008 §.4. Furta parva coaleſcunt, etiamſi fiant in diverſis negotiis, ut ſi defraudes Titium, ſemel venditione, ſemel cambio, ſemel furando &c. Ita Sanch. in Dec. *lib.*7.*c.*21. *n.*16. contra Rebel. Tan. Dian. *p.*1. *t.*6. *R.*34. Ratio eſt, quia ad rem non facit, quòd ſit hoc vel illud negotium, cùm in omnibus cauſetur damnum ejuſdem rationis.

1009 §.5. Si plures eidem furentur multa parva, non quidem communi conſilio, attamen ita, ut unus moveatur exemplo alterius, Leſſ. Salas, Tamb. Lugo *num.*159. dicunt non peccari contra juſtitiam, ſed tantùm contra charitatem per ſcandalum, alioquin homo movens alium ſuo exemplo ad ludos noxios faceret huic injuriam ac teneretur reſtituere, quod nemo dicet: Ovied. *contr.*2. *à num.*96. quamvis agnoſcat hanc ſententiam eſſe valde probabilem, tamen cum Laym. Bonæſpei, Steph. & aliis tenet oppoſitam, quia videtur eſſe contra juſtitiam, quòd ſine juſta cauſa ponam hoc, ex quo prævideo læſionem juris alieni, implicitè enim cenſeor velle illam læſionem, implicitum autem, & explicitum ſpectant ad eandem ſpeciem malitiæ, uti habet communis regula ex Cajet. Suar. & Sanch. Deinde talis tacitè movet ad eam injuriam, qui autem movet ad damnificandum, facit injuriam & tenetur reſtituere, uti dicetur *p.*2.*n.*21. ergo. Poteſt videri Dicaſt. *de pœn. d.*9. *à n.*337. ubi etiam hanc ſententiam tuetur, eſtque conformior damnationi propoſitionis loco citato referendæ.

1010 §.6. Si plures furta levia committant, non moventes ſe mutuò, ſed tamen advertentes per omnia ſimul ſumpta cauſari grave damnum alteri Suar. Vaſq. Rebell. Fill. *t.*31. *num.*249. aliique multi apud Lugo *n.*54. dicunt ſingulos peccare graviter, quia ſcienter concurrunt ad grave damnum, & conſentiunt in illud; è contra Sanch. Salas, Leſſ. Tann. Ovied. *de pecc. contr.*3. *n.*112. Lugo *n.*55. Sporer *n.*47. Illſ. *n.*158. probabiliùs dicunt peccare tantùm venialiter, quia ſinguli non ſunt cauſa neque phyſica neque moralis damni ab aliis cauſati, ſed tantùm illius, quod inferunt, hoc autem eſt leve, ergo. Deinde ſi oppoſita ſententia eſſet vera, quiſquis alicui diviti furaretur minimum, credere deberet ſe peccare mortaliter, quia moraliter certus eſt alios eidem feciſſe multas ſimiles injurias: item qui poſt direptam vineam, unicam uvam furaretur, peccaret graviter, uti rectè argumentatur Lugo *nu.*56. Imò peccaret longè graviùs, quàm omnes cæteri, qui totam vineam diripuerunt, inquit Dicaſt. *de juſt. l.*2. *t.*2. *d.*9. *n.*79. jam enim in totum prius damnum cenſeretur influere ac reddere majus. *Nec obſtat*, quòd ſciam grave damnum cauſari, in quod partialiter influo, *nam* influo in illud ex ſe diviſibile reſpectu ſingulorum, reſpectu quorum per accidens eſt, quòd ſit grave, uti ſi milleni donent medium ſolidum pauperi, ſinguli phyſicè & moraliter donant quid leve, nec merentur apud Deum, niſi quantum reſpondet donationi medii ſolidi, licèt *per accidens* ex omnibus ſimul ſumptis fiat illi egeno magna eleemoſyna. *Nec obſtat iterùm*, quòd ille peccet mortaliter, qui homini vulneribus aliorum læſo addit vulnus, ex quo & aliis emoritur; item qui homini ferè ebrio dat hauſtum, quo plenè inebriatur: *Nam* diſparitas eſt, quòd hoc ultimum vulnus vel hic ultimus hauſtus non tantùm augeat malum illatum, ſed ſit cauſa novi effectus gravis, nempe mortis vel ebrietatis, qui effectus indiviſibilis eſt, nec cauſatus erat à prioribus, ſed nunc cauſatur ab ultimo; tribuitur quidem etiam prioribus tanquam cauſis inadæquatis; attamen ultimo tribuitur totus ſecundùm prudens judicium; è contra furtum meum leve tantùm auget malum illatum, nec eſt cauſa novi effectus gravis, & damnum quod cauſat, eſt diviſibile, neque ulli prudentes mihi totum illud damnum attribuent.

1011 §.7. Si inter ablationes leves parum temporis intercedat, v.g. tantùm unus vel alter dies, quantitas, quæ ſimul ablata ſufficit ad mortale, etiam ſufficit, ſi ita ſucceſſivè auferatur, quia quando parum temporis intercedit, cenſetur fieri eodem moraliter tempore: è contra ſi ablationes per menſem vel per dimidium ſeparentur, Dian. *par.*1. *t.*6. *R.*34. putat non uniri, quod Filliuc. *num.*244. dicit eſſe valdè probabile, ſi priora expenderit, præſertim ſi à diverſis, & bona fide acceperit: Sanch. *num.*10. & Dic. *num.*58. dicunt non uniri, ſi per annum ſeparentur, additque Sanch. idem ſenſiſſe viros doctos à ſe conſultos, ſed alii cum Rebell. adhuc dicunt continuari, etiamſi quatuor annis ſeparentur, quod videtur probabilius, manet enim damnum datum, & obligatio reſtituendi, & quidquid accedit per vices, auget antiquum damnum & priorem obligationem; admittunt tamen omnes cum Carden. *in* 2. *criſi d.*23. *n.*114. ad materiam gravem tum requiri amplius, v.g. duplo plus quàm ſufficeret, ſi ſimul auferretur: Illſ. *n.*155. dicit, ſi interpolatio temporis ſit valdè magna, dimidio plùs requiri: quòd ſi mediocre tempus intercedat, v.g. unius menſis, aliquid plùs requiretur, hinc materia gravis eſſent quatuor ſolidi ſimul ablati, ſi ita ſucceſſivè auferantur, deberent minimùm eſſe quatuor, & medius.

§.8. Quò plures ſunt damnificati, eò plus requiritur, 1012
quia damnum diviſum in plures cenſetur minus, uti rectè Sanch. Leſſ. Rebell. & alii; hinc Mol. *d.*689. & Diana requirunt ſaltem duplum, & fatentur Lugo *num.*51. Dicaſt. *n.*71. Rebell. & alii aliquem faciliùs excuſari à culpa gravi, ſi à pluribus per intervalla temporis ac in diverſis negotiis abſtulerit: putant tamen Sanchez, & Carden. ſi eripiatur ab illis, qui unam Communitatem conſtituunt, ad materiam gravem ſemper ſufficere unum aureum, ſed probabile eſt, ſi Communitas ſit magna & dives, quandoque poſſe extendi ulteriùs, dummodò non ultra duos ducatos, quamvis Moya *in ſel. t.*3. *d.*3. *qu.*3. *cap.*1. §.2. dicat furtum circa publica non eſſe mortale, niſi attingat quadraginta ſolidos, eò quòd quantitas minor non videatur graviter opponi bono communi, & rectæ gubernationi Reipublicæ. Poſſe autem peccari mortaliter ita eripiendo parva, patet, quia aliàs Mercator in vendendo utens pondere, menſura vel una parum minore non peccaret graviter, cùm tamen hoc *Deuteron.*25. *& Proverb.*11. dicatur eſſe *abominatio apud Deum*. Ratio autem eſt, quia ſic infertur grave damnum Communitati rationabiliter invitæ, læditur enim per aliquid grave, quod ipſa in ſuis membris patitur, uti ſi ſingula membra corporis leviter vulnerarentur, fieret toti corpori gravis injuria: imò ſinguli homines de iſta Communitate ſunt & debent eſſe graviter inviti, ne hoc fiat, quia vergeret in graviſſimum præjudicium Reipublicæ, in qua deſineret omnis honeſta induſtria, & fures otio dediti ſe quotidie parvis alerent. *Accedit*, quòd homo, qui talia minuta congeſſiſſet, nullo titulo ea haberet, ergo eſſet injuſtus poſſeſſor materiæ gravis, ergo eam accipiendo etiam peccat graviter, ſecundùm dicta num.1005. Porrò illi hic dicuntur conſtituere unam Communitatem, qui debent ferre ſimul aliqua onera, ita ut ſi unus eorum non ferret, reliqui deberent plus ferre, tum enim ſi unus eorum depauperaretur, onus recideret in alios, quibus ideò pejus eſſet.

§.9. Si ſinguli, à quibus quis furatur parva, non conſti- 1013
tuerent unam Communitatem, & furans non intendiſſet unam Summam magnam, probabile quidem eſt cum Eſp. vix peccari graviter, licèt ſimul ſumpta eſſent multum, quia nullum grave damnum ſentitur, neque ſinguli aut illi omnes, qui ad invicem nullam communionem habent, videntur poſſe eſſe graviter inviti; probabilius tamen eſt oppoſitum cum Leſſ. Illſ. *n.*155. Buſembaum ſuprà, ob Scripturas & rationes ante inſinuatas. *Nec obſtat*, quòd non videatur peccari graviter contra juſtitiam commutativam, cùm ad injuriam contra illam debeat uni determinatè fieri damnum grave, quod hic non eſt: *Nam* gratis dicitur ad læſionem juſtitiæ commutativæ requiri, ut uni determinatè fiat damnum, cùm poſſit etiam Communitas habere jus ſtrictum, aptum lædi: dici quidem poſſet peccari ſaltem graviter contra juſtitiam legalem (uti cum aliis docet Moya *à n.*3.) quæ obliget partem ad procurandum bonum totius, contra quod graviter agitur; ac etiam contra bonum univerſale ſocietatis humanæ, ſi paſſim fierent ejuſmodi furta parva, ſed difficultas eſt in hac reſponſione, quòd ex læſione ſolius juſtitiæ legalis non ſequatur obligatio reſtituendi, uti cum communi tenent Lugo *d.*1. *n.*52. & Plat. *p.*3. *n.*718. dicendum autem eſt deberi reſtitutionem, ſi à pluribus pauca auferantur, uti conſtabit ex dicendis *p.*2. *n.*244.

DUBIUM IV.

Quid in genere notandum ſit de furtis domeſticorum vel amicorum?

REſp. Licèt verè furtum ſit, ſi uxor, liberi, ami- „ 1014.
ci, ſervi, patri-familias invito quid auferant, plerumque tamen major quantitas requiritur ut ſit mortale, „
cùm plerumque hic Dominus, aut non rationabiliter invitus, aut ſaltem minùs invitus ſit, ut ab his, quàm ab aliis auferatur. Vel etſi valdè invitus ſit, ſæpè tamen id fiat, non „
tam ratione rei acceptæ, quàm modi accipiendi clam, aut „
ratione finis, propter quem accipitur, v.g. ad ludendum, „
ad potandum, &c. Vide Cajet. *v. Furtum*. Leſs. *lib.*2. *cap.*12. „
*n.*76. *Unde reſolves:* „

I. Uxor graviter peccat, ſi notabilem Summam accipiat „
invito marito, etiam ex dote, vel bonis communibus; quia „
licèt media pars ad eam ſpectet, maritus tamen habet uſumfructum illius partis, ideoque tenetur ad reſtitutionem, Trul. „
*lib.*7. *c.*5. *d.*8. *n.*7. *&c.* „

II. Similiter peccat graviter maritus contra juſtitiam, cum „

obli-

„ obligatione reſtituendi, ſi aliquid notabile uxori furripiat
„ abſque ejus conſenſu, ex bonis ipſis paraphernalibus, vel ex
„ aliis propriis; ſiquidem libera eorum adminiſtratio ipſimet
„ uxori competat, quia par eſt ratio mariti & uxoris, quoad
„ bona propria. V.Villal.*t.2.tr.13.*Trull.*n.21.*

„ III. Uxor poteſt dare eleemoſynam & munera, ſecundùm
„ conſuetudinem aliarum mulierum iſtius loci, & conditio-
„ nis, etiamſi maritus eleemoſynas omnes illi prohibeat; quia
„ conſuetudo hoc jus ei tribuit, quo maritus eam privare non
„ poteſt. *Ibid.n.3.*Dian.*p.1.t.3.R.23.& p.5.t.8.R.34.* ubi cum
„ Mol. & 10. aliis docet poſſe eam inſcio marito dare vigeſi-
„ mam partem annui cenſus, vel lucri; eò quòd hoc pertineat
„ ad decentiam ſtatus, & maritus irrationabiliter ſit invitus:
„ hinc etiam poteſt cum Abigail moderatas eleemoſynas dare,
„ ut mariti converſionem impetret, vel ne Deus illum puniat.
„ Vaſq.Bonac.Regin.& alii 10.contra Kon. &c.V.Dian.*p.2.t.*
„ *26.R.23.& p.5.t.8.R.34.*

„ IV. Uxor poteſt bona expendere, marito abſente vel fa-
„ tuo: quia tum ad illam ſpectat adminiſtratio domus. Item
„ quæ acquirit ſua induſtria; item paraphernalia, hoc eſt, bo-
„ na, quæ præter dotem marito allatam, ſibi reſervavit. Trul.
„ *n.16. & cæteri communiter.*

„ V. Non peccat uxor, ſubducendo aliqua, vel compen-
„ ſationis cauſa, ſi vir ſit prodigus, quia is tunc facit uxori
„ injuriam, partem ipſius profundendo; vel pro victu, ve-
„ ſtibus, cæteriſque ſibi vel familiæ neceſſariis, quæ mariti
„ ſæpè non intelligunt, & fruſtra ab illis peterentur.Bonac.
„ Trull. *n.17.*

„ VI. Uxor, ſi ejus pater, mater, vel proles ex alio Matri-
„ monio ſit pauper, ita ut miſerè ſecundùm ſtatum ſuum vi-
„ vat, & maritus iis nolit ſuccurrere, poteſt ex bonis ſuis pro-
„ priis, vel etiam ex communibus, (dummodò poſt mortem
„ viri omnia computet in ſua parte) eis ſubvenire, quia Jure
„ naturæ tenetur eos alere, & maritus in id conſentire, Nav.
„ Palaus, Leſſ.*d.14.*Dian.*p.5.t.8. R.34.* ubi illam poteſtatem
„ extendit ad fratres & ſorores: quod etiam Leſſ. *loc. cit.* &
„ Trull.*n.18.*judicant probabile.

„ VII. Filius peccat graviter, invitis Parentibus notabilem
„ Summam accipiens, qualis non ſemper eſt, ſecundùm Leſs.
„ *d.13.* ſi filius patri prædiviti duos vel tres, imò ſecun-
„ dum Sanchez quinque, vel ſex aureos furetur; eò quòd
„ Parens ſit minùs invitus, & filius ſit aliquid patris: unde
„ non tenebitur ad reſtitutionem, niſi fortè cohæredibus gra-
„ viter noceat.

„ VIII. Si filius notabilem Summam expendat in res turpes,
„ aut vanas, contra voluntatem Parentum, ex pecunia ſibi
„ ſuppeditata ad uſus honeſtos, putat Leſſ.*num.77.*eum, pec-
„ care mortaliter; exſi excuſet à reſtitutione, ſi pater rogatus
„ facilè condonaturus putetur.

„ IX. Si filius, v.g.mercatoris, vel cauponis adminiſtret
„ bona Parentis, poteſt à Patre exigere ſalarium, quantum
„ dare deberet extraneo, & ſi id impetrare non poſſit, vel exi-
„ gere non auſit; poteſt clam accipere. Ita probabiliter, Laym.
„ *l.3.ſect.5.t.4.c.*8.Dian.*p.4.t.4.R.66.*

„ X. Etſi famuli in eſculentis, & poculentis, quæ domo
„ exportant, aut divendunt, graviter peccent; quæ tamen ipſi
„ domi conſumunt, in iis facilius (uti & Religioſi) excuſan-
„ tur; cùm in his Dominus, aut Prælatus ſæpè tantùm ſit in-
„ vitus quoad modum accipiendi clam, non quoad rem: Quòd
„ tamen timeri poſſet, ſi magis extra-ordinaria acciperentur.
„ Laym.Eſcob.& Leſſ. *num.48.* ubi docet, quòd furta mini-
„ ma famulorum ex comeſtibilibus, quæ claudi non ſolent,
„ non coaleſcant, ſi non ad vendendum, ſed ad comeden-
„ dum tantùm accipiantur.

„ XI. Cùm à gravi peccato furtum domeſticum non poteſt
„ excuſari, tunc uxor tenetur reſtituere ex paraphernis,
„ filius ex caſtrenſibus, vel quaſi; vel ſi ea non habet, poſt
„ mortem patris afferre in diviſionem hæreditatis, (ſi quan-
„ titas rei ablatæ ſit valde magna, nec pater reſtitutionem ta-
„ citè vel expreſsè dimiſerit) Famuli verò, ſi ſine magna dif-
„ ficultate reſtituere non poſſint, jubeantur compenſare of-
„ ficiis, & obſequiis extraordinariis, quantùm poſſunt.Laym.
„ *lib.3.tr.3.p.1.cap.1.num.5.*

ADDENDA.

1015 Q*Uæſt.216. Quid præterea notandum ſit circa furta domeſticorum?* R.Seqq.§.1. Dominus eſt minus invitus, ſi uxor, quàm ſi filii aliquid ipſo inſcio accipiant; ſi filii, quàm ſi propinqui; ſi Propinqui in familia ſua habitantes, quàm ſi famuli; ſi famuli, quàm ſi extranei: ubi autem eſt minùs invitus, major quantitas requiritur, ut ſit mortale, pro qua quantitate non poteſt una certa regula poni, rectè enim notat Lugo *d.16. num.64.* conſiderari debere, an ſit pecunia, an eſculenta; an multùm ſimul eripiatur, an parum & ſucceſſivè, an ad proprios uſus, an ad vendendum vel ad dandum aliis: an herus habeat multas, an paucas proles: an ſit pauper vel dives, an liberalis ſit vel parcus; an benè an malè affectus erga furantem; an furans ſit ei valde utilis vel de cætero piger &c.Et ex his judicari debet, quantùm hæres cenſeatur graviter invitus quoad ſubſtantiam.

§.2. Exigua furta eſculentorum, quæ ſucceſſivè com- 1016
mittuntur à domeſticis, non continuari in ordine ad conſti-
tuendam materiam gravem, docent Cajet.Navarr.Bann. Sayr.
Leſſ.Regin.Sanch.Moya, *t.6.d.4.q.4. num.*14.Dian.*p.1.t.6. R.*
34.Limitat cum aliis Amicus *de peccat. d.23. num.*2;6. niſi accipiant, ut vendant aut donent aliis, tum enim Domini cenſentur eſſe magis rationabiliter inviti: ſed neque ſic admittit Sporer *t.5.cap.5.num.*58. dicens præſumendum eſſe, quòd Dominus etiam quoad ſubſtantiam ſit invitus; quis enim dicat, ſi famulus per annum è cella vinaria accepiſſet mediam amam, aut ſervus piſtoris ſimilagines pro ſex Imperialibus, Dominum tantùm quoad modum fore invitum?

Q.217. Quænam dicantur bona conjugum dotalia, pa- 1017
raphernalia, anti-phernalia, propria, communia; & quid circa ea poſſint maritus, & uxor? R.

§.1. *Bona dotalia* dicuntur, quæ uxor affert marito ad ſuſtinenda onera Matrimonii; & horum quidem dominium habet uxor, teneturque maritus ea ipſi ſervare, ac poterit poſt mortem mariti uxor de eis diſponere; ſed uſum-fructum & adminiſtrationem totam habet maritus. Putant quidem aliqui probabiliter uxorem poſſe de eis diſponere pro tempore ſolvendi Matrimonii, quia hoc non videtur præjudicare marito, ſed etiam probabiliter contradicit Caſtrop.*de Juſtit.d.9. p.19. §.3. num.*1. quia ipſamet illa obligatio perſeverandi in contractu præjudicat marito, in cujus favorem adhuc potuiſſet diſponere uxor, hinc *d.2.p.*18.docet, ubi uxores prohibentur contrahere, etiam prohiberi donare, non tantùm inter vivos, ſed nequidem mortis cauſa.

§.2. *Bona paraphernalia* ſeu præter-dotalia ſunt, quæ 1018
uxor præter ea affert; item quæ ipſa acquirit per induſtriam aut per laborem, ultra eum, quem familiæ debet, vel quæ ipſi donantur vel legantur, aut alio modo adveniunt citra mariti cooperationem; item quæ à marito illi dantur tam quoad jus, quàm quoad uſum, & horum habet uxor de jure communi plenum dominium & adminiſtrationem; quibuſdam tamen locis aliter ſtatuitur, maximè ſi non attulit dotem, uti notant Gob.*in Quin.t.5. cap.24. n.26.* & Steph. *t.3.d.3. num.*20.

§.3. *Bona anti-phernalia* ſeu *contra-dotalia* ſunt, quæ 1019
maritus aſſignat uxori in compenſationem reciprocam dotis, & horum dominium etiam quoad uſumfructum eſt penes maritum.

§.4. *Bona propria mariti* ſunt omnia, quæ is poſſidet, 1020
excepta dote, & quibuſdam in locis paraphernalibus uxoris: *propria uxoris quoad jus* eſt dos; *quoad jus & uſum* ſunt, pleriſque in locis, paraphernalia. *Communia* ſunt, quæ durante Matrimonio accedunt ex communibus bonis, dicunturque *ſuperlucrata*, quorum medietas, quoad jus ad maritum, & medietas ad uxorem ſpectat, quoad uſum autem & adminiſtrationem omnia ſpectant ad maritum tantùm. Putant autem multi Juriſtæ illa omnia eſſe communia, quæ conjuges in Matrimonio lucrantur, etiam proprio labore ordinario, emptione, venditione, mutuo, cenſu ſeu ex redditibus, quia conjuges habent communionem inter ſe & quaſi contractum ſocietatis, ideoque multi dicunt mortaliter peccare maritum & teneri ad reſtitutionem, ſi potu aut aliter talia dilapidet: è contra Gobat & alii dicunt illa eſſe propria mariti, uti illa ſunt propria uxoris, quæ ipſa per propriam induſtriam, aut ex cenſu paraphernalium lucratur: ſed in hoc ſpectanda ſunt jura ſpecialia locorum, & interrogandi ſunt viri prudentes: ſaltem conſuetudo non habet, ut maritus reſtituat, ſi aliquid dilapidet vel luſu immodico perdat.

§.5. Si maritus nolit impendere ſumptus neceſſarios ad 1021
medicinas pro ſe vel pro familia, poteſt uxor eos è bonis communibus accipere, quia quando maritus oſtendit ſe irrationabiliter invitum, ipſa licitè adminiſtrationem ſuſcipit, Con. Gobat *num.*35.& 37. hinc univerſaliter poteſt uxor etiam renuente marito ex bonis communibus expendere ea, quæ neceſſaria ſunt ad impediendum damnum familiæ, prout fecit *Abigail* 1.*Regum* 25.Similiter ſi pater filio ad bellum vel ad ſtudia miſſo non ſuppeditet neceſſaria ſecundùm ſtatum, poſſe matrem mittere, docet Lugo *de Juſtit.diſputat.16. num.*68. cum aliis: dicunt etiam aliqui licitum eſſe uxori facere extraordinarias eleemoſynas pro mariti converſione vel ſalute, uti poteſt procurare medicinas, utiliter gerendo negotium illius, negat tamen hoc cum aliis Gobat, quia uxoris non eſt gerere negotium mariti in re, cujus eventus eſt ita incertus & impediri poteſt vel obtineri ſola voluntate ipſius-

met mariti; quidquid ſit de hoc; videtur eſſe licitum uxori curare legi quandoque Miſſam, conſtituere peregrinationem, & ſimilia pro bono ſpirituali mariti vel familiæ, hæc enim non videntur extra-ordinaria, ſi non ſæpè nimis fiant: hinc univerſaliter dicit Lugo *num.69.* eſſe ſatis probabile, quod poſſit ad eum finem facere eleemoſynas moderatas juxta conditionem & ſtatum, ſecundum Chriſtianam prudentiam: quod autem Buſembaum adducit ex aliis apud Lugo *num.64.* poſſe uxorem inſcio marito in eleemoſynas vel in munera dare vigeſimam partem reddituum annuorum, meritò ſic univerſaliter dictum improbant Lugo, Sporer *num.52.* Tamb.*lib.8.t.2. cap.3. n.2.* Similiter non eſt licitum uxori facere extraordinarias eleemoſynas, ſi maritus diſceſſurus domo ei præſcripſerit certam quantitatem, uti enim potuiſſet totam adminiſtrationem domus committere alteri, ita debet uxor adminiſtrare omnia, prout maritus ſciens prudens juſſerit, Gobat *num.39.* Quòd ſi maritus poſitivè prohibeat uxori, ne quidquam accipiat vel expendat, etiam in eleemoſynas, Turr. putat uxorem nil poſſe, quia maritus utitur jure ſuo, & favent S. Antonin. & Navarr. apud Lugo *num.65.* quia S. Auguſt. relatus Cap. *Quod Deo, 33. qu.5.* ait: *Nihil de tua veſte, nihil de tuo auro vel argento vel quacunque alia aut rebus ullis terrenis tuis ſine arbitrio viri facere debuiſti.* E contra Mol. Leſſ. Regin. Bon. Con. aliique cum Diana *p.2.tr.1. Reſ.33.* dicunt nihilominus poſſe pro more aliarum mulierum ſimilium, quia iſta pertinent ad competentem & decentem ſuſtentationem, ad quam jus habet; S. Auguſtinus autem loquitur de profuſa eleemoſyna, uti conſtat ex contextu.

1022 §.6. Si uxor marito abſente vel fatuo adminiſtret bona, putat Navarr. non poſſe plus impendere, niſi quantum maritus præſens vel ſui compos expenderet; è contra Molin. Leſſ. aliique cum Lugo *num.70.* dicunt non teneri ſe ad hoc alligare, ſed poſſe agere, prout judicabit juxta regulas prudentis adminiſtrationis, quæ ad ipſam nunc ſpectat: Si tamen maritus non ſit ità fatuus, ut indigeat curatore, quamvis imprudenter res ſuas gerat, non ideò eſt licitum uxori in adminiſtrationem involare, poteſt tamen coadminiſtrare, quantum neceſſe erit, Gobat *num.40.* Quòd ſi maritus bona communia ita dilapidet, ut periculum ſit, ne familia egeat, poteſt uxor clam ea tenere, quæ judicat fore in poſterum neceſſaria ſibi & familiæ, Navar. Mol. aliique cum Lugo *n.67.* & Gob. *n.41.*

1023 §.7. Uxor non peccat, quando accipit ea, quæ maritus certò & facilè concederet, ſi rogaretur, communiter enim eſt juſta cauſa non petendi, ne ſe velut ancillam oſtendat, ita cum aliis Gobat *num. 33. & 46.* Non eſt tamen licitum uxori, ſi maritus repugnet, expendere aliquid cum animo illud computandi in partem ſibi obventuram poſt Matrimonium diſſolutum, quia non habet adminiſtrationem bonorum, & injuſtè privaret maritum ſaltem uſu illorum, Molin. Lugo, *num.66.*

1024 §.8. Si maritus aliqua aſſignaverit uxori pro veſtitu vel ſuſtentatione familiæ ad certum tempus, & ipſa honeſtè veſtiverit ac ſuſtentaverit familiam, poteſt libere diſponere de ſuperfluo, quia eſt veluti fructus induſtriæ, Paludan. Nav. Leſſ. Bonac. Molin. *d.234. in fine*, Dicaſt. *de Juſt. d.2. t.2. d.9. n.* 295. Gob. *num.47.*

1025 §.9. Poteſt iſta facere uxor, non tantùm quando non attulit dotem, ſed etiam quando necdum ſunt bona communia, quia cùm maritus teneatur alere uxorem & familiam, peti poſſunt iſta ex propriis ejus bonis. *Nec refert*, quòd fortè habeat uxor bona propria, *quia* hæc non tenetur expendere, niſi fortè alendi eſſent uxoris ipſius Parentes vel proles ex alio patre, vel fratres aut ſorores, tum enim, ſi haberet, teneretur prius ex propriis, Bonac. aliique cum Gob. *num.51.* Advertit tamen Lugo *num.72.* poſſe uxorem congregare eleemoſynas, quas dare poſſet externis, & eas tradere illis ſuis. Denique rectè monet Gobat non ſemper expedire hæc dici uxoribus, ne abutantur, ſed potius conſulendum, ut pro meliore concordia faciant omnia marito conſcio, & conſentiente.

Circa relata hactenus bona conjugum eorumque dominium & adminiſtrationem, videri poſſunt allegatæ Leges aliaque plura apud Illſung. *t.4.d.2.q.3.art.4.*

1026 *Q.* 218. *Quænam dicantur bona filiorum familias caſtrenſia, quaſi caſtrenſia, adventitia, profectitia; & quid circa ea poſſint tales filii?* R. Præmittenda ſunt aliqua cum Illſung. *art.2.* ubi fusè proponit, quæ dicemus, ac firmat adductis Legibus.

§.1. Filius-familias (idem eſt de filia-familias) eſt filius naturalis vel adoptivus ſub patria poteſtate conſtitutus, quacunque in ætate verſetur: ſeptem verò ætates diſtinguunt Juriſtæ, & ſunt, *infantia* uſque ad annum ſeptimum inclusivè; *pupillaris ætas*, ſeu *impubertas*, uſque ad decimum quartum in maſculis, & uſque ad duodecimum in femellis: *pubertas*, uſque ad decimum octavum; *plena pubertas*, ſeu adoleſcentia, uſque ad vigeſimum quintum; *Juventus*, ſeu virilis ætas, ſic denominata à robore ſeu à viribus, extenditur uſque ad ſexageſimum; *ſenectus* uſque ad octogeſimum, *decrepita ætas*, ſeu *ſenium* uſque ad centeſimum. Vide *p.2.n.667.*

§.2. Aliquis conſtituitur in patria poteſtate, vel per procreationem ex Matrimonio legitimo ſaltem exiſtimato ab alterutro conjugum, vel per legitimationem prolis, quæ fit, aut ſubſequente Matrimonio, aut Reſcripto Principis, vel per adoptionem hominis liberi, de quibus omnibus Illſ. referens etiam effectus patriæ poteſtatis ac modos, quibus finitur. 1027

§.3. *Bona caſtrenſia* dicuntur, quæ filius acquirit tanquam miles, vel occaſione belli; milites autem etiam hic dicuntur nautæ & remiges in deſtinatis ad pugnam navibus; item caſtrenſe bonum cenſetur, quod filius lucratur ex peculio caſtrenſi, vel in famulatu Regis: & horum plenum dominium adminiſtrationemque habet filius, ſi ſit pubes. 1028

§.4. *Bona quaſi caſtrenſia* ſunt, quæ ex diſpoſitione juris habentur, quaſi eſſent caſtrenſia, & ſunt, quæ filius acquirit ex artium liberalium profeſſione, publico munere, Beneficio Eccleſiaſtico, ex officio Magiſtri, Doctoris, Judicis, Prætoris, Advocati, Medici &c. hi enim publicæ utilitati ſerviunt. Item ex functione Sacerdotii vel Clericatus: denique quod ex propria parſimonia vel à liberalitate Regis conſequitur, & horum etiam dominium ac adminiſtrationem habet, ſi ſit pubes. 1029

§.5. *Bona adventitia* ſunt, quæ neque ſunt caſtrenſia, nec quaſi caſtrenſia, & filio adhuc ſub patria poteſtate conſtituto obveniunt aliunde, quàm à patre, vel aliter, quàm ejus intuitu, uti ſunt bona, quæ privatim acquirit per artes mechanicas, per hæreditatem ex linea materna, per donationem vel fortunam; & horum dominium directum habet filius, adeoque mortuo patre illi ſoli competunt; dominium autem utile ſive uſus-fructus de jure competit patri; quandoque tamen habet filius patre permittente & ſaltem tacitè conſentiente, aut ſi eximatur à patria poteſtate, aut uxorem ducat, aut etiam in quibuſdam aliis caſibus à Jure expreſſis apud Lugo *d.5. num.23.* Quòd ſi res ſit uſu conſumptibilis, uti pecunia, frumentum, & pater eis utatur, tenebitur filio in æquivalenti reſtituere, quia hic filius erat eo um dominus proprietarius: non poterat tamen invito patre de his teſtari, nequidem ad cauſas pias, Mol. *t.2.d.138.n.9.* 1030

§.6. *Bona profectitia* ſunt, quæ nec ſunt caſtrenſia, nec quaſi caſtrenſia, & proveniunt à patre vel ejus intuitu donantur filio adhuc ſub patria poteſtate conſtituto, & horum dominium tam directum quàm utile manet apud patrem, quo mortuo dividuntur inter fratres. Quòd ſi donentur occaſione quidem aliqua patris, attamen principaliter ex affectu erga filium ipſum, ſunt adventitia, uti rectè Lugo *num.37.* Præterea ſi à patre donentur filio in patrimonium, item ut Ordines ſuſcipiat &c. dominium & fructus ſpectant ad filium; denique ſi dubitetur, an filius acquirat ex ſe, an ex gratia patris, adeòque an ſit bonum adventitium, an profectitium, ſi filius de ſe ſit induſtrius, judicari debet adventitium: ſi tamen omnibus expenſis adhuc maneat dubium, deferendum eſt poſſeſſioni, & ſi filius poſſideat, judicari debet adventitium: ſi pater poſſideat, profectitium: ſi neuter poſſideat, dividendum erit, quia res tradenda eſt juxta jus, quod quivis habet, ergo cùm pater & filius ſub dubio jus habeant, debent rem participare pro qualitate dubii, ita Tamb. *d.1.c.3.v. Peculium.* 1031

Q.219. Quid addendum ſit circa furta filiorum? R. Hæc pauca: §.1. Bannius dixit ad furtum grave filii Parentis prædivitis requiri ſaltem quinquaginta aureos, quod Lugo *d.16. num.76.* meritò rejicit, niſi fortè eſſet filius Principis. Salas dixit, ſi filius ſit unicus, & parens habeat annuè mille quingentos aureos, requiri viginti vel triginta in anno ad furtum grave filii, quod Lugo non improbat, ſi Parens non ſit tenax, & filius jam adoleverit, ſimulque furetur ad uſus honeſtos. Leſſius dicit duos vel tres aureos non ſufficere reſpectu Parentis prædivitis, ſufficere autem reſpectu mechanici; quod etiam non improbat Lugo. Cenedo apud Tamb. *lib.8.t.2. c.3.num.3.* dicit non fore mortale, ſi filius intrà annum non furetur ultra ſedecim ſolidos Hollandicos. Fagund. ſi non ultra quatuor vel quinque, ſed (uti etiam ex his ſententiis patet) non poteſt generalis regula ſtatui, verùm judicandum eſt conſideratis circumſtantiis *num.1015.* relatis. Notant etiam Navar. Sot. Laym. & alii, ſi Parens filio in ſtudiis verſanti mittat, v.g. annuè centum aureos, contentum eſſe, ut quinque inſumat in honeſtas recreationes aut eleemoſynas, ſecundum conſuetudinem aliorum, qui ſunt ſimilis ſtatus, & conditionis. 1032

§.2. Si filius clam accipiat à patre, quem rationabiliter præſumit non negaturum, dicunt Villalob. & Alloz. *v. Furtum num.8.* non peccare mortaliter, quando nempe ſatis eſt certus 1033

tus fore contentum, ſi peteret; tamen peccat venialiter, ſaltem, quia pater non eſt contentus quoad illum modum, nec ipſe habebit facilè cauſam à petendo excuſantem. Addit rectè Leſſ. *l.2.c.12.n.50.* ſi eripiat ad ludos vetitos, compotationes vel luxus, ad quod nullo modo conceſſiſſet pater, eſſe verum furtum: an autem talis filius ad reſtitutionem obligandus ſit, debet conjici ex facultatibus & voluntate præſumpta patris, quæ colligetur ex liberalitate ejus, affectuque erga filium, aut è contra ex tenacitate & ſeveritate; nam ſi credatur non condonaturus, ſi ſciret, erit obligatio reſtituendi, vel ſi jam fieri non poſſit, ſuo tempore compenſandi fratribus; ſiverò pater & fratres reſciant, nec petant ſatisfactionem, cenſentur condonare, Burgh. *cent.2.caſ.36.*

Q.220. An filio in domo paterna laboranti, debeatur ſalarium; & poſſit ſibi illud occultè compenſare, ſi negetur, vel ſi pudeat petere? Reſp.

1034 §.1. Salarium deberi putant Navarr. Lop. Ang. Gomez, Leſs. *num.81.* Dicaſt. *l.2.t.2.d.9.num.187.* Burgh. *caſ.80.* Petſch. *q.6.art.2.* aliique apud Lugo *d.5.num.42.* idem dicunt Eſcob. & Corr. apud Moyam *t.6.d.4.q.1.* qui *num.7.* vocat ſententiam probabiliſſimam: Dian. *p.4.t.4.R.66.* vocat tutam. Rationem dant, quia talis filius eſt veluti ſocius negotiationis, neque debet eſſe deterioris conditionis, quàm famulus vel extraneus, qui cum hero lucraretur juncta induſtria; quod magis valet, ſi filius ſit emancipatus, aut illegitimus, uti notat Sanch. *in Conſ. l.1.c.2.d.8.* qui non ſubſunt poteſtati patriæ: item ſi filius ſerviat matri, quia filius non eſt in matris poteſtate. Oppoſitam ſententiam tenent *Sylv. Molin. Laym.* aliique plurimi, quos citat & ſequitur *Moya*, ſuntque rationes gtaves, nam 1. Non eſt conſuetudo, ut talis filius ſalarium exigat, inquit rectè *Layman.* 2. Quid magis rationi congruum eſt, inquit *Lugo*, quàm ut filius agricolæ juvet patrem in agricultura, filius mercatoris in mercatura? præſertim cùm ſic addiſcant illas artes, inquit rectè *Mol.* addens non facilè fore tam audacem filium, qui ideò petat ſalarium. 3. Si ſalarium petat, pater juſtè ſubtrahit victum, & veſtitum, non enim tenetur hoc dare filio potenti ea lucrari, ut ex communi Laym. *l.3.tr.4.c.8.n.5.* ergo ſalarium compenſatur per ſuſtentationem. 4. Si filius petiviſſet ſalarium, pater potuiſſet eum repellere, vel accipere ejus loco alium, qui gratis, aut viliori pretio, aut melius ſerviſſet, ergo cùm non contraxerit cum filio, non tenebitur ei dare ſalarium. Quod *Conf.* quia quando præſens eſt ille, cujus negotium geritur, geſtor negotii non poteſt petere ſalarium, de quo mentionem non fecit, inquit rectè Molina *t.2.d.234.* quia non petens cenſetur remittere. 5. Jura apud *Sanch.* dicunt filium debere patri operas induſtriales; ſimilia Jura apud Sanch. *dub.9.* & apud Laym. *n.12.* abſolutè ſtatuunt hoc acquiri patri, quod filius lucratur ex bonis paternis, eſtque hoc in communi utile filiis, maximè ut vitentur lites: quiſque enim poſſet dicere ſe hoc, alter ſe illud præſtitiſſe etiam pretio æſtimabile, ergo jura rectè ſtatuerunt, ut omnia lucra eſſent Patris, poſteà inter filios æqualiter dividenda. Hæc ſecunda ſententia eſt longè probabilior.

1035 §.2. Quamvis daremus primam ſententiam probabiliorem eſſe, attamen adhuc abſolutè tenendum eſſet, ſi à patre negaretur ſalarium, vel filium puderet petere, non fore licitum filio occultè ſibi illud compenſare: Ratio eſt, quia occulta compenſatio non eſt licita, niſi ubi jus eſt certum, uti dictum eſt n.962. Jus autem filii non eſt hìc certum, uti patet ex dictis, quia ſecunda ſententia eſt ſaltem probabilis, ergo.

1036 §.3. Notat Laym. *num.6.* ad id ſaltem Confeſsario ſervire ſententiam oppoſitam, ut ſi ejuſmodi filius bona fide talem compenſationem fecerit, mitiùs cum illo agat, & non ſtatim obliget ad reſtitutionem exactam ejus, quod reſpondet tali induſtriæ, ſed contra eſt, quia quamvis poſſit talis filius per bonam fidem à peccato fuiſſe excuſatus, tamen non ideo excuſatur à reſtitutione ex re accepta, ob rationem ante datam.

1037 *Q.221. Quid circa famulos ſit addendum?* Reſp. Hæc pauca.

§.1. Si famulus peractis operis à domino præceptis extraordinario labore lucretur aliquid, poteſt ſibi retinere. Ita Mol. Fag. Nav. Burghab. *cent.2.caſ.50.* Ratio eſt, quia eſt capax dominii, & vi contractus tenetur tantùm ad operam, domino præſcriptam: Quod etiam aliquo modo dici poteſt de mancipiis, quia poſſunt etiam habere aliqua jura contra dominum, uti cum aliis *Molin.* poteſtque videri Illſung. *t.4.d.2.qu.3.art.3.*

1038 §.2. Famuli, ſecundùm S. Th. Az. Fill. Con. Turr. Burgh. *cent.3.caſ.92.* & alios, licitè è rebus domini aliquid erogant, 1. In extrema neceſſitate proximi. 2. De rebus ſibi deſignatis ad victum, ſi paucioribus contenti ſufficiant ad labores. 3. Si detur modicum, non admodùm frequenter. 4. Si adſit conſenſus ſaltem interpretativus aut prudenter præſumatur rati-habitio, quod tum eſt, ſi ipſis commiſſa ſit adminiſtratio. 5. Quando dominus non poteſt eſſe rationabiliter invitus, de quo ſint ſatis certi, uti ſi res alioquin malè periret. Quoad hæc tamen potiùs reſtringenda eſt quàm laxanda famulorum libertas, cùm alioquin ſæpè excedant.

Q.222. Quid liceat illi, cui committitur, ut emat, vendat, ſolvat, negotietur pro altero? Reſp. In his procedi debet ſecundùm voluntatem committentis, de qua præſumi debet ſecundùm conſuetudinem, & conſideratis circumſtantiis rerum ac perſonarum; in dubio autem de intentione committentis, videtur præſumi poſſe ſecundùm ſequentia. 1039

§.1. Si tibi committatur, ut alteri emas triticum, vel in- 1040
determinatè juſto pretio, vel determinatè maldrum tribus aureis, tu verò induſtrius, emas duobus & medio, non poteris hunc medium aureum retinere, quia emptionem feciſti nomine alterius, qui ex juſtitia nihil debet illi tuæ induſtriæ, quàm non conduxit, ſed tu liberè poſuiſti, Haun. *de juſt.t.10.num. 683.* Sporer *t.6.c.5.n.39.* Si tamen feciſti expenſas, ut minoris emeres vel pluris venderes, v.g. ſi ideò iveris ad remotam urbem, poteris tibi hoc compenſare ex lucro, certò enim præſumitur eſſe talis conſenſus domini, quando ſic procuratur lucrum uti notat Tamb. *l.8.t.3.c.7.§.9.num.10.* Imò Lugo *de juſt. d.26.n.153.* putat id ſemper præſumi poſſe, ſi vendideris cum lucro ſupra pretium aſſignatum, nec tibi pretium laboris decernatur, tu autem adhibueris extraordinariam diligentiam: ſed in primis rectè excipiunt Tamb. *num.6.* & Sporer *n.37.* niſi committens putarit te gratis facturum, aut ab alio ſine pretio faciendum fuiſſet: deinde diligentiam illam liberè poſuiſti, ergo non potes tibi pro libitu mercedem attribuere, ſed vel pete mercedem illam, vel expecta gratitudinem.

§.2. Si tibi committatur venditio equi pro 50. aureis, 1041
& vendas pro 52. non poteris hos duos retinere, quia pretium eſt tibi determinatum, ne venderes infrà, non autem ut non venderes ſuprà, niſi aliud colligeretur ex verbis vel circumſtantiis, Haun. ſuprà Illſ. *t.4.d.2.n.404.* E contra ſi dominus voluerit equum jam vendi pro 50. jam autem non poſſis vendere cariùs, ſed ſperes te poſteà poſſe, licitè emes illum tibi pro 50. ut poſteà vendas, quanti poteris, & hoc, quod erit ſupra 50. erit tuum, Lugo *num.150.* Spor. *n.39.* Signum autem, quòd tibi emas, eſt, ſi in te ſuſcipias periculum aliaque onera, quæ ſequuntur dominium equi, ita ut ſi pereat, velis illum perire tibi, &c. Lugo *num.152.*

§.3. Ti Titius à te petiit, ut emas ipſi equum ad ſum- 1042
mum pro 50. & tu caſu invenias equum pro 45. eumque bona fide tibi prius emas, quæraſque etiam venalem pro Titio & poſteà non inveniens alium, hunc illi revendas pro 50. excuſant te Lugo *n.151.* & Spor. ſuprà, ſaltem ſi non eras famulus nec conductus, ſed gratuitò acceptaras commiſſionem, quia non tenebaris propter alterum negligere illam occaſionem emendi tam parvo pretio equum caſu oblatum: ſi autem eras famulus vel mercede ad hoc conductus, meritò non excuſant te Spor. Leſſ. *in auct. v. Reſtit. caſ.8. & 9.* Tamb. *n.8.* quia tum obligaberis primam emptionem facere pro Titio.

§.4. Si miſſus ad emendum, merceris rigidè, & quod 1043
de pretio communi detrahis, tibi retineas, facis injuriam, quia cùm nomine committentis merceris & emas, quod detrahis, manet ipſi: excuſatur tamen ancilla, ſi hoc, quod ſemel de pretio detrahit, conſervet, ut alia vice, quando cariùs cogetur emere, per hoc ſuppleat, ſi ſoleat ab hera reprehendi eò quòd juſto cariùs emat, hanc enim reprehenſionem injuſtam ſubire non tenetur, neque hera poteſt eſſe rationabiliter invita circa eam retentionem, cùm totum illud reſiduum poſteà in ejus commodum impendatur.

§.5. Quamvis vendentes ſartoribus remittant aliquid de 1044
pretio, poſſintque ſartores aliquando aliquid inde retinere, uti habet Buſemb. *p.2.n.927.* referendus, tamen ſi ſartores illi poterant minori pretio aliquid emere, injuriam faciunt, uti rectè Molin. Lugo *n.153.* Spor. ſuprà, & Illſ.

§.6. Si dominus commiſerit famulo 100. aureos, ut his 1045
debitum ſolvat creditori, & hos aureos commutet famulus cum lucro, ſicque per aliam monetam ſatisfaciat creditori, communiter nulla fit injuria, ſed hoc lucrum eſt famuli quia eſt fructus induſtriæ qui non acquiritur alteri, Molin. Regin. Rebel. Lugo *d.28.à n.24.* Leſs. *l.2.c.23.n.18.* Laym. *l.3.t.4.c.19. n.5.* Sporer *t.6.c.6.n.46.* Dabuntur tamen aliquæ limitationes *p.2.num.1036.* Ex eadem ratione docent Beja *p.1.caſ.42.* Diana, aliique cum Lugo ſuprà, theſaurarium vel quæſtorem, ſi domino inſcio negotietur cum ejus pecunia, poſſe ſibi retinere lucrum, ſi id faciat ſine præjudicio, & periculo domini, quia cùm pecunia de ſe non ſit fructifera, fructus ex ea cenſetur eſſe induſtriæ.

§.7. Si Titius numeravit Cajo 100. aureos dandos Offi- 1046
ciali bellico pro redimendo incendio ſuæ domus, Titius autem Officiali gratus id ſine pecunia exoret, non poteſt hos 100. aureos ſibi retinere niſi aliunde conſtaret Titium hos obtuliſſe ad avertendum quocumque tandem modo incendium:

ratio

ratio eſt, quia Titius præſumitur numeraſſe illos aureos, quòd putaret non eſſe alium modum placandi Officialem, quem ſi credidiſſet ſolis verbis poſſe molliri, petiviſſet interpellationem Caji, tumque contraxiſſet de pretio pro opera illa, aut poſteà, ſi voluiſſet, ex gratitudine donaſſet.

1047 §. 8. Si Factor Mercatoris Amſtelodamenſis exiſtens Coloniæ tranſigat cum Gabellariis, ut omnes merces ſui Principalis ſint liberæ pro integro anno, v. g. pretio 30. dalerorum, cùm tamen gabellæ, ſi ſingulatim ſolvi debuiſſent, excurriſſent ad 50. ſi hic Factor habuit commiſſionem, ut ſic contraheret, patet facere injuriam retinendo ſibi hoc lucrum, quia contraxit nomine Principalis; ſi autem commiſſionem non habuit, Leſs. *l.2. cap.33. d.11.* Dicaſt. *l.2. t.10. d.3. dub.11.* dicunt lucrum eſſe ipſius, quia nomine ſuo emit jus gabellarii ad exigendas pro ſingulis vicibus gabellas: limitat rectè Lugo *d.36. n.50.* niſi mercatores alii ſoleant communiter ita tranſigere cum gabellariis, tum enim etiam ad hoc tenebitur Factor nomine ſui Principalis, quia cenſetur ſe obligaſſe ad induſtriam ab aliis communiter adhiberi ſolitam.

Ex dictis ſolvitur hic Caſus. Cajus Titii Quæſtor, prævidens certò futurum, ut Titius redimat cenſum millenorum, quem debet Sempronio, ex ſe obnunciat Sempronio, uno anno antequam id mandet aut reſciat Titius, qui poſtmodùm per Cajum reddit Sempronio millenos, & adjicit hujus ultimi anni penſionem; hanc autem ſibi retinet Cajus. *Quæritur* an juſtè? Videtur, quod juſtè, quia eſt fructus induſtriæ Caji: ſicuti ſi pecuniam Titii expoſuiſſet ad ludum, lucrum ſuiſſet ipſius. *Reſpondi*, non juſtè, quia fructus ille provenit ex obnunciatione temporis facta, ſed hæc facta eſt nomine Titii, ſi enim non proceſſiſſet ex præſumpta voluntate Titii, fuiſſet invalida, cum Cajus non haberet diſponere de re non ſua, adeòque Sempronio adhuc deberetur illa penſio, ergo fructus ille provenit ex actione, moraliter Titii, ergo fructus eſt Titii, qui ſolas gratias debet Cajo, quia rem ejus benè geſſit. Simile eſt, ſi quis mandaret Procuratori ſuo millenos poni ad cenſum A. pro 40. annuis, & Procurator poſuiſſet ad cenſum B. pro 50. annuis, utique Procurator non poſſet hos decem annuos ſibi retinere, quia cenſum B. celebraſſet nomine & pecunia mandantis, ergo fructus totus eſſet Mandantis. Aliud ſimile eſt in ancilla, utì n.1043. dictum eſt. De ludo, diſparitas eſt manifeſta; nam hunc contractum Cajus ſuo, non Titii nomine, celebrat.

LIBER TERTIUS.

De Reſtitutione, Contractibus, & reliquis Præceptis.

PARS SECUNDA.

TRACTATUS QUINTUS.

CAPUT II.

De reſtitutione.

SUppoſitis illis, quæ in hujus libri *parte* 1. *à n.*936. dicta ſunt de furto, nunc agendum eſt de Reſtitutione.

DUBIUM I.

Quid ſit Reſtitutio, & qui teneantur ad eam?

1 „ Reſp.I. Reſtitutio eſt actus juſtitiæ ad ſalutem neceſſarius, neceſſitate præcepti, quo reparatur damnum proximo illatum per injuriam, ita ut radix reſtitutionis non ſit quævis læſio proximi, v. gr. contra charitatem, &c. in quibus non habet jus, quod violetur; ſed ea tantùm, quæ eſt contra juſtitiam, in qua propriè injuria infertur, hoc eſt, læditur aliquod jus proximi, quod is habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur: quod variis modis fieri poteſt, v.g. furando, defraudando, deſtruendo, rem alterius negligenter cuſtodiendo, occidendo, mutilando, detrahendo honorem, convitiando, & ſimilibus.

„ Reſp.II. Ex data reſponſione patet, teneri ad reſtitutionem eos, qui intulerunt injuriam damnoſam. Hæc enim eſt duplex, ſcilicet Materialis, ut v.g. cùm quis rem alienam deſtruit, accipit bona fide vel retinet, id eſt, probabiliter judicans id ſibi licere, vel eſſe ſuam: & Formalis, qua quis rem alienam deſtruit, accipit vel retinet mala fide, id eſt, cùm ſciat, vel ſcire poſſit ac debeat, id ſibi non licere, & rem non eſſe ſuam. Vid. Laym. *l.*3.*t.*2.*c.*1. Leſſ.*lib.*2.*cap.*7.*dub.*6. Bon. *de contract. d.*3.*q.*1.*p.*6. *Unde reſolves:*

„ I. Qui injuriam intulit, ex qua alteri nullum eſt damnum ſecutum, ut, ſi adulterium commiſit, ſine damnificatione alterius: non tenetur in conſcientia ad reſtitutionem, cùm hæc ſit reparatio damni; poteſt tamen à judice cogi ad ſatisfaciendum pro injuria.

„ II. Quiſquis intulit injuriam damnoſam, etiam materialem tantùm, tenetur reſtituere: ſed nonniſi id, quod ex alterius re adhuc habet, vel quo ex ea factus eſt ditior.

„ III. Qui intulit injuriam formalem, ſive rem adhuc habeat, ſive non, tenetur reſtituere; & quidem tantum, quantum eſt damnum ſecutum. An verò ſufficiat culpa venialis, controvertunt Authores, & ſententia utraque probabilis videtur, ac in praxi tuta; ſaltem quando non commodè poteſt reſtituere. V. Authores citat. Laym. Leſſ. „ *num.*27. Lugo *diſp.*8.*num.*56.

ADDENDA.

2 QUæſt.1. *Quænam injuria cenſeri debeat gravis?* Reſp. Cùm reſtitutio reparet injuriam, ut decidi poſſit, quandonam ſit obligatio gravis reſtituendi, præmittendum eſt in genere, quandonam injuria cenſeri debeat gravis, & dicendum eſt illam eſſe cenſendam gravem, quæ ſpectata communi hominum complexione, ſecundùm ſe apta eſt cauſare magnam contriſtationem, aut amicitiam diſſolvere. Eſt communis cum Eſp. *de juſtit. quæſt.*27. videturque ita ſentire S. Thom. 2.2. *quæſt.*72. *art.*2. *ad* 1. ubi clarè innuit illam contumeliam cenſeri gravem, per quam aliquis non reformidat contriſtare alterum: Similiter de malo *quæſt.*7. *art.*1. peccatum mortale menſurat per ordinem ad diſſolutionem amicitiæ cum Deo & proximo. Ratio eſt, quia quod ratione oppoſitionis, quam habet cum alia virtute, eſt etiam ſimul graviter oppoſitum charitati, hoc cenſeri debet etiam eſſe graviter oppoſitum tali virtuti, quia cùm charitas ſit veluti menſura reliquarum, quod ratione oppoſitionis, quam habet cum aliis virtutibus, eſt grave contra charitatem, meritò etiam cenſetur eſſe grave contra talem aliam virtutem, ſed omne illud, quod ratione oppoſitionis, quam habet contra juſtitiam, communiter cauſat magnam contriſtationem vel diſſolvit amicitiam, hoc etiam eſt graviter oppoſitum charitati, ergo. *Conf.* quia quod graviter opponitur fini juſtitiæ, eſt grave contra juſtitiam: finis autem juſtitiæ eſt pax, tranquillitas, ſatisfactio animi, mutuus conſenſus & amor per conſervationem æqualitatis jurium, ergo quod his opponitur eſt grave contra juſtitiam. Ratio à poſteriori eſt, quia homo de cetero prudens, ſi injurietur, non ſolet graviter contriſtari aut renuntiare amicitiam, niſi injuria ſit talis, quæ ſpectato communi ſenſu ſit gravis; ergo ſi per injuriam aliquam detur cauſa gravis contriſtationis vel renuntiandæ amicitiæ, communis ſenſus eſt injuriam eſſe gravem. Hæc regula poſtea in particulari applicabitur ad ſingulas materias, in quibus ob injuriam gravem eſt gravis obligatio reſtituendi. Quænam ſit materia gravis furti, dictum eſt *p.*1. *à num.*979.

Objicies. Nunquam eſt licitum odium vel inimicitia cum 3
proximo, ergo nunquam cenſetur dari cauſa diſſolvendæ amicitiæ, & conſequenter nulla dabitur gravis injuria. Reſp. N. conſ. nam non dicimus hoc eſſe injuriam gravem, quo poſito ſit licitum alterum odiſſe vel cum illo habere inimicitiam, ſed quo poſito, ſpectata communi complexione hominum, ordinariè fit, ut homines graviter contriſtentur, & diſſolvant amicitiam, ſive hoc licitè faciant ſive illicitè, hoc enim ad hanc rem non facit, quia dicimus hoc tantùm eſſe ſignum, quòd ſit injuria gravis; neque etiam in hoc conſiſtit ratio injuriæ, ſed in eo, quod contra jus agatur.

*Q.*2. *An ſcienti, & volenti fieri poſſit injuria?* R. Scienti 4
& volenti voluntate efficaciter & effectivè ceſſiva juris, fieri non poteſt injuria, poteſt tamen fieri, ſi voluntas non ſit efficaciter ceſſiva juris, uti hebet communis ſententia. *Pars I.* habetur *in Reg.*27. *de Reg. juris in* 6. *ſcienti & conſentienti non fit injuria, neque dolus:* item *Reg.*145. *ff. de diverſ. Reg. Juris: nemo videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt:* intelliguntur autem iſtæ Regulæ, ſi quis conſentiat voluntate, non tantùm affectivè, ſed etiam effectivè ceſſiva juris: Ratio autem eſt, quia ſi ita poſſit cedere & reipſa cedat jure ſuo, nullum jus reſiſtet, ergo non erit actio contra jus, ſed potiùs cenſebitur actio domini utentis re ſua per alium. *Pars altera eſt* contra Molin. Leſſ. Amic. Spor. & alios, Ratio autem eſt, quia ſi invalidè & inefficaciter tantùm cedat jure ſuo, ergo jus ipſius manet, ergo actio alterius erit contra jus ipſius, ergo injurioſa, quod magis explicabitur in ſolutione caſuum ſeqq.

§.1. Uſurarius facit injuriam mutuatario ſolventi uſuras: 5
item venditor emptori conſentienti in pretium nimium pro merce; item ſimoniacus danti pretium temporale pro re ſpirituali, quia hi omnes conſenſus ſunt moraliter nulli, iſta enim, quæ dant, volunt dare tantùm tanquam pretium, uti ſuppono, ſed impoſſibile eſt eſſe illorum pretium, nam in primis mutuum eſt eſſentialiter invendibile, deinde pretium mercis eſſentialiter dicit æqualitatem cum merce, ergo pretium nimium quoad exceſſum non eſt pretium; denique res ſpiritualis non eſt æſtimabilis pretio temporali, ergo nullum temporale poteſt eſſe pretium rei ſpiritualis. Conſequenter omnes illi conſenſus ſunt de re impoſſibili, ergo moraliter nulli. Si tamen hæc darentur gratis, dantes effectivè cederent ſuo juri, neque fieret injuria, uti rectè Eſp. *q.*16.

§.2. Judex laicus facit injuriam Clerico, quamvis conſen- 6
tienti in ſuum tribunal & volenti cedere privilegio fori, item percutiens Clericum facit injuriam Clerico, licèt conſentienti in percuſſionem ſui & volenti cedere privilegio Canonis, ita Maur. Eſp. aliique cum Illſ.*t.*4.*d.*2.*n.*44. contra Lugo & Spor. *t.*4.*n.*50. Ratio eſt, quia iſti conſenſus ſunt moraliter nulli, cùm velint ceſſionem juris, cui cedere non poſſunt, privile-

gia

gia enim, quibus Clericus eximitur à foro ſæculari & injurioſa percuſſione, moraliter loquendo, ſpectant ad ſtatum clericalem, in cujus favorem data ſunt & annexa Clerico, ergo quamdiù aliquis à ſe non abdicat ſtatum clericalem, etiam non poteſt illa privilegia abdicare, adeoque voluntates illæ cedendi ſunt moraliter nullæ; quod de Clerico in percuſſionem ſui conſentiente expreſsè aſſeritur *Cap. Contingit. 36. De ſent. excommun.* hujuſmodi manus injectio, etſi non violenta, tamen injurioſa videtur, *cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus:* Ex quibus verbis patet, non tantùm eſſe injurioſam ſtatui clericali, ſed etiam Clerico, nam reſpectu ejuſdem dicitur injurioſa, reſpectu cujus dicitur non violenta: eſſe autem violentam, vel non violentam, dicitur reſpectu ipſiuſmet Clerici, uti rectè Platel. *p. 3. num.* 714.

7 §. 3. Adulter facit injuriam marito & uxori, cum qua adulteratur, quamvis maritus & uxor conſentiant fieri, velintque cedere juri ſuo, uti rectè *Dicaſt. Maur. Eſp. Platel.* ſuprà & alii contra *Lugo, Spor. Haun. Illſ.* qui dicunt tale adulterium non eſſe injuriam, quamvis habeat ſpecialem malitiam repugnantem bono Sacramenti, conjugii & prolis: *Ratio eſt*, in primis quia jus, quod unus conjux habet in corpus alterius, eſt jus perſonale ſoli conjugi privativè competens, id enim poſtulat natura Matrimonii, ut quia per illud ipſi duo tantùm, fiunt caro una, ipſis ſolis poſſit competere jus mutuum in corpora, ergo huic juri cedere non poteſt conjux in favorem tertii: deinde jus illud competit huic & illi conjugi potiùs ratione Matrimonii, quàm ratione ipſorum conjugum, ergo quamdiù manet Matrimonium, manet hoc jus matrimoniale, cui conjuges cedere non poſſunt, uti ante dictum eſt de privilegiis clericalibus.

8 §. 4. Impuberi, & in quibuſdam caſibus etiam pupillo & minorenni conſentienti in contractum ſibi noxium, fit injuria, quamvis velit cedere juri ſuo, quia conſenſus ejuſmodi eſt moraliter nullus, cùm per leges irritetur, unde idem eſt, ac ſi phyſicè non eſſet.

9 §. 5. Qui occidit volentem, facit injuriam non tantùm Deo, ſed ipſimet occiſo, uti communiùs docetur contra Molin. & Eſp. *q. 16. in fine*, quia jus, quod habet ad uſum vitæ ſuæ, eſt ex Dei voluntate ipſi aequiſitum cum vita, voluitque Deus non eſſe abdicabile, niſi ſimul ex voluntate Dei, unde voluntas ipſius inefficaciter cedit juri ad uſum vitæ. *Nec obſtat*, quòd occiſus non ampliùs exiſtat, *nam* adhuc exiſtit ipſius anima, in qua reſidet jus ad unionem & ſimul ad uſum vitæ, ita Haun. *t. 2. num.* 595.

10 §. 6. Conſentienti ex vi, dolo vel metu gravi injuſtè incuſſo, fit injuria, quia ille conſenſus non eſt moraliter liber, non enim cenſetur conſentire, qui iniquè inducitur, & non conſentiret, ſi poſſet, ergo tantumdem eſt, ac ſi conſenſus ille non eſſet phyſicè liber, ſi autem non eſſet phyſicè liber, utique fieret injuria, ergo etiam nunc. Hinc injuriam faciunt ac reſtituere tenentur milites aut quicunque alii, qui aliqua accipiunt à ruſticis cogente metu, ne alioqui graviora damna patiantur, etiamſi hi etiam ſcripto teſtentur ſe libenter donare, quia reipſa tantùm donant ex metu injuſto & ad redimendam majorem vexam injuſtam, ita Con. & alii cum Dian. *p. 6. t. 4. R. 26.*

11 §. 7. Conſentienti voluntate tantùm concomitante, (id eſt, quæ in actum alterius non influit, licèt tum adſit & comitetur, quando ab altero ponitur actio de ſe injurioſa:) fit injuria, uti communior tenet cum Maur. *de juſt. q. 186. à num. 17.* contra Molin. v. g. Titius aureum ſubducit Cajo inſcio, qui Cajus reipſa tum habet hunc conſenſum, ut velit Titii eſſe iſtum aureum, de hoc autem conſenſu Caji nihil ſcit Titius, ſed ſubducit ita comparatus, ut quamvis ſciret Cajum non conſentire, adhuc ſubduceret, in hoc caſu Titius facit Cajo injuriam, quia hic conſenſus concomitans Caji non eſt efficaciter effectivè ceſſivus juris, nam non vult, ut Titius habeat aureum in ſenſu compoſito volitionis, quia Titius dicit, etiam Cajo non conſentiente volo habere aureum, ſed tantùm vult, ut habeat ex conſenſu ſuo ſaltem tacito, ergo voluntas Caji non eſt hic & nunc efficaciter effectivè ceſſiva juris. *Nec obſtat*, quòd in Jure dicatur eum non eſſe furem, qui aliquid aufert animo furandi, putans dominum eſſe invitum, cum tamen invitus non ſit, *nam* talis non eſt fur in foro externo & juridicè, eſt tamen fur pro foro conſcientiæ & theologicè: quod magis valet, ſi Cajus dominus optet, ut Titius famulus ſibi ſubducat aureum, ut ſic deprehenſus puniatur, reipſa enim, quamvis Cajus velit aureum venire ad Titium, tamen non vult jus ad ipſum venire. Ratio horum ulterior eſt, quia Titius non poteſt abſque injuria accipere aureum, niſi ex præſumpta ſaltem Caji licentia, hanc autem non habet, niſi acceptet, ergo ſi aureum accipiat ita independenter à voluntate Caji, licèt hæc voluntas Caji exiſtat, non tollitur ratio injuriæ.

12 §. 8. Tortores fecerunt injuriam Chriſto, & Martyribus, quamvis Chriſtus & Martyres voluerint pati, nam in primis nolebant cedere juri ad negationem tormentorum, nec volebant deobligare illos à non inferendis tormentis, cùm pati voluerint injuriam à malitia illorum, quam permittebant: deinde quamvis conſenſiſſent, hi tamen conſenſus erant tantùm concomitantes, quia illi volebant inferre tormenta, quamvis hi non conſenſiſſent, ergo quamvis hi conſenſiſſent, non ideo illi liberabantur ab injuria, uti ante dictum eſt. Videri poteſt Lug. *de Incarn. d. 3. ſect. 6.* fusè & doctè diſſerens de hoc puncto.

§. 9. *Objicitur* 1. Acceptatio legis laventis eſt de eſſentia le- 13
gis, ergo ſi Clericus nolit legem ſibi ampliùs favere, non retinebit jus ad negationem percuſſionis, ergo neque illi fiet injuria; & idem eſt de adultero, de volente occidi &c. Reſp. Si nolit legem ſibi favere, nolitione moraliter valida & effectivè ceſſiva illius favoris, c. ſi nolit nolitione moraliter nulla & ineffaciter ceſſiva illius favoris, n. conſ. jam verò hoc ipſo quòd ſtatum clericalem acceptarit, acceptavit hunc favorem, & ſuppoſito quòd vivat conformiter ſtatui clericali acceptato, non poteſt eundem favorem dimittere, uti ante dictum eſt.

Inſtab. Invito beneficium non datur, uti habetur *Reg. 96. ff. de diverſ. Regul. Juris*. R. Si beneficium fiat præcisè in favorem illius, qui eſt invitus, tranſeat, ſi in favorem aliorum, quibus ſimul prodeſt, n. aſſ. ſic autem fit in allatis caſibus.

Obj. 2. Injuria debet phyſicè invito fieri, importat enim 14
actionem contra voluntatem injuriati, ergo ſi quis conſentiat, non fiet ei injuria. Reſp. Injuria ſtrictiſſimè ſumpta & in ſenſu vulgi, prout ordinariè fit, importat hoc, c. ſumpta non ſtrictiſſimè, attamen propriè, & ſicuti fieri poteſt, n. patetque ex *cap. Contingit*, relato *n. 6.* Neque injuria definitur per hoc, quòd fiat altero invito, ſed quòd fiat contra jus alterius, quod poteſt ipſi manere, quamvis velit abdicare, uti etiam ante oſtenſum eſt; unde quando Ariſt. dicit injuriam fieri præter voluntatem injuriati, loquitur de injuria ſtrictiſſimè, & prout ordinariè fit.

Inſt. 1. Subditus non poteſt eſſe inobediens, ſi Superior reipſa conſentiat, ergo nec aliquis injuſtus, ſi conſentiat alter. Reſp. N. antec. nam ſi Epiſcopus prohibuerit hoc die laborem, & Papa antecedenter irritet omnem relaxationem, quam poſſet dare Epiſcopus, licèt Epiſcopus conſentiat, ut hoc die labores, eris illi inobediens, quia ages contra legitimam ejus prohibitionem ſemel poſitam, nec validè revocatam.

Inſt. 2. Injuria debet habere rationem paſſionis reſpectu injuriati, ergo debet venire ab extrinſeco, ita ut injuriatus ſit invitus, ſi enim velit, veniet ab intrinſeco, nam ipſe activè concurret ab ſui injuriam. Reſp. Debet habere rationem paſſionis, hoc ſenſu, quòd jus injuriati debeat pati læſionem immediatè ab aliquo alio, c. illo ſenſu, quod patiens læſionem ſui juris non poſſit etiam activè concurrere ad illam, ſaltem mediatè, n. antec. & conſeq. nam hoc caſu eſt mediatè agens, in quantum conſentiendo alterum moveat ad faciendum ſibi injuriam, patiens autem eſt, non immediatè à ſeipſo, (quia nemo ſibi ipſi facit injuriam defectu alteritatis, cùm juſtitia & injuſtitia neceſſariò ſint ad alterum, teſte S. Th. 2. 2. *q. 59. a. 3. ad* 2.) ſed ab altero, quem ad faciendam injuriam movet. Ex dictis,

§. 10. Inferuntur ſequentia, 1. Conſentiens in injuriam ſui 15
non poteſt, ſaltem ordinariè, petere ſatisfactionem pro illa, quia conſentiendo cenſetur eam remittere, qui autem remittit, non habet actionem, *L. 24. Cod. de pactis*. 2. Probabilius videtur cum Haun. *n. 125.* & Carden. *in 2. criſi d. 30. num. 33.* contra Leſſ. Lugo, Moyam, Eſp. Maurum, quòd injuriæ ſint ejuſdem ſpeciei, ſive fiant invito ſive conſentienti, quando hujus conſenſus eſt irritus, nam conſenſus irritus eſt moraliter non conſenſus, ergo ſive adſit ſive non, manet eadem ſpecies, major tamen eſt malitia, cæteris paribus, ſi fiat invito, uti rectè Eſp. *q. 16.* quod inde colligimus, quia datur cauſa majoris contriſtationis, & faciliùs diſſolvendæ amicitiæ.

Q. 3. An omnis injuſta actio fundet obligationem reſtitutio- 16
nis? Reſp. Negativè, nam ſi non ſit actio damnoſa, non eſt obligatio reſtituendi, quamvis poſſit eſſe obligatio ſatisfaciendi pro injuria: ita S. Thom. *opuſc. 73. cap. 20. ſi aliquis paſſus ſit injuriam & non damnum, illi non eſt facienda de jure reſtitutio realis, ſed tantummodò ſecundùm genus injuriæ facienda eſt emendatio per ſimilem ſatisfactionem:* idem habet 2. 2. *q. 62. a. 6. ad* 1. Idem tenent alii communiſſimè cum Dicaſt. *d. 2. dub. 6. & 7.* Hinc ſi quis internè optet inferre damnum alteri, quamvis peccet contra juſtitiam, non ideo tenetur reſtituere, quia reipſa per hoc non infert damnum; idem eſt ſi Judex malevolus proferat in aliquem ſententiam, quam putat eſſe injuſtam, ſi reipſa juſta eſt: item ſi rapiam à te veſtem, quam puto eſſe tuam, eſt autem mea: item ſi rapiam nummum cupreum putans eſſe aureum, teneor tantùm cupreum reſtituere, quia in hoc ſolo damnificavi: item ſi filius pecuniam pro victu ſubmiſſam prodegerit luſu, ſed non ideo cauſavit damnum patri, quia parcius vixit, peccavit quidem etiam contra juſtitiam, attamen non teneri reſtituere docet Dicaſt. *d. 9. num. 181.* quia non cauſavit damnum, ſed tantùm uſurpavit ad alium finem invito patre. Quòd ſi injuria ſit contra honorem, pro ejus

læſio-

læſione debetur plerumque ſatisfactio, uti poſteà dicetur: An autem debeatur reſtitutio pro actione damnoſa, ſed non injuſta niſi propter intentionem internam, dicetur à n.148.

17 *Q.4. An injuria purè damnoſa fundet obligationem reſtituendi?* Reſp. Injuria poteſt fieri, in primis accipiendo aliquid alienum in utilitatem aut commodum ſuum, & tum non dicitur purè damnificatio, ſed eſt furtum vel rapina; deinde fieri poteſt nihil accipiendo: ſed purè damnificando alterum ſine utilitate aut commodo proprio, uti ſi incendas domum alterius, ſi aliquem vulneres, ſi aliquem inducas ad inferendum illi damnum, ſi illum purè impedias à conſecutione boni ſibi debiti: hæc enim non ſunt propriè acceptio, uti dictum eſt n.2. Huc reducit Burgh.*cent.3.caſ.*44. ſi in victu, veſtitu, famulitio &c. facias expenſas, ob quas ſcis te reddi impotentem debitis ſolvendis, etiamſi hoc eſſet neceſſarium ad ſtatum more aliorum gerendum, quia quamvis nihil accipias à creditoribus, tamen cauſas illis damnum ita gerendo ſtatum tuum, neque videtur licitum ſtatum ſuum gerere, niſi quantum fieri poteſt, ſalvo aliorum jure, & ſine eorum damno, ideoque tenebitur talis paulatim aliquid de ſtatu detrahere. Vide dicenda à num.380. His ſuppoſitis patet obligationem reſtituendi poſſe fundari in tali injuria purè damnoſa, nam qui ſic injuſtè damnificavit, tenetur damnum reparare, & reducere æqualitatem juris, quod læſit.

18 *Q.5. Quæ ſint univerſim radices reſtitutionis?* R. Communiter ſtatuuntur hæ duæ, *res accepta, & injuſta acceptio*, poſſent autem claritatis cauſa ſtatui quinque, attamen omnes ad illas duas commodè reducuntur: *Pars* 1. probatur, quia S. Thom.2.2.*q.*62. *a.*6. quem ſequuntur Theologi omnes, teſte Haun.*t.*2. *n.*140. ſtatuit has duas, unde propter authoritatem ſtandum eſt illo numero: Tum autem tenetur aliquis ex re accepta reſtituere, quando ſine peccato aliquid alienum habet, vel in ſe vel in æquivalenti, uti ſi habeas rem alienam, quam putas eſſe tuam, aut ſi conſumpſeris loco tuæ, rem alienam habes in æquivalenti, eſque ideò factus ditior, uti dicetur n. 141. è contra tum teneris reſtituere ex injuſta acceptione, quando ſciens rem eſſe alienam eam cum damno alterius uſurpaſti. *Pars* 2. probatur, nam pro tertia radice addi poſſet *injuſta damnificatio*, per quam nihil accipitur, uti n.17. dictum eſt. Pro quarta addi poſſet *Contractus* ſecundum dicenda n. 176. ſi enim vendideris Titio equum, quem bona fide putabas tuum, erat autem Caji, ſi Cajus hunc equum repetat & evincat, tu teneris Titio de evictione, debeſque non tantùm reſtituere pretium equi, ſed etiam compenſare damnum, quod emerſit, & lucrum, quod ceſſavit Titio occaſione illius venditionis, pretium quidem teneris reſtituere ex re accepta, ſed quòd tenearis compenſare damna & lucra, non oritur ex re accepta, cùm nihil acceperis, quod illis correſpondeat, neque ex injuſta acceptione vel damnificatione, nam bona fide proceſſiſti, ergo ex contractu, quia nempe ad hoc ſe obligat vendens pro ſecuritate ementis: Et ſic poteſt ancilla contrahere de reparando damno ſine culpa dato; item commodatarius de reſtituenda re commodata, licèt ſine culpa apud ſe periret; aliud etiam exemplum datum eſt *p.*1. *n.*977. ex Cardena. Pro quinta radice poni poſſet *lex poſitiva*, ſi enim tuum animal occideret meum, Jus in certis caſibus ſtatuit teneri te ad reſtitutionem damni, quamvis nec ſit res accepta, nec injuſta acceptio vel damnificatio, nec contractus; de talibus autem legibus dicetur n.171. *Pars* 3. etiam probatur, nam ad obligationem ex injuſta acceptione reduci poteſt obligatio ex damnificatione injuſta, eſt enim quædam acceptio vel ſubtractio rei alienæ, quamvis ſubtrahenti ſit inutilis; ad eandem reduci poſſunt obligationes reſtituendi ex contractu, & lege poſitiva, quia in his præſumitur injuſta læſio, aut præcavetur, cùm quandoque ſoleat & ſæpè poſſit intervenire. Ex dictis,

19 *Colliguntur* ſeqq. 1. Quando obligatio reſtituendi dicitur oriri, vel ex re accepta vel ex injuſta acceptione, idem eſt, ac ſi diceretur oriri ex injuria vel materiali vel formali, ſive ex læſione juris alieni vel materialiter vel formaliter injuſta, unde rectè notat Eſp.*de Juſt.q.*24. dici poſſe adæquatè oriri ex acceptione rei alienæ, nempe vel materialiter vel formaliter injuſta. 2. Obligatio reſtituendi oritur aliquando ſolùm ex re accepta, uti ſi bona fide habeas librum Titii putans eſſe tuum, & tum diceris bonæ fidei poſſeſſor; aliquando ſolùm ex injuſta acceptione, ſi librum Titii non habeas, ſed mala fide combuſſeris, & tum non es propriè poſſeſſor, ſed damnificator: aliquando ex re accepta & ex injuſta acceptione, ſi librum Titii habeas & acceperis vel retineas ſciens eſſe Titii, & tum diceris malæ fidei poſſeſſor.

Q.6. Quid agendum ſit in dubio, an debeatur reſtitutio? R. Hoc reſolvetur *à num.*462. *& à num.*561.

DUBIUM II.

An, qui cooperantur ad damnum alterius, teneantur ad reſtitutionem? 20

REſp. Tenentur omnes illi, qui quoque modo ſunt cauſa influens, & efficax damni ſecuti, ac qui ex officio & obligatione juſtitiæ obligati cavere damnum, non caverunt. *Ita communiter Doctores.* Unde concludunt, teneri ad reſtitutionem comprehenſos ſeqq. verſibus.

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Patet ex ſequentibus Caſibus,

I. Tenetur ad reſtitutionem mandans, ſive expreſsè mandet, ſive tacitè, dicto nimirum, vel facto; ex quo v.g. famulus colligat, hero gratum fore, ſi faciat: non autem tenetur, qui ratum tantùm habet opus ſuo nomine factum: uti nec mandans, ſi ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innoteſcat: quia tunc non eſt vera cauſa, Mol. Leſſ.*l.*2.*c.*3.*dub.*3. Fill.*t.*32.*num.*54.

II. Tenetur item conſulens, aut precibus ac promiſſionibus ad damnificationem inducens. Quòd ſi tamen ante executionem conſilium ſuum retractet, & quantum poteſt, contrarium ſuadeat, etſi non perſuadeat, probabile eſt excuſari à reſtitutione; maximè ſi eum, cui damnum paratur, moneat, ut caveat. V. Bon. & Tann. 2.2.*d.*4.*q.*6. *dub.*14. Sà, *v. Conſilium*, & Dian.*p.*2.*tr.*16. *R.*15. *& p.*3. *tr.*5. *R.*83.

III. Tenetur item, qui ſuo conſenſu, calculo, vel ſuffragio, eſt cauſa efficax damni, Leſſ. *num.*23. Fill.*c.*3.

IV. Item palpo, ut qui laude, adulatione, vel exprobratione ignaviæ, aliterve alium ad damnum inferendum excitat, animat, Leſſ. Fill.*l.c.*

V. Item qui inferenti damnum præbet recurſum, illum receptat, illius furta aut inſtrumenta occultat, vel ea emendo rapinas fovet, &c. *Ib.* Hi enim omnes, uti & is, cui res furtivæ traditæ ſunt in cuſtodiam, tenentur (non manifeſtato fure) reſtituere domino. Et ſic peccare eos, qui à ſartoribus emunt fragmenta panni, ſeu veſtium, docet Villalob. apud Dian.*p.*4.*tr.*4. *R.*176. licèt *ibid.* Sanchez excuſet eos, qui iſta emunt à ſartoribus magiſtris, eò quòd his plerumque detrahatur plus à juſta mercede quàm mereantur iſta fragmenta, ideoque licitè ea retineant. Neque hic à peccato excuſari caupones, qui à filiisfamlias acceptant pecunias, aliaſve res parentibus ſurreptas, notat Laym. *l.*3. *t.*2. *c.*5. Bonac. &c. Qui verò poſt delictum ipſum, reum juvat ad fugiendum (non concurrendo ad delictum) non tenetur reſtituere, modò non det illi ſpem refugii impoſterum, tum quia non eſt cauſa damni, tum quia reo licet fugere, ut infra dicetur, *l.*4.*c.*3.*d.*7.*a.*2.

VI. Item participans de præda, aut quoquomodo cooperans, ut agens excubias, applicans ſcalas, parans inſtrumenta, conficiens litteras, &c. In bello iniquo tormenta advehens &c. Excuſantur tamen (modò actio per ſe non ſit mala) qui ea non ſponte, ſed juſto metu coacti faciunt: v.g. cùm ruſtici furto à ſolis militibus facto, coguntur eorum prædas vehere, vel pecora abigere, Leſſ. *num.*29.

VII. Item tenentur cauſæ, quæ privativè ad damnum alterius concurrunt; nimirum mutus, ſive non clamans, cùm poteſt, aut non obſtans, non manifeſtans, ſed tunc tantùm, quando tales ex aliquo pacto, vel officio, vel ſtipendio, &c. tenentur ex juſtitia damnum cavere, S. Thom. 2.2.*q.*62.*a.*7. Sic Princeps, Magiſtratus, belli Dux, tenentur ad reſtitutionem damnorum, quæ à feris, latronibus, militibus, ob ipſorum culpabilem negligentiam dantur. Item Conſiliarii, Canonici, tacentes, abſentantes ſe, non impedientes iniquam conſtitutionem, vel electionem. Item tutores, adminiſtratores bonorum, &c. non impedientes damna Pupillis, Minoribus, Eccleſiis provenientia. Item cuſtodes montium, vinearum, ſylvarum, agrorum, piſcinarum, qui damna non impediunt, vel facta non manifeſtant, Mol. *d.*116. Fill.*t.*32.*c.*3.*q.*12. V. ſuprà *l.*3. *t.*3. *c.*2. *d.*4. Item Principes & domini Territoriorum, ſi ſciant vias publicas infeſtari prædonibus, &, cùm poſſint, non impediant, tenentur mercatoribus, & cæteris viatoribus damna, quæ ab iſtis accipiunt, compenſare, Dian. *p.*8. *tr.*7. *Reſ.*38.

VIII. Supradicti non tenentur ad reſtitutionem, quando non fuerunt cauſa efficax damni; ut v.g. ſi fur, homicida, non fuerit efficaciter motus mandato, conſilio alterius, ſed nihilominus abſolutè erat facturus. Item ſi v. g. in Ca-

„ Capitulo alii ante te dederint ſuffragium, ita ut videas te ni-
„ hil impetraturum, etſi neges: tunc enim non teneris reſti-
„ tuere; licèt pecces, pro qualitate damni, addendo tuum,
„ vel mandando, conſulendo, &c. Bon. *l.c.*

„ IX. Probabile eſt, non teneri ſupradictos, ſi non ſit mo-
„ raliter certum, eorum mandatum, conſilium, efficaciter
„ influxiſſe: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis,
„ præſertim circa materiam juſtitiæ, Leſſ.*n.*38.Bon.*qu.*4.*p.*2.
„ Dian.*par.*3.*tr.*5.*R.*84.Tann.2.2.*d.*4.*qu.*6.*d.*14.

„ X. Nec tenentur, ſi efficaciter tantùm concurrant ad cir-
„ cumſtantias, & modum actus damnoſi; v.gr. ſi quis tantùm
„ impellat alium, ut citiùs, vel animoſius, hoc vel illo loco
„ vel modo noceat. *V.*Laym.*l.*3.*ſ.*5.*t.*2.*c.*5.*num.*5.

„ XI. Nec tenetur, qui deliberatè volenti inferre magnum
„ damnum ſuadet, ut minus eidem inferat: quia tunc utiliter
„ alterius negotium gerit. Dico *eidem*: quia non licet impedire
„ damnum unius cum injuria alterius.

„ XII. Non tenetur item (contra *Nav. Ang. &c.*) Confeſ-
„ ſarius, etſi ex officio confeſſiones audiat, ut Parochus &c.
„ ſi ex negligentia, vel ignorantia, pœnitentem non moveat
„ aut obliget ad reſtitutionem: quia etſi ex officio teneatur be-
„ ne inſtruere pœnitentem, ideoque peccet graviter omitten-
„ do, quando eſt neceſſarium; non tamen ad hoc tenetur ex
„ obligatione erga tertium, quaſi ex juſtitia debeat ejus dam-
„ num cavere, aut procurare, ut hoc ei compenſetur. Secus
„ tamen dicendum videtur, ſi poſitivè reſtitutionem impediat
„ ex malitia, imò etiam ex ignorantia craſſa, vel culpa lata,
„ quia tunc conſilio ſuo eſt cauſa efficax damni, vid. Leſſ.*n.*77.
„ *&* 78. & Bon.*de reſt.d.*1.*qu.*2.*p.*11.Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*7. & infrà
„ *lib.*6.*t.*4.*c.*2.*dub.*5.*reſp.*3.

ADDENDA.

21 QUæſt.7. *An movens aut inducens ad damnificandum alteri, reſtituere teneatur?* Reſp.Teneri, hinc *Innoc.XI.* damnavit hanc 39.prop. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati:* Notatque Carden.*in* 2.*criſi d.*23.*n.*130. illum dici movere qui mandat, conſilium dat, conſentit, adulatur, ideoque cauſa eſt, quòd inferatur damnum, de quibus in ſeqq. dicetur: de illo autem, qui tantùm exemplo ſuo movet ad damnum alteri inferendum aut cum alio concurrit ad damnum, videri poſſunt dicta *p.*1.*num.*1009. *&ſeqq.*

22 *Q.*8. *Quid circa mandantem ſit addendum?* Reſp. ſeqq.

23 §.1. Mandans dicitur ille, qui de facto jubet, quamvis de jure careat poteſtate jubendi: quòd ſi poteſtatem jubendi habeat & innuat ſe velle aut cupere, ut fiat, cenſetur jubere, hinc *L.*1.*ff.mandati* dicitur, ſive *rogo* ſive *volo* ſive *mando*, ſive alio quocumque verbo ſcripſerit, mandati actio eſt.

24 §.2. Mandans tenetur etiam ad reſtitutionem damnorum, quæ cauſantur mandatario, id eſt, illi, qui mandatum exequitur, niſi fortè aliter contraxiſſet cum illo, v.g. ut faceret pro certa mercede, ita cum aliis Laym. *lib.*3.*t.*2.*cap.*6. *&* *t.*4.*cap.*26.*à num.*3. *&* *c.*27.*num.*2. Ratio eſt, quia mandatarius ſub illa conditione ſuſcipiebat executionem mandati, ut mandans ſubiret onus, quia ipſe erat inſtrumentum mandantis.

25 §.3. Si revocatio mandati non innotuit mandatario; aut ſi innotuit, ſed per errorem judicata eſt non fuiſſe feria; aut ſi judicata eſt fuiſſe quidem feria, ſed mandatarius poſteà invincibiliter illius immemor damnum executus eſt, mandans tenetur ad reſtitutionem, quia tum adhuc damnum verè ſequitur ex injuſta actione præterita mandantis, Lugo *d.*19.*ſect.*2.

26 §.4. Mandans non tenetur reſtituere damna, quæ mandatarius intulit, excedens fines mandati, quando in ejus poteſtate fuit eos fines ſervare, uti ſi mandavit tantùm vulnerari, & ipſe volens occidit, ita *Dicaſtill.* Si tamen mandaſſet occidi Titium, & mandatarius per errorem occideret Cajum, mandans teneretur ad damna ex morte Caji, quia ex ipſius mandato ſequeretur, Suar. aliique cum Dian. *p.*8.*t.*7.*R.*33. *&* *p.*11.*t.*6.*R.*19.

27 *Q.*9. *Quid circa conſulentem?* Reſp.§.1. Conſulens etiam intelligitur ille, qui rogat, hortatur, oſtendit modum, quo fiat, ſuggerit motivum faciendi, promittit aliquid ut fiat.

28 §.2. Si quis dedit ſimplex conſilium, vel nudè rogavit aut quaſi imperando author fuit, ut inferretur damnum alteri, non ſuggerendo modum, quo fieret, nec motivum inferendi, ſi ille conſilium illud ſuum revocarit ante damnum illatum, non tenebitur ad reſtitutionem, quia ſi revocetur, non perſeverat moraliter in ordine ad influendum in tale damnum: è contra ſi ſuggeſſerit modum, quo damnum nunc inferri poſſet, aut motivum, quod movere pergat, aut ſi dederit conſilium utile illi, qui damnum erat illaturus, quamvis ante damnum illatum conatus ſit conſilium ſuum revocare, tamen tenetur reſtituere, etiam in eo caſu, quo alter initio acceptare noluiſſet conſilium, dummodò poſteà motus illo, operetur, ita Lugo Leſſ.*lib.*2.*c.*13.*n.*16.Carden. *in* 2.*criſi d.*23.*n.*135. Contra Nav. Medin. Salon. & alios, quorum ſententiam *Leſſ.* dicit etiam eſſe probabilem. Ratio eſt, quia modus ille aut motivum aut utilitas ſuggeſta pergunt adhuc movere, ergo conſilium manet cauſa efficax damni. Quòd ſi dediſſet conſilium falſum vel inutile, & ante damnum illatum oſtenderit eſſe tale, non tenebitur reſtituere, quia jam deſierat tota ratio motiva, quam habuerat conſilium. Vide dicenda *num.*56.

§.3. Conſulens damnum, quod alter conſuluiſſet, tenetur reſtituere, uti dicetur num.49. Quòd ſi quis non primò moveat alterum, ſed cum jam motum & nihilominus facturum, etiam ſuo conſilio vel aliter moveat, non tenebitur reſtituere, uti cum communi Leſſ.*num.*4.quia non eſt cauſa efficax damni, hæc enim jam ante poſita erat, neque damnum ſequitur ex vi conſilii ipſius, ſed hoc conſilium eſt tantùm quid conſequens. 29

§.4. Si ſolum tuum conſilium non fuiſſet ita efficax, ut moviſſet, movit tamen ut conjunctum cum aliis, teneris reſtituere, ſive alia conſilia partialia fuiſſent ſine tuo conſilio efficacia ſive non, ita Lugo *d.*19.*n.*8.*&* 82. Ratio eſt, quia licèt ſe ſolo non fuiſſet, tamen reipſa in his circumſtantiis conſilium tuum eſt cauſa efficax damni, uti etiam tum fuiſſet, ſi nullum ex partialibus conſiliis fuiſſet ſe ſolo ſufficiens, ſed tantùm conjunctim. Vide dicenda n.53. & Illſ.*t.*4.*d.*3.*num.*176. 30

§.5. Qui furi parato poſt octo dies furari, ſuadet furari hodie, tenetur reſtituere, quia fur interea potuiſſet impediri vel mutare voluntatem, ergo jam conſulens eſt cauſa efficax damni quoad ſubſtantiam, uti rectè Mol.*d.*736.*n.*3. excuſat tamen Lugo *n.*15. ſi non ſuaſit abſolutè furari, ſed tantùm circumſtantiam temporis, v.g. quia certò prævidebat poſt octo dies cauſandum eſſe majus damnum; & conſentit Illſ.*num.*186. 31

§.6. An & quomodo peccet contra juſtitiam, ac conſequenter teneatur reſtituere, qui alteri ſuadet, ut furetur Petro potiùs quàm Paulo, vel potiùs diviti quàm pauperi, dictum eſt l.2. à n.225. 32

§.7. Si fur ſeriò minans mortem petat ſibi oſtendi rem alienam, quam vult furari, poſſum oſtendere: nec teneor reſtituere, quamvis addiderim, *ibi eſt*, *accipe*, per hoc enim non ſum cauſa damni, quod illatum fuiſſet; quamvis non dixiſſem, ut acciperet: oſtendere autem poteram ob metum mortis. Quòd ſi jubeat ſibi oſtendi meum, & ego oſtendam alterius theſaurum, teneor reſtituere, quia ſum cauſa damni, fur enim non habebat determinatam voluntatem ad theſaurum alterius. Si dicat, oſtende theſaurum Petri, alioquin auferam tuum, poſſem oſtendere theſaurum Petri, quia ad hunc habebat determinatam voluntatem, nec cum tanto damno meo tenebar non oſtendere, præſertim cùm oſtenſio haberet ſe indifferenter, ſecundùm ſe; & illa poſita tantùm permittam furtum: denique ſi jubeat oſtendi omnem theſaurum, poſſem oſtendere alienum, celato meo, ita Leſs. *in auct. V.Reſtit.caſ.*7. 33

*Q.*10. *Quid circa conſentientem & palpantem?* Reſp.§.1. Ille hic dicitur conſentiens, cujus conſenſus requiritur, ut fiat executio injuriæ; palpans autem dicitur, qui adulatur vel laudat, ſicque inducit ad faciendam injuriam tertio. 34

§.2. Si conſentias; antequam ſit poſita cauſa efficax damni, quamvis ſcias illam ſine te adhuc ab alio eſſe ponendam, nihilominus teneris reſtituere, v.gr. tu ſcis, etiamſi non conſentias, electionem injuſtam eſſe faciendam ab aliis, ſi tu priùs conſentias, quàm ſuffragia ſufficientia & quidem irrevocabilia ſint data, teneris ad damna inde ſecuta, ita Lugo *d.*19.*n.*19. & ratio dabitur num.49. 35

§.3. Si adulatio non ſit cauſa damni, ſed vel ſequatur poſt damnum, vel tantùm inducat lætitiam in animum damnificantis, non eſt obligatio ad reſtitutionem; quia ſupponitur damnum aliunde cauſatum: hinc etiam reſtituere non tenetur, qui rati-habet illud, quod ſe ignorante eſt geſtum, Leſs.Molin.Vaſq.Dian.*p.*4.*t.*4. *R.*64. Si tamen laus vel adulatio eſſet cauſa, cur reſtitutio non fieret, jam cauſaret obligationem reſtituendi. 36

*Q.*11. *Quid circa illum, qui dat recurſum vel participat?* Reſp.§.1. Qui recipiunt vel præbent recurſum injurianti, non tenentur reſtituere, ſi per hoc non ſint cauſa damni facti, nec omiſsæ reſtitutionis, nec damni iterum faciendi. 37

§.2. Per participantem intelligitur ille, qui eſt ſocius injuſtæ acceptionis, ideoque dicitur capere partem illius; de cætero qui de re jam erepta participat, tenetur ex re accepta id ſolummodò reſtituere, quod accepit. 38

§.3. Notarius tenetur ad reſtitutionem, quando conficit inſtrumentum, ex vi cujus poſteà petetur uſura, quia verè participat & eſt concauſa efficax damni, uti etiam erit, ſi ſcribat ſententiam apertè iniquam, ex vi cujus facienda ſit executio. 39

§.4. Si tradas Titio vinum nomine tuo vendendum, ſciens Titium admixturum aquam ſupra morem licitum, vel venditurum minori menſura, participas, & teneris ad reſtitutionem damni ementibus cauſati, Sanch. *l.*1.*c.*7.*d.*37. Lugo *d.*18.*n.*84. contra Dian. Ratio eſt, quia es cauſa efficax damni, 40

ni cùm tu ſis ille, qui vinum vendit per Titium velut inſtrumentum.

41 *Q.*12. *Quid de muto, non obſtante, non manifeſtante?* R. §.1. Ille hic dicitur mutus, qui ante damnum illatum non monet, non clamat, non impedit; ille dicitur non obſtans, qui dum fit damnum, non defendit, non prohibet, non cuſtodit rem: ille dicitur non manifeſtans, qui poſt damnum non admonet, non revelat: hi omnes ſi non teneantur ex officio vel contractu vel ſtipendio, peccabunt tantùm contra charitatem, ſi omittant, quando ſine incommodo poſſent.

42 §.2. Si Princeps hìc addicat fiſco merces Hollandorum, qui viciſſim fiſco addicant merces Titii hujatis exiſtentes in Hollandia, fieri poteſt, ut teneatur compenſare damna, nam ſi hoc fecit præcipitanter non tentata priùs amica compoſitione, aut ſi illam confiſcationem ita occultè fecit, ut reſcire non potuerit Titius & ſibi cavere, eſt cauſa injuſta damni, quia non præmonuit, Leſſ. *in auct. v. Reſtit. caſ.*14.

43 §.3. Si ſcias alium velle tuo nomine damnum inferre, & non prohibeas, teneris reſtituere, ſi alter ſciebat ſuam voluntatem tibi eſſe notam, nec illi contradici, illa enim taciturnitas eſt approbatio, per quam damnificatio promovetur, Rebel. Dian. *p.*4. *t.*4. *R.*64. & alii cum Illſ. *t.*4. *d.*3. *num.*180.

44 §.4. Si Sempronius pravo animo, ſed ſine vi vel fraude impediat Titium volentem impedire damnum Caji, peccat quidem Sempronius, ſed non tenetur ad reſtitutionem faciendam Cajo, quia non plus tenetur, quàm teneretur Titius, ſi malitiosè permiſiſſet damnum Caji, ſed Titius non ideò teneretur ad reſtitutionem, quia non peccaſſet contra juſtitiam, ſed tantùm contra charitatem, ergo: ita Mol. *d.*735. *n.*4. Leſſ. *l.*2. *c.*13. *num.*56. Lugo *d.*19. *num.*101. contra Nav. & Molin.

45 §.5. Si fur, ut tu taceas, donet tibi partem rei furtivæ, teneris hanc reſtituere, quia non erat furis, ſed ejus, cui furatus eſt: ſi autem donet aliquid de ſuo, non teneris reſtituere illi, cui furatus eſt, quia ſine injuſtitia potuiſti tacere, uti ſuppono; nec teneris furi reſtituere, quia turpe lucrum poſt opus impletum retineri poteſt, uti dicetur n.289. docetque Lugo *num.*104.

46 §.6. Si famulus advertat alium famulum vel domeſticum furari ex rebus domini & taceat, non tenetur reſtituere, niſi cuſtodia rei eſſet ipſi ſpecialiter commiſſa, uti communiter tenent omnes apud Lugo *n.*105. cum Illſ. *n.*187. ſed ſi extraneus furetur, probabilius eſt, ſi taceat, teneri reſtituere; quamvis cùra rei non ſit ipſi ſpecialiter commiſſa, uti tenent *Nav. Leſſ. Lugo* & alii contra *Mol. Rebell. Bonac.* & alios dicitque idem *Lugo* cum aliis in caſu, quo alius famulus vel domeſticus furaretur & vellet fugere, quia tum cenſeretur eſſe velut extraneus; Ratio autem eſt, quia ſic habet communis perſuaſio, eſtque hoc quaſi de jure Gentium, inquit Leſſ. *n.*75. quòd cuivis famulo commiſſæ ſint res ſui domini contra injurias externorum.

47 §.7. Si Titius in via advertit prædones, & ab occurrentibus interrogatus neget ſe advertiſſe, ideoque hi quaſi ſecuri pergant ac ſpolientur, Titius tenetur hæc damna compenſare, quia fuit iniqua horum cauſa: quamvis enim ex juſtitia non teneretur manifeſtare prædones, tamen ex juſtitia tenebatur non occultare, & non inducere alios per mendacium, ut iter proſequerentur, quod fecit aſſerendo nullos prædones eſſe in via, ita Sylv. *in Reſ. Caſ. p.*2. *V. reſtitutio caſ.*1.

48 §.8. Cuſtodes nemorum, qui non deferunt cædentes ligna, vel venantes contra prohibitionem &c. tenentur compenſare damna inde enata domino nemoris, ita cum aliis Lugo *d.*37. *n.*101. Ratio eſt, quia ex officio & juſtitia tenentur deferre, ad hoc enim ſunt conducti; hinc tenentur ea damna primo loco compenſare, ſi illi, qui ligna cædunt vel venantur, non teneantur reſtituere, quando nempe leges, quæ ipſis hæc prohibent, ſunt tantùm pœnales. Addit tamen Lugo *num.*102. non teneri reſtituere pœnas, quas domini accepiſſent ex illis delationibus, eò quòd officium illorum non ſit locupletare dominos ex lucro pœnarum, ſed tantùm conſervare res ſibi commiſſas, & de hoc plura dicentur à num.82. Quòd ſi cuſtos nemoris acceperit pretium, ut non accuſaret, non tenetur hoc dare domino nemoris, uti rectè Lugo & Petſch. *pag.*140. non enim apparet, unde oriretur hæc obligatio: de hoc videri poteſt etiam Dicaſt. *de Reſtit. d.*6. *d.*4. Itaque ſatisfacit compenſando damna in nemore cauſata, v.g. ſi conſiderabile damnum ſit illatum arboribus, ſi feris occiſis & deficiente venatione minori pretio elocetur aut vendatur nemus. Quod autem dictum eſt de cuſtodibus nemorum, valet etiam de aliis, v.g. de apparitoribus, qui inveniunt noctu geſtantes arma contra prohibitionem pœnalem; item de illis, qui permittunt defraudari gabellas & telonia: ad quid autem teneantur, qui per mendacium negant propria delicta aut aliena, vel qui per fraudem diſſimulant, aut non condemnant ad pœnam lege impoſitam, ſicque fiſcum privant ejuſmodi mulcta, dicetur à num.82.

49 *Q.*14. *Ad quid teneatur Cajus, qui eſt quidem cauſa damni, tamen quamvis ipſe non fuiſſet cauſa, idem damnum ab alio fuiſſet cauſatum?* Reſp. Tenetur ad totum compenſandum, ita Caj. Sot. Mol. Vaſq. Leſſ. *l.*2. *c.*13. *n.*2. Lugo *d.*19. *num.*6. Illſ. *t.*4. *d.*3. *num.*177. aliique contra Nav. Silv. Palud. & alios. Ratio eſt 1. quia eſt efficax cauſa damni illati: 2. Si ipſe non teneretur, fieri poſſet, ut nemo teneretur, quia de unoquoque cooperatore poteſt eſſe verum, quòd ſi ipſe non intuliſſet, alter intuliſſet; itaque ſicuti quivis alter, qui intuliſſet, contraxiſſet obligationem reſtituendi, ita contraxit Cajus reliquos præveniendo. Rectè tamen notant Laym. & Burgh. *cent.*2. *caſ.*69. eum, qui v.g. tenet ſcalas, ſi ſine eo ſubſidio nihilominus à fure illatum fuiſſet damnum, non teneri ad reſtitutionem, quia tantùm eſt cauſa modi, v.g. quòd faciliùs vel celeriùs furaretur.

*Q.*15. *Ad quid teneatur, qui eſt cauſa damni, non totius,* 50
ſed tantùm majoris? R. Tenetur reſtituere illum tantùm exceſſum, cujus eſt cauſa, v.g. qui alicui cauſaturo damnum 10. aureorum, author eſt, ut cauſet damnum 15. aureorum, tenetur tantùm hos quinque reſtituere, quia non fuit cauſa efficax totius damni, ſed tantùm damni horum quinque, quod erat diviſibile à damno reliquorum, ita Mol. *d.*736. *n.*2. Bonac. *de Reſtit. d.*1. *q.*2. *p.*7. Leſſ. *num.*6. Lugo *num.*4.

*Q.*16. *Ad quid teneatur Confeſſarius temerè deobligans pœni-* 51
tentem à reſtitutione? R. Hoc reſolvetur *de Pœnit. c.*2. *dub.*6.

*Q.*17. *An etiam ille teneatur reſtituere, qui dubitat, an efficaciter ſit cooperatus damno?* R. Hoc dicendum *num.*574.

DUBIUM III.

An ſupradicti teneantur ſinguli reſtituere in ſolidum, 52
& quo ordine?

RESP. Cùm plures damnificantes, vel ſeorſim ſinguli „
rem ſuam agere poſſint, vel conjunctim, atque alii „
aliis plus minuſve in damnum influere, hinc ex tali ordine „
& menſura influxus ordo, & menſura reſtitutionis deſu- „
menda eſt. *Ita comm. Doct. Unde reſolves:* „

I. Si plures abſque conſenſu, quiſque per ſe ſeorſim, & „
caſu concurrant ad damnum, ſinguli non plus tenentur „
reſtituere, quàm quod quiſque per ſe damni intulit. Laym. „
*l.*3. *t.*2. *c.*6. „

II. Si plures cum conſenſu, & invicem juvantes, id fe- „
cerunt, ſinguli in ſolidum tenentur reſtituere totum dam- „
num, quia ſinguli ſunt cauſa totius damni, cùm unus juvet „
alterum, & procedat ex confidentia, quam habet in auxi- „
lio aliorum: Unde ſi unus eorum reſtitutionem fecit, po- „
teſt à reliquis, nimirum à principali totum, aut ſi is nolit, „
à reliquis pro rata ſingulorum, repetere, Bonac. *de reſtit.* „
*d.*1. *q.*2. *p.*11. ex Vaſq. Molin. Fill. &c. „

III. Quod ſi actio damnificans fuit lucrativa, & apud „
aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc exiſtat, aut is „
eam mala fide abſumpſit, tenetur is primo loco reſtituere „
ipſam, vel æquivalens: & ſi ille non faciat, reliqui, Leſſ. „
*l.*2. *c.*13. *d.*5. „

IV. Si actio damnificans non fuit lucrativa, ut quia res „
periit, & deſtructa eſt, ut fit; v.g. in combuſtione, muti- „
latione, detractione, tunc ante alios primò tenetur reſtitue- „
re, qui mandavit, vel qui cauſa fuit primaria, vel execu- „
tor primarius; ut in bello, Princeps, & Dux: & ſi is non „
ſit facturus: ut quia non vult, vel quia non poteſt, tenen- „
tur reliqui, v.g. cæteri milites. Quod etſi de militibus ſpe- „
culativè verum ſit, practicè tamen ſi excuſantur per acci- „
dens, tum quia non poſſunt totum reſtituere: tum quia do- „
minorum voluntas non eſt, nec expectatio, ut plus reſti- „
tuant, quàm partem ſuam: ideoque ſi hanc poſſunt, ad id „
tenentur, uti & ſi quid adhuc reliquum habent ex iniquo, „
Laym. *n.*5. ex Caj. Mol. &c. Imò Bon. *p.*10. *n.*13. ex Nav. *c.*17. „
Vaſq. & Leſs. *num.*37. dicit militem gregarium, qui alios non „
induxit, non teneri ad reſtitutionem totius damni illati à to- „
to exercitu, ſed tantùm pro ſua parte. V. ſuprà *t.*4. *c.*1. *d.*5. *a.*3. „

V. Si damnum paſſus condonet reſtitutionem principali „
damnificanti, etiam minus principales liberantur: non au- „
tem vice verſa; quia ruente principali, ruit acceſſorium, „
non contra. V. Laym. *l.c.* „

ADDENDA.

Quæſt. 18. *Si ſinguli non fuerint cauſa ſufficiens ad* 53
totum damnum, v.g. ad ſpoliandum viatorem, & tamen ſimul ſumpti fuerunt cauſa, an ſinguli obligentur ad reparandum totum damnum? Reſp. Tres ſunt ſententiæ, 1. eſt *Caj. Sot. Med. Mol. Covarr. Laym. Leſſ. Tann.* qui abſolutè affirmant, quia ſinguli influunt in totum damnum, uti inſinuatum eſt n.30. 2. eſt *Nav. Silv. Adri.* & aliorum, qui abſolutè negant, quia ſinguli ſunt cauſa tantùm partialis damni, partialitate cauſæ; & quamvis ſinguli influant in totum damnum, tamen non influunt totaliter, id eſt, damnum non habet

bet totum ſuum eſse à ſingulis tanquam cauſis ſeorſim ſufficientibus ad ipſum totum ponendum. 3. Rebell. Lugo *d.19.n.82.* & aliorum, qui melius ſic diſtinguunt; ſi ſinguli moveant alios ad ponendum damnum, aut ſi ſingulis non concurrentibus damnum non poneretur, ſinguli tenentur ad totum, quia reipſa tum ſunt cauſa moraliter adæquata totius damni, ſinguli enim potuiſſent, & debuiſſent impedire, non dando ſuum concurſum: è contra ſi ſinguli non moveant alios, & ſingulorum concurſu ſublato adhuc fieret totum damnum, ſinguli non tenebuntur ad totum, ſed tantùm ad partem, quia ſinguli non poſuerunt nequidem moraliter vim cauſativam totius damni, nec illud poterant, aut ſaltem non tenebantur impedire.

54 *Q. 19. Quæ regulæ ſervire poſſint pro cognoſcendo ordine ſervando in reſtitutione?* Reſp. Sequentes, quas AA. tradunt cum Lugo *d.19.ſ.4.*

1. Ille tenetur prior apud quem exiſtit res vel in ſe vel æquivalenter, ſi nempè inde factus ſit ditior, quia hic tenetur non tantùm ex injuſta acceptione, ſed etiam ex re accepta, qui titulus eſt major, cùm jus Domini conſtanter adhæreat rei.

55 2. Si non detur cauſa principalis phyſica damni ſed tantùm moralis principalis, v.g. ſi unus mandavit pluribus, ut damnum inferrent, tenetur prius cauſa moralis, id eſt, mandans, cauſæ autem inſtrumentales, ſive phyſicæ ſive morales, non tenentur, niſi in defectu principalis, & non tenentur æquè primò ad partem, uti vult *Nav.* & probabile putat *Leſſ.* Ratio eſt, qui quia, v.g. mandat, vult rem nomine ſuo fieri, ergo totum onus, quod ſequi poſſet, in ſe ſuſcipit: quod verum eſt, inquit *Lugo* contra *Vaſq. & Turr.* quamvis cauſa mandans non ſit Superior, dummodò cauſa exequens moveatur ſolo illius juſſu; nam ſi ſimul moveretur proprio aliquo motivo, etiam videri poſſet partialiter principalis, & conſequenter teneretur æquè primò ad partem damni ſecundùm modum, quo influeret hoc motivum.

56 3. Quando conſilium eſt utile ſoli conſultori; ipſe tenetur primò, executor autem in defectu: ſi eſt utile ſoli executori, executor tenetur primò: conſultor in defectu: ſi eſt utile utrique, uterque tenetur æquè primò pro rata, in ſolidum verò tenentur ſinguli in defectu alterius, Leſſ. *l.2.c.10.n.41.* Lugo *d.13.n.9. Nec obſtat*, quòd *l.2.ff. Mandati* dicatur, *Nemo ex conſilio obligatur, etiamſi non expediat ei, cui dabatur, quia liberum eſt cuique apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium, nam* Reſp. Id pro foro externo eſſe, in quo non præſumitur mala fides; deinde non tenetur illi, cui conſuluit, ſi ideò patiatur damnum, quia hic conſenſit, alter autem non conſenſit, ergo ſi illi fuit mala fide cauſa damni per conſilium externum, tenetur reparare, uti dictum.

57 4. Si executor nomine ſuo, & aliorum executus eſt damnum, quà executor tenetur ſecundo loco, ſed quà nomine ſuo operans tenetur æquè primò; hinc omnes tenentur æquè primò, quia illorum cauſa factum eſt, & illi conſentiendo ut fieret, tacitè in ſe receperunt obligationem, Leſſ. *c.13.num.47.* Lugo *d.19.num.136.137.*

58 5. Si plures cauſæ fuerint æquè principales, illa prius tenetur ad totum, quæ ſolo nomine ſuo fuit exequens, v.gr. commune conſilium eſt de furto faciendo, ſed à ſolo Cajo committitur, furante ſibi, & non aliis; item plures aggrediuntur Titium, ut eum occidant, ſed ſolus Cajus infert ictum, in utroque caſu Cajus primus tenetur, quia exequendo influxit plùs nomine ſuo quàm alii, qui ipſo reſtituente ad nihil tenebuntur, Vaſq. Mol. Leſſ. Lugo *n.125. & 139.* contra Caj. Ban. Sot. & alios dicentes cæteros æquè primò teneri ad partem.

59 6. Poſt cauſam principalem tenetur executiva, quamvis egerit nomine alieno, quia immediatiùs & per ſe attingit damnum: unde cauſa exequens prius tenetur, quàm ſubminiſtrans inſtrumenta phyſica, v.g. exequens furtum prius tenetur quàm applicans ſcalas.

60 7. Si ſuadens per culpabilem ignorantiam vel per fraudem induxit cauſam executivam injuſtitiæ ignaram, uti ſi Conſiliarius induxit ita Principem ad injuſta tributa vel ad injuſtum bellum; hic ſuadens tenetur prior, quia injuſta damnificatio non fuit exequenti, ſed ſoli ſuadenti moraliter voluntaria.

61 8. Si Cajus ſuaſerit Titio, ut peteret à Sempronio fieri furtum, ſi Sempronius furetur, Sempronius prior tenetur, quia eſt exequens; poſt hunc Titius, quia immediatiùs influxit movendo Sempronium: ultimo loco tenetur Cajus.

62 9. Si plures communi conſilio aliquid auferant: quilibet primo loco tenetur ad id reſtituendum, quod abſtulit, & ſecundo loco ad id, quod ſocius abſtulit, quia etiam hujus damni cauſa fuit.

63 10. Cauſæ poſitivæ tenentur ante cauſas negativas, quia poſitivæ procurant vel reipſa inferunt damnum, negativæ tantùm non impediunt; deinde negativæ tantùm obligabantur facere, ut damnum non inferretur ab aliis, ergo pro initio ſatisfaciunt, ſi procurent, quantùm in ſe eſt, ut reparetur ab aliis, ideoque damnificatus non habet jus primò petendi reparationem ab his, ſed à cauſis poſitivis, *Vaſq. Leſſ. Laym. Lugo, Haun.* Quis autem ordo ſervari debeat inter cauſas negativas, videri poteſt Lugo *à n.134.* Illſ. *t.4.d.3.n.189.* putat nullum inter eas ſervandum eſſe ordinem, fatetur tamen unam obligari ad majorem partem, prout major fuerit cooperatio.

11. Cauſæ poſitivæ ſecundariæ, id eſt, conſulens, conſentiens, laudans, receptans, participans, tenentur æquè primò, plus tamen vel minus pro majori vel minori influxu, *Mol. Vaſq. Leſſ. Lugo & alii*. Ratio eſt, quia una harum non agit nomine alterius, nec una alteri ſubordinatur, uti ſuppono, ergo non apparet, cur una debeat præferri alteri: aliud eſt de mandante, cui reliquæ deſervientes, & ex vi mandati operantes ſubordinantur, hinc mandans dicitur cauſa principalis moralis. 64

12. Si cauſa principalis vel prius obligata reſtituerit, cauſæ minus principales vel poſteriùs obligatæ ad nihil tenentur, uti habet communis cum Illſ. *n.188.* contra P. Nav. qui putat reliquas teneri ad partem cauſæ principali refundendam. Ratio noſtra eſt, quia hæ tantùm tenentur in defectu priorum: è contra ſi cauſæ minus principales vel poſteriùs obligatæ reſtituerint, cauſa principalis vel prius obligata tenetur his refundere, quia hæc abſolutè obligabatur, hinc ſi cauſa ſecundaria hoc onus ſubeat, acquirit jus, quod dominus rei habebat contra cauſam primariam. 65

13. Quando plures tenentur æqualiter reſtituere, ut ſi decem ſuo conſilio æqualiter influxerint in damnum centum aureorum, ſi unus totum reſtituerit, reliqui tenentur huic uni ſuas portiones, id eſt, decem refundere, quia ſinguli tenebantur tantùm in defectu aliorum; nulli autem licebat deficere à reſtitutione, nequè tamen tenebantur ſinguli dare totum, alioquin plus reſtitueretur, quàm eſſet ablatum, ergo tenebantur ſuam portionem, id eſt, decem conferre, conſequenter ſi unus ſolverit centum pro omnibus, acquiſivit jus in portiones ſeu in decem, quos tenebantur ſinguli conferre. 66

14. Si unus ex illis, qui æqualiter fuerant cauſa damni ſimul, ideoque æqualiter obligabantur, nollet aut jam non poſſet ſuam partem reſtituere, reliqui tenerentur hanc partem ferè æquali inter ipſos diviſione facta, retinerent tamen jus contra illum, qui noluiſſet vel tum non potuiſſet reſtituere. 67

DUBIUM IV. 68

An teneatur reſtituere, qui alium impedivit à conſecutione alicujus boni?

Reſp. Attendendum, an lædatur jus alicujus, quod à natura, lege, vel aliter habeat; an per vim, fraudem, calumniam, & mendacia quis alium impedierit; num verò aliter. Inde enim apud Laym. *l.3.t.2.t.7.* & Bon. *d.1.q.2.p.12.* reſolvuntur ſeq. Caſ.

I. Qui alterum impedivit à conſecutione rei debitæ ex juſtitia, tenetur ad reſtitutionem, Leſſ. *l.2.c.12. num.122.* Fill. *t.32.num.72.*

II. Si res non erat debita ex juſtitia, ſed conferenda ex libera voluntate, tum qui ſine vi, fraude, & calumnia collatorem inducit, ut v.g. officium, vel legatum, beneficium Eccleſiaſticum, & ſimilia dona gratuita non conferat, cui apud ſe conſtituerat, aut cui petierat, ſed vel nulli, vel alteri etiam minùs digno, etſi ſæpè is poſſit graviter peccare, præſertim ſi id ex odio, vel alio malo fine faciat, non tamen tenetur ad reſtitutionem, Azor. *3.p.l.4.c.9.* Vaſq. Sà, Bon. *p.12.*

III. Si in re prædicta ex libera voluntate conferenda, aliquis per vim, fraudem, vel calumniam, collatorem induceret, ne ei daret, aut eum à petitione (cùm quivis habeat jus petendi) aut à conſecutione talis rei, per vim, fraudem, calumniam, vel mendacium impediret (cùm etiam quivis jus habeat, ne iniquè impediatur) is teneretur ad compenſationem damni arbitrio viri prudentis, juxta certitudinem, vel probabilitatem, qua alter tale bonum alioqui aſſecuturus fuiſſe exiſtimaretur; dummodò tamen eo ſit dignus, nam ſi indignus eſt, non tenetur ad reſtitutionem, niſi famæ, ſi eam fortè læſerit, Leſs. *d.18.* Molin. *to.1.d.135.* Sà *V. Reſtitutio, num.21.* V. Bon. *l.c.*

ADDENDA.

Quæſt.20. Quæ ſint hic regulæ generales? Reſp. Sanch. *in Conſ. l.2.c.1.d.49.à num.9.* ponit has duas, 1. Qui impedit alium ab aſsecutione boni, ad quod habebat jus quæſitum in re vel ad rem, tenetur compenſare damnum, quamvis fecerit ſine vi, fraude, detractione, mendacio, & quamvis ex parte modi impediendi nulla adfuerit injuſtitia, uti ſi fecerit ſola ſuaſione vel precibus; ita tenent omnes, & ratio eſt, quia fuit cauſa efficax, cur alter non haberet id, quod ſuum erat vel ſibi debebatur. 2. Qui impedit alium ab aſsecutione 69

ne boni, ad quod non habet jus nec in re nec ad rem, ad nihil tenetur, niſi ex parte modi impediendi adſit externa injuſtitia, ſive, niſi impediat vi, fraude, detractione vel mendacio. Ratio primæ partis eſt, quia nulla injuria fit, ſi enim principalis, negans tale bonum, ad nihil tenetur, neque tenetur, per ſe loquendo, impediens: *Nec obſtat*, quòd fortè impediat ex intentione damnificandi alterum, *nam* poſteà *n.*148. oſtendemus non idèò incurri obligationem reſtituendi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia per iſta fit injuria, non tantùm illi, qui facturus erat beneficium, eò quòd invitus inducatur vel cogatur non dare, ſed etiam illi, qui erat accepturus, vel habebat jus, ne ſic iniquè impediretur voluntas benefacturi. Ex his deducemus aliqua:

70 §.1. Qui Cajum per mendacium impedivit, ne Titio daret eleemoſynam, dicendo eum non eſſe pauperem vel eſſe indignum, cùm tamen ſit pauper & dignus, tenetur reſtituere pauperi, quia licèt jus abſolutum non habuerit ad eleemoſynam, tamen habebat jus conditionatum habendi illam, ſi Cajus dare vellet, & habebat jus abſolutum, ne ſic iniquè impediretur, hoc autem jus damnosè violatum eſt, ergo debet is, qui violavit, damnum reparare, Sanch.*n.*27.

71 §.2. Si Cajo traditi ſint aurei centum diſtribuendi decem pauperibus ſtudioſis cum proportione ad cujuſque meritum, ut nempè dignior plùs accipiat quàm minus dignus, ſi Cajus hos diſtribuat, non ſecundum meritum ſed ſecundùm affectum, facit injuriam & tenetur reſtituere dignioribus, ita S.Th.2.2. *q.* 62.*ar.*1.*ad* 3. Lugo *diſp.*1.*num.*49. Burgh.*cent.*2.*caſ.*85. contra Tann. Ratio eſt, quia digniores ex voluntate domini ita ſtatuentis acquiſiverant jus ſtrictum ad talem portionem, & illa proportionalis diſtributio erat illorum juri debita.

72 §.3. Si bono zelo impedias donationem peccaminosè faciendam alteri, ad nihil teneris, quia juſtè impedis peccatum proximi: ſi malo zelo impedias donationem injuſtam, v.g. rei furtivæ, etiam ad nihil teneris, quia licèt vi vel fraude impedires, non peccares contra juſtitiam, cùm non ſit jus dandi vel acceptandi: ſi autem malo zelo impedias donationem, illicitam quidem, attamen non injuſtam, uti ſi donare vellet ex fine ſimoniæ utrimque cognitæ, etiam ad nihil teneris, etiamſi vi impedires, dummodò vis non excedat modum, quia non eſt contra juſtitiam facere, ut non detur vel recipiatur, quod ſine peccato abſolutè dari & recipi non poteſt: videri poteſt Tamb.*l.*8.*t.*3.*c.*3.§.3.

73 §.4. Qui iniquè alium impedit, ne teſtamentum condat, v.g. faciendo ut emaneat Notarius; aut ſi falſum narret, ex quo alter moveatur ad revocandum teſtamentum vel legatum vel donationem, ut ſic ipſe vel alius commodum reportet, tenetur ad damna illis reparanda, ob rationem ſæpiùs datam, Sanch.*ſup.* Lugo *d.*18.*n.*91.*&* *d.*37.*n.*108.

74 §.5. Religioſus, qui ſine fraude & mendacio ſuadet teſtatori, ut potiùs ſuo Monaſterio vel Religioſis legata relinquat, quàm Matrici Eccleſiæ, peccat graviter contra *Clem.*1.*de privil.* apud Sanch.*n.*28. ubi in virtute S. obedientiæ & ſub interminatione mortis æternæ prohibentur id facere Religioſi, ne pax violetur inter Clericos & Religioſos: non tenetur tamen ad reſtitutionem faciendam vel procurandam, uti probabiliùs tenent Sanch.& Lug.*d.*18.*n.*95. contra Molin. quia Eccleſiæ nullum jus in re vel ad rem erat quæſitum, nec peccatum eſt niſi contra obedientiam debitam Pontifici, qui non præcipit reparationem damni: imò Sanch. putat Religioſum non peccaturum, ſi id faceret bono zelo, ſciens eſſe majorem utilitatem teſtantis, & non peteret relinqui ſibi vel amicis.

75 §.6. Qui alterum impedit à conſecutione boni, revelando occultum, attamen verum crimen, peccat graviter, non tantùm contra famam, ſed etiam contra jus, quod habebat, ne iniquè per illam detractionem impediretur, hinc qui detraxit, tenetur reparare famam & compenſare hoc damnum alterius boni impediti.

76 §.7. Si quis per effractionem litterarum alienarum cauſa fuit, ut alter non obtineret aliquod bonum, tenetur reſtituere: & idem eſt, ſi detinuerit litteras alienas, quando ex juſtitia, officio vel contractu tenebatur tradere, quia effractio vel detentio talis erat graviter injuſta, fuitque cauſa damni, Lug. *in Reſp. Mor.l.*5.*d.*10.*&* *de juſt.d.*18. *n.*104. Si tamen per artificium legerit, aut effractas iterum clauſerit & debito tempore tradiderit, docent Leſſ.*l.*2.*c.*12.*n.*131. Caſtrop.*de Benef.d.*2.*p.*11. §.5. *n.*7. Dian.*p.*2.*t.*6.*R.*33. non teneri reſtituere, quia tunc damnum indirectè & per accidens ſequitur ex injuſta revelatione ſecreti, directè autem per ſe eſt ex jure, quod alter habebat ad inſtandum pro illo bono ſibi comparando poſt obtentam illam notitiam: ſed videtur idem dicendum, quod ad caſum ſequentem, an nempè teneatur reſtituere, qui promovendo minus dignum impedit digniorem à conſecutione beneficii, de quo dicetur *l.*4.*n.*591.

77 §.8. Si Cajus mercator accepiſſet litteras nunciantes eſſe inopiam alicujus rei, ideoque Cajus coemiſſet vel retinuiſſet tales merces, poſteà carò venditurus, & ut rem celaret, dilaceraſſet, & abjeciſſet litteras; ſi Titius hæc fragmenta litterarum collegiſſet, & ex illis in ordinem redactis id intelligens merces eas ſibi aliunde comparaſſet ſicque impediviſſet lucrum Caji, Cajet.Silv.& Caſtrop.*tr.*32.*d.*5.*p.*35.*num.*4. dicunt Titium non teneri ad reſtitutionem, tum quia fragmenta illa pro derelictis habebantur, tum etiam quia illa notitia per ſe non eſt cauſa damni, ſed jus, quod Titius habuit ad emendas illas merces, poſtquàm cognoverat ſecretum; è contra Rebell.& Lugo probabiliùs dicunt teneri, quia Cajus per laceratione ſatis oſtenderat ſe invitum, ut legerentur litteræ, ergo Titius injuriam fecit legendo, ex hac autem videtur proximè ſecutum eſſe damnum.

§.9. Si Cajus aliquo negotio, v.g. invitando ad prandium, 78
occupet procuratorem Titii, ne poſſit huic aliquod bonum obtinere, Cajus tenetur damnum compenſare Titio, ſi procurator ex officio vel contractu tenebatur tum agere cauſam Titii, quia Cajus fecit fraudem, per quam eſt cauſa damni, ad quod vitandum procurator ex juſtitia tenebatur: ſi autem procurator erat voluntarius, & ſponte vel ex amicitia volebat ſervire Titio, & Cajus ita tacitè circumvenit eum ignarum intentionis ſuæ, adhuc videtur teneri reſtituere, quia adfuit fraus, nam invitando ad prandium aliud ſignificabat, & aliud intendebat, ita Lug.*d.*18.*n.*103. Denique ſi procuratorem ſuæ intentionis conſcium ita impedivit, ad nihil tenetur, quia deceptus non eſt, ſed liberè abſtinuit à procuratione.

§.10. Si Titius careat aliqua conditione ad hoc requiſita, ut 79
poſſit dare ſuffragium, & nihilominus det illud Cajo, ſicque faciat, ut Sempronius non obtineat aliquid, quod alioqui erat obtenturus, Titius tenetur compenſare damnum, quia per fraudem iniquè impedivit: ſi tamen ſolùm deeſſet aliqua ſolemnitas, v.g. inſcriptio in matriculam philoſophorum, dummodò habeat omnes ſubſtantiales conditiones ad poteſtatem ſuffragii requiſitas, validè ſuffragabitur, nec tenebitur reſtituere, uti fusè Sanch.*in Conſ.l.*2.*c.*1.*d.*52.*&* 53. Quid autem dicendum ſit de illo, qui admittit, v. g. Beneficium non habens qualitatem ad illud requiſitam, dicetur *l.*4.*d.n.*734.

§.11. Mercator, qui vi, fraude vel mendacio impedit, ne ad 80
civitatem afferantur aliæ merces, ut ipſe cariùs vendat ſuas, tenetur non tantùm ementibus aut Reipub. exceſſum pretii, ſed etiam aliis mercatoribus lucrum ceſſans reſtituere, quia eſt injuſta cauſa utriuſque damni, ita cum aliis Sanch.*d.*39.*n.*35.

§.12. Si Caſus ludimagiſter aut præceptor diſcipulos, quot- 81
quot poteſt, ad ſe trahat, quia putat id diſcipulis utilius eſſe, non peccat, licèt damnum patiantur alii, quia ad hoc faciendum juſta cauſa movetur, ſi autem faciat tantùm ad utilitatem ſuam, & diſcipuli necdum fuerint ſub diſciplina alterius etiam non peccat, quia tum ſunt vagi, & cuique licitum eſt utilitatem ſuam quærere mediis licitis: ſi autem fuerint ſub diſciplina, v. g. Titii à quo abſtrahat etiam ſine vi, fraude vel mendacio, aliqui eum Sanch.*in Conſ.lib.*1.*c.*3.*d.*3.*n.*5. docent peccare mortaliter contra charitatem, ſi Titius inde patiatur notabile damnum honoris vel lucri, quia habebat quoddam jus ad illos diſcipulos: præterea S. Antonin.Silv.& Nav. dicunt Cajum, ſi abduxit ex odio vel ſine juſta cauſa, teneri damna compenſare Titio, ſed Sanch.dicit, ſi vis, fraus & mendacium abfuerit, non deberi reſtitutionem, quia Titius non habebat jus ſtrictum ad illos diſcipulos, & ſicuti poterant ſine injuſtitia ſponte ſua decedere, ſic poteris ſine injuſtitia ſuadere. Hinc Lugo *diſp.*37.*num.*111. Cajum excuſat à mortali, uti & Advocatos, Medicos, Mercatores alioſque ſimiles, qui ſine vi, fraude & mendacio, quamvis cum aliorum prejudicio, curant ad ſe trahere illos, qui alios frequentabant, quia charitas non obligat ad conſulendum bono proximi cum magno ſuo, vel amici incommodo.

§.13. Qui juſtè interrogatur, & fraude vel mendacio de- 82
clinat mulctam imponendam ſibi vel aliis ob delictum, ſecundùm multos apud Dian.*p.*3.*tr.*6.*R.*25. tenetur reſtituere, quia Fiſcus vel Reſp. ſuppoſito delicto videtur habere jus ad eam mulctam: oppoſitum tenent Sanch.*in Decal.lib.*2.*c.*22.*n.*22. *&* *in Conſ.lib.*2.*c.*1.*d.*52. Leſſ.*lib.*2.*c.*13.*n.*73. Lugo *diſp.*18. *n.*108. *&* *d.*37.*num.*110. aliique cum Dian.*ſupr.* tum quia Fiſcus ante ſententiam non habet jus ad illam pœnam, uti notant Sanch. *d.*49.*num.*32.& Leſſ.*c.*12. *n.*136. tum etiam quia fraus illa vel mendacium videtur remotè & per accidens tantùm conjungi cum illo damno, directè enim tantùm tendit ad damnum à ſe vel alio avertendum; hinc principium illud, quòd is, qui per fraudem vel mendacium impedit bonum alterius, teneatur reparare damnum, ſic intelligunt Sanch.& Lug. *n.*107. quod verum fit, quando impedimentum fit per actiones proximè conjunctas cum illo damno, tunc enim juſtitia obligat ad tales actiones omittendas; ſi autem tantùm remotè, & per accidens ſint conjunctæ, tunc juſtitia non videtur obligare ad eas omittendas, & ideò docent iidem AA. eos, qui etiam per fraudem impediunt, ne quis accuſetur, non teneri reſtituere mulctam alioquin pendendam, quia quamvis Fiſcus fortè

habeat jus, ne per fraudem proximè & directè impediatur à tali mulcta conſequenda, id tamen non videtur hic fieri, cùm intentio impedientis non feratur directè & proximè in damnum Fiſci, ſed in defenſionem amici vel occultationem delicti, ex quo per accidens ſequitur illud damnum Fiſco; atque ex eodem fundamento docent Beja *p.1. caſ.58.* & Lugo *n.119.* teſtes vel Advocatos alioſque ſimiles, qui falsò defendunt reum, ſicque impediunt, ne mulctetur, non teneri reſtituere Fiſco hanc mulctam, quia fraus tantùm indirectè & remotè videtur cauſare hoc damnum. Contradicunt tamen etiam in hoc alii cum Rebell. quorum ſententiam vocat communem Illſ. *t.4.d.3.n.187.*

83 §.14. Si procurator fiſcalis ſit cauſa, cur Fiſcus non accipiat mulctam per leges impoſitam delicto, Med. Rebell. Medin. & alii dicunt teneri reſtituere, quia ex officio & ex promiſſione tenetur procurare commoda, & cavere damna Fiſci: item tenetur procurare, ut delicta puniantur, ergo hoc negligendo facit injuriam, uti alii non manifeſtando aliquid, quod ex officio vel contractu manifeſtare tenentur, ſecundum dicta *n.48.* hinc Suarez aliique multi dicunt ſaltem Judicem teneri reſtituere mulctam, ſi hanc reo non impoſuit, aut ſine cauſa relaxavit vel imminuit, & hæc ſententia videtur valdè probabilis: nihilominus quoad utrumque contradicunt Vaſq. Tann. Leſſ. Dian. Salas, Lugo *d.37.n.112.* Illſ. *t.1.d.2. n.77.* dicentes nullum eorum ideò teneri reſtituere, tum quia eorum officiū primariò eſt ad hoc, ut delicta delata non fiant, & ſecundario tantum ordinatur ad emolumentum Fiſci, tum etiam quia ejuſmodi mulcta debetur tantùm ex juſtitia vindicativa, non autem commutativa, cujus ſolius violatio cauſat obligationem reſtituendi, uti inſinuatum eſt *p.1. n.1013.* Ad quid teneantur cuſtodes nemorum aliique ſimiles, qui non accuſant cædentes ligna aut venantes contra prohibitionem, dictum eſt *n.48.* Ad quid autem teneatur homicida illius, qui aliis bona præſtitiſſet, dicetur poſteà *n.310.*

DUBIUM V.

Cui, vel quibus reſtituendum?

84 „ RESP. Attendendum ad naturam juſtitiæ, & quis damnum patiatur, quidve ratio, & leges ferant communiter. V. Leſſ. & Laym. *l.3.t.2.c.9. Unde reſolves:*

„ I. Quando bona reſtituenda, ſive debita quæcumque, ſunt incerta, hoc eſt, cùm, cui debeantur, ignoras, aut adire non potes, aut illis reſtituere, tunc ſi ea habeas ſine delicto, ut ſi inveniſti, vel à mercatore v.g. per errorem accepiſti duas ulnas panni pro una, & jam is diſceſſit nec ſcis, quò abierit, teneris adhibere aliquam diligentiam inquirendi, poſt quam, ſi ſpes non ſit ſciendi dominum, probabile eſt, quòd non teneris ea dare pauperibus, (licèt ita plerique cum D. Th. ſentiant, & ſit magis pium, ac practicè ſuadendum) ſed poſſis tibi retinere, ut docet P. Nav. quem ſequitur Laym. hic & Leſſ. *l.2.c.14.n.48.* idque Dian. *p.1.t.3.m.R.5.* dicit eſſe tutum in praxi: Si verò ea habeas ex delicto, ut furto, uſura, &c. teneris ea reſtituere pauperibus, vel Eccleſiæ, hoſpitali, &c. quia debet tunc fieri reſtitutio meliori modo, quo poteſt, ut ſaltem, cùm corpori domini non proſit, proſit ejus animæ, dum in pauperes extenditur. *Ita communiter Doctores*, ut V. apud Laym. *hic*.

„ II. Qui multis minutis furtis, v.g. olei, panis, vini, &c. damnum intulit multis civibus, eum teneri reſtituere, non pauperibus, ſed ipſis civibus, (minoris deinceps vendendo, aut majore menſura, donec veniatur ad æqualitatem) dicit Mol. At Vaſq. & Eſcob. dicunt eſſe probabile, quòd poſſit dare pauperibus, præſertim civitatis ejuſdem.

„ III. Quando bona ſunt certa, ordinariè reſtitui debent poſſeſſori juſto, à quo accepta ſunt, vel cui damnum illatum; etſi is non ſit immediatus dominus: Unde quod acceptum eſt à depoſitario, commodatario, conductore, cuſtode, adminiſtratore, debet non domino, ſed ipſi reſtitui, quia alioqui ipſi fieret injuria, ſi jure poſſeſſionis, detentionis, cuſtodiæ, aut utilitatis ſpoliarentur; & damnum atque lucrum ceſſans compenſari deberet.

„ IV. Excipitur tamen hinc, 1. Si eorum nihil intereſſet, ut ſine illorum damno, infamia domino reſtitueretur. 2. Si probabiliter ipſi putarentur rem abſumpturi, vel ablaturi cum injuria domini: quo modo bona Eccleſiæ, non Prælato diſſipatori, ſed potiùs Capitulo reſtituenda ſunt. Item accepta à filio familias, pupillo, furioſo, uxore, Religioſo, ſi ſint ex iis bonis, quorum adminiſtratio ipſis non competit, plerumque reſtituenda ſunt patri, tutori, marito, Prælato. Sic etiam, ſi bona alicujus publicata, & fiſco addicta ſunt: tunc enim depoſitum, & ſimilia debita fiſco debent reddi.

„ V. Cùm quis ignorato domino, cui reſtituendum erat, non præmiſſa aliqua diligentia, pauperibus diſtribuit, non ſatisfecit domino poſteà comparenti: ſecùs ſi diligentia ſit præmiſſa, ut V. Leſſ. *n.43.*

„ VI. Cùm dominus quidem ſcitur, ſed ei mitti non poteſt ſine ſumptu, tunc ſi res malè accepta eſt, tenetur reſtituens aliquas expenſas ex ſe facere; ſi autem bene accepit, non niſi expenſis domini. Quando nullò modo poteſt mitti, expectandum eſt ad tempus; & ſi adhuc non ſit ſpes, reputatur debitum incertum, Tol. *l.5.c.23.*

„ VII. Cùm quis accepit rem alienam à poſſeſſore bonæ fidei, putante rem eſſe ſuam, cùm non ſit, tum ſi quidem intervenerit aliquod juſtum pactum, ut depoſiti, commodati, pignoris &c illi reſtituendum eſt, & non domino. Qui tamen ex charitate monendus erit, ſi id ei profuturum putetur, ſine alterius graviore incommodo, infamia &c. Vaſq. Az. *p.3.l.4.c.3.q.1.* Si autem aliter accepta eſt, tunc vero ſuo domino reſtitui debet, ſi eum noviſti, & abſque incommodo fieri poſſit.

„ VIII. Quando à fure, vel alio venditore quis emit, ſive mala, ſive bona fide rem furtivam, tenetur reſtituere domino, non furi. Ita communiter Mol. Regin. *t.1.l.10.c.5.n.40.* Tol. tamen *l.5.c.17.* Sylv. Ant. Mald. *in 2.2.t.4.c.3.d.2.* probabiliter ſentiunt, poſſe reddi furi, ut ab eo pretium ſuum recuperet: quia non conſtituit rem pejore loco, quàm ante fuerat, & conſequenter ipſe non infert Domino damnum. Quod Nav. Trull. *l.7.c.11.d.3.n.4.* admittunt cum hac limitatione, ſi mox non poſt longum tempus, contractum reſcindat: vel ſi certò ſcias furem redditurum rem domino: vel ſi dominus rei ſit mortuus, aut abſit, ita ut conveniri non poſſit. Quod ſi autem pretium ſuum recuperare non poſſit à venditore, tenetur reddere domino, & ſibi damnum adſcribere. Quòd ſi porrò ſciens rem eſſe furtivam, emat eo fine, ut invento vero domino reſtituat, tunc ſi emit parvo pretio, tenebitur id ei dominus refundere, cùm utiliter ejus negotium geſſerit: ſecus autem, ſi pretium eſſet fere æquale rei, tunc enim ſufficit refundere ad arbitrium viri prudentis tantum, quantum videtur meritus rem domini utiliter redimendo, v. Leſſ. *n.20.* Dian. *p.2.t.3.R.5.*

„ IX. Si bona fide rem alicujus, v.g. equum emiſti ab altero, v.g. Petro, & vendidiſti tertio, v.g. Paulo, & poſteà cognoſcatur eſſe Joannis, eoque repetente à Paulo, Paulus repetat pretium à te, exiſtimat quidem probabile Nav. & Dian. *p.1.t.8.R.68.* non teneri te Paulo reddere, (ſi in nullo factus ſis ditior,) ſed ſufficere, ſi tuam actionem, quam habes in Petrum, ei cedas. Verum Sot. Salon. Leſſ. *d.5.* Sayr. Bonac. *de Reſt.q.4.p.2.* rectiùs docent, teneri te, exigente Paulo, contractum reſcindere, & pretium reſtituere, tum quia vendidiſti rem vitioſam, tum quia teneris de evictione emptori, nec eum poſtes remittere ad illum cum quo nihil habet negotii. Quod ſi tamen Paulus, cùm poſſit, tibi non reſtituat æquum, ſed Joanni, & hoc ipſo impediat, quominus pretium tuum poſſis recuperare, nec tu teneris ei pretiū ab ipſo acceptum reſtituere, Bon. Leſſ. &c. V. Trull *l.1.c.11.d.5.*

Quæres I. Cui reſtituendi, ſive dandi ſint theſauri, & alia inventa, quæ habentur pro derelictis?

Reſp. Quando nullius Domini ſunt, jure naturali & gentium fiunt primò occupantis. Poteſt tamen per conſuetudinem, & leges aliter quid ordinari, quod ſervandum eſt. De quo V. Leſſ. *l.2.c.5.d.15.* Laym. *l.3.t.1.c.5.*

Quæres II. An, & cui reſtituenda, quæ capiuntur venatione juſtè prohibita?

Reſp. Id æſtimandum partim ex jure naturæ, partim ex conſuetudine & legibus, ac juribus particularibus, ut V. apud Laym. *t.3.t.1.c.5.n.14.* & Leſſ. *d.8.& 9.* & Sà v. Venatio. *Ex quibus reſolvitur hic Caſus:*

Venator iniquus tenetur reſtituere ſaltem damna, quæ ſegetibus fructibus infert.

ADDENDA.

85 *Q. Veſt.21. An reſtitutio debeatur illi, qui in damnum conſentit?* R. Si conſenſit voluntate effectivè & efficaciter ceſſiva juris, non debetur reſtitutio; ſi autem voluntate effectivè tantùm & efficaciter ceſſiva juris, debetur, uti conſtat ex dictis *a n.4.* ubi rem totam ſatis declaravimus in exemplis.

86 *Q.22. Quid circa res inventas vel derelictas ſit addendum?* R. §.1. Res, quæ inveniuntur, vel nunquam fuerunt ſub alicujus dominio, uti, gemmæ in littore maris inventæ; & qui tales res invenit, acquirit illarum dominium per primam occupationem, nec tenetur per ſe loquendo, cuiquam aliquid inde dare, quia quæ nullius ſunt, & alicujus eſſe poſſunt, fiunt primò occupantis, §. *feræ*, 12. *Inſtit. de rerum diviſione. Dixi*, per ſe loquendo, nam jus poſitivum poſſet aliter diſponere. Vel fuerunt alicujus, ſed nunc nullius ſunt, eò quòd earum dominus aut non exiſtat ampliùs, neque alius poſt ipſum dominium

acqui-

acquiſiverit; aut ſi Dominus earum exiſtat, tamen eas non vult ampliùs eſſe ſuas, v.g. ſi abjecerit, item quia à longo tempore amiſit, ideoque depoſuit ſpem & animum recuperandi; & qui tales res invenit, etiam retinere poteſt, quia reipſa eſt nunc primò occupans. Vel denique ſi adhuc exiſtat ille, cujus fuerunt, qui eas etiam recuperare velit, tamen ab inventore neſcitur, quis ſit Dominus, & ideò tales res dicuntur bona incerta, de quibus præcipuè eſt quæſtio.

87 §.2. Inventor rei incertæ tenetur pro reperiendo domino adhibere diligentiam, majorem aut minorem ſecundùm majus vel minus rei pretium, v.g. ſi res magni momenti eſt, ſecundùm Lugo *diſp.6.n.*138. tenetur facere, ut aliquoties promulgetur è cathedra, ut affigatur ſcheda publicè id notificans, aut ut imprimatur in novellis publicis: ſi autem minoris pretii eſt, ut promulgetur, v.g. per ſcholas, in tribu, aut ubi convenit frequentia hominum, & probabiliter eſſe poteſt talis rei Dominus.

88 §.3. Si dominus reperiatur, tenetur inventor ei reſtituere, nec debetur inventori ex juſtitia aliquid, cùm res manſerit domini: ſi tamen eſſet conſuetudo, vel lex vel promiſſio aliquid dandi, aut ſi labor eſſet poſitus in re invenienda, teneretur pro æquitate dominus ſatisfacere: ita cum aliis Bon. *de Reſtit. d.*1. *q.*3.*p.*4.*n.*7. Dian. *in Comp. v. Reſtitutio n.*5.

89 §.4. Si dominus non reperiatur, Sot. Mercad. Led. Sa, Sarmiento, Navarra, Mendo, Eſcob. Dian. *p.*11. *tr.*8. *R.*12. dicunt inventorem poſſe retinere ſibi, quam ſententiam Platel. *p.*3. *n.*728. dicit non eſſe improbabilem: Amic. Tamb. Roſm. Dicaſt. *l.*2. *t.*2. *d.*9. *n.*491. Burgh. *cent.*1. *caſ.*68. Illſ. *t.*4. *d.*2. *n.*259. vocant probabiliorem; Vaſq. Leſſ. Mald. Med. Arriag. Megal. Lop. Salas, Henr. Rodriq. Lugo *n.*138. agnoſcunt probabilem: Laym. & Caſtrop. *de Juſtit. p.*19. *n.*4. dicunt valdè probabilem; Dian. *p.*2. *t.*3. *R.*5. vocat in praxi tutam: Haun. *t.*5. *n.*26. defendit ut ſpeculativè probabiliorem, & tanquam in praxi ſecuram; Rationem dant, quia per inventionem acquiritur dominium rei, quæ domino caret, ſed res perdita, poſt quæſitum & non inventum dominum, eſt moraliter tanquam res carens domino, ergo. Aliter probant Laym. Caſtrop. & Haun. quia prudenter præſumitur dominum velle; ut inventor rem aſſervet, vel, ſi malit, utatur aut diſtrahat cum obligatione reſtituendi æquivalens, ſi reſciatur ipſum eſſe dominum, ita enim dicerent ſaltem plerique, ſi poſt amiſſam rem ſuam interrogarentur: ſuadetque etiam aliqua æquitas, quia cùm inventor rem domini bene geſſerit, inquirendo in eum, meretur ſibi relinqui, ſi dominus non reperiatur; denique idem poſtulat ratio boni communis, nam ſi inventor ſciat ſe nihil inde habere poſſe niſi moleſtiam in inquirendo vel reſtituendo, facilè fiet, ut rem relinquat, ubi jacet, quod cederet in damnum dominorum.

S. Th. 2.2. *q.*66. *ar.*5. *ad* 2. S. Anton. Caj. Silv. Nav. Cov. Valent. Med. Leſſ. Turr. Mol. *t.*2. *d.*746. Fil. *tr.*32. *num.*85. Platel. *ſupr.* dicunt talia non poſſe retineri ab inventore, ſed danda eſſe pauperibus vel ad pias cauſas, quam ſententiam Lug. *n.*139. dicit eſſe veriorem, Laym. *l.*3. *ſ.*5. *t.*1. *c.*5. *n.*24. vocat piam & tutiorem, Caſtrop. putat in praxi ſequendam. Rationem dant aliqui, quia prudenter præſumitur eam eſſe voluntatem domini, ſaltem pro utilitate animæ ſuæ, nulla enim inquit Mol. eſt gens tam barbara, quæ non putet eleemoſynas eſſe bona opera; & ſi reipſa à Chriſtianis dentur pauperibus, actus dantis, & oratio pauperis poteſt prodeſſe cuivis etiam infideli; Caſtrop. dat aliam rationem, nempè quia ita videtur præſcriptum per conſuetudinem timoratorum, qui res ejuſmodi dant pauperibus; & iſti conſuetudini favent privilegia à ſummis Pontificibus conceſſa variis Ordinibus, qui etiam ſub excommunicatione poſſunt compellere detentores talium rerum inventarum, ut eas ſibi extradant pro redemptione captivorum, ergo ſignum eſt deberi pauperibus vel ad pias cauſas; de his tamen privilegiis videri poteſt Caſtrop. *ſupr.* & Haun. *à n.*31.

Vaſq. aliique poſt ipſum, teſte Dicaſt. *n.*421. dicunt Principem vel Remp. de ejuſmodi rebus diſponere poſſe, cùm enim moraliter careant domino, videntur recidere ad bona communia, de quibus poteſtas civilis diſponere poteſt, ſi velit: quòd ſi non diſponat, putat expendi debere ad uſus pios ob rationes jam datas.

Lugo *à num.*139. ſic diſtinguit: quando res inventa non ampliùs cenſetur eſſe domini, eò quod ſpectatis circumſtantiis non videatur poſſibile, ut res redeat ad priorem dominum, vel ut ipſe aut ejus hæredes illam pro ſua recognoſcant, uti fit in theſauris, & fieret etiam in rebus amiſſis, ſi quis huc ex India reverſus ibi in littore amiſiſſet gemmam ab aliis ibidem communiter reperiri ſolitis non diſcernibilem, putat rem talem eſſe moraliter nullius, ideòque inventorem poſſe occupare tanquam ſuam: è contra quamdiu manet potentia ac ſpes dominum inveniendi, qui rem recognoſcat, dicit poſſe ſervari aut etiam conſumi ſervato pretio; ſi autem neque res neque pretium ſervari poſſit, dicit expendendam in uſus pios; putatque hanc eſſe obligationem, non ex jure poſitivo tantùm, uti volunt Vaſq. Leſſ. Mald. & alii, ſed naturæ, quia cùm res maneat ſub dominio illius, qui perdidit, lex naturæ dictat, ut de illa agatur, quod dominus voluerit, voluntas autem ejus tum præſumitur eſſe, uti plerumque eſt, ut expendatur in uſus pios; ſuadetque Lugo *n.*151. ſi dominus rei præſumi poſſet eſſe mortuus, procurari inde Miſſas pro eo: deinde univerſaliter, ut eleemoſynæ iſtæ fiant ab aliquo conſtituto in gratia, ſic enim certius proſunt. *Nec obſtat*, inquit, quòd dominus ſit fortè damnatus, *nam* in hoc caſu debebit reſpici voluntas hæredum, ad quos hujus rei dominium eſt devolutum, qui præſumuntur velle offerri ſaltem pro ſe, prout magis expediet.

Hæ omnes ſententiæ ſunt probabiles, ſed ſecunda S. Thomæ magis pia eſt & in praxi conſulenda, uti etiam notant Buſemb. & Dicaſt. *n.*434. attamen ſententia Lugonis omnibus conſideratis videtur probabilior, etiam ex hoc, quòd reliquas omnes quaſi inter ſe componat.

§.5. Si res inventa, fuerit derelicta, ſit inventoris, qui primò 90
occupat, uti habetur *L.*1. *ff. pro derelicto*: hoc autem habetur pro derelicto, quod dominus non vult ampliùs eſſe in numero rerum ſuarum, tum autem cenſetur non velle ampliùs eſſe in numero rerum ſuarum, ſi abjecerit, ſi potens facilè recuperare negligat, vel non inquirat, ſi parvi momenti ſit, inquit Haun. *n.*5. & ideò non videatur curare, ut recipiat: unde res ob periculum tempeſtatis abjecta non habetur pro derelicta, uti dicetur *n.*112. ſi tamen talis res naufraga eſſet procul abrepta à fluctibus, & dominus ſciens ubi eſſet, non curaret recipere, vel quia parvi faceret, vel quia fugeret expenſas, haberetur pro derelicta, Leſs. *l.*2. *c.*5. *n.*67. Etiam inde colligitur rem eſſe à domino derelictam, ſi tanta ſit temporis longinquitas, ex quo perdita eſt, ut dominus vel ejus hæredes non poſſint moraliter eam recognoſcere, nec aliquis ſit qui ſciat ad ipſos pertinere, hoc ipſo enim res talis nullo pretio eſt æſtimabilis ipſis, ideoque nec poſſent vendere, ergo nullum ampliùs cenſentur habere illius dominium, Haun. *n.*7. Magis dubitatur, an ſola voluntate poſſit res fieri derelicta & amitti dominium, negant Suar. & Lug. *d.*23. *n.*59. nam *l.*17. §. *Differentia, ff. de acqu. poſſ.* ſic habetur, *Differentia inter dominium & poſſeſſionem hæc eſt, quòd dominium nihilominus ejus manet, qui dominus eſſe non vult, poſſeſſio autem recedit, ut quiſque conſtituit nolle poſſidere*: hinc infert Lugo dominium non amitti ab uno, niſi in alium transferatur, quia niſi alius acquirat titulum habendi rem, ipſi manet titulus, ergo & jus; ſed videtur dicendum, legem tantùm velle, quòd ſolo animo interno amitti non poſſit pro foro externo aut omninò irrevocabiliter; verùm requiratur aliquis actus externus, quo v.g. rem abjiciat, aut videns abjectam exterius prodat ſe nolle reſumere, de cætero non præſumi abjeciſſe, cùm forum externum non judicet de internis, nec illa inſpiciat: itaque ſi ita abjecerit etiam externo ſigno addito, fit nullius, & poſteà primò occupantis, quæ autem ſit differentia inter dominium & poſſeſſionem, videri poteſt Lugo *n.*60. §. *dicet*.

§.6. Ut res, quæ nullius eſt aut cenſetur derelicta, fiat primò 91
occupantis, debet ab eo verè apprehendi, hinc ſi Titius & Cajus ambulent, & Titius primus videat gemmam, quæ nullius eſt, velitque eſſe ſuam, Cajus autem illam prior apprehendat animo habendi ut ſuam, gemma eſt Caji, qui primus occupat Lugo *d.*6. *n.*98.

*Q.*23. *Quid præterea ſit notandum circa reſtitutionem rei* 92
incertæ? R. ſeqq. §.1. Habens rem talem non tenetur credere cuivis dicenti rem eſſe ſuam, ſed examinandum, an id prudenter ſit credibile: quòd ſi plures dicant eſſe ſuam, & omnibus conſideratis dubitetur æqualiter, cujus ſit, ſi conſentiant, diſtribui debet inter illos, ſi autem non conſentiant, deponenda eſt, ut authoritate Judicis uni aſſignetur; vel in pauperes eſt diſtribuenda, Bonac. *de Reſt. d.*1. *q.*3. *p.*4. *n.*16.

§.2. Quando ſcitur rem pertinere ad unum è pluribus, ſed 93
reſciri non poteſt ad quem determinatè, debet reſtitui inter illos dividendo pro rata majoris probabilitatis vel dubii, quia ſinguli habent jus dubium ad rem illam, nullus autem certum, ergo æquitas poſtulat reſtitui illis pro qualitate dubii, Mol. Leſs. Laym. Caſtrop. aliique cum Petſch. *p.*652.

§.3. Si quis ex delicto habeat bona incerta, debet reſtituere 94
locis ſacris vel pauperibus, uti de pretio uſurario definivit Alex. III. *cap. Cùm tu, de uſuris*: idem eſt de acquiſitis per ſimoniam, ſecundùm dicta *p.*1. *n.*239. Similiter alia ex recepta conſuetudine, & communi DD. conſenſu reſtitui debent ſacris locis vel pauperibus, Burgh. *cent.*2. *caſ.*73. Illſ. *t.*4. *d.*2. *n.*258. Si tamen iniquus detentor ſit ipſemet pauper, poteſt propria authoritate ſibi attribuere, S. Thom. Scot. Nav. Gabr. Med. Laym. Molin. Vaſq. Sanch. *lib.*6. *cap.*11. *n.*54. aliique multi cum Illſ. *d.*3. *n.*250. Ratio eſt, quia paupertas eſt ſufficiens cauſa retinendi. Addunt Lugo *d.*20. *num.*8. & Illſ. *num.*191. etiam poſſe retinere, ſi debitis ultra vires gravatus eſſet, tum enim eſſet reipſa pauper. Si tamen in aliqua Diœceſi eſſent ſpecialia ſtatuta, ut diſtributio eorum fieret ſecundùm diſpoſitionem Epiſcopi vel Confeſſarii, uti Bonac. dicit eſſe Mediolani, talibus locis ſtandum eſſet ejuſmodi ſtatutis.

95 *Q.24. Quid faciendum, ſi dominus compareat, poſtquam res pauperi vel piæ cauſæ applicata eſt?* R.§.1.Si prius adhibita eſt ſufficiens diligentia pro inveniendo domino, Sot.Henr. Nav.Led.aliique cum Lugo *d.21. anum.*101. dicunt non eſſe obligationem reſtituendi domino, quamvis res adhuc extaret, quia pauper vel locus pius acquiſivit dominium, tradita enim eſt, quando dominus non poterat cenſeri rationabiliter invitus; è contra domino reſtitui debere à paupere vel loco pio dicunt Mol.Laym.Caſtrop.Petſch.*pag.*649. Dian.*p.*11.*t.*8. *R.*12. quia prior diſtributio videtur facta ex conditione, ſi non compareat Dominus, alioquin negotium ejus eſſet malè geſtum, ergo ſi compareat, diſtributio eſt invalida: utraque ſententia eſt probabilis, ſed ſecunda videtur probabilior: concedit tamen etiam Mol.ſi res illa ſit à paupere alienata, non eſſe ampliùs reſtituendam, verùm ſi ſecunda ſententia vera eſt, conſequenter dicendum, quamdiù exiſtit, reſtituendam eſſe, aut ejus pretium, ſi quis ex illo ſit factus ditior.

96 §.2. Si non præceſſit ſufficiens diligentia pro inveniendo domino, & res adhuc exiſtat apud pauperem vel locum pium, hi ſecundum omnes tenentur reſtituere, & in horum defectu ille, qui dedit, quia transferri non poterat dominium, cùm dominus eſſet rationabiliter invitus; & qui dedit non præmiſſa inquiſitione, domino fecit injuriam: quòd ſi res bona fide ſit conſumpta, nec quiſquam ex ea factus ſit ditior, tum ille ſolus tenetur reſtituere, qui dedit, quia facit injuriam ſic dando, Azor.Mol.Leſſ.& alii cum Bon.*n.*18.

97 §.3. Si Confeſſarius bona fide, ſed non præmiſſa ſufficiente inquiſitione dixerit furi, ut rem daret pauperibus, ſi ſit data & conſumpta, probabilius eſt furem obligari iterum dare pretium domino comparenti, quidquid contradicat Tamb.*l.*8.*t.*4.*c.*1.§. 5.*n.*8. cujus ſententiam videtur agnoſcere probabilem Spor.*t.*4. *c.*4. *nu.*20. cùm dicat ſe non audere obligare ad iterum ſolvendum; ſed ratio noſtra eſt, quia ſi fur ipſemet bona fide dediſſet abſque præmiſſa inquiſitione, utique poſtea adhuc teneretur reſtituere ratione primæ acceptionis injuſtæ, quamdiù enim non eſt adhibita ſufficiens diligentia pro inveniendo domino, hujus voluntas non eſt, ut detur pauperibus, ergo cùm diligentia illa non fuerit nec à Confeſſario nec à fure adhibita, præſumi: non poteſt à fuiſſe domini conſenſum. Vide dicenda *n.*421.

98 *Q.25. Si fur rem alienam tibi donarit vel vendiderit, cui debeas reſtituere?* R.§.1.Si donarit, teneris reſtituere domino & non furi, quia prior manſit dominus, cui ſi reſtituas, non patieris grave incommodum, uti ſuppono: ſi autem reſtituas furi, qui non reddat domino, tu teneberis compenſare damnum, cujus es cauſa efficax.

99 §.2. Si fur tibi vendiderit, nec poſſis aliter recipere tuum pretium, poteris hoc pretium repetere, permittendo ut fur rem illam recipiat, uti habet communis, quia habes jus ad tuum pretium, pro quo nihil accepiſti, ergo potes illud repetere; deinde non obligaſti te ad conſervandam cum tanto damno rem domini, ergo permittere potes iterum eripi.

100 §.3. In hoc tamen ultimo caſu, etiamſi deberes pretium perdere, probabilius videtur, quòd non poſſis rem reddere furi, aut poſitivè ad hoc cooperari, ut fur recipiat, ſi prævideas non eſſe reddendam domino, ita Caj.Med.Sot.Led.Mol. Laym.*l.*3.*t.* 4.*c.*17.§.3.*n.*24 quibus in re conſentiunt Lug.*d.*17.*ſ.*2. & Platel. *p.*3.*n.*738. partim contra Silv.Alenſ.Bejam *p.*1.*caſ.*63. Dian.*p.*5. *t.*14.*R.*87. Haun.*t.*3.*n.*260. Pethſc.*pag.*562. Spor.*t.*4.*c.*2.*an.*121. Illſ.*t.*4.*d.*3.*n.*40. qui abſolutè dicunt poſſe reddi furi, etiam à poſſeſſore malæ fidei: partim contra Leſſ.Mald.Turr.Dicaſt.*de Reſtit.d.*5.*dub.*4. qui dicunt poſſe reddi, ſed tantùm à poſſeſſore bonæ fidei, verùm non apparet ulla ratio, cur reddi poſſit à poſſeſſore bonæ & non malæ fidei, uti rectè Lugo *n.*37. quamvis enim emptio ſit mala fide facta, cùm tamen reſcindatur, aut ab initio fuerit nulla, ratione illius non magis naſcitur ex redditione rei injuria contra dominum, quàm ſi bona fide eſſet facta. Ratio itaque noſtra eſt, 1.quia ſi dominus rei ſciret eam eſſe apud emptorem, juſtè ab hoc repeteret vel reſumeret, & emptor per Judicem cogeretur domino reddere; ergo ſignum eſt, quòd ex natura rei ad hoc teneatur. 2. Res extracta è poteſtate furis, hoc ipſo acquiſivit meliorem ſtatum, qui ſtatus ſpectat ad rem ipſam, & conſequenter ad dominum rei, ergo qui rem illam ex hoc meliore ſtatu rejicit in deteriorem, facit domino injuriam, ſicuti ſi rem alienam extraxiſſes ex incendio, non poſſes citra injuriam iterum injicere, quamvis Titius tibi minaretur æquale damnum, niſi iterum injiceres.

Reſpondet Haunol. diſparitatem eſſe, quòd Titius non habeat jus ad exigendam à me illam projectionem, fur autem habet jus ad repetendam rem ab emptore, quia cùm fur teneatur eam reſtituere domino, etiam habet jus eam repetendi, ne, ſi non recipiat, patiatur damnum, cogetur enim valorem illius ſolvere. *Contra eſt*, nam fur non habet jus abſolutum repetendi rem ab emptore, alioquin dominus recipiens ab emptore faceret injuriam furi, quod patet eſſe falſum: itaque habet jus tantùm conditionatum, pro circumſtantiis, in quibus prudenter judicatur velle reſtituere, & Dominus ipſe non eſſet aliter recepturus, fur enim non poteſt repetere, niſi ut reſtituat; in hoc autem caſu, quo fur vellet reſtituere, non negamus, poſſe reddi furi, ſed tantùm in caſu, quo creditur non redditurus, aut dominus aliter & cùm minore periculo non eſt recepturus, hinc jus repetendi, quod habet fur, non fundatur in nuda obligatione reſtituendi, ſed in hac ut conjuncta cum negatione periculi redundaturi in dominum rei, item cum negatione reſtitutionis aliter certiùs faciendæ.

Obiciunt 1. In jure datur actio furi, per quam poſſit, rem 101
repoſcere, ergo juſtè repoſcit, ergo emptor tenetur ei reddere, & conſequenter non peccat reddendo. R.Datur talis actio, ſi prudenter judicetur velle abſque periculo reſtituere domino, quod leges illæ præſumunt, c.ſecus, n.

*Inſt.*1. Qui reddit furi, non cauſat pejorem ſtatum, quàm 102
res haberet ante emptionem, ergo cùm emptio ſit irrita non fiet domino injuria, ſi reponatur in priori ſtatu apud furem, ita Leſſ.R. N.conſ. nam privat ſtatu intermedio meliore, quem acquiſiverat.

*Inſt.*2. Hic ſtatus non provenit ex ipſa re, ſed ex libera voluntate ementis, ergo ſi reſciſſa hæc voluntate reponat in ſtatum priſtinum, non facit injuriam, ita Dicaſt.R.N.conſ. undecumque enim proveniat, ſpectat ad rem & conſequenter ad dominum rei, uti à ſimili patet in re erepta ab incendio, ergo iniquum eſt iterum ex illo ſtatu dejicere.

*Objic.*2. Si emptor, ne pretium amittat, poſſit permittere 103
rem iterum eripi à fure, uti *n.*99. dictum eſt, ergo ſi fur velit mihi furari 100. aureos, potero aperire ciſtam, in qua ſunt 100. aurei alieni, permittendo ut hos eripiat & mihi meos relinquat. R. N. ſeq. nam ſic aperiendo ciſtam poſitivè cooperor & æquivalenter dico, ut loco meorum hos accipiat.

Q.26. An ſatisfaciat, qui reſtituit creditori creditoris? R. 104
Reſolvetur poſtea *n.*453. *&* 454.

Q.27. Quid notandum ſit circa bona vacantia? R.Bo- 104
na vacantia dicuntur, quæ relicta ſunt à defuncto, qui nec hæredes habuit nequidem intrà decimum gradum, nec de bonis illis diſpoſuit; & hæc jure naturæ ſunt primò occupantis, quia ſunt derelicta; ſed per *l.*1.4.*&* 5.*Cod.de bonis vacantibus*, devolvuntur ad fiſcum; & quidem ad ſæcularem, ſi defunctus fuit laicus; ad Eccleſiaſticum, ſi fuit clericus, Laym.*l.*3.*t.*5. *c.*6.*n.*4. Buſemb.referendus *n.*1153. Attamen Amicus *de juſt. d.*16.*n.*6. non putat poſſeſſorem ante Judicis ſententiam teneri hæc bona fiſco tradere, nam in eadem lege dicitur intrà certum tempus poſſe præſcribere contra fiſcum, ergo ſupponitur poſſe retinere bona fide, cùm mala fide nunquam præſcribatur. Diſponit etiam *Auth.Omnes peregrini*, *Cod.Communia de ſucceſſionibus*, ut bona peregrinorum decedentium ſine teſtamento occupari non poſſint ab eorum hoſpitibus, ſed Epiſcopus ea tradat hæredibus ab inteſtato, aut eroget in pias cauſas, ita ut ſi hoſpes ſibi inde aliquid ſumpſerit, triplum reſtituat applicandum pro arbitrio Epiſcopi. Sed Taberna *p.*2.*t.*2.*c.*5.§.2. loquens de iſta lege ait, *vel eſt uſu contrario abrogata: vel, ut vult* Mol.*eſt limitata ad eos, qui inteſtati decedunt in hoſpitalibus, Epiſcopo ſubjectis, vel, ut* Gudelinus, *ad res parvi momenti, quas peregrinus apud ſe habuerit*: verùm ſpectandæ ſunt conſuetudines locorum.

Q.28. Quid circa theſauros, venas metallorum, & ſi- 105
miles res occultas, ſi inveniantur? R.Seqq.§.1.Theſaurus eſt res mobilis, quæ fuit alicujus, nunc autem erat profundè defoſſa in terram, & antiquitus depoſita in uſum futurum, carebatque domino, ſaltem ideò, quia defecit deponentis memoria. Leſſ.Lugo & Haun.ſic definiunt: vetus depoſitio pecuniæ vel alterius rei mobilis, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat; & ita habetur *L.Nunquam*, *ff.de acquir.rer. domin.* Ideoque rectè infert Lugo *diſp.*6.*n.*111. ſi adhuc ſit ejus dominus, qui ſciat illud ſuum depoſitum, non eſſe theſaurum: deinde ex prima definitione inferunt aliqui, ſi res non fuerit profundè, vel non antiquitus defoſſa in terram, non eſſe propriè theſaurum: è contra Lugo putat nomine theſauri venire etiam illa, quæ non in terra ſed alibi ſunt recondita, v.g. in muro vel arbore, & *n.*129. dicit, ſi emiſti ſaccos lanæ, vel antiquas trabes, in quibus conditæ erant pecuniæ, aut alia pretioſa mobilia, hæc dici theſauros, & de illis etiam valere diſpoſitiones juris poſitivi, quas jam referemus.

§.2. Si theſaurus ſit inventus in loco publico ad nemi- 106
nem ſpectante, totus eſt inventoris, §. *Theſauri* 39. *Inſtitut. De rerum diviſione*. Si inventus ſit in loco ad aliquem ſpectante, etiam ad civitatem aliquam, diſtinguendum eſt, nam ſi inventus ſit caſu, media pars cedit inventori & media domino fundi, ſive fundus ſit ſacer, ſive profanus, uti habetur in *Inſtit.*ſupra, docentque AA.apud Dian.*p.*8.*t.*5.*R.*3.cum Burgh. *cent.*2.*caſ.*1. quamvis jus apud Haun.*t.*5. *num.*14. in aliis locis, aliter loquatur, ſi in loco ſacro aut in monumentis reperiatur, nempè ut media pars cedat fiſco. Si ſit inventus ex induſtria ſeu quærendo, totus pertinet ad dominum fundi, *L.un.Cod.*

De

De theſauris, probatque ex conſenſu Theologorum Bon. *de reſtit.d.1.q.3.p.3.n.3.* Putant tamen Vaſq.Baun.Leſſ.*l.2. c.5.n.* 59 Lug.*n.*131.& alii cum Illſ.*t.*4.*d.*2.*n.*251. non eſſe obligationem in hoc ultimo caſu dandi domino fundi, niſi accedat ſententia Judicis, quia videtur eſſe lex pœnalis ob præſumptionem furti, ſed Bonac.& alii dicunt etiam leges illas eſſe abſolutè diſpoſitivas, ideoque obligare etiam ante ſententiam; potuit enim Princeps aut Reſp.& ſufficienter declarat ſe velle ſic transferre dominia theſaurorum, ſi inveniantur.

107 §.3. Si dominus fundi licentiam dederit quærendi theſaurum, Nav. & Lugo *n.*114. probabiliùs dicunt totum eſſe inventoris, niſi forte per fraudem obtinuerit licentiam, ſi enim dominus nihil ſibi reſervarit vel deduxerit in pactum, ſtandum eſt jure naturæ, quo theſaurus cedit primo occupanti, cùm leges poſitivæ nihil diſponant de hoc, ſi inveniatur de induſtria, ſciente & conſentiente domino fundi, dummodò tamen inventor ex inquiſitione antecedente non præſciverit, uti notat Illſ.*à num.*252.

108 §.4. Si inveniatur in fundo uſufructuarii vel locatarii, hi inventores poterunt acquirere dominium vel ejus partem, ſed non in quantum uſufructuarii aut locatarii, quia theſaurus non eſt fructus fundi, unde pars, quæ competet domino fundi, ſpectabit ad dominum directum: è contra ſi inveniatur in fundo feudatarii vel emphyteutæ, his competet, quia in omnibus ſubſtituuntur tanquam veri domini, exceptis quibuſdam caſibus, inter quos non eſt theſauri inventio, Lugo *à num.*118. Haun.*n.*18.Illſ.*n.*356.

109 §.5. Si arte magica vel alia odioſa aut prohibita inveniatur etiam in proprio fundo, in pœnam criminis ſtatuitur *L.unic. Cod.de theſauris*, ut pars inventori alioquin debita cedat fiſco, ſed cùm quoad partem illam ſit lex pœnalis, Nav.Leſſ.*num.*65. Lug. *num.*131. aliique communiùs dicunt non obligare ante ſententiam Judicis.

110 §.6. Si venæ metallorum inveniantur in loco publico, qui nullius eſt, metalla fiunt primò occupantis: è contra ſi inveniantur in fundo alicujus, Sot.aliique cum Leſſ.*l.*2.*c.*5.*dub.*12. dicunt non pertinere ad dominum fundi, ſed ad inventorem, 1. quia ſunt aliquid ordinatum ad bonum commune: 2. Quia alioquin pictura Apellis, ſi fieret in viliſſimo panno, deberet cedere domino panni, quod falſum eſt ex dicendis *num.*135. 3.Quia aliàs Principes iniquè agerent faciendo ea erui etiam in fundo alieno, reſervata ſibi bona eorum parte, & tantùm compenſato damno, quod cauſatum eſt domino fundi: *Sed* rationes illæ non convincunt, *nam* ex 1.ſequeretur, etiam non debere cedere inventori; itaque adhuc ſunt ad bonum commune, quamvis fiant privatorum, qui diſtrahere poterunt. Nec 2. ſtringit, nam pictura ab extrinſeco advenit, nec eſt pars panni, ergo non erat æquum, ut pannus longè vilior ad ſe traheret picturam. Nec 3. quia pro hoc poterunt eſſe aliæ juſtæ cauſæ; Hinc Vaſq. Turr. Mol. *t.*2. *d.*54. Lugo *num.*107. Haun. *num.*4. ptobabiliùs dicunt de jure naturæ ſpectare ad dominum fundi, quia ſunt illius pars, vel ſaltem inter fructus naturales computari debent, uti enim herbæ, ita metalla è terra gignuntur, agente ſole vel igne ſubterraneo; & ſicuti fodina lapidum eſt illius, in cujus fundo invenitur; item fons illius, in cujus fundo erumpit, multò magis metallum.

111 §.7. Notat rectè Haun. *n.*18. circa inventionem theſaurorum, & Lugo *n.*108.circa inventiones metallorum, ſpectandam eſſe conſuetudinem locorum, nam hodie dum Principes aut Reſp.magnam partem vel totum theſaurum ſibi vendicant, venas autem metallorum magna ex parte applicant inventoribus, etiam ideo, ut eos ad quærendum incitent; & ita etiam habetur *L.3. Cod.de Metallariis & metallis. Cuncti, qui per privatorum loca, ſaxorum venam laborioſis effoſſionibus perſequuntur, decimas fiſco, decimas etiam domino repræſentent, cætero modo ſuis deſideriis vindicando*: an autem id juſtè per modum tributi, an verò tale tributum ſit injuſtum eò quòd videatur inæquale, videri poteſt Lugo, qui dicit juſtum eſſe, eò quòd ſpes ejuſmodi inveniendorum parvi æſtimetur, & ita ſtatuatur pro priori ad hoc, quòd hic vel ille fundum poſſideat: quo autem pretio emi poſſit fundus, in quo ſcitur eſſe theſaurus aut ejuſmodi vena metallica, de quibus tamen dominus fundi nihil ſcit, dicetur poſteà *n.*942.

112 *Q.*29. *Cui reſtitui debeant res ex incendio vel naufragio ereptæ?* R. Priori domino, uti rectè Bonac.*de Reſtit.d.*1.*q.*3. *p.*10.*n.*6.quia tales res manent domini, & alioquin cuivis liceret rapere quidquid poſſet, è domo incenſa: & quamvis ille, qui eripuit, potuiſſet ſine injuria permittere comburi vel mergi, tamen hoc ipſo, quòd eripuerit, res obtinuit meliorem ſtatum, qui ſtatus ad rem ipſam pertinet, adeoque ad dominum rei, uti *n.*100.dictum eſt: quod maximè valet de rebus, quas dominus in periculo naufragii ejicit, uti rectè Haun.*tr.*5.*an.*152. nam non ideò ejicit, quòd habere nolit, ſed ut evadat, vultque recipere, ſi poſſit, & non ſunt in derelicto, ſed in deperdito, *§.*48. *Inſtit.De rer.dom.l.*21.§.1. *ff.de acqu. vel amitt.poſſeſſ.*

hinc qui eas res rapuit, & repetenti non reddit, quadruplo tenetur, *l.*44. *ff.De acquir. rer. domin.* imò ſic retinens publicatione omnium bonorum mulctatur, *Auth. Navigio, Cod. de furt.& ſervo corrupto*: Hinc cum aliis docet Dicaſt.*de Reſt.d.*9. *n.*436. aliam legem aut conſuetudinem, per quam talia bona fierent illius, ad cujus fundum appellerent, fore injuſtam: hinc etiam in Bulla Cœnæ excommunicantur, qui bona naufraga Chriſtianorum occupant, niſi fortè cenſeantur derelicta, uti diximus *n.*90.

*Q.*30. *Cui reſtitui debeant res in bello captæ?* R. Dominium rerum immobilium juſto bello captarum acquiritur Principi vel Reip.niſi tales res iterum eriperentur hoſtibus, tum enim antiquis dominis reſtituendæ ſunt, *l.*20. §.1. *ff.de capt.* tenentque AA.communiter cum Dicaſt. *lib.*2. *t.*1. *d.*10. *n.*420. E contra ſi ſint res mobiles, diſtinguunt aliqui Juriſtæ apud Haun.*n.*60.dicentes, ſi ſint valdè pretioſæ, acquiri Principi; ſi vulgares, acquiri capientibus; ſed Dicaſt. dicit, ſecluſa conſuetudine in contrarium, regulariter acquiri capientibus, quia §.17. *Inſtitut. de rerum diviſion.* abſolutè ſic habetur: *Item ea, quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt.* Quod ſi talia capiantur, quæ hoſtes injuſtè rapuerant, de juré naturæ reſtitui deberent dominis, jure tamen Cæſareo ad vitandas lites fiunt capientium, ſi hoſtes ea deportarant ad præſidia vel loca tuta, Molin. Coning.Tann. Burgh.*cent.*2. *caſ.*6.Valet tamen illa diſpoſitio tantùm pro ſubditis Cæſari, & tantùm circa bona fortunæ pertinentia ad laicos, quia de illis ſolis diſponere potuit jus Cæſareum: ſi autem hoſtes nondum deportarant ad præſidia vel loca tuta, aut ſi domini adhuc inſequebantur, etiam de jure Cæſareo reſtitui debent prioribus dominis, Molin.Dicaſt.*n.*424. 113

DUBIUM VI.

De rebus, quæ debent reſtitui.

ARTICULUS I.

Quid debeat reſtitui ab inferente injuriam materialem tantùm, ſive à poſſeſſore bonæ fidei?

RESP. Qui bona fide damnum intulit, aut poſſidet aliquid, de quo poſteà meliùs cognoſcit, tenetur, ne incipiat eſſe poſſeſſor malæ fidei & detinere alienum, id tantùm, & non plus reſtituere, quod ex ea re ipſi ſupereſt unà cum ejus fructibus, ſi extent, vel quatenus inde factus eſt ditior, præterquam, ſi dominium ſibi comparavit per legitimam præſcriptionem. Ita comm. Doctores Mol. Sanch. Leſſ.*l.*2.*c.*14.*d.*1.Bonac.*tom.*2.*de Reſtit.d.*1. *q.*2. *p.*1. Laym. *l.*3.*t.*2.*c.*3. *Unde reſolves:* 114

I. Si veſtem v.g.bona fide donatam à fure aut alio, portaſti, & ferè attriviſti, ac poſteà dominus compareat, teneris eam, aut æqualem ei reſtituere, & inſuper perſolvere quantum attrita eſt, ſi aliàs veſtem æqualis valoris attriviſſes: ſi autem eam amiſiſti; aut ablata tibi eſt, &c.ad nihil teneris, Bonac.*l.c.*Laym.*n.*1.V.Trul.*l.*7.*c.*11.*d.*1. *n.*3. Si autem res, quam à fure bona fide accepiſti (ſive donatione, ſive emptione) ſit uſu conſumptibilis, eamque eum tuis miſcuiſti, ita ut diſcerni nequeat, etſi deinde deprehendas furtivam fuiſſe, non teneris reſtituere, Nav.Sylv.Sayr.Leſſ.Bon.*d.*1.*q.*3.*p.*1. quia per iſtam commixtionem bona fide factam, eſt in te translatum dominium, ut colligitur ex *L. Si alicui nummi, ff.de ſolut.* neque eſt ratio, cur hæc potiùs, quàm illa pars cenſeatur aliena: atque adeò periit obligatio realis, & tantùm manet perſonalis in venditore, V.Dian.*p.*4. *t.*4. *R.*66. Trull.*d.*3.*n.*7.Leſſ.*n.*22.156.157. ubi addit, eſſe valdè probab.le, jurique naturæ conforme, quod vetus dominus rei illius ablatæ & permixtæ (quamdiu totus cumulus extat) retineat jus in re, ut ex iſto cumulo ſibi ſatisfiat ante alios; imò poſſit ex eo occultè accipere.

II. Milites bona fide militantes, intellecta poſteà belli injuſtitia, id tantùm reſtituere debent, quod adhuc habent ex præda, & quo facti ſunt ditiores, Bonac.*l.c.*

III. Qui bona fide per inculpatam ignorantiam celebravit contractum, quem poſteà uſurarium eſſe cognoſcit, non plus tenetur, quàm factus eſt ditior. V.Laym.*c.*3.

IV. Poſſeſſorem bonæ fidei, ſi adhibita diligentia inclinet in eam partem, quòd res non ſit ſua, teneri aliquid reſtituere juxta inclinationem, docet Kon.*d.*34. *dub.*10.*n.*93.At Palaus *t.*1.*d.*3.*p.*2.*n.*11. putat ad nihil teneri, quia poſſeſſio contrariis rationibus non convincentibus præponderat. Idem docet Vaſq.apud Eſcob.*t.*3.*c.*3.*n.*154.Dian.*p.*4. *t.*3. *R.* 24. *&* 26. Si neglexit inveſtigare veritatem, & deinde ſciri non poteſt, dicit Palaus *l.c.*ad nihil teneri.

V. Si bona fide rem vendidiſti dono tibi datam, teneris reſtituere pretium, quia factus es locupletior: & ſatis debet

„ bet eſse tibi, non habere minus, quàm ante. Quòd ſi ta-
„ men apud alterum res eſt, is reddere tenetur. *Ib.* & Vaſq.
„ *c.*9.§.2.Mol.Leſs.*d.*1.*&* c.21. *d.*17.

„ VI. Si bona fide rem ipſe emiſti, & vendidiſti, abſque
„ lucro, nihil teneris reſtituere, ſed ſolus is, apud quem res
„ eſt. Mol.*l.c.*Leſs. *l.c.*contra Vaſq.*&c.*

„ VII. Si rem alienam bona fide donaſti, non donaturus
„ aliam, ſi hanc non habuiſses, ad nihil teneris, quia non es
„ factus ditior: ſecus, ſi aliam donaturus fuiſses (quia tunc
„ parcendo tuæ, factus es ditior) vel ſi aliquid accepiſti in
„ remunerationem, Bonac.Trull.*n.*6.

„ VIII. Si aliena re lucratus es tanquam inſtrumento, v.g.
„ frumentum alienum aliò deportatum vendidiſti, vel pecu-
„ niam alienam negotiationi expoſuiſti, non teneris illud lu-
„ crum reſtituere; quia non eſt fructus rei alienæ, ſed tuæ
„ meræ induſtriæ: tales enim fructus dicuntur meræ induſtriæ,
„ quos ipſa natura ex ſe nullo modo gignit, ſed tantùm con-
„ currit ut inſtrumentum operantis. Lay.*n.*3.ex S.Th.& aliis.

„ IX. Fructus omnes rei, ſive ii ſint merè naturales, hoc eſt,
„ qui vix ullo hominum labore egent; ut fœtus animalium, ar-
„ borum, herbæ & gramina: ſive ſint ſimul induſtriales; ſive
„ mixti, hoc eſt, ad quos æquè, aut magis hominum labor cum
„ natura concurrit, ut v.g.ſegetes, & quæ ſerendo gignuntur;
„ item vinum, oleum, lana &c.quò etiam referuntur pretia lo-
„ cationis domorum, jumentorum, &c.qui fructus civiles ap-
„ pellantur, hi, inquam, fructus rei, ſi percepti & extantes
„ ſint, domino reſtitui debent; deductis tamen expenſis pro-
„ priis, & æſtimatione laboris. Et quidem pretium locationis
„ ex re aliena debet domino reſtitui, licèt is rem, ſi penes ſe ha-
„ buiſset, non fuiſset locaturus. V.Laym.*l.c.*Si tamen fructus
„ iſti reales bona fide poſſeſſi fuerint tempore à lege præſcripto
„ ad uſucapiendum illos, (quòd, ſi adſit titulus, eſt biennium
„ inter præſentes, inter abſentes quadriennium; ſi autem non
„ adſit titulus, anni 30. cum bona fide) non ſunt reſtituendi;
„ quia uſucapio transfert dominium, Salon.Trull.*l.*7.*c.*11.*d.*3.

„ X. Si à fure accepiſti (ſive bona ſive mala fide) rem uſu
„ conſumptibilem, v.g.vinum, oleum, triticum, &c. cum
„ propriis ipſius furis rebus permixtum, ita ut non diſcerni
„ poſſit, non teneris reſtituere, ſi fur ad reſtituendum ſit po-
„ tens; quia fur per commixtionem iſtius rei cum propria,
„ acquiſivit ejus dominium, atque ideo illud tanquam verus
„ ejus dominus potuit transferre, Nav.Sanch.Leſs.Bon.Trull.
„ *n.*6.V.Dian.*p.*2.*t.*5.*miſc.R.*40.

ADDENDA.

115 QUæſt.31. *An res eadem in individuo reſtitui debeat?* R. §.1. Valerus apud Dian.*p.*2.*t.*16.*R.*29. dicit non peccari contra juſtitiam, ſi reddatur qualiſcumque in valore æqualis, quia reducitur æqualitas; poſse tamen esse contra charitatem, ſi cauſetur triſtitia vel ira in domino: ſed dicendum eſt, debere ex juſtitia, per ſe loquendo, reſtitui eandem in individuo, niſi alteri ſit acquiſitum ejus dominium, ita TT. omnes communiter; quòd etiam volunt Juriſtæ, quando dicunt rem in ſpecie esse reſtituendam, uti notat Dicaſt. *de Reſt. d.*2.*d.*2. Ratio eſt, quia res manet domini, qui ſalva juſtitia non poteſt cogi permutare rem ſuam, ſi rationabiliter nolit, etiamſi ſuperadderetur aliquid ſupra juſtum pretium, uti addit Dicaſt. *n.*134. *Dixi* 1. per ſe loquendo, nam rectè docent S. Anton.Silv.Nav.Valent.Dicaſt. *nu.*13. quandoque poſse rem aliam reſtitui, ſi alioqui aliud grave incommodum ſequeretur, uti ſi reſtituendo rem eandem fur occultus manifeſtaretur: addit Dicaſt.*n.*21. probabile eſse, quòd furatus pecuniam aut aliam rem unico uſu conſumptibilem, ſatisfaciat reddendo ſimilem, quia ſola diverſitas numerica non cenſetur in ejuſmodi rebus facere inæqualitatem, unde affectio ad ſuam determinatè pecuniam cenſebitur irrationabilis: oppoſitum tamen tenent Covar.Medin.aliique multi. *Dixi* 2.niſi alteri acquiſitum ſit ejus dominium, tum enim poſset res illa in individuo retineri, ſed quia hic alter per rem alienam factus eſt ditior, nec leges poſitivæ volunt rem esse abſolutè ipſius, niſi fortè in alluvione, de qua *à n.*136. & in præſcriptione, de qua *à n.*468. tenebitur reſtituere æquivalens: tale autem dominium rei alienæ acquiri poteſt permixtione, ſpecificatione, acceſſione, de quibus ordine aliqua addemus.

116 §.2. Si permiſceantur res liquidæ aut liquefactæ, ſive ſint ejuſdem ſive diverſæ ſpeciei, dicitur confuſio, uti ſi ex duobus oleis fiat unum, ex vino & melle mulſum, ex ſtanno & argento poculum: Si permiſceantur res manentes ſolidæ, dicitur ſtrictè mixtio, uti ſi permiſceantur pecuniæ, frumenta: debent tamen talia mixta poſt confuſionem vel mixtionem esse ab invicem diſcernibilia: per hoc autem etiam differunt confuſio & mixtio, quod facta confuſione nulla pars aſſignari poſſit, quæ non habeat aliquid de utroque: ſic omnis pars mulſi eſt partim vinum partim mel: è contra quando ſolida miſcentur, v.g. meum frumentum cum tuo, grana manent ſeparata, & de ſingulis verum eſt dicere, hoc granum non fuit utriuſque, licèt nunc propter ſimilitudinem diſcernere non poſſimus, cujus fuerit. Videri poteſt Illſ.*t.*4.*d.*2.*n.*269.

§.3. Si confuſio rei alienæ cum tua fiat communi conſenſu 117
vel caſu, ſive partes ſint ejuſdem generis, uti partes olei tui & mei, ex quibus non reſultat niſi oleum; ſive diverſi, uti ſtannum & argentum, ex quibus conflatur poculum, dominium totius eſt commune utrique. *Inſt. ſupr.* §. *Si duorum*, 27. Si autem altero inſcio vel invito rem ipſius confundas cum tua, & ſint res diverſi generis, quæ per ordinariam humanam artem non poſſint ab invicem ſeparari, uti ſeparari non poſsunt vinum & mel in mulſo, tu acquiris dominium totius mulſi, uti habetur *ſupra* §. 25. *in fine*. E contra ſi res diverſi generis ſic confuſæ poſſint ordinaria arte humana ſeparari, uti poculum reſolvi poteſt in ſtannum tuum & argentum meum, non acquiris dominium mei argenti, ſed tu tui ſtanni, ergo mei argenti manebo dominus, & per vendicationem potero repetere, Haun.*n.*114.

§.4.Si alienam pecuniam domino inſcio vel invito miſceas 118
tuæ volens totam habere ut tuam, acquiris ejus dominium, *l.*78. *ff.de ſolut.* & rationem dat Gloſsa, quia mixtio habet vim conſumptionis: quod certum videtur, ſaltem quando tua erat in majori quantitate, quia pars major trahit ad ſe minorem, ſecundum *l.*23. §.4. *ff.de rei vendic.* docentque Mol.Vaſq.Lugo *n.*166.Dicaſt.*l.*2.*t.*2.*d.*5. *n.*185. Quod ſi aliena fuiſset in majori quantitate, aut etiam in æquali, ſecundùm Lugo non fieret tua, ſed neque alterius, cùm ille non habeat voluntatem acquirendi dominium totius: ſi autem mixtio fiat communi conſenſu vel caſu, ſive ſint pecuniæ ſive res aliæ in *Inſtit. de rer. dom.*§. *Quod ſi*, 28.ſtatuitur, ut totus cumulus ſit utriuſque, tum enim cenſetur esse voluntas eorum, ut res tota maneat communis: quòd ſi uterque nollet esse communem, neque etiam ſinguli vellent habere totum cumulum tanquam ſuum, ſingula mixta manerent propria ſingulorum, & per Judicem deberet ſingulis ſecundùm æquitatem pars attribui, uti habetur in *Inſtit.ſupr.*

§.5. Si fiat mixtio rerum aliarum, quæ non ſunt pecuniæ, 119
ut mei frumenti cum tuo, & miſceas me inſcio ac invito, volens habere totum tanquam tuum, Haun. ſuprà dicit me manere dominum mei, partemque meam à Judice ſeparandam eſse, quia id ſpecialiter ſtatutum eſt de pecuniis in *ff.ſupra*, & ratio potuit eſse, quia pecuniæ ſunt in quotidianis commerciis, unde multæ difficultates oriri poſſent, ſi earum dominium, quando miſcentur, maneret ita incertum; è contra Lugo ſupra dicit eandem eſſe rationem de frumentis & aliis rebus; idemque affirmat Dicaſt.*n.*185. de rebus omnibus unico ſui uſu conſumptibilibus, quia de omnibus valet dictum Gloſſæ, quod mixtio ſit quædam conſumptio rei.

§.6. Etiam ſpecificatione acquiritur dominium aliquan- 120
do, uti habetur §.25. *Inſtit.de rer. diviſ.* Porrò per ſpecificationem hic intelligitur introductio formæ novæ in materiam, ſeu mutatio materiæ in aliquid aliud, ita ut dicatur produci quaſi nova ſpecies, uti quando ex uvis fit vinum, ex auro vas, ex lana pannus, ex tabula navis: ad ſpecificationem autem, qua acquiratur dominium, non ſufficit aliquid quomodocumque accidentaliter immutari, ſed requiritur talis immutatio, ut in commercio humano fiat nova res, quæ etiam ideò efferatur novo nomine ſubſtantivo, uti ex lana fit pannus, hinc ſi lanam meam ex alba tantùm facias nigram, non erit ſpecificatio, ideoque lana manebit mea, *L.*26. *ſ.ult.ff.De acquir. rer. domin.*

§.7. Si ex aliena materia facias ſpeciem, quæ ſemel facta 121
non poſſit reduci ad priorem materiam, acquiris dominium illius ſpeciei: è contra ſi poſſit reduci, dominium manet apud illum, cujus fuit materia, *Inſtit ſupra* §.25. item *L.*7.§.7. *ff. ſupra*, ſic vinum ex uvis factum non poteſt redire ad uvas, hinc ſi expreſſeris vinum ex meis uvis, acquiris vini dominium, ſed mihi competit actio perſonalis in factum contra te; è contra vas ex auro factum poteſt reſolvi in aurum, hinc ſi feceris vas ex auro meo, dominium eſt meum, ideòque competit mihi actio etiam realis ad vas illud.

§.8. Quamvis faciens ſpeciem ſubminiſtraverit partem ma- 122
teriæ, uti ſi ex auro, quod mihi & tibi erat commune, feceris vas, non ideò acquiris dominium mei auri, quia vas poteſt reſolvi in aurum utrique commune, ita cum communiore Haun. *n.*109. Si tamen aurum meum jam ante per confuſionem eſſet factum tuum, etiam vas eſſet tuum.

§.9. Si ex frumento fiat farina, fit ſpecies & acquiritur do- 123
minium farinæ: è contra ſi ex ſpicis excutiatur frumentum non fit ſtrictè ſpecies; *Nec obſtat*, quòd in *Inſtit.*ſupra pro exemplo ſpecificationis ponatur, *ſi ex ſpicis fiat frumentum*, nam hìc locus videtur malè impreſſus, & intelligi debet juxta *L.*7. §.7.*ff.de acquir.rer. dominio*, unde deſumptus eſt, ubi expreſsè dicitur oppoſitum, additurque ratio, cùm enim grana, quæ ſpicis continentur, perfectam habeant ſuam ſpeciem, qui

excuſ-

excuſſit ſpicas, non novam ſpeciem facit, ſed eam, quæ eſt, detegit: & ita etiam cum aliis docet Haun. *n.*106.

124 §.10. Si ex meis aſſeribus facias navem, aſſeres manent mei, quia in eos reduci poteſt navis: è contra ſi ex mea quercu ſcindas aſſeres, & ex his facias navem, acquiris dominium navis & aſſerum, quia hi non poſſunt reduci in quercum, & ita conciliantur duæ leges apud Haun. *n.*108. quæ aliàs ſibi videntur contrariæ.

125 §.11. Probabilius videtur ad acquirendum dominium rei alienæ per ſpecificationem, ſemper requiri, ut facta ſit bona fide, eſt communior cum Gloſſa *ad* §.25. *Inſtit. ſup.* & Haun. *n.*107. contra Vveſemb. Heigium, Bachovium & alios. Ratio eſt, quia *L.*12. §.3. *ff. ad exhibendum*, dicitur, muſtum & oleum eſſe meum, quod fit ex uvis aut olivis meis ab illo, qui ſciat illa eſſe mea; neque poteſt eſſe alia ratio, quàm quia ſcivit eſſe mea; ergo quia proceſſit mala fide; & ratio additur, *quia ſi faciat ſciens rem eſſe meam, cenſetur mihi donare operam ſuam*, ergo non acquiret dominium rei meæ: ſi tamen ſciens rem eſſe meam bona fide putaret me contentum eſſe; acquirerem dominium cum obligatione faciendæ mihi compenſationis, tum enim non poteſt cenſeri donare operam ſuam, Haun.

126 §.12. Etiam per acceſſionem plerumque acquiritur dominium, id eſt, ſi rei alicui tanquam præſuppoſitæ & principali accedat aliquid, hoc, quod accedit & quaſi adjicitur, cadit ſub dominium illius, cujus eſt res, cui accedit, ſicuti ſi poculo accedat anſa, ſtatuæ pes, annulo gemma, veſti ſuffultura vel intextura, ejus eſt anſa, pes, gemma, &c. cujus eſt poculum &c. quamvis illa adjecta eſſent pretioſiora, quàm iſta, quibus adjiciuntur: nec utrumque habet ſe veluti principale partialiter, uti ſe habent illa, quæ in mixtione concurrunt, ſed hoc, quod adjicitur, eſt acceſſorium, acceſſorium autem ſequitur principale *L.*23. §.2. *ff. de rei vendicatione*. *Nec obſtat*, quòd fortè fiet mala fide, uti ſtatuitur *ibid.* §.26. priori tamen domino relinquitur actio & condictio furti contra illum, qui fecit, & ejus hæredes: quandocumque autem tale quid, quod alienum erat, eſt adjectum etiam bona fide, ſi illud, quod adjectum eſt, abſque detrimento ſeparari poſſit, debet reddi priori domino, imò Lugo *n.*160. putat dominium manere apud illum, cujus antea fuit; quòd ſi abſque detrimento ſeparari non poſſit, conceditur actio, qua vindicetur, probando quòd habeat ſine juſto titulo, ideoque cogatur ad compenſandum.

127 §.13. Ad acceſſionem reduci poſſunt ædificatio, plantatio, ſatio, ſcriptura, pictura; cùm in his etiam unum adjiciatur alteri præſuppoſito, nempè ædificium, arbor, ſemen, fundo: characteres chartæ; imago telæ vel tabulæ, in quibuſdam tamen non omnino conveniunt cum acceſſione, uti patebit ex dicendis.

128 §.14. *In Inſtit. De rer. diviſ.* §.29. ſic ſtatuitur. *Cùm in ſuo ſolo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipſe intelligitur dominus ædificii, quia omne, quod ſolo inædificatur, ſolo cedit; nec tamen is, qui materiæ dominus fuerat, deſinit dominus ejus eſſe, ſed tantiſper, neque vendicare eam poteſt, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem* 12. *tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, ſed duplum pro eo præſtet per actionem, quæ vocatur, de tigno juncto: appellatione autem tigni omnis materia ſignificatur, ex qua ædificia fiunt: quod ideò proviſum eſt, ne ædificia reſcindi neceſſe ſit: quod ſi aliqua ex cauſa dirutum ſit ædificium, poterit materiæ dominus, ſi non fuerit jam duplum conſecutus, tunc eam vindicare*. Lex illa intelligitur de ædificiis ſolo affixis, & immobilibus, quæ enim ſolo moveri poſſunt, ſolo non cedunt, *L.*60. *ff. De acquir. rer. domin.* Senſus autem legis eſt, ut tignus, licèt furtivus ſit, à domino vindicari non poſſit, ne ſit opus diruere ædificium, *L.*1. *ff. de tigno juncto*; quamvis furtivus ille ædificator per *L.*23. §.6. *ff. De rerum vendicatione* poſſit cogi, non tantùm ad ſolvendum duplum, ſed etiam ad triplum, & quando ædificium diruitur, etiam ad reddendum tignum, quamvis duplum ſolverit, Haun. *n.*123. & 130. Eſt autem communior ſententia contra Mynſing. & Vveſemb. etiam bonæ fidei ædificatorem poſſe cogi ad duplum pro tigno, quia *L.*6. *ff. Ad exhibendum*, abſolutè dicitur poſſe de tigno juncto agi actione in duplum; neque ideo punitur bonæ fidei ædificator, ſed adhuc minùs exigitur ab eo, quàm exigi poſſet, nam poſſet cogi, ut ædificium diruere ac tignum redderet domino; dici tamen poteſt ideo per legem relatam ita ſtatui, quia præſumitur mala fides. Hinc Haun. *n.*125. putat contra illum, qui ſibi conſcius eſſet de bona fide, non dandam actionem, niſi in factum ad ſimplum; poſſetque ædificator, etiam malæ fidei, ſi mallet, reddere tignum loco dupli, uti habet communior cum Haun. *n.*132. contra Gilken, & Hunnium, id enim nulla lege prohibetur.

129 §.15. *In Inſtit. ſuprà* §.30. ſic ſtatuitur; *ex diverſo, ſi quis in alieno ſolo ex ſua materia domum ædificaverit, illius ſit domus, cujus & ſolum eſt, ſed hoc caſu materiæ dominus proprietatem ejus amittit, quia voluntate ejus intelligitur alienata, utique ſi non ignorabat ſe in alieno ſolo ædificare, & ideò licèt diruta ſit domus, materiam tamen vendicare non poteſt*. Ex hac lege colligitur illum, qui ſciens ædificavit in alieno fundo, nequidem pretium materiæ poſſe repetere, qui cùm ſciverit ædificia ſolo cedere, præſumitur voluiſſe adjicere & donare fundo, *L.*7. §.12. *ff. De acquir. rer. domin.* Si tamen omninò ſciretur non feciſſe animo donandi, videtur poſſe repetere, quamvis ſciens fecerit, nam *L.*2. *Cod. de rei vendic.* ſic ſtatuitur, ſi ædificium fuerit diſſolutum ejus materiam ad priſtinum dominum redire, ſive bona ſive mala fide extructum ſit, ſi non donandi animo fecerit: de quibus tamen legibus conciliandis alias ſex authorum reſponſiones affert Haun. *à n.*136. ſed hæc videtur facilior.

§.16. Si Titius, ædificaverit in fundo Caji ex materia Sempronii, hic retinet dominium ſuæ materiæ poteritque repetere diruto ædificio, niſi priùs compenſatum ſit ei pretium, vel à Titio vel à Cajo, Haun. *n.*135. 130

§.17. Qui in alieno ſolo etiam bona fide ædificavit, ſi ipſemet non poſſideat ædificium, ſtricto jure non poteſt quicquam repetere, *L.*33. *ff. De condictione indebiti*; ex æquitate tamen, etiamſi mala fide fecerit, poteſt repetere pretium materiæ & expenſarum, ſecundùm æſtimationem utilitatis, uti ei conceditur *L.*38. *ff. De petit. hæred.* & rectè docet Haun. *n.*142. Illſ. *n.*271. *aliique*. 131

§.18. *In Inſtit. ſuprà* §.31. ſic ſtatuitur: *Si Titius alienam plantam in ſolo ſuo poſuerit, ipſius eſt, & è diverſo ſi Titius ſuam plantam in Mævii ſolo poſuerit, Mævii planta erit, ſi modò utroque caſu radices egerit, ante enim, quàm radices egerit, ejus permaneat, cujus fuerat, adeò ut ſi vicini arbor in terram Titii ita preſſerit, ut in ejus fundum radices egerit, Titii effici arborem dicamus: ratio enim non permittit, ut alterius arbor eſſe intelligatur, quàm cujus in fundum radices egerit, & ideo propè confinium arbor poſita, ſi etiam in vicini fundum radices egerit, communis ſit*. Notat tamen rectè Haun. *n.*143. ut arbor vicina fiat mea, non eſſe ſatis, quòd radices aliquas, & etiam aliquos ramos projiciat in fundum meum, ſed requiri, ut origo ſeu truncus in meo fundo creſcat, uti habetur *L.*6. §.2. *ff. Arborum furtim cæſarum*, ubi etiam ſtatuitur non licere mihi ſuccidere radices & ramos ſe nimium porrigentes, ſed dari mihi actionem contra alterum, ut vel ipſe tollat, vel damnum compenſet; quod ſi monitus non fecerit, docent aliqui cum Schneiderv. me poſſe ſuccidere & mihi tollere, per *L.*1. & 2. *ff. De arboribus cædendis*. 132

§.19. *In Inſtit. ſup.* §.32. ſic ſtatuitur: *Quæ ratione plantæ, quæ terræ coaleſcunt, ſolo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ ſata ſunt, ſolo cedere intelliguntur*, additur tamen, ſi bona fide ſeverit, poſſe impenſas repetere; è contra ſi ſeverit mala fide, Haun. *n.*145. putat idem eſſe dicendum, quod *n.*129. diximus de ædificatore, ſi enim non poſſit præſumi voluiſſe donare, dicit poſſe repetere impenſas, ſicuti omnes concedunt eum, ſi fundum poſſideat, poſſe ſibi eas compenſare ex fructibus, niſi dominus fundi illas refundat, & ita videtur ſtatui *L.*38. *ff. de rei vend.* 133

§.20. *In Inſtit. ſup.* §.33. ſic ſtatuitur: *Litteræ, licèt aureæ ſint, perinde chartis membranisque cedunt, ac ſolo cedere ſolent ea, quæ inædificantur aut inſeruntur*. Notant tamen Haun. *num.*147. & Illſ. *num.*272. nunc conſuetudinem prævaluiſſe, ut charta cedat ſcripturæ, etiamſi mala fide eſſet conſcripta, quamvis ſcriptor tum conveniri poſſet actione furti in duplum, præter æſtimationem chartæ: ſi autem bona fide fecerit, ſatis erit reſtituere æquale ejus pretium. 134

§.21. *In Inſtit. ſupr.* §.34. ſtatuitur, ut tabula aut tela cedat picturæ, *ridiculum eſt enim*, inquit *Juſtinianus*, *picturam Apellis vel Parrhaſii in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere*: debet tamen domino tabulæ pretium perſolvi: & per hanc legem derogatur ſententiæ *Pauli Juriſconſult. l.*23. §.3. *ff. de rei vend.* qui vult picturam cedere tabulæ. 135

*Q.*32. *An debeat reſtitui, quod per alluvionem acceſſit?* R. §.1. *Quod per alluvionem agro tuo flumen adjicit, jure gentium tibi acquiritur*, (nec teneris reſtituere vel compenſare quidquam alteri damno paſso) *eſt autem alluvio incrementum latens: per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non poſſit, quantum quoque temporis momento adjiciatur, quod ſi vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit & vicini prædio attulerit, palàm eſt eam tuam permanere: planè ſi longiore tempore fundo vicini tui hæſerit, arboreſque, quas ſecum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo acquiſitæ eſſe. Inſula, quæ in mari nata eſt, occupantis eſt, nullius enim eſſe creditur: at inſula in flumine nata, ſiquidem mediam partem fluminis tenet, communis eſt eorum, qui ab utraque parte fluminis propè ripam prædia poſſident, pro modo ſcilicet latitudinis cujuſcumque fundi, quæ propè ripam ſit: quòd ſi alteri parti proximior ſit, eorum eſt tantùm qui ab ea parte propè ripam prædia poſſident: quod ſi aliqua parte diviſum ſit flumen, deinde* 136

infrà unitum, agrum alicujus in formam insulæ redegerit, ejusdem permanebit is ager, cujus & fuerat: quòd si naturali alveo in transversum derelicto ad aliam partem fluere cœperit, prior quidem alveus eorum est, qui propè ripam ejus prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque agri, quæ propè ripam sit; novus autem alveus ejus juris esse incipit, cujus & ipsum flumen est; quòd si post aliquod tempus ad priorem alveum reversum fuerit flumen, rursus novus alveus eorum esse incipit, qui propè ripam ejus prædia possident: alia sanè causa est, si cujus totus ager inundatus fuerit, neque enim inundatio fundi speciem commutat, & ob id si recesserit aqua, palàm est ejus fundum ejus manere, cujus & fuit. Hæc omnia verbotenus habentur *in Instit. De rer. divis. §.20. & seqq.*

137 §.2. Incrementum *latens*, seu quasi insensibile alluvionis, accrescit etiam usufructuario, quoad fructus, non tamen incrementum *patens*, id est, sensibiliter factum; uti habetur *L.9. §.4. ff. de usufructu*: incrementum latens & patens accrescit emphyteutæ, videturque etiam probabilius, quòd latens accrescat feudatario; an autem accrescat etiam patens, discrepant AA. apud Lugo *d.6.num.157.*

138 §. 3. Quando arbor per vim fluminis translata increscit alieno fundo, acquiritur domino hujus fundi, uti suprà dicitur: *Nec obstat L.5.§.3.ff. De rei vend.* quæ videtur dicere oppositum, *nam* omissis variis explicationibus, quas refert Haunol. *à n.92.* ibi tantùm dicitur, quòd *Varus & Nerva* dabant utilem actionem priori domino, nunc autem non ampliùs datur talis actio.

139 §.4. Ut sciatur, an insula nata sit in media parte fluminis, *Bartol.* dicit latitudinem fluminis esse in tres partes æquales dividendam; quòd si insula teneat partem, quæ in medio est, putat dividendam secundùm proportionem majoris vel minoris vicinitatis; si tota sit extra partem, quæ in medio est, tota cedet ripæ, cui est proximior: Haunol. *n.98.* putat totam insulam spectare ad ripam A. si nihil notabile se extendat ultra medium ad ripam B. & vice versa: si autem se notabiliter extendat ultra medietatem, dicit hanc partem pertinere ad ripam alteram.

140 §.5. Si flumen non naturaliter, sed agentibus hominibus mutet alveum, damnum ex novo alveo proveniens compensari debet domino fundi, in quem novus alveus inducitur, quod fiet, si prior alveus illi assignetur, uti dicunt Mol. & Lug. *n.155.* Addit Haun. *n.101.* ex aliqua etiam æquitate fieri, ut novus alveus per flumen factus, & posteà desertus restituatur priori domino, quamvis in rigore non sit obligatio ad hoc. De dominio maris, videri potest Grotius *l.2.c.3.*

141 *Q.33. Quid notandum sit circa restitutionem rei alienæ, ex qua quis factus ditior?* R. seqq. §.1. Tum quis dicitur ex re aliena fieri ditior, si ratione illius habeat, quod alioqui non haberet, v.g. illam vendidit, & ejusdem pretium habet; quia permutavit cum alia re, quam habet, quia per illam de se fructiferam lucratus est, quia habet fructus ex ea progenitos: quia illam consumpsit, & sic pepercit rei suæ.

142 §.2. Si quis bona fide sit usus pretiosa veste aliena, & sic pepercerit suæ viliori, tenetur tantùm restituere valorem ejus, quòd de vili veste sua attrivisset, quia solùm in hoc factus est ex veste aliena ditior: si tamen res sua, cui pepercit, fuit pretiosior re aliena, qua usus est, non tenetur alteri restituere nisi valorem rei, qua usus est, quia non est factus ditior ex illa re aliena, sed tantùm occasione illius plus habet per rem suam, cui pepercit, alter autem recipit, quod ex re sua est consumptum, Lugo *d.17.num.11.* Dicast. *de rest. d.5.num.19.*

143 §.3. Si res aliena pereat apud possessorem bonæ fidei, etiamsi cum culpa ejus pereat, v.g. quia voluntariè combussit, nihil tenetur restituere, non ex re accepta, quia non est factus ditior, neque ex injusta acceptione, quia cùm nesciverit esse alienam, non fecit formalem injuriam alteri, ita cum communi Dicast. *n.15. & 20.* contra Adrian. & Sotum. An Cajus debeat restituere pretium, quod ipsi dederat Titius pro obtinenda re aliqua, si Cajus hanc illi obtinuerit gratis, dictum est *p.1.n.1046.*

144 *Q.34. An Cajus teneatur restituere, si aliquid habeat per contractum injustum bona fide initum cum Titio?* R. Si posteà deprehendat se ita lucratum esse, Less. *in auct. v. Restit. cas.5. & v. Societas officiorum cas. un.* Sà *v. Usura n.8.* dicunt in conscientia non teneri restituere, si alio titulo tantundem à Titio lucrari potuisset, v.g. per censum annuum, favetque Sanctarell. *in Resolut. p.1.q.46. num.11.* sed dicendum est teneri Titio restituere, quantum factus est ditior, si Titius præsumi non possit consensisse in hunc alterum contractum, uti rectè Lugo *d.24. s.9.* Vide dicenda *n.924.*

145 *Q.35. Ad quid teneatur, qui bona fide rem furtivam emit aut vendidit, aut pro re sua accepit pretium furtivum?* R. Omnia ista resolventur posteà *à n.961.* An autem res furtiva possit reddi furi, si prævideatur non redditurus domino, dictum est *à n.98.*

Q.36. Quid addendum sit circa restitutionem fructuum bona fide perceptorum ex re aliena: item circa compensationem melioramentorum, vel expensarum? R. De his dicetur *à num.204.* 146

ARTICULUS II.

Quid debeat restitui ab inferente injuriam formalem, seu malæ fidei damnificatore, seu possessore?

RESP. Id juxta supradicta æstimandum à quantitate tum juris, quod alter habet; tum damni, quod injuste infertur; cui æquale reddi debet, nisi aliud de damnificati mente, & consensu rationabiliter præsumatur. *Unde resolves:* 147

I. Si damnificatus habet jus in re, in qua damnum est passus, restitutio ei facienda est in solidum: si autem tantùm habet jus ad rem, restitutio facienda est pro quantitate juris, consideratis circumstantiis: quia non debetur solidus valor rei, quæ expectabatur, cùm tantùm sit in spe, & multis modis possit impediri.

II. Qui in loco publico suæ civitatis, contra justam prohibitionem pascit, vel ligna cædit, non tenetur ad restitutionem, nisi communitati graviter nocuerit, v.g. stirpes incidendo, arbores ædificiis idoneas sternendo: quia rationabiliter præsumitur mens Reip. non esse, suis membris usum publicorum locorum rigidius prohibere, quàm sub mulcta solvenda, casu quo deprehendantur.

III. Gravius tamen peccaret, & teneretur ad restitutionem, si quis pasceret in loco alicujus privati: etsi enim hic præsumi aliquando possit de consensu domini, qui sæpè non intendit, ut fiat restitutio, sed ut deprehensus pœnam luat.

IV. Qui venantur, vel piscantur in locis alteri locatis, vel aliàs prohibitis, (saltem si ea concluſa vel circumsepta non sunt,) non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionē, docet Dian. ex Less. Dicast. &c. *p.9.t.9.R.39.* contra Bonac. &c.

V. Etsi probabilius sit, & in praxi communiter tenendum, peccari mortaliter circa vectigalium fundationem, ex eaque oriri obligationem restitutionis: non omnino tamen improbabiliter id alii quidam negant, eò quòd consuetudo interpretetur, non esse mentem legislatorum ad aliud obligare, quàm ut deprehensi mulctentur, v. Nav. *c.23.* Sà *v. Gabella*, Bon. *t.2. de restit. in partic. q.9. p.1. n.5.* ex Nav. Fil. *t.28. n.114.* Less. Mol. *d.9.* Dian. *tr. de leg. Ref.19.* Laym. *l.3.t.3. p.1.c.3.n.4. & 5.* Vide etiam Dian. *p.1.t.11.R.38. & p.2.t.17.R.28.* ubi ex Caj. Med. Sot. &c. docet non esse negandam absolutionem pœnitenti, qui defraudavit gabellas, seu vectigalia imposita rebus iis, quæ emuntur, non ad negotiationem, sed ad proprios, vel familiæ necessaria, v.g. pani, carnibus, piscibus, frumento, oleo, &c.

VI. Cæterùm ordinariè injustus, seu malæ fidei damnificator, aut possessor, tenetur non tantùm restituere rem ablatam, & fructus perceptos (exceptis suis expensis, & industria) sed etiam resarcire damnum emergens: & lucrum cessans, cùm verè sit injusta causa talium damnorum. Unde si dominus re sua retenta, per culturam vel negotiationem percepturus fuisset ex agro suo, aut pecunia centum florenos, & alter parum vel nihil, debet is domino suo satisfacere pro centum illis florenis: quamvis communiter soleant domini plurimùm remittere, si res componatur, Laym. *lib.3.tr.2.c.4.n.7.*

VII. Si res aliena, dum injustè detinetur, crescat, aut pretium ejus augeatur, domino crescit; ac proinde id ei præstari debet. V. Laym. hic.

VIII. Si res aliena, dum injustè detinetur, pereat, aut deterior fiat, idque casu vel justa hostium incursione, vel naturaliter, & certum sit apud dominum æquè perituram fuisse, non tenetur alteri restituere: quia nihil novi detrimenti domino apud furem v.g. accidit, quod non apud ipsum. Si verò non fuisset peritura apud dominum, vel saltem non nisi per injuriam, tunc injustus detentor adhuc tenetur ad restitutionem; licèt sine sua culpa res perierit, Laym. *n.2.*

IX. Si res aliena apud iniquum detentorem pereat, idque ipsius culpa, aut quia is absumpsit, alteri donavit, destruxit, &c. tunc etiamsi domino relicta, fuisset certò peritura, nihilominus tenetur pro ea domino satisfacere, ut est communis apud Laym. *l.c.* Less. *l.2.c.12.n.96. & c.*

X. Qui fingens se pauperem, vel alium quàm est, extorsit eleemosynam, non tenetur restituere, si parva fuit, qualis ostiatim mendicantibus datur: secus si fuit magna; tunc enim, quia subintelligitur conditio hæc, (si pauper es) tenetur restituere, secundùm Mol. danti; secundùm Palaum vel danti, vel aliis pauperibus. V. Escob. *t.3. E.2. cap.6. n.109.*

XI. Qui in extrema necessitate consumpsit, quod ante acce-

„ acceperat commodatum, conductum, vel precarium, non „ tenetur reſtituere, quia nec ratione rei acceptæ, cùm ea, nec „ in ſe, nec in pretio extet; nec ratione acceptionis, cùm jure „ eam conſumpſerit; nec ratione contractus, cùm hic non „ obliget, niſi re pereunte tua culpa, Leſſ.*l.*2.*c.*16.*n.*5. Hurt. „ Tur.Dian.*p.*5. *t.*8. *R.*10. Imò probabiliter nequidem id, „ quod ante illam neceſſitatem eras furatus, & in ea conſum- „ pſiſti: quia furtum tibi non ademit jus, quod ad rem tali ca- „ ſu habebas, Kon.Palaus, Hurt.Dian. *R.*8. contra Leſſ.& „ Vaſq.ſicut neque ſi in ipſa neceſſitate accepiſſes & conſum- „ pſiſſes, Dian.*R.*9.ex Azor.& 6.aliis contra Leſſ.

ADDENDA.

148 *Quæſt.*37. *An obligatio reſtituendi naſcatur ex actione injuſta, ſed non damnoſa?* R.De hoc dictum eſt *à num.*16.

*Q.*38. *Si actio damnoſa non ſit de ſe iniuſta, attamen ſit infecta vitio interno injuſtitiæ, an cauſet obligationem reſtituendi*, v.g. ſi Titius ſuaſerit Cajo, ut non faceret teſtamentum, quia prævidebat futurum, ut Cajus illud faceret in gratiam Sempronii, Titius autem diſſuaſerit ex intentione nocendi Sempronio, ne hæreditatem acciperet? Reſp.Probabilius videri, quòd non cauſet obligationem reſtituendi, ideoque Titium non teneri aliquid reſtituere Sempronio, ita Nav.Vaſq. Turr.Sanch.*in Conſ.l.*2.*c.*1.*d.*49.*n.*6. Caſtrop.*de Benef.d.*2.*p.*11. §.5.*n.*3.Dian.*p.*11.*t.*2.*R.*34.Eſp.*q.*35.Tamb.*l.*8.*t.*3.*c.*2.§.3.Haun. *t.*2.*n.*230.Petſch.*p.*156.Herinx *de Juſt.d.*5.*num.*6.aliique multi; contra multos, quos citat & ſequitur Lugo *d.*8.*à num.*74.quorum ſententiam etiam eſt valdè probabilis, eamque videtur ſequi S.Thom.2.2.*q.*62.*art.*2.*ad* 4. Ratio noſtra eſt, 1.quia alter non habet jus ad omiſſionem actionis illius externæ, hæc enim de ſe non eſt injuſta, uti ſuppono; dato autem, quòd habeat jus ad omiſſionem actionis internæ, ſicque per intentionem illam internam peccetur contra juſtitiam, hæc tamen intentio interna non eſt cauſa damni, ſed ſola actio externa, quæ ſola damnoſa eſt, ergo ſicuti non eſt obligatio reſtituendi pro voluntate interna furandi, ſi furtum non ſit ſecutum, quamvis volitio interna furandi ſit contra juſtitiam, ita nec erit obligatio reſtituendi pro intentione interna damni, ſi intendatur per actionem de ſe non injuſtam. Et ratio à priori eſt, quia hoc damnum æqualiter ſequeretur ex actione externa de ſe æquè damnoſa, ſive hæc actio externa procederet à mala intentione, ſive non, ergo ex hoc, quòd procedat à mala intentione, non ideò eſt damnoſa, ergo non ideò eſt obligatio reſtituendi. Adde probabiliter etiam dici, quòd in tantum ſit jus ad actiones vel omiſſiones internas, in quantum hæ neceſſariæ ſunt vel conducunt ad actiones vel omiſſiones externas, ad quas eſt jus, ſed non eſt jus ad talem omiſſionem externam, uti dictum eſt, ergo nec ad internam, & conſequenter actio interna, qua intendit damnum alterius, erit tantùm affectivè contra jus, non autem effectivè. 2. Si propter actionem externam cum tali intentione poſitam deberetur reſtitutio, ergo mercatores, opifices & homines paſſim tenerentur reſtituere, qui ex invidia vel malevolentia ponunt actiones de ſe juſtas & licitas, materialiter autem damnoſas, v.g.invitando emptores ad ſuas officinas cum intentione ſic damnificandi alium mercatorem vicinum, eſt autem contra ſenſum communem velle talem obligare ad reſtituendum, ergo.

149 *Objiciunt* 1. *L.*1.§.12.*& L.*2.§.9.*ff.de aqua pluvia arcenda*, dicitur contra eum, qui fontem vel aquæductum avertit, non poſſe agi, ſi non fecerit animo nocendi: ex quo videtur colligi, poſſe contra eum agi, ſi fecerit animo nocendi, ergo non tenebitur damnum illud compenſare. R.N.conſ.ex hoc enim, quòd poſſit contra eum agi, tantùm ſequitur poſſe illi intentari actionem de dolo, ſi aquam averterit ſine cauſa rationabili, poterit enim à Judice damnari ad compenſationem damnorum, ſi monitus non deſtiterit ab hoc, inde autem non ſequitur ex natura rei vel conditione actionis ſic poſitæ naſci obligationem reſtituendi.

150 *Obj.*2. Qui cum intentione cauſat tales effectus, ille eſt cauſa per ſe & efficax illorum, ergo ipſi imputatur quidquid ex illis ſequitur, ergo ipſi imputantur damna, ergo obligatur ad ea reparanda. Reſp. Eſt cauſa illorum, per actionem externam effectivè injurioſam, N. per actionem externam non injurioſam effectivè, C.ant. ergo quidquid ex illis ſequitur, ipſi imputatur, ad culpam, quæ externè effectivè ſit contra juſtitiam, N.quæ externè ſit fortè contra charitatem, internè autem ſit tantùm affectivè contra juſtitiam, permitto 1. ſequelam, ſed N. ultimam.

151 *Obj.*3. Quamvis aliquis habeat jus equitandi ex rationabili cauſa, licèt prævideat pollutionem, tamen non habet jus equitandi intendendo pollutionem, ſed in eo equitans peccat contra caſtitatem, ergo etiam quamvis Titius habeat jus diſſuadendi teſtamentum, prævidens damnum Sempronii, tamen non habet jus diſſuadendi eo fine, ut hoc damnum ſequatur, ſed ideo diſſuadens peccabit contra juſtitiam, ergo tenebitur ad reſtitutionem, ita Lugo. *R.*1. Si argumentum valet, ergo Titius peccat contra juſtitiam, ſi omittat ſuadere teſtamentum, intendendo ut Sempronius patiatur illud damnum, ſicuti peccaret contra caſtitatem, omittendo geſtare cilicium, intendendo pollutionem, quod tamen *Lugo* negat, ergo evidens eſt eſſe diſparitatem inter reliquas virtutes & juſtitiam; hinc Reſpondet 2.Haun.*n.*236.N.conſeq.caſtitas & reliquæ virtutes intendunt medium rationis, id eſt, pro fine habent honeſtatem, non præcisè ex re, ſed ſecundùm varias circumſtantias determinandam à recta ratione, recta autem ratio dictat ſalva caſtitate non poſſe intendi pollutionem etiam per actiones de ſe indifferentes, quia per has eadem incommoda ſequerentur, quæ per actiones de ſe inhoneſtas, hinc actiones de ſe indifferentes ſic intentæ ſunt contra finem caſtitatis: E contra juſtitia intendit medium rei, id eſt, hoc, quod ſecundùm ſe eſt debitum à parte rei, nec determinatur ſecundùm hanc vel illam intentionem, v.g. intendit hanc dationem 10. aureorum, quos exigit jus alterius, nec plùs nec minùs, quæ datio, ſi non erigatur à jure alterius, ſive ego intendam illam ponere, ſive omittere, non ero juſtus vel injuſtus, ergo cùm emolumentum, quod Sempronius reportaret ex teſtamento Caji, non exigatur à jure Sempronii, ſive illud intendam promovere ſive impedire, non pecco contra juſtitiam. Reſp.3. Cum Diana *ſupra*, N. ultimam conſeq. nam dato per illam intentionem peccari contra juſtitiam, uti etiam peccatur per volitionem furandi, non ideo eſt obligatio reſtituendi, quia illa intentio non expletur per actionem externam injurioſam.

Inſtab. Titius non habet jus ad ſuaſionem externam ex tali fine ponendam, ergo ſuaſio externa ex tali fine poſita eſt injurioſa. Reſp. Si ſenſus antecedentis ſit, non habet jus ad intentionem illam, aut ad hoc complexum, quod eſt intentio & ſuaſio, c. non habet jus ad ſuaſionem externam ſecundùm ſe, n. ergo ſuaſio externa ex tali fine poſita eſt injurioſa, ratione ſuaſionis ſecundùm ſe, n. ratione intentionis, c. ſed non ideo eſt obligatio reſtituendi, cùm hæc tantùm ſequatur injuriam externam. 152

*Obj.*4. Arripere librum alienum eſt actio externa de ſe indifferens, quæ per ſolam intentionem fit injuſta, ſi enim arripias animo furandi, eſt injuſta; ſi arripias animo tantùm inſpiciendi, non eſt injuſta, ergo ſimiliter actio externa de ſe indifferens poterit fieri injuſta vel non injuſta ratione ſolius intentionis, ex qua ponitur. Reſp.1. Haun.*n.*242.diſt.conſeq. ergo actio externa de ſe non damnoſa, qualis actio eſt arreptio libri, poterit fieri injuſta ratione intentionis, c. nam ratione intentionis fit damnoſa, ergo non eſt mirum, quòd ratione intentionis fiat injurioſa: ergo actio externa de ſe æqualiter damnoſa ex quacumque intentione procedat, qualis eſt diſſuaſio teſtamenti alioquin faciendi pro Sempronio, poterit fieri injuſta ratione ſolius intentionis, n.conſeq.R.2. Permittendo totum, jam enim oſtendimus, quamvis actio interna ſit injurioſa, ſi tamen non expleatur per actionem externam ſecundùm ſe injurioſam & damnoſam, non ideò eſſe obligationem reſtituendi. 153

*Obj.*5.Si ſolatii cauſa manifeſtem Cajo injuriam mihi à Titio factam, non pecco, uti dicetur *n.*1209. attamen pecco & quidem contra juſtitiam, ſi manifeſtem animo infamandi Titium, ergo externa actio poteſt eſſe contra juſtitiam ratione ſolius intentionis internæ. R.N.conſ. qui dicunt licitum eſſe manifeſtare injuriam ſibi factam, dicunt conſequenter, ſi adſint circumſtantiæ, quibus hoc licet, non fore contra juſtitiam manifeſtare talem injuriam, etiamſi ſimul adeſſet intentio infamandi alterum, id enim planè per accidens eſt, ſicuti ſi ad avertendum graviſſimum malum Reip. haberem jus manifeſtandi proditionem Titii, non peccarem contra juſtitiam, ſi etiam ex odio, quia hoſtis meus eſſet, & gaudens de ejus damnis, eam proditionem manifeſtarem. 154

*Q.*39. *An teneatur reſtituere, qui facit aliquid, quod imputabitur alteri, ſi hic alter ideo patiatur damnum?* Reſp.§.1. *Vaſq.* dicit teneri, ſi hoc præviderit, ſed alii communiter negant cum *Molin. Sanch.& Leſſ.* etiamſi delictum commiſiſſet, alioqui non commiſſurus, niſi prævidiſſet ſe fore impunem, eò quod alteri eſſet imputandum, uti habet Lugo *diſp.*8. *num.*85. Ratio eſt, quia ſi damnum non ſequatur ex natura, vel communiter ex poſitione talis actionis, ſed ex ignorantia vel malitia aliorum, actio non cenſetur alteri injurioſa, non enim eſt propriè cauſa, niſi per accidens, & tantùm occaſio illius damni, quod ex juſtitia non tenetur impedire, ſed tantùm ex charitate, ſi poſſit ſine gravi incommodo. 155

§.2. Si occidam Titium, etiam intendens, ut hoc homicidium imputetur Cajo, ideóque Cajus patiatur damna, probabile eſt me non teneri ideo quicquam reſtituere Cajo, quia actio, qua occidi Titium, non erat injurioſa Cajo, intentio autem mea eum damnificandi non erat de ſe cauſativa damni, uti *n.*148. dictum eſt, ſed damnum ſecutum eſt ex errore hominum, 156

num, qui ex conjecturis imputarunt homicidium Cajo, ita Sanch. Leſſ. Tamb. Petſch. *pag.* 157. aliique cum Dian. *p.* 11. *tr.* 2. *R.* 34. Tenebor tamen Cajo reſarcire damna, quæ ipſe debuerit compenſare hæredibus Titii, uti omnes fatentur cum Lug. *n.* 84. & certum eſſe dicunt Petſch. & Dicaſt. *de Reſt. d.* 3. *num.* 76. quia tenebar ipſe ea damna reſarcire hæredibus Titii, ergo cum Cajus hoc fecerit loco meo, tenebor hoc compenſare Cajo, aut certè adhuc immediatè reſarcire hæredibus Titii, ut hi Cajo reſtituant, quod ab illo acceperunt.

157 §. 3. Si actio vel circumſtantiæ, quas poſui, dum occidi Titium, moraliter influxiſſent in imputationem faciendam Cajo, v.g. ſi me induiſſem veſtibus Caji, aut fuiſſem uſus ejus gladio, quem adhuc ſanguinolentum repoſuiſſem in vaginam ejus, & ipſe inde habitus eſſet velut homicida, tum feciſſem etiam externam injuriam Cajo per iniquam fraudem, ideoque tenerer reparare damna cauſata Cajo, uti omnes docent: Tum autem cenſetur actio moraliter influere in imputationem, ſi ex illa, ut plurimùm ſequatur imputatio, uti habet Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. *num.* 114. Limitant Petſch. & Tamb. *l.* 6. *c.* 4. §. 1. *n.* 4. niſi quis in ejuſmodi actione utatur jure ſuo, qui enim utitur jure ſuo, nemini facit injuriam, licèt peccare poſſit contra charitatem, ſi parum interſit ipſius hic & nunc tali jure uti.

158 §. 4. Si cadaver Titii occiſi ponam ante domum Caji, intendens ut Cajo imputetur homicidium, ut ideo patiatur damna, Tamb. *n.* 5. dicit me non teneri ea reſarcire: quia non videor moraliter influxiſſe in imputationem, neque ideò inquit Lugo *ſuprà*, eſt prudens cauſa, ſed tantùm levis occaſio inquirendi in Cajum: oppoſitum tamen tenet Sanch. *in Conſ. lib.* 1. *cap.* 5. *d.* 5. *n.* 72. Tum quia ſaltem ex parte cooperor imputationi, ergo ſaltem partialiter teneor ad damna, ſecundùm dicta de cooperatoribus: tum etiam quia per fraudem videor inducere Cajum ad hæc damna, ergo ſicuti teneor compenſare, ſi per fraudem aliquem impediam à conſecutione boni, ſecundùm dicta *num.* 69. ita multò magis, per fraudem inducam in aliquod damnum.

159 *Q.* 40. *Ad quid teneatur, qui exponit infantem, aut ante oſtium alienum collocat?* Reſp. §. 1. Si homo dives ex juſta cauſa, v.g. ne patiatur infamiam, noctu exponat ſuam prolem, ita ut inventa ferri debeat ad hoſpitale, communior ſententia eſt, quòd teneatur hoſpitali reſtituere expenſas pro illius nutritione, quia talia hoſpitalia ſunt inſtituta pro infantibus egenis, ita Laym. aliique multi cum Lugo *d.* 13. *n.* 4. contra Henriq. & paucos alios, qui putant eſſe inſtituta, non tantùm propter inopiam parentum, ſed maximè propter periculum prolium, quæ ad tegendam infamiam ſæpè occiderentur, niſi ſic exponi poſſent; quod videtur probabiliter dici, ſed prima ſententia eſt probabilior.

160 §. 2. Qui invenit infantem ante oſtium ſuum, & illum ponit ad oſtium alterius, qui ideo facere debet expenſas, non peccat contra juſtitiam, quia hunc non inducit in obligationem juſtitiæ ad providendum infanti, ſed tantùm dat occaſionem exercendæ miſericordiæ; hinc nec videtur peccare contra charitatem, uti nec peccaret, ſi aliquem extrema neceſſitate laborantem mitteret ad Cajum, ut ipſe ex charitate teneretur ipſi ſuccurrere, ita Sanch. *in Conſ. l.* 1. *c.* 5. *d.* 5. *à n.* 70. Lugo *d.* 18. *n.* 114.

161 *Q.* 41. *An aliquando ſit obligatio reſtituendi eleemoſynas acceptas?* Reſp. §. 1. Qui ſe pauperem finxit, & ita accepit eleemoſynam, tenetur hanc reſtituere, ita Vaſq. Lugo *in Reſp. mor. l.* 6. *d.* 17. Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 21. Ratio eſt, quia dans erravit in ſubſtantia, intentio enim ejus erat facere eleemoſynam, id eſt, ſublevare miſeriam pauperis, & motivum dandi fuit paupertas, ergo ſi non adfuit inopia & paupertas, non voluit transferre dominium: Rectè tamen notant Mol. Sot. Fagund. Dicaſt. *de Reſt. d.* 6. *n.* 96. plurimos eſſe, qui licèt non darent, ſi fictionem ſcirent, ſi tamen dederint modica, præſertim quæ conſumpta ſint, nolint reſtitui, addit rectè Petſch. *pag.* 613. & Dicaſt *n.* 97. ſi fraus ſit tantùm circa modum, v.g. ſi ſe fingat pauperiorem, vel falsò dicat ſe fuiſſe captivum apud Turcas, non fore obligationem reſtituendi, niſi ſic excluſus fuiſſet reipſa miſerior, quia datio manet ſimpliciter, & quoad ſubſtantiam voluntaria; notat tamen rectè Dicaſt. *num.* 100. ſi ſe fingat, v.gr. Italum, quales tantùm admittuntur ad certa hoſpitalia, obligandum ad reſtitutionem, quia hæ eleemoſynæ ex fundatione ſolis Italis debitæ ſunt.

162 §. 2. Etiamſi quis actu non egeat ad victum, ſi tamen immineat neceſſitas proxima, poteſt nunc petere & acceptare eleemoſynas, quia quod in proximo eſt, reputatur præſens, & exigit hodiernam providentiam; ſic ex Baldo docet Dian. *p.* 2. *tr.* 1. *R.* 8. pauperem poſſe petere eleemoſynas pro filia dotanda, etiamſi non deſint neceſſaria ad vitam ſuam, & filiæ: idem eſt, ſi alicui incumbat onus matrem alendi, & Lugo ſuprà dicit ſe non damnaturum eum, qui peteret pro fratribus vel ſororibus indigentibus, nam Sanch. *in Dec. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 6. agnoſcit aliquam obligationem legalem ad fratres alendos, & *lib.* 4. *c.* 20. *num.* 30. etiam ad ſorores; imò Caj. Valen. & idem Sanch. *lib.* 7. *cap.* 24. *num.* 14. dicunt divites poſſe petere eleemoſynas, quando tales eleemoſynas, aut æquè multùm è ſuis bonis erogant pauperibus; quòd licèt diviti permittat *Lugo*, ſi eroget pauperi extraneo, non tamen ſi fratri vel ſorori, quia hi habent jus aliquod petendi alimenta à fratre, uti cum Surdo repetit Sanch. *n.* 6. ideoque adhuc compelli poteſt à Judice, & conſequenter ſi talis frater eſt dives, ipſi non cenſentur pauperes. Deinde nec permittit *Lugo* in ejuſmodi caſu, quo diviti daretur eleemoſyna ex ſpeciali motivo neceſſitatis perſonalis ipſiuſmet petentis, ſi enim peteret alteri, deficeret hoc motivum, ideoque fieret dolus dans cauſam donationi, ergo donatio eſſet invalida.

§. 3. Si, v.g. Eremita petierit eleemoſynas pro ſacello, cujus 163
ædificium ipſi demandatum eſt, putat *Lugo* ſuprà ipſi licere etiam inde vivere, quia inter neceſſaria illi loco etiam eſt victus talis procuratoris. Quòd ſi aliqua ſuperſint, poteſt dare pauperibus, tam cognatis, quàm extraneis, nam non indigens poteſt mendicata dare aliis pauperibus, ergò multò magis talis, niſi tamen eleemoſynæ datæ eſſent ex ſpeciali motivo ſublevandi neceſſitatem perſonæ petentis, uti dictum eſt, aut ex ſpeciali devotione ad locum.

§. 4. In caſu, quo debetur eleemoſynæ reſtitutio, adhuc 164
dubium eſt, cui fieri debeat; Caj. Nav. & alii dicunt faciendam danti: Sotus & alii dicunt faciendam aliis pauperibus; Vaſq. Caſtrop. Tamb. Petſch. dicunt fieri poſſe, vel danti vel pauperibus, prout volet: Mol. Lugo & Dian. *p.* 5. *t.* 8. *R.* 22. diſtinguunt, ſi enim unus multum dediſſet, putant huic eſſe reſtituendum; ſi autem multi dederint modica, dicunt ſatis eſſe dari aliis pauperibus, quia talis prudenter præſumitur eſſe voluntas eorum, qui dederunt.

An ille, qui habet ſpeciale jus alicubi colligendi eleemoſynas ad certum finem, poſſit hoc jus alteri elocare pro pretio, videri poſſunt dicenda *n.* 1044.

Q. 42. *An dans operam rei illicitæ, quæ non eſt contra* 165
juſtitiam, & per hoc cauſans damnum alteri, teneatur reſtituere, uti ſi Titius noctu laboret die feſto, & ita incendat ſuam & Caji domum? Reſp. Non teneri eſt communis cum Gob. *in clyp. p.* 2. *n.* 262. Ratio eſt, quia non peccavit contra juſtitiam, ſed tantùm contra religionem: ut tamen iſta melius explicentur, adde ſeqq.

1. Si noctu volens cum lumine accenſo ingredi domum 166
Caji ad furandum, caſu accenderis horreum Titii, non teneris hoc damnum compenſare Titio, quia non eſt ſecutum ex formali injuria contra Titium, quod magis confirmabitur ex dicendis *à n.* 200.

2. Si volebas noctu furari Cajo pannum, & cum lumine 167
accenſo ingreſſus, caſu incendas ejus domum, non teneris Cajo compenſare damnum incendii domus, uti cum communi Petſc. *p.* 163. quia incendium non prævidiſti, & geſtatio luminis non erat formalis læſio juris, quod Cajus habebat ad domum ſuam, hæc enim geſtatio non afferebat proximum periculum incendii domus, & tu adhibuiſti ordinariam diligentiam, ne incendium cauſaretur, uti ſuppono. Idem eſt, ſi ingreſſus domum ad furandum, præter voluntatem alliſiſti pedem ad aliquid & fregiſti, uti contra Mol. docet Dicaſt. *de Reſt. d.* 3. *n.* 72.

3. In poſito jam caſu, ſi ingreſſus domum Caji ad furan- 168
dum pannum, antequam fureris, caſu incendas domum Caji, cum qua pannus comburatur, etiam non teneris reſtituere pretium panni, quia obligatio reſtituendi non oritur ex affectu furandi, ſed ex furto in effectu poſito, quod hic non fuit. Quòd ſi jam ante apprehendiſſes pannum, necdum tamen deportaſſes aliò, ſed dum plura vis accipere, caſu orto per candelam à te illatam incendio combureretur, te invito etiam pannus, adhuc non tenereris reſtituere pretium panni, quia tua acceptio non fuiſſet cauſa efficax damni, pannus enim eodem modo fuiſſet comburendus, quamvis non attigiſſes: & geſtatio candelæ non faciebat proximum vel prudens periculum incendii, ſed per accidens illud cauſatum eſt.

4. Si furaturus noctu intraſti domum Caji aperto clàm 169
oſtio, & poſteà egrediens relinquas oſtium apertum, ſatis ſciens periculum inde eſſe, ne etiam alii ingrediantur & furentur, ſi hoc fiat, teneris etiam ad hæc damna ab aliis furibus illata, quia actio aperiendi oſtium & relinquendi apertum erat contra jus, quod habebat dominus ad conſervationem rerum in domo ſua clauſarum: exponebas enim domum prudenti & proximo periculo direptionis, & quidem per ſe, quia occaſio aperti oſtii eſt de ſe allectiva furis. Omnia hactenus dicta docent, & pluribus proponunt Lug. *d.* 18. *à num.* 86. & Dicaſt. *à nu.* 70. Tamb. *l.* 6. *c.* 4. §. 2. Sporer *t.* 4. *c.* 2. *à num.* 193.

Q. 43. *Quam culpam ſupponat obligatio reſtituendi ex* 170
acceptione vel damnificatione injuſta? Reſp. §. 1. Culpa alia dicitur Theologica, alia Juridica: Theologica, eſt peccatum ſeu offenſa Dei; Juridica, eſt omiſſio diligentiæ debitæ, ex qua omiſſione ſequitur incommodum, & dicitur 1. latiſſima, ſi ſit apertus dolus; qui ſi fiat ſolo animo, dicitur calli-

calliditas; ſi verbis mendacibus, fallacia; ſi factis, fraus, ſeu dolus falſus; ſi arte verborum ſine mendacio, dicitur machinatio. 2. Latior, & eſt dolus præſumptus, cui annumeratur ignorantia juris communis; & hæc culpa latior quandoque confunditur cum latiſſima vocaturque dolus. 3. Lata, & eſt omiſſio diligentiæ communiter à ſimilibus hominibus adhiberi ſolitæ, ideoque reipſa adjunctam habet poſitivam negligentiam, 4. Levis, & eſt omiſſio diligentiæ à providentioribus in re ſimili adhiberi ſolitæ. 5. Leviſſima, & eſt omiſſio diligentie exactiſſimæ: v.g. ſi librum tibi commodatum des furi, non dicens expreſsè, attamen intendens, ut furetur, eſt culpa latiſſima; ſi relinquas in domo furis, eſt latior; ſi relinquas alibi extra cubiculum tuum, eſt lata: ſi relinquas in cubiculo ſed non clauſo, eſt levis; ſi cubiculum clauſiſti, ſed non tentaſti poſteà, an eſſet bene clauſum; ſi reipſa non fuit clauſum, eſt leviſſima; ex quibus patet cum culpa latiſſima, latiore, & lata regulariter conjunctam eſſe culpam Theologicam, non item cum levi vel leviſſima.

171 §.2. Jus poſitivum ſæpè ſtatuit, ut quis reparet damnum, quamvis cauſatum ſit abſque omni ejus culpa, nam 1. *Inſt. & ff. Si quadrupes*, ſi animal tuum pauperiem fecerit, id eſt, intulerit damnum alicui per ſe vel per aliud, quod incitavit, teneris pro noxa dare illud animal vel totum damnum reparare. 2. *Inſtit. ff. & Cod. de noxialibus actionibus*, ſi mancipium tuum ex ſua, ſed abſque tua culpa intulerit damnum; teneris pro noxa tradere mancipium vel totum damnum reparare. *L. 1. & penult. ff. de his, qui effuderint*, ſi ex domo vel navi tua aliquid, etiam abſque culpa tua ſit effuſum vel projectum, quod nocuit tranſeunti vel adſtanti, ſi non fuit clamatum, ut caveret ſibi, tu teneris damnum reparare in duplum: & idem eſt, ſi aliquid è domo tua ſuſpenſum fuit ſupra viam, quod nocuit aut nocere potuit, uti ibid. *L. 5. ſtatuitur*, 4. *Inſtit. & ff. ad l. Aquiliam*, ſi quis cum culpa ſaltem juridica in rebus externis certo modo damnificaverit alterum, v.g. ſi leonem duxiſti per viam, nec cuſtodiſti, quin noceret equo meo; ſi fodiſti puteum in via, nec monuiſti, ut caverem; ſi animal meum, quod reperiſti in tuo prato, occidiſti, cùm aliter abigere poſſes, ſtatuitur, ultra damnum tenearis mihi ſuperaddere amplius, uti quandoque duplum. Hæc aliaque plura videri poſſunt fusè deducta apud Mol. *T. 3. diſt.* 712. & 713. Lugo *d. 8. ſect. 3. & 4.* Haun. *t. 2. cap. 2. contr. 4.*

172 §.3. Spectato jure naturæ non eſt obligatio reſtituendi pro damno ſine ulla culpa Theologica illato, ita Leſs. Vaſq. Tann. Lugo, Tamb. Petſch. *pag.* 160. Dicaſt. *de Reſtit. d. 3. à n. 7.* Spor. *t. 4. c. 2. n. 42.* Illſ. *t. 4. d. 3. n. 4. Probatur*, quia quod fit ſine culpa, moraliter imputari non poteſt: & etiam hæc eſt cauſa, cur nemo poſtulet reparari damnum, quod intulit fatuus aliquis, quia fecit ſine culpa Theologica, & conſequenter non poteſt illi moraliter imputari, ſed habet ſe, ac ſi caſu accidiſſet. *Ratio* à priori eſt, quia in foro conſcientiæ non poteſt eſſe obligatio reſtituendi propter injuriam, niſi in foro conſcientiæ commiſſa ſit injuria, ſed ubi nulla adfuit culpa Theologica, nulla fuit in foro conſcientiæ injuria, ergo.

173 §.4. Neque ex jure poſitivo (præſcindendo à contractu) eſt in conſcientia obligatio reparandi damnum ſine culpa Theologica illatum, niſi accedat ſententia Judicis, ita Mol. Vaſq. Lugo *n.* 49. Haun. *t. 2. n.* 172. & 176. Eſp. *q.* 26. Petſch. *p.* 161. Illſ. *n.* 5. *Probatur*, quia leges ejuſmodi pœnales *num.* 171. relatæ forent nimis duræ, ſi obligarent ad exequendam in ſe ejuſmodi pœnam, propter actionem non imputabilem ad culpam: & quamvis fortè hoc intendiſſent leges illæ, tamen non ſunt in eo rigore receptæ, aut per uſum contrarium contra eas præſcriptum eſt: nam nemo eſt, qui propter talem culpam merè juridicam ſponte ſua reſtituat, ergo ſignum eſt non obligare ante ſententiam Judicis.

174 §.5. Authores, qui cum *Rebell.* dicunt has leges fundari in præſumptione culpæ, conſequenter dicere debent, quod damnificatus ſciens illum, qui damnum intulit, non peccaſſe Theologicè, non poſſit ſalva conſcientia contra illum agere apud Judicem, ideòque tenebitur reſtituere, ſi quid ei adjudicatum acceperit, quia præſumptio cedit veritati, ergo lex fundata in præſumptione, quæ ſcitur eſſe falſa, non ligat. E contra qui cum *Mol.* dicunt has leges non fuudari in præſumptione culpæ, ſed eſſe pœnales quaſi, ac pro fine habere, homines cautiores reddere, item conſervare communem pacem; dicent conſequenter poſſe damnificantem condici, quamvis ſciretur ſine culpa Theologica damnificaſſe, dummodò damnificarit cum Juridica, quam leges requirunt; & ſecundùm hanc ſententiam poterit retinere, quod per ſententiam fuerit adjudicatum, ita Dicaſt. *num.* 70.

175 §.6. Poſt ſententiam Judicis eſt obligatio in conſcientia ad reparandum damnum etiam ſine culpa Theologica illatum, ita omnes communiter cum Mol. Haun. Illſ. *n.* 8. contra Rebell. qui putat tum eſſe obligationem tantùm civilem. *Ratio* noſtra eſt, quia aliàs ſententia Judicis eſſet fruſtranea, damnificans enim poſſet non parere Judici & ſententiam eludere: deinde non obtineretur finis legum, qui eſt major cautela pro evitandis ejuſmodi damnificationibus.

§.7. Poteſt ex contractu eſſe obligatio reparandi damna 176
cauſata abſque ulla culpa Theologica, uti rectè Lugo *num.* 100. Petſch. *pag.* 193. aliique communiſſimè, quia poteſt quis in ſe ſuſcipere obligationem aſſecurationis circa omne periculum, ita ut ſi res quomodocunque pereat, velit pro ea reſtituere: tota difficultas eſt, ex qua culpa Juridica cenſeantur tum ſe velle obligare homines ad reparanda damna? communior ſententia cum Nav. Mol. Vaſq. Lugo *n.* 99. ſic diſtinguit, ſi contractus fuit factus tantùm in utilitatem accipientis, uti in commodato, accipiens tenetur ex culpa etiam leviſſima, & ita *Cap. un. de commodato* dicitur, *Cùm gratia ſui tantùm, quis commodatum accepit, de leviſſima etiam culpa tenetur*; & idem habetur *Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio, §. At is*, item *L. In rebus ff. Commodati, vel contra*: Si autem fuit in utilitatem dantis, uti communiter in depoſito, accipiens tenetur tantùm ex culpa latiore & lata; denique ſi fuit in utilitatem utriuſque, uti communiter fit in pignore, conductione, locatione, accipiens tenetur ex culpa latiore, lata, & levi. V. Dicaſt. *l. 2. t. 3. d. 1. dub.* 18.

§.8. Probabile eſt, ſi abfuerit omnis culpa Theologica, 177
non eſſe obligationem reſtituendi ratione talium contractuum, niſi poſt ſententiam Judicis, aut ſaltem niſi damnificatus compenſationem exigat, ita Lugo *num.* 103. Eſp. *q.* 26. Petſch. *p.* 198. Spor. *n.* 234. aliique cum Illſ. *qui n.* 33. vocat in praxi tutum: Ratio eſt, quia obligatio videtur naſci ex legibus circa tales contractus factis, leges autem illæ videntur eſſe veluti pœnales ſeu conventionales, quæ non obligant ante ſententiam Judicis, vel ſaltem non prius quàm ejuſmodi pœnæ exigantur, uti multis relatis docent Sanch. *de Matr. l. 1. d. 37. n. 4.* & Dian. *p. 2. t. 8. R. 29. Dixi*, probabile eſſe, nam oppoſita ſententia dicens eſſe obligationem, etiam ante ſententiam, & quamvis non exigatur, eſt communior teſte Leſſ. *lib. 2. c. 7. d. 8.* pro qua Spor. *n.* 233. citat S. Th. Nav. Molin. Vaſq. Laym. Illſ. vocat probabiliorem: Petſch. dicit in praxi ſervandam eſſe, eò quòd leges ita diſponentes ſint conſentaneæ naturali æquitati: imò Onn. *de contr. d.* 10. *n.* 191. *& tota ſ. 6.* probat obligationem illam reſtituendi oriri ex jure naturæ: videturque conſentire Dicaſt. *n.* 440. Regula optima hic eſt, ut ſpectetur praxis, an nempè viri prudentes & timorati ſoleant reſtituere, antequam feratur ſententia vel exigatur, & credo praxim communiorem fore, ut reſtituatur ante ſententiam, ſi ille exigat, qui damnum paſſus eſt.

§.9. Si quis equum conduxit, qui moriatur in via, Palud. 178
Valent. & Dian. putant damnum debere dividi, cùm enim contractus ſit in gratiam utriuſque, videtur æquum, ut quiſque partem damni ferat; ſed Lugo *d. 8. num.* 126. dicit ſolum dominum equi debere ferre damnum, quod verum eſt, ſi abfuit omnis culpa etiam juridica, ſicuti ipſe ſolus ferre deberet, ſi equus periiſſet terræmotu vel fulmine, uti dicetur *n.* 181. Ratio autem eſt, quia quando res abſque cujuſquam culpa perit, domino ſuo perit.

§.10. Qui precariò utitur re aliena, tenetur tantùm ex culpa 179
latiore & lata; quamvis enim hic contractus ſit in utilitatem ſolius accipientis, tamen cum ſemper ſit pro libitu revocabilis, non debet ex illo tanta oriri obligatio, quanta ex commodato, & ita habetur *L. Quæſitum §. Cum quoque; ff. De precario*, docetque cum aliis Petſch. *p.* 196.

§.11. Si res æſtimata tradatur in contractibus, v.g. ſi com- 180
modarim tibi equum, cujus valorem tibi antecedenter dixi eſſe 50. aureorum, putant Gloſ. Bart. & Gomez hanc æſtimationem facere, ut accipiens teneatur de uno alio gradu, ſupra id, ad quod teneretur: v.g. ſi aliàs teneretur ex culpa lata, ut teneatur ex levi, ſi teneretur ex levi, ut teneatur de leviſſima, ſi teneretur de leviſſima, ut teneatur de caſu fortuito; ſed contrarium probabiliùs docent J. Andr. Panor. Silv. Mol. Vaſq. & alii cum Lugo *n.* 122. æſtimatio enim ideò fit, ut ſi culpa accipientis pereat res, hic ſciat, quantum teneatur reſtituere, & poſteà non ſit lis de pretio; rectè tamen notant AA. & dicetur *n.* 186. culpam ſeu negligentiam, quæ reſpectu unius eſt levis, poſſe etiam eſſe gravem reſpectu alterius, ſi hic majorem habeat obligationem cavendi quàm ille, v.g. accipiens gratis commodatum habet majorem obligationem cuſtodiendi equum quàm accipiens elocatum pro pretio; item elaborans gemmam pretioſam obligatur adhibere majorem diligentiam, ne vitiet, quàm elaborans cuprum, Lugo *à n.* 112.

§.12. De caſu fortuito regulariter nemo tenetur, quia 181
eſt extra humanam providentiam, ita omnes. Excipe 1. niſi ſpeciale pactum adſit. 2. Niſi commodatarius rem uſurparit ad alium uſum ſibi non conceſſum, & ideo perierit. 3. Niſi idem fuerit in mora reſtituendi tempore debito; ſi tamen res eodem modo peritura erat apud dominum, tantùm tenebitur ad æſtimationem uſus vel temporis longioris: quando autem perit ob diverſum uſum vel moram, Lugo *à n.* 123. Petſch. *p.* 197. Spor. *t.* 4. *c.* 2. *n.* 221. ſecundum ſua principia dicunt ad obligatio-

tionem reſtituendi in conſcientia debere præceſſiſſe culpam gravem.

182 §.13. Quando in communi periculo, v.g. in incendio ſalvanda eſt res propria vel aliena, quam quis per contractum habet ſervandam, *Sil. Gabr. Ang.* aliique cum *Vaſq.* dicunt, ſi rem alienam habebat per contractum obligantem ex culpa lata, poteſt res proprias etiam viliores præponere alienis, quia non tenetur adhibere niſi diligentiam communem: ſi autem habebat per contractum obligantem de culpa levi, poteſt proprias æquè pretioſas præponere alienis, ſic enim non facit contra id, quod prudentiores faciunt: denique ſi habebat per contractum obligantem de culpa leviſſima, poterit proprias tantùm pretioſiores præponere alienis, hoc enim non eſt contra maximam diligentiam ab homine prudentiſſimo requiſitam: Molin. *t.2.d.296.* paulò aliter loquitur, & dicit, commodatum pretioſius ſemper debere præferri proprio viliori: quia quivis prudens in communi periculo præponit pretioſius viliori: poſſet tamen plerumque repetere pretium rei ſuæ vilioris; uti è contra ſi rem ſuam pretioſiorem conſervaſſet, quandoque obligaretur ad refundendum pretium vilioris alienæ. Lugo *à n.*135. & Spor. *à n.*235. ſic procedunt, in foro externo: qui rem pretioſam alienam reliquit in periculo, ut ſuam viliorem eriperet, obligabitur ad reſtitutionem totius valoris, detracto valore rei vilioris propriæ; ratio eſt, quia præſumetur dolus & potentia liberandi utramque: & quamvis hoc non præſumeretur, teneretur tamen, quia liberando rem pretioſam alterius, ab eo recipere debuiſſet pretium ſuæ vilioris, quia rem ſuam expendiſſet in utilitatem alterius ſecundùm voluntatem ejus præſumptam, ergo dominus teneretur hoc compenſare. In foro interno, ſi ſciret ſe non recepturum pretium rei ſuæ vilioris, quæ aliquantum proportionata ſit ad rem alienam perdendam, & qua perdita notabile ferret detrimentum non tenetur hoc ſubire in gratiam alterius, uti rectè Tamb. Pirh. *lib.3.tit.16.n.16.* Stryck *de caut.contr.ſ.2.c.3.ſ.2.* Si tamen damnum ſuum non eſſet notabile vel proportionatum, v.gr. ſi pro re aliena valente mille conſervanda deberes perdere viginti, aut exponere triginta periculo jacturæ, videreris teneri; qui enim ſe obligat ad rem communi diligentia conſervandam, obligat ſe ad aliquod detrimentum non extraordinarium ſubeundum, plùs autem vel minùs teneberis exponere, prout contractus erit vel in tuam ſolius, vel in alterius ſolius, vel in utriuſque utilitatem. Hinc cum aliis probabilius docet Pirh. *num.*17. ſi rem habeas in tuum ſolius commodum, te teneri eam præferre tuis, quia cùm contractus fuerit in tui ſolius favorem, æquitas vult, ut rei tuæ præferas: dicunt tamen alii, ſi res propriæ ſint æquè vel magis pretioſæ, quàm alienæ, poſſe præferri proprias, ſive enim ſuam ſive alienam præferret, plùs non conſuleretur alteri, qui ipſi pretium rei ſuæ reddere deberet; neque verum eſt, quòd res aliena eſſet expenſa in bonum propriæ conſervandæ, ſed aliena caſu periiſſet, ergo nihil prorſus eſſet reſtituendum, & ita etiam dicitur *L.1. ſ. 4.ff. Ad ſenatuſc. Syllanum: Si quis non potuerit omnibus opem ferre, electionem eſſe penes ipſum, cui opem ferat neglectis aliis;* verùm hìc non eſt ſermo de contractu, poteſtque etiam de hoc videri Petſch. *pag.*204. *& ſeqq.*

183 §.14. Quando neſcitur, an res perierit caſu an verò ex culpa, v.gr. conductoris, hinc pro foro externo incumbit onus probandi, & quòd res perierit, & quòd perierit ſine ſua culpa, uti habetur *L.6.§.9.ff. De edendo*, docentque omnes communiter cum Mol. Laym. & Spor. *t.6.cap.7.num.*43. Ratio eſt, quia quæ ſunt facti, ſi non probentur, non creduntur, præſertim conductori vel alteri, cui res per contractum tradita eſt, ut cuſtodiatur, incumbit enim illi jure Gentium obligatio probandi & periiſſe & ſine culpa ſua periiſſe, quia poſſeſſio eſt pro domino, qui rem tradidit integram cum jure recuperandi, niſi probetur ſine culpa periiſſe. Excipiunt AA. communiter, niſi graves conjecturæ adſint pro hominis innocentia, aut ejuſmodi res ſoleant perire ſine culpa, v.g. ſi ovis perierit ex grege, aut diſcus argenteus ex aula Principis, tunc enim præſumptio ſtat pro cuſtode gregis vel œconomo, unde ſi juret ſine culpa ſua periiſſe, abſolvitur: Similiter in dubio an incendium ortum ſit caſu an ex culpa conductoris, præſumitur quòd caſu, niſi locator culpam oſtendat, uti ex communi Juriſtarum docet Laym. *lib.3.tr.4.cap.22.num.6.* quamvis enim communiter oriatur ex culpa alicujus domeſtici, tamen pater-familias non tenetur præſtare omnem culpam eorum, uti habetur *L.11.ff. De periculo, & commodo.* Vid. dicenda *num.*573.

184 §.15. Si nulla intervenerit culpa Theologica, ordinariè non eſt obligatio ante ſententiam Judicis compenſandi damna, quæ quis cauſat in officio, v.g. Tutoris, Conſiliarii, Confeſſarii, Profeſſoris, Judicis, Advocati, Procuratoris, Medici, Chirurgi, Cuſtodis &c. Ita Vaſq. Lugo, Eſp. Haunol. Tamb. Leſſ. *lib.2.cap.7.d.7.* Spor. *t.4. cap.2.num.*240. Illſ. *num.*34. *aliique.* Ratio eſt, quia admittentes ejuſmodi officium vdl curam, ordinariè non intendunt ſe obligare ad culpam leviſſimam aut levem, ſed tantùm ad communem diligentiam, cavendo dolum aut culpam latam, quæ conjuncta ſit cum culpa Theologica, hic enim ad ſummum intervenit quaſi contractus, uti notat Petſch. *pag.*183. qui plerumque damnificatæ parti utilis eſt: hinc reſolvit Burgh. *cent.1.caſ.5.* contra Salon. Arrag. & Bonac. ſi famulus ex culpa levi frangat vitrum pretioſum, non teneri reſtituere; eadem eſt autem ratio famuli, Advocatorum, Medicorum, Judicum, uti fatentur adverſarii, hi autem non tenentur ex culpa levi, uti habet communis cum Claro *l.5. pract. criminalis, ſ.fin.q.73.num.3.* Similiter docet Leſſ. *in auct. v.Reſtitutio caſ.5.* ductorem gregis non teneri ad damna frugibus allata ſine culpa lata: Similiter reſolvit *Tamb.* ſi ancilla per levem negligentiam reliquit fores domus domini ſui apertas, & ea occaſione uſi fures domum expilarint, non teneri ad reſtitutionem. *Dixi* ordinariè, nam poſſet aliquis per ſpeciale pactum ſe obligare ad reparandum damnum ex quacumque culpa juridica etiam leviſſima, imò & caſu fortuito datum, hinc cum Vaſq. Amic. Leſs. *de juſt. lib.2. cap.7.num.*32. infert Spor. *num.*241. aliquos in quibuſdam caſibus obligari in conſcientia etiam ad exactiſſimam diligentiam, adeoque etiam teneri de culpa juridica leviſſima. 1. Si tale officium, v.g. Advocati ſuſcipiat cum promiſſione expreſſa adhibendi diligentiam exactiſſimam. 2. Si ſaltem tacitè idipſum promiſit, uti ſi ultrò ſe obtruſit pro tali exquiſitiſſimè perito & cum excluſione aliorum. Videri poteſt Dicaſt. *l.2.t.2.d.3.d.3.*

§.16. Si damnum grave cauſatum ſit per culpam Theolo- 185
gicam venialem defectu deliberationis vel advertentiæ plenæ ad jus alienum, non eſt obligatio gravis ad illud reparandum ante ſententiam Judicis, & præſcindendo à ſpeciali de hoc contractu, ita Sot. Navarra, Henriq. Silv. Salas, Sa, Leſs. Tann. Rodriq. Eſp. Bonac. *de Reſt.d.1.q.1.p.3.num.9.* Lugo *d.8. nu.*58. Tamb. *l.8.t.3.cap.2.§.5.* Haun. *t.2.num.*194. Illſ. *t.4. d.3.num.*10. partim contra Adr. Ang. Panorm. Covar. Vaſq. Turr. Medin. Palav. *de Juſt.n.*71. qui dicunt totum ſub mortali eſſe reſtituendum; partim contra Molin. Rebell. Dicaſt. *& alios n.*191. citandos, qui dicunt quandoque ſub mortali reſtituendam partem gravem, proportionalem tamen ſpectata culpa & gravitate damni. *Probatur*, quia obligatio reſtituendi imitatur pœnam ſequentem ex culpa Theologica, (ita tamen, ut obliget ante ſententiam Judicis, cùm ſit de jure naturæ) ergo ſicuti ille nullam meretur pœnam, qui nullam commiſit culpam Theologicam, & conſequenter non obligatur ad reſtitutionem ullam, ſecundùm dicta *n.*172. ita non meretur pœnam gravem, nec incurrit obligationem gravem reſtituendi, qui non commiſit culpam Theologicam gravem. *Conf.* quia cùm non ſit facta perfecta injuria, non debuit naſci perfecta, ſive gravis obligatio reſtituendi, cùm hæc obligatio non naſcatur ex reipſa ſeu damno, ſed ex injuria. Ratio à priori eſt, quia homines & dominus ipſe nunquam in talem gravem obligationem ſibi ratione culpæ venialis imponendam conſenſiſſet, ſi ante omnem caſum interrogatus fuiſſet, eſt enim veluti pœna improportionata culpæ, ergo eſt veluti de jure naturæ, ut obligatio gravis reſtituendi non ſequatur ex culpa tantùm veniali.

§.17. *Objiciunt* 1. Ergo culpa mortalis requiretur, ut 186
quis ſub mortali teneatur reſtituere rem gratis commodatam, ſi amittat illam, qualis requiritur, ſi amittat rem apud ſe depoſitam: conſequens eſt falſum; nam recta ratio dictat debere adhiberi majorem diligentiam pro re gratis commodata quàm pro depoſita. Reſp. Culpam mortalem utrobique requiri, quæ nempè ſit neglectus diligentiæ communiter adhiberi ſolitæ à viris prudentibus pro tali re ſervanda, ſed talis culpa, licèt ſit formaliter æqualis, tamen non ſemper eſt æqualis materialiter, uti inſinuatum eſt *n.*180. nam culpa, quæ reſpectivè ad hanc rem vel perſonam vel circumſtantiam eſt levis, poteſt eſſe gravis reſpectivè ad aliam, v.g. omiſſio diligentiæ, quæ reſpectu vitri cuſtodiendi eſt levis, poteſt eſſe culpa gravis reſpectu gemmæ cuſtodiendæ, pro qua prudentes judicant adhibendam majorem diligentiam: & idem eſt de conſervatione rei gratis aut pro pretio commodatæ: ſimiliter ſi filius non conſervet rem patris, poteſt eſſe culpa levis; ſi non conſervet famulus, aut cui debet eſſe cura, poteſt eſſe gravis: Similiter ſi videns aliquid ſe movere, & dubitans an ſit canis, explodam, poteſt eſſe culpa levis, ſi autem dubitem, an ſit homo, poteſt eſſe gravis, quia quando eſt periculum occidendi hominem, eſt obligatio magis attendendi & ſe reddendi certiorem, quòd non ſit homo &c. ubique tamen requiritur, imò & per leges quandoque fortè præcipitur talis diligentia, qualem in ejuſmodi circumſtantiis communiter abhibent prudentes, quam qui omittit, committit culpam latam, & ordinariè peccat mortaliter, notantque univerſaliter Leſſ. *n.*27. Dicaſt. *n.*50. & alii, quando damnum eſt grave, culpam, qua cauſatur, cenſendam mortalem, niſi aliud conſtet; Bonac. autem *n.9.* dicit in dubio, an culpa fuerit mortalis an venialis,

fore

fore obligationem ad mediam partem: denique addunt rectè cum aliis Lugo *diſp.*18. *num.*1. & Dicaſt. *de Reſtit.d.2.num.94.* per culpam gravem hic intelligi etiam illam, quæ ſit ex inadvertentia graviter culpabili, quando nempe potuiſſet, & debuiſſet advertì gravitas materiæ, in qua fit læſio.

187 *Obj.*2. Pœna purgatorii & excommunicatio minor ſunt gravis pœnæ, & tamen quandoque reſpondent peccato veniali, ergo reſtitutio materiæ gravis etiam poterit reſpondere peccato veniali. R.N.conſeq. quæ ſi valeret, poſſem pro culpa leviter damnoſa in uno ſolido, obligari ad reſtituendos mille, & ad ſubeundam crudelem mortem, quia per culpam illam mereor purgatorium, poſſemque mereri excommunicationem minorem. Itaque diſparitas eſt, quòd pœna purgatorii ſit abſolutè levis, ſpectato foro alterius vitæ & reſpectivè ad pœnam inferni; Similiter, inquit Illſ.*num.*12. excommunicatio minor eſt moraliter quid leve, quia per pœnitentiam & abſolutionem facilè tollitur: è contra reſtitutio materiæ gravis eſſet pœna abſolutè gravis ſpectato foro hujus vitæ, in quo veniale committitur. Addit *Lugo* excommunicationem minorem non eſſe puram pœnam ſed ſimul medicinam, quæ licèt foret acerbiſſima, eſſet utilis delinquenti, ergo juſtè infligetur.

188 *Obj.*3. Si quis per peccatum purè philoſophicum eſſet furatus rem gravem, poſteà advertens hoc diſplicere Deo, teneretur ex injuſta acceptione ſub mortali rem illam reſtituere, ergo etiam furatus per peccatum veniale. R.Dato ant. n. conſeq. diſparitas eſt; quia quando jus alienum læſum eſt cum plena advertentia ad gravem difformitatem cum recta ratione, eadem recta ratio dictat eſſe obligationem reparandi, alioquin continuaretur actio, quæ cognoſcitur eſſe graviter contra rectam rationem, ideoque etiam graviter contra legem Dei, quæ nunc cognoſcitur aſſiſtere illi rectæ rationi: hoc autem non tenet, ſi cum ſemiplena tantùm advertentia ſit læſum. Nam non eſt actum graviter contra rectam rationem.

189 *Obj.*4. Titius poteſt in tantùm cedere juri ſuo, ut ſi Cajus equum ipſi furetur, velit eum peccare tantùm venialiter, attamen ſub mortali teneri ad totum equum reſtituendum, quamvis poſteà caſu perierit, ſed in hoc caſu obligatio gravis reſtituendi ſequetur ex acceptione tantùm leviter peccaminoſa, ergo. R. N.min.nam hæc obligatio ſequetur ex hoc quaſi contractu cum Cajo inito. Ob ſimilem rationem dicunt Lugo *diſp.*8. *num.*65. & Petſch.*pag.*178. ſi quis rem alienam acceperit ſine ulla culpa, prudenter præſumens dominum eſſe contentum, ſi poſteà advertat dominum non fuiſſe contentum, illum teneri etiam compenſare damna, quia hic erat quaſi tacitus contractus, ut in iſtis circumſtantiis poſſet quidem accipere, cum tali tamen onere, ut ſi reſciret dominum non fuiſſe contentum, damna compenſaret.

190 §.18. Ex dictis inferunt Sanch. Leſs. Tamb. aliique cum Petſch.*p.*181. ſi actio tua externa injuſta, fuerit peccatum tantùm veniale, quamvis internè fuerit mortale, te ſub mortali non teneri reſtituere, v.g. ſi in venatione tantam adhibeas diligentiam, ne occidas hominem, quanta requiritur ad vitandum mortale, non tamen tantam, quanta requiritur ad vitandum veniale, quamvis ſimul adeſſet internus animus occidendi hoſtem tuum, ſi ibi fortè adeſſet, poſito quod ibi adſit & occidas eum jaculando in illud, quod putabas eſſe feram, te non obligari graviter ad compenſanda damna inde cauſata uxori vel prolibus, quia dato illam actionem externam denominari graviter injuſtam ab interna intentione graviter injuſta, tamen de ſe non eſt graviter injuſta nec perfectè cauſa moralis damni: obligatio autem gravis reſtituendi ſupponit actionem externam de ſe graviter injuſtam, & perfectè cauſativam damni, uti dictum eſt *n.*148.

191 §.19. Probabilius videtur eſse obligationem levem reſtituendi partem gravis damni proportionatam culpæ veniali, per quam cauſatum eſt ſecundum arbitrium prudentum, ita Sot. Regin.Bonac. *num.*8. Haunol. & Illſung. *ſupra*, Burgh. *cent.*1. *caſ.*67. contra Leſs. *lib.*2.*cap.*7.*num.*28. Lugo *d.*8. *num.*58. Tamb. *num.*3. Petſch.*p.*179. Eſp.*q.*32. Platel.*p.*3. *num.*733. qui dicunt nequidem ſub veniali eſse obligationem quicquam reſtituendi: Ratio noſtra eſt, quia omnis injuria formalis & damnoſa inducit inæqualitatem, ergo eſt obligatio eam reparandi, alioquin voluntariè continuabitur injuria, hæc autem obligatio ſequitur quaſi pœna ſecundùm proportionem culpæ, ergo ſi culpa eſt venialis, obligatio reparandi etiam erit venialis, non ad totum ſecundùm dicta *num.*185. ergo ad partem tantùm, judicio prudentum determinandam; ſicuti ſi per peccatum veniale, etiam non omnino plenè deliberatum furatus eſses ſolidum, tenereris etiam ex injuſta acceptione ſub veniali hunc reſtituere: uti dicetur *num.*192. Docet autem Bonac.*num.*9. poſſe tam levem eſse culpam venialem, ut vix obliget ad centeſimam partem damni: è contra poſſe eſse tam gravem, adhuc tamen venialem, ut obliget ad decimam partem, & addit cum aliis citatis *num.*185. ſi materia reſtituenda ſit gravis, quamvis obligatio proveniat ex peccato tantùm veniali, fore obligationem reſtituendi ſub mortali, quam ſententiam laudat Platel.*num.*734. tanquam valdè probabilem, & æquitati naturali conformem, quia præceptum reſtitutionis obligat ſub mortali, quando materia eſt gravis; ſed *n.*185. diximus oppoſitum cum Nav. Leſs. Lugo, Lill.*tr.*32.*n.*31.*&* 35. (excepta ſaltem reſtitutione famæ & honoris; de qua poſteà:) quia hæc obligatio reſtituendi non oritur ex materia ipſa, ſed ex injuria formali, quæ tantùm levis eſt, uti dictum.

§.20. *Objicit* Tamb. Ex contractu, voto, vel juramento cum ſemiplena advertentia facto nulla oritur obligatio, nequidem ſub veniali aliquid præſtandi, uti de voto dictum eſt *p.*1.*n.*380. & dicetur de contractu hic *n.*612. ergo ex culpa propter ſemiplenam advertentiam veniali, etiam nulla oritur obligatio reſtituendi: Rationem à priori dat *Leſs.* quia quæ fiunt cum tali inadvertentia, cenſentur quaſi caſu fieri. R.N. conſeq. diſparitas eſt, quòd ut ponatur obligatio, requiritur totus homo, eò quòd homo libertatem ſuam quaſi alienet: è contra ut quis peccet, ſufficit ſemiplena advertentia, ergo etiam ut peccet contra jus alterius, talis autem injuria trahit poſt ſe obligationem reparandi jus læſum. Ad rationem *Leſſii*, dico cenſeri tantùm ſemicaſualia; cum quo ſtat, quòd ſint ſemi-injuriæ, ergo æquum eſt ex illis oriri ſemi-obligationem ad reſtituendum, id eſt, obligationem ad reſtituendum aliquid leve tali injuriæ reſpondens, ſicuti quia peccata venialia ſemi-deliberata, ſunt ſemi-peccata, cauſant ſemi-pœnam peccatis debitam, id eſt, temporalem aliquam. 192

Inſt. Actus moralis imperfectus, qualis eſt indeliberata damnificatio, non poteſt eſſe cauſa obligationis moralis. R. Non poteſt eſſe cauſa obligationis moralis perfectæ, c. imperfectæ, N. ſic enim omne veniale eſt cauſa moralis obligationis ad ſatisfaciendum vel ſatispatiendum pro illo: tum autem eſſet cauſa obligationis perfectæ, ſi ex illa oriretur obligatio gravis reſtituendi totum, quod nos dicimus.

*Q.*44. *An ſit obligatio reparandi damna, quæ quis in ebrietate cauſat?* R. Qui per experientiam dicit ſe in ebrietate ſolere cauſare damna, v.g. alios vulnerare, frangere vel evertere omnia, ſi hoc ſciens ſe inebriet, & non ponat ſufficientem præcautelam, ne damna cauſet, tenetur ea reparare, ſi ebrius cauſarit, quia volendo ebrietatem communiter & per ſe in tali ſubjecto connexam cum talibus iujuriis, cenſetur etiam velle injurias, ita Vaſq. Lugo *d.*18.*n.*86. Dicaſt. *de Reſtit.d.*3.*n.*77. Quòd ſi damna illa non fuerint prevviſa, aut ſi moralis diligentia ſit adhibita, ut præcaverentur, licèt fortè fiant; non eſt obligatio reſarciendi ante ſententiam Judicis, quia non cenſentur fuiſſe voluntaria, Gob. *in Glyp. p.*2. *n.*262. Addit Haun.*t.*2.*num.*169. ebrium cauſantem damna poſſe per legem Aquiliam conveniri etiam ad plus reſtituendum in pœnam, quia ſæpè non eſt ebrietas excuſans à culpa. Denique notat *Dicaſt.* dicta de damnis cauſatis ab ebrio, valere de cauſatis ab ambulante in ſomno. 193

*Q.*45. *Ad quid teneatur, quiſcienter intulit damnum grave, ſed invincibiliter ignoravit eſſe tam grave?* v.g. ſi Titius in mare projecerit gemmam Caji valentem ducentis aureis, quam ipſe non putabat valere niſi centum? Reſp. Probabilius eſt non teneri niſi ad damnum, quod cognovit, & conſequenter in caſu poſito Titius tenebitur ad reſtituendos Cajo tantùm centum aureos, ita Pont. Dicaſt. Haun.*n.*219. Dia.*p.*11.*tr.*2.*R.*34. Eſp.*q.*34. contra Palav.*l.*4.*c.*7.*n.*71. Lugo *d.*8.*n.*63. Illſ.*t.*4.*d.*3.*n.*22. Probatur 1. quia ad illud, quod non cognovit, non tenetur ex lege poſitiva, cùm talis oſtèdi non poſſit; neque ex lege naturali, quia nõ fuit cauſa moralis illius exceſſus, quem non cognovit nequidem confusè, uti ſuppono, ergo non poteſt illi moraliter imputari, ergo de jure naturæ non tenetur illum compenſare. 2. Non eſt obligatio reparandi damnum extrinſecum, id eſt, diſtinctum à re ſublata vel perdita, ſi hoc damnum non fuerit prævviſum, v.g. ſi quis ignem injeciſſet in ſegetes, & ſic improviſò ſimul accenſa fuiſſet domus, non teneretur reſarcire damnum extrinſecum combuſtæ domus, ſed tantùm intrinſecum ſecundùm valorem ſegetum: uti fatetur *Palav.* ergo etiam non eſt obligatio reparandi damnum intrinſecum, quod non fuit cognitum, utrumque enim eſt æquè parum volitum. Ratio quaſi à priori eſt, quia lex naturæ non inducit obligationem, in quam homines non eſſent conſenſuri, ſi antecedenter ad omnem caſum eventualem fuiſſet requiſitus eorum conſenſus, atqui in talem obligationem non conſenſiſſent, nam cùm caſus hic ſit rarus, & naſcatur ex invincibili ignorantia, vix ullus metus talis pœnæ ab eo abſterreretur, & è contra durius eſt ſcienter compenſare damnum ita inadvertenter factum, quàm tolerare tali modo caſu illatum ab alio, ergo.

Objic. Juſtitia reſpicit medium rei, ergo obligat, ut reſtituatur, quantum à parte rei nocitum eſt, ſive fuerit cognitum ſive non. R.N. conſ. Juſtitia dicitur reſpicere medium rei, quia intendit æqualitatem inter jura à parte rei exiſtentia, ideoque non eſt opus per rationem multùm inveſtigare, quid ex juſtitia fieri debeat, ſed hoc facilè innoteſcit conſideratis rebus, & juribus ſecundùm ſe; cum hoc tamen ſtat, quòd debueris cognoſcere jus, ut dicaris formaliter læſiſſe & tenearis 195

repa-

reparare, alioquin qui nihil Juris alieni cognoviſſet, adhuc teneretur reparare, quod nemo dicit.

196 *Obj.2.* Lex civilis juſtè obligat ad compenſanda damna gravia illata per leves negligentias, ut ſic homines fiant cautiores, erga lex naturalis etiam juſtè obligat ad compenſanda damna gravia intrinſecè conjuncta cum formali injuria gravi, quamvis non ſint prævisa, ut ſic homines abſterreantur ab ejuſmodi injuriis, ita *Illſ.* R.N. conſeq. nam lex civilis tantùm obligat ad compenſanda damna præcognita, aut quorum præſumitur adfuiſſe præcognitio; deinde ſi valeret à lege civili ad naturalem, ergo ſicut ſufficit legi civili præceſſiſſe culpam levem, ita ſufficeret naturali, quod negant *Lugo & Illſ.*

197 *Obj.3.* Projiciens gemmam voluit voluntate executiva projicere hoc, quod habebat in manu, quidquid illud eſſet, ergo tenetur ad totum pretium reſtituendum, ita *Palav.* R. Voluit projicere, quod habebat in manu, ſecundùm hoc, quòd cognoſcebat, c. ſecundùm plus, quàm cognoſceret, n. ant. & conſ. alioquin quamvis putaſſet gemmam eſſe lapidem vilem & nullius valoris, adhuc teneretur totum pretium reſtituere, quod nemo dicit.

198 *Obj.4.* Qui agnoſcit ſe facere gravem injuriam, implicitè ſuſcipit in ſe onus compenſandi omne damnum, quod ex illa eſt ſecuturum, atqui hoc damnum eſt ducentorum aureorum, & cauſatur per gravem injuriam, ergo, ita *Lugo.* R. Suſcipit onus compenſandi omne damnum, quod ex illa eſt ſecuturum, ſi illud cognovit aut hìc & nunc cognoſcere potuit ac debuit, c. ſi invincibiliter ignoravit eſſe ſecuturum, n. neque aliud volunt AA. qui cum *Sanch.* dicunt compenſanda eſſe omnia damna ex injuſto homicidio ſecuta, nam intelligunt, ſi prævisa fuerint ſaltem confusè, quod ordinariè fit, aut ſi vincibiliter ſint ignorata, qualiter ignorari ſemper præſumuntur, niſi aliud conſtet, uti *num.*186. inſinuatum eſt.

199 *Inſtab.* Qui peccat mortaliter, meretur pœnam externam, quamvis de ea non cogitarit, ergo ſimiliter hic. R.N. conſ. qui mortaliter peccat, agnoſcit malitiam, quam ſufficienter ſcit eſſe illativam totius pœnæ: qui projicit gemmam, non agnoſcit malitiam illativam totius damni, ſed illum exceſſum valoris ignorat, ergo circa illum non eſt formaliter injurius, ergo nec tenetur compenſare, quia hæc obligatio compenſandi deberet naſci ex formali injuria. Hæc omnia magis valent, ſi poſitivè putarit pretium gemmæ eſſe minus, uti apertè infertur ex doctrina ipſiuſmet Lug. *d.*11. *n.*90. item ſi putavit gemmam pertinere partialiter ad ſe, & fratrem ſuum Cajum, tum enim non tenebitur de eo, quod invincibiliter putavit eſſe ſuum.

200 *Q.46. An quid teneatur Cajus, qui damnum intulit Titio, putans & volens inferre Sempronio?* R.§.1. Si putavit ſe furari, v.g. equum Sempronio, cùm tamen equus eſſet Titii, certum eſt ad nihil teneri Sempronio, quia nullam ei damnoſam injuriam fecit. Quòd ſi equus adhuc extet, aut Cajus per illum ſit factus ditior, etiam certum eſt Cajum teneri ex re accepta hunc reſtituere Titio. Tota difficultas eſt, an Cajus dici debeat fuiſſe etiam formaliter injurius Titio, ita ut ideò ex injuſta acceptione teneatur reſtituere, licèt nec equus extet ampliùs, neque Cajus ex illo factus ſit ditior: teneri reſtituere dicunt Sanch. *l.*2. *c.*23. *num.* 157. Bonac. *de Reſt. d.*1. *q.*3. *p.ult.*§.2. *n.*1. Haun & alii, rationem dant, quia Cajus eſt verè fur, ergo eſt formalis injuſtus acceptor, non reſpectu Sempronii, ergo reſpectu Titii, ergo ex iſta acceptione tenetur reſtituere. Alii cum Molin. *t.*3. *d.*723. *n.*4. dicunt non teneri, quod probabile eſſe dicit Tamb. *l.*6. *c.*4.§.3. *n.* 31. rationem dant, quia non cognovit jus eſſe Titii, ergo nõ fuit formaliter injurius Titio, cùm enim formalis injuria reſpectu hujus perſonæ includat actionem formaliter volitam contra hanc perſonam, ſi erretur in hac perſona, non poterit dici formaliter volita contra hanc perſonam, ideoque nec formalis injuria reſpectu illius, ergo debebitur illi reſtitutio tantùm ex re accepta. Ex eodem fundamento docent Vaſq. Leſſ. *l.*2. *c.*7. *dub.*9. Sanch. *in Conſ. l.*1. *c.*4. *d.*8. Lugo *d.*8. *n.*72. Tamb. *n.*24. Petſc. *pag.* 163. Dicaſt. *de Reſt. d.*3. *à num.*68. contra alios, ſi quis inculpatè putans ſe videre feram jaculetur in hoc, quod videt, & interficiat, poſteà autem deprehendat fuiſſe inimicum, quem ad nevem quærebat, ad nihil teneri, quia illa occiſio non fuit illi colita. *Nec refert*, quòd voluiſſet occidere, ſi ſciviſſet eſſe inimicum, *nam* inde tantùm ſequitur, quòd occiſio hominis fuiſſet illi volita, ſi ſciviſſet eſſe ibi inimicum, non autem, quòd nunc fuerit volita; imò cùm nunc non ſciverit, potiùs ſequitur, quòd nunc non fuerit volita. Utraque ſententia eſt probabilis, videturque ſic poſſe componi; Si Cajus furans equum eſſet actu ita comparatus, ſaltem implicitè, ut adhuc furaretur, quamvis ſciret eſſe Titii, videtur facere formalem injuriam Titio, quia ſatis cognoſcit ſaltem confusè jus illius, & error circa perſonam Titii videtur eſſe merè conſequens vel concomitans, ideoque non impedire rationem voluntarii, ac conſequenter tenebitur reſtituere, etiam ex injuſta acceptione. E contra ſi ſit ſaltem implicitè ita comparatus, ut non furaretur, ſi ſciret eſſe Titii, non facit formalem injuriam Titio, reipſa enim vult relinquere jus Titii illæſum, quamvis per errorem invincibilem lædat, hinc tenebitur tantùm ex re accepta: & in hanc diſtinctionem tandem conſentit Lugo *d.*17. *à num.* 77. & Petſch. *pag.*580.

§.2. Si Cajus occiderit Titium putans eſſe Sempronium, 201
Bon. Haun. Buſemb. dicunt probabilius eſſe, quod Cajus ex injuria teneatur ad totam reſtitutionem, etiam damnorum, quamvis Titius per accidens putaretur eſſe Sempronius: Lugo videtur in hoc caſu dubitare, Molin. & Rebell. dicunt Cajum teneri ad partem reſtitutionis, quia minùs fuit injurius, quàm ſi ſciviſſet eſſe Titium; Tamb. ſuprà dicit probabile eſſe, quòd ad nihil teneatur: ſed videtur etiam res hìc componenda, uti ante, ſi enim actu, ſaltem implicitè, fuerit ſic comparatus, ut etiam occidiſſet Titium, ſi ſciviſſet adeſſe, confusè cognovit Titium, adeoque fuit ei injurius, & tenetur de damnis.

§.3. Si Cajus veneno infecerit vinum, illudque poſuerit an- 202
te Sempronium, volens hunc è medio tollere. Titius autem id neſciens præripiat illud, & Cajus, ne ſcelus ſuum erumpat, id fieri permittat, Cajus in effectu non eſt homicida, nec tenetur compenſare damna ex morte Titii ſecuta, quia occiſio illa Titii non fuit voluntaria Cajo, qui caſum illum prævidere non potuit, nec cum tanto ſuo periculo tenebatur illum impedire.

§.4. Si Cajus videns Titium, & putans eſſe Sempronium, 203
ex odio in Sempronium dicat; Iſte homo eſt adulter, ſi Titius ſit audientibus notus, qui ideo putetur adulter, Cajus tenetur reſtituere Titio damna, ſi quæ ſequantur ex iſta infamia: Sempronio autem non fecit injuriam externam, ſi ejus nomen non expreſſit.

Q. 47. *Quid notandum ſit circa reſtitutionem rei &* 204
fructuum, item circa deductionem melioramentorum & expenſarum? R. Seqq. §.1. Pro his ſunt ſequentes Regulæ: 1. Poſſeſſor bonæ fidei tenetur reſtituere rem & fructus, vel quo factus eſt ditior ex re aut fructibus. 2. Poſſeſſor malæ fidei tenetur reſtituere rem & fructus, ſi habet, vel ſi non habet, valorem, licet non ſit factus ditior: item tenetur compenſare damnum emergens & lucrum ceſſans. 3. Poſſeſſor tam bonæ quàm malæ fidei poteſt deducere æſtimationem aliquam melioramentorum & expenſarum ſuarum: quæ omnia jam magis explicabuntur.

§.2. Fructus rei ſunt, vel naturales vel induſtriales vel 205
mixti: *naturales* ſunt, qui ex re ipſa proveniunt abſque ullo ferè labore aut induſtria cujuſquam, uti fœtus animalium, lana ovium, fructus arborum, herbæ pratorum, ſilvæ cęduæ, pretium quod quis accipit pro inſtrumento alieno alteri elocato, item pretium ſeu valor rei, qui dici ſolet fructus rei mediatus, & reipſa eſt æquivalenter res. *Induſtriales* ſunt, quos ipſa rei natura de ſe ipſa non producit, ſed qui præcipuè proveniunt ab induſtria hominis utentis tali re velut inſtrumento, uti ſtipendium, quod quis accipit, dum ipſemet utitur falce vel alio inſtrumento alieno, item artefactum, quod per inſtrumenta elaboratur, item lucrum, quod quis reportat ex rebus tam mobilibus quàm immobilibus emptis, & venditis, item lucrum ex pecunia ad cenſum vel negotiationem poſita. *Mixti* ſunt, ad quorum productionem, notabiliter concurrunt tam natura quàm induſtria, uti ſegetes ex agro, vinum ex vineis, quia hæc producit quidem natura, attamen debet induſtria notabiliter conferre, uti pluribus iſta explicant Molin. *t.* 3. *d.*719. & Dicaſt. *de Reſt. d.*2. *d.*5. qui rectè addit *d.*5. *nu.*30. denominationem fructus naturalis aut induſtrialis ſæpè deſumi ab illo, quod prævalet, ſi nempe natura prævaleat, dici naturalem, ſi induſtria, induſtrialem, quamvis reipſa ſit mixtus: in dubio autem, quid prævaleat, ſtandum eſt ſententia Judicis vel arbitrio prudentum; quod ſi nec Judex nec ullus prudens poſſit diſcernere, præſumitur potiùs naturalis, quia natura cenſetur ſemper plus operari, cùm ſit fundamentum induſtriæ.

§.3. Aliqui fructus dicuntur civiles, quia in foro civili 206
habentur veluti fructus, uti ſunt pretia rerum elocatarum, uſuræ, penſiones, mercedes, ſalaria &c. uti habetur in jure apud Haun. *t.*3. *à num.*361. & hi fructus civiles reducuntur ad fructus vel naturales vel induſtriales vel mixtos, ſecundùm ante dicta.

§.4. Fructus alii dicuntur pendentes, alii percepti, alii 207
percipiendi: pendentes ſunt, qui nondum ſunt collecti, ſed in rebus, è quibus naſcuntur, adhuc exiſtunt: percepti dicuntur, qui ſeparati ſunt à re, è qua proveniunt, quamvis fortè adhuc ibi jaceant, ubi creverunt: percipiendi dicuntur, qui percepti non ſunt, ſed percipi potuerunt.

§.5. Melioramenta rei alia dicuntur intrinſeca, alia extrin- 208
ſeca; intrinſeca dicuntur, quæ quaſi tranſeunt in rem, quam meliorem efficiunt, ideoque dominus rei acquirit illorum dominium per acceſſionem ſeu adjectionem, ſecundùm dicta *n.*126. talia ſunt ſtercoratio agri, implantatio arborum, ſi radices egerint. Extrinſeca dicuntur, quæ tantùm extrinſecè adhærent, & ſalva re, ſeparari poſſunt, ideoque illorum domi-

nium

nium non neceſſariò acquiritur domino rei; talia ſunt picturæ, januæ, feneſtræ, domuncula mobilis, quæ ſolo alieno imponitur.

209 §.6. A poſſeſſore rei alienæ ſæpè fiunt expenſæ pro re vel pro fructibus ex re habendis, aut pro melioramentis: tales autem expenſæ ſunt, vel neceſſariæ, vel utiles, vel voluntariæ, ſeu voluptuoſæ. Neceſſariæ ſunt, ſine quibus res periret vel fieret deterior, vel nullos aut non ordinarios fructus afferret. Utiles ſunt, quæ faciunt, ut res utilior ſit, ſive ut plures fructus afferat, v.g. ſi ager cum neceſſariis expenſis de more afferat 10. modia tritici, & cum aliis afferat 12. modia, hæ expenſæ ſunt utiles. Voluntariæ ſunt, quæ tantùm conferunt ad ornamentum vel ad delicias, uti hoc, quod impenditur ad picturas, ſtatuas, artificioſos fontes &c. quibus quamvis res reddatur pretioſior & æſtimabilior, tamen non ideo affert majores fructus: ex quo patet non omnes expenſas eſſe utiles, quæ faciunt rem pretioſiorem, imò expenſæ voluntariæ ſæpè ſunt damnoſæ, ſi impediant utilitatem, item ſi dominus ſit pauper, ideoque ut rem ſuam recipiat, cogatur cum detrimento eas ſolvere, uti rectè Sanch. *l.2.c.23.num.145.* His ſuppoſitis.

210 §.7. Poſſeſſor bonæ, & malæ fidei tenetur ex re accepta reſtituere rem, ſi adhuc extat, aut quantùm ex illa factus eſt ditior, ſecundùm hactenus dicta. Item poſſeſſor tam bonæ quàm malæ fidei tenetur reſtituere fructus naturales rei, ſaltem, ſi extent adhuc in ſe, ita communiter omnes cum Dicaſt. *d.5.à n.28.* Ratio eſt, quia res manet domini, ergo ubicumque eſt fructificat domino ſuo. *Nec obſtat*, quod fortè non fuiſſet fructificatura, ſi apud dominum manſiſſet, *nam* hoc non obſtante, ſi apud alium fructificet, domino ſuo fructificat, unde talis, etiam bonæ fidei poſſeſſor, non acquirit dominium illorum fructuum, per ſe loquendo, niſi ad ſummum revocabile, uti pluribus oſtendit Haun. *à num.266.*

211 §.8. Si hi fructus non extent ampliùs in ſe, ſed poſſeſſor bonæ fidei eos conſumpſerit, ſitque inde factus ditior, non ita certum eſt, an teneatur ſemper reſtituere: quod attinet ad poſſeſſorem alienæ hæreditatis, ſatis certum videtur hunc teneri, nam ita habetur multis locis jure apud Haun. *à n.276.* ſimiliter poſſeſſorem alterius rei alienę teneri reſtituere fructus conſumptos poſt litis conteſtationem, habetur *L.22. Cod. de rei vindicatione*: quod affirmat cum communiore Illſ. *t.4.d.3.n.52.* contra Sanch. etiam poſt evictam litem dicendum eſſe de fructibus perceptis aut percipiendis tempore motæ litis, quamvis poſſeſſor ex illis non ſit factus ditior, quia ſecundùm *L.25.§.7. ff. De hæredit. petitione*, poſt motam controverſiam omnes incipiunt eſſe tanquam malæ fidei poſſeſſores, quia tum quaſi ſuſpenditur jus utriuſque. An autem teneatur reſtituere bona fide conſumptos ante conteſtationem, ex quibus factus eſt ditior, controverſia eſt, nam de fructibus mixtis negant moderni Juriſtæ cum Haun. *n.280.* & Illſ. *n.50.* quam ſententiam plerique dicunt eſſe probabilem, fatenturque *Rebell. & Sanch.* in foro externo ſecundùm eam decidi; & ratio eſt, quia leges potuerunt ita ſtatuere, ſicuti ſtatuerunt, ut præſcriptione acquiratur dominium ſine obligatione compenſandi: quod autem de facto ita ſtatuerint circa fructus mixtos, videtur ſuaderi *L.4.§.2.ff. Finium regundorum*, item *§.35. Si quis à non domino, Inſtit. De rerum diviſ.* E contra Inn. Covarr. Panorm. & TT. communiſſimè, atque etiam cum aliis Bart. Vvormſerus, Piſtorius aliique Juriſtæ innumeri, teſte Dicaſt. *num.64.* probabilius affirmant eſſe reſtituendos, non tantùm naturales, ſed etiam mixtos, ſecundùm hoc, quòd naturales ſunt, *quia locupletari non debet aliquis cum alterius jactura*, uti habetur *Reg.48. juris in 6. & l.10.ff. Mandati. Bonæ fidei hoc convenit, ne de alieno lucrum ſentiat:* res autem fructificat domino ſuo, ergo quamdiu fructus talex extant, ſaltem æquivalenter, ſunt domino reſtituendi, extant autem æquivalenter, ſi poſſeſſor ſit inde factus ditior. *Neque* juvat dicere, hoc verum eſſe ſpectato jure naturæ, ſed aliter diſponi jure poſitivo, *nam* hoc efficaciter probari deberet, alioquin ſtandum eſt jure naturæ, uti rectè Dicaſt. *num.75.* hoc autem efficaciter probari non poteſt, uti fatentur Adverſarii, dicentes eſſe tantùm probabile, aut ad ſummum probabilius, patetque conſideranti leges, quas afferunt, Leſſ. enim *l.2.c.14.n.10.* & Dicaſt. *n.93.* dicunt intelligi de fructibus, per quos aliquis non eſt factus ditior: & *Conf.* nam *§. Etſi Inſt. de off. Judicis*, dicitur eadem intervenire in petitione hæreditatis ac ſingulorum, ſed in petitione hæreditatis debent reſtitui fructus illi, etiam bona fide conſumpti, uti dictum eſt, ergo etiam in aliis caſibus. Videri poteſt Dicaſt. *à num.38.* ubi hanc quæſtionem accuratè tractat.

212 §.9. Nequidem malæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere fructus induſtriales, quia ſicut fructus rei rem, ita fructus induſtriæ induſtriam ſequuntur: neque contrarii ſunt Juriſtæ, quando enim dicunt fructus induſtriales aliquando reſtituendos eſſe, intelligunt mixtos, uti obſervat Haun. *n.265.* Conſequenter, qui etiam mala fide, lucratus eſt pecunia aliena, illam exponendo in luſu, ad negotiationem vel cenſum, &c. non tenetur hoc lucrum reſtituere, quia pecunia eſt res de ſe ſterilis, & fructus ejus cenſetur reſpondere induſtriæ: ſimiliter meſſor mala fide utens falce aliena, non tenetur reſtituere lucrum, ſed tantum compenſare, quantum falce aliena attrivit; & idem eſt de aliis inſtrumentis, quæ uſu deteriorantur. Quòd ſi alienum torquem aureum elocaſti ad uſum, *Nav. & Lop.* dicunt te poſſe retinere pretium elocationis, ſicuti potes retinere, quod inſtrumento alieno lucratus es, compenſando, quod detritum eſt: Mol. *d.719. n.5.* Laym. Leſſ. aliique dicunt te teneri reſtituere pretium, quia torques non habet ſe veluti inſtrumentum, perquod operatur induſtria, ſed veluti domus, quæ elocatur, ergo ſicuti teneris reſtituere pretium acceptum pro elocatione domus alienæ, cùm ſit fructus naturalis ſaltem civiliter, ita & pro elocatione torquis.

§.10. Poſſeſſor tam bonæ quàm malæ fidei tenetur reſti- 213
tuere fructus mixtos, quantum reſpondent naturæ; quantum autem reſpondent induſtriæ, non eſt obligatio illos reſtituendi; uti conſtat ex dictis, nam quantùm à natura proveniunt, ſunt fructus rei, quantùm autem proveniunt ab induſtria, ſunt fructus, non rei, ſed hominis occaſione rei vel per rem tanquam inſtrumentum eos ſibi lucrantis: & hoc volunt AA. communiter quando dicunt fructus mixtos eſſe reſtituendos deducto valore induſtriæ: & in re etiam hic conſentiunt Molin. *n.4.* Dicaſt. *n.76.* aliique, quamvis quandoque paulò aliter loquantur: conſequenter dicendum eſt, ubi natura plùs contulit quàm induſtria, plùs reſtitui debet; minùs autem, ſi induſtria plùs contulerit ad fructus producendos, quàm natura.

§.11. Qui ſeminavit alienum triticum in ſuo agro, ſatis- 214
facit, ſi reſtituat vel ſimile vel pretium ejus, quia ſeges eſt fructus agri potiùs quàm ſeminis, quod mortuum eſt & ab agro vivificari debet, Lugo, Dicaſt. Illſ. *n.47.* Similiter qui alienum triticum aliò deportavit, & ideò cariùs vendidit, ſatisfacit, ſi reſtituat ſimile vel quanti intereſt domini ſuum triticum non eſſe aliò aſportatum, quòd enim cariùs vendiderit, eſt fructus induſtriæ.

§.12. Bonæ fidei poſſeſſor non tenetur compenſare fructus, 215
quos etiam per culpam ſuam non percepit ex re aliena, quamvis dominus percepturus fuiſſet, non enim tenetur ex re accepta, cùm nihil acceperit, neque ex injuſta acceptione, cùm nullam fecerit injuriam domino rei, Leſs. *l.2.c.14.n.12.* Et notant rectè AA. quamvis poſſeſſor bonæ fidei ſæpe teneatur reſtituere rem, v.g. agrum alienum, tamen non ſemper teneri reſtituere omnes ejus fructus perceptos, quamvis ex illis ſit factus ditior, quia fructus, cùm ſint res mobiles, præſcribi poſſunt breviori tempore, quàm ager immobilis.

§.13. Poſſeſſor malæ fidei, quamvis non teneatur compen- 216
ſare fructus, quos non percepit, neque à domino percipiendi fuiſſent, tenetur tamen compenſare, ſi dominus eos percepturus fuiſſet, etiamſi ipſe nec perceperit nec percipere potuerit, ita Sanch. Leſs. Bonac. Dicaſt. *d.2.d.96.* Lugo *diſp.17. à num.54.* Petſch. *p.221.* quamvis de ultimo videatur aliter loqui S. Thom. *opuſc.73. cap.20. Poteſt incidere damnum per accidens, quando ſcilicet ex pecunia ablata, lucrum, quod intendebat, non acquiſivit, & nihil aliud paſſus eſt damnum, dico quod lucrum tale non eſt reſtituendum ei, qui paſſus eſſe dicitur hujuſmodi damnum.* Ratio noſtra eſt, quia ſi nec ſint percepti, nec dominus fuiſſet percepturus, non ideò eſt paſſus damnum, cùm nec amiſerit aliquid, nec in aliquo acquirendo ſit impeditus, ergo nihil eſt reſtituendum, ſicuti ſi differam ſolvere debitum, & creditor non ideo patiatur damnum, nihil ideo teneor reſtituere; è contra ſi dominus percepturus fuiſſet, etiam per ſingularem diligentiam, quam adhibuiſſet, injuſtè paſſus eſt hoc damnum, ergo compenſari debet: imò poſſeſſor malæ fidei tenetur illos fructus domino compenſare, quos per culpam ſuam non percepit ex re ſuis expenſis intrinſecè meliorata, ſi dominus percepturus fuiſſet; uti rectè Sanch. Bonac. Lug. *n.57.* contra Sotum & Covar. quorum tamen ſententiam Leſs. *n.117.* & Dicaſt. *n.57.* dicunt eſſe probabilem: ratio noſtra eſt, quia illud melioramentum intrinſecum, ſtatim ut poſitum fuit, acquiſitum eſt domino rei, ergo qui injuſtè illud retinuit, tenetur compenſare omnia damna inde orta, inter quæ eſt jactura fructuum, quos dominus percepiſſet; & ob eandem rationem debent reſtitui fructus percepti ex ejuſmodi melioramentis intrinſecis rei alienæ, quamvis dominus hæc melioramenta non fuiſſet facturus, v.g. fructus percepti ex arboribus, quas ſingulari diligentia plantavit in fundo alieno, quamvis dominus eas plantaturus non fuiſſet, ita cum aliis Bonac. *de Reſtit. d.1.qu.3.p.12.§.2.*

§.14. Nequidem poſſeſſor malæ fidei tenetur compenſare 217
fructus, quos dominus illicitè percepiſſet, v.g. ſi rapuit ſervam, non tenetur compenſare turpia lucra, quæ accepiſſet dominus meretricè exponendo illam, uti habetur *l.34. ff. de rei vendicatione*, & ratio eſt; quia dominus non habuit jus ad tales fructus: ſi tamen poſſeſſor malæ fidei acceperit tales fructus ex re domini, tenetur hos reſtituere, uti cum communi Bonac. *n.8.* & Petſch. *p.231.* habeturque *l.27. ff. De hæreditatis*

peti-

petitione, quia res, ſi fructificet, domino ſuo fructificat, ergo hic qualiſcunque fructus rei, quando exiſtit, eſt fructus domini rei.

218 §.15. Si res vel fructus per culpam injuſti detentoris perierit, v.g. quia conſumpſit aut donavit alteri, tenetur valorem reſtituere, quamvis non ſit factus ditior, & apud dominum etiam caſu vel aliter certò peritura fuiſset, ita Molin. Laym. *l.3. t.2.c.4.n.2.* Lugo *diſp.18.n.76.* Dicaſt. *d.1.n.58. & alii* contra Vaſq. Leſs. & Bon. *p.10. à n.2.* qui hoc negant, ſaltem ſi eodem tempore & loco erant certò peritura apud dominum, quam ſententiam Laym. fatetur eſse probabilem, uti & Dicaſt. *n.74.* dummodò non vendiderit, neque inde ſit factus ditior: Ratio noſtra eſt, quia talis res hic & nunc perit per injuriam detentoris, ergo ex hac eſt obligatio reſtituendi: limitat quidem *Laym.* niſi publicè conſtitiſſet rem etiam certò perituram fuiſse apud dominum: putat enim tum, moraliter loquendo nullius, aut ſaltem minoris fuiſse pretii; ſed contra eſt, nam licèt nullius pretii fuiſset futura prout exiſtens apud dominum, tamen prout exiſtens apud injuſtum detentorem jam acquiſiverat meliorem ſtatum, qui ſtatus rei pertinebat ad rem, & conſequenter ad dominum rei, ergo, qui rem ex hoc ſtatu iterum dejicit, facit domino damnoſam injuriam, uti qui rem ex incendio ereptam iterum injiceret, ergo cujus culpa tum perit, tenetur damnum inde ſecutum compenſare: quæ omnia magis valent, ſi res apud dominum erat certò peritura per injuriam alicujus alterius, uti fatetur *Bonac.* nam qui prævenit in injuria, prævenit in obligatione reſtituendi: quæ omnia iterum multò magis valent, ſi res apud dominum peritura erat, non certò, ſed contingenter, quia qui tum facit perire, cenſetur cauſa efficax damni domino cauſati, ut notat Bonac. Dicaſt. *n.70.* Petſch. *pag.237.* E contra ſi pereant abſque culpa injuſti detentoris, v. gr. in communi periculo, ſimiliter certò peritura apud dominum, injuſtus detentor non tenetur reſtituere valorem rei ſed tantùm uſuum vel fructuum rei, quos dominus intereà habuiſſet, quia injuſta detentio non fuit reipſa cauſa illius damni, quod independenter ab illa fuiſſet ſecutum ſine cujuſquam culpa: quando autem aliquid perit ſine cujuſquam culpa, perit domino ſuo, uti rectè cum aliis *Laym.* ſuprà; quod tamen dominus intereà caruerit uſu rei ſuæ vel fructibus, quos percepiſſet, hoc tribui debet injuſtæ acceptioni, ergo naſcitur obligatio compenſandi. Videri poteſt Dicaſt. *à num.52.* ubi infert multa corollaria notatu digna; item Petſch. *à p.237.* uſque ad *296.* In dubio autem, an res, quæ apud injuſtum detentorem periit, peritura fuiſſet apud dominum, cenſeri debet non fuiſſe peritura, ideoque tota reſtituenda eſt, uti docent *Bonac. Leſſ. Tamb.* quia poſſeſſio eſt pro exiſtentia rei; è contra in dubio de damnis vel lucris ſecuturis, reſtitui debet pro rata dubii, quia lucra ex re nondum exiſtunt, ergo non poſſident; neque dominus eſt in poſſeſſione reſpectu eorum, ſed injuſtus detentor eſt potiùs in poſſeſſione rerum ſuarum: ſpes tamen lucri & periculum damni eſt in poſſeſſione, ergo ſecundùm proportionem talis ſpei, & periculi reſtituendum eſt, ita Petſch. *p.237.*

219 §.16. Si detentor fuerit in mala fide reſpectu rei, ſed non reſpectu fructuum, quia v.g. invincibiliter putavit fructus labore ſuo concurrente partos fieri ſuos, ſi hi fructus non amplius extent, nec inde ſit factus ditior, neque etiam dominus eos percepturus fuiſſet, non tenetur compenſare, uti rectè Lugo *n.53.* & Petſch. *p.234.* è contra quamvis ille bonam fidem habuerit, & non ſit factus ditior, ſi tamen dominus eos percepturus fuiſſet, tenetur compenſare, quia hoc damnum eſt conſecutum ex injuſta ejus acceptione: ita Petſch. *p.229.*

220 §.17. Si Titius mandavit famulo, ut ferret Cajo donatam à ſe gemmam, famulus autem per fraudem & ex culpa gravi differat ferre uſque ad mortem Titii, & tunc gemmam illam perdat, Molin. *d.263.n.7.* Sanch. *de Matr. l.1.d.6.n.8.* Leſſ. *l.2.c.18. num.46.* Dicaſt. *l.2.t.4.n.166.* dicunt teneri valorem gemmæ reſtituere duobus in primis hæredibus Titii, quia cùm donatio non eſſet perfecta, neque ad piam cauſam, mandatum expiravit morte mandantis, ergo gemma manſit hæredum: deinde etiam Cajo, quia per dilationem culpabilem fuit cauſa damni per carentiam gemmæ cauſati, Sa *v. donatio n.25.* Tamb. *l.8.t.4. cap.1.§.5.n.11.* Sporer *t.4.c.4.n.21.* dicunt ſatis eſse, ſi reſtituat Cajo, quia probabile eſt mandatum favorabile & gratioſum non expirare morte mandantis, ſicuti Sanch. *l.8.d.28. num 66.* docet morte concedentis non expirare gratias, v.g. conceſſionem privilegii, diſpenſationis, indulgentiæ. Prima ſententia videtur probabilior.

221 §.18. Poſſeſſor tam bonæ quàm malæ fidei poteſt in reſtitutione deducere valorem laboris, & aliquarum expenſarum circa rem & fructus, ita communiter omnes. De labore probatur, quia ſicut per alios potuit laborem illum adhibere, & quod pro eo expendiſset, deducere, ſic laborando per ſe ipſum poteſt deducere laboris pretium: præſumi enim debet voluiſse laborare, non gratis, ſed pro commodo ſuo, reipſa autem laboravit pro commodo domini rei, ita Lugo *n.65.* Tamb. *n.11.* Petſch. *p.518.* De expenſis ſaltem neceſſariis, habetur *L. Domum, Cod. de rei vendicatione*, ratio autem eſt, tum quia dominus ipſe eas facere debuiſſet, tum quia fructus non habet rationem fructus, niſi deductis his expenſis, *l.36.§.fin. ff. de hæred.petit.* tum etiam quia per expenſas conſervatur res & cauſantur fructus, adeoque expenſæ ingrediuntur quaſi rem & fructus, ergo æquum eſt, ut qui vult rem, & fructus, ferat expenſas. Idem videtur dicendum de expenſis utilibus, uti docent Covarr. Molin. Sayr. Rebell. Nav. Leſs. Caſtrop. Illſ. *num.54.* nam quamvis *L. Adeo 7.§. Ex diverſo, ff. De acquir. domin.* poſſeſſori malæ fidei negetur actio ad illas repetendas, cùm tamen ſit lex pœnalis, non obligat in conſcientia ante ſententiam Judicis, & reipſa rigor illius legis mitigatus eſt per *l.38.ff. de hæred. poſſeſſ.* hinc etiam *l.51. ff. Familiæ herciſcundæ* abſolutè dicitur, impenſarum ratio haberi debet, quia nullus caſus inveniri poteſt, qui hoc genus deductionis impediat; & ratio eſt, quia etiam hic utiliter geſſit negotium domini, ergo æquum eſt, ut deducat expenſas. Putant quidem aliqui, ſi res jam redierit ad dominum, non poſſe poſſeſſorem malæ fidei repoſcere expenſas, quia in fore externo negarentur ipſi, cui dominus rei ſe poteſt pro foro interno accommodare: quandocumque enm lex juſtè negat actionem ad aliquid petendum & debitori concedit repetitionem, ſi fortè ſolverit, debitor poteſt in foro conſcientiæ illud retinere, uti probat Sanch. *de Matr. l.6.d.38.n.35.* dicitque Lugo dominum poſſe tutò ſequi hanc ſententiam, putat tamen cum Nav. & Petſch. *p.576.* oppoſitam eſse probabiliorem, nam ſpectato jure naturæ poteſt repetere; lex autem concedens poteſtatem non ſolvendi eſt pœnalis, uti ante dictum eſt, quæ non obligat ante ſententiam Judicis, nec privata authoritate poteſt executioni mandari, cùm executio ſit actus Judicis.

§.19. *Mol. Leſſ. Sayr. & alii* dicunt in foro conſcientiæ poſ- 222
ſe deduci etiam voluntarias expenſas in ornatum non ſeparabilem, quia res per illas facta eſt pretioſior poteſtque pluris vendi, videtur autem iniquum, ut quis diteſcat ex damno alterius: *Sanch. Laym. Rebell. Caſtrop. & alii* dicunt deduci non poſſe, quia Dominus injuſtè cogeretur ornatum illum emere: *Lugo & Haun.* dicunt poſſeſſorem bonæ fidei poſſe deducere partem earum, non autem totas, quia hic ornatus eſt veluti merx obtruſa, quæ ideo æſtimari debet vilior: quod Illſ. *n.56.* permittit etiam poſſeſſori malæ fidei.

§.20. Bonæ fidei poſſeſſor deducere poteſt expenſas factas 223
in fructus naturales, & mixtos naturæ reſpondentes, ſi adhuc extent & ad dominum redituri ſunt, non autem factas in fructus bona fide conſumptos, ex quibus non eſt factus ditior, uti cum Mol. notat Dicaſt. *n.70.* cùm enim Dominus ex his ultimis nihil recipiat, iniquum foret ex his aliquid deducere: è contra poſſeſſor malæ fidei poteſt deducere expenſas in illos fructus, licèt hos conſumpſerit, nec ſit factus ditior, quia tenetur hos domino reſtituere: neuter autem poteſt deducere factas in fructus induſtriales, quia hos fructus retinent.

§.21. Inter expenſas non ſunt computandi caſus fortuiti, 224
nec damna per accidens cauſata, v.gr. ſi ob labores immodicos in colendo agro alieno mortui ſint equi tui, valor equorum deduci non poteſt, cùm non ſit expenſa ordinaria pro cultura agri, ſed tantùm æſtimatio laboris faciendi ab equis pro excolendo tali agro, uti rectè notant Bald. & Dicaſt. *n.68.* nec plùs deduci poteſt pro expenſis, quàm dominus ipſe fuiſset expenſurus, v.g. ſi dominus pro excolendo agro ſuo tantùm expendiſſet tres aureos, tu autem, quia non habes proprios equos & famulos, expendere debuiſti ſex, probabilius eſt cum Tamb. *l.8. t.3.c.4.§.5.n.15.* & Petſch. *p.575.* te non poſſe deducere niſi tres aureos, quamvis fuiſses bonæ fidei poſſeſſor, quia plùs non ceſſit in utilitatem domini, quod autem tu ſic patiaris damnum, imputare debes caſui: & *Conf.* nam alteruter veſtrum debet ferre illud damnum, ergo cùm expenſæ illæ ſint magis tibi quàm domino voluntariæ, potiùs tu quàm dominus ferre debes: videtur tamen etiam eſse aliqua æquitas, ut uterque partem *talis* damni ferat, præſertim accedente ſententia Judicis.

§.22. Malæ fidei poſſeſſor non poteſt deducere expenſas 225
neceſſariò factas in rem ratione ſuæ injuriæ, ſed tantùm illas, quæ independenter ab injuria fuiſsent faciendæ, v.g. ſi abſtulit ſervum alienum, qui occaſione fugæ incidit in morbum, expenſæ factæ pro eo ſanando, non poſſunt domino detrahi, quia ſecutæ ſunt ex injuria, ſi enim ſervus non fuiſset ſublatus, non fuiſsent neceſſariæ, quia ſervus non ægrotaſset.

§.23. Melioramenta, ſi ſint extrinſeca, ſpectant ad poſ- 226
ſeſſorem, ſive ſit bonæ ſive malæ fidei, uterque enim manet eorum dominus, poteſtque auferre, Laym. Bonac. *p.12.§.2.n.5.* Lugo *num.62.* E contra ſi ſint intrinſeca, Rebell. & alii cum Sanch. *in Decal. lib.2.c.23.num.193.* dicunt poſſeſſori bonæ fidei tantùm eſse aliquid compenſandum, nam poſſeſſor malæ fidei debet ſuæ injuriæ hoc damnum imputare: Tamb. *num.14.* putat nequidem poſſeſſori bonę fidei eſse de jure aliquid compenſandum, quia iniquum videtur cogere dominum ad illa emenda; Leſs. *n.113.* Lugo *n.63.* & alii dicunt etiam poſſeſſori malæ fidei

ali-

aliquid compenſandum arbitrio boni viri, quantum nempe res facta eſt utilior, ſecundùm dicta *n.*221.& 222.quia melioramenta ordinariè ſunt expenſæ utiles, quæ refundendæ ſunt, cùm enim poſſeſſor teneatur tantùm compenſare damnum per injuriam ſuam cauſatum, his compenſatis æquum eſt ipſi cætera reddi. Hanc ſententiam dicit eſſe ſine dubio probabilem Petſch.*p.*579.mihi videtur probabilior.

227 §.24. Plus deduci non poteſt pro melioramentis, quàm quantus eſt & manet auctus valor rei,quando ad dominum redit, uti rectè Molin.*t.*2.*d.*463.*col.*936.Sanch.*n.*147.Lugo *num.* 52.Dicaſt.*d.*5.*n.*71. Rebell.Caſtrop.Illſ.*n.*55. & conſtat ex *l.in fundo, ff.Derei vendicatione*. Ratio autem eſt, quia tantùm hoc emolumentum habet dominus ex melioramentis vel expenſis alterius, ergo non tenetur illi plus compenſare: hinc ſi expendiſti 30. aureos, cui etiam initio reſpondebat melioramentum agri tantundem æſtimabile, poſteà autem, dum ager ad dominum redit, valor melioramenti æſtimabilis non eſt niſi decem aureis, non potes deducere niſi decem: quòd ſi valor rei, quando ad dominum redit, ſit major, attamen creverit ſine tuis expenſis, nihil ideo poteris deducere, quia res & valor rei creſcit ſuo domino, hinc ſi plantando ſylvam in ſterili fundo alieno inſumpſiſti tantùm 10. aureos, quamvis fundus & ſylva, dum ad dominum redit, valeat mille aureis, tantùm deducere poteris decem, quia arbores increſcentes fundo ſtatim acquiſitæ ſunt domino, hinc valor auctus ex creſcentia arborum accrevit domino.

228 §.25. Si malæ fidei poſſeſſor ideo feçit melioramenta, ut dominus nõ potens refundere expenſas cogeretur eam ipſi relinquere, dominus poteſt repetere rem non refundendo expenſas, tum quia dolus non debet illi patrocinari, tum etiam quia ſic meliorando fecit injuriam damnoſam, quam non poteſt reparare, niſi reſtituendo rem non deductis expenſis, ergo ad hoc tenetur: putatque Sanch.*n.*145.quamvis dominus poſteà ſit ſolvendo, tamen non teneri refundere expenſas, ſed oppoſitum videtur probabilius cum Navarra & Petſch. *p.*577. quia compenſatum eſt illi totum damnum, uti ſuppono: videtur autem iniquum, ut melioramentum habeat gratis & cum damno alterius, uti *n.*226.dictum eſt.

229 §.26. Compenſatio pro expenſis deduci debet ex fructibus perceptis, quamvis hi conſumpti ſint, & poſſeſſor, etiam bonæ fidei, non ſit ex his factus ditior, quia quò plures fructus percepit, eò minùs cenſetur de ſuo expendiſſe pro re domini, recepit enim fructus perceptos, non aliter ac ſi dominus aliunde dediſſet illi æquivalens pro his expenſis, quod ipſe dilapidaſſet, alioquin non dilapidaturus, niſi recepiſſet: unde quòd ex illis non ſit factus ditior, ſibi imputet, reipſa enim accepit fructus, qui erant compenſatio pro expenſis, ita Petſch.ſupra.

230 *Q.*48. *Si valor rei vel fructuum fuerit varius intrà tempus, quo ſunt erepta & conſumpta, ſecundùm quem valorem ſit reſtituendum?* R. non debet attendi præcisè ad valorem, qui fuit, ſed ad damnum, quod domino illatum eſt & compenſari debet: ut autem hoc damnum taxari poſſit, probabilius eſt attendi debere ad tempus, quo iniquus detentor rem conſumpſit, & quo à domino fuiſſet conſumenda vel diſtrahenda, ita Med.Vaſq.Mol.Rebell.Turr. aliique cum Lugo *d.*18. *nu.*121. & in re conſentit Dicaſt. *De Reſt. d.*2. *n.*29. Ratio eſt, quia ſi reparetur damnum, quod domino cauſatum eſt, redit æqualitas, & tantundem eſt, ac ſi nihil fuiſſet ereptum vel detentum, ergo ſatisfit ſic reſtituendo. Ut tamen hoc melius intelligatur, addenda ſunt aliqua; quod autem dicam de re, intelligendum eſt etiam de fructibus, quando hi reſtitui debent.

231 §.1. Valor rei poteſt variari, vel extrinſecè vel extrinſecè: intrinſecè variatur, ſi res in ſe fiat vilior aut melior, ſic pullus equinus, dum eſt juvenis, eſt in ſe vilior, cùm adolevit, eſt in ſe melior, cùm ſeneſcit iterum fit in ſe vilior. Extrinſecè variatur, ſi res in ſe manens eadem, jam pluris jam minoris æſtimetur, v.g.propter copiam vel raritatem ejuſmodi rerum,propter multitudinem vel paucitatem emptorum; & ſic fieri poteſt, ut idem triticum, quod in Januario valuit tribus, valeat in Auguſto quatuor, in Octobri duobus aureis.

232 §.2. Non ſemper ſufficit reſtituere valorem, quem res habebat eo tempore, quo dominus eam conſumpſiſſet vel alienaſſet, eſt communis cum Illſung *t.*4.*d.*3.*num.*159.contra Bonac. *de Reſtit.d.*1.*q.*3.*p.*11. *num.*9. cujus ſententiam Rebel.& Dian. vocant probabilem, Lugo autem *num.*119. negat eſſe probabilem. Ratio eſt, quia aliàs furatus pullum equinum, quem poſteà factum equum vendidit 40.aureis, ſatisfaceret reſtituendo 10.aureos, ſi dominus eum pullum adhuc juvenem fuiſſet venditurus 10.aureis: hoc autem dici non poteſt, nam poſtea factus equus valuit 40.aureis, & furtum injuſtè detinuit & vendidit, ergo ex hac injuſta uſurpatione tenebatur hunc valorem reſtituere, quamprimùm habuit, ergo etiam tenetur poſtea. *Nec obſtat*, quòd dominus pro illo tantùm habuiſſet 10.aureos, ideoque videatur paſſus damnum tantùm 10. aureorum, *nam* contra eſt, quod quando equus creverat ad valorem 40.aureorum, equus erat res domini, ergo 40. aurei ſpectabant ad dominum, quibus cum privetur dominus, utique damnificatur in toto illo valore rei ſuæ. Admittunt hæc nobiſcum Laym.*l.*3. *t.*2.*c.*4.*n.*6. Leſſ.*l.*2.*c.*12.*num.*105. & Dicaſt.*num.*37. in rebus, quarum valor intrinſecè creverat, ſed ſi tantùm extrinſecè creviſſet, v.g.ſi fur in Auguſto conſumpſiſſet triticum, cujus valor tum creverat ad 4. aureos, & dominus non fuiſſet conſumpturus niſi in Octobri, quo valor decreviſſet uſque ad 2. aureos, putant non teneri reſtituere niſi 2. quia incrementum extrinſecum non erat aliquid domini, nec propriè ſpectans ad rem, ſed conſiſtebat in extrinſeca æſtimatione hominum, quæ poſtea periit ſine culpa furis, ergo dominus non patitur damnum ratione rei ſuæ, neque habet jus ad pretium rei ſuæ; niſi quatenus opus eſt ad reſarciendum damnum, nec fur ex culpa ſua reportat commodum, ſed ex diverſo eventu rerum. Hanc ſententiam dicit Petſch.*p.*223. eſſe valdè probabilem & in praxi tutam, tenet tamen oppoſitam cum Lugo, quam Tamb.*l.*8.*t.*3.*c.*2.§.7. *n.*13. vocat veriſſimam. Ratio eſt, quia etiam extrinſecus valor ſpectabat ad dominum, & licèt eſſet phyſicè extrinſecus rei, erat tamen moraliter intrinſecus, cùm faceret pluris vendibilem, ergo damnum eſt domino, quòd per injuriam furis hoc valore privatus ſit.

§.3.Non eſt ſemper obligatio reſtituendi ſummum valorem, 233
quem res habuit intermedio tempore, quo erepta & à fure eſt conſumpta, v.g.ſi pullus equinus tempore, quo fur eripuit, valebat 10.factus equus, 40.poſtmodùm cùm ſenuerit, à fure venditus ſit 10.aureis, fieri poteſt, ut fur non teneatur reſtituere niſi 10.aureos, ita Lug.*n.*120.Illſ.*n.*160.contra Nav.Gabr.Silv. Angel.Malder.& alios, quorum ſententiam Laym. & Lug.vocant probabilem. Ratio noſtra eſt, quia ſi Dominus etiam fuiſſet conſervaturus illum equum uſque ad illud ſenium, ita ut poſteà non valuiſſet ipſi niſi 10. aureis, non videtur ipſi cauſatum damnum niſi 10. aureorum, quamvis enim perierit valor medii temporis, tamen periit ſine culpa furis, eodem modo periturus, ſi equus apud dominum manſiſſet, ergo dominus non eſt à culpa vel dilatione furis paſſus hoc damnum, ergo ſatisfacit fur, ſi reſtituat equum ſecundùm hunc ultimum valorem, & compenſet damna ac lucra totius temporis.

§.4. Si dominus fuiſſet rem ſuam venditurus intermedio 234
tempore, quo ſummum valorem habebat, aut ſi ideo tali ſummo pretio debuerit aliam emere, patet furem teneri reſtituere ſummum illum valorem, quia in tantum damnificavit dominum: quòd ſi eo tempore intermedio dominus ipſemet fuiſſet conſumpturus aut donaturus amico, adhuc tenetur fur valorem hujus intermedii temporis reſtituere, quia fuit injuſta cauſa, ne dominus re ſua eo tempore uteretur, ergo debet reddere tantum, quanti tum valebat ille uſus, nec ſatisfacit reddendo nunc rem ſimilem, ita Lugo *n.*123.Tamb.*n.*9.Petſch. *p.*221.Illſ. *n.*164.contra Vaſq.& Turr.E contra ſi dominus eodem tempore rem ſuam conſumpturus vel alienaturus erat, quo fur conſumpſit, hic tenetur tantùm reſtituere, quanti tum valebat, quia dominus plus non eſt damnificatus, quàm in valore, qui tum erat. Ad quid teneatur, qui diſtulit reſtitutionem ex cauſa, ſi intereà fuerit varius rei valor, dicetur *n.*252.

§.5. Si dubitetur, quanti res fuiſſet valitura, an apud fu- 235
rem ſit deteriorata, an à domino fuiſſet ad aliud tempus ſervanda, &c.videri poſſunt dicenda *n.*576.

§.6. Si quis hodie occidat pullum equinum alterius, qui 236
poſt aliquot annos valuiſſet 40. aureis, Arrag.Sotus, Bann. & Salon. dicuut reſtituendos eſſe 40. aureos, ſed communis & vera ſententia eſt cum Mol. Leſſ.*d.*19 Dicaſt.*n.*117. non eſſe obligationem reſtituendi, niſi quantum pullus judicio prudentum ſpectatis circumſtantiis nunc valebat, quia ſic datur æquale, & reparatur damnum: limitat rectè Lugo *num.*81. ſi dominus pretio iſto potuerit comparare ſimilem, ſi enim non potuit, injuſtè patitur damnum, quod ex carentia illius pulli provenit:& idem eſt de aliis rebus frugiferis, v.g. ſi tenera arbor præſcindatur, nec poſſit in locum ſubſtitui alia, ſi quis ovem furetur, quæ protuliſſet multos agnos, nec potuerit alia ſimilis haberi. Et ſecundùm jam dicta explicari debet S.Th. *opuſc.* 73. *c.*20. dicens, *ſi res ablatæ ex ſui natura poſſunt ſecundùm naturam temporis augeri, & creſcere in pretio, tunc tenetur ſpoliator reſtituere pretium ipſarum rerum, quod valituræ erant ſecundùm naturam rei, & temporis, in tempore, quo vult reſtituere eas*: intellige, ſi dominus aliunde non patiatur ideò damnum.

*Q.*49. *Ad quid teneatur, qui ſuccedit poſſeſſori malæ fi-* 237
dei? R.§.1.Si huic ſuccedat tanquam hæres immediatus,& rem ab hoc acceptam conſumat etiam bona fide, neque inde ſit factus ditior, tenetur reſtituere ex injuſta acceptione, non ſua ſed anteceſſoris, quem repræſentat, & cum quo per fictionem juris facit unam perſonam, ideoque in ejus obligationem ſuccedit; hinc tenetur reſtituere rem, & fructus, item compenſare damna & lucra ceſſantia ex mala fide anteceſſoris orta, quantum vires hæreditatis patiuntur, uti probabilius tenet

Lugo *d.17.n.79.* Quod probabiliter etiam verum eſt de hæredibus mediatis, uti dicetur *n.490.* Si tamen poſsediſsent bona fide orta ex alio titulo quàm hæreditatis, jam mala fides anteceſsoris eſset purgata, neque ampliùs cenſeretur cauſa damnorum conſequentium: unde tantùm tenerentur ex re accepta à tempore hujus bonæ fidei.

238 §.2. Si bona fide ſuccedat, non ut hæres, ſed alio nomine, v.g. ut legatarius, donatarius, emptor, non tenetur ex injuſta acceptione, ſed tantùm ex re accepta, quia non facit unam cum anteceſsore perſonam; neque cenſetur ſuccedere in vitiis perſonalibus, quale eſt mala fides. Idem valet de Superiore Religioſo, qui bona fide ſuccedit anteceſsori malæ fidei, non enim ſuccedit propriè ut hæres, ſed uterque eſt tantùm adminiſtrator, & poſterior ſuccedit vi electionis vel nominationis, ergo bonæ fidei ipſius non nocet mala fides anteceſsoris. Vide dicenda *n.490.& 491.*

239 *Q.50. Quid dicendum ſit de illo, qui partim bona, partim mala fide poſſedit rem alienam?* R.Seqq.§.1.Si bona fide cepit, ſed poſtea mala fide ſuperveniente conſumpſit, tenetur ex re accepta reſtituere pro tempore bonæ fidei: ſed à tempore malæ fidei tenetur etiam ex injuſta acceptione ad omnia damna, uti hactenus dictum eſt, docentque omnes communiter cum Lugo *d.17. n.68.* & habetur in Jure Canonico Cap. *Virgo* 34. *q.*1. item in jure civili L.23. *ff.De acqu.rer.dominio.* Ratio eſt, quia in ordine ad mores perinde eſt, ſive accipias ſive retineas injuſtè, cùm utrobique idem jus alienum violes & ſimile damnum cauſes, ſi poſtmodùm conſumas. *Nec obſtat, l.25. ff.De uſuris,* ubi dicitur eum, qui cognovit fundum eſſe alienum, adhuc facere fructus ſuos, donec evincatur fundus, *nam* hoc dato, non ſequitur non eſſe obligationem reſtituendi, hoc enim dominium, quod acquirit, eſt tale, quale acquirit fur miſcens cum ſuis pecunias alienas, quas tamen tenetur reſtituere.

240 §.2. Si priùs mala fide poſſedit, & conſumpſit partem, ſed poſteà cum titulo apparenter juſto bona fide conſumat reliquum, ſi reipſa Jus non habuit; idque poſtmodùm reſciat, tenetur ex injuſta acceptione pro tempore malæ fidei; nec juvat illum bona fides poſt conſumptionem ſuperveniens: è contra tenetur ex re accepta tantùm à tempore bonæ fidei, nam mala fides præcedens non fuit cauſa poſterioris damni, quia fuerat purgata per bonam fidem ſupervenientem, unde in ordine ad ſequens tempus erat moraliter, ac ſi non præceſſiſſet mala fides.

241 §.3. Si priùs poſſediſti mala fide, ſed nihil conſumpſiſti, niſi poſtquam ſupervenerat bona fides, non teneris reſtituere, niſi ex re accepta, quantùm factus es ditior, ob rationem jam datam; quod Lugo confirmat hoc exemplo, nam ſi poſt tempus malæ fidei voluiſſes domino reddere rem ſuam, qui tamen dixiſſet, ut retineres, donec repoſceret, ſi res hoc poſtremo tempore abſque tua culpa periiſſet; cauſa hujus damni non eſſet tua prior injuria, ſed hæc juſta retentio, ergo idem eſt in noſtro caſu.

242 *Q.51. Qualis ſit obligatio reſtituendi res per parva furta ſublatas?* R. §.1. Rem quantumcumque levem ablatam teneris ſub veniali reſtituere; hinc ſi nulla cauſa rationabilis te excuſet, non potes ab eo peccato abſolvi, niſi reſtituas, ſecundùm illud S.Aug. *Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum,* ita omnes & ſpeciatim citati *n.*191.cum Tamb.*l.*8.*t.*3. *c.*2. §.5. *n.*2. Ratio eſt, quia talis nolens reſtituere vult continuare illud leve furtum, volens autem continuare, de illo non dolet, ergo nec poteſt ab eo abſolvi: poteſt tamen facilè eſſe juſta cauſa excuſans à reſtitutione, & ſæpe poteſt præſumi conſenſus domini. Notat autem rectè Leſſ.*l.*2.*c.*12.*n.*50. ſemper expedire, ut Confeſſarius, etiam pro pœnitentia, injungat reſtitutionem rei illius levis ablatæ, aut ut tantundem det pauperibus, ne ex ſuo peccato reportet commodum, neque magis abſterreatur, alioquin homines fiunt ad hujuſmodi furtula faciliores, & ad majora gradum faciunt: an autem reſtitutio rei levis poſſit præcipi ſub excommunicatione, videri poteſt Dicaſt.*de Reſtit.d.*9.*à n.*84.

243 §.2. Non eſt obligatio gravis reſtituendi materiam tantùm levem ſublatam cum intentione mortaliter mala, uti dictum eſt *n.*190.

244 §.3. Multi docuerunt, ſi quis etiam advertenter compleat magnam quantitatem per furta venialia ablatam, non fore mortale, ſed oppoſitum conſtat ex dictis p.1.num.1005. Quòd ſi illa quantitas gravis per parvas partes, & venialia tantum peccata ſublata ſit, non eſſe ſub mortali reſtituendam tenuerunt plures apud Moyam *t.*6.*d.*4.*q.*4. *num.*4. ſed dicendum eſt abſolutè eſſe obligationem gravem reſtituendi illa, quæ aliquis per parva furta ſuſtulit, ſi ſimul ſumpta faciant materiam gravem, ita Suar.Azor.Valent.Rebell.Sanchez *l.*1.*c.*4.*num.*10. Lugo *d.*8. *à num.*68. Haun.*t.*2. *num.*198. Tamb.*l.*8.*c.*3.*c.*2.§. 5.*num.*6.Eſp.*quæſt.*32. Moya *num.*5. dicens oppoſitum nullatenus eſſe ſuſtinendum, Carden.*in* 2.*criſi d.*23.*num.*90.aliique communiſſimè: *Probatur,* quia Innoc. XI. damnavit hanc 38. prop. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis:* ubi per Tò *pauca,* AA. intelligunt parva, uti notat Pollenter ad hanc propoſitionem. Ratio autem eſt, quia alioqui is, qui ſingulis diebus totius anni furatus eſt Titio ſolidum, in fine non teneretur ſub mortali reſtituere ſummam 365. ſolidorum, conſequens autem eſt falſum, quia materiæ illorum parvorum furtorum coaleſcunt in unum damnum grave Titii, ad ſimilem modum, quo omni die imponens parvum pondus in lancem libræ, tandem hæc parva pondera coaleſcunt in ordine ad faciendum pondus grave, ergo eſt obligatio gravis reparandi illud damnum: quod verum eſt, ſive damnificatus ſit unus homo ſive ſit communitas, una aut plures, cum hoc tamen diſcrimine, quòd ad damnum grave reſpectu communitatis plus requiratur, ſecundùm dicta p.1.n.1012.& 1013.Vide dicenda hic n.417.

§.4. Oviedo *de pec.contr.*3.*p.*7.*num.*102. putat tum tantùm 245 coaleſcere materias illas, ſi in ſe vel in æquivalente extent apud furem, non autem ſi fur conſumpſerit & non ſit inde factus ditior, nec ſi purè damnificarit: hanc ſententiam tenet etiam Dian.*p.*1.*t.*6.*R.*34. videturque approbare Petſch.*p.*172. multis eandem firmans: *ſed contra* eſt, nam ex prima læſione levi naſcitur obligatio reparandi illud leve damnum, ſimilis obligatio naſcitur ex ſecunda læſione ad reparandum aliud leve damnum, item ex tertia, quarta & ſequentibus, ex hoc enim, quòd accedant plures læſiones, non minuitur ſed potiùs augetur prior obligatio, ergo ex omnibus illis parvis læſionibus nunc actu poſitis naſcitur obligatio reparandi totum damnum grave, ergo ſi non reparetur, peccatur mortaliter, quia continuatur damnificatio gravis. *Conf.*exSanch.*n.*16. nam ſi ſingulis diebus anni à me acceperis unum ſolidum mutuum, in fine anni illæ ſingulæ acceptiones, quamvis de ſe leves, coaleſcunt ratione materiarum, & cauſant in te obligationem gravem reddendi totam ſummam illorum ſolidorum, etiamſi ex his non eſſes factus ditior, eſt autem ſimile in noſtro caſu, ergo.

§.5. *Objic.*1. Ex culpa veniali naſcitur obligatio tantùm 246 levis ad partem levem, uti dictum eſt *n.*185.ſed hic eſt culpa tantùm venialis, ergo. R.1.Lugo *n.*69.Haun.*n.*208.aliique, hanc obligationem gravem non oriri præcisè ex culpa, ſed eſſe veluti pœnam conventionalem, quam fur ſibi imponit per ſingula furta, quaſi promittens ſæpius reſtituere, ſi ſæpius furetur: ſed hoc meritò rejiciunt Tamb.*n.*7. & Petſch.*p.*171. nam in primis furans poteſt abſolutè nolle reſtituere quicquam, quantumcumque furetur, ergo gratis dicitur conſentire in tale pactum: *Si dicas,* in caſu, quo nollet, per legem Dei obligari: *contra* eſt, ergo ex lege tantùm poſitiva tenetur, quod nemo dicet: deinde ſi ex multis levibus obligationibus ex quaſi conventione poſſit conflari una gravis obligatio ad reſtituendum totum damnum, etiam poterit conflari ex multis levibus obligationibus provenientibus ex multis culpis venialibus. Reſp. 2. Tamb.furem, ſi ſtatim reſtituat, quando advertit fieri materiam gravem, prævenire peccatum, ſi autem non reſtituat, incipere injuſtè detinere, & ex hac detentione obligari: *contra* eſt, ſi graviter peccat detinendo, ergo antecedenter erat obligatio gravis illud reſtituendi: quæro unde? Itaque R.3. diſt.maj.ex culpa veniali naſcitur obligatio tantùm levis ad rem levem, ſi hæc culpa ſit unica, vel non tot, ut his cauſatum ſit damnum grave, c.ſi ſint multæ, quibus cauſatum ſit damnum grave, n. maj. diſparitas eſt, quòd quando per unicam actionem venialem cauſatum eſt damnum etiam grave, damnum totum non eſt voluntarium; è contra ſi per plures actiones cauſetur damnum grave, ſingulæ habent rationem pleni voluntarii reſpectu partis ſuæ, & hæ partes ſimul ſumptæ conflant materiam gravem, ergo totum damnum eſt plenè voluntarium, ergo meritò ex illis culpis obligatur ad totum damnum reparandum, ſic tamen, ut hæc obligatio gravis reſtituendi totum non fundetur in gravitate injuriæ formaliter ſumptæ, ſed in gravitate materiæ debitæ propter leves injurias formaliter ſumptas.

*Inſtab.*1. Multa venialia nunquam faciunt unum mortale, ergo multæ obligationes leves nunquam faciunt unam gravem. R. Multa venialia nunquam faciunt formaliter unum mortale, c. nunquam faciunt objectivè, n.ant.& ſimili modo *c. vel n.* conſ.quamvis enim venialia, & obligationes leves nunquam ita uniantur inter ſe, ut in ſe fiant mortale vel obligatio gravis, poteſt tamen ex multis venialibus, & ex multis obligationibus levibus conſurgere tanta materia ut ſit objectum peccati mortalis, & obligationis gravis.

*Inſtab.*2. Si Titius una vice abſtulerit aureum, Cajus autem per multas vices tantùm veniales, & neuter ſit inde factus ditior, recta ratio dictat, quòd Cajus non debeat ita graviter obligari ad reſtituendum totum, ſicuti Titius, ergo cùm Titius obligetur ſub mortali, Cajus tantùm ſub veniali obligabitur. R.Recta ratio dictat, quòd Cajus non debeat ita graviter obligari, ex vi injuriæ formalis præcisè, c.ex vi gravis materiæ per injurias formales ablatæ, n.ant.& conſ.

Inſtab.

Inſtab.3. Qui minus peccavit, non meretur tantam pœnam, ſed Cajus minus peccavit,& hæc reſtitutio eſt veluti pœna,ergo. Reſp.Qui minus peccavit,non meretur tantam pœnam, præcisè reſpondentem culpæ, c.reſpondentem damno per formales culpas cauſato, n. Cùm enim uterque fecerit æquale damnum per formales culpas, damnum autem per ſingulas culpas factum compenſari debeat per ſingulas reſtitutiones, utrique reſultat pœna totius damni reparandi.

247 *Objic.2.* Si ſit obligatio gravis reparandi damnum grave per parva furta cauſatum, ergo ſi plures ſint aliquid parvum furati Titio, non quidem communi conſilio, attamen advertentes inde reſultare Titio grave damnum, v.g. ſi mille homines acceperint ſinguli unam uvam ex vinea, ſinguli tenebuntur reſtituere ſub mortali. Reſp. ſeq. concedunt Covarr.Medin.P. Navarr.Sayr.Suar.Vaſq.aliique cum Molin.*t.3.d.689.*& Bonac. *de reſtit.d.2.q.8 q.9. num.6.* ſed probabiliter negant ex juſtitia teneri Sanch.Leſſ. Eſp. ſuprà, Lugo *d.16.à n.55.*Dicaſt.*l.2.t.2. d.9.n.82.*Oviedo *n.111.*Petſch.*p.168.*Tann.Diana & Sporer *t.5. c.5.n.47.* quia injuſta acceptio ſingulorum eſt tantùm venialis, uti dictum eſt p.1.num.1010.& partes reliquæ à ſingulis acceptę non ſunt ſingulis imputabiles. *Dixi*, ex juſtitia, nam Laym. *l.3.t.3.p.1.c.1.n.3.& alii* cum Sporer *n.45.* dicunt teneri ex charitate ſub mortali compenſare pro ſua parte,ſi exemplo ſuo alios moverit ad furtum, & ſpes probabilis ſit alios etiam compenſaturos, ſi ipſe compenſet: ſed AA.p.1. num.1009. relati, qui dicunt talem exemplo ſuo moventem peccare mortaliter contra juſtitiam, dicere debent conſequenter etiam ex juſtitia teneri ſub mortali ſuam partem reſtituere, ſi aliàs reliqui non eſſent compenſaturi: Itaque tum aliquis ſub mortali tenebitur tantùm ex charitate, ſi movit alios, attamen credat futurum, ut reſtituant, ſi ipſe prior aut ſimul reſtituat leve illud, quod abſtulit, tum enim ſine gravi incommodo poteſt,& tenetur avertere grave damnum, quod proximus haberet ex carentia reſtitutionis, quam facere tenetur.

Inſtab. Ergo poterit grave damnum cauſari alicui, ad quod tamen reparandum nemo ex juſtitia ſub mortali teneatur. R.c. ſeq. cum Leſſ.Salas, Dicaſt.*n.80.* Ovied.*n.118.* cùm enim totum damnum non ſit datum niſi per injurias veniales diverſorum hominum independenter ab invicem operantium, ſatis eſt ſingulos ſub obligatione levi teneri reſtituere partem ſuam, cui obligationi ſi ſatisfaciant, alter recipiet totum. Videri poſſunt plura circa hanc materiam apud Oviedo *à num.110.* & Haun. *à num.197.*

248 *Q.52. An ſit obligatio reſtituendi totam materiam gravem, quam quis abſtulit?* R.§.1. Eſſe: nam num.242. diximus eſſe veniale nolle reſtituere quamcumque partem levem furto ablatam. Unum *objici* poteſt, nam ſupponendo, quòd 4.ſolidi ſint materia gravis reſpectu pauperis, non autem reſpectu divitis, ſi pauper abſtulerit diviti 4. ſolidos, eoſque amiſerit, pauper tenebitur hos 4. ſolidos reſtituere diviti, hoc autem videtur inconveniens, nam pauper ſubiret damnum grave, cùm tamen dives paſſus ſit tantùm leve damnum, juſtitia autem non obligat, ut inferens damnum leve, ſubeat damnum grave. R.2. Si argumentum valet, ergo pauper nunquam tenetur reſtituere diviti totum, quod abſtulit etiam cum culpa mortali, ſi inde non ſit factus ditior, quia pauperi erit gravius damnum, quàm diviti. R.2. Juſtitia non obligat, ut inferens damnum abſolutè leve, ſubeat damnum ex parte objecti abſolutè grave, c. ut inferens damnum comparativè leve reſpectu damnificati, ſubeat grave comparativè ad damnificantem, n. nam id per accidens eſt, & cùm pauper non poſſit aliter reducere æqualitatem jurium, ad hoc tenetur.

249 §.2. Probabilius videtur ad evitandum mortale ſatis eſſe reſtituere tam multum, ut reliquum, quod non reſtituitur, ſit ſolùm materia levis, v.g. ſi materia gravis reſpectu illius, cui furatus es, ſint 30. ſtuferi, & 29. ſint materia levis, ſi furatus ſis 30. & reſtituas unum, quamvis retineas 29. non videris peccare niſi venialiter, ita Sanch.*l.7.cap.21.num.9.* Leſſ.Ovied.*de pec.contr.3.p.7.num.*109.Rebell.Vaſq.Bonac.aliique multi cum Dicaſt.*de Reſt.d.9.num.62.*contra Medin.Cordub.Lop.& alios, quos ſequitur Eſp. *q.36.* ſaltem in caſu, quo ex injuſta acceptione eſt obligatio reſtituendi. Ratio noſtra eſt 1. quia ſi ab initio eſſes furatus tantùm 29. non peccares mortaliter hos retinendo, uti ſupponitur, ergo neque nunc, ſi uno reſtituto retineas 29. idem enim eſt jus contra primum furtum, & contra hanc retentionem. 2. Qui intulit grave damnum in fama, & illud imminuit ita, ut non maneat grave, ille non amplius tenetur ſub mortali ad reſtituendum, uti fatetur Eſp. ergo idem dicendum eſt in aliis rebus reſtituendis. 3.Si quis voviſſet quotidie orare roſarium ſub pœna bis orandi ſequenti die, ſi hoc die omiſiſſet, cras orans, v.gr. tres decades ad ſupplendum pro hac die, evitaret mortale, uti fatetur Eſp. idem autem eſt in noſtro caſu: diſparitates enim, quas affert, reipſa non videntur facere ad rem.

250 *Objic.1.* Communis & quaſi naturalis ſenſus omnium hominum eſt, quòd ſic reſtituens non ſatisfaciat, ſed tantùm eludat juſtitiam, ita Eſp. R. Communis ſenſus eſt, quòd non ſatisfaciat plenè ſed in re levi eludat juſtitiam, c. quòd non ſatisfaciat, quantùm neceſſe eſt ad vitandum mortale, aut quòd in re gravi eludat juſtitiam, n.

Objic.2. Qui in materia gravi eſt læſus, hoc ipſo acquiſivit 251
jus ad repetendam materiam gravem, ita ut meritò ſit graviter invitus, ſi reddatur tantùm pars levis, niſi fortè fiat ſub conditione reliquarum etiam reddendarum, ergo non ſatisfit reddendo partem tantùm levem. *Prob.antec.* acquiſivit jus ad ſimultaneam reſtitutionem omnium partium ablatarum, ergo ſi non reſtituatur ſimultas omnium partium, fit illi injuria, ita Eſp. Reſp. n. antec. ad prob. *diſt.conſequens*, ergo ſi non reſtituatur ſimultas, fit illi injuria, gravis, n.ſaltem levis, c.conſequentiam: jus ipſius eſt diviſibile, ſicuti etiam partes ſunt diviſibiles, unde ſi non retineatur pars gravis, non læditur jus magnum, & conſequenter non peccatur mortaliter.

Inſtab.1. Ergo erit obligatio gravis reſtituendi materiam levem. R. Erit obligatio gravis reſtituendi materiam levem, non prout levis eſt, ſed prout retenta cum aliis eſt conſtitutiva materiæ gravis, & è contra prout reſtituta eſt ſublativa materiæ gravis, unde eſt obligatio gravis tollendi gravitatem materiæ: ſive illam gravitatem convertendi in levitatem.

Inſtab.2. Obligatio gravis reſpicit materiam gravem. R. Reſpicit materiam gravem, quæ tota ſub mortali reſtitui debeat, n. quæ ſub mortali eo uſque reſtitui debeat, ut non maneat gravis, c. & hoc fiet in noſtro caſu.

Q.53. An ſit obligatio compenſandi damna orta ex dilatione 252
reſtitutionis? R. Culpabiliter differens reſtitutionem tenetur compenſare damna, uti patet:è contra ſi dilatio ſit culpabilis ſed ſuperveniat, v.g. ex impotentia reſtituendi, AA.diſtinguunt, nam ſi debitum erat ex delicto,Molin.Laym.Rebell. Lugo *d.21. n.17.*Leſſ.*l.2.c.16.n.32.* Dicaſt.*de Reſt.d.10.n.76.* Tamb.*l.8.t.3. c.2.§.6.n.5.* Illſ.*t.4.d.3.n.362.* Petſch.*p.212.* aliique communius obligant ad reſarcienda damna, quia injuſta acceptio, quæ præceſſit, adhuc eſt cauſa illorum; Nav.tamen Dian.*p.11.t.2.R.34.* Burgh. *cent.1. caſ.10. & 24.* excuſant, niſi prævidens & volens poſuiſſet cauſam dilationis;quam ſententiam *Dicaſt.* vocat probabiliſſimam,ſi cauſa differendi ſit gravis neceſſitas vel periculũ ſpirituale, quia ultima damna proveniunt ex juſta dilatione ſolutionis, juſta autem dilatio purgat moram, eſtque tum juſta, quando in his circumſtantiis fieri non poteſt ſolutio, tum enim creditor non poteſt eſſe probabiliter invitus circa dilationem;& ſecundùm hanc ſententiam docet contra alios Lugo *d.18.n.43.* ſi materia reſtituenda valebat 100. aureis, quando debebat reſtitui, & poſteà valet tantùm 80. quando poſt dilationem juſtã reſtituitur, ſatis eſſe reſtituere valorem 80. nam quando valebat 100. tum non tenebatur ex delicto formali & proximo ſolvere. Utraque ſententia eſt probabilis, prima tamen probabilior. Notat autem rectè *Illſ.* ſi dilatio facta ſit propter talem neceſſitatem, ob quam tum licuiſſet rem eandem auferre domino, non fore obligationem compenſandi damna ex dilatione ſecuta,quia tum non imputarentur delicto ſed neceſſitati, quæ ſicuti excuſaſſet acceptionem,ſic nunc excuſat retentionem:E contra ſi obligatio reſtituendi non ſit ex delicto,communis, & vera ſententia eſt cũ Lug. *d.18.n.35.* non eſſe obligationem reſarciendi damna orta ex dilatione niſi fortè expreſsè contraxiſſent de his reſarciendis, etiam in mora non culpabili;item niſi dilatio poſteà cognoſceretur eſſe domino damnoſa & voluntariè fieret,tum enim ſuccederet mala fides,& teneretur etiam de caſu fortuito, uti colligitur ex *l.18.ff.Commodati*,& c.*Decima.16.q.1.* V.dicẽda à n.357. Item n.360. An differri poſſit reſtitutio,ſi alioqui damnum domino vel damnificatori cauſaretur,dicetur à n.424.Non peccari autem mortaliter, ſi abſque gravi damno domini ad breve tempus differatur reſtitutio, dictum eſt p.1.n.1002. Denique juſtas cauſas differendi reſtitutionem ad tempus, dabimus hic *n.360.*

Q.54. Quid addendum ſit circa lignantes vel paſcentes 253
in fundo alieno? R.Seqq.§.1. Lignans in ſylva ſpectante ad privatum tenetur reparare totum damnum, ſicuti ſi in alia re damnificaſſet, uti tenent omnes communiter, quamvis videantur diſſentire Sot. & Tolet. apud Dicaſt. *de Reſt.d.9.n.353.* Quòd ſi communitas alicui privato elocarit ſylvam alioqui communem, qui in ea lignatur, tenetur reſtituere, non aliter ac ſi ad perſonam privatam ſpectaret, quia communitas tranſtulit totum jus ſuum in illum, non aliter ac ſi pro tempore vendidiſſet, nam ideo invicem accipit pretium elocationis, quæ eſt quaſi venditio ad tempus, ita Vaſq.Lugo *d.6.n.88.*Illſ.*t.4.d.2.n.248.* eſtque hoc conforme illis, quæ diximus p.1.n.970.

§.2. Dicaſt. & alii cum Burgh. *cent.3. caſ.77.* dicunt li- 254
gnantem in ſylva ſpectante ad communitatem, cujus ipſe non eſt pars, quamvis ligna multa efferat, & ſucceſſivè vendat, non peccare mortaliter, nec teneri reſtituere, ſi non edat magnam ſtragem: admittit *Illſung.* ſi faciat in ſylva communitatis vicinæ, tum enim talia damna mutuò compenſantur, quod non eſt, ſi communitates vicinæ non ſint; & tantò magis

admittit Lugo *num.86. & 89.* ſi faciat in ſylva communitatis, cujus ipſe eſt pars: addunt *Sanch Henriq. & Mol.* non fore peccatum, in dies ſcindere unam farcinam ad comburendum quamvis ſcindens ſit dives, qui poſſit emere, dummodò non ſcindat arbores ſed ramos; item non fore peccatum ſcindere ſingulis ſeptimanis 2. farcinas ad vendendum; imò Sanchez *in Conſ. l.1.c.5.d.1.num.21.& 35.* dicit, ſi oppidani ſoleant adinvicem cædere ligna ex ſylva alterius communitatis, nequidem fore veniale, quia videntur iſta licere per conſuetudinem, aut ſaltem tantùm ſub pœna prohiberi vel per pacta disjunctiva, ut vel non cædant, vel ſi cædant & deprehendantur, ſolvant pœnam; quod etiam tenent Mol. & Lug. *num.91.* ſed ſententia contraria eſt probabilior ac communior cum *Bon.* quòd in hoc fiat injuria, poſſitque etiam peccari mortaliter, ſi attingatur materia gravis, ſecundum dicta p.1.n.1012.& 1013. nam quævis communitas habet ad ſuas ſylvas jus ſtrictum contra alias communitates, neque ſcitur, quòd adſit tale mutuum pactum, & capita communitatum procul dubio contradicerent, ſi interrogarentur: ſi autem lignans cædat in ſylva ſuæ communitatis, quæ non relinquitur communis, ſed ſolet dividi & aſſignari ſingulis pro parte, etiam facit injuriam ob rationem eandem: monent tamen rectè AA. quoad iſta attendendum eſſe ad conſuetudines & leges diverſis provinciis ac locis proprias.

255 §.3. Quæ dicta ſunt de lignatione & ſylvis, intelligenda ſunt etiam de paſcuis, de quibus omnibus plura videri poſſunt apud Lugo tota *ſ.9.* & Dicaſt. *dub.13.*

256 *Q.55. Quid circa venationem, piſcationem, aucupium, Columbas, apes?* R. De his multa habentur in Inſtit. *De rerum diviſione, & de acquir. domin.* ex quibus, uti & ex illis, quæ jam addemus, facilè colligetur, quandonam ſit obligatio reſtituendi.

§.1. Venatio de jure naturæ permiſſivo cuilibet conceſſa eſt, neque poteſt privatus eam prohibere in loco ad ſe ſpectante non clauſo ſpeciali ſepe vel muro, uti rectè Lugo *d.6.num.54.* quia feræ paſſim vagantes nullius ſunt, & L.1.§.1. *ff. de acqu. poſſeſſ.* item §.14. *Inſtit. de rer. diviſ.* dicunt fieri primò occupantis: poſſunt tamen Principes vel Reſpubl. ſub pœna prohibere venationem aut piſcationem in locis communibus, vel etiam aliis ad privatos ſpectantibus, quamvis id facerent ob habendam aliquando ſolam recreationem, uti habet communiſſima, Leſſ. *l.2.c.5.n.33.* Caſtrop. *t.31.p.13.num.4.* Haun. *T.5.n.74.* & nunc certum eſſe dicit Illſ. *t.4. d.2. num.244.* contra celebres Juriſtas, tum quia id non habent per conſuetudinem, tum etiam quia ſervit utilitati communi, ne ſubditi alias neceſſarias functiones negligant, ne eadem occaſione ad latrocinia vel rebelliones armentur, ne feras vel piſces extirpent, capiendo nimis magno numero, vel dum geſtant uterum aut ſemen; &c. putat tamen Lugo *n.61.* non poſſe in univerſum prohiberi venationem vel piſcationem, ſed in certis locis vel certorum tantùm animalium: dicit enim in univerſum prohibere, fore inhumanum, cùm iſta ſint licita de jure naturæ, quod univerſaliſſimum eſt, quidquid in contrarium pugnet Grotius *l.2.c.2. num.5.* Deinde pœna, ſub qua prohibent, non debet eſſe capitis vel mutilationis vel flagellationis, niſi in raro caſu, ſi quis ſæpius & contumaciter repeteret, Leſſ. *num.45.* Caſtrop. *p.14. n.6.* Lugo ſuprà, Haun. *num.80.* Similiter prohibere non poſſunt Principes, ne ſubditi feras arceant vel abigant à frugibus uti omnes fatentur cum Haun. *num.76.* quod ſi aliter arcere non poſſint, poſſunt occidere, uti habent Sa & Leſſ. *num.37.* cuivis enim licitum eſt defendere ſua contra homines, ergo multò magis contra feras; & tenentur Principes reſtituere, ſi vel prohibendo, ne abigant, vel multiplicando feras, inducant ruſticos in damna, uti habet communis cum Leſſ. ſuprà, Caſtrop. *num.5.* Dicaſt. *d.10. num.297.* Quòd ſi etiam venando notabiliter proterant ſata, excutiant grana, lædant vineas vel ſepes, tenentur hæc damna compenſare, uti cum Leſſ. *num.40.* docent omnes, qui hanc rem attingunt, niſi fortè Princeps per liberum populi conſenſum acquiſiviſſet abſolutum jus venandi, ita ut populus cenſeretur renuntiaſſe ſuo juri, & id voluiſſe permittere, uti notant Mol. & Leſs. apud Laym. *l.3.t.1. c.15. n.16.* ſed rectè monet Illſ. nunquam cenſeri conſenſiſſe in immodica damna.

257 §.2. Etiamſi aliquis circumducat ſepto ſylvam, aut vallo ſtagnum ſuum, ſi tamen ſylva vel ſtagnum ſit ita magnum, ut quando vult, non poſſit accipere feras vel piſces, ſed ibidem naſcantur, aut etiam aliunde importentur, dominus talis ſylvæ vel ſtagni, non cenſetur occupaſſe feras vel piſces, ſed manent Juris communis, cùm adhuc habeant naturalem libertatem, hinc ibi capientes acquirunt dominium, non aliter, ac qui venatur in inſula trium vel duarum leucarum, Leſs. *n.46.* Laym. *n.12.* Lug. *n.72.* Dian. *p.9.t.9.R.39.* Bonac. *nu.312. & alii*: probatque ex jure Haun. *n.63.70. & ſeqq.* Notatque Rebell. & ex illo Dicaſt. *n.314.* ſi locus ſit ita magnus, quantus ſolet eſſe curſus feræ ad evadendum per fugam, cenſeri retinere naturalem libertatem.

§.3. Si fera etiam ſua ſponte è loco publico incurrat intrà vivarium Caji non ita vaſtum, è quo exire nequeat, aut ſi piſces è flumine influant in piſcinam, in qua facile capi poſſint, fiunt Caji, quia talia receptacula ſunt ex natura ſua ordinata ad talem capturam, & ſemper adeſt animus ibi capiendi, ſi adveniant, Lug. ſuprà, Haun. *n.85.* 258

§.4. Si primus lethaliter tetigiſti feram, eamque perſequeris, & moraliter non poſſit effugere manus tuas, fera tua eſt, quamvis alius ſuperveniens ultimo ictu lethali proſternat, ita Leſs. *num.47.* Dicaſt. Burgh. *cent.3.caſ.34.* Haun. *n.65.* In dubio tamen, an tu primò lethaliter tetigeris, vel an eſſet evaſura, ſpectabit ad poſteriorem, quia fera manſit in poſſeſſione naturalis libertatis ſuæ, ergo non fuit à te capta, ſed à poſteriore primò occupatur, Leſs. Dicaſt. Tamb. *l.1.c.3. v. Venatio,* Lug. *n.83.* Burgh. ſuprà contra Lay. qui dicit eſſe dividendam. Quòd ſi tu, qui lethaliter tetigeras, deſinas eam perſequi, tum erit primò capienris, Molin. & alii cum Sa *v. Venatio n.2.* 259

§.5. Si feram perſequens eò redegeris, ut te longiùs effugere non poſſit, attamen non vulneraveris, & alius ipſam in iſtas anguſtias redactam ante te apprehendat, eſt hujus & non tua, uti rectè Lugo *n.79.* Haun. *n.68.* contra Molin. & alios: E contra ſi dederas talem ictum feræ, eamque perſequaris, ita ut te effugere non poſſet, interim illa incidat in laqueum à Titio poſitum, ex quo etiam evadere non poſſet, *Lug.* ſuprà dicit totam ſpectare ad Titium, quia Titius primus reipſa cepit, tu autem priùs eras capturus, Leſs. *n.50.* dicit eſſe vel tuam vel Titii, ſi tu vel ille primus occupet, ut enim habes jus occupandi, quia ſic vulneraſti; habet etiam Titius, quia ſic illaqueavit; Molin. & Illſung. *n.241.* probabiliùs dicunt eſſe tuam, quia per ictum lethalem, ob quem non poterat manus tuas evadere, jam cenſeberis moraliter occupaſſe, ergo per accidens ſe habet laqueus Titii, aut tibi tantùm ſervire poterat. 260

§.6. Si fera laqueo à te poſito ſit capta, ſecundùm *Covar. & Navarr.* eſt illius, qui eximit, niſi alicubi ſit contraria conſuetudo: ſecundùm Molin. Laym. Leſs. *num.49.* Platel. *p.3.num.555.* Illſund. ſuprà, ſi ita capta eſt, ut non poſſet evadere, eſt tua, quia per tuum inſtrumentum ei ſufficienter ademiſti naturalem libertatem, ergo acquiſiviſti jus ſaltem ad illam. Si erat ſe tandem extricatura ex laqueo, dicunt dividi debere inter te, & illum, qui eximit, quia uterque ſimul cepit & neuter ſine altero cepiſſet: Haun. *n.69.* putat ſic eſſe diſtinguendum, ſi laqueus poſitus erat in loco publico vel in loco alieno cum conſenſu domini, tenet cum *Molin.* ſi verò poſitus erat in alieno loco, invito domino, dicit hunc poſſe non ſolùm feram, ſed etiam laqueum licitè eripere, & ita habere praxin. Illſ. *num.241.* dicit, ſicut non obligarem venatorem ad reddendam feram domino loci, propter expreſsè contrariam legem *3. ff. de acquir. domin.* ſic nec dominum loci obligarem ad reddendam priùs exemptam feram venatori, eo quòd præventio videatur ſubrogari poſſe ſatisfactioni injuriæ pro venatione vel aucupio in loco alieno ſine domini conſenſu. Quòd ſi laqueus in publico loco poſitus fuerit, vel cum conſenſu domini, ſed dubium ſit, an fera fuiſſet evaſura, ſecundùm *Molin. Leſſ. & Layman* eſt dividenda pro rata dubii, quia videtur habere uterque jus; ſecundùm Lugo *n.83.* & Tamburin. ſuprà, tota eſt capientis, quia fera in dubio non præſumitur amiſiſſe libertatem, unde nec pro ſpe ſatisfaciendum erit illi, qui poſuit laqueum, uti non ſatisfacio pro ſpe illi, pro quo in concurſu accipio beneficium; ſatisfieri tamen debebit pro labore poſiti laquei, quia de illo poſito certus eſt, & hic viam fecit ad prædam, ita *Tamb.* poſſuntque etiam hæc applicari ad naſsam in flumine poſitam pro capiendis piſcibus, uti notat Leſs. *n.50.* 261

§.7. Si quis egrediatur limites venationis ſuæ, & in alienis limitibus nulli ſpeciali ſepimento clauſis capiat feras, *Bonac.* citans *Molin. Fill. & Sa* dicit eum peccare mortaliter, & teneri reſtituere, quia læſit jus cum damno: Laym. *num.14.* dicit peccare poſſe mortaliter, quia violatio talis juris ſoli alteri competentis ſolet magni æſtimari, maximè ſi frequenter fiat; ſed non ideo debebitur reſtitutio ferarum, quia non erant ſub dominio alterius, ſed adhuc jure Gentium communes: admittunt tamen AA. communius contra Vaſq. & Lugo *n.69.* eſſe obligationem reparandi damna, ſi v.g. captis feris pleriſque ſylva multùm vileſceret: Turr. Dicaſt. Leſs. *num.44.* putant peccari tantùm venialiter violando tale jus, ſi feræ non patiantur magnam ſtragem; Imò Burg. *cent.1.caſ.52.* valdè probabiliter putat ordinariè nequidem venialiter peccari, quia domini paſſim id ſciunt & ipſimet faciunt, vi lenturque invicem conſentire, contenti mulcta, vel pœna, ſi quis in facto deprehendatur. 262

§.8. Qui alterum impedit à venatione, piſcatione, aucupio, ad quod jus habuit, facit injuriam, & tenetur compenſare, quantum alter deductis expenſis putabatur lucraturus, ſi impeditus non fuiſſet, Caſtro. *p.13. num.7.* Similiter ſi quis aquas, ubi alter jus piſcandi habet, inficiat, ita ut piſces moriantur, tenetur reſtituere, non piſces, ad quos utpote naturali 263

adhuc

adhuc libertate gaudentes alter necdum habebat jus, ſed quantum per jus piſcandi violatum, cenſetur impeditum eſſe lucrum, Leſſ. *n.*43. Dicaſt. tamen *n.*308. putat per hoc non fieri injuriam, ideoque non deberi reſtitutionem, quia necdum erat jus ad illa animalia per venationem capienda, nec jus piſcandi eſt impeditum, ſed tantùm piſces ſunt prærepti.

264 §.9. Qui animalia domeſtica capit, etiamſi extra dominorum poteſtatem longiùs evaſerint, tenetur reſtituere, uti habetur *§. Gallinarum, 7. Inſtit. de rerum diviſ.* docetque cum communi Leſſ. *num.* 28. Idem eſt de capiente animalia ſilveſtria, ſed uſu jam manſuefacta, quæ domum redire ſolent, quia non ideo libertatem recuperarunt, quòd à domo tempore aliquo aberrent, tum enim tantùm dicuntur eam recuperaſſe, ſi ita evaſerint, ut difficulter iterùm reduci poſſint, nec ſperentur ſponte reditura; ſi tamen hæc animalia amitterent conſuetudinem redeundi, nullius eſſent, & fierent primò occupantis, eſſent enim iterùm ſilveſtria, Dicaſt. *num.*315.

265 §.10. Licitum eſt habere columbas, uti tenent communiter omnes, probatque Leſſ. *n.*29. Lugo *n.*42. Haun. *num.*81. Dicaſt. *n.*319. Rationes præcipuæ ſunt, 1. Conſuetudo: 2. Permiſſio Reip. 3. Major utilitas, ſi enim manerent ſilveſtres, fugerent manus coquorum, & magis multiplicatæ majus damnum inferrent frugibus &c. Hinc illicitum eſt, per ſe loquendo, occidere columbas paſcentes in agro tuo, quamvis poſſis abigere: quòd ſi dominus eas in fame teneret domi, ut egreſſæ irruant in alienas ſegetes, putant Tol. & Lugo *num.*48. poſſe occidi vel capi, quia tum videtur fieri fraus contra jus eorum, ad quos ſpectant ſegetes, & præter permiſſionem ac mentem Reip. Sed in hoc ſpectanda eſt conſuetudo locorum & communis prudentum ſenſus.

266 §.11. Qui per fraudem vel per inuſitatas illecebras capit alterius columbas, tenetur reſtituere, niſi fortè alicubi ſit conſuetudo & tacitus conſenſus eas quomodocunque ſibi mutuò ſubducendi; quia cùm ſint animalia domeſtica vel ſaltem manſuefacta, ſunt alterius, & tam parum abduci poſſunt, quàm gallina, aut canis, Leſſ. *num.*28. Lugo *num.*43. Haun. *num.*82. Illſung. *num.*242. Dicaſt. *num.*325. Si tamen columbæ alienæ aggregarint ſe tuis, & deſeruerint conſuetudinem redeundi ad alterum, fiunt tuæ: dicunt autem multi tum deſeruiſſe conſuetudinem redeundi, ſi bis terve tempore conſueto non redeant, ſed tuas comitentur, quod non approbat *Illſ.* dicens non eſſe attendendum ad emanſionem duorum aut trium dierum, ſed ad judicium prudentum, & conſuetudinem provinciarum. Vide Dicaſt. *n.*316.

267 §.12. Examen apum, quamvis evolet, tamdiù manet Titii, quamdiù in ejus conſpectu verſatur, nec difficilis eſt ejus proſecutio, uti habetur §.16 *Inſtit. de rer. diviſ.* Quòd ſi difficile ſit Titio illud ſequi & recuperare, poteſt à quolibet capi, etiamſi arbori Caji adhæſerit, vel in ejus cavitatem ſe receperit, ſicuti enim avis non ideo eſt tua, quòd arbori tuæ inſideat aut in ea faciat nidum, ita nec apes; idque etiam ex jure probat Leſſ. *num.*32. Lugo *num.*73. Haun. *num.*84. maximè cum apes ſint de genere animalium ſilveſtrium. Addunt tamen Lugo & Haun. *num.*85. ſi vidiſti apes ingreſſas eſſe tuam arborem & ibi poſſidere voluiſti, tuas eſſe, potes enim velle habere incluſas arbori velut alveari. E contra, ſi alveare tuum poſuiſti vacuum in aliquo loco, v.g. ut exſiccaretur, & interea peregrinum examen apum in illud involaret, non ideò eſſet tuum, ſed quiſque poſſet eximere, uti etiamſi avis in tuum cubiculum involaſſet, non ideò eſſe tua, ſed qui primus apprehenderet, ad illum pertineret; quia nempe in utroque caſu deficit tibi animus ſic apprendendi, qui animus requiritur ad capiendum dominium, ſi autem ideo expoſuiſſes alveare, aut aperuiſſes, & poſteà clauderes feneſtram, apes & avis eſſent tuæ, quia apprehendiſſes cum animo poſſidendi, ita Lugo *n.*73.

268 *Q.*56. *Quid notandum ſit circa tributa, gabellas, vectigalia?* R. Sequentia. §.1. Per tributa, gabellas, vectigalia, intelliguntur illa, quæ ſubditi contribuunt ad communem utilitatem, ad publicas neceſſitates, ad ſuſtinendos magiſtratus vel dignitatem Principum &c. poſſuntque hic ſumi pro eodem, quamvis inter ea ſit aliqua diſtinctio, uti rectè notat Dicaſt. *l.*2. *t.*20. *d.*2. *à num.*1. certum eſt autem, de jure naturæ & poſitivo, tam divino quàm humano, Principibus aliqua tributa deberi, uti rectè probat Beja *p.*1. *caſ.*13. quis autem præterea poſſit tributa imponere, tradunt Dicaſt. *dub.*2. *&* 3. & Lugo *d.*36 *ſect.*1. *&* 2. ubi rectè addunt ad juſtitiam eorum requiri, ut ad illa ſit neceſſitas, & exigantur proportionatè ad illam neceſſitatem & ad facultates ſubditorum, ſecundùm æqualitatem ſeu proportionem geometricam: quomodo autem in comitiis debeant ſe habere illi, ad quos ſpectat conſentire in tributa: item quid reſpondere debeant TT. ſi circa impoſitionem illorum interrogentur, quando non omnino patet eorum juſtitia, fusè exponit Lugo *ſect.*3. Unum hic notandum eſt, quòd Principes, & Magiſtratus injuſtè agant, ſi reddant aliquem immunem ab oneribus communibus, imponendo vel relinquendo aliis tantò gravius onus conſuetam ſummam contributionum pendendi, uti ex Jure & authoritate probat Delb. *de Immunit. Eccleſiaſt. c.*5. *d.*26. *num.*3.

§.2. *Nav. Angel. Beja* aliique multi docent leges de ſolvendis vectigalibus eſſe tantùm pœnales, & non obligare in conſcientia, quam ſententiam Leſſ. *l.*2. *cap.*33. *num.*55. Bonac. *de Reſtit. d.*2. *q.*9. *p.*1. *num.*3. aliique dicunt eſſe probabilem; probabilius tamen eſt, quòd obligent in conſcientia, & quidem ex juſtitia, uti docent plurimi cum Sanch. *in Conſ. l.*2. *c.*4. *d.*1. *n.*8. Lug. *ſ.*4. Dicaſt. *d.*3. *d.*2. *& ſeqq.* Sporer *t.*5. *cap.*5. *num.*150. Mendo *d.*6. *q.*1. nam Scriptura *ad Rom.*13. dicit, *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal:* & Matth. 22. *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Ratio eſt, quia tributum non debetur ut pœna, ſed Magiſtratus vel Principes, cùm ſerviant Reip. habent jus ſtrictum ad ea expoſcenda, quæ ſibi neceſſaria ſunt, tam ad ſuſtentationem ſuam, quàm ad ſuſtinenda onera, ad quæ ratione officii tenentur, ergo qui hoc jus defraudat, facit injuriam; ex quo ſequitur nulli licere defraudare, nam ſi liceat uni, licebit omnibus, & ſic deſtituentur æraria publica, imò ubique dabitur occaſio fraudibus, mendaciis, perjuriis. 269

§.3. Non tantùm ſubditi, ſed etiam exteri tenentur ad gabellas, uti rectè Medin. Suar. Vaſq. Az. Fill. aliique cum Sanch. *d.*45. *n.*9. & Bonac. *num.*4. quia etiam reſpectu exterorum videtur obligatio inducta per conſuetudinem, quam rationabilem eſſe oſtendit Lugo *n.*29. & quidem quoad uſum pontium, fontium, viarum, gabella etiam exteris ideò impoſita juſtificatur, quia in illorum etiam utilitatem cedit, uti rectè *Sanch. Lugo* aliique apud ipſos; poteſtque prætereà Rex exigere gabellam ab incolis hujus regni ad defendendum alterum regnum, quia hoc ipſum cedit ad utilitatem hujus regni, ut ſic ab altero defendi poſſit, vel propter illud magis florere, ita Vaſq. & Lugo *n.*36. 270

§.4. Angel. Henriq. Filliuc. Th. Hurtad. Moya *t.*1. *t.*1. *q.*8. *n.*6. Sanch. *d.*10. abſolutè dicunt, non eſſe obligationem ſponte ſua offerendi gabellas, niſi petantur, dummodò non abſcondantur merces, nec decipiantur quæſtores; in quam ſententiam multùm inclinat Lugo *à n.*40. ſaltem ne pœnitens poſteà cogatur reſtituere: additque *n.*44. cum Molin. & Sanch. eſſe probabile, quòd non teneatur reſtituere, quamvis occultaverit ſe, & merces, & ideo nihil ſit petitum: è contra Covarr. & alii cum Dicaſt. *n.*55. abſolutè dicunt eſſe obligationem ſolvendi, quamvis non petantur, ſaltem ſi moraliter conſtet de juſtitia: Cajetan. & alii apud Dicaſt. *n.*45. dicunt antiquas deberi, licèt non petantur, non autem novas, quia contra has eſt quædam præſumptio, quòd ſint injuſtæ, uti aliqui tenent *n.*277. referendi: Salon Salas, Turr. Leſs. *n.*61. aliique cum Bonac. *n.*6. melius dicunt in hoc ſervandam eſſe conſuetudinem locorum, videturque probabilius eſſe ſolvendas, quamvis non petantur, nam diximus deberi ex juſtitia, ergo jus Principis reipſa poſtulat, quod alioqui læderetur: poſſuntque de hoc plura videri apud Dicaſt. ill. *d.*6. In ſententia autem illa, quòd gabellæ non obligent, niſi petantur, notat Lugo *n.*47. non ſufficere petitionem generalem, uti ſi quæſtor diceret, ſolve, ſi aliquid debes ex mercibus hoc anno tranſvectis, ſed requiri petitionem, qua in particulari petatur propter talem vel talem cauſam. 271

§.5. Si quis cum quæſtore contraxiſſet de ſolvendis, v.g. 50. aureis pro omnibus vectigalibus totius anni, omnes docent fieri injuriam, ſi de his aliquid fraudet, hos enim debet, non tam ex lege vectigalium, quàm ex contractu, uti rectè notant Mol. & Lugo *n.*48. 272

§.6. Si gabella imponatur rebus uſualibus, id eſt, quæ quotidie ad uſum vitæ humanæ emuntur, v.g. pani, carnibus, butyro, oleo, Cajetan. aliique duodecim AA. apud Lugo *num.*24. dicunt non obligare in conſcientia, quia videtur injuſta propter inæqualitatem, cùm pauperiores non habentes talia ex ſuis bonis cogantur plura emere quàm divites, adeoque plus graventur; & hanc ſententiam vocant probabilem Mol. *d.*669. Bonac. *num.*5. Dian. *p.*2. *t.*3. *R.*28. ſed alii octodecim cum Lugo *num.*25. & Dicaſt. *dub.*10. meritò contradicunt, ſervatur enim ſufficienter æqualitas per hoc, quòd divites propter majores familias plura emant aut plus graventur tributis propter plura bona immobilia: quod ſi propter ſolas alias merces exigerentur, hæ cariùs venderentur à mercatoribus, ſicque non evitarentur incommoda. *Nec obſtat*, quòd L.5. & 6. *Cod. de vectigalibus*, prohibeantur exigi vectigalia pro uſualibus, *nam* leges illas dudum abrogavit conſuetudo, quam Suar. *de leg. cap.* 16. benè probat non eſe irrationabilem: docet tamen cum aliis Sanchez *dub.*44. *num.*7. non facilè injiciendum eſſe ſcrupulum defraudantibus vectigalia quoad res uſuales, niſi conſtet de eorum juſtitia; quod admittit Lugo *num.*27. quoad pauperes, qui res communes ad proprium uſum emunt vel apportant, ut jam dicetur. 273

§.7. Paupertas excuſat à gabellis, hinc ſi quis ſolvendo eas non poſſet alere ſe, & ſuos, vel quia multa debita contraxit, vel propter alias cauſas, non tenetur in conſcientia ſolvere, quia poteſt prius neceſſitati propriæ conſulere: 274

Principes enim ſunt propter ſubditos, & non ſubditi propter Principes, uti cum aliis multis dicunt Sanch. *dub.*15. Lugo *n.* 69. Sylvius *in Reſol. p.2. v. Reſtitutio caſ.*4. & addunt, quæſtores ideò poſſe ab eis non petere: hinc Leſs. *num.*62. cum aliis docet æquitati conſentaneum eſſe, ut is, qui rem aliquam refert, emit aut vendit ad ſolatium magnæ neceſſitatis ſuæ, in conſcientia non teneatur ad vectigal; aliquando tamen teneri putat Lugo *num.*68. quamvis ad ſolvenda debita etiam à Judice cogatur vendere bona ſua.

275 §.8. Putant aliqui gabellam deberi etiam pro mercibus inferri prohibitis, v.g. pro vino gallico, ſi prohibitum eſſet in hanc urbem inferre; ſed cum aliis probabiliter negant Sanch. *dub.*16. Lugo *num.*70. quia Princeps pro tali repetit ſolam pœnam, pro quo enim introducendo petitur gabella, videtur ejus introductio approbari.

276 §.9. Si quis emat ab eo, à quo ſcit defraudari gabellas alioqui ex juſtitia ſolvendas, Silv. dicit hunc ementem teneri gabellam ſolvere pro venditore, quia gabella eſt onus reale, quod cum merce tranſit ad ementem; & admittunt communiter omnes, teneri emptorem, ſi verè cooperetur, quia eſſet cauſa damni, ergo tenebitur reſarcire in defectu alterius: ſi autem non cooperetur, ſed tantùm permittat, Molin. Bonac. Leſs. Dicaſt. *dub.*9. Sporer *n.*151. dicunt non teneri, nam gabella non eſt ſtrictè onus reale gravans mercem, ſed merx tantùm eſt veluti hypotheca obligata pro gabella, ſi fiat excuſſio, & intentetur actio, unde, inquit Sanch. *dub.*12. talis emens habet ſe ſicuti ſuſcipiens Sacramentum ab indigno Miniſtro, ad cujus peccatum habet ſe permiſſivè; & quamvis Lugo *num.*65. inter hæc agnoſcat differentiam, eò quòd major cauſa requiratur, ut quis excuſetur à cooperatione etiam materiali in materia injuſtitiæ, quàm in aliis materiis, tamen in re ſentit cum illis.

277 §.10. Si conſtet de poteſtate imponendi tributum, & dubitetur, an tributum ſit juſtum, ſitque dubium negativum, id eſt, ſi pro neutra parte occurrat ratio poſitiva, dicendum eſt debere cenſeri juſtum, & eſſe obligationem ſolvendi, uti tenent Suar. Sotus. Vaſq. Mald. Leſs. & alii cum Dicaſt. *nu.*92. licèt multi cum Sanch. *d.6. num.*5. Diana *p.*4. *t.*3. *R.*39. Lugo *n.* 89. putent non eſſe obligationem, ſaltem ſi tributum vel gabella nova imponatur; his conſentit Sporer *num.*154. dicens veram eſſe & tutam ob rationes jam dandas pro caſu dubii poſitivi: Ratio noſtra eſt, quia eſt poſſeſſio pro juſto præcepto Superioris exigentis tributum, quod etiam exigi non ſolet ſine maturo conſilio. Si dubium ſit poſitivum, id eſt, ſi ſint rationes probabiles pro eo, quòd ſit: & etiam pro eo, quòd non ſit juſtum, Sanch. & alii ſedecim apud Mendo *d.6. q.*1. *num.*2. dicunt non eſſe obligationem ſolvendi, quia poſſeſſio videtur eſſe pro libertate ſubditorum, præſertim cùm ſit præſumptio juris contra tributa ex *cap. Quamquam, de cenſibus in 6.* ubi expreſsè dicitur, quòd pedagiorum exactiones tam jure Canonico quàm Civili regulariter meritò ſint damnatæ: deinde quia probabilia neminem cogunt involuntarium, inquit Caramuel, maximè cum tributum ſit res odioſa, contra quam in dubio eſt judicandum: præterea quia ſicuti in pleriſque aliis materiis, ita in hac videtur eſſe licitum ſequi unam probabilem relicta alia; & hanc ſententiam probabilem eſſe dicunt Sà, Bonac. Diana, Boſs. Tamb. Sporer *t.*5. *cap.*5. *num.*154. eamque ſequitur Lugo *num.*91. & probabilem etiam agnoſcit Dicaſt. *num.*108. Oppoſitam tenent Suar. Vaſq. Turr. Moya *num.*4. & alii, quæ etiam videtur probabilior, & eſt conformis dictis *L.*1. à num. 432. Ratio eſt, quia in dubio præſumendum eſt pro juſto præcepto Superioris, cujus authoritas eſt in poſſeſſione præcipiendi; tum etiam quia alioquin quiſque ſibi facilè finget probabilitatem, ut ſe ab obligatione eximat, atque ſic dabitur occaſio plurimis malis: neque verum eſt, quòd ſemper licitum ſit ſequi probabilem, non enim licet, ſi propter eam aliquis alius, qui meritò prævalere debet, cogeretur exui certa poſſeſſione rei ſuæ, uti hic fieret, quia propter probabilitatem contrariam Superior privaretur poteſtate certa præcipiendi. Quod ex jure Canonico allatum eſt contra pedagiorum exactiones, rectè dicit Dicaſt. *num.*99. intelligi de caſu, quo ſine legitima poteſtate imponuntur: quamvis autem ſubditi ſint in certa poſſeſſione rerum ſuarum, tamen etiam Princeps eſt in certa poſſeſſione juris ad imponenda tributa, ubi autem duo poſſident, quorum unus jure ſuo privari debet, melior eſt ejus conditio, qui habet jus majus, & pro quo magis præſumitur, qualis hic eſt Superior, ita Dicaſt. *num.*100. poteſtque etiam videri *à num.*146.

278 §.11. Si dubitetur, non tantùm an hoc tributum ſit juſtum, ſed etiam an Princeps illud poſſit imponere, ſi conſtet de poteſtate imponendi tributa, quam Princeps de cætero habeat, probabilius eſt tributum obligare, quia etiam in dubio de poteſtate hic & nunc imponendi, Superior eſt in poſſeſſione præcipiendi hoc, quod non ſcitur eſſe injuſtum, quà dejici non debet per ſuperveniens dubium, an hic & nunc poſſit hoc præcipere: Deinde quia Princeps & Confeſſarii præſumuntur meliùs de hoc judicare poſſe, quàm alii privati, ita Mendo *n.*9.

§.12. Ut Princeps poſſit imponere novum tributum, debet ipſi ſaltem eſſe probabilius, quòd ſit juſtum, quia hic agit velut judex, ad quem ſpectat ſequi probabiliora, & ne ſubditi, qui certò poſſident res ſuas, eis ſpolientur, ita plurimi cum Mendo *num.*10. poteſtque videri Dicaſt. *dub.*8. & Moya *num.*6. Vide etiam Laur. *t.*2. *tr.*1. *d.*4. *ſect.*25. 279

§.13. Clerici non tenentur ad gabellam contractuum, niſi negotientur; nec ad gabellam rerum de patrimonio ſuo: præterea bona & coloni Religioſorum Mendicantium eximuntur ab omni exactione, uti habet Sa *v. Gabella*: & de hac exemptione Clericorum videri poſſunt Sanch. *à dub.*49. *uſque ad* 59. Lugo *ſ.*7.8. & 9. Dicaſt. *d.*4. *dub.*4.5. & 6. Diana *in Compendio v. Eccleſiaſtici à n.*13. Rectè tamen advertunt Beja *p.*1. *caſ.*26. Sylvius *in Reſ. caſ. p.*2. *v. Reſtit. caſ.*4. quamvis uſus exigendi non poſſit præſcribere contra Clericos, attamen quædam tributa ob neceſſitates publicas ſæpè eſſe impoſita bonis, & rebus Clericorum cum authoritate Eccleſiæ, ideoque debere ſolvi: in dubio autem, an juſta ſint, videtur præſumendum pro juſtitia, uti ante dictum, quamvis alii dicant per certam immunitatem & exemptionem poni Clericos in poſſeſſione contraria. 280

§.14. Si quis defraudarit juſtam gabellam, Molin. dicit eum teneri diminuere pretium mercis, quia pretium commune taxatur ſimul ſecundùm gabellam, ergo ſi gabellam non ſolverit, non poteſt poſtulare pretium commune; & hanc ſententiam putat probabiliorem Dicaſt. *dub.*10. E contra Leſſ. dicit poſſe vendere pretio communi, uti alios, hoc enim pretium taxatur communi æſtimatione ſecundùm onera, quæ communiter omnes ſubeunt, licèt aliquis hic & nunc non ſubeat; & hoc videtur probabilius. 281

§.15. Ex tanta varietate ſententiarum colligit rectè Dicaſt. *dub.*7. prudentis Confeſſarii eſſe, non ſemper ſecundùm rigidiſſimas obligare ad reſtitutionem, ſic enim non tantùm Sacramentum pœnitentiæ reddetur odioſum, ſed ſæpè inducentur pœnitentes in graviſſima incommoda etiam Conſcientiarum; inde ſapienter monent Molin. Lug. *num.*43. Sporer *num.*546. antequam fiat defraudatio, ſtandum eſſe potius pro eo, quòd ſubditi teneantur ſolvere; poſtquam autem facta eſt, ſi pœnitens meritò credat exactionem eſſe injuſtam, non facilè damnandum eſſe ad reſtitutionem. 282

Quid agendum ſit, ſi ceſſet cauſa tributi, aut ſi non impendatur ad fines, ad quos exigebatur, videri poſſunt Lug. *à n.*51. & Dicaſt. *d.*3. *dub.*12.

*Q.*57. *An faciat injuriam, & teneatur reſtituere, qui defraudat præmiferum?* R. §.1. Hic defraudans facit injuriam, quia compoſitio, quæ pro præmiis inſtituitur, habet ſe per modum concurſus, in quo, qui prævalet, acquirit jus ſtrictum ad rem illam, pro qua concurritur, ergo fit injuria, ſi quis defraudetur, v.g. ſi alteri dictetur argumentum, corrigatur vitium, aut quomodocunque agendo contra leges talium concurſuum, ſi ille, qui prævaluerat, impediatur à conſecutione præmii. 283

§.2. Hæc injuria videtur eſſe gravis, vel ratione materialis præmii ſeu libri, ſi ejus pretium aſcendat ad materiam peccati mortalis, vel ſaltem ratione formalis præmii ſive honoris & teſtimonii publici de ſcientia, pendetque ſæpè promotio talis adoleſcentis à commendatione, quòd in ſtudiis retulerit præmia. 284

§.3. Injuſtum eſt aliquem adducere ad ſolvenda præmia, ea conditione propoſita, quòd ejus nepoti ſit dandum præmium excluſo alio, qui mereretur, ob rationem jam datam eſſetque hoc Mecœnati dare ſcandalum, quia meritò ſuſpicaretur ſæpius contingere ejuſmodi fraudes; & ſi ad homines emanaret tale factum, foret contra exiſtimationem communem, quam habent omnes de æquitate Cenſorum, ac notabiliter imminueret æmulationem juventutis. *Si dicas* Mecœnatem poſſe nulli dare præmium, & dare liberaliter omnibus, præterquam illi, cujus loco accipit nepos: R. Poſſet nulli dare, ſed ſuppoſito, quòd indicat concurſum, tenetur dare prævalenti: ſicuti patronus poſſet ad beneficium nominare, quem vellet, ſi tamen indicat concurſum, non poteſt dare niſi prævalenti. *Nec obſtat*, quòd fundator beneficii ſtatuere poſſit in limine fundationis, ut aliquid fiat, quod alioqui eſt contra tenorem fundationis pro reliquis vicibus; *Nam* hoc non obſtante, ſi nunc indicat concurſum pro omnibus, tenetur ſtare concurſu, ſic enim initur contractus innominatus, *facio, ut des; ſiſto me, ut conferas, ſi prævaluero*, ergo ſimiliter in noſtro caſu: patetque in ſimili, nam licèt poſſim non dare tibi aureum, ſi tamen tibi promiſerim, & tu promiſſionem acceptaris, teneor. Vide dicenda *l.*4. *num.*628. *Conf.* nam aliàs poſſet talis Mecœnas quoad omnes ita agere, & attribuere præmia, quibus vellet, ſi enim poſſit uni, cur non omnibus? per hoc autem everteretur ratio concurſus, & inducerentur incommoda ante inſinuata.

§.4. Ex his ſequitur deberi compenſationem dictæ injuriæ, 286

aut

aut ſaltem per tertium fieri debere tranſactionem cum defraudato, ut acquieſcat, v. gr. accepta pecunia loco præmii & honoris: qui enim per fraudem impedivit alterum à conſecutione boni ſibi debiti, tenetur reſtituere, & compenſare damna, uti conſtat ex dictis *à num.69.*

287 §.5. Occaſione dictorum reſolvitur hic caſus: Titius adoleſcens ſæpè merito ſuo obtinuit præmia, ſed ſemel obtinuit unum per fraudem, alioqui debitum Cajo: de hoc ſe Titius accuſat in Confeſſione; *Quæritur* 1. an à Confeſſario ſit obligandus, ut cum ſuo & familiæ dedecore factum prodat, ut ita Cajo ſatisfiat? 2. An ſufficiat, ſi Præfectus vel alius publicè edicat per errorem contigiſſe, quominus Cajus acceperit præmium? 3. Quid tandem facere debeat Titius? Reſp. ad 1. Non eſt ad hoc obligandus, quia hæc infamia poſitiva eſſet in æſtimatione prudentum major, quàm illa negativa Caji, ſive quàm negatio honoris aliàs obtinendi. Accedit, quòd Titius per hoc ſe conjiceret in magnam ſuſpicionem, atque ſi in aliis etiam præmiis fraudem commiſiſſet, ſicque privaret ſe poſitivo honore juſtè obtento; quæ, ſaltem ſimul ſumpta, longè prævalent negativæ inhonorationi, quam patitur Cajus. *Ad* 2. Non ſuaderem in præſentia Titii, nequidem de ipſius conſenſu, hoc dici; quia Titius etiam nolens facilè poſſet in ruborem agi, & ſic venire in ſuſpicionem, ac poſteà dicere à Confeſſario impoſitam ſibi eſſe obligationem hoc permittendi, quod aptum eſſet reddere Confeſſionem apud omnes odioſam: Si tamen abeſſet nunc Titius, nec prudens ſuſpicio poſſet in ipſum cadere, poſſet id fieri, & per hoc compenſaretur ex parte honor. *Ad* 3. Tenetur in primis pretium libri ſolvere Cajo, mittendo per ignotam manum: deinde ſi adhuc ſimul ſtudeant, contingeret eoſdem iterùm certare de præmio, ac prævaleret Titius, induci poſſet, ut Cajo relinqueret præmium: poſſet etiam fortè Cajus privatim induci, ſaltem pretio, ut omnem obligationem remitteret. Si tamen ſit aliquod periculù, ne ſuſpicetur de Titio, prærequiretur conſenſus Titii in hoc, & Cajus indirectè erit à ſuſpicione de Titio abducendus. Denique poſſet Titius permittere Cajum publicè laudari à ſcientia, cujus præmio fraudatus eſt, addendo, quamvis caſus fuerint quandoque adverſi, non minorem tamen deberi laudem: quod ipſum inſcribi poſſet præmio gratiæ, vel alteri, ſi poſthac reportet.

288 *Q.*58. *Ad quid teneatur fur, qui in extrema neceſſitate conſumit rem furto ſublatam?* R. Si res manſit domini tenetur poſteà, ſi poſſit, compenſare ſola damna cauſata domino uſque ad tempus neceſſitatis, quia hæc poſteà dedit jus conſumendi, ſicuti dediſſet jus auferendi, ſecundùm dicta *p.1. n.*950. unde damnum rei non imputatur injuriæ ſed neceſſitati: è contra ſi rem, antequam conſumeret, per commixtionem fecerat ſuam, poſt neceſſitatem tenetur reſtituere etiam rem, tum enim non ex alieno ſed ex proprio ſubvenit neceſſitati ſuæ, ideoque obligatio reſtituendi contracta per injuriam, quæ anteceſſit neceſſitatem, perdurat & urget furem, ita Lugo *d.*21.*n.*3. An autem dives reſtituere debeat damna ſecuta ex eo quòd extremè indigenti non ſubvenerit, dictum eſt *l.*2.*num.*206.

289 *Q.*59. *An turpe lucrum, ſive quod per actionem peccaminoſam acquiritur, ſit reſtituendum?* R. §.1. Si actio jam ſit poſita, & pro ea acceptum pretium, non eſt, ſaltem de jure naturæ, obligatio illud reſtituendi; unde ſi mulier, etiam uxorata, pro uſu ſui corporis, aut Titius, ut Cajum occideret, pretium acceperit, poteſt retinere, ita S. Thom. 2.2. *q.*62. *art.*5. *ad* 2. Azor. Rebel. Molin. Vaſq. Lugo *d.*18. *à num.*45. Leſſ. *l.*2. *c.*14. *d.*8. Dicaſt. *de Reſt. d.*6. *d.*1. Burgh. *cent.*3. *caſ.*33. ita ut omnes ferè TT. & Juriſtas in hoc convenire dicat Tann. quamvis contradicant Medin. & alii apud Dian. *p.*2. *t.*16. *R.*38. Ratio eſt, quia tale pretium eſt acceptatum ſine cujuſquam injuria, non enim facta eſt danti, quia hic ſponte dedit pro actione ſibi utili vel delectabili; neque ulli alteri, uti ſuppono, nam ſi actio fuiſſet injurioſa, & damnoſa alteri, eſſet reſtituendum, non ratione turpis lucri, ſed quia actio per quam lucrabatur, inferebat injuriam damnoſam. *Dixi*, de jure naturæ, quia aliqui putant jus poſitivum ſtatuiſſe, ut ille reſtituat, qui per actionem turpem lucratus eſt. Sed Sa *v. promiſſio n.*2. Sanch. *de matr. l.*6. *d.*20. *num.*7. Leſs. *num.*18. Lugo *nu.*57. Caſtrop. *de Juſt. d.*2. *p.*9. *à n.*5. aliique plurimi cum Petſch. *p.*154. probabiliter dicunt leges illas, cùm ſint pœnales, non obligare ante ſententiam Judicis, niſi fortè redderent antecedenter incapaces pretii acquirendi, uti de Judicibus docent aliqui & examinabitur *l.*4. *n.*1502. ubi etiam dicetur *num.*1498. an accepta pro juſta vel injuſta ſententia teneantur reſtituere; Item an peccent acceptando munera, ibid. dicetur *à n.*1499.

290 §.2. Si ſola actio mala, propter quam erat contractum de pretio, jam poſita ſit, adhuc eſt obligatio dandi pretium, niſi leges poſitivæ aliter ſtatuant; unde qui actionem poſuit, juſtè petit pretium, ita Sanch. Leſſ. Tamb. Lugo *num.* 59. Dicaſt. *num.*10. & alii contra Navar. & alios, qui dicunt ideo non licere petere, quia hoc videtur eſſe nova approbatio peccati patrati: Sed ratio noſtra eſt, quia implevit ex ſua parte conditionem, ſub qua contractum erat de pretio; nec ideo approbat peccatum, ſed illo ſuppoſito, quòd jam deteſtatur, urget, ut impleatur altera pars contractus conditionati, uti explicabitur à n. 692. *Nec obſtat*, quòd præmiari non poſſit talis actio, ergo nec potuit pro ea accipi pretium, *nam* n. ſeqq. præmium ſupponit meritum, quod requirit actionem bonam & honeſtam; pretium eſt propter debitum, quod poteſt eſſe ex contractu, quamvis de ſe non honeſto. *Si dicas*, ſic foveri ſcelera, ſi enim meretrix ſciret ſe nihil accepturam, non proſtitueret ſe. Reſp. Id eſſe per accidens, & habere ſe tantùm remotè ac indirectè.

§.3. Si pretium ſit datum pro actione mala necdum poſi- 291
ta, reſtitui debet, quia actio non debet poni, ergo nec retineri poteſt pretium pro ea ponenda: ſi tamen pretium liberaliter donatum eſſet ad alliciendum animum, poſſet retineri, ſed adhuc omittenda eſſet actio, utpotè de ſe ſemper mala, ita Lug. *num.*49.

*Q.*60. *An reſtitui debeat pecunia à dæmone accepta?* R. 292
Si ſciatur, quòd dæmon furatus ſit alicui, ut tibi daret, teneris reſtituere ſecundùm ante dicta: ſi autem hoc neſciatur, ſpectato jure naturæ poteris retinere, quia dæmon potuit accipere ex fundo maris, aut aliunde, ubi erat derelicta, ita Dian. *p.*10. *tr.*15. *R.*48. De jure poſitivo poſt ſententiam Judicis debet dari pauperibus vel applicari fiſco, quidquid per artem magicam aut prohibitam acquiritur, uti habent leges, & AA. communiter cum Lugo *diſp.*6. *n.*112.

*Q.*61. *An reſtitui debeat, quod eſt acceptum prore vel actio-* 293
ne aliunde debita? R. §.1. Si ex juſtitia erat debita illi, qui dat, reſtitui debet, uti habet communis cum Leſſ. *l.*2. *c.*14. *num.*69. Lugo *d.*18. *n.*63. Dicaſt. *d.*6. *dub.*3. Tamb. *l.*7. *c.*5. §.3. *n.*13. *&* 21. Haun. *t.*2. *n.*352. Petſch. *p.*143. contra Nav. Sot. & alios. Ratio eſt, quia dans pretium pro re, ad quam habet jus, æquivalenter emeret rem ſuam, ut redimeret injuſtam vexam, ergo pretium injuſtè acceptaretur, ergo reſtituendum eſt. Quòd ſi pro obtinenda actione tali daretur aliquid ex liberalitate, aut tantùm ad animum alliciendum, ut actio poneretur, docent Nav. Rebel. Tolet. aliique communiter cum Dian. *p.*3. *t.*6. *R.*4. poſſe retineri, per ſe loquendo, nam de Judice aliter fortè loquendum eſt, de quo *lib.*4. *à n.* 1499.

§.2. Magis controverſum eſt, quid dicendum ſit, ſi res, 294
ex Juſtitia ſit debita, non quidem tibi, attamen alteri, v.g. Titio debita eſt vita ſua, ideoque debetur illi omiſſio occiſionis, nunc quæritur, ſi ſcias Cajum intendere mortem Titii, & Cajo des pretium, ne eum occidat, an Cajus hoc pretium poſſit retinere? affirmant *Sotus, Bannez & alii* quia quamvis Titius habeat jus ad illam omiſſionem, tu tamen non habes jus ad illam, & hoc jus poteſt tibi eſſe utile, ergo poteris hoc emere. Hanc ſententiam vocat probabilem Petſch. *p.*144. Tamb. *num.*14. non improbabilem, quamvis addat timere ſe, ne in praxi pretium detur nomine Titii ad redimendam injuſtam illius vexam, in quo caſu non poſſet retineri, quia ex juſtitia eſt obligatio omittendi illam vexam: Beja *p.*1. *caſ.*31. docet, ſi ſolveris Cajo partem pretii & partem non ſolveris, Cajum non teneri reſtituere, quod accepit, quia quamvis LL. videantur obſtare, quando aliquid acceptum eſt turpiter, ſi turpitudo ſit tantùm ex parte recipientis, ideoque eædem Leges dent tibi jus repetendi, tamen non prohibent translationem dominii, ergo ſi tu non repetas, cenſeris conſentire ut Cajus retineat, quod accepit in pretium occiſionis in gratiam tui omiſſæ. Quoad reliquam partem, putat Cajum non poſſe quidem de jure exigere, attamen poſſe oſtendere ſuum deſiderium habendi, & viciſſim offerre voluntatem tibi ſemper in omnibus obſequendi. E contra Leſſ. *n.*67. aliique communiter cum Lugo *d.*37. *n.*126. probabiliùs dicunt poſſe ideo poſtulari vel retineri aliquid, (additque Mol. *t.*1. *d.*83. *n.*3. oppoſitam ſententiam eſſe improbabilem, ſed immeritò inquit *Petſch.*) Ratio noſtra eſt, quia ſic aperiretur oſtium uſuris, furtis, & rapinis, ſic enim poſſet quis dicere ſe accipere pretium, non à Titio, cui dat mutuum, nec pro mutuo, ſed à Cajo, cui ſe obligaret ad gratis mutuandum Titio: item poſſet latro dicere ſe occiſurum Titium, niſi Cajus daret pretium pro illa omiſſione &c. Et ratio à priori eſt, quia hoc non poteſt à Cajo vendi, cujus alius eſt dominus, ſed alius eſt dominus talis actionis, vel omiſſionis, illi enim alteri debetur, ergo non poteſt vendi à Cajo.

§.3. Si actio ex alia tantùm virtute ſit debita, non eſt obli- 295
gatio reſtituendi pretium pro ea acceptum, ita Sotus, Bann. Dian. Lugo *num.*67. Haun. *num.*353. Tamb. *num.*21. Petſch. *p.*148. contra Medin. Covarr. Leſſ. Medin. & alios apud Dicaſt. *num.*58. quia quando hoc, pro quo datur pretium, non erat debitum ex juſtitia, v.g. ſi accipiam pretium, ut deponam odium erga alterum, huic pretio reſpondet jus, quod acquiritur, & non habebatur, antequam dares pretium. *Nec obſtat*, quòd antecedenter tenerer deponere odium, ideoque videatur dari ex metu ad redimendam vexam, *nam* non tenebar ex juſtitia, nec metus ille tollebat voluntarium, neque etiam metus aut vexa erat contra juſtitiam, ergo accipiendo pretium

pro omiſſione non peccavi contra juſtitiam, ergo inde non oritur obligatio reſtituendi. Hic dicta intellige, niſi quis antecedenter ſit redditus inhabilis ad acquirendum dominium talis pretii; item intellige, ſpectato jure naturæ, nam jus poſitivum obligat ad reſtitutionem, v.gr. ſimoniacum in materia beneficiorum, in ingreſſu Religionis & Ordine, ſecundùm probabilem ſententiam multorum: poſſuntque videri Lugo *ſ.*10. & 11. Dicaſt.*dub.*3.& 4. Haun. *à num.*358.

296 ARTICULUS III.

An, & quid debeat reſtitui pro injuria illata corpori, v.g. per mutilationem, & occiſionem? &c.

„ RESP. Injuſtus occiſor, mutilator, in conſcientia tenetur tantùm reſtituere pro damnis bonorum fortunæ, „ quæ ex tali occiſione, vulnere, &c. directè ab eo cauſata „ ſunt, juxta prudentis arbitrium: præcisè autem pro vita, „ membro, vel cicatrice, nihil tenetur reſtituere ſecundùm „ rigorem, cùm ſint bona altioris ordinis, quæ pecunia æſtimari non poſſunt. Ita contra Sotum, Sylv.&c. probat Leſſ. *l.*2. *c.*9. *d.*23. V.Laym.*l.*3.*t.*3.*p.*3.*c.*6. *Unde reſolves:*

„ I. Qui occidit ebrius alium, ſi ebrietas non fuit culpabilis & voluntaria, vel licèt fuerit talis, ſi tamen homicidium „ vel non prævidit, vel diligentiam debitam adhibuit ad cavendum, non tenetur ad reſtitutionem, tenetur autem, ſi „ prævidit, & non cavit, Bon.*d.*2.*q.ult.ſ.*2. *p.*2. *ex communi*.

„ II. Qui occidit Cajum, putans eſſe Titium, tenetur ad reſtitutionem, quia actio iſta eſt Cajo injurioſa, Bonac.*l.c.*

„ III. Si læſus ante mortem omnia remiſit, ad nihil tenetur occiſor: quia filiis non fit injuria in bonis, niſi quatenus „ læduntur in patre contra ejus voluntatem (volenti enim non fit injuria) ergo ſicut per eum jus acquirunt, ſic etiam „ amittunt; etſi non rectè faciat parens, ſi filii valdè egeant, „ Leſſ.*num.*158. & 159.

„ IV. Etſi præcisè pro vita, membro, occiſione, non ſit obligatio reſtituendi; per ſententiam tamen judicis cogitur „ injuriatus ſatisfacere pro injuria.

„ V. Conſilium eſt, ut Confeſſarius pro his injungat eleemoſynas, Miſſas, pro ſalute occiſi.

„ VI. Si occiſus, vel mutilatus fuerit ſervus, vel animal, „ tunc etiam pro vita & membris facienda eſt reſtitutio: quia horum vita pretio æſtimatur, ac proinde tantum debet reſtitui, quanti potuiſſet vendi; & pro mutilatione vel cicatrice, quantò pluris venderetur.

„ VII. Pro expenſis funeris nihil reſtituitur, quia illæ aliquando faciendæ tamen fuiſſent, niſi fortè occaſione illatæ „ necis, v.g. extra patriam, majores fieri oportuerit.

„ VIII. Reſtitui debent impenſæ factæ in curationem & medicamenta vulnerati, vel occiſi, Fill.*tr.*32 *c.*8.*num.*198.

„ IX. Item lucra, quæ ex mutilatione vel vulneratione ceſſarunt; non quidem tam in ſolidum, ac ſi de facto eſſent acquiſita, ſed pro majore aut minore ſpe, quam læſus habuit „ illa acquirendi, V.Trull.*lib.*7.*cap.*8.*d.*3.*num.*6.

„ X. Si homicida à Magiſtratu plectatur, verius eſt adhuc teneri ad damna ſarcienda, cùm morte ſua tantùm ſatisfaciat „ juſtitiæ publicæ, non hæredibus occiſi. Qui tamen, cùm plerumque aliud non exigant, videntur eſſe contenti, ac proinde hæredes homicidæ ad nihil tunc teneri, Fill.*num.*214.

„ XI. Debet autem reſtitutio fieri tantùm parentibus interfecti, filiis & uxori, quia hi ſoli directè læduntur; cùm moraliter cenſeantur una perſona cum occiſo: Niſi tamen occideris animo etiam nocendi aliis, nam tunc etiam his reſtituere „ teneri dicit Lugo *d.*11.*num.*8. ex Leſſ. v.Trull.*d.*4.4.*num.*2.

„ XII. Etſi probabile ſit, deberi etiam reſtitutionem creditoribus occiſi, ſi quod damnum illis ex ea cæde obvenit; contrarium tamen etiam probabile (ſaltem ſecundùm limitationem caſus præcedentis,) eſt; cùm occiſio illa non ſit directè „ cauſativa illius damni, V.Laym.*num.*4.

„ XIII. Non tenetur occiſor aliquid eis reſtituere, quos occiſus alebat ex liberalitate, quia damnum illorum per accidens ſequitur. V.Leſſ.*num.*154. Trull.*l.c.*

„ XIV. Nec tenetur ad damna quæ v.g. provenient ex morte alicujus innocentis, qui per errorem putaretur homicidium „ feciſſe, & ſic captus plecteretur, quia hujus mors non directè cauſaretur ab ipſo, ſed per accidens, & ex errore vel malitia „ accuſatorum, V.Bon.*d.*2.*qu.ult.ſect.*2 *p.*2.

ADDENDA.

297 QUÆſt.62. *An impotens reſtituere in uno genere bonorum teneatur in alio?* R. Buſemb. negat cum communi, ſed res indiget majori explicatione.

§.1. Quatuor ſunt ordines bonorum, ut rectè Beja *p.*2.*caſ.*1. In primo & ſupremo ordine ſunt bona animæ ſive ſpiritualia, uti gratia, virtus, innocentia. In ſecundo eſt vita, quæ eſt fundamentum cæterorum bonorum, & ſubſtantiale bonum naturæ. In tertio eſt fama, quæ etiam poſt mortem perdurat; ad quam reducitur honor. In quarto & infimo ſunt bona externa fortunarum: Certum eſt autem, ſi per injuriam in uno bono cauſaverim damna in altero, v.g. ſi detrahendo fui cauſa, cur Titius privatus ſit fortunis; ſi amputando Titio manum fui cauſa, cur non potuerit lucrari, me teneri hæc damna vel lucra compenſare, uti rectè Lugo *d.*11. *à num.*1.

§.2. Etiam certum eſt, quòd per juſtitiam vindicativam 298 poſſit à Judice vel Superiore imponi, ut quis pro injuria circa unum bonum teneatur præſtare aliquid in genere alterius boni, faciendo ut læſus acquirat jus ad hoc alterum bonum. Superior enim juſtè punit delicta per pœnam, quam putat convenientem; ſic pro mutilatione, etiam præſcindendo à damno, poteſt imponi pœna dandi pecunias, quas dando ſatisfiet, non juri, quod ratione damni illati habebat mutilatus, ſed juri novo per ſententiam acquiſito, & tales LL. pœnales paſſim inveniuntur in Scriptura & utroque jure: itaque ſenſus quæſtionis eſt, an de jure naturæ & ſpectata obligatione juſtitiæ commutativæ teneatur quis pro injuria in uno bono ſatisfacere per bonum alterius generis, ſi bonum læſum nequeat in ſuo genere reparari? eſtque duplex dubitatio, in primis an ille, qui abſtulit bonum ſuperioris ordinis, v.g. famam, ſi non poſſit reſtituere famam, an teneatur damnum famæ compenſare per bonum inferioris ordinis, v.g. per pecuniam? deinde dubitatur, an ille, qui abſtulit bonum inferioris ordinis, v.g. pecuniam, ſi non habeat pecuniam, teneatur, ſi poteſt, conciliare famam & & honorem, ut ſic compenſet damnum ablatæ pecuniæ?

§.3. Gabr.Adr.Maj.Ang.Cajet.Sot.Az.Beja, Mol.Alloz. 299 Tann.2.2.*q.*6.*n.*150. aliique dicunt, ſi non poſſit reſtitui bonum ſuperioris ordinis, compenſandum eſſe, dando bonum inferioris ordinis, v.g. dandam pecuniam, ſi reſtitui non poſſit fama: quæ ſententia eſt probabilis, uti patet ex his, quæ pro ea affert Lugo *d.*11.*ſ.*1.& §. *ſeq.* referemus: Nihilominus probabilius videtur nunquam eſſe obligationem reſtituendi in bono diverſi generis, ita Magiſter Sentent.*in* 4.*diſt.*15. *in fine*, ubi clarè dicit, v.gr. pro oculo vel vita reſtitui non poſſe, ſed ſatis eſt pœnitere cum deſiderio ſatisfaciendi, ſi poſſet: ſequuntur Angles *de Reſtit. bonorum corporis dub.*4. Vaſq. *de Reſtit. cap.*2. *num.*17. Sanchez *in Conſ.lib.*1. *cap.*4.*d.*1.*num.*7. Leſs. *l.*2. *cap.*9. *n.*141. Nav.*in man.cap.*15.*num.*22. Navarra *de Reſt.l.*4.*c.*1.*num.* 81.Merat.*de Juſt.d.*26.*ſect.*1.Bonac.*de Reſtit.d.*2.*qu.ult.ſ.*2.*p.ult.* Filliuc.*t.*32.*num.*200. & 239. Laym.*l.*3.*t.*3.*p.*3.*c.*6.*num.*2. Lugo *num.*9. Reginald.*l.*10. *num.*318. Amic. *de Juſt. d.*36.*num.*171. Diana*p.*5.*t.*4. *R.*54. Petr.Marchant. *ad* 5.*præcept. Decal. qu.*5. *concl.*2. Bonæſp. *de Juſt. d.*19. *n.*114. Dicaſt. *de Reſtit. d.*7.*num.* 56.& *d.*12.*dub.*12.& 13.Palav.*de Juſt.num.*74.Eſp.*qu.*37.Haun. *t.*2. *num.*662.Steph.*t.*4. *d.*5. *num.*20. Tamb. *l.*6. *c.*4. *ſ.*3. *num.*22. Eſcob.*in problem.l.*32.*num.*236. Gord.*in Th.moral.T.*1.*l.*5.*qu.* 4.*cap.*4.*num.*16.Herinx *de Reſt.d.*6.*q.*6.Platel.*p.*3.*num.*760. Sporer *t.*5.*cap.*3.*num.*221.Illſung.*t.*4.*d.*3.*n.*236.Petſch.*p.*277. vocat utramque probabilem, putatque primam eſſe conformiorem *S.Thomæ*, ſed ſecundam eſſe magis fundatam in jure. Pro hac noſtra ſententia apud relatos Authores, quos omnes inſpexi, etiam referuntur *Gloſſa*, *Silv. Panorm. Gom. Albericus*, *Covarr. Ledeſm. Lop. Hoſtienſ. Bann. Victor. Arruv. Turr. Becan.* & recentiores innumeri, inquit *Sanch.* ſuprà, & ideò *Herinx* meritò vocat quaſi communem Doctorum, etiam Juriſperitorum, *Tann.* ſuprà fatetur probabilem. Probatur autem 1. nam *Exodi* 21.*Verſ.*19. dicitur percuſſorem fore innocentem, id eſt, liberum, ſi percuſſus non moriatur, dummodò operas ſolvat ac expenſas in Medicos reſtituat: ſic autem abſolutè non pronunciaretur liber, ſi de jure & in conſcientia, ad quam dirigendam potiſſimùm eſt Scriptura, teneretur etiam dare aliquid pro vulnere, vel mutilatione. Idem clariſſimè habetur *L.ult. ff. de his, qui effuderint*, aliiſque locis apud Lugo *nu.*5. Et ratio ſæpiſſimè redditur, *quia liberi hominis vita non poteſt æſtimari &c.* 2. Hic eſt communis ſenſus omnium, qui niſi ad tales ſolutiones veluti pœnas condemnentur, non putant ſe in conſcientia obligari, ideoque etiam à Confeſſariis non obligantur: ſimiliter hæredes occidentis non ſolvunt, nec hæredes occiſi petunt aliquid præcisè pro vita occiſi, quod tamen poſſent, & procul dubio facerent, ſi eſſet obligatio reſtituendi in diverſo genere boni, ergo communis ſenſus eſt hanc reſtitutionem non deberi. 3.Determinari non poteſt, quantum arithmeticè reſtitui deberet, v.g. pro oculo, & cùm oculus ſit omni pecunia æſtimabilior, læſus poſſet ſemper plus exigere, nec ſatisfaceret, qui excuſſit, niſi dando, quidquid haberet, quod videtur intolerabile. *Nec juvat* recurrere ad arbitrium prudentum, *nam* læſus poteſt nolle eò recurrere, & petere hoc totum, quod in conſcientia debetur, ſi enim de jure naturæ eſt iſta obligatio, debet ex natura rei, præſcindendo ab arbitrio prudentum, aliquid determinatè eſſe debitum, uti rectè Vaſq.*num.*20. unde, 4. Ratio à priori eſt, quia non poteſt

per

per ejuſmodi reſtitutionem obtineri ulla perfecta & arithmetica æqualitas cum ulla parte debiti, ergo juſtitia commutativa non obligat ad ejuſmodi reſtitutionem. *Conſeq. patet*, nam motivum hujus juſtitiæ eſt æqualitas arithmetica & perfecta cũ aliqua ſaltem parte debiti. *Antec. prob.* bonum, quod redditur, nec in ſe nec in æquivalente quoad ullam partem eſt illud bonum, quod ablatum eſt, ut enim eſſet in æquivalente quoad aliquam partem, deberet, per ſe loquendo, per rem reſtitutam iterum comparari poſſe res ablata aut ſaltem aliqua ejus pars, ſed nec oculus nec ulla pars oculi poteſt comparari per ullas pecunias aut per ullas res etiam ſpirituales, quamvis de ſe digniores, neque cum illis in humano commercio eſt ulla ratione apta ſubſtitui vel commutari, hoc ipſo enim quòd ſint diverſi generis, non habent communem menſuram, uti omnes docent, ergo. 5. Ratio alia etiam à priori eſt, quia finis ſaltem mediatè à Juſtitia intentus per reſtitutionem, ſecundùm Adverſarios, eſt tollere radicem diſſolutæ amicitiæ & cauſam doloris orti ex injuria, ſed reddendo pecunias pro oculo, quamvis fortè facias redire amicitiam & ceſſare dolorem, tamen non tollis radicem diſſolutæ amicitiæ, nec cauſam doloris orti ex injuria, ergo. *Prob. min.* hæc radix & cauſa eſt præcisè carentia oculi, ſed hanc non tollis, nam carentia illa perdurat ex omni parte, quamvis reddas mille oculos aureos, ergo. *Si dicas*, tales divitias præeligi uni oculo, ſicque reddi amicitiam & tolli dolorem, ideoque ſatisfieri; *Contra eſt*, nec redditur amicitia, nec tollitur dolor, nec ſatisfit per hoc, quòd hic intenderet juſtitia & læſus habere deberet, cùm non recipiat oculum nec in ſe nec in æquivalente quoad ullam partem oculi, ex hoc autem, quòd præeligat, nihil ſequitur: hæc enim eſt voluntas hominis, non intentio juſtitiæ.

300 §. 4. *Obj.* 1. Authoritatem S. Th. 2.2. *q.* 62. *art.* 2. *ad* 1. & Scoti *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 3. R. S. Thom. variè explicat Bann. cujus explicationes, quamvis rejiciat Petſch. *p.* 274. tamen innuit poſſe dici, quòd S. Th. non ſit aſſertivè locutus; ſed tantùm ſignificarit, ſi damnum vitæ vel membri compenſari deberet, fore compenſandum per aliquid aliud. Scotus videtur loqui de obligatione reſtituendi poſt ſententiam, ubique enim comparat leges pœnales veteris teſtamenti cum legibus novi. Quòd ſi mens illorum eſſet explorata, non ita multi Thomiſtæ & Scotiſtæ nobiſcum tenerent; in dubio autem loquimur cum majori parte.

301 *Obj.* 2. Abſurdum eſt pro bove alieno occiſo deberi reſtitutionem, & non deberi pro occiſo homine. R. Eſt abſurdum non intelligenti naturas rerum, inquit Eſp. nam bos eſt bonum fortunæ; item æſtimabilis & novo pretio comparabilis, non item vita hominis.

Inſt. Si ſit obligatio reſtituendi pro minore injuria, etiam eſt pro majori, ſed occidere hominem eſt major injuria, ergo. R. Si jus per injuriam majorem læſum, ſit reparabile, c. ſi non ſit reparabile, N. maj. & patet, alioquin ſi fraude aliquem induxiſſem in damnationem æternam, tenerer pecunias reſtituere hæredibus ad compenſandam eam injuriam, quod eſt contra omnium ſenſum.

302 *Obj.* 3. Si fama reſtitui non poſſit, debet aliquando compenſari per honorem; & tamen honor eſt aliud genus boni, quàm fama, ergo. R. Honor eſt bonum affine & ita connexum cum fama, ut ad humanos uſus pro eodem ferè reputetur, eſt enim teſtificatio bonæ famæ de proximo, & ex honore communiter ſequitur apud alios bona fama: ergo per honorem rectè cenſetur fama reſtitui; in aliis bonis nihil eſt ſimile.

303 *Obj.* 4. Libertas & nobilitas ſunt bona ſuperiora, & tamen emuntur pecuniis, quæ ſunt bonum inferius, ergo bonum ſuperius poteſt æquivalere & commutari cum inferiore. R. Pecuniis emuntur jura ad multa commoda ſpectantia ad fortunas, quæ ex libertate & nobilitate proveniunt, v. g. ut homo liber poſſit lucrari ſibi, ut nobilis gaudeat immunitatibus &c. ſic etiam datur pretium pro mancipio, non pro homine ipſo, ſed pro jure ad commoda ex ipſo, quæ ad fortunas ſpectant; & idem eſt dicendum de ſimilibus bonis altioris ordinis, quæ dicuntur emi pecuniis. Quòd ſi emens intenderet dare pretium directè pro nobilitate ſola, non ideò hanc emeret, ſed cederet juri ad pretium, & nobilitas ei donaretur, ſicuti qui beneficium Eccleſiaſticum vult emere, poteſt cedere juri ad pretium, ut obtineat modo, quo poteſt: reipſa tamen non emit, cùm res ſpiritualis ſecundùm omnes ſit pretio temporali inemibilis.

Inſt. Pecuniæ ſunt menſura & pretia rerum omnium, ergo omnia damna compenſari poſſunt per pecunias. R. Sunt menſura & pretia rerum omnium ſpectantium ad bona fortunæ, c. abſolutè omnium, n.

304 *Obj.* 5. Mutilans cauſavit injuſtè dolorem mutilato, ergo ex juſtitia tenetur hunc dolorem tollere. R. Ergo tenetur tollere per pecunias vel per bonum alterius generis, N. per petitionem veniæ vel per aliam ſatisfactionem, quæ ſit in eodem genere boni, in quo erat gaudium per dolorem ablatum, tranſeat. Gaudium enim ablatum erat bonum temporale animæ, quale ſi iterum procuret per petitionem veniæ vel per aliud ſolatium temporale, jam reddit aliquid ejuſdem generis, negamus autem teneri ex juſtitia reddere aliquid diverſi generis, licèt admittamus cum Leſſ. *n.* 145. & Dicaſt. *d.* 7. *n.* 59. ex charitate quadam etiam teneri, ſi commodè poteſt, aliis modis hunc dolorem tollere.

Inſt. 1. Qui læſit honorem, tenetur ex juſtitia ſatisfacere & tollere dolorem, quem injuſtè cauſavit inhonorato, ergo idem hic eſt dicendum. R. Tranſeat totum, ſecundùm jam dicta; eſt tamen adhuc diſparitas, nam prior tenetur tollere illum dolorem, quia poteſt & tenetur tollere ejus radicem, nempè inhonorationem, quæ cauſa eſt illius doloris, imò tenetur iterum honorare, quo honore reddito ex radice ceſſabit dolor: oppoſitum eſt in mutilante, qui non poteſt reddere membrum ablatum, ex cujus carentia naſcitur dolor.

Inſt. 2. Si quis injuſtè inhonoravit Clericum, & hunc honorem non poſſit aliter reparare, quàm ei Conferendo Canonicatum, ad hoc tenetur ex juſtitia, uti fatetur Haun. *n.* 665. ergo ſimiliter mutilans, qui injuſtè cauſavit dolorem mutilato, & non poteſt hunc dolorem aliter tollere, quàm dando pecunias, tenetur has dare. R. N. conſ. ideo debet dare Canonicatum, ut faciat iterùm honorari, & ſic reddat honorem, quem abſtulit, ſic autem tollit radicem doloris: mutilans dans pecuniam non redderet membrum ablatum, nec tolleret radicem doloris, ergo ex juſtitia non tenetur dare pecunias.

Inſt. 3. Communis ſententia eſt cum Lugo *diſp.* 13. *n.* 45. aliquem teneri pro compenſandis damnis fortunarum ſubire aliquam infamiam, ſic enim fur, qui non poteſt reſtituere per ſe, tenetur per alium, quamvis deberet huic manifeſtare ſuum furtum, ergo reſtitutio debet aliquando fieri in bonis alterius generis. R. Dato ant. N. conſ. nam ibi non redditur fama pro pecuniis, ſed tantùm cum parva jactura famæ reſtituitur pecunia pro pecunia, aut pro alio bono fortunæ, cujus communis menſura eſt pecunia, quia per hanc comparari poteſt omne bonum fortunæ. Itaque dato; quòd ſit obligatio aliquando reſtituendi bonum unius generis pro bono ejuſdem generis, cum aliquo detrimento boni alterius generis, negamus obligationem reſtituendi bonum unius generis pro bono alterius generis, & diſparitas eſt, quia in priore caſu obtineri poteſt æqualitas inter ablatum & redditum, non autem in poſteriore. *Dixi*, dato Ant. nam Beja ſupra docet non eſſe obligationem reſtituendi bonum inferioris ordinis cum periculo admittendi bonum ſuperioris ordinis, quia juſtitia non videtur obligare ad exceſſum, *ſed* id tantùm tenet, ſi in bono ſuperioris ordinis pateretur damnum notabile; fateturque Beja cum Nav. quando dicitur non eſſe reſtituenda bona fortunæ cum jactura famæ, intellige de fama, quæ conſequitur bonitatem moralem, ſi enim ſequatur ad talenta naturalia, v. g. ingenii, ſcientiæ, putant cum hujus jactura reſtituendum, quia hæc fama non eſt inæſtimabilis, uti prior.

Inſt. 4. Quamvis non poſſit obtineri tota æqualitas, tamen juſtitia vult poni tantum, quantum poni poteſt. R. Si per hoc, quod ponetur, attingatur æqualitas ſaltem ſecundùm partem, C. ſi non attingatur nequidem ſecundùm partem N. nullum autem bonum diverſi generis eſt pars aliquota boni alterius generis aut æqualitatis faciendæ, uti dictum eſt, ergo juſtitia non obligat ad ponendum quicquam ex bono alterius generis.

Q. 63. *Quid præterea ſit notandum circa reſtitutionem pro injuria corpori illata?* 305 R. Seqq. §. 1. Qui occidit injuſtum invaſorem vel provocantem vel conſentientem in pugnam, non tenetur compenſare damna ſecuta; quia tales renuntiant juri ſuo, & alter jus habet faciendi, quod in ſe eſt, ut ſe illæſum ſervet, Dian. Bonæſpei & alii cum Steph. *t.* 4. *d.* 5. *n.* 30. Quòd ſi quis contra injuſtum invaſorem graviter excedat moderamen inculpatæ tutelæ, faciendo nempè plùs, quàm neceſſe eſt ad proprium periculum vitandum, Silv. Ang. Sot. Led. Arriag. Salon. Cord. Roſel. Mol. apud Lug. *d.* 9. *n.* 51. dicunt nihil teneri compenſare de damno, quod Tamb. *l.* 6. *c.* 4. §. 3. *n.* 15. vocat probabile, tum quia invadens cenſetur conſentire damnis, ſcit enim invaſum facturum, quod poterit: tum etiam quia Mol. putat, ſi invaſus in foro externo opponeret injuriam ſibi priùs factam per invaſionem, liberandum à reſtitutione, poteſt autem expectare, donec conveniatur, ergo. Leſſ. *l.* 2. *c.* 9. *n.* 135. & Bonac. *de Reſtit. d.* 2. *q. ult. ſ.* 2. *p.* 1. *n.* 3. dicunt probabile eſſe, quòd teneatur tantùm ad partem damni, judicio prudentum, quia minùs peccavit, quàm ſi non fuiſſet invaſus: Nav. Lop. Vaſq. Turr. Sanch. *in Conſ. lib.* 1. *c.* 4. *d.* 9. Lugo *n.* 50. Illſ. *t.* 4. *d.* 2. *n.* 83. aliique communiter & probabilius dicunt teneri ad totum damnum, quia cauſavit totum per gravem injuriam; & licèt invadens per graviorem injuriam voluerit inferre ſimile, non ideò licebat inferre invadenti, ſicut licèt Cajus velit tibi furari 100. non ideo tibi licet tantundem furari Cajo, ſi aliter poſſis ejus injuriam amoliri. Idem dicit Lugo *n.* 55. de illo, qui ſine gravi incommodo fugere potuit invaſorem, nam licèt Julius Clarus, Mol. Leſſ. *n.* 136. Illſ. *n.* 86. putent talem peccare tantùm contra charitatem, quod Petſch. *pag.* 286. putat probabile, eò quòd

alter

alter non videatur habere jus, quod obliget ad fugam, tamen Silv.Vaſq.Rodriq.Bonac.& alii cum Lugo *d.*10.*n.*170. *&* *d.*11. *n.*55.meritò tenent oppoſitum, quia quiſque habet jus, ut non occidatur authoritate privata, niſi in neceſſaria ſui defenſione, hic autem non fuit neceſſaria, quia aderat facile medium hoc declinandi per fugam, quæ non attuliſſet grave incommodum, ergo fuga erat in his circumſtantiis debita juri alterius: Tamb. permiſſa hac ſententia Lugonis adhuc putat probabile eſſe, quòd talis excuſetur à reſtitutione, quia quando alterum invadit, videtur cedere hoc jure ſuo. Quòd ſi provocans occideret provocatum, qui metu infamiæ debuit comparere, provocans teneretur compenſare damna inde ſecuta, quia provocatus acceſſiſſet involuntariè, Salon.aliique cum Sanch.*dub.*10.

306 §.2. Si Cajus det cauſam rixæ per ſola verba contumelioſa, & poſteà occidatur à Titio, Titius tenetur reſtituere, quia verbalis contumelia non potuit dare jus occidendi: ſi tamen Titius verbis contumelioſis affectus à Cajo, vellet Cajum occidere, Cajus licitè ſe defenderet, & quamvis in defenſione ſui occideret Titium, nil teneretur reſtituere, ob eandem rationem, quia Titius ob verba contumelioſa non habebat jus occidendi, Tamb.*n.*17.

307 §.3. Si Caſo, & Titio pugnantibus acceſſerunt alii ſua ſponte, & horum unus alterum occidit, Cajus aut Titius non tenetur ad aliquid; ſi autem Cajus excitarit aliquem ad pugnam pro ſe defendendo, & hic poſteà occidatur, ſecundùm Suar. & alios Cajus tenetur reſtituere, quia per ſuaſionem fuit cauſa occiſionis & damni. Secundùm Vaſq.& alios cum Lugo *d.*12. *n.*58.non tenetur, quia licèt hic ſuadens peccet contra charitatem, tamen cùm nec fraude nec dolo ſuadeat, non peccat contra Juſtitiam, ſcienti enim & volenti non fit injuria, ſecundùm dicta *à n.*4.ita Tamb.*n.*19.

308 §.4. Qui occidit alterum paulò poſt naturali vel juſta morte occidendum, non tenetur reſtituere, quia non cenſetur intuliſſe grave damnum in bonis fortunæ, uti habent Nav.& Vaſq. cum Bonac.*n.*13. In dubio tamen, an ita eventurum fuiſſet, poſſeſſio eſt pro hæredibus occiſi, cujus vita etiam in poſſeſſione erat. Quòd ſi occideret alterum paulò poſt injuſte occidendum, v.g.à latrone, teneretur reſtituere, uti conſtat ex dictis *n.*49.quia prior intuliſſet grave damnum. Si autem Titius mutilaſſet Cajum, qui poſteà alio morbo vel caſu objit, ſi ante mortem ſententia lata eſt vel tranſactum eſt de certo pretio propterea ſolvendo, tenetur Titius totum ſolvere hæredibus, quia fuit obligatio per ſententiam vel per contractum inducta cum ſpe & periculo utrimque lucri & jacturæ: è contra ſi nulla fuiſſet lata ſententia vel contractus initus, non teneretur niſi ad damna vivo cauſata, quia non fuit cauſa efficax damnorum poſt mortem obvenientium, ita Sanch.*d.*2.*n.*12.

309 §.5. Si occiſus nec uxorem nec liberos habeat, neque fuiſſet habiturus, plures cum Steph.*n.*54. dicunt reſtitutionem eſſe faciendam hæredibus ab inteſtato, hi enim repræſentant occiſum & ſuccedunt in jura ac onera: ſi tamen credatur, quòd fuiſſet habiturus liberos, dicunt nihil deberi, tum cuim hæredes habent potiùs commodum quàm damnum: Sanch.tamen *dub.*3. *num.*3.& Tamb.*num.*5. rectè dicunt expenſas pro curando vulnerato, qui poſteà moritur, item alia ipſi ideo ante mortem debita, reſtitui debere hæredibus, quia hi ſuccedunt in jura defuncti, aut ſi nullus ſit hæres, dandum eſt pauperibus, damna autem alia, facta poſtquam vulneratus eſt mortuus, v.g. quòd non poſſit dare alimenta parentibus, uxori, filiis, dicit reſtitui non debere hæredibus, quia hæres tantùm acquirit jura, quæ habuit defunctus non autem alii. Quòd ſi, v.g. uxor poſt occiſum maritum æquè commodè nupſit, vel poſſit nubere, aut ſi aliquis ea occaſione det ipſi alimenta, huic non eſſet opus aliquid reſtituere, tum quia reipſa non fuit damnificata, tum etiam quia occiſor ideo tenetur, quia ſuccedit in obligationem mariti, qui eam debuiſſet alere: maritus autem non teneretur alere, ſi aliunde ei eſſet proviſum, ergo. Pro dubio autem, quantum teneatur occiſor compenſare filiis occiſi: item quot filios & quandiu teneatur alere, videri poteſt Beja *p.*1.*caſ.*43.

310 §.6. Salon. Arrag. Cord. Led. Leſſ.Lug. aliique communiter cum Buſemb.dicunt damna ſecuta ex occiſione vel mutilatione Titii eſſe compenſanda ſolis parentibus, uxori & filiis, eò quòd reliqui cenſeantur eſſe velut extranei ſe remotè habentes, & per accidens patiantur illa damna: Lop. & Sanch. dicunt compenſanda eſſe etiam fratribus & ſororibus, ſaltem tum, ſi occiſus eos per ſententiam Judicis tenebatur alere, quia jam habebant jus ad illa, quæ accepiſſent à Titio, ergo qui per vim impedit, tenetur compenſare: addunt Mol. & Haun. id maximè tenere de creditoribus, ſi occiſor præviderit hoc eorum damnum, imò Sot.Nav.Adrian.Panorm. Roſel.Vaſq. Turr.aliique apud Lugo *d.*11. *n.*74. dicunt in hoc caſu teneri compenſare etiam extraneis, quod Illſ.*t.*4.*d.*2. *n.*78. defendit tanquam ſpeculativè probabilius, licèt agnoſcat oppoſitum eſſe practicè probabile. Ratio eſt, quia qui per vim impedit alterum à conſecutione boni, tenetur damnum compenſare, ſecundùm æſtimationem ſpei probabilis & proximæ, quam habuit, uti dictum eſt *à num.*69. ſed hic occidens illos omnes impedit per vim, ergo. *Conf.*nam ſi quis per fraudem induxiſſet Titium ad bona illa non præſtanda, teneretur compenſare omnibus etiam non habentibus jus ad ſolam ſpem illa obtinendi, ſecundùm dicta *n.*69. ergo multò magis qui occidendo, per vim impedit.

§.7. Quamvis Buſemb. ex Leſſ. reſolvat, ſi læſus ante mortem omnia remittat occiſori, hunc ad nihil teneri, quod etiam docent Mol. & Sanch. tamen videtur dicendum cum Lugo *d.*11.*num.*63.& Illſ. *num.*88. non poſſe remittere obligationem reſtituendi pro damnis, quæ advertenter cauſavit lædendo jus, quod habebant alii, v.g.ad alimenta, ad ſpem melioris hæreditatis, ad plenam ſolutionem debiti &c. hoc enim jus non pertinebat ad occiſum, ſed immediatè ad hæredes aut creditores, ita etiam Illſ.*d.*3.*n.*88.

§.8. In æſtimanda ſpe lucri, poſſunt deduci expenſæ ne- 311
ceſſariæ ad victum & vitam occiſi, non tamen labores, quibus dictum lucrum ſibi comparare debuiſſet, quia quòd hos labores non poſuerit, factum eſt per injuriam occidentis, & alioquin totum ferè lucrum poſſet detrahi; unde ſicuti qui ab opifice abſtulit inſtrumentum, tenetur ad totum lucrum ceſſans reſarciendum, non deductis laboribus, ita & hic, ita cum communi Steph. *num.*23. quamvis oppoſitum putent probabile Maj.Rebel.Molin.Dian. *p.*3. *t.*6. *R.*53. ſed Bonac.*num.*8. ſic explicat, quòd hoc tantùm poſſit detrahi, quod occiſus vel mutilatus præſumi poteſt libenter daturus fuiſſe pro redemptione laboris. Ad quid teneatur ille, qui aliquem occidit, prævidens alteri imputandum eſſe homicidium, qui etiam ideo damnum eſt paſſus, ſatis colligitur ex dictis *num.*156. Denique circa caſum, quo quis occidit inimicum ſuum putans eſſe feram, aut occidit Titium putans eſſe Sempronium, videri poſſunt dicta *n.*200.*&* 201.

ARTICULUS IV.

Quid debeat reſtitui pro illato ſtupro.

REſp. Qui virginem per injuriam defloravit, tenetur „ 312
„ tantùm rependere damnum, quod ei ex tali injuria „
„ eſt ſecutum, idque vel Matrimonio, vel damni æſtimatione „
„ ad arbitrium prudentis, ut talem nimirum maritum inve- „
„ niat, qualem manens virgo inveniſſet. V.Sanch.*l.*7.*de matr.* „
*d.*14.Fill.*tr.*32.*n.*220. *Unde reſolves:* „

I. Præcisè pro ſola virginitate non obligat reſtitutio: Unde ſi ſtuprum manſit clam, aut non impedivit, quin æquè „ lautè nuberet, ad nihil tenetur ſtuprator, Leſſ.*l.*2.*c.*10. *n.* „ 15. Bonac.*q.*4.*de matrim.p.*7. „

II. Item ad nihil tenetur, ſi defloravit conſentientem, „ abſque vi & fraude, vel promiſſione Matrimonii: quia non „ eſt facta injuria. Ibid.& Trull.*l.*7.*c.*9.*d.*2. „

III. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur „ reſtituere, quia adhuc conſenſit liberè. Niſi fortè preces tales fuerint, ut cum vi & coactione æquiparentur; ut ſi conjunctæ fuerint cum minis, & metu reverentiali, v.g.ſi fuit „ illius dominus, vir ſit magnæ authoritatis, Trull.*n.*4. „

IV. Si per promiſſionem veram, vel fictam Matrimonii „ eam flexit, tunc tenetur ducere eam, quia in omni contractu, ubi alter ex parte ſua acceptavit & implevit, tenetur & „ alter implere, etiamſi fictè contraxerit, quia tenebatur ex „ juſtitia verè contrahere; cùm alioqui omnia humana commercia fraudibus paterent. Et id quidem verum eſt, etiamſi „ ſtuprator Religionem voviſſet. Leſſ. *d.*3. *&* 4. Trull. *d.*3. „ *n.*1. *&* 2. „

V. Non tamen tenetur fictus promiſſor eam ducere, caſu „ quo, 1. Is puellam valdè notabiliter conditione excederet, „ vel verbis uſus eſſet fictionem facilè indicantibus. 2. Si ipſa „ conſcia eſſet prædicti voti; quia tunc ipſa contraxiſſet mala „ fide. 3. Si ipſe putavit eſſe virginem, cùm tamen non eſſet. „ 4. Si ex Matrimonio grave damnum aut ſcandalum timeretur. 5. Si ipſe jam ſacris initiatus eſt, aut alteri Matrimonio copulatus: tunc enim his caſibus ſolum teneretur curare, ut æquè commodè nubat, modo ante dicto; dando ſcilicet dotem, vel aliter, V.Sanch.*l.*1.*de Matrim. d.*10. *n.*1. „ *& ſeqq.*Trull.*n.*3. „

ADDENDA.

QUæſt.64. *Quid præterea ſit notandum circa reſtitu-* 313
tionem pro ſtupro vel defloratione? R.Seqq. §.1. Stuprator dicitur, qui invitam; deflorator, qui conſentientem virginem corrumpit, ideoque plus obligationis habet ſtuprator, nam licèt puella non fuerit virgo, ſi tamen communiter habebatur talis, & ex ſtupro ſecuta ſit infamia vel difficultas major

major ad nuptias, ſtuprator tenetur compenſare damna, uti cum communi Nav. Az. Vaſq. Lug. *d.* 12. *n.* 15. Quòd ſi virgo per ſtuprum corrupta nolit cum ſtupratore Matrimonium, hic tenetur dotem dare, quia debet puellæ manere libertas, qualis antea erat, ut nubat, cui volet, Az. Leſſ. Bon. Turr. Lug. *num.* 12. Gob. *in Exp. t.* 10. *n.* 217. contra Cov. Mol. & alios, qui dicunt cum ſatisfacere, ſi offerat ſe in maritum: ſi autem ipſa nollet dotem ſed peteret maritum, Azor. putat hunc teneri ducere, & Lugo *n.* 14. putat probabile, ſed Leſſ. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 13. id negat, nam relicta ei tali libertate nubendi, cui volet, qualem anteà habebat, ſatis eſt rem reduci ad æqualitatem, quod fit per aſſignatam dotem, nec tenetur dare totam dotem, ſed ſolùm addere, quantum ſufficit, ut æquè bene nubat, ſicuti antea nupſiſſet, uti habet communis cum Lugo *n.* 13. & Gob. *n.* 219. Si tamen non poſſet alio modo reparare injuriam, quàm ducendo, licèt Matrimonium non promiſiſſet, teneretur ducere, uti habet communis; limitant Lugo *n.* 18. & Tamb. *l.* 7. *c.* 5. §. 3. niſi eſſet magnus exceſſus inter ipſum & ipſam, quia nec alia debita ſunt neceſſariò reſtituenda, quando longè plus expendere opus eſt, quàm ſit valor ipſius debiti.

314 §. 2. Si Titius ſtuprum intulerit Cajæ ſibi conſanguineæ, nec poſſit dotare; multi apud Sanch. *de Matr. l.* 5. *d.* 5. *n.* 5. dicunt eſſe liberum, quamvis etiam promiſiſſet Matrimonium, quia hæc promiſſio erat de re illicita, ratione impedimenti: addunt non teneri petere diſpenſationem, quia hoc non fuit adjectum promiſſioni, quam ſententiam Sanch. *n.* 7. dicit eſſe probabilem, quando enim *c.* 1. *de adulteriis* dicitur, ut deflorans ducat defloratam, non eſt hic caſus, ubi impedit conſanguinitas, uti notat Sanch. *ib. l.* 8. *d.* 36. *n.* 12. nam ſicuti qui obſtrictus voto caſtitatis, de quo defiorata ſcivit, non tenetur eam ducere aut petere diſpenſationem, uti habet ſententia probabilis, ita & hic: nihilominus Lugo *in R. mor. l.* 6. *d.* 19. probabilius docet Titium teneri ducere, ſi aliter non poſſit compenſare damnum, quia damnum, quod Caja patitur, provenit ex injuria Titii; quilibet autem tenetur reparare damnum ex injuria ſua proveniens; conſequenter tenetur petere diſpenſationem, quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media neceſſaria, uti fatetur Sanch. *n.* 12.

315 §. 3. Pro deflorata præſumitur in foro externo, quòd fuerit virgo & quòd ſit ſeducta: ſi tamen non fuiſſet virgo, & defloratur ad judicaretur pœnæ, quia corrupiſſet virginem, hæc teneretur reſtituere, quia ſciret ſententiam niti falſa præſumptione, Panorm. Mol. Lugo *n.* 3. Similiter ſi per metum juſtum inducta eſt, v. g. ſi deflorator dixit, quòd vellet accuſare de aliquo, de quo licitè accuſare poterat, non tenetur quicquam reſtituere, quia ipſa conſenſit, ut hoc damnum vitaret, Turr. Lugo *n.* 5. ſi tamen ipſe propalaret defloretionem, teneretur ad damnum ob injuriam famæ læſæ, æquè ac ſi injuſtè defloraſſet, Mol. Lugo *n.* 6.

316 §. 4. Si puella deflorata eſt abſque promiſſione Matrimonii, Leſſ. *in auct. v. Sponſalia caſ.* 3. putat defloratorem poſſe per Judicem cogi, ut ducat, dicitque eſſe communem, & favet *c.* 1. *de adulteriis*, ſed alii cum Gob. *à n.* 202. probabilius dicunt id intelligi debere tantùm de eo, qui decepit, non autem, qui ſimplici petitione induxit; volenti enim nulla fit injuria: ſi tamen dominus vel Superior importunè petiviſſet, talis metus reverentialis videtur violentiæ æquivalere.

317 §. 5. Qui data ſpe Matrimonii induxit, tenetur in foro conſcientiæ ducere etiam ante omnem ſententiam, quia cenſetur tacitè promiſiſſe, neque licitum eſt parentibus impedire tale Matrimonium, alioquin impediunt executionem ejus, ad quod filius obligatur; neque puella tenetur expectare, v. g. ad triennium, donec parentes ſponſi conſentiant, quia tales promiſſiones, uti & vota, cenſentur fieri pro primo tempore commodo: adde talem teneri, etiamſi poſtmodum ſe obligaſſet ad ſervitium, quia hæc obligatio poſterior non poteſt præjudicare priori, ita Leſſ. ſuprà. Quòd ſi puella ad copulam tentata petierit, an me duces, ſi fuero facta gravida? & Titius reſponderit, non deſeram te, ſicque defloraret & impregnarit, Titius tenebitur ducere, ut damnum reparet, in quod puella non conſenſit, niſi ex ſpe Matrimonii facta, Gob. *n.* 80. 222. *& ſeqq.*

318 §. 6. Qui data ſpe Matrimonii ex puella ſuſcepit plures proles, tenetur eam ducere, uti dictum eſt, neque puella poteſt eam obligationem remittere, quia vel juſtitia, vel ſaltem charitas & pietas in proles obligat, ut legitimentur, ne maneant infames & priventur hereditate aliiſque commodis, Lugo *in Reſp. Mor. l.* 1. *d.* 44. *n.* 4.

419 §. 7. Si Cajus & Titius ſeparatim promiſerint Matrimonium Bertæ, ſub conditione, ſi ex ipſis conciperet, & eodem ferè tempore copulam habuerint cum illa, ita ut ipſa nequeat diſcernere, è quo conceperit, nunc autem, ut honorem ſalvet, velit nubere uni, meritò dubitatur, an aliquem, & quem poſſit cogere ad Matrimonium ſecum, nam ſi cogat Cajum, fortè faciet ei injuriam, & prolem ſuppoſititiam è Titio conceptam illi afferet, atque idem eſt, ſi Titium cogat. *Si dicas*, poſſe cogere, quem volet, uterque enim reus eſt, cùm uterque per ſuum peccatum ſit cauſa illius dubii: *Contra eſt*, nam neuter ſcivit de altero, è contra Berta ſcivit de utroque, quem admiſit, ergo potiùs malitia Bertæ eſt cauſa illius dubii, unde videtur potiùs Berta amiſiſſe jus cogendi alterutrum, cùm dicere non poſſit, multò minus probare ſe ex hoc vel illo determinatè concepiſſe: an autem unus illorum teneatur admittere, vel alere prolem, dictum eſt *p.* 1. *n.* 704.

§. 8. Si votum caſtitatis vel Religionis fiat poſt defloratio- 320
nem, & promiſſionem Matrimonii, communis & vera ſententia eſt contra paucos, quòd deflorator teneatur ducere, jam enim antecedenter erat jus ſtrictum puellæ acquiſitum; ergo votum ſuperveniens non obſtat illi obligationi, ſicuti non obſtaret, ſi rem alteri debitam voveres dare pauperibus. Si autem votum præceſſerit, Hurt. Perez & Gob. *n.* 100. negant defloratorem teneri ducere, ſi aliter poſſit compenſare damna & impedire infamiam; idem docent Nav. Laym. Dian. & alii apud Lugo *n.* 40. etiamſi non poſſit aliter compenſare damna, quia materia promiſſionis erat illicita ob votum, ergo promiſſio illa videtur fuiſſe invalida: Vaſq. Sanch. Con. Tann. Caſtrop. Lug. Tamb. Haun. Illſ. *t.* 4. *d.* 3. *n.* 93. melius dicunt defloratorem teneri ducere puellam, ſi hæc fuerit voti ignara, quia obligatio gratuita ex religione debet cedere obligationi oneroſæ ex juſtitia, & aliàs qui voviſſet omnia bona ſua dare pauperibus, ſi poſteà graviſſima damna aliis inferret, ſatisfaceret dando pauperibus, quod nemo dicet: putant quidem aliqui tale votum ab initio habuiſſe hanc conditionem implicitam, niſi gravior obligatio ſupervenerit, ideòque Deum aliter non acceptaſſe, ſed abſtrahendo ab hoc dicendum eſt defloratorem teneri petere diſpenſationem voti, quia quivis tenetur adhibere media ordinaria ad reparandum jus alienum injuſtè læſum, ſicuti ſi Religioſus intulerit damnum, & poſſit illud reſarcire petita à Prælato venia, utique tenetur hanc petere. Quòd ſi puella fuiſſet conſcia voti, deflorator videtur liber, ut probabiliter tenent Leſſ. & Sanch. apud Lug. *num.* 50. & deberet puella ſuæ imprudentiæ imputare, quòd conſenſiſſet aut credidiſſet promittenti; Lugo tamen etiam probabiliter putat adhuc teneri diſpenſationem petere, quia promittendo Matrimonium credi poterat, quod ſe obligaret ad tollenda, ſi poſſet, illius impedimenta, quale erat impedimentum voti.

§. 9. Qui data fide Matrimonii defloravit conſanguineam 321
conſciam impedimenti, in quo non ſolet diſpenſari niſi ex graviſſimis cauſis, ſi hæ abſint, ad nihil tenetur; ſi autem in eo diſpenſari ſoleat ex cauſa, & hæc cauſa abſit, etiam ad nihil tenetur, quia diſpenſatio ſine cauſa peti non poteſt, nec prodeſt, ſi falſa cauſa afferatur, Sanch. *de matr. l.* 5. *d.* 5. *n.* 3 Si autem cauſa illa adſit, & ille ſub conditione diſpenſationis promiſerit, multi tam Juriſtæ quàm Theologi apud Sanch. *n.* 5. adhuc dicunt ad nihil teneri, & hoc probabile agnoſcit Sanch. quia talis conditio in jure cenſetur impoſſibilis, cùm pendeat à ſola voluntate Principis, ſitque prætereà contra jus ordinarium & legem communem. Alii apud eundem Sanch. *n.* 12. dicunt promiſſionem eſſe quidem validam, ſed poſſe ad nutum ab utroque revocari, etiam altero invito, ante & poſt diſpenſationem obtentam, niſi hac obtenta ratificetur conſenſus, non aliter atque ſponſalia impuberum, promiſſio enim illa non debet eſſe ita irrevocabilis, uti eſſet, ſi fieret à perſonis non impeditis; Sanch. tamen alique plurimi cum Lugo *n.* 53. probabilius dicunt promiſſionem valere, ideoque defloratorem teneri obtenta diſpenſatione, imò obligari petere, quia totum, quod promittitur, eſt licitum & poſſibile, quod enim pendet à voluntate Principis non cenſetur impoſſibile, quando concedi ſolet, uti hic fit. Quòd ſi promiſſio fuiſſet abſoluta ſine mentione diſpenſationis, Sanch. *n.* 26. alique dicunt eſſe invalidam, quia quod promittitur, eſt illicitum, ſed Lugo *nu.* 54. meritò contradicit, ſi impedimentum utrique fuerit notum, idemque ſentiunt multi apud Sanch. *n.* 25. quia taciti & expreſſi eadem eſt vis, & conditio, quæ de jure neceſſaria eſt ad valorem actus promiſſi, ſemper intelligitur promiſſioni incluſa, ergo etiam hic promittens cenſetur dixiſſe, ſi fieri poſſit: poteſt autem fieri per diſpenſationem, ſicuti ſi Religioſus alteri promittat dare aliquid, ſemper intelligitur, habita facultate Prælati, ad quam petendam ſe obligat, quia ſine ea nihil dare poteſt.

§. 10. Qui defloravit puellam, non tenetur hujus parentibus 322
ratione infamiæ, nec pro eo, quòd dos ei augeri debeat, uti habent Mol. Leſs. Lug. *n.* 8. Gob. *n.* 215. Illſ. *n.* 90. contra Az. Nav. & alios, quia puella tali juri vel debito reſignare poteſt abſque conſenſu parentum, cenſeturque reſignare, liberè conſentiendo in copulam, ſicuti Ordo religioſus non habet jus, ut Religioſus non peccet, quamvis Ordo inde infametur: habent tamen tam parentes quàm Ordo jus, ut ſi peccatum ſit occultum, non propaletur cum ſua infamia, quia hoc non officit libertati peccantium: poſſuntque etiam puella, & Religioſus prævidentes ex peccato ſuo talem infamiam redundaturam, peccare contra charitatem aut contra pietatem in ſuos, uti omnes fatentur.

§. 11. Si puella corrupta, quando erat in periculo non bene 323
nubendi, accepit aliquid à corruptore, aut contraxit de aliquo

quo pretio accipiendo, quamvis poſteà æquè benè nubat, poteſt retinere, aut exigere id, de quo contractum eſt, quia ſubivit periculum pretio iſto juſtè æſtimatum, Lugo *num.*17. Illſ.*num.*71. Si autem corrupta moriatur, antequam tempus nubendi advenerit, corruptor ad nihil tenetur hæredibus, niſi pactum vel ſententia Judicis præceſſiſſet, Leſs.Vaſq. Turr. Lugo, & Illſ.ſuprà.

324 §.12. Si deflorator fictè jurarit inire Matrimonium; quamvis puella ſciverit eum eſse conditionis ſuperioris, Mol. & alii apud Sanch.*de Matr.lib.*1.*d.*9.*num.*8. dicunt obligari, quia ſic cenſetur renunciaſse juri conditionis ſuæ; ſed negant alii cum Lugo *num.*22. quia juramentum non obligat ultra intentionem jurantis, ſecundùm dicta *p.*1.*num.*321. ergo ſi non habuit intentionem ſe obligandi, non obligatur; tenetur tamen de damnis per injuſtam fictionem datis. Quòd ſi puella neſcivit eſse ſuperioris conditionis, ideoque ſuſpicari non potuerit, quòd fingeret, multi cum Vaſq. probabiliter docent debere duci, negant tamen alii cum Sanch. & Lugo *n.*32. quia debitor, etiam ex delicto, non tenetur cum tanto & tam inæquali damno ſervare promiſsum, ſed ſufficiet dotare, vel facere, ut nubat tali, qualem putabat eſse corruptorem: ſi tamen ſeriò promiſiſſet, tunc ratione promiſſionis deberetur totus ille exceſsus ad quem dandum voluiſset ſe obligare conſcius ſuæ conditionis: ſi autem puella ſemiplenè tantùm advertere potuit fictionem, aliqui dicunt fingentem teneri tantùm ad partem, ſed probabiliùs eſt teneri ad totum, quia ſicuti ſemiplena advertentia non ſufficit ad valorem contractus, ita nec ad valorem renunciationis ſui juris, & ſicuti ſi creditor ſemiplenè advertenter remiſiſset tibi debitum, adhuc tenereris ſolvere, ita & hìc, Lugo *n.*30.

325 §.13. Quando corruptor fictè promiſit alicui, quam falsò putabat eſse virginem, ſi ipſa dixit ſe virginem, fictè promittens ad nihil tenetur, quia fraus fraude compenſatur: ſi autem ipſa non dixit, ſed ille ex errore ſuo putavit eſse virginem, adhuc putat Leſs.ad nihil teneri, quia etiamſi ſeriò promiſiſset, ad nihil teneretur, quando id deprehenderet: hinc Henriq. & Sanch.*de Matr.l.*1.*d.*10. *n.*24. dicunt, ſi fictè promiſerit viduæ non virgini & ita adduxit ad copulam, non teneri ducere, nam non tenebatur ex juſtitia habere verum conſenſum, quia copula iſta non erat digna pretio talis conſenſus, niſi mulier illa fuiſset valdè honeſta & ideo ſubiret periculum poſteà non inveniendi alias nuptias, uti notat Lugo *n.*34.qui *n.*24. cùm aliis dicit, licèt mulier talis non dixerit ſe virginem, attamen corruptorem teneri, non quidem ad tantum, quantum ſi eſset virgo, attamen ad tantum, quantum deteriorata eſt, aut quanti apud improbos valet talis uſus corporis, ſicuti ſi à me acceperis veſtem putans eſse pretioſiorem, ideoque promiſeris 20. ſi poſtea deprehendas non fuiſse tam pretioſam, non teneris quidem ad 20. ſed ad hoc, quanti valebat.

326 §.14. Si deflorata poſteà iterum fornicetur cum alio, qui ſub ficta promiſſione defloravit, ad nihil tenetur, quia ſi ſeriò promiſiſſet, ceſsaret obligatio, jam autem tenetur tantùm ratione fictionis, à cujus debito liberatur per ſequentem puellæ fornicationem; limitant tamen Lugo *n.*26.niſi deflorator procuraſset fornicationem cum alio, ut ſic ab obligatione liberaretur, tum enim per fraudem fuiſset injuſta cauſa illius peccati, ex quo peteret excuſationem.

327 §.15. Si puella ſciverit quidem adeſse impedimentum Matrimonii, ſed deflorator fictè promittens innuerit de diſpenſatione, quæ facilè obtineri poſset, tenetur procurata diſpenſatione ducere, quia puella prudenter credere potuit eſse ſerium, adeoque quod ſe obligare voluerit ad diſpenſationem petendam, ſecundùm dicta *n.*321.

328 §.16. Si Titius ſub promiſſione Matrimonii defloravit Cajam, & Caja poſteà nolit Matrimonium, Titius ad nihil tenetur, niſi finxiſset ſe melioris notabiliter conditionis, quàm erat, tum enim ob fraudem meritò repelleretur, & aliter per dotem teneretur compenſare damnum: ſi autem Caja vellet, ſed Cajæ parentes impedirent, Nav. Silv. Henriq. Vaſq. dicunt deflorator em teneri dotare, ne puella ſine culpa ſua damnum patiatur, ſed Sanch.& Lugo *n.*29.id negant, quia Titius non obligavit ſe ad conjugium vel dotem pro electione Cajæ, ſed determinatè ad conjugium, ergo ſi per ipſum non ſtet, quominus ineatur conjugium, ſatisfecit.

329 §.17. Qui fictè promiſit, & ita induxit ad turpes tantùm tactus patiendos, communiter ad nihil tenetur; fieri tamen poteſt, ut ſi innoteſcat, teneatur ducere, uti rectè Lugo *n.*27. Imò quamvis nec corrupta nec tacta ſit, ſi tamen ex ficta ſpe Matrimonii adducta eſt ad talem familiaritatem, ut ſit ſubitura famæ jacturam & damnum niſi ducatur, erit obligatio ducendi, uti rectè Sanch. & Lugo *num.*48. Nec ſatis erit ducere, ſed conſummari debebit Matrimonium; neque licitum erit in Religionem ingredi, uti tenet Lug. *num.*49. contra Pont. & Dian. *par.*2. *t.*4. *R.* 203. Ratio eſt, quia ſic non reſarciretur damnum per fraudem ex nimia illa familiaritate cauſatum, maneret enim prudens ſuſpicio admiſsæ antehac copulæ.

§.18. Si deflorator neget ſe habuiſse copulam, & deflorata 330
juret ipſum habuiſse, nihil poteſt credi, quia aſserenti incumbit probatio, neque hìc in propria cauſa admittitur juramentum ſuppletorium probationis, quamvis deflorata eſset prænobilis, & hactenus habita pro honeſta, & etiamſi ipſe fateretur interceſſiſse familiaritatem, aut etiam de nocte, dummodò extra lectum, fuiſse verſatum cum illa & impudicè attigiſse, per hoc enim necdum fit ſemi-probatio, præſertim cùm ſic daretur occaſio puellis ſibi alligandi alios ditiores vel nobiliores, ita cum aliis Gob.*t.*10.*an.*186.contra Fabrum, & alios. Quòd ſi alterutri credendum eſset, juramentum maſculo potiùs quàm fœminæ eſset deferendum, tum quia ſexus virilis magis ad veritatem propenſus eſt, tum etiam quia fœmina actrix ob fornicationem incipit eſse infamis, Menoch.& alii cum Gob.*n.*189. Quandonam ſit violenta aut vehemens præſumptio copulæ habitæ, vide dicenda *l.*4.*n.*1439.*&* 1445.

ARTICULUS V.

Quid debeat reſtitui pro adulterio.

RESP. Cùm ex adulterio damnificari poſſint conjux „ 331
alter, & proles legitimæ, circa ſuſtentationem, hæreditatem, &c.patet, quòd uterque adulterans, nata eis „
prole, debeant, cùm id damnum cauſent, catenus reſtituere, quatenus poſſunt ſine detrimento altioris boni, & „
cauſatione majoris mali. *Eſt communis.* V.Laym.*lib.*3.*t.*3. „
*p.*3.*c.*14. *Unde reſolves:* „

I. Quod attinet ad ipſam adulteram, ordinariè non tenetur prodere, quòd proles ejus ſpuria ſit: nam & viro ſuo triſtitiam, & ſui odium, & diſcordias domeſticas crearet, ac famam ſuam prodigeret, quibus damna fortunæ meritò cedunt. Accedit, quòd proles matri non teneatur credere ſe eſſe illegitimam. Fill.*t.*32.*n.*225.

II, Debet tamen, ſi poteſt, aliis induſtriis damnum compenſare, v.g.1. diligentiùs adminiſtrando rem familiarem: 2.de cultu corporis detrahendo; 3. ſi habet bona propria, plus legitimis, quàm ſpurio relinquendo: 4.eum inducendo, ut relicta hæreditate, vel ejus parte, ampleſtatur ſtatum Eccleſiaſticum, vel Religioſum, ſi idoneus ſit, &c. Trull.*l.*7.*c.*9.*d.*4.

III. Quod attinet ad ipſum adulterum ſpurii patrem, etiam ipſe ſæpè excuſatur, vel in toto, vel ex parte; ſive quia damnum ab adultera compenſatum fuit, vel compenſandum creditur: ſive quia reſtitutio non poteſt fieri ſine periculo vitæ, diſpendio famæ, turbatione & diſcordiis familiarum; ſive quia non eſt certus filium eſse ſuum, V.Leſſ.*l.*2. *c.*10.*d.*6.Bonac.*de Matrim.q.*4.*p.*15.Trull.*d.*7.

ADDENDA.

QUÆST.65. *Quid præterea ſit notandum circa reſtitutionem pro adulterio?* R. Seqq. §.1. Si adultera non poſſit ſine infamia ſua reparare damna, Adr.Hoſtien.Palud. obligant, ut ſe infamet, quia id debet delicto ſuo imputare; quod Sot.Maj.& alii apud Azor.*t.*3.*l.*4. *c.*39. dicunt tum ſaltem eſse verum, ſi ingens patrimonium, v.g. regnum, principatus, comitatus, aliàs tranſiret ad ſpurium, defraudato legitimo: Cajet. Med. aliique communiter negant teneri ſe infamare, quia fama eſt bonum ſuperioris ordinis; & hoc clarè innuitur *Cap.Officii, de pœnit. & remiſſ.* Covar.Tol.Mol. Vaſq.aliique cum Lugo *d.*13.*num.*45.meliùs ſic diſtinguunt, ſi infamia ſit tanta, ut judicio prudentum multùm præponderet detrimento ab aliis ferendo, non eſt obligatio, nemo enim tenetur reſtituere cum longè majori ſuo incommodo, neque damnificatus poteſt obligare damnificantem, ut tale detrimentum ſibi inferat, exequendo quaſi pœnam in ſeipſum, quamvis ipſemet, ſi ſciret injuriam factam, poſſet exigere debitum, & permittere illud detrimentum per accidens connexum; ſi autem non ſit tanta infamia, tenetur, nam aliud eſt non eſſe obligationem reſtituendi bonum unius ordinis pro bono alterius ordinis, & aliud, non eſſe obligationem reſtituendi bonum unius ordinis pro bono ejuſdem ordinis, etiam cum aliquo detrimento boni alterius ordinis, uti *n.*304.*Inſt.*3. explicatum eſt: hìc autem obligatio tantùm erit reddendi bona fortunæ pro bonis fortunæ, cum aliquo detrimento famæ, etiam rectè notat Tamb. *l.*7. *c.*3. §.4. ſi adultera eſſet mulier proſtitutæ famæ, item ſi deberet tantùm apud unum vel alterum virum prudentem, aut apud ſolum filium ſpurium prodere crimen ſuum, & ſic poſſet cavere damna, ad hoc teneri: imò v.g.Regina, quamvis occidenda foret, teneretur ſub mortali revelare primogenitum eſſe ſpurium, ſi ſit hæreticus, vel aliter graviſſimè nociturus Reip. ſi ſuccedat, niſi fortè primus legitimus ſit etiam talis; quia bonum commune

præ-

prævalet vitæ hominis privati, Vaſq. aliique communiter cum Lugo *n.* 44.

333 §. 2. Vaſq. contra communem aliorum ſententiam putat adulteram, ſi abſit periculum mortis, ſcandali vel infamiæ gravioris, teneri manifeſtare ſpurio conditionem ſuam: quamvis ſciret illum non crediturum, ſicuti ſi Cajo dediſſes rem Titii, tenereris manifeſtare Cajo, quamvis prævideres Cajum non redditurum, quia licet nunc non credat, poſteà fortaſſe mutabitur & credet: admittit ita Lugo *n.* 31. ſi uterque teneatur credere, tunc enim, licèt non credat, perget ſemper obligari ad reſtitutionem: Illſ. *t.* 4. *d.* 3. *n.* 98. dicit non teneri manifeſtare, niſi moraliter certò ſciat aliquando crediturum, & ſic impedienda damna; ſed credo ſufficere ſpem prudentem, nunquam enim poteſt moraliter certò id præſciri, cum pendeat à libertate hominis jam valdè malè diſpoſiti.

334 §. 3. Covar. Gom. Caſtro, & Canoniſtæ communiter cum Mol. Vaſq. Leſſ. Illſ. ſupra, docent filium, quamvis ſciret matrem aliquando adulteraſſe, non teneri ei credere, quamvis juret ipſum eſſe ſpurium, niſi convincatur, v. g per duos teſtes, qui deponant maritum abfuiſſe toto tempore, quo concipi potuit, quia poſſeſſio eſt pro honeſtate, à qua non debet deturbare incertum teſtimonium matris, præſertim cum ſciatur matres poſſe in hoc errare, aut etiam quandoque impotentes eſſe in amore erga unam, & in odio contra alteram prolem; hinc dicunt Leſſ. & Illſ. ab omnibus Canoniſtis receptum eſſe, quòd non detur obligatio, nequidem pro foro conſcientiæ, habendi fidem uni homini etiam omni exceptione majori, ſi ideo grave damnum eſſet ſubeundum, quia ſic daretur occaſio multis fraudibus, mendaciis, injuſtitiis, perjuriis: & hoc conforme eſt *Cap. Licèt univerſis, c. Veniens, c. A nobis, de teſtibus & atteſtationibus*: putant tamen Hoſtien. Panor. Med. Adr. Palud. Sot. Vaſq. Rebel. ſi mater videatur digniſſima fide, & filius non habeat rationem dubitandi, conſiderata matris probitate, Dei timore, ejus amore in filium hactenus conſtanter probato, hunc in conſcientia teneri credere, tum enim aderunt ſufficientia motiva, & deerit prudens ratio dubitandi: idem dicunt Tolet. & Turr. ſi talis mater id juret in articulo mortis poſt ſumptam Euchariſtiam: Lug. *d.* 11. *n.* 62. dicit non teneri credere in foro interno, niſi talia ſint indicia, ut ſi proponerentur in foro externo, ipſe pronunciaretur eſſe ſpurius, quia forum internum conformari poteſt exterrno, imò ſæpè debet, quando non conſtat, quòd externum nitatur præſumptione falſa. V. Leur. *p.* 1. *q.* 265. & 266.

335 §. 4. Si adultera non ſit certa, quòd proles ſit ſpuria, uti quandoque incerta eſſe poteſt propter vicinitatem copulæ mariti, excuſatur ab obligatione reſtitutionis, quia in dubio præſumitur pro Matrimonio, cui proles tanquam favor adjudicatur, ita cum communi Tamb. ſupra: ſi autem adulter cauſam dubitandi haberet, & tamen ſimul ſint indicia ſufficientia, ob quæ coram Deo credere debeat prolem eſſe ſuam, v. g. quia tempus partus correſpondet tempori adulterii, & maritus tum aberat, quia maritus antea filios ex uxore non genuerat, quia mater dicit ſe ex adulterio concepiſſe & non ex marito, putat Mol. *t.* 4. *d.* 103. *num.* 3. quamvis fortè in foro externo eſſet abſolvendus, tamen perſiſtente dubio adhuc in conſcientia teneri ad partem damnorum pro quantitate dubii, quia non eſt bonæ fidei, cùm mala fide apposuerit cauſam, ex qua damna illa apta ſunt ſequi, ſicuti qui injuſtè ignem immiſiſſet ſylvæ, ſi inde accenderetur domus vicina, quamvis dubium eſſet, an igne illo accenſa eſſet, teneretur ad partem damni: communis tamen ſententia Authorum cum Lugo *d.* 13. *num.* 17. Haun. *t.* 2. *n.* 700. Illſ. *n.* 96. dicit etiam in tali caſu prolem præſumendam eſſe legitimam, & Jura ipſa ſic ſtatuunt, probatque ratio, nam cùm proles ratione Matrimonii inveniatur in poſſeſſione honeſtatis, non debet de ea dejici propter ſolum dubium: conſequenter non obligabitur adulter compenſare aliquid, eſt enim eadem ratio pro prole, & pro adultero, qui quamvis non habeat bonam fidem reſpectu adulterii, tamen habet reſpectu ſuorum bonorum, quibus non tenetur ſe privare dubitans de debito: nec exemplum de igne valet, ibi enim non datur præſumptio contraria, quæ elidat probabilitatem de incendio per ignem illum cauſato, hic autem datur, quia præſumitur pro legitimitate, quam dat Matrimonium, pro quo eſt poſſeſſio.

336 §. 5. Adultera tenetur ſolvere alimenta prolis ſpuriæ uſque ad annum tertium incluſivè, & adulter ſolus impoſterum, Leſſ. *l.* 2. *c.* 10. *n.* 42. Lugo *n.* 9. unde ſi ſpurius maneat inter legitimos filios, his & marito compenſari debent hæ expenſæ, ad quas injuſtè & per fraudem inducti ſunt. Quòd ſi adulter ſuaſit adulteræ, vel procuravit, ut prolem marito ſupponeret, tenetur æquè primò cum matre damna compenſare, Leſſ. Lugo, Tamb. Illſ. quia quando conſilium eſt in commodum conſultoris, & executoris, uterque tenetur æquè primò, uti dictum eſt *num.* 56. ſi autem non ſuaſit nec procuravit, Sot. & Henriq. dicunt ſolam matrem teneri, quod probabile eſſe dicunt plures cum Dian. *p.* 2. *t.* 3. *R.* 55. quia adulter tantùm permittit ſuppoſitionem; ſicuti ſi adultera ſibi procuraret abortum, ipſe permittendo non diceretur cauſa illius: & ideo Vaſq. putat hanc ſententiam tum ſuſtineri poſſe, ſi mater ex ſe abſque neceſſitate voluit ſpurium retineri domi inter filios; ſed alii omnes, teſte Lugo *n.* 11. communiter ſententiam illam rejiciunt, ideoque oppoſitum docet ipſe, cum Dicaſt. Haun. Illſ. & aliis, tum quia adulterio ſuo imponit quandam neceſſitatem matri, ut ad infamiam vitandam ſupponat ſpurium; tum etiam quia mater tantùm permittendo ſpurium eſſe domi inter legitimos cenſetur cauſa damni, ergo etiam cauſa erit adulter, ſi tantùm permittat, quia teneretur impedire, & ipſemet alere; denique quia ſi quis poneret filium alienum in domo Caji loco filii Caji, prævidens Cajum ex errore putaturum eſſe ſuum, utique eſſet injuſtus, & teneretur compenſare damna, per fraudem illam cauſata, ergo & adulter ponens in utero, & conſequenter in domo.

§. 6. Si certum ſit prolem eſſe ex adultero, ſed incertum è 337
quo inter plures, ſinguli ſecundum proportionem dubii tenentur ad partialem reſtitutionem alimentorum; & partis hæreditariæ legitimis ſubtractæ, cujus tamen portionis dimidium reſtituere debet adultera, ita ut adulteri alterum dimidium loco patris certi reſtituant. Ratio eſt, quia licet is, qui dubitat, an damnum injuſtum cauſarit, ad nihil teneatur, uti dicemus *num.* 574. tamen hic ſinguli communi opera ſunt cauſa ipſius incertitudinis, quæ injuſtè impedit, nec ab uno determinato exigi poſſit debita reſtitutio, & in hoc damnum ſinguli conſenſerunt volendo copulam per ſe cauſativam ejuſmodi damnorum, uti argumentatur Illſ. *n.* 97. addens adulteros ſimiliter teneri ad alimentationem ſpurii, de quo videri poſſunt dicta *p.* 1. *à num.* 704.

§. 7. Secundùm Mol. adultera tenetur etiam ad talia damna 338
ex illo errore orta, v. g. ad compenſandas donationes & munera, ſi ſpurio fiant à conſanguineis, quia credunt eſſe legitimum; Lugo tamen *à num.* 39. limitat ad ea damna, quæ per ſe connexionem habent cum partu adulterino, uti ſunt, 1. Damna legitimorum circa hæreditatem paternam & maternam. 2. Alimentorum & expenſarum in illegitimum. 3. Hæreditatum & legatorum devolutorum ad ſpurium ab aſcendentibus. 4. Hæreditatis conferendæ à conſanguineo, qui dedit primogenito, quem putabat legitimum. 5. Fideicommiſſorum aliorumque jurium ſanguini paterno annexorum; ad hæc enim & ſuperiora determinatè jus habent legitimi. 6. Si ſpurius ab inteſtato ſuccederet fratri alterive conſanguineo, non ſucceſsurus, ſi ſciretur eſſe ſpurius.

§. 8. Si prudenter præſumatur maritum, & filios legitimos 339
malle delictum matris ſuæ occultum eſſe, & damna iſta pati, quàm maculam aperiri, vel cauſari aliud grave incommodum, v. g. meſtitiam, inquietudinem, lites, putat Haun. matrem, ſi aliter non poſſit compenſare damna, non teneri procurare reſtitutionem manifeſtando: ſed de hoc poſteà, quando de cauſis excuſantibus à reſtitutione.

§. 9. Adulter non tenetur marito dare pecuniam pro com- 340
penſatione injuriæ vel infamiæ, ſi facinus fortè eruperit, quia pecunia eſt bonum alterius ordinis: ſi tamen hanc occultè dederit, maritus poteſt retinere, uti habent Leſſ. Tamb. Illſ. *n.* 95. prohibetur autem publicè fieri, *L. Tranſigere*, 18. *Cod. De tranſactionibus*, ne maritus cum ſcandalo puterur corpus ſuæ conjugis ad quæſtum proſtituiſſe: tenetur tamen tam adulter quàm adultera petere veniam, & honorare maritum, ut ſic pro inhonoratione illa ſatisfaciant.

§. 10. Hic ex occaſione notari poſſunt pœnæ adulterii: 341
Levit. 20. *verſ.* 10. *Deuteron.* 22. *verſ.* 22. punitur morte, & quidem lapidatione, uti habetur *Joan.* 8. Jure civili, viris à Juſtiniano ſtatuta eſt pœna capitis, à Carolo V. etiam fœminis. Jure canonico auferrur adultero jus exigendi debitum conjugale, & conceditur ſeparatio thori ad inſtantiam innocentis. Jure Bavarico inter perſonas vulgares prima vice punitur per menſem incarceratione in pane, & aqua vel æquivalente levi victu; ſi pinguioris fortunæ ſint, pendunt præterea 13. florenos & 26. crucigeros; qui verò tenujoris, media parte, quæ applicatur piis cauſis & manifeſtatori: qui autem non eſt ſolvendo, poſt finitum carcerem per tres dies Dominicos continuos ſtat cum candela ante templi fores, Haun. *n.* 705. Hodie pœna adulterii, inquit Pirhing *l.* 5. *t.* 16. *n.* 18. eſt relegatio ſive exilium aut alia pœna arbitraria, etiam pecuniaria: in noſtris partibus (Dilingæ in Germania) ſtare debent tribus diebus Dominicis, vel feſtis, quando eſt concurſus populi, ante fores Eccleſiæ cum accenſa candela: alibi cum ſodice ſub cathedra concionatoria; alibi per urbem publicè deducuntur à miniſtris juſtitiæ cum vaſe ligneo humeris injecto inſtar thoracis, capite per foramen ſuperiùs eminente, vocant, *Spaniſcher mantel*, vel *hæltzen Vvammes*.

AR-

ARTICULUS VI.

Quid debeat reſtitui pro fama, & bonis ſpiritualibus, ut inductione ad peccatum, avocatione à Religione.

342 „ REſp.I. Juxta dicta, ſi reſtitui non poſſunt bona ablata ex bonis ejuſdem ordinis, non eſt obligatio „ faciendi ex bonis diverſi ordinis. *Unde reſolves:*
„ I. Pro fama, reſtituenda eſt fama: cùm id non potes, non „ teneris ad pecuniam, & bona fortunæ, niſi per ſententiam „ à Judice cogaris ſic ſatisfacere. Eadem eſt ratio de reliquis. „ Quòd ſi tamen lædendo famam, in bonis etiam fortunæ alteri damnum allatum eſſet, conſtat ex ſupra dictis, quid faciendum ſit. Porrò de læſione famæ, &c. *vid. infrà.*
„ II. Si quis alterum induxit ad peccatum ſuaſione vel exemplo ſuo, tenetur quidem ex charitate, quoad poteſt, eum „ revocare ad meliorem ſtatum; ſed non ex juſtitia. Leſſ. *l.2. c.8.n.*10. Laym. *l.3.tr.2.c.8.n.*1.
„ III. Si quis alterum induxit fraude, dolo, injuſto metu, &c. „ tenetur ad id ex juſtitia: quia quiſque habet jus, ne injuſtè „ lædatur, in bonis ſpiritualibus: Unde ſi lædatur, debet id „ ſpirituale reſtitui, ſi poteſt. *Ibid.*
„ IV. Si quis aliquem (etiam Novitium) abduxit ab ingreſſu Religionis, tamen ſine vi & fraude, etſi graviter peccarit id irrationabiliter faciendo, ac proinde teneatur ei rurſus „ ſuadere ingreſſum ex charitate; non tamen ex juſtitia, vel „ illi, vel Religioni tenetur, quæ nullum adhuc in eum jus „ acquiſivit. V. Laym. *n.*2.
„ V. Si quis Religioſum ad apoſtaſiam induxerit ſuaſione, „ aliave cooperatione, obligatur ex juſtitia Religioni ad reſtitutionem, non quidem ut ipſe (quod aliqui volunt) loco „ alterius ingrediatur; ſed ut ſuadeat alteri, quoad poteſt, reditum, & compenſet Monaſterio commoda, quæ ex hæreditate, bonis vel induſtria alterius expectabantur.
„ VI. Si quis veneno, phyſtro aliove modo alicui deſtruxit „ memoriam, rationem, &c. tenetur eodem modo, quo mutilator aut vulnerans, de quo ſuprà, ad reſtitutionem lucri „ ceſſantis, & damni inde ſecuti in bonis fortunæ.

ADDENDA.

343 *QVæſt.66. Quanta ſit injuria, & quæ obligatio illius, qui alium inducit ad peccatum?* R.§.1. Si quis vi vel fraude inducat alterum ad mortale, eſt injuria gravis, quia cauſantur graviſſima damna, nempè privatio gratiæ, vel novum debitum & augumentum pœnæ æternæ, ac etiam major difficultas reſurgendi, quò enim magis augentur mortalia, eò plures, per ſe loquendo, ſubtrahuntur gratiæ actuales, magiſque creſcunt habitus mali, obturatio vel cæcitas mentis: è contra ſi quis etiam vi vel fraude inducat ad veniale, ordinariè eſt injuria tantùm levis, uti dictum eſt *l.2. à n.*232. An autem ſit injuria, ſi quis ſolo exemplo inducat alterum ad peccatum, videri poſſunt dicta *p.*1.*n.*1009.

344 §.2. Qui alterum vi vel fraude induxit ad peccatum, tenetur ex juſtitia, quantùm poteſt, removere damna inde nata alteri, ut ſatis conſtat ex dictis, habentque AA. cum Buſemb. ſuprà: deinde etiam ex juſtitia tenetur removere cauſas ulterioris lapſus: probabile tamen eſt non teneri ex juſtitia ulterius efficere, ut alter convertatur, quia ſicuti qui ligavit Cajum, & ſic impedivit, quominùs iret ad templum, ſatisfacit, ſi ſolvat, nec tenetur orare aut efficere, ut eat ad templum, ita & hic: cùm enim ceſſet vis, & fraus, & alter ſciat ſe deceptum, poteſt, ſi velit, ipſemet ſe à peccato expedire, ſicque cenſetur alteri remittere obligationem ad ſe convertendum, & ſi ſe ipſemet non convertat, ipſi imputabitur, ita Sanch. *in Conſ. l.*1.*c.*3.*d.*1. *n.*5. contra alios multos, qui etiam valdè probabiliter dicunt teneri inducere ad bonum, ut damnum pravæ diſpoſitionis injuſtè cauſatum reparet. Addit Steph. *t.*4.*d.*5.*n.*33. ſi alter adverterit fraudem, deceptorem non teneri ex juſtitia ulteriùs aliquid facere, quia ſi tum pergat peccare, non imputabitur decipientis fraudi vel decepti errori, ſed malitiæ: talis tamen deceptor ſecundùm Nav. & alios ex charitate tenebitur inducere ad pœnitentiam, ſed ſub veniali tantùm.

345 *Q.67. Quid addendum ſit circa illum, qui alterum abſtraxit à religioſo ſtatu?* R. Seqq. §.1. Qui ſolo conſilio abſque vi vel fraude aliquem à Novitiatu detinet vel abducit, proponendo honores, divitias, delectationes honeſtas in ſæculo, & oppoſitam in Religione vilitatem, pauperiem, moleſtias, &c. ſecundùm Fill. Caſtrop. & Burgh. *cent.3.caſ.*80. non peccat mortaliter, nequidem contra charitatem, nec ſub mortali tenetur, quantùm poteſt, reducere: idemque, per ſe loquendo, dici vult Suar. *to.3.de Relig.l.*5.*c.*9.*n.*9. quamvis per preces & promiſſiones fieret, ibi enim abeſt injuria, cùm abſit vis & fraus; nec eſt inductio ad malum, uti patet, cùm vivere in ſæculo non ſit illicitum, & Religio ſit tantùm conſilii; nec eſt averſio à ſummo bono, ſed tantùm abſtractio à bono ad ſalutem non neceſſario, uti etiam eſſet, ſi aliquem abſtraheres à Beneficio vel etiam à ſtatu Eccleſiaſtico: & licèt alter ſic abſtractus, fortè poſteà patiatur grave damnum, id per accidens eſt, & patitur voluntariè, quia liberè conſenſit. Alii cum Mol. *t.*4.*d.*5. *n.*2. probabiliter docent eum, qui abſque rationabili cauſa alterum abducit à Religione, peccare mortaliter, quia retrahere à tanto bono videtur eſſe grave malum, ideoque qui retraxit, ſecundùm ipſos, tenebitur ex charitate iterum ſuadere contrarium; & hanc ſententiam ſequitur Buſemb. ſuprà, unde Suar. & Leſſ. de ſtatu vitæ deligendo *q.*8. fatentur peccaturum mortaliter, ſi importunè, & ſine juſta cauſa ageret, ut Religionem non adiret vel deſereret, præſertim ſi faceret contra vocationem Dei moraliter certam: homo enim ſic exponitur magis periculis ſalutis amittendæ, eſtque gravius ſic alterum inducere ad poſitivè reſiſtendum conſiliis & inſpirationibus Divinis, quàm illas in ſe agnitas reipſa non ſequi.

§.2. Cauſæ rationabiles diſſuadendi ingreſſum in Religio- 346
nem, ſecundùm Mol. ſupra ſunt ſequentes, 1. Si ſtatus ille ſit ingredienti futurus noxius: 2. Si in illa Religione vel Monaſterio diſſolutè vivatur: 3. Si complexio volentis ingredi ſit tali inſtituto inepta. 4. Si mores ejus ſint ita pervicaces, ut ipſi vel Religioni meritò timeantur majora mala: 5. Si laboret aliquo impedimento, v.g. ære alieno, promiſſione Matrimonii, infirmitate corporis &c. 6. Si Parentes graviter egeant ejus auxilio: 7. Licitum etiam eſt parentibus, ſi prudenter dubitent de viribus, vel conſtantia, ad tempus differre ingreſſum, & probare proles ſuas; peccant autem graviſſimè, ſi exponant periculis peccandi, alliciant, aut faciant allici ad voluptates aliave illicita, ut ſic à propoſito avocent. In dubio autem, an cauſa diſſuadendi aut impediendi ſit juſta necne, ſtandum eſt pro Religione, quæ ſecurior eſt, & perfectior, Mol. ſupra.

§.3. Qui per vim, fraudem vel metum gravem aliquem 347
à Religione impedit vel abſtrahit, peccat graviter contra juſtitiam, eſt communis cum Leſſ. & Burgh. *ſupr.* Dicaſt. *t.*2. *d.*7.*dub.*7. Steph. *t.*4.*d.*5. *num.*33. & 35. Probatur, quia per Trid. *ſeſſ.*24. *cap.*18. *de Regular.* excommunicatur, qui puellam à Religione impedit, eſt autem æquè grave impedire juvenem. Quòd autem ſit contra juſtitiam, etiam probatur, quia quiſque habet jus, ne tali modo impediatur à conſecutione boni tanti, ſecundùm dicta *num.*69. Putant quidem Nav. & alii, ſi ille, qui ita abſtraxit aliquem, poſſet alium in ejus locum adducere ad eandem Religionem, ad hoc teneri, quia ſic videtur compenſari damnum, ſed Sanch. *in Conſ. lib.*1.*c.*3.*d.*2. Lug. *d.*9.*n.*30. aliique probabiliùs id negant, quia hæc non ſunt media ordinata ad reſtitutionem; imò qui occidiſſet Religioſum, nunquam condemnaretur ad alium inducendum ad tale Monaſterium, ergo ſignum eſt non deberi ejuſmodi reſtitutionem: tenetur tamen reparare damna, quæ alter ſic abſtractus ideo patitur, ideoque, inter cætera, etiam tenetur procurare, ut iterum admittatur, ſi fieri poſſit, uti cum aliis docent Sanch. *num.*7. & Lugo *num.*28. Quòd ſi poſt profeſſionem vel vota emiſſa abduceret, teneretur etiam Monaſterio compenſare omnia damna temporalia & lucra ceſſantia, ſecundùm ſpem, & judicium prudentum, ut omnes notant cum Lugo *num.*40. neque poteſt abductus hanc obligationem remittere abducenti, quia jus Monaſterii ipſius immediatè læſum eſt, abductus enim per votum paupertatis omnia jura ſua tranſtulerat in Monaſterium, Sanch. *n.*17. Lugo *n.*52. Et idem cum multis aliis dicunt Leſſ. & Lugo *num.*39. eſſe probabile de eo, qui vi vel fraude retraheret à Novitiatu, vel extraheret aliquem, quia Monaſterium habebat jus, ne ſic impediretur à conſecutione boni, ergo erit obligatio huic compenſandi ea, quæ obvenirent & erant per ſe connexa cum ingreſſu vel ſecutura profeſſione illius; multò magis ea, quæ jam in animo ſuo deſtinarat dare vel promiſerat conferre: Sanch. tamen *n.*22. putat etiam probabile, quod damna illa non teneatur reſarcire, quia Monaſterium non habebat jus ad ea, niſi mediante profeſſione abducti, hic autem necdum profeſſus erat, & eſt valdè contingens nolle profiteri, ideoque etiam valdè remotum erat hoc damnum, & nimis præter intentionem abducentis.

§.4. Qui ita aliquem abduxit per vim vel fraudem, ſecun- 348
dùm Suar. *de Relig.t.*3.*l.*5.*c.*9. *num.*10. Vaſq. Leſſ. non tenetur ſaltem ea damna compenſare, quæ ſequuntur poſt ſublatam vim & fraudem, quia tota injuria conſiſtebat in vi vel fraude, ergo his ſublatis damnum imputari debet, non abducenti ſed abducto: quod verum eſt, inquit Lugo *n.*49. ſi reverà tollatur non tantùm vis & fraus, ſed etiam eorum efficacia ſive cauſalitas, quod in praxi vix erit, nam vis vel fraus præterita cauſavit talem ſtatum in abducto, in quo tepidior fit, capitur voluptatibus, aut timet pœnitentiam, ſi redeat, aut ſaltem habet

bet majorem difficultatem ſe dandi vel reddendi Religioni, ergo vis vel fraus manet cauſa damni etiam ſequentis: unde ſicuti revocans conſilium, quo ollenderat motivum utile, ut fieret damnum, quamdiu movet hæc utilitas, manet obligatio reſtituendi, ſecundùm dicta *n.*28.ita & hic.

349 §.5. Qui profeſſum vel votis adſtrictum ſine vi aut fraude abducit, ſecundùm Mol. Vaſq.Turr. & alios adhuc tenetur Monaſterio compenſare damna temporalia inde ſecuta, quia Religio jam poſſidebat Religioſum, ergo ſi eo ſpolietur, fit injuria: probabiliùs tamen id negant Leſſ. Sanch. Tann. Lugo *n.*41. Illſ.*t.*4.*d.*3.*n.*59.quia Religio tantùm habebat jus Juriſdictionis non autem proprietatis in ipſum: deinde quia cauſa principalis, qualis hic eſt ipſe profeſſus, non peccat contra juſtitiam,ergo nec conſulens, qui tantùm eſt cauſa ſecundaria. *Si dicas*, cum Mol.profeſſum etiam non peccare contra juſtitiam,licèt ego vi vel fraude induxero ut Religionem deſerat, & tamen ego pecco contra juſtitiam; *Contra eſt*, nam tum pecco contra juſtitiam, quia ego tanquam cauſa principalis violo aliud jus, quod habet profeſſus, ne ita abducatur; & Monaſterium, ne per vim vel fraudem impediatur à conſecutione ſui emolumenti, tale autem jus non violat, nec profeſſus abiens, nec ego ſine vi vel fraude conſulens.

350 §.6. Obligatio reſtituendi pro abductione à Religione frequenter ceſſat vel ex toto vel ſaltem ex parte, quando defectus illius Religioſi abducti facilè ſuppletur per alium æquè aptum & utilem, tum enim reipſa non ſequitur damnum, ita Vaſq. Leſſ.Lugo *n.*52.

351 *Q.*68. *Quid dicendum de illo, qui alterum falſa docuit?* R. §.1. Non cenſetur gravis injuria alterum etiam per fraudem inducere in errorem intellectualem merè ſpeculativum, quia tale nocumentum communiter non æſtimatur. Excipiunt Sanch. *in Conſ.l.*1.*c.*3.*d.*4.*à n.*10. Lugo *d.*9.*n.*4. Petſch.*p.*241.niſi eſſet circa materiam notabilem aut principium univerſale cauſativum multorum errorum, tum enim cenſeretur quid grave in bonis intellectus: addunt graviter peccaturum Profeſſorem, qui ſcienter & paſſim doceret falſa: quid autem cenſendum ſit, ſi doceat minus probabilia, dicetur *n.*4.*n.*1545.

352 §.2. Si error ſit practicus,id eſt,inducens aliquod aliud malum præter errorem ipſum, erit injuria gravis vel levis, prout inducet alterum ad malum grave vel leve, uti rectè Lugo *n.*2. & tum ſequetur obligatio gravis aut levis mala illa avertendi aut compenſandi damna, uti patet ex hactenus dictis.

353 §.3. Si Confeſſarius,Medicus,Advocatus, Profeſſor inculpatè conſuluit malum vel docuit falſum, ex quo damnum ſequitur, ſecundùm Arrag. & Salon. comperta veritate, etiam poſtquàm dimiſerit tale officium, tenebitur ex juſtitia corrigere errorem, & ſi negligat, compenſare damna, quia tacendo eſſet cauſa efficax damni: Nav.Caj.Sanch.*d.*5. *n.*2. dicunt teneri tantùm ex charitate, nam non obligat eum juſtitia ratione rei acceptæ, uti patet; nec ratione injuſtæ acceptionis ſeu actionis, quia actio poſitiva, qua malum conſuluit vel falſum docuit, non fuit formaliter injuſta, actio autem negativa, qua poſteà docet, etiam non videtur eſſe contra juſtitiam, ſecundùm dicta *n.*41. quia jam ex officio vel contractu non tenetur loqui, cùm officium & contractus ceſſarint, unde ſicuti ſi à fure dono accepiſſem vas aureum & donaſſem alteri, poſtea reſciens fuiſſe furtivum, non tenerer ex juſtitia id domino dicere, ita nec hic: Lugo *d.*8.*n.*95. videtur tenere potiùs pro prima ſententia, quia quiſque, ſi commodè poſſit, tenetur ex juſtitia procurare, ne ex ſua operatione lædantur poſitivè jura aliorum, ſicuti ſi invincibiliter dediſſem teſtimonium falſum cum damno aut infamia alterius, ex juſtitia tenerer revocare, ſi poſſem abſque gravi incommodo; Item ſi è manu mea caſu ceciderit ignis in fenum alienum, ex juſtitia teneor extinguere, uti pluribus deducit idem Lugo *d.*39. *à n.*24. Et hæc ſententia videtur probabilior.

354 §.4. Si quis ſine vi vel fraude, attamen ex negligentia vel ignorantia graviter culpabili docuerit falſum, unde ſecutum ſit damnum alteri, ſi ille malè inſtructus abductus eſt à dando, quod ex juſtitia dare debebat, v.g.perſuaſus eſt, ne reſtitueret, ad quod tamen ex juſtitia tenebatur, quia ſic malè inſtruxit, tenetur ex juſtitia compenſare damnum illud creditori defraudato ut habet communis & ſatis certa ſententia; ſi autem ille malè inſtructus non debebat ex juſtitia, ſed tantùm ex charitate, v.g.in eleemoſynam erat daturus, Silveſt.dicit adhuc teneri reſtituere, quia damnum ſequitur ex culpa malè docentis, qui ex juſtitia vel contractu tenebatur benè docere. Sanch. *dub.*6.*n.*3. negat teneri reſtituere, quia reſpectu pauperis non fecit injuriam, quamvis fecerit reſpectu malè inſtructi, quem obligabatur benè docere: Lugo *n.*96.tenet cum Silv.ex hac ratione,quia qui agit ex negligentia graviter culpabili, plenè advertit periculum committendi fraudem, & cauſandi damnum, nec tamen ſufficienter cavet, ergo committit fraudem & culpabiliter cauſat damnum, quia peccatum commiſſum ex culpabili negligentia eſt ejuſdem ſpeciei cum peccato ſcienter commiſſo: nihilominus reſponderi poteſt pro Sanch. id tantùm verum eſſe reſpectu malè inſtructi, non autem reſpectu alterius, cui, malè docendo, non facit injuriam.

De reſtitutione pro injuria facta per ſuſpicionem aut judicium temerarium, per detractionem, aut contumeliam, dicetur poſteà *à n.*1238.

DUBIUM VII.

De circumſtantiis reſtitutionis.

CIrcumſtantiæ reſtitutionis continentur his verſibus, 355

Quis, cui reſtituet, quid, quantum, quomodo, quando, Ordine, quove loco, quæ cauſa excuſet iniquum.

De circumſtantiis, quis, cui, quid, quantum, jam dictum eſt: reſtat agendum de reliquis.

ARTICULUS I.

Quo tempore, loco & modo debeat fieri reſtitutio.

REſp. Debet quamprimùm, & eo modo ac loco reſtitui, quo jus & intereſſe damnificati requirit, & commodè ac moraliter fieri poteſt; ſine gravi incommodo, quod quis pateretur in re ſua propria, ultra debitum. V.Laym.*l.*3.*t.*2. *c.*10.Fill.*tr.*32.*c.*4.*q.*11. *Unde reſolves:*

I. Qui non poteſt commodè reſtituere apertè, faciat clam; & qui non poteſt per ſe, faciat per aliam perſonam interpoſitam, v.g.Confeſſarium.

II. Poſſeſſor malæ fidei, v.g.fur, debet ſuis ſumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter habiturus fuiſſet, ſi non fuiſſet ablata, deſtructa, vel iniquè detenta; deductis tamen expenſis, quas alter eam ſervando, vel deferendo debuiſſet facere. Excipe, niſi transferendo deberet plus impendere, quàm res valet; tunc enim plerumque ex præſumpta mente Domini poſſet reſtituere pauperibus, vel in uſus pios. Bon. *tom.*2.*d.*1.*q.un.p.*5.

III. Bonæ fidei poſſeſſor ſatisfacit, ſi reſtituat in loco, ubi rem poſſidet.

IV. Debita ex contractu, eo loco & tempore ſolvi debent de quo inter partem conventum fuit expreſsè, vel tacitè. V. Leſs.*l.*2.*c.*15.*n.*53.& Bon.*l.c.*

V. Si quis poſſit quamprimùm reſtituere totum, ad id tenetur: Si tamen alter dilatione non pateretur ulterius damnum, aut non notabile, non facilè arguendus eſset gravis peccati, qui cum propoſito ſatisfaciendi differret, aut paulatim per partes ſolveret. V.Bon.*de contr.d.*1.*q.*6.*p.un.*

VI. Qui ſcit teneri ad reſtitutionem, & cùm poſſit in vita, non vult reſtituere, niſi in articulo mortis, vel poſt mortem per hæredes, abſolvi non debet, nec poteſt: quia ſemper eſt in actuali peccato, & impœnitens. Sal.Sayr.Bon. Trull.*l.*7.*c.*14.*d.*10.*n.*12.

ADDENDA.

*Quæſt.*69. *Quid præterea notandum ſit circa tempus, quo fieri debet reſtitutio?* R. ſeqq.§.1. Per ſe loquendo, non eſſe mortale differre reſtitutionem ad breve tempus dictum eſt *p.*1. *n.*1002. Quandonam ſit obligatio reſtituendi, ſi ex dilatione ſecuta ſint damna, habet Buſemb. hic, & aliqua addita ſunt ſupra *n.*252. 356

§.2. Si debitor, cùm poſſit, abſque juſta cauſa nolit totum reſtituere ſed per partes, S.Anton.Nav. Ang.& alii apud Caſtrop.*de Juſt.d.*1.*p.*18.*n.*1. dicunt Confeſsarium poſse id permittere & abſolvere; Mol.Sot.Bonac. Caſtrop. *num.*2. Dian. *p.*2.*t.*6.*R.*5.Lugo *d.*20.*n.*214.Illſ.*t.*4.*d.*3. *num.*235. rectè dicunt Confeſsarium poſse quidem id permittere, quia eſt præſumpta voluntas domini, ut, ſi debitor nolit aliter, ſaltem ſic reſtituat: ſed addunt non debere abſolvi, quia vult continuare injuriam quoad partem, ad cujus ſolutionem differendam dominus manet invitus; & ita innuitur *L.Tutor*, *ſ.Lucius*, *ff. de uſuris*, *& l.*3.*ff. Familiæ erciſcundæ*, quia certum eſt, inquit Lugo *num.*211. debita, præſertim ex delicto, eſse ſtatim ſolvenda, etiamſi per partes ſint contracta; accipiendo Tò *ſtatim*, non mathematicè ſed moraliter, pro mora tam brevi, ut dominus credatur non fore rationabiliter invitus, eſt autem rationabiliter invitus, ſi diu differatur etiam partis ſolutio, quia poſſet intervenire caſus, impotentia, immutatio voluntatis, vel aliud periculum non recipiendi rem ſuam: atque ideo notant DD. communiter cum Mol. Lugo, Tamb. Illſ. *num.* 231. quia hæredes, præſertim Magnatum, negligentes eſse ſolent in reſtitutione vel indaganda obligatione reſtituen- 357

ſtituendi, ſi homines in periculo mortis conſtituti poſſint ſine incommodo gravi reſtituere, non eſſe abſolvendos, ſi obligationem illam velint rejicere in hæredes, ſic enim exponunt creditores periculo proximo injuſtorum damnorum: ſi tamen eſſet periculum ſcandali vel infamiæ, aut alia gravis cauſa, differri poſſet reſtitutio poſt mortem facienda per alium, Nav. Bonac. Lugo *num.*212.

358 §.3. Nav.& Sot. dicunt eum, qui reſtituere non poteſt, teneri elicere propoſitum reſtituendi, quando poterit; ſed hoc negant Azor. Rebell. aliique communius, quia ſufficit non habere voluntatem injuſtè retinendi; nec præceptum juſtitiæ obligat ad tale propoſitum, ſed tantùm ad reſtitutionem, per quam ſolam poſitam habetur æqualitas: notat tamen rectè Lugo *n.*215. ut quis abſolvi poſſit, debere habere tale propoſitum, ſaltem in confuſo, quia debet habere propoſitum ſervandi omnia præcepta, inter quæ etiam eſt præceptum reſtituendi, quando poterit.

359 §.4. Si tempus ſeu terminus ad ſolvendum ſit præfixus in favorem debitoris, ut nempè non cogeretur citius, poteſt debitor cedere juri ſuo, & anticipare reſtitutionem, quam creditor tenebitur acceptare: ſi autem fuit præfixus in favorem creditoris, debitor non poteſt anticipare reſtitutionem, quia ageret contra jus creditori datum, Bonac. *de reſt. d.*1. *q.*6. Lug. *num.*217. aliique: In utroque autem caſu, quando debitor ſemper fuit paratus reſtituere, aut rem reſtituendam depoſuit in præſentia teſtium apud Judicem vel alium tutum hominem, non tenetur compenſare damna, ſi quæ ex dilatione ſequantur, *l. Si ſoluturus* 39. *ff. de ſolutionibus*, *& l. Acceptam*, *Cod. de uſuris*.

360 §.5. Dilatio reſtitutionis incipit eſſe leviter vel graviter peccaminoſa, prout minus vel magis extenditur ultra tempus debitum, debentque omnia damna per injuſtam dilationem cauſata compenſari, non aliter ac ſi res debita fuiſſet ex delicto: juſtæ autem cauſæ differendi, & excuſantes à compenſatione damnorum ſecutorum ſunt, 1. Si creditor ipſe ſit in mora, quia ſolutionem acceptare noluit aut procul diſceſſit non conſtituto procuratore, qui ſolutionem admitteret: 2. Si poſſit opponi juſta exceptio, v.g. quia creditor ipſi viciſſim debet, & non ſolvit, *L. Sciendum*, *ff. de uſuris*, *L. Quod te mihi ff. Si certum petatur*. 3. Si reſtitui non poſſit abſque ſcandalo, infamia gravi, damno notabili &c. ut colligetur ex dicendis *à num.*409.

361 *Q.*70. *Quid addendum ſit circa locum, quo fieri debet reſtitutio?* R. Seqq. §.1. Si dominus migrarit aliò, & plus expendiſſet rem illam tum deferendo ſecum, quàm iniquus detentor nunc expendat, ut remittat, Rebell. negat hunc poſſe ſibi detrahere hunc exceſſum, quia non debet ex ſuo delicto lucrum reportare: Bonac.& alii affirmant poſſe, faventque Vaſq.& Dic. *de reſt. d.*11. *n.*104. quia lucrum illud non eſt immediatè ex delicto, ſed ex circumſtantia loci: Lugo *diſp.*20. *n.*182. probabilius ſic diſtinguit, ſi diminutio ſumptuum proveniat ab induſtria detentoris, aut quia utitur occaſione minùs cara, quam alii communiter non habent, aut quia vicinior eſt loco, ubi dominus eſt, poteſt ſibi retinere, quia non tenebatur peculiarem induſtriam adhibere, nec dominus jus habet lucrandi expenſas alioqui faciendas per viam ordinariam: ſi autem inde eſt, quia pretium trajectionis rerum, v. g. pretium cambii vel vecturæ decrevit, debitor non poteſt lucrari ſed pretium illud decreſcit domino, qui cum nondum tranſtulerit rem ſuam, jam tranſfert meliori pretio, ſicuti ſi valor rei ab iniquo detentore conſervatæ creviſſet, domino creviſſet, quamvis factum eſſet occaſione iniquæ detentionis.

362 §.2. Qui eſt debitor ex re accepta, vel omnino neſcivit rem eſſe alienam, poſteà quando id cognoſcit, & vult reſtituere, poteſt expenſas neceſſarias ad dominum monendum, aut prius neceſſarias ad rem aliò avehendam ſecum, ubi cuſtodiretur, repetere à domino, vel ex re ipſa accipere, ſi dominus eas non ſolvat, ſunt enim factæ in bonum domini, nec detentor ſine ſua culpa tenetur hoc damnum propter dominum ſubire, uti habet communis cum Illſ. *t.*4. *d.*3. *num.*224. Quòd ſi expenſæ in transferendo valorem rei æquarent, dominus eſſet de hoc monendus per litteras: ſi tamen detentor culpabiliter differret reſtitutionem vel admonitionem domini, qui ideò, vel non abſolutè, vel nonniſi difficilius rem ſuam recipere poſſet, detentor inciperet eſſe debitor ex delicto, & tum teneretur ferre ſumptus, quia facti non fuiſſent à domino, ſi fuiſſet res reſtituta vel dominus debito tempore admonitus, ita Lugo *à num.*193.

363 §.3. Si debeas aliquid ex re accepta, & remittas, ſed pereat apud latorem, ſi creditor deſignarat latorem, aut ſi proprium ſervum miſerat cum litteris petitoriis, ſignificabat ſe velle, ut ei dares, adeoque ad nihil teneberis, ſive res, quæ perit, fuerit domini ſive tua, uti rectè Lugo *d.*8. *à n.*127. tunc enim cenſetur acceptaſſe per deſignatum; etiamſi fortè loco deſignati veniret alius fingens ſe deſignatum, ſi fraudem advertere non potuiſti: ſi autem tradideras ex te, eſt diſtinguendum, nam ſi res ſit domini, ſive, ſi rem eandem in individuo remittas, quam accepiſti, & abſque tua culpa pereat, perit domino, nec ad aliquid teneris; ſi pereat cum culpa tua, videndum eſt, de qua tenearis juxta regulas datas *à n.*170. E contra ſi res, quam remiſeras, non ſit eadem numero, ſed alia ejuſmodi valoris, quam tu ſubſtitueras, & in via pereat, perit domino, id eſt, tibi remittenti, quia creditor necdum acquiſierat illius dominium, res autem, quæ ſine cujuſquam culpa perit, domino perit: Si tamen pecuniam depoſitam per mixtionem feceras tuam, & poſteà Summam creditoris collegeras in ſacculum ſervandam ei & remittendam, ſicque tradideris latori, & de via pereat, putat Lugo *n.*129. perire creditori, quia reducta erat in eum ſtatum, in quo anteà erat, quando fuit ſub dominio creditoris, ergo & nunc cenſeri debet ſub ejus dominio fuiſſe.

§.4. Si debeas ex delicto, & remittas per latorem deſigna- 364
tum à domino, quia ita velit rem ſuam recipere, ſi apud hunc pereat, perit domino, uti conſtat ex dictis: ſi autem hunc latorem non deſignarit, ſed tu elegeris, hic autem non reſtituat, aut etiam ſine culpa amittat, adhuc teneberis reſtituere ex vi injuſtæ acceptionis præteritæ, non aliter ac ſi res caſu apud te periiſſet, quia teneris dominum efficaciter reddere indemnem, & hoc ipſius damnum ſequeretur ex tua injuria, Illſ. *t.*4. *d.*3. *n.*305. cum communi.

In quo loco reſtituendæ ſint vel ſolvendæ res debitæ ex contractu, & per quos Judices poſſit quis ad hoc cogi, præter regulam generalem, quam dat Buſemb. ſuprà, videri poſſunt Lugo *à num.*196. & Illſ. *à n.*225. Ad quid autem teneatur qui rem reſtituendam commiſerat Confeſſario, ſi hic non reſtituat, dicetur *à n.*420.

*Q.*71. *Cum quantis expenſis teneatur debitor ex delicto* 365
reſtituere? R. §. 1. De hoc variæ ſunt ſententiæ, quas refert Lugo *d.*20. *ſ.*8. §.1. Caj. Nav. Med. Armil. Covarr. Vaſq.& alii dicunt teneri ſemper cum quantocumque damno; conſentit Dic. *de reſt. d.*11. *n.*100. ſi res ſit magni momenti, quia creditor habet jus ad rem ſuam, & debitor debet malitiæ ſuæ imputare, quòd ſine tanto damno nequeat reſtituere: è contra non teneri dicunt Ang. & Almain. ſi debitum non ſit tanti momenti, & reſtitui non poſſit ſine magno damno: Scot. Gabr. Rich. dicunt non teneri reſtituere, qualecumque ſit debitum, ſi ſumptus fieri deberent majores, quàm ſit debitum; id admittunt Mol. Tamb. Spor. *t.*4. *c.*3. *n.*162. Petſch. *p.*675. ſi longè majores ſumptus eſſent faciendi; addit Silveſt. ſi deberent æquè magni fieri, quod Petſc. dicit eſſe probabile; Leſs. ſi res ſit parvi momenti, & ſine ſumptu duplo vel triplo majori nō poſſit reſtitui, conſentit Dicaſt. *n.*101. ſi ſaltem triplo plus deberet impendi; è contrà ſi ſit res magni momenti, Leſſ. dicit tum differri poſſe reſtitutionem, ſi ſit ſpes imminuendorum ſumptuum. Ratio horum omnium eſt, quia juſtitia non adverſatur charitati: charitas autem videtur dictare, quòd creditor rationabiliter non poſtulet reſtitutionem non in tanto rigore & cum damno duplo, triplo, decuplo, &c. nemo enim vellet hoc ſibi fieri. Haun. *t.* 2. *num.* 392. dicit, ſi ſumptus quadruplo non excedant debitum, illos eſſe faciendos pro reſtitutione, quia Jura puniunt furem in quadruplum, ergo non videtur iniquum, ſi natura tantundem exigat pro indemnitate creditoris innocentis; verùm hæc ratio nimium probat, nam Jura etiam morte puniunt furtum, ergo etiam cum jactura vitæ eſſet obligatio reſtituendi, quod nemo dicitur.

ſ. 2. In hac quæſtione rectè ſtatuitur hæc regula generalis: 366
Ut ſciri poſſit, cum quanto damno reſtituere teneatur debitor ex delicto, perpendi debet, an creditor hic & nunc ſit vel non ſit rationabiliter invitus ad omiſſionem vel dilationem reſtitutionis: hoc autem colligi debet, partim ex communi ſenſu hominum, partim etiam inde, ſi attendatur, quid homines vi voluntatis generalis intendentes bonum commune ſtatuiſſent ante omnem caſum eventualem.

§.3. Secundùm hanc regulam videntur ſequentia in par- 367
ticulari dici poſſe, 1. Si damnum ſit cauſatum per injuriam tantùm venialem, & expenſæ neceſſariæ ad reſtituendum adæquarent quantitatem requiſitam ad mortale, non eſt obligatio reſtituendi, id enim videtur irrationabile, tam improportionatam quaſi pœnam exigere. Illſ. *t.*4. *d.*3. *n.*222.

2. Quamvis damnum cauſatum ſit per injuriam gravem, 368
tamen non ſemper eſt obligatio reſtituendi cum quantocumque damno, ſi enim furatus ſim 10. aureos, creditor videtur irrationabiliter velle, ut reſtituam, etiam cum damno 10000. aureorum, Haun. *n.*391. cum communi.

3. Si damnum ſit tantùm ſemel majus quàm ſumma reſtituenda, debitor ex delicto tenetur; v.g. ſi abſtulit 100. tenetur reſtituere, quamvis ideò deberet impendere alios 100. è ſuis, æquum enim eſt, ut ille potiùs, qui injuriam fecit, quàm ut innocens patiatur damnum centenorum, Vaſq. Lugo, Illſ. aliique communiter.

4. Adhuc tenetur, ſi damnum non ſit duplo majus quàm debi-

debitum, quia cùm debitor ſit nocens & creditor innocens, ſaltem duplo major cauſa requiritur ad abſolvendum debitorem quàm ad privandum re ſua creditorem, Lugo *n.*190.

5. Si damnum eſſet quadruplo majus debito, non videtur teneri, quia licèt jura puniant furtum in quadruplum, & reſtitutio ſit veluti pœna, tamen eſt pœna mitior, cùm reus debeat illam in ſe ferre & exequi, uti rectè Lugo, ergo ſi damnum quadruplo ſuperet debitum, non videtur jure naturæ ad illud eſſe obligatio.

369 6. Si damnum debitoris eſſet notabiliter majus, quàm futurum eſſet commodum creditoris ex reſtitutione, poteſt hæc tantiſper differri, uti dicetur *n.*424. An autem ſit obligatio compenſandi omne damnum inde creditori ortum, dictum eſt *nu.* 252.

370 7. Si res, quæ in ſe reſtitui non poteſt niſi cum maximis ſumptibus, (uti ſi equus deberet ad dominum remitti in Hungariam:) poſſit hic vendi, & ſine magnis ſumptibus mitti pretium, prudenter præſumitur, quòd dominus conſentiat, ut ita fiat.

371 8. Si propter nimium damnum nequeat reſtitui totum, poſſit autem cum minori damno reſtitui pars, hæc eſt reſtituenda, niſi expenſæ eſſent etiam proportionatè ad hanc partem nimiæ.

372 9. Quamvis injuſtus detentor propter nimium damnum excuſetur à reſtitutione immediata domino facienda, tenetur tamen, etiam de jure naturæ, uti rectè Lugo *num.*191. rem, lucra & damna mediatè reſtituere, videlicet dando amicis domini, ſi prudenter præſumatur eſſe illius voluntas, uti ex Leſſ. notat Sporer *num.*160. vel ſaltem pauperibus aut aliis piis cauſis, quia præſumitur eſſe voluntas domini, ut ſic ſaltem animæ ſuæ proſit.

373 10. Pro definienda magnitudine damni tam creditoris quàm debitoris, damnum utriuſque non eſt penſandum præcisè materialiter & abſolutè, ſed formaliter & comparativè ad ſubjectum, uti rectè Lugo, Haun. Illſ. *num.*223. fieri enim poteſt, ut damnum 100. aureorum ſit reſpectu debitoris pauperis longè majus, quàm damnum 1000. aureorum reſpectu creditoris divitis, & vice verſa, eò quòd unus per jacturam centenorum ſit conjiciendus in miſeriorem ſtatum, quàm alter per jacturam millenorum, & hoc in omnibus hactenus dictis eſt obſervandum.

De damno excuſante à reſtitutione, plura addemus à *n.*424.

ARTICULUS II.

374 *Quo ordine reſtitui debeat.*

„ RESP. Certum eſt, non neceſſariò ordinem ſervari, „ quando debitor omnibus ſolvere poteſt: quando ve- „ ro tantùm non habet, aut hæredibus reliquit, ſequentes Re- „ gulæ ſervandæ.

„ I. Si debitor rem alterius apud ſe habet, quocunque titulo „ habeat, ſive ex furto, ſive ex depoſito, ſive intentione, &c. „ debet prius reſtitui domino ſuo, vel eo deficiente, pauperi- „ bus. Similiter ſi res empta ad creditum, pretio non ſoluto „ adhuc extet, Nav. *man. c.*17. *n.*49. Syl. Bon. *q.*8. *p.*2. Hoc tamen „ Leſſ. *l.*2. *c.*15. *n.*11. contra Bon. *&c.* limitat, niſi venditor ab „ emptore fidejuſſorem, vel pignus accepit.

„ II. Si reſtitutio facienda ſit ratione injuſtæ actionis, priùs „ reſtitui debent certa, hoc eſt, quorum domini cognoſcun- „ tur, quàm incerta, Bonac. Leſſ. *ibid. d.*1. quia illa jura naturæ „ debentur ſuis dominis; hæc autem jure ſolo poſitivo paupe- „ ribus.

„ III. Priùs facienda eſt reſtitutio debitorum licitè contra- „ ctorum, quàm uſurarum, cùm in his dominus non fuerit „ ſimpliciter invitus.

„ IV. Debita ex titulo oneroſo priùs ſolvenda ſunt, quàm „ quæ debentur gratuito, v.g. ex promiſſione; quia hæc in- „ cludunt tacitam conditionem, niſi quid obſtet. Hinc debi- „ ta defuncti ſolvenda ſunt ante omnia legata, etiam pia, Nav. „ *n.*50. Sylv. Bon. *l.c.*

„ V. In reliquis debitis ſervandum eſt jus particulare loci, ſi „ tale ſit, & non repugnet juri naturæ: ſi nullum ſit, ſequen- „ dum eſt jus commune, ſecundùm quod 1. Solvenda ſunt de- „ bita, ad quæ bona debitorum expreſsè fuerunt obligata. 2. „ Dos uxoris extrahenda eſt. 3. Debita, ad quæ bona debitorum „ ſunt tacitè hypothecata, 4. Depoſita perdita in poteſtate de- „ bitorum. 5. Debita privilegiatorum. 6. Aliorum creditо- „ rum: poſt quos omnes ſunt hi, à quibus uſuræ acceptæ ſunt; „ & adhuc poſt hos reſtituenda ſunt bona incerta. Quando „ autem multi unius rationis creditores inveniuntur, temporis „ antiquitas inter eos ſervanda eſt. V. Laym. *l.*3. *tr.*2. *c.*11. ubi „ addit, ex bonis debitoris, ſi is defunctus ſit, in primis ſol- „ vendas eſſe impenſas funeris, & quæ ad confectionem inven- „ tarii, apertionem teſtamenti; item Medicos, & Pharmaco- „ polas pertinent. V. Fill. *tr.*32. *n.*119.

Quæres. Utrùm priùs exigenti non liceat priùs ſolvere? „
Reſp. I. Solvens ſcienter poſteriori, præterito, qui habet „ hypothecam priorem vel privilegiatam, peccat, teneturque „ priori de damno, qui etiam poteſt recuperare ſolutum, Leſſ. „ *d.*5. ex *l. Scimus ff. Et ſi præterea Cod. de jure delib.* „

II. Si ex pluribus creditoribus perſonalibus æqualibus aliquis exigat (ſive in judicio, ſive extra) tenetur ei integrum „ ſolvere; quia diligentia fecit eum potiorem, Nav. *man. c.*17. „ *n.*52. Syl. Bon. *l.c.* ex *l. Pupillus ff. Quæ in fraudem.* „

III. Debitor ſciens ſtatum ſuum labentem, non poteſt nihil petenti integrè ſatisfacere, ſed debet omnibus perſonalibus ſolvere pro rata (ſi tamen iſte ſolutionem accepiſſet, an „ poſſet retinere, controvertitur. V. Bon. Leſſ. *num.*40. Trull. „ *l.*7. *c.*14. *d.*12. *n.*8.) nec poteſt uni ſolvere, omiſſis aliis, niſi „ ſecundùm ordinem ſupradictum. „

ADDENDA.

QUæſt. 72. *An res furtiva propriis immixta, priùs reſtitui debeat?* R. Affirmant probabiliter Rebel. & Caſtrop. *tr.*32. *d.*1. *p.*18. §.13. quia totus cumulus, ad quem venit res furtiva, ob hanc videtur obligatus domino rei. *Nec obſtat*, quòd v. g. pecuniæ furtivæ meis immixtæ tranſeant in dominium meum, *nam* manent facilè ſeparabiles: hinc quæcumque pecuniæ è cumulo extrahentur pro reſtitutione facienda domino, cenſebuntur eſſe moraliter pecuniæ domini: favetque huic ſententiæ illud, quod *num.*363. in fine attulimus ex Lugone. 375

*Q.*73. *Si res ſit vendita & tradita, an venditor aliis creditoribus ſit præferendus quoad rem illam adhuc extantem?* R. Affirmat Buſemb. ſupra, ſed diſtinguendum eſt, uti intelligetur ex dicendis *n.*974. 376

*Q.*74. *An debita certa ſemper præferri debeant incertis?* R. Communis ſententia affirmat, quam Azor. *lib.*4. *c.*36. vocat omnium, pro qua Lugo *diſp.*2. *num.*5. refert multas rationes, ſed eaſdem commodè ſolvit, dans hanc unicam, quia creditor incertus præſumitur velle, ut potiùs ſolvatur creditoribus certis, qui debitorem premunt, ſicque ſatisfaciat juſtitiæ, quàm ut ſatisfaciat religioni, dando rem incertam pauperibus: Aliam rationem dat Illſ. *t.*4. *d.*3. *num.*193. quia reſtitutio debiti certi eſt certò debita, non autem ita certò debita eſt reſtitutio debiti incerti. Oppoſitum tenent Mol. & Petſch. *pag.*663. quorum ſententiam *Lugo* vocat probabiliſſimam, non enim eſt ſufficiens fundamentum in jure naturæ vel poſitivo, cur id fieri debeat, & ſæpè occurrere poſſunt circumſtantiæ, ob quas creditor incertus præſumatur velle preferri debita incerta, ut oſtendit Lugo *n.*6. v.g. ſi debitum creditoris certi ſit ex contractu gratuito vel illicito, præſumitur creditor incertus velle huic præferri debitum ex contractu oneroſo & licito, ut nempe illud applicetur piæ cauſæ, vel pauperibus, in bonum animæ ſuæ; & in hoc conſentit etiam Illſ. *num.*192. 377

*Q.*75. *An unum debitum oneroſum poſſit præferri alteri?* R. Probabiliter affirmat Lugo *d.*20. *n.*144. nam ſi emiſti à Cajo, ſed ille rem emptam nondum tradidit, illi videris minus obligari, quàm illi, à quo emiſti & qui ſimul rem tradidit, aut quàm alii cuicunque, qui ex parte ſua fecit, quod debuit, hi enim te obligarunt, non tantùm promiſſo, ſed etiam merce vel pretio dato. 378

*Q.*76. *An debita ex delicto præferri debeant debitis ex contractu?* Reſp. *S. Thom. S. Antonin. Rebell. & alii* abſolutè affirmant, quia creditor in illis eſt magis invitus, ita quidem, ut debeat priùs ſolvi debitum ex delicto graviori, & poſteà debitum ex delicto leviori, v.gr. priùs ex rapina, tum ex furto, tum ex uſura, tum ex alio injuſto contractu: rationem dant, quia priùs recedendum eſt à graviori delicto quàm à leviori. Conſentiunt *J. Med. Ang. & Salon.* ſi omnia delicta ſint perſonalia nullam habentia hypothecam realem, quorum ſententiam Leſſ. *lib.*2. *cap.*15. *num.*14. dicit non eſſe improbabilem. E contra *Cajet. B. Med. Armill. & Tabien.* dicunt debita ex juſto contractu eſſe præferenda debitas ex delicto, ſed hæc ſententia non affert rationem magni momenti, uti oſtendit Lugo *diſp.*20. *à num.*34. hinc *num.*36. concludit cum Silveſt. P. Nav. Mol. Vaſq. Leſſ. Bann. Arrag. Azor. Turr. Regin. Bonac. Tann. Caſtrop. Haun. Herinx *de Juſtit. d.*6. *num.*101. Petſch. *pag.*664. Illſ. *t.*4. *d.*3. *num.*214. aliiſque communiter, non eſſe neceſſariò ſervandum ordinem inter illa debita ex delicto vel contractu, neque inter debita ex delicto majori aut minori, nam licèt dominus in debitis ex delicto fortè ſit magis invitus ex parte ſubjecti, tamen obligatio juſtitiæ non oritur ex illa majori vel minori repugnantia, quam dominus ex parte ſubjecti habet, ſed ex illa, quæ in objecto fundatur, ergo ſi uterque velit retinere totum jus ſuum, & obligare quantùm poteſt, omnia debita gravia ex parte objecti ſunt æqualia, & conſiſtunt in indiviſibili: unde quamvis rapina in fieri ſit gravius peccatum quàm furtum, propter majorem injuriam, quæ

quæ etiam perſonæ immediatè inſertur, tamen in facto eſſe, ſeu poſt factum, non magis eſt contrà juſtitiam retinere acceptum per rapinam, quàm acceptum per furtum, ſi tam rapina quàm furtum non amplius placeat, quia injuria tranſit, nec pro ea, prout contradiſtincta à damno, debet aliquid reſtitui, poſteà verò ſolùm perſeverat damnum quoad carentiam rei ſuæ, quod damnum æquale eſt in utriuſque debiti retentione.

380 *Q.*77. *Quis præferri debeat, ſi debita ſint contracta, quando erat impotentia ſolvendi?* Reſp.§.1. Supponenda ſunt aliqua, 1.Eſt injuria, ſi quis ſupra vires ſuorum bonorum gerat ſtatum, uti inſinuatum eſt *nu.*17. qui enim bona ita obligata, uti vires eorum adæquentur, ulteriùs obligat, facit in præjudicium priorum creditorum: idem eſt, ſi tum, quando eſt impotens omnibus ſolvere, bona ſua uni certo è creditoribus obliget, uti rectè Leſſ. *in auct. v. Mutuum*, *caſ.*5. & Lugo *diſp.*20. *n.*106. Si tamen non poſſet juxta ſuum ſtatum abſque magno dedecore abſtinere à talibus ſumptibus aut etiam à donationibus gratuitis, *Lugo* dicit licitè ab hoc fieri, & ab aliis acceptari: quòd ſi acceptatio non eſſet neceſſaria ad ſalvandum honorem, ſed ſatis eſſet obtuliſſe; item ſi quis ab eo petiiſſet & poſita petitione debitor non poſſet non donare, putat Lugo *num.*134. talem acceptantem vel petentem non eſſe injuſtum contrà creditores, nec teneri reſtituere,nam creditores in tantùm habent jus contrà illos, in quantum habent jus contrà debitorem, & ideò contrà acceptantem aut petentem, ne illum à ſolutione impediant, ſed poſita illa conditione, & in illis circumſtantiis creditores non habent jus contrà debitorem, ne ita expendat, ergo nec contrà acceptantem vel petentem, hi enim utuntur jure ſuo & ponunt caſum, in quo debitor non tenetur ſolvere ſuis creditoribus. Oppoſitum videtur probabilius, quia creditores habent jus, ne ponatur talis conditio vel circumſtantia, per quam debitor reddatur impotens ſolvere, hoc autem facit talis acceptans vel petens: undè multò magis eſt injuria etiam contrà creditores, ſi debitorem per ruborem vel irriſionem cogas ad donandum tibi, aut ad ſumptus faciendos, quia hoc non faciet liberè, ſed coactè.

381 2. Si Cajus conſcius ſuæ impotentiæ bona ſua necdum obligata obliget vel extradat Titio etiam conſcio illius impotētiæ, docent *Sot.* & alii Cajum & Titium peccare contrà juſtitiam, & contractum illum eſſe invalidum, nec transferri dominium: Cajet. Mol. & Lugo *num.*112. dicunt contractum quidem eſſe validum, & dominium transferri, uti ſi rem Petro venditam & nondum traditam venderet, & traderet Paulo; Titius tamen tenebitur ad reſtitutionem, & ad reſarcienda creditoribus damna, ſi Cajum incitarit ad talem contractum injuſtum; ſi autem ad id non incitarit, ſecundùm *Mol. & Leſſ.* non tenetur de jure naturæ, quia tantùm uſus eſt peccato alterius ad ſuum commodum, uti mutuans utitur peccato uſurarii; imò putat *Mol.* non peccare contrà charitatem, *Lugo* autem, quamvis agnoſcat ſententiam *Mol.* eſſe probabilem, tamen putat cum communi probabilius eſſe, quòd Titius peccarit contrà juſtitiam & teneatur ad reſtitutionem, quamvis Cajum non induxerit ad dandum vel contrahendum, quia determinatè cooperatur injuſto impedimento, quo Cajus reddit ſolutionem ſibi impoſſibilem, unde damnum creditorum æquè ſequitur, atque ſi induceret, ergo eſt injuſtus, non aliter atque ille, qui furi applicat ſcalas, aut juvat volentem comburere ſegetes alienas.

382 3. Si Cajus impotens ſolvere, jam antecedenter ſtatuiſſet non ſolvere, putat *Leſſ.* eum, qui novam ab eo admittit obligationem, non teneri reſtituere, quamvis incitaſſet ad contractum, dummodò retinuerit voluntatem reſtituendi, ſi Cajus mutata voluntate vellet ſolvere, ſed Lugo *n.*118. iterùm contradicit, quia ſic incitans reipſa in effectu complet damnificationem, quæ tantùm erat in affectu Caii ſtatuentis non ſolvere: admittit tamen *Lugo* cum *Leſſ.* Titium incitantem tum non teneri,ſi impotentia illa non eſſet cauſa defraudationis creditorum, uti v.g. ſi Cajus laborando facilè poſſet lucrari, quo ſolveret, tum enim, ſi non ſolvat, non eſt ideò, quia alienavit ſua, ſed quia eſt negligens, imò de tali potiùs dicendum eſt, quòd non ſit in impotentia ſolvendi, uti rectè *Lugo*.

383 4. Quidquid ſit de jure naturæ, tamen de jure poſitivo, ſi alienatio eſt facta in fraudem creditorum, datur actio creditoribus ſolùm intra annum à notitia facti, qua actione contractus reſcinditur, debetque res reſtitui debitori, etiam non reſtituto pretio, niſi quatenus extat, vel debitor ex illo factus eſt ditior: ſi tamen res tranſiſſet ad tertium poſſeſſorem bonæ fidei, contra hunc non datur actio, ſed contrà priorem, ſicuti contra eum daretur actio, quamvis conſumpſiſſet.

384 5. Qui poteſt habere, unde ſolvat, & repudiat acceptare, eſt injuſtus, uti dicetur *n.*428. Quòd ſi talis debitor injuſtè repudiaſſet, v.g. hæreditatem, qua admiſſa, ſolvere potuiſſet, ſuccedens in hæreditate illa,ſi induxerit ad repudiandum, tenebitur reſtituere creditoribus velut injuſtus cooperator: ſi autem non eſt cooperatus, ad nihil tenetur ex juſtitia, quia poſita repudiatione utitur jure ſuo, ita Sanch. *de Matr. l.6. d.*4. *n.*9. Lugo *n.*138. addens *n.*139. teneri ex charitate ad impediendam repudiationem, antequam fiat, quia per eam peccat debitor & nocet creditoribus. His ſuppoſitis:

§. 2. Si Titius contraxit cum Cajo, quando Cajus erat 385
potens, etiamſi poſteà ante traditionem fieret impotens, poterit Titius rem, de qua fuerat contractum, ab eo accipere, ſicut alii creditores, ſervato tamen ordine creditorum, & proportione quoad ſolutionem: è contrà ſi tempore contractus Cajus erat impotens, ſed tempore, quo ſolvit rem, ſit potens; aut ſi tempore, quo contraxit, & rem tradidit, fuit impotens, ſed tempore intermedio fuit potens, peccat quidem Cajus ſic contrahendo cum cognitione impotentiæ, poſteà tamen non peccat Titius accipiens rem,nec tenetur reſtituere,quia quando aderat potentia, juſtificabatur contractus, ita Vaſq. Lug.*n.*120.

§. 3. Secundum *Vaſq.* illa debita, non tantùm de præſenti 386
ſed etiam poſteà, ante alia ſolvi poſſunt, etiam cum præjudicio priorum creditorum, etiam hypothecatorum, & privilegiatorum, quæ ſunt facta in tali neceſſitate, ob quam licitè poterat differri vel omitti reſtitutio aut ſolutio aliorum debitorum: Sed Lugo *num.*122. fusè contradicit, alioquin quiſquis alicui ſupra potentiam gravato mutuaſſet aut vendidiſſet neceſſaria ad vitam & ſtatum, deberet omnibus præferri, & qui ultimus eſſet, deberet præferri omnibus prioribus,quod eſt contra praxin, & in nullo foro admittetur: de præſenti autem ſolvi poſſunt, quia debitor poteſt ſe tum præferre creditoribus ad occurrendum ei neceſſitati, ſi autem de præſenti non ſolverit, poſteà non habet jus præferendi hunc creditorem aliis: Vide dicenda *n.*407.

§.4. Uxor, filii & famuli neceſsarii poſsunt vivere & de 387
præſenti ſolutionem acceptare ex bonis domini non potentis ſolvere creditoribus, quia dominus debet illis alimenta, nec aliter ſubſiſtere poteſt, unde creditores eſsent irrationabiliter inviti quoad dilationem ſolutionis. Addit Laym.*lib.3.t.2.c.*11. *n.*3. *&* 7. item Illſ. *n.*217. mercedes operariorum ad neceſsarios uſus conductorum præferri etiam hypothecatis debitis, quia debita ejuſmodi mercedum contrahuntur, non in fraudem, ſed ad utilitatem creditorum, ut debitor fiat potens ſolvere, & alioquin nemo talibus debitoribus ære alieno gravatis ſerviret: hinc cum communi dicunt etiam rectè præferri ſolutionem rei emptæ, ſi debitor non ideo reddatur magis impotens, quia reſtitutio fieri poterit ex re empta vel ex utilitate majore, quæ debitori inde acceſserit.

Q. 78. *Quid notandum ſit circa debita hypothecata* 388
vel privilegiata? Reſp. Si quoad utraque conſulatur Theologus vel Confeſsarius, non reſolvat extemporaneè, ſed potiùs remittat ad Juriſtas, aut conſulat Authores, nam plurima hic pendent à Jure poſitivo & legibus particularibus vel conſuetudine certorum locorum; univerſaliter tamen notari poſsunt ſequentia:

§.1. Hypotheca dicitur, quando debitor non ſolùm ſuam perſonam, ſed etiam rem aliquam ſuam immobilem obligat pro debito, (ſi enim exponat mobilem, vocatur pignus) & tum creditor habet actionem, non tantùm contra perſonam debitoris, ſed etiam in rem ſibi obligatam, quæ obligationem illam ſemper ſecum defert.

§.2. Hypotheca variè dividitur, alia enim eſt expreſsa, alia 389
tacita; expreſsa eſt, ſi debitor expreſsè rem obliget: tacita, quando neutro mentionem faciente, res aliqua ex diſpoſitione Juris poſitivi obligatur pro certo debito, uti v. g. pro pecunia mutuo data militi ad arma emenda & ſimilibus, de quibus Lugo *d.*20.*ſ.*4.*ſ.*1. Item pro dote promiſsa marito, Jus voluit obligari bona militis aut illius, qui dotem promiſit, quamvis de eo nihil dixerint. Hypotheca iterùm alia eſt generalis, alia ſpecialis; generalis eſt, qua obligantur omnia bona præſentia & futura; ſpecialis, qua obligatur bonum aliquod particulare, v.g. hoc prædium: & de his poſsunt plura videri apud Mol.*d.*536. & Leſs. *l.*2. *c.*28. *à n.*34.

§.3. Debitum hypothecatum ſive reale præfertur perſonali, 390
quamvis hoc fuiſset anterius, *L.Eos qui, Cod.qui potiores in pignore*. Ratio eſt, 1. quia hypothecæ ideo dantur, ut debita magis aſsecurentur & ſolutio ſit certior. 2. Quia per hypothecam non ſolus debitor, ſed etiam res eſt obligata, & quaſi inchoativè facta eſt creditoris, ergo ſicuti dominus rei præferendus eſt aliis creditoribus, ita & creditor cum hypotheca.

§.4. Inter creditores hypothecarios ii præferendi ſunt, qui 391
ſunt priores, hic enim valet *Reg.*54.*Juris in 6. Qui prior eſt tempore, potior eſt jure*. Ratio eſt, quia res jam inchoativè facta eſt creditoris, ergo ſine ejus voluntate non poteſt in alterius jus tranſire: *Nec refert*, quòd fortè tradita ſit ſecundo creditori, *nam* res ad eum tranſit cum onere ſeu obligatione ad priorem, ut ex Jure oſtendit Lugo *num.*62.

§.5. Creditores cum antecedente hypotheca tacita præferri 392
debent creditoribus cum poſteriore hypotheca, etiam expreſsa,

ita,

ita Mol. Vaſq. Lug. *n.* 41. Illſ. *t.* 4. *d.* 3. *n.* 199. aliique communiùs contra Nav. Silv. Ang. Ratio eſt, quia res non minùs eſt obligata per legem & ex priore diſpoſitione juris, quàm ex voluntate conſentientis aut ex diſpoſitione poſteriore: multæ tamen ſunt exceptiones, uti ſi prior fuerit conditionata, poſterior abſoluta &c. de quibus videri poteſt Lugo §. 2.

393 §. 6. Hypotheca generalis prior præfertur ſpeciali poſteriori, niſi prior generalis habuiſſet adjunctam ſpecialem etiam ſufficientem ad debitum, & poſterior obligaret aliqua alia bona, tum enim ſatis innueretur ſolam obligationem ſpecialem eſſe potiſſimùm attendendam.

394 §. 7. Quando bona debitoris authoritate publica diſtrahuntur, vel res hypothecata cum ſcitu & conſenſu prioris creditoris venditur, alienatur, in dotem datur aut alteri obligatur, prior creditor amittit jus prælationis ſaltem reſpectu hujus, cui permittit ultimò obligari, niſi moneat de ſua prælatione, & proteſtetur de ſervando jure ſuo, uti adductis Legibus latè probat Molin. *d.* 536. *&* 537. Videri poteſt etiam Petſch. à *pag.* 669.

395 §. 8. Creditor privilegiatus, quamvis ſit poſterior, præferri debet non privilegiatis, etiam hypothecatis, uti oſtendit Lugo *ſect.* 5. & tenent omnes communiter; unde ſequentia debita tanquam privilegiata præferuntur.

396 1. Hypotheca fiſci reſpectu bonorum, pro quibus data eſt, ſi fuerint acquiſita poſt contractum cum fiſco initum, *l. Si qui*, 28. *ff. de jure fiſci.*

397 2. Mutuum ad extructionem aut emptionem rei, ſi hæc res in hypothecam aſſignetur, *l. Licèt*, *Cod. qui potiores in pignore*: item ad conſervationem aut reſtaurationem rei, ſive generaliter ſive ſpecialiter hypothecatæ, *l. Interdum*, *& l. Hujus*, *ff. ibidem.* Item datum à tutore nomine pupilli ſeu impuberis ad emptionem prædii, etiamſi non paciſcatur in hypothecam, *l. Denique ff. ibid.* Item datum pro cauſa militiæ, v. g. pro ſolvendis ſtipendiis, reſervata ſibi per inſtrumentum teſtibus ſubſcriptum hypotheca, *Novella* 97. *cap.* 4.

398 3. Recuperatio dotis pro uxore aut ejus hæredibus neceſſariis, Mol. *d.* 572. *n.* 16. Caſtrop. *tr.* 32. *d.* 1. *p.* 17. §. 7. *n.* 15. Illſ. à *n.* 200. & habetur *l. Aſſiduis*, *Cod. qui potiores in pignore.*

399 4. Expenſæ ad funus, non tantùm debitoris, ſed etiam alterius, cujus funus procurare debet debitor; item pro infirmitate, medicinis, teſtamento, inventario, ſolvendæ ſunt ante omnia alia debita hypothecata & privilegiata, *l. penult. ff. de Religioſis*, *& ſumptibus funerum*, docentque omnes communiter cum Illſ. *n.* 198. *&* 213. Videri poteſt etiam Bon. *de Reſt. d.* 1. *q.* 6.

400 §. 9. Conſtitutio hypothecæ per publicum inſtrumentum ob præſumptionem fraudis præfertur factę ſine aut cum inſtrumento tantùm privato, *l. Scripturas*, *Cod. Qui potiores in pignore*; poteſtque videri Caſtrop. *n.* 27. Similiter conſtitutio hypothecæ in contractu oneroſo præfertur hypothecæ in contractu gratuito, quia debita oneroſa etiam præferuntur gratuitis.

401 §. 10. Hypothecarii privilegiati habent ſe ad invicem, ſicuti ad invicem ſe habent non privilegiati, hinc prior tempore eſt potior jure &c. communis cum Illſ. *à n.* 210. *qui n.* 211. rectè notat cum Caſtrop. Lugo, Haun. & aliis contra Vaſq. eum, qui rem à ſe venditam ſibi conſtituit in hypothecam, reſpectu illius rei præferri debere abſolutè omnibus aliis creditoribus, potuit enim ſub tali conditione, & reſervatione vendere, ut ſi certo tempore non ſolveretur pretium, res ad ipſum rediret.

402 §. 11. Poſt creditores hypothecarios veniunt chirographarii, inter quos, uti refert Illſ. *n.* 213. privilegiati ſunt. 1. Qui pecunias aut alia depoſuit apud aliquem publica authoritate conſtitutum, *l. Si ventri*, *ff. In bonis*, *ff. de privilegiis creditorum*, *& l. Si hominem*, §. *Quoties*, *ff. Depoſiti.* 2. Reſpublica creditrix, *l. Bonis venditis*, *ff. de privil. credit.* 3. Pupillus contra debitorem ex amicitia gerentem ejus negotia, *l. Si negotium*, *ff. ibid.* 4. Sponſa repetens æſtimationem dotis abſumptæ non ſecuto Matrimonio, *l. Quæſitum*, *ff. ibid.* 5. Mutuans in ſolutionem creditoris perſonalis privilegiati, *l. Si ventri*, *ſuprà ff. ult.*

403 *Q.* 79. *An etiam inter creditores merè perſonales tenenda ſit Regula* 54. *Juris in* 6. *Qui prior eſt tempore*, *potior eſt jure?* R. Negant S. Anton. Silv. Ang. Nav. Bann. Arrag. Laym. Mol. Az. Vaſq. Leſſ. Turr. Regin. Caſtrop. Bonac. Herinx, Illſ. *t.* 4. *d.* 3. *n.* 215. & recentiores communiter, teſte Lugo *d.* 20. *n.* 146. videturque expreſsè ita definiri in jure civili, quod paſſim allegant; unde regulam illam juris in 6. explicant de habentibus titulum realis obligationis: è contra S. Th. Gabr. Med. Maj. Val. Sa, Suar. Salon. Tolet. Rebel. & alii affirmant cum Lugo, dicente jus civile in hoc eſſe correctum à Canonico: Ratio eſt, quia prioritas temporis dat prælationem, non tantùm habenti jus in re, ſed etiam tantùm habenti jus perſonale & ad rem, uti patet, ſi plures emerint eandem rem, ſi eadem puella ſponderit pluribus, nam tempore prior præfertur; cujus ratio eſt, quia prior tempore obligaverat ſibi debitorem ad hoc dandum, idem autem eſt de debito alio. *Nec refert*, quòd in emptione obligaverit ſe ad aliquid determinatè, *nam* licèt ſe obligaſſet indeterminatè ad hoc vel illud, ſi hoc periiſſet, teneretur determinatè illud dare primo emptori, ergo cùm etiam ſic obligarit hæc vel illa bona, omnia ſub disjunctione ſunt obligata priori: & ſi hoc valet ſpectato jure naturæ in debitis realibus, valet etiam in perſonalibus; ſic enim ſi meam perſonam heri obligarim Cajo & hodie obligem Titio ad cras laborandum, tenetur cras laborare Cajo & non Titio: Ratio à priori eſt, quia quando ſe priori obligabat, etiam ſe ſimul obligabat ad removenda omnia impedimenta hujus ſolutionis, inter quæ eſſet obligatio ſequens reſpectu alterius.

Q. 80. *An inter creditores merè perſonales poſſit aliis præferri, qui priùs petit, vel qui eſt amicus debitoris?* 404 R. §. 1. Totum debere ſolvi priùs petenti docent plures, quos ſequitur Buſemb. Lay. Illſ. *t.* 4. *d.* 3. *n.* 219. quia jura favent vigilantibus; & ita videtur ſtatui *l. Quod autem*, §. *Sciendum ff. quæ in fraudem*: idque videtur valere pro utroque foro, quia leges id ſtatuentes videntur juſtæ: è contra Mol. Vaſq. Caſtrop. Lug. *d.* 20. *n.* 170. dicunt tantùm valere, ſi acceſſerit ſententia Judicis, quia ex eo præcisè, quòd petat, non auget jus ſuum aut minuit aliorum: ſi tamen creditor bona fide acceptarit, admittit Lugo *n.* 179. poſſe retinere ſecundùm dicenda *n.* 405. *&* 407.

§. 2. Amicitia præcisè non dat jus prælationis, tamen ſecun- 405 dùm ſententiam probabilem, quòd prior petens præferendus ſit, poterit debitor admonere creditorem ſibi amicum, quòd ipſe priùs petenti poſſit priùs ſolvere, & ſic proculdubio alter movebitur, ut petat, Lugo *n.* 174. *qui n.* 177. addit, ſi dediſſet non petenti, poſſe repetere, & tum reddere petenti.

Q. 81. *An pauper hoc ſolo titulo*, *quia pauper eſt*, *præ-* 406 *ferri debeat diviti*, *ſi debita perſonalia ſint paria?* R. Affirmant S. Th. J. Med. Sa, Silv. Laym. Salon. Rebel. & alii, quorum ſententiam Leſſ. dicit eſſe probabilem, Illſ. *n.* 216. valdè probabilem: Ratio eſt, quia pauper, ſi ei non ſolvatur, patitur gravius nocumentum, uti gravius patitur, ſi ei fureris unum, quàm ſi diviti duos ſolidos; priùs autem recedendum eſt à graviori nocumento. Negant Az. Vaſq. Leſſ. Turr. Bonac. Caſtrop. Lugo, Illſ. & alii paſſim, quia nullum jus hoc ſuadet, & dives habet æquè magnum jus ad rem ſuam, quàm pauper ad ſuam, per accidens autem videtur, quòd ex parte unius ſubjecti ſit majus nocumentum: putat quidem Leſſ. ſi pauperi inde ſequatur majus nocumentum, v. g. quia viliori pretio cogetur vendere ſua, ut ſe alat, plus ei eſſe reſtituendum, ſed Lugo *d.* 20. *n.* 162. dicit etiam tunc tempore priori eſſe priùs ſolvendum totum, non habito reſpectu ad paupertatem, negatque plus reſtitui poſſe, etiam in illa ſententia, quæ ſatis communiter & probabiliter dicit in debitis perſonalibus non eſſe attendendam prioritatem temporis: nam ſi pauperi & diviti debeat 100. ſingulis autem reddat 50. ſicuti 100. debita pauperi ſunt illi nocumentum, quale eſſent diviti, ſi 200. deberentur, ita etiam 50. reſtituta pauperi ſunt illi tantundem, atque ſi diviti reſtituerentur 100. ergo ſi utrique reddantur 50. attingetur æqualitas.

Q. 82. *Quid obſervandum ſit*, *ſi nullus creditorum habeat* 407 *jus prælationis?* R. Debet ſingulis ſolvi ſecundùm partes proportionales, ita ut cui plus debetur, plus attribuatur, quia æquitas poſtulat, ut ille majorem partem accipiat, qui majorem partem debet perdere, & ut majori juri activo, cui reſpondet majus jus paſſivum, etiam reſpondeat major ſolutio: Si tamen debitor Titio creditori non petenti ſolviſſet totum debitum, quamvis reliquis creditoribus feciſſet injuriam, tamen P. Nav. Mol. Leſſ. Laym. apud Illſ. *t.* 4. *d.* 3. *num.* 220. dicunt Titium poſſe retinere, quia permiſſivè ſe habet, & res ſoluta, uti ſupponitur, non erat obnoxia reliquis creditoribus, ſed ſola perſona debitoris, ergo Titius potuit & reipſa acquiſivit dominium rei ſolutæ: ſicuti mutuatarius acquirit dominium rei ſub uſuris mutuatæ, licèt mutuans ſic dando peccet contra juſtitiam: ita illi. Quid autem dicant AA. ſi ego creditor apud me habeam rem debitoris non potentis ſatisfacere omnibus, inſinuatum eſt *p.* 1. *n.* 969. Denique notat Mol. *T.* 2. *d.* 161. *n.* 11. ſi debitor ſit omnibus ſolvendo, quamvis poſſit uni priùs ſolvere quàm alteri, tamen non licere ideò aliquid accipere à creditore, cui ſolvit.

Q. 83. *An in conſcientia ſit obligatio obſervandi talem* 408 *ordinem?* R. Machad. & Gabr. *in* 4. *diſt.* 15. *q.* 2. *dub. ult.* negant, putantes obligare tantùm pro foro externo, quorum ſententiam Serra & Diana *p.* 11. *tr.* 3. *R.* 13. dicunt probabilem, ſed tenendum eſt oppoſitum cum communiſſima, quam docent Buſemb. Herinx *de Reſt. d.* 8. *n.* 98. Petſch. *pag.* 667. quia leges illum ſtatuentes latæ ſunt ex æquitate juſtitiæ, neque nituntur præſumptione ſed jure naturæ, v. g. prior creditor acquiſivit jus, quo excludat alios, ergo ſi alter fiat illi æqualis in prætenſione, fit injuria.

ARTICULUS III.

Quæ à reſtitutione excuſent?

409 „ RESP.I. Ex parte debitoris excuſant ea, quæ faciunt, „ ut creditor rationabiliter debeat eſſe contentus, „ ſi de facto non ſit contentus. *Ita commun. Doct. Unde re-* „ *ſolvuntur caſus ſequentes:* „

I. Excuſaris in foro conſcientiæ (juxta ſententiam probabilem) à compenſatione damni, ſi illud datum ſit ſine tua culpa Theologica gravi, hoc eſt, mortali peccato; niſi aliud cum altero pactus ſis, vel inde ſis factus ditior: Unde excuſaris, ſi v.g. aliquem occidiſti ex ſubita ira, ut fuerit motus tantùm primò primus, vel ſecundò primus; vel ſi ex oblivione non extinxeris candelam, & hinc ortum ſit incendium, &c. Quòd ſi autem advertens periculum in actionibus periculoſis, omittas eam diligentiam præcavendi, quam homines ejuſdem conditionis communiter præſtare ſolent, graves peccas, & teneris reſtituere damna ſecuta. Porrò in foro externo procedituꝛ ſecundùm culpam juridicam, quæ ſæpè non eſt peccatum, & dividitur in latam, levem, & leviſſimam.

II. Excuſaris à reſtitutione incertorum, ſi feciſti compoſitionem cum Epiſcopo, vel Papa, Leſſ. *l.2.c.16.d.11.*Bon. *q.ult.p.2.*

III. Item ſi in caſu, quo teneris rem reſtituere pauperibus, tibi ipſi reverà indigenti eam des; & tunc quidem poſteà factus ditior adhuc non teneris reſtituere. V.Laym. *l.3. t.2.cap.12.*

IV. Si non poſſis reſtituere, niſi notabiliter cum graviore damno, tibi vel tuis, vel Reipub. inferendo, quàm æſtimari debeat commodum ex reſtitutione creditori obventurum, tunc enim differre potes, dum ceſſet iſta impotentia, Laym. *loc.cit.* ex Sylv. Nav. *man.c.17.n.87. & ſeqq.* Idque verum eſt, etſi debitum ſit ex delicto, uti & in ſequentibus caſibus.

V. Si ad reſtituendum ſis impotens, ut ſi vivere non poſſis ſecundùm decentiam tui ſtatus, juſtè à te acquiſiti: Unde ſi nobilis v.g. non poteſt ſtatim ſolvere, niſi ſe privet famulis, equis, armis, &c. vel civis primarius, niſi obeat artem mechanicam ſibi infuetam; vel mechanicus, niſi vendat inſtrumenta ſua, quibus vivit, aut magnum damnum ſubeat, poteſt differre, & paulatim reſtituere ſine jactura ſui ſtatus. Laym. *l.c.* Bon.

VI. Quòd ſi tamen tua culpa in illas anguſtias dilapſus ſis, v.g. luxuria, ludis, ſuperfluis expenſis veſtium, tibi imputare debes, quòd jam ſine ſtatus tui amiſſione non poſſis ſatisfacere. *Ibid.*

VII. Quòd item creditor ex dilatione æquale damnum ſubire debet, ut potiùs, quàm is, ſuſtinere debes; cùm ejus conditio ſit melior. Excipitur extrema neceſſitas, in qua quoad uſum, ſunt omnia communia. *Ibid.*

VIII. Quod ſi item damnum, quod timetur ex reſtitutione, non eſſet propriorum bonorum, ſed in hoc præcisè tantùm, quòd ſpoliet ſe rebus debitis, non poteſt ideo differre reſtitutionem, quia hoc non eſt pati in ſuis rebus, neque ſuum ſtatum amittere, ſed eſt dimittere alienum & reverti ad ſtatum proprium, Sayr. *clav.reg.l.10.tr.5.c.6.n.39.* Bonac.

IX. Item excuſaris à reſtitutione, ſi fieri nequit abſque periculo ſalutis animæ tuæ vel tuorum; ut v.g. ſi non poſſis abſque peccato; ut ſi ſit periculum, ne uxor aut filiæ ſe proſtituant, ne filii ſe dent latrociniis, ne ipſe per impatientiam incidas in deſperationem, Bon. Leſſ. Mol. Fil.

X. Item ſi non poſſis reſtituere abſque periculo vitæ, vel notabili detrimento famæ: cum aliàs plùs damni ſuſtineres, quàm intuliſti. Bon. *d.1.q ult.p.1.*

XI. Item, ſi cedas bonis: quia leges conceſſerunt, ut qui contraxit multa debita, nec habet unde ſolvat, poſſit cedere bonis, ea relinquendo in manibus creditorum, & tunc maneat liber, ita enim in conſcientia ſit tutus, retentis inſtrumentis artis, & quæ ad ſuſtentationem ſunt neceſſaria. Quòd ſi tamen poſteà redeat ad pinguiorem fortunam, tenetur adhuc reſtituere, ex *L.Cum filiifam.Cod. qui bon.* Nav. *man.c.17.n.86.* Bon. Leſſ. *d.3.* Ex quo Trull. *to.2.l.7.c.15. d.5. n.4.* ſic limitat: ſi acquirat plus, quàm ad decentiam ſtatus eſt neceſſarium, ex dicta *L.* Niſi tamen debita proveniant ex delicto, v.g. furto; eo enim caſu tantùm poſſe retinere, quæ ſimpliciter neceſſaria ſunt ad victum, docent Nav. Salon. Leſſ. *l.c.* etſi hic concedat ea, quæ poſt conceſſionem juſtè acquiruntur licitè retineri, ſi ad ſtatum ſint neceſſaria. V. Tol. Laym. *cap.12.* Leſſ. *n.48.* Bon. Trull. *loc.cit.* Porrò etſi ceſſionem dictam non habere locum in bonis ex delicto provenientibus, communiter teneant DD. cum Lay. *l.c.* contrarium tamen ex Leſſ. Dian. *& c.* docet Trul. *loc.cit.* Denique etſi debitor principalis ceſſerit, non ideo liberantur fidejuſſores. Lugo *d.21.n.39.* Dian. *p.7.t.8.R.18. & alii 8.* „

Reſp.II. Ex parte creditoris excuſat, 1. Si is, cui debet reſtitui, ſemel remiſerit, expreſsè vel tacitè; v.g. ſi laceravit tuum chirographum, vel tibi reddidit. Remiſſio autem hæc debet eſſe libera, non metu, fraude, vel mendacio extorta, Fill. *tr.32.c.5.q.9.* Leſſ. *n.35.2.* Excuſat in foro conſcientiæ, ſi ſolviſti ei, cui debeat tuus creditor, Leſſ. *d.5.* Bon. *t.2. de reſtit.in gen.d.1.q.4.p.3.3.* Si compenſatio facta eſt creditori per commodum æquivalens, v.g. per procurationem officii non gratis factam. 4. Omitti, aut ſaltem differri poteſt reſtitutio, imò aliquando debet, ſi creditor ſit abuſurus; v.g. ſi quis pecunias tibi mutuo datas repetat ad fornicandum, vel aliter peccandum. Item ſi eas repetat ad peccandum contra juſtitiam, ſive inferendum damnum injuſtum tertiæ perſonæ; ſi tamen ex negatione reſtitutionis timeretur majus malum. „

ADDENDA.

410 *Quæſt.84. Quid notandum ſit circa excuſationem ex eo, quòd damnum cauſatum ſit ſine culpa?* R. Videri debent dicta à *n.170.*

Q.85. Quid circa excuſationem propter compoſitionem cum Papa vel Epiſcopo? R. Seqq. §.1. Compoſitio illa eſt conventio, in qua Papa debitori indulget, ut major quantitas debiti incerti, ideſt, cujus Dominus neſcitur, mutetur in minorem, v. g. ut pro viginti aureis dentur viginti ſolidi ad uſum pium, reliquum autem ſibi retineat debitor: ſoletque hoc concedi per Bullam Cruciatæ, ſic dictam, quia data eſt in favorem militiæ cruciatæ, id eſt, rubra cruce in dextera ſcapula inſignitæ, quam Rex Hiſpaniæ educit contra infideles: & tum portio illa minor aſſignatur iſti bello. Papam autem juſtè & licitè id facere poſſe, ideoque debitorem, etiam ex delicto, eſſe in conſcientia tutum, probat poſt Molin. & alios Lugo *d.6. n.150. & diſp.21.à n.91.* quia Papa habet jus indirectè in res temporales, quando id neceſſe eſt ad bonum ſpirituale, uti fusè demonſtrant Diana *T.1.poſt p.10.R.5. & ſeqq.* & Moya *T.1.t.6. d.3.q.* 3. ex quibus infert Lugo *nu.96.* tenentque etiam alii multi cum Dicaſt. *d.10. n.175.* quamvis Papa nunquam ſic diſponat circa debita certa, poſſe tamen cauſam eſſe, ob quam id licitè & validè faceret; maximè autem tenent hæc circa debita formalibus hæreticis reſtituenda, quorum bona vel Eccleſiis Catholicis erepta ſunt, vel ſaltem applicari deberent fiſco, licèt nunc ob impotentiam non applicentur.

411 §.2. Si cauſa, ob quam Papa facit compoſitionem, non ſit ſufficiens, Cord. Turr. & alii adhuc affirmant compoſitionem eſſe validam, & debitorem eſſe in conſcientia tutum, quia Papa habet poteſtatem diſponendi de iis bonis: è contra negant Cov. Sot. Nav. Med. Mol. & alii, quia Papa non poteſt ſine cauſa rem alienam invito domino applicare alteri: Lugo *d.21.n.95.* ſic diſtinguit, ſi reſtitutio debeat fieri ex lege Eccleſiæ, valet ſine cauſa ſufficiente, quia Papa poteſt diſpenſare in lege Eccleſiaſtica: ſi autem aliunde fieri debeat, requiritur cauſa ſufficiens, quia Papa non eſt dominus ſed tantum adminiſtrator talium bonorum, ergo non poteſt alienare, niſi ſecundùm voluntatem præſumptam domini.

412 §.3. Si poſt compoſitionem & perſolutam partem deſignatam compareat dominus, Cord. Covar. Turr. Mol. Villal. Rodr. & alii putant debitorem teneri ad reſiduum ei dandum, quia Papa non intendit nec poteſt extinguere jus creditorum, ſi compareant: è contra Bann. Sot. Henriq. Acoſt. Trul. Dian. *p.4. tr.4.R.112.* dicunt non teneri, quia hæc compoſitio æquivalet præſcriptioni, ergo per illam ex voluntate ſupremi Principis transfertur dominium: Lugo *num.98.* ſic diſtinguit, ſi compoſitio facta eſt in iis circumſtantiis, in quibus ob præſumptam domini voluntatem debitor dare potuiſſet pauperibus vel cauſis piis, ad nihil ultrà tenetur, etiam pro foro externo, uti docent Rodriq. Lugo *num.105.* & Caſtrop. apud Dian. *p.11.tr.8.R.11.* quia Papa tum, ex præſumpta etiam voluntate domini, habet jus diſponendi, idque utile eſt domino, quia intentione bona fit, & Papa ſupplet ex theſauris Eccleſiæ pro anima ipſius: è contra ſi compoſitio facta ſit prius, quàm diligentia requiſita ſit præmiſſa pro inveniendo domino, debitor tenetur ad totum, ſicuti ſi pauperibus ſine prævia circumſpectione dediſſet, ſecundùm dicta *num.96.* Et in hanc ſententiam magis propendet Illſ. *t.4 d.3.num.300.* licèt utramque dicat probabilem.

413 §.4. Henriq. Villal. Trul. & Diana *p.4. tr.4.R.112.* putant etiam Epiſcopum pro ſua Diœceſi poſſe ſic componere, quia hoc nullo jure eſt reſervatum Papæ; & id videtur eſſe juxta voluntatem creditorum pro utilitate animæ: è contra Silv. Cord. Rodriq. Mol. Turr. Lugo *num.107.* Illſ. *num.297.* dicunt non poſſe, uti & praxis oſtendit, quia Epiſcopus nec habet jus altum in res temporales, nec poteſtatem illam indirectè diſpo-

diſponendi de rebus temporalibus ſubditorum, quam ſoli Papæ concedunt Authores.

414 §.5. Sot.& Henriq.putant id poſſe Principem temporalem, quia hæc bona ſubſunt alto ipſius dominio, quod probabile eſſe dicit Illſ. ſi debitum incertum non ſit ex delicto, teſtaturque Leſſ.*l.2.c.14.n.36.*in diverſis regnis hæreditates incertas & bona inventa aſſignari fiſco vel magnatibus. Conſentiunt Hurt. & Caſtrop.ſi Papa ſibi hoc non reſervarit: Turr. putat poſſe circa inventa, non autem circa debita incerta, horum enim compoſitionem dicit Papam ſibi reſervaſſe: Lugo *num.*109.putat Principes ſæculares ob jus gubernandi temporalia, quod habent, poſſe, quando adhuc ſpes eſt inveniendi dominum, deſignare perſonam, quæ bona inventa & incerta retineat ac procuret, cum jure acquirendi ea, ſi dominus non compareat, id enim eſt rationabile & in utilitatem creditoris: ſi autem non ſit ſpes reperiendi dominum: non poteſt componere, quia voluntas domini, tum eſt, ut in utilitatem ſuam ſpiritualem expendatur, diſpoſitiones autem circa bona deſtinata ad uſus pios reſervavit ſibi Eccleſia: & in hoc conſentiunt etiam Cord.Molin. Illſ.quia praxis non habet, ut de talibus bonis diſponant ſæculares, niſi ubi id habet conſuetudo cum ratificatione Papæ.

415 §.6. Si quis diu differat applicare bona incerta pauperibus vel piis cauſis, ſpe obtinendæ interim compoſitionis, peccat, quia agit contra voluntatem & utilitatem domini, Mol. Lugo *num.*110. obtenta tamen compoſitione poſteà liberatur ab omni reſtitutione.

416 §.7. Compoſitio hæc conceditur, 1.pro fructibus Eccleſiaſticis malè perceptis, quamvis ſciatur, cui Eccleſiæ debeantur, 2.Pro medietate legatorum, ſi neſciantur legatarii. 3. Pro acquiſitis ex contractu injuſto ex utraque parte. 4. Pro requiſitis illicitè ex una parte.5.Pro aliis bonis incertis etiam licitè acquiſitis, de quibus plura habet Lugo *à num.*111. ubi etiam benè explicat, in quibus caſibus, & pro quibus ſummis fieri non poſſit talis compoſitio.

417 §.8. Lop.aliique apud Dian.*p.4.t.4. R.46.* docent mercatores, piſtores &c. qui per parva furta defraudarunt ementes ex eadem communitate, qui nunc ignorantur, poſſe petere compoſitionem cum Papa, idemque tenent illi, qui cum S.Th.putant pauperibus dari poſſe, ſed oppoſita ſententia eſt communior, quam tenendam eſſe cenſet Diana, & tenuimus *nu.* 244. nempe reſtituendum eſſe hominibus illius communitatis, quæ defraudata eſt, uti habet etiam Buſemb.relatus *n.*201.

418 §.9. Si creditor ſit notus, ſed ita longè abſit, ut ex præſumpta ejus voluntate debitum dari poſſet pauperibus, tum putant Sot.& Henriq. non licere compoſitionem, quia tantùm conceditur, quando creditor eſt incertus; ſed Covarr.Rodriq.& Turr.tenent tum etiam licere, idemque probabile putat Lugo *n.*139.quia in Bulla dicitur, *dum ſciri non poſſunt ii, quibus legitimè debebat & poſſet fieri reſtitutio,*in tali autem caſu non ſcitur dominus, cui debeat & poſſit fieri reſtitutio, ergo.

419 §.10. Quod retinetur ex compoſitione, debet expendi pro ſolutione aliorum debitorum certorum: ſi tamen Cajus habens poteſtatem componendi mortuus eſſet, & hæres loco ejus compoſuiſſet, quod eum facere poſſe docet Lugo *num.*143. putat idem Lugo *d.*20. *nu.*12. hæredem non teneri hoc expendere ad alia debita certa Teſtatoris, quia hæc debita debent ſolvi ex hæreditate: è contra Mol.tenet oppoſitum, quia agit negotium & partes alterius: ſed videntur poſſe conciliari hoc modo; ſi hanc compoſitionem petiit hæres ſpecialiter pro ſe, & non agat ut hæres, poteſt ſibi retinere, quia gratia illla ipſius perſonæ conceditur, non aliter atque ſi ea bona ab alio erepta eſſent & ipſi redonata: ſi autem compoſuit ex vi poteſtatis & Bullæ, quam Teſtator habuit, debet expendere in alia certa debita defuncti, quia tum non agit cauſam ſuam ſed defuncti vel hæreditatis, & quod retinet, habet veluti perſona civiliter eadem cum defuncto, ergo tenetur expendere ad extinguenda debita defuncti.

De privilegio,quod Cęſar vel Rex Hiſpanię quibuſdam confert, ut non poſſint conveniri de debito, niſi quantum commodè poſſunt, videri poſſunt Dicaſt.*à n.*68.& Haun. *n.*433.

420 *Q.86. An Titius iniquus detentor excuſetur, ſi ſuadente vel jubente Confeſſario rem alienam dederit pauperibus, aut eam commendarit Confeſſario, ut reſtitueret, qui tamen hoc negligat?* R.§.1. Si Confeſſarius ſuaſerit abſque præmiſſa ſufficiente diligentia in inveniendo domino, dictum eſt *nu.*96. per ſe loquendo, non excuſari, ſaltem in defectu Confeſſarii; & idem eſt à priori, ſi Confeſſarius, quando dominus ſciebatur, temerè ſuaſerit dari pauperibus, quod domino reſtitui debebat & poterat.

421 §.2. Si Confeſſarius etiam ita imprudenter obligarit pœnitentem ad dandum pauperibus, pœnitens videtur liber, quia in illis circumſtantiis ex præcepto Confeſſarii tenebatur dare pauperibus,ergo prudenter præſumitur creditor conſenſiſſe, ut id fieret. In oppoſitum occurrit, quòd creditor non cenſeatur conſentire, niſi res prudenter ſit aſſignata pauperibus, ergo licèt Titius non peccarit ſequendo Confeſſarium, imò obligatus fuerit ſequi, cùm tamen hoc præceptum fuerit imprudens, & ejus cauſa fuerit præterita injuria à Titio commiſsa,ratione hujus manet obligatio reſtituendi; quod jam magis confirmabitur.

422 §.3. Si Titius rem alienam commiſerit Confeſsario, ut reſtituat, & hic ſibi retineat vel perdat, etiam ſine culpa, aliqui dicunt Titium,qui fuerat iniquus detentor, eſse liberum, quam ſententiam dicit Leſs.non omnino eſse improbabilem, Rodriq. Fill.& alii probabilem, Cenedo amplectitur, Dian.*p.2.t.17.R.* 2.dicit ſe practicaſse, Tamb.& Spor.*T.4.cap.4.n.19.* dicunt ſe non audere damnare: Rationem dant, quia fecit, quod potuit & debuit, ac præſumitur voluntas creditoris fuiſse, ut ita fieret. Contraria ſententia eſt communis & probabilior cum S.Anton. Nav.Leſs.Rebel.Mol.Laym.Lugo *diſp.21. n.59.* Dicaſt.*d.3.n.* 113.Herinx *d.8.n.*109.Illſ.*t.4.d.3.n.*305. Spor.*n.*15. Ratio eſt, quia debitor ex delicto tenetur dominum efficaciter reddere indemnem; eſtque hæc ſententia conformior dictis *num.*252. *&* 364.Quòd ſi ratio oppoſita teneret, ſequeretur eum, qui etiam per nuncium à domino non deſignatum mitteret, fore liberum, ſi caſu periret, quod tamen adverſarii non concedunt: itaque faciendo quod potuit, fecit quidem ſatis ad vitandum nunc peccatum, ſed non ad extinguendum debitum, & quamvis præſumeretur creditor conſenſiſse, ut ſic fieret, tamen permittebat tantùm, & non ideo reſignabat juri adhuc repetendi, ſi fortè modus ille non ſuccederet.

423 *Objici* poteſt: Si pecuniam ex voto vel juramento debitam mittas Eccleſiæ, & in via pereat, probabile eſt te non teneri aliam mittere, quamvis negligentiam aliquam commiſeris tradendo tali, qui ſciebatur non adeò eſse cautus, ergo ſimiliter hìc. R.N.ſeq.nam liberè promittens non cenſetur ſe voluiſse obligare ad ejuſmodi duplicem ſolutionem, quod enim ex liberalitate debetur, non eſt tam amarè exigendum, uti rectè Tancr.& Dian.*p.10.t.16.R.97.* item Tamb.& Spor.*n.13.*

424 *Q. 87. Quid addendum ſit circa excuſationem, quia damnum cauſaretur debitori, vel creditori?* R.Seqq.§.1. Si damnum debitoris eſset notabiliter majus, quàm futurum eſset commodum creditoris ex reſtitutione, poteſt hæc tamen ſper differri, etiamſi debeatur ex delicto, quia eſt quædam æquitas, ut creditor, quando ſine magno incommodo poteſt, ſaltem ex charitate permittat tum differri, ut caveatur grave damnum proximi, ita Scot.Gabr.Med.Nav.Leſs. Dicaſt. *d.10. à n.38.* contra alios: hinc univerſaliter infert Beja *p.1. caſ.36.* ſi creditor per dilationem nullum damnum patiatur, & tu debitor poſſis inde habere lucrum, quamvis ille ſit invitus, te poſse differre, quia eſt irrationabiliter invitus, uti ibidem pluribus probat.

425 §.2. Si non ſit ſpes, quòd unquam cum minore damno debitoris fieri poſſit reſtitutio, quàm tali, propter quod poteſt differri, Mol.*d.*754.dicit eſse reſtituendum: Rebell. dicit perſeverante eadem cauſa & ratione poſse in perpetuum differri ſeu abſolutè omitti, ſi debita non ſint ex delicto; conſentiunt plures, ſi damnum debitori ſubeundum, ſit ſuperioris ordinis, quamvis ſit ex delicto; imò Bonac.*de Reſt.d.1. q.ult.n.29.* & alii dicunt poſse in perpetuum omitti reſtitutionem, quamvis damnum ſit ejuſdem ordinis: conſentit Lugo *d.21.n.20.* ſed requirit majus damnum debitoris, quàm quòd præcisè ſufficit ad differendam reſtitutionem, gravius enim eſt in perpetuum carere quàm ad tempus: addit *n.*22.non eſse idem de debitis ex delicto & aliis, tamen ſi ad omittendam omnino ſolutionem debiti, quod non eſt ex delicto, ſufficeret damnum duplo excedens quantitatem debiti, putat ad omittendam debiti ex delicto ſufficere, ſi damnum quadruplo excedat tum quantitatem debiti, tum etiam damnum emergens creditori ex lucro ceſsante ob omiſſionem illam. Videri poſsunt dicta *q.*71.ubi *n.*372. notavimus, ſi res domino reſtitui non poſſit, debere reſtitui ſaltem pauperibus: quòd ſi nec hoc poſſit, notat Lugo *n.*22. debitorem teneri orare pro domino vel facere orari & offerri bona opera pro eo.

426 §.3. Si reſtitutio ſit creditori allatura damnum; v.g.quia abutetur ad peccandum,non eſt tum obligatio reſtituendi, quia charitas obligat ad impediendum damnum ſpirituale proximi, quando facile poſsum; neque creditor habet tunc jus proximum petendi rem ſuam,neque rationabiliter eſt invitus, ut retineam, Nav.Sot.Mol.Regin.Leſs.Lugo *n.26.*Illſ *t.4.d.3.n.256.* contra Azor.Sanch Bonac.& alios. Excipiuntur ſequentes caſus, 1. ſi ex dilatione ſolutionis non impediretur peccatum, quia creditor cras recipere debebit, & ſic dupliciter peccabit, Molin. Lugo *d.*28.2.Si dilatio parum prodeſset, quia per Judicem cogeris reddere, aut aliunde habebit rem ſimilem, Leſs. Lugo. 3. ſi damnum ipſi ſecuturum ſit merè temporale, quod ipſe licitè poſſit ſubire, uti ſi pecuniis ſuis vellet inſtituere convivia, Lugo *num.*27. Quòd ſi reſtitutionem differas ad impediendum temporale damnum creditoris, non teneris compenſare minora damna illi ex dilatione ſecuta, quia rem ejus bene geſſiſti, Mol.Lugo *n.*31.

427 §.4. Si creditor eſt re ſua abuſurus in injuriam alterius, & tu ſine gravi incommodo poſſis negare, reddendo pecc as, non tantùm contra charitatem, uti putant Mol.& Dicaſt.*n.*98. ſed etiam contra juſtitiam, ita Sot.Leſſ.Caſtrop.Bonac.Lugo *n.*29. Illſ.*n.*259.aliique communiter, quia reſtitutio eſt hic & nunc indebita creditori, proximus autem habet jus, ne creditori ſubminiſtres materiam ipſi nocendi, v.g.gladium, & ſubminiſtrando ſive tuam ſive ipſiuſmet creditoris rem, cooperaris damnificationi injuſtæ.

428 *Q.* 88. *Quid addendum ſit circa excuſationem propter impotentiam vel indigentiam debitoris?* R. Seqq.§.1. Peccat contra juſtitiam, qui poteſt, & non vult tollere impotentiam, v.g.ſi Cajus non velit admittere donationes vel hæreditatem ſibi oblatam, qua habita reſtituere poſſet; ſicuti ille peccaret contra charitatem, qui admittere nollet pecuniam, qua ſuccurreret extremè indigenti; Ratio eſt,quia qui tenetur ad finẽ, etiam tenetur ad media ordinaria, vel ſine gravi incommodo ponibilia, ſed Cajus ex juſtitia tenetur reſtituere, ergo etiam ad admittenda illa, quibus ſolvere poſſit, ita Mol. Caſtrop.Bonac. Sanch.*de Matrim.l.6.d.*4.*an.*8.Lugo *d.*20.*n.*137. Haun.*t.*2.*nu.* 497.Illſ.*t.*4.*d.*3.*n.*191.*&* 281.Vide dicta *n.*384.

429 §.2. Si debitor & creditor ſint in æquali neceſſitate extrema, debitor excuſatur à reſtitutione rei, ſi hæc ſub ejus dominio ſit, quia in pari cauſa & periculo melior eſt conditio domini poſſidentis; putantque Sot.Lop.aliique multi apud Dicaſt. *d.*10.*n.*28.contra Led.Tabien.Az.Covar. debitorem talem poſſe creditori præferre etiam parentes ſuos, uxorem, liberos, ſimili neceſſitate extrema laborantes; fortè etiam fratres,uti docent Tol.Leſſ.Bonac. quia illos omnes cenſent eſſe unam perſonam cum debitore. Si autem res reſtituenda manſerit ſub dominio creditoris, uti ſi debitor habeat per contractum depoſiti aut commodati, adhuc putant Vaſq.Bonac. Dicaſt.*n.*27. debitorem excuſari à reſtitutione, quia rem juſtè poſſidet, & per extremam neceſſitatem fit communis, videturque jam priùs occupando acquirere ejus dominium: ſed probabiliter contradicunt Scot.Rich.Palud.Lugo *d.*21.*n.*4.quorum ſententiam eſſe probabilem fatetur Dicaſt.*d.*9.*n.*284. quia neceſſitas extrema non dat jus appropriandi ſibi rem alterius in æquali neceſſitate conſtituti, neque poſſides, ut conſumas, ſed ut ſerves ac reſtituas, quando contractum finiet juſta cauſa, qualis videtur eſſe extrema indigentia domini.

430 §.3. Si debitor & creditor ſint in æquali aut fermè æquali neceſſitate tantùm gravi, debitor tenetur reſtituere, uti habet communis cum Azor.Laym.Leſſ.Dicaſt.*d.*10. *n.*30. & ita ſentire omnes dicit Molina, Leſſius tamen & Illſ.*t.*4.*d.*3.*n.*246. inſinuant hoc tantùm verum eſſe, ſi vel res reſtituenda manſerit ſub dominio creditoris, quia tum in pari cauſa melior eſt conditio domini; vel ſi obligatio reſtituendi ſit ex delicto, iniquum enim videtur, ut debitor ex ſua injuria reportet commodum contra innocentem pari neceſſitate gravatum. Addunt communiter omnes cum Laym.& Illſ. *num.*248. ſi debitor per luxum vel prodigalitatem dederit cauſam ſuæ neceſſitati gravi, neque ſpes ſit, quòd per modicam dilationem vel ſucceſſivam ſolutionem creditori ſatisfieri poſſit abſque tanto damno creditoris, eſſe obligationem ſtatim reſtituendi. Quòd ſi ſolus debitor ſit in gravi neceſſitate, & debitum non ſit ex delicto, etiam fatentur omnes differri poſſe reſtitutionem, creditor enim tum eſſet irrationabiliter invitus; ſi autem debitum ſit ex delicto, negant differri poſſe Sot.Mol.Med.aliique graviſſimi AA apud Azor.*p.*3.*lib.*4. *cap.*39. ſed adhuc differri poſſe dicunt Scot.Ang.Roſel.Gabr.Nav. Palud. cum Azor. ſuprà, item S.Anton.Silv.P.Nav.Tol. Laym.Caſtrop. Lugo aliique communiter cum Illſ.*n.*246.quæ ſententia vera eſt, ſi res reſtituenda, ſit ſub dominio debitoris, excuſat enim illum neceſſitas præſens, ne re ſua teneatur ſe ſpoliare :hinc Burgh.*cent.*2. *caſ.*78.docet poſſe aliquem in gravi neceſſitate retinere decimas alioqui ſolvendas, etiam non data Parocho cauſa; ſed plerique AA.citati id abſolutè dicunt, adeoque videntur intelligere, etiamſi res reſtituenda, ſit adhuc ſub dominio creditoris. Ratio tamen, quam dat Leſſ.*lib.*2.*cap.*16.*num.*16. nempe quòd licitum ſit in gravi neceſſitate furripere rem alienam, & conſequenter etiam retinere, falſa eſt, uti conſtat ex dictis *p.*1.*n.*955. neque enim verum eſt, quòd cauſa, quæ excuſat à reſtitutione, etiam excuſet à furto, uti in q.ſeq.dicetur; itaque hanc rationem dare debent, quòd creditor in illis circumſtantiis ſit irrationabiliter invitus, ut retineatur res ſua,cùm enim ſit obligatio dandi eleemoſynam proximo in gravi neceſſitate conſtituto, ſecundùm dicta *l.*2. *n.*200. multò magis videtur eſſe obligatio rem ſuam tantiſper accommodandi, permittendo aliquam dilationem reſtitutionis.

431 §.4. Si talis neceſſitas aut impedimentum grave reſtitutionis futurum eſſet perpetuum,certum eſt debitorem teneri quàm parciſſimè vivere, ſit ſaltem per vices reſtituat partes debiti; fatetur tamen Lugo *d.*21. *an.*19. & idem videntur inſinuare alii apud Laym.*l.*3.*t.*2.*cap.*12.*n.* 1. agnoſcitque probabile Illſ.*n.*249. etiam in perpetuum excuſandum, ſi damnum à debitore ſubeundum eſſet notabiliter majus damno creditoris; ſed de hoc videri poſſunt ſententiæ relatæ *n.*365.*& an.*424.

§.5. Licitum eſt uxori retinere neceſſaria ad ſuſtentatio- 432
nem ſuam, & prolium ex bonis mariti debitis onerati, & impotentis omnia ſolvere, alimentatio enim horum eſt privilegiata ante reliquos creditores; & ſicuti talis neceſſitas debitorem excuſabat, ita & hæredes excuſat à reſtitutione.

§.6. Si rem mutuo acceptam & alteri venditam ſed non- 433
dum traditam in extrema neceſſitate conſumpſiſti, poſteà reſtitutus meliori ſtatui teneris ſatisfacere, in primis mutuanti, quia res erat tua, nec alius tenetur ſolvere id, quod tu ex bonis tuis conſumpſiſti; deinde etiam emptori, quia tua obligatio tradendi non tollebatur ſed tantùm ſuſpendebatur per incidentem neceſſitatem, ergo teneris poſteà ei tradere ſimilem vel aliter ſatisfacere, ita cum aliis Lugo *n.*1.

§.7. Si rem alienam dediſti pauperi extremè indigenti, 434
quia carebas propria, quam dares, non teneris reſtituere, quia pauper jus habebat ad illam accipiendam, Bonac.Lugo *num.*5. Si tamen rem propriam habebas, quam dare poſſes, & dediſti alienam, videris teneri reſtituere, quia tenebaris pauperi illi ſubvenire, nec poteras arripere aut determinare rem alienam, quamdiù tibi propria ſuppetebat. An fur, qui rem alienam in extrema neceſſitate conſumpſit, teneatur reſtituere, dictum eſt *num.*288.

*Q.*89. *An cauſa excuſans à reſtitutione, etiam excuſet* 435
à furto? R.Negativè, nam in primis ſi res reſtituenda, ſit ſub dominio tuo, patet ex dictis *n.*430. te in gravi neceſſitate poſſe eam retinere, neque tamen in tali neceſſitate liceret tibi ſimilem rem alienam furripere, uti dictum eſt *p.*1.*n.*955. Deinde etiamſi res reſtituenda, ſit aliena, adhuc docent authores *n.*430. citati licitè eam ad tempus teneri à debitore in gravi neceſſitate conſtituto, & tamen certum eſt ex dictis *p.*1.*n.*955. non licere eam in gravi neceſſitate furripere: ſimiliter ſi gravem infamiam deberes ſubire, excuſaris à reſtitutione rei alienæ, neque tamen potes furripere, ut gravem infamiam caveas, ita Lugo *d.*13.*n.*49.*Nec obſtat*, quòd retentio ſeu non reſtitutio videatur eſſe continuata ſurreptio, *nam* ſuperveniente rationabili cauſa non cenſetur moraliter continuari ſurreptio, nec præceptum reſtituendi ita obligat, uti præceptum non furripiendi: Ratio diſparitatis eſt, 1.quia præceptum reſtituendi videtur imitari præcepta affirmativa;& ſaltem requirit poſitionem actionis moraliter, præceptum autem non furripiendi eſt negativum; jam autem præcepta negativa obligant,non tantùm ſemper pro ſemper, ſed etiam magis, quàm affirmativa, uti per exempla oſtendit Lugo *num.*51.quia nempe negativa, cùm ſolùm prohibeant actionem, minus exigunt, ergo non tam facilè eſt excuſatio contra illa; affirmativa autem exigunt poni aliquid, quod ſit ſaltem moraliter poſitiva actio, quod plus eſt, ideoque faciliùs excuſatur quis à tranſgreſſione, quia difficilius eſt ponere aliquid, quàm nihil ponere, & ita etiam hic eſt, nam furando ſpolias dominum re, quam poſſidet, ſed reſtituendo ſpolias te re, quam habes: facilius autem eſt non ſpoliare alterum, quàm ſpoliare ſe ipſum, ideoque dominus non ita eſt invitus, ſi non reſtituas, quàm ſi furripias, ergo cauſa excuſans à reſtitutione non ideo excuſat à ſurreptione. 2.Ille plùs influit, qui primò & poſitivè cauſat damnum, quàm qui illud jam poſitum permittit ſeu non impedit, furripiens autem primò & poſitivè influit; non reſtituens, tantùm negativè, non tollendo, ergo hic faciliùs excuſatur quàm ille.

*Q.*90. *Quid addendum ſit circa ceſſionem fori ſive bono-* 436
rum? R.Seqq.§.1.Qui cedit bonis, liberatur quidem à carcere, nec ampliùs poteſt moleſtari in foro externo, attamen probabilius eſt cum Covarr.Nav.Mol.Leſſ.Caſtrop.Lug. Illſ.*t.*4. *d.*3. *n.*266.& aliis contra aliquos, ſi ad meliorem fortunam redeat, in conſcientia teneri ſatisfacere creditoribus, etiamſi Judex illi ceſſioni addiderit ſolemnitatem ignominioſam,hæc enim adhibetur in pœnam præſumpti criminis, ut homines deterreantur à contrahendis debitis ſua ſubſtantia majoribus: notat tamen Dicaſt.*d.*10.*an.*81. non teneri poſteà reſtituere, niſi in quantùm commodè poteſt, hoc eſt, congrua ſuſtentatione retenta.

§.2. Ceſſio fori non eſt neceſſaria illis debitoribus, qui pro- 437
pter debita civilia in carcerem mitti non poſſunt, quales ſunt mulieres honeſtè viventes,milites actu bellantes, in quibuſdam provinciis Nobiles, & Doctores, item Clerici gaudentes privilegio canonis & fori,niſi fugere meditarentur, de quibus omnibus videri poſſunt leges & authores apud Illſ. *n.*268.

§.3. Mol.& alii docent contrahentem non poſſe ſe obli- 438
gare ad debita ſolvenda, renunciando jus ad ceſſionem bonorum, quia in commune bonum conceditur, communi autem privilegio nemo privatus validè renunciat: Oppoſitum tenent alii cum Caſtrop.*tract.*32.*d.*1.*p.*17.§.7. *num.*12. quia hoc privilegium videtur immediatè conceſſum perſonis privatis, & primariò ac directè in harum utilitatem, ſecundariò autem & indirectè tantùm in utilitatem communitatis: ſaltem rectè

no-

notat Lugo *diſp.21.num.45.* poſſe aliquem ſe obligare ad non retinenda neceſſaria pro ſtatu ex acquirendis poſt ceſſionem, ad hoc enim poteſt ſe obligare, quod facere poteſt licitè & ſine præjudicio juris alieni. Quòd ſi promiſerit uni debitori tradere vel contrahere de tradendo pignore, poteſt id facere, ſi promiſſio fuerit acceptata, & hic creditor ideò præferetur reliquis, Leſſ. *in auct.v.Reſtit.caſ.3.*

439 §.4. Cedens foro poteſt reſervare neceſſaria ſuſtentationi, etiam ſuorum, convenienter ad ſtatum, *L.4.& 6.ff.De ceſſ.bonor.& §.ult.Inſt.de actionibus*: ſi tamen aliquis ex induſtria diſſipaſſet alia ſua bona, non gauderet privilegio ceſſionis, uti habetur in Jure apud Lug.*ſect.3.* tali autem non gaudenti privilegio ceſſionis nihil relinquitur, niſi veſtes viles & communiter ab ipſo geſtari ſolitæ, non autem alimentatio, uti contra Leſs. oſtendit Lugo *n.37.* docetque etiam Illſ. ſuprà: humanitas tamen Judicum in Germania vel conſuetudo concedit modica alimenta uti teſtatur Manzius apud Haun.*num.*445. An autem uſurarius gaudeat beneficio ceſſionis, non conveniunt AA. ideoque alii affirmant, alii negant apud Pirh.*lib.5.t.19.n.53.*

440 §.5.Si quis debeat illi,qui ceſſit foro,tenetur ſuum debitum manifeſtare & ſolvere miniſtris juſtitiæ,ut extradatur creditoribus ſecundùm æquitatem, Sylvius *in Reſ.caſ.p.2.v.Reſtit.caſ.3.*

441 *Q.91. An ingreſſus in Religionem excuſet à reſtitutione?* R.§ 1. Si debitor non poterit in Religione, ſed manens in ſæculo ſperet ſe poſſe ſolvere, Gerſ.Gabr.Maj.Med.Angles, Mol.Caſtrop.*tr.16.d.1.p.7.§.4.*& alii abſolutè negant licere Religionem ingredi: è contra S.Thom.2.2.*quæſt.*189.*art.6.ad* 3. S.Anton.Silv.Palud.Caj.Ang.Arrag.Sà, aliique apud Sanch.*in Decal.lib.4.cap.19. num.7.* abſolutè dicunt licere: Lop. uterque Nav.Azor. Sanch.Dian. Leſſ.Lugo, Haun. & alii cum Dicaſt.*d.10.à n.129.* probabilius ſic diſtinguunt, ſi brevi tempore manendo in ſæculo ſperet ſe poſſe abſque notabili difficultate ſolvere ex toto vel magna ex parte, tenetur differre ingreſſum, ſecus autem, ſi neceſſe eſſet per longum tempus differre: per breve autem tempus intelligunt Nav.Sanch.& Lugo, duos annos, Caſtrop.tres, Maj.duos, vel tres. Illſ.*t.4.d.3.n.272.* paulò aliter ſic diſtinguit, etiam valdè probabiliter; ſi debitum ſit exiguum, aut ſpes ſolvendi exigua, aut damnum ſpirituale valde grave, quia nempe interea imminet magnum periculum vel committendi peccata,quæ inhabilitare poterunt ad Religionem, vel amittendæ occaſionis, ut admittatur, tenendum eſt cum ſecunda ſententia, 1. Quia debitor non tenetur reſtituere cum damno ſuo, præſertim in bonis altioris ordinis, longè majore, quàm ſit commodum creditoris, uti dictum eſt *num.*424.creditor enim irrationabiliter tum urget ſolutionem debiti, ſed in noſtro caſu debitor pateretur notabiliter majus damnum ſpirituale, quàm ſit commodum creditoris, ergo. 2.Si debita ſint gratuita, non cenſetur voluiſſe ſe obligare tam ſtrictè, quin includeretur hæc conditio, niſi Deus me vocarit ad ſtatum perfectum cum ſolutione talis debiti incompoſſibilem, ſicuti in contractu ſponſalium includitur hæc, niſi ad Religionem tranſiero, ita multi cum Dicaſt.*num.*134.Si autem debita ſint ex delicto, adhuc non obligatur ad procurandam ſolutionem cum tanto onere nunquam amplectendi ſtatum perfectiorem, extra quem ſalus ſubiret periculum. 3.Debitor non tenetur dimittere ſtatum juſtè acquiſitum, item conjugatus non tenetur abſtinere à generatione prolium, ſi autem conjugatus non eſt, & patiatur periculum incontinentiæ, non tenetur abſtinere à Matrimonio, licèt prævideat inde ſecuturam impotentiam ſolvendi debita, quia nempe iſta cenſentur moraliter impoſſibilia vel nimis onerosa, ergo multò minùs tenetur aliquis negligere vel abſtinere ab ingreſſu Religionis ita conducentis ad ſalutem. E contra ſi debitum & ſpes aliquando ſolvendi debitum notabiliter ſuperent damnum ſpirituale, tenendum eſt cum tertia ſententia, quia ſic ſine notabili damno ſatisfieri poteſt juri creditoris, ergo ad hoc eſt obligatio; & ob hanc rationem docet Lugo *d.21.à n.70.*ſi vellet ingredi Religionem laxam, vel ob finem tantùm temporalem, non excuſandum,quia tum deficiunt rationes ante datæ; & idem dicit *n.74.* de illo, qui promiſiſſet aliquid facere, & intrà breve tempus poſſet commodè explere. Et quæ dicta ſunt de debito reali, valent de debito ſeu obſequio perſonali incompoſſibili cum ſtatu Religioſo, uti rectè Illſ.*n.274.*

442 §.2. Contra ante dicta objici poſſunt ſequentia, 1. Obligatio ſolvendi debitum eſt juris naturalis, ergo prævalet intentioni ingrediendi Religionem, quæ tantùm eſt conſilii. 2. Non eſt licitum ſe addicere ſervitio pauperum in hoſpitali, ſi per hoc impediaris à ſolvendis debitis, ergo ſimiliter hic. 3. Filius non poteſt ingredi Religionem, ſi obſtet pietas erga pauperes parentes alendos, ſed juſtitia erga creditores æquè graviter obligat, ergo. 4. Non eſt licitum ſurripere alienum propter acquirendum bonum tuum ſpirituale, ergo non eſt licitum non reſtituere, quia non reſtitutio eſt continuata ſurreptio. 5. Qui corrupit virginem ſub ſpe Matrimonii, non poteſt, ea relicta, ingredi Religionem, uti docent Sanch.*de Matrimon.lib.1. d.44.* Leſſ.*lib.2. cap.10. d.4.* Lugo *num.78.* & colligitur ex dictis hic *num.320.* ergo ſimiliter, qui læſit jus alienum. R. *Ad* 1. Eſt juris naturalis abſoluti, n.conditionati, ſi nempe ſolvi poſſit ſine notabiliori damno in bonis alterius ordinis, c.ant. & n.conſ. *Ad* 2. N. conſ. quia utilitas hujus ſervitii facilè compenſari poteſt per alia opera, imò per ipſum laborem pro ſolvendis debitis; non ita utilitas Religionis. *Ad* 3. N.min.nam neceſſitas alendi parentes etiam excuſat à ſolutione debitorum ex juſtitia. *Ad* 4. N.conſ.cujus falſitas patet ex dictis *n.435.* *Ad* 5. N.conſ.diſparitas eſt, in primis quia perſona defloratis ejuſmodi magis in ſe & immediatè obligatur defloratæ, creditori autem potiùs obligantur bona debitoris, ergo ſi bona dimittat, debet perſonæ manere libertas vacandi ſaluti in ſtatu ita perfecto:deinde talis defloratior implicitè promiſit abſtinere à ſtatu religioſo, ſi concederetur uſus corporis, quia promiſſio Matrimonii intenti per interpoſitam copulam imbibit excluſionem ſtatus religioſi, ergo uſu illo conceſſo, promiſſio abſolutè obligat; è contra debitor non promiſit ſolvere poſtpoſita Religione, uti ſuppono, quòd ſi promiſiſſet(uti aliquis promittere poteſt) non ingredi Religionem, priuſquam ſolviſſet debitum, & alter hanc promiſſionem acceptaſſet, tenerctur non ingredi, quia promiſſio debet ſervari, quando ſine peccato ſervari poteſt, Sanch.*num.38.* Lugo *n.67.*Illſ.*n.279.*

§.3. Si dubites, an v. g. intrà triennium poſſis ſolvere debita, Illſ. *num.* 272. dicit favendum debitori, quia quamvis debitum ſit certum, tamen etiam certum eſt jus aſſecurandi ſuam ſalutem in ſtatu ducente ad perfectionem, ergo cùm hoc ſit juxta finem ultimum hominis & longè præſtantius, cenſetur prævalere: è contra Sanch.*num.9.*& Dicaſt. *num.132.* dicunt favendum creditori, adeoque debitorem teneri expectare: Lugo dicit expectandum, ſed breviori tempore; Ratio eſt, quia jus creditoris eſt certum, uti ſupponitur, & excuſatio debitoris dubia, quia nemo dicit certum eſſe, quòd Religionem ſtatim ingredi poſſit: fatentur tamen Sanch.Lugo, & Dicaſt.ſi debitor habeat rationes utrimque probabiles, poſſe ſequi partem, quam volet. 443

§.4. Hactenus dicta tenent ſpectato jure naturæ, nam Sixtus V. per Bullam anno 1587. datam, bonorum decoctores poſt dilapidatam ſuam rem familiarem; itemque illos, qui habent rationes deponendas, reddit inhabiles ad Religionem, antequam debita ſolverint vel rationes depoſuerint: Circa quam Conſtitutionem notanda ſunt ſequentia. 1.Sixtus reddidit quidem tales inhabiles, ſed Clemens VIII.hanc inhabilitatem ſuſtulit, relicta tamen prohibitione & pœnis;conſequenter, quamvis illicitè, tamen validè profitebuntur, Nav.Sanch. *num.*19.Dicaſt.*num.*139.Illſ.*num.*275.2.Prohibitio illa facta eſt unicè in favorem creditorum, adeoque ligat tantùm illos, qui magna habent debita ſuperantia vires facultatum, dicitur enim aliquoties, *ingenti ære alieno gravati*, & qui aliter ſatisfacere non poſſunt, & à quibus ſperari poteſt ſolutio, ſi in ſæculo maneant, Sanch.Dicaſt.*n.*144. Illſ.*ſuprà. 3.* Conſtitutio illa in ſequentibus non habet locum, in primis in Monialibus, circa quas procedendum ſecundùm jus commune, Sanch.Dicaſt. *num.*140. Deinde nec in Equitibus Ordinum militarium, quia in odioſis non comprehenduntur nomine Religioſorum, Az. Sanch.Dicaſt. *num.*141. valere tamen in Clericis horum Ordinum docent Sanch.*num.*23.& Lugo *num.*87. contra Azor.Nec in illis, qui tantùm gravantur debitis incertis, Sanch. Dicaſt. *num.*145. poteſt enim Confeſſarius illis tanquam pauperibus, aut ſaltem Monaſterio applicare ſummam reſtituendam,Sanch. Illſ.*num.*270.Nec in illis, qui abſque culpa gravi inciderunt in impotentiam, nam lata eſt contra decoctores, dilapidatores &c. Dicaſt.*num.*147. Nec in illis, qui in pœnam delicti, v.g. ob defloration em virginis, damnati ſunt ad aliquid ſolvendum, vel ex promiſſione liberali debent, Sanch.*num.*28.Nec in illis, quibus creditores id permittunt, vel pro quibus Monaſterium aut quivis alius cavet, quia *Sixtus* videtur tantùm agere de debitoribus, qui *ære alieno*, id eſt, de bonis alienis gravati, in præjudicium creditorum Religionem ingrediuntur. 4. Præceptum de reddendis priùs rationibus intelligitur de rationibus valde litigioſis, intricatis, fraudulentis,daturis cauſam litium, Dicaſt.*n.*153.Illſ.*n.*280. 444

§.5. Si te addixeras Magiſtro, v.g.Chirurgo ad tres annos, & primo anno Religionem ingrediaris, nec per te, nec per alium teneris compenſare lucrum ceſſans vel damnum emergens ex tuo abitu, ſed tantùm æſtimationem expenſarum & inſtructionis pro iſto anno, deducto tamen valore laboris à te impenſi in utilitatem Magiſtri, ita S.Anton. Sanch. Illſ.*nu.* 274.Lugo *n.*73.qui *nu.*85. rectè limitat, niſi damnum cauſaſſes citiùs abeundo, quando de jure tenebaris differre abitum. 445

§.6. Si promiſeras aliquid explere,quod præſtare non potuiſti in ſæculo, potes autem in Religione, Sanch. *num.35.* dicit te non teneri præſtare in Religione, quia conditio illa,niſi Religionem iniero, te eximit: ſed Lugo *n.*75. cum communi 446

cõn tradicit, quando enim promiſsum expleri poteſt in Religione, non cenſetur includi illa conditio, quia tale opus non impedit ingreſsum.

447 §.7. Monaſterium non tenetur ſolvere debita Religioſi è bonis Monaſterii, tenetur tamen è bonis Religioſi; item ex eis, quæ per legatum, donationem vel hæreditatem accipit; item ex eis, quæ Religioſus Monaſterio acquirit, v.g. docendo, laborando, deductis tamen expenſis, Sanch. *l.7.c.31. n.4.* Lugo *n.79.* Ratio eſt, quia bona Religioſi, vel jus ad ea, quæ obveniunt, ita tranſit in Monaſterium media perſona Religioſi, ut tranſeat cum onere, quo ea habuiſset Religioſus, habuiſsent autem annexum onus reſtituendi, ſi manſiſsent in poteſtate, & diſpoſitione Religioſi, ergo.

448 §.8. Religioſus debitor tenetur ad opera ſtatui, & conditioni præſenti convenientia, quibus lucrari poſſit & ſolvere, Med. Nav. Maj. Lugo *n.80.* contra S. Anton. Palud. Roſel. Ang. Silv. Tabien. Arrag. Ratio eſt, quia ideo Religio liberat à ſolutione, quia impedit modum ſolvendi, ergo ſi hunc non impedit, non magis liberat, quàm ſtatus Eccleſiaſticus; quòd enim bonis ceſserit, non juvat, quin adhuc debeat modo communi, & ordinario procurare integram ſolutionem debitorum: non tenetur tamen ad extraordinaria & indecentia ſtatui, quamvis Prælatus permitteret, Sanch. *l.4.c.19. n.16.* ſicuti ſi quis è ruſtico factus nobilis haberet debita, non teneretur laborare inſtar ruſtici, ſed tantùm proportionatè ad præſentem ſtatum.

449 §.9. Religioſus excuſatur, ſi Prælatus neget ei licentiam laborandi, nec ideo tenetur egredi, eſt communior cum Mol. & Lugo *n.81.* contra Angel. & Mol. Ratio eſt, quia ſtatui illi non convenit nolle eſse ſubjectum Prælato, eſsetque planè extraordinarium ideo velle egredi, aut mutatu habitu ſe miſcere ſæcularibus.

450 §.10. Prælatus non tenetur ex juſtitia Religioſo debitori dare licentiam laborandi, Nav. Lugo *n.82.* & alii, quia Prælatus nihil debet creditoribus, & per profeſſionem habet jus ad gubernandum Religioſum, longè fortius, quàm creditores: ipſe enim habet traditionem Religioſi: videtur tamen ex charitate teneri dare licentiam talem, ſi nihil ſit inconvenientiæ, ne creditor careat ſuo debito. Ad quid teneatur filius jam Religioſus, ſi parentes egeant, dictum eſt *p.1.n.694.*

451 *Q.92. An authoritas Judicis vel lex excuſet à reſtitutione?* R. Excuſare in his caſibus. 1. Si Judex in pœnam delicti, & ex præſumptione vera imponat mulctam Cajo ſolvendam mihi, potero non ſolvere tantundem, quod aliunde debeo Cajo. 2. Si Titius per ſententiam cogatur Sempronio reſarcire damnum ſine culpa gravi Theologica datum, Sempronius poteſt acceptare & retinere, quia authoritate legis & Judicis ob commune bonum transferri poteſt dominium unius in alterum. 3. Si Cajus juſtè ſecundùm allegata & probata, ſed reipſa injuſtè privatus ſit beneficio vel officio, & ego illud bona fide acceperim, quamvis poſteà reſciam injuſtè privatum fuiſſe, non teneor dimittere vel aliquid reſtituere, Leſſ. Dicaſt. *d.10. n.173.* 4. Si Minor acceperit pecuniam mutuam, quam totam in luxum & laſciviam profuderit, nil tenetur reſtituere, beneficio *L.2. Cod. de filiofamilias*, Leſſ. *in auct. v. Sponſalia caſ.2.* Quod etiam aliàs tenet, uti dicemus à n.*666.* De excuſatione per juramentum deciſorium, videri poteſt Illſ. *t.4.d.3.n.301.*

452 *Q.93. An ille excuſetur, qui creditori donavit aliquid, immemor debiti*, v.g. ſi Cajus debuerit Titio 100. aureos, & poſteà debiti immemor totidem donavit Titio, an cenſeri debeat liber debito? R. Negant Salas, Lop. Bonac. Sanch. *l.1.c.13.n.11.* item Illſ. *n.304.* niſi ex manifeſtis conjecturis colligatur voluiſſe habere pro ſoluto. E contra affirmant Rebell. & Dian. *p.5.tr.13. R.94.* idemque defendit Card. *in 1. criſi d.64. à n.24.* quia Cajus præſumitur voluiſſe extinguere obligationem graviorem, ſicuti qui ex juſtitia tenetur orare Horas, ſi oret ex mera devotione, cenſetur ſatisfeciſſe. Sed videtur ſic diſtinguendum, ſi ita fuit comparatus, ut quamvis fuiſſet memor debiti, nihilominus donare voluiſſet hoc, & poſteà ſolvere alterum, tenendum eſt cum prima ſententia; ſi autem tum non donaſſet, ſed dediſſet pro ſoluto, tenendum eſt cum ſecunda; id autem colligendum eſt ex circumſtantiis, conſiderata cauſa nunc tradendi. *Si dicas*, debito certo non ſatisfieri ſolutione tantùm probabili, qualis hæc eſt: Reſp. Carden. debito certo ſatisfieri poſſe ſolutione tantùm probabili probabilitate juris, licèt non probabili tantùm probabilitate facti; tum autem ſolutio eſt probabilis probabilitate facti, quando non eſt certum, ſed tantùm probabile, id eſse præſtitum, quod ſecundùm ſe eſt æquale debito; è contra tum ſolutio eſt probabilis probabilitate juris, quando certum eſt hoc eſse præſtitum, quod ſecundùm ſe eſt æquale debito, ſed tantùm probabile eſt præſtationem illam eſse veram ſolutionem debiti: per hanc ſolutionem probabilem docet Carden. ſatisfieri debito certo, non autem per illam, ſi enim probabilitas cadat ſupra ſpeculationem facti, ſive ſupra traditionem 100. aureorum, cum hoc factum traditionis ſit incertum, non poteſt extinguere debitum certum; è contra ſi traditio ſit certa & probabilitas tantùm cadat ſupra æqualitatem reparatam vi iſtius traditionis, cùm jam probabile ſit per traditionem illam haberi æqualitatem juſtitiæ, hoc videtur ſatis eſse ad delendum debitum certum: & hæc videntur conformiter dici ad illa, quæ retulimus *lib.1. à n.600.* Vide tamen dicenda *n.571.*

Q.94. An excuſetur, qui ſolvit creditori creditoris? 453
R.§.1. Med. Silv. Ang. Valent. Leſſ. Dicaſt. *d.10. num.120.* abſolutè dicunt me pro foro conſcientiæ liberari, ſi ſolvam creditori mei creditoris: quod verum eſt, ſi debita ſint ejuſdem rationis, nec ſit alius creditor præferendus, quia tum ſolvendo creditori tuo acquiro jus, quod habet creditor tuus contra te, atqui hoc jus, & illud, quod tu contra me habes, ſunt æqualia, uti ſuppono, ergo jam inter jura illa eſt poſita compenſatio ſive æqualitas. Bartolus tamen dicit pro foro externo non valere, niſi vel res, quam ſolvo, ſit aliquo modo obligata creditori tuo uti ſi conduxi à te domum, quam tu conduxiſti ab illo, res enim meæ ſunt pro locatione hypothecatæ domino domus; vel niſi propter me, v.g. gerens mea negotia, factus ſis debitor illi, hinc Mol. *t.3.d.743.n.2.* univerſaliter dicit pro foro etiam externo valere, quando eram aliquo modo obligatus creditori tuo, quoad id, quod ſolvo.

§.2. Etiam liber ſum ſolvendo creditori mei creditoris, ſi 454
ille, cui ſolvo, licitè poſſet facere compenſationem occultam in bonis mei creditoris, ita Ang. Silv. Med. Mol. Rebel. Leſſ. quod Lugo *diſp.21. num.146.* docet valere etiam pro foro externo, quia tantùm cooperor ad juſtam compenſationem, quæ etiam in foro externo reprobari non poteſt ſecundùm dicta *p.1. à n.959.* Videri poteſt Illſ. *t.4.d.3.à n.288.*

Q.95. An per compenſationem extinguatur obligatio reſtituendi? R.§.1. Compenſatio hic definitur, *debiti, & crediti inter ſe contributio, l.1. ff. de compenſ.* eſtque tum, ſi duo ſint ſibi mutuò debitores, uti ſi tibi debeam 10. aureos propter emptum pannum, & tu totidem mihi debeas, quia injuſtè cauſaſti damnum. 455

§.2. Extra caſus in Jure exceptos, ſi debitum ſit utrimque æquale, per compenſationem extinguitur obligatio reſtituendi, ita ut nec Judicis nec oppoſitæ partis conſenſus requiratur, *L. Si ambo, ff. ſuprà, L.ult. Cod. de compenſ.* Idem dicit Dicaſt. *d.9. à nu.120.* ſi duo ſimilibus damnis aut convitiis ſe affecerint, ſi enim Cajus reſtituere nolit Titio, nec tenebitur Titius reſtituere Cajo, ſed illa debita ſe mutuò compenſabunt. Excipiuntur autem in Jure, 1. Debita Regi vel Reip. titulo penſionis in publicam utilitatem, *L. in ea, Cod. ſupra.* 2. Debita titulo depoſiti, *L.ult. Cod. ſupra, L. ſi quis vel pecunias 11. Cod. Depoſiti, cap. Bona fides, de depoſito.* 3. Debita titulo commodati, *L. fin. Cod. de commodato*: circa iſta tamen vide dicta *p.1.n.964.* 4. Res aliena, debita ex furto, *L. fin. Cod. de compenſ.* 5. Debita diverſæ rationis, ſi enim uni ſit res in certa ſpecie debita, non ſatisfit ſolutione pretii vel alterius rei, quia injuſtè cogeretur permutare rem ſuam; licebit tamen per retorſionem non ſolvere, donec ipſe viciſſim ſolvat, *L. ſi non ſortem, §. ſi centum, ff. de condict. indebiti.* Videri poſſunt Mol. *d.560.* Caſtrop. *d.1.p.16. §.2. & 3.* Dicaſt. *d.10. à n.117.* Illſ. *t.4.d.3.à n.290.*

Q.96. Quid notandum ſit circa remiſſionem creditoris, aſſignationem debiti, & tranſactionem? R.§.1. Si creditor remittat, debitor liberatur, quamvis debitor eſſet in ea diſpoſitione animi, quòd nollet ſolvere, ſi non remitteret, Med. Mol. Leſſ. Lugo *d.21.n.48.* Dicaſt. *num.108.* Quod valet, etiamſi fingeret animum reſtituendi, quem tamen non haberet, quia hæc fraus non eſt cauſa remiſſionis, nec facit actum creditoris involuntarium, Lugo, Sanch. *de Matr. l.4.d.9.n.17.* 456

§.2. Si creditor compoſitionem iniit cum debitore, qui ce- 457
dit foro, ut parte remiſſa aliquid accipiat, talis remiſſio cenſetur coacta & conditionalis, unde debitor meliori fortunæ redditus tenebitur reliquum dare, poteritque creditor id exigere, Leſſ. *in auct. v. Reſt. caſ.4.* Idem eſt dicendum, ſi partem remiſit, quia cogebatur ſubire multas moleſtias in petendo, ſollicitando, ſæpè fruſtra veniendo, diu expectando, item ſi per fraudem inductus eſt ad remittendum, uti ſi debitor finxit ſe pauperiorem, aut alia falſa motiva attulit, aut aliter coegit, Dicaſt. *d.10. num.102.* quod tenet, quamvis per tetium aliquem eſſet ejuſmodi metus vel fraus facta, quia creditor non conſenſit libere, Dicaſt. *n.107.* contra Silv. & Sayrum.

§.3. Si creditor nunc offerat partem, ut ſic adducat credi- 458
torem ad reliquum remittendum, Bonac. dicit in conſcientia liberari, ſed diſtinguendum eſt cum Sanch. ſuprà & Lugo *n.49.* ſi enim tota illa pars ſit tum debita, & creditor ideo conſentiat remiſſioni, ut ſaltem illam partem accipiat, alioquin non conſenſurus, non liberatur debitor, in primis quia remiſſio non eſt creditori voluntaria & juridicè libera, deinde quia partem ſine onere debitam cogitur acceptare cum onere: ſi autem offeratur pars major, quàm nunc ſit debita, aut creditor ex affectu erga debitorem, reliquum remittat, aut ideo remittat, quia debitor nunc pauper eſt, liberatur, nec tenetur ſupplere, etiamſi poſteà

ſtea redeat ad meliorem fortunam, Nav.Silv.Sayr.Dicaſt.*num.* 110. contra alios.

459 §.4. Quando ſunt multi creditores debitoris defuncti, & pars eorum major ſpectata quantitate debiti, vel ſi debita ſint æqualia, ſpectato numero creditorum remittat hæredi partem debiti, ut reliquum ſolvat, reliqui creditores, qui non habent pignus vel hypothecam in bonis defuncti, etiam conſentiunt in eam remiſſionem, Lugo *num.*50.

460 §.5. Creditor pro foro externo præſumitur remiſiſſe debitum, ſi illud in ſuis libris cancellarit, aut inſtrumentum debiti lacerarit: ſemper tamen quoad hactenus dicta ſupponendum eſt, quòd remittere poſſit, & alteri viciſſim poſſit remitti, nam qui donare non poteſt v.gr. 500. aureos, etiam illos remittere non poteſt, *L.penult.Cod.de donationibus:* item quamvis pupillus tibi remittat debitum, non ideo deobligaris, quia remittere non poteſt, Lugo *à num.*49. Simliter cui nihil donari poteſt, etiam nihil poteſt remitti.

461 §.6. Si Epiſcopus viſitans Eccleſias, ab eis aliquid accipiat præter ſumptus tum neceſſarios ad victum, tenetur ad duplum intrà menſem; item ſi Judex delegatus accipiat aliquid à partibus præter victualia, quæ paucis diebus poſſunt conſumi; aut quando alio proficiſcitur, ſi accipiat aliquid præter moderatas expenſas pro via; aut ſi accipiat à partibus notabiliter pauperibus; item ſi Canonicus abſens ab Horis accipiat diſtributiones, omnes illi tenentur reſtituere, non obſtante qualibet remiſſione eorum; à quibus acceperunt, vel quibus talis pecunia accreſceret, uti habent jura apud Lugo *num.*51.

462 §.7. Quando quis putat, ſi per ſe vel per alium manifeſtaret ſuum debitum, vel rogaret, quòd dominus liberaliter condonaret vel nollet obligare ad reſtitutionem, non tenetur reſtituere, Regin.Sa, Leſi.Lug. *à num.*53. Burgh, *cent.*3. *caſ.*85. Dicaſt. *num.*113. qui addit non teneri reſtituere, qui aliquid accepit, quod ſi petiiſſet, ei datum fuiſſet; Ratio eſt, quia tum adeſt voluntas præſumpta domini, ſufficiens ut retentio non fiat illo quoad ſubſtantiam invito; quòd ſi revera eſſet invitus, & id poſteà reſciretur, eſſet reſtituendum, ſed non eſſet obligatio reſarciendi damna ex dilatione reſtitutionis orta, Mol *t.*3. *d.*68. *n.*3. Si tamen dubitetur, an dominus, ſi ſciret, eſſet remiſſurus, eſt obligatio petendi, ut remittatur, vel reſtituendi, quia dominus eſt in poſſeſſione.

463 §.8. Aſſignatio debiti in Jure vocatur delegatio; delegare autem eſt, vice ſua alium dare reum creditori, vel cui juſſerit, *L.Delegare, ff.de novationibus*, & ad delegationem ſufficit, ſi quis ex quacunque cauſa etiam erronea in ſe recipiat veram alterius obligationem, uti pluribus probant Mol, Caſtr. Haun. Illſ. *t.*4. *d.*3. *n.*286. poteſtque videri etiam Onnate *de contract. d.*21. *ſect.*10.

464 §.9. Tranſactio definitur, pactio non gratuita, de re dubia, lite aut controverſia jam mota: liberat ab ulteriore reſtitutione, ſed tranſigens non debet eſſe certus rem alteri eſſe debitam aut adjudicatam per ſententiam, à qua non detur juſta appellatio, *L.In ſumma, 65. ff. De condictione indebiti, L.ſub prætextu, 29.Cod. de tranſactionibus:* Quod ſi unus ſine onere cedat prætenſione ſua, non erit tranſactio ſed amicabilis compoſitio. Videri poſſunt Authores citati Illſ. *n.*284. Item dicenda *n.*629. & 759.

465 *Q.97. Si debitor morte plectatur, an hæredes excuſentur à reſtitutione damni cauſati per delictum, ob quod plectitur?* Reſp. Affirmant *Scot. Salon. & alii*, ſi morte plectatur ad inſtantiam partis læſæ, quia tum videtur voluiſſe illam eſſe pro omni compenſatione injuriæ: ſed oppoſitum eſt tenendum, per ſe loquendo, uti habet communis cum Sporer *t.*5. *c.*3. *n.*236. & Illſ. *t.*4. *d.*3. *n.*82. Ratio eſt, quia Reſp. per juſtitiam vindicativam tantùm, punit illud delictum, neque ideo præjudicat juri ſtricto, quod ex juſtitia commutativa habent damnificati aut alii creditores: ſi tamen non exigatur compenſatio horum damnorum, propter quæ punitur, probabile eſt poſſe omitti, quia illi, quibus facta eſt injuria, tum cenſentur acquieſcere & condonare, uti docent Sot.March.Bonæſp.Leſſ. *l.*2. *c.*9. *d.*22. Steph. *t.*4. *d.*5. *n.*28. Fill.& Buſemb. relatus *num.*296. Item plurimi alii apud Lugo *d.*9. *n.*49. niſi adhuc extarent, v.g. furto ablatæ, vel hæredes eſſent per illas ditiores facti, tum enim foret obligatio eas reſtituendi, uti rectè *Sporer*. Addit *Lugo* etiam tum fore, ſi ſumma reſtituenda eſſet valde gravis, vel pars læſa reſtitutione valde indigeret, aut ob defectum ætatis, aliamve cauſam non poſſet à creditore debitum remitti.

466 *Q.98. An excommunicatio creditoris vel debitoris excuſet?* Reſp. Aliqui apud Lug. *d.*21. *num.*150. & apud Illſ. *t.*4. *d.*3. *n.*282. aſſirmant, quia non eſt licitum agere cum excommunicato, nec excommunicatus ipſe licitè agit cum aliis, & quoad creditorem excommunicatum, dicunt Mol. & Dicaſt. *d.*10. *n.*159. ſententiam eſſe probabilem, ſed Caſtr. *tr.*32. *d.*1. *p.*7. §.5. dicit oppoſitum eſſe certum. Hinc cum communi dicendum eſt neutrum per excommunicationem excuſari, non creditorem, quia licèt negetur actio judicialiter petendi, *cap. Pia, de exceptionibus in 6.* tamen permittitur privatim petere; nec prohibetur communicare cum aliis, ſi id exigat neceſſitas vel magna utilitas, uti colligitur ex *cap. Quoniam multos*, 11.*q.*3. iterumque ex *ſ. fin.* Addit hanc rationem Dicaſt. *num.*164. quia ſicuti liberum eſt ipſi communicare cum domeſticis ſuis, *cap. Quoniam*, 11.*qu.*3. *cap. Inter alia, de ſent. excommun.* ita etiam cum ſuis debitoribus; & ideo etiam *cap. Si verè, ibid.* permittitur ipſi abſolvere contractus inchoatos. Quod debitorem attinet, videtur eſſe certum eum non excuſari, hinc *Leſſ. & Lugo* meritò dicunt oppoſitum eſſe omnino improbabile, nam ita definitur *cap. Si verè*, ſuprà; & ratio eſt manifeſta, quia debitor poteſt per excommunicationem cogi ad ſolvendum, ergo excommunicatio eum non liberat: ideoque etiam *cap. Intelleximus, de judiciis*, dicitur, quòd excommunicatus in judicio conventus teneatur comparere per procuratorem, ergo ſaltem per talem etiam tenebitur debitis ſuis ſatisfacere.

Q.99. An mors creditoris excuſet debitorem à reſtitutione? 467
R. Si hæredem habeat, non excuſat, quia hic ſuccedit in omnia jura: ſi autem hæredem non habeat nec diſpoſuerit de debito, dandum eſt pauperibus vel loco pio, quia jus non amiſit, & cenſetur velle, ut, ſicuti optimè poteſt, ei proſit. Quòd ſi ante mortuus, poſteà reſurgeret, & necdum eſſet datum pauperibus, eſſet ei ſolvendum, quia retinuit jus: imò quamvis per ultimam voluntatem dediſſet tibi aliquid, tenereris repoſcenti reſtituere, quia ſubintelligebatur conditio, ſi moriar & maneam mortuus, Steph. *t.*4. *d.*4. *n.*4. *Nec obſtat*, quòd Religioſus vel maritus reviviſcens non teneretur votis aut Matrimonio, *quia* hic non tradidit corpus, neque ille vovit, niſi uſque ad mortem.

Q.100. An, & quomodo præſcriptio excuſet à reſtitutione? 468
R. Præſcriptio quandoque idem ſignificat, quod exceptio in contrarium, ſeu excluſio actionis ſibi intentatæ, uti videri poteſt apud Dicaſt. *de Juſt. lib.*2. *t.*1. *d.*1. *dub.*12. ſed non quæritur de illa in iſto ſenſu, verùm de præſcriptione, prout ſignificat certum quendam modum acquirendi dominium, de qua dicimus ſequentia, 1.Quid ſit. 2. An pro foro conſcientiæ valeat. 3. An per eam acquiratur plenum dominium. 4. Quas conditiones requirat, ſpeciatim. 5. Qualem bonam fidem. 6. Qualem titulum. 7. Qualem materiam. 8. Qualem poſſeſſionem. 9. Qualem continuationem temporis in poſſeſſione. 10. Quandonam præſcriptio dicatur currere, interrumpi, dormire. 11. Quibus detur reſtitutio in integrum contra præſcriptionem: Atque ex illis ſufficienter conſtabit, an & qualis præſcriptio excuſet à reſtitutione.

§.1. Præſcriptio eſt *acquiſitio juris vel dominii per poſſeſſionem bona fide cum titulo, & tempore debito continuatam*, ita 469
quoad rem omnes: alio nomine dicitur uſucapio; & quamvis Authores apud Haunold. *t.*1. *t.*5. *à n.*155. per uſucapionem aliquando intelligant acquiſitionem rei mobilis vel rei corporalis, aut præciſè acquiſitionem rei; è contra per præſcriptionem, acquiſitionem rei immobilis, etiam incorporalis, aut etiam exceptionem legitimam fundatam in uſucapione, uti habet Molin. *t.*2. *d.*60. tamen ſæpè confunduntur.

§.2. Per præſcriptionem acquiritur etiam pro foro con- 470
ſcientiæ dominium. Eſt communis omnium ferè Juriſconſultorum, inquit Dicaſt. *num.*167. & eam nunc tenent omnes Theologi teſte Haun. *n.*164. dicitque certam Illſ. *t.*4. *d.*2. *n.*274. eſt autem contra varios apud Mol. *d.*61. 1. contra Roſel. & Hugonem, qui dicunt tantùm valere pro foro externo, in quo priori domino negetur actio, eò quòd nemo debeat cum alterius jactura locupletari, uti habet *Reg.*48. *Juris in 6.* 2. Contra alios, qui dicunt tum tantùm valere pro foro conſcientiæ ſi res fuerit poſſeſſa titulo oneroſo, non autem ſi gratuito, quia gratia non videtur debere nocere domino. 3. Contra Adrian. & Med. quibus favet Scot. *in 4. diſt.* 15. *q.*2. qui dicunt tantùm valere pro foro conſcientiæ, ſi dominus negligens fuerit in recuperanda re ſua, quia ſi culpa nulla præceſſerit, videtur injuſtè ſequi pena privationis. Sed probatur univerſaliter, quia leges humanæ potuerunt per dominium altum transferre jus unius in alterum accedente præſcriptione, ſic enim poſtulat bonum commune, partim ne dominia rerum ſint incerta, *L.*1. *ff. de uſucap.* partim ut vitentur innumeræ lites pro repetendis tuendiſque dominiis, *L.ult. ff. Pro ſuo*; partim ut conſulatur quietandis conſcientiis eorum, qui diù poſſediſſent *L. Cùm notiſſimi, Cod. de præſcript.*30. *vel* 40. *ann.* ne ſcilicet poſſeſſores propè immortali timore teneantur; partim ne homines in conſervandis juribus ſuis negligentes fierent, *L. Ut perfectus, Cod. de annali except. & cap. Vigilanti de præſcript.* ergo cùm leges velint per præſcriptionem acquiri dominium, & ſufficienter ſignificent ſe illud transferre, dicendum eſt velle acquiri etiam pro foro conſcientiæ. Atque ex his facilè reſpondetur ad fundamenta oppoſita: *Ad* 1. Præſcribens locupletatur ex re aliena, & cum jactura alterius per accidens, cum non intenderit: favet autem lex juſta, quæ dominium dedit. *Ad* 2. Quamvis titulus gratuitus præceſſerit, tamen adhuc manent rationes juſtæ legis.

Ad 3.

Ad 3. Licèt inadæquata cauſa ejuſmodi legum fuerit punire negligentiam in tuendis ſuis juribus, tamen adæquata aut principalis cauſa non eſt, uti patet ex dictis, unde ejuſmodi leges non ſunt ſimpliciter pœnales ſed authoritativæ & diſpoſitivæ. Videri poſſunt plura apud Lugo *d.7.ſ.1.*

471 *Objicitur* adhuc, 1. Novella *9.* dicitur, quòd præſcriptio ſit impium præſidium, ergo non valet pro foro conſcientiæ. Reſp. Multi apud Haun. *num.166.* dicunt Novellam illam eſſe ſuppoſititiam, ſed dato eſſe genuinam, dicendum eſt loqui de illis temporibus, quibus præſcriptio currebat etiam cum mala fide, cum qua pro foro conſcientiæ non acquiritur dominium, uti dicetur *num.*480:

Inſt. Abſurdum eſt dicere cognitionem, quam cras habebo de eo, quòd res ſit aliena, non impedire me in conſcientia, quominus rem illam retineam, & tamen me heri impediviſſe, ſi hodie priùs compleam tempus præſcriptionis, ergo. R.N. anteced. nam tempore præſcriptionis completo in bona fide, putando rem eſſe meam, hoc ipſo res per diſpoſitionem legum facta eſt mea, ergo retinere poſſum; ſi autem heri cognoviſſem eſse alienam, mala fide perrexiſsem eam velle uſque hodie habere tanquam meam, ergo non compleviſsem tempus præſcriptionis cum bona fide, ergo leges, quæ bonam fidem ſupponunt per totum tempus, quo currit præſcriptio, non tranſtuliſsent in me dominium.

472 *Obji.2.* Si Judex tulerit ſententiam materialiter injuſtam, is, in cujus favorem tulit, tenetur reſtituere, quando deprehendit fuiſse injuſtam, ergo etiam is, qui præſcripſit, cùm deprehendit rem fuiſse alienum. R.N. conſeq. Judex non confert jus, ſed tantùm declarat, quis videatur habere jus: leges præſcriptionum conferunt jus.

Inſtab. Qui emit rem infra juſtum pretium, non tamen ultra dimidium, per leges eſt ſecurus in foro externo, non tamen in conſcientia, nec acquirit jus ſed tenetur reſtituere, ergo etiam qui ſecundùm leges præſcripſit. R. N. conſeq. leges conferunt jus tali præſcribenti, non autem tali ementi.

473 *Objic.3.* Trid. *ſeſſ.25.cap.19.de Regul.* ſtatuit, ut elapſo quinquennio præſcriptum ſit contra Religioſum dicentem ſe profeſſum eſſe propter vim vel metum aut cum defectu ætatis, neq; tamen Religioſus tenetur in conſcientia remanere, ſi certus ſit ſe vi vel metu coactum, ergo ſimiliter hìc. R.N. conſ. diſparitas eſt, quòd lex humana poſſit transferre dominium ab uno in alterum, è contra non poteſt facere aliquem de non Religioſo Religioſum, cùm ad hoc requiratur conſenſus proprius & liber Religioſi ipſius, quem Eccleſia ſupplere non poteſt: hinc

474 *Inferes,* Si rem legitimè præſcriptam reſtituerem alteri, eò quòd reſcirem fuiſſe ipſius, ideoque putarem me debere reſtituere, hoc non obſtante, poſſem illam iterùm repetere, quia fuit mea, neque volui abdicare à me, niſi quia putavi eſſe alienam, ergo cùm aliena non eſſet, adeoque error dederit cauſam redditionis, reipſa nolui abdicare à me dominium, ergo manſit mea, ita AA. communiter cum Dicaſt. *à num.* 273. contra *Tholoſanum.* Atque idem eſt, ſi ſolviſſem aliquid putans me debere, cùm tamen non deberem; uti rectè Haun. *num.176.* *Nec obſtat,* quòd ignorantia juris non juvet, *nam* hoc verum eſt quando agitur de acquirendo dominio, non autem quando de conſervando, ſic enim dicitur *L.7.ff.De juris & facti ignor. Juris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus, ſuum verò petentibus non nocet.* Vide dicenda *num.*484. Item Gormaz *à num.668.*

475 §.3. Per præſcriptionem acquiritur plenum rei præſcriptæ dominium, ita cum communi Covarr. *Reg. poſſeſſ. par.3. à n.2.* contra multos Juriſtas, qui dicunt ſaltem quoad res immobiles priùs præſcribi dominium utile, quàm directum, ideoque initio non acquiri dominium plenum; ſed oppoſitum probat Lugo *num.11.* hoc argumento, quia tale dominium directum eſſet inutile: hanc rationem rejicit Haun. *à num.172.* dicens poſſe in multis prodeſſe, v.g. ut ſi reliqua bona confiſcarentur ob crimen, hæc res, in qua retinuiſſet dominſum directum, non caderet ſub confiſcationem; item ut prior dominus rem contra ſe præſcriptam iterum præſcriberet, bona fide poſſidendo ut ſuam vi dominii directi &c. Itaque probatur aliter, 1. Quia leges abſolutè dicunt per præſcriptionem transferri dominium, ita ut præſcribens acquirat pleniſſimam ſecuritatem circa dominium, *L.4 Cod. de præſcript.30.vel* 40. *ann.* atqui hoc non eſſet, ſi prior dominus retineret dominium directum, ergo. 2. Quia ſic non obtineretur finis intentus à legibus, nam adhuc incerta manerent dominia directa, nec vitarentur lites, nec quietæ redderentur conſcientiæ.

476 *Objici* poteſt 1. quòd *L.13.ff.de jurejurando* dicatur, eum, qui juravit debere poſt præſcriptionem, habere etiam utilem actionem. Reſp. Lex non favet adverſario is, nam cùm dicat non nudè utilem, ſed, *etiam utilem actionem,* potiùs ſupponeret dominium directum jam ante eſſe acquiſitum, quod tamen adverſarii negant: itaque per actionem utilem intelligitur actio efficax, qua rem efficaciter ſibi vendicet, in quo ſenſu etiam ſumitur Tò *utilis actio L.1. ſ. ult. ff. De aqua pluvia arcenda, & L.10. ff. ſi ſervitus vendicetur.*

Objic.2. Priori domino adhuc convenit exceptio, id eſt, exclusio actionis contra præſcribentem, ergo retinet aliquod dominium. R.N. antec. nam ſi agat, ſemper ſuccumbit, ergo ei non convenit vera actio ſed tantùm apparens. 477

§.4. Ad præſcribendum requiruntur hæ quatuor conditiones. 1. Bona fides. 2. Titulus. 3. Res apta præſcribi. 4. Poſſeſſio continuata per tempus ſtatutum, uti his verſibus ſignificatur; *Non uſucapies, quatuor niſi talia ſubſint; æqua fides, juſtus titulus, res non vitioſa, tempore præſcriplo poſſeſſio continuetur.* Contendunt quidem aliqui Juriſtæ requiri etiam traditionem, ſed contra eſt, quia hæc non requiritur ratione ſui, ſed quia ſine illa non eſſet vel bona fides vel titulus vel poſſeſſio, uti rectè Haun. *num.176.* Nunc quatuor illæ conditiones ſunt ordine explicandæ. 478

§.5. Circa bonam fidem notanda ſunt ſequentia, 1. Bona fides hic, eſt conſcientia bona vel judicium practicum, ſaltem probabile, quòd res, quam incipis poſſidere, ſit tua, ſeu quod hìc & nunc alteri non facis injuriam rem talem tenendo vel tale quid permittendo: hinc ſi res apud te fuiſſet depoſita, & tu factus hæres deponentis, neſcires eſſe tuam, quamvis longiſſimo tempore apud te eſſet, non præſcriberes, quia non haberes veluti tuam; ideoque etiam licèt ignoranti poſſit acquiri poſſeſſio, tamen non ideò curreret præſcriptio, quia ad hanc requiritur ſcientia & voluntas habendi rem tanquam ſuam ſeu habendi jus aliquod in ea, uti clarè innuitur *L.1. Cod. de acquir. poſſeſſ.* his verbis, *Per liberam perſonam ignoranti quoque acquiri poſſeſſionem, & poſtquam ſcientia intervenerit, uſucapionis conditionem inchoari poſſe, tam ratione utilitatis quàm juris, prudentia receptum eſt;* atque ita etiam cum aliis docet Haun. *t.3.num.238.* 479

2. Cum mala fide nunquam præſcribitur, nequidem per tempus immemoriale, unde, ut præſcriptio incipiat currere, præire debet bona fides & continuari. *Noc obſtat,* quòd jus civile apud Haun. *t.5. n.182.* ad præſcriptionem ordinarii temporis requirat bonam fidem tantum ab initio, quamvis poſteà ſuperveniat mala; ad præſcriptionem autem longiſſimi temporis nequidem ab initio requirat bonam fidem, *nam* in hoc correctũ eſt à Jure Canonico, uti conſtat ex *Conc. Lateran.* cujus hæc verba referuntur, *Cap. fin. de præſcript. Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio tam canonica quàm civilis, cùm generaliter ſit omni conſtitutioni, & conſuetudini derogandum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſervari, unde oportet, ut qui præſcribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conſcientiam.* Idem habetur in hac Regula 2. Juris in *6. Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit.* Quæ omnia valent pro toto orbe & pro omni genere præſcriptionum, uti pluribus oſtendit Haun. *à num.*188. 480

3. Si ab initio dubites negativè, id eſt, non habens rationem poſitivam ſaltem probabilem judicandi, quòd res ſit tua, non habebis bonam fidem pro inchoanda poſſeſſione, quia exponeres te periculo faciendi injuriam: poteris tamen velle poſſidere animo conditionato, ſi nempe non ſit res aliena, nec ab alio poſſideatur, Lugo *num.20.* ſed hæc poſſeſſio non ſufficiet ad præſcribendum, quia ſi res fuit aliena, noluiſti poſſidere, ergo non poſſediſti: ſi autem fuit tua, non indigebas præſcriptione, Covar. Med. Molin. Leſſ. Laym. Caſtrop. Lugo *num.22.* Illſ. *num.297.* poſſuntque videri dicenda *num.562.* 481

4. Si bona fide incepiſti poſſeſſionem, & ſuperveniat dubium, an res ſit tua, teneris inquirere; quòd ſi non comperias eſse alienam, potes inſiſtere poſſeſſioni, uti dicetur *num.563.* ſicque præſcribes, Molin. Leſs. Lug. *num.17.* Dicaſt. *num.197.* Illſ. *num.298.* contra Adrian. & alios: Ratio eſt, quia cùm melior ſit conditio poſſidentis, potes habere ut tuam: favetque huic ſententiæ *Cap. ſi Virgo, 34.q.1. & Cap. fin. de præſcript.* uti videri poteſt apud Illſ. *à num.298.* Notat autem Dicaſt. *n.195.* præſumi aliquem incepiſse bona fide, quia delicta non præſumuntur: excipit tamen, niſi contra jus commune acquiſiverit poſſeſſionem, vel poſſeſſionis ſuæ titulum non poſſit afferre alium, quàm longo tempore pacificè poſſediſſe, pro quo remittit ad Abb. *in cap ſi diligenti n.15. de præſcipt.* Vide dicenda *num.567.* 482

5. Si prior poſſeſſor, à quo rem accepiſti per donationem, emptionem &c. bona fide poſſederit, tu autem ab initio dubites, an ſit aliena, teneris inquirere; ſi poſt inquiſitionem non poſſis deponere dubium, potes pergere poſſidere, quia acquiſiviſti jus, quod habuit prior poſſeſſor, ſed hic ſuborto dubio potuiſset pergere poſſidere, ergo & tu poteris, nam non incipis ſimpliciter poſſeſſionem, ſed continuas bona fide inceptam, Lugo *n.64.* 483

6. Si bona fides tua ſit orta ex invincibili ignorantia facti vel juris non manifeſti, ſufficiet ad præſcribendum; ſi ſit ex ignorantia juris manifeſti, communior ſententia eſt cum Mol. *d.64.* non ſufficere, ſaltem in illis perſonis, in quibus non toleratur 484

igno-

ignorantia juris manifeſti (tolerari ſolet in milite & minorenni, quandoque etiam in muliere, & ruſtico, Dicaſt.*n.*203.Haun. *n.*197.) Ratio eſt, quia leges, à quibus eſt tota vis acquirendi Dominium per præſcriptionem, abſolute dicunt ignorantiam juris non juvare, uti conſtat ex *l.*4.7.8.*& 9.ff. De juris & facti ignor.*ac clariſſimè *l.*31. *ff. de uſucap.* ubi ſic dicitur, *Nunquam in uſucapionibus juris error poſſeſſoribus prodeſt:* & hæc ſententia eſt longè probabilior: oppoſitam tamen velut probabilem defendit Lugo *n.*33. ac probabilem eſſe fatentur Leſſ. Caſtrop. Haun. *n.*195. nempe adhuc ſufficere ad præſcribendum pro foro interno, quia talis procedit cum bona fide, cùm non peccet; deinde quia ideò tantùm videntur leges dicere non præſcribi cum ignorantia juris, quia præſumunt malam fidem, ergo ſi conſtet non adfuiſſe malam fidem, videtur præſcribi poſſe, ita Med.quod tanquam verum tenent Covar.Nav.Leſſ. & Plat. *nu.*566. ſaltem in præſcriptione fructuum, nam in his videtur eſſe error facti potiùs quàm juris, error autem facti non impedit bonam fidem, uti habetur *l.*4. *&* 8. *ff. de juris & facti ignor.* Sed ad rationes illas facilè reſpondetur dicendo, ad præſcriptionem requiri fidem non tantùm theologicè ſed etiam civiliter bonam, uti rectè Dicaſt.*n.*198.qualis non eſt, ſi ſit contra leges manifeſtas, tum enim eſt civiliter mala, & hoc valet tam de fructibus quàm aliis rebus præſcribendis, Dicaſt.*n.*205. Vide dicenda *n.*498.

485 7. Si mala fides tua ſit orta ex errore, v.g. quia putabas te furari; inchoando poſſeſſionem rei inventæ, quam tamen poſſeſſionem licitè poteras inchoare, non præſcribes, uti habetur *l.*32. §.1. *de uſucap.* docentque Leſſ. Caſtrop. Lug.*n.*23. Illſ.*n.*31. & ratio eſt, quia leges abſolutè requirunt bonam fidem: ſimiliter ſi putaſti rem eſſe Titii, cùm tamen eſſet Caji, ſic poſſidendo non præſcribes contra Cajum, quia licèt Cajo non facias formalem injuriam, tamen ſimpliciter es malæ fidei poſſeſſor, Haunol.*n.*180 contra Felin. & alios. E contra tamen ſi una eademque res tua, ſit ob diverſos titulos obligata Titio & Cajo, quamvis mala fide intendas elidere jus Titii, ſi bona fide procedas circa Cajum, præſcribes contra Cajum, quia ſunt duæ diverſæ actiones, & circa illam, quæ ſpectat Cajum, es ſimpliciter bonæ fidei poſſeſſor, Haun.*n.*181.

486 8. Si poſſeſſio tua ſit mala, non ratione injuſtitiæ, ſed aliunde, v.g. quia eſt graviter contra charitatem vel votum, non impedit præſcriptionem, quia leges per poſſeſſionem malæ fidei intelligunt detentionem rei contra juſtitiam, Lugo *n.*26.

487 9. Si habeas malam fidem, v.g. reſpectu proprietatis fundi, ſed bonam reſpectu uſusfructus, poteris præſcribere uſumfructum, quia ſufficit bona fides reſpectu illius juris, quod præſcribis, ita cum communi Mol.Lug.*n.*28.Haun.*n.*181.Illſ.*n.*32.

488 10. Si agnoveris rem eſſe alienam, & inculpabiliter omittas reſtituere, v.g. nihil ulteriùs cogitans, ſed relinquens in ciſta tua & pergens tenere ut tuam, Lugo *n.*43. putat præſcriptionem currere, quia pergis poſſidere ſine peccato, ergo bona fide: ſed vix fiet, quin habeas animum, vel reſtituendi, & tum deſines poſſidere, vel non reſtituendi, & tum incipies poſſidere mala fide, unde ſententia Lugonis vix habebit locum in praxi.

489 11. Si fides tua ob inadvertentiam non ſit niſi venialiter mala, Lugo *à n.*37. dicit ſufficere ad præſcribendum, quia qui non peccat mortaliter, ſimpliciter dicitur adhuc habere bonam fidem, & *Conc. Later.* ſupra loquitur de ſolo peccato mortali, quando agit de mala fide; ſi autem ſit ab initio graviter mala, & poſteà bona fides ſuperveniat per oblivionem vel alium titulum, cujus cauſa ſit illa prior poſſeſſio malæ fidei, non præſcribes, vel ſaltem manebis obligatus ad compenſanda omnia damna inde ſecuta, quia cùm prior illa poſſeſſio fuerit injuria, induxit obligationem reparandi omnia damna ex illa conſecuta, inter quæ eſſet amiſſio rei, qua privaretur dominus per tuam præſcriptionem: ſi autem aliunde ſuperveniret bona fides, valeret præſcriptio, tum enim damnum non cauſabitur à mala fide, quam bona fide ſuperveniens purgaſſet; & ſatis colligitur ex hac 36.Reg.juris in *6.Pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſiit poſſidere.*

490 12. Hæres immediatè ſuccedens poſſeſſori malæ fidei, ſive ſit perſona ſingularis, ſive communitas integra, non præſcribit, quantumcunque diu cum bona fide rem illam poſſideat, uti cum probabiliore docent Mol.*d.*65.Dicaſt.*à n.*212. Haun.*num.* 208.*&* 219. videturque ita ſtatui §. *Diutina. Inſt. de uſucap. l.*3. *Cod. Communia de uſucap. l.*11. *Cod. de acquir. poſſeſſ. l.*11. *ff. de diverſis temporal. præſcript.* Ratio eſt, quia hæres per fictionem juris eſt una perſona cum defuncto, ſucceditque, uti in omnia jura, ita etiam in omnes ejus obligationes, inter quas eſt obligatio compenſandi damnum ex mala fide ſecutum, quod damnum afferret illa præſcriptio: ſi tamen rem à defuncto mala fide poſſeſſam incipiat alio titulo bona fide poſſidere, v.g. per emptionem, tenent omnes cum Haun.*num.*213. præſcribere poſſe, quia mala fides defuncti habet ſe per accidens. Similiter mala fides Prælati non impedit præſcriptionem Eccleſiæ poſteà poſſidentis, uti nec mala fides Tutoris impedit poſteà præſcriptionem pupilli ſecundùm dicta *num.*238. quia Prælatus & Tutor ſunt tantùm adminiſtratores, Haun.*n.*220. Quod ſi hæres ſit mediatus tantùm, ſive hæres hæredis, & hic uterque hæres poſſederit bona fide, Accurſ. Grotius, Covar. Mol. Leſſ. Caſtrop. Haun.*d.*209. Platel.*n.*167. Illſ.*n.*307. dicunt præſcribere, quia hic ſecundus hæres non repræſentat primum poſſeſſorem malæ fidei, ſed tantùm immediatam perſonam, cujus eſt hæres, à cujus tamen obligatione, quam ei reliquerat primus poſſeſſor, videtur eximi per præſcriptionem bonæ fidei: quidquid ſit de præſcriptione, Fachin. aliique cum Lugo *n.*61. probabilius dicunt ſaltem manere obligatum, quia ſecundus hæres tenetur ad omnes obligationes primi hæredis, cujus perſonam repræſentat, ergo etiam ad hanc obligationem, quæ erat compenſare damna per malam fidem defuncti cauſata, neque ibi eſt fictio fictionis, ſed duplex fictio, quarum una ſequitur alteram, ſecundùm diſpoſitionem legum.

13. Qui poſſeſſori malæ fidei ſuccedit, non tanquam hæres, ſed velut legatarius, donatarius, emptor &c. poteſt cum bona fide præſcribere, quia non facit unam cum illo perſonam, & cenſetur ſuccedere tantùm in juribus rebus, non autem in vitiis perſonalibus: ſi tamen eſſet res immobilis, quæ alioqui ad præſcribendum requireret.10. vel 20.annos, & dominus neſciat rem illam ab altero poſſideri, ad præſcribendum requirentur 30.anni, uti habetur *Auth. Malæ fidei, Cod. de longi temporis præſcriptione.* 491

14. Ad præſcribendam libertatem à ſervitute ruſtica non requiritur ignorantia juris alieni, hinc ſi ſciam me teneri ad permittendam Titio viam per meum pratum, & Titius hoc ignorans non utatur illo jure ſuo, tacere poſſum & ſuo tempore præſcribere, *l.*10. *&* 13. *Cod. de ſervit. & aqua*: ac pluribus explicat Lugo *à n.*51. cùm enim non utatur illo jure ſuo, cenſetur habere pro derelicto. E contra, ut præſcribam libertatem à ſervitute urbana, debet intervenire actus, quo agam contra jus alterius, *l.6.ff. De ſervit. prædior. urban.* ideoque requiritur invincibilis ignorantia juris alieni, nam ſi ſciens agerem contra jus ipſius, facerem injuriam, & procederem mala fide, ergo præſcribere non poſſem. 492

15. Ad præſcribendam libertatem à ſolvendo debito, requiritur bona fides, qua credas te nihil debere, vel qua invincibiliter ignores debitum, uti rectè Lugo *n.*49. nam ſi ſcias debitum, quamvis inculpabiliter differas ſolutionem, non præſcribes libertatem à debito, cùm habeas animum ſolvendi, & tempus ex contractu vel conſuetudine conſtitutum ſufficienter interpellet, tu autem prætereà tenearis ſponte tua ſolvere. Videri poteſt Haun.*n.*193. 493

16. Præſcribi poteſt libertas à pœna vel mulcta ſolvenda, ſi intra certum tempus non exigatur, quamvis ſcias te debere, quia non teneris tua ſponte ſolvere, ſi non exigatur, uti habet praxis, ergo poteris habere animum retinendi, ut rem tuam, quamdiu non petitur, Cov. Mol. Haun.*n.*183. Illſ.*n.*296. Excipitur pœna privationis bonorum ob hæreſin, contra quam non præſcribitur, uti ex Jure refert Lugo *n.*50. 494

§.6. Circa titulum, notanda ſunt ſequentia: 1. Per titulum intelligitur cauſa ex ſe habilis ad transferendum dominium, uti eſt ſolutio, emptio, donatio, permutatio, hæreditas, legatum, fideicommiſſum, prima occupatio, adjudicatio per ſententiam &c. & in jure vocantur pro ſoluto, pro emptore, pro donato, pro hærede, pro legato &c. Similes tituli ſunt pro derelicto, pro dote, pro ſuo &c. de quibus plura habent Haun. *à n.*233. & Illſ.*n.*283. Ad præſcriptionem autem requiri titulum, patet ex *cap. ſi diligenti, de præſcript.* & ex *l.*38. *ff. de uſucap.* ratio autem eſt, quia alioqui non adeſſet bona fides. 495

2. Titulus eſt vel verus vel coloratus vel apparens vel præſumptus: *Verus*, tum eſt, ſi reipſa exiſtat, uti ſi res ſit reipſa empta; Tum eſt *coloratus*, quando intervenit talis titulus, ſed ob ignoratam cauſam fuit invalidus, uti ſi res ſit empta; ſed quia empta eſt infra dimidium juſti pretii, emptio fuit invalida; Tum eſt *apparens* ſeu exiſtimatus, ſi reipſa non exiſtit, attamen bona fide putatur exiſtere, ut ſi quis prudenter judicet rem à patre ſuo eſſe emptam, quæ tamen ab eo empta non eſt, nequidem per invalidam emptionem; Tum eſt *præſumptus*, quando non ſcitur de ullo certo titulo, quo res incepta ſit poſſideri, nihilominus prudenter præſumitur aliquis adfuiſſe. 496

3. Ad præſcribendum non requiritur verus titulus, ſi enim hic adſit; jam antecedenter ad præſcriptionem habetur dominium, neque aliquis poteſt ſuam rem præſcribere. 497

4. Ad præſcribendum ſufficit titulus coloratus, uti cum communi docent, & ex legibus probant Haun. *à n.*224. & Illſ. *n.*287. Excipe, niſi fundetur in ignorantia juris manifeſti, quæ in tali perſona à jure non toleretur, ſecundùm dicta *num.*484. & pluribus exponit Leſſ. *l.*2.*c.*6. *à n.*14. Haun. *à num.*206. Illſ. *à n.*288. *qui num.*291. tenet cum aliis titulum ex tali ignorantia probabiliter ſufficere ad præſcriptionem extraordinariam, v.g. 498

lon-

longiſſimi temporis, quia non impedit bonam fidem; ſed de hoc dictum eſt *cit.n.*484.

499 5. Etiam ſufficit titulus exiſtimatus, dummodò non ſit titulus pro emptore Haun.*ſup.* Illſ.*n.*293. & habetur *l.*48. *ff.De uſucap.Si exiſtimaris debere tibi, tradam, ita demum uſucapio ſequitur, ſi & tu putes debitum eſſe: aliud, ſi putem me ex cauſa venditi teneri, & ideo tradam, hic enim, niſi actio præcedat pro emptore, uſucapio locum non habet.* Aliæ leges, quæ ad præſcribendum videntur requirere exiſtentiam tituli, explicandæ ſunt de exiſtentia intentionali ſive bona fide exiſtimata.

500 6. Quando eſt poſſeſſio longiſſimi temporis, communiter præſumitur adfuiſſe titulus, ſufficitque ad præſcriptionem, uti habetur *l.*4.*Cod.de præſcript.*30.*vel* 40. *annor.& Cod.ad Aures, de præſcr.* Quòd ſi res præſcribenda eſſet ſervitus realis, & continua, uti eſt v.g. aquæductus, ſufficit tempus ordinarium cum titulo præſumpto, ubi enim adeſt ſcientia, & patientia domini, præſumitur conſenſus, *l.*10.*ff.Si ſervitus vendicetur*: In certis tamen caſibus Jus non vult hoc præſumi, niſi abſit præſumptio malæ fidei, uti notat Haun.à *num.*230. & accedat poſſeſſio immemorialis, uti habetur *cap.*1. *De præſcript.in 6.* Attamen ex poſſeſſione longiſſimi temporis præſumuntur omnia ſolemniter interveniſſe, niſi requiſita eſſet ſcriptura, Barboſ.*in collect.ad 3.decret.tit.*17.*Cap.Per venit* 4.*num.*3. & 4. Pirh.*l.*3.*t.*13.*n.*34.

501 §.7. Circa res vitioſas ſeu non aptas præſcribi,notanda ſunt ſequentia: 1.Res aliquæ ſunt non aptæ præſcribi, vel ex natura ſua, vel tantùm ex diſpoſitione Juris: ſic enim natura ſua præſcribi non poſſunt res ad cultum Dei conſecratæ, uti calices, Templa, Monaſteria, cùm ſint Dei, qui cenſetur ſemper poſſidere per ſuos miniſtros, §.1.*Inſt.de uſucap.& l.*9.*ff.eodem tit.* Item res publicæ, quales ſunt viæ, plateæ, fora, pontes; & generatim,quæ debent eſſe communia *l.*9.*ff.ſupra,l.præſcriptio, Cod.de operibus publicis.* Ratio autem eſt, quia nemo ſeorſim poteſt eorum eſſe dominus, imò nec ſeorſim poſſidere, quia ſunt omnium. Ob eandem rationem non poteſt res indiviſa. communis pluribus, ab uno eorum præſcribi, quia ſemper poſſidetur nomine communi omnium.

502 2.Ad res ex natura ſua non aptas præſcribi reducunt Haun. *num.*355.& Illſ.*num.*276. ſervitutem hominis liberi, ex *l.*9.*ff. de uſucap.& Inſt.§.*1.*tit.eodem*: Ratio eſt, quia ad illam non videtur Reip.competere dominium altum: eò etiam reducitur jus primigenium ſeu fundamentale ad Decimas, quod, utpote ſpirituale, à laico præſcribi non poteſt, uti habetur *c.Cauſam,* 7. *de præſcr.& cap.*15. *de Decimis*: Imò poſt decretum *Concil. Lateran.* neque à laico contra Eccleſiam præſcribi poteſt jus quaſi feudale Decimarum dependens à primigenio, poſſunt tamen laici præſcribere immunitatem à ſolvendis Decimis, cum titulo tempore 40. annorum, ſine titulo autem immemoriali tempore, uti ex *cap.*4. *de præſcript.*colligit Illſ. *num.*276. poteſtque de his etiam videri Delbene *de Immunit. Eccleſ.cap.*8. *d.*29*ſect.*2.*& ſeqq.* item Engel.*in Manuali Paroch.p.*3. *c.*1.§.2. ubi à *num.*16. docet poſſe jus utile decimandi etiam nunc poſt *Conc. Lateran.*præſcribi à laico contra alium laicum, qui illud ante Concilium obtinuerat.

503 3. Etiam ex natura rei præſcribi non poteſt, v.g. à ſimplici Sacerdote poteſtas delegata conferendi Ordines, tum enim per præſcriptionem fieret propria, cùm è contra ſemper exigat reſpectu illius eſſe delegata.

504 4. Ex diſpoſitione juris nunquam præſcribi poſſunt res pupillorum, *l.*3. *Cod.de præſcr.*30.*vel* 40. *annorum*: item limites provinciarum, Epiſcopatuum, parochiarum, ſi conſtet aliquando fuiſſe alios, *cap.Inter memoratos, 16.q.*4.*cap. Super eo, de Parochiis*; aliud eſt, ſi id non conſtet; ſpecialiter tamen permittit *cap.*1.*de præſcr.*ut Epiſcopus poſt triennium partem alienæ diœceſis, cujus incolas à proprio Epiſcopo neglectos ad fidem converterit, in præmium ſuæ diligentiæ, & in pœnam incuriæ alterius Epiſcopi, ſuæ diœceſi adjungat, & ſic cenſeatur quaſi præſcripſiſſe. Videri poteſt Barb. *de Jure Eccl. l.*1.*c.*20.*à n.*28. ubi rectè notat, quamvis fines Epiſcopatus aut Parochiæ nunquam præſcribantur tamen poſſe acquiri juriſdictionem ſpiritualem in ſubditos,juxta *c.Ad aures,de præſcript.*

505 5. Etiam ex diſpoſitione juris, aut potiùs ex natura rei,præſcribi non poteſt immunitas ab iis, quæ quis ut ſubditus debet Principi in recognitionem poteſtatis ipſius & ſuæ ſubjectionis, uti ſunt tributa, correctio, appellatio ad ipſum; poteſt tamen ſubditus præſcribere libertatem à gabellis, vectigalibus, contributionibus, quæ pro alia neceſſitate ſolvuntur; item à poteſtate temporali Principis, ut nempe deſinat eſſe ejus ſubditus;& hæc quidem, cum titulo, ſpatio 50.annorum; ſine titulo, tempore immemoriali: à Papæ tamen poteſtate ſpirituali, quæ eſt juris divini, nemo poteſt unquam præſcribere exempti onem. Videri poteſt Dicaſt.à *n.*175.*&* 209.qui à *n.*49. examinat, an ab aliquo præſcribi poſſit poteſtas imponendi tributa.

506 6. Alia etiam ſunt, quæ ex diſpoſitione Juris dicuntur non apta præſcribi, quia tempore ordinario non præſcribuntur,ſed tantum extraordinario, uti cum aliis notat Illſ.*n.*277.talia ſunt fundus dotalis, res immobiles minorennium, res furtivæ, &c. de quibus paulò poſt dicetur. Et ad res nonnili tempore immemoriali aptas præſcribi reducit Caſtrop.Majoratus, feuda & fideicommiſſa, ſaltem in Hiſpania, ſed probabiliter contradicunt Leſs.Haun.aliique cum Illſ.*à n.*278.

§.8. Circa poſſeſſionem debito tempore continuandam, 507 notanda ſunt ſequentia: 1.Poſſeſſio dicitur à *pedum poſitione* in aliqua re, vel à *poſitione ſedis* in re, vel à *pos*, potens, & *ſeſſio*, quaſi cum poteſtate ſeſſio, Lugo *diſp.*2*ſect.*4. Sumitur quandoque objectivè pro re poſſeſſa, & ita dicimus divitem habere multas poſſeſſiones; quandoque formaliter pro hoc, à quo veluti forma aliquis denominatur poſſidens & res denominatur poſſeſſa, & eo modo hic ſumitur: neque verò per poſſeſſionem intelligi debet ſola detentio rei,uti baculus tenet rem, quam portat, hæc enim à Juriſtis vocatur aſinina poſſeſſio, ſed detentio habens ſpeciales effectus in jure, de quibus dicetur à *n.*909. ſoletque ejuſmodi poſſeſſio in genere duplex diſtingui, nempe facti & juris; poſſeſſio facti eſt actus poſſidendi, abſtrahendo an juſtè an injuſtè, ſecundùm *l.*3.§.5.*ff.de acqu.poſſeſ.* Juris, eſt jus poſſidendi; ſic enim communiùs ſumitur, quamvis aliqui dicant poſſeſſionem facti eſſe poſſeſſionem ſine jure poſſidendi, è contra poſſeſſionem juris eſſe poſſeſſionem cum jure poſſidendi.

2. Poſſeſſio facti eſt apprehenſio rei corporalis, corporis, 508 animi & juris adminiculo, uti habet communis cum Mol.*t.*1.*tr.* 2.*d.*12.Per *apprehenſionem*, intellige veram vel fictam; vera eſt, ſi apprehendam pede vel manu; ficta, quæ ex juris diſpoſitione vel conſuetudine ſufficit, ut quis dicatur apprehendiſſe. Dicitur autem *rei corporalis*, quia rerum incorporearum, v. g. beneficii, non dicitur propriè ſed quaſi poſſeſſio, eò quòd non per ſe, ſed per aliquid aliud corporeum apprehendatur: fieri autem debet *corporis* adminiculo,quia non ſufficit animus habendi: alioquin venans feram, jam poſſideret; accedere tamen debet etiam *animus* habendi ut ſuam, alioquin eſſet nuda detentio, per hoc autem vult ut ſuam, quòd velit haberi pro domino & de re diſponere, ac ſi eſſet dominus, quamvis fortè non ſit: aſſiſtere debet etiam *jus*, non quòd apprehenſio illa debeat ſemper eſſe juſta, ſed quòd jus non debeat impedire, ne tali apprehenſione corporis & animi habeatur poſſeſſio, uti impedit, ſi laicus velit rem ſacram poſſidere: ideo autem favet etiam injuſtæ apprehenſioni, quia ſæpe neſcitur, an non ſit juſta.

3. Ad veram poſſeſſionem totius,ſatis eſt apprehendi par- 509 tem, *l.*3. §.1. *ff.de acqu.poſſeſſ.* imò in quibuſdam acquiritur poſſeſſio, apprehendendo, non partem rei, ſed aliquid aliud, ſic enim poſſides equum apprehendendo frenum; bona mobilia defuncti apprehenſa parte domus in qua ſunt, cum animo apprehendendi etiam contenta: ſi tamen plura non faciant unum, uti ſi ſint plura prædia vicina, requiretur in ſingulis apprehenſio; item requiritur apprehenſio per totum, quando capitur poſſeſſio in aliqua tantùm ejus parte, uti ſi velis poſſidere ſervitutem viæ per fundum alienum, debes actum exercere per totam illam partem, in qua erit via, Mol.*d.*13. adducens Jura, & AA.

4. Apprehenſio vera requiritur,ut acquiratur poſſeſſio re- 510 rum,quæ anteà nullius erant, uti ferarum,theſaurorum, §.13. *Inſt. de rerum div.* Item rerum vi aut clàm poſſidendarum, v. g.rei depoſitæ, *l.*3.§.18. *ff.de acq.poſſeſſ.*Item rerum ab aliis poſſeſſarum, ſi horum conſenſus deſit, etiamſi fiat authoritate Judicis. Excipe, niſi vi impedireris ab altero, vel ob juſtum impedimentum non poſſes verè apprehendere, tum enim ſufficeret apprehendere viſu, aut ſi non poſſes viſu, ſaltem verbo, Gom.& alii cum Mol.ſupra: & ſimilem caſum ex Jure Canonico affert Haun *n.*220.

5. Apprehenſiones fictæ, per quas prior poſſeſſor tradere 511 poteſt poſſeſſionem, fiunt, in primis viſu, uti ſi ex turre etiam diſtante oſtendam arcem, volens alterum ita in poſſeſſionem ejus immittere: deinde traditione Scripturæ, quam prior poſſeſſor habuit, ex qua conſtet de titulo & jure: præterea traditione clavium in præſentia horrei vel alterius rei,in qua res aliæ continentur: Item ſi prior poſſeſſor per quemcumque contractum tranſtulerit dominium in alterum, reſervando ſibi uſumfructum aut conſtituendo ſe conductorem in ea, ſive res præſens ſit ſive abſens: Item, ſi rem meam apud te exiſtentem in te transferam per quemcumque contractum, neque ſit alius, qui civiliter eam poſſideat: Item, ſi ille, ad quem res per quemcumque contractum translata eſt, appoſuerit cuſtodiam apud illam: Item, ſi ille, qui rem acquirit, eam cum conſenſu prioris poſſeſſoris ſignet, ſeu ei certam notam imprimat: Item, ſi poſſeſſor in publico inſtrumento dicat ſe poſſidere nomine alterius, qui hoc ratum habeat, tum enim poſſeſſio dicitur tradi per clauſulam *Conſtituti*, hoc eſt, per clauſulam, quia conſtituit ſe poſſeſſorem nomine alterius.Denique per ſolam diſpoſitio-

tionem legis, quæ erit loco apprehenſionis; & hæc poſſeſſio à Juriſtis vocatur civiliſſima.

512 6. Poſſeſſio ſervitutum, ſi adſit verus titulus, v.gr. emptionis, acquiritur per uſum, quo quis putat ſe uti jure ſuo, accedente ſcientia & patientia ejus, ad quem ſpectat eam ſervitutem dare vel impedire; item per ſolam immiſſionem in fundum, in quo eſt ſervitus, factam à domino, cum animo tradendi poſſeſſionem, niſi alius eſſet poſſeſſor fundi, tum enim accedere deberet etiam hujus ſcientia & patientia. Quòd ſi alius, quàm legitimus dominus, poſſideat fundum tunc ad acquirendam poſſeſſionem ſervitutis vel juris alterius incorporalis in eo ſatis eſt uſus ejus ſervitutis vel juris cum ea perſuaſione, quòd utens utatur jure ſuo, accedente ſimul ſcientia, & patientia poſſeſſoris. Item ſatis eſt immiſſio in fundum per poſſeſſorem facta animo concedendi poſſeſſionem, licèt in neutro caſu adſit ſcientia aut patientia veri domini. Similiter ſi quis cum ſcientia & patientia illius, ad quem ſpectat poſſeſſionem dare vel impedire, utatur jure aliquo, v.gr. eligendi aut præſentandi, comparat ejus poſſeſſionem, quamvis careat titulo, dummodò faciat credens ſe uti jure ſuo: in hoc autem & ſuperioribus caſibus non debet ex circumſtantiis innoteſcere, quòd hoc permittatur fieri pro tunc ex gratia, ſed debet videri fieri ex jure, Dicaſt. *lib.2.t.1.d.1.à num.291.* Ut autem hoc innoteſcat, quandoque ſufficiet unus actus, quandoque plures requirentur, quod arbitrio prudentis Judicis eſt relinquendum, ſic enim ut acquiratur poſſeſſio juris ad eligendum Epiſcopum, ſatis erit Titium Capitularem ſemel eſſe admiſſum: è contra ut acquiratur poſſeſſio ſervitutis ad habendam viam per pratum, non ſufficiet ſemel, nec iterum permiſiſſe tranſitum, ſed longè plures actus requirentur, v.g. ut per annum ſaltem 30. vicibus tranſierit: In dubio autem, an talis actio ſit facta ex jure an ex gratuita permiſſione, putant Faber & Dicaſt.*n.292.* cenſeri debere factam ex jure. Denique certum eſt apud omnes, quòd uſus immemorialis faciat certam juris poſſeſſionem, uti *n.543.* dicetur. Hactenus allata deducit fusè Mol. *d.14.* adductis legibus, & AA.

513 7. Poſſeſſio facti, ex parte modi poſſidendi, alia eſt juſta, alia injuſta, uti ante dictum; & injuſta, alia eſt bonæ fidei, ſi poſſidens putet ſe habere jus, & tamen non habeat; alia malæ fidei, ſi ſciat ſe non habere jus: deinde ex parte tituli alia dicitur colorata, pro qua eſt titulus aliquis ſaltem verisimilis, & non apertè nullus; alia non colorata, cujus titulus eſt apertè nullus. Colorata, pro varietate titulorum ſubdividitur in varias ſpecies, v.g. in poſſeſſionem pro empto, pro hærede &c. ſi nempe acquiſita ſit titulo emptionis vel hæreditatis: poteſtq; eadem res pluribus titulis poſſideri, uti ſi poſſideas ut hæres illius, qui emerat, *l.3.ff.4.ff.de acquir.poſſeſſ.*

514 8. Poſſeſſio facti alia eſt naturalis, alia civilis; naturalis eſt, qua quis corpore & animo inſiſtit rei, ſive juſtè ſive injuſtè; civilis, qua quis poſſeſſionem naturalem adeptus, quamvis actu non corpore, tamen animo, ſaltem habitualiter inſiſtit rei, *l.6.ff. de acq.poſſ.* v.g. Titius poſſidebat domum, ſed relinquens vacuam abiit Romam animo revertendi in illam; interim Cajus ingreditur in eam animo habendi ut ſuam, hic Cajus acquirit poſſeſſionem naturalem, quam Titius amiſit, licèt retinuerit civilem, quouſque revertens non admittatur iterum ad poſſeſſionem naturalem, vel ſuſpicans ſe non admittendum deſinat velle iterum occupare, & tum Cajus incipiet poſſidere etiam civiliter. Sola autem civilis poſſeſſio dicitur ſimpliciter poſſeſſio, unde intermedio tempore ſolus Titius erat ſimpliciter poſſeſſor, Cajus tantùm cum addito, naturalis: poteſt tamen aliquis per ſe civiliter poſſidere aliquid, per alium naturaliter, uti dominus per ſe civiliter poſſidet prædium, per villicum naturaliter, & tum etiam dicitur perfectè poſſeſſor; perfectiſsimè autem, ſi ipſemet & civiliter & naturaliter poſſideat, nimirum cum adminiculo animi & juris etiam actu corporeo detinendo rem velut ſuam. Ex his patet idem poſſe poſſideri ab uno naturaliter, ab altero civiliter, *l.3.ff. Uti poſſidetis*, probatque pluribus, Haun.*à n.213.* *Nec obſtat*, quòd *l.3.§.5. de acqu.poſſ.* dicatur plures non poſſe poſſidere idem in ſolidum, *nam* lex illa tantùm loquitur de poſſeſſione ejuſdem generis, & reipſa tantùm negat apud duos poſſe eſſe in ſolidum poſſeſſionem naturalem.

515 9. Poſſeſſio juris in communiore acceptione ſumpta, eſt jus inſiſtendi rei tanquam ſuæ, non prohibitæ poſſideri, *Bartol.* aliique communiter. Dicitur *jus*, per quod differt à mera poſſeſſione facti, quæ abſtrahit, an fiat cum, an ſine jure. *Inſiſtendi rei*, id eſt, tenendi rem & utendi remediis juris contra volentem impedire. *Rei tanquam ſuæ*, id eſt, nomine proprio, ita ut tenere poſſit & velit tanquam ad ſe pertinentem. *Non prohibitæ poſſideri*, id eſt, quam nulla lex prohibeat teneri & defendi tanquam ſuam; quod additur claritatis cauſa, nam hoc ſufficienter includebatur in Tò jus, cùm non ſit jus ad aliquid lege prohibitum. *Dixi*, in communiore acceptione ſumpta, nam ſi ſumatur pro ipſa poſſeſſione, quæ poſteà jure habetur, eò quòd præceſſerit poſſeſſio facti, rectè ex Molin.*d.17.* definiunt eam Dicaſt.*num.62.* & Maurus *de Juſtit. q.172. inſiſtentia actualis, aut quaſi habitualis in re aliqua, proveniens ex apprehenſione corporis, animi, & juris adminiculo*; unde poſſeſsio facti rectè dicitur cauſalis, è contra poſſeſsio juris eſt veluti formalis, quia apprehenſio rei cauſat jus ei inſiſtendi, & eſt via, qua venitur ad juſtam poſſeſsionem, ideoque etiam qui ita apprehendit rem, dicitur capere poſſeſsionem, & poſteà, ſi adſit bona fides, reſultat jus illam retinendi, ſi autem abſit bona fides, non eſt propriè jus, ſed tantum quædam poteſtas detinendi, non poſitivè firmata, ſed tantùm non irritata per leges, eſtque tantùm quædam poſſeſsio habitualis facti, Palav. *de juſt. num.114.* Quòd ſi quis per poſſeſsionem juris intelligeret poſſeſsionem per leges non irritatam, abſtrahendo an ſit juſta an injuſta, poſſet definiri, quòd ſit *poteſtas inſiſtendi rei tanquam ſuæ vi interdictorum poſſeſſoriorum*, de quibus dicetur *num.711.* Advertit tamen Platel. *n.533.* poſſeſsionem de ſe injuſtam, v.g. quam habet fur reſpectu rei furtivæ, dici poſſe jus inſiſtendi, non contra dominum ſed alios, contra quos jus habet eam tenendi, ne ſi hi alii rem deſtruant, ipſe patiatur damnum valoris. Porrò hæc poſſeſsio juris per hoc diſtinguitur à dominio, quòd dominium ſit poteſtas abſolutè diſponendi de re, poſſeſsio autem juris tantùm dicat poteſtatem tenendi rem, & ſe tuendi contra volentes invadere.

10. Quivis ratione utens poteſt acquirere poſſeſsionem per 516
ſeipſum vel per alium, quamvis de hoc non ſciat, *l.3.§.12. l.4. l.9.ff. & l.1.Cod.de acq.poſſ.* Ratione non utens etiam poteſt per alium nomine ipſius agentem, Haun. *à num.234.* Quòd ſi ille alius non poſsit ſibi ſed alteri tantùm acquirere, uti ſervus tantùm poteſt domino, quamvis vellet, non acquiret ſibi ſed domino, *l.15.ff. ibid.* poſſet tamen, ſi ita vellet, acquirere alicui tertio, *l.1.§.19. ibid.* Qui autem poteſt ſibi, ut acquirat alteri, debet hoc velle, *ibid.§.20.* ſed ut quis, qui non poteſt ſibi, acquirat alteri poſſeſsionem, debet hæc eſſe juſta, *Inſt. Per quas perſonas l.24.ff.de acquir.poſſ.* De emolumentis poſſeſsionis, vide Haun.*num.201.*

11. Poſſeſsio amittitur ſolo animo non poſsidendi: ſi tamen 517
poſsidens eſſet pupillus vel furioſus, requireretur conſenſus tutoris aut curatoris: quòd ſi quis ideo poſſeſsionem dimittat, ut alius habeat, ſi hic non acquirat, prior retinet, quia inerat conditio, ſi alter acquirat, *l.34.ff. ſuprà*: debet autem animus externè manifeſtari, nam licèt *l.3. & l.17.* ibidem dicatur poſſeſsionem ſolo animo amitti, intelligitur, manifeſtato, uti rectè Suar. Lugo *d.23.num.59.* Dicaſt. *l.2.t.4.num.72.* hinc *l.8.* ibidem dicitur, *Quemadmodum nulla poſſeſſio acquiri niſi animo & corpore poteſt, ita nulla amittitur, niſi in qua utrumque in contrarium actum eſt*; Ratio eſt, quia cùm conſiſtat in facto ſeu intentione externa, debet externè ſupervenire aliquid, ratione cujus dicatur non ampliùs tenere. Deinde ſi res immobilis abſente priore poſſeſsore ab alio fuerit naturaliter poſſeſsa, & prior iterum volens ingredi poſſeſsionem repellatur aut urgere deſiſtat, hic amittit poſſeſsionem: item ſi res immobilis à mari vel flumine ad longum tempus occupetur, illius poſſeſsio amittitur: item ſi res mobilis ab alio apprehendatur, v.g. a fure, animo poſsidendi, licèt dominus ignoret, amittit poſſeſsionem; ſi tamen quis rem apud ſe depoſitam ſic furetur, qui depoſuit, prius non amittit poſſeſsionem, quàm depoſitarius eam loco moveat, animo ſibi uſurpandi: quòd ſi res mobilis perdatur, licèt à nemine ſit occupata, perditur ejus poſſeſsio excepto ſervo, cujus poſſeſſio civilis non amittitur, quamvis aufugiat, donec ab alio occupetur vel diu ſe gerat pro libero, niſi eſſet captivitate ſervus: ſi tamen res alia mobilis adhuc reipſa ſit in noſtra cuſtodia, ſed non occurrat, quia indiget diligentiori inquiſitione, v.g. eſt in quodam angulo domus, ita ut non ſtatim videatur, retinetur poſſeſſio. Præterea poſſeſſio animalium, v.g. bovis, amittitur, quando cuſtodiam noſtram evaſerunt, & diligenter perquiſita non reperiuntur, etiamſi nemo occupaverit: ſimiliter poſſeſſio piſcium, avium & ferarum, quæ à nobis captæ ſunt & fuerunt poſſeſſæ, amittitur, quando manus & cuſtodiam noſtram effugiunt, & ſuæ libertati ſunt redditæ, nec habent conſuetudinem redeundi, ſecundùm dicta *n.264.* Pro his omnibus citant leges & AA. Mol. *d.15.* & Haun *à num.245.*

12. Non ideò amittitur poſſeſſio, quòd quis habens poſſeſ- 518
ſionem exerceat aliquem actum precariò, v.gr. ſi petat veniam tranſeundi per pratum, per quod habet tranſeundi poſſeſſionem, quia non ideo vult ſe abdicare poſſeſſione, ſed poteſt hic & nunc petere veniam ex alio fine, Haun. *num.225.* Similiter poſſeſſio, quæ per Cajum capta eſt pro Titio ignorante, non ideò amittitur, quòd Cajus fortè moriatur, etiam antequam Titius reſciat poſſeſſionem ſibi eſſe captam, *l.12. Cod. de acquir. poſſ.* Quòd ſi Titius per ſeipſum naturaliter poſſidens fundum ita diſcedat ab eo, ut nequidem ſit vicinus illi, nec in conſpectu habeat, amittit naturalem poſſeſſionem & retinet ſolam civilem; è contra ſi naturaliter poſsideat per alium, v.g. per colonum, ſervum, procuratorem, quamvis hic ita diſcedat, ut

nec

nec maneat vicinus nec in conſpectu habeat, Titius retinet poſſeſſionem civilem & naturalem, *l.31.40.44.ff.de acq.poſſ.* Rationem diſparitatis dat Haun. *n.*244. quia ſi, v.g. colonus ita diſcedens amitteret naturalem poſſeſſionem, cùm civilem non habeat, hoc ipſo nihil competeret illi contrà injuſtum invaſorem, adeoque nec interdictum, *unde vi*, de quo dicetur *n.*711. hoc enim favet poſſeſſioni ſaltem civili, ut recuperetur etiam naturalis.

519 6. 9. Circa continuationem temporis ad præſcribendum requiſiti notanda ſunt ſequentia, 1. Tempus in Jure aliud dicitur *breve*, quod eſt infra 10. annos; aliud *longum*, quod inter præſentes eſt ſaltem 10. inter abſentes ſaltem 20.annorum; aliud *longiſſimum*, quod eſt ſaltem 30. annorum.

2. Præſentes in hac materia dicuntur, qui habitant in eodem territorio; abſentes, qui in diverſo, uti probabiliùs dicunt Mol. Leſſ.Lug.*num.*67. quamvis Platel.*num.*563. dicat ſecundùm jus commune præſentes cenſeri, qui ſunt in eadem provincia, abſentes qui in diverſa, & ita habetur *l.ult. C.de longi temp. præſcript.* docetque etiam Dicaſt.*n.*227.etiamſi res, inquit, quæ uſucapiuntur, ſint alibi, ut expreſsè habetur *l.*12. *ſuprà*.

520 3. Tempus *immemoriale* dicitur, cujus neſcitur initium, ſive, *cujus origo memoriam exceſſerit*, uti habetur *l.*3. §. *Ductus aquæ, Cod. de aqua quotid. & æſtiv.* hinc ſecundùm Dicaſt. *n.*245. Illſ.*n.*329. *& alior*, non dicitur tempus immemoriale, ſi initium poſſeſſionis poſſit cognoſci per inſtrumenta authentica aut ex continua traditione hominum; non obſtat tamen, quòd contrarium poſſeſſionis poſſit probari, dummodò hujus ultimæ poſſeſſionis non poſſit oſtendi initium, hinc Nav. Mol. Engel.*nu.*11. Laym. *l.3.t.*1.*c.*8.*n.*15. Dicaſt. *n.*246. rectè dicunt non obſtare poſſeſſioni immemoriali, ſi conſtet alium ante annos 200. aut 300. poſſediſſe, dummodo neſciatur initium præſentis poſſeſſionis; neſciri autem hoc initium, probatur per teſtes ſenes, ſeu annorum ſaltem 48. uti volunt *Mol. & Caſtrop.* quamvis *Vaſq. & alii* cum *Dicaſt.* putent ſatis eſſe, ſi ſint majores 40. annis, qui deponant de 40. annis, & dicant ſe ſemper vidiſſe & audiviſſe rem ita eſſe, quodque fuerit communis ſemper opinio & fama de hoc, ita ut non extet memoria contrarii: & quamvis Covar. Mol. Engel.*num.*12. aliique multi dicant ad poſſeſſionem immemorialem non requiri certum numerum annorum, tamen putant requiri plures quàm 100. quia *c. Si diligenti, de præſcript.* dicitur, quod centenaria poſſeſſio requirat titulum, ex quo videtur colligi, quòd poſſeſſio immemorialis, quæ titulum non requirit, poſtulet plures annos quàm 100. Nihilominus 100. anni habentur veluti tempus immemoriale, quia ordinariè ſunt ſummum vitæ humanæ, ideoque videntur ſuperare hominum memoriam, Lott. *de re benef. l.*2. *q.*7. *n.*59. ubi notat *n.*62. reſpectu centenariæ poſſeſſionis decem vel undecim menſes, qui fortè deficiunt, cenſeri dies pauciſſimos, ideoque non obſtare tantillum defectum.

521 4. Si certum tempus requiratur ad alias præſcriptiones v. g. 10. annorum, putat Sanch. *in Conſ.l.*2.*c.*1.*d.*28. numerari debere à momento ad momentum, & non tantùm à die ad diem inceptum: è contrà Dicaſt. & Haun.*t.*3.*n.*266. cum communiore tenent oppoſitum, probatque *Haun.* ex variis legibus, quarum alias in ſpeciem contrarias explicat: ſic autem habetur in Codice *l.*7. *tit.*39. *L.*7.§.6. *In his etiam promiſſionibus vel legatis vel aliis obligationibus, quæ dationem per ſingulos annos vel menſes aut aliquod ſingulare tempus continent, tempora memoratarum præſcriptionum, non ab exordio talis obligationis, ſed ab initio cujuſque anni vel menſis vel alterius ſingularis temporis computari manifeſtum eſt.*

522 5. Res præſcribendæ ſunt, vel mobiles, ideſt, quæ aut ſe ipſas movent, aut animalia, aut loco moveri poſſunt, uti pecuniæ: vel ſunt immobiles, ut agri. Ad mobiles reducuntur debita & actiones ex rebus mobilibus competentes, quia acceſſorium ſequitur principale, docetq; *Dicaſt.* cum aliis multis fructus etiam eſſe res mobiles, quod cum *Molin. & Sanch.* aſerit etiam de fructibus beneficiorum, quia etiamſi ex re immobili proveniant, ſunt tamen in ſe quid mobile. Ad immobiles reducuntur cenſus, annui redditus, uſusfructus, beneficia, juſ-patronatus, ſervitus &c. item debita & actiones ex rebus immobilibus competentes aliaque jura ad illas ſpectantia.

523 6. Ad præſcriptionem cujuſcunque rei requiritur poſſeſſio Juris, uti conſtat ex *Reg.3.Juris in 6. & l.*25. *ff. de uſucap.* requiritur autem & ſufficit ſola civilis, hinc ſi naturaliter poſſideas rem, quam alius adhuc civiliter poſſidet, non præſcribes, uti habet cõmunis cum Dicaſt.*n.*172. & Illſ.*à n.*309. contra *Vaſq.*

524 7. Ut præſcribas, debes rem poſſidere nomine tuo, hinc non poteſt feudum præſcribi à Vaſſallo, nec Emphyteuſis ab Emphyteuta, etiamſi per 30. aut 40. annos non præſtiterint obſequium perſonale vel reale, uti probabiliùs docent Silv. Molin. Fill. Leſs. Bonac. Dicaſt. *num.*188. Illſ. ſup. contrà Bart. & alios apud Dianam *par.*8. *tr.*7. *R.*36. quia Vaſſallus & Emphyteuta non poſſident dominium directum nomine proprio, uti nec Tutor bona pupilli, nec commodatarius, locatarius, depoſitarius rem commodatam, locatam, depoſitam; & hæc habentur *l.*13. *ff. de uſucap.*

8. Nemo plus poteſt præſcribere, quàm poſſideat, uti optimè explicat Dicaſt. *à num.*183. unde ſi quis debeat penſionem, v.g. 100. aureorum quot annis, & diu ſolvat annuatim tantùm 60. agnoſcat tamen ſe obligatum aut communiter habeatur pro obligato ad totum, non præſcribet immunitatem à ſolvendo toto. Et univerſaliter loquendo, immunitas ab actione præſtanda non præſcribitur, niſi adſit talis poſſeſſio, qua quis verbo vel facto negaverit ſe obligari ad præſtandum, nam ſi agnoſcat ſe obligatum, vel communiter habeatur pro tali, non poſſidet immunitatem, quamvis actio non exigatur, quia per actus liberos non inducitur præſcriptio, uti habet reg. communis juris; hinc Covar. & alii cum Herinx *de Juſtit. d.*4. *num.*188. dicunt, in rebus meræ gratiæ ſeu facultatis non datur præſcriptio: ſæpè tamen præſumi poteſt, quòd alter renunciarit juri ſuo, ſi, quando erat opportunitas, non exegerit, aut exegerit ab aliis, & non ab hoc. 525

9. Ad probandam poſſeſſionem continuatam, plerumque ſufficit oſtendere principium poſſeſſionis & poſſeſſionem pro præſenti, quia tum etiam præſumitur pro tempore intermedio, uti rectè Dicaſt. *n.*260. & habetur *L.16. C. de probat.* 526

10. Legitima poſſeſſio Authoris, ideſt, illius, qui priùs poſſedit, unitur cum poſſeſſione ſucceſsoris, facitque unum tempus per acceſſionem, *L.un. Cod.de uſucap. transformanda, L.Dolia,§.Eum qui ff.de contrah.empt.l.*11. *Cod.de præſcrip.long. temp. cap. Cùm de benef.*5. *de præbend. in 6.* Unde ſi ad præſcribendum requirebantur 10. anni, & anteceſsor meus bona fide poſſederit per 6. & ego per 4. annos, jam præſcripſi. Vide tamen, quæ dicenda ſunt *l.*4.*n.*685. 527

11. Quia quandoque plus temporis requiritur ad præſcribendum contrà unam, quàm contrà aliam perſonam, ſi fiat mutatio perſonarum, contrà quas præſcribitur, tempus computari debet reſpectivè ad utramque illam perſonam, uti colligitur ex *l.6. ff. de jure fiſci*, docentque Authores communiter cum Dicaſt. *num.*264. hinc ſi res immobilis, quæ contra privatum præſcriberetur 10. annis, tranſeat ad Eccleſiam, poſtquam alius jam 5. annis poſſederat, ſicque abſolverat mediam præſcriptionem, ut jam præſcribatur contrà Eccleſiam, opus erit aliis 20. annis tanquam altera medietate 40. annorum, qui requiruntur ad præſcribendum contra Eccleſiam; ita cum aliis Haun. *num.*302. 528

12. Ad præſcriptionem mobilium ſpectantium ad privatos, requiruntur & ſufficiunt cum certo titulo 3. anni, uti habetur §.1. *Inſt.de uſucap.& l.un.Cod.de uſucap.transform.* contrà jus antiquum requirens tantùm unum annum. Valet hoc etiam de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus, *auth.Quas actiones, Cod. de SS. Eccleſ. c.Placuit 16. q.*5. Neque Romana Eccleſia in mobilibus habet ſpeciale privilegium præ aliis, uti tenent Gloſ. Mol. Laym. Sanch. Caſtrop. Lug. Haun. *t.*5.*n.*271. contrà *Silv. Cov. Panor. Felin. Bald. Leſſ. & alios*. Quòd ſi deſit titulus, requiruntur 39. anni, quia hi requiruntur ad præſumptionem tituli, *l. Sicut in rem, l. Si quis emptionis, ſ. Quid ſi quis, Cod. de præſcript.* 30. *annorum*. 529

13. Ad præſcriptionem immobilium ſpectantium ad privatos, cum titulo requiruntur inter præſentes 10. anni, inter abſentes 20. §.1. *Inſt.de uſucap.& l.ult.C.de præſcript.long.temp.* Si autem dominus fuit partim præſens partim abſens, tot anni ſunt adjiciendi, quot abfuit, *auth. Quod ſi quibuſdam, Cod. de præſcript. long. temp.* ita ut duo anni abſentiæ computentur pro uno anno præſentiæ, v.g. ſi ad præſcribendum requirebantur 10. anni, & adfuerit tantùm 4. annis, antequàm præſcribatur, debet abeſſe aliis 12. annis, hi enim 12. anni abſentiæ ſunt veluti 6. anni præſentiæ; & ita de cæteris. 530

14. Res furtiva vel vi poſſeſsa, ſi priùs non redierit ad dominum, vel niſi fur aut rapiens ſit factus hæres domini, non præſcribitur ordinario tempore, nequidem à mediato poſſeſſore bonæ fidei, §. *Furtivè, Inſt.de uſucap. l. ſi aliena ff.de uſucap.* unde ut præſcribatur domino ignorante, requiruntur 30. anni, *Novel.*119. *c.*7. Si autem dominus ſciat & negligat conteſtari, ſufficiunt 10. inter præſentes & 20. inter abſentes, uti habetur *in cit. Novel.* putatque probabiliter Lugo *diſp.*7.*n.*151. ex *l. Sicut in rem, Cod. de præſcript.*30. *vel* 40. *annorum*, etiam à fure præſcribi per 30. annos, ſi ei ſupervenerit bona fides, v.g. quia à Confeſsario ei dictum eſt licitè potuiſse tunc accipi vel nunc retineri: Per rem autem furtivam hic communiter intelligitur res externa & mobilis injuſtè accepta; quòd ſi tantùm injuſtè retenta eſſet, aut acquiſita dolo malo dante cauſam contractui, non eſſet propriè furtiva, uti cum Molin. notant Lugo *num.*141. & Haun. *num.*370. adeoque ordinario tempore poſſet præſcribi. Per, vi poſſeſsa, intelliguntur etiam immobilia. 531

15. Res quæcunque minorennium non præſcribuntur niſi 30. annis. 532

16. Ad immobilia Eccleſiæ Romanæ (id eſt, Eccleſiæ 533

La-

Lateranenſis, & Romani Pontificis bona ac patrimonium) requiruntur 100.anni, *auth. Quoad actionem, Cod.de SS.Eccleſ. cap.Ad audientiam*, 13.*& ſeqq.de præſcript.c.Nemo*, 16.*q.*3.*c.*2. *de præſcript.in 6.* Excipiunt Doctores apud Mol. *d.*73. §.*ult.*& apud Illſ. *n.*329. bona in pœnam hæreſis ad Romanam Eccleſiam devoluta, quæ 40.annis poſt mortem hæretici præſcribuntur, *c.fin.de præſcript.in 6.* & idem dicunt aliqui ex *l.*23.§.*ſive itaque, Cod.de Sacroſ.Eccl.* de omnibus bonis per ultimam voluntatem donationem, emptionem, fideicommiſſum tranſlatis ad civitatem vel coronam Regiam, & nondum traditis, uti videri poteſt apud Haun.*n.*303.

534 17. Ad immobilia præſcribenda contra inferiores Eccleſias, & pia loca requiruntur 40. anni. Contra Ordinem S.Benedicti & S.Salvatoris, 60. anni. Contra Ordinem Ciſtercienſem S. Bernardi in Germania, teſte Haun.*n.*30. item Mendicantium & cum eis participantium privilegia, 100.anni.

535 18. Bona, quæ Principi ut privato competunt; item bona patrimonialia Clericorum, ſecundùm omnes præſcribuntur uti alia privatorum bona, Bald.Covarr.Mol.Leſſ.Caſtrop.Illſ. *n.*325. bona autem etiam mobilia fiſco ſæculari propter delictum addicta & per ſententiam Judicis incorporata præſcribuntur 40.annis,Bart.Panorm.Silv.Covar.Mol.Lay.Lugo Illſ. *n.*326.ex *l.comperit, Cod.de præſcript.*30.*annorum, & l.Omnis*, tantùm. *Nec obſtat ſ.Res Fiſci, Inſt. de uſucap.nam* tantùm vult non præſcribi præſcriptione ordinaria, de qua ibi agitur, ſicuti dum dicitur aliquid non præſcribi 100. annis, non negatur præſcribi tempore immemoriali. Quòd ſi fiſco necdum ſint incorporata, præſcribuntur 5. annis, *l.*2. *Cod. de Vectig. & Commiſſ.*Si autem bona, etiam immobilia, vacent per mortem defuncti ſine hærede, quamvis ſint fiſco denunciata,ſi incorporata non ſint, præſcribuntur 4. annis.

536 19. Fundus dotalis, res primogenituræ vel fideicommiſſo alligatæ, legatum rei certæ, bona adventitia filii-familias, non præſcribuntur niſi longiſſimo tempore, ita quidem, ut præſcriptio contra filium-familias non incipiat currere, niſi quando egreditur patriam poteſtatem, Lugo *n.*148.

537 20. Servitutes & jura (quale ſecundùm Trid.*ſeſſ.*25.*c.*9.*de reform.* eſt juſ-patronatus contra Eccleſiam) ſi habeant actus diſcontinuos & raros, non præſcribuntur niſi tempore immemoriali, Laym.Silv.Leſſ.Haun.*num.*311.Burgh.*cent.*2. *caſ.*16. Putant tamen Lugo *à n.*75. & Haun.*num.*305. ſervitutes continuas vel quaſi continuas, v.g.tranſeundi per agrum alienum, immittendi tignum &c.præſcribi 10.annis contra præſentes,20. contra abſentes, probatque ex jure Dicaſt.*l.*2.*t.*1.*d.*1. *n.*291. Si autem eſſet ad utendum rarò, v.g.ad aquæductum per ſingulos menſes ſemel, requirunt aliqui inter præſentes 20.annos. Addit cum aliis Lugo *num.*90. juſ-patronatus Eccleſiæ non liberæ præſcribi ab uno patrono contra alium tempore ordinario, quod ſufficit ad alias res immobiles contra privatos quia non præſcribitur contra Eccleſiam, ſed contra alterum patronum, qui nullum habet ſpeciale privilegium, & hoc videtur probabilius contra Dicaſt.qui requirit 30.annos. De præſcriptione circa juſ-patronatus dicetur *l.*4.*n.*354.

538 21. Servitus perſonalis extinguitur per præſcriptionem, ſi quis bona fide, etiam ſine titulo, per 20.annos geſſerit ſe ut liberum, uti colligitur ex *L.*2. *Cod.de præſcrip.longi temp.* ſervitus autem realis extinguitur per præſcriptionem 10. annorum inter præſentes, & 20. inter abſentes, uti colligitur ex *L.*12. ibidem, itemque ex aliis legibus apud Lugo *à n.*77. tempus autem hoc præſcriptionis in ſervitutibus ruſticis incipit currere, quando alter incipit non uti jure ſuo; in urbanis verò, quando bona fide exercuiſti primum actum contra jus alterius, uti inſinuatum eſt *n.*512.

539 22. Debita quæcunque & actiones, quibus illa exigi poterant, regulariter non præſcribuntur niſi 30. annis, *L.*3.*Cod.de præſcript.*30.*ann.& l.*1.*ſ.Ad hæc, Cod.de ann.excep.* docentque Mol.Lugo *n.*80.Caſtrop.*tr.*32.*d.*6.*p.*33. Haun.*n.*313.Illſ.*n.*333. Notat etiam Leſſ. *l.*2.*c.*6. *n.*19. ut præſcribam contra debitum vel contra actionem ad debitum, non ſufficere, quòd creditor toto tempore non exigat aut non meminerit, ſed requiri, ut ego bona fide exiſtimem me nihil debere, quia, v.g. puto condonatum vel ſolutum eſſe:vel ut omninò memoria exciderit,alioquin non cenſebor bona fide poſſidere jus non ſolvendi:etſi enim creditor me non interpellet, tamen terminus elapſus ipſaque dies interpellat. Quòd ſi actio ſit Hypothecaria, ſive res à creditore ſive à debitore poſſideatur, requiruntur 40.anni; ſi tamen poſſideretur à tertiò, præſcribi poſſet eo tempore, quo res præſcriberetur, *L.cum notiſſimi,Cod.de præſcrip.*30.*annorum*. Similiter contra Eccleſiam & loca pia, ad præſcribendum debita & actiones requiruntur 40.anni, ut probat Lugo *num.*80. quanto autem tempore præſcribantur actiones Fiſci tam civilis quàm Eccleſiaſtici, videri poteſt apud Dicaſt. *à num.*229. communiter cenſentur præſcribi, ſi intrà quinquennium non exigat.

540 23. Actio *redhibitoria*, qua emptor intrà 6. menſes reſciſſa emptione reddere poteſt rem propter vitium, quod ſi ſciviſſet, non fuiſſet empturus, præſcribitur intrà 6.menſes, uti habetur *l.*19.§.6.*ff.de edilitio edicto:* actio autem, *quanti minoris*, competens intrà annum illi, qui cognito rei vitio empturus quidem fuiſſet, ſed non tanti, præſcribitur per annum, uti ex eadem lege docent Haun.*n.*185. & Onnate *de contract.d.*10.*n.*295. notat tamen rectè Platel. *n.*574. venditorem in conſcientia non liberari, ſi doloſè proceſſerit.

24. Omnis accuſatio criminalis, quæ ſcilicet ordinatur ad 541
punitionem delicti, præſcribitur ſpatio 20. annorum, ita ut ſublatum ſit jus inquirendi, etiam ratione delicti notorii vel confeſſati, & nequidem Minoribus vel Fiſco conceditur reſtitutio in integrum; accuſatio tamen Apoſtaſiæ & Parricidii perpetuò durat. Addunt Authores Crimen læſæ majeſtatis, hæreſis, aſſaſſinii, falſæ monetæ, ſimoniæ, abortus, ſuppoſiti partus aliaque ſimilia, uti cum aliis docent Haun.*num.*327. reliquorum criminum minùs enormium,uti adulterii, ſtupri, inceſtus, item peculatus, communiter præſcribuntur per quinquennium, uti habent Dicaſt. *n.*258. & Haun. *à n.*324. Præterea actio ad pœnam ſive civilem ſive criminalem pro injuria præcisè, præſcribitur per annum, ab eo tempore, quo injuriatus potuit actionem intentare; & habentur hæc in legibus apud Illſ.*à num.*331.poteſtque etiam videri Lugo *n.*101.*qui num.*102. cum Haun.*num.*327. notat in his omnibus exceptiones iſtarum actionum nunquam præſcribi, id eſt, ſi alter ſimilem actionem intendat tibi, quovis tempore poteris pari jure contra ipſum iterum excipere, quia quæ ſunt temporalia ad agendum, ſunt perpetua ad excipiendum, uti habet regula communis. Denique actiones civiles ex criminibus vel injuriis deſcendentes, v.g. pro damno, non hoc ipſo præſcribuntur, ſed indigent tempore illis conſtituto.

25. Ad præſcribendum aut quaſi præſcribendum contra le- 542
gem civilem, ſufficiunt 10. anni; contra canonicam, requiruntur 40. ut habet communior & probabilior, quamvis Sa, Leſſ. Caſtrop.& Lugo *n.*94. dicant ſufficere etiam 10. eò quòd ſit longum tempus. Ut autem præſcribatur contra legem, non eſt opus, ut incipientes contrariam conſuetudinem habuerint bonam fidem, uti docent Suar. Bonac.Caſtrop.Lug.*n.*96. aliique cum Dian. *p.*8.*t.*7.*R.*37. contra Silv.Leſſ. & alios, cùm non ſit propriè præſcriptio, ſed per conſuetudinem contrariam tollatur lex ſecundùm dicta *l.*1.*num.*572. Si tamen ſimul præſcribatur jus aliquod contra Eccleſiam, requiritur bona fides & anni 40.vel 100.ſi eſſet Eccleſia Romana aut corona Regni; ſi autem jus adhuc reſiſteret, requireretur tempus immemoriale, *cap.*1. *de præſcriptionibus in 6.*

26. Quamvis res aliqua ſit ex diſpoſitione juris, aut etiam 543
ex natura ſua non apta præſcribi, tamen Mol. *d.*707. *n.*8. aliique docent, ſi fuerit poſſeſſio immemorialis, v.gr. viæ publicæ, præſumi titulum, & ſic cenſeri acquiſitum illius dominium, non quidem vi præſcriptionis, ſed quia ex poſſeſſione illa præſumitur titulus translativus dominii, uti habetur *L.*3. *ſ.Ductus,ff.de aqua quotid.* Itaq; in tali caſu præſumitur Principem vel Remp. ſciviſſe & conſenſiſſe: unde uniuerſaliter tradunt cum communi Tuſch.*v.tempus immemoriale*, *num.*1.2.5. 6.*&* 41. Laym.*l.*3.*t.*1.*cap.*8.*à num.*14.Mol.*d.*75.*n.*8.Haun.*num.* 319.Pirh.*l.*3.*tit.*4.*num.*14.hoc poſſe tempus immemoriale,quod poteſt poteſtas Principis,ideoque operari quemcunque titulum; unde infert Dicaſt.*num.*243. quando generalibus verbis dicitur acquiri non poſſe dominium,non obſtante quacunque præſcriptione, per hoc non excludi immemorialem, quæ ob ſpecialem favorem ſpeciali derogatione indiget. Et quamvis notet Dicaſt. *num.*181. perſonam, quæ præſcripſiſſe dicitur, debuiſſe eſſe capacem poſſeſſionis, cui jura non reſiſtant, hinc quia jura reſiſtunt poſſeſſioni, v.g. laici reſpectu rei ſacræ, eum non videri præſcribere, quantumcunque diu tenuerit, rectè tamen addit, quando adeſt tempus immemoriale cum bona fide, prudenter præſumi titulum, ideoque poſſeſſorem in utroque foro reddi tutum, donec contrarium innoteſcat: Et ideo etiam docent Haun. *n.*357. & Illſ.*n.*275. ex tempore immemoriali naſci præſumptionem Juris, v.g. præſumi conceſſionem Eccleſiæ ad Jus decimandi, ideoque allegari poſſe titulum privilegii, uti ex jure probat Lotter.*de re benef. l.*2.*qu.*7.*n.*34. notatque etiam Leuren. *p.*2.*q.*47. *n.*3. Quod ſi conſtaret non eſse datam eam conceſſionem vel privilegium,tempus immemoriale non juvaret ob defectum poſſeſſionis, cujus per ſe loquendo, incapax eſt laicus; uti dictum eſt, docentque pluribus Engel. *in Man.Paroch. p.*3.*c.*1. *ſ.*2. *à n.*7. ubi etiam ex Juriſtis notat contra probatum immemoriale tempus poſſe valere probationes vitioſi initii. Putat etiam cum Felin.Tuſch.*n.*157.contra *Crav.* non ſufficere conſuetudinem immemorialem in iis,quæ ſunt magni præjudicii.

27. Si quis abſque ſimoniaco ingreſſu, & non intru- 544
ſus, per triennium pacificè poſſederit beneficium Eccleſiaſticum cum titulo, præſcripſit jus in illo, etiam pro foro conſcientiæ, uti pluribus explicabitur *l.*4. *num.*716. ubi etiam *num.* 694. dicetur de præſcriptione fructuum ex beneficiis perceptorum.

§.10.

545 §.10. Præſcriptio dicitur procedere vel currere, ſi incipiat; vel cœpta pergat; è contra dicitur non procedere vel non currere, ſi non incipiat, vel cœpta ceſſet. Si autem ita ceſſet, ut totum tempus præcedens omnino extinguatur, atque ſi non præceſſiſſet, tum dicitur interrumpi: è contra ſi ita ceſſet ob aliquod impedimentum, ut tamen poſteà ſublato impedimento tempus ſubſequens continuetur cum præcedente, tum dicitur dormire, hinc,

546 1. Præſcriptio naturaliter interrumpitur, ſi deſinat aliquid ad eſſentiam illius requiſitum, uti ſi deſinat bona fides, vel titulus, vel poſſeſsio civilis, vel capacitas perſonæ; item ſi res domino rei detur pignori, vel elocetur, vel præcariò concedatur, uti habetur *l.33.§.5.& l.25. ff. de uſucap.* tum etiam deſinit poſſeſsio civilis. Quòd ſi poſtea bona fides rediret, *Felin. & alii* dicunt intereà dormire, ſed *Covar. Mol.* aliique communiter cum Lugo *num.*150.& Illſ.*num.*316. conſideratis legibus & ratione probabilius dicunt interrumpi, quia lex non favet detentori malæ fidei. Quòd ſi dubium tantùm ſuperveniat, & adhibeatur requiſita diligentia, dubium excludi poteſt ob poſſeſsionem, nec poſſeſsio tunc interrumpitur aut dormit, ſed pergit currere.

547 2. Præſcriptio habens omnia ex natura rei requiſita, quandoque interrumpitur civiliter, id eſt authoritate juris, v.g. præſcriptio triennali major, nempe longi temporis cum titulo, vel longiſsimi temporis ſine titulo, interrumpitur per conteſtationem litis, id eſt, per litem jam formatam contra poſſidentem, *l.26.C. de rei vendicatione;* non tamen interrumpitur per ſolam citationem, uti notat Mol.*d.*76. & Lugo *num.*152.

548 3. Triennalis præſcriptio non interrumpitur litis conteſtatione, ſed hac durante currit; ſi tamen præſcribens caderet cauſa, teneretur reſtituere, uti ſtatuitur variis legibus apud *Mol. & Lugo ſuprà.*

549 4. Si poſſeſſor abſit, vel ob alias cauſas præſcriptio interrumpi non poſsit per conteſtationem litis, v.gr. quia furioſus eſt vel nimis potens, *L.2.Cod. de annali exceptione* ſtatuitur, interruptionem fieri poſſe per libellum ſupplicem porrectum Principi, aut in hujus defectu, Epiſcopo, aut in horum defectu per proteſtationem factam in loco publico, ubi poſſeſſor domicilium habet, de qua Tabellio, aut in hujus defectu tres alii, Haun.*num.*339. Illſ.*num.*318.

550 5. Sola citatio interrumpit præſcriptiones illas, quæ fiunt cum cognitione juris alieni, v.g. per quas præſcribitur immunitas à ſervitute ruſtica viæ, quam ſcio debere alteri, hoc ipſo enim quòd alter me citet petatque viam, non ſilet amplius, quod ipſius ſilentium erat fundamentum meæ præſcriptionis.

551 6. Si conteſtatio litis fieret, non animo proſequendi litem, ſed tantùm interrumpendi præſcriptionem, aliqui negant, alii affirmant adhuc interrumpi; *Mol.* diſtinguit, & negat interrumpi, ſi ex circumſtantiis ſit vehemens præſumptio, quòd ideo tantùm litem moverit, ut præſcriptionem interrumperet; & hoc videtur colligi ex *l.ult. C. de præſcript.*30.*annorum;* de cætero dicit interrumpi.

552 7. Præſcriptio civiliter interrumpitur tantùm reſpectu actoris, id eſt, illius, qui litem intentavit, hinc ſi bona fide poſſideam rem Titii, & ſolus Cajus mihi litem ſuper ea moveat, pergo præſcribere contra Titium.

553 8. Si actor ſuccumbat, vel pacto aut tranſactione ceſſet à lite, cenſetur præſcriptio non fuiſse interrupta, & eſt, ac ſi lis mota non eſset, pactum enim facit, ut quivis in eo jure ſit, in quo fuiſset ſine lite; ſi tamen bona fide à lite tantiſper ceſſet, quamvis jus iterum inſtandi tollatur per lapſum triennii, tamen ille, contra quem mota erat lis, nunquam præſcribet, niſi ex nunc pergat poſſidere per annos 40. uti habetur *l.9. Cod. de præſcrip.*30. *annorum:* ſi tamen rem bona fide venderet aut aliter transferret in alium, hic novus poſſeſſor poſſet præſcribere ordinario tempore, quia ſicuti ei non prodeſt poſſeſsio prioris poſſeſſoris, ſic illius inquietatio ipſi obeſse non debet, *l.1. Cod. de præſcript. longi temporis.*

554 9. Quamvis ſingulis annis promulgetur Bulla Cœnæ, per quam fertur excommunicatio contra detinentes bona Eccleſiæ Romanæ, non ideo tamen interrumpitur præſcriptio illius, qui bona fide talia bona poſſidet, quia excommunicantur ſoli poſſeſſores malæ fidei, ergo poſſeſſores bonæ fidei non inquietantur, Covar. Mol. Lugo *num.*153. Haun.*num.*343. contra Felin.

555 10. Præſcriptio contra quamcunque Eccleſiam dormit, quamdiu Eccleſia caret Prælato; item quamdiu Prælatus vivit, à quo læſa eſt Eccleſia; item quamdiu Prelatus agere non poteſt, quia excommunicatione, ſuſpenſione, captivitate aut alio impedimento tenetur, *c.14.& 15. de præſcript. Can.*10.16. *qu.*3. Et ratio generalis eſt, quia actore impedito non currit præſcriptio, uti ex Jure, Authoribus, & ratione probat Stryck. *de præſcript. ſ.3. membro 1. Axiom.2.*

556 11. Dormit præſcriptio contra Eccleſiam Romanam, ſi ſedes vacet, vel ſit ſchiſma, *cap.4. de præſcript. & cap. Cum nobis, de reſcript.* Similiter contra Imperium, ſi vacet thronus, uti habent Bart. & Panorm. quod Mol. & Lugo *n.*149. extendunt ad tempus vacantis throni in Regno. Item contra pupillum durante pupilli ætate, Auth. *Niſi triennali, Cod. de bonis maternis, & l.3. de præſcrip.*30.*ann.* Addunt *Laym. & Leſs.* contra filiumfamilias quoad bona adventitia, item contra uxorem quoad fundum dotalem vivente marito, ſed citatis legibus probabiliter contradicunt Mol. & Illſ. qui videri poteſt *à n.*312. Dormit tamen contra quemcunque tempore hoſtilitatis vel peſtis, ſi ideò eſſent judicia, uti pluribus Mol. & Gob. *in Exp. t.2. n.*516. & habetur *cap. Prima actione, 16. q.3. & cap.*10. *de præſcript.* item quandiu alter poſſeſſori rem precariò concedit, *L.*13. §.7. *ff. de acqu. poſſ.*

12. Quidquid ſufficit, ut præſcriptio ceſſet ac interrumpatur vel dormiat, etiam ſufficit, ne incipiat currere, Mol. *d.*78. è contra non quidquid impedit, ne incipiat currere, impedit, ne continuetur, ſic enim non incipit præſcriptio bonorum adventitiorum filii, quamdiu filius eſt ſub patria poteſtate, *l 1. ſ. ult. C. de ann. except. & l.1. Cod. de bonis maternis,* ſi tamen præſcriptio incepiſſet, antequam bona ſpectarent ad talem filium, non ceſſat nec dormit ex eo, quòd ad hunc pertinere incipiant; & idem eſt in aliis pluribus caſibus, de quibus *Molin.* ſupra, ubi hactenus allata etiam pluribus legibus firmat fuſiuſque explicat. 557

13. Reſtitutio in integrum, eſt remedium juris, quo jus vel dominium per præſcriptionem amiſsum recuperatur; conceditur autem, 1. minorennibus per 4. annos poſt tempus minorennitatis, id eſt, poſt completum annum 25. uſque ad 29. completum, *l.un. Cod. ſi adverſus uſucap. l.ult. Cod. de temporibus in integrum, l.ult. Cod. In quibus cauſis reſtit. in integr.* 2. Eccleſiis per 4. annos poſt expletam præſcriptionem, ut cum communi Mol. *d.*80. quod Dicaſt. *num.*269. Illſ. *num.*319. aliique extendunt ad alia loca pia, quamvis præſcriptio eſset longiſſimi temporis, *cap.1. & 2. de reſtit. in integr.* 3. Quandoque etiam majorennibus ad 4. annos, poſtquam impedimentum ceſsavit, v.gr. ſi in captivitate, ſi Reip. aut ſtudiorum cauſa, ſi in publica expeditione abfuerit, ſecundùm prudentiam Judicis vel Principis, *l.1. ff. Ex quibus cauſis majores;* quamvis *in Inſtit. tit. de actionibus* §.5. dicatur tantùm intrà annum. Aliæ etiam juſtæ cauſæ ſufficiunt, uti ſtatim dicetur. 4. Conceditur etiam mulieribus & rudibus ſecundùm *Roſmer*, quod probabile cenſent Mol. Leſs. Caſtrop. *tr.*32. *d.1. p.*19. *ſ.1. num.*13. dummodò illi omnes ante completum tempus præſcriptionis debito modo non potuerint eam interrumpere. 5. Conceditur etiam conjugibus quoad bona dotalia, quia cenſentur privilegiata, Pinel. Rebell. Caſtrop. Illſ. *num.*321. 6. Si ille, contra quem 558

559 eſt præſcriptum, probet ſe non interrupiſſe præſcriptionem ideo, quia invincibiliter ignoravit, v.gr. rem ſuam ab alio poſſideri, *Covar. Mol. & alii* dicunt illum gaudere beneficio reſtitutionis in integrum, quia *l.1. Cod. Ex quibus majores*, dicitur, *ſi qua alia juſta mihi cauſa eſſe videbitur, in integrum reſtituam*, ergo etiam ſufficit cauſa invincibilis ignorantiæ: conſentit *Andreas Gayll.* ſi præſcriptio non ſit longiſſimi temporis, ſed meritò dubitat Dicaſt, *num.*170. ideoque cum *Fachinæo* abſolutè negant Haun. *num.*345. & Illſ. ſupra hanc eſſe ſufficientem cauſam, quia alioquin continuæ eſsent cauſæ litium, quiſque enim dicet ſe ignoraſſe, & hoc ipſum videtur innui *l. fin. Cod. de præſcript. longi temporis*, ubi dicitur, *Nulla ſcientia vel ignorantia expectanda, ne altera inextricabilis oriatur occaſio.* 7. Libro 2. feudorum tit.4. ſtatuitur, ut do- 560
minus directus fundi poſſit alienationem ſine conſenſu ſuo à Vaſallo bona fide factam revocare, non obſtante præſcriptione longi temporis; putat tamen Dicaſt. *num.*236. non poſſe poſt præſcriptionem longiſſimi temporis, & ita habetur in Gloſsa ibidem.

*Q.*101. *Quid dicendum ſit in variis dubiis vel opinionibus circa obligationem aut excuſationem ob obligatione reſtituendi?* R. Jam reſolvimus, quid tenendum ſit in ſequentibus dubiis, N.183. in dubio, an res perierit caſu an ex culpa conductoris. N.186. an intervenerit culpa gravis. N.205. an in fructibus prævaleat natura vel induſtria. N.218. an res, quæ perit apud iniquum detentorem, peritura fuiſset apud Dominum. N.277. an tributum ſit juſtum. N.278. an Princeps poſſit tributum imponere. N.462. an Dominus, ſi ſciret debitum, aut ſi rogaretur, eſset illud remiſsurus. N.346. an cauſa abſtrahendi à Religione ſit juſta. Poſsunt addi ſequentia. 561

§.1. Si accipiens rem à Titio, aut primus eam occupans, dubites, an non ſpectet ad aliquem tertium vel ad aliquos in particulari, teneris pro quantitate dubii reſtituere, neque enim tibi favet poſſeſſio, uti dictum eſt *n.*481. cùm necdum bona fide habueris, ita Mol. & alii cum Dicaſt. *de Reſtit. d.5. num.*205. & 210. Si tamen accepiſses à poſſeſſore bonæ fidei, & nihilominus dubitaſses, ſed poſtmodùm adhibuiſses diligentiam, poſteà manente dubio poſſes retinere, ſecundùm dicta *n.*483. quia veniſses in locum illius, qui bona fide poſſedit, poſſeſque ejus juri inſiſtere, Vaſq. Mol. Sanch. Caſtrp. Laym. Dian. *p.4. tr.4. R.*27. Dicaſt. *num.*207. Petſch. *pag.*582. Quod ſi dubitans accepiſti, 562
& fa-

& facta inquiſitione dubium manet, an res ſpectet ad aliquem alium, ſed in communi tantùm, & neſcias ad quem, *Vaſq. & Turr.* putant te poſſe incipere poſſeſſionem bona fide, quia neminem noſti cui faceres injuriam; quod Lugo *d.*18.*num.*4. admittit velut probabile, ſed Petſch. *p.*583. melius dicit pro quantitate dubii eſſe reſtituendum pauperibus, uti n. 94. dictum eſt de debitis incertis ex delicto.

563 §.2. Si quis rem à ſe bona fide poſſeſſam probabiliter putet eſſe alienam, Schild. *de Conſc.t.*2.*n.*91. dicit teneri reſtituere, ſi non habeat opinionem etiam probabilem, quòd ſit ſua, quia ſicuti probabilis opinio ſufficit pro excuſatione, ita etiam pro obligatione reſtituendi, & quando deeſt ratio pro poſſeſſore, non poteſt ſibi formare conſcientiam, quòd res de jure ſit ſua, licèt de facto poſſideat, ergo retinere non poteſt. Valent. Coninc. & alii cum Sanch. *de Matr. l.*2. *d.*4.*n.*14. dicunt, ſi poſt inquiſitionem ſint majores rationes, quòd ſpectet ad alterum, tum teneri reſtituere, quia non eſt æquale dubium, putant autem tum tantùm eſſe meliorem conditionem poſſidentis, quando eſt æquale dubium, Vaſq. Tamb. *l.*1. *c.*3. §.7. *V. Reſtitutio*, Dian. *ſup.* Lug. *d.*17.*n.*86. *&* 94. Caſtrop. *t.*1. *d.*3. *p.*2.*n.*11. Laym. *l.*1. *t.*1. *c.*5.*n.*21. Dicaſt. *à n.* 199. Burgh. *cent.*1. *caſ.*51. *&* 84. Roſmer. cum Petſch. *p.*586. dicunt, quamvis poſt inquiſitionem ipſi probabilius ſit, quòd res ſit aliena, nihilominus poſſe retinere, quia titulus poſſeſſionis præponderat omnibus aliis rationibus non certò convincentibus; & idem pluribus confirmat Card. *in* 1. *criſi d.*16. *c.*8. *a.*3. *& ſeqq.* Item *d.*64. *c.*3. quia in poſſeſſione bonæ fidei eſt verum ac certum jus, nam poſſeſſio definitur à Juriſtis, jus inſiſtendi rei non prohibitæ poſſideri, ergo quamvis circa dominium ſit dubium, tamen poſſidens habet jus certum inſiſtendi rei, donec ſit moraliter certus rem non eſſe ſuam, & conſequenter poterit incipere præſcriptionem, & elapſo tempore abſolutè retinere. Et propter hanc rationem Sanch. *in Dec. l.*1. *c.*10. *num.*9. mutavit ſententiam, tenetque cum poſterioribus: Etiam Cardin. Sfrondatus *in Reg. Sacerd. l.*1. §.20. *n.*11. dicit contrà poſſeſſionem non eſſe procedendum niſi ex certitudine.

564 §.3. Si poſt poſſeſſionem bonæ fidei ſuperveniat dubium, & negligas inquirere, ideoque poſteà non poſſis veritatem comperire, teneberis reſtituere pro qualitate dubii, quia omiſſio inquiſitionis fuit injurioſa illi, de quo dubitabas, an eſſet forſan dominus, ergo teneris compenſare injuriam ſecundùm proportionem ſpei, quam habere poterat, ut agnoſceretur dominus; nec poſtmodùm in te manet bona fides, & poſſeſſio deſinit tibi favere, ita Mol. Lugo *d.*17.*n.*84. Sanch. *l.*2. *c.*23.*n.*183. Illſ. *t.*4. *d.*3. *n.*46. aliique apud Dicaſt. *n.*197. Defendunt tamen etiam oppoſitum velut probabile Rebell. Bonac. Caſtrop. & Diana *Reſ.*29. quia adhuc favet poſſeſſio certa, & poſt inquiſitionem nunc, prout fieri potuit, factam, redire videtur bona fides, quod Lugo *n.*85. & Tamb. *n.*6. putant non eſſe omninò improbabile, quando in genere dubium erat, an res eſſet aliena, & non dubitabatur de jure alicujus in particulari, ſecundùm dicta num.562.

565 §.4. Si bona fide poſſederis, & poſt inquiſitionem non potens deponere dubium rem conſumpſeris, poſteà autem compareat dominus, teneberis reſtituere, ſaltem ex re accepta, quantùm eris factus ditior, potuiſti enim conſumere, uti communiùs tenent AA. cùm Dicaſt. *num.*215. contrà Cord. quia quamvis permaneret dubium ſpeculativum, poteras tamen practicè deponere, eò quòd dubio prævaleret poſſeſſio, Sanch. *num.* 187. Rebell. Leſs. Dian. Tamb. *n.*10. Roſmer. Petſch. *p.*584. Hoc ipſum dicunt valdè probabiliter multi cum Laym. *l.*1. *t.*1. *cap.*5. *n.*21. quamvis vendideris, ſive enim conſumas ſive vendas, videtur eſſe par ratio, cùm pretium ſuccedat loco rei; contradicit tamen cum aliis Lugo *n.*90. dicitque, ſi vendas, te debere eſſe paratum ad reſtituendum totum pretium domino comparenti, ſive inde factus fueris ditior ſive non, quia cùm necdum ceſſaſſet dubium, tenebaris non impedire, quominus dominus, ſi compareret, rem ſuam reciperet, impedis autem, ſi non ſis paratus ejus valorem reſtituere. Similiter docet Dicaſt. *nu.*211. citans *Rebell. & Sanch.* quamvis conſumpſeris, te tamen teneri reſtituere rem, & fructus perceptos, licèt non ſis inde factus ditior, quia jus ita dubium non faciebat tibi poteſtatem aliquid ex re conſequendi, non teneris tamen reſtituere, quod non percepiſti, neque quod caſu apud te perit.

566 §.5. Quando nullus eorum, de quibus dubitatur, an ſint domini rei, rem poſſidet, ſi dubium eſt æquale, eſt æqualiter dividenda; ſi inæquale, inæqualiter ſecundùm proportionem dubii. Quòd ſi dividi non poſſit, ſorte eſt agendum, aut ex conſenſu partium res uni eſt applicanda & aliis aliquid refundendum; Dicaſt. *n.*207. Tamb. *n.*8. *& alii.*

567 §.6. In dubio, an aliquis poſſeſſionem inceperit bona an mala fide, præſumendum eſt, quòd bona, quia delicta non præſumuntur, Lugo *d.*18.*num.*16. Si tamen in aliquo ſit actu mala fides, & non ſciat, quando inceperit; præſumi debet ab initio fuiſſe mala, quia *ſemel malus ſemper præſumitur eſſe malus*, ſecundùm Reg. 8. juris in 6.

§.7. Qui bona fide rem conſumpſit, & ceſſante bona fide 568
dubitat, an ex illa re ſit factus ditior, ad nihil tenetur, quia cùm debeat eſſe obligatio ex re accepta, tamdiù eſt poſſeſſio pro libertate, donec conſtet rem alienam eſſe æquivalenter apud me, Sanch. *n.*36. Tamb. *n.*10. Roſmer & Petſch. *p.*585. Similiter dubius, an debeat reſtituere plus an minùs, tenetur tantùm ad minus, quia poſſeſſio eſt pro illo, & in dubiis minimum eſt amplectendum, uti ex utroque jure probant Dicaſt. *n.*209. & Bardi *de Conſ. diſc.*6. *c.*9. §.19. etiam dicimus *l.*1. *num.*596.

§.8. Si res ab altero bona fide poſſideatur, quamvis pro- 569
babiliter aut etiam probabiliùs opineris eſſe tuam, non potes eam eripere, quia alteri favet certa poſſeſſio, ita Suar. Sanch. Dian. Dicaſt. *n.*203. Schild. *n.*89. *& alii* contra J. Sanch. Si tamen certus ſis rem eſſe tuam, nec aliter poſſis recipere, poteris occultè eripere poſſeſſori bonæ fidei, Sanch. & Schil. *nu.*90. Quòd ſi putans te teneri ex voto dubiè valido ſolveris aliquid, non poteris tibi compenſare, quamvis poſtea reſcias te potuiſſe non ſolvere, quia illi, quibus ſolviſti jam habent poſſeſſionem, & jus probabile favet illis, pro te autem nulla eſt certitudo, Sanch. & Dicaſt. *num.*204.

§.9. Opinans probabiliter rem ad ſe ſpectare, ſi nequit per 570
judicem, poteſt pro foro interno eripere poſſeſſori malæ fidei, quia nullum huic jus favet neque poſſeſſio, ſed ex juſtitia tenetur extradere, ergo eripiendo illi non facio injuriam ſed juſtitiæ cooperor, Schild. ſupra.

§.10. Si quis opinetur probabiliter ſe reſtituiſſe vel ſolviſſe 571
debitum, Schild. *n.*92. citans Boſs. dicit ad nihil teneri, quia ſicuti in aliis ſimilibus dubiis juris & facti licitum eſt ſequi opinionem probabilem, ita & in quæſtione de reſtitutione vel ſolutione facta; & hanc ſententiam admittit Tann. 1.2. *d.*2. *qu.*6. *dub.*4. *n.*49. ſi uterque dubitet, tam creditor quàm debitor, in quo caſu Laym. *n.*42. Dian. *R.*32. Tamb. *n.*1. aliique obligant tantùm ad partem pro qualitate dubii: è contra Sanch. Vaſq. Rebel. Bardi §.16. Lugo *d.*18.*n.*12. Dicaſt. *n.*202. dicunt teneri ad reſtituendum vel ſolvendum totum, 1. Quia, uti rectè probat Laym. *n.*30. factum in dubio non præſumitur. 2. Quia debito certo non ſatisfit per ſolutionem incertam, non enim ponitur æqualitas. 3. Quia ex parte creditoris eſt certè poſſeſſio pro obligatione reſtitutionis vel ſolutionis ab altero faciendæ, poſſeſſio autem prævalet omni probabilitati in oppoſitum. 4. Quia talis dubitans vel opinans in foro externo condemnaretur, ergo etiam ſic fieri debet in interno, quia forum internum non debet recedere à ſententia fori externi, niſi appareat falſitas præſumptionis, in qua ſe fundet externum. Conantur quidem adverſarii ad hæc reſpondere. *Ad* 1. dicunt id valere tantùm de facto negativè dubio, pro quo non eſt poſitiva ratio, quòd ſit poſitum, non autem de illo, pro cujus poſitione habetur prudens judicium. *Ad* 2. Relata eſt reſponſio num.452. *Ad* 3. dicunt, quòd ſicuti poſſeſſio pro obligatione ſolutionis eſt apud creditorem ita poſſeſſio rei ſolvendæ ſit apud debitorem, ergo non apparet, cur debitor in eo caſu debeat ſe ſpoliare certa poſſeſſione rei ſuæ. *Ad* 4. putant ſatis eſſe, quod probabiliter appareat falſitas. Sed hæc non omnino ſatisfaciunt, unde in rigore juris videtur præferenda tertia ſententia. Circa dubium, an ſolveris penſiones annuas, Vide dicenda n.1056.

§.11. Si Titius à Cajo acceperit 100. mutuos, dato Chiro- 572
grapho in teſtimonium obligationis, utroque autem mortuo hæredes Titii inveniant in libro Titii ſcriptum, quòd refuſi ſint illi 100. hæredes autem Caji adhuc reperiant Chirographum Titii, & debitum necdum in libris extinctum, Leſſ. *in Auct. V. Contractus caſ.*8. putat hæredes Titii non teneri ſolvere, niſi compellantur in judicio; admittit tamen hæredes Caji poſſe petere in judicio; ſed probabilius videtur, vel teneri hæredes Titii, cùm debitum ſit certum, ſolutio autem incerta; vel debere petere compoſitionem judicio viri prudentis; neutri tamen parti unquam licebit occulta compenſatio, quia pro neutra eſt jus certũ.

§.12. In dubio, an res tibi commodata, elocata, apud 573
te depoſita, perierit tua culpa, Merolla *& alii* dicunt te teneri reſtituere, quia in dubio debet ille potiùs ferre damnum, qui beneficium accepit, quàm qui contulit: è contra Lugo *d.*18.*n.*14. *& alii* cum Bardi §.10. & 11. probabiliùs dicunt, ſpectato jure naturæ te non teneri aliquid reſtituere, quia in dubio delicta non præſumuntur, & tu es in poſſeſſione tuæ innocentiæ. Ad quid autem in tali caſu tenearis ratione contractus & legum pro foro externo, dictum eſt n.183.

§.13. In dubio, an ſis cooperatus alterius damno, non 574
teneris, quia etiam hic melior eſt conditio poſſidentis libertatem & rem ſuam; ex quo ſequitur eum etiam excuſari, qui ſcit quidem ſe dediſſe conſilium furti, ſed dubitat, an rer re ipſa furatus ſit: ſi tamen ſciret eum, cui conſilium dedit, eſſe furatum, dubitaret autem, an fur iſto conſilio efficaciter motus eſſet ad furtum, an verò ex propria malitia vel aliunde, putant Regin. Leſſ. aliique cum Dian. *p.*3. *t.*5. *R.*84. non teneri reſtituere, quia adhuc videtur eſſe poſſeſſio pro illo, ſed Molin. Sanch. *l.*1. *c.*10. *num.*44. Lugo *d.*19. *num.*21. probabiliùs dicunt

teneri ad totum, vel ſaltem, ut aliqui dicunt, ad partem pro qualitate dubii, quia delictum alterius non debet præſumi, ergo nec præſumi debet daturus fuiſſe damnum, niſi ego promoviſſem; deinde ex facto ſecuto eſt præſumptio pro efficacia conſilii, ideoque in foro externo condemnarer ad reſtitutionem in defectu furis, ergo etiam damnatus ſum in interno, cùm non conſtet veritas contraria præſumptioni juris.

575 §.14. Si dubium ſit, an res aliena, quam quis tenetur reſtituere, ſit materia peccati gravis an levis, peccat graviter, ſi non reſtituat, quia ſic retinens exponit ſe periculo continuandi vel inchoandi injuriam gravem, quam non minuet ipſius error, ita Carden. *in 2.criſi d.23.num.116. Nec obſtant* dicta *l.1. n.596.* quòd in dubiis minimum ſit ſequendum, *nam* hic prævalet poſſeſſio domini, qui rem ſuam, uti in ſe eſt, jure repetit: aliud eſſet, ſi dubitares, an grave an leve damnum intuliſſes, ſic enim ſatisfaceres compenſando leve, ſecundùm dicta num. 568. quia haberes jus certum rei tuæ, quo non tenereris te exuere propter dubium jus alterius.

576 §.15. Si dubitetur, quanti res fuiſſet valitura, an apud furem ſit deteriorata, an à domino fuiſſet ſervanda ad tempus, quo pluris vel minoris fuiſſet valitura, *Azor. Rebell. Vaſqu. & alii* putant judicandum eſſe in favorem domini, quia videtur poſſeſſio eſſe pro ipſo, ſed Lugo *d.18.num.133.* Leſſ. *num.109.* Dicaſt. *d.2.n.47.* Tamb. *num.7.* Petſch. *p.227.* Illſung. *n.165.* probabilius dicunt pro ratione dubii eſſe reſtituendum, ſecundùm judicium prudentum, quia domino nulla favet poſſeſſio, cùm necdum extiterit major valor, dubietas autem imminuit æſtimationem lucri & damni. *Confirm.* nam ſi certum eſſet, dominum fuiſſe venditurum ſummo pretio, fur non teneretur niſi ad totum valorem, ergo nunc, quando eſt dubium, non debet teneri ad totum: hinc etiam quando agitur de compenſatione damni emergentis & lucri ceſſantis, generaliter dicitur quòd juxta certitudinem vel incertitudinem utriuſque taxanda ſit reſtitutio. *Nec obſtat*, quòd in dubio inclinandum ſit in favorem innocentis, *nam* hoc tantùm verum eſt, quando eſt poſſeſſio pro innocente, vel quando res dividi non poteſt, nec utrique parti ſatisfieri. Addunt rectè *Dian. Leſſ. Lugo, Turr. Tambur. Petſch.* te non teneri credere domino dicenti ſe rem hoc vel illo tempore fuiſſe venditurum aut ſervaturum, niſi accedant aliæ conjecturæ, hinc perſiſtente dubio reſtituendum erit ſecundùm proportionem compertæ veritatis aut remanentis dubii. Ex dictis,

577 *Infertur* 1. Quomodo limitanda ſit doctrina *De Graffiis, Polanc. Lohn. Gob.* & aliorum, qui dicunt in dubiis hic Confeſſarium ſtare debere pro benigniore parte non reſtituendi, nam dicimus ſemper ſtandum eſſe pro illo, pro quo eſt poſſeſſio. 2. Univerſaliter concluditur poſſeſſorem bonæ fidei teneri reſtituere rem, & quantum ex ea factus eſt ditior: poſſeſſorem autem malæ fidei teneri compenſare omne damnum ſecutum domino rei.

CAPUT III.

De Contractibus.

578 ### DUBIUM I.

Quid in genere ſit Contractus?

„ RESP. Eſt pactum ſive conſenſus duorum, quo ſcienter, „ liberè, & legitimè uterque ſe viciſſim, vel minimum „ ſaltem una pars ſe alteri acceptanti obligat, quocunque ſi„ gno externo id fiat: ut v. g. in contractu mutui, ex una par„ te mutuans ſe obligat non repetere mutuum ante certum tem„ pus; ex altera parte mutuatarius ſe obligat tunc illud reddere „ & ſic de aliis. In promiſſione autem vel donatione abſoluta, „ una pars tantùm obligatur poſt alterius acceptationem. *Unde reſolvuntur Caſus ſequentes:*

„ I. Si alteri promiſiſti aut donaſti interiùs tantùm; aut ſi „ externo ſigno quidem, alter autem non acceptavit, non fuit „ contractus, nec obligaris.

„ II. Invalidus eſt contractus, ſi contrahentes ſint inhabi„ les ad contrahendum, vel ſi jus poſitivum reſiſtat. V. Leſſ. „ *l.2.c.17.d.8.*

„ III. Item ſi materia contractus ſit illicita, ut ſi ſit peccatum; vel illegitima, ut ſi fur vendat rem alienam.

„ IV. Item ſi contractus ſit factus vi, dolo, vel errore verſante circa rei ſubſtantiam; v. g. acetum pro vino, vitrum pro „ gemma vendidiſti.

„ V. Non eſt invalidus contractus, (etſi aliquando ob in„ juriam poſſit reſcindi) ſi error, vel dolus interveniat circa „ qualitatem, aut circumſtantiam accidentalem; v.g. emiſti „ vinum Moſellanum, putans eſſe Rhenanum; niſi fortè in„ tentio contrahentis fuerit conditionata, non obligandi ſe, „ niſi exiſtente tali qualitate, aut circumſtantia: Qualis virtua„ liter fuiſſe cenſeri poteſt, ſi error verſetur circa circumſtan„ tiam valde immutantem objectum, & nimis excederet ejus „ exiſtimationem, ut notat Laym. *l.3.t.4.cap.5.* „

„ VI. Nec eſt invalidus contractus, ſive oneroſus, ſive gra„ tuitus, ex metu licèt gravi injuſtè incuſſo, cùm adhuc ſim„ pliciter ſit liber & voluntarius; licèt poſſit à Judice reſcindi, „ pro arbitrio metum paſſi. Ita communiter apud Sanch. *d.8.* „ *num.4.* C. Lugo *diſp.22.* Laym. *cap.6.* „

Excipiuntur tamen aliqui contractus, qui ipſo facto ſunt „ irriti (ſaltem ex jure poſitivo) ſi ex metu gravi fiant: talis „ eſt, 1. Contractus Matrimonii, etiamſi juramentum acceſ„ ſerit, *ex cap Cum locum, & c. Veniens, de Sponſal.2.* Profeſ„ ſio religioſa, *ex c.1.de his, quæ vi metuſve. 3.* In aliis quibuſ„ cumque votis. 4. Contractus dotis promiſsæ vel ſolutæ, qui „ in hoc ſequitur naturam Matrimonii, qui acceſſorius eſt, L. „ 21.§.3.*ff. Quod metus cauſa.* 5. Promiſſio vel traditio in rebus „ Eccleſiaſticis, Cap. *ſi quandoque*, 15.*q.6.6.* Authoritas tuto„ ris per metum extorta, L.1.§.*ult.ff. de auct.tutor.* His addunt „ alii plures, ut promiſſionem, & donationem gratuitam, re„ nuntiationem beneficii, juriſdictionem per metum extortam. „ Verùm hi controvertuntur, ut v. Lugo *d.22.n.115. & ſeqq.* „

VII. Non poſſunt contrahere, qui bonorum ſuorum ad„ miniſtrationem non habent: quales ferè ſunt prodigi, fu„ rioſi, filii-familias, uxores, Religioſi, pupilli, Minores; „ exceptis quibuſdam caſibus, de quibus v. Leſſ. *d.8.* & infrà „ hic *c.4.d.1.* „

ADDENDA.

579 QUÆſt.102. *Quomodo dividatur contractus?* Reſp. Varie dividi, nam, §.1. Latiſſimè ſumptus ſignificat conventionem, quam duo vel plures ineunt aut diſſolvunt, unde contractus in hac latiſſima ſignificatione acceptus dividitur in contractum ſtrictè, quaſi contractum & diſtractum: *Contractus* ſtrictè, eſt conventio facta voluntate propria eorum, qui poſteà obligantur, & definitur ab Onnate *de contract.d.1.num.26.* pactum obligans ex juſtitia commutativa. *Quaſi contractus* eſt conventio facta voluntate alterius, qui ſupplet pro voluntate illius, qui poſtea obligabitur, uti ſi tutor contrahat pro pupillo, procurator pro principali ſuo &c. de quibus habetur in *Inſtit.tit. De obligationibus, quæ quaſi ex contractu. Diſtractus* eſt conventio, qua diſſolvitur alia obligatio prioris contractus; eſtque nova conventio; quia ad voluntates, quibus factus erat contractus, debet advenire ſaltem unius voluntas, per quam diſſolvatur contractus. Hic agimus præcipuè de contractu ſtrictè ſumpto.

580 §.2. Contractus alius eſt implicitus, alius explicitus: implicitus eſt quævis actio habens annexam obligationem juſtitiæ, uti acceptio officii Tutoris, Judicis, Medici, cui annexa eſt obligatio curandi negotia, judicandi ſecundùm leges, adhibendi ſecuriora medicamenta; explicitus, eſt expreſsa conventio ex juſtitia faciendi vel omittendi aliquid.

581 *§.3.* Alius eſt oneroſus, alius lucrativus: oneroſus eſt, per quem utrique contrahenti imponitur onus, diciturq; etiam mutuus, reciprocus, reſpectivus. Lucrativus eſt, per quem ſolummodò uni contrahentium imponitur onus, uti eſt donatio acceptata, quæ ſolùm donatorem obligat ad extradendum, donatario autem nullum imponit onus: ſoletque poni donatio pro regula contractuum lucrativorum, quia in omni contractu lucrativo eſt donatio vel quaſi donatio; è contrà emptio ponitur pro regula oneroſorum, quia in omni contractu oneroſo eſt emptio vel quaſi emptio, uti rectè Onnate *d.24.n.29. ubi à num.13.* fusè probat contractus lucrativos eſse ſtrictè contractus, quia verè pariunt obligationem juſtitiæ commutativæ, quod etiam nudæ promiſſioni convenit, nam ſaltem cauſat exceptionem, quæ eſt excluſio actionis & quaſi actio in foro externo; deinde ſaltem ſi veſtiatur, cauſat veram actionem, uti ſtatim dicetur.

582 §.4. Alius fit in gratiam ſolius recipientis, uti mutuum; alius in gratiam ſolius dantis, uti depoſitum; alius in gratiam utriuſque contrahentis; uti emptio.

583 §.5. Alius dicitur bonæ fidei, alius ſtricti juris: bonæ fidei eſt, in quo, ſi oriatur dubium, judicatur non ſecundùm verba expreſsa & ex rigore juſtitiæ, ſed ex æquo & bono ſecundùm præſumptam mentem contrahentium, quia nempe præſumuntur voluiſse hoc, quod homines æqui & boni in eiſdem velle ſolent ſecundùm leges taliter contrahentium; tales contractus ſunt emptio, venditio & alii quos recenſet Juſtinianus *Inſtit.tit. de actionibus*, & ad hos refertur permutatio; item contractus à Principe initi, juxta Gl. *in l. Princeps, ff. de verb. ſignif.* Atque de omnibus illis intelligitur Regula Juris, quòd *in contractibus bonæ fidei ſit lata interpretatio, in teſtamentis latior, in privilegiis latiſſima.*

584 §.6. Alius dicitur nudus, qui conſiſtit in nuda conventione ſeu pacto, uti promiſſio, emptio, venditio, cenſus, cambium, locatio, conductio, ſponſio, ludus, ſocietas, aſſecuratio, fide-

fidejuſſio: alius veſtitus, qui præter pactum habet aliquid, quo firmatur aut perficitur: poteſt autem contractus veſtiri, quandoque juramento,& hoc omni contractui convenit; quandoque certis verbis, uti ſtipulationes, de quibus dicetur à n. 664. quandoque ſcriptura, uti emphyteuſis, feudum, libellus, ſuperficies, qui fiunt per ſcriptum inſtrumentum coram notario, L. *Contractus*, *Cod. de fide inſtrum.* quandoque veſtiuntur ipſa re, quia ad valorem vel complementum ſui, requirunt traditionem rei, uti donatio, permutatio, commodatum, precarium, depoſitum, pignus, hypotheca. Denique quandoque veſtiuntur adhæſione ad alium contractum, quia nempe adjiciuntur alteri contractui veſtito: & de his omnibus egemus poſteà, poteſtque etiam videri Onn. *d.2.ſ.5.* In hoc autem præcipuè differunt hi contractus, quòd veſtiti pariant actionem in foro externo, id eſt, jus in judicio perſequendi hoc, quod ſibi debetur, *Inſtit. tit. de actionibus:* contractus autem nudi communiter gaudent ſola exceptione ſive poteſtate ſe tuendi in poſſeſſione per actionem, quæ vocatur, *præſcriptis verbis*, L. *Juriſgentium*, *§ ſed cum nulla*, *ff. de pactis*. *Dixi*, communiter, nam in quibuſdam locis etiam pariunt pro foro externo actionem, uti cum aliis notat Illſ. *t.4.d.2.n.341.* Poteſtque videri etiam Onn. *à num.143.*

585 §.7. Contractus, alius dicitur purus, qui fit abſolutè, alius non purus; qui fit ſub aliquo modo, v.g. ſub conditione, uti in quæſtione ſeq. explicabitur.

586 §.8. Celeberrima diviſio contractus eſt, in nominatum, & innominatum. Nominatus eſt, qui habet proprium nomen, uti venditio, emptio, depoſitum. Innominatus, qui non habet proprium nomen, ſed venit nomine generali conventionis, pacti, commutationis &c. Poſſunt autem contractus innominati fieri variis modis, uti, *do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias*; L. *Naturalis*, *ff. de præſcriptis verbis*. Fieri etiam poſſunt oppoſitis modis, *do, ut non facias; non facio, ut facias; facio, ut non facias &c.* do munus, ut non exigas debitum; non exigo debitum, ut des munus; non exigo debitum, ut pro me labores; laboro, ut non exigas debitum. Poſſunt quoque contractus nominati miſceri cum innominatis, do tibi mille & hunc pannum, ut mihi des illam domum, tumque cenſetur contractus nominatus venditionis, quia ratio pretii ſuperat; è contra ſi ſuperaret res, quæ non eſt ſtrictè pretium, cenſetur innominatus: Si pretium & res videantur æqualia, cenſebitur partim nominatus, partim innominatus, uti ex Laym. & Tamb. notat Sporer *t.6. c.5.num.6.* Ad contractus innominatos ab aliquibus reducitur permutatio ex L.1. *ff. de rer. permut.* nam etiam venit nomine communi, cùm omnis contractus, ſaltem oneroſus, ſit quædam permutatio unius juris vel rei cum altera: illuc reducitur etiam promiſſio, uti docet Onn. *d.2.num.97.* nam etiam venit nomine communi, cùm in omni contractu ſit aliqua promiſſio: Differentiæ autem inter contractus innominatos & nominatos præcipuè ſunt ſequentes, de quibus fusè Onn. *ſ.1.* 1. Quòd nominati, quamvis aliter veſtiti non ſint, cauſent actionem in foro externo; ſunt enim nomine ſuo ſufficienter veſtiti, uti probat Onn. *à num.148.* è contra innominati, ſi non veſtiantur, cauſant tantùm exceptionem & obligationem naturalem; permutatio tamen etiam cauſat actionem, quia eſt contractus veſtitus traditione: Similiter donatio ſiſtens in terminis promiſſionis donandi, quamvis fortè ſit contractus nudus & innominatus, tamen parit actionem; ſimiliter promiſſio dotis & promiſſio ſolvendi debitum alienum, quæ omnia ex jure probat Onn. *à num.149.* 2. Nominati plerumque ſunt bonæ fidei, innominati autem ſtricti juris: hinc 3. Nominati habent latam interpretationem, innominati ſtrictam. 4. Nominati non admittunt pœnitentiam, hinc ſi una pars ſuum præſtitit; poteſt per actionem in foro externo cogere alteram, ut etiam præſtet ſuum: è contra in innominatis datur pœnitentia, ſaltem ſpectato jure civili, L.36. *ff. de pactis*, & alibi apud Onn. *num.107.* v.g. ſi contraxi pretio, ut me comitareris Romam, ſi ire nolim, poſſum retinere pretium. Quòd ſi pretium tradidiſſem, Lugo *d.22.n.51.* dicit me non poſſe primum reſilire aut repetere pretium, quia pactum eſſet poſitione rei veſtitum, ideoque pareret actionem civilem, poſteà tamen *n.60.* videtur concedere; quòd poſſit repetere pretium, quia non petit diſſolvi contractum, ſed reddi pretium, quod non debeat, niſi poſita conditione viæ. *Dixi*, ſpectato jure civili, nam Bald. Mol. Onn. *n.109.* Lugo *n.55.* Dicaſt. *l.2.t.3. n.48.* aliique multi contra Rebell. dicunt libertatem illam reſiliendi eſſe ſublatam per jus Canonicum, tanquam contrariam obligationi ſecundùm legem naturæ conſequenti ad contractum, unde dicendum eſt poſſe reſilire tantùm de jure civili permiſſivo, quatenus lex non dat actionem, nec cogit implere, licèt poſitivè non approbet, nec illam fidei fractionem faciat licitam; rectè tamen notat Dicaſt. *num.53.* in contractibus, qui ſcriptura perficiuntur, contrahentes non cenſeri communiter velle ſe obligare, donec ſcriptura ſit facta & ſubſcripta, uti ſtatuitur L. *Contractus*, 17. *Cod. de fide inſtrum.*

5. Metus dans cauſam contractui poteſt annullare nominatum ipſo facto, ſaltem quandoque, uti n.837. dicetur: è contra innominatus venit tantum annullandus per exceptionem, uti habetur paſſim in *ff. & Cod. Quod metus cauſa*. 6. Nominati habent actionem nominatam, v.g. actionem ex empto, ex vendito; locati, conducti, &c. innominati, licèt illis, quando veſtiuntur, competat actio, hæc tamen generali nomine dicitur, *actio præſcriptis verbis*, *ff. tot. tit. de præſcriptis verbis*.

*Q.*103. *Quid notandum ſit circa modos, quibus fiunt con-* 587
tractus: itemque circa obligationem conſequentem ex illis? Reſp. Univerſaliter loquendo, contractus cenſentur fieri eo modo, quem requirunt leges & conſuetudo loci, in quo fiunt, uti innuitur L. *Quod ſi nolit*, 31. *§. Quin aſſidua*, 20. *ff. de ædilitio edicto*, & docent omnes communiter cum Molin. Sanch. Lug. *d.22.n.358.* Dicaſt. *l.2.t.3.d.1.n.480.* Circa ſpeciales autem modos, quibus fieri poſſunt, & obligationem eis reſpondentem, notanda ſunt ſequentia.

§.1. Contractus aliquando fit abſolutè ſine ulla qualitate 588
adjecta, & dicitur purus; aliquando fit aliqua qualitate adjecta, nempe ſub aliquo modo vel conditione; hæc autem eſt diſtinctio inter modum & conditionem, quòd per modum intelligatur limitatio appoſita, quæ non ſuſpendit contractum, ſed tantùm addit aliquid pro onere vel favore unius è contrahentibus; per conditionem autem ſtrictè dictam intelligatur circumſtantia, per quam contractus ſuſpenditur, donec illa impleatur, & quamvis conditio fortè exiſtat, uti ſi dicam, emo equum, ſi ſit trium annorum, tamen non eſt obligatio ſtandi contractu, priuſquam de exiſtentia conditionis conſtet. *Dixi*, per conditionem ſtrictè dictam, nam conditiones aliæ ſunt ſuſpenſivæ, aliæ reſolutivæ; ſuſpenſivæ ſunt, quas ita intendunt contrahentes, ut nolint eſſe contractum, ſaltem abſolutè, niſi conditiones exiſtant, ideoque in jure dicuntur conditiones ante contractum, & ab his contractus dicitur propriè conditionalis: ſunt tamen adhuc duplices, nam aliquæ afficiunt contractum ipſum, & ſuſpendunt, ne exiſtat nequidem conditionatè, uti ſi dicam, contraham ſecum, ſi pater moriatur; aliæ tantùm afficiunt executionem, & ſuſpendunt obligationem abſolutam, interim relinquunt contractum conditionatum, uti, obligo me ad dandum, ſi pater per annum ſupervivat. Reſolutivæ ſunt, quas ita intendunt contrahentes, ut velint ex nunc valere contractum, ſimul tamen velint illa ſervari, ita ut ſi non ſerventur, velint contractum reſolvi ſeu nullum fieri, ideoque dicuntur conditiones poſt contractum, uti; dono mille, ſi inde ædifices templum; ſed talis conditio potiùs eſt modus, & talis contractus potiùs dicendus eſt modalis, quàm conditionalis. Ad dignoſcendum autem an conditio abſoluta ſit ſuſpenſiva an reſolutiva vel non, dat varias regulas Onn. *d.14. à num.8.* Vide Sanch. *in Dec. lib.7.cap.5.num.59.*

§.2. Modalis contractus eſt, vel in diem, uti vendo equum, 589
ſed poſt annum priùs tradendum: vel cauſalis, uti dono equum, quia es nepos meus; dono mille, ut ædifices templum: vel demonſtrativus, uti vendo ex equis meis album: vel disjunctivus ſeu alternativus, uti dono equum vel bovem: vel conjunctivus, uti dono equum & bovem; vel pœnalis, ut faciam, aut pendam 100. aureos.

§.3. Contractus purus ſtatim obligat ex nunc pro nunc, 590
quoties enim in obligationibus dies non ponitur, præſenti die debetur, niſi locus adjectus ſpatium temporis inducat, L.41. *ff. de verb. oblig. & Reg.14. ff. de Reg. Juris*, quod juriſtæ ſolent his verbis ſignificare, quòd in contractu puro dies ſtatim cedat & ſtatim veniat, uti habetur L.213. *ff. de verb. ſignif.* nam cedere diem ſignificat adeſſe diem, quo obligatio incipi; venire autem diem ſignificat adeſſe diem, quo facienda eſt executio contractus, v.g. quo ſolvendum eſt, hinc ſi aliquis purè contraxerit, hoc ipſo ceſſit & venit dies; ſi contraxerit in diem, ceſſit dies, ſed nondum venit; ſi contraxerit ſub conditione, neque ceſſit neque venit dies: quando tamen dicitur ſtatim ſolvendum eſſe, intelligi debet moraliter, nam ſpatium permittitur ad minimùm 10. dierum, ſi ſolvenda ſit pecunia, uti cum communi Onn. *d.12.num.23. ubi à n.38.* multa diſputat de tempore per contractum ſtatuto: notatque Illſ. *t.4.d.2.n.363.* plerumque remitti arbitrio Judicis conſiderata qualitate debiti & debitoris aliiſque circumſtantiis, uti habetur L. *Quod dicimus*, *ff. de ſolutionibus*, *& §. fin. Inſtit. de inutil. ſtipul.* Præſumitur autem creditor conſentire dilationi, ſi, quando poſtulare poſſet, ſponte taceat.

§.4. Si apponatur modus vel conditio repugnans contra- 591
ctui, contractus eſt irritus, uti, dono tibi 1000. ut illis mihi emas domum; duco te in uxorem, ſi ſequenti anno ſolvi poſſim à vinculo; nam iſte modus repugnat donationi, quæ debet transferre dominium in commodum donatarii, ideoque erit tantùm contractus mandati; illa autem conditio repugnat eſſentiæ Matrimonii, quod eſt vinculum ex natura ſua perpetuum. Quòd ſi eidem contractui inſerantur modi vel conditiones quaſi oppoſitæ, quæ non videantur conciliari poſſe,

oportet conſideratis omnibus judicare ſecundùm præſumptionem, quænam voluntas prævaluerit, cenſetur autem contrahens ſemper magis voluiſſe pro ſe vel pro conjunctis, quàm pro extraneis contrahere, Lugo *num.*347. Quòd ſi addatur unicus modus, ſed impoſſibilis, v.gr. dono equum, ut illo hodie ſis Romæ, contractus valet, quia modus non ſuſpendit contractum, ergo valet ante poſitionem modi; poſteà autem non poteſt poni modus, ergo nec eſt obligatio ponendi, ſed cenſetur non appoſitus, Molin.*d.*208. Sanch.*de matr.l.*5.*d.*19. Onn. *d.*14.*num.*26. Dicaſt.*num.*185. valetque idem, ſi modus, qui apponitur, ſit turpis, uti dono gladium, ut illo occidas meum hoſtem, modi enim illi adveniunt contractui jam perfecto & valido: hæc tamen intellige, niſi voluntas contrahentis eſset reſtricta ad illos modos tanquam ad cauſas finales vel conditiones, uti paulò poſt dicetur.

592 §.5. Cauſa, à qua contractus dicitur cauſalis, vel eſt motiva ſeu finalis, vel tantùm impulſiva: motiva eſt, ob quam ponitur, & ſine qua hic & nunc non poneretur conſenſus voluntatis, ideoque ſi hæc non ſubſiſtat, contractus eſt nullus: impulſiva eſt, quæ de ſe non erat hic & nunc ſufficiens ad obtinendum conſenſum, attamen voluntatem aliunde motam magis impellebat, & licèt hæc non ſubſiſtat, adhuc valet contractus. An autem cauſa, quæ additur contractui, fuerit motiva an impulſiva, ſciet ſolus contrahens; leges autem decernentes aliqua circa hæc, ſunt tantùm præſumptivæ, & in foro interno cedunt veritati, Nav. Sanch. aliique cum Onn.*n.*38. poteſtque etiam videri Dicaſt.*à num.*188. Generalis regula eſt, quòd in dubio, an cauſa appoſita fuerit motiva an tantùm impulſiva, cenſeri debeat fuiſſe tantùm impulſiva, quia ſtandum eſt pro valore actus, & omnis diſpoſitio interpretanda eſt potiùs ut valeat, quàm ut pereat, Menoch.*de præſumpt.lib.*6.*præſumpt.*4. Tuſchus *v. Præſumptio concl.*620. Addit Dicaſt.*à num.*195. in dubio etiam præſumi cauſam fuiſſe tantùm impulſivam, quando mens diſponentis reſpiciebat favorem vel commodum illius ſolius, pro quo diſponebat, hinc plerumque valere diſpoſitionem factam pro Monaſterio ſub aliquo onere, quamvis Monaſterium onus non impleat; item valere donationem factam Titio, ut emat veſtem, quamvis veſtem non emat &c. Ex ſimili præſumptione dicitur *ff. Longè*, 31.*Inſtit. de legatis*, item L.*Demonſtratio falſa*, *ff. de condit. & demonſtr.* & L.*Si ſic*, 75.*ff. de legatis & fideicom.* ſi Teſtator diſpoſuerit ex cauſa falſa, legatum valere, quia præſumitur tantum fuiſſe impulſiva, uti ſi Cajus dicat, ſe Titio legare aliquid, quia negotia ejus bene geſſit, legatum valet, quamvis Titius negotia Caji nunquam geſſiſſet; addunt tamen leges, aliud eſse dicendum, ſi legaſset cum conditione, ſi geſſerit. Notat etiam rectè Molin.*d.*209. quamvis aliæ cauſæ adſint, quas ſi diſponens ſciviſſet, non ita diſpoſuiſſet, non ideo invalidari diſpoſitionem, quia hoc non attento diſponit nunc ſecundùm cauſas cognitas; & idem eſt, quamvis non ita diſpoſuiſſet, ſi ſciviſſet cauſam impulſivam eſse falſam, non enim ideo defecit præſens conſenſus.

593 §.6. Demonſtratio falſa non irritat diſpoſitiones ultimæ voluntatis, nec contractus gratuitos, hinc ſi dicam, lego tibi hanc catenam inauratam, hunc agrum, qui eſt 100. jugerum, quamvis catena foret aurea, aut ager 200. jugerum, valerent diſpoſitiones, præſumitur enim non voluiſſe conſenſum ſuum ad hæc alligare, cùm rem ipſam deſignaret, & ita habetur L.*Falſa* 33. & L.*Quibus diebus*, §.*Qui dotalem*, *ff. de condit. & demonſt.* docentque Juriſtæ & Theologi communiter cum Onn.*num.*65. aliud eſt, ſi contractus eſset oneroſus, tum enim error tranſiret ad ſubſtantiam ob notabilem inæqualitatem pretii.

594 §.7. Ordinariè loquendo in alternativis electio eſt debitoris, & ſatisfacit, ſi alterutram partem impleat, *Reg.*70.*de Reg. juris in* 6. quia jura in dubio favent reis tanquam preſſis obligatione, & reipſa præſumitur eſse talis voluntas contrahentium, unde ſi ſic dicatur, ſolve 100. vel 80. debentur tantùm 80. quia in dubiis minus eſt ſequendum. Si tamen contractus dirigatur ad creditorem, aut colligatur eſse factus in favorem ejus, optio ad hunc ſpectabit, uti ſi teſtator dixerit, lego Titio domum vel agrum, hæres tenetur dare, quod Titius prælegerit, jus enim diſponit, ut favores amplientur, quæ omnia etiam multis legibus probat Onn.*à n.*80. Quòd ſi deficiat una pars disjunctionis, manet obligatio determinatè ad alteram; L.16.*& 63. ff. de verb. oblig.* Similiter ſi ille, qui jus habet eligendi, alterutrum elegerit, non poteſt variare, L.*Si is cui*, 19.*ff. de legatis* 2.

595 §.8. Circa contractus copulativos notandum, quòd omnes diſpoſitiones pluralis numeri ad minùs debeant impleri in duobus, hinc ſi contractus fit, ut unus ſolvat alteri aliquot aureos ad minùs ſolvere debet duos, Tuſch. *v. Copulativa*, *concl.*1035. *num.*2. Quòd ſi diſpoſitio habeat, lego Cajo, Titio & Sempronio 100. aureos, dubium eſt, an ſingulis diſtributivè debeantur 100. ita ut hæres ſolvere debeat ter centenos, an tantùm 100. dividendos inter illos tres. Simile dubium eſt, ſi dicatur, ego, Titius & Cajus emimus à te 100. oves, neſcitur enim, an ſinguli ſeorſim emant 100. an ſimul, pro quibus ambiguitatibus tollendis, ſi aliunde non poſſit haberi certitudo vel prudens conjectura, procedendum eſt ſecundùm has regulas; in dubiis minimum eſt ſequendum; in dubiis eſt magis reo quàm actori favendum; item magis debitori quàm creditori, ratio eſt, quia leges miſerantur vicem illorum, qui obligatione premuntur.

§.9. Contractus conditionalis communiter effertur per 596
unam ex eis particulis, *ſi*, *niſi*, *ſi non*, *ſine hoc*, *caſu quo*, *cùm*, *dummodo*, *nec aliàs*, *nec aliter*, *quando*, &c. item per Ablativum abſolutè poſitum, v.gr. mortua conjuge Titius ſit hæres &c. quamdiù autem non impletur conditio, quamvis non poſſit revocari talis diſpoſitio, ſed expectari debeat tempus conditionis ponendæ, ſitque ad hoc non conditionalis ſed abſoluta obligatio, ita Auth. communiter tenent cum Lugo *n.*383. Dicaſt.*n.*233. Onn.*d.*13.*n.*174. tamen ante conditionem impletam contractus ſimpliciter non eſt, ſed ad minimum ſuſpenditur, & ſicuti eſt obligatio ſub conditione, ita etiam contractus, uti habetur *ff. Sub conditione*, *Inſtit. de verb. oblig.* Notatque Illſ.*t.*4.*d.*2.*num.*367. ut obliget contractus, conditionem impleri debere in ſpecifica forma, & non ſufficere, ut æquivalenter impleatur, ſecundùm L.*Qui hæredi*, & L.*Mevius*, *ff. de condit. & demonſtr.*

§.10. Si conditio ſit neceſſaria, vel cognoſcatur certò 597
eventura, uti, dono, ſi ſol cras orietur, ſi Antichriſtus naſcetur, non ſuſpendit contractum, ſed præſumitur fruſtra adjecta, niſi contrahens dubitaſſet de eventu, uti tenent omnes cum Lugo *n.*336. & Dicaſt.*à n.*215. ex L.*Si pupillus*, 9.§.1.*ff. de novat.* L.*Impoſſibilis* 7.*ff. de verb. oblig.* L.*In illa ſtipul. ſi Kalendis ff. ibidem*, *ff. Conditiones*, *Inſt. eod. tit.*

§.11. Si conditio ſit impoſſibilis, id eſt, talis, cui natura 598
impedimento eſt, quominus exiſtat, uti, do equum, ſi ſol cras non oriatur, contractus eſt nullus, §.*Impoſſibilis* 11.*Inſtit. de inutil. ſtipul.* L.*Non ſolum*, 31.*ff. de oblig. & act.l.*7.20.*&* 97. *ff. de verb oblig.* ratio eſt, quia voluntas non poteſt efficaciter tendere in obligationem ſub conditione quæ apprehenditur eſse impoſſibilis; Quando autem dicitur, quòd conditio impoſſibilis, ſi non ſit contra ſubſtantiam contractus, habeatur pro non adjecta, hoc tantùm valet de diſpoſitionibus, in quibus jus poſitivum expreſsè ita ſtatuit, uti circa Matrimonia Cap. ult. *de condit. appoſit.* & circa omnes ultimas voluntates, L.*Si Mevia*, 45. *ff. de hæred. inſtit.* L.*ſi quis* 6.*ff. de condit. inſtitutionum*, de quibus intelligitur Lex 1. ibidem, ubi Ulp. ait, *ſub impoſſibili conditione factam inſtitutionem placet non vitiari*; quod extendit Onn. *num.*134. etiam ad profeſſionem religioſam.

§.12. Si conditio ſit turpis, id eſt, inducens ad pecca- 599
tum, Jus plurimis locis apud Onn.*num.*132. reddit contractum irritum; intellige, quando conditio intenditur, nam ſicuti poſſum vovere confiteri ſtatim, ſi iterum peccavero, ita poſſum hoc per contractum promittere alteri; item poſſum ſic contrahere, ſi fur te ſpoliaverit, compenſabo damnum &c. ideo autem contractus eſt irritus, ſi intendatur conditio turpis, quia non poteſt eſse obligatio ad aliquid illicitum. Jura autem extenduntur ad conditiones etiam tantùm civiliter & politicè turpes, uti, ſi manſeris innupta, ſi non feceris vel ſi revocaveris teſtamentum, hæ enim conditiones in foro civili dicuntur eſse contra bonos mores; uti & illa, ſi parens fuerit mortuus, quia continet votum captandæ mortis, uti patet ex *ff. tit. Ad Senatuſ-Conſ. Maced.* Jus tamen Canonicum & Civile ſtatuit, ut conditiones turpes adjectæ Matrimonio vel ultimis voluntatibus, cenſeantur non adjectæ, ideoque valeant Matrimonium & ejuſmodi diſpoſitiones mortis cauſa; uti & profeſſio religioſa; quod ita intelligendum eſt, non quòd leges ſuppleant conſenſum, hoc enim *num.*609.*&* 614. dicemus eſse impoſſibile, ſed quòd vel præſumant tales conditiones his diſpoſitionibus ſeriò non adjici, eò quòd rigidè prohibeantur adjici ob graviſſima incommoda inde oritura, uti notat Lugo *n.*343. vel quòd irritent talem voluntatem adjiciendi, & approbent ſolam voluntatem principalem ſe obligandi; quod ſaltem valere poteſt in diſpoſitionibus mortis cauſa; vel quòd præſumant diſponentem putaſſe eſse poſſibilem, & ſic fuiſſe conſtitutum, ut ſi ſciviſſet impoſſibilem, non adjeciſſet, eò quòd vellet contrahere ſecundum leges, ideoque hanc voluntatem principalem prævalere: de quibus videri poſſunt plura apud Haun. *T.*o.8.*c.*4.*contr.*2. Sanch. *de Matr. lib.*5.*d.*3. Lugo *à num.* 340. Onn. *à num.*135. & ſpecialiter iterum *à num.*348.

§.13. Si quis pro puella ſic diſponat: hoc tibi relinquo, 600
ſi nupſeris, valet contractus, ſi Religionem ingrediatur, quia Religio æquivalet aliis nuptiis: neque debuit excludi, alioquin fuiſset conditio turpis, quod non præſumitur, uti ex jure probat Dicaſt.*n.*230. docentque etiam cum aliis plurimis Barb. *de Off. Epiſc. alleg.*83.*n.*27. Beja *p.*1.*caſ.*44. Onn. *à n.*170. aliique cum Delbene *de Imm. Eccl. c.*8.*d.*21.*ſ.*2. Addit Dicaſt.*num.*193. valere, quamvis non nubat ſed maneat cælebs, quia cenſetur voluiſſe, ut poſſet nubere, ſi vellet, ſed quoad hoc judicari debet ex circumſtantiis. Quòd ſi addidiſset: ſi nubas meo conſangui-

guineo, rectè dicit cum Delb. *ſ.4. n.2.* & aliis non valere, ſi non nubat, tum enim nuptiæ cum conſanguineo fuiſſent cauſa motiva. Quòd ſi dixerit, ſi non nubat, valet diſpoſitio, ſi erat vidua, non enim cenſetur turpe, ſi vidua iterùm non nubat, unde ſi nubat, non gaudebit diſpoſitione; ſi autem nunquam nupſerat, conditio illa, ſi non nubat, in jure eſt turpis, & cùm impediat Matrimonium, cenſetur non appoſita, ſecundùm ante dicta, unde valet contractus, & ipſa gaudet diſpoſitione, quamvis nubat, quæ omnia citatis legibus probat Dicaſt. *n.229.* Quòd ſi relinquantur 200. aurei, ſi nubat, & centum, ſi ingrediatur Religionem, de hoc dicetur *à n.1140.* Plura de ejuſmodi conditionibus hæreditati vel legato adjectis, vide apud Delb. *ſect.4. & ſeqq.*

601 §.14. Si conditio ſit negativa, uti dono Titio villam, ſi non iverit Romam, diſtingui debet, nam ſi ſit diſpoſitio per ultimam voluntatem, *Auth. cui relictum, Cod. de indicta viduitate*: L. *Mutianæ 7.* & L. *Hæres meus 79. ff. de condit. & demonſtr.* ſtatuitur, ut ſtatim valeat, atque ſi impleta eſſet conditio, attamen præſtita cautione de reſtituendis omnibus, ſi conditio non obſervetur; & idem rectè cenſet Illſ. *n.367.* de aliis contractibus circa res, quæ ad hæredes non transferuntur, ne talis diſpoſitio ſit inutilis: è contrà ſi ſit diſpoſitio non ultimæ voluntatis, expectanda eſt mors ejus, qui impleturus eſt conditionem, qua poſita hæredes ejus rem obtinebunt, uti cum communi Onn. *n.* 158. Lugo *n.376.* & colligitur ex §. *Sub condit.4. &* §. *Si quis Inſtit. de verb. oblig.* Poſſet tamen etiam mens diſponentis eſſe; ut tamdiù habeat, quamdiù v.g. non ibit Romam, quod aliunde debebit colligi.

602 §.15. Si ille, qui conditionem debuit implere, neſcivit eam fuiſſe appoſitam, & juret ſe impleturum fuiſſe, ſi ſciviſſet, habetur pro impleta, ut cum aliis docent Tuſch. *v. conditio. concl.* 581. *n.7.* & Onn. *n.159.* qui cum Mol. Sa, Rebell. & Dicaſt. *num.194.* idem dicunt, ſi conditio impleri non poſſit & ſit diſpoſitio ultimæ voluntatis aut alius contractus gratuitus, ſic enim piè interpretamur mentem diſponentis: atque idem eſt, ſi ſit contractus ultimæ voluntatis vel gratuitus & per tertium ſtet, quominus impleatur conditio, uti habet Onn. *n.163.* & iterùm *d.14. num.87.* aliud tamen cenſet Onn. *d.13. nu.162.* in contractibus oneroſis, in quibus quiſque ſuum commodum quærit, hinc conditione quomodocumque deficiente cenſetur nolle obligationem contractus.

603 §.16. Si Titio promiſeras villam ſub conditione, & poſteà eandem promittas Cajo ſub alia conditione, quæ prius impleatur, ſpectato jure naturæ dicit Dicaſt. *num.236.* primam promiſſionem prævalere, quamvis enim poſterior priùs purificetur, tamen non tollitur jus prioris antecedenter acquiſitum, poteſtque adhuc impleri prior conditio, ergo non ideo prior contractus deſinit.

604 §.17. Si Titius Cajo legarit aliquid, ea lege, ut caſtè vivat, & Cajus vel ſemel etiam occultè fornicetur, Sanch. *de Matr. l.7. d. 91. n.4.* dicit teneri in conſcientia reddere hæredibus, quia deficiente conditione deficit voluntas Teſtatoris: ſed inquirendum eſt in hanc voluntatem, quę potuit eſſe, ut ita viveret, ne pro non caſto haberetur, unde putat Lugo *n.414.* ſi maneàt occultum, non ideo privandum, quia non præſumitur, quòd Teſtator voluerit obligare ad ſe prodendum, quod nimis difficile eſſet: & idem in ſimili caſu docet Mol. *d.614. n.4.* Hinc docet etiam Delbene *ſ.8.* ſi quid ſit relictum pro virgine, poſſe habere illam, quæ corrupta eſt & habetur pro virgine. Addit *ſ.22.* ſi conditio fuerit, *ſi caſtè vixerit*, ſatis eſſe, ſi per decennium caſtè vixerit, quamvis poſteà fornicetur. An autem obligatio ex contractu conditionalis tranſeat ad hæredes creditoris, & maneat contra hæredes debitoris, ſi poſt mortem ejus impleatur conditio, videri poſſunt Lugo *à n.376.* Dicaſt. *à n.237.* Illſ. *n.366.*

605 §.18. Contractus conditionales, qui ſolo conſenſu perficiuntur, uti emptio, promiſſio, fiunt abſoluti adveniente conditione, quamvis conſenſus interim fortè revocetur, L. *Hæc venditio 7. ff. de contrab. empt.* patetque à ſimili in voto conditionali, quod ſit abſolutum & obligat adveniente conditione, licèt interim revocetur conſenſus. Matrimonium tamen factum ſub conditione, non tenet adveniente conditione, ſi revocatus ſit conſenſus, uti omnes tenent cum Sanch. *de matrim. lib.5. d.8.* Et idem videtur dicendum de aliis contractibus, qui traditione perfici debent, Dicaſt. *n.352.* Lugo *n.385.* quia nempè requirunt traditionem, quæ ſine conſenſu nulla eſt; probabilius tamen videtur cum *Sanch. Lugo, Dicaſt.* aliiſque plurimis omnes contractus conditionatos, etiam matrimonialem, fieri abſolutos & perfici ſine novo conſenſu, ſi conditio adveniat, & conſenſus prior revocatus non ſit, ſic enim Matrimonium perficitur inter abſentes, quando unus conſenſit ſub conditione, ſi alter ejus Procuratori ſuum conſenſum viciſſim manifeſtaret, in hoc enim & aliis contractibus ſufficit conſenſus virtualiter perſeverans, ex vi cujus poſteà fiat traditio; & de his plura videri poſſunt apud AA. citat. Notat tamen Lugo *de Sacr. d.8. n.98.* ſi primus conſenſus fuiſſet nullus, *v.g.* quia poſitus erat, cum adeſſet impedimentum dirimens, quamvis poſitus fuiſſet ſub conditione, ſi diſpenſetur, poſteà non valere pro Matrimonio, niſi renovetur, quia ab initio erat nullus, ergo nequidem habitualiter perdurare poterat; ſed contradicit Dicaſt. *de Sacr. d.3. à n.137.* quamvis enim fuerit nullus pro tempore inhabilitatis, tamen non fuit nullus pro tempore habili. Videri poteſt Illſ. *num.368.*

§.19. Pœna poteſt apponi ex conſenſu contrahentium, quę 606
ideo dicitur conventionalis, & ſolvi debet ab illo, qui culpabiliter non ſervat contractum, uti cum communi Lugo *de Juſtit. diſp.22. ſect.15.* videndum tamen, ne addatur mutuo, & ſic pallientur uſuræ, de quo dicetur n.897. deinde ut ſit moderata, uti rectè Bonac. & Onn. *d.8. num.121.* Præterea ſecundùm multos AA. apponi non poteſt contractui ſponſalium, licèt permittantur arrhæ, ſed de hoc dicetur *l.6.* De arrhis tamen circa alios contractus ſtatuitur L. *Contractus 17. C. de fide inſtrum.* ut qui arrham dat, eam amittat, ſi contractu ſtare nolit; qui verò accipit, duplum ſolvat, ſi reſiliat, nempè reddat, quod accepit, & tantumdem adjiciat: notatque Lugo *d.26. n.10.* arrhas communiter dari ad roborandam obligationem, ita ut non ſit liberum recedere jactura arrhæ, niſi alia ſit conſuetudo. Quòd ſi imponatur pœna propter moram, non poterit ordinariè eſſe pœna notabilis, ſi fiat mora tantùm unius vel alterius diei: addunt Leſſ. *lib.2. cap.20. num.134.* & Lugo *num.399.* etiam unius ſeptimanæ, niſi aliud poſtularet qualitas negotii, indigentia alterius contrahentis, vel mos patriæ; videtur probabilius, quod ad incurrendum debitum pœnæ conventionalis pro foro conſcientiæ non prærequiratur ſententia Judicis, uti cum communiore Leſſ. *num.135.* Lugo *num.406.* Onn. *num.126.* contra multos alios. Quòd ſi impoſita eſſet ratione damni emergentis vel lucri ceſſantis, foret in conſcientia obligatio ſolvendi, etiamſi alter non peteret; è contrà ſi ſit purè conventionalis, non eſt obligatio eam ſolvendi, niſi alter exigat, uti habet communis contrà *Nav.* & alios, quia nimis durum videtur tales pœnas in ſe exequi, & ſi alter non exigat, cenſetur remittere: Mol. Bonac. aliique plurimi cum Onn. *n.127.* Eſt autem etiam probabilius, quòd ſatis ſit exigi extrajudicialiter, nam non præſumuntur ſe voluiſſe obligare ad moleſtam implorationem Judicis, uti docent cum communiore Suar. Mol. Lug. Onn. *n.128.* contrà Sanch. *d.37.* & Caſtrop. *de leg. d.2. p.3.* qui putant alterum contrahentem tantùm intendiſſe dare alteri jus ad ſe cogendum per Judicem pro ſolvenda pœna, ſed rectè monet Leſſ. *n.137.* attendendam eſſe conſuetudinem, quæ videtur eſſe, ut ſolvatur, ſi tantùm extrajudicialiter petatur. Quòd ſi tenearis hoc menſe ſolvere 4000. ſub pœna centum, & non ſolviſti niſi 2000. teneberis in pœnam dare 50. Molin. Onn. *n.* 129. ſicuti enim diviſa eſt quodammodo culpa, ita & dividi debet pœna. Denique circa pœnas in teſtamento additas, putat Suar. *de leg. l.5. c.6. n.10.* eas non eſſe proprie pœnas, ſed conditiones, quibus non poſitis vitietur diſpoſitio, fatenturque Molin. *d.615.* & Lugo *n.409.* ſaltem has pœnas obligare, etiam antequam quiſquam exigat vel moneat, quia illi, in quorum gratiam ſunt appoſitæ, communiter de illis neſciunt; quòd ſi de illis ſciant & taceant, quandoque præſumi poterunt remittere. Quid autem dicendum ſit, ſi juraſti te ſoluturum, videri poſſunt dicenda n.727.

Q. 104. *Quid notandum ſit circa conſenſum ad valorem* 607
contractus requiſitum? Reſp. Circa hunc conſenſum dubitatur, 1. An debeat eſſe internus. 2. An in obligationem gravem. 3. An liber ab inadvertentia, ignorantia & errore circa ſubſtantiam. 4. An liber ab errore circa qualitatem. 5. An liber à dolo. 6. An liber à metu. 7. An debeat eſſe plenè deliberatus. 8. An externè manifeſtatus. 9. An utrimque acceptatus. Et de his jam ordine dicemus.

§.1. Ad valorem contractus requiritur verus conſenſus 608
internus, ſive animus ſe obligandi, ſaltem implicitus, ex parte utriuſque contrahentis; neque ſufficit voluiſſe ponere verba vel ſigna externa, per quæ contractus fieri ſolet, ita Mol. Sanch. Lugo *d.22. n.45.* Onn. *d.1. n.62.* contrà Vaſq. Turr. Baſil. Pontium, Palav. *de Sacr. à n.90. & alios*, quos ſequitur Dicaſt. *de Juſt. l.2. t.3. d.1. n.461.* & iterum *t.4. d.4. Probatur ex l.1. §. Conventiones, ff. de pactis*, ubi ſic habetur, *dixit Pedius nullum eſſe pactum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe conſenſionem, nam & ſtipulatio, quæ verbis fit, ſi non habeat conſenſum, nulla eſt.* Idem in terminis habetur *l.3. ff. de oblig. & action.* aliiſque locis apud Onn. *ſup.* ratio autem eſt, 1. Quia obligatio, quæ eſt ex contractu, naſcitur à voluntate ſe obligantis, ergo ubi non eſt voluntas ſe obligandi, non eſt obligatio, ergo cùm contractus eſſentialiter debeat cauſare obligationem, ſi deſit voluntas ſe obligandi, deerit eſſentia contractus. 2. Ut per meipſum acquiratur dominium, requiritur voluntas acquirendi, ergo ut per meipſum dimittatur, requiretur voluntas dimittendi, & ſic omnis contractus requirit voluntatem internam. 3. Si dicam me emere librum pro me, & reipſa in animo velim emere pro Petro, non emo mihi ſed Petro, hinc ſi ſim Religioſus, mentior quidem,

ſed non pecco contrà paupertatem, neque ad hoc indigeo venia Superioris, ergo ſignum eſt obligationem contractus pendere à volitione interna. 4. Si ad valorem contractus ſufficeret exteriùs fingere conſenſum, etiam hoc ſufficeret ad valorem Matrimonii & voti, item ad confectionem Sacramentorum, quæ dici non poſſunt, uti dicetur ſuis locis, & Dicaſt. *n.*472. fatetur contractum fictè celebratum ex metu injuſto non eſſe validum, ergo idem eſt de aliis fictè celebratis, quòd enim conſenſus in uno caſu poni deberet; & non in alio, inde non ſequitur reipſa poni conſenſum, ergo nec ſequi obligationem. *Dixi* 1. requiri animum ſe obligandi, nam non requiritur animus implendi obligationem, ſtant enim ſimul, ſe velle obligare ad aliquid, & tamen non velle præſtare illud, ad quod quis ſe obligat, v. g. poteſt quis velle ſtatum religioſum vel ſacerdotalem, & tamen nolle ſervare caſtitatem aut legere Horas. *Dixi* 2. requiri animum ſe obligandi, ſaltem implicitum, explicitus enim non requiritur, ſed ſufficit deliberatè & directè inire contractum, qualem communiter ineunt homines, ex quo contrahens antehac ſufficienter ſciverit, & nunc virtualiter adhuc ſciat oriri talem obligationem: hæc enim virtualis intentio ſufficit ad Sacramenta & vota, ergo etiam ad contractus. *Dixi* 3. ex parte utriuſque contrahentis, nam contractus debet eſſe conventio duarum voluntatum in aliquid, quod etiam promiſſioni convenit, quæ non obligat, niſi promiſſarius acceptet.

609 *Obiic.* Contractus ſine conſenſu interno, externè tantùm initi, habentur in foro externo pro validis, ergo lex ſupplet conſenſum internum. *Confirm.* quia qui ita contraxit, ex juſtitia tenetur præſtare rem, de qua contraxit, ergo ſignum eſt validè contraxiſſe. Reſp. N. conſ. forum externum præſumit adfuiſſe conſenſum, quia cùm delicta non præſumantur, quiſque cenſetur loqui, ut ſentit; quòd ſi Judex rem adjudicet alteri, non facit ſupplendo conſenſum internum, neque hoc dominium transfertur ex vi contractus, ſed per diſpoſitionem Juris, in pœnam fictionis, aut per dominium altum, quod habet Reſp. in bona privatorum, quando ſic exigit bonum commune, ſic autem exigit in hujuſmodi caſibus, ne omnia commercia humana fraudibus & litibus pateant. *Ad Conf.* diſt. antec. ex juſtitia tenetur tradere, ſi cauſarit damnum alteri, quod aliter reparari non poſſit, C. ſi nullum damnum cauſarit, aut hoc damnum aliter poſſit reparari, N. ant. & conſ. tum enim tenetur tradere tantùm ex quadam fidelitate obligante ad conformanda facta verbis; ex juſtitia tamen tenetur deponere fictionem, quia quiſque habet jus, ut qui ſecum contrahit, ſeriò contrahat, & non fictè, & ſic mediatè tantùm dici poteſt teneri ex juſtitia tradere, nempè priùs ponendo conſenſum internum, ex quo oritur obligatio juſtitiæ.

610 *Inſt.* Saltem qui habet animũ contrahendi, quamvis habeat expreſſum animum ſe non obligandi, validè cõtrahet, qui enim vult cauſam vult effectum, qui vult antecedens vult conſequens, qui vult formam vult conſequentia ad formam, ita *Sotus, Lop. Redriq. aliique*. Reſp. Volens contractum & nolens obligationem, poteſt ex modo tendendi ſuæ voluntatis ſe habere diverſimodè, 1. ita, ut primariò nolit obligationem, ideoq; etiam nolit contractum; & tum non contrahitur obligatio, cùm enim hanc expreſsè excludat, hæc volitio prevalet, & conſequenter ponitur contractus, qui eſſentialiter eſt cauſa obligationis. Ratio à priori eſt, quia quando duæ voluntates ſibi oppoſitæ concurrunt, illa prevalet, quæ ſe reflectit ſupra alteram, & ex modo tendendi eſt reſtrictiva illius, tum enim prior volitio non admittitur, niſi ſub modificatione, quam reflexa ſuperaddit, ergo ſi hæc addat aliquid excludens hoc, quod eſſentialiter convenit priori, hæc prior eſt nulla. 2. Poteſt ita ſe habere, ut hic & nunc nollet obligationem, adhuc tamen velit contrahere, quamvis inducatur obligatio; & in hoc caſu prævalet volitio contrahendi, adeoque inducitur obligatio. 3. Poteſt ita ſe habere, ut æqualiter tendat in contractum & non obligationem; in quo caſu nec fit contractus, nec inducitur obligatio, quia voluntas tendit in aliquid impoſſibile, quod eſt contractus ſine obligatione. An autem promiſſio externa ſine animo ſe obligandi obliget ſaltem ex fidelitate, dicetur n.777.

611 §.2. Probabiliùs videtur, quòd ad contractum ſimpliciter, de quo jura loquuntur, requiratur conſenſus in obligationem gravem, ſive intentio ſe obligandi graviter, quando materia eſt gravis, ita Lugo *n.*40. contrà *Sanch. Henriq. & alios. Probatur*, nam in primis certum eſt contractum Matrimonii fore invalidum, ſi quis ſe tantùm leviter vellet obligare, ergo idem dicendum eſt de contractu ſponſalium. Similiter certum videtur, quòd contractus donationis, & mutui obliget graviter, quando res donata vel mutuata eſt gravis, nam per illos contractus translatum eſt dominium rei gravis, ergo eſſet gravis injuria hanc retrahere domino invito; ergo idem videtur dicendum de aliis contractibus. *Dixi*, ad contractum ſimpliciter, quia ſicuti aliquis poteſt vovere Deo rem gravem ſub obligatione levi, ſic etiam poterit promittere homini; imò etiam ſic poſſet aliquis tantùm ſub veniali ſe velle obligare per ſponſalia vel per alios contractus, ſed tum non eſſent ſimpliciter contractus, de quibus Jura loquuntur, quando de ejuſmodi contractibus agunt, ſi enim quis vocatus in Judicium prætenderet ſe noluiſſe contrahere obligationem niſi levem, diceretque hic & nunc eſſe cauſam etiam levem, quæ excuſaret ab ejus impletione, utique repelleretur, ergo ſignum eſt, quòd ubi materia eſt gravis, jura velint contrahi obligationem gravem.

§. 3. Conſenſus ad valorem contractus requiſitus debet eſſe liber ab inadvertentia, ignorantia & errore circa ſubſtantiam contractus; eſt communis & habetur *l.*15. *ff. de Juriſdict. l.*11. *&* 41. *ff. de contrah. empt.* aliiſque apud Onn. *d.*3. *num.*84. *&* 102. *Nec obſtat*, quòd *l.*14. *ff. de contrah. empt.* dicatur emptionem rei inauratæ pro aurea eſſe validam, *nam* ſententia illa Ulpiani ſatis eliditur per alias leges; neque mirum eſt in Jure civili inveniri ſententias contrarias, cùm à diverſis diverſo tempore ſint compilatæ, nec omnes approbentur, uti patet ex correctione, quam ſæpè adhibet Jus Canonicum, & quandoque ipſummet Jus Civile expreſsè reprobat. Ratio aſſertionis eſt, quia cùm nullus ſit errantis conſenſus, uti habetur *l.*9. *Cod. de juris & facti ignor.* deeſt conſenſus in obligationem, quæ naſci debet ex contractu circa tale objectum, voluntas enim non poteſt ferri in objectum incognitum, ergo non contrahitur obligatio ad tale objectum, ergo conſenſus talis erit nullus. Atque ex his colliguntur ſequentia: 612

1. Si emeris vitrum pro gemma, æretum pro vino &c. contractus eſt jure naturæ nullus, quia deeſt conſenſus in in hanc ſubſtantiam. 613

2. Hic conſenſus non poteſt ſuppleri à Republ. imò nequidem à Deo, qui ſi imponat obligationem, non erit ex contractu, ſed ex præcepto; & dominium transferetur per poteſtatem altiorem. 614

3. Infantes, dementes, ebrii, dormientes non poſſunt contrahere, quia libertatem talem non habent.

4. Contractus eſt nullus, ſive ignorantia vel error fuerit vincibilis & craſſus, ſive invincibilis; ſive juris ſive facti; ſive antecedens, qui dederit cauſam contractui, ſive concomitans, incidens aut conſequens, qui non dederit cauſam contractui; ſive ſit cauſatus ab altero contrahente, ſive à quocumque alio, quia per omnes has ignorantias vel errores æqualiter fit, ut non cognoſcatur ſubſtantia hujus contractus, ergo ut non ſit volita hæc obligatio. 615

5. Si putarem tibi vendere agrum, & tu putes tibi donari, venditio & donatio eſt irrita, uti habetur *l. In Vendit.*9. *ff. de contrah. empt. & l. Si ego*, 18. *ff. de reb. credit.* quia nempè erratur in ſpecie contractus, quod pertinet ad ſubſtantiam: Si tamen putem me ex teſtamento debere tibi agrum, tu autem putes tibi deberi ex venditione, & ego agrum tradam, acquiris dominium, quia virtualiter conſentimus in titulo, cùm uterque agnoſcat juſtitiam cauſæ, ſive hæc ſive illa fuerit, & ita habetur *l. Cùm in Corpus*, 36. *ff. de acquir. rer. domin.* 616

6. Si quid emerim 20. ducatis in auro, qui hoc tempore longè plùs faciant, quàm putaverim, emptio eſt nulla, quia non conſenſi in hoc pretium, & error in pretio eſt in ſubſtantia, uti habetur *l. In vendit.*9. *ff. de contrah. empt.*

7. Si emas vas vini putans eſſe vas olei, quamvis æquè libenter & eodẽ pretio emiſſem vinum, emptio eſt nulla, quia non habui conſenſum circa vinum; conſenſus autem conditionatus, quem habuiſſem, ſi ſciviſſem eſſe vinum, non ſufficit ad emptionem abſolutam. *Nec juvat* conſenſus interpretativus, uti vult Vaſq. cui favet Dicaſt. *l.*2. *t.*3. *d.*1. *n.*72. *nam* niſi adſit ſignum ejuſmodi diſpoſitionis animi, quòd vellet, ſi ſciret eſſe oleum, talis conſenſus interpretativus non videtur ſufficere ad contractum de oleo more humano faciendum. Quòd ſi vinum ſolummodò aceſceret, valeret emptio, quia non eſſet error in ſubſtantia, uti habetur *in ead. leg.* aliiſque apud Onn. *n.*108. 617

8. Si emam 100. oves, quarum 60. ſint vendentis, 40. ſint alienæ, emptio valet tantùm de 60. quia erat emptio ad menſuram, id eſt, ad partes, cùm autem circa 40. ſit error in ſubſtantia, emptio reſpectu harum eſt nulla, *l. Sed ſi*, 18. *ff. de contrah. empt.* E contrà ſi intẽtio mea iret in omnes ſimul partes alicujus totius, v.g. in 4. equos rhedarios, ſi unicus ſit alienus vel inutilis, tota emptio eſt nulla, quia erat emptio ad corpus, id eſt, ad totum, & non volebam niſi quadrijugum, *l. Si duos* 44. *ff. de contrah. empt.* ſit tamen etiam quandoque, ut ſi error circa ſubſtantiam ſit in minore parte, valeat contractus, ſed imminuatur pretium; ſi autem ſit error in majore vel media parte, communiter non valet contractus, uti ſi ſtatuam argenteis laminis coopertam emerem putans eſſe totam argenteam, *l. Cùm ab eo*, 41. *ibid.* quidquid in contrarium dicat Ulpian. ante cit. uti etiam notant Mol. & Onn. *num.*114. qui tamen rectè addit in ejuſmodi contractibus attendi debere ad mentem contrahentis. Quomodo autem validè emi poſſit ſtatua habens in ſe aurum, quæ tamen in communi æſtimatione hominum putabatur eſſe tota cuprea, dicetur num. 952. 618

Obii-

619 *Objicies*. Ignorantia vincibilis non excusat à peccato, ergo nec ab obligatione in contractu. 2. Leges sæpè dicunt ignorantiam juris non juvare sed facti. 3. Sic dabitur occasio innumeris mendaciis & litibus, nam quisque asseret se ignorasse vel errasse circa substantiam contractus. Resp. *Ad* 1. Ignorantiam etiam vincibilem excusare ab illo peccato, quod committeretur, si cognosceretur ejus malitia, quamvis non excuset à peccato affectatæ aut neglectæ ignorantiæ, hujus enim peccati malitia erat satis cognita; peccatum tamen ignorantiæ est ejusdem speciei cum peccato ignorato, quia peccatur contra idem præceptum, & contra eandem virtutem, quæ obligant ad rem præceptam, & ad non exponendum se periculo omissionis illius per ignorantiam. *Ad* 2. Facti ignorantia juvare potest ad excusanda delicta, etiam ad impediendas obligationes contractuum; juris autem ignorantia plerumque non excusat apud homines, quia non præsumitur, reipsa autem excusat apud Deum & in foro conscientiæ. *Ad* 3. Tale assertum non admittetur in foro externo, sed quamdiù non probabitur oppositum, possessio erit pro valore contractus, utpote initi secundùm usum communem hominum vel dispositionem legum.

620 §. 4. Si inadvertentia, ignorantia vel error sit tantùm circa qualitatem, non impedit consensum ad valorem contractus requisitum, *l. Aliter*, 10. *& l. Alioquin*, 11. *de contrab. empt.* docentque communiter omnes cum Onn. *d. 3. num.* 124. Ratio est, quia secundùm substantiam nullum est involuntarium, sed habetur consensus jure naturæ requisitus, nec leges positivæ talem contractum irritant. *Nec obstat*, quòd adsit involuntarium circà qualitatem, *quia* accessorium debet sequi principale. Tota difficultas hic est in discernendo, quid hic & nunc sit de substantia contractus, & quid qualitas seu
621 tantùm accidens, v. gr. in contractu Matrimonii, sponsalium, item in emptione servi, persona est de substantia contractus, unde si Matrimonium vel sponsalia contraxi cum Titia putans esse Cajam, aut si in servum emi Titium putans esse Cajum, contractus est nullus, *l. Alioquin* 11. *ff. de contrab. empt.* docent Molin. & alii cum Onn. *num.* 117. Idem est plerumque in contractibus gratuitis, si enim donavi Petro putans esse Paulum, donatio est nulla, nisi donassem quia pauper esset, & uterque esset pauper, tum enim persona esset tantùm accidens; in aliis autem contractibus onerosis persona communiter etiam est tantùm accidens, si enim vendam Petro putans me vendere Paulo, venditio est valida. Quòd si conduxerim Advocatum pro lite mea, quem putavi peritum, est autem imperitus, Onn. *num.* 118. rectè dicit esse errorem in substantia, ideoque contractum esse nullum, quia licèt non errarim in persona physicè, erravi tamen in ea moraliter, quia contraxeram propter operam, ad quam est inhabilis, & sic persona habilis, transit in objectum, in quo est error, ergo erratum est in substantia. Similiter si absens emi pannum, volens me Sacerdotem vestire, si pannus est ruber, erit error in substantia &c. Itaque universaliter loquendo, hoc debet censeri de substantia contractus, ad quod se restringit voluntas contrahentis; è contra hoc erit tantùm qualitas vel accidens, ad quod voluntas contrahentis se non restringit, sed absolutè censetur procedere hoc non obstante, uti rectè cum communi Illsf. *t. 4. d. 2. num.* 354. In dubio autem, an voluntas se ad hoc vel illud restrinxerit necne, præsumendum est ex communi usu aliorum hominum vel ex dispositione legum circa tales contractus.

622 *Objicies*. Sæpè fit, ut si qualitas fuisset cognita, contractus non fuisset initus, ergo talis antecedens ignorantia qualitatis impediet obligationem contractus. Resp. N. conseq. inde enim tantùm sequitur, quòd posita cognitione qualitatis futura fuisset volitio, quæ impediviſſet obligationem, non autem, quòd nunc fuerit aut nunc impediat.

Inst. 1. Sponsalia rescindi possunt propter talem errorem circa qualitatem, qua cognita non fuissent inita, ergo & reliqui contractus. Resp. Dato anteced. n. conseq. sponsalia enim requirunt majorem libertatem, quia post se trahunt contractum indissolubilem & difficillimum Matrimonii. *Dixi*, dato ant. nam quòd respectu alterius contractus esset qualitas, dici potest esse de substantia sponsalium, quia ex usu vel saltem ex dispositione juris censetur voluntas contrahentium ad tale aliquid esse restricta, eò quòd aliàs ipsis causaretur grave perpetuum præjudicium.

Inst. 2. Si superveniret talis qualitas, non esset obligatio servandi etiam alium contractum, quia status esset mutatus, ergo etiam non est obligatio, si præcesserit & postea detegatur. Resp. N. ant. nam si sit mera qualitas, status substantialis erit idem, contrahens autem consensit in substantiam, non restringens ad mutationem accidentalem, ergo manet consensus ad valorem requisitus; quod à posteriori probat Lugo *num.* 92. quia aliàs nunquam posset esse securitas de valore quotidianorum contractuum, sed semper essent pericula rescindendi & litigandi, ergo necesse fuit, ut ad perpetuum valorem contractus sufficeret consensus absolutus in substantiam; contrahentium autem est priùs bene considerare, id de quo contrahunt.

§. 5. Quamvis error circa qualitatem sit per dolum causatus 623
à simul contrahente, non ideo vitiatur consensus ad valorem contractus requisitus: est communis cum Dicast. *num.* 68. & Illsf. *n.* 355. ex *l. Si dolo, Cod. de rescind. vendit.* & ex *l. Dolo* 5. *Cod. de inutil. stipulat.* quæ leges dant jus rescindendi talem contractum ex dolo factum, ergo supponunt esse validum.

Circa hoc tamen notandæ sunt variæ sententiæ, quas cum 624
Authoribus suis fusè refert Lugo *à n.* 70. & Onn. *à n.* 153. nam plerique dicunt talem contractum manere validum jure non tantum naturæ sed etiam positivo, oppositum autem tenent de contractibus bonæ fidei, licèt admittant de contractibus stricti juris, si nempe illi contractus bonæ fidei ex voluntate contrahentium solvi possint, uti habet Onn. *d. 2. n.* 124. & pluribus *d. 3. à n.* 167. Putant alii cum Lugo de omnibus esse dicendum, quòd tantùm claudicent seu irritari possint propria etiam authoritate & arbitrio decepti, quamvis Sanch. aliique cum Dicast. *n.* 85. dicant etiam rescindi posse pro arbitrio deceptoris, eò quòd contractus ex utraque aut ex neutra parte videatur esse validus; sed sententia Lugonis est probabilior, quia decepto facta est injuria per authorem doli, quamvis fuisset dolus parvus, inquit Lugo *n.* 142. si reipsa dederit causam contractui, ergo deceptor tenetur causata incommoda auferre, quorum unum est, si deceptus nolens obligaretur contractu, ad hunc enim obligare, esset reipsa continuare injuriam: deceptor tamen non videtur saltem sub mortali obligandus ad monendum deceptum, ut, si velit, contractum rescindat, si enim alter compenset damnum, videtur satisfacere pro injuria, & hoc videtur velle Lugo *à num.* 108. Ratio est, quia verè adfuit consensus mutuus & absolutus, estque utilius decepto contractum valere in favorem suum & posse pro libitu rescindi, quàm ex neutra parte esse firmum; imò Less. *ex Cap. Dilecti, de empt. & vendit.* item ex *L. 2. Cod. de rescind. Vendit.* docet, licèt per dolum vel errorem concomitantem esset facta deceptio in pretio ultra dimidium, valere contractum nec posse rescindi, sed tantùm concedi actionem, *quanto minoris*. Videri possunt dicenda *num.* 993. Item Illsung. *à num.* 355. Quòd si non sit deceptio ultra dimidium, dicemus posteà *num.* 715. *&* 726. quid agendum sit.

Obji. 1. *l. Eleganter*, 7. *de dolo*, dicitur quòd venditio ser- 625
vi ab eo dolosè obtenta sit nulla: Similiter *L.* 1. *Cod. de rescind. vendit.* dicitur, quòd emptio malæ fidei sit irrita, *& L.* 3. *ff. Pro socio*, dicitur, quòd societas, si dolo malo aut fraudandi causa coita sit, ipso jure sit nullius momenti. Resp. Sæpè in jure voces illæ, *nullus & nullius momenti*, idem significant quòd annullandus seu annullabilis; vox autem *irritus*, idem quod irritandus seu irritabilis, uti rectè probat Onn. *d. 3. à num.* 167. hinc per leges illas plùs non probatur, quàm contractus dolosos esse annullabiles & irritabiles. Addit Lugo *num.* 128. etiam ideò dici irritos & nullius momenti, quia dant debilissimum jus, utpote statim revocabile ab injuriam passo.

Obji. 2. Dolus facit contractum rescindibilem, ergo vitiat, 626
quia si est rescindibilis à decepto, ergo ex parte decepti non obligat ex justitia commutativa, nam ex hac obligari, est obligari utrimque irrevocabiliter, saltem in contractibus onerosis, cùm utrimque debeat causari jus, jus autem est potestas inimpedibilis. Resp. Etiam ex parte decepti, per se loquendo, obligat irrevocabiliter, sed per accidens nunc non ita obligat propter injuriam factam, manetque utrimque æqualitas intrinseca & substantialis, quamvis non extrinseca & accidentalis, scilicet quoad revocabilitatem & alia accidentia, quia obstitit malitia decipientis.

Obji. 3. Si contractus possit rescindi propter injuriam, quam 627
dat dolus antecedens, ergo etiam poterit rescindi, quamvis dolus sit tantùm concomitans, tum enim adhuc esset injuria, & consequenter si vendens tibi vinum dixisem esse vetus, quod tamen eodem pretio emisses, quamvis sciviſses esse novum, si fuit novum, posset rescindere emptionem. Resp. Seq. concedunt Silv. & Ang. apud Dicast. *num.* 93. qui tamen cum Sanch. & aliis putat esse negandam, quia respectu mentis, moraliter loquendo, nulla censetur esse mutatio, cùm ipse tempore contractus nihil de illa curaret, adeoque nec censebitur injuria, aut saltem inquit Lugo *n.* 104. non erit efficaciter damnosa.

Inst. Ergo si dolus etiam ab aliquo tertio esset factus, ad- 628
huc posset contractus rescindi. Resp. Seq. concedunt Medin. & Dicast. *num.* 91. sed melius negant alii, cùm enim jus rescindendi tantùm proveniat ab injuria, si contrahens injuriam non fecerit, nec poterit contractus cum ipso initus rescindi, sed decepto manebit actio, *quanto minoris*, contra alterum contrahentem, *L.* 13. *ff. de action. empt.* & contra deceptorem dabitur actio ad id, quod interest, Illsf. *num.* 358. & habetur *L. 2. ff. de proxenetis*. Ex dictis,

Resolvitur hic casus. Post longam litem, an certus fun- 629
dus Titii esset collectabilis, *fit* transactio cum communitate, ut censeatur non collectabilis: Titius postmodùm reperit certa documenta, per quæ convincitur fundum fuisse col-

lectabilem. *Quæritur*, an Titius in conscientia teneatur hoc aperire, & fundum subjicere communibus oneribus? Resp. Si fuit vera transactio, id est, pactio onerosa circa rem tum dubiam, vi cujus pactionis communitas prætendens collectabilitatem accepit à Titio, quanti in istis circumstantiis judicio prudentum æstimabile erat jus illud dubium, transactio tenet, nec ideo potest rescindi, *L. Sub prætextu*, 19. *Cod. de transact.* tenentque Theologi cum Molin. *t.2. d.556.* qui de eo casu fusè discurrit; brevius Laym. *lib.3. tract.4. c.31.* Ratio est, quia expediebat ad bonum commune, ut interveniente ejusmodi transactione per jus altum sopirentur tales controversiæ, ne relinqueretur occasio continuarum litium. Duo tamen videntur addenda, 1. Si communitas nudè destiterit urgere, quia probare non poterat collectabilitatem, & nihil acceperit pro prætenso jure, quamvis erexerit quasi contractum non exigendi in posterum, Titius non est in conscientia liber, quia huic cessioni & contractui causam dederit error vel ignorantia circa substantiam, quæ hic erat obligatio vel immunitas à collectabilitate, ad quam præsumi debet fuisse restricta voluntas communitatis; neque jus positivum se interponit per jus altum, nisi adfuerit transactio prout contradistincta à pactione gratuita, uti notat Lugo & clarius Mol. §. *Prætereà*. 2. Si immunitas Titii redundaret in præjudicium tertii, qui non transegisset cum Titio, & cujus fundi ideo gravandi essent majoribus oneribus, quia partem totalis oneris nunc non ferret fundus Titii, Titius teneretur huic dare satisfactionem. De transactione diximus n. 464. & n.759. pauca addemus.

630 §.6. Vis & metus quandoque impediunt, quandoque relinquunt libertatem consensus requisitam ad valorem contractus, uti jam explicabitur.

1. Vis, inquit Ulp *l.2. ff. Quod metus causa*, est majoris rei impetus, qui repelli non potest, & reipsa hic idem significat, quod violentia; violentum autem dicitur, quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim, id est, passo renitente; & quamvis voluntas non possit pati vim quoad actus elicitos, tamen dicitur pati vim, quando adducitur ad consensum per aliquid, cui ipsa valdè renititur, cum autem non renitatur, nisi illi, quod ipsa fugit & metuit, uti habetur L.1. ibidem, hinc per vim hic intelligitur metus, ideoque ad parcendum vocibus utemur solo nomine *metus*, & quod de hoc dicemus, intelligendum est de vi.

631 2. Metus ab eodem Ulpian. L.1. ibidem, definitur, instantis vel futuri periculi causa, mentis trepidatio, id est, actus voluntatis fugiens malum imminens: est autem metus gravis vel levis; gravis, qui vehementer conturbat, nec facilè potest superari; levis, qui non ita conturbat & facilius potest excuti. Gravis, alius est absolutè, alius respectivè talis; absolutè gravis est, qui est, non præcisè de perdendo magno lucro, uti rectè notat Lugo *d.22. num.144.* sed de incurrendo gravi malo, instante illi, qui timet, vel aliis ipsi proximè sanguine aut arctissima amicitia conjunctis, ita ut horum mala reputentur propria, v.gr. de morte, mutilatione, longo carcere, diuturno exilio, atroci cruciatu, stupro sibi inferendo, servitute, quæ omnia habentur ff. *Quod metus causa, & Cod. de his quæ vi metusve causa*, item in primo Decretalium *tit.40.* Ad metum gravem reducitur metus de amissione majoris partis bonorum, de gravi infamia, injusta excommunicatione; dicunturque hi metus cadere in constantem virum, quia nemo censetur amittere nomen viri fortis, licèt tum timeat; à juristis autem metus talis dicitur justus seu probabilis, quia aliquis justè, id est, meritò tum timet, & nemo improbare potest, quòd quis tunc timeat. Metus respectivè gravis est, qui est de malo, propter quod non trepidaret quidem vir fortis, tamen judicio prudentum meritò trepidat hic homo, v.g. hic senex, hæc mulier, hic puer; unde in ordine ad contractum habetur quasi metus absolutè gravis. *Nec refert*, quòd alter non cogitarit seriò inferre malum, dummodo metuens seriò apprehenderit, Less. *lib.2. cap.17. n.45.* Dicast. *l.2. tract.3. d.1. num.115.*

632 3. Metui gravi communiter æquivalet metus reverentialis, quo uxor timet gravem offensam mariti, filius parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, Clericus sui Episcopi, Monachus Abbatis, &c. tum autem censetur gravis offensa, si putetur fore diuturna cum asperitate vultus vel verborum vel cum alia dura tractatione. Quòd si tantùm fierent preces importunæ, vehementes & sæpius repetitæ, hæ junctæ ad reverentiam, quam hæ personæ inferiores debent Superioribus censebuntur facere metum reverentialem; ut tamen tam metus reverentialis quàm preces etiam importunissimæ simpliciter æquivaleant metui gravi in ordine ad materias contractuum, putat *Onn.* debere adjunctas esse minas aliquas, *Lugo* dicit debere simul adesse metus mali alterius gravis secuturi, possuntque de his omnibus videri Sanch. *de Matr. l.4. d.4. & seqq.* Less. *à n.35.* Onn. *d.3. s.10.11. & 14.* Lugo *à num.110.*

633 4. Metus ab intrinseco, id est, vel proveniens ab intrinseca complexione hominis, vel incussus à causa naturali, v.gr. morbo, tempestate, belluis &c. quantùm est de se, non impedit valorem contractus, uti si ex metu mortis Medico promittas aurum; ratio est, quia homo tum non impellitur ab alio, sed ipse se in eum contractum liberè inducit, uti habetur *l. Simulier*, 21. *ff. Quod metus causa. Dixi*, quantum est de se, nam si metus omnino turbaret rationem, contractus non valeret defectu advertentiæ vel deliberationis plenæ.

5. Metus justè, etiam ab extrinseco, id est, ab alia causa 634
libera incussus, non impedit valorem contractus, *l.3. & 21. ff. Quod metus causa*, tenentque AA. communissimè cum Onn. *num.217.* Quod etiam valere de Matrimonio ac professione religiosa docent Sanch. Castrop. Lugo *num.159. & 165.* Illsf. *t.4. d.2. num.352.* contra alios, nam cap. *Fin litteris 2. de sponsi.* deciditur eum validè contrahere Matrimonium, qui post inita sponsalia metu excommunicationis cogitur ad Matrimonium; & de professione religiosa Cap. *de regularibus 25. de Simonia*, ubi de aliquo, qui deliquerat, dicitur debere cogi ad strictiorem Ordinem. Ratio autem est, quia metus relinquit simpliciter voluntarium; quòd enim metus injustè incussus irritet contractum, non est ratione involuntarii sed injuriæ, quæ in metu justo non est: & quamvis injustè incussus dici possit causare involuntarium secundùm quid, tamen Less. *n.43.* notat justè incussum non debere dici causare ullo modo involuntarium, moraliter loquendo, quia ipsemet dedit justam causam, ut incuti posset metus, ergo metus ille est illi involuntarius in causa & veluti ab intrinseco, ideoque nullo modo involuntarius moraliter loquendo.

6. Si incutiens tantùm simulet, v.g. si Titius sciens Cajum 635
deliquisse, & potens justè, attamen nolens accusare, minetur se accusaturum, nisi det aureum, Mol. Bonacin. aliique cum Lugo *num.167.* dicunt Titium non posse retinere, quia dolus dedit causam contractui; sed Sanch. Castropal. Dian. aliique cum Less. *num.42.* & Dicast. *num.119.* probabilius dicunt posse retinere, quia habuit jus ad accusandum, quo se privat, hoc autem est pretio æstimabile, unde aureus datur, ne habeatur animus accusandi, qui haberi poterat, quod autem non minetur seriò, est quidem dolus, sed non injustus, nam justè potest minari, sive habeat serium animum sive non; & ita concedit Lugo *num.170.* si quis justè, quamvis dolo, terreat peccatorem, qui ideo ingrediatur Religionem, professionem utique fore validam; & hic dicebat Paulus, 1. Cor. 12. Vers. *16. Cùm essem astutus, dolo vos cepi.*

7. Metus etiam ab altero contrahente injustè, & in ordi- 636
ne ad extorquendum consensum incussus, spectato jure naturæ non invalidat contractum, ita Henriq. Bonac. Regin. Less. aliique propè innumeri, præsertim Canonistæ cum Sanch. suprà *d.8. num.4.* Illsung. *num.349.* quos sequitur Lugo *num.115.* & quoad contractus onerosos, Dicast. *n.98.* contra Molin. Rebel. Valent. Onn. *num.235.* & alios, qui dicunt omnes ejusmodi contractus esse jure naturæ irritos; item contra Turr. Sotum, Azor. B. Pontium, Dicast. *l.3. t.4. dub.3.* qui dicunt saltem contractus gratuitos esse jure naturæ irritos, sed assertio probatur, quia *in ff. & Cod. hoc tit.* in singulis penè legibus dicitur tales contractus esse annullandos seu rescindendos, esse omnia restituenda in integrum &c. ergo signum est leges non agnoscere, quòd sint antecedenter irriti, neque rem esse integram independenter à dispositione juris positivi. Ratio autem est, quia vel ideo sunt irriti, quòd desit libertas, vel quòd fiat injuria; non ideo, quòd desit libertas, nam metus non tollit libertatem nec voluntarium, uti patet in contractibus, qui fiunt ex metu gravi proveniente ab intrinseco aut justè incusso. Neque ideo, quòd fiat injuria, quamvis enim ideo sint illiciti, tamen non ideo sunt irriti, ut patet in contractibus, qui causantur ex dolo aut ex metu levi injustè incusso, qui utique jure naturæ valent, item in Matrimonio, nam si Titius prius contraxerit sponsalia cum Caja, & posteà contrahat Matrimonium cum Sempronia, hoc Matrimonium est validum, quamvis sit injuriosum, in primis Cajæ, uti patet; deinde etiam Semproniæ, quam decipit.

8. Contractus aliqui, nempe Matrimonium & Professio 637
religiosa, promissio vel traditio ex rebus Ecclesiæ, promissio vel solutio dotis, sunt jure positivo irriti, si fiant ex metu gravi injustè incusso; idem dicunt aliqui de sponsalibus, renunciatione beneficii Ecclesiastici, jurisdictione extorta, absolutione à censuris & aliis, de quibus videri possunt Less. *num.37.* Sanch. *de Matr. lib.4. d.8.* Lugo *à num.120.* Onn. *num.230.* Idem etiam dicunt AA. citati apud Illsf. *num.350.* de votis simplicibus, ex Cap. *Sicut qui Monasteria, 20. q.1. & cap. Præsens 20. q.3.* quamvis Suar. B. Pontius & Castrop. dicant tantùm esse irritanda.

9. Reliqui contractus per talem injustum metum extorti 638
non sunt jure positivo irriti, sed tantùm irritandi, ita Sanch. Less. Dicast. *num.99.* dicens teneri ab innumeris, Onn. *num.239.* dicens esse omnium, sed pro contraria sententia citant multos Dicast. & Lugo *num.118.* Ratio nostra est, quia jura manifestè id asserunt §. *Verbi 1. Inst. de Except. l.1. ff. Quod metus*

causa,

cauſa, *l. Dolo vel metu*, *Cod. de inutil. ſtipul.* aliiſque plurimis locis apud Lugo & Onn. & cauſa harum legum fuit, partim ne lites & jurgia multiplicarentur, ſi unicuique abſque ſententia Judicis liceret res ſuas repetere, partim quia injectio metus injuſti eſt delictum, delicta autem non præſumuntur, hinc jus ſtatuit non dari actionem, nec reſcindi contractum, antequam delictum probetur.

639 10. Si metus non incutiatur ad contractum extorquendum, ex illo tamen fiat contractus, v.g. ſi alicui, quem in flagitio deprehendis, mineris injuſtè mortem, & hic, ut periculum evadat, aliquid tibi promittat vel donet, Angel. Sotus & alii dicunt contractus hos eſſe ſaltem irritabiles, quia revera fiunt ex metu injuſtè incuſſo; Sanch. Bonac. & alii cum de Luca *de benef. d.* 78. *n.* 8. dicunt non eſſe irritabiles, quia hic conſenſus eſt veluti ab intrinſeco, cùm ipſemet ptæeligat contractum, ut evadat mortem, neque metus propriè eſt cauſa contractus, cùm non incutiatur metus ex intentione contractus, ſed tantùm eſt occaſio, inquit Leſſ. *n.* 40. Conſentiunt alii cum Lugo *n.* 175. ſi metus principalis juſtè incutiatur, ſi autem injuſtè, uti in caſu allato videtur fieri, probabiliùs dicunt eſſe irritabiles, & videtur colligi ex *l.* 7. *ff. Quod metus cauſa*, ubi dicitur deprehenſum in flagitio, qui jure non poterat occidi, ſi quid promiſerit propter metum, poſſe per hoc edictum juvari; ratio autem eſt, quia metum injuſtè incutiens tenetur ratione injuriæ ad tollenda omnia incommoda inde proventia, inter quæ eſſet tali contractu obligari.

640 11. Si metus ſit ab aliquo tertio & non ab altero contrahente incuſſus, adhuc poteſt contractus jure poſitivo reſcindi, nam ita ſtatuitur *l. Item*, 14. §. 3. *ff. Quod metus cauſa*, & docent Mol. Sanch. Leſſ. *n.* 39. Lugo *n.* 172. Dicaſt. *n.* 111. aliique communiter. *Nec obſtat*, quòd n. 628. dixerimus contractum non eſſe irritabilem, ſi dolus ab aliquo tertio ſit factus, *nam* legum non eſt petenda ratio, uti habetur *l.* 20. & 21. *ff. de legibus*, ratio tamen congruentiæ eſt, tum quia per metum minuitur voluntareitas conſenſus: tum etiam quia dolus per diligentiam & circumſpectionem faciliùs caveri poterat, ergo fuit ratio, cur lex concederet reſcindibilitatem ob metum, licèt non concedat ob dolum à tertio factum.

641 12. Contractus non poſſunt reſcindi, niſi ad arbitrium injuriam paſſi, quia poteſtas reſcindendi inducta eſt in favorem metum paſſi & in odium inferentis, ergo inferens reſilire non poteſt altero invito, Navar. Mol. Leſſ. Onn. *num.* 243. aliique communiter.

642 13. Levis metus etiam injuſtè incuſſus & dans cauſam contractui non impedit ejus valorem, nec facit reſcindibilem jure poſitivo, facit tamen reſcindibilem jure naturæ & pro foro conſcientiæ, ſi de ſe reſcindi poſſit. Probatur, nam in primis contractum non ideo eſſe irritum jure naturæ, eſt communis contra Onn. *num.* 237. & patet ex dictis num. 636. Deinde nec eſſe reſciſſum aut reſcindibilem jure poſitivo, etiam eſt communiſſima, & habetur *l.* 5. 6. & 7. *ff. Quod metus cauſa*, item *Reg.* 184. *ff. de div reg. juris*, ubi dicitur, quòd metus levis pro nihilo reputetur, item quòd vani timoris juſta excuſatio non ſit: Denique pro foro conſcientiæ poſſe reſcindi à metum paſſo, docent Sanch. Caſtrop. Leſſ *n.* 46. contra Med. B. Pontium, Illſ. *n.* 353. & ratio eſt, quia metus ille eſt injuria, ergo inferens tenetur eam depellere & injuriatum reſtituere in priorem ſtatum libertatis, ad quem recuperandum jus habet. *Nec obſtat*, quòd in ratione metus dicatur levis, *nam* hoc non obſtante poteſt in ratione damni & injuriæ eſſe peccatum grave, uti ſi levi verbere frangas pretioſum vitrum aut percutias matrem tuam. *Dixi*, ſi de ſe reſcindi poſſit, nam in ſententia, quòd Matrimonium ex metu levi initum valeat, reſcindi non poterit, quia ſemel validum ex natura ſua eſt indiſſolubile; an autem reipſa tum valeat, dicetur l. 6.

643 *Obji.* 1. Jus non poteſt naſci ex injuria, ſed ſi contractus cauſati ex metu injuſtè incuſſo eſſent validi, jus naſceretur ex injuria, ergo. R. Jus non poteſt immediatè naſci ex injuria, tranſeat, mediatè, N. nam ſi filius occidat patrem, filius per ſucceſſionem ab inteſtato immediatè acquirit jus ad hereditatem, per injuriam, qua occidit patrem, mediatè: ſimiliter ſi ex dolo vel metu levi, attamen injuſto, ineatur contractus, jus mediatè naſcetur ex injuria, immediatè ex conſenſu contrahentis, quem cauſabit injuria, & ita etiam fit in noſtro caſu. *Dixi*, tranſ. nam ſi fur pecuniam alienam miſceat ſuæ, acquirit dominium pecuniæ alienæ per mixtionem, quæ tamen mixtio eſt vero domino injurioſa, quamvis etiam hic dici poſſit acquirere dominium immediatè per diſpoſitionem juris poſitivi, mediatè per mixtionem.

Inſt. Jus naturæ non poteſt favere injuriæ, ergo contractus injurioſus non poteſt jure naturæ eſſe validus, ita Onn. R. Jus naturæ non poteſt favere injuriæ, approbando illam, C. non irritando, N. ant. & conſ. quamvis enim prohibeat talem injuriam, tamen non tollit ejus exiſtentiam & effectum.

644 *Obji.* 2. Ad valorem contractus requiritur conſenſus ita liber, ut nequidem ſecundùm quid ſit involuntarius, ſed conſenſus procedens ex metu gravi non eſt ita plenè liber, ergo. Ita Onn. R. Ad valorem contractus, ſi non ſit reſcindibilis, requiritur conſenſus ita plenè liber, tranſ. ſi maneat reſcindibilis, N. Maj. & Conſ.

Inſt. Cap. Cùm locum de ſponſ. dicitur, ibi locum non habet conſenſus, ubi metus & coactio intercedit, item *Reg.* 116. *ff. de div. reg. juris* dicitur, nihil conſenſui tam contrarium, quàm vis & metus. R. Primus textus intelligitur de conſenſu abſolutè libero, firmo & non revocabili. Ex 2. plus inferri non poteſt, quàm conſenſum debere manere revocabilem, ubi contractus eſt irritabilis.

Obji. 3. Si valet contractus metu extortus, v.g promiſſio 645
auri facta latroni volenti occidere, ergo metum paſſus tenebitur hoc aurum tradere, adeoque latro habebit jus ad obtinendum aurum per injuriam, quod etiam ſtatim tenebitur reſtituere, ita B. Pont. R. N. Seq. nam metum paſſus poteſt, quandocunque vult, eum contractum reſcindere, ita Lugo *n.* 116.

Inſt. 1. Non datur jus ad injuriam neque ad actionem illicitam, ſed latro habebit jus ad injuriam, nempe ad obtentionem auri promiſſi, quamdiu contractus non reſcinditur. R. habet tantum jus ad dationem ab altero faciendam, quæ danti nec illicita eſt nec injurioſa; cùm cedere poſſit juri ſuo, & nemo ſibi faciat injuriam; ſola coactio furis eſt injurioſa, ſed ad hanc fur non habet jus.

Inſt. 2. Habet jus ad petendum, & tamen petitio eſt injurioſa. R. Habet jus abſolutum, vel jus ad petitionem ſimpliciter, N. habet jus conditionatum ſi nempe læſus non opponat exceptionem injuriæ; item habet jus tantùm ex ſuppoſita promiſſione ac etiam ſub obligatione ſtatim reſtituendi, C. hæc autem petitio non eſt injurioſa nec illicita, quia ſi læſus non opponat exceptionem, cenſetur conſentire in talem dationem, & petitionem.

Inſt. 3. Si latroni tradidiſſet illud aurum, latro non acquiſiviſſet ejus dominium, ergo ſignum eſt, quòd promiſſio fuerit irrita. *Prob. ant.* quia L. *Metum*, 9. *ſ. Volenti*, & *ſ. licèt*, *ff. Quod metus cauſa*, metum paſſo conceditur actio, non ſolùm in perſonam, ſed etiam in rem, ubicunque exiſtat, ergo ſignum eſt, quòd hic retinuerit ejus dominium. R. N. ant. dicitur enim habere actionem in rem, non quòd maneat dominus rei, ſed quia reſcindendo contractum poteſt facere ſuam, & conceditur ipſi reſtitutio in integrum, hinc res debet ipſi reſtitui cum fructibus, nemo autem dicitur excluſus à re, ad quam ita plenè recuperandam, actio ipſi conceditur, uti habetur *L. Nemo*, 5. *ff. de in integr. reſtit.* & quia qui actionem habet ad rem, rem ipſam habere videtur, inquit *Reg.* 15. *ff. de diverſ. reg. juris*: hinc metum paſſus dicitur quaſi adhuc habere rem: atque etiam ideo debet reſpectu iſtius rei præferri omnibus aliis creditoribus, nam reſcindendo contractum tollit omne jus, quod habebat inferens injuriam, ergo etiam tollit jus aliorum creditorum, quod fundabatur in jure inferentis injuriam, Lugo *n.* 119. & Illſ. *n.* 250. qui videri poteſt. Ex his

Inferuntur ſeqq. 1. Qui rem per ejuſmodi contractum ex- 646
tortum eſt conſecutus, tenetur eam reſtituere, ſive ipſe ſive alius metum gravem injuſtè incuſſerit, quia jus poſitivum dat jus in rem ipſam, apud quemcunque exiſtat, uti jam dictum eſt, probatque pluribus Onn. *à n.* 220. quod tenet, licèt ille, qui nunc habet, bona fide acceperit à primo, uti notant Silv. Garz. Sanch. Lugo *n.* 186. 2. Si metus, ex quo cauſatus eſt 647
contractus, fuiſſet ita levis, ut ſe ſolo non cauſaſſet, cauſaverit tamen, prout conjunctus aliis motivis, eſſet obligatio compenſandi tantùm partem damni, uti docet Lugo *n.* 138. videri tamen debent dicta n. 53. Quid autem faciendum ſit in dubio, an metus fuerit cauſa partialis necne, etiam num. 574. eſt dictum. 3. Excuſaberis à reſtitutione, ſi ille, cui metus 648
injuſtus eſt incuſſus prudenter putaretur non velle ſibi reſtitui, fit enim, inquit Leſſ. *n.* 48. ut multi, quamvis inviti conſentiant, ſi tamen ſemel conſenſerint, vel non cupiant reſtitui, vel facillimè condonent; in puro tamen dubio, an cenſendus ſit condonare, tenenda ſunt, quæ n. 462. diximus. 4. Blan- 649
ditiæ, per ſe loquendo, non vitiant conſenſum, cùm potiùs augeant voluntarium: debet tamen abeſſè mendacium & dolus, item tacitæ minæ, quales adeſſent, ſi ille, qui allicitur, ſciret blandientem ſolere ſævire, quando non fit, quod ipſe vult. Videri poſſunt Lugo *n.* 149. & Onn. *à n.* 256.

§. 7. Conſenſus ad valorem contractus requiſitus debet reſ- 650
pectu contractus eſſe plenè deliberatus, qualis requiritur ad peccandum mortaliter. Eſt communis cum Juriſtis, & Theologis plurimis, quos citant & ſequuntur Lugo *d.* 23. *n.* 17. Onn. *d.* 3. *n.* 95. Ratio eſt, quia ad negotia, quæ cenſentur eſſe majoris momenti, requiritur plena deliberatio circa illa, ſive circa obligationem & damna, quæ ex illis oriri poſſunt, ſed omnes contractus, etiam illi, qui ſunt circa materiam levem cenſentur ex forma & modo, quo fiunt, eſſe negotia majoris momenti, ideo enim in Rep. tam multæ leges circa illos latæ ſunt,

ergo.

ergo. *Conf.* nam per contractum quasi alienatur propria libertas, ad quod requiritur, ut totus homo consentiat, alioquin non amittet suarum actionum dominium, in cujus possessione est; est enim in homine talis comparatio habitualis, ut nolit per contractus privari libertate sua, nisi seipso solo mediante; si autem ex semideliberatione agens obligaret se, non ipse solus se privaret libertate, sed simul ista semideliberatio, ergo.

651 *Obji.* Præceptum semiplenè deliberatè cognitum obligat hominem sub veniali, ergo contractus semiplenè deliberatè initus etiam obligabit, saltem sub veniali. R.N.Conf. præcepta, ut obligent, debent poni cum plena deliberatione, & in hoc paritas est cum contractibus, sed ut peccetur contra præcepta semel posita, aut etiam contra obligationem jam causatam per contractum, sufficit semiplena deliberatio, quia reipsa fit violatio, si obligatio cognoscatur etiam semiplenè tantùm, & non curetur. Ratio disparitatis jam data est, quia obligatio contractus est à voluntate hominis, quisque autem censetur esse in ea voluntate, ut obligari nolit, nisi totus consentiat, sicuti enim est plenus dominus rei suæ, ita non vult eam à se abdicare, nisi agat ut plenus dominus suæ libertatis: è contra turpitudo & ratio peccati non est à voluntate hominis, sed sequitur naturaliter ad positionem actus prohibiti, licèt quis nollet eam sequi, ergo ad hanc non requiritur ea libertas vel deliberatio. Ex dictis,

652 *Inferuntur seqq.* 1. Si quis, dum est sobrius, non posset se resolvere ad contractum, & ideo largiter biberet, ut fermè ebrius, in semideliberatione contraheret, contractus in hac initus non obligaret, ob rationem jam datam: similiter non obligat, si fiat ab homine semidormiente, uti certum esse docet Onn. *d.4.n.32. Si dicas*, valere contractum factum per procuratorem illius, qui mandatum dedit, & postea, dum fit contractus, ebrius est vel dormit, ergo similiter factus ab ebrio vel semidormiente, qui antea hoc intendebat. R. Disparitatem esse, quòd actus procuratoris sit humanus, & fiat humano modo ex vi mandati adhuc moraliter existentis, ideoque est moraliter actus mandantis: è contra contractus factus à semiebrio vel dormiente non est plenè humanus, nec fit humano modo contrahendi, neque censetur prior volitio moraliter permanere in ordine ad contra-

653 ctum humano modo causandum. 2. Quamvis contractus fiat cum passione, si tamen non impediatur deliberatio sufficiens ad mortale, contractum valere, alioquin innumeri contractus forent invalidi, v.g. sponsalia ex passione amoris, emptio ex passione invidiæ: & ita videtur afferri *l.9.ff. de publicanis*, ubi dicitur licitationi ex calore factæ jungendam esse cautionem fidejussionis, ergo talis licitatio à jure agnoscitur esse valida. *Nec obstat l.3. ff. de divortio*, ubi sic habetur, *Quidquid in calore iracundiæ, vel fit vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit judicium animi fuisse*: quod repetitur *Reg.49.ff. de div. reg. Juris*: item *Cap. Divortium. De pœnitentia, dist.1. nam* hi textus tantùm loquuntur de divortio, & dicunt non debere judicari esse factum ex animo, si conjuges ex subita ira ab invicem divulsi, statim redeant; de aliis autem contractibus nihil disponunt jura.

654 §.8. Consensus ad contractum requisitus debet esse externè manifestatus, ita Lugo *d.22.n.102.* & pluribus *d.23.s.2.* Dicast. *l.2.t.4.n.454.* aliique communiter; Ratio est, quia contractus est actus humani commercii, ergo ut valeat & obligationem inducat, debet fieri humano modo; ergo debet in sensum aliquem cadere. *Nec obstat*, quòd promissio interna juramento firmata obliget, *nam* obligatio oritur vi religionis ex juramento, quod habet se per modum Voti Deo facti; de cætero rectè notat Onn. *d.29.n.21.* nequidem esse obligationem manifestandi nudam promissionem, quam quis internè concipit, habuit enim tantùm hanc mentem, volo obligari, si promissario manifestavero hanc meam volitionem, & ipse acceptarit, ubi non permittit se manifestaturum, & quamvis hoc intendisset, adhuc non esset acquisitum jus alteri, nisi hanc ipsam intentionem manifestatam acceptasset; atque ita docent AA. communiter cum Dicast. *dub.7.* Addit Lugo *d.23.n.2.* si quis nollet illam suam voluntatem internam manifestare, & tamen illam præter intentionem manifestaret, non obligandum, quia illa manifestatio non fuisset actio humana. Quæri autem solet, an hæc manifestatio externa requiratur de jure naturæ vel positivo? Led. Palat. & Mendoz. dicunt requiri tantùm de jure positivo, alii communius & melius cum Lugo *n.29.* dicunt requiri de jure naturæ, ob rationem ante datam, quia deesset volitio obligationis. Speciatim autem circa acceptationem promissionis & donationis dicetur à n.765.

655 *Obji.* Quando ex præsumpta voluntate domini rem accipio, acquiro dominium vi voluntatis internæ, quam ipse habet, licet exterius non manifestatæ. R. N. ass. nam acquiro per occupationem animo possidendi, volitio autem domini tollit impedimentum seu repugnantiam, qua sublata nunc ita occupo, ac si nullius esset, Lugo *n.33.*

656 §.9. Ad contractum onerosum requiritur acceptatio mutua consensus, & manifestatio illius mutuæ acceptationis, ita Lugo *d.23.à n.26.* Dicast. *n.455.* Onn. *d.29.s.4.* aliique. Probatur, nam requiri acceptationem consensuum, patet, alioquin duæ voluntates non convenirent humano modo in unum: deinde cùm uterque contrahens det alteri jus contra se, ut hic habeat jus contra illum, & ille contra hunc, debet in utroque esse acceptatio illius juris, hæc autem duplex acceptatio, cùm debeat constituere contractum humanum, debet esse humana & sensibilis, ergo utraque illa acceptatio debet utrique manifestari, sicuti enim duo consensus non sunt humani nec inducunt obligationem utrimque, nisi invicem manifestentur, ita nec acceptationes. Oppositum est in contractibus gratuitis, quia cùm obligationem inducant ex una tantùm parte, satis est esse acceptationem ex parte illius, qui alterum sibi obligat. Ex dictis

657 *Sequitur* 1. Si offeram tibi domum mille aureis venalem & tu acceptes, offeraque 1000. aureos, venditionem non perfici, quando tu acceptas & promittis 1000. aureos, sed quando tua acceptatio mihi manifestatur, mea enim acceptatio, qua obligationem accepto, si consentias, est tibi sufficienter manifestata per hoc, quòd offeram domum isto pretio venalem, ergo si mihi vicissim manifestetur tua acceptatio, hoc ipso perficietur contractus, neque opus erit tibi vel mihi ulteriùs manifestari aliam acceptationem. 2. Si mecum onerosè contrahas per pro-

658 curatorem, tum perfici contractum, quando tuus procurator acceptat, & ego id rescio, licèt tu necdum acceptaris, quia cùm agat nomine tuo & gerat tuam personam, acceptatio illius est moraliter tua. 3. Si contraham onerosè tecum per litteras,

659 hunc contractum priùs tum perfici, quando mihi per responsum innotescit tua acceptatio. 4. Si donum mihi mittas, donatio completur, dū accepto, etiamsi nihil rescias de mea acceptatione.

660 *Obji.* Ad remittendum jus, quod habeo contra Petrum, non requiritur acceptatio Petri, possum enim illi insciò condonare debitum, uti Deus mihi insciò condonare potest peccatum, ergo ad acquirendum jus contra Petrum non requiretur acceptatio mea, sed fieri poterit sola voluntate Petri. R. Ad remittendum irrevocabiliter jus, quod habeo contra Petrum, non requiritur acceptatio Petri, N. ad remittendum revocabiliter, C. ant. & N. conf. si enim remittam revocabiliter, Petrus nullum acquirit jus contra me, ad hoc, ut sit liber debito, sed si velim, potero semper exigere debitum, sub illa enim conditione remitto, nisi aliter voluero, priusquam Petrus meam remissionem acceptarit, Lugo *n.54.* Vide dicenda à n.778.

Inst. Si acceptatio requiratur ad obligationem, vel ergo erit tantùm conditio, vel partialiter causa obligationis. R. Less. *l.2.c.18.num.41.* dicit esse tantùm conditionem, qua posita obligatio causetur à voluntate contrahentium; Lugo *num.40.* dicit esse causam partialem, cùm sit pars juris, quo unus ligat & alter ligatur, quod videtur esse probabilius, nam illa sola sublata non esset obligatio.

661 *Q.105. Quid dicendum sit in variis dubiis circa hactenus allata?* R.AA. notant seqq. 1. Si dolo inductus es ad contractum, & dubites, an dolus dederit causam contractui, v.g. emisti novum vinum putans esse vetus, & dubitas, an fuisses empturus, si scivisses esse novum, hoc dubium resolvendum est consideratis cautis & circumstantiis, quibus inductus es ad emendum, an nempe per hoc notabiliter impediatur finis vel usus, quem intendebas. Quòd si his consideratis adhuc non possis resolvere, decidendum est secundùm commune judicium aliorum, unde si qualitas ignorata ex se magnam mutationem faciat, præsumere poteris te non fuisse contracturum, si scivisses, quia ita contingere solet apud alios homines, ita Sanch. *de Matr. l.1.d 65.n.4.* Lugo *d.22.n.100.*

662 2. In dubio, an talis mutatio rerum sit subsecuta, ut ad eam te nolueris obligare, vel an erraveris notabiliter in re promissa, vel an causa cessarit, vel an causa, quæ nunc cessat, fuerit finalis & principaliter motiva tui consensus, præsumendum videtur pro valore contractus, quia jura dicunt, ut actus potiùs valeat, quàm ut pereat, videturque etiam pro illo esse possessio, quia scitur esse factus, & ignoratur invaliditas, Sanch. *in Decal. l.4.c.2.n.13.34.52.* Lugo *n.91.*

663 3. Universaliter loquendo, si dubites, an volueris te obligare, attendenda sunt verba, quæ si significent animum se obligandi, præsumendum est, quòd animus ille adfuerit, quia nemo præsumitur aliter sentire quàm loquatur, ergo est possessio pro valore actus, Sanch. *de Matr. l.1. d.9. n.13.* Castrop. *t.1. d.3.p.10. n.4.* aliique communiter. E contra si verba sint indifferentia ad significandum animum se nunc obligandi vel propositum postea prius se obligandi, non teneberis per illa te obligare, sed standum erit pro libertate, quæ est in possessione contra obligationem, Lugo *n.63.* Dicast. *l.2.t.3.n.51.* Denique si verba sint ambigua, & tenebaris hic & nunc habere animum te obligandi per illa, præsumendum est, quòd volueris te obligare, alioquin peccasses, delicta autem non præsumuntur, Lugo *n.65.* Quid dicendum sit in variis dubiis circa juramenta, quibus firmatur contractus, colligi potest ex dictis hic p.1.à n.307.

664 *Q.106. Quid notandum circa stipulationes?* R. seqq. §.1.

Stipu-

Stipulatio eſt contractus, qui perficitur certa Interrogatione & Reſponſione, cùm enim omnis contractus debeat parere obligationem Juſtitiæ, verba autem, quibus ſignificatur conſenſus, de ſe ſint indifferentia ad talem obligationem ſignificandam, jus ſtatuit, ut cenſerentur prolata ex intentione ſe obligandi ex juſtitia, etiam civiliter, ſi conſenſus ſignificaretur conceptis & à lege præſcriptis verbis per certam interrogationem & reſponſionem; nempe ſpondes? ſpondeo: promittis? promitto: fide promittis? fide promitto: fidejubes? fidejubeo: dabis? dabo: facies? faciam &c. è contra quando ita non fiebat, jus non præſumebat, ſaltem in contractibus innominatis & pactis nudis fuiſſe intentionem ſe ex juſtitia civiliter obligandi, uti habetur *Inſt. & ff. de verb. oblig.*

665 §.3. Quamvis ſtipulatio certis verbis concepta in contractibus adhiberi poſſit, nunc tamen neceſſaria non eſt, ſed uſu & jure novo eſt antiquata, ita cum aliis Onn. *d.* 2. *n.* 137. Ratio eſt, quia modus ille contrahendi videbatur eſſe nimis ſuperſtitioſus, cùm per quæcunque verba vel ſigna ſufficienter ſignificari poſſit animus ſe obligandi ex juſtitia.

666 *Q.* 107. *Quinam poſſint contrahere?* R. Poſſunt omnes, qui habent plenum uſum rationis, & materiam, de qua contrahant, neque jure prohibentur: ita quoad rem omnes, & habetur *l.* 5. *Cod. de oblig.* quæ jam explicabuntur.

§.1. Cùm contractus ſit actio humana inducens obligationem in conſcientia, ebrii, dormientes, furioſi, fatui, cùm non habeant uſum rationis, non poſſunt contrahere, niſi tempore lucidi intervalli, in quo ſi contractus fiat, prout decet hominem ſanæ mentis, admitti debet tanquam validus, Onn. *d.* 4. *n.* 27. Quamvis autem hi non poſſint contrahere ſive obligare & obligari ex contractu, poſſunt tamen obligare & obligari, ſi ad hoc non requiratur ipſorum conſenſus, *L. Si à furioſo*, 24. *ff. de oblig.* docentque Gloſſa, Bart. & alii cum Onn. *n.* 34. ſic enim ſi fatui fiant legatarii, obligant ſibi hæredem ad ſolvendum legatum; ſi fiant hæredes, obligantur legata ſolvere: hæ tamen obligationes ſunt minùs ſtrictæ, cùm non fundentur in potentia proximè libera, hinc jus providit, ut alii, nempe tutores, curatores, adminiſtratores vel Reſp. ipſa perſonas eorum repræſentent & ſuppleant.

667 §.2. Infantes non poſſunt facere contractus, qui inducant obligationem ſaltem civilem, quia non præſumuntur habere plenum uſum rationis, & ita habent leges plurimæ apud Onn. *n.* 17. In jure autem tam maſculi quàm fœmellæ uſque ad annum 7. completum dicuntur infantes; abhinc maſculi ad 14. fœmellæ uſque ad 12. completum dicuntur impuberes, quòd ſi morte patris vel emancipatione deſierint eſſe in patria poteſtate, dicuntur pupilli; ſi patre & matre careant, ſunt Orphani. Deinde maſculi ante completum annum 10. cum dimidio, & fœmellæ ante completum 9. cum dimidio, dicuntur infantiæ proximi: ab hinc maſculi uſque ad annum 16. cum dimidio, fœmellæ uſque ad 14. cum dimidio dicuntur pubertati proximi; ſed maſculi completo anno 14. fœmellæ completo 12. dicuntur puberes: abhinc uſque ad 25. completum dicuntur Minores ſeu Minorennes, quanque etiam vocantur adulti. Vide p. 1. 1026.

668 §.3. Pupillis, etiam invitis, datur tutor, minoribus autem volentibus datur curator: quandoque etiam nolentibus in ordine ad lites, qui curator ſemel acceptatus repudiari non poteſt uſque ad annum ætatis 25. completum. Etiam prodigo invito imponitur curator, quia præſumitur non poſſe ſolus ſua adminiſtrare, niſi de prodigalitate accuſatus ſe ſufficienter purget: dicitur autem prodigus, qui profuſè dat, id eſt, *qui neque tempus neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundit*, ut ait Ulp. *l.* 1. *ff. de curat. furioſ.* habenturque hactenus dicta in jure apud Onn. *n.* 17. 36. 57. 64. 86.

669 §.4. Si infantiæ proximus contrahat, non obligatur civiliter, §. 10. *Inſtit. de inutil. ſtipul.* docentque AA. cum Onn. *n.* 18. quia habentur tanquam non utentes ratione: imò ſecundùm Onn. *n.* 46. nequidem naturaliter obligantur, quia contractibus illis reſiſtit jus poſitivum irritans conſenſum. Excipit Ang. niſi malitia ſuperaret intellectum, ſed Sanch. *de Matr. l.* 6. *d.* 38. *n.* 24. Lugo *d.* 22. *n.* 283. rejiciunt exceptionem, quamvis enim in uno vel altero particulari non teneat ratio legis, non ideò definit etiam hos obligare, ſecundùm dicta l. 1. q. 141.

670 §.5. Pupillus non poteſt ullos contractus civiliter obligantes celebrare ſine authoritate tutoris, *l.* 1. *Cod. de inutil. ſtipul.* & alibi ſæpe, tenentque AA. communiter cum Mol. *d.* 224. & Onn. *n.* 37. Excipe, niſi ex contractu factus ſit locupletior, tum enim obligatur naturaliter & civiliter, uti ex legibus & citatis AA. docet Sanch. *n.* 7 & 22.

671 §.6. Si pupillus ſaltem pubertati proximus contrahat ſine authoritate tutoris, probabilius videtur contractus illos jure naturæ valere & inducere obligationem pro foro conſcientiæ, quibuſdam exceptis, de quibus paulò poſt, ita Bartol. Azor. Mol. Nav. Leſſ. Bonac. Regin. Rebell. Sanch. Fill. quos citat & ſequitur Onn. *n.* 42. Item Laym. Tann. & Lugo *n.* 288. contra Alciat. Covar. & alios apud Sanch. *num.* 20. quorum ſententiam Dicaſt. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 283. vocat ſatis probabilem, Leſſ. & Sanch. valdè probabilem, Platel. *n.* 593. valdè probabilem & in praxi tutam. Ratio noſtra eſt, quia nihil deeſt de jure naturæ requiſitum ad valorem talium contractuum, ideoque nec ad obligationem naturalem, quæ ex conſenſu ſequitur; ſed nec jus poſitivum illos contractus irritat pro foro conſcientiæ, nam *l. Marcellus* 25. *ff. de fidejuſſoribus*, expreſsè dicitur pupillum ſine authoritate tutoris contrahentem obligari, non obligatur autem civiliter, ergo naturaliter; item *l.* 25. *§.* 1. *ff. Quando dies legati, & l.* 1. *ff. de novat.* clariſſimè dicitur pupillum ſine authoritate tutoris contrahentem obligari naturaliter. Similiter *l. Si pupillus*, 21. *ff. Ad l. falcidiam*, dicitur pupillum mutuam pecuniam reddendo liberari à naturali obligatione, ergo ſupponitur fuiſſe. *Nec obſtat*, quod *l.* 59. *ff. de oblig.* dicatur pupillum mutuam pecuniam accipiendo nequidem jure naturali obligari, *nam* ſenſus eſt jure naturali non obligari ſtare contractu, cùm reſcindere poſſit, uti paulò poſt dicetur.

§.7. Si pupillus contrahat cum ipſo tutore, v.g. ſi tutori 672
vendat prædium, non obligatur nequidem naturaliter, §.7. *l.* 34. *ff. de contrab. empt.* Limitat Sanch. *n.* 25. niſi fortè alter tutor conſentiret, vel pupillus per hoc fieret locupletior, vel dolum committeret, in his enim caſibus putat pupillum cum tutore contrahentem obligari.

§.8. Si pupillus alienet immobilia vel mobilia pretioſa, 673
quæ ſervando ſervari poſſunt, id eſt, quæ poſſunt ſervari ſaltem per triennium, uti habent Gloſſa & Dicaſt. *n.* 286. contractus non obligat nequidem naturaliter, uti cum communi Sanc. *n.* 26. Lugo *n.* 294. Onn. *n.* 50. in his enim contractibus majoris momenti, jus poſitivum irritat conſenſum, non ſolùm pupilli ſed etiam tutoris, ſi conſentiat, *l.* 22. *Cod. de adminiſt. tutorum.* Unde ut ejuſmodi alienationes valeant, debet præter authoritatem tutoris adeſſe cauſa legitima; quæ in ſcripto apud Judicem probetur eſſe utilis pupillo, ut ibidem ſtatuitur.

§.9. Si Judex ex ſpeciali cauſa interdixiſſet abſolutè om- 674
nem adminiſtrationem pupillo circa res ſuas, tum non obligaretur nequidem naturaliter per contractus, Sanch. *n.* 27. quia conſenſus illius eſſet jure irritus: ſed hoc non eſt ordinariè, cùm ipſi addatur tutor pro adjutorio, uti rectè Lug. *n.* 289. ergo ipſius conſenſus non habetur ordinariè pro nullo.

§.10. Pupillus contrahens ſine authoritate tutoris obligat 675
ſibi civiliter alterum contrahentem, (niſi hic etiam eſſet pupillus) unde contrahere poteſt validè civiliter in commodum ſuum, ſed non in incommodum; atque ita ſtatuit Jus poſitivum in favorem pupilli & in odium ſic contrahentis cum illo, *Inſtit. de Author. tutoris & de inutil. ſtipul. ſ. Pupillus*, Item *l. Julianus*, 13. *ff. de action. empt. l. Contra Juris*, 28. *ff. de pactis*, tenentque Juriſtæ & Theologi communiſſimè cum Molina *d.* 224 & Onn. *n.* 48. *Nec obſtat*, quòd alter non velit obligari, niſi etiam obligetur pupillus ſecundùm dicenda n. 709. *nam* dici poteſt cum Onn. *n.* 54. etiam vi contractus obligari pupillum ſed obligationem ex hac parte mox irritari à jure poſitivo, quod favorem legis alteri ſubtrahit & relinquit pupillo, ideoque obligationem poſteà manere ex parte ſolius alterius.

§.11. Impuberes non obligantur civiliter ullo contractu 676
circa quæcunque bona, quamvis contrahant ex conſenſu patris, §. *Sed quod*, 10. *Inſtit. de inutil. ſtipul.* Pupillus tamen authoritate tutoris contrahens obligatur civiliter, *ibid.* §.9. ſed attendenda eſt limitatio n. 673. data. Ratio harum legum eſt, quia pupillo datur actio contra tutorem, ſi malè ſuaſerit, qualem actionem non habet filius contra patrem.

§.12. Pupilli, ſi læſi ſint per contractum vel paſſi incom- 677
modum, gaudent beneficio reſtitutionis in integrum intrà 4. annos à completo anno 25. poſſuntque repetere rem vel pretium, de quo contraxerunt, cum fructibus, damnis & lucro ceſſante *l.* 7. *Cod. de tempor. in integr. reſtit.* Quòd ſi veniam ætatis obtinuerint, gaudent illo beneficio per 4. annos à die veniæ obtentæ, Mol. & Lugo *n.* 315. ſi autem dolo vel juſto impedimento fuerint impediti, poteſt hoc tempus ſuppleri poſteà; atque hoc beneficio uti poſſunt, ſive tutorem habeant ſive non, ſive contraxerint cum authoritate tutoris ſive non; imò quamvis intervenerit judicis decretum, *l.* 3. *& ſeqq. De in integ. reſtit. l.* 1. *Cod. de author. præſtanda*, *l.* 1. *& ſeqq. Cod. Si tutor intervenerit*, aliiſque locis apud Onnate *n.* 53. & Lugo *n.* 310. neque nocent eis, quæ in incommodum ſuum in judicio egerint; è contra proſunt quæ egerint in ſuum commodum. *Dixi*, ſi læſi ſint &c. nam ſi læſi non ſint, tenebuntur ad contractum obligatione naturali, non tantùm ipſi, ſed etiam tutores, Onn. *n.* 56. Quòd ſi rem, de qua extradenda contraxerunt, necdum extradiderint, v.g. ſi promiſerint, vel ad creditum ludentes luſu extraordinario perdiderint pecuniam, poſſunt retinere, quia quando lex permittit repeti, tacitè permittit retineri ſecundùm dicenda n. 1087. & univerſaliter lex negans actionem ad aliquid petendum, ſimulque concedens poſſeſſori actionem ad repetendum, poſtquàm ſolverit, dat facultatem poſſeſſori in utroque foro rem illam retinendi, niſi fortè juramentum acceſſerit, Sanch. *n.* 34. Dicaſt. *l.* 2. *t.* 3. *n.* 384. ſecundùm reg. 71. juris in 6. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum*, ſeu

reti-

retinendum, *multò magis admittendus*: quod Lugo *nu.*302. dicit verum esse, quamvis pupillus ex pudore non fuisset repeturus in judicio, quia utitur jure sibi concesso ad non solvendum. Vide dicenda etiam n.1087. Plura de restitutione in integrum & rescissione contractus videri possunt apud Dicast. *dub.16.& 17.* Lug *d.22.s.12.* Onn.*tota disp.22. per 6. sect.*De Exceptione plura dicentur n.704.

678 §.13. Qui fecit contractum onerosum cum pupillo circa rem non immobilem, & non pretiosam servari aptam, neque commisit dolum vel aliam injustitiam, potest ttare contractu, quamdiu pupillus vel ejus tutor non rescindit, si enim non velint uti suo privilegio, jus naturale assistit ejusmodi contractibus, Less.Laym.Tann.Mol.*d.224.in fine*, Sanch. *n.*30. *&* 31. Onn.*d.*4. *n.*54. Lugo *n.*295. Quòd si pupillus habens tutor em contrahat de rebus mobilibus, quæ sunt in quotidiano usu, v. g. aliqua donet, vel in recreationes expendat juxta conditionem suam; Lugo *n.*303. & Onn.*n.*55. rectè dicunt tales contractus etiam jure civili validos esse, nec posse nequidem per sententiam judicis rescindi, quia prudenter præsumitur tacita licentia, vel saltem consuetudo derogavit legibus ejusmodi rescissionem permittentibus, eratque hoc utile pupillis, quibus aliàs in nulla re fidere potuissent homines.

679 §.14. Quidquid à §.5. hucusque dictum est de pupillis, valet etiam de minorennibus, qui curatores habent, de utrisque enim est eadem ratio, *l.3.Cod.de in integ.restit.* docentque cum aliis Sanch.*n.*19.& probat speciatibus legibus Onn.*d.*4. *s.*4. sed sufficiunt dicta, si nomen pupilli & tutoris mutetur in nomen minorennis, & curatoris. Excipit Onn.*d.*19. *n.*303. si minorennis sua bona, etiam immobilia, necessariò distrahere debeat, ut solvat debitum, ad quod in conscientia obligatur; item si alicui in dotem aliquid donaverit; item si servum libertate donaverit &c.probatque hæc per leges.

680 §.15. Si minorennis non habens curatorem contrahat de rebus mobilibus etiam aliquantùm pretiosis & non concurrentibus in quotidiano usu, obligatur naturaliter & civiliter, *l.Puberes* 101. *ff. de verb.oblig. l. Si curatorem 3. Cod.de in integ. restit.* tenentque communiter AA.cum Sanch. *n.*30. Onn. *d.*4. *n.*66. *&* 81.

681 §.16. Minorennis potest à principe obtinere veniam ætatis, id est, facultatem liberè administrandi res suas non obstante minore ætate, illa tamen obtenta adhuc non poterit alienare immobilia, aut constituere in hypothecam, & facultas illa concedi potest masculis priùs post 20. fœmellis post 18. annum expletum, si judicio & moribus valeant; neque gaudent beneficio restitutionis in integrum circa ea, quæ postmodùm disponunt, quæ omnia habentur *l.1.& seqq.Cod.de his, qui veniam ætatis impetrarunt*.

682 §.17.Prodigus non habens curatorem contrahit validè naturaliter & civiliter,etiamsi foret notoriè prodigus,uti habet communis cum Sanc.*n.*20.& 27.habens autem curatorem,& absque illius authoritate contrahens facit contractus irritos, neque transfert dominium uti habetur in pluribus legibus apud Sanc. supra & Onn.*d.n.*89. Quòd si administratio bonorum specialiter sit ei interdicta à judice,uti ordinariè interdicta censetur,teste Lugo *n.*289. *in fine*, nequidem naturaliter obligabitur, *l.Is cui bonis, ff.de verb.oblig.* hinc qui contraxit cum tali prodigo, tenetur restituere ante sententiam judicis, etiamsi prodigus non repetat, neque potest secum contrahentem cogere ad servandum contractum, quia in odium prodigi irritatur.

683 §.18. Servi, Religiosi, Clerici, filii-familias, uxores possunt contrahere circa materias, quarum habent dominium & administrationem; & de his ultimis videri possunt dicta p.1. q.217.&218. qui autem plura volet, consulat Onn. *d.*4. & quidem de servis *s.*7. de Religiosis, *s.*8. de filiofamilias, *s.*11. de uxoribus, *s.*12. & de his omnibus iterum plura affert d.19. *s.*3. Quoad Religiosos videri potest etiam Castrop.*tr.16. d.3. punct.*15. *&* 16. Quoad omnes verò supradictos, vide etiam Stryckium *de cautela contract.sect.*1.*c.*2.

684 §.19. An & quomodo contractus celebrare possint illi,quorum bona sunt confiscata vel confiscanda, optimè resolvit Sanch.*in Dec.l.2.c.*21. videri possunt etiam Molin. *d.*95. Onn. *s.*9. An autem usurarius celebrare possit contractus, examinat Onn.*s.*10.sed cum rarò serviant ad praxin, omitto.

685 *Q.*108. *Qualis debeat esse materia, de qua contrahitur?* R.Debet esse possibilis; saltem in spe existens, honesta, propria, certa, non prohibita, quæ omnia jam explicabuntur: & potest de eis videri Sthyck *de caut.contr.s.*1.*c.*3.

§.1. Contractus circa rem impossibilem est jure naturæ irritus, *l.*35. *ff.De verb.oblig.l.*31. *ff.De R.g.juris*, & alibi apud Onn.*d.*5.*n.*232. Ratio est, quia si contrahentes sciant esse impossibilem, non possunt seriò & efficaciter habere consensum; quamvis autem intendere vellent se obligare, tamen inutilis esset illa voluntas, cui per nullam legem assisteretur: si autem nesciant esse impossibilem, est error in substantia. *Nec obstat*, quòd conditio impossibilis adjecta non vitiet aliquos contractus: *nam* stando in jure naturæ vitiaret omnes, contractus enim conditionatus non obligat, nisi posita conditione, quæ hic nunquam poni posset; nihilominus jus positivum voluit, ut in quibusdam contractibus, v.g.Matrimonio, institutione hæredis, fideicommisso, donatione mortis causa, conditio impossibilis adjecta habeatur pro non adjecta,tum quia præsumitur non fuisse seriò adjectam; tum etiam quia in contrahentibus præsumitur fuisse voluntatem universalem contrahendi secundùm leges, quæ cùm disponant, ut talis conditio habeatur pro non adjecta, etiam volunt habere pro non adjecta, & hæc voluntas universalis prævalet; jus autem positivum sic non disponit in aliis contractibus,ergo in his non potest præsumi adesse voluntatem sufficientem ad contractum, Mol.*d.*206. Adde, quòd licèt per conditionem impossibilem non vitiaretur contractus, attamen vitiaretur per materiam impossibilem, sicuti quamvis non vitietur per errorem in qualitate, vitiatur tamen per errorem in substantia.

§.2. Materia contractus debet esse moraliter possibilis, id 686
est, talis, ut non tantùm absolutè fieri possit per vires naturæ, sed etiam ut considerata imbecillitate humana non censeatur superare vires nostras, quia nemo censetur in aliam obligationem consentire, cùm nec leges positivæ ordinariè obligent ad aliquid moraliter impossibile, secundùm dicta l.1. n.781.hinc si quis contraheret de capiendis omnibus piscibus maris, contractus esset irritus.

§.3. Quando materia contractus est partim possibilis par- 687
tim impossibilis, valet contractus, si materia sit divisibilis & consensus feratur divisibiliter, uti si contraxeris de tradendis 100.modiis tritici, & non possis habere nisi 50. contractus valet de 50. è contra si materia sit indivisibilis, vel consensus feratur indivisibiliter, contractus est irritus, hinc si emeris duos equos pro rheda,& venditor tradere non possit utrumque, contractus de altero est irritus.

§.4. Contractus de aliquo, quod non est nec in re, nec in 688
spe, est irritus, quia vel non est serius consensus, vel est error in substantia, uti §.1. dictum est, & clarè habetur §.1. *Instit. De inutil.stipul.l.*1. *§.De oblig.l.*8. *ff.De rescind. vendit.* aliisque apud Onn.*n.*246. Quòd si res partim sit, partim non sit, spectanda est intentio contrahentium, & loquendum secundùm dicta §.3.ubi tamen jus positivum, *L.Domum*, 57. *ff. De contrah.empt.* statuit, ut si res, quæ intendebatur existat saltem ex medietate, v. g.si domus vendita ex media tantùm parte comburatur, valeat contractus, sed diminuatur pretium; si non existat nequidem ex medietate, contractus sit irritus.

§.5. Si contraham de re, quæ est in spe, v.g.si vendam 689
poma, quæ colligam in autumno, singula maldera ad unum aureum, si hæc poma suo tempore non existant, patet contractum esse nullum, quia materia illius erant ipsamet poma,quæ nunquam sunt; è contra si vendam spem, quæ & qualis nunc est, ad omnia poma meæ arboris, quamvis nullum crescat pomum venditio valet, *L. Nec emptio, ff. de contrah. empt.* aliisque apud Onn.*n.*252. & sic venditur spes per jactum retis, per casum aleæ &c. Excipitur emptio hæreditatis in spe, quæ, antequam moriatur testator irrita est, ne detur votum captandæ mortis, *l.fin. ff. de pactis*: & eadem est ratio de contractibus ad succedendum viventi, Onn.*n.*258. item emptio hominis liberi, pro tempore, quo erit servus, est irrita, quia non est fas hujusmodi casus expectare, §.5.*l.*83.*&* *l.*103. *ff.de verb. obl.*item *§.2.l.*34. *ff.de contrah.empt.* Vide hic n.940.

§.6. Contractus de re illicita est omni jure irritus, & qui- 690
dem jure naturæ, quia non potest dari obligatio ad peccandum, neque ad illud, ad quod omittendum antecedenter est obligatio, contractus enim non debet esse vinculum iniquitatis, uti nec votum vel juramentum, quæ tamen de se sunt magis obligativa quàm contractus.Similiter jure Canonico & Civili apud Onn.*n.*268. hinc quidquid prohibitum est lege naturali, divina vel humana obligante in conscientia, de illo non valet contractus: Quòd si aliquid lege tantùm pœnali sit prohibitum, poterit de illo fieri contractus, est enim res de se licita, quam potest quis etiam per leges facere, si se ad pœnam resolvat, leges enim pœnales non prohibent determinatè talem actionem; sed sub disjunctione volunt vel omitti actionem vel subiri pœnam, Onn.*n.*266.

§.7. Quamvis contractus de re illicita sit invalidus, potest 691
tamen contractus illicitus esse validus, ut si quis emat gladium ad occidendum alterum: deinde si in se sit prohibitus fieri, & tamen supposito quod fiat, non irritetur, secundùm regulam juris, multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, & talis est venditio armorum facta hosti patriæ. Ratio horum est, quia materia talium contractuum illicitorum non est res illicita, materia enim illorum sunt gladius & arma, quæ non sunt res illicitæ; è contra si paciscerer & vellem me obligare ad sic vendendum gladium aut arma, hoc pactum esset irritum, quia pro materia haberet venditionem illicitam.

§.8. Quamvis contractus de re illicita sit irritus, tamen 692
suppo-

ſuppoſito quòd unus partem ſuam expleverit, quæ illicita erat, eſt, de jure naturæ ſaltem, obligatio, ut etiam alter ſuam expleat, ſi licita ſit, v.g. conductio ad injuſtum homicidium eſt irrita, attamen ſi conductus patrarit homicidium, conductor tenetur ei dare pretium, de quo contraxit; & idem eſt de contractu cum meretrice, item cum Judice, ut ferat injuſtam ſententiam, ratio eſt, quia in his intervenit duplex contractus, unus abſolutus faciendi rem illicitam, & hic nunquam valet nec obligat, neque ex hoc oritur obligatio poſteà dandi pretium, imò eſt obligatio reddendi pretium, antequam res condicta ſit poſita: alter contractus eſt conditionalis & dicit, ſi hic ſuam partem impleverit, alter etiam tenebitur implere ſuam, ſicuti poſſum vovere aut etiam per contractum promittere, ſi iterum peccavero, dabo tibi eleemoſynam: talis autem contractus priùs perficitur poſita conditione turpi, & hac ſuppoſita licitum eſt dare pretium pro actu, qui ob moleſtiam, detrimentum vel periculum facientis, aut ob delectationem vel aliud commodum illius, in cujus gratiam fiebat, erat pretio iſto æſtimabilis, oriturque obligatio ex vi conſenſus ut ſequentis, & non ut antecedentis conditionem illicitam, Mol. *d.* 94. aliique communiter cum Onn. *n.* 276. *Dixi*, ſaltem de jure naturæ, nam licèt jure poſitivo etiam valeat in contractu, quo meretrix dedit uſum ſui corporis, uti habetur *l. Idem*, 4. *ff. De condit. ob turpem cauſam*, tamen in aliis materiis non eſt ita certum, unde licèt communiter omnes contra Med. fateantur poſt opus turpe expletum oriri obligationem illam ex jure naturæ, tamen Covar. Amic. & Plat. *n.* 589. dicunt jus poſitivum reſiſtere, ne oriatur, quia *l. Si flagitii*, 123. *ff. de verb. oblig.* negat actionem, etiamſi opus turpe ſit expletum. Vide dicenda num. 794.

693 *Objic.* Promiſſio, *ſi occideris Titium, dabo tibi aureum*, eſt contractus ſub conditione turpi, qui nunquam obligat, nequidem prout eſt conditionalis, ergo ſimiliter de aliis. R. Si fiat ſub conditione ponenda c. ſi fiat ex ſuppoſitione conditionis poſitæ, n. Itaque ſi promiſſio ſit intentiva occiſionis, nunquam valet, ſi ſit ſuppoſitiva, valet; præſumitur autem eſſe ſuppoſitivam, quia ſtandum eſt pro valore actus; è contra tamen in hoc, *ducam te, ſi pater meus fuerit mortuus*, jus præſumit conditionem eſſe intentivam mortis paternæ, hinc abſolutè irritat.

Inſt. Obligatio dandi aureum deberet eſſe ex contractu, ſed non poteſt eſſe ex contractu, quia hoc non poteſt eſſe validè contractum, quod nunquam poteſt validè contrahi, ſicuti hoc non poteſt eſſe validè venditum quod nunquam poteſt validè vendi, tale autem pretium nunquam poteſt validè contrahi, & talis actio occiſiva nunquam poteſt validè vendi, ergo nunquam poteſt eſſe validè empta aut vendita, ergo nunquam ex emptione poteſt eſſe obligatio ſolvendi. *Conf.* Qui illicitè accipit pretium, illicitè retinet, ſed talis illicitè accipit pretium ante opus expletum, ergo & illicitè retinet. R. Eſt validè contractum ex ſuppoſitione operis, & de hoc erat contractus conditionalis. Ad *Conf.* Ergo & illicitè retinet, ante opus expletum, C. poſt opus expletum N. Conſeq.

694 §. 9. Materia contractus debet eſſe propria illius, qui per contractum transferre debet aliquod jus in alterum, quia nemo plus juris transferre poteſt, quàm ipſe habeat, Reg. 79. *De reg. juris in 6. Reg.* 54. *ff. Eod. tit.* Item, *Id, quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. Reg.* 11. *ibid.* Attamen ſi emptor mala fide emat rem alienam, & venditor neſciat eſſe alienam, *l.* 28. *ff. de contrab. empt.* ſtatuitur, ut dominium pretii tranſeat ad vendentem, & in tantum validus ſit ipſe contractus, idque in favorem veri domini, ut magis habeat, unde rem ſuam vel ejus pretium recuperare poſſit, dominium tamen rei non tranſit ad ementem, nam lex addit rem emptori auferri poſſe. Quòd ſi uterque ſciret rem eſſe alienam, contractus eſt nullus, §. 3. *l.* 34. *ibid.* Denique ſi neuter, aut ſolus vendens hoc ſciret, etiam nullus foret contractus, emens enim non vult transferre dominium pretii, niſi obtineat dominium mercis, quod in his caſibus non fieret.

695 §. 10. Quamvis res nunc non ſit propria, poteſt tamen, per ſe loquendo, de ea contrahi pro tempore, quo erit propria, *l. Si rem meam*, 31. *ff. de verb. oblig.* ſic equus, quem emi priùs in annum ſequentem, poteſt jam vendi alteri, quia hæc venditio reſpicit equum pro tempore, quo erit meus; ſimiliter poteſt quis contrahere de actione aliena, v.g. faciam, ut Titius te inſtruat in medicina, obligando ad pœnam, vel quanti æſtimaretur illa inſtructio, ſi non fiat, §. 2. *l.* 38. *ibid.*

696 §. 11. Si vendam rem mihi communem cum aliis, v.g. gregem ovium indiviſum ſpectantem ad me, & duos fratres meos, valet venditio pro tertia parte, quæ mea eſt, *l. Sed ſi communis*, 18. *ff. de contrab. empt.*

697 §. 12. Materia contractus debet eſſe aliena reſpectu illius, qui eam per contractum debet acquirere, §. 2. & 21. *Inſtit. de inutil. ſtipul. l.* 82. *ff. De verb. oblig. & Reg.* 45. *ff. De reg. juris.* Ratio eſt, tum quia venditio rei alienæ eſt nulla, uti dictum eſt, ergo & emptio rei ſuæ: tum etiam quia finis contractus eſt acquirere aliquid, quod non habes, ergo ſi jam habes, ceſſat finis contractus: poſſum tamen contrahere pro accipiendo, v. g. uſufructu rei meæ, ſi ſim tantum dominus directus, item pro recipienda poſſeſſione, item pro recipienda re mea, quam alter detinet, ut expreſsè habent Leges apud Onn. *n.* 315.

§. 13. Materia contractus tum dicitur certa, quando ex actis 698
vel dictis vel lege vel ſaltem ex circumſtantiis conſtat, quid, qualis & quanta ſit, *l. Stipulationum*, 74. *ff. De verb. oblig.* è contra tum eſt incerta, ſi hoc non conſtet, ſed tantùm in genere dicatur, v.g. vendo fundum, emo vinum, promitto, non determinando, nec qualem fundum, nec quantum vini, nec quid promittat; item materia incerta eſt, ſi duo, v.g. ſervi, quorum unus venditur, ſint ejuſdem nominis, & neuter determinetur; item ſi contrahatur ſub disjunctione, vendo bovem vel equum; item ſi ſignificatio ſit æquivoca, uti vendo mulum; & neſciatur, an mulum piſcem, an mulum quadrupedem: item ſi non addatur vel determinetur pretium.

§. 14. Contractus de materia incerta eſt nullus, ſi reduci non 699
poſſit ad certitudinem, *l.* 74. & 75. *ff. De verb. oblig.* ratio eſt, quia finis contractus eſt, ut voluntate contrahentis transferatur dominium rei conventæ, ſed ſi de hac non conſtet per externa ſigna, non poterit transferri dominium ſecundùm dicta n. 654. ergo nec valebit contractus. Poteſt autem materia incerta reduci ad certitudinem, v.g. ſi tibi promiſerim ſub disjunctione, relinquens tibi electionem, tu eligens, materiam reddes certam, *l.* 75. §. 8. & *l.* 76. *ſupra*; Item ſi per eventum conditionis res fiat certa, vel per declarationem aut arbitrium tertii, cui partes committunt, &c. Attamen ille, cujus arbitrio interpretatio committitur, non debet promiſſorem gravare ultra verba, unde electio potiùs relinquenda eſt promittenti, & eligendum, quod minùs gravat poſſeſſorem ſive debitorem: deinde debet arbiter præſumere, quod rationi & menti contrahẽtis videtur conformius. Poſſunt de hactenus dictis videri plura apud Onn. *d.* 5. *ſ.* 6.

§. 15. Specialiter per jus prohibentur, & irritantur aliena- 700
tiones bonorum Eccleſiaſticorum immobilium, & mobilium pretioſorum, quæ ſervando ſervari poſſunt, niſi fiant cum conſenſu Papæ, & ſub certis conditionibus, uti habetur in Extrav. *Ambitioſæ*, inter communes *l.* 3. *tit.* 4. poteſtque videri Dicaſt. *l.* 2. *t.* 3. *dub.* 15. & iterum pluribus *t.* 15. *d.* 1. *dub.* 6. & addemus aliqua *l.* 4. *à n.* 1363. Quæri poſſet hic, an & quomodo fieri poſſit contractus circa res ſpirituales, ſed hoc intelligitur ex dictis de ſimonia hic *p.* 1. *q.* 15. *& ſeqq.*

Q. 109. *Quinam ſint effectus contractuum?* R. Præcipui 701
ſunt hi 17. obligatio, actio, exceptio, periculi & commodi translatio, damnum moræ, compenſatio, traditio rei conventæ, translatio dominii vel partis dominii, poſſeſſio juridica, ſolutio, poteſtas præſcribendi, interdicta poſſeſſoria, vendicatio rei, reſtitutio, evictio, ædilitiæ actiones, reſtitutio in integrum, de quibus fuſiſſimè agit Onn. *à d.* 7. uſque ad 11. ex quibus breviter colligam ea, quæ ad inſtitutum noſtrum ſerviunt.

§. 1. Obligatio, eſt juris vinculum, quo neceſſitate conſtrin- 702
gimur alicujus rei ſolvendæ ſeu præſtandæ, *Inſt. de oblig. initio, & l.* 3. *ff. Eod. tit.* Obligatio naturalis eſt, qua conſtringimur ſecundùm jus naturale; civilis, qua ſecundùm jus civile; mixta, qua ſecundùm jus utrumque conſtringimur; & univerſaliter, qui obligatur ad aliquid, dicitur debitor, qui autem alterum ſibi obligat, dicitur creditor, *l.* 10. & 11. *de verb. ſignif.* Et quamvis obligatio in fieri pendeat ab utriuſque voluntate, tamen in conſervari, ſeu ut permaneat, dependet à voluntate, non obligati ſed obligantis; unde ſi quis contrahat ſub hac conditione, *ſi volam*, contractus eſt nullus, *l.* 8. *ff. de oblig. l.* 17. *ff. de verb. oblig.* Similiter ſi accepratio fiat ſub hac conditione, *accepto. ſi volueris*, non fit contractus, quia nulla oritur obligatio in altero; aliud eſt, ſi diceret, *accepto, ſi velis me acceptare*, quia tum purificatur conditio de præſenti, qui enim contractum offert, ille vult ſeu permittit ab altero acceptari, *d.* 23. *n.* 61.

§. 2. Actio, eſt jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur, 703
Inſtit. de actionibus, & l. 51. *ff. de oblig.* actualis autem petitio, apud Juriſtas non dicitur actio, ſed proceſſus judicialis vel inſtantia. Actio, alia eſt bonæ fidei; alia ſtricti juris; bonæ fidei ſunt, quæ fundantur in contractibus bonæ fidei, de quibus dictum eſt n. 583. & ſunt ſeptendecim enumeratæ *in Inſtit. de act. §. Actionem*, in quibus nempe Judex ex æquo & bono æſtimare debet, quid fieri debeat. Stricti juris ſunt reliquæ, in quibus Judex procedere debet ſecundùm verba, & rigorem. Prætereà alia actio eſt realis, alia perſonalis: realis eſt qua rem ipſam convenimus, ubicunque illa ſit, quia nempe jus in ea habemus, ideoque dicitur vendicatio rei; perſonalis eſt, qua convenimus perſonam, eò quòd habeamus tantùm jus ad rem, quam alter detinet, & ideo dicitur conditio perſonæ, & hæc diviſio actionis fusè traditur *Inſt. à §. Namque.* 4. Quinam autem contractus ſpecialiter cauſent actionem pro foro externo, dictum eſt n. 584. & 586.

§. 3. Exceptio, eſt excluſio intentionis agentis, inquit 704
Ulp. *l.* 2. *ff. de except.* ideſt, exceptio eſt jus ad excludendam actionem & ad ſe tuendum in poſſeſſione rei contra oppugnantem; unde ſicuti actiones ſunt arma offenſiva oppugnantium

ita ex-

ita exceptiones ſunt arma defenſiva repugnantium, & quia actio plerumque fundatur in regula aliqua generali juris, hinc qui ſe defendit, dicitur opponere exceptionem illius regulæ, v.g.hic petit ſolutionem per actionem, *Ex vendito*, ille excludit ipſum per exceptionem, *De ſoluto pretio*, quod probare debet, unde reus in exceptione eſt actor: Quod ſi primus actor inſtet contra hanc exceptionem, erit exceptio exceptionis, & in jure dicitur replicatio; ſi reus iterum contra hanc inſtet, dicitur triplicatio; ſi actor iterum, dicitur quadruplicatio, & ita deinceps, uti habetur L.citata. Aliæ exceptiones dicuntur dilatoriæ ſeu temporales, quæ non planè tollunt ſed differunt actionem, uti ſi Clericus poſtulatus de debito excipiat contra actorem, qui ſe vocat ad forum ſæculare; debentque hæc opponi ad initium litis, alioquin poſteà non audiuntur, *l.*13. *Cod.De except. & l.*19. *Cod. de probation.* Aliæ exceptiones dicuntur peremptoriæ ſeu perpetuæ, quæ ſemper locum habent, uti ſi probet ſe nihil debuiſſe, vel ſe ſolviſſe, quæ aliaque habentur *l.*3. *& ſeqq. ff.de except.* Item *Inſtit.Eod.hoc tit.* ubi etiam varia genera exceptionum recenſentur: admitti tamen non debent poſt latam ſententiam, ne lites in immenſum protrahantur, niſi ſit exceptio falſi, id eſt, niſi probetur falſum eſſe allegatum, cui innititur ſententia, quæ exceptio ſemper auditur: An autem ille, qui poteſt excipere & repetere debitum ſolutum, etiam poſſit non ſolvere, vide dicta n.677.& dicenda n.1087.

705 §.4. Periculum, & commodum pertinent ad dominum rei, res enim perit vel fructificat domino ſuo, hinc per quos contractus transfertur dominium, per eoſdem transfertur periculum & commodum: ſpeciale tamen aliquid eſt in emptione & venditione, nam quamvis dominium non transferatur in emptorem, ſed maneat apud venditorem, donec res empta ſit tradita, tamen emptione perfecta periculum & commodum rei tranſit ad emptorem, niſi aliter conveniſſent, §. *Cùm autem*, 3. *Inſtit.De empt. & vendit. L.id quod* 7. *ff. De periculo & commodo*, *L. Poſt perfectam*, 1. *Cod. Eod. tit.* Excipe, niſi venditor eſſet in mora tradendi, tum enim ad ipſum pertinet periculum, *l.*17. *ff. de periculo & commodo*, *& l*4. *Cod. hoc tit.* item niſi venditoris culpa res periiſſet, vel eſſet deteriorata, cùm enim emptor rem in poteſtate ſua non habeat, æquum fuit obligari venditorem ad cuſtodiam majorem quàm ipſe rebus ſuis præſtet, *l.*2.*&* 3. *ff.Eod.tit.* hinc Onn.*d.*7. *n.*183. putat teneri compenſare damnum cauſatum ex culpa leviſſima, ne aliàs detur occaſio fraudibus: expenſas tamen interim factas pro cuſtodia ſolvere debet emptor, uti ex jure probat Onn.*n.* 186. *Dixi*, emptione perfecta: nam ſi emptio necdum ſit perfecta, periculum & commodum pertinet ad venditorem, uti quando venditio fit ad menſuram, & menſuratio necdum eſt facta, *l.*1. *ff.& l.*2. *Cod.eod.tit.* Item ſi res venda tur ad deguſtationem, & deguſtatio necdum ſit facta, v.g. in vino, *l.*1. *&* 4*ff.eod.tit.* Vide dicenda n.983.

706 §.5. Mora, eſt tranſgreſſio culpabilis diei in contractibus ſtatuti pro executione, quam moram quis committit, ſi nempe ſit verum debitum, quod non ignoretur, pro quo in talem diem facta ſit interpellatio, nec poſſit interpellanti legitima exceptio opponi: de quibus tamen conditionibus, præſertim de interpellatione, videri poteſt Onn. *d.*8. *àn.*14. Quòd ſi quis commiſerit ejuſmodi moram, tenetur adhuc implere contractum; compenſare damnum emergens, & lucrum ceſſans, ſuſcipere in ſe periculum rei, denique pœnas lege vel ex mutua conventione ſtatutas ſolvere.

707 §.6. De compenſatione dictum eſt à n.455. Quæ autem conditiones adeſſe debeant pro occulta compenſatione, dictum eſt p.1.à n.959.

708 §.7. Traditio, eſt rei vel juris vel poſſeſſionis de perſona ad perſonam translatio, Tuſch.*V.Traditio concl.*341.*n.*1. Differt à datione, quòd hæc transferat dominium, non item traditio: nam poſſum aliquid alteri tradere tantùm ad uſum vel in depoſitum &c. qui non ideò acquirit dominium; neque traditio eſt jus; ſed factum externum & conditio requiſita ad translationem alicujus juris vel poſſeſſionis: Eſt autem traditio alia vera, alia ficta, uti & apprehenſio poſſeſſionis, ſecundùm dicta num.508. nam traditioni reſpondet apprehenſio, & quæ ibi de hac dicta ſunt, debent cum proportione applicari traditioni, poteſtque videri etiam Onn.*d.*9. *àn.*198. Ordiuariè autem neceſſaria eſt traditio aliqua ad translationem dominii, *L.Traditionibus*, 20. *Cod.de pactis*, ſi enim res nullo modo ſit tradita, non eſt poteſtas ad uſus rei, ergo nec dominium. *Dixi*, ordinariè, quia quædam dominia acquiruntur ex diſpoſitione juris ſine ulla traditione, de quibus videri poteſt Onn. *n.*201. & iterum à n.230.

709 §.8.De translatione dominii ſufficiunt dicta ſparſim à q.22. item q.32.& 55. Hic addendum, quatuor requiri, ad translationem dominii per contractum, nempe traditionem aliquam, ordinariè loquendo, ut jam dictum eſt, deinde voluntatem in uno conferendi, in altero acquirendi dominium; præterea titulum, v.g.donationem, emptionem, &c. denique ut alter ex ſua parte contractum etiam impleat, v.g.ſolvendo pretium, aut ſufficienter cavendo pro illo, nam contractus oneroſus quaſi imbibit hanc conditionem, volo, ſi tu tuum viciſſim præſtiteris.

§.9. De poſſeſſione juridica, ſufficiunt dicta num.507.& 710
508.De ſolutione dicetur num.756. De præſcribendi poteſtate dictum eſt q.100.

§.10. Interdictum poſſeſſorium eſt adjumentum adipi- 711
ſcendæ, retinendæ aut recuperandæ poſſeſſionis: dicitur interdictum, non quòd per illud ſemper aliquid prohibeatur, ſed quia *dicebatur* ad *interim*, uſquedum innoteſceret dominus rei, uti vult Haun.*n.*310.vel potius, uti vult Mol.quia à Prætoribus *inter* duos litigantes *dicebatur*: Eſt autem multiplex, 1. *Quorum bonorum*, per quod hæres adiens hæreditatem obtinet primam poſſeſſionem hæreditatis contra quemcunque alium poſſeſſorem in iis, quæ defunctus tempore mortis poſſidebat: putat quidem Haun.*àn.*229.illum indigere nova corporali apprehenſione, eò quòd poſſeſſio ſit aliquid diſtinctum ab hæreditate, ſed contradicunt alii. Quod ſi hæreditas fuiſſet antea naturaliter poſſeſſa per alium, v.g.colonum, qui permaneat in ea hæreditate, non indigebit nova apprehenſione, uti fatetur Haun.*n.*241.2. *Quorum legatorum*, per quod hæres obtinet poſſeſſionem omnium legatorum, à quibus fortè eſſet detrahenda Falcidia, id eſt, 4. pars hæreditatis per L.falcidiam hæredi attributa. 3.*Salvianum*, per quod dominus fundi obtinet poſſeſſionem eorum, quæ conductor in fundum infert, quia eo ipſo fiunt ipſi tacitè obligata pro penſionibus, 4. *Uti poſſidetis*, & *utrobi*. Per, *uti poſſidetis*, conſervatur ille in poſſeſſione rei immobilis, qui tempore litis veriſimilius invenitur poſſidere, dummodò non poſſideat vi, clam aut precariò. Per *utrobi*, conſervatur talis in poſſeſſione rei mobilis. 5.*Unde vi aut clam & precariò*, per quæ quis reſtabilitur in poſſeſſionem, ſi probet alterum, qui poſſeſſionem invaſit, vi accepiſſe, vel clam, vel tantùm per preces obtinuiſſe ad tempus. De his omnibus adducit leges & fuſiorem explicationem Mol.*d.*16.adhuc autem fuſius de illis diſputant Onn.*d.*10.*ſ.*1.*&* 2. & Haun. *àn.*310.ubi à n.363.fuſè diſcutit,an interdictum, *Unde vi*, faveat notorio prædoni, qui notorium dominum fundi vi è poſſeſſione exceluſerat, putatque favere, licèt alii plures negent.

§.11. Vindicatio, eſt actio realis ad perſequendum in ju- 712
dicio rem ſuam quoad dominium & poſſeſſionem, ſive eſt actio, qua quis rem ſuam liberat de poteſtate alterius, apud quem eſt, unde ad hanc actionem requiritur, ut actor ſit dominus rei, habeatque poſſeſſionem civilem, & ut is, contra quem agit, detineat rem corporaliter. Ad vindicationem reducitur *publiciana actio*, ſic dicta à *Publicio* prætore, qui hanc inſtituit *l.*9.*ff. De publiciana in rem actione*, ut nempe qui bona fide cum titulo aliquo poſſedit rem alienam, non acceptam ab ipſo domino ſed ab alio, putavitque eſſe ſuam, ſi hæc ipſi erepta ſit, poſſit in judicio repoſcere ab alio, qui eam poſſidet ſine titulo.

§.12. De reſtitutione ratione injuriæ vel damni per contra- 713
ctum cauſati, dictum eſt *q.*1. *& ſeqq.*

§.13. Evictio eſt actio, qua reditur ad authorem contra- 714
ctus pro intereſſe rei ab alio evictæ, v.g.emi à te agrum, qui tamen non erat tuus ſed Titii,& quia Titius per ſententiam Judicis ſibi iterum evincit hunc agrum, tu teneris de illa evictione, id eſt, quamvis contractus fuerit invalidus reſpectu translationis dominii, tamen fuit validus hoc ſenſu,quòd ex illo obligeris ad reddendum mihi pretium, compenſando ſimul damna emergentia & lucra ceſſantia; & talis evictio ſequitur etiam ad permutationem, cambium, mutuum, pignus, ſocietatem, locationem alioſque ſimiles contractus oneroſos, de quibus habentur leges, ff.& Cod.*hoc tit.*

§.14. Ædilitiæ actiones ſunt, quæ dantur, quando res, de 715
qua fuit contractum, eſt vitioſa. Dicuntur ædilitiæ, quia leges pro illis primò latæ ſunt Romæ ab ædilibus, id eſt, conſervatoribus ſacrarum ædium, qui etiam vocabantur Curules, quia pro majori majeſtate ſui muneris geſtabantur Curru vel ſede eburnea. Tres autem ſunt ejuſmodi actiones, 1.dicitur *Redhibitoria*, per quam fit, ut qui rem vitioſam tradidit, illam totam rehabeat, id eſt, iterum habeat, & alter ſimiliter pretium. 2.dicitur *Quanti minoris*, per quam fit, ut ſi ille, qui tradidit, nolit recipere rem vitioſam, tantum ſubtrahatur de pretio quanti minoris res erat æſtimanda. 3. dicitur *In factum*, per quam ille, qui rem vitioſam tradidit, ſi utrumque detrectet, ad alterutrum compellatur, de quibus omnibus habentur multæ leges *ff. De ædilitio edicto*, *& Cod.de ædilitiis actionibus*, habentque hæ actiones locum, non tantùm in emptione & venditione, ſed etiam in permutatione, locatione aliiſque commutationibus. Quòd ſi læſio non ſit facta ultra medietatem juſti pretii; *l.*2. *Cod.de reſcind vendit.* ſtatuitur, ut locus non detur redhibitoriæ, nec reſcindatur contractus, manet tamen actio quanti minoris, ſeu obligatio minuendi pretium: ad hanc autem actionem, uti & ad 3.requiritur, ut vi-

tium

tium ſit alicujus momenti, & ad fuerit, quando res erat apud illum, qui tranſtulit, fueritque latens, quod transferens manifeſtare debuerit, quæ omnia habentur *ff. & Cod. ſuprà*; neque juvat, ſi dicat, vendo tibi rem vitioſam ſicuti eſt, nam etiam his verbis ſubeſſe poteſt dolus, vel ſi fiat bona fide, ſubeſſe poteſt ſaltem error in ſubſtantia dans cauſam contractui: ſi autem fuerit læſio ultra dimidium, de hoc diximus n.624. in fine, & dicetur n.993. Quandonam & quibus ſpecialiter detur reſtitutio in integrum, aut poteſtas reſiliendi à contractu, inſinuatum eſt n.677. & videri poſſunt AA. ibi notati.

716 *Q.*110. *Quid dicendum ſit de contractibus, in quibus omittitur ſolemnitas aliqua requiſita?* R. Si lex adhuc vigens ad contractum vel diſpoſitionem aliquam requirat certam ſolemnitatem, formulam vel modum contrahendi, & hic omittatur, certum eſt ejuſmodi contractum vel diſpoſitionem eſſe irritam, nec parere actionem pro foro externo: ſolùm dubium eſt, an quando aliunde conſtat de voluntate contrahentis vel diſponentis, valeat de jure naturæ, & pariat obligationem pro foro conſcientiæ, pro quo reſolvendo ſit,

§.1. Plures de hoc ſunt ſententiæ, nam 1. Bald. Covar. Bonac. Vaſq. Ledeſ. Beja *p.1. caſ.*53. Dicaſt. *l.2. t.2. dub.*8. Haun. *t.8. n.*184. & alii 20. apud Lugo *d.22. n.*250. abſolutè negant, quibus Lugo *à n.*257. multùm favet. 2. Inn. Adr. Bart. S. Anton. Panor. Regin. Fill. aliique plurimi apud Lugo *num.*249. abſolutè affirmant. 3. Sotus Bann. Lop. Henriq. Laym. Tann. Sanch. *in conſil. l.4. c.1. d.*14. aliiq; multi dicunt in tantum valere, quòd poſſeſſor poſſit retinere, donec per ſententiam cõdemnetur; poſt ſententiam dicunt teneri extradere. 4. Clarus, Mol. Sa, V Vading. Leſſ. *l.2. c.19. dub.3.* aliique valdè multi dicunt teſtamenta & alias ultimas voluntates obligare in conſcientia, quamvis fiant ſine ſolemnitatibus; non item reliquos contractus. 5. Illſ. *t.4. d.2. n.*482. & alii, quos citat, putant teſtamenta ad cauſas profanas ſine ſolemnitatibus eſſe invalida; codicillos autem, legata & fideicommiſſa dicunt eſſe valida, etiam pro foro externo.

717 §.2. Valdè probabile eſt, quod ultimæ voluntates obligent ſaltem in Conſcientia; quamvis fiant omiſſis ſolemnitatibus, quas Jus civile requirit. Probatur, nam de diſpoſitionibus defuncti pro ſuis prolibus ita ſtatuitur *l.21. §. Ex imperfecto, Cod. de teſtamentis.* De fideicommiſſis hæredi impoſitis habetur *§. ult. Inſtit. De fideicomm. hæredit.* item *l.2. & 32. Cod. De fideicomm.* De relictis ad pias cauſas ſive per teſtamentum, ſive per legata, uti notat Dicaſt. *n.*146. *&* 151. habetur *cap. Relatum, 1. De teſtam.* Idem ſtatuitur univerſaliter de legatis *l.16. Cod. de teſtam.* Idem fatetur Lugo *n.*259. de donationibus mortis cauſa: denique *cap. Cùm eſſes, de teſtam.* decernit Pontifex abſolutè, quamvis deſit ſubſcriptio 7. vel 5. teſtium, uti requirit jus civile, attamen debere cenſeri valida, ſi conſtet de voluntate Teſtatoris, v.g. per parochum & tres vel duos teſtes, ideoque prohibet ne quis audeat hujuſmodi teſtamenta reſcindere. Ratio eſſe potuit, quia cùm ultima voluntas ſit maximè ſeria, & reipſa nunquam mutanda, meritò leges voluerunt permanere illi obligationem ſaltem naturalem. Videri poteſt Leſſ. *ſuprà*, ubi plures rationes affert.

718 *Obiic.*1. Si ex legibus civilibus rectè probetur omnes ultimas voluntates obligare in conſcientia, ergo omnes obligabunt etiam pro foro civili, ita Lugo *n.*258. R. N. ſeq. quia leges civiles quandoq; tantum innuunt eſſe obligationem in conſcientia, & ſuperaddi etiam obligationem pro foro civili, ſi aliquid aliud accedat, v.g. ſi hæres fateatur talem fuiſſe voluntatem defuncti, aut ſi ſciens talem fuiſſe nolit jurare ſe neſcire, quòd fuerit talis, uti rectè advertunt Mol. Leſſ. & Dicaſt. *n.*137.

719 *Obiic.*2. Si teſtamentum non ſolemne obligaret in conſcientia, ergo quod ex illo ſolutum eſſet, repeti non poſſet, eſt enim regula communiſſima juris, id repeti non poſſe, quod ex obligatione naturali ſolutum eſt, atqui per leges datur actio repetendi ejuſmodi ſolutum; ergo. Reſp. Repeti non poſſet, vi juris canonici aut naturalis C. vi juris civilis, N. quamvis autem vi juris civilis poſſit repeti, quia jus civile ſupponit repetentem neſcire de voluntate Teſtatoris, tamen ſi aliunde conſtet de illa, manet obligatio in conſcientia iterum ſolvendi, ſicuti fur vi juris civilis poteſt equum furtivum vi poſſeſſionis naturalis, quam habuit etiam à domino equi repetere, quamvis dominus non probavit eſſe ſuum, quamvis ſemper in conſcientia maneat obligatus ad reſtituendum domino equum.

720 *Obiic.3. L.21. §. Ex imperfecto, Cod. de teſt.* dicitur, quòd teſtamentum ſine ſcriptura, & ſolemnitate factum à parentibus in favorem prolium & perſonæ extraneæ, non valeat reſpectu perſonæ extraneæ, ſed quod huic relictum eſt, accreſcat prolibus, ergo proles ſalva conſcientia retinere poſſunt hoc, quod relictum erat perſonæ extraneæ. R. Dicitur, quòd accreſcat prolibus, ſpectato jure civili, C. ſpectato jure Canonico & naturali, N. ant. & conſ. unde à potiori dicendum eſt cum Covar. Mol. Sanch. Leſs. Dicaſt. *num.*150. contrà Lugo *num.*274 ſi quis ſine ſolemnitate, per teſtamentum diſponat principaliter ad cauſam piam & minus principaliter ad profanam, valere etiam quoad profanam ſaltem ſpectato foro conſcientiæ.

§.3. Reliqui contractus facti ſine ſolemnitate videntur eſſe 721
irriti vel ſaltem irritabiles. Probatur, quia jus potuit tales contractus ita antecedenter irritare, ut nequidem pro foro conſcientiæ tenerent, ſic enim Trid. *ſeſſ.24. c.1. de Ref.* irritat contractum Matrimonii factum ſine ſolemnitate teſtium; ergo cùm abſolutè dicat ſe irritare, & alibi non ſignificet ſe relinquere obligationem pro foro conſcientiæ, meliùs dicitur irritari pro utroque foro, niſi tamen ſolemnitas omiſſa eſſet omnino levis, uti cum aliis notant Bartolus & Lugo *n.*279. nam hic datur etiam parvitas materiæ. *Dixi* autem ſaltem irritabiles, nam leges ſæpè faciunt, ut contractus ſint tantùm irritabiles ad arbitrium illius, qui damnum paſſus eſt, uti contractus pupillorum, ſi fiant ſine authoritate tutoris, quorum obligationem naturalem jus non tollit, attamen relinquit poteſtatem eam tollendi, uti dictum eſt n.675.

*Obji.*1. Jus irritans contractum ſine ſolemnitate factum fun- 722
datur in præſumptione fraudis, ergo ubi conſtat nullam fraudem ſubeſſe ſed verè adfuiſſe voluntatem contrahentis, erit ſemper obligatio, ſaltem pro foro conſcientiæ. R. Fundatur in præſumptione particulari fraudis in hoc vel illo contractu, N in præſumptione generali, ſeu in periculo fraudis, quæ communiter ſolet ſubeſſe, aut cui datur occaſio per ejuſmodi contractus, C. ant. & N. conſ. hæc enim præſumptio ſemper eſt vera & ſemper manet.

*Obji.*2. Dictum eſt n.671. quòd contractus, v.g. pupillo- 723
rum initi ſine authoritate tutoris obligent in conſcientia, ergo etiam dicendum eſſet, quòd omnes contractus initi ſine ſolemnitatibus obligent in conſcientia. R. N. conſ. pro prioribus contractibus attulimus fundamenta ex ipſis legibus, tale nihil dicunt de pleriſque aliis contractibus initis ſine alia ſolemnitate, ſed dicunt abſolutè eſſe irritos, neque aliqui concedunt illis reſcindibilitatem, nec inquirendum eſt, cur lex hoc & non illud voluerit, nam *l.20. & 21. ff. de legibus*, ſic habetur, *non omnium, quæ à Majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi debet: & ideo rationes eorum, quæ conſtituuntur, inquiri non oportet, alioquin multa ex his, quæ certa ſunt, ſubvertuntur.* Hoc itaque unum ſufficit dicere, quia ſic placuit legislatoribus, qui non tenentur ſemper placiti ſui cauſas reddere.

*Obji.*3. In dubio melior eſt conditio poſſidentis, ergo cùm 724
tot ſint Authores & rationes probabiles pro relatis ſententiis, ille, qui poſſidet, poteſt retinere, donec condemnetur, ita Sanch. R. Poteſt retinere vi judicii directi, quod fertur de re ſeu objecto ſecundùm ſe, N. vi dictaminis reflexi, quod ſibi format ex ſuppoſita certa probabilitate talis opinionis, C. Non licere tamen in ejuſmodi caſu compenſationem occultam, dictum eſt p.1. n.962.

*Q.*111. *Quomodo contractus firmentur?* R. Præcipuè 4. 725
modis, promiſſione, juramento, fidejuſſione, hypotheca vel pignore, quæ apud Juriſtas dicuntur cautiones, nempe promiſſoria, juratoria, fidejuſſoria, hypothecaria. De promiſſione, fidejuſſione, hypotheca & pignore, agemus poſtea, ſunt enim ſpeciales contractus, qui alteri contractui firmando adjiciuntur; hic tantùm dicemus de cautione juratoria.

§.1. Certum eſt licere juramento firmare contractum, uti patet ex diplomate Martini V. in Conc. Conſtat. ubi damnatur hæc Vicleffi propoſitio 43. *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus & commercia civilia.* Juramentum autem eſt quadruplex, delatorium, aſſertorium, promiſſorium, confirmatorium. Delatorium dicitur, quod ex conventione partium vel authoritate judicis, defertur alicui ad terminandam litem, uti habetur *l.1. & ſeqq. ff. De jurejur.* & de hoc non agimus in præſenti, ſed pertinet ad materiam de judiciis, poteſtque de hoc videri *Cap. Juramentum 36. De jurejur.* & AA. paſſim. Aſſertorium eſt, quo affirmatur vel negatur aliquid de præſenti aut præterito, poteſt tamen nudè aſſeri aliquid circa futurum, nam poteſt quis jurare ſolem cras oriturum; item ſe nunc habere voluntatem cras dandi aureum, vel faciendi, ut detur, quamvis non juret ſe daturum aut dandum eſſe; & de juramento aſſertorio in hac latitudine ſumpto etiam non agitur hic, poſſunt tamen circa illud videri dicta hic p.1. q.67. & 80. Promiſſorium eſt, quo aliquid promittitur in futurum, ſeu quo quis ſe obligat ad aliquid præſtandum. Confirmatorium dicitur, vi cujus pactum aliquod vel contractus alioqui nullus quaſi ad vitam venit, & acquirit vim obligandi ex juſtitia, quam alioquin non habuiſſet, ita ut vi appoſiti juramenti habeat etiam in foro externo omnes effectus tali contractui proprios.

§.2. Si juramentum cadat ſuper contractum licitum, vali- 726
dum & de ſe veſtitum, v.g. ſi quis juret ſe ſervaturum emptionem, quam fecit, hoc juramentum eſt promiſſorium, & obligat, uti per ſe patet; attamen non eſt ſtrictè confirmatorium, cùm illi contractui non afferat vim obligandi ex juſtitia, nec vim ad effectus civiles, hæc enim antecedenter habuit; poteſt tamen

men hoc ſenſu dici confirmatorium, quòd addat robur aliquod ſeu obligationem novam ex virtute religionis; tale tamen robur non addit, quin maneat poteſtas contractum reducendi ad æqualitatem, ſi fortè notabilis inæqualitas intervenerit, hinc docent Leſs. *in auct. V. Juramentum*, *Caſ.* 4. & Burgh. *cent.* 3. *Caſ.* 82. qui poſt contractum etiam juratum advertit ſe deceptum eſſe plùs quàm dimidio, eum juvari poſſe, & debere reducendo contractum ad æqualitatem, quia fuit error in ſubſtantia, neque conſenſit in talem eventum.

727 §. 3. Juramentum, etiamſi cadat ſuper contractum planè irritum eumque non confirmet, tamen obligat in conſcientia, ſi ſervari poſſit ſine peccato, Suar. *de jur. l.* 2. *c.* 22. Sanch. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 19. Mol *d.* 149. Bonac. *de contr. d.* 3. *q.* 1. *p.* 1. *n.* 7. Leſs. *l.* 2. *c.* 17. *n.* 40. Onn. *d.* 11. *n.* 55. Et habetur expreſsè *Cap. Quamvis. De pactis in* 6. item *Cap.* 6. *Debitores. Cap.* 18. *Quanto. Cap.* 28. *Cum contingat. De jurejur.* ubi ſemper redditur ratio, quia ejuſmodi juramenta non vergunt in æternæ ſalutis diſpendium. Idem habetur *l.* 1. *& auctent. Cod. Si adverſus venditionem*. Ratio autem eſt, quia ſic poſtulat reverentia debita Deo, qui vocatur in teſtem ac veluti fidejuſſorem ejuſmodi contractus ſervandi. *Si dicas*, quòd acceſſorium ſequi debeat principale, & conſequenter ſi contractus ſit irritus, etiam juramentum illi adjectum fore irritum; R. Suar. *c.* 9. *nu.* 6. non jurari contractum ſed ſolutionem ſeu expletionem contractus, & quidem principaliter, ideoque juramentum in ordine ad inducendam obligationem religionis circa objectum contractus non eſſe acceſſorium ſed principale. Sed dato, quòd etiam juretur contractus, verum non eſt, quòd acceſſorium ſemper ſequatur principale ſecundùm vim obligandi, ut dictum eſt p. 1. n. 315. & ratio eſt, quia acceſſorium poteſt reddere novam obligationem, quæ non tollatur, licèt irritetur contractus, irritatio enim poteſt cadere ſuper ſolum contractum, & non ſuper juramentum, quod acceſſorium erat, uti rectè Dicaſt. *à n.* 227. v. g ſi contractus ſit irritus propter vim injuſtè illatam, hoc ideo eſt, quia intervenit turpitudo inferentis vim, qualis turpitudo non eſt, ſi juramentum ſponte adjiciatur. Similiter docet Illſ. *t.* 4. *d.* 3. *n.* 233. juramentum ſequi naturam actus, tantùm in iis, quæ ſpectant ad naturam actus, non verò in illis, quæ ſunt extra; ſic ſi juraris te ſoluturum debitum ex contractu, licèt abſente juramento non tenereris ſolvere, ſi non exigeretur: oppoſitum tamen eſt, ſi juraris, quia addidiſti juramentum ad urgendam ſolutionem ex parte tua, licèt creditor non urgeat. Ita ille.

728 §. 4. Si tale juramentum ſit vi, metu aut dolo extortum, Silv. aliique 8. cum Diana *p.* 4 *t.* 4. *Reſol.* 28. *& p.* 8. *t.* 7. *Reſol.* 57. dicunt non obligare, quia leges Canonicæ ſupra citatæ addunt hanc exceptionem, niſi vi, metu aut dolo ſit factum; quam ſententiam Sanch. *cap.* 2. *num.* 8. *& cap.* 11. *num.* 19. Leſs. *cap.* 42. *num.* 19. Caſtrop. *d.* 2. *p.* 7. §. 3. *n.* 3. dicunt eſſe probabilem, ſed probabilius videtur adhuc obligare, quia *cap.* 8. *Si verò. De jurejur.* Alex. III. interrogatus de juramento per graviſſimum metum extorto, adhuc dicit eſſe ſervandum, hinc per exceptionem illam, niſi factum ſit vi, metu aut dolo, videtur tantùm ſignificari, quòd in his caſibus non ſit conſtans obligatio, eò quòd ſit juſta cauſa petendi relaxationem, aut repetendi hoc, quod per momentaneam ſolutionem fuerit datum, & ita *Cap.* 6. *de jurej.* dicitur eſſe obligationem ſolvendi uſuras, ſi quis juraverit ſe ſoluturum, quod Dicaſt. *de juram. d.* 3. *n.* 216. citans plurimos alios dicit eſſe certiſſimum; in jure tamen Canonico additur poſſe repetere, quamprimùm ſolverit, & uſurarium teneri reſtituere; atque idem eſt, ſi juraſti te aliquid daturum latroni, ut etiam docent Leſs. *n.* 51. Mol. *d.* 149. Lug. *d.* 22. *n.* 195. Onn. *n.* 74.

729 §. 5. Juramentum cadens ſupra contractum contra bonos mores, qui nempe ſine peccato obſervari non poteſt, non obligat, quia nemo poteſt ad peccatum obligari, nec juramentum eſt vinculum iniquitatis, hinc Reg. juris 58. in 6. dicit, *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum*: Unde non obligat juramentum factum contra aliud prius juramentum, ſi materia ſecundi juramenti ſit per primum facta illicita, uti cum communi Onn. *n.* 61. juramentum tamen illicitum poteſt aliquando obligare, uti dictum eſt *p.* 1. *à n.* 316.

730 §. 6. Quinam & quomodo contractus per juramentum confirmentur diverſæ ſunt opiniones, quas referunt Lugo *à n.* 205. & Onn. *à n.* 85. nam Jaſon & alii negant ullos contractus confirmari juramento: Bartol. & alii dicunt confirmari ſolos contractus validos: Leſs. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 56. dicit confirmari ſolos contractus jure naturali validos, ſi vi, metu aut dolo facti non ſint, quæ ſententia eſt valde probabilis: Addunt Suar. *c.* 29. *n.* 9. & Mol. *d.* 150. tantùm æquivalenter confirmari, quia reipſa non convaleſcunt ſed per obligationem ex virtute religionis accipiunt omnes effectus, quos haberent, ſi obligarent ex juſtitia, Azor. *l.* 11. *c.* 7. *q.* 1. dicit confirmari contractus jure civili, non tamen jure Canonico irritos; Panorm. Sanch. Sa, Lugo *n.* 206. aliique plurimi cum Onn. *n.* 96. dicunt, quod contractus non tantùm jure poſitivo, ſed etiam naturali irriti propriè confirmentur & in ſe fiant validi, non tamen omnes, uti paulò poſt dicetur.

§. 7. Juramentum non habet ex ſe, ſed tantùm ex diſpoſi- 731
tione juris poſitivi, quòd aliquando confirmet contractus, Bald. Suarez Sanchez Onn. *n.* 84. & alii; ratio eſt, quia Juramentum tantùm poteſt inducere obligationem ex virtute religionis, ergo quòd accedente juramento accedat obligatio juſtitiæ, & quòd talis contractus in foro externo habeat omnes effectus tali contractui proprios, ſicque quaſi ad vitam veniat, fit per jus poſitivum, quod propter reverentiam Dei invocati vult hoc reſtitui, & competere contractui, quod propter rationabiles vel politicas cauſas illi ſuſtulerat per leges ſuas, atque ita oſtendit jus poſitivum, quòd Dei reverentiam legibus ſuis anteponat, uti notat Onn. *n.* 58.

§. 8. Probabilius videtur omnes illos contractus confirma- 732
ri per juramentum, qui ex jure poſitivo habent, quòd ſint nulli, & ſervari poſſunt abſque peccato tam jurantis quàm illius, qui exigit juramentum. Probatur, quia ejuſmodi contractus transferunt dominium, alioquin alter non haberet juſtum titulum retinendi; deinde cauſant omnes effectus etiam civiles, qui proprii ſunt ejuſmodi contractibus, ergo cum poſſint confirmari à jure poſitivo, convenientius dicitur, quòd confirmentur, præſertim cùm hoc etiam dicat major pars Juriſtarum, & Theologorum, teſte Lugo, quorum plurimos citat Onn. *n.* 98. *Dixi*, qui ex jure poſitivo habent, quòd ſint nulli, nam ſi ex jure naturæ hoc habeant, uti contractus ebriorum aut ſimulatè facti, hi non confirmantur per juramentum, quia vi juris poſitivi ſuppleri non poteſt conſenſus; & de his verum eſt, quod juramentum ſequatur naturam actus cui apponitur, quia actus ratione juramenti non immutatur, ſed manet qualis fuit. Similiter ſi contractus erat injuſtus, quamvis juretur, manet in illo, qui injuriam fecit, obligatio reſcindendi contractum, & remittendi juramentum. E contra ſi contractus tantùm ex diſpoſitione juris poſitivi erat nullus, & accedat juramentum, jus diſponit, ut non maneat, qualis fuit, ſed ut juramentum afficiat contractum jam immutatum & validatum: hinc confirmatur contractus, quo pupillus addito juramento immobilia alienat ſine authoritate Tutoris, licèt n. 673. dixerimus, ſi abſit juramentum, contractum nequidem naturaliter obligare, quia nempe jus poſitivum vult conſenſum pupilli haberi tanquam nullum, ſi tamen accedat juramentum, idem jus in reverentiam juramenti revocat hanc ſuam diſpoſitionem, & vult, ut conſenſus illius maneat, qualis ſecundùm ſe eſt, adeoque ut ſit validus, & idem eſt de aliis ejuſmodi contractibus, quos fusè recenſet Onn. *à n.* 130. & Lugo *n.* 229. breviter adducit pleroſque.

§. 9. Illa juramenta non confirmant contractus, neque obli- 733
gant, quæ ſervari non poſſunt ſine peccato jurantis, hinc non tenent juramenta, quæ ſunt contra leges naturales Canonicas vel civiles obligantes in conſcientia, item quæ ſunt in præjudicium tertii; ſic non valet, licèt jurata à Clerico renunciatio fori Eccleſiaſtici aut privilegii Canonis; quia cedit in injuriam totius ordinis clericalis, uti nec renunciatio privilegii nobilitatis, quia eſt in injuriam familiæ & prolium: ſimiliter non valent donationes inofficioſæ, & prodigæ, licèt jurentur, ſi abſque peccato executioni dari non poſſint; nec valet quicunque contractus poſterior contra fidem prioris, quamvis poſteriori addatur juramentum, niſi hic poſterior traditione eſſet firmatus, aut eſſet de alio objecto honeſto; poſſuntque iſta videri legibus firmata apud Onn. *à n.* 62. iterumque longo ordine deducta *à n.* 125. E contra ſi contractus juratus non ſit contra bonos mores naturales, ſed tantùm civiles, id eſt, tantùm contra legem civilem non obligantem in conſcientia, tum obligat, quia res manet licita, & jus voluit reverentiam Dei per juramentum invocati præferri legi ſuæ, uti habet communis cum Onn. *n.* 76. *Nec obſtat*, quòd *l.* 7. §. 16. *ff. De pactis* dicatur, neque pactum à jure communi remotum, neque juramentum de hoc ſervari oportere, *nam* ſermo eſt de juramento rei prohibitæ per jus in conſcientia obligans; dari autem contractus prohibitos tantùm civiliter, & non naturaliter pro foro conſcientiæ, petet, ejuſmodi enim contractus ſunt, ſi uxor fidejubeat pro marito, ſi quis per teſtamentum ſine ſolemnitatibus conſtituat hæredem &c.

§. 10. Si pupillus, qui per jus poſitivum impotens eſt con- 734
trahere, etiam jurarit ſe non contracturum, & nihilominus poſtmodùm contrahat ac juret ſe non contraventurum huic contractui, Azor. Sanch. Leſſ. Bonac. Caſtrop. dicunt contractum primum, non confirmari, quia materia hujus ſecundi juramenti videtur eſſe illicita, cùm hoc juramentum opponatur priori: Sed Suar. *c.* 30. *n.* 16. Haun. Gom. Fill. Lugo, Illſ. *t.* 4. *d.* 2. *n.* 362. meliùs dicunt confirmari, nam non juraverat ſe non ſtaturum contractu perjurè inito, ſed tantùm juraverat non contrahere, ergo ſtare contractu perjurè inito (quod ſolùm

jurat

jurat per ſecundum juramentum) manet objectum ipſi licitum, & honeſtum; ergo licèt contractus ipſumque ſecundum juramentum fuerit illicitum, hoc tamen ſecundum juramentum eſt validum & conſequenter retinet vim firmandi contractum. Ad rationem in contrarium, Reſp. Secundum juramentum non opponi priori in materia jurata, ſed tantùm in actu jurandi, nam non habet pro objecto contractum ponendum, quem per prius juramentum reddiderat ſibi illicitum, ſed non revocationem contractus, quæ licita manet.

735 §.11. Contractus, qui primariò prohibentur propter publicam utilitatem, non confirmantur juramento, quia non poſſunt ſervari ſine peccato, è contra qui primariò prohibentur tantùm propter privatam contrahentis utilitatem, ſæpè confirmantur, quia contrahens ſæpè poteſt ſine peccato hunc favorem negligere, Lugo *àn.*227. Limitat Caſtrop. *de juram. d.*2. *p.*13.§.6. niſi hoc redundaret in damnum publicum.

736 §.12. Contractus qui ſervari non poſſunt ſine turpitudine obligantis, id eſt, ſine peccato illius, qui juramentum exigit, non confirmantur per juramentum, tum quia jus non vult favere turpitudini exigentis, ne det occaſionem peccandi, tum maximè quia exigens tenetur ex juſtitia non exigere tale juramentum, & ſi exigat, compenſare damna, ergo non acquirit jus per talem contractum, Lugo *num.*230. Onn.*n.*129. Et de hac turpitudine exigentis, item de ingratitudine illius, in cujus favorem juramentum eſſet factum plura videri poſſunt apud Lugo *à num.*231. *Nec obſtat*, quòd latro poſſit remittere vel non remittere obligationem illam jurantis, *nam* non ideo dici debet acquiſiviſſe jus, uti dicetur *n.*744.

737 §.13. Ut juramentum confirmet contractum, debet fieri homini, & ab eo acceptari veluti pro ſecuritate contractus, alioquin ſemper revocari poterit pro arbitrio jurantis, Sanc. *de matrim. l.*1. *d.*7. *n.*24. Lugo *n.*196. item *d.*23. *n.*50. *&* 86. Leſſ. *n.*52. Onn. *num.*53. dans rationem *d.*29. *n.*48. quia tale juramentum imbibit hanc conditionem, ſi alter acceptarit. E contra ſi juramentum factum eſſet Deo, uti ſi Deo juraſſes te daturum Petro 100. obligareris ex religione, quamvis Petrus nihil ſciret de tuo juramento: idem tenet Dicaſt. *de juſtit. l.*2. *t.*4. *num.*79. ſi juramentum fiat homini de re pia in honorem Dei, dicit enim tum habere rationem voti: addit *num*107. quando dubitatur, an voluerit promittere homini an Deo, præſumendum eſſe, quòd voluerit Deo, quia communiter accidit, ut promittens cauſæ piæ, dirigat intentionem ad Deum: eſtque hæc differentia inter promiſſionem vel juramentum Deo, & homini factum, quòd Deo factum imitetur naturam voti, hinc ſi fit de re indifferente, vel de re bona, ſed ob finem indifferentem, non obligat, Deus enim non curat indifferentia ſed tantùm honeſta; è contra factum homini obligat, quamvis ſit de re indifferente & minùs bona, quia homo non ſemper vult meliora, ſed ſibi utilia vel commoda; inde etiam ſequitur, quòd juramentum Deo factum poſſit in melius mutari, non item factum homini, quia homo, cui juratum eſt, poteſt velle hoc in ſpecie, quod juratum eſt, quamvis non ſit quid melius, & juramentum obligat ſecundùm voluntatem illius, in cujus gratiam juratur.

738 §.14. Illa juramenta obligant jurantem, ſed non firmant contractum, quæ ſine peccato impleri poſſunt à jurante, ex parte tamen exigentis continent turpitudinem, uti conſtat ex dictis: tales contractus ſunt de ſolvendis uſuris, de pecuniis dandis latroni, de ſolvendo debito injuſtè petito, &c. de quibus plura Onn. *àn.*129.

739 §.15. Quamvis contractus nudi nullam pariant obligationem civilem, tamen ſi jurentur, veſtiuntur, & pariunt etiam pro foro externo obligationem, uti cum communiore Covar. Pan. Lugo *d.*22. *n.*204. aliique contra Bart. & multos Juriſtas: ſimiliter quamvis in contractibus innominatis detur pœnitentia ſaltem pro foro externo, hæc tamen non datur, ſi juramento firmentur, &c. quæ omnia legibus & Authoribus firmat Onn. *n.*39. & iterùm *àn.*130. Deinde quamvis promiſſio rei incertæ de ſe non valeat, uti dictum eſt *n.*699. tamen ſi ſit jurata, valet, & jus vult propter reverentiam juramenti, ut materia incerta arbitrio boni viri determinetur, ut poſt Gutt. & alios Onn. *n.*118. Præterea quamvis contractui de jure communi non debeatur executio parata, hæc tamen debetur, ſi additum ſit juramentum, Bart. Gutt. Onn. *n.*120. Denique quamvis ſecundùm regulam communem juris, *pacta noviſſima prævaleant prioribus*, *l.*12. *Cod. de pactis*, *l.*27.§.2. *ff. de pactis*, ſi tamen pactum aliquod priùs fuerit juratum, prævalet poſteriori, Onn. *n.*121. *& alii.*

740 §.16. Si jurans ſit impubes, obligatur juramento; ſed non confirmatur contractus, uti probabiliùs tenent Bald. aliique cum Sanch. & Lugo *num.*214. jus enim poſitivum agens de confirmatione per juramentum, tantùm loquitur de juramentis puberum, uti patet legibus hactenus citatis: ſi tamen impubes fecit contractum, & pubes factus illum juret, confirmatur juramento, uti iidem AA. tenent.

741 §.17. Quando contractus juramento non confirmatur, etiamſi juramentum obliget, juſtè petitur ejus relaxatio, uti habetur Cap. 1. 6. & 8. *de jurejur.* tum enim ex parte exigentis eſt turpitudo, quia, v.g. exigit uſuras, hinc eſt juſta cauſa relaxandi, ne vel ipſe ex ſua malitia habeat commodum, aut innocens incommodum, Mol. *d.*49. Suar. *de juram. lib.*2. *cap.*25. Sanch. *l.*3. *cap.*12. *n.*59. Lugo *n.*192. Onn. *n.*139.

§.18. Epiſcopus poteſt relaxare juramentum, quod non 742
firmat contractum, quia habet juriſdictionem ordinariam in omnia, quæ non ſunt propria Papæ: neque tum eſt in præjudicium tertii, cùm alter nullum jus acquiſierit, ſed eſt favor juranti; imò ſæpè etiam exigenti juramentum, ut ulteriùs exigendo non peccet, Leſſ. *n.*51. Onn. *n.*148. Addunt cum aliis Mol. *d.*149. & Tamb. *in Dec. l.*3. *c.*3. §.5. *n.*3. etiam poteſtate ſæculari poſſe relaxari juramenta per injuriam extorta, ſi bono civili præjudicent, quam opinionem Onn. *num.*153. vocat probabilem, quamvis *n.*154. teneat oppoſitam, eò quòd relaxatio juramenti ſpectet ad materiam religionis, in quam ſæculares ſe ingerere non poſſunt: Lugo tamen *n.*238. rectè docet poteſtatem ſæcularem id poſſe indirectè, ſicuti enim privatus, cui juraſti, poteſt te liberare juramento, nolendo à te impleri, ita poterit Superior habens poteſtatem in voluntatem talis privati, nomine hujus remittere tibi eam obligationem.

§.19. Relaxatio hujus juramenti ſpectat ad Epiſcopum ju- 743
rantis, quando petitur pro foro conſcientiæ, vel ſolùm ad aliquid, ad quod non requiritur citatio alterius partis: è contra ſi petatur ad aliquid, ad quod requiritur citatio alterius partis, relaxatio ejus ſpectat ad Epiſcopum illius, cui juratum eſt, qui ſolus poteſt hunc citare, ita cum aliis Lugo *àn.*241.

§.20. Juramentum poteſt relaxari à creditore, ſive juſtè 744
ſive injuſtè illud exegerit, uti dictum eſt *p.*1. *num.*358. eſt enim factum & Deus acceptavit tantùm in favorem ipſius, & quaſi ſub conditione, ſi ipſe voluerit, ergo ſi hic cedat favore ſuo, ceſſat conſequenter obligatio juramenti, quæ erat veluti acceſſoria, Onn. *num.*60. & iterùm *à num.*149. Quòd ſi aliquis principaliter ob honorem Dei jurarit alicui Monaſterio dare, v.g. 100. aureos, Suar. *cap.*39. *n.*8. dicit Monaſterium non poſſe remittere juramentum, quamvis poſſet aureos ſolutos ſtatim reddere, quia Deo eſt jus acquiſitum, & hoc eſt conformius dictis *n.*737. E contra Sanch. *de Matr. l.*1. *d.*52. *& in Dec. l.*3. *c.*20. *n.*7. Tamb. *c.*7. §.2. dicunt poſſe remittere, quod Gob. *t.*11. *n.*50. dicit eſſe practicè tutum, quia licèt principaliter factum ſit ad honorem Dei, tamen videtur habuiſſe reſpectum ad voluntatem Monaſterii, à quo ſi recuſaretur, cenſetur noluiſſe ſe obligare.

§.21. Si juramentum non confirmaverit contractum, ob- 745
tenta relaxatione juramenti ceſſat omnis obligatio, quia non erat niſi ſolius religionis, ergo hac ſublata, nulla manet, Lugo *n.*189. Onn. *n.*40. cum communi.

§. 22. Si contractus confirmetur juramento, relaxatio 746
juramenti peti non debet, quia eſt jus acquiſitum alteri; & quamvis obtineretur talis relaxatio, probabilius eſt manſuram obligationem Juſtitiæ ad ſervandum contractum, Leſs. *n.*50. Lugo *n.*190. ratio eſt, quia contractus per juramentum eſt validatus, ergo vi contractus ſic jurati eſt jam tertio acquiſitum jus ſtrictum, quod non extinguitur, licèt fortè tollatur vinculum religionis, uti etiam cum communi Onn. *n.*40. imò verius eſt quòd quando altera pars eſt invita, etiam injuſtè tollatur hoc vinculum religionis, quia ex conſenſu partium eſt inductum, & majorem ſecuritatem addebat contractui; neque Superiores Eccleſiaſtici habent poteſtatem relaxandi talia vincula in præjudicium vel damnum tertii, uti cum communi Onn. *n.*41. & in certis tantùm caſibus extraordinariis, inquit Lugo *d.*23. *n.*94. habet Papa poteſtatem cogendi fideles ad cedendum jure ſuo. *Nec obſtat*, quòd confirmatio contractus in fieri pendeat à juramento, *nam* non ideo pendet in conſervari, uti patet etiam in cauſis phyſicis, à quibus pendet effectus in fieri, non tamen in conſervari; & idem eſt in moralibus, ſic enim obligatio contractus oneroſi pendet in fieri à conſenſu utriuſque, non tamen in conſervari: licèt enim unum pœniteat, manet tamen obligatio, quod etiam videtur innuere *Reg.*73. *De reg. juris in 6. Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſteà veniat, à quo non potuit inchoari*: Et ita docent Suar. Molin. Leſs. aliique cum Onn. *n.*64. & iterùm *n.*142. quamvis Suar. & Onn. *n.*42. fateantur opinionem contrariam eſſe probabilem, nempe ſublato juramento talem contractum manere irritum, eò quod res per eaſdem cauſas diſſolvatur, per quas naſcitur; opinio tamen altera manet probabilior; ex qua duo ſequuntur, in primis repeti non poſſe hoc, quod ſolutum eſt ex contractu per juramentum confirmato, uti cum communi Suar. *cap.*25. *n.*9. Sanch. *c.*12. *n.*61. aliique plurimi cum Onn. *n.*43. Deinde ſequitur jus & obligationem, quæ oriuntur ex contractu per juramentum confirmato, tranſire ad hæredes, uti cum S. Th. & aliis tenent Lugo *n.*193. & Onn. *n.*46. è contra jus vel obligatio, quæ præciſè ex juramento naſcitur, non tranſit ad hæredes, ſed eſt perſonalis, & obligat illam tantùm perſonam, quæ jurat. Vide Lugo *d.*23. *n.*98.

§.23. Jus Canonicum poteſt antecedenter irritare juramen- 747
tum,

tum, ſic enim Trid. *ſeſſ.25.cap.16.de Regul.* ſtatuit, ut nulla renunciatio vel obligatio etiam jurata valeat, niſi facta cum licentia Epiſcopi aut ejus Vicarii intrà duos menſes proximos ante profeſſionem, quamvis profeſsurus etiam addito juramento huic favori renunciaſset: & patet, quòd tum per tale juramentum nec confirmari poſſit contractus, nec ulla obligatio induci. Solùm dubitatur, an jus civile vel Princeps ſæcularis etiam hoc poſſit, antecedenter irritando actum jurantis; & aliqui apud Lugo *d.22.à n.*243. univerſaliter id negant, quia juramentum eſt vinculum ſpirituale ſpectans ad religionem: Alii univerſaliter affirmant, quia voluntates ſubditorum ſunt ſubjectæ poteſtati etiam ſæculari, ubi bonum commune ita poſtulat. Sanch. dicit hoc poſſe indirectè, nempe antecedenter irritando contractum, ſuper quem caderet juramentum, ita ut non ſit naſcitura obligatio neque Juſtitiæ neque religionis; è contra Suarez, Barb. aliique probabilius dicunt, quamvis in hoc caſu non naſceretur obligatio Juſtitiæ, tamen naſcituram obligationem religionis, uti fit quando juratur contractus, qui ab initio eſt & manet irritus, poteſt tamen licitè impleri. Addit rectè Lugo *n.* 246. poteſtatem ſæcularem etiam ſic poſſe impedire, ſi antecedenter ſub culpa prohibeat contractum, quia nempe communiter nocet bono publico, ſic enim materia juramenti fiet illicita, ergo nequidem ex religione poterit eſſe obligatio implendi juramentum de illa. Denique putat Caſtrop. *de jur.d.2.p.13.num.2.* etiam hoc poſſe, ſi jurantem reddat incapacem juramenti, ſed non apparet quomodo poſſit reddere incapacem, cùm hoc ſpectet ad forum ſpirituale animæ.

748 §.24. Juramentum poſſet eſſe, vel de implendo, vel de perſeverando in contractu, vel de non petenda relaxatione juramenti: Juramentum de implendo contractu includit juramentum de perſeverando in contractu, qui enim ſincerè jurat implere, jurat implere in tempore, pro quo jurat, ergo jurat non revocare ſed perſeverare in contractu pro eo tempore. Addit Onn. *num.*24. cum, qui jurat implere, etiam videri ſaltem communiter jurare, quòd nolit petere relaxationem juramenti, ea enim intentione petitur vel acceptatur juramentum ab alterò, ut jurans aſtringatur ad implendum, ergo ut non poſſit declinare obligationem adimplendi, & conſequenter etiam ut non poſſit petere relaxationem; hoc tamen pendet ab intentione jurantis & circumſtantia cauſarum, quæ ſupervenire poſſunt, ut jam dicetur.

749 §.25. Juramentum de non petenda relaxatione obligat, quia poteſt ſervari ſine peccato, ergo debet: valetque hoc ſecundùm Suar. *c.25.n.11.& c.29.* Sanch. *c.9.n.*20.21. *&* 65. Leſs. *c.26. num.*27. Onn. *num.*156. quamvis alter per injuriam extorſiſſet, quia reverentia juramenti principaliter reſpicit Deum, qui injuriam non intulit; hoc tamen juramentum meritò relaxari poteſt à Superiore, etiam non petente illo, qui juravit, uti deciditur Cap. *Pervenit*, 2. *de jurejur.* Quòd ſi etiam juſta cauſa eſſet petendi relaxationem, eò quòd in detrimentum vergeret obligari juramento, utique peti poſſet; & hoc eſt quod vult communis ſententia cum Sanch. *in Dec.lib.*4.*c.*8.*n.*21. & Dian. *p.*11. *tr.*2. *R.*35. quæ dicit juramentum de non petenda relaxatione juramenti non obligare.

750 §.26. Si contractus juramento non confirmetur, uti fit dum quis jurat ſe ſoluturum uſuras, ſi mens jurantis fuerit, quòd nollet repetere uſuras nec relaxationem juramenti, ſtare debet contractu & ſibi imputare, quòd laqueum ſibi injecerit; aliud eſt ſi tantùm intenderit ſatisfacere momentanea ſolutione, reſervato ſibi jure repetendi uſuras, vel ſaltem petendi relaxationem à juramento, quod præſumendum eſt, niſi aliud conſtet, Onn. *n.*45.

751 Quid dicendum ſit in variis dubiis circa juramenta, videri poſſunt dicta *p.*1. *à n.*37.

Obj. Reg.18. juris in 6. ſic habet, *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit.* Item *Reg.*29. *ff. de Reg. juris* dicitur, *Quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis convaleſcere*, probatque hoc multis Onn. *d.*19. *ſ.*5. ergo contractus, qui nulli ſunt, nunquam poſſunt per juramentum confirmari. R. Senſus legum iſtarum eſt, quòd diſpoſitio, quæ ab initio eſt irrita, ſolo tractu temporis non fiat valida, niſi aliquid aliunde accedat, quo convaleſcat, v.g. renovatio conſenſus: in noſtra autem materia N. ſuppoſitum conſequentis, nempe quòd contractus, qui per juramentum confirmatur, unquam fuerint irriti, nam juramentum non tollit nullitatem ſed eam antevertit, impediens ne oriatur, uti dictum eſt *n.*732.

752 *Inſt.*1.*l.Non dubium. Cod. de legibus.* Imperator dicit contractus à lege irritos, neque juramenti acceſſione convaleſcere. R. Ant. Perez aliique dicunt legem illam eſſe correctam per *Authent.* Friderici, *Sacramenta puberum.* Poteſt etiam dici cum Sanch. *l.*3.*c.*12.*n.*30. intelligi de illis contractibus, qui principaliter ob bonum commune prohibentur, ideoque ſunt illiciti, uti eſt Matrimonium non ſervatis à jure requiſitis.

753 *Inſt.*2. Sic eluditur intentio & finis legum, nam contractus, quos leges faciunt irritos, poterit quiſque ſtatim facere validos, addendo juramentum, ſicque non erit proviſum, v.g. pupillis, facilè enim poterunt adduci, ut adjiciant juramentum. Reſp. Hoc non obſtante jus vult valere ob reverentiam Dei invocati; quòd ſi quis patiatur damnum, ſibi imputet. Deinde ſæpè non confirmantur contractus, quia communiter eſt turpitudo ſaltem ex parte exigentis: præterea per relaxationem & reſtitutionem in integrum adhuc datur locus obviandi incommodis.

*Inſt.*3. Ergo contractus per legem irritus etiam per hoc 754
fiet firmus, quòd quis ſupra addat promiſſionem non contraveniendi illi contractui. Reſp. N. ſeq. quia hæc reflexa promiſſio non adderet obligationem niſi juſtitiæ per ipſum contractum intentæ, hanc autem irritabat lex, & quandocunque lex irritat aliquem contractum, hoc ipſo irritat reflexam promiſſionem non contraveniendi illi, uti rectè Illſ. *t.*4.*d.*2.*num.*262. è contra ſi addatur juramentum, accedit alia inſuper obligatio religionis, quam lex non irritat ſed reveretur.

*Q.*112. *Quomodo finiantur contractus?* R. Generaliter fi- 755
niuntur ſublato ſaltem uno contrahentium & non ſuccedente alio: item interitu rei, de qua erat conventum, de quibus videri poteſt Onn. *d.*21.*ſ.*11. Specialiter autem *Juſtinianus Inſtit. Quibus modis tollitur obligatio*, dicit obligationem, ideoque & contractum finiri 4. præcipuè modis, ſolutione, acceptilatione, novatione & conſenſu partium: qui modi dici poſſunt diſtractus ſeu diſſolutiones contractus. Addit multos alios modos Onn. *n.*7. qui tamen ad hos facilè revocantur, nam ad interitum rei revocatur præſcriptio, de qua diximus *à n.*468. cùm enim transferat dominium in alterum, facit rem moraliter interire domino. Similiter quia per confuſionem vel mixtionem amittitur rei dominium, uti dictum eſt *à n.*234. res etiam cenſetur moraliter perire, quamvis ſuboriri poſſit nova obligatio, unde confuſio etiam reduci poſſet ad renovationem. De quatuor modis finiendi contractum à Juſtiniano aſſignatis notanda ſunt *ſeqq.*

§.1. Solutio eſt extinctio obligationis, per impletionem de- 756
biti in ſpecie, debitum enim poteſt extingui diverſimodè, v.g. condonatione patris, permutatione in aliud debitum, ſed non eſt ſolutio, niſi præſtetur in ſpecie hoc, de quo contractum eſt, hinc ſi debeas 100. aureos, & fluxu temporis contra hoc debitum præſcribas, extinguis debitum, non eſt tamen ſolutio. Porrò de ſolutione hæc ſunt jure recepta. 1. Eam non valere, niſi fiat creditori vel perſonæ ab illo aut à jure loco ipſius aſſignatæ. An autem valeat facta creditori creditoris, dictum eſt *à num.*453.2. Cenſetur ſolviſſe, qui ſolutionem nolenti creditori obtulit & depoſuit. 3. Ordinariè poteſt anticipari ſolutio, quando enim terminus eſt appoſitus, & dubitatur in cujus favorem, in dubio præſumitur pro debitore, *l.*70.*ff. de ſolutionibus.* 4. Si plura ſint debita, debitoris eſt determinare, pro quo extinguendo ſit hæc ſolutio; quòd ſi non determinet ipſe, poterit determinare creditor, ſed ſemper cenſebitur facta ad extinguendam obligationem duriorem, id eſt, illam, quæ magis onoroſa eſt. 5. Creditor cogi non poteſt ad mutandam ſpeciem, quia hoc eſſet cogere ad novum contractum permutationis: hinc ſi debeam 100. aureos & tria maldera tritici, non poſſum cogere creditorem, ut admittat triticum pro debito aureorum, ſed per triticum ſatisfacere debeo debito tritici, per aureos debito aureorum; de quibus omnibus videri poteſt Onn. *d.*9. *à n.*320. & pluribus *d.*21.*ſ.*2. *& ſeqq.* Si autem aliquid indebitum ſit ſolutum, quomodo competat repetitio, examinat *ſ.*6. Et circa hoc habetur *in ff. & Cod. titulo de condictione indebiti.*

§.2. Acceptilatio eſt imaginaria ſolutio, inquit *Juſtinia-* 757
nus Inſtit. ut ſuprà, eſt enim acceptatio non ſoluti quaſi pro ſoluto, ſive eſt voluntas habendi pro accepto, quod tamen non eſt acceptum, ut ſi tibi debeam 100. & dicam, viſne illos 100. quos tibi debeo, habere acceptos, id eſt, quaſi illos acceperiſſes? & tu dicas, volo, habeo acceptos: hoc ipſo implevi obligationem, & finitus eſt contractus. Videri poteſt *tit. ff. de acceptilatione*, & Onn. *d.*21.*ſ.*7.

§.3. Novatio eſt prioris debiti in aliam obligationem vel 758
civilem vel naturalem transfuſio atque translatio, L.1. *ff. de novationibus*, ſic ſi debitum ſolvendi pretium pro frumento empto permutes in debitum laborandi pro venditore, eſt novatio qua finitur prior contractus emptionis, & ſuccedit nova obligatio laboris conducti, de quo videri poteſt Onn. *ſ.*9. Huc reducuntur Compenſatio, de qua dictum eſt *num.*455. item Delegatio, quæ eſt translatio debiti in aliam perſonam, de qua etiam diximus *n.*463.

§.4. Quomodo conſenſu partium finiatur contractus, in- 759
telligitur ex dictis *à n.*607. ubi egimus de conſenſu ad contractum requiſito. Ad hunc modum finiendi contractum ſpectant revocatio, condonatio, ſententia Judicis, compromiſſum, tranſactio. De revocatione conſenſus fusè agit Onn. *tota d.*10 poſſuntque etiam videri Sanch. *de Matrim.l.*2.*d.*37.*num.*7. & Lugo *in reſp. mor. l.*3. *d.*16. ſed nihil ſpecialiter notandum occurrit, quæ enim ſpectant ad revocationem promiſſionis vel donationis, dicentur ad dub. ſequens, quæ autem ſpectant ad

jus

jus reſcindendi contractum, ſatis intelliguntur ex hactenus dictis, & ſpecialiter an reſcindi poſſit, ſi fuerit deceptio ad dimidium, dictum eſt *num.*624. *&* 726. De condonatione actum eſt *à n.*455. Tum autem finitur contractus per ſententiam Judicis, ſi per aliquem, non electum à contrahentibus, ſed poteſtate publica conſtitutum, *in* quem ideo conſentire tenentur, imponatur finis contractui: quòd ſi finiatur judicio arbitri, quem ipſimet contrahentes elegerint, erit compromiſſum: ſi extrajudiciali conventione ipſorummet contrahentium, erit tranſactio, de qua *n.*469. *&* 629. aliqua ſunt dicta, pluribus enim de his agere ſpectat ad materiam de judiciis.

760 §.5. Rectè notat Dicaſt. *de juſt. l.*2.*t.*3.*nu.*379. ſæpè, dum contractus prior finitur, fieri novum ſimilem contractum, v.g. ſi tibi vendidi modium ſalis, & tu mihi perſolviſti pretium, non poteſt hic contractus diſſolvi niſi per novam venditionem, qua mihi trades ſalem, & ego tibi pretium; quod notari debet propter gabellas ſæpè toties ſolvendas, quoties tale aliquid venditur aut emitur.

761 §.6. Denique notandum, ſi contractus finiatur ſententia Judicis, hunc debere eſſe talem, qui habeat poteſtatem in voluntatem utriuſque contrahentis, qui citet partes, & utriuſque jura exquirat, uti omnes notant.

DUBIUM II.

762 *Quid in ſpecie de promiſſione, & donatione.*

„ RESP. Quæ huc ſpectant, facilè colliguntur ex dictis ſuprà *de Voto lib.*3.*tr.*2. *c.*3. Ex quibus, & doctrina „ præcedentis dubii reſolvitur:

„ I. Promiſſio acceptata à promiſſario, ſi materia ſit notabilis, an ſub mortali obliget ſecundùm ſe ſpectata, non convenit inter Doctores, Caj. negat, quem ſequitur Merat. *to.*2. *de juſt. d.*19. *ſ.*10. Alii (fortè probabiliùs) affirmant cum Vaſq. 1. *p. d.*85. *c.*6. *n.*4. Fill. Mald. &c. *Dixi ſecundùm ſe*, quia certum eſt, quòd per accidens poſſit obligare ſub mortali, v.g. ratione gravis damni, quod aliàs promiſſarius pateretur: ut ſi promiſiſſes ei dare mutuum, & ille tibi confiſus, aliunde ſibi non proſpexiſſet. Vide Leſs. *l* 2. *c.*18. *n.*59.

„ II. Tota hæc obligatio communiter dependet ab intentione promittentis: Circa quod notat *Sa*, vix quemquam promittentium intendere ſe obligare, aut alteri dare jus exigendi, niſi addat juramentum aut faciat inſtrumentum; ſed plerumque tantùm intendere declarare ſuum propoſitum. V. Eſcob. *t.*3. *E.*5. *c.*6 & Mol. *to.*2. *d.*262. *num.*8. Hinc ut in foro externo cenſeatur valida promiſſio, requiritur præter acceptationem, ut exprimatur cauſa, propter quam promittitur; alioqui præſumitur errore vel joco facta, Trul. *to.*2. *l.*7. *c.*16. *d.*6. ex Cov. & Vill.

„ III. Donare non poſſunt, 1. carentes uſu rationis. 2. Muti & ſurdi nati: ſecùs, ſi tantùm ſint ſurdi, vel muti, vel licèt utrumque, ſi norint ſcribere. 3. Senes deliri, ſive bis pueri; ſecus ſi ſint judicio vegeto. 4. Pupilli vel impuberes, (niſi ad pias cauſas::) donationes tamen eorum in foro conſcientiæ ſunt validæ, vid. infrà *c.*4. *d.*1. 5. Damnatus criminis capitalis. V. Dian. *p.*8. *t.*6. *R.*3.

„ IV. Qui præſunt Civitatibus, Univerſitatibus, Rebuſpub. &c. non poſſunt facere donationes, niſi remuneratorias, vel in eleemoſynas, Sanch. Dian. *R.*16. Imò ſi Reges, & Principes nimis ſint profuſi in donationibus, in præjudicium regni, vel ſtatus, (præſertim ſi debitis gravati, iis ſatisfacere non poſſint, vel ſubditi nimiùm graventur exactionibus) poſſunt eæ revocari à ſucceſſore, Bart. Lugo *diſp.*23. *n.*148. *&c.* cum Dian. *R.*18. *&* 123.

„ V. Donatio patris filio facta ſtudiorum cauſa eſt valida, neque filius tenetur computare in legitimam, tum quia fuit loco alimentorum; tum quia ſi detrahatur, jam non fuit donatio, contra hypotheſin, Vvading. *&* 6. *alii* cum Dian. *R.*23. *&* 92. Sed Trull. limitat, niſi conſtet contrariam intentionem patris fuiſſe: Quòd ſi tamen de ea non conſtet, præſumendum eſſe de pietate patris; ideoque tales expenſas ordinariè poſt mortem patris non venire in collationem bonorum, nec debere conferri in commune, niſi pater proteſtatus fuerit ſe velle in legitimam computari. Ita etiam Vvadin. ex *l. Si pater* 2. *ff. familiæ erciſc.*

„ VI. Si pater officium filio emit, debet pretium computari in diviſione cum fratribus; non autem ſi illud gratis à Principe obtinuit, uti nec, quæ filio intuitu meritorum patris ſunt donata, quia ſunt quaſi caſtrenſia, Mol. *to.*1. *tr*2. *d.*238. *& to.*2. *d.*291. *n.*2. Fag. Dian. *R.*127. *&* 128.

„ VII. Donatio ante acceptationem, non parit obligationem, nequidem naturalem: poteſtque revocari, etiamſi voluerit abſolutè obligare: præſenti autem & tacenti facta, cenſetur ab eo acceptata; quia in favorabilibus habetur pro conſenſu, Mol. *to.*2. *d.*263. *&* 264. *n.*4. *& ſeqq. & alii* 18. Dian. *p.*8. *tr.*7. *R.*98. *&* 108. *& p.*3. *tr.*5. *R.*116. pro altero verò nemo poteſt acceptare ſine ſpeciali commiſſione, niſi donatio fiat Eccleſiæ, vel cauſæ piæ; nam hanc ſine acceptatione valere, & irrevocabilem eſſe, eſt probabile, Laym. Dian. *R.*106. *& p.*3. *t.*5. *R.*107. Multis tamen caſibus, dummodò verba dirigantur in præſentem, poteſt pater, vel mater pro filio, etiam emancipato, tutor pro pupillo, curator pro Minoribus, filius-familias pro patre, ſervus pro domino, monachus pro Monaſterio; imò etiam ſecundùm multos, quicunque alterius curam gerit, ut Prælatus pro Religioſo, maritus pro uxore, dominus pro ſervo, &c. ſtipulari. Denique idem jura permittunt Judicibus & Notariis publicis, Sanch. Mol. *l.c.* Trul. &c. Dian. *p.*8. *t.*6. *R.*97.

„ VIII. Etſi acceptes donationem verbalem, qua tibi Cajus v.g. dat equum abſentem, non acquiris jus in re & dominium equi ante traditionem: Unde ſi interea Cajus det aut vendat eum alteri, eique tradat, is dominium acquirit; tu autem habes actionem in Cajum pro injuria ratione juris, quod habebas ad rem: Ac ſic donatio purè verbalis ante realem, hoc eſt, rei traditionem, vix differt à promiſſione, ut Leſs. *l.*2. *cap.*18. *n.*11. *&* 12.

„ IX. Donatio, uti & remiſſio debitorum liquidorum una vice, & uno animi motu, uni aut pluribus facta, ultra ſummã 500. ſolidorum; (quæ ſumma hodie ad 700. vel ſecundùm quoſdam ad 800. aureos Italicos excurrit, ut ex Claro &c. notat Laym. *l.*3. *t.*4. *c.*12. *n.*15.) non tenet quoad hunc exceſſum, ſed lege ita ſtatuente ob commune bonum, poteſt à donatore pro arbitrio repeti. Excipe, niſi Judici donatio ea inſinuata ſit, aut juramento firmata, aut facta ad pias cauſas, aut ad redemptionem captivorum, aut ad reparationem ædium incendio vel ruina deſtructarum, aut ſit remuneratoria beneficiorum, aut fiat in renuntiationem jurium, ſaltem ſperatorum, vel denique fiat militibus à belli duce, ex bonis propriis mobilibus, vel hoſtium ſpoliis. V. Leſs. *n.*102. Laym. *n.*15. Tann. *d.*6. *de juſt. qu.*2. *dub.*2. *n.*15. ex Mol. *to.*2. *d.*297. Claro, Rebello, &c. Quare ſi tunc repetatur, quod abſque iis conditionibus, vel ultra dictam ſummam datum eſt, tenetur donatarius reddere ipſi, aut hæredibus repetentibus: ſi non repetatur, poteſt retinere. *V. Auth. citat.*

„ X. Si donationi apponatur modus, tacitè vel expreſsè, non quidem obligando, ſed tantùm deſiderando, ſperando, &c. aliquid alterum facturum, vel animo eum ad hoc inflectendi, valet donatio, etſi finis non ſequatur: ut v.g. dat aliquis puellæ ad ejus conſenſum eliciendum, ſi poſteà non conſentiat, non tenetur datum reddere: nam etſi non dediſſet, ſi ſciviſſet eam ſibi non conſenſuram, tamen dedit abſolutè ſine obligatione alia, ut ponitur. Secus eſſet, ſi verè intendiſſet eam obligare, & hac conditione dediſſet. Leſs. *d.*16. *&* 17.

„ XI. In ſimilibus donationibus allectivis, poteſt aliquis, v.g. prædicta puella acceptare, etſi non intendat præſtare, quod donator ſperat; cùm donatio ſit abſoluta, animo alliciendi, non obligandi. Unde, ſi ſpe fruſtratus repetat, dicens ſe non dediſſe, niſi ſub tali obligatione, non tenetur puella credere, quia eò ipſo, quòd donator non expreſſit conditionem, præſumitur ſine ea dediſſe, & repetere, vel animo vindictæ, vel ut conſenſum extorqueat, Leſſ. *loc. cit.* Dian. *p.*1. *t.*2. *miſc. R.*48.

„ XII. Non tenet donatio ob cauſam præteritam, vel præſentem, quæ verè non eſt, ut v.g. ſi dem tibi aliquid, quia apud Principem meam cauſam tranſegiſti; vel quia pauper es, & reverà non ita eſt, teneris reſtituere, cùm ſit error in formali cauſa, & principali. Unde qui mentiuntur ſe pauperes, cùm non ſint, debent aliis pauperibus eleemoſynas reſtituere. Aliud eſt, ſi error ſit tantùm in cauſa ſecundaria, ut v.g. ſi verè ſint pauperes, & ſimulent inſuper ſanctitatem, ad hominum miſericordiam provocandam: quia tunc primaria intentio dantium eſt, dare pauperi. Bonac. Leſſ. *d.*17. V. Dian. *p.*8. *t.*6. *R.*89.

ADDENDA.

763 QUÆST. 113. *Quid ſit promiſſio?* R. Ex S. Th. 2.2. *q.*88. *a.*1. definitur propoſitum voluntatis quo quis ſe alteri obligat ad aliquid faciendum vel non faciendum, ſive eſt contractus gratuitus, quo homo ſe homini ex juſtitia obligat ad aliquid. Dicitur 1. *Contractus gratuitus*, quia ſi fieret cum onere viciſſim præſtando ab altero, acciperet rationem alterius contractus utrinque oneroſi, v.g. venditionis, locationis, aut ſaltem innominati, & ſic non eſſet ſpecialis contractus, ſimilis enim promiſſio includitur in omni contractu. 2. *Quo homo ſe homini &c.* nam loquitur de promiſſionibus inter homines: Quòd ſi homo promittat Deo, erit votum, quò obligabitur ex Religione. 3. *Ex juſtitia*, quia omnis contractus cauſat obligationem juſtitiæ, ſine qua erit tantùm propoſitum, vel pactum. Videri poteſt Carden. *in 1. criſi d.*69 *cap.*2. ubi rectè oſtendit ad promiſſionem requiri aliquam obligationem.

764 *Q.*114. *Quænam ſit diſtinctio inter propoſitum, pactum & pro-*

& promiſſionem, prout contractus eſt? Reſp. De diſtinctione propoſiti à promiſſione, dictum eſt *p.1.n.362.* ſed omnia magis patebunt in hoc exemplo. Si quis dicat, *dabo tibi cras equum*, poteſt diverſimodè ſe habere, nam 1. poteſt tantùm velle affirmare id, quod ipſe putat cras eſſe futurum, nempè cras futurum eſſe, ut det equum, ſive nunc habeat voluntatem dandi ſive non; & ſic nequidem eſt propoſitum, quia non eſt actus voluntatis diſponentis, ſed ſolius intellectus enunciantis, eſtque tantùm propoſitio de futuro contingente. 2. Poteſt velle indicare, ſe nunc habere voluntatem cras dandi, ſive cras in ea voluntate ſit perſeveraturus ſive non, quorum neutrum determinatè intendat; & ſic necdum eſt promiſſio, neque perfectum propoſitum, ſed tantùm ſimplex affirmatio præſentis intentionis dandi. 3. Poteſt velle indicare ſe non tantum habere nunc voluntatem cras dandi ſed etiam ſe velle perſeverare in illa, & ſic eſt propoſitum; necdum tamen eſt pactum, quia deeſt alterius conſenſus ſeu acceptatio; taliſque promiſſio ante acceptationem vocatur à Juriſtis Pollicitatio. 4. Poteſt inſuper velle ſe ad hoc obligare ex honeſtate ſive decentia alicujus virtutis ad alterum, v.g. fidelitatis, amicitiæ, liberalitatis, non tamen ex juſtitia; quam voluntatem ſi alter acceptarit, erit pactum, *quaſi ex pace factum*, inquit Iſidor. *cap.11. de verb. ſignif.* 5 Denique poteſt ſimul velle ſe obligare ex juſtitia, & ſic poſt acceptationem erit contractus promiſſionis. Quòd ſi addatur certa interrogatio & reſponſio, erit ſtipulatio ſecundùm dicta *n.664.* ita Mol. Sanch. Leſs. Fill. Bonac. cum Onn. *d.29. ſ.1.* Pendet autem à voluntate hominis, an & quomodo velit ſe obligare, & communiter non præſumitur velle ſe obligare ex juſtitia, niſi addat juramentum, aut faciat inſtrumentum, aut det aliquid in pignus vel aſſecurationem, ſed cenſebitur ſe ſolùm obligaſſe ex alia virtute, quia in dubiis minimum eſt ſequendum, ſecundum dicta *l.1.n.590.* cum poſſeſſio ſit pro libertate, Lug. *d.23. n.93.* aliique communiter: adfertque Onn. *à n.100.* multas conjecturas, unde colligi poſſit, fueritne animus obligandi ſe ex juſtitia, an ex tali virtute, v. gr. ſi promiſerit in circumſtantiis, in quibus alii ſolent donare; item ſi quando promittebat, erat ita diſpoſitus, ut rem donaſſet, ſi habuiſſet ad manum, præſumitur animum habuiſſe ſe obligandi ex juſtitia.

765 *Q.115. An propoſitum obliget?* Reſp. Dictum eſt *p.1. à n.361.*

Q.116. An pollicitatio ſive promiſſio ante acceptationem obliget? Reſp. §.1. Quamvis obligare poſſit ex honeſtate conſtantiæ uti *loc. cit.* dictum eſt, attamen non obligat ex juſtitia, uti conſtat ex dictis *n.656.* probantque fusè Lugo *ſ.3.* & Onn. *ſ.3. & 4.* Ratio eſt, quia licèt aliquis poſſit ſuâ ſolius voluntate dimittere dominium rei ſuæ, habendo pro derelicta, tamen ſuâ ſolius voluntate facere non poteſt alterum dominum rei ſuæ, cum ad acquirendum dominium requiratur in altero acceptatio legis ſibi faventis contra alios; & licèt fortè ſufficiat tacita, uti ſi quis rem producat, v.g. actum ſuum vel opus artefactum, tamen id non tenet in aliis: diſparitatem dat Lugo *n.39.* quòd effectus naturales vel artefacta ſeipſis ſufficienter connexa ſint cum ſuis principiis, & hoc ipſo quòd producantur; cenſeantur fieri ut ſua, ideoque acceptari, id autem non eſt in rebus ab extrinſeco acquirendis.

766 §.2. Promiſſio nequidem ex fidelitate obligat ante acceptationem, uti rectè *Vaſq. & Turr.* quia fidelitas æquè eſt virtus ad alterum quàm juſtitia, neque mens promittentis eſt ſibi imponere obligationem reſpectu alterius, niſi hic alter velit. De promiſſione jurata, vide dicta *p.1. à n.331.*

767 *Obji.1. Cap. Si tibi abſenti, de præbendis in 6.* dicitur collationem beneficii non poſſe revocari ab Epiſcopo, quamvis ille, cui collatum eſt, necdum acceptaverit, ergo etiam promiſſio necdum acceptata revocari non poteſt. R. N. conſ. Epiſcopi non ſunt domini beneficiorum, quæ ſolus Papa principaliter confert per Epiſcopos, qui etiam non poſſunt illa ſibi retinere; noluit autem Papa mutare voluntatem ſuam, niſi ille, cui collatum eſt, renunciet; è contra promittens eſt & manet dominus rei ſuæ, ergo ſi velit, poteſt promiſſionem necdum acceptatam revocare.

768 *Obji.2.* Videtur aſſeri *l.4. & 7. ff. de pollicitat.* quòd promiſſio facta Reipublicæ vel communitati ad reparandum aliquod damnum, vel ob gratitudinem: item *l.5. Cod. de emancipationibus*, quòd facta infanti: item *l. illud Cod. de Sacroſ. Eccleſiis*, quòd facta ad cauſam piam obliget, quamvis nemo acceptet; & de donatione facta Reipublicæ aut communitati pro reparando damno vel ob gratitudinem, ita tenent etiam Mol. *d.263.* & Onn. *n.40.* Idem docent Bart. Felin. Silv. Panorm. Leſſ. *l.2. c.13. n.36.* Sanch. *de matr. l.1. d.6. num.15.* Molin. ſuprà aliique de donatione ad piam cauſam. Reſp. Aliqui cum Onn. *num.67.* dicunt, quòd lex acceptet pro communitate, Reſpublica pro infante, Deus pro cauſa pia: Leſſ. *c.18. n.40.* dicit, tantum prohibeſi revocationem ejuſmodi promiſſionum, ut ſemper acceptari poſſint, negat tamen obligationem implendi aut etiam manifeſtandi, niſi petatur; & conſentit Dicaſt. *l.2. t.4. n.110.* hinc etiam Onn. *n.41.* cum plurimis aliis docet, donationes ad pias cauſas non obligare ante acceptationem: Lugo *à num.42.* docet omnes ejuſmodi promiſſiones non tantùm non obligare ante acceptationem, ſed etiam poſſe revocari, putat enim leges adductas loqui de promiſſionibus acceptatis, ſed ſine ſtipulatione & per modum pacti nudi factis. Hinc etiam Caſtrop. *tr.32. d.2. p.2. n.5.* docet in promiſſione ad piam cauſam requiri alicujus acceptationem.

Obji.3. Legatarius acquirit dominium rei legatæ in puncto, 769
quo hæres adit hæreditatem, quamvis de hoc nihil ſciat, ergo etiam poterit abſque ulla acceptatione acquiri jus ad rem promiſſam. Reſp. Legatarius acquirit de facto tum, quando de hoc nihil ſcit, N. acquirit per retrotractionem & fictionem juris, C. quia nempè, ſi poſteà acceptet, jura diſponunt, ut cenſeatur acceptaſſe in puncto aditæ hæreditatis, Lugo *n.69.* An ſit obligatio manifeſtandi promiſſionem internam, dixi *num.654.*

Q.117. An & quàm graviter obliget promiſſio acceptata? 770
Reſp. §.1. Jure civili ordinariè non obligat, niſi fuerit veſtita per ſcripturam ſtipulationem, juramentum, teſtes, aut alio ſimili modo, contractus enim nudi non pariunt obligationem vel actionem pro foro civili, uti *n.586.* dictum eſt. *Dixi*, ordinariè, nam promiſſio, quæ ſimul eſt donatio, item promiſſio dotis & ſolvendi debitum alienum, pariunt obligationem civilem, uti ex jure & AA. probat Onn. *d.2. à num.149.* Et univerſaliter, ut promiſſio in foro externo pariat actionem, debet cauſa illius eſſe expreſſa, alioquin præſumetur facta ex errore vel non ſeriò: ſi tamen conſtaret de oppoſito, Sanch. *de matrim. l.1. d.5. n.22.* aliique dicunt non requiri cauſam eſſe expreſſam.

§.2. Jure Canonico obligat pariterque actionem in hoc foro, 771
Cap.1. de pactis, Mol. *d.262.* Onn. *d.29. n.77.* Item obligat jure naturali, hinc *L.1. ff. de pactis* ſic habetur; *hujus edicti æquitas naturalis eſt, quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare?* atque ita docent communiſſimè AA. cum Onn. *à num.74.*

§.3. Certum videtur, quòd promiſſio ex fidelitate obliget 772
in conſcientia, ſaltem ſub veniali, uti cum S. Th. *2.2.q.110. ar.3. ad 5.* docent omnes, teſte Carden. *in 1. criſi d.69. cap.4.* eſt enim diſſonum à recta ratione, ideoque inhoneſtum, non ſtare promiſſis; quod à potiori ſequitur ex dictis *p.1. à n.361. Dixi*, ſaltem ſub veniali, nam fidelitatem ſecundùm ſe non obligare ſub mortali, docet cum communi Gorm. *de juſt. n.648.* in hoc enim eſt ſimilis veracitati, quę ſecundù ſe etiã tantùm ſub veniali obligat.

§.4. Promiſſio poteſt obligare ex juſtitia, ſi promittens 773
eam in ſe obligationem ſuſcipiat, & promiſſarius acceptet, Mol Leſſ. Lug. Carden. *cap.6.* Probatur, nam ſicut quivis poteſt per donationem dominium rei ſuæ transferre in alterum, ita poteſt transferre jus ad rem donandam.

§.5. Si promittens voluerit ſe obligare ex juſtitia, obligatio 774
eſt ſub mortali ex genere ſuo, id eſt, manendo in ejus materia peccari poteſt mortaliter, ſi nempè materia ſit gravis. Putant tamen Leſſ. *lib.2. c.18. n.56.* Sanch. *n.24.* Onn. *n.150.* aliique apud Paſq. *de Sacrif. q.864.* ad materiam gravem reſpectu promiſſionis gratuitæ requiri quadruplo majorem, quàm quæ requiritur ad materiam furti gravis, quia aliquis videtur magis rationabiliter eſſe invitus, ſi non reſtituatur ſibi unus aureus aliunde proprius, quàm ſi non dentur quatuor liberaliter promiſſi: E contra Dicaſt. *l.2. t.4. n.95.* putat materiam de ſe reſpectu furti gravem poſſe etiam hic eſſe gravem, eſt enim jus ipſi per promiſſionem æquè acquiſitum ac per alium titulum: Caſtrop. *d.2. p.8. n.6.* melius dicit relinquendum eſſe arbitrio prudentis, conſiderata cauſa promittendi, & qualitate promittentis ac promiſſarii.

§.6. Ut res ſpiritualis promiſſa cenſeatur eſſe materia gra- 775
vis, debet in ordine ſpiritualium eſſe notabilis, attenta communi æſtimatione hominum, hinc una Miſſa audienda non cenſetur materia gravis: An autem Miſſa legenda, ſit materia gravis, dubium eſt; affirmant Nav. Suar. Bonac. & alii cum Dicaſt. *num.96.* quia Miſſa eſt maximi valoris, cauſatque fructum maximum ex opere operato: E contra negant Sanch. Fagund. Portell. Mald. F. Lugo, Dian. aliique cum Paſq. *ſuprà*, quorum aliqui dant rationem, quòd pro una Miſſa detur ſtipendium parvum, quod non eſt materia furti gravis, hæc tamen ratio nulla eſt, nam ſtipendium non datur velut pretium æquale Miſſæ, ſed tantùm pro ſuſtentatione Sacerdotis; itaque ratio debet eſſe, quòd negatio unius Miſſæ liberaliter promiſſæ non videatur in communi apud homines rationabiliter diſſolvere amicitiam vel graviter lædere charitatem, ergo non cenſetur res ſimpliciter notabilis, ſecundùm dicta *num.2.* Vide dicenda *l.5. n.327.* Etiam videri poteſt Paſq. *q.865. & ſeqq. ubi q.869.* adducit multos, qui cum Burgh. *cent.3. caſ.29.* docent eum, qui gratuitò promiſit integram Miſſam pluribus, poſſit unica Miſſa lecta ſatisfacere, ſed id meritò negant Suar. Bonac. Dian. Dicaſt. aliique multi, quamvis Tamb. & Goh. *t.3. n.158.* dicant in raro caſu ſententiam primam ſuſtineri poſſe, v.gr. ſi quis Miſſam promiſiſſet Titio, ut gratias ageret Deo pro beneficio illi conceſſo; Cajo autem, ut Deum exoraret

pro

pro remittendis ei peccatorum pœnis; & Sempronio, pro impetranda illi à Deo virtute Caſtitatis, putant enim una Miſſa poſſe ſatisfacere attribuendo ſingulis fructum ſuum, Titio Euchariſticum, Cajo ſatisfactorium, Sempronio impetratorium.

776 §.7. Si promittens ſe voluerit obligare tantùm ex fidelitate vel gratitudine aliave ſimili virtute, non autem ex juſtitia, Mol. Navar. Reginald. Rebel. Lugo *d.23. à n.93.* Dicaſt. *n.92.* aliique cum Onn. *n.92.* probabiliter dicunt non obligari ſub mortali, quamvis materia ſit gravis, quia tantùm peccat contra hoc, quòd facta non conformet verbis, in quo non videtur eſſe gravis inhoneſtas, uti nec in eo eſt, quod quis mentiendo verba non conformet menti. Oppoſitum tamen etiam probabiliter tenent Sanch. aliique cum Leſſ. *n.55.* quia licèt hic non ſit ſtrictè juſtitia, tamen eſt plus quàm obligatio veracitatis, & homines apprehendunt aliquid valde affine juſtitiæ, cujus violatio ſit valde inhoneſta, reddatque hominem odioſum & valde contemptibilem, cùm dici poſſit perfidus, ita ut videatur eſſe materia peccati mortalis, ſicuti votum Deo factum in materia gravi obligat graviter, quamvis non ex juſtitia ſtricta.

777 §.8. Si promiſſio fiat tantùm externè ſine intentione ſe obligandi, non obligat ex juſtitia, uti dictum eſt *à num.608.* putant tamen Vaſq. Turr. Lug. *à num.11.* Carden. *cap.8.* quod obliget ex fidelitate, quia ſicuti obligat veracitas, ut exteriùs non proferas verba affirmationis, niſi verba ſint conformia menti, ita videtur obligare fidelitas, ut exteriùs non proferas verba promiſſionis, niſi velis conformare facta verbis. *Si dicas*, votum exteriùs ſine interiore ſe obligandi non obligat nequidem ex fidelitate: Reſpondet *Lugo* votum fieri Deo, quem ſcimus interna conſpicere, hinc non exigimus à Deo, ut fidat noſtræ promiſſioni tantùm externæ: è contra ſi externè promittam homini, exigo, ut homo mihi fidat, ergo me obligo ad facta conformanda verbis, hoc enim neceſſe eſt, ut mihi fidere poſſit, & ita exigit humanum commercium. Alii contradicunt, quia omnis obligatio etiam fidelitatis videtur eſſe debere à promittente, ergo ſi abſit ejus conſenſus, non erit obligatio. De veracitate videtur eſſe diſparitas, nam externè affirmans ſine animo affirmandi exercitè dicit ſe affirmare, & habet intentionem hoc dicendi, cùm tamen non affirmet, ergo mentitur; nihil tale eſt de fidelitate reſpectu obligationis aut facti præſtandi.

778 *Q.118. Quid reipſa ſit acceptatio promiſſionis, & quando nam poni debeat?* R.§.1. Acceptatio eſt actus, quo promiſſarius admittit voluntatem promittentis, & ideo vult jus contra eum. Male autem explicatur à Caramuele per illa verba, recipiam cras equum, ſi dederis, nam hæc tantùm eſt affirmatio donationis cras futuræ & non obligationis dandi, quam tamen promittens aſſumit, alioquin etiam dicam ex promiſſione ſponſi acceptata non reſultare obligationem, quia ſponſa tantùm dicet, accipiam dominium tui corporis, ſi dederis, ſic autem dominium corporis ſemper maneret ſub libera poteſtate ſponſi, quod eſt contra naturam promiſſionis Matrimonii. Videri poteſt Carden. *in 1. criſi diſer.69. cap.3.*

779 §.2. Acceptatio promiſſionis poni debet poſt notitiam factæ ab altero promiſſionis, ſi enim ſufficeret præcedere aut poni ſine notitia promiſſionis, jam vi voluntatis, qua nunc vellem acquirere, quidquid mihi offeretur, ſufficienter acceptarem, quidquid mihi aliquis unquam promittet, ideoque licèt nihil reſcirem de promiſſione, nemo poſſet eam revocare, quia ſufficienter acceptaſſem. Rationem à priori dat Lugo *d.23. n.67.* quia quamdiù tibi non manifeſtatur promiſſio, eſt reſpectu tui veluti non facta, cùm reſpectu tui necdum in actu ſecundo ſignificet voluntatem alterius, ergo per eam non ſiſtitur tibi res, ad quam acquireres jus; debet autem tibi ſiſti ſaltem intentionaliter, alioquin non poteris eam ullo modo apprehendere & incipere facere tuam.

780 *Q.119. An acceptatio promiſſionis debeat eſſe externa?* Reſp. Negat Lugo *num.64.* eò quòd poſſit abſens, dum ſolus eſt, acceptare promiſſionem, uti & rem donatam ad ſe miſſam, hinc videtur fruſtra requiri, ut externè ſignificet ſe acceptare. Rationem dat à priori, quia ſi promiſſio ſit externè manifeſtata, jam habetur titulus ſenſibilis ſufficiens pro acquirendo dominio, & acceptatio tantùm requiritur, quia nemo cogendus eſt, ut invitus aliquid acquirat, ad hoc autem ut acquirat non invitus, ſufficit acceptatio interna. E contra affirmat Haun. *t.9. nu.25.* quia aliter non cenſebuntur duæ illæ voluntates humano modo in unum contractum concurrere, ſecundum dicta *n.656.* imò Dicaſt. *num.155.* & Platel. *num.600.* dicunt requiri, ut quando promiſſarius aberat, acceptet promiſſionem coram nuntio vel per epiſtolam directam ad promittentem, fateturque Lugo *num.82.* promiſſionem revocari poſſe, quamdiù ejus acceptatio non manifeſtatur, licèt non ſit opus hanc iterùm manifeſtari promittenti, ſecundùm dicta *n.659.* nam hic tantùm dicimus debere ſaltem externè manifeſtari, aliàs non cadet ſub commercium humanum, quod requiritur, ut contractum conſtituat.

Q.120. An ſufficiat æquivocatio tacita, æquivoca, diù poſt ſecuta? 781 R.§.1. Tacitam ſufficere negant Tiraq. Rodriq. Turr. *& alii, quia is, qui tacet, non fatetur*, uti habetur Reg. 44. Juris in *6.* ergo ex hoc, quòd aliquis taceat, non præſumitur conſentire. E contra ſufficere affirmant Mol. Sanch. & alii cum Dicaſt. *l.2. t.4. num.112.* quia quando agitur de commodo tacentis, *qui tacet, conſentire videtur*, uti habet Reg. 43. Juris in *6.* Limitat Lugo *n.82.* niſi res oblata non eſſet adeo grata illi, cui offertur, ita ut ex circumſtantiis poſſet colligi, quod eam non curaret, tum enim ex hoc, quòd taceret, non poſſet colligi conſenſus, quamvis res de cætero illi foret utilis; altera vero regula, *qui tacet, non fatetur*, habet locum quando agitur de incommodo tacentis, uti Authores communiter explicant; regula autem ſic habet: *Is qui tacet non fatetur, ſed nec utique negare videtur*, unde quamvis contractus ſit oneroſus, ex aliis conjecturis conjiciendum eſt, an tacens videatur conſentire, nec ne.

§.2. Si acceptatio ſit æquivoca, v.g. ſi fiat his verbis, *habeo* 782 *gratias pro optimo erga me affectu*, ſufficit, ſi reipſa ſubſit animus acceptandi, quia verba æquivoca determinantur per intentionem loquentis.

§.3. Si promiſſio fiat præſenti, acceptari debet in conti- 783 nenti, vel quaſi in continenti, moraliter loquendo, L.137. *ff. de verb. oblig.* Promiſſor enim cenſetur nolle diù ſuſpendere conſenſum ſuum, niſi aliud conſtaret, Platel. *n.600.* Quando autem Az. Regin. & Dicaſt. *n.112.* dicunt promiſſionem ſemel factam, cùm non revocatur, durare, ideoque poſt multum temporis poſſe à promiſſario acceptari, intelligendi ſunt, quando ex circumſtantiis colligi poteſt adhuc durare illam intentionem in promittente.

Q.121. Quomodo promiſſio abſenti facta valeat vel ac- 784 *ceptari poſſit?* Reſp. Colligi poterit ex ſeqq. §.1. Si promiſſio fiat abſenti per verba directa ad abſentem, alius, qui præſens eſt, non poteſt validè acceptare, Dicaſt. *l.2. t.4. num.132. & alii.* E contra ſi fiat abſenti per verba directa ad alium præſentem, poterit hic præſens quandoque acceptare nomine abſentis, v.g. ſi dicas coram me, promitto Titio, qui nunc Romæ eſt, 100. non poſſum acceptare pro Titio, ſed ſi dicas, promitto tibi, quòd Titio velim dare 100. fieri poteſt, ut quandoque validè acceptem ſecundùm dicenda *n.789.*

§.2. Promittens ordinariè non vult obligari abſenti, niſi 785 promiſſionem ipſemet per epiſtolam vel nuntium manifeſtet, hinc promiſſarius aliunde reſciens invalidè acceptaret, uti cùm communi Dicaſt. *num.159.* & Haun. *t.9. nu.26.* Quòd ſi putares promiſſarium abeſſe, & diceres te ei promittere, quamvis ipſe præſens audiret & acceptaret, non obligareris, uti rectè Lugo *d.23. n.73.* Ratio utriuſque eſt, quia ut promiſſio validè acceptetur, debet promittens illam offerre, ſed non offert, quamdiù ipſe non dirigit voluntatem ſuam ad promiſſarium, ergo. *Dixi*, ordinariè, nam ſi promittens publicè manifeſtaret promiſſionem, eo animo, ut notitia hoc modo ad promiſſarium perveniret, ſatis eſſet per quemcumque deferri.

§.3. Quandò promiſſio commiſſa fuit nuntio, qui eam of- 786 ferret, ut alter, ſi vellet, acceptaret, ſi interea promiſſio revocetur, & nuntius revocationis ignarus eam offerat, acceptatio valebit, & promittens tenebitur: (excepto tamen Matrimonio) quia mandans tenetur ratum habere illud, quod mandatarius bona fide facit ex commiſſione illius, L.15. *ff. mandati*, docentque AA. communiter cum Dicaſt. *n.158.* qui tamen addunt id intelligi de nuntio mandatario, qui ſimul eſſet veluti Procurator. Quòd ſi noluiſſet nuntium eſſe commiſſarium ſuum, ſed tantùm manifeſtaret promiſſionem, quam interim revocaret, promittens non obligaretur, L.12.§.16. *ff. mandati*, docentque Gomez, Sanc. Leſs. aliique cum Dic. *n.157.* nuntius enim defert voluntatem, quæ amplius nequidem moraliter exiſtit, cùm promittens non cenſeatur extendiſſe ad illum caſum, ſi revocaret.

§.4. Si nuntius ſit miſſus, ut indicet promiſſionem factam, 787 & promittens interim moriatur, poteſt adhuc acceptari, & hæredes promittentis tenebuntur, uti contra Cov. Lop. Laym. & Platel. *n.601.* probabiliter tenent Sanch. Leſs. Turr. Lugo *n.75.* Dicaſt. *num.62.* & videtur haberi L.26. *ff. Mandati.* Quod autem adverſarii opponunt ex L.2.§.6. *ff. de donationibus*, non urget, nam videtur loqui de caſu, quo nuntius moreretur, antequam promiſſionem perferret, Ratio noſtra eſt, quia promiſſio facta & non revocata, ſed nuntio vel litteris mandata, cenſetur moraliter adhuc eſſe, eſtque gratia: gratia autem morte concedentis non revocatur, uti cum communi Suar. Sanch. Leſs. & Dicaſt. *n.163.* E contra ſi interim moriatur promiſſarius, Cov. Molin. Sanch. & alii cum Dicaſt. *n.165.* dicunt hæredes promiſſarii poſſe acceptare, quia repræſentant perſonam defuncti, cui gratia facta eſt, ſed probabiliùs negant Leſs. Caſtrop. & Haun. *n.27.* quia intentio promittentis ferebatur ad perſonam promiſſarii in ſe, quæ non ampliùs eſt.

§.5. Si promittens mittat nuntium, non ut indicet pro- 788 miſſionem à ſe factam, ſed ut nomine ſuo promittat, ſi pro-

mittens moriatur ante acceptationem, communior ſententia eſt promiſſionem non tenere, quia mandatum gratiæ faciendæ, re integra, expirat morte mandantis, *l.26 ff. & l.15. Cod. mandati*. Excipiunt AA communiter cum Lug. *num.*75. & 80. & Dicaſt. *n.*167. niſi factum eſſet ad cauſam piam, in cujus præjudicium leges civiles nihil diſponunt, uti rectè probat Card. *in 1. criſi d.*21. *c.*8. & colligitur ex *l.*4. *ff. de manumiſſ. vindicta*, quia prudenter præſumitur, quòd promittens voluerit hanc voluntatem ſuam, etiam poſt mortem manere, cùm maximè ſit profutura animæ: item excipiuntur plures caſus relati *lib.*1. *n.*566. poſſuntque videri etiam ibidem dicta *n.*816. & 876. Quòd ſi nuntius eſſet verus procurator, & promitteret ante cognitam mortem principalis mandantis, putat Dicaſt. *n.*161. promiſſionem tenere, hanc enim diſparitatem agnoſcunt AA. apud Dicaſt. *n.*158. inter ſimplicem mandatarium & verum procuratorem, quòd mandatum expiret morte mandantis, acta autem per verum procuratorem, antequam conſtet de revocatione poteſtatis, valida ſint, excepto tamen Matrimonio, uti habetur *l.*12. *ff. de ſolutionibus*, ubi dicitur, quòd verus procurator ſit, cui mandatum eſt ſpecialiter, vel cui omnium negotiorum adminiſtratio mandata eſt. De donationibus per litteras vel nuntium, videri poſſunt multa apud Onn. *d.*30. *ſ.*10.

789 §.6. Sufficit promiſſionem pro abſente acceptari ab aliquo, quem promiſſarius deputarit ſaltem ſpecialiter; imò Leſſ. *lib.*2. *c.*18. *dub.*7. Platel. aliique dicunt etiam generaliter, ſed repugnant alii cum Dicaſt. *n.*148. Item ſufficit acceptari ab aliquo, qui eſt ſub poteſtate illius, & non eſt ſui juris, v.g. à ſervo pro domino, à filio-familias pro Patre, à Religioſo pro Prælato vel Monaſterio, §. *Si quis* 4. *Inſtit. de inutil. ſtipul.* & ratio eſt, quia cum his cenſentur eſſe una perſona. Item ſufficit acceptari à gerente curam promiſſarii, v.g. à Paracho pro Eccleſia; à Patre (imò & Matre ſecundùm Sanch. & Dicaſt. *n.*130.) pro filio aut filia; à Tutore vel Curatore pro pupillo aut minorenni; à Principe, Republica aut alio ab his conſtituto, pro quocumque ſubdito; denique à quocumque, qui ex acceptatione refert commodum, ſicque acceptando agit negotium alterius & ſuum, v.g. à Creditore, à Socio, à Patre pro Filio, è cujus rebus habet uſumfructum, ab Uxore pro Marito, ſi inde participabit Uxor &c. Item à Cajo, ſi Sempronius promittat Titio, ſub conditione, ut Titius partem det Cajo, quæ omnia adductis legibus probat Onn. *d.*4. *à n.*204. & *d.*29. *à n.*55. item Dicaſt. *dub.*9. & 10. Unuſquiſque etiam pupillus validè acceptat promiſſionem ſine authoritate Tutoris, cùm id fiat in ejus commodum, *l.*9. *ff. de auth. tutor.* aliique apud Onn. *d.*29. *n.*52. non poteſt tamen acceptare famulus pro domino, diſcipulus pro Magiſtro, Filius emancipatus pro Patre, quia nec cenſentur ad hoc eſſe deputati, nec ſunt una cum eis perſona, nec faciunt ſimul in ſuum commodum, Sanch. & Dicaſt. *n.*142.

790 §.7. Si Titius promittat Cajo fundum ſub hac conditione, ut poſt mortem Caii ſpectet ad Sempronium, ſi Cajus hanc promiſſionem acceptarit, aliqui docent etiam cenſeri acceptatam reſpectu Sempronii, ita ut etiam reſpectu hujus ſit irrevocabilis, ſed Sanch. & Lug. *n.*85. probabilius dicunt manere revocabilem reſpectu Sempronii, quia neque ipſe acceptavit, neque Cajus potuit acceptare pro illo, ſi enim potuiſſet, foret ideo, quòd ſimul redundaret in utilitatem Caii, ſed hoc dici non poteſt, nam ſunt duæ promiſſiones, una in favorem Caii, altera in favorem Sempronii, hæc autem altera non redundat in utilitatem ſed potius in detrimentum Caii, cùm per hanc prohibeatur diſtrahere aut tranſmittere ad ſuos hæredes.

791 §.8. Quivis, etiam privatus, validè acceptat promiſſionem ad piam cauſam, uti cum communi Sanch. *de matr. l.*1. *d.*7. *n.*10. Leſſ. *n.*48. Dicaſt. *n.*146. quod enim fieri poteſt in favorem dotis, *l.*45. *ff. ſoluto Matr.* hoc meritò extenditur ad cauſam piam: & ita etiam pluribus relatis habet Caſtrop. *tr.*32. *d.*2. *p.*5. *n.*11. Vide tamen etiam Onn. *n.*66.

792 §.9. Acceptatio, quæ ab alio fit, imbibit hanc conditionem, ſi promiſſarius approbet, unde quamdiu hic non approbat, promittens non tenetur, *l.*10. *ff. de donationibus*, docentque cum communi Mol. *d.*264. Sanch. *num.*3. Dicaſt. *n.*151. Onn. *num.*68.

793 §.10. Qui pro alio acceptavit promiſſionem, non poteſt eam acceptationem revocare, Covarr. Leſſ. Sanch. aliique communiter cum Onn. *num.*69. *ex Reg.*53. *Juris in 6. Mutare conſilium quis non poteſt in alterius detrimentum*; unde *Regul.*35. *ff. de Reg. Juris*, dicens *nihil tam naturale eſſe, quam eo genere quidque diſſolvere, quo colligatum eſt*, intelligitur, niſi jus tertio ſit acquiſitum, Dic. *n.*150. Caſtrop. *p.*6. *n.*7. limitat, ſi promiſſio eſſet facta in gratiam acceptantis ſeu ſtipulantis, non autem in gratiam tertii, cui nullum jus eſſet acquiſitum.

794 *Q.*122. *Quandonam ceſſet obligatio promiſſionis?* R. Ceſſat 1. ex conſenſu partium, ſecundùm Regul. Juris paulò ante citatam. 2. Si res promiſſa fiat impoſſibilis: quòd ſi poſteà iterùm fiat poſſibilis, redit obligatio, non enim erat ſublata ſed ſuſpenſa, uti rectè Dicaſt. *n.*175. *cum aliis*. 3. Si fiat pernicioſa vel inutilis promiſſario, Caj. Mol. Leſs. Onn. *d.*29. *n.*154. & *alii*. 4. Si fiat illicita, hinc ſi promiſiſti Titio equum, & poſteà cum juramento eundem promittas Cajo, ſecunda promiſſio & juramentum non obligant, quia materia ejus eſt ratione primæ promiſſionis facta illicita ſaltem ſub veniali, Lugo *d.*23. *n.*106. Dicaſt. *n.*130. Quòd ſi Titius cedat jure ſuo, non ideo convaleſceret ſecunda promiſſio, ſi fuit abſoluta, quia quod initio invalidum eſt, tempore non convaleſcit, Sanch. Turr. Lugo *n.*107. contra Covar. E contra tamen ſi ex ſuppoſitione facti illiciti materia promiſſionis ſit licita, & acceſſerit promiſſio conditionata, v.g. ſi per unum contractum promiſiſti abſolutè meretrici aureum pro uſu corporis, & ſimul per alium conditionatum, ſi nempè dediſſet uſum corporis, teneberis promiſſo vi contractus conditionati, ſecundùm dicta *num.*692. quia hic contractus conditionatus ſuppoſito peccato habet objectum licitum, Mol. Leſs. Sanch. aliique plurimi cum Dicaſt. *n.*168. 5. Si cauſa illius finalis non ſubſiſtat vel ceſſet, Decius *conſ.*86. *n.*5. Caſtrop. *p.*12. *n.*6. *cum communi*. 6. Si promiſſarius ex culpa ſua non ſtet promiſſioni reciprocæ, etiamſi promiſſiones non habuerint inter ſe connexionem, quia frangens fidem dignus eſt, ut frangatur eidem, taliſque cenſetur fuiſſe voluntas promittentis, Nav. Leſs. Bonac. Onn. *n.*185. *cum communi*. 7. Si res non maneant in eodem ſtatu, quia omnis promiſſio cenſetur fieri ſub hac conditione tacita, niſi ſtatus & circumſtantiæ notabiliter mutentur, aut ſaltem per epiikiam ſic interpretanda eſt, Leſs. Mol. Fill. Caſtrop. *num.*2. Onn. *n.*153. hinc non teneris, ſi poſt promiſſionem pecuniæ ante traditionem caſu incidas in magnam paupertatem, uti omnes notant; item ſi promiſiſti amico, & graves inimicitiæ ſupervenerunt, Dicaſt. *n.*120. Onn. *n.*156. Item ſi promiſiſti comitari alterum, & ſine gravi tuo damno non poſſis. Non ſufficit tamen qualiſcumque non notabilis mutatio, alioquin vix ulla promiſſio diu obligabit. Nec ſufficit nunc animadverti in re difficultatem, qua præviſa vel meliùs conſiderata non promiſiſſet, cùm enim talis difficultas per ſe ineſſet rei, tibi imputa, quòd non perpenderis meliùs, Molin. *d.*272. Dicaſt. *n.*119. Itaque requiritur talis ſtatus alius, aut talis nunc ab extrinſeco ſuperveniens difficultas, ut intentio promittentis ſecundùm judicium prudentum non videatur ſe eò extendiſſe, promiſſio enim non obligat ultra intentionem promittentis, & ſicuti in generali conceſſione non comprehenduntur ea, quæ quis non concederet, ſi in ſpeciali peterentur, ita nec in gratuita promiſſione comprehenduntur illi eventus, qui prudentis viri judicio exciperentur, ſi promittenti occurriſſent. Et hactenus dicta vera eſſe dicunt Leſſ. *n.*48. & Dicaſt. *n.*117. quamvis additum eſſet juramentum, hoc enim non extendebat ſe longiùs, neque ad aliud, quàm ad quod obligabat promiſſio.

795 *Q.*123. *An obliget promiſſio prodigæ?* Reſp. Obligat, ſi ſolutio rei promiſſæ non ſit peccaminoſa, quia quamvis promiſſio fuerit prodigalitas, executio tamen erit ſolutio juſtitiæ; aliud enim eſt eſſe promiſſionem illicitam & promiſſionem illiciti, uti dictum eſt *n.*691. notatque Dicaſt. *lib.*2. *t.*4. *dub.*5. ſic ſi nobilis puella cum familiæ offenſa, & juſtè invitis Parentibus promittat Matrimonium impari, peccat promittendo, ſed quia non peccat ineundo, poſtquàm promiſit, tenetur inire, Leſſ. *l.*2. *c.*18. *n.*9. Dicaſt. *ſupr.* Vide dicta *p.*1. *n.*320.

796 *Q.*124. *Quænam promiſſiones ſint jure irritæ?* Reſp. Omnes, quæ dant occaſionem peccandi, Dicaſt. *à num.*170. *cum aliis*. Hinc irrita eſt promiſſio, ſi quis promittat alteri remittere obligationem de dolo, de furto, de injuria, *l.*27. §.4. *ff. de pactis*, & *Reg.*23. *ff. de Reg. Juris*. Item ſi uxor illi, cum quo adulteratur vivente marito, promittat Matrimonium, *Cap. Si quis*, 8. *de eo, qui duxit Matrim.* Item ſi quis promittat beneficium Eccleſiaſticum necdum vacans; *Cap. Ex tenore*, 13. *de conceſſ. præb.* in his enim datur occaſio machinandi vel optandi mortem. Item quibus aufertur poteſtas diſponendi de rebus ſuis, v.g. qua quis promittit non condere aut non revocare teſtamentum, non inſtituere alium hæredem niſi inſtitutum, *l.*6. *Cod. de pactis*, docentque Mol. *d.*271. Leſſ. *n.*24. Dicaſt. *n.*173.

797 *Q.*125. *Quid circa contractum donationis ſit notandum?* Reſp. Notandum eſt, quòd pleraque dicta de promiſſione, etiam intelligi debeant de donatione: Definitur autem donatio, quod ſit contractus, quo plenum rei donatæ dominium gratis ſtatim transfertur in alium, Lugo *d.*23. *n.*128. Dicitur 1. *Quo plenum dominium transfertur*, per hoc enim diſtinguitur ab emphyteuſi, commodato, precario, depoſito, pignore &c. quibus vel non transfertur dominium, vel transfertur tantùm dominium utile, uſusfructus vel uſus. 2. *Gratis*, per quod diſtinguitur ab emptione & cæteris, ad donationem enim propriè dictam requiritur datio planè liberalis: hinc *l.*1. *ff. de donat.* dicitur, donationē propriè eſſe, quam donator propter nullā aliam cauſam facit, quàm ut liberalitatem & munificentiam exerceat; hinc datio mutui non eſt donatio, quia ſors repetitur. 3. *Statim transfertur*, per quod diſtinguitur à promiſſione gratuita,

quæ

quæ tendit in donationem pro futuro faciendam, unde ex promiſſione oritur obligatio donandi, ex donatione obligatio tradendi, & traditio eſt veluti executio donationis. Videri poteſt Onn. *d.*30.*ſ.*1. *& ſeqq.* Quamvis autem donatio regulariter in dubio non præſumatur, ex L. *Cùm de indebito ff. de probat.* ex cauſa tamen remunerationis, & quando merita præceſſerunt, præſumitur, ex L. *Si verò non remunerandi, ſ. Papinianus, ff. mandati*, Menoch.Mantica, Lugo *in Reſp. mor. l.*5. *d.*1. Circa donationes ſub conditione vel modo aliquo factas, vide Delbene *De Immun. Eccl. cap.*17.*d.*5.

DUBIUM III.

798 *Quibus caſibus donatio poſſit revocari?*

„ REſp.I. Donatio inter vivos, hoc eſt, qua quis vult ſe vivo rem abſolutè alterius eſſe, poteſt revocari, (etſi „ res jam tradita ſit) tribus caſibus; niſi tamen donatio fuerit „ remuneratoria, aut facta ſit Eccleſiæ, vel Monaſterio. Sunt „ autem hi Caſus:

„ I. Si donatarius enormiter ingratus ſit: ut ſi donanti atro- „ ces injurias inferat; ſi inopia preſſum non alat, &c. Quod „ notandum pro filiis, quibus parentes omnia donarunt, & „ eos poſteà negligunt, Sylv.Leſſ.*l.*2.*c.*18.*d.*14.Bon.Trull.*cap.* „ 17.*d.*12. Neque valet pactum, ut donatio non poſſit ob in- „ gratitudinem revocari, Bartol. *& alii* 8. Lugo *d.*23.*n.*174. „ Dian.*p.*8. *tr.*6. *R.*57. Debet tamen ingratitudo coram judice „ probari, ante cujus ſententiam donatarius non tenetur reſti- „ tuere, Mol.*to.*2.*tr.*2.*d.*281. *n.*5. Lugo *n.*172. *& alii* 4. Dian. „ *R.*58. Poſt eam verò, etiam fructus perceptos, poſt litem con- „ teſtatam, Mol.*n.*6. Dicaſt.Dian.*R.*58. Hæredes autem non „ poſſunt revocare ob eas cauſas, ob quas donator ipſe potuiſ- „ ſet, ſi eas ipſe ſcivit, & tacuit; ſecus ſi ignoraverit, Go- „ mez, Hurt.Vvading.Lugo *n.*169. Dian.*R.*54.

„ II. Et quidem hæc revocatio etiam habet locum in lega- „ to, reſpectu legatarii, ſi defunctum teſtatorem gravi inju- „ ria afficiat, v.g. uxorem ejus carnaliter cognoſcat, Mol. „ Dicaſt.Dian.*R.*58.

„ III. Non habet autem locum, 1. in donationibus factis „ Eccleſiæ, tametſi Prælatus vel Clerus fuerit ingratus; quia „ facta eſt ob bonum animæ teſtatoris, & principaliter Deo, „ qui ingratus eſſe non poteſt, Leſſ.*num.*105. Lugo *num.*175. „ Hurt.Haun.Vvading.Dian.*R.*65. In donatione remunerato- „ ria (v.g. pro beneficiis aliàs non debitis, & aliquo modo æqui- „ valentibus) quia potiùs eſt remuneratio, quàm donatio: Re- „ muneratoria autem cenſetur, 1. Si donator in ipſa donatio- „ ne expreſsè meminerit meritorum, vel 2. Si de meritis con- „ ſtet. 3.In dubio, Dian.*R.*115.116.17.19.20. ex Barb. &c.

„ IV. Si quis prole carens magnam partem bonorum dona- „ verit, & poſteà naſcatur proles; quia ex juris diſpoſitione „ ineſt donationi hæc tacita conditio, niſi naſcantur mihi li- „ beri. Et quidem ſi facta ſit extraneo, revocari poteſt tota; ſi „ alicui aſcendentium, ut patri vel avo; vel ſi Eccleſiæ, aut „ cauſis piis, tantum revocari poteſt, quantum neceſſarium „ eſt, ut filii habeant legitimam: Quanquam rectè notat Leſſ. „ ad ædificationem expedire, ut quod Eccleſiæ vel Monaſte- „ rio datum eſt, Prælatus totum reſtituat. Porrò etſi juraverit „ ſe non revocaturum donationem, adhuc poteſt liberis natis „ revocare; quia hoc juramentum non excludit tacitam con- „ ditionem dictam. Excipe, niſi expreſsè etiam hanc condi- „ tionem excluſerit; tunc enim ipſe revocare non poſſet; poſ- „ ſent tamen ejus liberi, poſt mortem patris. Bon.Leſſ.*c.*18. „ *d.*14. An autem hæc revocatio locum habeat, ſi filii naſcantur „ illegitimi, qui poſteà legitimentur, v.Dian.*R.*63.*&* 64.Item „ an in donatione remuneratoria, *R.*65. Ubi cum Molin. *diſp.* „ 282.*n.*9.*&* 11.*& aliis* 6. negat, niſi excedat cauſam.

„ V. Si donatio fuerit inofficioſa, contra officium paternæ „ pietatis; ut ſi pater tantùm donet, ut filii priventur ſua por- „ tione legitima: tunc enim poſt mortem patris poſſunt filii „ revocare, Navar.*cap.*16. Leſſ.*n.*12. Licèt donatio fuerit ju- „ ramento confirmata, Megal.*& alii* 5. Dian. *p.*8.*tr.*6. *R.*66. „ imò etiam vivente patre, licèt enim ante mortem patris non „ debeatur legitima, ut tradenda, debetur tamen ut conſer- „ vanda. Hinc ſi pater bona diſſipet, poteſt à filio per judicem „ cogi, ut ſervet legitimam, ne is poſt mortem patris careat „ alimentis. Ita probabiliter Dian.*loc. cit. ex aliis* 6. contra Leſſ. „ *loc. cit. &c.* An autem & quando donatio reſcindenda in to- „ tum, vid.Dian.*l.c.*

„ VI. Per ſupervenientiam liberorum; ut probabiliùs af- „ firmat Dian.*R.*78.*ex aliis* 4. contra quoſdam. Si tamen pater „ non revocaverit, non poteſt à filiis poſteà natis revocari, niſi „ pro ratione falcidiæ, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato ſuc- „ ceſſerint. *Ibid.*

ADDENDA.

799 *Quæſt.*126. *Quid præterea notandum circa revocationem donationis ob ingratitudinem?* R.Seqq.§.1. *Dicaſt.* negat opus eſſe ſententia Judicis, qua declaretur ingratitudo, eo quòd donatio non ſubſiſtat defectu intentionis, unde ſecundùm hunc donatori licebit occulta compenſatio; ſed oppoſita ſententia eſt communior, & tenenda, quam ex Jure probat Haun.*t.*9.*n.*260.

800 §.2. Donatio facta ingrato revocari poteſt, etiamſi fuerit jurata, quia ex diſpoſitione juris imbibebat hanc conditionem, ſi non fueris ingratus, ergo juramentum etiam erat conditionatum: ſi tamen donator inſuper juraſſet ſe non revocaturum donationem, etiamſi donatarius eſſet ingratus, teneretur ſervare juramentum, ſecundùm dicta *n.*727. Putant tamen Mol. Laym. Haun.*n.*265. Judicem etiam ſæcularem poſſe relaxare hoc juramentum in pœnam ingratitudinis. Vide dicta *n.*742.

801 §.3. Hæredes donatoris etiam tum poſſunt revocare donationem, ſi donator ſciens & volens revocare non potuit morte præventus, aut vi, metu, aliterve impeditus. Item ſi donatarius non expleat gravamen impoſitum, Haun.*n.*264. De cætero *actio revocatoria donationis non datur hæredi*, uti in his terminis docent Gloſſa *& alii ad l. generaliter, Cod. de revoc. donat.* & exprimitur his verbis, *Nulla licentia concedenda donatoris ſucceſſoribus hujuſmodi querimoniarum primordium inſtituere*, Layman *lib.*3.*tr.*4.*cap.*12.*num.*17. Et idem eſt de legato, quod *eſt donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præſtanda, Inſtit. de legatis, ſ.*1. *Nec refert*, quòd non legaſſet, ſi hoc vel illud prævidiſſet: *nam* hoc non obſtante legavit abſolutè, nec voluntas illa nunc revocari poteſt: quando autem eſt locus revocationi ſecundùm Legem, *generaliter*, adhuc requiritur ſententia Judicis, nam Lex dicit, *Ex his enim tantummodò cauſis, ſi fuerint in judicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas everti concedimus.*

802 §.4. Si donatarius, qui fuit ingratus, objerit ante revocationem, hæredes ingrati non tenentur reſtituere rem donatam, quia jus repetendi oritur ex crimine donatarii velut in pœnam contra perſonam ipſam ingrati, Caſtrop.*tr.*32.*d.*2.*p.*31.§.4. *num.*6. Haun.*n.*265. contrà Mol. ſi tamen res necdum eſſet tradita poſſet excipi contra hæredes ingrati donatarii, Caſtrop. *num.*7. *cum aliis.*

803 §.5. *Quamvis res bona fide fuerit conſumpta, donatarius ingratus tenebitur reſtituere*, quantum ex illa factus fuerit ditior, Haun.*n.*269.

804 §.6. Donatio non poteſt revocari, nequidem ob gravios res cauſas, quàm quæ exprimuntur in jure, Molin.Lug.Onn. *d.*30.*num.*174.*& alii* cum Haun.*num.*264. contra Gomez, Clarum & multos Juriſtas. Ratio eſt, quia cùm lex ſit poſitiva ac pœnalis, & tantùm dicat in his caſibus concedi revocationem, extendi non debet ad alios, ſecundùm regulam communem, quòd in pœnalibus non valet extenſio ad caſus ſimiles. Cauſæ autem in jure expreſſæ ſunt hæ, 1. Si donatorem atroci injuria ſeu verbali ſeu reali affecerit. 2. Si manus impias intulerit donatori. 3. Si notabile damnum in bonis fortunæ illi fecerit. 4. Si vitæ periculum cauſaverit, etiamſi mors non ſequatur. 5. Si nolit implere gravamina poſita in donatione ſub tali modo adjecto facta; hinc quamvis donatarius negaret alimenta donatori inopi, Haun.*n.*268. putat non poſſe revocari. Vide Onnat. *tota ſect.*11.

805 §.7. Mater jure novo tantùm poteſt in his caſibus revocare donationem filio ingrato factam. 1. Si filius vitæ Matris inſidietur. 2. Si manus impias in eam intulerit. 3. Si totius ſubſtantiæ molitus ſit jacturam, *Novell.*22. *cap.*35. De revocatione donationis. Videri poſſunt plura apud Onn.*ſ.*12. ob ſupernaſcentiam liberorum: *ſect.*13. ob inofficioſitatem ratione legitimæ: *ſect.*14. ob defraudationem creditorum.

806 *Q.*127. *Quid præterea ſtatuant jura circa donationes?* Reſp.Seqq.§.1. Donatio inter conjuges vivos pura & merè liberalis, aut inter ſponſos, & relata ad tempus Matrimonii; item donatio Patris facta filio legitimo non emancipato, regulariter non ſtatim firma eſt, ſed ad donantis arbitrium revocabilis, niſi firmiter juramento aut morte donantis, ita cum aliis Haun. *t.*9. *à num.*175. *& à num.*233. Si tamen donarentur reciprocè æquivalentia, valerent illæ donationes, Haun.*à num.*198. Item valet, ſi ſit remuneratoria, Haun. *à num.*201. Qualis cenſetur, ſi maritus ſenex donet uxori, aut ignobilis nobili, Haun. *num.*207. Idem eſt de donatione, quæ fit ob cauſam, tum enim non eſt pura; item de donatione relata ad tempus ſoluti Matrimonii, Haun. *num.*212. Imò quamvis eſſet pura, ſi tamen ex revocatione ſequerentur diſcordiæ conjugum vel amicorum, Dian.Caram.& Burghaber, *cent.*3.*caſ.*90. dicunt eſſe irrevocabilem; debet autem in omnibus his caſibus res aliquo modo fuiſſe tradita, ut donatio valeat ſecuta morte donantis, Haun. *num.*221. Quòd ſi ſint donationes Matris, Avi, & Aviæ

maternæ, jura eas non irritant, uti nec Patris factas illegitimo, Tamb. *lib.5.cap.4.§.2.n.2.*

807 §.2. Donatio Patris facta filio in cauſa neceſſaria præterquàm ad alimenta cenſetur coacta, niſi Pater aliter expreſſerit, uti ſi Pater dedit aliquid filio, ut à carcere liberaretur, in quem ob delictum conjectus erat, hinc mortuo Patre tenebitur filius hoc donatum conferre cum cæteris ad diviſionem: Non tenetur tamen, ſi Pater expreſſerit nolle conferri, aut ſi prudenter poſſit judicari dediſſe liberaliter, Tamb. *num.4.* inferens ea, quæ Pater dat in dotem, ob nuptias, ob Ordines, pro ingreſſu in Religionem, eſſe mortuo Patre conferenda in diviſionem cum Fratribus, non item quæ dat pro ſolemni convivio in nuptiis, in prima Miſſa, in ingreſſu Religionis; Barboſa tamen aliique apud Dian. *p.9.t.8. R.24.* dicunt data ob Matrimonium vel ad Ordines referri ad alimenta, & non eſſe conferenda in diviſionem.

808 §.3. Non obſtante Bulla Clementis VIII. confirmata ab Urbano VIII. prohibente donationes fieri à Religioſis, poſſunt tam Superiores quàm ſubditi cum Superiorum venia ex juſta cauſa, ob ſolam utilitatem Ordinis, aut ne incurratur aliqua offenſa vel averſio, aut ſi ita deceat & conveniat, facere donationes moderatas aut convivia, Molin. Vvad. Leſſ. *in auct.v.Religioſus, caſ.5.* Haun. *à num.254.* Ratio eſt, quia cauſa finalis prohibitionis fuit impedire diſſipationem bonorum, & ambitionem in caſibus particularibus, ergo ſi largiendo non diſſipentur bona Religionis, nec ſit occaſio ambitionis per tale donum, nil agitur contra Bullas. Hinc maximè licerent, ſi fierent titulo gratitudinis aut remunerationis, cùm hæ non ſint propriè donationes, Lugo *d.23.num.141.* Addit Leſſ. ſuprà, ſi quis edat librum, poſſe aliqua exemplaria donare amicis, alioquin habebitur ruſticus vel ſordidus vel ſuperbus: Item licere donare ad conciliandos Monaſterio vel Ordini animos: Item ad pertrahendum aliquem ad fidem vel ad avertendum à flagitiis: Item quantumcunque multùm in eleemoſynam, quia eleemoſynæ non veniunt hic nomine munerum; uti nec quæ dantur Officialibus aut Quæſtoribus quaſi ad redimendam vexam, Leſſ. ſuprà: Item licitum eſt dare ex ſola benevolentia res non excedentes pretium duorum aureorum. Quòd ſi Religioſus diſſipans vel ambitioſus donaret duos aureos vel aliquid æquivalens, etiam ſine venia Superioris, peccaret quidem graviter contra paupertatem, ſed non incideret in pœnas Bullæ, uti reſpondit Clemens VIII. teſte Haun. *n.249.* duo enim aurei in Jure cenſentur quid modicum in ordine ad tales pœnas incurrendas. De conviviis autem ſpecialiter videri poteſt Gob. *in Quint.t.5.cap.26.n.42.* De cætero etiam Abbates donare prohibentur, etiam ex redditibus menſalibus, induſtrialibus aut deputatis pro recreatione: neque in luſum exponere poſſunt magnas ſummas, cùm ſint Religioſi paupertatem profeſſi, non Domini talium pecuniarum, quæ manent ſub dominio Ordinis vel Monaſterii. Etiam falſa eſt perſuaſio, quòd Rectores in Societate JESU poſſint donare ſummam 10. Imperialium. Quantum autem ſine peccato liceat huic aut iſti Superiori vel Subdito, pendet à conſuetudine approbata, & modo, quo in quovis Ordine receptæ ſunt Bullæ Clem. & Urban.

809 §.4. Quid in jure intelligatur nomine ſolidi, variæ ſunt ſententiæ apud Haun. *n.192.* Vveſemb. putat ſingulos ſolidos facere ducatum hungaricum, in Camera autem imperiali, ideoque nunc in Germania 500. ſolidi faciunt 1200. Imperiales, ſupra quos ſi quis liberaliter una vice donet, donatio eſt invalida, ut habet Buſemb. ſuprà: multas tamen exceptiones affert Onn, *d.30.ſ.6.* addens valere jure naturali, ideoque firmari juramento.

810 §.5. Circa donationem coloratam, qua quis vendit debitum minori pretio, v.g. debitum 1000. pro 500. vide, quæ addemus *num.990.*

811 *Q.128. Quid addendum ſit circa donationes factas Eccleſiæ vel ad pias cauſas?* Reſp. Seqq. §.1. Docent AA. communiter, inter quos Mol. Covarr. Panorm. Bald. Jaſ. Bartol. Leſſ. Fagund. Lugo, Onn. *num.84.* aliique cum Carden. *in 1.criſi d.21.num.5.* donationem omnium bonorum factam Eccleſiæ vel cauſæ piæ eſſe licitam & validam, quamvis jus civile reſiſtat, eo quòd talis donatio reddat impotentem teſtamenti, quod jus civile reprobat, L. *Stipulatio hoc modo, ff. de verb. oblig.* ſed hoc jus non poteſt diſponere in præjudicium cauſæ piæ, uti latè probat Carden. *à n.49.* & pluribus *à n.159.* Juri autem naturali non repugnat talis donatio, imò maximè eſt conformis conſilio Chriſti.

812 §.2. Non obſtat jus ullum civile, quominus Pater poſſit etiam in præjudicium legitimæ filiorum facere eleemoſynas vel ſumptus in favorem cauſæ piæ, & quamvis Juriſtæ communiter cum Guttier. Baeza, Sanchez *& aliis*, probabiliter dicant Patrem non poſſe inſumere ultra quintam partem bonorum in præjudicium legitimæ filiorum; item quamvis Molin. Leſſ. Sanch. *& alii* 42. AA. apud Carden. *num.57.* etiam probabiliter dicant filium profitentem in Religione non poſſe relinquere bona ſua Monaſterio in præjudicium legitimæ Parentum, ſed debere hanc ipſis competentem relinquere, tamen *Lop. Rodriq. Navar. Vega, Cord.* aliique cum *Carden.* putant ſententias oppoſitas eſſe probabiliores, dicuntque Patrem inſumere poſſe magnas quantitates in eleemoſynas & opera pia etiam in præjudicium legitimæ filiorum, in quantùm hæc dicit exceſſum ſupra alimenta jure naturæ debita; quod magis valet de legitima à filiis relinquenda Parentibus, probatque hæc fusè Carden. *à num.80.* 1. Authoritate SS.PP. 2. Ex lege & conſiliis Evangelicis. 3. Ex eo, quia ſic non minuitur legitima, quia ad legitimam non ſpectant, niſi neceſſaria ad alimenta & relicta poſt prudentem diſpoſitionem factam. 4. Quia jus civile nil diſponit aut diſponere poteſt in præjudicium cauſæ piæ; confirmatque pluribus argumentis *à n.185.* & objectionibus reſpondet *à n.201.*

§.3. Pro diſpoſitionibus quibuſcunque ad pias cauſas, 813
ut nempe ampla ſit earum interpretatio, & ſine diminutione perſolvantur, videri poteſt *Tiraq.* de privilegiis piæ cauſæ, ubi inter cætera citatis legibus & Authoribus docet ſequentia. 1. Privilegia piæ cauſæ latiſſimè ſunt exponenda & tanquam favorabilia extenduntur, privileg. 162. 2. In diſpoſitis ad pias cauſas ſervandum eſt jus canonicum, ita ſtatuente etiam civili jure, privileg. 163. unde in piis cauſis habenda eſt ratio naturalis tantùm, & divini Juris, privileg. 164. ſic licèt feudum de jure civili alienari non poſſit, tamen hoc non procedit de jure canonico, ſed alienari poteſt in piam cauſam, privileg. 104. 3. In dubiis ſemper favendum eſt piæ cauſæ, nam licèt aliàs, quando jura partium ſunt obſcura, favendum ſit reo potius quàm actori, fallit tamen in pia cauſa, in qua, ſi æquales ſint utrinque probationes, ſemper pro pia cauſa judicandum eſt, etiamſi ſuſtineat partes actoris, privileg. 146. Vide plura toto illo tractatu. Item dicenda à num. 1130. Circa acceptationem autem diſpoſitionis ad piam cauſam, videri poteſt idem Tiraquell. privil. 115. & quæ diximus num. 788. & 791.

DUBIUM IV.

Quid ſit donatio mortis cauſa, & an poſſit revocari: quomodo, & quibus competat?

RESP. 1. Donatio mortis cauſa, qua quis ſic donat, ut, 814
velit rem eſſe alterius primùm poſt ſuam mortem; ut
ſi dicas, do tibi hoc poſt mortem meam, vel cùm moriar,
vel quia timeo me nunc moriturum; revocari poteſt etiam
tribus caſibus his:

I. Si donatorem pœniteat, ſive expreſsè, ſive implicitè; ut ſi rem illam donet alteri. Leſſ. *l.2.c.18.d.14.*

II. Si dedit intuitu alicujus inſtantis periculi, ex quo metuit mortem, hoc ipſo, quòd periculum evaſit, cenſetur tacitè revocata donatio; ut ſi quis det in gravi morbo, vel inſtante prælio, Bonac. *tom.2.de contractibus, d.3.q.13.p. ult.num.20.*

III. Si donatarius moriatur ante donatorem, ipſo jure revocata eſt: ut etiam accidit in teſtamentis & legatis: ſecus eſt in promiſſione & donatione inter vivos, quæ tranſit ad hæredes. Quòd ſi autem donator promiſerit, ſe non revocaturum, tranſit in donationem inter vivos. V. Leſſ. *num.116.* Molin. *to.2.tr.2.d.287.num.9. & 16.* Azor. *l.11.cap.11.q.4.* Bonac. *l.c.*

Reſp. II. Hæc donatio fieri debet in præſentem, Dian. *p.8. t.6. R.67. & alii 5.* nec valet in abſentem ſine nuntio ad hoc deſtinato vel epiſtola; licèt valeat ut fideicommiſſum, ſi fuerint adhibiti teſtes, Dian. *& c. l.c.* Valet autem probabiliter, etſi donatarius præſens tacuerit.

Reſp. III. Donare mortis cauſa poſſunt omnes & ſoli qui poſſunt teſtari, excepto filio-familias, qui licèt teſtamentum condere nullo modo poſſit, cùm hoc ſit juris publici; donare tamen mortis cauſa, cum id ſit juris privati, poteſt, ſi adſit patris conſenſus expreſſus; imò ſine hoc donare eum poſſe, non tantum de caſtrenſibus, ſed etiam adventitiis, probabile cenſet Dian. *R.68. & 69.* Hinc donare ſic poſſunt Minores 25. annis, etiam ſine conſenſu ſui Curatoris. Dian. *R.71.* ex Molin. *d.288.n.27. & aliis 9.* Non autem uſurarius, niſi priùs uſuris ſatisfecerit, vel cautionem præſtiterit (poteſt tamen ad cauſas pias, Ibid. *R.73.* ex Fagund. *& aliis 6.*) Nec ſurdus & mutus à natura, ſecus ſi à caſu ſuperveniente; vel ſi ſurdus ſit, aut mutus tantùm; licet donare inter vivos poſſit ſecundùm quoſdam. Azor. Dian. *p.5. t.6. R.12.*

ADDENDA.

QUÆſt. 129. *Quid præterea notandum ſit circa donationem mortis cauſa?* R. Seqq. §.1. Donatio mortis cauſa eſt 815
quid medium inter donationem inter vivos & inter diſpoſitionem ultimæ voluntatis, habetque commune cum donatione in-

ter

ter vivos quòd acceptari debeat, & non requirat acceſſionem hæreditatis: ſed morte donatoris ſecuta afferat plenũ dominium: è contra cum diſpoſitione ultimæ voluntatis habet commune, quòd requirat ſolemnitatem teſtium, quòd maneat revocabilis &c. De quibus plura videri poſſunt apud Caſtrop. *t.32. d.2.p.13.n.5.* Illſ. *t.4.d.2.n.380.* Onn. *d.31.ſect.1.2.& 5.*

816 §.2. Si donationi factæ mortis cauſa adjeceris pactum non revocandi, Gloſ. Bald. Decius aliique dicunt non ideo fieri donationem inter vivos, quia clauſula illa cenſetur fruſtra adjecta, cùm enim contractus ille ſit ex natura ſua revocabilis, etiam revocabilis eſt clauſula, cùm acceſſorium ſequatur principale: E contra plures alii cum Gom. Fachin. Mol. Caſtrop. *p.14.n.5.* Onn. *ſect.7.* Illſ. *n.379.* Buſemb. ſupra dicunt fieri donationem inter vivos, & ita videtur haberi *L.27.ff. de mortis cauſa Donat.* Unde ad rationem adverſariorum negandum eſt ſuppoſitum, non enim manet mortis cauſa, ſed convertitur in donationem inter vivos; Onn *ſect.8.*

817 §.3. Si donans tantùm promiſiſſet, aut etiam juraſſet non contravenire donationi mortis cauſa, Molin. putat etiam fieri donationem inter vivos, quia promiſſio non contraveniendi videtur eſſe promiſſio non revocandi: ſed oppoſitum tenent plures cum Caſtrop. *num.7.* quia contravenire eſt aliquid agere contra donationem perſeverantem, revocare autem hic non eſt agere aliquid contra donationem mortis cauſa, ſed eſt huic maximè conforme, cùm donatio mortis cauſa ex natura ſua ſit ſemper revocabilis: Quomodo autem revocetur, vide apud Onn. *ſ.6.*

818 §.4. In dubio, an donatio ſit facta inter vivos, an cauſa mortis, Caſtrop. *n.2.* aliique cum Onn. *d.n.84.* univerſaliter dicunt cenſendam eſſe veluti inter vivos factam; quia donatio inter vivos præcipuum locum obtinet; uti ex legibus tradunt Gloſ. & alii, hinc inferunt, ſi donatio abſque ulla mentione mortis concepta ſit etiam ab infirmo morti proximo, cenſendam eſſe inter vivos, quia *L.42.ff. ſupra*, dicitur eum, qui abſolutè donaret, non tam mortis cauſa quàm morientem donare, docentque etiam Lop. Gom. Gutt. Mol. *d.287. in fine*. Et licèt fiat mentio mortis, non ideò ſemper eſt mortis cauſa, uti ſi quis dicat, dono Titio 100. quæ ei poſt mortem meam præſtentur; tempus enim mortis non adjicitur donationi, ſed ejus executioni, ergo non obſtat donationi inter vivos, Mol. Gutt. Fachin. Caſtrop. *n.3.* Quòd ſi aliqua donatio valere non potuit mortis cauſa, ſed tantum inter vivos, in dubio dicendum eſt fuiſſe inter vivos, quia ſtandum eſt pro valore actus. Menoch. Bald. & alii cum Lugo *in Reſp. Mor. l.5.d.1.*

DUBIUM V.

Quid ſit Commodatum, Precarium, & Depoſitum.

819 „ RESP. Commodatum eſt contractus, quo res aliqua „ mobilis vel immobilis, quoad ſolum uſum gratui- „ tò conceditur, idque ad aliquod certum tempus explicitè „ vel implicitè determinatum; explicitè, ut ſi dicas: commo- „ do tibi hunc librum vel domum ad unum menſem: implici- „ tè, ut ſi dicas, commodo tibi librum, ut eum deſcribas, quia „ tunc implicitè tantum temporis determinatur, quantum ne- „ ceſſarium eſt ad commodè deſcribendum.

„ Precarium eſt, quo conceditur petenti res utenda, non ad „ certum tempus (in quo differt à Commodato) ſed donec „ concedens repetat, ſive expreſsè, ſive tacitè, ut ſi det alteri, „ aut vendat. Laym. *l.3.t.4.c.14.*

„ Depoſitum eſt, quo aliquid traditur cuſtodiendum, ut in- „ tegrum reddatur. Et communiter eſt res mobilis, vel ſe mo- „ vens, ut veſtis, equus, &c. *Unde circa hæc reſolvuntur:*

„ I. Commodator non poteſt repetere abſque injuſtitia an- „ te definitum tempus. Laym. *l.c.*

„ II. Quòd ſi tamen commodanti damnum impendeat, po- „ teſt repetere, licèt ſimile damnum impenderet commoda- „ tario ex rei ante tempus repetitione, ut habet Leſſ. *l.2.c.27.d.* „ 5. quia ut ait Nav. in commodatione intelligitur tacita hæc „ conditio, niſi intereà contigerit rem eſſe neceſſariam com- „ modanti. Laym. *l.c.*

„ III. Si depoſitarius bona fide exiſtimet depoſitori non „ diſpliciturum, ſi re depoſita utatur, licebit uti, aliàs non. „ Leſſ. *d.2.*

„ IV. Si depoſitum ſit res uſu conſumptibilis, ut triticum, „ vinum, pecunia, quæ exponendo abſumitur, eaque tra- „ dita ſit certo numero & pondere & menſura, non videtur „ depoſitarius peccare, ſaltem graviter, iis utens, ſi certus „ ſit, ſe tantundem ejuſdem bonitatis habiturum, quando „ repetetur Leſſ. *l.c.* Secus ſi pecunia tradita fuerit ſacculo vel „ arcæ incluſa, vel munita ſigillo, Sylv. Azor. Leſſ. Bonac. „ V. Trull. *tom.2.l.7.c.25.d.1.n.8.* Verùm ſi is, cui res commo- „ data, locata, depoſita, & pignorata eſt, negligenter cuſto- „ diat, ita ut pereat; negligentia autem non ſit Theologica culpa mortalis, probabile eſt, quod dixi ex Soto, Sa, non „ teneri ad reſtitutionem in conſcientia. Alii tamen aliter „ ſentiunt, nimirum teneri reſtituere, qui juridicam culpam „ in cuſtodiendo contraxerit, ſi ea fuerit lata, & ſubinde ſi „ levis tantùm, imò & aliquando ſit leviſſima, (nimirum „ quando depoſitio facta eſt in commodum utriuſque, & ſi „ pretium pro cuſtodia recipiat) V. apud Leſſ. *lib.2.cap.7.d.8.* „ Laym. *c.25.* ubi docet depoſitarium tantum teneri de dolo, „ vel culpa craſſa, quæ dolo æquiparetur. „

Dicitur autem juridica culpa lata, ſeu craſſa, cùm quis „ facit, aut omittit, quod ut plurimum non facerent vel omit- „ terent in ea re homines ſuæ profeſſionis, ut v.g. ſi quis rem „ apud ſe depoſitam relinquit in loco publico, etſi inadverten- „ ter. Levis autem dicitur, cùm quis facit vel omittit, quod „ non facerent vel omitterent homines ſuæ profeſſionis dili- „ gentes, ut ſi quis depoſitum relinquit in ſuo cubiculo, ſed „ negligit oſtium claudere. Leviſſima dicitur, cùm facit vel „ omittit, quod non facerent homines diligentiſſimi, ut ſi quis „ oſtium quidem obſerarit, ſed neglexerit tentare manu, an „ eſſet bene clauſum. „

V. Sartores, Molitores, & cæteri artifices quibus res tradi- „ tur polienda, vel immutanda: item nautæ, aurigæ, caupones, „ apud quos res deponuntur, tenentur ex levi culpa, quia de- „ poſitio fit etiam in commodum ipſorum: imò Sylv. *v. Nauta*, vult eos teneri ex leviſſima, ex *l.1.ff. Depoſiti.* Idque cau- „ tum eſſe ad vitandas eorum fraudes. Quod etiam Leſſ. *n.45.* „ & Trull. *n.6.* putant eſſe probabile in utroque foro, ſi quis iis „ rem expreſsè tradiderit cuſtodiendam: ſi autem ipſis tantùm „ videntibus depoſuerit, v.g. in diverſorio, navi, &c. ne- „ quidem ex lata teneri. V. Bon. Trul. Dian. *p.1.t.8.R.74.* „

VI. Si depoſitarius (idem eſt de commodatario) dubitet, „ an depoſitum ſua culpa perierit, non tenetur in conſcientia „ ad reſtitutionem. Sanch. *de matr. l.2.d.41.n.18.* quia in dubio „ non præſumitur delictum, ex *l. Merito ff. Proſocio.* V. Dian. „ *p.4.t.3.R.30.* In foro tamen externo, ſi res depoſitarii man- „ ſerint incolumes præſumitur de dolo, niſi depoſitarius pro- „ bet depoſitum caſu periiſſe, & non potuiſſe ſimul cum re- „ bus ſuis, (imminente v.g. incendio) ſervari, tunc enim „ non teneretur, quia præſumptio doli ceſſaret. V. Palaum „ *t.1.d.3.p.4.* Trull. *n.9.* „

VII. Si domino repetenti depoſitum, remiſerit per homi- „ nem, qui fidelis habebatur, iſque ſibi retinuerit, vel per- „ diderit, domino periiſſe dicit Molina, citatus ab Eſcob. V. „ Trull. *n.8.* „

VIII. Deponens rem uſu non conſumptibilem, poteſt à „ depoſitario pro ejus uſu aliquid accipere: quia is eſt pretio „ æſtimabilis: (licèt eo caſu non depoſiti, ſed locati & „ conducti contractus ſit dicendus.) Secus ſi ſit uſu conſump- „ tibilis; tunc enim depoſitum, eo ipſo quòd depoſitarius in- „ cipit eo uti, induit naturam mutui, ex quo (ſecluſa ratio- „ ne lucri ceſſantis, &c.) nihil licet accipere, ut *vid. dub.* „ *ſeq.* & Bon. *tom.2.de contract.d.3.q.14.p.3.* Trul. *l.c.* „

ADDENDA.

Quæſt.130. Quid notandum ſit præterea circa commodatum? R. Seqq. §.1. Qui habet jus utendi re commodata, poteſt, per ſe loquendo, etiam alteri commodare, niſi aliter conventum ſit, vel ſciretur de contraria mente commodantis, poteſt enim alteri cedere jus ſuum. 820

§.2. Commodatarius tenetur ad ſumptus ordinarios circa rem commodatam, v.g. tenetur paſcere equum commodatum; item ſoleis ferreis inſtruere, ſi deficiant. Ad extraordinarios tamen ſumptus non tenetur, v.g. non tenetur ad ſumptus pro equo ſanando, ſi ægrotare incipiat; pro redimendo, ſi ab hoſte capiatur; quare poterit tum monere dominum, ut ſumptus miniſtret vel rem recipiat, ſe enim curam ejus dimittere: ſi tamen monere non poſſet dominum, teneretur exponere ſumptus, & poſteà rem detinere, donec refunderentur, Lugo *d.8.num.134.* 821

§.3. Damnum, quod commodatarius patitur à re commodata, debet compenſare commodans ſi ſcivit vitium rei: & prævidit damnum inde ſecuturum, quod impedire poterat & debebat, uti ſi equus commodatus fuit morbidus & infecit alios: Si autem neſcivit, damnum ſpectat ad commodatarium. 822

§.4. Pupillus, Minor, prodigus, non obligantur ſi dent commodato abſque authoritate Tutorum vel Curatorum, ſed poſſunt repetere ante tempus deſignatum, ſi tamen aliquid commodato acceperint, commodans obligatur illis ſervare tempus. 823

Q.131. Quid circa precarium ſit addendum? R. Seqq. §.1. Hic contractus dicitur precarium, quia ad preces alterius ſeu petitionem conceditur omninò gratis ſine obligatione relinquendi: qui autem precario dat, non debet ſine neceſſitate 824

ſa-

ſtatim datum repetere, alioquin videbitur voluiſſe illudere, aut alteri creare damnum, Abbas & alii.

825 §.2. Precarium revocatur ſeu finitur, 1. voluntate concedentis expreſſa vel tacita, ut habet Buſemb.2. Morte ejus, cui res eſt conceſſa, cenſetur enim gratia quaſi perſonalis, quæ ad hæredes non tranſit. 3. Si res fuit abſolutè conceſſa, non finitur morte concedentis, ſed ſi incipit uti, poteſt pergere, donec hæredes revocent; ſi autem eſt conceſſa cum addito, quamdiù voluero vel placuerit mihi, ſecundùm Abb. Molin. Laym. & alios communiter, finitur morte concedentis, quia tum ceſſat ejus voluntas & placitum; oppoſitum tamen tenent Caſtrop. Tamb. *l.9.t.7.c.7.n.9.* Spor. *t.6.c.7. n.161.* quia in communi modo loquendi hæ formulæ, donec voluero, ad meum placitum, videtur æquivalere his, donec revocavero, quouſque non revocavero, atqui ſola morte concedentis non ponitur revocatio, & ſi conceſſerit ſub clauſula, donec revocavero, ſecundùm omnes non finitur morte concedentis, ergo nec illo priori modo: Sed tenenda eſt altera ſententia, propter dicta *l.1.n.836.*

826 *Q.132. Quid addendum ſit circa depoſitum?* R. Seqq. §.1. Contractus depoſiti intervenit, ſi quis in domo alterius ponat aliquid, & dicat, *tibi trado hanc rem in cuſtodiam*, & ipſe conſentiat ſive acceptet, Mol. *t.2.d.522.* Onn. *d.54 à n.6.* aliique communiter; Poteſtque etiam Religioſus eſſe depoſitarius, Mol. *d.525.* Lugo *d.33. n.6.* Eſt autem in rigore contractus depoſiti, ſi quis promittat operam ſuam ad cuſtodiendam rem alienam ſibi traditam, nullo convento pretio aut mercede, ſed omninò gratis, AA. cum Onn. *n.8.*

827 §.2. Qui habet depoſitum vel pignus, & non utitur, non tenetur nequidem ordinarios ſumptus facere neceſſarios ad rem conſervandam vel recuperandam, Lugo *d.8. n.134.* Si autem utatur, tenetur ad ordinarios, &, uti aliqui volunt, ad extraordinarios leves, hos enim meretur uſus. Quòd ſi extraordinarios & magnos fecerit, multi cum Haun. *n.850.* negant, alii cum Mol. Lug. & Onn. affirmant, poſſe tamdiù retinere depoſitum, donec refundantur.

828 §.3. Si deponens repetat rem depoſitam in ſuum vel aliorum detrimentum; ſecundùm dicta *à n.426.* non eſt obligatio reddendi, ſi autem bona deponentis ſunt publicata vel addicta fiſco, depoſitum eſt fiſco tradendum. Quòd ſi deponens eſſet furatus rem, communior tenet hanc eſſe reddendam domino, non furi, ſed videri debent dicta *à n.98.*

829 §.4. Si depoſitarius re depoſita negotietur domino inſcio, multi cum Beja *p.1.caſ.42.* Roder. *l.3.q.11. à n.10.* & Dian. *p.2. t.8. R.32.* dicunt illum poſſe ſibi lucrum aliud retinere, quod admittit Lugo *d.17. n.49.* ſi fiat ſine ullo præjudicio aut periculo domini. Idem dicit *Roſmer.* facere poſſe theſaurarium Principis vel Eleemoſynarium; imò quamvis Princeps prohiberet eum ita uti, tamen ſi utatur, putat non peccare graviter contra juſtitiam: quia nullum damnum grave infert contra jus proprietatis; poterit tamen peccare leviter contra obedientiam, & jus juriſdictionis.

830 §.5. Si nihil expreſsè deductum ſit in pactum, præſumitur depoſitarius ſe obligaſſe ad cuſtodiendum tandiù depoſitum, quandiù à deponente non repetetur, vel non emerſerit cauſa urgens & improviſa reſtituendi, Haun. Quòd ſi contractui appoſitum ſit certum tempus cuſtodiendi, v.g. per biennium, deponens repetere poterit, quando volet, etiam ante evolutum biennium, quia terminus ille eſt adjectus, non in præjudicium deponentis, ſed ad finiendam obligationem depoſitarii. Excipe niſi in utilitatem depoſitarii conceſſa fuiſſet facultas intereà utendi re depoſita & de ea ad libitum diſponendi cum obligatione deponentis ad non prævertendum tempus, ſed tum non maneret purum depoſitum, verùm accederet ratio mutui, vel alterius contractus innominati, uti dicetur *n.898.*

831 §.6. Si creditor deponentis denuntiet depoſitario, ne reddat rem depoſitam, priuſquam ſibi creditori ſit ſatisfactum, jura ſtatuunt, ne depoſitarius pareat, alioquin damna & uſuras ſolvere teneatur deponenti: neque enim oppoſitor impedire poteſt reſtitutionem depoſiti faciendam deponenti, Onn. *à num.73.* Neque oppoſitio tertii numeratur inter caſus non reddendi depoſitum, Lugo *n.7.* Onn. *à num.89.* Imò licèt deponens eſſet debitor, depoſitarius retinere non poſſet, uti vult Stryck. *ſect.2.c.3.§.5.*

832 §.7. Quamvis non ſit purè depoſitum, ſed depoſitum cum facultate utendi, uti ſi apud Campſorem vel Bancarium deponas pecuniam, tamen pro hac cuſtodia & obligatione reddendi, quando alter volet, peti poſſe moderatum ſtipendium, docent ex communi Mol. & Leſſ. *l.2.c.23. à n.47.* quia ſic ſe obligare ad cuſtodiendum, & reſtituendum videtur eſſe pretio æſtimabile, quæſtus autem, qui interim habetur ex uſu pecuniæ, non eſt fructus pecuniæ, ſed induſtriæ. Videri poteſt Roder. *à n.1.*

833 §.8. Contractus depoſiti eſt bonæ fidei & non ſtricti juris, uti tenent omnes cum Onn. *n.24.* hinc ſecundùm dicta *n.583.* in illo habet Judex facultatem ex æquo & bono judicandi, quòd ſibi fuerit viſum, etiamſi in conventione id expreſſum non ſit. Mol. *d.259.*

§.9. Ad depoſitum refertur ſequeſtrum, ſequeſtrum autem 834
eſt contractus, quo res inter plures controverſa apud aliquem, qui dicitur ſequeſter, deponitur, eo fine, ut poſteà ei tradatur, qui cauſam evicerit: ſi tamen pro hac re offeratur idonea cautio, per quam abundè cautum ſit parti adverſæ pro re conſervanda & reſtituenda, jura ſtatuunt, ut res ſequeſtrata parti caventi relaxetur.

Hìc dicta de commodato, precario, & depoſito, ferè habentur in legibus apud Haun. *t.10. c.7. &* 8. apud Lugo *d.33.* Ex qua autem culpa aliquis teneatur reſarcire damna cauſata rei commodatæ, precario conceſſæ vel depoſitæ, dictum eſt *à num.170.*

DUBIUM VI.

Quid ſit mutuum.

RESP. Eſt contractus, quo rei alicujus, numero, pon- „ 835
dere vel menſura conſtantis dominium à mutuante in „
mutuatarium transfertur, cum obligatione reſtituendi eandem, vel ſimilem ſpecie & bonitate, Propriè autem mutuum „
ferè eſt in rebus uſu conſumptibilibus, inter quas etiam eſt „
pecunia: quæ licèt non abſumatur, nec pereat in ſe, perit „
tamen exponenti. Diſtinguitur à permutatione, quòd in ea „
reddatur res alterius ſpeciei. Item à pignore, hypotheca, „
depoſito, commodato & locato, quod dominium in iis non „
transferatur, ſed uſus tantùm. Bon. *tom.2.de contr.d.3.q.3.* „
p.1. Unde reſolves: „

I. Mutuans obligatur monere de vitio rei, alioqui ad „
damnum tenetur in conſcientia. „

II. Item non repetere rem ante tempus, niſi ipſe ſit in pari neceſſitate. „

III. Item præſtare caſum fortuitum mutuatarius tenetur, „
cùm penes hunc rei dominium ſit, & rem eadem quantitate „
& qualitate reddere ſuo tempore. „

IV. In vero mutuo lucrum aliquod accipere non licet, „
quia eſt uſura, de quo *dubio ſequenti.* „

ADDENDA.

Quæſt.133. Quid præterea ſit notandum circa mu- 836
tuum? R. ſeq. §.1. Mutuum inde dicitur, quìa quod mutuo tibi, ex *meo* fit *tuum*, uti habetur §.1. *Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio.* Quando autem dicitur debere eſſe de re fungibili, per Tò *fungibile* intelligitur res talis, ut una in commutationibus, & ſolutionibus poſſit *fungi* vices, ſeu ſubſtitui loco alterius, unde Haun. *t.9. n.313.* & Leſſ. negant equos, boves, &c. eſſe materiam mutui, affirmant tamen Mol. & Lug. *d.25. num.1.*

§.2. De ratione mutui eſt, ut transferat dominium, alter 837
enim accipit jus ad omnes illius uſus; & quod attinet pecunias aliaſque res ſimiles, quæ unico ſui uſu conſumuntur, cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res, inquit S. Th. *2.2.q.78.a.1. in O. & a.2. ad 5.* abſolutè dicit, *ille, qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat:* Unde audiendus non eſt Caram. docens mutuantem retinere dominium morale rei mutuatæ, nam ſi hoc verum eſt, ergo mutuatarius non poteſt pro libitu deſtruere, commutare vel alienare rem mutuatam. Deinde licitè accipiet aliquid ex vi mutui, erit enim reipſa locatum vel commodatum, pro quibus licitè aliquid accipitur.

§.3. Si pecunia furtiva à fure mihi detur cum obligatione 838
reddendi certo tempore, propriè non eſt mutuum, quia per hoc non transfertur in me dominium, ſi tamen conſumpſerim bona fide, per conſumptionem cenſetur fieri mutuum & tranſlatum dominium, *L.13.ff.de rebus creditis.* Si autem conſumpſerim mala fide, non eſt mutuum, ſed domino rei datur actio contra me, atque ſi pecunia illa adhuc extaret, *L.11. §.finali, ff.ibidem.*

§.4. Jura apud Laym. *l.3.t.4.c.15.n.6.* ſtatuunt, ut ſi accep- 839
tum ſit mutuum pro Eccleſia vel cauſa pia, pro civitate vel oppido, pro pupillo, pro minorenni, ſive per hos ipſos cum Adminiſtratorum aut Tutorum conſenſu, ſive per Adminiſtratores aut Tutores ipſos, illi, pro quibus acceptum eſt, non tenentur reddere, niſi mutuans probet in utilitatem illorum eſſe expenſum: datur tamen mutuanti actio in accipientem, & accipienti datur actio in illos, pro quibus accepit, dummodò probet ſe in utilitatem eorum convertiſſe; ſi autem acceperunt ſine conſenſu, tenentur reſtituere, quantum facti ſunt ditiores, cujus probatio incumbit mutuanti.

§.5. Si quis fidens alteri ſcribat obligationem quaſi accepe- 840
rit mutuo, ſi interim non acceperit poteſt intrà biennium creditori

ditori mutuum repetenti opponere exceptionem non numeratę pecuniæ, & tum Creditor debet poſitivè probare, quòd pecuniam ipſi dederit; alioquin cadet cauſa, licèt alterius exhibeat obligationem: è contra ſi creditor fidens debitori ei dederit quitantiam, & nihilominus hic non ſolvat, poteſt creditor intrà dies 30. excipere, tumque tenebitur debitor probare ſe voluiſſe, aliàs iterum cogetur ſolvere, nec juvabit exhibere quitantiam, ideoque in his meritò adhibendi ſunt vel Notarius publicus, vel teſtes, Mol. Laym. Lugo *n* 5. Haun. *à n.* 295.

841 §. 6. Qui mutuum accepit in auro, ſatisfacit ſolvendo æquivalens in argento, niſi aliter conventum ſit, Fachin. Mol. Rebell. Caſtrop. Tamb. Burgh. *cent. 3. caſ. 66.* Illſ. *t. 4. d. 2. num. 429.* & alii contra Bart. Bald. Panor. Cov. & alios. Ratio eſt, quia in communi commercio aurum & argentum æquata ſecundùm valorem, cenſentur idem eſſe, non poteſt tamen reddi, v.g. triticum pro pecunia, quia hæc eſt permutatio, quam non tenetur facere, qui mutuavit. Vide dicta *n.* 115.

842 §. 7. Occaſione *Macedonii*, qui filiis-familias etiam puberibus dabat mutuum, reddendum poſt mortem Parentum, ſicque illos movebat ad optandam vel inferendam Parentibus mortem, factum eſt Senatus-conſultum, dictum Macedonianum, quò ſtatuitur tali mutuanti reddendam non eſſe pecuniam mutuatam; quod pro foro externo obligat ſecundùm omnes; ideoque negatur omnis actio ad repetendum. An autem teneat etiam de jure naturali & pro conſcientia; diſputant AA. affirmant Bart. Innoc. Panor. Leſſ. Sanch. Laym. Lug *ſ.* 1. Haun. *n.* 327. Spor. *t. 6. c. 4. n.* 24. aliique communiùs, quia leges poterunt hoc juſtè ſtatuere in pœnam mutuantis: neque videtur filius-familias poſſe renunciare huic exceptioni, qua non eſt privilegiū in favorem ipſius, ſed Parentum, Haun. *n.* 328. Quod ſi juraſſet ſervare, aliqui affirmant, alii adhuc negant teneri, Haun. dicit tantùm teneri, ſi fieri poſſit ſine præjudicio Parentis: E contra filios-familias jure naturali, & in conſcientia manere obligatos docent Cov. Fach. Rebell. Illſ. *n.* 430. quia *l. 9.* §. *ult. ff. De S. C. Maced.* dicitur, ſi filii-familias ultrò reſtituiſſent mutuum, non poſſe eos repetere ſolutum per actionem indebiti, nec legem voluiſſe eos exonerare; & ſtatim ſubditur *L.* 10. *Quia naturalis obligatio manet. Conf.* nam certum eſt illos naturaliter obligari, ſi jus non impediat, dubium autem eſt, an impediat, ergo eſt poſſeſſio pro obligatione, & hæc ſententia ſpectato textu videtur probabilior. Caſus tamen, in quibus tale mutuum tenet etiam in prima ſententia, ſunt ſequentes. 1. Si filius peculium caſtrenſe vel quaſi caſtrenſe habeat, aut adminiſtrationem peculii adventitii, aut poſt emancipationem ratificarit. 2. Si miles fuit, quando accepit mutuum. 3. Si publicè videbatur eſſe ſui juris: addunt Abb. & Laym. *n.* 5. ſi mutuans ob ignorantiam culpa vacat. 4. Si accepit Patre conſentiente aut ſciente & non contradicente. 5. Si accepit in tali neceſſitate, in qua pietas Patris recuſare non poterat. 6. Si expendit in rem aut negotiationem Patris. 7. Si accepit mutuum, non in pecunia, ſed re alia, qua uteretur. V. Onn. *d. 25. à n.* 207.

843 §. 8. Certum eſt eum, qui ſcit vel etiam probabiliter credit ſe non poſſe ſolvere, nec acceptūrum ut poſſit, non poſſe pecuniam mutuo vel ad cenſum accipere, niſi in eo caſu, in quo liceret occultè & more furum accipere, uti dictum eſt *n.* 1. *à n.* 950. & colligitur ex dictis hic *n.* 17. *&* 380. alioquin æquivaleret furto, uti rectè Leſſ. *in Auct. v. Mutuum, caſ.* 5. Ad quid autem teneatur mutuò accipiens in extrema neceſſitate, colligitur ex dictis *l.* 2. *n.* 207. & ex dicendis *n.* 894.

844 §. 9. Si nullum tempus ſit deſignatum, quandonam repeti poſſit mutuum, in primis repetendum non eſt ante uſum & expletum finem, ob quem datum eſt: deinde determinatio temporis facienda eſt ex circumſtantiis, v.g. frumentum agricolæ mutuatum in hyeme, eſt mutuatum uſque ad meſſem; pecunia mercatori ad nundinas eunti, uſque dum vendiderit merces: Opifici, uſque dum vendiderit operas: ſi tempore penuriæ tu pauper mutues alteri modium farinæ, intelligitur una vel altera ſeptimana, ſed tempore abundantiæ, etiam menſis. Quòd ſi ſis dives, & mutuatarius ſit pauper, intelligitur etiam annus, ita Tamb. *l. 8. t. 3. c. 8.* §. *1. n. 5. &* 11. item §. 5. *n.* 11. Spor. *n. 6.*

DUBIUM VII.

Quid ſit uſura?

845 „ RESP. Eſt lucrum immediatè proveniens ex mutuo, ita „ ut mutuans ſupra ſortem, id eſt, ſummam capitalem „ lucretur aliquid, quòd ſit pecunia æſtimabile; ita ut lucrum „ tale præcisè intendatur ratione mutui. Quod planè iniquum „ eſt, & grave peccatum contra jus humanum & divinum; cùm „ mutuans acquirat lucrum ex re jam non amplius ſua; quia „ res mutuata jam tranſiit in dominium mutuatarii, ut patet „ ex definitione. Et regula generalis: *Omne pactum, vel gravamen, ſive onus additum mutuo, præter id, quod ei* „ *proprium & intrinſecum eſt, reddit contractum uſurarium*, Bonac. *tom. 2. de contract. d. 3. q. 3. p. 2.* C. Lugo *diſp.* „ 25. *ſect. 2. Unde reſolves:* „

I. Peccat graviter ex genere ſuo exercens talem uſuram, „ etſi ſit mentalis tantùm, abſque externo pacto. Dicitur enim „ uſura mentalis, cùm quis intentionem habet recipiendi aliquid ex mutuo ultra ſortem, etſi exterius pacto id non exprimat; ſicut realis ſeu exterior uſura dicitur, cùm quis intentionem illam per pactum aliquid exprimit, quod aliquando tantùm implicitè fit in aliquo contractu, & vocatur uſura palliata; cùm videlicet contrahentes prætendunt alium „ contractum emptionis, locationis, &c. in quo tamen revera „ uſurarium quid intervenit. Vide exempla apud Tol. *l. 5. c. 31.* „

II. Non eſt uſura, ſi mutuans nihil intendat ut pretium, „ ſed tantùm ſperet aliquid ex gratitudine, & ea intentione „ illi aliquid donetur, licèt illud ut finem principalem intendat, Mol. *t. 2. d. 305. n. 6.* Lugo *ſ.* 4. „

III. Quòd ſi tamen intelligeret ſibi aliquid donatum non „ gratis, ut putabat, ſed ut debitum ratione mutui, teneretur reſtituere, quantùm inde ditior evaſiſſet, ut habet Sa, „ *v. Uſura*, Lugo *n.* 32. „

IV. Nec eſt uſura dare mutuum alterius amicitiæ captandæ cauſa, atque ulterius inde ſperare officium; quia amicitia non æſtimatur pretio, Lugo *n.* 29. „

V. Pactum tamen de obtinendo à mutuatario (vel ejus opera) officio aliquo, illicitum eſt, & uſurarium, ita comm. Mol. *d.* 310. Leſſ. Sal. Lug. *n.* 41. contra Nav. etſi Salas *de uſur. d. 9. n.* 4. eum excuſet, qui mutuat aliquid cù pacto, ut ſtatim præſtetur aliquod beneficiū ex gratitudine V. Trul. *t. 2. l. 7. c. 19. d. 7.* „

VI. Pactum, ut mutuatario conferatur beneficium Eccleſiaſticum, eſt uſura, (& ſimonia) quia cogitur is ſubire novum onus. „

VII. Non eſt uſura, cùm quis non potens ſua recuperare, „ mutuat, ut ſibi reddantur ſua, vel ne ſibi iniquè nocetur: „ quia hæc jure jam ante debentur: & ſic non facit lucrum, „ nec imponit novam obligationem. Bon. *q. 1. p. 3. n.* 15. ex Az. „ Regin. &c. „

VIII. Nec eſt uſura exigere aliquid ratione periculi recuperationis, difficultatum vel expenſarum, quæ erunt vel metuuntur in recuperanda ſorte: quia pretio æſtimari poteſt, „ quod quis ſe in tale periculum, & difficultatem conjiciat, „ Kon. *d. 3. p. 5.* Neceſſe tamen eſſe, ut periculum iſtud, &c. „ deducatur in pactum expreſsè vel tacitè, docet Laym. *l. 3. t. 4. c. 16. n. 9.* ex Medin. Tol. Med. Leſſ. *l. 2. c. 20. d. 13. & c.* Idem dicit Lug. *n.* 80. Et ſic liciti ſunt Montes pietatis, ut vocant; „ hoc eſt; theſauri quidam, qui in refugium pauperum à Rep. „ vel Principe reponuntur, ut inde pauperibus gratis mutuetur, ita tamen, ut parum retribuant pro expenſis, quæ fiunt „ in miniſtros, & conſervatione talium Montium. V. Tol. „ *l. 5. c. 38.* Bon. *l. c. p. 12.* Leſſ. *d. 23.* „

IX. Nec eſt uſura, ſi timens difficultatem aut fraudem „ mutuatarii in reddendo tempore conſtituto, paciſcaris, ut „ ſi tunc non ſolvat, aliquid det præter capitale loco pœnæ „ quæ pœna licitè exigetur, dummodò non fiat alia intentione, „ quàm ut mutuatarius ſic quaſi conſtringatur, ne ſua culpa „ fallat. Unde ſi mutuatarius abſque ſua culpa non poſſit ſolvere, non licebit pœnam exigere, ut habet Tol. *c. 32. n.* 1. qui „ ait, manifeſtum eſſe argumentum pravæ intentionis, ſi „ optes non ſolvi tibi præfixo tempore, ut pœnam recipias: ac „ ſimpliciter uſuram fore, ſi certò ſciens alterum non valiturum ſolvere, adhuc tali pœna oneres. V. Bon. *p. 7.* Mol. *t. 2. d. 317.* Leſſ. *d. 15.* „

X. Nec eſt uſura, paciſci & accipere aliquid ratione damni emergentis, (ſiquidem mutuum verè illius cauſa ſit) aut „ lucri ceſſantis, vel ceſſaturi, dummodò de hoc præmoneatur mutuatarius, ut ſi volebas domum reficere, aut poteras „ nunc commodo tempore emere triticum, privando autem „ te tua pecunia in dando mutuo, corruit domus, & poſtea „ cariùs emes triticum; item non poteris lucrari, cum tua pecunia, quod poteras & volebas negotiando, ita ut mutuatario ſit verè cauſa lucri ceſſantis. Ubi notat Tol. *n. 3.* ſupponendum in hoc titulo lucri ceſſantis, 1. Quòd verè volueris cum ea pecunia negotiari, & non habeas aliam. 2. Quòd „ malis negotiando aliterve lucrari, quàm ſic mutuando, ita „ ut mutues tantùm in gratiam mutuatarii. 3. Ut minus exigas quàm lucrari poteras, & deductis expenſis, quia lucrum „ ceſſans non eſt actu ſed in potentia, & variis adhuc eventibus obnoxium. Unde ad arbitrium viri prudentis, pro majore vel minore ejus certitudine, æſtimare id poteris, & ſic „ cum mutuatario de eo paciſci S. Thom. *a. 1. ad* 2. Mol. *d. 314.* „ Salas *d.* 18. *&c.* Lug. *d.* 25. *ſ.* 6. Bon. *p.* 4. Hinc qui non habuit animum negotiandi, vel ſi non erant, nec brevi ſperabantur merces, vel non erat moraliter certus de lucro, nihil „ poteſt accipere ultra ſortem, quia mutuatio iſta verè non „ fuit cauſa lucri ceſſantis. Eadem ex cauſa uſura eſt, ſi mercatores credito vendentes, aliquid ultrà pretium rigoroſum „

acci-

„ accipiant titulo lucri ceſſantis, v.g. rem tantùm valentem „ 100. vendant pro 105. numerandis poſt annum, quia vendendo ad creditum (quod eſt virtualis mutuatio) plures habent „ emptores, pluriſque res vendunt, & ſic compenſatur lucrum „ ceſſans, atque ideò illud non ceſſat ratione hujus venditionis. Dian. *p.2.t.8.R.34.* Trul. *d.9.n.3.v.dub.ſeq.*

„ XI. Mutuare frumentum vetus cum obligatione, ut reſtituatur novum, (præſertim certo tempore) eſt uſura, ſi mutuans ſciat novum fore melius, & majoris pretii. Sylv. Nav. Trul. *d.15.n.11.*

„ XII. Eſt uſura ex communi ſententia, ſi des mutuum, ut poſtea mutuatarius ex debito civili obligetur tibi rurſus mutuari, aut vendere, vel apud te in tua officina emere merces, aut operas ſuas locare: quia talis obligatio eſt res pretio æſtimabilis, cùm privet mutuatarium poteſtate alibi emendi & locandi operas. Leſſ. *d.8.* Lugo *n.46.* V. Laym. *l.3.t.4. c.16. n.3.* Bon. *p.3.*

„ XIII. Uſura eſt, mutuare Principi vel Reipublicæ eo pacto, ut interim dum non ſolvitur, ſis liber à tributis vel oneribus juſtis ſolvendis. Salas Lug. *n.64. ex communi.*

„ XIV. Item mutuare ea lege, ut mutuatarius eam pecuniam exigat à debitore mutuantis, à quo non facilè extorquebit. Quod addo; quia ſi ſpontè onus illud ſuſcipiat, eò quòd facilè poſſit obtinere, non erit uſura, Ibid. & Bon. *l.c.*

„ XV. Item ſi frumentum, quod alibi habes, des mutuum, obligando, ut tibi reddatur hìc vel alibi, (cum majoribus ſumptibus, vel laboribus) ubi plus valet. *Ibid.*

„ XVI. Uſura etiam eſt, obligare mutuatarium, ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non indiget. *Ibid.*

„ XVII. In mutuo pecuniario, niſi aliter conventum ſit, ſi quis det mutuos v.g. 100. florenos, non poteſt exigere plus, „ quàm eorum pretium, & valor tunc fuerit: Unde ſi eorum „ valor tunc augeatur, non poteſt repetere 100. quia reciperet „ aliquid ſupra ſortem. Quòd ſi valor decreſcat, debet mutuatarius reddere plus quàm 100. quia aliàs non reſtitueret „ ad æqualitatem. V. Leſſ. *c.22.d.8.* Laym. *n.15.* Bon. *l.c.*

„ XVIII. In mutuo tamen aliarum rerum, ut vini, tritici, „ &c. aliter ſe res habet, quia ſi quis v.g. mutuet alteri 10. modios tritici, ſive pretium creſcat ſive non, poteſt repetere 10. „ Ratio diſparitatis eſt, quia in pecunia non ſpectatur ordinariè, (niſi aliter conventum ſit ob certas, & licitas cauſas) niſi „ valor ſive pretium. Unde non debet reſtitui, niſi pretium æquale. At verò in frumentis, &c. ſpectatur ipſa materia, quia „ non petitur mutuum frumentum propter pretium frumenti, „ ſed propter ipſum corpus & ſubſtantiam, ergo ſi creſcat pretium illius, poteſt repetere tot menſuras, quot dedit mutuo. „ Interim tamen quidam de his rebus eodem modo loquuntur, quo de moneta. V. Laym. *n.14.* & Bonac. *l.c.*

„ *Quæres.* Quæ obligatio & pœna ſit uſurariorum, & cooperantium?

„ Reſp. I. Uſurarius, etiam non manifeſtus, ac hæredes tenentur reſtituere, imò etiam omnes ii, qui ex parte uſurarii „ cooperantur efficaciter, v.g. judices, domini temporales, „ notarii, famuli, advocati, qui quovis modo juvant vel „ cogunt mutuatarios ad ſolutionem uſurarum. Dixi (*poſitivè ſeu efficaciter*) quia habendo ſe negativè, poſſunt permittere uſurarios, ob juſtam cauſam & neceſſitatem pauperum. „ Præterea in praxi, ex præſumpta voluntate mutuatariorum, „ ferè excuſantur minùs principales famuli. II. Uſurarius publicus, ſive notorius, non debet admitti ad communionem „ Altaris, nec abſolvi, donec reſtituat uſuras, nec ſepeliri „ in loco ſacro, & qui ſcienter ſepelit, ipſo facto eſt excommunicatus. III. Addit Laym. *n.21.* ejus teſtamentum ipſo „ jure irritum eſſe, niſi ante mortem reſtituerit. V. Leſſ. Bon. „ Trull. *d.12.*

ADDENDA.

846 QUæſt. 134. *Quid ſit contractus uſuræ, & in quo conſiſtat ejus iniquitas?* R. §. 1. Uſura ſumpta pro lucro rectè definitur à Buſemb. ſed ſumpta pro contractu definitur, Contractus mutui, in quo ex ſtricta obligatione redditur aliquid temporale & pretio æſtimabile ultra ſortem, præcisè ratione mutui. Prohiberi autem illam jure humano, divino & naturali probat Spor. *t.6.c.4.à n.110.* Nec poſſe concedi jure civili, latè oſtendit Gaſp. Roder. *de ann. reddit. l.3.q.4.à n.71.*

847 §. 2. S. Thom. *opuſc.73.c.7.* ait, *Uſura in mutuis vitium eſt, quia corrumpit liberalitatem, cujus eſt mutuum dare gratis .·.·. Corrumpit etiam debitum finem, quia accipitur ſpe lucri*: Iniquitas autem ſive injuſtitia illius in eo conſiſtit, quòd mutuans capiat lucrum ex re aliena, nam mutuum eſt res mutuatarii & non mutuantis, uti *n.837.* dictum eſt: hinc uſuram vocat rapinam S. Ambroſ. *Cap. Si quis, 14.q.4.* & S. Aug. *Cap. Quid dicam ibidem*, vocat trucidationem pauperis. *Si dicas*, concedens ſolum uſum rei v.g. elocatæ, poteſt pro eo aliquid accipere, ergo multò magis concedens etiam dominium. R.n. conſeq. concedens dominium non poteſt negare uſum, quia res fit alterius, & conſequenter etiam omnis ejus uſus, ergo mutuans ex vi uſus nihil poteſt accipere; ſed nec pro dominio, quia poſteà recipiet æquivalens; è contra elocans aut per ſimilem contractum concedens ſolum uſum manet dominus rei, & cùm res fructificet domino ſuo, hæc illi affert tale commodum ex uſu: hinc S. Th. 2.2. *q.78. a.1. ad 6.* dicit, ſi quis pecuniam peteret ab altero, non ad exponendum, ſed ad ſolam oſtentationem, aut loco pignoris, non fore uſuram pro illo uſu aliquid accipere, quia eſſet veluti locatio vel commodatio, & pecunia haberet ſe tantum veluti alia ſupellex permanens conceſſa ad ornatum vel ſecuritatem, uti notat Carden *in 1. criſi d.63. n.117.* quamvis adhuc putet Palav. *l.4.n.144.* fore in hoc aliquam injuſtitiam, quia utilitas, quæ Commodatario provenit, non eſt ex natura pecuniæ, ſed ex aliis circumſtantiis pertinentibus ad ipſam perſonam commodatarii, ideòque hæ non erunt pretio vendibiles à commodante; deinde etiam, quia per talem uſum nihil decedit de valore vel pretio pecuniæ, nec commodans ideo patitur ullum incommodum, uti ſupponitur.

Q.135. An in uſura detur parvitas materiæ? R. Dubitarunt aliqui apud Dian. *p.5.t.5. R.30.* quia quidquid etiam minutiſſimum accipitur ſupra ſortem eſt uſura: ſed ratio illa nulla eſt, ſicuti enim quidquid accipitur invito domino eſt furtum, ſed non ideo grave, ita licèt omne, quod accipitur ſupra ſortem, eſſet uſura, non ideo eſſet gravis, itaque dicendum cum Lugo *d.25.n.252.* aliiſque paſſim dari in ea parvitatem materiæ, ſi nempè ſit injuria levis ſeu leviter tantùm damnoſa. 848

Q.136. An aliquando ſit obligatio gratis dandi mutuum? R. Affirmativè, & quidem etiam cum periculo ſortis, nam Charitas ſæpè obligat ad eleemoſynam, qua res propria donetur ſine ſpe quidquam recuperandi, uti dictum eſt *l.2.n.200. & 207.* ergo magis ad mutuum cum ſpe recuperandi ſortem, hoc enim eſt minus. Et id videtur velle Chriſtus Luc. *6.* verſ. 34. *Si mutuum dederitis his, à quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.* Neque dicas, id eſſe puri conſilii, nam v. 35. ſubdit, *verumtamen diligite inimicos veſtros, benefacite & mutuum date nihil inde ſperantes*, eſt autem præceptum diligendi inimicos & beneficium præſtandi proximo, ſecundùm dicta *lib.2.n.182. & à n.200.* Chriſtus autem ſimiliter loquitur de gratis mutuando: & quidem verbis illis Chriſti contineri præceptum prohibens uſuras docent AA. communiter cum Sal. Lugo & aliis: atque ideo Urb. III. & Leo X. apud Moy. *t.1.t.6.d.6. q.ult.n.13.* ex eodem loco uſuras damnant, eſtque hoc accommodatum præſenti miſeriæ proximi, cui in neceſſitate gravi faciliùs erit petere mutuum quàm eleemoſynam. Hinc cum Vaſq. & aliis contra Bonac. *in Dec.d.3.q.4.p.6.n.16.* dicendum eſt, quando ex præcepto Charitatis obligor dare mutuum, me non poſſe ob lucrum ceſſans aliquid accipere ſupra ſortem, quia licèt ex juſtitia non tenear mutuare, tamen abſolutè teneor ſub peccato, ergo in conſcientia non potero petere lucrum ab hoc mutuatario. An autem obliger proximo extremè indigenti donare vel ſufficiat dare mutuum, dictum eſt *l.2.n.207.* 849

Q.137. An aliquando liceat mutuanti, accipere aliquid ſupra ſortem? R. Aliqui abſolutè negant, 1. Quia Chriſtus Luc. *6.* id improbat. 2. Quia C. *Quod autem*, & ſeqq. 14 q. 3. dicitur. *Si plus, quàm dediſti, expectes accipere, fœnerator es. Quidquid ſupra datum exigitur, uſura eſt: Quidquid ſorti accedit, uſura eſt: Quidquid ultra ſortem exigitur, uſura eſt*, &c. Sed communis ſententia eſt licere aliquid accipere, ſi accedat juſtus aliquis titulus, & conſtabit ex dicendis; Unde Chriſtus, & citatæ leges aliæque ſimiles, aut etiam SS. PP. ſimilia dicentes tantùm loquuntur de eo, quod per ſe eſt, & quando aliquid acciperetur ratione mutui, non autem ſi per accidens aliunde accederet juſtus titulus. 850

Q.138. Quid notandum ſit circa titulum accipiendi aliquid ob periculum ſortis? R. Seqq. §. 1. Hunc titulum eſſe juſtum, docent ferè omnes contra paucos apud Dian. *p.1.t.8. R.37.* Et id verum eſſe, quando eſſet periculum tantùm probabile amittendæ ſortis, tenent Silv. Serra, Moya *ſupra à num.2.* aliique cum Caſtrop. *d.4.p.17.n.3.* Ratio eſt, quia hìc & nunc non obligor mutuare, uti ſuppono, nam *dare mutuum non ſemper tenetur homo*, inquit S. Th. 2.2. *q.78. a.1. ad 3.* ergo nec obligor ſubire illud periculum, illud autem ſubire eſt pretio æſtimabile, uti certum eſt, & manifeſtè oſtendit ex jure & Authoribus Covar. *l.3. variarum c.2.n.5.* ergo ſi ſubeam in favorem mutuatarii, poſſum ideo accipere aliquid. 851

Objicies. Periculum ſortis eſt aliquid intrinſecum mutuo, ergo non poteſt vendi à mutuante, ſicuti qui mutuat alteri equum, non poteſt ei vendere celeritatem equi, quia hæc celeritas eſt aliquid ipſius equi mutuati, cujus dominium acquirit mutuatarius. 2. Quod exigitur pro periculo ſortis, etiam eſt 852

expoſi-

expoſitum periculo, ergo licebit in infinitum plus, & plus exigere ratione periculi. 3. Petendo aliquid propter periculum augetur periculum, quia quò plus debebit, tantò majus erit periculum, ne non ſatisfaciat, ergo injuſtè petitur. 4. Quantum quis meretur ſubiens periculum pro alio, tantum meretur alius liberans eum iſto periculo, ſed mutuatarius reſtituens ſortem liberat mutuantè iſto periculo, ergo ei iterum debebitur hoc, quod dedit. R. *Ad* 1. N. ant. nam periculum ſortis eſt aliquid extrinſecum, quod aptum eſt facere, ut ſors perdatur, v.g. ſocordia, prodigalitas mutuatarii, aut aliud imminens periculum jacturæ, cui periculo alioquin non ſubeundo mutuans exponit ſuam ſortem. *Ad* 2. N. conf. ſed arbitrio prudentum taxari debet, quantum ideo poſſit exigi. *Ad* 3. N. ant. nam quotannis recipiens parum propter periculum, quamvis poſteà totam ſortem amittat, minus damnum patietur, & intereà mutuatarius poterit lucrari ex mutuo, ergo non augetur periculum ſortis. *Ad* 4. Si hoc faciat antevertendo periculum C. ſi poſtquam mutuans jam ſuſtinuit periculum, N. ſi autem mutuatarius reſtituat ſortem, mutuans jam antecedenter ſuſtinuerat periculum illius perdendæ, quod periculum erat tali pretio æſtimabile.

Inſt. 1. Hoc ſemper compenſatur per curam, quam debet habere mutuatarius, pro reddenda ſorte; item per hoc quòd mutuans intereà liber ſit aliis periculis amittendi ſortem, per fures, raptores, incendia. R. N. aſſ. quia non obſtante ea cura reddendi & ſecuritate ab illis aliis periculis, ſupponimus mutuantem eſſe in vero ac majore periculo amittendi ſortem, uti dicetur *num.* 854.

Inſt. 2. S. Th. *opuſc.* 73. *c.* 6. ait, *Ratio periculi etiam circa ſortem non tollit rationem uſuræ in mutuo, uti probatur in c. Naviganti.* R. S. Th. explicandus eſt, uti n. ſeq. Caput illud explicabitur.

853 §. 2. Multò magis licitum eſt mutuanti accipere aliquid, ſi in ſe ſuſcipiat periculum rei mutuatæ, v.g. ſi navigaturo in Angliam mutuet pecunias, & in ſe ſuſcipiat periculum tranſportationis in Angliam: Ratio patet ex dictis, quia certum eſt hoc eſſe pretio æſtimabile, probatque latè Covar. *ſup.* & Roder. *l.* 3. *q.* 5. *a num.* 52.

Obji. Cap. Naviganti, ult. De uſuris, dicitur, *Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eò quòd ſuſcepit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem, Uſurarius eſt cenſendus.* R. Variæ ſunt explicationes, Adr. dicit loqui de periculo dubio tantùm apprehenſo, ſed cùm agat de periculo navigantis vel itineraturi, explicatio eſt difficilis. Aliqui cum Laym. Caſtr. Spor. *t.* 6. *c.* 4. *n.* 41. Illſ. *t.* 4. *d.* 2. *n.* 433. putant particulam, *non*, eſſe omiſſam per typographum, & debere eſſe, *Uſurarius non eſt cenſendus*, quia ſtatim additur, *ille quoque*, qui dat decem ſolidos &c. *Uſurarius non debet reputari*, debuiſſet autem dici *ille autem, ille è contra* &c. ſed cùm omnes Codices habeant, uti citatum eſt, plerique non acquieſcunt iſta reſponſione; hinc Nav. & alii cum Roder. *n.* 60. dicunt, cùm dicat *cenſendus*, tantùm ſignificari, quòd id præſumi debeat in foro externo, ſed non ideo pro interno, ſi verè adfuit periculum. Alii cum Caj. Tol. Silv. Maj. Conr. Az. Covar. Leſſ. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 116. & aliis communiter dicunt textum intelligi de eo, qui cogit mutuatarium ad talem determinatè contractum aſſecurationis ſecum ineundum, ita ut tollatur ei libertas aliter compenſandi illud periculum; quod maximè valet, ſi coegerit ad quantitatem pro ſuo libitu; de cætero ſi mutuatarius ſponte contrahat de juſto pretio, quod reſpondeat periculo, juxta prudentum arbitrium, nulla erit uſura; hinc concludit Covar. licitum eſſe pactum ſuſcipiendi periculi ob juſtum illius pretium, quamvis ille, qui ſuſcipit periculum, nullum alium laborem vel operam impendat pro effugiendo periculo.

854 §. 3. Silv. Serr. aliique apud Mend. *in ſtat. d.* 6. *à n.* 58. docuerunt ſemper eſſe periculum ſortis, quando datur mutuum, ideoque ratione periculi ſemper poſſe aliquid exigi; ſed tenendum eſt oppoſitum: ſi enim mutuatarius ſit potens ſolvere, ſimulque homo induſtrius, & verax, ideoque præſumatur ſoluturus, nullum ibi eſt morale periculum, quamvis autem ſit periculum commune, v.g. quia mutuatarius poſſet depauperari, poſſet poſtea non velle ſolvere, tamen tale periculum non eſt ſufficiens, uti rectè Palav. *de juſt. n.* 128. tale enim periculum compenſatur cum periculo, cui ſors ſubeſſet apud mutuantem, poſſet enim perdi vel eripi.

855 §. 4. Si data ſint pignora vel fidejuſſores ſufficientes, non eſt privatis licitum aliquid accipere ratione periculi, nam reipſa tum ſublatum eſt: an autem adhuc in Montibus pietatis tum licitum ſit aliquid accipere, dicetur *n.* 879.

856 §. 5. Quantum pro periculo accipi poſſit, taxandum eſt judicio prudentum, periculum enim poteſt eſſe, vel ratione ſortis, quæ cum periculo mutuantis aliò eſt deportanda, vel ratione mutuatarii, qui non eſt ſatis notus, vel eſt decoctor, vel non bonæ fidei, vel prævidetur facturus difficultatem in reddendo, uti notant Pirh. *l.* 5. *tit.* 19. *n.* 45. Tamb. *l.* 8. *t.* 3. *c.* 8. §. 4. *n.* 1. Spor. *t.* 6. *c.* 4. *n.* 52. & ſecundùm hæc æſtimanda eſt quantitas periculi; ſic dicunt Nav. Lay. & Pirh. *n.* 49. ſi quis mercatori navigaturo trans mare mutuet 100. cum pacto, ut ſi navis pereat, nihil reddat, ſi autem redeat ſalva, reddat 125. non fore uſuram, quia hoc periculum videtur æquale iſti pretio. Refert *Daniels* poſt Epiſtolam 7. ad Alexandrum Natalem, quòd anno 1645. Miſſionarii è regno Chinenſi miſerint hunc caſum: In præfato regno ſtabilitum eſt, ut in mutuo, triginta pro centum accipiantur abſque reſpectu lucri ceſſantis aut damni emergentis: *Quæritur*, utrùm Chinenſibus ſit licitum? ∴ Cauſa dubitandi eſt, quia in recuperanda pecunia eſt aliquod periculum, ſcilicet quòd qui accipit mutuatam, fugiat, vel quòd tardet in ſolvendo, vel quòd neceſſarium ſit coram Judice repetere, vel propter alia hujuſmodi Sacra Congregatio de propaganda fide rogata ſententiam, & de mandato Innoc. X. convocata in conſimili negotio ſic reſpondit. *Cenſuerunt ratione mutui immediatè & præcisè nihil eſſe accipiendum ultra ſortem principalem; ſi verò aliquid accipiant ratione periculi probabiliter emergentis, prout in caſu, non eſſe inquietandos, dummodò habeatur ratio quantitatis periculi & probabilitatis ejuſdem, ac ſervata proportione inter periculum, & id quod accipitur.* Univerſalis regula poteſt eſſe, ut vir prudens & probus cogitet, quanti ipſe redimeret tale periculum vel timorem, tantundem enim poterit petere, quantum bona fide dare vellet alicui, qui hoc periculum pro ſe ſubiret, Leſſ. *in auct. v. Mutuum, caſ.* 3. Steph. *t.* 4. *d.* 9. *n.* 104.

§. 6. Si mutues, v.g. Principi qui non poterit cogi, & fortè 857
non volet reddere, Palav. *l.* 4. *num.* 124. dicit non licere ratione illius periculi plus accipere, 1. quia aliàs talis Princeps neceſſitaretur, vel ad dandum plus, quàm accepit, vel ad lædendum juſtitiam. Quia finis contractuum eſt fovere mutuam benevolentiam, ideo enim voluit Deus eſſe indigentiam inter homines, ut neceſſariæ eſſent mutuæ commutationes, & ſic foveretur amicitia, quod maximè eſt in contractu mutui ſecundùm S. Th. *opuſc.* 73. *c.* 7. qui eſſentialiter eſt beneficium unius contrahentis erga alterum, ergo ex vi contractus non poteſt quis profiteri diffidentiam de altero, ergo nec exigere pretium pro periculo, quod ex malitia ipſius immineret, hoc enim eſſet ponere ſomitem inimicitiarum: aliud tamen eſt, ſi mutues pauperi, nam poſſet contingere, ut pauper proximè ad nihil teneretur, nempè in caſu impotentiæ, cujus periculum eſt, Quidquid ſit de illa ſententia, rationes allatæ non convincunt, nam dici poteſt. *Ad* 1. quòd talis Princeps per ſuam malitiam, quæ prudenter prævidetur futura, cogat mutuantem ad ita compenſandum periculum. *Ad* 2. Cauſa illius diffidentiæ non eſt contractus mutui, ſed per accidens oritur ex prudenter prævisa malitia mutuatarii.

Q. 139. *Quid circa titulum lucri ceſſantis?* R. Seqq. §. 1. 858
Ut hic titulus ſit juſtus, non ſufficit; quòd illis 100. quos do mutuos, lucratus fuiſſem 10. ſi illos expoſuiſſem negotiationi, ſed requiritur, ut ſtatuerim illos negotiationi exponere, jamque occaſio fuerit exponendi, & alia pecunia mihi defuerit, quam exponerem: Putant quidem Roſm. & Tamb. ſatis eſſe, quòd pecunias mutuatas deſtinaſſem ad negotiationem, quamvis per accidens alias haberem, ſed ſtandum eſt in prima ſententia: nam alioqui hæc mutuatio non fuiſſet cauſa illius lucri ceſſantis, ideoque ratione lucri ceſſantis non potero aliquid accipere ſupra ſortem. Non videtur quidem omnino improbabile, quod dicunt Lugo & Roſm. ſi pecunia alia non adfuerit, & hæc mutuata fortè deſtinata fuiſſet ad negotiationem, poſſe aliquid accipi propter ſpem incertam lucri, ita videtur poſſe accipi propter ſpem incertam deſtinationis futuræ, cùm mutuans ſe privarit poteſtate deſtinandi ad lucrum fortè aliàs habendum; attamen oppoſitum videtur probabilius cum S. Th. 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. ubi ait: *Recompenſationem damni, quod conſideratur in hoc, quòd pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere, quia non debet vendere id, quod nondum habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo*: Nec aliud videtur velle *opuſc.* 73. *c.* 7. ubi dicit ſpeciem lucri non excuſare, licèt excuſet intereſſe ſive damni recompenſatio.

§. 2. Si conditiones ſuprà notatæ adſint, eſt juſtus titulus 859
exigendi aliquid, nam, uti ſuppono, non tenebar hic & nunc mutuando me privare iſto lucro in gratiam alterius, hoc autem eſt pretio æſtimabile: Hinc *Cap. Præcariæ*, 1. 10. *q.* 2. dicitur, *neminem contra utilitatem cogi de proprio facere beneficium*. Deinde pecunia mea in illis circumſtantiis & prout ſubſtabat illi deſtinationi, valebat mihi plus, ſicuti ſemen, quod unicum habeo ad ſerendum, ars quæſtuoſa, quam defero, ut tibi ſerviam, facit ſemen & ſervitium meum pretioſius &c. debebit tamen de his moneri mutuatarius, uti dicetur *n.* 864.

§. 3. Non tantum debet mutuatum eſſe cauſa lucri ceſſan- 860
tis, ſed etiam hoc lucrum non debet compenſari per aliquid aliud, quod habeatur occaſione mutui, v.g. ſi Cajus, quia pecuniam ſuam mutuavit Titio, ceſſet quidem à mercatura, qua lucratus fuiſſet aliquid, attamen etiam ideò ſe applicet labori, quo tantumdem & æquè facilè lucratur, non poteſt ratione lucri

ceſ-

ceſſantis aliquid exigere ſupra ſortem, quia reverà non ceſſat ipſi lucrum ratione mutui: quòd ſi labore lucretur minus, Titius debet hoc ſupplere; ſi æquè multum ſed cum majore labore, debet ipſi Titius æſtimationem majoris laboris compenſare, Pirh. *l.* 5. *tit.* 19. *n.* 39. Notandum etiam eſt, lucrum, quod ceſſat, debere fuiſſe juſtum, alioqui non fuiſset jus ad illud.

861 §.4. Si quis aliam pecuniam, quam habet, exponere non audeat, ſed ex nimia etiam ſollicitudine reſervet familiæ, poterit petere aliquod lucrum ceſſans pecuniæ mutuatæ, quia mutuatio reipſa fuit cauſa lucri ceſſantis, Mol. Pirh. Lug. *d.* 25. *n.* 90. Si autem ideo præcisè pecuniam aliam reſervavit nolens ad negotiationem exponere, ut ſemper haberet ad manum pro caſu, quo quis mutuum peteret, docent Mol. Laym. Lugo, Tamb. Haun. Illſ. *n.* 438. etiam poſſe petere lucrum ceſſans, quia mutuatio partim præterita partim futura videtur fuiſſe cauſa, & voluntas præſumpta etiam eorum, qui mutuum ſunt petituri, movet ad non exponendum pecunias negotiationi, ex quo ceſſat lucrum.

862 §.5. Hoc pactum poteſt fieri dupliciter, vel conveniendo de certo pretio juxta æſtimationem ſpei de lucro faciendo, vel conveniendo de pretio indeterminato, quantùm deductis deducendis mutuanti deceſſet de ſuo lucro, Mol. Leſs. Pirh. *n.* 41. *Nec obſtat*, quòd per Bullm S. Pii V. non videatur licitum taxare certum pretium pro lucro incerto, nam Nav. dicit tantùm intelligi de cambiis, & Bullam illam non eſſe receptam extra ditionem Pontificis; Valent. autem & Lugo dicunt eam fundari in præſumptione uſuræ: hinc ſi quis certus ſit de lucro alioqui futuro, etiam indeterminato, poſſe pro valore hujus certitudinis vel probabilitatis paciſci: debet tamen ſimul attendi ad periculum amittendæ ſortis, ſi negotiationi expoſuiſſet. V. Roder. *l.* 3. *q* 5. *à n.* 20.

863 *Q.* 140. *Quid circa titulum damni emergentis?* R. Seqq. §. 1. Titulus hic eſt juſtus, v.g. ſi mutuans prævideat damnum decem aureorum ſibi oriturum ex mutuo, poteſt pro 100. mutuatis repetere 110. quia æquum non eſt, ut quis ex beneficio mutui damnum reportet; neque hoc eſt vendere uſum pecuniæ, ſed damnum vitare, inquit S. Th. 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *ad* 1.

864 §.2. Quamvis Lug. Leſs. Pirh. *n.* 34. Tamb. §. 3. *n.* 3. Roſm. *de uſura n.* 8. dicant non eſſe neceſſe, ut mutuatarius admoneatur de hoc damno aliàs ſecuturo mutuanti, tamen probabilius eſt oppoſitum, nam admonitus poſſet alibi quærere mutuum ſine hoc onere extraordinario: de quo ſi non reſciat, non conſentit liberè in illud, & idem eſt de circumſtantiis periculi vel lucri ceſſantis, ſi mutuatario ſint incognitæ, & propter illas plus exigatur.

865 §.3. Mutuatarius non tenetur de damno cauſato ante tempus ſolutionis præfixum, niſi ſit deductum in pactum, imputet enim ſibi mutuans, quòd de eo non caverit, Mol. ſi tamen mutuans cogeretur ad mutuandum, poſſet exigere intereſſe damni emergentis, etiamſi in contractu mutui de eo nihil foret conventum, Lug. Pirh *ſuprà*.

866 §.4. Si mutuatarius, vel cum culpa vel etiam ſine culpa, ubi talis eſt conſuetudo, fuerit in mora ſolvendi tempore præfixo, & mutuans inde paſſus ſit damnum, mutuatarius tenetur compenſare, licèt expreſsè de eo conventum non ſit: quod etiam aliqui tenent, licèt mutuatarius debitum non exigat; quia ipſa dies interpellat pro homine, Leſs. *l.* 2. *c.* 20. *n.* 69. Pirh. *n.* 33. In hoc tamen ultimo contradicunt Caj. Ang. Tamb. *n.* 9. ſi enim non repetat, cenſetur condonare damnum ſubſequens, neque tempus videtur interpellare per homine, niſi præceſſerit conventio.

867 §.5. Si titulo periculi ſortis, lucri ceſſantis aut damni emergentis, plus æquo petatur, non eſt propriè uſura, cùm non petatur ratione mutui, eſt tamen injuria & obligatio reſtituendi, Mol. Leſs Pirh. *n.* 40.

An ideò liceat aliquid exigere, quia certò prævidetur futura moleſtia, & adhibendæ expenſæ pro recuperando mutuo, dicetur *n.* 945. in ſimili circa emptionem, poteſtque videri Caſtr. *d.* 4. *p.* 17. *num.* 3.

868 *Q.* 141. *An ex aliis etiam titulis licitum ſit aliquid accipere vel exigere ſupra ſortem?* R. Colligetur ex ſeqq. §. 1. Non ideò eſt licitum aliquid accipere, quòd mutuans ſe privet conſolatione, quam habebat in poſſeſſione ſuæ pecuniæ, quamvis enim certum ſit mundano homini eſſe recreationem aliquam in videndis & tractandis pecuniis, quandoque non minorem, quàm in videnda comœdia, ideoque dixerint Caram. *Th. mor. l.* 2. *d.* 14. *n.* 362. & alii apud Leſs. *l.* 2. *c.* 20. *d.* 14. ſicuti pretio æſtimabile eſt videre comœdiam, ita etiam obleƈtare ſe in præſentibus pecuniis, ideoque ratione hujus moleſtiæ, in carendo, poſſe aliquid accipi ſupra ſortem, tamen Dicaſt. *l.* 2. *t.* 10. *d.* 2. *dub.* 11. dicit ſententiam illam eſſe in praxi pernicioſiſſimam, ſpeculativè autem improbabilem; quia carentia illa pecuniæ eſt intrinſeca mutuo, & moleſtia carendi debet in commercio humano cenſeri ita levis, ut pretio æſtimari non debeat. Quòd ſi adeſſet affectus inordinatus ad pecunias, hic eſt abominatione dignus, non pretio, ita Tamb. *l.* 8. *t.* 3. *c.* 8. §. 6.

§.2. Nec ideo eſt licitum, quòd pecunia præſens, qua ſe 869
privat mutuans, cenſeatur melior, quàm pecunia futura, nam Innoc. XI. damnavit hanc 41. prop. *Cùm numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quàm futuram, poteſt creditor aliquid ſupra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.* Ratio autem eſt, quia ſpectato præcisè contractu mutui perinde eſt, ſive pecunia ſit numerata ſive numeranda, ſive præſens, ſive futura, uti rectè demonſtrat Card. *in* 1. *criſi d.* 63. *c.* 4. *&* 2. *criſi d.* 25. *c.* 2. quia contractus mutui præſcindit à periculo, lucro, damno vel utilitate, poſſetque pecunia eſſe numerata aut præſens, & tamen non ideo eſſe utilior, ſi nempè manſura fuiſset otioſa in ciſta. Deinde ſi priùs poſſidere eſset de ſe æſtimabilius quàm poſſidere poſteà, ergo poſſidere 99. uno anno ante, eſset melius, quàm poſſidere 100. uno anno poſt, adeoque ſemper anticipando fieri poſset, ut poſſidere nummum ante 100. annos, eſset cenſendum melius, quàm poſſidere 100. florenos poſt 1000. annos, quod patet eſſe falſum præſcindendo à periculo, damno vel lucro, uti ante dictum eſt, ſi enim numerata vel præſens pecunia plus haberet lucri vel utilitatis, aut propter numerandam ſeu futuram plùs oriretur damni vel periculi, poſſet propter hæc aliquid plus accipi, uti in *qq. præced.* dictum eſt, tum enim non accipitur ratione contractus mutui, ſed ratione aliorum contractuum adjunctorum, per quos mutuans ſe obligat ad cedendum illi lucro vel utilitati, aut ad ſubeundum illud damnum vel periculum. Denique ſi præſens pecunia ſit æſtimabilior quàm futura, ergo qui hoc anno furatus eſt 100. non ſatisfacit anno ſequente reddendo 100. licèt domino nullum damnum emerſerit, vel ceſſarit lucrum, hoc autem nemo dicet.

§.3. Nec licitum eſt ideo, quòd mutuans ſe obliget ad non 870
repetendam ſortem intrà certum tempus, nam Alex. VII. damnavit hanc 42. prop. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultrà ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus*; ſi nempè nihil lucri amittat vel patiatur damni aut periculi, tum enim nullum ſubditur gravamen pretio æſtimabile, uti rectè oſtendunt Card. *in* 1. *criſi d.* 63. *à c.* 2. & du-Bois ad hanc propoſitionem. *Nec refert*, quod 12. AA. apud Mendo *in ſtat. d.* 6. *n.* 63. docuerint, poſſe aliquid ideo accipi, *nam* probabilitas illa, ſi quæ fuit, nunc eſt eliſa; imò etiam ante hanc damnationem oppoſitum tenuerunt communiter AA. cum Mol. Leſs. Laym. Lugo, quorum aliqui dixerunt ſententiam iſtam eſſe periculoſam & expoſitam palliatis uſuris, quia obligatio ad carendum pecunia eſt intrinſeca mutuo; & quamvis fiat ad longum tempus, hoc tamen aliud non eſt, quàm mutuum prorogatum, ſeu extenſio beneficii gratuiti. Putat tamen Steph. *t.* 4. *d.* 9. *n.* 104. ſi mutues cum pacto non repetendi, quamvis graviſſimè indigeres, & prudenter dubites de eo, quòd pecunia illa priùs indigebis, te poſſe aliquid exigere, pro quo etiam rationes multas affert Tamb. §. 5. quia quamvis obligatio carendi re ſua ad tempus ſit intrinſeca mutuo, tamen carere cum tanto onere, ut non repetas, etiamſi graviſſimè indigeas, non eſt mutuo intrinſecum, & eſt pretio æſtimabile, ſi adſit periculum probabile, quòd interea indigebis.

Obji. Obligatio non repetendi mutuum intrà certum tem- 871
pus eſt obligatio mutuandi in futurum, nam non repetere eſt continuare & pergere facere mutuum, atqui licitum eſt aliquid accipere pro obligatione mutuandi in futurum, uti docent plurimi & graviſſimi AA. *n.* 905. referendi, ergo etiam pro obligatione non repetendi mutuum intrà certum tempus. R. AA. *n.* 905. citandi negant majorem, de qua ibi dicemus.

§.4. Nec ideo eſt licitum, quòd mutuans proroget termi- 872
num, qui præfixus erat pro reſtituendo mutuo, ſicuti enim nil potuit exigere ratione præcedentis temporis, ita nec ſequentis, quia quod petitur ratione temporis præcisè, eſt uſurarium, uti fusè docet S. Th. *opuſc.* 73. *c.* 8. & tenere debent omnes, Pirh. *l.* 5. *tit.* 19. *n.* 137.

§.5. Nec licitum eſt aliquid exigere tanquam debitum ex 873
benevolentia vel gratitudine; nam Innoc. XI. damnavit hanc 42. prop. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, vel gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tanquam ex juſtitia debitum.* Ratio dabitur *n.* 885. & poſteà *n.* 908. dicetur, an liceat mutuatarium excitare ad remunerandum.

§.6. Nec licitum eſt aliquid exigere ab aliquo tertio, v.g. ſi 874
Titius indigeat mutuo, & Cajus pro Titio petat à me mutuum, non eſt mihi licitum pro mutuatione aliquid accipere à Cajo, ita Lug. *d.* 37. *n.* 176. & Moya *t.* 1. *t.* 6. *d.* 6. *q.* 1. *ult. n.* 5. contra Arauxo. Ratio eſt, quia quod ſolvet Cajus, cenſebitur ſolutum nomine Titii, & ratione mutui, neque enim alius titulus intervenit, uti ſuppono.

§.7. Leſs. *in auct. v. Mutuum, caſ.* 1. *&* 4. item Tamb. §. 3. 875
n. 27. aliique dicunt ſatis eſſe, quamvis contrahentes neſciant determinatè de ullo juſto titulo, ſi intendant contrahere omni modo optimo, quo juſtè fieri poteſt, dummodò non ſciant

deeſse

deeſse omnem bonum titulum & voluiſsent facere contractum juſtum, ſi hic & nunc ſciviſsent modum faciendi, hinc docent plurimi, uti notabimus *n.*924.*&* 1024. poſse in mutuo ad annum dato ſine uſura exigi 4. aut 5.in 100. non conſiderando ſed ſupponendo adeſse aliquem juſtum titulum. Et quia habet praxis communis apud omnes etiam prudentes & timoratos, ut tali modo bona fide dent mutuum, debeat tamen adeſse juſtus aliquis titulus. AA. multùm laborant in eo inveniendo & explicando, hinc,

876 Leſs.*de Juſt.l.*2.*c.*25.*n.*31. Spor.*t.*6.*c.*6. *n.*26. & alii docent excuſeri tale lucrum per contractum cenſus: quod defendi poteſt, ſi hic contractus intendatur, & habere poſſit locum, nam ſi petens mutuum nec ſit perſona, quæ lucrari poſſit, nec habeat bona potentia afferre fructus, vel ſi hæc bona aliunde ſint nimium onerata, tum non apparet, quomodo apud talem mutuatarium conſtitui poſſit cenſus. Vide dicenda *n.* 1022. Aliqui per hoc excuſant, quòd non ineatur contractus mutui, ſed fiant aut ſaltem ſit intentio implicita hic faciendi tres alios contractus, quorum primus eſt contractus ſocietatis, in quo Titius dat pecunias, & Cajus approinittit induſtriam pro reportando lucro, hic autem Titius meritò ex tali contractu ſperat lucrum, v.g.12. florenorum in 100.quo ſuppoſito adjicitur ſecundus contractus, qui eſt aſſecuratio ſortis, pro qua Titius remittit Cajo 3. ex illis 12. ut ſortem ſuam habeat ſecuram, & vi hujus contractus reportare poſſet 9. in 100. Tertius contractus eſt aſſecuratio lucri, pro qua Titius iterum remittit 4.Cajo, ut lucrum ſuum habeat certum, & ſic Titio reſtant 5.ſupra 100. ſolvendi à Cajo; imò aliqui dicunt poſse longè plus accipi. Hunc modum aſſecurandi ſortem, & lucrum docent poſse eſse juſtum plurimi, inter quos Ang. Gabr. Maj. Silv. Fumus, Nav. Cov. Valent. Mol. Med. Lop. Tol. Garc. quos refert & ſequitur Leſs.*num.*23. item Laym. Bonac. Dian. Caram. Buſemb. Lugo *d.*30.*num.*40. referens plures alios. Rationem dant, quia *L.*29. *ff. Proſocio*, dicitur, ita coiri ſocietatem poſse, ut nullam partem damni alter ſentiat, hoc autem non poteſt fieri, niſi aſſecurando ſortem & lucrum, ergo. Deinde ſinguli illi contractus ſunt de ſe liciti, nec apparet, unde haberent inhoneſtatem, licèt ſimul fiant etiam cum eodem.

E contra modum illum aſſecurandi ſortem & lucrum, injuſtum eſse docent Caj. Sot. Az. Rebell. Fill. Steph.*n.*112. aliique apud Lugo *n.*39. qui addunt hoc nihil aliud eſse, quàm ſubtiliter palliare uſuram: & tum ſaltem non valere fatentur Leſs. *n.* 31. Lug.*n.*45. Card.*in* 2.*criſi d.*25.*c.*7. quando pecunia datur alicui non negotiaturo, aut ſi detur talis pecunia, quæ non fuiſſet negotiationi expoſita. Univerſaliter autem modum illum contrahendi rejiciunt, 1. quia Sixtus V. per Bullam 45. *Deteſtabilis*, damnat omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale ſalvum maneat, ſive contrahatur ad certum, ſive ad incertum lucrum. 2. Quia ſi Cajus in omni caſu debet reddere pecuniam, ergo habet ut mutuam, ex mutuo autem nihil lucri debet peti. *Nec refert*, quòd Cajo ſit utile ſic contrahere, *nam* hæc utilitas eſt aliquid pertinens ad Cajum, ex qua Titius injuſtè petit lucrum. 3. Eſt contra naturam ſocietatis, quòd periculum pertineat ad unum, ſi enim ſit communicatio lucri & non damni, eſt ſocietas leonina, in qua unus devorat alterum, & re ipſa eſt mutuum, quocumque alio nomine pallietur. 4. Sic nunquam committetur uſura, omnes enim, quantumcunque exigent, ſemper facient ſaltem implicitè iſtos tres contractus.

Hæ rationes non convincunt, *nam Ad* 1.dicit Leſſ.*num.*33. Sixtum tantùm improbare, ſi ex vi ipſius contractus ſocietatis exigatur aſſecuratio; Tol. apud Lugo *num.*37. teſtatur Sixtum interrogatum reſpondiſſe, ſe tantùm voluiſſe prohibere contractus injuſtos, quos Doctores claſſici condemnarent: Addit Lugo Rotam cenſuiſſe, quòd prohibuerit tantùm caſus uſurarios de jure communi, additis majoribus pœnis. *Ad* 2. Negant eſſe mutuum, eò quòd dominium pecuniæ maneat apud Titium, & per contractum ſocietatis concedatur Cajo ſolus uſus. *Ad* 3. Dicunt non convenire quidem hoc contractui ſocietatis ratione ſui, attamen poſſe convenire per alium contractum, ſic enim fit etiam in commodato, locato, depoſito; nec ideò eſt ſocietas leonina, ſi per alium contractum hoc compenſetur, tantò plus lucri relinquendo illi, qui in ſe recipit periculum damni, uti hic fit: & *Conf.* Nam cum tertio contrahi poſſet de aſſecuratione pecuniæ Cajo conceſſæ ad uſum, ergo etiam cum ipſo Cajo: Item ſi Cajo locaſſem domum, poſſem per contractum aſſecurationis etiam Cajo relinquere periculum domus, ergo etiam pecuniæ ei ad negotiandum conceſſæ: Idem eſt, ſi Nautæ tradam merces vehendas, relicto ipſi per contractum aſſecurationis periculo iſtarum mercium. *Ad* 4. Idem valet contra contractum cenſus, per quem etiam cavetur uſura. De cætero abſolutè negatur aſſ. nam ubi non intenditur negotiatio vel cenſus, ſed patitur verum mutuum, ibi intervenire poteſt uſura: è contra ſi intendatur cenſus, vel fiant hi tres contractus, & obſervetur æqualitas ſecundùm peritorum æſtimationem inter ea, quæ utrimque præſtantur & commutantur, non apparet uſura. Videri poſſunt Leſſ. & Lugo, qui materiam illam optimè explicant.

Tannerus *de juſt.d.*4. *q.*7.*d.*3. putat adhuc aliter juſtificari 877
poſſe acceptionem 5.in 100. nempè per hoc, quòd talis contractus ſit utilis Reipublicæ, à qua cum permittatur, cenſetur validari poteſtate dominii alti, quod Reſp. habet in bona ſubditorum, qui etiam ad hoc inviti non ſunt. Favent huic explicationi Beſoldus *in conſid. Polit. vitæ & mortis lib.*1.*cap.*5.*à num.*9.& Vindex Gobat *ad propoſ.*18.*n.*25. hunc titulum abſolutè defendit pro Germania: impugnat quidem illum Vvading. ſed hujus argumenta conatur ſolvere Haun.*t.*9.*n.*421.

Q. 142. *Quid circa Montes pietatis, Lombardos &* 878
Beurſas ſit addendum? R. Seqq. §. 1. Licitos eſse Montes pietatis definit Leo X. in Concilio Later. c. 10. his verbis. *Sacro approbante Concilio declaramus & definimus Montes pietatis antedictos per Reſpublicas inſtitutos & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus approbatos & confirmatos, in quibus pro eorum indemnitate aliquid moderatum ob ſolas Miniſtrorum impenſas ∴∴∴ ultra ſortem abſque lucro eorundem Montium recipitur, neque ſpeciem mali præſeferre, neque ullo pacto improbari, quinimò meritorium eſſe & approbari debere tale mutuum, & minimè uſurarium eſſe.* Dicit quidem Baronius apud Moy.*t.*1.*t.*6.*d.*6. *q.ult.n.*16. dubium eſse, an ultimum Concilium Lateranenſe fuerit verè œcumenicum, ſed hoc graviter cenſurant alii apud Moy.*num.*17. unde ſtandum eſt illa definitione.

§. 2. In ejuſmodi Montibus legitimè inſtitutis quandoque 879
exiguntur uſque ad 15.in 100.teſte Steph.*t.*4. *d.*9. *n.*124. plus enim exigere licitum eſt illis, quamvis illicitum ſit privatis, quia illi tenentur ad omnes caſus eſſe parati, agunt cauſam omnium, ſubeunt onus conſervandi pignora, & hæc faciunt ex publica authoritate.

§. 3. Etiam Lombardi, id eſt domus, in quibus depoſito 880
aliquo pignore accipi poteſt pecunia mutua ad certum tempus videntur liciti, ita Leſſ. Spor.*n.*40. & 104. aliique: obligatio autem eſt, ut mutuatarius ſingulis menſibus aliquid minutum ſolvat, & elapſo anno, ſi non redimat ſuum pignus, publicè venditur ſub haſta, & quod ex pretio illius, detracta ſorte & menſtruis detrimentis, ſupereſt, redditur domino pignoris, aut ſi non compareat, applicatur pauperibus: rationes autem juſtificantes ſunt fermè eædem, poſſuntque videri apud Steph. *n.*126. qui tamen cum Bonæſp. non approbat hos Lombardos, niſi à Principe vel Magiſtratu erigantur, quia ſi lucrum omne connumeretur, accipiunt uſque ad 15. in 100. quod videtur iniquum, niſi accedat authoritas publica, eò quòd non ita cedant in bonum commune, uti Montes pietatis.

§. 4. Aliqui etiam excuſant ab uſura praxin Beurſæ, id eſt, 881
conventionis, in qua Mercatores quotidie congregati ſtatuunt pro varietate circumſtantiarum pretia mutuorum, cambiorum, &c. ita ut ratione talis ſtatuti lucrum in 100. abſque ullo alio titulo quandoque aſcendat ad 10. vel 12. ſed hanc praxin plerique reprobant cum Leſſ.*l.*2.*c.*20.*n.*126. quia non fit authoritate publica, & lucrum eſt ex mutuo ſaltem virtuali.

*Q.*143. *An liceat ab initio accipere hoc, quod poſteà dandum* 882
eſſet pro intereſſe, v.g. Titius mutuat 100. Cajo; *Quæritur*, an Titius ab initio poſſit retinere 5. quos Cajus ex titulo lucri ceſſantis vel damni emergentis deberet dare poſt annum? R. §. 1. Az. Rebell. Salas, Caſtrop.*d.*5.*p.*15.*n.*9. Carden.*in* 2. *criſi d.*25.*n.*77. rectè negant, quia ſic non mutuaſses 100. ſed 95. ergo injuſtè acciperes lucrum ex 100. putant tamen cum Pirh.*l.*5.*tit.*19.*n.*42. te poſse accipere rem infrugiferam diſtinctam à mutuo & valentem quinque, v.g. vinum, tum enim manet tibi integra ſors mutuata, ſed Tamb.*l.*8.*t.*3.*c.*8. §. 3.*n.*20. & Spor.*t.*6.*c.*4.*n.*47. negant etiam hoc licere, quia quamvis vinum illud non ſit phyſicè 5. imperiales, eſt tamen æquivalenter, ergo reipſa non mutuaſti 100. ergo injuſtè petis intereſse ex 100. maximè cùm necdum tibi ceſsarit lucrum aut emerſerit damnum, ſed hoc priùs futurum ſit.

§. 2. Caram. hoc excuſat, ſi fiat per duos contractus, nem- 883
pè per mutuationem & venditionem, nam per mutuationem acquirit Titius ſpem accipiendi 5. quam ſpem Titius per novum contractum vendit Cajo pro 5. ſicuti per legem, *Si jactum* 12. *ff. de act. empt.* Piſcator licitè vendit piſces, quos jactu retis ſe capturum ſperat. Leſs.*n.*100. excuſat, ſi ſic fiat, nempè ſi Titius det 95. ad intereſse, & reliquos quinque mutuet ſine intereſse, hos quinque, inquit, poterit repetere ab initio, quia lucrum non ſolvitur ex ſumma, ob quam debetur intereſse, ſed ex alia, quæ nihil debet: *Si dicas*, malè ſolvi anticipatò, cùm nondum debeat; Reſp. ſatis eſse, quod ſit debiturus poſteà, quus autem dandi nunc, compenſari per hoc, quod gratis ſine intereſse mutuentur illi quinque; Tamb. & Spor. hos modos referunt & non improbant, ſed meritò cavendi ſunt, tum quia videntur eſse palliata uſura, aut ſaltem continere mentalem, tum etiam quia ſpes illa Caramuelis deberet minoris emi, & ſuppoſitum illud Leſſii, quod mutuum ab initio repeti poſſit, eſt falſum, ſecundùm dicta

cta *num.*842. Denique quia reipſa tantùm 95. darentur mutui.

884 *Q.*144. *Quænam pacta ſint uſuraria, ſi mutuo addantur?* R. Hanc regulam univerſalem dant Gl. Bart. aliique communiter cum Covar. *l.3. variarum c.2.n.*5. quoties debitor ratione mutui ultra ſortem obligatur ad aliquid, quod agere non tenebatur, uſura eſt, ſive, quando pro mutuo, vel pro aliquo quod mutuo eſt intrinſecum, exigitur per qualemcunque contractum aliquid pretio æſtimabile, quod alioqui eſt indebitum, committitur uſura. Ex hac regula ſequitur committi uſuram, ſi mutues cum his aut ſimilibus pactis.

885 1. Ut plus recipias ex benevolentia vel gratitudine, uti conſtat ex dictis *n.*873. & rationem dat Laym. *l.3. t.4. c.16. n.*4. quia obligatio ex pacto repugnat gratuitæ remunerationi, cùm ratione pacti quis compelli poſſit, hinc S.Th.2.2. *q.*78. *a.*2. *ad* 2. debitum ex pacto vocat debitum ex juſtitia. Quod confirmat Carden. *in* 2. *criſi d.*25. *num.*51. hoc ſimili, nam ſi Titius petat equum valentem 100. emere à viro Nobili, qui dicat, Nobiles non ſunt mercatores, dono equum, ſed gratuitò redonabis mihi 100 aureos, quis dicet id fieri ex gratitudine, aut non eſſe pretium equi?

886 2. Ut mutuatarius tibi ſolvat aliquid tantùm probabiliter debitum, v. g. Cajus poſſidet aliquid, ad quod tu etiam prætendis jus probabile, ſi mutues ei ſub pacto, ut hoc tibi extradat, eſt uſura, quia eſt pactum ad aliquid indebitum, cùm pro ipſo ſit poſſeſſio. E contra tamen, ſi pro te eſſet poſſeſſio, uti ſi certum eſſet te aliquid depoſuiſſe apud Cajum, & tantùm probabile eſſet, quòd Cajus tibi reddiderit, mutuare poſſes cum pacto, ut hoc tibi redderet, quia tenere potes, quòd Cajus adhuc debeat tibi, & in foro externo attineretur ad reddendum, neque uſura eſt, ſi pactum ſit ad aliud antecedenter debitum, uti *n.*894. dicetur, ita Carden. *in* 1. *criſi d.*64. *c.*4. Quod ſi pro neutra parte eſſet legitima poſſeſſio, & pro utraque parte eſſet probabilitas juris ad rem, foret uſura, ſi mutuares ſub pacto, ut Cajus tibi jus illud ſuum probabile cederet, nam additur obligatio civilis pretio æſtimabilis, ad quam Cajus non tenebatur, Carden. *c.*6. dicens eſſe certum.

Obji. Si Cajus in 1. & 3. caſu, dum reddit ſortem, adjiciat illud alterum mihi probabiliter debitum, non tenebor reſtituere Cajo, ergo ſignum eſt non interveniſſe uſuram, quia hæc inducit obligationem reſtituendi. R. N. conſ. uſura enim in hòc erat, quòd ratione mutui Cajo imponeres obligationem pretio æſtimabilem, ad quam non tenebatur, ideoque teneberis compenſare Cajo, quantum in judicio prudentum æſtimabilis erat illa obligatio. Vide Carden. qui addit te poſſe retinere reliquum tibi à Cajo conceſſum, cujus jam poſſeſſionem habes cum jure probabili, ſed hoc videtur pendere ab eo, an uſurarius acquirat dominium uſuræ, de quo dicetur *n.*919.

887 3. Ut poſteà viciſſim mutuet, quia ſecundùm S. Th. *n.*905. referendum, talis obligatio pecunia eſt æſtimabilis.

888 4. Ut poſteà aliud reddat, v.g. ſi mutues pecunias, ſub pacto ut poſteà reddat vinum æquale valori pecuniæ, Mol. Salas, Tamb. Caſtrop. *d.*4. *p.*13. *n.*8. Spor. *t.6. cap.*4. *n.*88. quia hoc onus commutandi pecuniam eſt novum & mutuo extrinſecum: poſſetque tibi eſſe utilius aut gratius retinere vinum, vel vendere alteri. Si tamen mutues pecuniam auream, ſub pacto, ut reddat argenteam aut aliam minutam, poteris exigere communem taxam cambii realis, quòd hic accedit, Nav. Laym. Spor. *n.*42. Pirh. *l.5. tit.*19. *n.*53.

889 5. Ut v.g. colat agros tuos, etiam pro juſto pretio, Covar. *ſup.* Tamb. §.2. *n.*12. contra Sot. Nav. Dicaſt. Caram. apud Spor. *num.*87. qui etiam aliis titulis excuſare conatur: Ratio noſtra eſt, quia eſt novum onus extrinſecum & indebitum, pretio æſtimabile, cùm privetur libertate aliter ponendi operas: & ſi talia non eſſent pretio æſtimabilia, non deducerentur in pactum, inquit rectè Covar.

890 6. Ut pro te in alio negotio fidejubeat, Mol. Lugo Pirh. *n.* 30. fidejuſſio enim eſt pretio æſtimabilis: uti habet communis cum Soto, Mol. Med. aliiſque apud Moy. *t.1. t.6. d.*4. *q.6. nu.*8. quia obligare ſe ad ſolvendum eſt onus pretio æſtimabile, non minus, quàm ſe obligare ad mutuandum, quod verum eſſe dicunt Mol. Tamb. Lugo *d.*25. *nu.*61. quamvis abſit omne periculum, de quo dicetur, *n.*1106. Imò Lugo *n.*62. & Tamb. *n.*4. putant, ſi Titius à te petat mutuum, & tu des mutuum Cajo, petaſque ut Cajus mutuet Titio, tu autem te Cajo ſtatuas fidejuſſorem pro Titio, te poſſe ideò aliquid accipere à Titio, quia pro illo ſubis onus, ad quod non tenebaris ex vi mutui Cajo dati, ſed hic eſt ſaltem periculum uſuræ palliatæ, uti per ſe patet.

891 7. Ut ſortem reſtituat alio loco, uti docet S.Th. *opuſc.*73. *c.*8. Putat quidem Tamb. *l.9. t.1. c.*4. §.4. *num.*5. ſi Cajus exiſtens Monaſterii indigeat hodie frumento, tu autem etiam ibi exiſtens habeas Coloniæ frumentum, te poſſe illud mutuare Cajo, cum pacto, ut tibi ſimile reſtituat Hildeſii, quia videtur tantundem eſſe, ac ſi tu frumentum tranſportares Coloniam in commodum Caji, & Cajus viciſſim tranſportaret Hildeſium in commodum tuum, ubi videtur eſſe æqualitas, ſicuti ſi debeam tibi 200. ſolvendos intrà duos annos, & paciſcar hoc anno tibi ſolvere 100. cum pacto, ut pro aliis 100. expectes in tertium annum, pactum eſt juſtum, quia eſt æqualis commutatio, ſed Spor. *à n.*90. quamvis admittat hoc ultimum cum pluribus apud Dian. *p.*1. *t.*8. *R.*63. contra Bonac. quia reipſa utrimque eſt verum gravamen, quod æquale videtur, tamen merito dubitat de priori, quia tuum gravamen eſt imaginarium, Caji autem gravamen eſt verum & reale, diſtinctum à mutuo, ergo ad illud obligare Cajum eſt uſura. Quòd ſi utrimque imponeretur verum & æquale gravamen, Mol. Leſſ. aliique cum Laym. *num.*3. notant non fore uſuram, v.g. obligo me ad mutuandum tibi pecunias, ſi te obliges ad mutuandum mihi viciſſim frumentum, aut etiam ad emendum à me merces, hæc enim reciproca obligatio non imponitur ratione mutuationis, ſed propter obligationem mutuandi, quæ eſt pretio æſtimabilis, ſecundùm dicenda *n.*905.

8. Ut tibi remittat injuriam, nam remittere jus, quod 892
quis habet in alterum ob læſum injuſtè jus ſuum, utique eſt onus novum, & inter homines æſtimabile pretio, Maj. Leſſ. Lugo Pirh. *n.*29. Rectè tamen notat Spor. *n.*85. te poſſe mutuare ſub pacto, ut remittat vindictam injuſtam vel odium, petis enim, quod antecedenter tibi debetur.

9. Ut lauderis, commenderis vel honoreris ab illo, Spor. 893
*n.*84. *Nec refert*, quòd laus, commendatio & honor non videantur pretio æſtimabilia, *nam* obligatio illa præſtandi eſt pretio æſtimabilis, ac ſæpè emitur ab hominibus, hinc quamvis S.Th.2.2. *q.*78. *a.*2. *O. dicat*, pro mutuo licere exigere benevolentiam, amorem & alia ejuſmodi, tamen Valent. cum aliis docet eſſe uſuram ratione mutui illa exigere tanquam debita ex juſtitia, non enim poteſt vi mutui ſic deberi amor, ſed ad ſummum ex convenientia vel gratitudine.

*Q.*145. *An ſit uſura, ſi mutuem ſub pacto, ut mutuatarius* 894
exequatur aliquid aliunde debitum ex juſtitia? R. Non eſſe, quia non imponitur onus indebitum. Si autem, detur, ut exequatur aliquid debitum ex præcepto Charitatis tantùm, Nav. & Salas dicunt eſſe uſuram, quia ſuperadditur nova obligatio juſtitiæ: Maj. Caſtr. & Spor. negant, quia nihil petitur indebitum, & obligatio juſtitiæ, quæ ſuperadditur, moraliter non æſtimatur, imò maximè cedit in utilitatem mutuatarii, quem obligat, ut contra charitatem non peccet, & hanc utramque ſententiam vocat probabilem Tamb. *l.8. t.3. c.8.* §.2. *num.*9. Quod ſi tantùm deberetur ex gratitudine, rectius dicunt S.Th. Mol. Leſſ. Laym. & alii fore uſuram, quia gratitudo non obligat ad aliquid determinatum, ſed poteſt expleri variis modis, v.g. orando pro benefactore.

*Q.*146. *An ſit uſura, ſi quis mutuet ſub pacto, ut alter ſtatim* 895
in præſenti aliquid viciſſim præſtet? R. Si petatur velut conditio aut motivum mutuandi, Adr. Ang. Maj. Mol. Leſſ. Laym. *l.3. t.4. c.16. n.*3. Lug. *d.*25. *n.*52. Dian. *p.*1. *t.*8. *R.*60. negant eſſe uſuram, quia poſſet nolle: ergo juſtè requirit motivum volendi. Addunt me licitè mutuare ſub pacto, ut quamprimùm non amplius veneris ad meum molendinum, ſtatim reddas mutuum, non obligando ex juſtitia ad accedendum ad meum molendinum, ſed relinquendo liberum, ita tamen, ut ſi non accedat, non ſit accepturus mutuum, vel mutuum ſit ſtatim repetendum, eſt enim liberum ſtatuere terminum mutuo, ita Salas, Laym. Lugo *num.*53. ſed rectè monent Mol. Spor. *n.*36. & 82. hæc cavenda eſſe ob manifeſtum periculum uſuræ palliatæ vel mentalis, nam alioquì ſimiliter poſſem petere, ut in præſenti mihi dares 5. veluti motivum mutuandi 100. nihilominus ob rationem datam, putant iidem AA. cum Pirh. *lib.*5. *tit.*19. *num.*26. non eſſe uſuram mutuare ſub pacto, ut alter viciſſim aliquid aliud in præſenti mutuet, nam mutuare in præſenti non eſt pretio æſtimabile; ergo non petitur in pretium, ſed ut mera conditio, & meritò illi negatur gratia mutui, qui in præſenti non vult dare mutuum: hinc etiam S.Th.2.2. *q.*78. *art.*2. *ad* 4. ait, *licet ſimul mutuanti unum aliquid alium mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum impoſterum faciendum.*

*Q.*147. *An ſit uſura, ſi Cajus det Titio* 100. *mutuos, cum* 896
pacto, ut ſi Cajus vixerit poſt 10. *annos, Titius reddat* 300. *ſi autem non vixerit, nihil reddat?* R. videtur affirmare S.Th. *opuſc.*73. *c.*6. his verbis: *Si quis alicui aliquam pecuniam dederit mutuo v.g.* 100. *libras ad* 10. *annos, ita quod ſi infra hoc tempus mortuus fuerit alter ipſorum, liberatus ſit à debito & à mutuo, qui ipſum acceperit, ſi verò ſupervixerint ambo, dabit poſt* 10. *annos, qui mutuum accepit,* 250. *libras ei, qui mutuum dederat, non excuſatur propter dubium & periculum ab uſura.* E contra Dian. cum aliis, quos citat *p.7. t.9. R.*71. Tamb. §.5. *n.*6. Spor. *t.6. c.*4. *n.*42. dicunt in eo nihil uſurarium aut illicitum intervenire, eò quòd non ſit contractus mutui ſed ludi vel ſponſionis, & licitum ſit deponere parvam ſummam contra magnam brevi etiam perdendam aut lucrandam, quando utrimque eſt proportionatum periculum & conditio, uti hic videtur eſſe. Similiter ſi Cajus accipiat à Titio 100. eo pacto, ut teneatur reddere 200.

ſi poſt

ſi poſt duos annos redeat in patriam, alioquin ad nihil teneatur, Az. Fill. Scaccia, Diana *R.*72. dicunt hunc contractum eſſe licitum : Idem dicunt cum Dian. *R.*73. ſi Titius det Cajo 100. eo pacto, ut ſi Titius vixerit poſt annum, reddat 200. ſi autem ſit mortuus, nihil reddat ipſe aut hæredes. Item illum, ut ſi Titius vixerit, reddat 110. ſi non vixerit, reddat hæredibus illius 85. & in his duobus ultimis conſentit Bon. *de reſt. d.2. q.3. p.1. nu.*18. ob eandem rationem, quòd non ſit contractus mutui ſed ſponſionis: notant tamen omnes, in primis fieri non debere ad palliandam uſuram, aut ex intentione lucri ex mutuo : deinde debere fieri ſecundùm parem vel proportionatam utrimque conditionem, nam ſi Titius daret 100. Cajo, eo pacto, ut poſt annum, ſi Titius vivat, Cajus reſtituat 110. ſi verò Titius obierit, ut tum reſtituat 90. hic contractus non juſtificatur eventu fortuito, nam diſpar eſt conditio, quia longè probabilius eſt eum ſupervicturum. Putat tamen Leſſ. *in auct. v. Mutuum, caſ.*2. talem contractum juſtificari poſſe duobus aliis titulis, in primis ſi intendant tres contractus, de quibus dictum eſt *n.*876. addito contractu ſortium; deinde ſi intendant emere & vendere cenſum perſonalem utrimque redimibilem, & ſimul adjungant contractum ſortium : Sed hæc omnia uſuræ palliatæ vel ſaltem mentali valdè obnoxia ſunt, cùm ſemper interveniat virtualem mutuum.

897 *Q.*148. *Quomodo pœna imponi poſſit mutuatario?* Reſp. Licitè fit pactum de pœna à mutuatario ſolvenda, ſi præfixo tempore non reddiderit mutuum, dummodò adſint hæ conditiones, 1. Pœna non debet apponi pro pallianda uſura, nec tanquam pretium dilationis, uti dictum eſt *n.*872. ſed quia reipſe periculum eſt, ne nimium differatur vel omittatur reſtitutio, & ut mutuatarius per pœnam deterreatur à violanda fide & à dilapidanda ſorte. 2. Dilatio vel omiſſio reſtitutionis debet eſſe mutuatario culpabilis, qualis eſt, ſi dilapidando ſortem aut bona ſua prævidit ſe non fore potentem reſtituere. 3. Pœna debet eſſe moderata & proportionata culpæ, alioquin mutuatarius iniquè cogitur in eam conſentire. Quòd ſi partem reſtituerit, pœna debet reſpondere ſoli parti non reſtitutæ, Mol. *d.*317. *n.9. & alii.* 4. Mora debet eſſe notabilis, ſecundùm qualitatem negotii vel morem Patriæ : Debet autem ſolvi ante ſententiam Judicis, uti tenent multi contra Tamb. §.3. *num.*10. & alios multos, quos *c.*7. §.7. *n.*28. citat. Ratio eſt, quia debetur ex vi pacti inter partes initi; non eſt tamen opus ſolvere ante expreſſam vel tacitam petitionem mutuantis, niſi eſſet impoſita ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis; & poſſumus hìc loqui eo modo, quo *n.*606. locuti ſumus de pœna conventionali, quæ contractibus apponitur : ita quoad omnia Pirh. *num.*52. Spor. *num.*57. aliique communiter. V. Gaſp. Rod. *de ann. redit. l.3. q.5. à n.*1. nam multi dicunt pœnam exigi non poſſe, niſi quatenus intereſt. Vide etiam, quæ poſteà habet *q.*8.

*Q.*149. *Quandonam committatur uſura circa varios contractus?* Reſp. Colligitur ex ſeqq.

898 §.1. Si Cajus deponat pecuniam apud Titium, data ei facultate utendi, & de ea ad libitum diſponendi, cum pacto, ut Titius pro uſu de 100. ſolvat annuè 10. eſt uſura palliata, videtur enim reipſa eſſe mutuum, uti habetur *L. Certi §. ult. & LL. ſeqq. ff. de rebus creditis*, quia cùm detur jus de ea diſponendi, reipſa transfertur dominium, Laym. *num.*5. Spor. *num.*96. aliique : hinc *Nav.* apud *Laym.* ait, omnis depoſitio rei conſiſtentis in numero, pondere vel menſura, conceſſa facultate utendi, & adjecto pacto aliquid propterea ſolvendi deponenti, injuſta eſt. Idem eſt, ſi conſtituam te procuratorem meorum reddituum, data facultate utendi meis pecuniis, ſed cum pacto, ut ideò mihi aliquid ſolvas.

899 §.2. Si Cajus Titio petenti 100. mutuos, dicat non mutuo tibi, ſed à te emo tuas ſex vaccas pro 100. quos trado, eaſque vaccas tibi iterùm eloco pro annua penſione 12. florenorum, excuſatur communiter ab uſura, ſi id ſincerè fiat, & ſerventur reliquæ conditiones locationis, inter quas erit, ut periculum vaccarum ſpectet ad Cajum tanquam emptorem & dominum eas elocantem : eſt tamen hic periculum uſuræ, ſaltem mentalis, Spor. *num.*99.

900 §.3. Si Cajus Titio petenti mutuum dicat, non mutuo, ſed hac pecunia conduco operas tuas ad futuram meſſem, & anticipatè ſolvo tibi hanc mercedem, excuſant *Mol. Laym. Spor.* ſupra & alii.

901 §.4. Contractus antichriſeos, vulgò *Einpfandtſchafft*, eſt contractus pignoris vel hypothecæ adjectus mutuo, quo convenitur, ut mutuans tamdiu percipiat fructus rei oppignoratæ vel hypothecatæ, donec ſors refundatur; an autem id licitè fiat dicemus *n.*1115. Poteſtque videri Pirh. *à n.*85. Quandonam autem interveniat uſura circa emptiones, venditiones, cenſus, cambia, dicetur, quando de illis contractibus.

902 *Q.*150. *An contractus Mohatra ſit uſurarius?* Reſp. §.1. Contractus *Mohatra* tum eſt, quando quis vendit rem magno pretio, cum pacto, ut emens ipſi ſtatim revendat pretio minore, v.gr. pretium pallii intrà juſtitiæ fines poteſt eſſe ſummum, infimum, medium, nempè 22. daleri ad ſummum, ad minimum 20. & conſequenter etiam 21. Itaque ſi Cajus vendat Titio pallium pro 22. cum pacto, ut Titius ſtatim revendat Cajo pro 20. vel 21. hic contractus Hiſpanicè dicitur *Mohatra*: Italicè, *Stocco*.

§.2. *Innoc. XI.* damnavit hanc 40. prop. *Contractus Mo-* 903 *hatra licitus eſt, etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, cum contractu revenditionis prævìè inito, cum intentione lucri.* Ex hac damnatione certum eſt contractum illum eſſe illicitum; Eſt autem etiam ſæpè uſurarius, v.g. Cajus non vult gratis dare hoc mutuum, & tamen etiam videri non vult uſurarius, hinc dicit Titio, dabo tibi 20. Imperiales mutuos, ſi pallium iſtud à me emeris pro 22. Imperialibus, quod non eſt injuſtum pretium: neque illos petam ſtatim ſolvi, ſed ad integrum annum tibi credam, dummodò mihi ſtatim revendideris illud pallium pro 20. Imperialibus, quos tibi ſtatim numerabo : hæc eſt palliata uſura, nam Cajus mutuans, ex 20. Imperialibus jam datis, intrà annum lucrabitur duos, quia Titius tenebitur poſt annum ſolvere Cajo 22. ob pallium primo contractu tanti emptum ad creditum, quæ venditio ad creditum erat hìc virtuale mutuum.

§.3. Si Cajus non vellet mutuare Titio, ſed illi bona fide 904 ad creditum offerret pallium illud 22. Imperialibus, ut illud revenderet, cui placeret, pro numerata pecunia, ſi tum Titius revenderet Cajo minore pretio, non eſſet uſura, ſi Cajus ſic redimeret, quia nihil exigeretur vi primæ venditionis, ſed Titius liberè & ſine pacto antecedente illud revenderet Cajo, qui habet jus emendi, non aliter atque alii, ita Nav. Az. Mol. Leſſ. Bonac. Moy. *t.1. t.6. d.4. q.6. n.*26. Card. *in 2. criſi d.*24. Spor. *t.6. c.4. num.*100. aliique graviſſimi AA. apud Mendo *in ſtat. d.6. num.*36. Addunt aliqui apud Mendo *num.*37. poſſe eaſdem res emi pretio, quo emerentur ultro oblatæ, & pro tertia parte vileſcentes, imò etiam pretio, quo emerentur ſub haſta ſeu auctione, ubi etiam ad dimidium poſſunt vileſcere, ſed debet abeſſe omne pactum etiam implicitum, uti rectè Mend. *nu.*41. & bene monent Bonæſp. & Steph. *t.4. d.8. num.*109. cavendum eſſe à ſcandalo & uſura ſaltem mentali. Quomodo autem aliquando uni contractui adjici poſſit pactum retrovendendi, dicetur *num.*992.

*Q.*151. *An ſit licitum aliquid accipere pro obligatione mu-* 905 *tuandi in futurum, quandocunque alter exiget mutuum?* Reſp. Negat Moya *ſupra* §.21. quia mutuare ſtatim non eſt ſecundùm ſe pretio æſtimabile, uti certum eſt, ergo nec ſe obligare ad poſteà mutuandum, nam plùs eſt ſtatim mutuare, quàm ſe obligare ad mutuandum poſteà, cùm mutuare det jus in re, obligatio autem mutuandi det tantùm jus ad rem. 2. Dato, quòd talis obligatio eſſet pretio æſtimabilis, adhuc non eſt licitum pro ea aliquid accipere, quia ex parte mutuantis & mutuatarii onera ſunt paria, nam ſors reſpondet ſorti, obligatio autem mutuantis, ut det ſortem, obligationi mutuatarii, ut eam reddat, etiamſi caſu pereat, ergo ſi mutuans plus petat, eſt inæqualitas. E contra licitum eſſe affirmant Caj. Bann. Covar. Mol. Laym. *l.3. tr.4. c.16. n.*3. aliique plurimi, & ferè omnes, fatente Moya *n.*1. eandem ſententiam tenent Leſſ. Pirh. *n.*25. *& 26.* item Tamb. *c.*8. §.5. *nu.*3. dicens eſſe omnium. Rationem dant, quia obligatio dandi mutuum non eſt ipſa actio aut continuatio mutui, ſed alia antecedens valdè onerosa, *& talis obligatio pecuniæ æſtimari poſſet*, inquit S. Th. 2.2. *q.*78. *a.*2. *ad* 4. rectè tamen notat Spor. *nu.*39. ſi fieret ſtatim ante contractum mutui, talem contractum fore parum æſtimabilem, & præſumi factum ad palliandam uſuram.

*Q.*152. *An ſit uſura, ſi mutuem Cajo debitum, quod* 906 *ipſi erit facilis ſolutionis, mihi autem eſſet difficilis*, v.g. Rex debet mihi 1000. quos difficulter recipiam, Cajus autem habet facilem modum accipiendi à Rege, an poſſim Cajo mutuare illos 1000. cum pacto, ut poſteà etiam 1000. mihi reſtituat? Reſp. Poſſe dicunt Mol. *t.2. d.*361. *n.*10. Leſſ. *l.2. c.*21. *n.*76. Lugo *in reſp. mor. l.6. d.*8. quia tanti valoris in ſe erat illud debitum. *Nec obſtat*, quòd tale debitum acerbum, id eſt, difficile minoris æſtimetur, etiam ſæpè infra dimidium, ideoque tu licitè poteris à me emere minori pretio, uti fatentur omnes cum Leſſ. *n.*74. *nam* non ideò tenebar ego minoris vendere, & poteram ſimiliter ego pro eo acceptare æquale pretium, uti etiam fatentur communiter AA. cum Lugo, & Leſſ. *num.*77.

*Q.*153. *Si nullus adſit titulus aliquid accipiendi ſupra* 907 *ſortem, an ſit uſura mutuare cum ſpe aliquid accipiendi?* R. Affirmant *Gabr. Silv. Med. Adr. Covarr.* quia Luc. 6. dicitur, *Date mutuum nihil indeſperantes*, quod non eſt puri conſilii, ſecundùm dicta *n.*849. Deinde *cap. Conſuluit, de uſuris* additur, *licèt omni conventione ceſſante, hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent, judicandos eſſe malè agere, & cogendos, ut reſtituant*, ſed probabiliùs negant *S. Th. P. Nav. Sot. Mol. Leſſ. Laym.* ſuprà *n.*4. eſt enim licitum ante mutuum accipere aliquid gratis donatum, ergo etiam poſt mutuum, uti rectè argumentatur S. Th. 2.2. *qu.*78. *art.*2. *in O.* id autem licitè ſpero, quod licitè poſſum acceptare, ergo. Scriptura & *cit. cap.* tantùm damnant intentionem accipiendi aliquid ſupra

ſortem, tanquam ex juſtitia debitum ratione mutui, ſic enim eſſet uſura mentalis, foretque etiam obligatio reſtituendi, (niſi conſideratis circumſtantiis præſumi poſſet mutuatarium gratis dediſſe, & non tanquam ex juſtitia debitum) tum enim non voluiſſet dare liberaliter, & volens dare tanquam ex juſtitia debitum erraſſet in motivo ac ſubſtantia, conſequenter donatio eſſet nulla.

908 *Q.*154. *An ſit uſura, ſi mutuans moneat mutuatarium de gratuita remuneratione?* Reſp. Affirmant *Rich. Sot. Angles* & alii, quia cùm rubore neceſſitet ad remunerandum, eſt tantundem ac coactio aut pactum implicitum. Contradicunt Caj. Mol. Bonac. Salon. & alii cum Dian. *p.*1. *t.*8. *R.*62. Lugo *diſp.*25. *n.*30. Spor. *n.*33. quia reipſa non intercedit verum pactum, nec coactio, ſed tantùm petitur compenſatio antidoralis, ad quam quivis beneficium accipiens ex jure naturæ tenetur, *videtur enim æquum & juſtum*, inquit S. Th. *opuſc.*73. *de uſuris*, *c.*4. *ut beneficio exhibito reddatur aliquod emolumentum quamvis ſecundùm rei veritatem non debeatur tali beneficio aliquid ex juſtitia, niſi tantùm ex gratia, quod eſt benevolentia, & gratiarum actio.* Dicit quidem Tamb. §.2. *num.*7. ſi ſit nimis importunus in admonendo, eſſe uſuram, quia mutuatarius cogitur dare, ut redimat vexam, Steph. *autem t.*4. *d.*9. *num.*99. dicit ſpectandam eſſe mentem mutuantis, nam ſi intenderit non aliter mutuare, videtur intendiſſe cauſare obligationem in mutuatario, quam poſteà urget, ergo erit uſura ſaltem mentalis, quod magis tenet, ſi aliquid determinatum exigat, v.g. pecuniam, nam obligationi antidorali ſatisfieri poteſt per quidvis, Quod ſi antequam det mutuum, ſic excitet mutuatarium ad gratitudinem, rectè notat *Pollenter* ſuper prop. ab *Innocent. XI.* damnatas *num.*1269. frequenter fore pactum tacitum, nam mutuatarius intelliget ſe poſteà obligandum, non ex mera liberali gratitudine, ſed tacita quadam conventione.

909 *Q.*155. *An ſit uſura, ſi per legatum ſint tibi relicti* 1000. *daleri, & interim dum non ſolvuntur, accipias aliquid pro intereſſe, poſteà autem totam ſummam?* Reſp. Putant aliqui eſſe uſuram, alii negant cum Caſtrop. *d.*6. *p.*2. ſed reſpiciendum eſt ad præſumptam ſaltem voluntatem Teſtatoris, ab ea enim pendet, ut dicatur, an habeas vel non habeas jus ad tale intereſſe, ſi enim voluit, ut ſtatim fruereris, habes jus: ſi autem voluit ſolvi pro commoditate hæredis, non habes jus. Quid autem dicendum ſit circa dotem uxori promiſſam, ſed non ſolutam, dicetur *n.*1115.

910 *Q.*156. *Quid dicendum ſit, quando valor rei mutuatæ poſteà creſcit, vel decreſcit?* Reſp. Seqq. §.1. Quando pecunia mutuata fuerat, v.g. 100. ducati in auro, & poſteà valor auri creſcit, ſi mutuata fuit in ratione monetæ, id eſt, ſecundùm valorem extrinſecum, prout ducatus in commercio humano valet, nunc v.g. duos & medium imperialem, ſatis eſt reddere in alia ſpecie, quantùm aurum tum valebat, quia per accidens ſe habebat ſpecies auri, ſed mutuabatur tam multum monetæ: ſi verò mutuata fuit in ratione mercis, id eſt, ſecundùm valorem intrinſecum, quia aurum illud erat tantæ perfectionis & ponderis, deberet mutuatarius reddere tantundem mercis, atque ideò ſecundùm valorem nunc intrinſecum auri. In dubio autem ſtandum eſt pro mutuatario, quòd nempè datum ſit in ratione monetæ, quia cùm mutuum eſſentialiter ſit beneficium mutuantis erga mutuatarium, explicandum eſt in favorem mutuatarii, ita Palav. *l.*4. *nu.*65.

911 §.2. Licitum eſt dare mutuum, v.g. in trientibus, quos mutuans prævidet deponendos, quamvis mutuatarius poſteà debeat reddere in alia moneta ejuſdem valoris, quem habent trientes tempore mutuationis, ut probat S. Thom. *opuſc.*73. *c.*14. quia mutuans dedit pro uſu eo tempore, quo ita valebant trientes & ſic exponi poterant à mutuatario.

912 §.3. Si in contractu nullum ſtatuatur tempus, quo res reddatur, mutuans non eſt injuſtus, ſi non repetat, niſi quando res pluris venditur, quia ſibi imputare debet mutuatarius, quòd non reddat tempore commodiore, Tamb. *l.*8. *t.*3. *c.*8. §.1. *num.*5. Spor. *t.*6. *c.*4. *n.*15. Hinc docet etiam *S. Th.* ſuprà, ſi dem hodie mutuo menſuram olei, recipiendam, quando pluris valebit, ſi paratus ſim recipere omni tempore, aut ſi illo alio tempore deberem mihi emere tali cariori pretio, nullum eſſe vitium, quia non peto niſi æquale, aut tantùm me ſervo indemnem; ſi tamen nollem recipere tempore vilioris pretii, eſſem injuſtus, quia mutuatarius poteſt reddere, quando vult.

913 §.4. Si fuerit pactum de tempore reddendi, & initio æqualiter incertum fuerit, an tempore illo valor eſſet futurus major vel minor, non eſt uſura paciſci, ut eadem res reddatur, v.g. eadem quantitas mercium, idem numerus pecuniæ, item ut novum vinum reddatur pro antiquo, cujus neſcitur pretium nunc eſſe minus, quàm futurum ſit poſteà, quamvis hoc ſit futurum mutuanti utilius, quia poterit v.g. meliùs conſervare novum, ita Nav. Mol. Rebell. Leſſ. & alii cum Caſtrop. *p.*13. Pirh. *l.*5. *t.*19. *n.*54. & 56. Spor. *n.*18. & 22. Ratio eſt, quia non repetis niſi ſortem, & licitum eſt tibi ex mutuo commodum quærere, quantum abſque injuria mutuatarii comparare potes.

914 §.5. Si ſit probabilius vel ferè certum, quod poſteà res pluris ſit valitura, adhuc non eſt uſura, ſi mutuans erat rem ſuam ſervaturus uſque ad illud tempus, ſubtrahi tamen debet æſtimatio laboris, periculi & ſumptuum in re uſque ad illud tempus conſervanda, uti iidem docent, & ratio eſt, quia mutuans non tenetur ratione mutuatarii pati iſtud damnum: conſequenter docet Leſſ. *l.*2. *c.*22. *n.*49. ſi pecunias alioquin aſſervandas des ad cenſum redimibilem, addi poſſe pactum, ut redemptio fiat in eadem ſpecie, etiamſi certum eſſet valorem eſſe augendum; contradicunt tamen Laym. *l.*3. *t.*4. *cap.*16. *num.*15. Spor. *num.*20. quia hoc eſt onus novum, nec excuſat ratio lucri ceſſantis, nam nihilominus lucraris 5. in 100. itaque vel hos vel illud lucrum remitte.

915 §.6. Si mutuans contrahat, ut mutuatarius non reddat mutuum ante tempus, quo probabiliter pluris valebit, eſt uſura, uti cum communi Lugo *in Reſp. mor. l.*6. *d.*23. *num.*1. *& de juſtit. d.*25. *num.*118. & 125. Ratio eſt, quia non poſſe ſe, niſi tum, liberare à debito, eſt novum, & grave onus mutuo extrinſecum.

916 §.7. *Salas*, *Caſtrop.* ſuprà aliique apud Steph. *num.*116. rectè dicunt probabile eſſe, quòd mutuans, ſi præſcivit valorem etiam mercium eſſe minuendum, poſſit paciſci, ut ea quantitas mercium reddatur, quæ valore par ſit mercibus mutuatis, quia nil petit ſupra ſortem, hinc poteſt paciſci, ut reddantur plures menſuræ tritici poſtea minùs valituri, ſicuti enim poſſet vendere pretio nunc currente, ſic poteſt mutuare ſecundùm valorem nunc præſentem, ita *Leſſ. Lugo Pirh. n.*55. In eo tamen caſu, ſi valor creſceret, deberet conſequenter pauciores menſuras recipere.

917 §.8. Si nihil ſit conventum, an reddenda ſit eadem menſura vel valor attendendus, neque initio prævidebatur mutatio valoris, præſumitur fuiſſe mens contrahentium, ut reddatur juxta eandem menſuram rei ſecundùm eandem ſpeciem, unde ſi non reddatur tempore debito, æſtimari debet ejus valor, non ſecundùm tempus, quo datum eſt, ſed quo reddi debuit mutuum, ita Lugo Pirh. *n.*58. ſi autem initio prævidebatur mutatio valoris, præſumi debet voluiſſe eos, ut redderetur ſecundùm valorem, & non menſuram. Excipe, niſi prævidebatur imminutio valoris, tum enim mutuans hoc ipſo, quod non moneret, cenſeretur remiſiſſe & voluiſſe facere beneficium, ac mutuare ſecundùm naturam puri mutui juxta eandem menſuram, uti tenent iidem AA. quod non tenet, ſi prævidebatur augmentum valoris, nam non debet præſumi delictum, quo mutuans de hoc non contrahens voluiſſet injuſtè obligare ad illum exceſſum.

918 *Q.* 157. *An ſit uſura cedere alteri contractum uſurarium?* Reſp. Leſſ. *in auct. v. Societas officiorum*, ſic habet: *Qui accepta pecunia ab uſurario gravatur uſura, poteſt ſtatim cedere contractum in alium id petentem, numerata illi ſorte accepta, & translato in illum onere ſolvendi uſuram.* E contra alii communiter ſic limitant, ut tum tantùm licitum ſit rem ſub uſuris acceptam cedere alteri ſub onere eodem uſurarum, quando hoc ſecundum mutuum verè eſſet cauſa damni emergentis vel lucri ceſſantis mutuatario, ſi autem non ſit cauſa, non poteris contractum illum transferre in alterum, ideò præciſè, ut te reddas indemnem, alioquin ſi emiſſes aliquid ſupra juſtum pretium, etiam poſſes illud eodem pretio revendere alteri, ut te redderes indemnem, ita Caſtr. *d.*4. *p.*12. *n.*2. Tamb. §.3. *n.*6. Pirh. *n.*35. Spor. *n.*51. *Si dicas*, cum Ang. Sa, Mol. Leſs. *l.*2. *de juſt. c.*20. *n.*78. te non mutuare ſub uſuris, ſed tantùm in alterum conſentientem transferre obligationem, quam habes, reddendi mutuum ſub uſuris. *Contra eſt*, nam reverà tu mutuas, accepiſti enim pecuniam, uti ſuppono, & tu es illius dominus per contractum mutui antecedenter re completum, ergo transferens in alterum reipſa mutuas.

919 *Q.*158. *An uſurarius acquirat dominium uſuræ?* R. Si mutuatarius non habeat voluntatem transferendi dominium, quia ſcit ſe non obligari, non acquirit. Si autem voluntatem habeat, Az. Mol. Cov. Silv. Leſs. Zoef. Tamb. Spor. *t.*6. *c.*4. *num.*117. Aliique plurimi cum Laym. *l.*3. *t.*4. *c.*16. *n.*7. adhuc dicunt nõ acquirere, 1. quia non adeſt ullus juſtus titulus transferendi, imò cùm talis contractus ſit metu gravi & injuſto extortus, videtur etiam jure naturæ eſe irritus, cum juſtitia non poſſit naſci ex injuria; & huc facit, quod dicit S. Th. *opuſc.*73. *c.*4. *quidquid transfertur ab uno in alium per violentiam, non datur ſed aufertur.* 2. Quia mutuatarius non aliter voluit transferre, quàm teneretur, ſed reipſa non tenebatur, ergo nec tranſtulit. 3. Si tranſtuliſſet dominium, mutuans non teneretur reſtituere fructus rei frugiferæ ſibi pro uſura traditæ, ad quod tamen tenetur. E contra Nav. & alii cum Lugo *d.*25. *num.*206. dicunt acquirere dominium, quia mutuatarius habet abſolutam & efficacem voluntatem illud transferendi, quæ licèt ſit ſecundùm quid involuntaria, eſt tamen ſimpliciter voluntaria: uti ſi quis donet ex metu, qui ſecundùm dicta *n.*636. & 638. non irritat contractum, Dominium tamen illud eſt revocabile & inefficax, quia ob injuriam illatam tenetur reſtituere; & ita etiam ſentiunt Spor. & Pirh. *n.*20.

Deni-

Denique S.Th.*cap.*5.videtur diſtinguere, nam docet dominium uſuræ transferri, quantum eſt ex vi legis humanæ permittentis uſuras, attamen ex vi legis divinæ dicit non transferri, ſed debere mutuatario reſtitui rem, & quidem eandem, quam ſupra ſortem dedit, & hoc eſt quod prima ſententia vult; ſecunda tamen ſententia videtur probabilior, quam etiam videtur admittere S.Th.*cap.*19. dicens, *aliter judicandum eſt de furto & rapina, & aliter de uſura, quia in uſura aliqualiter tranſfertur dominium jure fori, licèt non jure poli, ſed nullo modo in aliis, unde equus furto ablatus, in cujuſcunque manum tranſierit, ſemper eſt reſtituendus, etiam in jure vero, ſecundum verò non ſic, ſi eſt equus per uſuram acceptus, quare aliter judicandum eſt in uſura, & dicendum, quòd ſufficit, ſi fiat reſtitutio pretii.*

920 *Q.*159. *An uſurarius acquirat dominium eorum, quæ ex re per uſuram accepta poſteà lucratur?* Reſp. Si res uſuraria ſit ex natura ſua ſterilis, uti pecunia, inſtrumenta artis &c. acquirit dominium rerum, quas re tali lucratur, ſunt enim fructus induſtriæ, uti communiter omnes cum S.Th.Silv.Cov.Az. Mol.Leſſ.Pirh.*l.*5.*tit.*19.*nu.*21. *Nec refert*, quòd emptor accipiens pecuniam uſurariam videatur eſſe involuntarius, & deceptus, eò quòd tenebitur mutuatario rem illam reſtituere, *nam* ſi uſurarius acquiſivit dominium, uti probabiliùs ſit, ſatis erit ab uſurario reſtitui æquivalens: deinde hic error non eſt circa ſubſtantiam rei, ſed ad ſummum dabit jus reſcindendi; uti rectè Leſſ.*l.*2.*c.*20.*num.*163. Si autem res per uſuram accepta ſit fructifera, fructificat domino ſuo, ergo cùm dixerimus tanquam probabilius uſurarium fieri dominum uſuræ, etiam fiet dominus fructuum; ſemper tamen cum obligatione compenſandi damna. Denique ſive uſurarius fiat dominus uſuræ ſive non, tamen fit dominus pretii pro re uſuraria bona fide empta dati, quamvis enim res ſit uſuraria, non tamen pretium, ita Leſſ.*n.*162.Pirh.*n.*23.

921 *Q.* 160. *Quandonam reſtitui debeat, quod acceptum eſt vi mutui?* Reſp.§.1. Quamvis abfuerit omne pactum externum, tamen ſi mutuatarius dederit ob vim mutui, involuntariè dedit, ideoque mutuans tenetur reſtituere, ſive bona ſive mala fide acceperit, Lugo *d.*25.*num.*32. Spor. *t.*6.*c.*4.*num.*79. Si tamen mutuatarius dederit ex gratitudine vel amicitia, & mutuans hoc ſciat, poteſt retinere, quamvis acceperit animo uſurario, quia per donationem acquiſivit dominium: licèt enim peteret ut debitum, tamen voluit acquirere omni meliori modo, & ſaltem poſteà poteſt acceptare, quando reſcit mutuatarium voluiſſe dare: ſi tamen id neſciret, teneretur ratione conſcientiæ erroneæ ſive ignorantis reſtituere, Spor.& Tamb.*lib.*8. *tr.*3.*c.*8.§.2.*n.*14.

922 §.2. Si dubium ſit, an mutuatarius dederit ex vi mutui, an ex liberalitate, mutuans, ſi poſſit, tenetur interrogare; ſi non poſſit reſcire, & perſiſtat dubium, ſi hoc dubium ſit utrimque poſitivum, poteſt ſibi ob probabilem rationem formare conſcientiam & retinere; ſi eſt negativum, Caj.Ang.Pirh.*l.*5.*tit.*19. *n.*138.aliique apud *Lugo* ſuprà dicunt præſumi poſſe eſſe donatum; ſigna autem multa talis præſumptionis affert Tamb.*n.*16. E contra *Mol.Tamb.Spor.* & alii probabiliùs dicunt eſſe reſtituendum, quia mutuans tantùm incipit poſſeſſionem naturalem, qualem etiam habet prædo, mutuatarius autem in tali dubio remanet in poſſeſſione civili rei, donec conſtet de vero titulo translationis dominii, ergo melior eſt conditio mutuatarii, utpotè veri poſſidentis.

923 §.3. Si mutuatarius dederit uſuram ex timore orto ab intrinſeco, v.gr. ne diceretur ingratus, ne capitale citò repeteretur, ne mutuans alio tempore negaret mutuum, multi dicunt debere reſtitui, ſed multi æquè probabiliter negant cum Lugo *n.*35. & Spor.*num.*81. quia cùm dederit ex tali timore, non dedit ut pretium mutui, ſed ut motivum habendi benevolentiam mutuantis: ſi tamen mutuans illum timorem incuſſiſſet, teneretur reſtituere, quia mutuatarius involuntariè dediſſet ex metu injuſtè incuſſo.

924 §.4. Si datum eſt & acceptum ob vim mutui & mala fide, potuiſſet tamen dari & accipi ex alio juſto contractu, quem celebraſſent, ſi ſciviſſent, putat *Verricelli* poſſe retineri, ſed meritò negant Tamb.§.3.*n.*23.& Spor.*n.*106. Admittunt tamen cum Sa, Tann.Dian.*p.*1.*t.*8.*R.*47. Pirh.*d.n.*135. Steph.*n.*113.*&* 117. poſſe retineri, ſi proceſſerint bona fide; maximè ſi mutuans intenderit & expreſſerit ſe velle cõtrahere omni meliore modo, uti cum multis aliis dicit Leſſ.*l.*2.*c.*20.*dub.*12. aut ſaltem ſi mutuans ſciverit illum alium modum juſtè contrahendi, inquit Lugo *ſ.*9.& mutuatarius etiam cenſeatur conſenſiſſe. Ratio eſt, quia contrahentes bona fide ſic ſunt diſpoſiti, ut velint contrahere omni meliori modo, ergo habent implicitam voluntatem celebrandi contractum, qui licitè fieri poterat, ergo virtualiter poſuerunt illum contractum, perinde enim eſt, ſive titulus ſit in ſpecie cognitus & volitus ſive in genere, dummodò ſaltem virtualiter aut implicitè intendatur, & reipſa exiſtat: aliud eſt, ſi mutuatarius cenſeri non poſſet conſenſiſſe in iſtum alterum contractum, uti dictum *num.*144.

Q. 161. *An uſuræ licitè permittantur vel juventur?* 925
Reſp. §.1. Peccant Principes, qui Judæis aut aliis uſurariis cooperantur, abſque alia juſta cauſa dando licentiam, ut uſuras exerceant, ſub pacto, ut aliquid ſolvant per modum tributi, nam ut hoc ſolvere poſſint, magis exſugunt pauperes, cujus cauſa ſunt, qui ſic permittunt uſuras. Etiam ipſo facto excommunicantur Judices in *Clementina de uſuris*, qui compellunt ad ſolutionem uſurarum, aut impediunt reſtitutionem ſolutarum, tenenturque ipſi ad reſtitutionem deficiente uſurario, ita cum communi Pirh. *ſup.n.*115. Spor.*n.*127. Permitti tamen poſſunt ob juſtas cauſas uſuræ, *nam uſuras lex humana conceſſit, non quaſi æſtimans eas eſſe ſecundùm juſtitiam, ſed ne impedirentur utilitates multorum*, inquit S.Th.2.2.*q.*78.*ar.*1.*ad* 3. In caſu autem, quo ita permittuntur, non poſſunt pœnæ imponi uſurariis, poteſt tamen exigi aliquid pro utilitate communi, quod non facilè quis dixerit eſſe iniquum, inquit Leſſ.*in auct. v.Uſura, caſ.*6. cùm Principes ferè ubique illud uſucapione præſcripſerint: videndum tamen, ne per hoc uſurarius fiat impotens ad ſolvendum Creditoribus, quibus magis, & priùs obligatur.

§.2. Circa cooperationem ad uſuram dant ſequentem regu- 926
lam Mol.Az.Leſſ.Pirh.*n.*114. omnes eos, qui ſe tenent ex parte uſurarii, & ſunt cauſa efficax, cur uſuræ exigantur vel ſolvantur, peccare, & obligari ad reſtitutionem, ſaltem ſecundo loco, ſi uſurarius non poſſit aut non velit; illos verò, qui ſe tenent ex parte mutuatarii, non peccare nec teneri reſtituere, niſi eo caſu & modo, quo ipſe mutuatarius aliquando peccat ratione ſcandali, Lugo *d.*25.*n.*214. videtur meliùs loqui, & dicit omnes, eos, ſive ſe teneant ex parte mutuantis ſive mutuatarii, peccare contra juſtitiam & teneri ad reſtitutionem, qui ita cooperantur, ut circa talem cooperationem mutuatarius ſit invitus, hi enim inferunt injuriam damnoſam: è contra illos non peccare contra juſtitiam nec obligari ad reſtitutionem, circa quorum cooperationem mutuatarius non eſt invitus, nam non omnium cooperantium actiones ſemper diſplicent mutuatario, qui potiùs optat aliquando poni, ut ſic obtineat mutuum, attamen ſemper invitus eſt in hoc, quòd mutuans ſine titulo petat aliquid ſupra ſortem. Ex data regula multa infert *Lugo*, & etiam videri poſſunt dicta *l.*2.*d.*n.267. An autem licitum ſit locare domum ſuam uſurario, dicetur hìc *num.*1042.

DUBIUM VIII.

De Emptione, & Venditione.

ARTICULUS I.

Quid ſit Emptio, & Venditio.

REſp. Eſt contractus, quo pretium pro merce ſolvi- „ 927
tur; completurque mercis traditione: Venditio contra. „
Juſtitia ejus in hoc conſiſtit, ut pretium ſit juſtum, ſive exæ- „
quet valorem rei, & contra: Aliàs ſi abſque legitimo titulo „
ſecus fiat, committetur injuſtitia gravis, vel levis, pro gra- „
vitate exceſſus: qui proinde ad reſtitutionem in conſcientia „
obligabit: etſi in foro externo ad reſtitutionem ferè non co- „
gatur, niſi ultra dimidium defraudaverit, v.Laym. *l.*3.*t.*4. „
*c.*17.Bon.*d.*3.*q.*2.*p.*1.*&* 4. *Unde reſolves:* „

I. Quod ſpectat ad emptorem, is poteſt emere viliùs, quàm „
res valeat, ſi ei non ſit commoda, vel emat in gratiam venditoris, ac ſimiles ſint circumſtantiæ quæ rem faciant viliorem. „
Nec obſtat, quòd venditor neceſſitate ductus vendat viliùs: „
quia venditio manet voluntaria, inquit Caj. V.Bonac. *n.*21. „
& 23. poteſt nihilominus graviter peccari contra charitatem, „
ſi quando pauperculi extrema inopia res ſuas vendere cogun- „
tur, nimis viliter ab eis emas, Laym.*num.*10. „

II. Emptor poteſt emere minoris, ex eo quòd multa ſimul „
emat, quia tunc venditorem liberat multis curis, & expedi- „
tum facit ad alia nova comparanda, unde meritò pretium „
decreſcit, Bon.*p.*4.*n.*13. ex Leſſ.*l.*2.*c.*21.*d.*4.*n.*32.*&c.* „

III. Quoad venditorem is communiter debet vendere ſe- „
cundùm pretium taxatum à lege, vel magiſtratu: quòd ſi nul- „
lum eſt, id cenſebitur juſtum, quod morali hominum æſti- „
matione imponitur. Quod non conſiſtit in indiviſibili, ut „
anxiè ſcrupulari oporteat, ſed dividitur in infimum, medium, „
& ſummum, ſive, ut alii vocant, pium, moderatum, & rigo- „
roſum; ita ut intrà latitudinem hujus pretii vendere & emere „
liceat, nunc ſummo, nunc infimo. „

IV. Si quid emptori valdè utile ſit, non licet hoc ſolo no- „
mine rem vendere ultra pretium juſtum; quia utilitas empto- „
ris tota eſt ipſius, non venditoris, Bon.*n.*27. ex Leſſ.*num.*31. „
Fill.*tr.*35.*num.*77. „

V. Licet autem vendere cariùs, quàm valet, pretio cur- „
rente, ſi alii boni tituli adſint, & ſimul de hoc emptorem „
moneas, quia tunc illi non fit injuria. Tales autem ſunt, v. „
gr. lucrum ceſſans, aut damnum emergens aut incom- „

„ modum, vel moleſtia tibi obventura ex rei venditione, aut „ affectus in eam ſingularis, ut ſi receperis à Majoribus, Princi- „ pe. Item ſi res ſint novæ, raræ, & ſingulares; ut v.g. peregrini „ flores, aves, feræ, monumenta antiqua, picturæ, numiſmata, „ Laym. §. 1. *num.* 10. Leſſ. *num.* 24. Bon.

„ VI. Qui res minutim, & in parva quantitate vendunt, „ poſſunt aliquando cariùs vendere, quàm qui in magna quan- „ titate, quia debent majores labores, expenſas, &c. impen- „ dere ad ea conſervanda: & ſic quidam excuſant caupones „ & ſtabularios, qui avenam, fœnum, paleas, &c. cariùs ven- „ dunt, quàm alii, dummodò pretium iis, non ſit taxatum. „ Salon. Trul. *tom.* 2. *l.* 7. *c.* 20. *d.* 6. *n.* 3.

„ VII. Non poteſt cariùs vendere præcisè ob dilatam ſolu- „ tionem, aut viliùs emere, ob præcisè anticipatam ſolutionẽ, „ quia in venditione, quæ fit credito, vel in anticipata ſolutio- „ ne eſt virtuale mutuum, ideoque uſura, ſi quid ſupra ſortem „ exigatur. Quod intellige, niſi interveniat alius titulus ex ſu- „ pra enumeratis de uſura; vel niſi aliunde creſcat pretium, v.g. „ ex frequentia emptorum, &c. Bon. *l. c.* ex Leſſ. Regin. Fill. *&c.* „ *Vid ſuperiore dub.*

„ VIII. Licitum eſt vendere rem cum pacto de retrovenden- „ do, id eſt, ut emptor teneatur tibi ſtatuto tempore, vel cum „ volueris, eam revendere, modò vera, & non ficta emptio fiat, „ nec palliata uſura intercedat, Mol. *d.* 375. Leſſ. *dub.* 14. *&c.* „ qui addunt juxta æſtimationem illius operis ac pacti, pre- „ tium eſſe imminuendum, V. Lugo *d.* 26. *n.* 189.

„ IX. Monopolia, id eſt, cùm unus, vel plures id efficiunt, „ ut ipſi ſoli aliquid vendant, vel cùm mercatores conſpirant, „ non minoris vendere, non ſunt contra juſtitiam, modò non „ conſpirent extra juſtum pretium vendere. Ita contra Rebel. „ & Nav. *&c.* docent Mol. Leſſ. *d.* 21. *&c.* Qui tamen concedunt „ eſſe contra charitatem, v. Lugo *d.* 26. *num.* 174. *&* 175. Porrò „ Principum vel Magiſtratus eſt, cùm uni, vel paucis tale pri- „ vilegium conceditur, ut ſoli aliquid vendant, iis etiam pre- „ tium taxare, & ſic prævidere, ne ſubditi graventur. V. Leſſ. „ *num.* 149. Lugo *num.* 170. Trull. *d.* 18. ubi rectè notat ex Nav. „ *man. c.* 23. *nu.* 92. *&c.* etſi alia monopolia ex juſta cauſa au- „ thoritate Principis, vel Reip. conceſſa, taxata pretio ſint „ licita, v.g. bibliopolis, ut nemo alius talem librum vendat, „ vel ut tantùm ſit unus aut duo tabernarii in aliquo loco, ni- „ hilominus quando unus vel pauci propria authoritate ea „ conſtituunt, v.g. emendo merces certi generis, ut frumen- „ tum, vinum, oleum &c. ut ipſi deinde arbitratu ſuo vendant „ cariùs, peccare ſemper etiam contra juſtitiam cum obliga- „ tione reſtituendi.

„ X. Venditor debet emptorem præmonere de notabili vi- „ tio rei; quod ei obeſſe poteſt: v.g. ſi equus ſit furioſus, domus „ ruinoſa, oves morbidæ, pannus adultus, &c. alioqui tenetur „ de fraude & damno ſecuto: ſaltem ſi defectus fuerit in ſub- „ ſtantia vel quantitate, v.g. ſi deficiat in pondere vel menſura, „ aut vendiderit rem unam pro alia. Et ſic peccat mortali- „ ter, cum obligatione reſtituendi, 1. qui frumentum vendi- „ turus ponit priùs loco humido, ut intumeſcat. 2. Qui vino „ Rhenano miſcet Francicum. 3. Qui carnes bubulas vendit „ pro vervecinis, &c. V. Leſſ. *d.* 11. Bonac. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *R.* 51. „ Trul. *d.* 11. *nu.* 3. *&* 5. Quando autem venditor poſſit juſtè ta- „ cere vitia qualitatis rei, quæ venditur, ſine obligatione reſti- „ tuendi pretium, vel reſcindendi contractum, vid. Lug. *d.* 26. „ *n.* 128. & Trull. *n.* 5. *& ſeqq.* ubi notat, venditionem factam „ ab ignorante vitium rei, eſſe validam, reſcindendam tamen „ vel reducendam ad æqualitatem, niſi venditor contra hoc „ exceperit.

„ XI. Si ſcias occultè debitorem tuum non eſſe ſolvendo, „ injuſtum videtur, iis, qui id neſciunt, debitum illud ven- „ dere pretio ordinario: tum quia eſt dolus; tum quia vitium „ intrinſecum crediti non revelatur, Bon. *p.* 10. ex Leſſ. *d.* 10. „ Filliuc. *&c.*

„ XII. Etſi venditor ſciat pretium mercis mox minuendum, „ licet tamen vendere pretio currente, & non dicere emptori „ (ſecluſo tamen dolo, fraudibus, & mendaciis, quibus em- „ ptorem allicere ad emendum ei non licet) quia pretium cur- „ rens ſimpliciter adhuc eſt juſtum, Bon. *q.* 2. *p.* 5. *n.* 12. ex Azor. „ Fill. Leſſ. *d.* 5. *&c.*

„ XIII. Si cui datum eſt aliquid vendendum pretio v.gr. in- „ fimo vel moderato, & is vendat rigoroſo, probabile eſt, ut „ habet Angel. *v. Emptio*, non teneri reſtituere, ſed poſſe reti- „ nere exceſſum, cùm ſua induſtria acquiſiverit. Aliud tamen „ eſt de famulis mercatorum, quibus indeterminato pretio tra- „ ditur meliori modo vendendum, quo poſſunt in utilitatem „ domini, V. Leſſ. *d.* 19. Lugo *d.* 26. *ſ.* 9.

„ XIV. Quando ſartoribus, ementibus pannum pro iis, „ quibus veſtes conficiunt, minoris venditur quàm aliis, eò „ quòd ſint Parochiani mercatorum, vel ſæpè ab iis emant, „ poſſunt partem pretii remiſſam ſibi retinere, dummodò aliàs „ fideliter agant: quia nulli fit injuria: cùm mercatorum plu- „ rimùm intereſſit, ut tales ad ipſorum potiùs quàm aliorum „ officinas veniant, cenſentur in ipſorum gratiam remittere, iiſ- „ que donare eam partem, Fil. Dian. *p.* 1. *t.* 8. *R.* 26. Negat tamen „ *Salas*: eò quòd mercatores falsò dicant, ſe remittere, ut „ alliciant. „

XV. Cùm res duobus in ſolidum eſt vendita, is dominium „ acquirit, cui tradita eſt, dummodò is pretium ſolverit. Si „ neutri tradita ſit, debetur ei, qui priùs tempore emit, & alter „ habet actionem in venditorem. Si quid tamen vendatur aut „ detur Eccleſiæ, vel aliis piis locis, acquiritur dominium ante „ traditionem. V. Leſſ. *d.* 20. & Lugo *d.* 26. *ſ.* 11. „

XVI. Si res pereat ante traditionem, & ſit certa ac deter- „ minata, v.g. hæc domus, hoc dolium vini, perit emptori, „ niſi aliter expreſsè conventum ſit, aut venditoris culpa pe- „ reat. Si tamen res ſit indeterminata, (ut ſi quis emerit 10. „ modios tritici ex granario, oves ex grege) vel ſi emat rem „ determinatam quidem, ſed ad menſuram, (ut acervum to- „ tum tritici, uno floreno in ſingulas menſuras) tunc ante „ rei traditionem, aut menſurationem periculum ſpectat ad „ venditorem. V. Leſſ. *d.* 12. Lugo *num.* 216. Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. „ §. 2. Bon. *q.* 2. *p.* 9. „

XVII. Si res vendita pereat, aut deterior fiat poſt traditio- „ nem, perit emptori, licèt pretium nondum perſolverit: quia „ res domino perit, Laym. Bon. *ll. cc.* „

Quæres I. An & quomodo liceat emere chirographa, ſeu „ credita alterius? „

Reſp. Si credita in poſterum exigenda (ſive jus, quod habet „ alter, ut ipſi in futurum aliquid ſolvatur) ſint certa, ea mi- „ noris emere, ſolutione anticipata, eſt uſura; ſecluſo tamen „ lucro ceſſante, & damno emergente, Bon. *t.* 2. *de contr. l.* 3. *q.* 3. „ *p.* 10. ex Mol. Leſſ. *d.* 8. Tol. Fill. quia accipitur aliquid ſupra „ ſortem ex mutuo, nam mutuat implicitè minorem pecuniam „ pro exigenda majore. 2. *Dixi certa*; quia ſi credita ſint incer- „ ta, periculoſa, & litigioſa, ac cum difficultate exigenda, „ licitè is, qui non eſt cauſa iſtius difficultatis, minoris emit, „ prout difficultas, vel incertitudo ſolutionis minor eſt vel ma- „ jor: quia cum tali periculo & difficultate minùs valent, Bon. „ *l. c.* Trul. *d.* 8. *n.* 6. *Unde reſolves*, „

I. Uſuram committunt, 1. Miniſtri Regum & Principum, „ &c. qui uti anticipatam faciant ſolutionem, aliquid recipiunt „ à creditoribus. 2. Qui aliquid accipiunt à debitoribus con- „ ceſſa dilatione ad ſolvendum, quia accipiunt aliquid ultra „ ſortem pro mutuo virtuali, Bonac. *l. c.* Nav. *man. c.* 17. *n.* 246. „ Mol. Salas, *&c.* „

II. Minoris emi poſſunt regulariter credita & ſtipendia, „ ſive ſalaria debita militibus aut famulis nobilium, quia ha- „ bent adjuncta incommoda, pericula & moleſtias in exigen- „ do. Quam ob cauſam idem licet, etiamſi credita illa tempo- „ re præſenti, vel etiam præterito fuerint ſolvenda, Bonac. *l. c.* „ ex Reg. Mol. *&c.* „

III. Qui ipſe eſt cauſa difficilis ſolutionis, peccat contra „ juſtitiam emendo minoris, & tenetur ad reſtitutionem, tum „ quia ipſe eſt cauſa damni, cùm ipſius culpa creditum valeat „ minùs: tum quia alioqui præmium delicto ſuo reportaret, „ Mol. *tom.* 2. *d.* 313. Bon. *l. c.* Hinc Quæſtores Principum, ad „ quos ſolutio pertinet, quando ipſi ſunt cauſa difficilis & ma- „ lignæ ſolutionis, non poſſunt chirographa vel credita eme- „ re minoris, ut docent *Auth. citat.* Additque Salas & Mol. „ *num.* 6. non eſſe liberum Quæſtoribus &c. quibus incum- „ bit ſolvere magnatum debita, uni potiùs ſolvere quàm alteri, „ (niſi quis fortè jus præ aliis habeat, *ut v. ſupra de ordine re-* „ *ſtit.*) ſed teneri omnibus ſolvere pro rata, Bonac. *loc. cit.* V. „ Trull. *d.* 10. *num.* 3. „

ADDENDA.

928 *Q. Væſt.* 162. *Quid notandum ſit circa doctrinam hujus articuli?* Reſp. Quæ Buſemb. habet *ref.* 8. de contractu re-venditionis, intelligenda ſunt ſecundùm dicta hic *à n.* 902. & dicenda *n.* 992. Quæ habet *ref.* 13. de vendente rem alienam, in-tellige ſecundùm dicta *p.* 1. *n.* 1041. Quæ habet *ref.* 14. de ſartori-bus, intellige ſecundùm ibidem dicta *num.* 1044. Pro reliquis meliùs explicandis jam addemus aliqua.

929 *Q.* 163. *An venditio debeat eſſe de re, & pretio determi-nato?* Reſp. Affirmativè, hinc venditio rei indeterminatæ, aut rei determinatæ, ſed facta pro pretio indeterminato, eſt in-valida, uti ſi dicas: Vendo tibi rem aliquam, vendo tibi hoc vinum juſto pretio, quanti volueris &c. Ratio eſt, quia in his caſibus non poteſt reſultare obligatio tradendi rem vel pretium, quorum utrumque in ſe eſt ſemper aliquid determinatum, ita Lugo *in Reſp. mor. l.* 6. *d.* 18. Spor. *t.* 6. *c.* 5. *num.* 7. Valeret tamen, ſi diceres, emo à te hunc equum, quanti tu emiſti, quanti in his nundinis vendentur ſimiles equi: item, emo hac pecunia, quanta eſt in meo marſupio &c. quia hìc à parte rei adeſt cer-tum, & determinatum pretium.

930 *Q.* 164. *Quid circa rerum pretia ſit notandum?* R. Seqq. §. 1. Pretium, eſt pecunia, quæ pro merce datur; hinc ante inven-

inventionem pecuniæ non fiebat emptio aut venditio, quia deerat pretium, ſed tantùm fiebant permutationes rerum per contractus innominatos, uti, *do, ut des*; do vinum, ut des pannum &c.

931 §.2. Pretium, aliud eſt legitimum, quod publica lege vel voluntate Superioris taxatur; aliud naturale ſeu vulgare, quod conſtituitur ex conſenſu partium ſecundùm materiam mercis ſpectatam ſecundùm eſſe uſuale & æſtimationem hominum. Pretium legitimum conſiſtit in indiviſibili, & ex juſtitia obſervari debet ſub onere reſtitutionis; deſinit tamen obligare taxa, ſi ab initio fit, vel mutatis circumſtantiis fiat injuſta, ſive infra fines juſti pretii, Illſ.*t.*4.*d.*2.*n.*399. cum communi: aut ſi res tuæ ſint notabiliter meliores, quàm quæ communiter in foro venduntur; aut ſi Superior permittat vendi extra taxam, quamvis unum vel alterum puniat, volens experiri, an retineatur taxa, Fagund. Tamb. Spor. *ſuprà ſ.*1. Poteſt autem emptor emere infra taxam; ſi hæc in ejus favorem ſit poſita, quia nemo obligatur uti tali favore: E contra peccat, v.g. lanio, ſi meliores carnes vendat ſupra taxam, oſſa verò & viliora carnium, ſecundùm taxam, tenetur enim æqualiter partiri carnes, cum proportione partium meliorum, & viliorum.

932 §.3. Pretium vulgare eſt, ſummum, medium, infimum, v.g. ſi medium pretium ſint decem, infimum erunt octo cum dimidio, ſummum verò undecim cum dimidio, & ita de aliis, ſervata proportione, ſemper tamen minuendo, ut putat *Mol.* v.gr. ſi pretium medium ſint 100. infimum debent eſſe 95. ſummum 105. Notat tamen Spor. *num.*26. pro hoc tempore id dici ſcrupulosè, ideoque putat ſtandum eſſe judicio prudentum, ſecundùm circumſtantias fori, & communem ſenſum negotiatorum.

933 §.4. Pretium vulgare ſæpè mutatur, prout eſt copia vel penuria tum mercium tum emptorum, non poteſt tamen particularis aliquid ideò augere pretium mercis, quia ipſe circa illam paſſus eſt infortunium, nam res tanti valet, quanti per ſe æſtimatur communiter, non quanti tibi per infortunium vel imprudentiam valuit. Quòd ſi infortunium commune multis mercatoribus induceret penuriam mercium, jam augeri poſſet pretium, etiam pro eo, qui infortunium non eſſet paſſus. Deinde cùm pretium vulgare pendeat ex æſtimatione hominum, res pluris vendi poteſt apud celebrem artificem, quia nobilitas artificis celebrat artefactum, ſupponitur enim eſſe nobilius.

934 §.5. Non licet augere pretium mercis, ex eo quòd videas emptorem valdè indigere illa, aut erga illam affici, quia indigentia illa vel affectus non eſt res vendentis nec merci intrinſeca, ſed eſt res ementis, ergo ob illam iniquum eſt plus exigere.

935 §.6. Merces extra officinam ultrò oblatæ emi poſſunt minoris, uti cum communi Caj. Lop. Leſs. Lug. Dian. & alii apud Moy. *t.*1.*t.*6.*d.*6.*q.ult. num.*8. imò ſecundùm *Rebell.* & alios vileſcunt uſque ad dimidium, ſignum enim eſt, quòd ſit vel paucitas emptorum, vel modica mercis neceſſitas, aut exigua utilitas. Similiter quæ ſub haſta venduntur, admittunt pretium, quòd ſine fraude extorqueri poteſt, hinc vendi poſſunt vel emi pretio parvo aut magno, etiam infra vel ſupra dimidium pretii, quo emeres in officina, nam ita uſus præſcripſit, *Mol. Bonac. Laym.*

936 §.7. In alia venditione vel emptione ſupra vel infra juſtum pretium, quamvis exceſſus vel defectus non attingat dimidium juſti pretii, ſi tamen non ſit infrà illius fines, fit injuria, & eſt in conſcientia obligatio reſtituendi, eſt communis & certa cum Lugo *d.*20.*n.*168. Spor. *n.*27. Sylvio *in Ref. Caſ. p.*1.*v. contractus*, & quamvis aliqui Juriſtæ dixerint licitam eſſe venditionem, dummodò non fiat ſupra dimidium juſti pretii, hos tamen rectè confutant S. Th. 2.2.*q.*77.*art.*1.*in O. & ad* 1. Leſs. *lib.*2.*c.*21.*n.*21. Aliique communiter. Quòd ſi ſit læſio ultra dimidium, etiam in foro externo ſæpè datur actio contra lædentem, ut vel reſcindatur contractus, vel reducatur ad æqualitatem, uti pluribus explicat Caſtr. *d.*5.*p.*17. V. Illſ. *t.*4.*d.*2.*à n.*419.

937 §.8. Si ſupra juſtum pretium vendidiſti Cajo, qui ut ſe ſervaret indemnem, eodem pretio injuſto revendidit Titio, teneris non Cajo ſed Titio reſtituere, quia hic ſolus paſſus eſt damnum, Sanch. Lug. Tamb. Spor. *n.*29. contra *Bardi*, cujus probabilem ſententiam ſequendo, ſi Cajo reſtituiſſes, *Tamb. & Spor.* dicunt te ſatisfeciſſe, quia ſic Cajum magis obligaſſes & reddidiſſes potentem ad reſtituendum Titio.

938 §.9. Si emptor ſciat pretium mercis mox notabiliter augendum, emere poteſt pretio nunc currente multo minore; item, ſi ſciat mercem aliquam vel monetam prohibendam, poteſt mercem vendere vel exponere monetam ſecundùm æſtimationem præſentem, quia hoc eſt juſtum pretium aut valor publicus pro nunc, neque alicui nocere debet privata notitia, quam de re aliqua per accidens habet. *Dico*, privata, nam omnes cum Lugo *d.*26.*num.*140. docent Magiſtratus ipſos, qui pretia rerum mutant, vel talia vendi aut exponi prohibent, non excuſari, ſi ſtudio id faciant, vel expectent, v.g. donec ipſi omnia ſua vendiderint aut expoſuerint, nam ex ſuo officio tenentur impedire damna communia, & facere, ut ex ſuis legibus, quantum fieri poteſt, unus non gravetur plùs altero; rectè tamen addit *Lugo* poſſe eos non aliter ac alios bona fide diſtrahere ſua non obſtante tali notitia quando in eadem quantitate, ſecluſa illa notitia, diſtracturi fuiſſent, & conſentiunt alii cum Illſ. *t.*4.*d.*2. *num.*403.

§.10. Si Quæſtor mandatum accipiat à Principe, ut ſtatim 939
1000. menſuras vendat pretio currenti, v.gr. ſingulas aureo, ſi ſciat pretium rei augendum intra menſem ad 2. etiam vel 3. aureos in ſingulas menſuras, licitè facit mittendo Principi 1000. aureos, volendo ſibi rem emere cum ejus periculo, & ſpe iſtius lucri poſt menſem, ita Spor. *num.*34. & ratio eſt, quia habebat jus emendi non aliter atque alius.

*Q.*165. *Quale ergo ſtatui poſſit pretium rei necdum præ-* 940
ſentis? Reſp. Statui poteſt, vel quale reipſa erit, quando res exiſtet, & tradetur, vel quale probabiliter putatur futurum, vel ſi haberi non poſſit probabilitas futuri pretii, quale omnibus penſatis arbitrio prudentum videtur juſtum. Notat autem S. Th. *opuſc.*73.*c.*10. non eſſe vitium minoris emere, v.g. ſegetes creſcentes, quàm valituræ ſunt maturæ, quia res imperfecta ſeu necdum apta ad uſum, eſt minoris valoris, cum ad uſum necdum ſerviat: quod ſi eam ita imperfectam emeris, jam factus es ejus dominus, & quod ei accreſcit, tibi cedit, utpotè domino, unde pretio ſic conſtituto ſtandum eſt, licèt poſteà tempore traditionis res multò pluris vel minoris valeret, quia utrimque par fuit periculum lucrandi & perdendi, ita cum communi etiam Spor. *num.*32. Poteſtque videri etiam Caſtrop. *d.*5.*p.*13. Item dicta *num.*689.

*Q.*166. *Quantum pretium liceat accipere pro re rara, &* 941
peregrina? Reſp. *Sot. Med. Led. Salon. Valent. Sa, P. Nav. Baun.* & alii cum Spor *t.*6.*c.*5.*n.*25. dicunt venditorem licitè accipere, quantum poteſt, quia talia nec legitimum nec vulgare pretium habent, cùm enim neceſſaria non ſint uſibus humanis, non veniunt in commercium aut taxationem communem, ergo venditor non videtur teneri ea à ſe abalienare, niſi perſolvatur, quod petit, & ita apud Japones pro viliſſima re ſæpè accipitur pretium magnum. E contra Caj. Nav. Mol. Rebell. Leſſ. Salas, Caſtrop. *d.*5.*p.*3. Lugo *d.*26. *num.*47. Burgh. *cent.*2.*caſ.*58. & alii putant non poſſe accipi niſi pretium, quod prudentis arbitrio ſpectatis circumſtantiis juſtum cenſetur, quia in ejuſmodi rebus pretium illud cenſetur juſtum, quod communiter juſtum æſtimatur, & quod rationabiliter commenſuratur valori. Utraque ſententia eſt probabilis, ſpectata tamen ratione videtur ſecunda eſſe probabilior.

*Q.*167. *Si quis ſciat in agro eſſe theſaurum, vel venam* 942
auream, an licitè emat agrum communi pretio? Reſp. Utrumque abſolutè negant Vaſq. Turr. & alii cum Dian. *p.*9.*tr.*5.*R.*17. Rationem dant 1. quia non eſt æqualitas inter pretium & rem emptam. 2. Quia alioquin etiam poſſes ignaro ruſtico dare vile pretium pro pretioſa gemma quam inveniſſet & cujus pretium non noſſet. 3. Quia dolus, qui videtur hic intervenire, nemini favere debet. 4. Quia hoc ipſo, quòd quis invenit theſaurum in fundo alieno media pars debetur domino fundi, ſecundùm dicta *n.*106. E contra affirmant de theſauro S. Th. aliique multi cum Bonac. *de reſt. d.*1.*q.*3.*p.*6.*num.*7. Lugo *d.*6.*n.*128. Burgh. *cent.*3.*caſ.*72. nam hoc ipſum innuit *Chriſtus* rectè factum eſſe *Matth.*13. deinde fundus non emitur ratione rei latentis, ſed ratione ſuperficiei: denique quia juxta commune hominum æſtimationem illud eſt juſtum pretium talis fundi, ergo emens illo pretio plùs non peccat, quam emens faſcem herbarum, ſciens unam ibi eſſe pretioſam, & ſibi valdè utilem. Idem dicunt Lugo, Bonac. & Spor. *numer.*72. de illo, qui emeret rem mobilem, v.g. piſcem, in quo reperiret gemmam, aut ſaccum lanæ hoſti ereptum, in quo lateret pecunia: quamdiù enim vendens non ſciebat ibi eſſe gemmam aut pecuniam, non acquirebat illius dominium, & ſi à quocunque ibi inventa fuiſſet, media ex parte fuiſſet inventoris, & media illius, cujus tum erat piſcis vel ſaccus. Circa venam auri vel aliud minerale in agro, *Turr.* & alii dicunt non licitè emi communi pretio, quia cenſetur pars vel ſaltem fructus agri, ergo in emptione debet haberi illius ratio: E contra Leſſ. Bonac. & alii cum Spor. *nu.*70. dicunt non eſſe habendam illorum rationem, quod certum videtur in praxi, ſi emens neſciverit, & bona fide emerit, quia nunquam cogetur hoc compenſare: Ratio autem univerſalis eſt, tum quia in venditione attenditur ſolus valor & pretium, quo res valet in ordine ad communem uſum & in communi æſtimatione hominum, non autem in ordine ad peculiarem circumſtantiam, quam emptor non tenetur manifeſtare; tum etiam, quia ſi talis vena eſt pars agri, uti probat Lugo *numer.*107. ergo cùm voluerit vendere totum agrum, voluit etiam vendere venam, & quamvis etiam dicatur eſſe fructus agri, tamen pretio æſtimari non ſolet, niſi communiter cognoſcatur ſaltem à venditore, alioquin habet ſe, atque ſi ibi non eſſet: tum denique quia probabilis eſt ſententia, quod tales venæ ſint primò occupantis, uti cum Bonac. *num.*12. do-

docent velut probabile *Leſſ. Fill. & alii*, licèt oppoſitum inſinuaverim tanquam probabilius *num.*110. *Ad* 1. rationem in oppoſitum N. deeſſe æqualitatem, theſaurus enim vel vena ignorata non auget pretium in communi æſtimatione hominum. *Ad* 2. N. conſeq. quia vile pretium non eſt pretium gemmæ ſecundùm communem æſtimationem hominum. *Ad* 3. N. hic eſſe dolum, utitur enim jure ſuo, nec tenetur indicare, quòd theſaurus vel vena ſit in agro. *Ad* 4. Leges videntur loqui in caſu, quo inveniens apprehendit theſaurum, volens facere ſuum, quando alter adhuc eſt dominus fundi, poſſet enim relinquere in agro, quo caſu domino nihil obveniret: ſi autem emerit agrum, jam eſt dominus fundi, ergo ei debetur etiam altera medietas.

943 *Q.*168. *Quandonam ob lucrum ceſſans vel alios titulos licitum ſit pluris vendere ad creditum?* Reſp.§. 1. Licitum eſt abſque alio titulo vendere pluris ad creditum, dummodo fiat intrà fines juſti pretii, uti rectè Mendo *in ſtat.d.6.n.*43. quia nunquam teneris, per ſe loquendo, vendere infra ſummum pretium juſtum: ergo multò minus teneris vendere ad creditum: cùm hæc venditio plerumque habeat multa pericula, & incommoda adjuncta.

944 §.2. Ut liceat tibi ſupra juſtum pretium vendere pluris ad creditum ratione lucri ceſſantis, debent adeſſe ſequentia, 1. Ut ſi hanc mercem non vendidiſſes huic emptori, fuiſſes venditurus alteri pro numerata pecunia. Ratio eſt, quia alioquin non habuiſſes ex hac merce pecuniam, quà lucrareris, ergo non ideò tibi ceſſaret lucrum, quia huic ad creditum vendidiſſes. 2. Ut tu illa pecunia fuiſſes negotiaturus ante tempus, quo ſolvetur: ſi enim manſura erat otioſa, non ideò tibi ceſſat lucrum, quia ad creditum vendidiſti. 3. Ut propter hoc, quòd ad creditum vendas, non ideò habeas plures emptores, alioquin ſic compenſaretur damnum tuum. 4. De hoc tuo lucro ceſſante debet admoneri emptor ſecundùm dicta in ſimili de mutuo *num.*864. alioquin involuntarius eſt ad exceſſum pretii. 5. de hoc lucro detrahere debes, quantum expenſæ & periculum novæ negotiationis judicio boni viri æſtimantur: ita omnes, teſte Sporer *num.*31. ex quibus patet rarò excuſari Mercatores ex hoc titulo vendentes ſupra juſtum pretium: nam dilatio ſolutionis præcisè non eſt juſtus titulus accipiendi plus, quia juſtum pretium rei ſecundùm ſe, eſt illud, quo res valet, quando traditur, & per ſe loquendo ſolutio futura eſt æqualis æſtimationis cum præſenti, ſecundùm dicta *n.*869. & ideò Roder. *l.3.q.7.d n.*29. negat licere pluris vendere ad creditum, ob carentiam pecuniæ.

945 §.3. Licere pluris vendere ad creditum ob periculum non accipiendi pretii, docent cum aliis Dian. *p.*1. *t.*8. *R.*57. Leſs. *l.2.c.*25. *n.*33. aliique 20. apud Moyam *t.*1. *t.6.d.6.q. ult.n* 6. Item ob periculum ſumptuum vel moleſtiæ, quæ probabiliter timentur futura in obtinendo poſteà pretio, uti cum communi docent S. Th. *opuſc.*73. *c.* 10. Sot. Bannez, Prado, Moy. *n.*7. Steph. *t.4.d.9.n.66.* videri tamen poteſt Illſ. *t.4.d.2.n.*402.

946 *Q.*169. *Si nunc bono pretio vendantur, v.g. ſalpæ, & Titius omnes emat, ut facta earum penuria carius vendat, an hoc monopolium ſit illicitum?* R. Salas & alii affirmant: & quidem eſse contra juſtitiam docent *Ang. Silv. Nav.* aliique cum Laym. *lib.3.tr.4.c.*17. *n.*41. & Spor. *n.*103. Rationem dant 1. quia ſic injuſtè compelluntur emptores ad augendum pretium, 2. Injuſtè ſubducitur Reip. pretium medium & infimum. 3. Talis poteſt puniri ob talem ſuppreſſionem mercium. E contra dicunt non eſse contra juſtitiam Molin. Turr. Bonac. Fill. Leſs. *l.*2. *c.*21. *dub.*20. Caſtrop. *d.*5. *p.*34. *n.*6. Dicaſt. *l.2.t.9.d.3.n.*164. Tamb. *lib.*8. *tr.*3. *c.*7. *§.*11. *n.*11. Burgh. *cent.*2. *caſ.*19. Illſ. *n.*403. imò nec eſse contra charitatem docent Mol. & Lug. *diſp.26.n.*177. dummodò id faciat ſolus Titius, non inducendo ad hoc etiam alios, & ſuppoſito, quòd id lege non prohibeatur: nec ideò notabile damnum cauſetur Reip. Ratio horum eſt, quia ita fecit Joſeph *in Ægypto Gen.*41. neque talis impedit alios, quominus etiam emant, ſi velint; & differendo venditionem in aliud tempus, utitur jure ſuo. *Ad* 1. rationem in oppoſitum negant compelli, ſed liberè jam emunt cariùs, quod neglexerunt antea emere viliùs. *Ad* 2. & 3. N. aſſumpt. Hæc ſententia eſt probabilis, ſed prima videtur probabilior, nam ſic colligere omnes merces in ordine ad inducendam inopiam & augendum poſteà pretium, eſt reipſa facere monopolium authoritate privata, quod jure Gentium videtur eſse illicitum.

947 *Q.*170. *Quid dicendum ſit, ſi Mercatores conſpirent non vendere minoris, attamen adhuc intra limites juſti pretii?* R. Aliqui dicunt non eſſe contra juſtitiam nec contra charitatem, uti refert Caſtrop. *n.*3. quia non excedunt pretium juſtum, nec charitas videtur obligare ad abſtinendum à lucro, ne proximus patiatur damnum, alioqui ſemper vendendum eſset minimo pretio: E contrà tamen Lugo *n.*176. tenet ſententiam oppoſitam, vocatque communem, quia licèt non pecces ſic vendendo, tamen peccas ſuadendo id reliquis, ſicuti ordinariè non peccas, ſi non des eleemoſynam pauperibus, peccas tamen, ſi ſuadeas aliis omnibus, ut non dent.

948 *Q.*171. *Quomodo venditor teneatur vitium, vel emptor pretium mercis manifeſtare?* Reſp.§.1. Si vitium ſit ita manifeſtum, ut quivis facilè poſſit advertere, *S. Thom. Sot. Molin. Laym.* & alii rectè dicunt non eſſe opus manifeſtare, dummodò vendatur intrà fines juſti pretii, etiam conſiderato illo vitio, ſibi enim imputet emptor, quòd non attenderit; ſi tamen advertere non poſſet ob imperitiam vel aliam invincibilem ignorantiam, docent A A. communiter cum Caſtrop. *d.*5. *p.*22. *n.*7. Spor. *num.*67. Illſ. *t.*4. *d* 2. *num.*400. fore obligationem manifeſtandi, quia reſpectu hujus emptoris eſt, atque ſi eſset vitium occultum.

949 §.2. Si vitium occultum grave obſtet tantùm fini intento ab emptore, non autem reddat rem abſolutè vitioſam, v.g. Cajus dicit ſe velle emere bovem ad arandum, tu vendis talem, quem ſcis eſſe ineptum ad arandum, ſcis tamen eſſe bonum ut impinguetur pro macello, in hoc caſu *S. Anton. Gabr.* & alli putant contractum non poſſe reſcindi, cùm merx ſit ſimpliciter bona & pretio iſto digna, ſed oppoſitum probabilius tenent *Salon. Sal. Rebell. Caſtrop. Illſ.* ſupra & alii, quia decipis in re gravi & tenebaris te accommodare menti ementis, qui non aliter cõſentiebat in pretium; è contrà quando vitium occultum non reddit mercem inutilem fini ab emptore intento, ſed adhuc habet commodum uſum; item quando vitium eſt tantùm leve, ſi credas alterum non empturum aut minoris empturum, ſi manifeſtares, *Panorm. Rebell.* & alii multi dicunt te teneri manifeſtare, quia alioquin illa emptio erit ipſi involuntaria. E contrà probabiliùs negant *Sot. Valent.* aliique multi cum Caſtrop. *n.*14. & Spor. *n.*68. quia nec jus naturale nec poſitivum jubet hoc fieri, cùm res non vendatur pluris, quàm juſto pretio, ideoque non fiat ementi injuria, licèt fortè emptio ſit ſecundùm quid involuntaria.

950 §.3. Si emptor interroget, an vitium inſit, vendens tenetur manifeſtare etiam occultum, alioquin erit dolus dans cauſam contractui, ergo invalida erit venditio & emptio, quod putat Spor. *num.*65. eſſe verum, etiamſi vitium eſſet leve, quia emptor ſatis declaravit ſe habere voluntatem tantùm conditionatam emendi, niſi nullum vitium ineſset, quod ſcire voluit: poteſt tamen tum non manifeſtato vitio dicere venditor ſe bona fide vendere, ſpondendo indemnitatem, Tamb. *l.8.t.3.c.7.§.9.n.29.* Spor. *ſuprà*.

951 §.4. Emptor tenetur venditori ſimplici & ignaro manifeſtare bonitatem vel pretium mercis, v.g. gemmæ, quam invenit & vendere vult, neſciens ejus pretium, alioquin emit pretio non juſto, quia non tanto, quanti in communi æſtimatione valet, ita cum communi Caſtrop. *n.*2. Quòd ſi emens dicat, volo tam multum dare, ſi rem des & condones, ſi fortè valet ſuprà, putant *Caj. Arm.* & alii ſatis eſſe, ſed meritò cum aliis contradicunt Mol. Lug. *d.*26. *n.*173. Spor. *n.*69. quia venditor ſic non donat liberè ſed ex pacto, quia emptor aliter non vult emere, ergo non eſt condonatio gratuita ſed involuntaria.

952 §.5. Quando res communi æſtimatione vilis, prius poſt venditionem cognoſcitur eſse pretioſa, ſi empta ſit iſto communi pretio, juſtè retinetur, ut ſi vas aliquod communiter putabatur eſſe æneum, quod poſteà invenitur fuiſſe ex parte aureum, emens communi pretio non tenetur poſteà aliquid ſuperad dere, Tamb. §.11. *n.*41. Spor. *n.*71. Ratio eſt, quia quamvis fuerit error in ſubſtantia phyſica, tamen non fuit in morali, id eſt, non fuit error in illa ſubſtantia, prout ſubſtabat commercio humano, nam communiter putabatur ænea, res autem juſtè emitur tanti, quanti æſtimatur communiter, ſicque nunc per emptionem juſtam tranſiit in dominium ementis.

953 *Quæſt.*172. *Quid dicendum ſit de venditione, in qua intervenit fraus vel mendacium?* Reſp.§.1. Si vendas quid pro quo, v.gr. pharmacopola, ne cogatur fateri ſe non habere certas ſpecies petitas, ſi ſupponat alias, injuſtus eſt peccatque graviter vel leviter pro ratione damni vel periculi ægro cauſati.

954 §.2. Vendens mercem pretio infimo, ſed tradens minorem menſuram, ita tamen, ut ſpectata etiam diminutione menſuræ maneatur intrà fines juſti pretii, adhuc eſt injuſtus, inquit Spor. *num.*75. & tenetur reſtituere, tum emptori, quia non ſtat contractu, quem cum illo iniit de tradenda integra menſura, tum aliis Mercatoribus, qui jus habent, ut ementes per talem fraudem à ſuis officinis non abſtrahantur.

955 §. 3. Si fraude vel mendacio inducas emptorem ad emendum majori pretio, quàm empturus eſset, facis injuriam, & teneris reſtituere, quamvis pretium, quod dedit, adhuc fuerit intrà fines juſti pretii, ita Caſtrop. *d.*5. *p.*35. Ratio eſt, quia agis contra jus, quod quiſque habet, ut fraude vel mendacio non inducatur in aliquod damnum. Ob eandem rationem es injuſtus & teneris reſtituere, ſi fingas litteras, vel ſpargas falſum rumorem de obſidenda urbe, de navibus ſubmerſis, quæ tales merces advehebant, aliiſque ſimilibus, & ideò cariùs vendas merces tuas, ita *Rebell. & Caſtrop.* Si tamen pretium auctum jam ſit falſo rumore non cauſato à te. *Med. & Graff.* te excuſant à reſtitutione, ſi fuiſti inſcius fraudis,

non

non excuſant autem, ſi fuiſti conſcius. Conſequentiùs tamen dicerent, inquit Caſtrop.*n.*5. quòd in utroque vel neutro caſu excuſeris, nam ſuppoſito errore venditur pretio ſecundùm vulgi æſtimationem conſtituto, hinc verius putat *Caſtrop.*cum *Rebel.Sal.* & aliis in utroque caſu te teneri reſtituere, nam idem pretium nequit eſſe juſtum & injuſtum reſpectu diverſorum, ſed reſpectu illorum, qui rumoris ſunt cauſa, eſt injuſtum, ergo etiam reſpectu aliorum : & ratio à priori eſt, quia pretium, quod falſis & iniquis rumoribus introducitur, non eſt voluntariè à Rep. conſtitutum, nec approbatum, ergo ſimpliciter eſt iniquum.

956 §.4. Si tantùm diceres, aut etiam jurares, rem tibi pluris conſtare, te pluris vendidiſſe aliis, te non poſſe vendere minoris &c. quamvis emens ſic inducatur ad plus dandum, non eſt obligatio reſtituendi, quia licèt peccent ſic mentientes aut jurantes, tamen ſatis notum eſt talia ſolere communiter dici ab illis, quamvis vera non ſint, unde ſibi imputet, qui credit, ita *Rebell. & Caſtrop.*

957 *Q.*173. *An mercator licitè poſſit merci admiſcere ſubſtantiam alienam, v.g. piperi juniperos, ceræ picem?* Reſp. Poteſt, dummodò etiam proportionatè remittat de pretio, & merx idonea maneat ad conſuetum uſum, nec reddatur deterior quàm illa, quæ ſimili pretio venditur ab aliis, ita Molin. Laym.Spor.aliique 12. apud Mendo *d.*3.*n.*17. Addunt *Leſſ.& Lop.* ſi materia ſecundùm ſe deterior ita per induſtriam admiſceatur, ut res meliùs temperetur, poſſe vendi conſueto pretio, contradicunt tamen rectè pro praxi Caſtr.*d.*5.*p.*6.*n.*5.*& p.*22.*n.* 4. aliique cum Mendo *nu.*22. quia ſic daretur occaſio injuriis, quiſque enim facilè judicaret rem ſuam non obſtante mixtione manere æquè bonam, aut fieri meliorem; ſpecialiter autem de vino aqua mixto dicunt id abſolutè non licere *Tamb.* aliique multi cum Spor.*n.*8c. quia vinum in ſe ſemper redditur deterius citiuſque aceſcit, & admiſcere poterit emens, ſi temperari expediat: itaque non aqua ſed vinum vilius erit admiſcendum, ut ad commune fori vinum accedat: hoc tamen non obſtante docet ex Rebello Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*17.*n.*15. te poſſe facere admixtionem etiam aquæ ad vinum, ſi aliter non poſſis obtinere juſtum pretium, aut ſi Magiſtratus injuſtè taxarit illius pretium. Addunt, Piſtores facere poſſe panes minoris ponderis, ſi alioquin juſtum pretium, ſecundùm Magiſtratus taxationem conſequi non poſſint, ſed rectè notat Caſtrop.*p.*22.*num.*5. non eſſe facilè præſumendam illam iniquitatem Magiſtratuum, qui juſtè taxant pretium, prout communitati expedit, licèt fortè privatus per accidens patiatur damnum, quod alia vice facilè compenſabitur majore lucro.

958 *Q.*174. *An licitum ſit vendere in fraudem Creditorum, quibus re vendita non poteris ſolvere, quod debes?* R. Non eſt licitum, ſi retenta re, quam vendis, poteris lucrari, aut te reddere potentem ad ſolvendum, uti conſtat ex dictis *num.*428. imò quamvis talis venditio ſit valida, ſi facta ſit neſcienti, tamen ſi ſcienti ſit facta, reſcindi poteſt à Creditoribus, etiam non reſtituto pretio, uti jura ſtatuunt, ſi tamen non reſcindant intrà annum, *P.Nav.Mol.& Leſſ.* dicunt ementem etiam in conſcientia eſſe tutum, ſed negant communiùs alii cum *Nav. & Laym.* eſtque ſententia utraque probabilis teſte Spor.*n.*88.

959 *Q.*175. *An ille, qui emit rem hypothecatam, id eſt, ad debita obligatam, teneatur hæc debita ſolvere?* Reſp. Communis ſententia affirmat, quia res tranſit ad emptorem cum ſuo onere reali, nec emptor plus dominii poteſt acquirere, quàm haberet venditor, hic autem non habebat dominium liberum à debitis. Excipit Lugo *d.*17.*à n.*95. niſi tum ſit vendita, quando vendens in extrema neceſſitate poterat diſtrahere rem alienam, ſicuti enim poſſet in ea neceſſitate conſumere, ita poteſt illam vendere tanquam liberam onere, ut ſic plenum accipiat illius pretium.

960 *Q.*176. *An liceat uti falſa moneta?* Reſp. Si eſt falſa tantùm formaliter, id eſt, ſi appreſſa ſit forma ſeu ſignum Principis ſine ulla authoritate, dummodò materia ſit bona, licitum eſt, quamvis enim cudens peccarit, tamen ſi poſteà exponatur, habet valorem intrinſecum & communem : è contra ſi eſt materialiter falſa, quia vel deeſt pondus communiter requiſitum, vel deeſt juſta materia ſaltem ex parte notabili, qui ſciéter exponit, peccat contra juſtitiam cum onere reſtituendi. Quòd ſi quis ignoranter expoſuerit, tenetur recipere & commutare, ſi reſciat, aut probetur expoſuiſſe. Similiter qui acceptavit etiam ignoranter, ſi poſteà advertat defectum, & neſciat à quo acceperit, tenetur ſupprimere, aut detecto vitio vendere, quanti poteſt: neque poteſt exponere pro pleno valore, ut ſe reddat indemnem, error enim meus ſoli mihi debet nocere, & ex eo quòd ſim deceptus, non eſt mihi licitum decipere alterum, ſed detrimentum illud aſſignare debeo meæ improvidentiæ vel caſui, Nav. aliique, itaut Spor.*n.*30. meritò dicat eſſe omnium : hinc audiendus non eſt Dian.*p.*3.*t.*6.*R.*3. dicens eum probabiliter non obligari ad reſtitutionem, qui bona fide expoſuit, uti accepit. De cuſione monetæ videri poteſt Th.Hurt. *de Reſid.tom.*2. *ubi à pag.*495. fusè probat ex *S.Th.* & aliis non eſſe ſine graviſſimis cauſis immutandum valorem monetarum, ſed relinquendum ſecundùm æſtimationem intrinſecam materiæ, uti valet apud alios, cum quibus ſunt commercia : ſufficere tamen rationem probabilem, qua Princeps judicat id neceſſarium eſſe ad bonum commune, docet contra alios *à pag.*498. Denique notat S.Th. *opuſc.*73.*c.*9. ex Ariſt. eſſe vitium uſuræ, ſi quis cudat monetam, ut ſeipſum reddat ditiorem, intendendo tantùm ejus multiplicationem ſine neceſſitate Reip.

*Q.*177. *Quid addendum ſit circa emptionem rei furtivæ, vel pro pretio furtivo?* Reſp. Seqq. §.1. Emptor, quamvis ſit bonæ fidei, non fit dominus rei furtivæ tibi venditæ, ſed res manet domini, cujus fuit; Venditor tamen etiam malæ fidei fit dominus pretii, ſed plerumque cum obligatione reſtituendi. E contrà ſi quis pretio furtivo emat merces, vendens ex vi emptionis non fit dominus pretii, ſed dominium illius manet apud illum, cujus fuerant pecuniæ; emens tamen fit dominus mercium, & ita habetur ex jure partim naturali partim poſitivo ſecundùm dicta *n.*694. poſſuntque videri Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*17.*nu.*21. Spor.*t.*6.*c.*5.*nu.*53. & alii paſſim. Quòd ſi venditor, & emptor ſciverint rem eſſe alienam, reſtitui debet pretium emptori, res domino, uti omnes docent, quia contractus ex utraque parte eſt nullus, & ſi res abſumatur ab empore, uterque in defectu alterius in ſolidum tenetur reſtituere, prius tamen emptor, quia cùm abſumpſerit, cenſetur magis nocuiſſe domino, ita cum aliis Tamb.*l.*8.*t.*2.*c.*8.*n.*6. Spor.*n.*59. 961

§.2. Si vendas equum, quem bona fide putas eſſe tuum, Cajus autem dato pretio emit ſciens non eſſe tuum, ſed eſſe Sempronii, tu acquiris dominium pretii, nec teneris quidquam reſtituere, non Sempronio, uti *num.*966. dicetur; nec Cajo, qui voluntariè in te tranſtulit dominium pretii, ſciebat enim equum eſſe alienum, & tamen dabat pretium volens ſe eo abdicare, ut jus qualecumque in equum, vel aliquem ejus uſum acquireret, Spor.*n.*58. 962

§.3. Si bona fide mercem propriam vendidiſti, ſed pro pretio furtivo, (aut ſecundum Lugo *diſp.*6.*num.*171. ſi pecuniam furtivam accepiſti pro debito :) ſi compareat dominus pretii, teneris reſtituere, ſi adhuc extet : ſi autem conſumpſeris, vel per mixtionem feceris tuum, ad nihil teneris, quia non es factus ditior, nam propter illud dediſti mercem tuam, alioquin non daturus, ita P.Nav.Sanch.Sayr.Vaſqu. Laym. *n.*23. Dian. *p.*4.*t.*4.*R.*67. Dicaſt. *de Reſtit.d.*2.*num.*25.*& d.*5.*nu.* 190. Spor. *ſuprà*. Idem eſt, ſi bona fide emiſti triticum alienum, & per mixtionem feciſti tuum; ſi autem adhuc eſſet impermixtum, deberes reſtituere etiam cum jactura tui pretii, Petſch. *pag.*572. Notat etiam rectè cum aliis Dicaſt.*d.*5.*à n.*185. & Petſch. ſuprà, ſi fur pecuniam, aut aliud ſimile jam antecedenter feciſſet ſuum per mixtionem tibique donaret, te poſſe retinere, quia dat rem ſuam : limitant Sanch. & alii *num.*1078. referendi, niſi ſit impotens ex aliis bonis reſtituere; ſed adhuc oppoſitum velut probabile tenent Mol.*t.*2.*d.*328. Leſſ. *l.*2.*c.*20.*nu.* 168. Petſch. ſuprà, & fuſius *pag.*128. cùm enim acceptans non moverit ad donationem illam injuſtam, ſed eam ſupponat, nihil eſt, quod eum obliget ad negligendum ſuum commodum, quamvis per accidens deinde ſequatur incommodum tertii. 963

§.4. Etiam bonæ fidei emptor, qui eadem fide alteri vendidit rem alienam, poſtquam hoc cognovit, tenetur pretium emptori reſtituere, ſi ſubſit periculum, ne res à domino repetatur, *Valent. Mol. Sanch. Leſſ.* aliique communiter. Ratio eſt, quia Jura diſponunt, ne venditor regulariter teneatur emptori de evictione rei, ſicuti emptor tenetur venditori de evictione pretii, uterque enim tenetur alterum ſervare indemnem, ſi res vel pretium à vero domino evincatur, uti pluribus explicat Caſtrop.*t.*32.*d.*5.*p.*28. 964

§.5. Si furatus es Titio equum, & hunc vendas pro 60. ac poſteà redimas pro 50. ſatisfacis reddendo equum Titio, & compenſando damnum, ſi aliquod cauſatum eſt, lucrum autem illud, quod redimendo feciſti, non eſt fructus equi, ſed tuæ induſtriæ, uti rectè Mol.*t.*3.*d.*721.*num.*10. contra Sanch. Vide dicenda *num.*967. 965

§.6. Si Cajus bona fide emit equum à Titio pro 50. quem equum Titius furatus erat Sempronio, & Cajus eundem equum bona fide revendidit Antonio etiam pro 50. *Ban. Sot. Med. Cov. Arriag. Led. Sayr. P.Nav.* dicunt Cajum teneri hoc pretium reſtituere Sempronio, quia ſi equum retinuiſſet, debuiſſet hunc illi reſtituere, pretium autem ſucceſſit in locum equi : è contrà hoc probabiliùs negant Caj. Nav. Fill. Laym. Sanch.*l.*2.*c.*23.*n.*187. Dian.*p.*2.*tr.*15.*R.*11. Lugo *diſp.*17.*à num.* 105. Burgh.*cent.*1 *caſ.*87. Sporer *num.*57. quia pretium, quod accepit ab Antonio, non eſt Sempronii, ſed erat Antonii, & nunc tranſit in dominium Caii, neque Cajus ex illa venditione eſt factus ditior, unde ſatis eſt Sempronio, quòd retineat jus ad equum ſuum exiſtentem apud Antonium, ſimulque habeat actionem contra Titium. Nec verum eſt, quòd pretium ſuccedat in locum rei, niſi ubi leges ita ſtatuunt in certis contractibus, aut ſaltem niſi quando pretium eſt debitum pro re, quam 966

debitor habeat, quod hic non eſt, cùm equus non ſit in Caii poteſtate.

967 §.7. Si Cajus in poſito caſu equum illum revendidiſſet pro 60. ſicque lucratus eſſet 10. Bonac. & alii cum Fill. *tr.22.nu.84.* dicunt Cajum teneri exceſſum illum dare Sempronio, quia Cajus in hoc eſt factus ditior ex re Sempronii, res autem domino ſuo lucratur, quæ ſententia vera eſt, ſi Titius Cajo vendidiſſet infra infimum juſtum pretium, v.g. ſi equus eſſet ſaltem 60. Imperialibus dignus, tum enim exceſſus ille eſſet juſtum pretium equi: Si tamen juſtum pretium equi eſſent etiam 50. quos dederat Cajus, Mol. Rebell. Leſſ. Laym. Lugo *n.19.* Dian. *p.3.t.5. R.41.* Haun. *t.3.nu.251.* Burgh. ſuprà negant teneri ad hunc exceſſum, quia eſt fructus induſtriæ, vel fortunæ, ſi enim eſſet fructus naturalis, Sempronius poſſet illud repetere, quamvis equum recepiſſet, quod dici non debet, quia recepto equo habet, quod ſuum erat, ergo in noſtro caſu ſatis eſt, ſi Cajus det Sempronio pretium commune, quo ſimilem equum comparare poſſit.

968 §.8. Si Cajus illum equum Sempronii à Titio fure accepiſſet titulo gratuito, v.g. donationis, & ſummo pretio revendidiſſet, Mol. Leſſ. aliique communiter cum Lugo *num.105.* Petſch. *pag.560.* Spor. *n.57.* rectè dicunt Cajum teneri pretium dare Sēpronio, alioquin planè ex re aliena fieret ditior: & certum videtur, quod non ſatisfaciat dando pretium infimum, ſic enim Sempronius non reciperet rem ſuam æquivalenter, quia talis equus communiter non poteſt infimo pretio emi, ergo tenetur dare ſaltem pretium medium, quia hoc cenſetur pretium quaſi naturale rei; probabiliter tamen docent *Lugo & Haun.* non teneri dare exceſſum illum uſque ad ſummum pretium, quia cùm res communiter non poſſint vendi ſummo pretio, hic exceſſus cenſetur fructus induſtriæ potiùs quàm rei.

969 §.9. Si fur rem Caii ſublatam furto donaverit Titio, qui eam vendiderit, & acceptum pro ea pretium donaverit Sempronio, poteſt retinere Sempronius, quia Titius, ex cujus liberalitate Sempronius factus eſt debitor, fecerat pretium illud ſuum, uti ſuppono, Tamb. *l.8.t.3.c.3.§.1.nu.13.* Petſch. *p.561.* Si tamen Titius ſciviſſet rem eſſe Caii, in defectu furis teneretur reſtituere, quia vendendo feciſſet injuriam Cajo.

970 §.10. Si equus Sempronii, quem Cajus bona fide emit, vel accepit à fure, pereat apud Cajum, etiam ex gravi culpa Caii, Cajus ad nihil tenetur ſecundùm dicta *nu.143.* non ex re acceptā, quia nihil ideò habet; neque ex injuſta acceptione, quia culpa Caii non erat formaliter injuriosa Sempronio, cùm de illius jure nihil ſciret.

971 §.11. Quamvis ſcias rem furtivam eſſe ab aliis emendam, vel conſumendam, tamen facis injuriam, ſi emas animo retinendi, uti ſequitur ex dictis *num.49.* quia quiſquis emet, vel conſumet, ille cooperando furi faciet injuriam domino, ergo prævenies in emendo, vel conſumendo, prævenit in injuria. Quòd ſi prudenter præſumeres rem à domino jam haberi pro derelicta, poſſes dare aliquid etiam viliſſimum, ut acciperes, & ſic faceres tuam, non titulo emptionis, ſed occupationis, domino tamen poſteà comparenti deberes reddere, ſi eam reipſa non habuiſſet pro derelicta, tum enim ſe non abdicaſſet dominio, Tamb. *l.8.t.2.c.8.n.14. Dixi*, animo retinendi, quia poſſes modico pretio emere animo reddendi domino, ſi datum pretium refundat, ſic enim utiliter geris illius negotium, teneris tamen tunc in illum inquirere, Laym. Spor. *num.61.* Quòd ſi ex prudentibus argumentis judicaſſes dominum voluiſſe refundere etiam magnum pretium, ideoque tu illud furi dediſſes, ut rem domino vendicares, poſſes hanc tamdiù detinere, donec dominus pretium illud tibi refunderet, uti contra Lugo docent multi cum Leſs. Tamb. *num.11.* & 15. Spor. *num.62.* & *68.* Ratio eſt, quia tum bona fide egiſti ex prudenter præſumpta voluntate ejus, debeſque cenſeri utiliter geſſiſſe negotium illius, ergo non debes inde pati damnum. Ex hac ratione fortè excuſari poteſt, ſi Magiſtratus hanc ferat legem, ut Judæis liceat emere res ad ſe delatas, quas bona fide putant non eſſe furtivas, quòd ſi deprehendantur fuiſſe furtivæ, dominus ſi recipere velit, teneatur Judæo refundere pretium, id enim aliquibus videtur eſſe utile publico, 1. quia Judæi communiter dant, ideoque tantùm repetere poſſunt parvum pretium. 2. Quia alioquin res furtivæ alio deportantur ſine ſpe recuperandi. 3. Quia ſi non refundatur pretium, erunt nihilominus ex Judæis, qui emant, & ſe emiſſe negent, ſicque majus damnum patientur domini.

972 §.12. Licitum eſt bona fidelium injuſto bello à Piratis capta emere, & in proprios uſus convertere ſine onere reſtituendi, uti ex decretis S. Congr. ab *Urb. VIII.* approbatis docet Verjuys *in Paſtor. Miſſion. t.4.a.13.* meritò tamen aliqui in Congr. addebant, requiri animum reſtituendi ſic empta, ſi domini comparerent, & pretium datum redderent, ratio autem eſt, quia voluntas dominorum præſumitur eſſe, ut potiùs fideles in ſuum commodum habeant, quàm infideles. Et ita quoque quamvis Leſs. *in auct. v. Beneficium, caſ.6.* dicat non licere ab hæreticis emere bona Eccleſiarum, & Monaſteriorum, niſi cum animo reſtituendi ea cum fructibus omnibus, tamen *Verjus.* abſolutè putat licere Catholicis, etiam ſine conventione cum Papa, vel Generali Ordinis emere talia bona immobilia, ac retinere quamdiù à propriis dominis occupari non poſſunt, nec intereà eſſe obligationem ad intereſſe, aut ad ſolvendum aliquid pro fructibus, quia etiam hic eſt præſumpta voluntas Papæ, & dominorum, quòd potiùs velint jura, & fructus cedere Catholico, quàm manere in manibus acatholicorum ſine ſpe recuperandi: ſi tamen acatholicus emeret, careret hoc jure, quia Eccleſia illi non favetur. Quod ſi bona ſint mobilia, v.g. Calices, debent reſtitui, & quando bona fide ſunt empta, poteſt repeti pretium; ſi autem neſciatur ad quam determinatè Eccleſiam ſpectent, ſatis eſt reſtituere alicui Eccleſiæ ejuſdem Diœceſis, aut Ordinis cum conditione dandi vero domino, ſi comparuerit. V. Arſd. *t.2.p.2.t.6. in Reſ. de hæret. q.10.*

§.13. Si prudenter dubites, an res venalis ſit furtiva, quia 973
poſſeſſor videtur eſſe malæ fidei, illicitè emes, quia te exponeſ periculo uſurpandi alienum; ſine cauſa tamen dubitare non oportet, quia delicta non præſumuntur. Quod ſi tu ipſe bona fide rem poſſederis, & ſuperveniat dubium, an ſit tua, poteris vendere, ſi emptori admonito te obliges de ſuſtinendo evictionis periculo, Laym. *n.27.* Dic. *de Reſt. d.5.n.215.* Petſch. *p.584.*

Q.178. Quis ſit dominus rei venditæ? Reſp. Jure civili, & 974
Gentium dominium mercis etiam traditæ non antea requiritur emptori, quàm pretio perſoluto, vel aſſecurato per cautionem pignoris, vel fidejuſſoris, aut per fidehabitionem, quam Stryck. *de caut. contr. ſ.2.c.8.l.24.* dicit non eſſe præſumēdam, ſed ab emptore probandam, licèt in hoc contradicant *Barb.* & alii. Quando autem venditor principalis eſt Eccleſia, fiſcus vel Minor, res per venditionem Miniſtri, Procuratoris, vel Curatoris nō alienatur ante actualem ſolutionem, uti ex *l. ſi curator 5. de jure fiſci*, & Gl. *ibid.* colligunt Mol. Leſs. Lay. & Caſtr. apud Illſ. *t.4.d.3.n.190.* In dubio autem cenſetur alius venditor tradens mercem cedere dominium emptori, multò magis ſi jam recuſet pretium rei emptæ, vel pro ſoluto habeat, & contentus ſit promiſſione, uti communiter fit, & tum merx hoc ipſo tranſit in dominium emptoris, vel ex jure poſitivo, uti vult *Mol.* vel ex jure naturæ, & intentione contrahentium, uti vult Lugo *d.20. num.17.* nam alioqui cenſetur venditor tum priùs velle ſe abdicare dominio, quando præſtatur pretium, vel aliquid æquivalens, ideòque manet venditoris, & ſi ablata fuerit, debet huic reſtitui; ſi autem ſit vendita pretio tantùm aſſecurato, Caj. Med. Navar. Rebel. Bonac. apud Lugo *nu.16.* dicunt adhuc debere præferri venditorem, quia res eſt loco pretii; E contra Covar. Mol. Vaſq. Laym. Caſtr. Lugo Illſ. *nu.204.* & alii æquè probabiliter negant, quam ſententiam diſcuſſis utrimque rationibus defendit Petſc. *à p.657.* quia talis merx eſt ſub dominio emptoris, non aliter atque res aliæ; neque verum eſt, quòd res talis maneat hypothecata, ſeu obligata venditori, niſi expreſsè ſit de hoc conventum, ſed tranſit in dominium emptoris ſine reali onere rem afficiente; quod *Conf.* quia ſi res talis ab emptore vendatur tertio, primus venditor haberet actionem in hunc tertium pro obtinendo pretio, quod primus emptor necdum perſolviſſet, res enim illa, utpotè hypothecata, tranſiret cum onere, hoc autem negant adverſarii, ergo ſignum eſt obligationem ſolvendi non eſſe realem, quæ mercedem ipſam efficiat, ſed eſſe tantùm perſonalem. Neque univerſaliter verum eſt, quòd pretium ſit loco rei, uti *num.966.* dictum eſt.

Q.179. Quid addendum ſit circa rem duobus venditā? Reſp. 975
Hæc pauca: Si prior emptor ſolvit pretium, poſterior, qui non ſolvit, licèt rem habeat, non acquirit dominium: Nec poſterior tum acquirit, quando cum primo emptore initum eſt pactum non vendendi alteri, tum enim apponitur clauſula *Conſtituti*, ideſt, Venditor conſtituit ſe poſſeſſorem pro emptore, ideòque hic Emptor incipit poſſidere, & præceſſit æquivalenter traditio, hinc poſterior venditio eſt invalida. Quòd ſi poſterior emptor, cui res etiam ſoluto pretio tradita eſt, ſciverit priorem venditionem, præſumitur fraus, & prior emptor intrà annum à die ſcientiæ habet jus evincendi rem, ſi tamen intrà annum non repetat, ſecundus emptor, ſi non induxit venditorem, etiamſi ſciens emerit, in utroque foro eſt tutus, & ſolus venditor perſonaliter obligabitur primo emptori, ac tenebitur de damnis, ita citatis Juribus, & Authoribus Spor. *à n.86.* poteſtque videri etiam Laym. *l.3.t.4.c.17.§.4.*

Q.180. An facto contractu venditor teneatur mercem 976
tradere? Reſp. Aliqui negant, & putant ſatisfacere ſolvendo intereſſe, quod ſaltem pro foro externo videtur probabile, tamen abſolutè dicendum eſt teneri tradere, quia ad hoc determinatè ſe obligavit per venditionem, uti rectè Bart. Cov. Menoch. Caſtrop. *d.5.p.23.* Illſ. *t.4.d.2.num.409.*

Q.181. Ad quem ſpectent fructus, vel alia affixa rei 977
venditæ? Reſp. §.1. Si aliud nihil conventum ſit, fructus tam maturi quàm immaturi actu pendentes in re determinata vendita, licèt necdū tradita, ſpectant ad emptorem, uti leges decernunt apud Leſſ. *l.2.c.21.n.100.* Illſ. *n.410.* Spor. *num.93.* Ratio eſt, quia ſunt veluti pars rei, quæ emptori debetur: hinc ſi vinea habens

uvas

uvas empta ſit ante autum num, traditio autem fiat, poſtquam uvæ à venditore collectæ ſunt, detrahendum eſt de pretio, quanti uvæ tempore contractus pendentes æſtimabantur, *Mol. Lug. Leſſ.* ſupr. Similiter penſio domus elocatæ pro tempore poſt venditionem ſequente ſpectat ad emptorem, quia habet ſe per modum fructus pendentis, tunc nondum perceptibilis à venditore. Similiter vendito equo cenſetur venditum frænum: item vendita domo, licèt necdum per ſoluto pretio, ad emptorem ſpectant ſeræ, claves, clavi, claviſque affixa.

978. §.2. Quoad fructus non pendentes actu, ſed futuros, ſeu naſcituros ex re, diſſentiunt AA. apud Illſ. *à n.*411. nam Juriſtæ communiter, ad quos accedunt Nav. Mol. Rebel. Sa, Sanch. Dian. *p.*4. *t.*4. *R.*139. dicunt, ſi res necdum ſit tradita, nec præſtitum pretium, vel ſaltem cautio pro illo, fructus manere venditoris, 1. quia cùm hic maneat dominus rei, res domino fructificat. 2. Quia videtur iniquum, ut emptor percipiat fructus ex re, & venditor non poſſit frui pretio. E contrà S. Ant. Silv. Roſell. Arm. Lop. P. Nav. Caſtrop. Leſſ. *nu.*109. Spor. *n.*94. & Theologi communiter, ac probabiliùs putant eos ſpectare ad emptorem, ſi res ſit abſolutè vendita, etiamſi necdum ſit tradita, nec cautū de pretio, quia quandocunque naſcentur, ſunt connexi cum re de ſe ferente tales fructus tanquam acceſſorios, ergo cùm emptori debeatur res, debentur etiam illi fructus: Unde *ad* 1. rationem oppoſitam dicunt rem fructificare domino, niſi alteri ſit debita, nam ſimiliter dicitur perire domino, hoc tamen non obſtante ſæpe perit emptori, cui debita eſt, licèt necdum illius ſit dominus, uti *n.*983. dicetur, *Ad* 2. Id compenſatur per hoc, quòd ad emptorem pertineat periculum rei; pretium autem futurum, quod ſolvetur venditori, eſt, per ſe loquendo, æqualis valoris cum pretio preſente jam perſoluto, uti *n.*869. dictū eſt.

979 §.3. Nomine fructuum hic non venit theſaurus, nihilominùs ſi aliquis tertius theſaurum reperiret in re vendita, & tradita, etiam non perſoluto pretio, media pars deberetur emptori, & non venditori, Ill. *n.*414.

980 §.4. Si emptio, vel venditio reſcindatur ob læſionem ſuprà dimidium, fructus temporis intermedii pertinent ad emptorem, ſicut & periculum ejus ad illum pertinebat, Mol. Sà, Leſſ. *dub.*15. Spor. *nu.*28.

981 *Q.*182. *An vendens rem frugiferam ad creditum poſſit contrahere cum emptore, vel de retinendis fructibus rei venditæ, donec perſolvatur pretium, vel ſi emptor velit fructus, de penſione ſolvenda?* R. Si venditori emergat damnum, vel ceſſet lucrum ex dilatione ſolutionis, aut ſi retineat in ſe periculum rei venditæ, poteſt repetere fructus ſaltem ex parte, uti ſtatuit lex apud Spor. *n.*96. Quòd ſi contrahentes velint tamdiu rem non cenſeri vēditam, ſed quaſi elocatam ſub certa penſione, uſque dum ſolvatur pretium, periculo remanente apud venditorem tanquam dominum, etiam licitū erit. Prętereà putant Lugo *d.*25. *n.*140. Spor. *n.*97. Beja *p.*1. *caſ.*19. venditorem poſſe translato rei dominio velle retinere ſibi jus ad fructus, donec ſolvatur pretium, tumq; elocatis fructibus exigere aliquam pro his penſionem; imò quamvis venditori nullum emergat damnum, nec ceſſet lucrum, tamen *Covar. Mol.* & alii putant poſſe petere penſionem abſolutè ob fructus, quos percipiet emptor ex re, donec perſolvatur pretium, quia ſi res non fuiſſet vendita, ſed elocata ſub penſione annua, liceret hanc accipere, ergo licebit, etiamſi fuerit vendita, quia emens ex venditione nullum habet majus incommodum: ſed oppoſitum tenendum eſt, nam res vendita tranſit in dominium emptoris, qui etiam inter incommoda habet, quòd res, ſi pereat, ipſi pereat, ergo illi debentur fructus rei, ergo tu injuſtè exigis penſionem ob fructus, qui nec ſunt rei tuæ, nec tibi debiti, ita Rebell. Leſſ. Laym. Caſtrop. *d.*5. *p.*26. *n.*11. & alii communiter.

982 *Q.*183. *An liceat emere ab aliquorem frugiferam, cum pacto de retrovendendo, itaut emptor poſſit cogere venditorem ad rem redimendam, non computatis fructibus interea perceptis?* Reſp. Negant *S. Ant. Panorm. Sot. Salas*, & alii cum Caſtrop. *d.*4. *p.*9. *n.*7. quia illa non tam eſſet venditio, quàm oppignoratio, de qua *nu.*1115. Licebit tamen hoc, dummodò ab initio habeatur ratio majoris pretii pro valore prævisorum fructuum, ob quos res antecedenter eſt magis æſtimabilis. Quòd autem venditioni adjici poſſit pactum retrovendendi, dicetur *nu.*992.

983 *Q.*184. *An æquum ſit, quòd res abſolutè vendita, ſi pereat ante traditionem, pereat emptori?* R. Videtur negari poſſe, 1. Quia res perit domino, venditor autem manet dominus, quamdiu non tradit. 2. Quia videtur iniquum, ſi emptor damnum ferat ob rem non ſuam. Sed tenendum eſt cum communi id æquum eſſe, quia jura ſic ſtatuunt, uti dictum eſt *n.*705. poſſuntque videri Lay. *l.*3. *t.*4. *c.*17. *n.*12. Caſtrop. *d.*5. *p.*14. Illſ. *t.*4. *d.* 2. *n.*410. *Ad* 1. rationem oppoſitam, R. Res perit domino, abſtrahendo à diſpoſitione juris, & quando alteri non eſt debita, C. ſi jura aliter diſponant, vel res debeatur alteri, N. *Ad* 2. N. eſſe iniquum, nam venditor viciſſim fert incommoda, uti quòd non poſſit rem vendere alteri, & è contrà emptor commoda, nam percipere poteſt fructus rei, ſecundùm dicta *n.*977. & 978. *Dixi*, abſolutè vendita, ſi enim tantùm conditionatè ſit vendita, & ante conditionem impletam pereat, aut fiat deterior, damnum eſt venditoris, Illſ. ſuprà. Vide dicta *n.*705.

*Q.*185. *Quid addendum ſit circa emptionem Chirographorum, vel crediti alieni?* 984 R. Seqq. §.1. Quamvis Caj. Panorm. aliiq; apud Lugo *d.*26. *n.*95. quos ſequitur Dian. *p.*1. *t.*8. *R.*49. dixerint Chirographa aliaque debita immatura, ideſt, poſthac ſolvenda, quamvis ſint certa, & abſit damnum, nec ceſſet lucrum, poſſe minoris emi, eamque ſententiam probabilem agnoverint Leſſ. Mald. Lug. Sanch. *in Conſ. l.*1. *c.*7. *dub.*17. Laym. *n.*33. Burgh. *cent.* 1. *caſ.*45. aliiq; plures apud Moy. *t.*1. *t.*6. *d.*6. *qu. ult. n.*11. eò quòd jus poſt annum recipiendi 100. videatur quid minus quoad humanum uſum, & æſtimationem quàm 100. præſentes, tamen abſolutè tenēdum eſt oppoſitum, cum S. Th. Sot. Caſtr. *p.*13. *n.*6. Mend. *d.*6. *n.*74. Lugo *n.*96. Loth. *t.*10. *art.*2. Card. *in* 1. *criſi d.*63. *c.*5. *& in* 2. *criſi d.*25. *c.*4. Spor. *n.*49. aliiſque communiſſimè, atq; ideo primam ſententiam improbabilem eſſe dicunt *Molin. Ban. Salas*, uti refert Moy. *nu.*10. Ratio eſt, tum quia in hoc committitur uſura ob virtuale mutuum, uti rectè *Buſemb.* tùm etiam quia pecunia certò futura non eſt minus æſtimabilis quàm preſens, uti conſtat ex dictis *n.*869. Excipiunt tamen *Nav. Leſſ. Lugo* aliique communiter, niſi ejuſmodi Chirographa, vel debita obtruderentur; nam *n.*935. diximus merces ultroneè oblatas vilеſcere, & meritò tum præſumitur ſubeſſe vitium, vel periculum, notatque ſapienter *Lugo* ſuprà, in praxi communiter veram eſſe primam ſententiam, quia vix unquam erunt Chirographa, aut debita tam certa, ut abſit omne periculum ſortis, ſumptuum, aut moleſtiarum; ut tamen liceat minoris emere, non ſufficit, ſi damnum emergat, vel lucrum ceſſet ſoli venditori, licèt oppoſitum inſinuet Card. *in* 2. *criſi d.*25. *n.*39. nam non ideò eſt titulus pro emente, alioqui poſſem etiam in mutuo plus recipere, etiamſi ſoli mutuatario, niſi mutuarem, emergeret damnum vel ceſſaret lucrum, quod nemo dicet.

Objic. L. Minùs, ff. de Reg. Juris dicitur; *Minus eſt actionem habere, quàm rem.* Reſp. Lex tantùm vult jus *ad rem* eſſe minùs quam jus *in re*, licet unum quoad utilitatem poſſit æquivalere alteri.

§.2. Si Titius per Chirographum ſe ſtatuerit debitorem 100. 985 aureorum Cajo, qui ſolus ſciat Titium non eſſe ſolvendo, aliqui putant Cajum poſſe vendere chirographum communi pretio, quia Titius in communi habetur potens, ergo chirographum in communi æſtimatione eſt dignum tanto pretio; ſed dicendum eſt Cajum in hoc peccaturum, 1. contra charitatem, quia proximo dat occaſionem damni, 2. contra juſtitiam, quia chirographum illud eſt veluti merx habens vitium intrinſecum, Amic. Silv. Leſſ. *diſt.*10. Loth. *t.*10. *art.*3.

§.3. Si Titius debeat 1000. Principi, qui debeat 1000. Hoſ- 986 pitali, & Titius obtineat, ut ſolvendo Hoſpitali, ſatisfaciat Principi, Salas & Mol. *d.*313. dicunt Titium fore injuſtum, ſi cum Hoſpitali contrahat, ut pro debito 1000. acceptet 500. Lugo *d.*26. *n.*103. nihil in hoc advertit injuſtitiæ, Tamb. *l.*8. *t.*3. *c.*7. §.8. *n.*7. & Spor. *n.*51. probabiliùs ſic diſtinguunt, ſi Titius antehac tantò minoris emerat jus Hoſpitalis, nihil fore injuſtum, quia poterat, ob difficultatem obtinendi, tanto minoris valere, ſi autem priùs non emerat, facit injuſtè, quia Princeps transferebat in Titium onus ſolvendi Hoſpitali 1000. debitos à Principe, ergo Titius acceperat debitum Principis liberum ab omni difficultate, ergo injuſtè detrahit ob difficultatem.

§.4. Si Titius, quia eſt in gratia Principis, facilè conſequi 987 poſſit debitum, quod Cajus, cui debetur, difficulter impetraret, plures apud Lugo *n.*94. & cum Loth. *à n.*3. dicunt non licere Titio minoris emere à Cajo; ſed Mol. Leſſ. Bonac. Sylv. Laym. & Lugo ſuprà, Dian. *R.*50. Burgh. *cent.*1. *caſ.*50. Spor. *nu.*48. Illſ. *nu.* 401. probabiliùs dicunt licere, quia æſtimatio talis debiti non pendet ex commodo, vel circumſtantia unius, aut alterius hominis, ſed ex publica æſtimatione, quanti nempe æſtimaretur, ſi v.g. ſub haſta venderetur, licèt huic, vel illi ob ſingularem circumſtantiam ſit futurum utilius. V. dicta *n.*906.

§.5. In caſu, quo debitum periculoſum, vel difficile poteſt 988 minoris emi; Mol. *d.*361. negat debitorem ipſum poſſe illud emere minoris, vocatque ſententiam oppoſitam omninò improbabilem, ſed probabiliùs contradicunt Nav. Fagund. Tamb. Leſſ. *l.*2. *c.*21. *n.*70. Burgh. *cent.*1. *caſ.*50. Lug. *n.*101. Spor. *n.*50. aliique apud Sanch. *dub.*18. dummodo ipſe non ſit cauſa minoris æſtimationis, quia jus ad tale debitum, minùs valet in communi æſtimatione, meritò tamen dicit Laym. *n.*33. ejuſmodi negotiationem periculo non vacare.

§.6. Si Cajus debeat Titio 100. & pro intereſſe ſingulis annis 989 quinque, rogetque Sempronium, ut debitum in ſe ſuſcipiat ad 4. annos, promittens ei poſt 4. annos ſatisfacere, Sempronius autē primo anno refundat Titio capitale, ſicque ſe liberet ab intereſſe ſolvendo, Lugo *in Reſp. mor. l.*6. *dub.*9. *& de juſt. d.*28. *à n.*134. putat Cajū poſt 4. annos teneri Sempronio refundere 120. quia hic contractus ab initio fuit juſtus. Docet autem rectè S. Tho. *Opuſc.*73. *c.*9. Si Cajus habeat redditū annuum 6. aureorū, & quia jam indiget pecunia, Titius eum emat ad annos 3. pro 16. aureis,

eſſe

esse usuram, quia plus acquiritur, vel saltem certitudinaliter speratur, quàm detur, estque virtuale mutuum.

990 §.7. Si Cajus prætendens sibi deberi 1000. à Titio, hanc actionem litigiosam vendat Sempronio pro 400. & addat se gratis donare reliquos 600. *Justinianus*, *l. ab Anastasio 23. Cod. Mandati*, reprobat venditionem, ac statuit Titium satisfacere solvendo Sempronio solos 400. quos Cajo dedit pro cessione illa, eò quòd per tales mercaturas litium, dentur occasiones vexandi proximum. Hanc tamen Constitutionem exoleviſſe putant aliqui apud Haun. *t.* 10. *n.* 107. & saltem videntur supponere omnes cum Haun. *num.* 109. esse pœnalem adeòque in conscientia non obligare, nisi post sententiam Judicis, V. Stryck. *s.* 4. *c.* 2. *s.* 9. *& seqq.*

991 *Q.* 186. *An Principi sit licitum vendere officia temporalia?* Resp. *Adr. & Salon.* dicunt de jure naturæ esse illicitum. 1. quia Principes non sunt domini, sed tantùm administratores Reip. & officiorum. 2. Quia sic sæpe excluduntur aptiores, & digniores, ergo non providetur bono communi, ad quod tamen de jure naturæ tenetur Princeps. 3. Quia talibus emptoribus datur occasio iterum emungendi subditos, ut pretium recuperetur, Az. *p.* 3. *l.* 8. *de vend. c.* 7. *qu.* 2. ostendit hoc prohiberi jure positivo, tamen addit passim non observari, etiam in Romana Curia, & licèt Illſ. *t.* 4. *d.* 2. *n.* 406. dicat ex gravibus causis posse id excusari, rarò tamen prævalebunt graviſſimis incommodis, quæ enumerat Az. *q.* 3. sed Haun. *t.* 10. *n.* 110. dicit non esse operę pretium plura dicere circa hoc, quia quicquid dixeris, consuetudo prævalebit: curandum tamen est, inquit, ut serventur, quæ jure naturæ servanda sunt, nempe ut venditiones moderato pretio fiant, & talibus personis, quæ creduntur officio bene functuræ.

992 *Q.* 187. *Quænam pacta adiici soleant venditioni?* Resp. sequentia. 1. *Commissorium*, ut si intrà certum tempus non solvatur pretium, res censeatur non empta, sicque emptor dicitur cadere *in commissum*. 2. *Adjectionis* in diem ut si intrà certum tempus aliquis alius plus obtulerit, res censeatur non empta, sed vendi possit alteri. 3. *Retrovendendi*, sed necessarium est, in primis ut absit contractus *Mohatra*, de quo dictum *à n.* 902. deinde ut servetur æqualitas, uti pluribus Mol. *d.* 375. Less. *lib.* 2. *c.* 21. *d.* 14. Lugo *d.* 26. *à n.* 183. Spor. *t.* 6. *c.* 5. *n.* 101.

993 *Q.* 188. *Quomodo rescindi possit venditio?* Resp. 1. Mutuo consensu: nec emptor tunc tenetur restituere fructus, quia stante contractu cesserunt illi tanquam domino. 2. Si adfuerit pactum commissorium, vel adjectionis in diem, uti *num.* 992. dictum, & tum fructus compensari debent venditori. 3. Per actionem redhibitoriam, vel quanti minoris, de qua *num.* 715. 4. Propter læsionem ultrà dimidium, uti habet communior contrà Less. relatum *num.* 624. Duratque hæc actio usque ad 30. annos. Quòd si inculpabiliter facta sit talis læsio, potest lædens manere in contractu, supplendo defectum, nec tenetur compensare fructus intereà perceptos: hoc autem jus rescindendi quandoque competit læso etiam contra tertium, cui res alienata est. 5. Per restitutionem in integrum, de qua *n.* 677. dictum. V. Illſ. *t.* 4. *d.* 2. *à num.* 414.

994 *Q.* 189. *Quid sit retractus, & quomodo liceat eum impedire?* R. Retractus, est jus, quod habet, v.g. proximior consanguineus, ad rescindendam venditionem rei immobilis, oblato pretio, quo ab extraneo, vel remotiore consanguineo emebatur: fit autem communiter intrà annum, & diem, & retrahens, sibi tantùm potest redimere, non alteri, Castr. *p.* 5. *p.* 29. quem vide. Potestque retrahens emptorem in dubio cogere ad jurandum, quanti emerit, uti docent *Tiraq. Reinkinck*, & alii. Quomodo autem liceat impedire retractum, docebit casus sequens.

995 Titius emit domum à Cajo, & solvit 300. sed timens ne domus retrahatur à consanguineis, ut hos deterreat, cum consensu Caii scribit in instrumento se daturum 500. *Quæritur*, an licitè? Respondet Less. *in auct. v. contractus, caſ.* 7. hic committi dolu, qui in jure dicitur *Stellionatus*, addit tamen ex neutra parte esse culpam gravem, nam si quis emens ulnam panni 14. florenis simulet se dare 20. aut si merces vituperet, ut sic deterreat alios, & solus emat, per hoc non facit injuriam aliis emptoribus, tũ quia non inducit ipsos, ut pluris emant, tum quia quando agitur de notabili commodo proprio, nemo tenetur alteri veritatem aperire, qua cognita commodum impediretur. Addit *Caſ.* 9. licèt Titius mentiretur, mendacium esse merè officiosum. Concludit, etiam sic eludi posse retractum, si conveniat inter contrahentes, ut domus ematur 500. sed simul se obliget vẽditor ad 200. post contractum condonandos. Verùm, in primis certum est, si alter habens jus retrahendi refudiſſet Titio 500. teneri Titium hos 200. restituere, quia nullo justo titulo habet: deinde reliqua, quæ addit, & concludit *Less.* etiam videntur difficilia, nam *à nu.* 69. diximus cum communi, si quis alterum impediat à consecutione boni, ad quod habet jus; aut licèt jus non habeat, si tamen impediat dolo, vel mendacio, inferri injuriam; quisque enim habet jus, ne fraude vel mendacio impediatur, ergo cùm hi habentes jus retractus impediantur dolo, vel mendacio, fit ipsis injuria, & incurritur obligatio compensandi damna inde secuta, secundùm prudentem æstimationem.

De jure retractus videri potest etiam Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. *§.* 6.

ARTICULUS II.

Quid sit Negotiatio, & quibus illicita.

REsp. Ea est, cùm quis rem sibi comparat eo animo, ut „ 996
integram, & non mutatam, cariùs vendendo vel per- „
mutando lucretur. Quod quia est obnoxium periculo mul- „
torum peccatorum, & valdè distractivum, ac indecens sta- „
tui Clericali sic lucris inhiare, severè prohibitum est Clericis „
constitutis in sacris, & Religiosis omnibus, itaut mortaliter „
peccent, si multam negotiationi dent operam, ut ait Less. „
quem V. l. 2. *c.* 21. *n.* 4. & Laym. *l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. §. 7. Bon. *de contr. d.* 3. „
q. 1. *p.* 5. Lugo *d.* 26. *n.* 23. *Unde resolves*, „

1. Si Clericus semel iterùmque tantùm negotietur, in ma- „
teria non gravi, v.g. libros, cruces, &c. emat, ut occultè „
iterùm vendat cariùs, non est mortale. Mald. Fill. Dian. Lu- „
go *num.* 24.

II. Non est negotiatio Ecclesiasticis vel Religiosis prohi- „
bita, si emant pecora, quæ pascuis suis saginata vendant, quia „
vendunt fructus suorum prædiorum, vel agrorum. Mol. *t.* 2. „
d. 342. *n.* 8. Less. *n.* 5. Lugo *n.* 29. Uti nec si greges alant, ut fœ- „
tus, lac, lanam vendant, Lugo *l. c.* Ubi tamen negat, licere „
iis conducere agros, ut fructus vendant, eò quòd (licèt non „
sit negotiatio propriè dicta) specialiter illis sit prohibitum „
in *Conc. Carthag. V. l. c.* „

III. Non peccat Clericus, 1. Si emat agrum cum fructibus „
jam maturis, illosque vendat: quia vendit fructus agri sui, ex „
Mol. *nu.* 10. Fill. *&c.* 2. Si id, quod ad proprios usus emerat, „
postea, vel quia non indiget, vel mutato consilio, cariùs „
vendat. *Ibid.* „

An verò, & quomodò Clericis liceat negotiari per alios „
non famulos, præsertim in necessitate, v. Lugo *n.* 36. Trull. „
t. 2. *l.* 7. *c.* 20. *d.* 19. Barbos. *de jur. un. l.* 1. *c.* 40. *n.* 1. „

ADDENDA.

Quæſt. 190. *Qualis negotiatio, & quibus Clericis sit prohibita?* R. §. 1. Licitum est omnibus emere cum animo vendendi sine lucro, quia non est prohibita negotiatio, nisi fiat causa lucri, uti habetur *cap. Secundùm, NeClerici, vel Monachi*: Unde si Clericus emerit aliquid, ut consumat, & posteà pretium illius crescat, vendere potest, sperans se viliùs empturum, est enim actu œconomicæ prudentiæ, S. Th. Mol. Sa, Laym. Castr. *t.* 16. *d.* 4. *p.* 13. §. 3. *n.* 3. Lugo *d.* 26. *n.* 31. Similiter potest emere plura pro securitate suæ provisionis, & quod superfluet, etiam cariùs vendere, quia emit animo obviandi periculo defectus, qui sæpè multùm nocet, Lugo *num.* 32. 997

§. 2. Licitum est Clerico emere materiam, ex qua conficiat artefactum, & vendat, uti fecerunt *S. Paulus*, & antiqui Monachi victitanes labore manuum, Less. *l.* 2. *c.* 21. *n.* 5. Castr. *sup.* Lugo *n.* 27. Hinc *cap. Eiiciens dist.* 88. dicitur, *Quicunque rem comparat, non ut ita integram, & immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator*. Similiter emi potest equus rudis, ut cultior vendatur, quia potiùs venditur industria quàm res empta, quantùm attinet ad excessum pretii, *Castrop.* suprà. 998

§. 3. Coquere cerevisiam ex proprio hordeo, eamque vendere, non est negotiatio prohibita Clericis, Manriq. Lez. Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 11. *à n.* 11. *qui n.* 13. addit probabile esse, quod possint etiam emere hordeum, ut confectam inde cerevisiam vendant: Addunt Manriq. Delbene, & alii, teste Gob. *n.* 14. etiam posse emere uvas, & vinum vendere, dummodò ipsimet vel eorum familiares vinum exprimant. Unde quando id negant licere Mol. Castrop. *nu.* 4. Lugo *num.* 34. addunt, si fiat per homines conductos; & similiter dicunt illicitum esse emere lanam, ut vendant pannos ab artificibus conductis faciendos. Quamvis autem *Mol.* aliique cum *Castrop.* putent illicitum esse etiam ex lana propriorum animalium conficere pannos per conductos famulos ad vendendum, tamen *Lug.* dubitat de hoc, potest enim Clericus vendere lanam suam, & operas suorum Ministrorum, uti ei licitum est vendere vinum ex suis vinetis expressum, ut fatentur *Mol. Marta, Barb. Gob. n.* 12. Notat tamen rectè *Lugo* in ejusmodi moralibus attendendum esse ad communem sensum, & æstimationem, quid nempè censeatur esse, vel non esse negotiatio. 999

§. 4. Gob. *nu.* 10. putat in Germania licitum esse in Monasteriis per famulos vendere vinum, & panem, id enim propriè non esse habere tabernam, aut negotiari, sed sua vendere transeuntibus. 1000

§. 5. Mol. Laym. Castr. *n.* 4. dicunt illicitum esse Clerico, emere jumenta, ut ea pro pretio elocet, quia videtur esse quædam negotiatio, sed dubitat Lugo *num.* 34. quia emere potest 1001

domum, ut elocet, quando enim emit, fecit ſua, nec prohibetur ſic empta elocare, ergo.

1002 §.6. Dedecet Clericum exercere officium proxenetæ, id eſt, mediatoris inter vendentes, & ementes; non tamen facilè erit mortale, inquit Caſtrop.*nu.*9.

1003 §.7. Quamvis negotiari prohibeatur quivis Religioſus, etiam non Clericus (exceptis fortè Novitiis, qui in odioſis non veniunt nomine Religioſorum, uti notat Lug.*n.*25.) tamē Med. Leſſ.*n.*4. Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*17.*n.*38. Caſtrop.*nu.*1.*&* 4. aliique communiter dicunt intelligi ſolos Clericos ſacris initiatos; ſed Vega, Tab. Sa, Salas aliique cum Lug. ſuprà putant Clericos etiam in Minoribus conſtitutos, ſi beneficium habeant ad ſuſtentationem ſufficiens, contineri prohibitione, quia hos nulla neceſſitas excuſat, & in ipſis valent omnes rationes prohibitionis, ac leges prohibentes utuntur ſimpliciter nomine Clerici.

1004 §.8. Quamvis Mol. Rebel. & alii cum Caſtrop.*n.*6. dicant Clericum peccare mortaliter, ſi per unicum actum negotietur in materia gravi, tamen putant aliqui probabilem eſſe ſententiam Caj. Salas, Delbene *de Imm. Eccl. c.*5.*d.*3.*ſ.*3. & aliorum, qui id negant. Et quoad negotiationem in materia non gravi, conſentiunt omnes communiter cum *Buſemb.* ſupra: item plures apud Lugo *n.*24. qui aſſentitur, ſi negotiatio non ſit in maxima Summa: Rationem dant, quia negotiari videtur ſonare habitum, ſeu frequentiam, quæ non eſt, ſi una tantùm, vel altera vice fiat. Vide *Delbene*.

1005 §.9. Si Clericus negotietur per alium, v.gr. ſi pecuniam exponat, alius autem addat induſtriam, multi apud Lugo *n.*36. dicunt eſſe illicitum, *Med. Arm. Mol. Rebel.* aliique communiter cum Laym.*n.*40. Caſtr.*nu.*7. dicunt non eſſe ſaltem mortale, veniale tamen eſſe docent *Mald.& Mol.* quibus conſentit *Rebell.* ſi per ſeipſum rationes dati, & accepti exigat, *Turr.* dicit, per ſe loquendo, & ratione prohibitionis, nequidem eſſe veniale, ac conſentit *Lugo*, addens tamen poſſe eſſe veniale, aut etiam mortale, ſi Clericus ſe ſimul parùm, aut nimiùm tali negotiationi implicet: Leſſ.*n.*6. meritò dicit id indecorum eſſe, nec faciendum abſque juſta cauſa:

1006 §.10. Si adſit neceſſitas propriæ perſonæ, vel familiæ, quæ aliter non haberet commodam ſuſtentationem, ceſſat prohibitio, quia cùm ſit facta ob decentiam illius ſtatus, non cenſetur prohibere id, quod neceſſarium eſt ad decenter vivendum, Laym.*nu.*39. Caſtrop.*nu.*8. Lugo *n.*37. Imò etiam licitum eſt in neceſſitate gravi pupilli, viduæ, vel perſonæ miſerabilis, uti docent *Mol. Regin.* & alii cum *Caſtr.* ſuprà.

An ſit negotiatio, ſi Clericus ſuis ſumptibus curet imprimi librum à ſe compoſitum, ut inde reportet lucrum, videri poteſt Gob.*poſt n.*27.*in append.* Quid autem licitum ſit Religioſo Societatis Jeſu, videri poteſt Lugo *num.*35. Vide etiam dicenda *lib.*4.*num.*1374.

DUBIUM IX.

Quid ſit contractus Cenſus, & an licitus?

1007 „ *Reſp.* Is eſt, cùm certa ſumma pecuniæ v.g.100. florenis, emo à te jus percipiendi quotannis ex bonis „ tuis, aut certa aliqua re tua utili, ſive fructifera, certam ali„ quam penſionem, ſeu cenſum, v.gr. florenos 5. annuos vel 6. „ prout conſuetudine, vel lege taxatum erit. Itaut hic non ſit „ mutuum, & uſura, ſi aliàs pravam intentionem non habeas, „ ſed vera emptio, & venditio, qua emitur, non præcisè ipſa „ penſio, ſed jus eā percipiendi, quod longè minùs valet, ideo„ que minoris emitur, licèt poſt multos annos pretium longè „ ſuperet, Mol.*t.*2.*d.*381. Leſſ.*l.*2.*c.*22.*d.*1. Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*18.*&* „ *cæteri communiter*. Rectiùs tamen Lugo *d.*27.*n.*20. probat ad „ excuſandum cenſum ab uſura, dicendum eſſe, non emi penſiones, neque jus ad illas, neque fructus, ſed potiùs partem „ uſusfructus talis prædii, ſuper quo cenſus conſtituitur; itaut „ dominium totum directum prædii maneat apud venditorem; dominium verò utile, ſeu jus uſusfructus, ex parte „ vendatur. *Unde reſolvuntur ſequentes Caſus*, qui etiam ex „ natura emptionis, & venditionis ſolvi poſſunt.

„ I. Hic contractus eſt injuſtus, ſi non ſervetur pretium juſtum à lege, vel conſuetudine probatum, quomodò pro „ Germania conſtituit Carolus V. ut jus ad 5. tantùm pro 100. „ ematur.

„ II. Non ſolùm licitus eſt cenſus realis, ideſt, conſtitutus „ ſuper re aliqua, ut ſuprà dictum, ex cujus utilitate penſio ex„ trahatur, itaut ad quemcunque res tranſeat cum illa obliga„ tione, & onere, ſed etiam (ſaltem ex natura rei, & ſecluſa „ prohibitione legis poſitivæ) perſonalis, & conſtitutus im„ mediatè ſuper perſona, quæ ſua opera, & induſtria utilis ſit, „ & fructum aliquem pariat, vel bona in ſpe, vel re habeat, „ unde penſio duci poſſit: alioqui enim jus, quod venderet, „ non eſſet pretio æſtimabile, & ſic contractus fictitius: Ita „ probabiliter Cov. Leſſ.*d.*3.*&* 4. Salas *dub.*3.*num.*2.*&c.* contra „ Nav. Mol. *tom.*2.*diſp.*387. Lugo *num.*25. ubi cenſum merè perſonalem illicitum eſſe, docet eſſe probabilius, & prolixè „ probat.

III. Iniqui ſunt venditores, ſeu cenſuarii, qui emptoribus, „ ſive cenſualiſtis obligant rem non potentem reddere fructus, „ ſaltem tot, quot penſio exigit, aut reddentem quidem, ſed „ jam aliis cenſibus venditos, Bon.*tom.*2.*de contract.d.*3.*qu.*4. „ *p.*1.*n.*9.*&* 13. „

IV. Sicut cùm in emptione res perit, perit damno emptoris, ſic etiam in cenſu reali, ſi res, ſuper quam impoſitus eſt „ cenſus, pereat, vel fructus ejus abſque culpa venditoris, tunc „ enim perit cenſus, itaut emptor, ſive cenſualiſta non poſſit „ ampliùs percipere fructus ſive cenſum; quia qui emit, ſuo „ periculo emit, Bonac.*l.c.* Fill.*t.*35.*p.*2.*nu.*255. Unde ad hoc „ incommodum cavendum, inventus eſt ſequens modus: „

V. Licitum eſt, ut probat Tol.*l.*3.*c.*46. & Leſſ.*c.*22.*d.*11. „ contractui cenſus adjungere aliud pactum aſſecurationis, ut „ ſi res, ſuper qua fundatus eſt cenſus, pereat, id fiat damno „ venditoris, ideoque nihilominus obligatus ſit, vel ſuper aliis „ bonis ſuis eum ſtatuere, vel reſtituta ſorte eodem pretio re„ dimere. Debet tamen hoc pactum venditoris compenſari, „ augendo pretium cenſus, vel quod eodem recidit, minorem „ penſionem deſignando, Bon.*nu.*30. „

VI. Ex natura rei licitus eſt, non tantùm cenſus irredimi„ bilis, ſed etiam redimibilis, cùm ex una parte, tum utriuſ„ que, ut patet ex terminorum explicatione, quia irredimibi„ lis cenſus dicitur, cùm venditor non poteſt illum pro ſuo „ arbitrio redimere: redimibilis autem, cùm poteſt, reddendo „ emptori eandem Summam, quam accepit, atque ita rurſus „ ſibi emendo, quod ante vendiderat. Utrimque redimibilis „ dicitur, cùm ita conventum eſt, ut tam emptor, quàm „ venditor poſſit emptionem factam reſolvere, & Summam, „ quam dedit, repetere, Leſſ.*d.*10. Dian.*p.*2.*t.*5.*M. R.*76. V. „ dicta *de pacto retrov. in empt. ſuprà*. „

VII. Nihilominus, quia contractus cenſus redimibilis ex „ parte emptoris eſt res periculoſa, ſuaderi non facilè debet, „ nam in *Conſtit. Martini V. & Calixti III. PP.* uti & *Car. V. Imper.* uſurarius contractus judicatur. Verùm id intelligi debet, ſecundùm præſumptionem fori externi: præterquam „ quòd illæ Conſtitutiones multis locis eatenus non ſint receptæ, quatenus prohibent ea, quæ juri naturali non adverſantur, ut notat Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*18. „

VIII. Cenſus vitalitius, quia eſt virtualis ſponſio, & nititur eventu fortuito licitus eſt. Fill. Dian.*p.*7.*t.*9.*R.*70. „

ADDENDA.

QUæſt.191. *Quid præterea notandum ſit circa contractum cenſus?* R. Seqq. §.1. Definiri poteſt univerſaliter, quod ſit contractus, per quem certo pretio emitur jus percipiendi penſionem ex re fructifera alterius, vel ex ipſius perſona propter negotiationem, laborem, vel induſtriam utili. Alius eſt reſervativus, ſi ex re tua alteri tranſcripta reſervaris tibi penſionem: alius conſignativus, ſi alter tibi ſuper bonis ſuis conſignet, ſeu conſtituat penſionem. Differt à locato, & emphyteuſi per hoc, quòd in his percipiatur penſio ex re propria, & alteri conceſſa ſolum quoad dominium utile, hic ex re aliena. Qui cenſum vendit, & poſteà tenetur ſolvere penſiones, dicitur cenſuarius, qui autem emit, & cui poſteà ſolvitur penſio, dicitur cenſuiſta, ſeu cenſualiſta, Lugo *d.*27.*n.*1. 1008

§.2. Si dones prædium alteri ea conditione, ut annuè præſtet 100. ex illius fructibus, non eſt venditio, nec permutatio, nec locatio, nec in rigore cenſus, ſed donatio ſub modo, & gravamine, ideoque contractus innominatus, *do, ut facias*, vel *do, ut des*, Caſtrop.*tr.*32.*d.*6.*p.*3.*n.*3. Neque eſt cenſus, ſi Princeps alicui propter obſequia conſtituat penſionem annuam, cùm non conſtituatur ſuper re, vel perſona utili, ideòque illa extinguitur morte Principis, aut penſionarii, nec tranſit ad hæredes, Leſſ. *in Auct. V. cenſus, caſ.*1. 1009

§.3. De cenſibus contractu utrimque oneroſo conſtitutis decrevit *S. Pius V.* 1. Ut ſtatuantur tantùm ſuper re immobili, fructifera, certis finibus deſignata. 2. Ut fiant nonniſi in pecunia numerata præſentibus teſtibus, ac Notario. 3. Ut nullæ anticipatæ ſolutiones fiant, aut in pactum deducantur. 4. Ut cenſuarius non teneatur ſolvere penſionem, ſi caſu fortuito non percipiat fructus. 5. Ut cenſuario liceat vendere rem cenſui ſubjectam, Cenſuiſtæ tamen priùs offeratur, ut ſi velit, intrà menſem emat. 6. Ut non fiat pactum, quo cenſuarius propter moram ſolutionis teneatur ad pœnam, item ut ex penſionibus non ſolutis non conſtituatur novus cenſus. 7. Ut cenſuarius non ſuſtineat onera, quæ ex natura hujus contractus ad eum non ſpectant. 8. Ut re pereunte, aut reddita infructuoſa, pereat cū proportione cenſus. 9. Ut cenſus ſemper maneat eodem pretio redimibilis, cenſuiſta tamen admoneatur bimeſtri ante. 10. Poteſt tū cenſuiſta cogere cenſuarium ad redimendum intrà annum. 11. Ut cenſuarius nō cogatur redimere, ſi nolit. 12. Cenſum aliter conſtituendum declarat eſſe uſurarium. 13. Ut hæc ſerventur, ſi cenſus antehac 1010

con-

conſtituti vendantur. 14. Ut pretium cenſus ſemel conſtitutum non mutetur in gravamen cenſuarii. Has omnes conditiones latè explicât Lug. *ſ.4.& ſeqq.* Caſtr. *de juſt.d.6.p.16.brevius* Pirh. *l.5.tit.19.à n.85.* ſed Leſſ. *l.2.c.25.n.33.* meritò dicit Decretum illud, uti & alia aliorum Pontificum circa cenſus, non eſſe recepta in Belgio, Spor. *t.6.c.6.n.11.* dicit certum eſſe, quòd Bullæ illæ in noſtra Germania receptæ non ſint in eo rigore, Illſ. *t.4.d.2.n.447.* dicit decreta *Caroli V. Martini V. Calixti III. & S. Pii V.* quatenus reſtringunt jus naturale, pluribus locis, uti & in noſtra Germania recepta non eſſe: idem docent Tan. & Pirh. *n.84.* *Platel.* dicit illam prohibitionem *S. Pii V.* non eſſe receptam in Belgio, Germania & Gallia, uti patet ex praxi contraria, nã homines paſſim non faciunt ſibi ſcrupulum, ſi cõtraveniant: itaq; hic videndum eſt, quid de jure naturæ ſit licitum vel illicitum.

1011 §.4. Non obſtat æquitati contractus cenſualis, quòd pretio finito ematur jus ad penſiones in infinitum, quæ decurſu tẽporis lõgè ſuperaturæ ſunt pretium, ita cum communi Caſtr. *p.12.* Nam ſimiliter pretium agri eſt finitum, licèt illo ematur jus ad fructus in infinitum percipiendos. Ratio à priori eſt, quia æſtimatio talium penſionũ, & multò magis jus ad illas, ſemper decreſcit proportionaliter, quò enim penſiones ſunt in ſpe remotiore, tãto ſunt minùs æſtimabiles, compenſatio autem & æqualitas per hoc habetur, quòd periculũ amittendi cenſum aut pẽſiones, etiam ſit perpetuum, uti & carentia pretii ex qua cõmuniter etiam in perpetuum ceſſat lucrum vel emergit damnum.

1012 §.5. Pretium cenſus à Cenſuario irredimibilis debet eſſe ferè duplo majus quàm redimibilis, uti omnes fatentur, & obſervatur in praxi, inquit Lugo *n.138.* unde quò cenſus magis accedit ad irredimibilem & recedit à redimibili, eò majori pretio emi debet à cenſuiſta; è contrà ſi cenſuario maneat libertas redimendi, & cenſuiſtæ imponatur onus revendendi ad arbitrium Cenſuarii, hoc onus eſt pretio æſtimabile, ideoq; meritò minuitur pretium cenſus, Laym. Pirh. *n.72.* communiter autem in Germania pretium pro cenſu redimibili ex parte ſolius cenſuarii ſunt 100. pro 5. quamvis poſſit plùs aut minùs dari pro varietate circumſtantiarum loci & temporis, Pirh. *n.79.* Addunt Tamb. *l.9.t.2.c.5.* & Spor. *n.29.* receptiſſimam eſſe conſuetudinem, ut pro cenſu reali & perſonali utrimque redimibili, etiam cum pacto aſſecurationis juſtum pretium ſint 100. in 5. Hinc *inferunt*, ſi cenſus conſtituatur ſine pactis cenſuarium gravantibus, juſtè minori pretio emi, vel eodem pretio majorem penſionem conſtitui, v.g. ſex aut etiam plures pro 100.

1013 §.6. Cenſus emi poteſt, ſpectato Jure naturæ, minori pretio, quàm fuerit ab initio conſtitutus, ita cum communi Leſſ. *l.2.c.22.n.47.* & Spor. *n.30.* & in re conſentit Caſtr. *p.22.§.2.* quia talis cenſus habet ſe per modum mercis, quæ vendi poteſt ſummo, medio vel infimo pretio: hinc Dian. *p.2.t.8.R.36.* excuſat illum, qui valdè rogatus emit cenſum 8. annuorum pro 80. quia merces ultroneæ meritò vileſcunt, uti *num.935.* dictum eſt. Putant quoque Dian. Tamb. *c.3.nu.11.* aliique etiam poſſe emi minoris, quamvis pretium à Principe, vel à Magiſtratu fuerit taxatum, quia Lex ſtatuens certum pretium cenſibus, intelligitur de cenſu, quando primùm conſtituitur, non autem de cenſu conſtituto, ſi poſteà vendatur, dicuntque id ubique ferè in praxi eſſe receptum.

1014 §.7. Merces æſtimatæ conſtitui poſſunt loco pretii, quia æquivalent, & hoc ipſo, quòd tradantur pro penſione emenda, licèt priùs æſtimatæ non fuerint, jam accipiunt determinatam æſtimationem, & rationem pretii, Caſtrop. §.4. *n.2.*

1015 §.8. Nav. Mol. Leſſ. aliique cum Caſtrop. §.5. *nu.4.* docent contra *Rebell. & alios* ex debito vero, ac legitimo creari poſſe cenſum, eò quòd videatur perinde eſſe aliquem liberare obligatione ſolvendi, aut ab ipſo ſolutionem accepiſſe; imò §.6. contendit cum *Sot. Mol. Leſſ. & aliis* contrà *Salon. Rebell. Salas & alios*, etiam ex pecunia credita conſtitui poſſe cenſum, quia tali pecunia credita emi poſſent merces à debitore, ergo etiam emi poteſt cenſus: rectè tamen notat *Caſtrop.* in foro externo ordinariè præſumendam fraudem, vel uſuram. V. Gaſp. Rodericum *de annuis reddit. l.1.q.13.* ubi optimè reſolvit: adde tamen, quæ habet *l.2.q.14.à n.31.* Item vide Onn. *d.76.ſect.5.& d.77.ſect.2.*

1016 §.9. Cenſus conſtitutus ad longum tempus cenſetur eſſe bonum immobile, uti habet communior cum Lug. *d.27.n.8.* niſi fortè conſtituatur in re mobili, v.g. in grege ovium, quod fieri poſſe docent Pirh. *nu.78.* aliique plures apud Caſtrop. *p.23.§.1.* ubi §§. ſeqq. examinat, ſuper quibus conſtitui poſſit cenſus.

1017 §.10. In dubio, an cenſus conſtitutus, ſit redimibilis nec ne, cenſeri debet irredimibile, ita Covar. Lugo *n.7.* Spor. *n.6.* Ratio eſt, quia cùm conſtet de venditione cenſus, & non conſtet de pacto retrovendendi appoſito, venditio præſumitur abſoluta, quia factum illud novi pacti additi non præſumitur, niſi probetur.

1018 §.11. Si Titius tantùm fingat ſe velle redimere cenſum, ut ſic inducat Cajum ad minuendam penſionem, peccat contra Juſtitiam, & tenetur reſtituere, Lugo *d.22.n.177.* aliique communiter cum Tamb. *c.6.§.9.* Ratio eſt, quia facit dolum, qui dat cauſam contractui diminutionis, ad quam non habet Jus. *Nec refert*, quòd fingens ſe velle accuſare alterum poſſit retinere pretium oblatum, ſecundùm dicenda *n.1086.* *Nam* hic juſtè poſſet accuſare, uti ſuppono, ergo hic venditur vera potentia accuſandi, nec alteri inde ſequitur aliud onus vel prejudicium, ſed potiùs commodum: ibi autem per talem dolum imponitur Cajo onus diminutionis.

§.12. Mol. Leſſ. Salas, aliique multi cum Caſtr. *p.37.§.1.* 1019 tenent cenſualiſtam non teneri acceptare redemptionem cenſus per partes, licèt oppoſitum teneant alii apud Lugo *nu.115.* Ratio priorum eſt, quia videtur onus, debere ſic membratim recipere pecunias ſuas, nec poſſe iterùm ſimul ad alium finem applicare, in quod onus non cenſetur conſenſiſſe cenſualiſta, ſi nullum initum ſit pactum.

§.13. Valent. Veg. Salas, Tann. Caſtr. *p.24.§.6.n.7.* Pirh. *n.* 1020 81. docent rem cenſui ſubjectam non debere inſcio cenſualiſta vendi alicui, à quo difficulter aut minùs ſecurè accipietur penſio, quia cenſualiſta habet Jus ad rem illam, utpotè ſibi obligatam, ergo non debet Jus illud per ejuſmodi venditionem cum damno fieri ipſi deterius.

§.14. Si res cenſui ſubjecta abſque culpa cenſuarii pereat, 1021 vel tota, vel ex parte, aut in perpetuum reddatur infructuoſa, non debetur penſio, vel de hac detrahendum eſt pro rata, quia pereunte re perit Jus rei inhærens, *Mol. Tol. Rebel. Mol. Leſſ.* quamvis id negent de quibuſdam cenſibus Covar. aliique multi cum Caſtrop. *p.31.n.3.* Quòd ſi res talis uno tantùm vel altero anno non redderet fructus, ſi aliis annis tantos reddat, ut hoc compenſari poſſit, debebitur penſio, per ſe loquendo, uti debetur ex agris, licèt tertio, aut quarto anno nihil adferant, quia quieſcunt, Leſſ. Tann. Pirh. *n.80.*

§.15. Perſona, ſuper qua creatur cenſus, debet poſſe, 1021 & velle ſua induſtria, labore aut negotiatione lucrari penſiones annuas, aut ſaltem habere proventus ex bonis aliis, alioquin erit purum mutuum, & palliatio Uſuræ, uti notant communiter omnes cum Pirrh. *n.78.* & Spor. *n.24.* Vide etiam Onn. *d.78.ſ.1.* Excipiunt cum Tamb. §.2. *n.3.* cenſum vitalitium, de quo jam dicetur.

§.16. Cenſus vitalitius non conſiſtit in eo, quòd ematur 1022 Jus percipiendi aliquid ex re, vel ex perſona aliena, ſed potiùs in contractu ſortis, in quo contrahentes ſe exponunt æquali periculo lucri, & damni, cùm mors ſit adeò incerta: hinc Dian. *p.7.t.9.R.60.* ſic explicat, quòd cenſualiſta per hunc contractum ſponſionis dicat cenſuarium, non tamdiu victurum, ut recipiendo 10. annuè, recepturus ſit ſucceſſivè totam Summam, cenſuarius autem è contrà quaſi ſpondeat ſe tamdiu, aut etiam diutiùs victurum, ubi adeſt utrimque incertitudo, ſpes lucri, & periculum damni. Hunc autem cenſum eſſe juſtum docent S. Thom. *Opuſc.72.c.9.* aliique innumeri cum Caſtrop. *p.13.nu.2.* Quod autem attinet ad pretium illius, debet hoc relinqui prudentum arbitrio, habita ratione ætatis, complexionis, ac modi vivendi illius perſonæ, ad cujus vitam conſtituitur: minoris enim emi debet, ſi conſtituatur ſemper vita juvenis, vel hominis robuſti, quàm ſi ſenis vel infirmi, & fieri poſſet, inquit Leſſ. *in auct. v. Societas officiorum*, ut aliquando 16. in 100. conſtituerentur. Non poteſt autem huic cenſui addi pactum, ut ſi redimatur, refundatur idem pretium à cenſuario, quo ab initio venditus eſt, quia quando poſteà redimeretur, jam tranſiiſſent aliquot anni de vita, ergo pauciores penſiones reſtarent ſolvendæ, quàm ab initio, ergo Jus ad eas non poteſt tanti revendi, Tamb. *l.9.t.2.c.3.n.5.* Spor. *n.5.*

Occurrit hìc dubium; Titius pridiè trium Regum anno 1706. dedit Cajo mille ad cenſum vitalitium, cujus primam penſionem levaret in termino trium Regum anno 1707. moritur autem Titius die Omnium Sanctorum anno 1706. *Quæritur*, an hæredi Titii debeatur pars penſionis pro rata temporis decurſi?

Pro parte negante eſt, 1. Quia Jus ad illam penſionem erat perſonale, Jus autem perſonale non tranſit ad hæredem, ergo cùm ante terminum Regum 1707. non ſit obligatio ſolvendi, & perſona Titii tum ampliùs non ſit, nemo tum eſt, cui penſio deberetur. 2. Hic penſionarius eſt veluti uſufructuarius, qui, ſecundùm communem omnium, gaudet ſolis fructibus actu perceptis, ſeu collectis. 3. Eſt praxis plurium locorum, ut nequidem pro rata temporis ſolvatur tali hæredi.

Pro parte affirmante eſt, 1. Quòd cenſus vitalitius ſit ad alimenta, & ad ſuſtentationem vitæ, nam collocans vult vivere penſione, ne vivens capitali, tandem conſumat; ergo æquum eſt, ut penſio currat cum proportione, & reſpectu ad vitam, quæ ſuſtentari debet, & ſuſtentatur à die conſtituti cẽſus: hinc Mol. *t.3.d.635.n.8.* rectè & univerſaliter dixit: *Penſio in alimenta penſionario eſt aſſignata, eaque de cauſa pro rata temporis, quo vixerit, eſt ea ad eadem alimenta ſolvenda.* 2. Si Titius Feſto Omnium Sanctorum tranſtuliſſet in Cajum jus ad penſionem, reſpondens ſuæ vitæ, Titius fuiſſet reſpectu iſtius juris mortuus civiliter, & tamen Feſto Regum deberetur illi penſio pro rata tẽporis, uti certum eſt, ergo etiam nunc debetur, licèt mortuus ſit naturaliter, quia in his, & reſpectu temporis decurſi, æquivalent

mors

mors civilis,& naturalis, uti rectè innuit Cardinalis de Luca *de Benef.diſc.*100.*n.*1.3.Penſio vitalitia habet ſe prorſus,uti penſio aſſignata Clerico pro alimentis, & ſuſtentatione vitæ, uti rectè Garzias*p.2.c.*1.*n.*120.& certum videtur, nam utraque eſt perſonalis,eſt ad ſuſtentationem,finitur morte penſionarii,nec eſt jus ad eam niſi anno elapſo; atqui penſio Clerici mortuo penſionario debetur hæredi pro rata temporis decurſi, uti tenent Alber.Gabr.Zech.Peregr. uterque Mol. Cov.*var.Reſol.c.*15.*nu.* 13.Garz.ſuprà,Tondut.Lott.Galli *de Contr.d.*37.*n.*8.aliiqu; cõmuniter, ergo; 4.Quando intrà annum redimitur ordinarius cenſus, ſive realis, ſive perſonalis, debet ſolvi penſio pro rata temporis decurſi, uti habet communis cum Caſtrop.*tr.*32.*d.*6. *p.*37.§.4.& Haun.*tom.*4 *de contractu cenſus n.*363. etiamſi nunquam ſit obligatio ſolvendi aliquid ante annum evolutum,ergo ſimiliter, ſi intrà annum deſinat cenſus vitalitius.5. Si cenſuiſta ordinarius moriatur intrà annum, debetur hæredi cenſus pro rata temporis præteriti, ergo etiamſi moriatur cenſuiſta vitalitius,nam hæc tãtùm eſt differentia inter hos cenſus, quòd prior velit ſuo hæredi manere Jus ad capitale, poſterior autem velit ſecum emori capitale, quod eſt in favorem hujus cenſuarii, ergo hic cenſuiſta non debet ſaltem quoad penſionem eſſe deterioris conditionis,quàm prior. *Rationem* univerſalem omniũ à priori dant *Caſtrop. & Haun.* ſuprà, quia omnis cenſuarius debet penſionem ob interuſurium pecuniæ à cenſuiſta ei traditæ, ſed hoc interuſurium incipit à die conſtituti cenſus,& dividitur pro diviſione temporis, poteſt enim ſolus cenſuarius ab initio uti, & per totum decurſum temporis lucrari illis pecuniis: eſt autem iniquum, ut ex re cenſuiſtæ diteſcat cum hujus jactura, quia *Locupletari non debet aliquis cum alterius jactura*, Reg.48.Juris in 6.Et *l.* 10.*ff.mandati* dicitur : *Bonæ fidei hoc convenit, ne de alieno lucrum ſentiat*, ergo dicendum eſt, quòd penſio habeat eandem diviſionem temporis, ergo currit, & cadit cenſuiſtæ cum lapſu temporis, & conſequenter hæredi Titii debebitur pro rata temporis.

Hæc ſecunda ſententia videtur æquior, & probabilior: nec rationes oppoſitæ urgent: nam *prima* manifeſtè retorquetur in penſione Clerici mortui, quæ etiam perſonalis eſt, &c.& tamen pro rata temporis ſolvenda eſt hæredi. Itaque dico cum Caſtrop. & Hunold. *quod ex conventione partium ſolutio actualis non debeatur ante finem anni, revera tamen debitum ſolvendi contrahitur ſecundùm lapſum temporis.* Ad 2. Nego habere ſe veluti uſufructuarium, tum quia alioquin hæres penſionarii non gauderet penſione, nequidem totius anni decurſi, ſi penſionarius eam ante mortem ſuam non percepiſſet, vel exegiſſet; tum maximè, quia non utitur pecunia aliena, & licèt uteretur, id non fieret *ſalva pecuniæ ſubſtantia*, ergo non eſt uſufructuarius: imò in pecunia (per ſe loquendo) conſtitui non poteſt uſus-fructus, cùm pecunia ſui uſu conſumatur, Leſſ.*l.*2.*c.*3.*n.*17. Laym.*l.*3.*tr.*1.*c.*6.*n.*2.*Ad* 3. Abſtraho ab alia fortaſſe alicubi conſuetudine,nec inquiro,an hæc ſit juſta vel injuſta,ſed tantùm reſolvi,quid debeat fieri ſpectato jure communi, & natuta hujus contractus,ſi enim quis ſciat aliam eſſe praxin alicubi, & nihilominus det ad cenſum vitalitium, reſignat ſuo juri : de cetero etiam ſunt, qui contrarium practicant, & interrogati Juriſ-Conſulti in Diœceſi Monaſterienſi dixerunt id, quod dixi,& negarunt ſe ſcire aliquid de contraria conſuetudine. Itaque conſultum eſt, ut dum initur contractus, exprimatur, quid circa hoc fieri debeat poſt mortem cenſuiſtæ, ut ſic occurratur huic dubio.

1024 §.17. Quamvis neſcias modum contrahendi per cenſum vel alium contractum licitum, ſi tamen videas viros probos, & prudentes paſſim contrahere hoc vel illo modo,& velis contrahere modo optimo, ſi modus ſit, quo excuſautur alii, etiam tu excuſaberis,licèt illum explicitè neſcias, ita *Valent. Leſſ. Laym. Tamb.* aliique cum Spor.*nu* 27. Ratio eſt, quia in his intentio implicita idem operatur quod expreſſa, uti Jura loquuntur:debet tamen etiam alter contrahens ſaltem virtualiter, & implicitè conſentire in iſtum alterum modum, ut diximus *n.*144. Pro intelligendis meliùs, & explicandis hic dictis de contractu cenſus,utile erit legere, quæ habentur in Vind.Gob.*p.*2.*prop.*18.

1025 *Q.*192. *Quænam pacta licitè adjiciantur contractui cenſus?* Reſp.Seqq. §.1.Cenſui reali licitè adjicitur pactum commiſſorium, ut ſcilicet, ſi cenſuarius penſionem non ſolvat intrà certos annos, res cenſui ſubjecta cadat in commiſſum, id eſt, fiat illius, qui emit cenſum, dummodò tres conditiones adſint, in primis quòd venditor culpa ſua non ſolverit, cùm potuerit: deinde ut pœna illa proportionetur culpæ, nam pro parva penſione non ſoluta non poteſt prædium magni valoris cadere in commiſſum: denique ut pro onere talis pacti augeatur venditori pretium, ita Tol. Caſtrop.*d.*6.*p.*24.§.5. Tamb.*l.*9. *t.*2.*c.*4.§.4.*n.*1.Spor.*t.*6.*c.*6.*n.*15.

1026 §.2. Licitè additur etiam perſonali cenſui pactum reſciſſorium, ut ſcilicet venditor, ſi intrà certos annos non ſolverit penſionem, teneatur emptori reſciſſo contractu, totum pretium reſtituere, neque ob hoc pactum opus eſt augeri pretium, *Medin.Caſtrop.Tamb.Sporer.*

§.3. Etiam licitè additur pactum, ut non poſſit redimi 1027 per partes, ſed tantùm totus ſimul, Sot.Ban.Tol.Leſſ.Tamb. §.6.Spor.Lugo *d.*27.*n.*15.contra alios: nec ideò videtur remittendum de pretio, Caſtrop.§.2.

§.4. Etiam licitè additur pactum, ut non poſſit redimi, 1028 niſi in eadem præcisè moneta, quæ data eſt, ſive valor ejus creſcat ſive decreſcat, ſuppoſito quòd quando cenſus conſtituitur, ſit æquale periculum incrementi, ac decrementi, tum enim accedit novus contractus ſortis, ita Leſſ.& Lugo *nu.*137.qui à *n.*242.dicit etiam in ſimili caſu addi poſſe pactum de non redimendo, niſi in eadem moneta, ſed in majori, vel minori ſumma, juxta majorem, vel minorem valorem, quem moneta illa tum habuerit. De pactis, quæ cenſui addi poſſunt, videri poſſunt plura apud Caſtrop.*toto p.*24. An autem addi poſſit pactum aſſecurationis, non tantùm reſpectu ſortis, ſed etiam reſpectu lucri, vide dicta *n.*876.

DUBIUM X.

Quid ſit Cambium. 1029

Reſp. Cambium, quod permutationem ſignificat, hic „ accipitur pro ſola permutatione pecuniæ : Et eſt „ contractus, quo Campſor aliquis Campſario volenti cambire „ pecunias, cum lucro aliquo præter ſortem. Quòd ſi ſine in- „ tentione uſuraria fiat,ob titulos juſtos tali lucro æſtimabiles, „ patet non eſſe malum : Unde cùm quatuor ſint Cambiorum „ genera,nimirum. 1. Cambium minutum, ſeu manuale. 2. „ Cambium per litteras. 3. Cambium reale. 4.Cambium ficcum, ſeu fictum : *circa ea reſolvuntur*, „

I. Licitum eſt Cambium minutum, in quo dantur pecu- „ niæ majores pro minoribus, vel contrà, quia hic ſunt juſti „ tituli aliquid lucrandi, nimirum labor Campſoris in numeranda pecunia ; item diligentia in pecunia omnis generis „ conquirenda, ut Campſariis quibuſvis ſit paratus; item pu- „ritas materiæ, & commoditas, ut cùm aurum vel alia mo- „ neta commoda datur pro minuta, & incommoda. Laym. „ *l.*3.*t.*4.*c.*19.*nu.*4. „

II. Licitum eſt item Cambium per litteras, cùm ſcilicet „ Campſor hic v.g.Monaſterii prior accipit pecunias,quas po- „ ſteà litteris datis alibi, v.g.Francofurti, refundit per ſuos fa- „ctores : quia hic etiam ſunt juſti tituli, ſcilicet, virtualis tra- „jectio pecuniæ, & ejus aſſecuratio; tantundem enim facis, „ ac ſi Campſario pecuniam ejus Francofurtum transferas ſine „ periculo. Minus tamen Campſor exigere debet,quàm ſi realiter tranſtuliſſet, Laym.*l.c.*Bonac.*d.*3.*q.*5.*p.un.num.*7. Nava- „ *man.c.*17.*n.*283.Leſſ.*l.*2.*c.*23.*d.*3.*&c.* „

III. Item licitum eſt Cambium reale, cùm Campſor hic „ Monaſterii, prior dat pecunias, ut per ſuos alibi eas recipiat „ à Campſario, qui alibi habet pecunias, ſed eget nunc eis „ hic; Titulus hujus Cambii eſt item translationis, & aſſecu- „ rationis; tantundem enim facit Campſor, aut ſi pecunias „ Campſarii abſentes ſiſteret hic præſentes, vel ut alii ajunt, ac „ ſi præſenti pecunia emeret abſentem, quæ utique minus va- „ let, Laym.*nu.*6.*&* 7.Bon.*l.c.* „

IV. Illicitum eſt Cambium fictum, ſeu ſiccum, quod ni- „ hil aliud eſt, quàm titulus lucrandi, ut v.g. Titius indigens „ pecuniis petit à Campſore ſibi dari 100.Campſor autem non „ aliter dat, niſi Francofurti, v.g.vel alio loco diſtante ſolven- „ dos, petitque ab eo pretium, quod ſolet dari pro locis ſimi- „ libus: Titius ergo accipit, & tamen verè non cogitat redde- „ re in iſtis locis, imò forſitan nec habet iſtic correſponden- „ tem, idque conſtat Campſori: contractus hic eſt Cambium „ fictum, ac reverà mutuum, ideoque palliata uſura. Excu- „ ſabitur tamen Campſor, ſi lucrum illud exigat titulo lucri „ ceſſantis. Plura vide apud Tol.*l.*5.*c.*52.Bon.*n.*2. „

V. Quod attinet ad Cambiũ Francofurtenſe; in quo mer- „ catores dantes Cambium ad proximas nundinas, quò magis „ eæ diſtant, eò plus exigunt, ſi ideò præcisè plus exigatur, „ quia ſolutio diutiùs differtur, uſura eſt : ſi autem ratione al- „ terius tituli juſti, v.g.lucri ceſſantis, cùm pecunia mercato- „ rum ſit inſtrumentum lucrandi,quo ſi diutius carent, carent „ lucro, & quò longius eſt tempus eò plures cambium petunt, „ ideòque creſcit valor pecuniæ, tunc lucrum eſt juſtum.Lay. „ *n.*9.ex Mol.*to.*2.*d.*404.*n.*10.*&* 11.Leſſ.*d.*6.*&c.* „

VI. Qui cambiendo, (vel aliter) pecuniam adulterinam „ accepit, ſive ex ignorantia, aut inadvertentia,non poteſt illã „ expendere, quia res vitioſa non poteſt tradi alteri, vitio non „ detecto. *V.ſuprà de vendit.* Neque ex eo, quòd ipſe deceptus „ eſt, poteſt decipere alios, cùm actio, qua deceptus fuit, nul- „ lum ad hoc jus tribuat, Bon.*n.*4.ex Az.Sanch.&c. „

ADDENDA.

*Quæſt.*193. *Quid circa cambium ſit prætereà notandum?* R.Seqq.§.1.Cambium eſt contractus, in quo per 1030 mutatur pecunia pro pecunia, cum lucro illius, qui in alteriu-

gra-s

gratiam permutat. Differt à mutuo, 1. Quia cambium fit tantùm in pecuniis; mutuum etiam in aliis rebus. 2. Quia in cambio intervenit aliqua diversitas, vel quoad pecuniam, vel quoad locum; in mutuo potest eadem res, & eodem loco reddi. 3. Quia cambium non perficitur, nisi facta utrimque traditione pecuniæ, quæ etiam eodem tempore fieri potest; in mutuo traditur res, alio tempore reddenda. Illud cambium propriè dicitur manuale, quod fit eodem loco, & tempore, nempe statim de manu in manum. Ad cambium minutum refertur, si pro pecunia dubia vel non ubique recepta detur certa, vel ubique, aut saltem hoc loco recepta. Cambium per litteras aliter vocatur cambium ad locum, quia campsor non dat pecunias in loco, in quo est, sed per litteras assignat ad alium locum; cambium autem reale dicitur cambium in loco, quia campsor, ubi est, dat pecunias. Si Campsor simul exerceat negotiationem cum suis, & alienis pecuniis, quas conservat, dicitur Trapezita, nummularius, mensularius vel argentarius.

1031 §.2. Justum pretium cambii est illud, quod lege, vel consuetudine, vel communi hominum proborum æstimatione taxatur, spectata vilitate monetæ permutandæ, loci distantia, periculo viarum, copia, vel penuria pecuniarum, aut Mercatorum in aliquo loco. Potest autem pro trajectione pecuniæ accipi pretium communiter taxatum, etiamsi ipsa trajectio sit aliunde utilis campsori, v.gr. quia hìc accipit suam pecuniam loco illius, quam habet Francofurti: nam ad hoc, ut communis aliqua æstimatio imponi possit, & pretium accipi, sufficit, quòd talis trajectio pecuniæ sit plerisque incommoda, nunc autem fiat in gratiam Campsarii, ita Caj.Mol.Bon.Less.Spor.*t.6. c.6.n.*40. quod his similibus confirmatur, nam si bajulum conduxisses, qui pecunias tuas ferret Francofurtum, si hic aliquem reperiret, qui nomine suo illas tibi solveret Francofurti, posset idem pretium conductionis accipere, ac si reipsa transtulisset. Less.*l.*2.*c.*23.*n.*20. Item sicuti si conduxisses Titium, ut equum tuum duceret Francofurtum, quamvis ex alia causa eò proficisci vellet, foretque illi nunc commodissimum uti tuo equo, posset acceptare pretium, de quo tecum contraxisset, ita & hìc, Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*19.*n.*6. Less.*n.*32. Non posse tamen campsorem tantum exigere, quantum exigeret bajulus reipsa transferens, aut qui transferendi obligationem suscepisset, probat rectè Less.*in auct. V. Cambium, caſ.*2.

1032 §.3. Aliqui ad justitiam cambii requirunt omnes conditiones, quas *S. Pius V.* in Bulla, *In eam*, requirit, nempe 1. Ne concedatur alteri pecunia solvenda in loco, in quo nullam habet aut habere potest, cum præsumptione recipiendi eam in loco, in quo eam concessit. 2. Ne pactum fiat de certo interesse lucri cessantis, aut damni emergentis solvendo à Campsario, si non solverit statuto tempore. 3. Ne ob protractum vel remotiorem terminum solvendi liceat plus exigere. 4. Ut in terminis solutionum constituendis habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum, ad quos solutio destinatur: sed cùm ea Bulla vix ullibi sit usu recepta, communiter censetur non obligare, uti notant Salas, Lugo *d.*28.*n.*107. Steph.*t.*4.*d.*9.*num.*133. hinc DD. non damnant eos, qui non observant, inquit Less.*l.*2.*c.*25. *n.*33. eò quòd constitutio illa recepta non fuerit: itaque videndum est, quid jus naturæ requirat.

1033 §.4. Si Titius Campsor bona fide det tibi hìc 100. florenos, & tu spondeas solutionem Francofurti, quia tamen ibi nec pecuniam nec notum habes, & Titius pro te agat apud suum Factorem Francofurti, ut ille Titius nomine tuo per cambiales solvat illos 100. hic contractus dicitur cambium cum recambio seu cum recursu, ab aliis vocatur Vesuntinum à Vesuntio, Urbe in Burgundia, ab aliis Placentinum à Placentia Italiæ urbe, eò quòd putetur istis locis primò celebratum: in hoc contractu Campsarius patitur onus duplicis cambii, Campsor autem refert duplex lucrum, & hunc contractum velut licitum defendunt Sot. Merend. Comitolus, Mol.*t.*2.*d.*404.*num.*13. putatque Haun.*n.*395. cohonestari posse, si certo modo instituatur: sed pro praxi rejiciendus est velut purum mutuum, & palliata usura, uti rectè Less. Nav. Lug.*nu.*98. Dian.*p.*1.*tr.*8.*R.*1.*&p.*9.*tr.*8. *R.*67. Burgh.*cent.*3.*caſ.*36. Spor.*autem nu.*44. vocat rem diabolicam, quia reipsa est duplex cambium fictum.

1034 §.5. Cambium Francofurtense etiam per hoc excusatur ab aliquibus, quòd tempore propinquo nundinis sit copia pecuniarum, adeoque multitudo Campsorum faciat cambium vilius, è contrà tempore remotiore est minor copia, unde cùm talis pecunia habeat se per modum mercis, pretium ejus augebitur ex penuria venditorum, & minuetur ex copia: ita innuunt Caj. Med. Tol. Sa, Salas cum Castrop.*d.*7.*p.*7.*n.*3. Laym.*num.*9. Lessio *num.*35.

1035 §.6. Notat Less.*à n.*34. Laym.*num.*8. aliique communiter non esse injustum, si campsor, præter ordinarium pretium cambii, quærat lucrum ratione majoris valoris pecuniæ in uno loco, quàm in alio, uti si hìc, ubi multum valent ducati, numeret 94. ducatos, & postea in Italia, ubi minùs valent, recipiat 100. quamvis cum illis ex Italia iterum huc negotiando aliud lucrum reportet, hæc enim spectant ad industriam.

§.7. Si Titius det famulo meliores pecunias Creditori sol- 1036
vendas, famulus autem commutet illas vilioribus, quibus cum lucro suo solvat, secundùm dicta *p.*1.*n.*1045. non peccat saltem graviter, quamvis faceret sine præsumpto consensu domini, uti habet communior contra Castrop. *d.*7.*p.*3. communiter tamen peccabit venialiter contra fidelitatem, & observantiam, debitâ domino. Quòd si Titius expresè manda sset tradi easdem pecunias, aut si poterat plus obtinere à Creditore quàm solutionem debiti, aut si ipse voluisset sibi reservari pretium cambii, si permutarentur &c. posset peccare famulus graviter, & teneri restituere, uti cum communi IIII.*t.*4.*d.*2.*nu.*452. similiter si famulus à Titio destinatus fuisset, ut reciperet pecunias ab aliquo nomine ipsius Titii, famulus non posset eas permutare, quia hoc ipso, quòd traderentur famulo, Titius acquireret jus ad illas, quale tamen jus non acquisiverat creditor, cui solvendum erat à famulo, Laym.*n.*5.

§.8. Cuivis licitum est cambiare secluſa prohibitione Ma- 1037
gistratus, contra quam si quis cambiet, *Sot.* dicit fore mortale, sed meritò negant Mol. Less. Laym. Tamb. Spor.*n.*44. nisi fortè cederet in grave damnum Reip. v.g. si per hoc bonæ monetæ extra Provinciam extraherentur, & malæ importarentur, alioquin ad summum erit inobedientia levis.

DUBIUM XI.

Quid sit Locatio, & Conductio.

Resp. Est contractus, quo quis personam, vel rem „ 1038
aliquam mobilem, vel immobilem alteri ad tempus „
utendam, vel fruendam concedit, certo pretio aut mercede, seu pensione constituta. Utenda conceduntur, v.gr. „
elocata domus, equus, servus, &c. Fruenda conceduntur, „
elocatæ vaccæ, capra, fundus, pomarium, &c. Unde „
considerata hujus contractus natura, & juris dispositione, „
resolvuntur sequentes Casus: „

I. Si res locata ante traditionem pereat, contractus dissolvitur, & conductor liberatur. „

II. Si absque culpa conductoris, usus vel fructus rei cesset, v.gr. quia domus ruinam minatur, infestatur spectris, „
vel ob periculum pestis (nisi tamen quoad hoc consuetudo „
sit contraria) aut belli, tutam habitationem non præstat, „
liberatur conductor à solvenda pensione pro tempore, quo „
non potest inhabitare, vel alia re conducta uti vel frui, ut v. „
apud Laym.*l.*3.*tr.*4.*c.*22.*n.*3. Less.*l.*2.*c.*24.*d.*2. „

III. Servo, aut laboratori conducto non debetur stipendium temporis notabilis, quo æger decubuit, nec ægro, nisi „
expensæ modicæ: nisi tamen aliter sit conventum, aut consuetudo ferat. V.Sa, *v. Conductio.* „

IV. Propter modicum damnum, vel infortunium, nihil „
remittitur colono de pensione: secus, si magna sit clades. „
Quòd si tamen antecedentium vel sequentium annorum fertilitate damnum compensetur, non remittitur, Laym.*n.*7. „
Less.*d.*3. „

V. Si pluribus annis ob cœli clementiam (secus si ob industriam colentis) uberiores fructus ex fundo elocato pro- „
veniant, potest colono pensio augeri. Laym.*n.*8. „

VI. Expensæ in rem conductam, quæ duraturæ sunt, v.g. „
conservare sarta tecta, tributa, & onera publica præstare, „
ad locatorem, seu dominum spectant, nisi aliter conventum „
sit, aut consuetudo ferat. Laym.*n.*4. „

VII. Si conductor in rem conductam necessarias, sive „
utiles expensas fecerit, potest eas de pensione detrahere, vel „
repetere à locatore, & dum non solvuntur, retinere rem con- „
ductam. Laym.*l.c.* Mol.*disp.*496. „

VIII. Etsi incendium plerumque accidat culpa inhabitâ- „
tium, & sic in dubio contra illos præsumptio sit; quia ta- „
men sæpè id fit culpa famulorum, quam Pater-familias præ- „
stare non cogitur, hinc conductor absolvendus est, nisi „
Locator ostendat culpam. V.Laym *supra n.*6. & Dian.*p.*9. „
*t.*7.*R.*31. ubi ex *Haunold. & Berl.* docet, si constet accidisse „
culpa certi, & determinati alicujus de familia, isque circa „
officium suum deliquerit, ut v.g. stabularii, qui lumen malè „
custodierit in stabulo, teneri patrem-familias (nisi famulus „
iste pro fideli, ac diligenti fuerit habitus) de damno: secus, „
si culpa alterius, vel si constet, utrum casu an culpa cujus- „
quam acciderit. „

IX. Si conductor domus, v.g. ante tempus velit emigrare, „
id quidem licet, potestque alteri locare; cæteroquin autem „
de pensione nihil ei remittitur. „

X. Locator non potest ante tempus præfinitum conducto- „
rem invitum privare re conducta, nisi in his casibus, 1. Si „
pensionem non solvat: expectare tamen debet biennium, si „
ultra biennium res sit conducta. 2. Si casus improvisus acci- „
dat, ob quem domus, v.gr. ipsi Domino necessaria sit. 3. „
Si rem locatam reficere necesse sit, nec possit fieri altero „
inhabitante. 4. Si conductor in re conducta, malè versetur, „

v.gr.

„ v. gr. deſtruat, vel abutatur, ut alendo ibi meretrices
„ Laym.*nu.*9.
„ XI. Succeſſor univerſalis, ſive hæres non poteſt ante
„ completum tempus conductorem expellere, partialis au-
„ tem ſucceſſor, ut emptor, donatarius, legatarius, &c.
„ non tenetur ſtare contractu locationis, uti neque condu-
„ ctor; niſi tamen aliter pactum ſit, v.gr. ne res locata du-
„ rante tempore locationis alienetur, V. Leſſ. *num.*37. & 38.
„ & Laym.*nu.*10.

ADDENDA.

1039 Q*Væſt.* 194. *Quid præterea ſit notandum circa hos contractus?* Reſp. Seqq.§.1. Locatio, & conductio habent ſe adinvicem, uti emptio, & venditio, nam uti emens eſt ille, qui dat pretium, & accipit mercem, vendens autem, qui dat mercem, & accipit pretium, nec poteſt eſſe emens, niſi ſit vendens, & vice verſa, imò emptio & venditio faciunt unum contractum, qui ſub diverſo reſpectu dicitur emptio aut venditio; ita etiam locator, qui dat utendum pro pretio, conductor, qui dat pretium pro uſu nec poteſt eſſe locator, niſi ſit conductor & viceverſa, imò locatio & conductio faciunt ſimili modo unum contractum. Ad locationem & conductionem ſpectant contractus, per quos Medici, Chirurgi, Magiſtri, Famuli, Ancillæ, Mercenarii diurni, operas vel labores ſuos elocant.

1040 §.2. Pretium propriè datur pro uſu rei mobilis, merces pro labore, opera vel obſequio hominis conducti, penſio pro Jure conceſſo utendi vel fruendi re immobili: debent autem hæc ſolvi in pecunia, alioquin erit contractus innominatus, ideòque non poteſt locator cogi, ut acceptet, vel conductor, ut ſolvat res alias præterquam pecuniam, ita cum communi Nav. Laym.Spor.*t.6.c.*7.*n.*27.

1041 §.3. Jure Cæſareo prohibetur, ne elocetur prædium militi vel Curiali vel Clerico negotiandi cauſa, quamvis hi poſſint ſuccedere conductori: item ne domus ſcholæ vicina elocetur fabro vel alteri, per cujus pulſum aut tumultum impediatur doctio: *Bonacina* tamen dicit Magiſtrum ipſum debere reclamare: ita citatis Legibus Spor.*n.*22. Jure Canonico prohibetur, ne prædium elocetur ultra triennium fertile ſeu utile conductori, uti explicat Fill.*t.*44.*c.*2.*n.*8. dicens, ſi alternis tantùm annis ſit fertilis, poſſe elocari ad annos ſex, ſi tertio anno, ad novem. Praxis tamen in multis locis habet, ut elocetur ad annos duodecim cum clauſula, ut utrique parti liberum ſit poſt lapſum medii temporis à contractu deſiſtere, nemo enim agros fertiles ad tres vel quatuor annos conducet, cùm intrà id tempus expenſas in meliorando faciendas recipere non poſſit.

1042 §.4. *Cap.*1.*de Uſuris in* 6. prohibetur, ne domus locetur publico uſurario, ſed Textus loquitur de uſurario alienigena ſive aliunde oriundo, uti cùm cõmuni notat etiam Beja *p.*1.*caſ.* 27. Similiter *Nav.* dicit illicitum eſſe elocare domos meretricibus, alii dicunt ſaltem illicitum eſſe elocare in ea parte urbis, in qua non permittuntur habitare, ſed *Maj.& Beja* ſuprà tenent oppoſitum, quia illa locatio proximè tendit ad dandam habitationem, remotè autem tantùm dat occaſionem peccati.

1043 §.5. Conductor (niſi aliter ſit conventum) poteſt rem ſibi locatam alteri elocare, qui primo conductori tenebitur penſionem ſolvere, primus autem conductor primo locatori, *L. Nemo* 6.*Cod.de locato*.

1044 §.6. Si Titius pauper obtinuerit Jus mendicandi in urbe, Sanch.*in Conſ.l.*1.*c.*7.*dub.*2. dicit eum poſſe pro certa penſione hoc jus elocare alteri non pauperi; Lugo *d.*29.*n.*9. negat id licere, quia fieret fraus populo, qui eleemoſynam daret non pauperi, Spor.*n.*23. reſpondet pro *Sanch.* adhuc dari pauperi mediatè, quia datur conductori inde ſolventi penſionem, nam id ſecundùm omnes liceret, ſi pauper æger per alium divitem eleemoſynam peteret: eſt tamen in hoc aliqua diſparitas, nam hic dives petit nomine pauperis, qui etiam fruetur, ergo datur pauperi, conductor autem ille petit nomine ſuo ex vi Juris ſibi empti ad petendum, ergo reipſa videtur dari ipſi conductori, non pauperi: hinc ſententia *Lugo* videtur probabilior.

1045 §.7. Nuncius mercede conductus à Cajo, ut Coloniã eat, poteſt re diſſimulata ſinere ſe ab alio conduci ad eundem locũ accepta ab utroque integra & ſic duplicata mercede, Leſſ.*lib.*2. *c.*24.*n.*28. Spor.*n.*39. & non improbabile dicunt Lay.*l.*3.*t.*4.*c.*19. *n.*7. Caſtr.*d.*7.*p.*4.*n.*1. Ratio eſt, quia opera illa, quam ſpondet & præſtabit ſecundo, eſt digna iſta mercede, per accidens autem eſt, etiam fuiſſe præſtandam priori, nam ita obligat ſe ſingulis in ſolidum, ut quamvis unus deficeret, tamẽ alteri eam totam eſſet præſtiturus, & ex eo, quòd præſtet pluribus, non minùs præſtat ſingulis, ergo etiam ex eo non debet minui æſtimatio illius operæ: *Conf.* Nam ſi propter negotia propria ſtatuiſſet ire Coloniã, & ſupervenirет, qui conduceret ad tale iter, utique poſſet re diſſimulata acceptare mercedem, ergo etiam nunc: conſequenter & potiori Jure Auriga Coloniam conductus, quamvis mercedẽ petierit tanquam rediturus vacuus, tamen ſi ibi vel in via inveniat revehendos, poteſt cum priori mercede etiam hæc lucra acceptare, quia illa opera erat digna iſta mercede, maximè cum adeſſet periculum redeundi vacuo curru, caſui autem vel ejus induſtriæ aſſignandum eſt hoc alterum lucrum.

§.8. *Pupillus* vel *Minor* tenetur ſtare locatione ſui Tuto- 1046
ris vel Curatoris, *Abbas* aut *Beneficiarius* ſui Prædeceſſoris, *Uxor* mariti mortui, *Panormit.* aliique cum Lugo *à n.*23. quia quilibet tenetur ea rata habere, quæ facta ſunt à ſuo legitimo Adminiſtratore. Hinc docet Caſtrop.*d.*9 *p.*18.*num.*7. uxorem etiam teneri ſtare conductione per maritum facta & necdum completa, quia Jura ſtatuunt, ut hæres perficiat negotium à defuncto inchoatum & nondum finitum.

§.9. *Succeſſor*, etiam particularis, non poteſt expellere 1047
conductorem cum gravi ejus incommodo, v.g. ab agro conducto jam ſeminato, ſed expectare debet, donec fructus collegerit, iniquum enim eſſet, eum poſt labores & ſumptus adhibitos pati eam jacturam, ita cum aliis Spor.*n.*34. E contra tamen poteſt conductor talis ſemper renunciare conductioni cum Legatario, cum Donatario, cum Emptore, quia his ſe non obligavit, ſed Anteceſſori.

§.10. *Locator* tenetur aperire vitia rei locatæ, uti *à n.*948. 1048
dictum eſt de venditore, alioquin tenetur de damnis ſecutis, quia ubligatur tradere rem utilem ad uſus à conductore intentos, ita cum aliis Bonac.*de contr.d.*3.*q.*7.*p.*2.

§.11. Spectato jure naturæ deberet conductor ferre omnes 1049
caſus fortuitos, etiam ſterilitatis, uti notant Mol. Leſſ. Lugo *n.*36. non aliter ac emptor fert caſus mercis, tanti enim valebat ſpes fructuum cum res locaretur; nihilominus ex benignitate Juris introductum eſt, ut quandoque remittatur aliquid; dubitatur autem, quænam dicatur magna clades, ob quam remitti debet ſaltem pars penſionis, Bart. Cov. Leſſ.*n.*17. Lugo.*n.*43. dicunt tum eſſe, ſi deducto ſemine aliiſque impenſis nè dimidium quidem ſolvendæ penſionis ſuperſit; *Abb.& alii*, ſi colonus vix colligat tertiam partem ſolidi, v.gr. vix 5. cùm aliàs ſoleret 15. *Navar. & alii*, ſi vix colligat duas tertias, v.g. vix 10. cùm ſoleret 15. verùm rectè monent *Laym.* & alii in hoc attendendum eſſe communem uſum cujuſvis Patriæ. Duo addit Leſs.*n.*14.& 18. nempè ſi fructus jam collecti caſu pereant, antequam commodè potuerint invehi, remittendum eſſe de penſione, non aliter ac ſi fuiſſet ſterilitas, limitant Mol. & Lug.*n.*48. niſi ubertas proximorum annorum id compenſet, *l.*8.*Cod. hoc tit.* Stryck.*ſ.*2. *c.*9.*nu.*25. Deinde colono partiario, qui aliquotam partem fructuum, v.g. tertiam pendere debet, nihil remitti ob anni ſterilitatem, uti habent *Gloſſ. Abb. Nav.* aliique cum Spor.*n.*53. quia hic tanquam in cõtractu ſocietatis tenetur damnum & lucrum cum domino fundi dividere. Etiam notant omnes communiter cum Bart. Leſs. Lug.*n.*52. Illſ.*t.*4.*d.*2.*n.*459. quamvis aliquando ſit maxima ubertas fructuum, totam utilitatem eſſe conductoris, nam *l. ſi merces, ff. locati*, dicitur conductori immodicum lucrum non auferri, & ratio eſt, quia ſterilitas fuiſſet ipſi damnum intolerabile, ubertas autem nemini nocet. Denique notat Stryck.§.20. ob damnum fructibus jam invectis illatum nihil remitti conductori, *Argum. l.*12.*Cod. hoc tit.*

§.12. Si impedimentum utendi re vel perſona conducti 1050
oriatur ex parte conductoris, etiam involuntariè, uti quia eſt infirmus vel incarceratus, non potuit colere agrum, aut mercenario conducto laborem aſſignare, adhuc, per ſe loquendo, tenetur totam penſionem vel mercedem ſolvere, quantum intereſt locatoris, ita ex Jure Mol. Nav. Leſs. Laym. Lugo *num.*27. Ratio eſt, quia tum non ſtat per locatorem vel rem locatam, ſed per ſolum conductorem, quò minus habeatur uſus vel fructus. *Nec refert*, quòd conductor ſit ſine culpa: *Nam* æquius fuit, ut hoc in ſe onus ſumeret conductor præ locatore, qui etiam eſt ſine culpa. Dixi, *quatenus intereſt*, nam ſi res vel opera alteri eſt locata ſine damno locatoris vel conducti, ad nil tenetur, cùm nullum damnum ſit cauſatum. Quòd ſi alteri locata plus lucri attulit, hic exceſſus ſpectat ad locatorem, ſi conductor rem à ſe abdicaverat, uti communiter fieri ſolet; ſi tamen retinuiſſet animum ea poſtea utendi, ad eum ſpectaret etiam ille exceſſus, Lugo *n.*30. Sporer *n.*49. Addit Leſs.*n.*9. locatorem, quamvis non locet alteri, debere remittere de penſione, propter libertatem, quam conductor ipſi relinquit locandi alteri; negat tamen hoc *Tamb.* dicens deberi totam, eo quòd libertas iſta ſit parum utilis, & penſio, per ſe loquendo, certò debeatur tota; *Mol.& Spor.* ſuprà meliùs dicunt deberi totam, niſi conductor de aliqua parte ideo remittenda paciſcatur. Quod ſi famulus conductus ad ſervitium annuum ægrotet, v.g. trimeſtri, non tenetur anno evoluto id ſupplere, uti cum communi Lugo *n.*61. Nec ideo poſſe ei aliquid detrahi de ſtipendio docent *S. Anton. Innoc. Graff.* aliique multi apud Lugo *n.*58. Oppoſitum tamen tenent *Covarr. Silveſt. Mol. Laym. Barboſ. Lugo* aliique plures; ſed ſpectanda eſt conſuetudo locorum: probabilius autem videtur dominos non teneri ad ſpeciales ſumptus pro curatione, uti rectè Rebel. & Lugo *num.*60.

§.13. Fructus rei locatæ, v.g. agri, ſi ſint adhuc pendentes, 1051
ſpectant ad dominum rei locatę, quia sũt adhuc pars rei, aut faciunt

ciunt quid unum cum ea, hinc si Laicus emat fructus pendentes prædii Ecclesiastici vel Religiosi, non tenetur pro eis solvere gabellas, Dian.*p.3.t.1.R.19.* E contrà, fructus jam separati à fundo & à conductore collecti sunt ipsius, etiamsi is pensionem necdum solverit, Mol.Lugo *n.26.* Tamb.*de contract.lib.9. t.4.c.3.n.5.* Spor.*nu.25.* aliique contra *Gloss. Bart. Barb. & alios.* Ratio est, quia quamvis manerent hypothecati aut veluti in pignus tacitè subjecti pro pensione, tamen ex vi contractus habet conductor Jus fruendi re, ergo faciendi fructus suos etiam ante solutam pensionem, ideòque rectè dicit *Diana* suprà, colonos Ecclesiasticorum vel Religiosorum teneri solvere gabellam ex fructibus collectis, si eos alienent, nam collecti spectabant ad laicos.

1052 §.14. Expensæ necessariæ ad conservandam substantiã rei locatæ, nisi pactum vel consuetudo obstet, spectant ad locatorem, v.g. ut reparentur fenestræ, fornax, puteus, ut in agro fiant fossæ, aggeres, ut viæ ante domos pro cõmuni bono sternantur, ut equus instruatur soleis, vel extraordinario medicamento curetur, si sit infirmus. Ratio est, quia locator tenetur rem facere aptam usui conductoris, aut (si aptitudinem amiserit) eandem reddere, nam ad hoc accepit pretium, ut ei usum procuret: modicæ tamen & ordinariæ expensæ necessariæ ad hoc, ut res conducta conservetur, v.g. à militibus vel ab incendio, spectant ad conductorem, Tamb.Spor.*nu.37.* ad magnas autem & extraordinarias non censetur se obligasse conductor, unde si has omittat, res Domino perit. Quòd si initio conductionis fecit notabiles expensas in melioramenta, sperans se, v.g. saltem post 4. annos recepturum eorum fructum, & locatio casu citiùs finiatur, æquum est conductori compensari has expensas, uti rectè Lugo *n.70.* si autem expensæ fuerint merè voluntariæ vel ad ornatum, has ferre debet conductor, nisi locator in ea saltem tacitè consenserit; si tamen essent multùm utiles locatori, & rederent rem notabiliter melioratam, uti si pro ambulacris plantasset arbores fructiferas, & expensæ illæ factę sint de voluntate saltem tacita locatoris, nec nimis graves, docent Mol.& Lugo *n.68.* spectare ad locatorem, & hoc est conforme dictis *n.226.*

1053 §.15. Si locator obliget conductorem ad meliorandam rẽ conductam, neq; ideo obstendat se detrahere de pensione, putat *Mol.* id fieri debere sumptibus locatoris, quia melioratio cedit in perpetuam locatoris utilitatem, qui autem sentit commodum, par est, ut sentiat onus. E contrà Lugo *n.69.* aliique dicunt, hoc ipso quòd conductor obligaverit se ad melioratione, etiam suscepisse onus expensarum, si nihil additum sit vel exceptum, sicuti qui obligat se ad pensionem solvendam Francofurti, obligat se ad sumptus ad hoc necessarios.

1054 §.16. Potest fieri pactum, sed cum diminutione pensio nis, ut conductor omne periculum in se sumat & assecuret locatorem de omnibus damnis, uti tenent Nav.Az.*n.73.* contra Sot.& tum tenebitur conductor de omni etiam fortuito casu, maximè si faciat contra vel præter conditiones pacti, v. gr. si additum erat, ut fœnum non inferretur domui, si fœnum illatum est, & domus ob fœnum casu planè fortuito conflagravit, tenetur de hoc damno; item si pactum erat, ut equum haberet usque Coloniam, ipse autem ducit ulterius, & ibi planè casu capitur, etiam de hoc damno tenetur, quia egit contra vel ultra pacta, ita ex Juribus Spor.*n.42.*

1055 §.17. Si conductor privetur re conducta, quia non potest solvere pensiones, remitti debet ei pensio sequentis temporis; si autem ideo privetur, quia malè versatur in re conducta, tenetur solvere pensionem temporis sequentis usque ad terminum locationis, Less.*n.38.* Spor.*n.30.* Quod tamen limitat Lugo *n.15.* nisi locatori adhuc fuerit liberum retinere conductorem, quia tum videtur sponte recedere à contractu; tenebitur tamen conductor compensare damna vitio suo secuta, inter quæ erit lucrũ pensionis, nisi res statim æquè utiliter locari possit alteri.

1056 §.18. Quid dicendum sit in dubio, an res perierit casu, an ex culpa conductoris? videri possunt dicta *n.183.* & 573. In dubio autem, an conductor pensionem solverit, adhuc tenetur secundùm dicta *n.571.* quia locator est in possessione crediti contra ipsum, attamen *L. Quicunque, Cod.de Apochis publicis,* expressè statuitur, ut si quis ostendat se tribus annis proximis solvisse, in dubio præsumatur etiam antea semper solvisse, nisi clarè probetur oppositum.

DUBIUM XII.

De contractu Emphyteusis, Feudi & Libelli.

1057 „ RESP.I. Emphyteusis est contractus similis locationi, „ in quo res immobilis, quæ cultura possit effici me- „ lior, conceditur alteri, vel in perpetuum, vel non breviùs sal- „ tem, quàm ad decennium; ita ut dominium ejus directum, & „ possessio civilis maneat apud Dominum, qui dat in Emphy- „ teusim: dominium autem utile transferatur in Emphyteu- „ tam, cum hoc onere, ut quotannis certum Canonem, ut vo- „ cant, seu pensionem Domino solvat; quam si totam solvere „ negligat viginti sex annis continuis in Emphyteusi Ecclesia- „ stica, (cum scilicet res est Ecclesiæ, vel pii loci) vel in sæcu- „ lari 36. annis, incidit ipso Jure in pœnam commissi, ut domi- „ nus eum expellere possit, etsi de solutione interpellatus non „ fuerit: licèt enim Bart.& alii quidam apud Dian.*p.8.t.7.R.36.* „ dicant, si per 30. vel 40. annos non solverit, eum præscribere „ immunitatem in futurum, id tamen *VVesembec.* & alii negant, „ *Vid.loc.cit.* Porrò quid Juris sit in hoc contractu, pendet ex „ consuetudine locorum, quæ varia est, & ex ipsa conventione „ contrahentium, quæ scripto instrumento concipi debet ut „ valeat, V.Laym.*l.3.t.4.c.23.* Less.*l.2.c.24.d.9.* „

Resp.II. Feudum est contractus similis Emphyteusi, quo „ res immobilis alicui conceditur, cum translatione dominii „ utilis, proprietate retenta, sub onere, non quidem aliquid „ solvendi, sed exhibendi fidelitatem & obsequium personale „ directo Domino. Quod si item non faciat Vasallus (sic enim „ dicitur feudi acceptor) perdit feudum. Interdum etiam in „ feudo aliquid persolvi debet, in recognitionem dominii di- „ recti, sed tunc ex ea parte deficit à puro feudo, & declinat „ ad Emphyteusin. Porrò quid Juris sit circa feuda, pendet „ item à locorum consuetudine, quæ Juris communis sunt. „ *V.AA.citat.* Resp.III. Contractus libellaticus, sive datio ad „ libellum, dicitur, cùm Emphyteuta, vel feudatarius rem „ illam, quam in feudum, vel Emphyteusim accipit; simili con- „ tractu tradit tertio, (ad quod tamen, si in decennium fiat, „ requiritur Domini consensus) ita ut sit quasi sub-feudum & „ sub-emphyteusis, Less.*d.1.n.6.*

ADDENDA.

QUæst. 195. *Quænam præterea sint hic notanda?* 1058
R.Seqq.§.1. Emphyteusis græcè, latinè est implantatio, quia nempe olim terræ incultæ assignabantur colonis, qui implantabant & inserebant, concesso ipsis solo dominio utili, nunc autem sumitur pro concessione rei etiam cultæ. Differt à venditione, quòd per hanc, non autem per emphyteusin, transferatur dominium directum. Differt à locatione. 1. Quia locatio potest esse circa rem mobilem; emphyteusis circa immobilem tantùm cultura meliorandam. 2. Locatio conceditur etiam infra decennium; non emphyteusis. 3. Locatio nullum confert dominium, sed tantùm Jus ad fructus; emphyteusis dat dominium utile in re. 4. In emphyteusi solet minor pensio exigi quàm in locatione.

§.2. Emphyteuta non potest rem emphyteuticam vende- 1059
re, nisi cum consensu Domini directi, alioquin cadit in pœnam commissi, potestque, sit alienatio sit traditione perfecta, spoliari re emphyteutica & omnibus melioramentis; titulo tamen gratuito potest transferre, uti notat Lugo *d.29.nu.89.* v.g. donare, legere; item potest locare infra decennium, servitutem in ea concedere, subjicere hypothecæ &c. V. Gasp. Roderic.*de ann.reddit.l.2.q.32.a n.51.* Quòd si alienetur res emphyteutica, Dominus directus debet novum possessorem investire, pro quo accipit consuetum honorarium, quod dici solet laudemium, eò quòd dominus *laudet* seu approbet translationem factam: quod laudemium de jure non deberet excedere quinquagesimam partem æstimationis rei, sed ex consuetudine potest esse trigesima aut vigesima aut etiam decima, uti habet Less. *l.2.c.24.nu.57.*

§.3. Si vineam accepisti in emphyteusim, *Valasc.* putat te 1060
posse eradicare vites & fundum commutare in agrum, qui utilior sit futurus, habes enim in tuam utilitatem, ergo tibi est permittendum, quod tibi utilius est & alteri non nocet. E contrà *Mol.* aliique cum Castrop.*d.10.p.5.* probabiliùs id negant, quia sic destrueres hanc emphyteusin tibi concessam, quæ erat in cultura vinearum, & cogeres dominum ad instituendam novam emphyteusin.

§.4. Quando emphyteuta tenetur ad magnam pensionem, 1061
debet ei remitti aliquid, si in fructibus accedat grave damnum, uti habet communior cum Lugo *n.88.* contrà Castrop.*p.7.nu.5.* & Stryck.*s.2.c.9.§.41.* est enim tum eadem ratio, quæ de conductione, de qua dictum est *n.1052.* Sed si pensionem respectu fructuum valde modicam solvat tantùm in recognitionem dominii, nihil remittitur ob quamcunque cladem, Spor.*t.6.c.7.n.54.* Quòd si tota emphyteusis pereat, nulla debetur pensio, uti patet, si pars tantùm pereat, ita ut maneat saltem octava, solvi debet aliquid, secundùm illud apud Julium Clarum, *si perit totum, non debuit emphyteusin: si perit ex parte, nulla se liberat arte.* Si autem tota emphyteusis occupetur ab hostibus, *Mol.* & alii dicunt isto tempore deberi saltem aliquid, quia tales casus fortuiti spectant ad Emphyteutam, si velit jus retinere ad emphyteusin adhuc existentem. Negant tamen hoc Clarus, Abb. Jas. Fach. Castrop.*n.7.* quia Emphyteuta tunc non possidet emphyteusin, ergo malè cogeretur pro ea aliquid solvere.

§.5. Si Emphyteuta laicus ad triennium, vel Ecclesiasti- 1062
cus ad biennium continuum non solvat suum canonem, *Decius, Minsing. Mol. Laym. T ann.* aliique multi putant eum ipso

facto

facto amittere emphyteuſin, quia leges verbis ad Emphyteutam & non ad Judicem directis dicunt, ut cadat jure ſuo; hinc inferunt multi apud Caſtr.*p.*10. *n.*1. dominum poſſe propria authoritate ingredi rem emphyteuticam, maximè cùm ſit dominus illius, & eam civiliter poſſideat; Caſtrop.*p.*8.*n.*6. dicit ad hoc, ut actu amittat, requiri & ſatis eſſe, quòd dominus manifeſtet ſe velle eum eſſe privatum, quia L.2.*Cod. de Jure emphyt.* expreſsè dicitur, *Cadat à jure ſuo, ſi Dominus velit*. E contra Leſſ.*in Auct. v. Contractus, caſ.*4. dicit dominium illud utile non poſſe retrahi, niſi monitus abſolutè neget ulteriùs ſolvere: Fill. & Lug. *num.*87. dicunt praxin eſſe, ut ſemel admoneatur, & ſi ſtatim ſolvat, purgat moram; ſi non ſolvat, cadit in commiſsum; hinc Ang. Fach. Saa, Rebell. Burgh.*cent.*2.*caſ.*67. & Caſtrop. ipſe *p.*10. *n.*2. cum aliis Juriſtis, quos ibi, *& p.*8.*n.*3. citat, fatentur ad hoc, ut Dominus ſe in emphyteuſin immittat, prærequiri authoritatem Judicis, quia debet certum fieri, quòd culpa præceſserit, jam autem multæ cauſæ excuſare poſsunt & purgare moram, uti oſtendit Caſtrop.*p.*8.*num.*8.*& p.*11. Leges autem, quæ videntur contrariæ, cùm ſint pœnales, benignè ſunt interpretandæ, & rectè intelliguntur de privatione poſt ſententiam ſaltem declaratoriam Judicis, maximè cùm quandoque loquantur in futuro, ut oſtendit Caſtrop.*p.*8.*n.*3.

1063 §.6. Si Dominus ab Emphyteuta, qui privandus eſset, recipiat aliquam penſionem ſequentis temporis, cenſetur remittere caducitatem, quamvis proteſtetur ſe velle retinere jus expellendi, uti habet communis cum Jaſon, Claro, Mol. Rebell. Fach. tum enim fatentur ſolventem eſse verum Emphyteutam, ergo vult illi manere jus emphyteuſis: ſi autem recipiat penſionem antecedentis temporis, non ideò cenſetur remittere caducitatem, uti probabiliùs contra alios docet Caſtrop.*p.*12.*n.*6. per hoc enim tantùm agnoſcit habuiſse jus, ob quod ex contractu manſerit ſolvenda penſio.

1064 §.7. Obſequium temporale, quod Vaſallus præſtare debet, (non ſponte, ſed ſi requiratur) dicitur homagium, id eſt, opus ab homine agendum. Hic Vaſallus non poteſt feudum, nequidem titulo gratuito alienare, nec inter proles dividere, nec gravare ſine conſenſu Domini directi, qui nunquam tenetur conſentire, uti Jure Cæſareo cautum eſt apud Clarum & Spor.*n.*68. poteſt tamen Vaſallus relinquere feudum, quando volet, quia in ejus præcipuè favorem erat conceſsum, non item Emphyteuta, quia ſtare debet contractu uſque ad annos completos. Mortuo Vaſallo debet ſucceſsor, Vaſalli Domino; & mortuo Domino debet Vaſallus ſucceſsori Domini præſtare juramentum & inveſtiri intrà annum & diem, alioquin cadit feudo, ſaltem poſt ſententiam Judicis. Putant autem Bart. Jaſon, Tiraq. aliique multi Emphyteutam & Vaſallum gaudere privilegiis, quæ habet Dominus directus reſpectu talium bonorum, ideoque ſi Dominus ſit, v.g. Eccleſiaſticus, non deberi ex illis bonis tributa vel gabellas, etiam quando illa habet Emphyteuta aut Vaſallus, quia Dominus Eccleſiaſticus non teneretur, ergo nec ipſe, qui quaſi ejus nomine bona iſta tenet. E contra Mol. Leſs. Lay. aliique cum Caſtrop.*p.*2. id negant, quia uſusfructus & dominium utile, quod habent, non eſt res Eccleſiæ vel Eccleſiaſtica, ſed eſt res laici, & laica, ergo non eſt, cur debeat frui privilegio Eccleſiaſtico.

1065 §.8. Si emphyteuta vel Vaſallus reddat rem deteriorem, tenetur compenſare; imò graves DD. putant eos teneri rem meliorare, ideoque non poſse pretium meliorationis repetere, ſi rem dimittant; ſed Rebell. Mol. Lay. aliique cũ Caſtr.*p.*5. probabiliùs negant teneri meliorare, niſi acceſserit pactum, ideoque ſi dimittat, poſse expenſas meliorationis repoſcere. An Emphyteuta vel Vaſallus poſſit contra Dominum præſcribere, dictum eſt n.524.

1065 Poſt hæc ſcripta, ſubmiſsa eſt mihi quæſtio:

An Domini Proprietarii v.g. *in Diœceſi Monaſterienſi poſſint augere onera vel Canonem à ruſticis originariis perſolvendum, ſupra id, quod hactenus ruſtici illi aut eorum Majores, aliquod prædium inſidentes, ſoliti ſunt perſolvere?* R. Conſtabit ex dicendis hoc n.1066. quem ſub-dividam in ſequentes paragraphos.

§.1. Vveſtphali ob rebelliones fuerunt à *Carolo Magno* ſubjecti abſolutæ ſervituti quorundam Dominorum, qui fideles permanſerant, ita ut rebelles illi nec ſuarum rerum nec ſui ipſorum eſsent domini, Scaten *in Hiſtor. VVeſtphal. lib.*8. *Fol.*522. *& Lib.* 10. *Fol.*610. Stangefol *in opere chronol. Circuli VVeſtphal. lib.*2. *pag.*66. Et ſi in tali ſervitute adhuc eſsent Vveſtphali, poſsent Domini ipſis imponere quævis onera, ſemperque augere.

§.2. Hodierna ſervitus Originariorum in Vveſtphalia non eſt illa, quam induxit *Carolus Magnus*, nam 1. *Carolus* poſtquam Vveſtphali ſuſceperunt Baptiſmum. reſtituit eos libertati, Scaten *l.*7. *f.*420. *l.*8. *f.*514. 521. *&* 523. Adamus Bremenſis *lib.*1. *c.* 10. Alb. Stadenſis & Cranzius *in Metrop. ad ann.*788. Chytræus *lib.*3. *Saxoniæ fol.*73. 2. A dura exactione Dominorum eos liberavit etiam *Ludovicus Pius Caroli M. Filius*, Scaten *lib.*8. *fol.* 523. *lib.*10. *fol.*658. Lezenerus *in vita Ludovici Pii c.*2. *p.c.*3. Servitus Carolina reddebat Vveſtphalos incapaces omnis dominii, hoc autem non facit præſens ſervitus, nam ſi Originarii non delinquant, exturbari non poſsunt prædiis, ſed quamdiù ſupereſt aliquis familiæ, debetur ei prædium. Deinde ſunt domini aliquorum mobilium, & maximè eorum, quæ extraordinariè lucrantur. Si quis ob delictum exturbetur, tenentur Proprietarii providere ſaltem de habitatione alibi. Itaque Proprietarii ſunt nunc domini ſolius Proprietatis, Ruſtici autem utilitatis.

§.3. Originarii tales non ſunt ſtrictè ſervi, ſed tantùm latè, uti cum communiſſima & cum certa ſententia docet Laym. *l.*3. *t.*1. *c.*5. *n.*11. nam ab actibus legitimis non repelluntur, vendi non poſsunt directè in perſona ſua, aliqua ſibi lucrari poſsunt; item nomine proprio poſſidere, donare, permutare, ut dictum eſt ante, & ex uſu quotidiano conſtat.

§.4. Servitus Originariorum, quæ nunc eſt in Vveſtphalia, non poteſt aliunde proveniſse, quàm ex contractu quodam Emphyteutico olim inter Dominos & Majores Originariorum inito, per quem hi, vel certa prædia propria Dominorum acceptarint colenda, vel propria ſua prædia ſuaſque etiam & Poſterorum perſonas Dominis taanſcripſerint, ſimul cum onere certi ſervitii perſonalis & canonis ſuis temporibus præſtandi; Domini autem ſe viciſſim obligaverint ad eos regendos, tuendos ac relinquendos in poſſeſſione prædiorum, quamdiù ſupereſset aliquis de familia & manerent fideles, uti notant AA. communiter cum Lay *lib.*3. *t.*4. *c.*23. *n.*1. Ratio eſt, quia ſervitus illa non eſt à *Carolo M.* uti §.2. oſtenſum eſt: nec Domini Chriſtiani ſua authoritate potuerunt imponere abſolutam ſervitutem, uti omnes fatentur: nec probabiliter conjici poteſt, unde aliàs proveniret.

Si dicas, eſse ex contractu aliquo ſaltem tacito, ſed ita, ut Dominis maneat liberum augere Canonem, ſi prædium melioretur &c. *Contra eſt.* 1. Nam hoc eſt in quæſtione, & purè dicitur, non probatur. 2. Nec hoc præſumi poteſt, quia fuiſset deterrere colonos à melioratione. 3. Ab antiquis temporibus non eſt ità obſervatum, ſed planè oppoſitum, ergo ſaltem per curſum immemorialis temporis præſcripſerunt coloni immunitatem à ſolvendo plus, quàm antehac ſoliti ſunt ſolvere. 4. Domini plerique in regiſtris vel inſtrumentis ſcriptis inveniunt conſignatum, quid coloni, determinatè hi vel illi, ex ſingulis præſtare debeant aut pendere, ergo ſignum eſt ab initio eſse utrinque conventum de certis ſemper ſervitiis vel canonibus. 5. Si licitum fuiſset augere onera, Anteceſsores Domini ſatis attenti ad Jura & commoda ſua, dudum auxiſsent: certum eſt enim eſse prædia, quæ decies plus præſtare poſſint, atqui non auxerunt, ergo. Ex dictis

§.5. *Sequitur* 1. Proprietarios non poſse Originariis plus imponere, quàm hactenus hi ſoliti ſunt præſtare aut perſolvere: Et ita Monaſterii in Judicio aulico ſæpius deciſum eſt, ideoque ruſtici ſaltem ex ſententia Jus habent, à qua non eſt efficaciter appellatum. Si tamen emoriatur una familia ruſtica, Domini proprietarii fiunt abſolutè Domini, etiam utilitatis, poſsuntque elocare, etiam aucto canone, & qui acceptant, ſunt tantùm conductores. Item ſi Dominus Proprietarius ſuis impenſis adjecerit aliquid aut notabiliter melioraverit prædium, utique poterit exigere plus penſionis, ſecundùm proportionem adjecti quaſi novi fundi, ſed induſtria, & quidquid de ſuo contulit ruſticus, non dat Proprietario Jus augendi canonem.

Sequitur 2. Si Titius emat à Cajo Proprietario prædium, illicitè & invalidè init novum contractum cum originario hujus poſſeſſore, ut majorem canonem pendat, quia Cajus non potuit vendere Jus, quod non habebat, non habebat autem Jus augendi canonem, ergo. *Nec obſtat* 1. Quòd Titius dederit fortè pretium, cui non reſpondeat intereſse ordinarii canonis: *Nam* id imputet ſuæ ignorantiæ vel errori. *Nec obſtat* 2. Quòd cum originario ineat novum contractum, & hic dicat ſe conſentire: *nam* conſentit involuntariè, vel quia ignorat Jus ſuum, vel quia timet depelli aut vexari: talis autem conſenſus non impedit, quin fiat injuria, ſecundùm dicta *num.*4.10. *&* 615. Imò etiam Poſteris fit injuria per talem contractum, & per conſenſum in illum.

Sequitur 3. Proprietarios injuſtè agere, ſi tunc, quando mortuo capite prædii agitur de diviſione mobilium, vel de laudemio, vel de litteris libertatis &c. plus exigant, quàm ferat conſuetudo & uſus Patriæ præſcriptus in ſimilibus caſibus, attenta ubique proportione.

Sequitur 4. Etiam injuſtè fieri, ſi ruſticus, qui annuè pro canone debebat 20. & à Proprietario accepit v.g. 300. mutuos ſub obligatione dandi annuè 4. pro 100. poſtea annuè cogatur ſolvere 32. veluti canonem prædii, nam canon prædii non eſt redimibilis, cenſus autem de 300. erat redimibilis, fortè etiam refuſo per partes capitali, ergo iniquum eſt per adjectionem ad canonem prædialem reddi perpetuum & irredimibilem. Adhuc major juſtitia eſset, ſi canones reſtantes, quos ſolvere non potuit ruſticus, tanquam novum capitale ita adjicerentur originali canoni prædiali.

§.6. *Opponi poſſet*, quòd Principes poſſint augere contributiones ſubditorũ, ergo & Proprietarii originariorum. R. n. conſ.

Id poſſunt Principes, ita exigente neceſſitate communi, Proprietarii facerent ob privatum commodum, quod illicitum eſt, tum ex ſe, tum ex vi primi contractus, uti §.4. dictum eſt.

§.7. De his videtur verum, quod ſcribit *Innocentius III. Papa L.1. de contemptu mundi, c.15. Servus miniſtrat, Angariis agitatur, plagis affligitur, opibus ſpoliatur: quod ſi non habet, habere compellitur; & ſi habet cogitur non habere: culpa Domini ſervi pœna, culpa ſervi Domini præda, venatio Leonis onager in eremo, ſic & paſcua divitum, Pauperes.* Adde quod *Nicolaus Lancicius* Bolonus Societatis JESU, vir libris ſcriptis clarus & cum fama ſanctitatis mortuus, inter cætera documenta Comiti cuidam Bohemo anno 1642. data habet, *Tom.2.Opuſc.13. lib.3.fol.327. Diligentiſſimè caveat, ne ſubditis ulla prorſus onera imponat, ad quæ ex prima eorum inſtitutione non fuerunt obligati, ſive ea ſint in ſuſcipiendis itineribus ad vehendas vel ferendas res aliquas, ſive in laboribus domi vel in agris, ſive in alendis canibus vel catulis, ſive in contributionibus ad Domini adventum conferri nullo Jure ſolitis, ſive aliis modis, quia quodlibet tale onus, ad quod non ſunt obligati ruſtici, ex prima eorum erectione, ſi ſit æſtimabile pretio unius ducati aurei, inducit peccatum mortale Domino, eumque obligat ad reſtitutionem, quam niſi faciat, ſi ſcit & poteſt, (uti poteſt) damnabitur in æternum.* Hæc dixit Lancicius de Bohemis, apud quos durior eſt ſervitus, quàm in aliis partibus. Videri poteſt Gaſparus Rodericus *de annuis reddit. lib.1.q.15.à n.50.* Item *lib.2.q.33.à n.56.* ex quibus colligitur tales ruſticos eſse Emphyteutas,

DUBIUM XIII.

Quid ſit Sponſio & Ludus

1067 „ RESP. Sponſio eſt contractus, in quo duo de veritate, „ aut eventu alicujus rei certantes ſibi invicem ali- „ quid ſpondent, ut id ejus ſit, qui veritatem aſſecutus fuerit, v. „ g. certo tecum 10. Imperialibus, hanc vel iſtam civitatem ob- „ ſeſſam, captam, &c. Ut licitè fiat requiritur, 1. Ut ſit ſuper re „ dubia. 2. Ut ſit æqualitas in re, quæ ſpondetur, cum æquali in- „ certitudine. 3. Dubius eventus in utroque. 4. Ut utrique eo- „ dem ſenſu accipiat id, de quo certatur, Molina *t.2.diſp.*508. „ Leſs. *l.2.c.26.d.1.* Lugo *d.31.ſ.6.* Ludus verò eſt contractus, „ quo ludentes inter ſe paciſcuntur, ut victori cedat, quod „ uterque depoſuit. Hi contractus Jure Naturæ liciti ſunt, „ modò debitæ conditiones adſint, & aliunde non interveniat „ ſcandalum, aut juſta prohibitio, aut iniquitas ſe miſceat, „ nec peccati ſit occaſio; quia ſicut quivis ſuæ rei dominus, po- „ teſt alteri eam donare abſolutè, ſic etiam ſub aliqua conditio- „ ne, ſive ea fortuita ſit, ſive ex induſtria pendeat, Leſs. *n.3.* „ Bonac. *de Reſtit. in particulari d.2.q.3.p.1. Unde reſolves:*

„ I. Qui rei dominus non eſt, aut alienare eam non poteſt, „ non poteſt etiam de ea ludere, aut deponere. Et ſic deberet re- „ ſtituere, qui lucratus eſset à Religioſo, & filio-familias, non „ potente alienare, Laym. *l.3.t.4.c.21.n.5.*

„ II. Si tamen filius-familias (& idem de Religioſo ait „ Navar. apud Leſs. *n.27.*) alatur in diſtanti loco à Parentibus, „ poterit ex alimentis moderatè aliquid inſumere in honeſtum „ luſum, v.g. 5. ex 100. quia talis communiter præſumitur vo- „ luntas parentum, ut habet Sotus, Leſs. *l.c.* Laym. *n.5.* &c. Ac „ præterea poteſt etiam filius deponere, quidquid lucratus fue- „ rit, cùm ad hoc etiam parens cenſeatur tacitam facultatem „ dare, Laym. *l.c.* Bon. *p.2.n.10. & ſeqq.*

„ III. Tenetur reſtituere, qui vicit faciendo contra condi- „ tiones ludi, & decipiendo; aut fraude, ac per injuriam alte- „ rum pertraxit ad ludendum, ut v.g. ſi ſimularet ſe planè igna- „ rum luſus, & ſic alterum multò imperitiorem provocaret, „ qui alioqui ludere noluiſſet; aut ſi convitiis laceſſeret, ad „ quæ vitanda alter conſenſiſset in luſum, aliàs non conſen- „ ſurus, Mol. *d.*517. Laym. *n.6.* Bonac. *p.2.n.3.6. & 9.*

„ IV. Si in re, quæ ſpondetur ſit inæqualitas, & hæc alteri „ parti (v.g. cujus pecunia major eſt) ſit nota, iſque nihilomi- „ nus ſpondere velit, valet contractus probabiliter, quia ſcienti „ & volenti non fit injuria, ut dicit Navarr. *man.c.19. nu.*18. „ Med. Sanch. Conſil. *l.1. cap.8. dub.13.* Dian. Contrarium ta- „ men probabiliter docet Lugo *n.*81. ex Mol. Leſs. & Bon. *p.1.n.* „ 18. Si autem ignota ſit, non poteſt alter lucrari, quia non eſt „ æqualis conditio utriuſque, & alter nulli ſe exponit pericu- „ lo. V. Azor. *p.3.l.5.c.25.q.7.* Bonac. *loc.cit.* Salas *de Ludo dub.* „ 13. *n.3.* Eſcob. & Lugo *loc.cit.*

„ V. Per ſe quidem, & jure naturæ licita eſt etiam ſponſio „ de futuro eventu, qui damnum proximi conjunctum habet, „ v.g. Petrum intrà annum moriturum; (etſi enim detur oc- „ caſio optandi, vel machinandi mortem Petro, id eſt per acci- „ dens, poteſtque idem periculum eſse in cenſu vitalitio) jure „ tamen humano ſæpè prohibetur, Lugo *n.74.*

„ VI. Etſi ſponſio cum conditione illicita, v.g. plus altero „ potaturum, ſit illicita, quia inducit ad peccatum: quod ta- „ men ea lucratus es, non teneris reſtituere, Sanch. *n.*45. Lu- „ go Dian. *p.7.t.9. R.69.* „

„ VII. Probabile eſt, quod docet Mol. &c. dum quis minis „ vel convitiis ad luſum inductus eſt, & perdit, victorem non „ teneri reſtituere, quia talis abſolutè voluntariè luſit, Bonac. „ *l.c.* & Garz. contra Az. Leſs. *l.c.* Regin. Fill. *&c. communiter.* „

„ VIII. Communior ſententia eſt, teneri reſtituere eum, qui „ luſit, vel certavit, certò præſciens ſe victurum eſse. Con- „ trarium tamen, nempe non teneri, dummodò dolus abfue- „ rit, tenet Tol. *l.5.c.27.n.9.* & Sa *V. Contractus*, quia non te- „ netur ex juſtitia ſuam peritiam vel ſcientiam adverſario de- „ clarare, ſed is ſuæ temeritati imputet, quòd auſus fuerit „ cum eo deponere, cujus ſcientiam non noverat. Vide Bon. „ *n.4.* Dian. *R.62.* „

„ IX. Non tenetur reſtituere, qui utitur aſtutiis illis, quas „ regulæ luſus & conſuetudo recepta patitur, cùm uterque ſciat „ tales aſtutias eſse ſolitas, & ſic tacitè in illas liberè conſentiat, „ Az. Fill. Leſs. *n.*15. Bon. *n.*1. v.g.1. Si potiores chartas habens, „ & ſecurus de victoria, augeat ſponſionem vel ſimulet metum, „ ut adverſarius augeat. 2. Si ſciens inferiores chartas habere, „ diſſimulet, augeatque ſponſionem, ut ſic relinquatur ſibi, „ quod erat appoſitum, Lugo *num.*34. Sanch. Sal. Dian. *R.*43. „ 3. Si inſpiciat chartas alterius, ex ſola ipſius negligentia & „ abſque fraude; ſecus ſi ita ſe collocet, ut poſſit videre; vel „ ſi alium conſtituat, à quo admoneatur. 4. Si chartas à tergo „ diſcat noſse inter ludendum, quas ante non ſignarat, nec „ noverat, Trull. *to.2.l.7.c.27.d.2.n.4.* Sanch. *dub.12. n.9. &* „ 10. Lugo *n.37. &* 38. Dian. *R.*50. *&* 52. „

„ X. Qui verò utitur fraudibus non adhiberi ſolitis, vel col- „ ludenti ignotis; v.g. ſuffuratur chartas, vel ſignis à tergo no- „ tat, vel utitur notatis, aut iis, quas ante novit, ignorante ſo- „ cio, vel atte quadam eas componit, &c. tenetur reſtituere, „ non tantùm lucrum, ſed etiam quantum alteri valebat ſpes „ lucrandi, imò etiam colludendi, Regin. Amic. Trull. *n.3.* „ Dian. *R.*43. Vide etiam *p.4.t.3.R.*75. & Bon. *n.6. &* 7. „

„ XI. Si ludens habeat animum non ſolvendi, vel ſi perdat, „ repetendi, non poteſt lucrari, atque ideò nec retinere, quod „ eſt lucratus, quia fraudulenter decipit, nec alter vellet cum „ eo ludere, ſi id ſciret, Leſs. *n.*31. Regin. *n.*388. Bon. *l.c.* „

„ XII. Peccant graviter, & communiter mortaliter, qui to- „ tos ſe luſibus tradunt, cùm ſciant in gravia ſe inde peccata la- „ bi, aut impotentes reddi ad ſolvenda debita, vel alendos libe- „ ros & uxorem, &c. Sanch. Trull. *d.1.* „

„ XIII. Peccat idem ludens, ſi luſus lege poſitiva ſit prohibi- „ tus, ut luſus alearum, & ſimiles, qui magis in fortuna & „ caſu, quàm induſtria fundantur. At Laicis ratione circum- „ ſtantiarū ſub veniali, Clericis ſub mortali prohibentur, Leſſ. „ *l.2.c.26.n.6.* Intellige ſi Clericus crebrò, perque longum tem- „ pus luſerit; non autem, ſi per breve tempus, & cauſa re- „ creationis, & abſit ſcandalum, quia Canones id prohiben- „ tes non videntur recepti, niſi quatenus id fieret cum pericu- „ lo ſcandali, ut habet Leſſ. *dub.1.* Laym. *l.3.t.5.c.21.n.1.* Notat „ autem Dian. *p.7.t.9.R.2. &* 3. ex Lug. *n.*11. Dicaſt. Amico, „ Trull. &c. prædictis legibus per contrariam conſuetudinem „ ita derogatum eſſe, ut non tantùm Laicus, ſed etiam Clericus „ non peccet, ſi principaliter pro recreatione, & ſimul pro lu- „ cro moderato ludat chartis, vel aleis. In Religioſis tamen „ (apud quos diſciplina regularis viget) uti & Epiſcopis, à pec- „ cato gravi excuſari vix poſſe, Ib. R.4. ex Mol. *t.2.diſp.*521. *n.6.* „ Dicaſt. Lug. *n.*12. &c. etſi Sanch. *dub.28. n.9.* conetur excuſa- „ re, ſi urgeat neceſſitas v.g. excitandi, aut recreandi infir- „ mum; vel ſi parum ludat ob ſolam recreationem. „

„ XIV. Si quis ludo tali vetito lucratus fuerit, juxta ſenten- „ tiam probabiliorem non tenetur ad reſtitutionem ante judi- „ cis ſententiam: quia jura non annullant contractum nec im- „ pediunt acquiſitionem dominii, ſed tantùm concedunt, ut „ poſſit repeti. An verò qui tali luſu perdidit, tenetur poſteà „ adhuc ſolvere, alii negant, ut Leſſ. *dub.4.* Mol. *diſp.*515. „ Regin. Fill. &c. alii affirmant, ut Az. Rebell. Val. &c. apud „ Bon. *p.3.n.2.* V. Dian. *p.2.tr.17.R.8. & p.7.t.9. R.1.* „

„ XV. Ludere pro pſalmo, vel oratione Dominica recitan- „ da, non eſt peccatum, nec irreverentia, Nav. *man.c.19.n.* „ 7. Rebell. Sanch. Dian. *p.7.t.9.R.1.* „

ADDENDA.

QUæſt.196. *Quid præterea circa hos contractus ſit notandum?* R. Sequentia, §.1. Eum, qui certus eſt de re vel eventu, poſſe ſponſionem facere & lucrari, quamvis non dicat ſe ſcire, docent Navar. Covarr. Tol. Hurtad. Laym. & alii multi cum Dian. *p.7.t.9. R.62.* maximè ſi dicat ſe ſcire, aut alter advertere poſſit eum ſcire, & tamen velit certare, quia tum nulla adeſt fraus, ſed alter cenſetur reſignare juri ſuo, uti cum pluribus tenet Dian. *R.63.* Nihilominus Mol. Garz. Lu- 1068

go

go *d.*31.*nu.*81. & alii negant licere, etiam in caſu, quo diceret ſe ſcire, quia hìc emitur ſpes lucri pro periculo amittendi, veluti merx pro pretio, ergo ſi nullum ſit periculum amittendi, nihil emitur, ergo contractus eſt invalidus, ſicuti ſi Cajus ſciret gemmam eſſe falſam, etiamſi Titius eam peteret emere veluti veram, vendi non poſſet pretio veræ gemmæ; hinc Filliuc.*t.*37.*nu.*24.& Spor.*t.*6.*c.*6.*nu.*86.dicunt priorem ſententiam eſſe ſatis probabilem, ſed ſecundam magis juſtam & tutam, puto etiam probabiliorem eſſe.

1069 §.2. Si Cajus ſit excellenter peritus, & neſciat Titium, cum quo ludit, eſſe ita imperitum, ſecundùm communem cum Dian.*R.*30.poteſt Cajus ſibi totum lucrum retinere, quia nulla interceſſit deceptio. Si Cajus ſciat ſe eſſe longè peritiorem, & Titius id ſciens velit ludere, etiam nihil tenetur reſtituere Cajus, quia ſcienti & volenti non fit injuria, ita cum aliis Sanch. *in Conſ.*l.1.*c.*8.*dub.*13. Dian.*R.*29.*&* 31. Si Cajus ſciat ſe eſſe multò peritiorem, ideoque ſit moraliter certus ſe lucraturum, Titius autem id neſciat, Tol.Covarr. aliique apud Lugo *nu.*44.& Steph.*t.*4.*d.*9.*n.*47.dicunt adhuc non teneri lucrum reſtituere, quod probabile putant Salas & Dian.*R.*29.& Steph. non audet improbabilitatis arguere, quia qui in luſu certus eſt de victoria, poteſt augere ſponſionem & lucrari, ergo & qui ante luſum eſt certus, & quando dicitur debere eſſe parem conditionem ludentium, intelligi vult Leſſ.non de paritate induſtriæ, vel notitiæ, ſed partim legum ſervandarum, partim juris ad lucrandum & perdendum. Communiſſima tamen eſt ſententia, quòd in hoc caſu teneatur reſtituere, quia ut contractus oneroſus eſſet validus, debuiſſet ludens ſpem lucrandi emere periculo perdendi, uti habent Lugo *num.*81.& Spor.*nu.*67.Et quidem teneri reſtituere totum,docet Bonac.quia eſt cauſa injuſta totius damni; *Nec obſtat* periculum, cui ſe expoſuit, *nam* illud debet ſibi imputare. È contrà alii cum Dian.*R.*30.dicunt ad ſummum teneri ad partem majorem vel minorem pro gravitate vel levitate periculi, quod ſubiit.

1070 §.3. Si tres ſint, qui ſperent aliquid, v.gr.officium, & Cajus pro 10. Florenis certet ſeorſim cum ſingulis, quòd non ſint obtenturi, in hoc caſu Cajus eſt certus ſe lucraturum à duobus & uni tantùm eſſe perditurum, ideoque eſt certus de lucro 10. Florenorum,poſſe autem ſic certare & ſibi retinere hoc lucrum docent cum aliis Sanch.*dub.*16. & Lugo *nu.*87.quia cum ſingulis eſt dubius de futuro eventu, ergo ſicut poteſt cum quolibet perdere, poteſt à quolibet lucrari; deinde ſinguli contractus ſeorſim eſſent liciti, ergo & ſimul, quia unus non impedit æquitatem alterius, neque oſtendi poteſt, cujus è tribus jus læderetur, Agnoſcit hanc ſententiam eſſe probabilem Dian.*R.*64.tenet tamen oppoſitam cum Led.& Villal. quia cùm poſſit tantùm perdere 10.& certò etiam lucretur 10. videtur hic eſſe in æqualitas inter periculum ſortis & ſpem lucri;nihilominus prima ſententia videtur ſatis probabilis,quia non eſt ſpes lucri tanti apud ſingulos, inter quos diviſum eſt periculum.

1071 §.4. Peccat & tenetur ſatisfacere, qui eſt cauſa, cur contractus ſponſionis non compleatur, v.g.Cajus certavit ſe citiùs curſurum quàm Titium, ſi Cajus poſteà nolit currere, tenetur ſatisfacere Titio, ſecundùm ſpem lucri, quam habebat, quia Cajus non ſtat contractu oneroſo, cujus obligationem ſuſcepit, qui enim contraxit curſu vincere, contraxit currere, ita Az. Bonac.Filliuc.*nu.*28. Dian.*R.*66. quamvis videatur diſtinguere Lugo *num.*89.

1072 §.5. Si quis ludat principaliter propter lucrum, Abul.Abb. Gabr.Rich.Vega, Silv.Comit. damnant peccati mortalis, quia tum principaliter concupiſcitur res proximi & intenditur grave illius damnum: ſed paſſim omnes cum Dian.*R.*1.tenent contrarium, quia licitum eſt concupiſcere & licito modo acquirere rem proximi, quod fit per contractum ludi, qui juſtus eſt; Nav. tamen Panorm. Beja *p.*1. *caſ.*61. Alloz *v. Ludus ſ.*2.*n.*20. & alii dicunt eſſe veniale,ſed etiam hoc negat Lugo *n.*4.per ſe loquendo;poſſe tamen eſſe veniale,quia eſt invertere finem ludi,qui eſt recreatio, & adeſt ſpecies aliqua avaritiæ, uti docent nonnulli cum Steph. *nu.*46.Admittunt tamen omnes nullum fore peccatum;ſi quis ludat ad lucrandum,ut alicui neceſſitati ſubveniat.

1073 §.6. Secundùm Dian.*R.*5.*&* 14. poteſt filius-familias exponere luſui, quod parciùs vivendo reſervat ex pecunia ſibi ad victum miſſa Docent autem aliqui non licere illi totam ſummam, quam poteſt luſu per annum perdere, una vice exponere luſui, quamvis nollet toto reliquo anno ludere, ſi eam nunc perderet, ſed probabiliùs putant id eum poſſe Sanch.cum Dian.*R.*10.quia poteſt cedere juri alia vice ludendi,& nunc illud quaſi anticipare. Quòd ſi aliquis uno tempore lucretur a filio familias totam illam ſummam,quam toto anno poteſt exponere ad luſum,non tenetur inquirere, an jam potuerit illam totam perdere: niſi haberet conſuetudinem etiam cum aliis ludendi,tum enim inquirendum eſſet, Sanch.*dub.*7.Lugo *nu.*22.Spor.*nu.*73.

1074 §.7. Si Titius non poterat exponere niſi tres Florenos in luſum, & luſit, ac ſi poſſet exponere ſex, ſicque primo jactu lucretur ſex à Cajo, facit injuriam, & tenetur tres reſtituere. Si tamen ludat cum Cajo & Sempronio, ac ſinguli exponant tres, Titius ſuis tribus poterit uno jactu lucrari ſex, id eſt, tres à ſingulis, quia ſuos tres etiam exponit duplici periculo jacturæ apud ſingulos, ergo æquum erat, ut luderet cum ſpe etiam à ſingulis lucrandi.

§.8. Si Cajus ludat pro ſe & pro Titio contra Semproniũ, 1075 faciatque hoc pactum, ut ſi perdat. Titius portet medium damnum, ſi autem lucretur, Titius habeat tantùm tertiam partem lucri, Sanch.*dub.*23.damnat hunc contractum, ſed Lugo *num.*52.& Dian.*R.*36.probabiliùs putant non eſſe univerſaliter damnandum, quia in contractu ſocietatis, qui dimidium capitalis apponit, prætereaque operam & induſtriam, poteſt plùs lucri reportare.

§.9. Quando neuter habuit animum unquam ſolvendi, 1076 tum decipiendo ſe mutuò compenſant injuriam, ideoque qui vincit, poteſt retinere lucrum: item ſi luſor ſciverit colluſorem non habere animum ſolvendi, & tamen luſerit, colluſor poteſt lucrari & retinere, quia luſor cenſetur conſenſiſſe ac remittere, ita Tamb.Spor.*num.*6.

§.10. Si ludens apponat monetam malam,poteſt retinere, 1077 quod lucratur,ſi voluerit ſubſtituere bonam,in caſu quo perderet;aliàs lucrari non poſſet, Dian.*R.*25.cum aliis.

§.11. Si bona fide ludas cum fure, & rem furtivam lucre- 1078 ris,teneris reſtituere Domino: Si autem lucreris pretium rei furtivæ à fure venditæ, potes hoc lucrum retinere, ſi fur ex aliis adhuc ſit potens reſtituere, quia erat dominus hujus pretii, ſecundùm dicta *num.*961. ſi tamen perdito hoc pretio ſit impotens reſtituere, tu videris teneri reſtituere, quia cùm illud pretium neceſſariò fuerit à fure reſtituendum illud non videtur potuiſſe ab illo validè exponi ludo, ita cum aliis Bonac. Tambur.Spor. *nu.*76.Dian.*R.*20.quod videtur etiam dicere debere Laym.*l.*3.*t.*4.*c.*17.*nu.*30.ſi impotentiam illam ſciveris, quia (quoad executionem) cooperatus es injuſto damno. Oppoſitum tamen velut probabile tenent alii n.963.relati.

§.12. Quod lucraris pecunia furtiva vel quomodocunque 1079 aliena, eſt fructus induſtriæ vel artis ideoque tuum, ſuppoſito tamen quòd habueris aliquid proprium,quod traderes, ſi colluſor vinceret, alioquin contractus fuiſſet nullus, quia nihil expoſuiſſes,quod ipſe acquirere poſſet,ita Mol.Sanch.Lugo *nu.* 13.Spor.*nu.*79.*& alii* contra Trull.Villal.Dian.*R.*19.qui dicunt lucrum nequidem tunc fieri tuum.

§.13. Qui injuſtè coactus ludit & lucratur, non tenetur 1080 reſtituere, quia ludus ex parte ipſius eſt juſtus, & omnem inæqualitatem ſuſtulit injuria coactionis, S. Tho.S.Antonin. Leſs. Laym.Sanch.*dub.*11.Lugo *n.*30.Similiter qui lucratur à colluſore fraudes agente, nil tenetur reſtituere,S.Th.Dian.Tamb.*nu.*6. Spor.*nu.*66.Eum quoque,qui coegit alterum ad ludendum,non teneri reſtituere, ſi lucretur, ſuſtinent Trull.Dicaſt.Hurt.Dian. *R.*32.quia nec coactio illa nec ludus videtur fuiſſe cauſa damni, ſed vel fortuna vel peritia ludentis, & ſi cogens perdidiſſet, debuiſſet ſolvere: hinc *inferunt* æquum eſſe, ut etiam potuerit lucrari; ſed probabiliter contradicunt Mald.Steph.*n.*51.*& alii*, ſi coactio fuit injurioſa,ex hac enim debebitur compenſatio damni ſecuti;ſi tamen ad ludendum ad duxerit tantùm per importunas preces, ordinariè non tenebitur reſtituere, quia nec fecit injuriam nec cauſavit involuntarium, uti tenent Leſſ. & plerique alii cum Dian.*R.*34.contra Nav.Silv. Sanch.*d.*9.*n.*6. qui tamen fatetur oppoſitam ſententiam eſſe ſatis probabilem & tutam. Quòd ſi victus cogat vincentem, ut ulterius ludat, & victus receptis amiſſis alia adhuc à colluſore lucretur, Adr.Tol.Mol. Garz.Alloza*ſect.*2.*num.*24. dicunt non teneri reſtituere, niſi ad ſummum hæc poſtrema, quam ſententiam ut probabilem admittunt Leſſius & Diana; ſed reſolutio pendet indè, an victus habeat Jus ex more luſus cogendi vincentem ad ludendum ulteriùs, ſi enim Jus non habet, videtur feciſſe injuriam cogendo, adeoque teneri de damnis inde ſecutis.

§.14. Si ludens fecit fraudem, & in abſentia fraudis even- 1081 tus ludi fuiſſet dubius, debet reſtitui lucrum, & quidem ſolum, uti putant Lug.*num.*33.& Steph.*nu.*46.quia deceptor eſt in poſſeſſione rei ſuæ, ad quam nullum certum titulum habet deceptus; Mol. tamen dicit etiam aliquid ipſi deberi de illo, quod exponebatur ad luſum, ſi probabilius erat ipſum fuiſſe lucraturum, quia hæc ſpes lucri erat æſtimabilis, & ipſi per injuriam fuit ſublata. Qui autem dubitat, an per fraudem lucratus fuerit, tenetur reſtituere ſaltem hoc, quod alter appoſuit, quia cùm neſciat de juſto titulo illud in ſe transferendi, alter manet in poſſeſſione.

§.15. Si Cajus per fraudem lucratus erat 10.Florenos à Ti- 1082 tio, & Titius hos iterum lucretur à Cajo, Cajus tenebitur adhuc illos primos 10.reſtituere, ſi Titius lucratus ſit alia vice ludens cum eo; quia hic ſecundus ludus eſt alius contractus, ex vi cujus debetur novum lucrum; è contrà ſi in eodem ludo iterùm perdat, Arm.l. putat nil teneri ultrà reſtituere, quia hoc tantùm dicitur lucrum, quod in fine ludi reportatur, & Sanch.*dub.*19.*nu.*5.aliique dicunt eſſe probabile,ſed oppoſitum, tenendum eſt cum Lugo *num.*39.Dian.*R.*51.aliiſque communiter, quia quot novi ſunt jactus, tot ſunt novi contractus, quibus

uterque debet posse perdere & lucrari, Titius autem hic non posset lucrari alienum, sed tantùm perdere vel recipere suum sibi alluude debitum. *Conf.* Nam si Cajus furatus esset Titio, iterum perdidisset, adhuc teneretur restituere, ergo & nunc, quia quod ita fraudulenter habet, furto habet.

1083 §.16. Si pactum fuerit, ut qui plus lucraretur, solveret chartas, candelam & hausum, Cajus verò lucretur per fraudem, tenetur totum restituere, nec potest subducere illas expensas, sed sibi imputare debet, aut procurare, ut hoc fiat, quod factum fuisset, si nullus esset lucratus, uti rectè Lugo *n.*41. licèt aliter sentire videantur Trull. & Dian. *R.*54.

1084 §.17. Licitum est non monere Adversarium de errore v.g. si non rectè numeret sua puncta, & ideo perdat, quia ludens tenetur ipse attendere ad suum negotium, & Leges lusuum permittunt errores, Sanch. *dub.*14. Dian. *R.*44. Item licitum est non admonere, si concedat primam in ludendo manum; si tamen illam tibi non debitam prior quasi de Jure usurpes, & ideo vincas, Sanch. *dub.*15. Dian. *R.*45. Alloza *sect.*1. *nu.*21. te obligant ad restituendum, quantum valebat Jus illud præeundi: Similiter teneris restituere, si dixeris te habere plura puncta, & alter non advertens id crediderit, quia hic est fraus facta, Dian. *R.*47. Idem est, si alteri non advertenti minus solvas, quàm perdideris; Dian. *R.*53. Item si à tergo tui colluforis habeas speculum in quo chartas ejus videas, quia talis deceptio est etiam insolita. In dubio autem, an aliqua deceptio sit contra Leges lusus nec ne, standum est judicio viri in tali genere lusus periti, uti cum communi notant Sanch. *dub.*12. Lug. *nu.*33.

1085 §.18. Si Cajus non ludens insperserit vites chartas Titii volentis per auctionem deterrere Sempronium à lusu, & Cajus tacitè moneat Sempronium, ut non deterreatur, & Sempronius ludat ac vincat, distinguendum est cum Bonac. Sanch. *dub.*17. Dian. *R.*42. & aliis communiter, nam 1. Si Sempronius ante monitionem decreverat non ludere, tenetur Sempronius, & in hujus defectu Cajus restituere omnia, quia acquisivit per injuriam. 2. Si Sempronius ante monitionem decreverat ludere, nihil est restituendum, quia monitio Caii se habuit *per accidens* ad damnum. 3. Si Sempronius dubitabat, an vellet ludere nec ne, dicunt communiter AA. Sempronium, & in ejus defectu Cajum teneri restituere tantùm partem pro ratione dubii. Alii contradicunt, quia fraus & monitio Caii fuit prior causa injusta & adæquata damni, quia totaliter determinavit Sempronium ad ludendum, ergo videtur saltem Cajus ex hac antecedente injuria obligari restituere totum, uti tencor ad totum, si fraude induxerim Petrum in dubio hærentem, an vellet vel nollet benefacere Paulo: item si Petro prior injustè intulerim damnum, licèt Petrus ipse illud sibi postea fortè intulisset. Videri possunt dicta nu.218. est enim similis fermè ratio. 4. Si post monitionem adhuc fuit dubius eventus ludi, Sanch. dicit non esse obligationem restituendi, quia Sempronius per monitionem non fuit constitutus in tuto, sed contradicunt alii, uti ante, nam si Sempronius per monitionem motus est ad ludendum, Cajus fuit causa injusta ludi, ergo manet obligatio compensandi totum damnum ex ludo secutum.

1086 §.19. Secundùm Saa *v. Ludus n.*1. non est peccatum ludere ludo prohibito, si fiat moderatè causa recreationis, aut ex alia causa honesta, putat enim tunc cessare rationem Legis. Et saltem eum, qui ludit ludo per civile solùm Jus prohibito, non peccare, docetur communiter; idem dicit cum aliis Lugo *n.*9. respectu Laicorum de lusibus Jure communi Canonico prohibitis, quia Leges hæ apud Laicos per contrariam consuetudinẽ sunt abrogatæ, Nav. Sanch. Less *n.*6. Steph. *nu.*49. Talem autem lucrantem ludo per Legem adhuc vigentem prohibito teneri restituere in foro conscientiæ, docent S. Tho. S. Bonav. Silv. *& alii*, sed communissimè contradicunt alii, inter quos sunt Alens. Sot. Med. Adr. Covar. Mol. Trull. Dicast. Sanch. *dub.*1. Less. *l.*2. *c.*26. *n.*17. Dian. *R.*2. Tambur. *in Dec. lib.*5. *c.*4. *§.*1. *n.*11. Spor. *n.*81. quia jus positivum præcipit restitutionem tantùm post sententiam Judicis, unde non debetur, licèt petatur extrajudicialiter, uti cum aliis notant Sanch. & Dian. *R.*22. potest tamen victus terrere victorem de accusando, & sic pacisci de parte restituenda: Quòd si fictè tantùm minaretur, nolens accusare, Sal. Mol. Lugo *n.*72. Alloza *s.*1. *n.*9. putant eum non esse tutum, sed Less. Tamb. Spor. aliique cum Dian. *R.*28. dicunt esse tutum, quod probabile esse fatentur Sanch. Castrop. Trul. Dicast. quia reverà habet jus repetendi, quod pretio æstimabile est, illi autem juri cedit pro data parte, ergo dolus videtur justus.

1087 §.20. Qui credito ludit ludo prohibito, & perdit, de jure naturæ obligatur solvere, uti contrà Dian. *R.*21. & alios docent alii multi apud Lugo *n.*70. (qui à nu.67. cum aliis multis docet sic lucrantem posse retinere, si ei solvatur, quamvis solvens nesciverit solutionem posse negari, quod etiam fatetur Dian. *R.*24.) Ratio est, quia cõtractus ille ludi jure naturæ est validus, nec jure positivo irritatur, quamvis victus possit se etiam in cõscientia tueri exceptione legis, quæ non est merè in pœnam victoris, sed etiam in favorem victi; ut solvere non teneatur, ita Nav. Tol. Mol. Less. Laym. Lugo *nu.*70. & pluribus *d.*22. *à nu.*30. & ratio ulterior est, quia secundùm dicta num.677. cui jus dat actionem repetendi, eidem etiam dat exceptionem, antequam solvat, ad quid enim in hoc casu esset solvere hoc, quod statim potes repetere? unde cùm retinere meam rem & datam recipere æquivaleant, non erit injustitia, inquiunt Tamb. *n.*11. & Spor. *nu.*83. alterum modum commodiorem absque inutili circulo eligere: hinc L.2. *ff. de compensatione* dicitur, *Interest nostra potius non solvere, quàm solutum repetere.*

§.21. Quando ludis lusu prohibito cum animo reposcendi per Judicem; quod perdes, Mol. Regin. Dicast. Less. *nu.*31. dicunt te teneri restituere, si lucreris, quia facis dolum dantem causam ludo, & ponis inæqualitatem, sed Sanch. *dub.*5. Lugo *d.*31. *n.*53. Spor. *nu.*84. aliique cum Dian. *R.*25. probabilius dicunt ludum esse validum, & retineri posse lucrum, quia intentio adimplendi non est de essentia contractuum secundùm dicta nu.608. ergo licèt absit, ludus est validus, in reliquo vult uti jure suo & beneficio legis concedentis exceptionem, alter autem sibi imputet, quòd cum tali ludat. Neque est inæqualitas, quia etiam alteri competit simile beneficium legis, si perdat. 1088

§.22. Si victus antecedenter promiserat non repetere per beneficium legis, potest nihilominùs postea repetere, uti notant Rebell. Salas, Less. Dian. *R.*26. Lugo *num.*65. quia omnis ludens promittit irrevocabiliter solvere, & tamen lex vult, ut non obstante promissione solvendi possit non solvere; si tamen illa promissio fieret post factam solutionem, teneret, quia esset veluti nova donatio independens à ludo. Quòd si jurarit non repetere, stare debet juramento, secundùm dicta n.727. dicunt tamen Navar. Covar. Tol. Valent. Vega Henriq. Salas & Diana supra posse petere relaxationem juramenti, & hac obtenta non solvere, sed melius negant Sot. Mol. Rebell. Less. Lugo *nu.*66. quia hoc juramentum confirmat illum contractum, secundùm dicta à n.732. ergo facit, ut alter acquirat jus strictum ad solutionem. Superior autem non potest relaxare juramentum in præjudicium tertii, uti nu.746. dictum est. 1089

§.23. Si victor sine vi vel fraude impediat, ne à Judice condemnetur ad restitutionem, v.gr. purè negando se lusisse, donec probetur, omnes communiter dicunt non peccare: Si tamen de hoc interrogetur à judice, Less. *n.*21. & Lugo *nu*64. dicunt teneri fateri, quia lex non est purè pœnalis sed dispositiva, & Judex habet jus interrogandi, sicque impediendi, ne Cives nimio ludo depauperentur; Mol. Sanch. aliique cum Dian. *R.*27. dicunt non teneri fateri, si probari non possit; sed prima sententia est probabilior. 1090

§.24. Azor. Mol. Salas, Rebell. Castrop. aliique cum Dian. *R.*3. dicunt nõ prohiberi Clericis una aut altera vice ludere, sed tantùm consuetudinem, seu ut ne fiat sæpè & diù, uti ex aliis notat Steph. *n.*49. Imò Saa & Valent. contra Salas & Castr. excusant etiam consuetudinem à mortali, si fiat recreationis causa: Prohibitio autem extenditur ad solos Clericos in Sacris constitutos vel ratione Beneficii gestantes habitum, uti docent Caj. Less. aliique cum Steph. Putat quoque Salas non extendi ad Religiosos laicos, quia textus habet de Clericis tantùm: communis tamen cum Nav. Suar. Valent. Castr. *& aliis*, habet, quòd etiam ad illos extendatur, & saltem Religiosos in Ordine aliquo ab ejusmodi lusibus abhorrente, meritò damnant Lugo Dicast. & alii apud Dian. *Ref.*4. 1091

§.25. Olla fortunæ est jure naturæ licita, nam per dationẽ certæ pecuniæ emitur spes lucrandi, v.gr. scyphum argenteum, & periculum cum proportione est utrimque æquale, ita cum aliis Pirh. *l.*5. *tit.*19. *nu.*50. Ludum autem agitationis taurorum prohibuit *S. Pius V.* sub excommunicatione, sed *Greg. XIII.* sustulit excommunicationem; & nunc si fiat sine periculo, putant licitum esse Nav. Saa *n.*3. Alloza *s.*2. *n.*30. 1092

§.26. Assistere ludo, qui cum peccato mortali fit, per se loquendo, non est peccatum, nisi adsit scandalum, vel assistens cooperetur aut delectetur ipso ut peccato, non autem si delectetur ipso ut ludo, ita Saa *n.*4. Alloz. *n.*31. Aliqui apud Dian. *R.*41. excipiunnt Clericos & Religiosos, quibus sub excommunicatione dicitur id prohibuisse *S. Pius V.* 1093

§.27. Ludere in Ecclesia ludos, qui specialiter in ea non sunt prohibiti, per se loquendo, non est peccatum nisi veniale, si fiat sine causa; sufficit tamen honesta recreatio pro illis, qui v.g. in Ecclesiam confugerunt, Caj. Nav. aliique cum Dian. *R.*38. 1094

§.28. Si quis teneat domum ludo illicito expositam aut instrumenta subministret, peccat mortaliter, uti & Princeps permittens, ita Dicast. aliique cum Dian. *R.*39. & pluribus *p.*2. *tit.*15. *R.*65. Ratio est, quia quamvis ista sint de se indifferentia, tamen sic fit directè & proximè cooperatio ad blasphemias, dilapidationes, rixas, aliaque, quæ ibi fiunt, non aliter ac si quis subministraret gladium occisuro. Unde si hic ludant non potentes ludere, v.gr. Filii-familias, vel fraudem agentes, putat cum aliis Sanch. *dub.*21. hos hospites obligari ad restitutionem tanquam cooperatores ad injuriam. 1095

§.29. Si Titius ludat cum pacto, ut si vincatur, legat pro victore Missam, si autem vincat, habeat florenum, hoc damnant multi, & Lugo *num.*5. dicit posse esse periculum simoniæ; sed 1096

nec

nec eſſe ſimoniam nec illicitum docent Rodriq. Portell. Bonæ-ſp.Dian.*R.*41.Steph.*n.*53. nam non ideo res ſpiritualis æſtimatur temporali, ſed offertur executio rei ſpiritualis loco temporalis alioquin tradendæ, quæ commutatio licita eſt: ſi enim tibi debeam 100.aureos, licitè offero 100.Miſſas pro te legendas, ut ſic te moveam ad remittendos centum aureos.

Ad quid teneatur, qui juravit non ampliùs ludere, dictum eſt *p.*1.*à num.*452.

De Sponſione doctè agit Onn. *d.*131.*ſect.*3.*De Sortibus*, *ſect.* 4.*De Ludo*, *ſect.*5.*& ſeqq.*

DUBIUM XIV.

Quid ſit Contractus Societatis.

1097 „ *Reſp.* Is eſt, cùm aliqui inter ſe conveniunt, & contributis aliquibus rebus ad lucrandum idoneis, ſive „ fructibus, ut pecunia, animalibus, induſtria, labore, &c. „ commune aliquod lucrum faciunt; quod, uti & damnum, pro „ ratione, & rata cujuſque dividunt inter ſe. V. Leſſ.*l.*2.*c.*25.*d.*1. „ Laym.*l.*3.*tr.*4.*c.*20. Bonac. *To.*2.*de contract.d.*3.*q.*6.*p.*1. Unde „ ſpectando id, quod ratio & Juſtitia naturæ hic requirit, *reſol-* „ *vuntur hi Caſus*:

„ I. Plus lucrari debet, qui confert pecuniam & operam „ ſuam, quàm qui vel pecuniam, vel operam ſolam confert.

„ II. Capitale ſeu ſors, quam quivis contribuit, ſi pereat ca-„ ſu, vel culpa ſociorum leviſſima, contribuenti perit: ubi diſ-„ crimen eſt inter hunc contractum, & mutuum: quia in mutuo „ ſors data alienatur, & dominium ejus transfertur in mutua-„ tarium, cujus proinde ſolius periculum ac damnum eſt, ſi ca-„ ſu pereat: in ſocietate autem, qui ſortem confert, eam non „ omnino alienat à ſe, & uti commodum ad lucrum ad eum „ ſpectat, ſic etiam periculum & damnum, Bon.*p.*3.*n.*3.*&* 12.

„ III. Poteſt tamen etiam fieri in hoc contractu, ut quis ju-„ ſtè ſervet ſortem ſuam indemnem, & inſuper certum lucrum „ percipiat, ſi nimirum ad contractum ſocietatis adjungantur „ duo alii, aſſecurationis, & venditionis, cujus tale exemplum „ ponit Laym. In is ſocietatem cum mercatore, & contribuis ei „ 100.florenos v.gr. ſpes eſt, quòd is quotannis lucraturus ſit „ 300. cujus lucri dimidium v.g. jure ſocietatis tibi debetur unà „ cum ſorte; ſed quia ad te quoque pertinere deberet ejuſdem „ ſortis periculum, ut ipſe id periculum in ſe ſuſcipiat, & tibi „ ſortem aſſecuret, in hujus oneris compenſationem, relinquis „ ei majorem partem lucri ſperati, ut ſcilicet duæ partes lucri „ ad ipſum, & tertia ad te pertineat. Et rurſus, quia ſpes lucri „ hujus incerta eſt, ideo adhuc partem hanc lucri ſperati, nem-„ pe 100.florenos in ſpe, vendis etiam eidem 50.vel 60.v.g. an-„ nuis certis, & in re, & ſic tandem id lucrum facis, & ſortem „ ſervas indemnem. V. Laym. & Bonac. *ll.cc.*

„ IV. Societas etiam in pecoribus validè & licitè inſtituitur: „ Et interdum quidem ita, ut tam pecora ipſa, quæ alteri paſ-„ cenda & nutrienda traduntur, quàm emolumenta & fructus, „ ipſaque detrimenta & damna danti & accipienti communia „ ſint; interdum verò ita, ut pecorum dominium, ideoq; etiam „ periculum, ſive caſus fortuitus, ſpectet ad ſolum dantem; „ emolumenta autem fructuum, nempe fœtus, lanæ, lactis, ſpe-„ ctent ad utrumque. Vid. Leſſ. & Laym.

ADDENDA.

1098 *Quæſt.*197. *Quid hic præterea ſit notandum?* R. Seqq. §.1. Ad contractum ſocietatis requiruntur hæ præcipuè conditiones, 1. Ut fiat in negotiatione honeſta & licita. 2. Ut ſinguli aliquid in commune conferant, ſive ſit pecunia, ſive opera, ſive induſtria. 3. Ut expenſæ, lucrum & damna ſint communia æqualia ſecundùm proportionem illius, quod in commune confertur. Poteſt tamen ſocietas fieri, non ad lucrum, ſed ad ſolum uſum, uti ſi ſtudioſi in eiſdem ædibus habitantes ad communem uſum conferant libros, hic talem, iſte alium. Specialia autem circa ſocietatem Officiorum, quæ præſertim in Curiis à quibuſdam initur, videri poſſunt apud Lugo *d.*30 *ſect.* 5. & Leſſ. *in auct. v. Societas Officiorum.*

1099 §.2. Si Cajus det Titio 10. gallinas, eo pacto, ut ſingulis diebus reddat unum ovum, & teneatur numerum integrum gallinarum ſervare, ideoque ſi una moriatur vel eripiatur, ſubſtituere aliam, Med. Rebell. & alii cum Alloz. *v. Societas nu.*43. putant hunc contractum eſſe injuſtum, quia Cajus habet lucrum certum, Titius autem totum periculum ſortis, & præterea onus alendi gallinas; ſed Laym. *l.*3.*t.*4.*c.*20.*n.*4. Caſtr. *d.*8.*p.*6.*n.*2. & alii probabilius dicunt poſſe eſſe juſtum, quia periculum compenſari poteſt per plures fructus, uti rectè Covar. *l.*3. *Variarum c.*2.*nu.*4. onus autem alendi compenſatur per longè plura ova à reliquis gallinis habenda.

1100 §.3. Expenſæ à conferente operam factæ in mercibus deportandis in itineribus pro ſocietate factis, in ægritudine ex ſocietatis negotio orta; item damna ob ipſam formaliter ſocietatem cauſata ſine culpa, v.g. per fures vel latrones, ſpectant ad omnes, uti habetur *l.*52.§.4. *ff. Proſocio*, docentque communiter AA. cum Lugo *nu.*28. *&* 31. Caſtrop. *p.*7. Et non debere detrahi æſtimationem illarum expenſarum, quas ſocius ille domi faceret, docent Nav. Mol. Leſſ. Laym. Sa, Caſtrop. *num.*2. quamvis contradicant Silv. Ang. Arm. Maj. Rebell. Lug. *nu.*39.

§.4. Si Cajus contulit pecuniam, Titius verò operam, & 1101 valor operæ erat æqualis valori pecuniæ, probabile eſt etiam pecuniam poſtmodùm debere dividi inter ipſos, alioquin eſſet inæqualitas, opera enim perdita eſt in bonum utriuſque, ergo videtur æquũ, ut & ſic perdatur pecunia, Mol. Leſſ. Lugo *n.*16. Si autem Titius conferat operam in valore pecunia minorem, adhuc putant multi finita ſocietate, hanc pecuniam eſſe dividendam, ſed etiam probabiliter negant Fach. Rebel. Caſtr. *p.*3. qui hoc ipſum videntur dicere, etiamſi valor operæ fuiſſet æqualis, quia quando contrahentes illud non exprimunt, cenſentur velle tantùm communicare uſum & commoditatem illorum, quæ conferunt, non autem proprietatem, ſicuti qui ad negotiationem confert navim, confert tantùm illius uſum non autem proprietatem, hinc navis poſt ſocietatem remanet ipſius, aliter autem poterit attingi æqualitas etiam quoad pecunias, uti oſtendit ipſemet Lugo *ſupra*.

§.5. Si pecunia, quam ſolus Cajus contulit, pereat; Saliz. & 1102 alii abſolutè dicunt jacturam debere ferri ab utroque æqualiter, alioquin qui induſtriam affert, minori ſe periculo exponeret; Maj. & alii dicunt, ſi pecunia pereat ante operas exhibitas, jacturam debere æqualiter ferri, ſi autem poſt, debere ferri à ſolo Cajo, quia opera jam eſt impenſa loco pecuniæ; Covarr. & alii dicunt jacturam tum eſſe æqualiter ferendam, quando induſtria æquivalebat uſui & proprietati pecuniæ, ſi autem æquivalebat ſoli uſui, ferendam eſſe à ſolo Cajo: denique Gl. Bart. Bald. Silv. Rebell. Leſſ. Caſtr. *p.*4.*n.*4. Alloza *n.*16. Illſ. *t.*4.*d.*2.*n.*454. aliique plures probabilius dicunt ſoli Cajo eſſe ferendam, niſi aliter ſit conventum, quia æquum eſt, per ſe loquendo, ut illi ſoli pereat pecunia, qui erat ejus dominus: ſupponitur enim aliter ſtatuta æqualitas ſecundùm ſpem lucri & periculum damni.

§.6. Si finito negotio nullum ſit lucrum, Fill. putat ex pe-1103 cunia capitali debere ſaltem ſolvi valorem operæ, ſed negant Mol. Leſſ. Lug. *nu.*24. Burgh. *cent.*2.*caſ.*96. quia ſicut ſi pecunia periiſſet, ſoli ejus domino periiſſet, ita opera perit illi ſoli, qui eam confert, & ſecundùm hos AA. ſocietas ſit ſolùm ad lucrum.

§.7. Contractus ſocietatis diſſolvitur, 1. Mutuo conſenſu 1104 ſociorum. 2. Renuntiatione unius ex illis, non tamen ante tempus in pacto determinatum. 3. Publicatione bonorum alterius ſocii. 4. Ceſſione bonorum propter contracta debita. 5. Elapſo tempore, pro quo ſocietas conſtituta. 6. Re, in qua fundabatur ſocietas, integrè vel magna ex parte intereunte. 7. Morte ſocii, ſi tamen negotium cœptum nunc finiri poſſet ſine ſociorum præjudicio, alioquin hæres teneretur concurrere. Videri poſſunt leges citatæ apud Illſ. *nu.*456. Vide etiam Mol. *tr.*2.*d.*414. An pactum, quo ſors & lucrum aſſecurantur, ſit juſtum, videri poſſunt dicta hic nu.876.

DUBIUM XV.

Quid ſit Aſſecuratio, & Fdejuſſio.

Reſp. I. Contractus aſſecurationis eſt, quo quis alie-„ 1105 næ rei periculum in ſe ſuſcipit, obligando ſe, vel gra-„ tis, vel pro certo pretio, ad eam compenſandam, ſi perierit. „ Quòd ſi gratis fiat, eſt gratuita promiſſio; ſi pretio, eſt quaſi „ emptio, qua aſſecurans vendit ſuam obligationem, præ-„ ſtandi alteri rem ejus indemnem. Ad ejus juſtitiam requiri-„ tur, ut eventus rei ſit incertus utrique, ſaltem quoad noti-„ tiam, quam de eo habent, quia alioqui non ſervaretur æqua-„ litas. Bonac. *to.*2.*de contr.d.*3.*q.*9.*p.*3. Leſſ. *lib.*2.*c.*28.*dub.*4.*n.* „ 24. *Unde reſolves*: „

I. Si aſſecurans certus ſit rem eſſe in tuto, iniquè pretium „ petit, & tenetur reſtituere, Leſſ. *ibid.* Bon. *num.*3. „

II. Si res nondum eſt in tuto, etſi privata ſcientia ſciat non „ fore periculum, licere nihilominus pretium ordinarium „ aſſecurationis accipere, dicit Leſs. *n.*27. quia illa obligatio, „ ob pericula ordinaria magni æſtimatur: & cauſæ occultæ, „ quæ periculum minuunt, non imminuunt communem „ æſtimationem. Verùm id Bonac. *num.*3. & Lugo *d.*31.*ſ.*7. „ rectiùs negant. „

III. Si cupiens rem ſuam aſſecurari, certò ſciat eam jam „ periiſſe, non poteſt paciſci de ejus aſſecuratione. V. Leſs. „ *num.*25. „

Reſp. II. Fidejuſſio eſt contractus, quo quis alienam obli-„ gationem ſuſcipit incipiendam, ſi debitor principalis non „ ſolverit. Ita communiter Doctores. *Unde reſolves*: „

I. Pro fidejuſſione licet accipere pretium, etſi nullum pe-„ riculum timeatur, quia ex ſe pretio eſt æſtimabilis. Nav. *man.* „ *c.*17.*n.*283. Azor. *p.*3.*l.*11.*c.*22.*d.*5. Fill. *tr.*38.*n.*159. „

„ II. Mulieres ex fidejuſſione (ſaltem ſi juramentum abſit,
„ & inſtrumentum publicum) non tenentur, uti nec Clerici,
„ niſi quatenus ſolvere commodè poſſunt, ut non egeant. V.
„ Laym, *l.3.tr.4.c.29.n.5.& 6.* Bon.*p.2.* Leſſ.*d.2.* Onn.*d.52.ſ.6.*
„ III. Fidejuſſor non obligatur plùs quàm principalis ; &
„ hujus obligatio ſi ſit invalida, erit etiam fidejuſſoris, Lugo
„ *diſp.32.n.5.&c. communiter.*
„ IV. Fidejuſſor regulariter non poteſt conveniri, niſi facta
„ excuſſione principalis debitoris, conſtet ipſum non eſſe ſol-
„ vendo, Azor.*l.c.v.notandum*, Fill.*n.*153.
„ V. Debitor tenetur de omni damno ſua culpa accidente
„ Fidejuſſori, &c. V. Azor.*d.*10. Bonac.*p.1.n.*14.
„ VI. Ex fidejuſſione Religioſi propria authoritate facta
„ Monaſterium non obligatur, niſi quatenus in ejus utilitatem
„ verſum eſt. V. Leſſ.*n.*20. & Laym.*n.*7.
„ VII. Qui fidejuſſit pro reo, cui periculum capitis impen-
„ debat, ſi hic aufugit, non eſt ejus loco plectendus, quia
„ non præſumitur ſe ſe obligare : imò nec poteſt, cùm non
„ ſit dominus vitæ, Sylv. Bon.*n.*10. Leſſ.*n.*41.
„ VIII. Si debitor ſua culpa non ſolvit, tenetur fidejuſſori,
„ qui pro ipſo ſolvit, non tantùm ipſum debitum, ſed etiam
„ damna & expenſas omnes compenſare. Si verò ſine ſua cul-
„ pa, v.gr. ob impotentiam non ſolvit, ad ſolum debitum
„ videtur teneri, Azor. Sylv. Sa, Bon.*n.*14. Trull.*to.2.l.7.c.26.*
„ *d.2.num.6.*

ADDENDA.

1106 QVæſt.198. *Quid præterea notandum ſit ?* R. Seqq. §.1. Quamvis AA. communiter dicant fidejuſſionem de ſe eſſe pretio æſtimabilem, uti n.890. notatum eſt, ideoque pro ea poſſe accipi aliquid, ſi tamen abſit omne periculum & moleſtia, probabiliter contradicunt Cov. Bonæſp. Steph. *t.4.d.9.n.*142. Moya *t.1.t.6.d.4.q.6.à nu.*22. quia difficulter oſtendi poteſt diſparitas, cur etiam mutuum non ſit ſimiliter futurum de ſe æſtimabile, ideoque cur etiam non poſſit pro eo accipi pretium. *Si dicas*, obligationem mutuantis compenſari per redditionem ſortis, obligationem autem Fidejuſſoris non compenſari per aliquid, *Contrà eſt* 1. Quia non obligatio mutuantis, ſed carentia ſortis datæ compenſatur per redditionem ſortis. 2. Si fidejuſſor ſciat nullum eſſe periculum vel moleſtiam, obligatio illa nullum affert onus, ergo nihil aptum eſt compenſari. V. Gaſp. Rodericum *de annuis reddit. l.2.q.*12. qui nobiſcum ſentit. Videri poteſt etiam Onn.*d.52.à n.*23.

1107 §.2. Creditor poteſt acceptare moderatum pretium, ut fidejuſſorem liberet à fidejuſſione periculoſa vel moleſta, quam ſuſcepit pro debitore, Mol. Saa, Roderic.*n.*17. Alloza *v. Fidejuſſ.n.*15. Fidejuſſor autem poteſt, non quidem ordinariè, uti rectè Caſtrop.*d.6.p.*26.§.3.*n.*5. attamen aliquando cogere debitorem, ut eum à fidejuſſione liberet, v.g. ſi debitor fuerit potens ſolvere & non ſolverit, ſi incipiat dilapidare bona ſua &c. Lugo *d.*32.*n.*20. V. Roder.*qu.*13. E contrà Creditor compelli non poteſt, ut habito uno fidejuſſore admittat alium, ſicuti compelli non poteſt, ut loco prioris hypothecæ admittat aliam, quia habet jus ſtandi primo contractu, Roder. *qu.*12.*num.*25. Si tamen creditor admiſerit alterum fidejuſſorem, liberatur primus, Caſtrop.§.2.*nu.*5.*&* 6. Quòd ſi creditor proroget tempus debitori, pro quo Cajus fidejuſſerat, ſi Cajus indefinitè fidejuſſerat & non ad tempus tantùm, pergit obligari, ſi autem fidejuſſerat, v.g. ad annum, cum anno ceſſat ipſius obligatio, ſicuti ſi fidejuſſiſſes pro capitali, non obligareris ad intereſſe, quia obligatio non extendit ſe ultra conventionem, ita cum aliis Azor.*p.3.l.*11.*c.*22.

1108 §.3. Si fidejuſſor, quando conſtituebatur, erat idoneus & poteſt, poſtea autem deficiat, debitor non tenetur ſubſtituere alium, quia reliquum periculum fidejuſſionis, uti & hypothecæ, eſt penes admittentem, Bart. Surd. Caſtrop.*n.*1.

1109 §.4. Succeſſor non obligatur fidejuſſione ſui Anteceſſoris, niſi ſit hæres, vel ille in officio, v.g. Decani, conſtitutus fidejuſſerit cum conſenſu & nomine Capituli, Mol. Saa, Alloz.*nu.*10. Dubitatur autem, an obliget fidejuſſio facta pro minorenni, aliqui cum Saa *v. Fidejuſſio nu.6.* negant, quia minorennis non poteſt ſe obligare ; alii affirmant cum Alloza *nu.*13. quia ſecundùm dicta n.671.& 679. poteſt ſe ſaltem in conſcientia obligare, & alter poteſt hanc obligationem ſuſcipere. Item aliqui affirmant, alii negant fidejuſſorem teneri ſolvere debita, antequam à Judice cogatur, Saa *n.*8.

1110 §.5. Si plures in ſolidum fidejuſſerint pro aliquo, quilibet excipere poteſt contra creditorem, ne ſolus conveniatur, ſed ut etiam alii cogantur ſtare pro parte : quòd ſi unus coactus fuiſſet ſolvere totum, poſſet à creditore petere jus agendi contrà alios, uti ex jure oſtendit Lugo *à nu.*15. Videri poteſt Onnate *d.4.ſ.*15. Item tota *diſp.*52. *&* 53. ubi hactenus dicta & multa alia accuratè habet de fidejuſſione. De aſſecuratione autem agit *diſp.*131.*ſ.*2.

DUBIUM XVI.

Quid ſit Pignus, & Hypotheca?

REſp. Pignus eſt contractus, quo debitor dat creditori, 1111
„ rem aliquam mobilem vel immobilem, ut ſit pro debi-
„ to obligata, ex eaque ſolutio peti poſſit. Aliquando tamen
„ pignus accipitur pro ipſa re, quæ datur. Differt autem ab
„ hypotheca, quòd pignus propriè ſit rei mobilis ; illa immo-
„ bilis, Mol. Fill. Bon. *de contr.d.3.q.*10.*p.*1. *Unde reſolves* :
„ 1. Pignore non licet uti contra voluntatem domini : quia
„ eſt res aliena, ad ſecuritatem tantùm, & non ad uſum tradi-
„ ta, Bon.*l.c.* ex Mol. Regin. &c. Si tamen utatur v.gr. equo vel
„ agro, debet valorem uſus (uti & fructus omnes, ſi ſit res ex
„ ſe fructifera) computare in ſortem, deductis expenſis ; quia
„ alioqui committet uſuram, cùm res domino ſuo fructificet,
„ Nav. *man.c.*17.*n.*203. Bon. Trull. *l.7.c.26.d.4.n.*22.
„ II. Non poſſunt oppignorari, quæ non poſſunt vendi, v.g.
„ Eccleſiæ, Mol. *d.*530. Leſſ. *l.2.c.*28.*d.*7. Bon.*n.*5.
„ III. Immobilia, uti & mobilia pretioſa, cultui divino
„ dicata, v.g. calices, caſulæ &c. non poſſunt oppignorari,
„ niſi in neceſſitate ; (quia tunc etiam vendi poſſunt,) ut
„ Eccleſiæ & indigentibus ſubveniatur. V. Nav. *nu.*205. Leſſ.
„ Bonac. *l.c.*
„ IV. Creditor, qui pignus ab aliquo accepit, poteſt illud
„ alteri oppignorare, ſed non pro majore quantitate : Neque
„ poteſt vendere debitore non ſolvente, niſi poſt biennium,
„ & eo priùs monito. Quidam tamen dicunt, poſſe vendere
„ poſt trinam monitionem. V. Laym. *l.3.t.4.c.*30.*n.*5. Bon.*n.*9.
„ V. Eandem rem non licet oppignorare ſeu in hypothe-
„ cam dare pluribus, niſi ſit ſufficiens ad ſolvendum omnibus ;
„ vel poſteriores de priore hypotheca admoneantur. Azor. *T.*
„ *3.l.7.c.*7. Fill. Bon.*n.*9. Trull.*n.*15.
„ *Quæres*. Quid ſit contractus Anti-chriſcos, germanicè
„ *ein Pfandſchaffi ?*
„ Reſp. Is eſt, cùm in contractu pignoris convenitur, ut
„ creditor utatur pignore, v.g. agro, ac fructus inde tamdiu
„ lucretur, donec debitum ipſi reſtituatur : unde circa hunc
„ ex ſupradictis *reſolves* :
„ 1. Contractus hic videtur juxta Cajet. Sotum, &c. (contrà
„ quoſdam Juriſtas) eſſe uſurarius, quia creditor ultra
„ ſortem aliquid lucratur cauſa ſolius mutui, quæ eſt Uſura.
„ V. Laym.*c.*36.*n.*17.
„ II. Poſſunt tamen intervenire tituli juſti lucrandi fructus
„ ex pignore, ſine diminutione ſortis : ut ſi v.g. fructus ex hypo-
„ theca percepti non ſuperent quantitatem penſionis, quæ
„ Jure cenſus ſuper eadem conſtituti exigi poteſt, cum pa-
„ cto redhibitionis, uti ſuprà dictum eſt de *Cenſibus* : aut ſi
„ alioquin lucrum ceſſet, aut damnum emergat, dum debi-
„ tum differtur : unde non facilè damnandi ſunt illi, quia
„ Principibus in locum debitorum agros, paſcua, officia,
„ &c. in anti-chriſin habent. V. Laym. *l.c.* & Binsfeld. *de Uſu-*
„ *ris*, Mol. Leſſ. &c.

ADDENDA.

QVæſt.199. *Quid circa hos contractus ſit præterea no-* 1112
tandum ? R. De pignore & hypotheca accuratiſſimè ſcripſit Onnate *d.66.& ſeqq.* qui pro occurrentibus dubiis gravioribus videri poterit. Pro praxi quotidiana accipe hæc pauca.

§.1. Si agrum incultum accepiſti in pignus, & illum coluiſti, Sot. Saa, Alloza *v. Pignus n.*8. putant te poſſe frui fructibus, non computando in ſortem, quia videntur fructus tuæ induſtriæ, ſed dicendum eſt cum Nav. Mol. Garz. Lop. Bon. *de contr.d.3.q.*10.*p.*1.*n.*10. debere computari in ſortem, ſunt enim fructus naturales agri, ad quem tantùm acceſſit tua induſtria, poteris tamen expenſas & pretium laboris ſubducere. Addit rectè Bon.*nu.*7. ſi rem meliorâſti, aut in agro tibi oppignorato ædificâſti domum, etiam hæc addita cadere ſub pignus, *quia* acceſſorium ſequitur principale ; equus autem pignori datus eſt alendus expenſis debitoris, qui manet ejus dominus, & cui etiam fructificat.

§.2. Si oppignoretur caſtrum, cui Jus præſentandi ad be- 1113
neficium ſit annexum, hoc Jus non oppignoratur, ſed manet Domino ; ſi tamen caſtrum vendatur, Jus Patronatus tranſfertur in emptorem, & ita ſtatuunt Jura apud Lugo *d.*32.*n.*27. Si autem res oppignorata varietur, quod de illa manet, etiam remanet oppignoratum, v.gr. ſi domus comburatur, fundus manet obligatus ; ſi ſilva, obligatum manet ſolum, imò & ligna ſilvæ, ſi quæ ſuperſint : fructus enim rei ſimul dantur in pignus : Si tamen ex iſtis lignis fiat navis aut aliud arte factum, Jura diſponunt, ut deſinat oppignoratio, Bonac.*n.*7.

§.3. Si pignori adjectum ſit pactum, ut vendatur, niſi cer- 1114
to tempore redimatur, elapſo eo tempore vendi poteſt, etiam non monito debitore, Gloſſ. Navar. Azor. & alii ; quod tamen

res

res valet ſupra debitum, reſtitui debet debitori. Quòd ſi conventum eſſet, ut pignus non venderetur, Saa, Vaſq. & alii putant non poſſe vendi, quia fides data eſt ſervanda, ubi ſervari poteſt, ſed Azor. Regin. & alii communiter putant poſſe vendi poſt trinam admonitionem, quia hæc eſt natura pignoris, alioquin fruſtra datum eſſet, hinc conventio tantùm obligavit ad non vendendum abſque præviis admonitionibus, Bon. *n.*12.

1115 §.4. Quamvis contractus anti-chriſeos Jure Civili toleretur, tamen Jure Canonico reprobatur velut uſurarius, uti notant Cajet. Sot. Nav. Mol. Lugo Laym. Spor. *de Uſura nu.*101. & certum eſſe dicat Caſtrop. *d.*4. *p.*19. *nu.*20. Ratio eſt, quia mutuans non fit dominus pignoris, ergo iniquum eſt, ut ex eo fructus capiat; imò Vaſq. Sal. Caſtr. *num.*4. dicunt etiam illos fructus eſſe Domino compenſandos, quos ex culpa lata & levi colligere omittit, quia tenebatur addere diligentiam tanquam prudens & vigilans cuſtos. Poſſunt tamen accedere tituli excuſantes, præter enumeratos à Buſembaum, uti 1. Si res oppignoranda vendatur pro debito, cum pacto retrovendendi, tamen ſecundùm limitationem datam nu.982. nec redimi debebit nimis parvo pretio, alioquin præſumetur Uſura, Lugo *d.*25. *n.*132. 2. Si marito aliquid fructiferum detur in pignus pro dote uxoris, uti definit Innocentius III. Cap. *Salubriter. De Uſuris*, tum enim fructus illi conſtituuntur in partem dotis neceſſariæ ad alendum uxorem, & ad ſuſtinenda onera Matrimonii, aut ſaltem ſunt aliæ cauſæ hoc cohoneſtantes, de quibus videri poteſt Caſtrop. *p.*20. atque ideo etiam poſſe pro intereſſe certam Summam in compenſationem exigere, docent Navarr. Mol. Lug. Laym. Leſſ. *l.*2. *c.*20. *nu.*142. Beja *p.*1. *caſ.*56. Sporer *nu.*102. 3. Si feudum Domino Proprietario oppignoretur, uti habetur Cap. 1. *De Feudis*, Cap. *Conqueſtus. De Uſuris*, traduntque Authores communiter cum Caſtr. *p.*22. *n.*1. tenetur tamen remittere ſervitium vel penſionem, cujus loco fructus ei à Jure ſubrogantur: quomodo autem hoc excuſetur ab Uſura, diſputat Caſtrop. *án.*2. Idem dicunt Authores communiter de emphyteuſi, ſi Domino detur in pignus, ratio poteſt eſſe, quia quando pignus transfertur ad Dominum proprietatis, licèt Vaſallus & Emphyteuta non amittat dominium ſuum utile, (alioquin non eſſet datum in pignus) tamen dominium illud eſt ligatum, & cenſetur conſolidari cum dominio directo, ac proinde fructus omnes Domino competunt; ſimile tamen nihil ſtatuunt Jura, neque habet conſuetudo, ſi res uſufructuaria, uſuraria vel conductitia detur Domino directo in pignus, uti notant Authores communiter cum Caſtrop. *n.*6.

1116 §.5. Obligatio pignoris, & hypothecæ ſolvitur multis modis. 1. Si creditori ſit ſatisfactum pro debito. 2. Si tempus ſit elapſum, ad quod acceptata erat obligatio. 3. Si res obligata ſit alienata cum conſenſu ſaltem tacito creditoris. 4. Si creditor emerit rem obligatam. 5. Si creditor ſaltem tacitè ſignificaverit rem ſibi non eſſe obligatam. 6. Si Judex abſolverit debitorem à debito, vel juſſerit extradi rem. 7. Si debitor offerat creditori ſolutionem debiti, quam ſi nolit acceptare, poterit debitor eam coram teſtibus deponere apud hominem fidelem vel in loco Religioſo, & rem obligatam reſumere. 8. Si prius debitum transferatur in aliam obligationem, Bon. *Punct.* 2. An Emphyteuta poſſit rem emphyteuticam ſubjicere hypothecæ, dictum eſt n.1059.

CAPUT IV.

De Tutela & Teſtamentis.

1117 ### DUBIUM I.

Quid ſit Tutela & Curatela?

„ RESP. Sunt quaſi contractus, quibus Tutor & Curator „ ad procuranda bona & commoda Minorum cujuſ„ cunque ſexus, qui vel Parente carent, vel ſub ejus poteſtate „ conſtituti non ſunt, obligantur ex Juſtitia, perinde ac ſi ex „ contractu ea obligatio ſuſcepta fuſſet; ſupplente nimirum „ Lege, vel Magiſtratu vim contractus. Differunt Tutor & „ Curator, quòd Tutor ſolùm datur impuberibus, etiam in„ vitis; & principaliter datur perſonis, ut curet earum educa„ tionem & inſtitutionem: ſecundariò verò datur etiam bo„ nis illius, reſpectu omnium negotiorum. Curator verò da„ tur Minoribus, poſt annos expletos pubertatis, uſque ad „ annum 25. completum: nec communi Jure datur invitis, „ niſi in certis caſibus; & datur principaliter rebus Minorum, „ ſecundariò perſonis: unde pro directione in foro conſcien„ tiæ, ex Jure naturali, tum poſitivo communi *reſolves* ex „ Laym. *l.*3. *tr.*4. *c.*9. *nu.*2. *& ſeqq.* & Tann. *t.*3. *d.*1. *qu.*7. *d.*10. „ Bonac. *de Contract. d.*3. *q.*19.

„ I. Tutores, ſive ſint teſtamentarii, hoc eſt, relicti ex te„ ſtamento, aut codicillo patris; ſive ſint dativi, hoc eſt, „ conſtituti à Judice aut Magiſtratu; ſive ſint legitimi, hoc eſt, præſcripti à Lege, (qualis præ cæteris eſt mater, ſi velit, „ & promittat ſe non tranſituram ad alias nuptias, quin priùs „ tutelam abdicet & rationem reddat; dein Avia, & Conſanguinei proximiores idonei) tenentur, uti & Curatores jurare, „ ſe fideliter officium ſuum facturos, ac fide-juſſorem dare, „ rem Minoris ſalvam & integram reſtituendam, & univerſim tacitè omnia eorum bona ſunt hypothecata Minori; ita „ ut ad quemcunque pervenerint, poſſit illa Minor ſibi vendicare, ut ſibi ſatisfiat, ſi quid illorum culpa eſt paſſus. V. „ Tann. *l.c.* Laym. *c.*9. Bonac. *n.*1. „

II. Bona Minorum tenetur Tutor, vel Curator adminiſtrare ea cura, quam diligens Pater-familias propriis ſuis rebus, „ adhiberet, tam impediendo & præcavendo damna, quàm „ procurando commoda & lucra Minoris: alioquin damnum „ & defectus congrui lucri ipſi imputabitur, & tenebitur etiam „ in conſcientia ad reſtitutionem. V. ſupra *l.*3. *p.*1. *n.*705. „

III. Bona immobilia Minorum, aut alia pretioſa, quæ „ poſſunt ſervari, non poſſunt alienari, ſaltem ſine Judicis „ Decreto. „

IV. Tutori aut Curatori, & perſonis ei ſubjectis, nihil licet „ emere, ſive per ſe, ſive per alium, ex ullis bonis Minoris, „ quamdiu illi tales ſunt, niſi cum authoritate Judicis, aut „ cum ejus Decreto bona Pupillorum publicè, per juratum „ venditorem omnibus venialia exponuntur. „

V. Sine Decreto Judicis non poteſt Minor remittere, vel „ renuntiare hæreditati, legatis, fideicommiſſis, aliiſque Juribus ſibi acquiſitis: Si tamen Religionem ingreſſurus ſit, poteſt bona alienare, quia moritur quaſi. „

VI. Pupillus, dum infans eſt, hoc eſt, minor ſeptennio, „ vel infantiæ proximus (ita ut ſi maſculus eſt, non expleverit „ annum decimum cum dimidio; ſi fœmina, nonum cum „ dimidio) nihil per ſe efficere poteſt, quo ullo modo vel alteri obligetur, vel alium ſibi obliget: at pubertati proximus, „ obligare quidem ſibi poteſt alium, ſed non ſe alteri, ſaltem „ civiliter. Sanch. *d.*8. Leſſ. *l.*2. *c.*17. *n.*61. Laym. *n.*7. „

VII. Eadem eſt ratio minoris, ſi Curatorem habeat: „ quem ſi ſemel ſuſceperit, tenetur illi ſubeſſe Jure communi „ uſque ad annum 25. expletum; & ſi litem habeat, tenetur „ ad eam ſumere Curatorem, exceptis tamen cauſis ſpiritualibus. Quòd ſi Curatore careat, valent acta per illos, ita „ tamen ut ſi læſi ſint, reſtituantur in integrum. V. Auth. cit. „ & Bonac. *q.*1. *p.ult.* „

VIII. Etſi Minores ſine Curatorum authoritate donare „ non poſſint, niſi quæ ejus conditionis adoleſcentes donare „ ſolent, (in iis enim præſumitur tacitus conſenſus Curatoris) qui tamen dona ab iis accepit, non tenetur reſtituere, „ niſi repetantur legitimè, quia probabile eſt valere naturaliter, „ tametſi non civiliter, Mol. Lugo *diſp.*22. *ſect.*19. Trull. *to.*2. *l.*7. „ *c.*17. *d.*8. *n.*3. Dian. *p.*8. *t.*6. *R.*4. *& 7.* „

IX. Tenentur Curatores & Tutores ſingulis annis adminiſtrationis rationem reddere: ubi ſi quis deſes aut noxius reperiatur, amovendus eſt impoſita ſatisfactione, aliuſque „ ſubrogandus. „

X. Si Tutor vel Curator, poſt rationes officii redditas fi„ delis deprehenſus fuerit, debetur ei præmium, quod quibuſ„ dam locis eſt viceſima pars reddituum bonorum omnium „ Minoris: in aliis autem decima pars. „

XI. Porrò qui non poſſint eſſe Tutores & Curatores, & „ qui à tutela & cautela excuſentur, ne iis imponi poſſint, v. „ gr. habentes quinque filios ſuperſtites, pauperes, &c. vid. „ apud Tann. *l.c.* & Sà *v. Minor*, ubi ſic habet: *Tutor non* „ *poteſt eſſe junior* 25 *annis, niſi fortè mater: nec Religioſus,* „ *nec fœmina, niſi mater aut Avia,* (*& uxor caſu ante dicto*) „ *nec Clericus in Sacris, ſi non velit, nec Epiſcopus, niſi miſe„ rabilium perſonarum. Horum verò tutelam ſuſcipere tenentur* „ *& Epiſcopi, & Clerici, & Religioſi: quod ego* (inquit) *de* „ *Religioſis univerſim non admitto.* Laym. *l.c.* „

XII. Si Tutor & Curator, cùm tenerentur negotiari, „ omiſerunt, poſſunt pupilli ab eis accipere 5. pro 100. Sa *v.* „ *Curator.* Vid. etiam Nav. *c.*25. *num.*66. Plura vide ſuprà *l.*3. *tr.* „ 2. *cap.*2. *dub.*3. „

Quomodo Juriſtæ diſtinguant ætates hominis, *vide dicta p.*1. *n.*1026. De patria poteſtate *vide ibid. n.*1027.

An & circa quæ Pupilli ac Minores poſſint validè contrahere, ſaltem pro foro conſcientiæ, *vide hic à n.*670. De eorum autem beneficio reſtitutionis in integrum, *vide à n* 677.

De multis obligationibus Tutorum & redditibus Pupillorum videri poſſunt multa apud Roder. *l.*3. *q.*10. Et plura apud Onnate *d.*48. 49. 50. 51.

DUBIUM II.

Quid, & quotuplex ſit Teſtamentum?

RESP. I. Teſtamentum eſt voluntatis juſta ſen- „ 1118
tentia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri „

„ vult, cum directa hæredis institutione : quod additur, ut „ distinguatur à reliquis ultimis voluntatibus : nam differt à „ legato, seu fideicommisso partiali, quòd hoc donatio quædã „ sit à defuncto relicta, & ab hærede præstanda: à codicillo verò „ differt, quia codicillus est quasi testamentum imperfectum, „ & non fit ad instituendum hæredem, nisi ex privilegio, v.g. in „ militia ; sed ad aliquid in testamento explicandum, addendum, mutandum, detrahendum, vel ad legata restituenda. V. „ Laym. *lib.3.t.5.c.1.& seqq.* Tann. *tom.3.d.q.c.8.* Less. *l.2.c.19.d.* „ 1. Bonac. *de Contract.d.3.q.17.p* 1.

„ *Resp.*2. Testamentum est duplex, I. In scriptis, seu clausum : quod testamentum Testator, sive sua, sive alterius „ manu scriptum, septem testibus idoneis, non defectuosis, „ non cæcis, non surdis, non mutis, nec furiosis, prodigis, „ infantibus, Religiosis, cognatis, qui in testatoris potestate „ sunt ; (quibus adde ipsum hæredem, & qui in ejus sunt „ potestate ;) sed masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis „ & vocatis, coram offert, profitendo id esse suum testamentum : tum, si possit, manu sua subscribit ; alioquin octavus „ pro eo testis : denique omnes & singuli 7. testes eodem tempore subscribunt, si possint, per se ipsos, proprioque, vel „ alieno, aut communi omnes sigillo consignant. Laym. *l.c.* „ Bonac. *p.*1. II. Nuncupativum, quod minorem solemnitatem requirit, scilicet tantùm, ut septem testes idonei suprà„ dicti convocati audiant, & intelligant testatoris voluntatem, coram eis scripto vel voce articulata prolatam. Etsi „ verò talis nuncupatio coram testibus, à Notario in scriptum „ communiter redigi soleat, id fit, non ad actus substantiam „ servandam, sed ad meliorem probationem, & securitatem, „ si testes decedant vel inidonei reddantur. Si autem testamentum careat solemnitate debita, dubiteturque, utrùm Testator voluerit conficere clausum, an apertum, valet ut nuncupativum, hæc enim præsumitur Testatoris voluntas, ne „ actus omninò corruat. Sanch. *l.4.Consil.c.*1.*d.*2. Lugo *d.*24. „ *sect.*1. Bardi *d.6.c.*10.*§.*1.

„ Porrò præter has solemnitates Jure communi requisitas, „ aliæ sunt partialium locorum, quas in singulis locis norunt periti Notarii, qui proinde ne impingatur, utiliter adhibentur.

„ *Quæres* : An testamentum sit validum, cui desunt solemnitates à Jure Civili requisitæ?

„ *Resp.*1. Si Testamentum factum sit ad causas pias, etiam „ in foro externo eas non requiri, sed sufficere eas, quæ sunt Juris Gentium, scil. duos testes; in foro autem conscientiæ, suppositâ potestate disponentis, sufficere scriptum, nutum, vel „ aliud signum Testatoris, absque ullo teste. Quòd si tamen manus testatoris non extet, requiruntur duo testes in foro externo, inter quos etiam fœmina esse potest, Covar. *& alii* 12. „ Dian. *p.7.t.6.R.*16. Item Confessarius vel Parochus esse potest; licèt legata sint pro sua Ecclesia ; idq; ad hoc tantùm, ut „ voluntas Testatoris probari possit, & Judex pro ea sententiã „ ferat. Vide Less. *d.*2.& Lugo *d.*22.*sect.*9. Ubi etiam probat, in „ tali testamento ad pias causas non esse necessariã hæredis institutionem. Ac licèt morte interveniente non fuerit absolutum, valet tamen quoad legata pia in eo jam expressa, Malder. Laym. *c.*2.*nu.*6. Dian. *p.*5.*t.*3. *R.*126. An autem tale testamentum ad causas pias principaliter factum, si solemnitates „ desint, valeat quoad legata profana, controvertitur : negat „ Bonac. *q.*1.*p.*3.*nu.*18.& Lugo *n.*274. Affirmat Covar. Sa, Less. „ *d.*2.*n.*9. Fill. Sanch. *d.*7.*nu.*2. Barbos. Trull. *tom.*2.*l.*7.*c.*18.*d.*4. „ Dian. *p.*7.*t.*6.*R.*4. Denique testamentum ad causas pias non „ solemne revocat aliud solemne, etsi hujus mentionem non „ faciat. Molin.&c. Dian. *R.*25.26. Idque etiamsi prius etiam „ fuerit ad causas pias, Mol. *& alii* 6. licèt hoc posterius quidam negent. V. Dian. *R* 26.27.

„ *Resp.*2. Si testamentum factum est ad causas non pias, hominibus rusticanis quinque testes sufficiunt si plures haberi „ nequeant : nec subscriptione opus erit, si litterati non sint. „ Laym. *n.*16. Bonac. *q.*17.*p.*5.*n.*4.

„ *Resp.*3. Tempore pestis non requiruntur septem testes simul congregati ad testamenti subscriptionem, sed sufficit, „ si singuli separatim adhibeantur. Adde, æquitatem postulare, ut quando testis vel Notarius haberi non possunt, ultimæ voluntates validæ pronuntientur, si de voluntate defuncti liquidò constet : hinc in Camera Imperiali valet testamentum, peste valdè grassante, conditum, coram duobus vel tribus testibus, inter quos Confessarius esse potest : „ atque hæc vera sunt secundùm Jus commune Cæsareum, seclusis specialibus locorum Statutis ; nam Venetiis v.gr. & „ Viennæ, duo testes ad testamentum sufficiunt. V. Laym. „ *c.*2. Imò absolutè loquendo tempore pestis sufficere solemnitates Juris Gentium, atque ideo tres vel duos testes, docet Diana *R.*34. ex Sa, Laym.&c. atque inter eos esse posse „ fœminam, & Notarium ipsum (tametsi non sit immatricu„ latus) modò non sit consanguineus vel affinis defuncti, R. „ 36. ex Menoch.&c. nec opus esse, ut sint rogati ; vel audiant vocem testantis (etsi hoc quidam requirant) modò eum videant. Resol.37.& 38. neque invalidari, licèt egrotus convalescat. Resol.39. ex aliis 8. Denique si Parochus scribat coram unico teste, habere vim testamenti saltem nuncupativam dicit Mol.& Marcha, cum Diana *R.*34.& 41. *Vide etiam* „ *P.5.T.3.R.*123.

*Resp.*4. Etsi probabilis, & secura sententia sit Covarr. Bonac. *q.*1.*p.*3.*n.*19.*& aliorum*, testamentum factum ad causas „ non pias, sine solemnitatibus Jure requisitis, invalidum „ esse in foro conscientiæ, præterquam quoad legata pia, Mol. „ Lugo *nu.*273. Vasq. Sanch. *d.*7.*nu.*3. Dian. *p.*7.*t.*6.*R.*3. contrà „ Barbosam, ita ut hæres per illud institutus, & legatarius, „ teneantur ad restitutionem hæredibus ab intestato : contrarium tamen verius est, ideòque licitè retinetur, quod tali „ testamento possidetur. Ratio, quia illæ solemnitates tantùm „ requiruntur ad cavendam deceptionem. Vid. Less. *lib.*2.*cap.* „ 19.*d.*3. Lugo *d.*12.*sect.*9. Unde secundùm hanc sententiam, „ *resolves sequentia* :

I. Hæres ab intestato, si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere hæreditatem, & solvere legata iis, quibus testamento minus solemni, aut ex voluntate ejus debentur, Mol. „ Less. contrà Bonac. *num.*6.

II. Si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis „ componere pro ratione dubii : quia cùm nec ipse, nec alii „ cœperint adhuc possidere bona fide, in dubio par est eorum „ conditio. Vid. Bonac. *num.*8.

III. Si hæres ab intestato retineat hæreditatem & legata, „ possunt illi, quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, uti occulta compensatione, quia reverà res illæ erant „ ipsorum. V. Bon. *num.*10.

IV. Si hæres ab intestato fateatur, mentem testatoris fuisse, „ ut hæreditatem nomine fideicommissi alteri traderet, vel legatum aliquod solveret ; aut si oblato Juramento jurare noluerit, cogendus est, etiam in foro externo, hæreditatem „ tradere, & solvere legatum.

V. Ob eandem causam idem dicendum est, si fateatur voluntatem testatoris fuisse, ut hæreditas, non ut fideicommissum, sed immediatè perveniret ad alium ; quia non est „ recurrendum ad fidem testium, vel ad Juris subtilitatem, „ quando is, cujus interest, ipse confitetur testatoris voluntatem. Vid. Less.& Lugo *num.*258.

*Resp.*5. Etsi probabile sit, Clericorum, & Novitiorum testamenta facta ad causas non pias sine solemnitatibus Juris „ non valere, Mol. *& alii* 3. cum tamen contrarium etiam sit „ probabile, Suar.&c. potest hæres ex tali testamento hæreditatem adire pro foro conscientiæ. Dian. *p.9.t.9.R.*16.

*Resp.*6. Milites hujus temporis gaudent iisdem privilegiis „ testandi, quibus olim, dummodò in castris (vel in propinquo ex causa legitima) versentur, Diana *p.7.t.6. R.*42. *ex* „ *aliis* 15. contra Baldum, &c. æquè adeo sufficiunt iis duo testes, (licèt probabiliter nec hi requirantur. Resol.45.) „ etiam non rogati, R.46. *& alii quatuor* contrà Mol *tom.*2. „ *disp.*129.*&c.* etiam aliàs inidonei, modò non sint impuberes, „ nec cæci, vel servi, R.47. Lugo, Vasq.&c. Neque opus est „ eorum subscriptione, vel signorum appositione, vel ut sint „ in conspectu testatoris, *ibidem*. Imò miles jure militari, „ (quo præsumitur esse testatus in dubio) potest testari solo „ nutu, R.49. Potest etiam plura simul testamenta valida facere ; vel pro parte testatus, pro parte intestatus decedere, R. „ 53. & 55. Valetque ejus testamentum etiam post missionem „ honestam, sed non ultrà annum, Mol. Lugo *ll.cc.&c.* R.61. „ Denique possunt milites suprà dicto modo testari, licèt sint „ surdi & muti (saltem si in castris auditum & vocem amiserint.) Dian. *R.*48.49.*&* 59. *ex aliis*. „

ADDENDA.

An omissio solemnitatis à Jure requisitæ invalidet contractum ? vide dicta à nu.716.

Quod Busembaum ponit post Resp.4. in Resol.3. nempe posse illos, quibus per testamentum non solemne aliquid relictum est, uti occulta compensatione, admitti non debet propter dicta p.1.n.962.

*Q.*200. *Quid præterea notandum sit circa testamenta ?* 1119
Resp.seqq.§.1. In ultimis voluntatibus, si aliæ solemnitates à Jure requisitæ adsint, spectanda est, etiam pro foro externo, præcipuè mens Testatoris, licèt rigor verborum non convincat, *l.96. ff.de Reg.Juris* : Testamentum autem inter liberos est maximè favorabile, valetque in foro externo, licèt aliquæ solemnitates desint, *L.Hæc consultissima*, 21.*§.Ex imperfecto*, *C.de testamentis*. Vitanda etiam est interpretatio ultimæ voluntatis, quæ hanc facit carentem ratione, & illa amplectenda, quæ facit prudentem & circumspectam, Less. *in Auct.v.Testam.casu* 9.

§.2. Si Caja præstiterit Cajo Marito multa obsequia in- 1120
debita spe favorabilis testamenti, quod Titius addixerat, & spe catenæ aureæ, quam fieri fecerat, ut donaret Cajæ, interea

tereà autem moriatur Titius inteſtatus, & catena necdum parata, in hoc caſu videtur dicendum, 1. Cajam nihil poſſe ſibi ideo, quòd haberet promiſſum favorabilis teſtamenti, occultè retinere ex bonis Titii, tum quia compenſatio occulta non habet locum, niſi ubi eſt debitum certum, ſecundùm dicta p.1.n.962. tum quia necdum fuit aſſignatio teſtamentaria, ſed tantùm animus aſſignandi. 2. Leſſ. *Caſu* 13. dicit probabile eſſe, quòd poſſit retinere catenam, aut accipere, quanti valebat, quia Titius agendo cum Aurifabro, ſatis ſignificavit voluntatem ſuam eſſe, ut eam faceret Cajæ, & videtur ſufficere talis implicita donatio, ex vi cujus proveniſſet donatio expreſſa, niſi mors interveniſſet; item virtualis donatio, qualis hæc eſt, videtur in foro conſcientiæ eandem vim habere, quam haberet expreſſa. Addit Jure naturali per voluntatem tranſferri dominia, ſi voluntas ſigno externo declaretur, quod videtur factum, quando juſſit catenam in eum finem fieri. Oppoſitum videtur probabilius, quia ut donatio valeat ſecuta morte donantis, debet res aliquo modo fuiſſe tradita, uti dictum eſt hic n.806. res autem hìc non fuit tradita, ſed tradenda, multò minùs occultè accipere poterit, quanti catena valebat, quia debitum non eſt certum.

1121 *Q.*201. *Quid ſit fidei commiſſum & ſubſtitutio?* R.§.1. Fidei-commiſſum, eſt ultima voluntas, qua Teſtator hæredem verbis precariis vel præceptivis gravat, ut hæreditatem totam vel ejus partem alteri reſtituat. Aliud eſt *univerſale*, quo tota hæreditas vel pars ejus aliquota committitur reſtituenda, & ſic per fidei-commiſſum, uti & per codicillos, poteſt indirectè inſtitui hæres, nempe committendo fidei hæredis primi, ut hæreditatem vel aliquotam ejus partem alteri cedat. Aliud eſt *particulare*, quo nec tota hæreditas, nec aliquid velut pars illius committitur reſtituenda, ſed tanquam aliquid ab hæreditate diſtinctum, & tum reipſa non differt à legato, uti habetur L.2. Cod. *Communia de legatis:* jure tamen noviſſimo per hoc ſolet diſtingui, quòd fidei-commiſſum particulare fiat verbis ad hæredem directis, v.g. hæres meus numerabit Titio 100. è contra legatum verbis ad legatarium directis: v.g. lego Titio 100. æqualem autem obligationem cauſant verba in fidei-commiſſis, ſive ſint precaria ſive præceptiva, uti habetur §.3. Inſt. *De ſingulis rebus per fidei-commiſſum.*

1122 §.2. Subſtitutio, eſt unius in alterius locum ad rem aliquam in ultima voluntate vocatio. Eſt autem duplex, directa & indirecta; Directa eſt, per quam ſubſtitutus hæreditatem teſtatoris conſequitur immediatè & ſine miniſterio alterius primi inſtituti; uti ſi teſtator dixerit, Titius ſit hæres, aut ſi hic non erit, ſit Cajus: Indirecta eſt, per quam committitur fidei directi hæredis, ut hæreditatem tradat alteri, ideòque etiam dicitur fidei commiſſoria, quia ſubſtitutus accipit hæreditatem, non directè à teſtatore, ſed à fidei commiſſario, ut ſi dixerit, Titius ſit meus hæres, quem rogo, ut quando morietur, rem Cajo reſtituat: Differunt autem hæ duæ ſubſtitutiones, 1. Quod directè inſtitutus fiat verus hæres, & dicitur hæres fiduciarius; alter autem non fit ſtrictè hæres, ſed tantùm dicitur hæres fidei commiſſarius. 2. Directè ſubſtitutus poteſt obtinere hæreditatem, quamvis eam non obtineat primò inſtitutus; è contrà indirectè ſubſtitutus nihil accipit, niſi priùs habuerit primò inſtitutus, unde ſi hic moriatur ante teſtatorem, indirectè ſubſtitutus nullum habet jus. 3. Directè inſtitutus acquirit hæreditatem ſine diminutione: è contra indirectè ſubſtitutus perdit quartam partem, ſecundùm L. Trebellianicam, de qua dicetur num.1171.

1123 *Q.*202. *An ille, qui originale teſtamentum vel alias litteras in favorem ſui factas amiſit, poſſit privatim ſimile inſtrumentum confingere?* Reſp.§.1. Si abſit præjudicium tertii, per hoc non committeretur crimen falſi, uti tenent Nav. & Sà apud Mendo *inſtat.d.*13.*q.*16. uti nec ille eſt falſarius, qui in re aliqua mutat ſcripturam, dummodò veritati innitatur, uti docent Gravet. Alciat. Menoch. & alii cum Mendo *n.*249. quia crimen falſi eſt *perverſio veritatis cum dolo & alterius jactura*, quod hìc non eſt.

1124 §.2. Licèt ſubſtituendo tale inſtrumentun nulli inferatur præjudicium, id tamen eſt illicitum, & meritò puniret forum externum, quia cùm ſic dari poſſet occaſio fraudum, meritò id reprobat Reſpub. ita Bald. Jaſ. Barb. Covar. *l.*1. *Variarum c.*2. *n.*3. Laym. *l.*3. *t.*3. *p.*1. *c.*4. *num.*3. Non eſſe autem mortale, docent Caj. & Sa; Et quamvis aliquis dicere poſſit hoc non eſſe nequidem contra veritatem, eò quòd directè intendatur tantùm recuperatio vel conſervatio rei ſuæ, licèt per accidens alii decipiantur, putantes eſſe primum ac genuinum inſtrumentum, tamen Covar. Laym. Mend. *num.*252. meliùs dicunt eſſe etiam contra veritatem, quia talis intendit ſuam utilitatem per hoc, quòd aliis ſuadebitur illud eſſe primum inſtrumentum, ergo intendit aliorum errorem & deceptionem: deinde ſaltem ſcripto teſtatur eam eſſe ſubſcriptionem Notarii vel alterius diſponentis aut teſtantis, quod falſum eſt: Ex eadem ratione putat Mendo *num.*253. cum peccare contra veritatem, qui utitur tali inſtrumento per alium confecto.

DUBIUM III. 1125

De Renuntiatione Hæreditatum.

RESP.I. Renuntiatio futuræ hæreditatis, niſi juramento firmetur, nullius roboris eſt. Ratio, quia ita jure cautum eſt, propter bonum publicum. Excipe 1. Niſi quis in ipſo teſtandi actu renuntiet juri ſucceſſionis, vel poſt teſtamentum conditum, in quo præteritus eſt, præteritionem ſui approbet. 2. Niſi hæres neceſſarius poſt debitam ſibi portionem integram à patre acceptam reliquæ hæreditati renuntiet: qui tamen, ſi bona patris poſteà augeantur, legitimam eorum portionem poteſt exigere, Laym. *lib.*3. *tr.*5. *cap.*7. *num.*1.

Reſp.II. Renuntiatio hæreditatis, cùm odioſa ſit, & contra jus commune, ſtrictæ interpretationis eſſe debet. *Unde reſolves Caſus ſequentes:*

I. Non obſtat renuntiatio hæreditatis etiam jurata à filio facta, quò minùs ab eodem patre, mutata iterum voluntate poſſit inſtitui hæres. Mol. Sanch. *l.*7. *c.*7.

II. Si filius renuntiavit in favorem fratris, eo mortuo ante patrem, is, qui renuntiavit, in prima hæreditate ſuccedere poteſt; imò etiam inſtitui debet: quia cauſa renuntiationis ceſſavit. Mol. *d.*579. *num.*19.

III. Filius poſt juratam renuntiationem, nihilominùs ſuccedere poteſt in iis bonis, quæ pater ad ſecundas nuptias tranſiens, liberis ex priore matrimonio ſuſceptis relinquere cogitur. Ratio, quia in his filius non ſuccedit jure ſanguinis, cui renuntiavit; ſed propter civiles Conſtitutiones, & favores. Mol. *num.*21.

IV. Etſi filia accipiens dotem à patre, dicat ſe ea contentam, & renuntiare paternæ hæreditati; pactum tamen illud eſt invalidum, eoque non obſtante, poteſt poſteà petere complementum legitimæ portionis ſuæ. Ex L. *pactum dotale*, Cod. *de collat.* L. *Si quando*, C. *de pactis*, & *cap. Quamvis pactum de pactis in* 6. Mol. Sanch. *l.*4. *conſ.c.*1. *d.* 34. Lug. *Reſp. mor. l.*6. 34.

V. Si parentes dent filiæ dotem infra portionem legitimæ debitæ, inducantque eam coactione, vel fraude ſeu dolo ad renuntiandum legitimæ, non ſunt in conſcientia tuti, ſed tenentur illi reſtituere libertatem. Sanch. *l.*4. *de matrim. d.*9. Lugo *l.c.* Ac licèt filia, ſi renuntiationem juramento firmaverit, eam ſervare teneatur, ſi tamen dolus vel metus intervenerit, licebit relaxationem juramenti injuſtè extorti petere; eaque obtenta non tenebitur pacto, quod ex injuſta coactione proceſſit: V. Sanch. *l.*3. *mor. c.*12. Lugo *de juſt. d.*22. *ſ.*8. *num.*95. & *Reſp. mor. l.*6. *d.*24.

Reſp.III. Omne pactum vel donatio de alterius viventis hæreditate, ipſo jure irrita eſt; v.g. irritum eſt pactum, quo Titius hæreditatem, quam ſperat à Sempronio, promittit aut obligat Cajo. Ratio, quia tales pactiones odioſæ ſunt, & plenæ periculis, ob inſidias, quæ parantur ejus vitæ, ſuper cujus bonis fit pactio. Laym. *num.*3.

Excipe 1. Niſi conſentiat is, de cujus hæreditate agitur, & in eo conſenſu uſque ad mortem perſeveret. 2. Niſi renuntiatio fiat in favorem Communitatis, ſeu Collegii, hìc enim ceſſat præſumptio, vel periculum inſidiarum. 3. Niſi quis ob Conſtitutiones Ordinis, & de omnibus bonis & juribus acquiſitis & acquirendis diſponere debeat, idque in favorem Communitatis piæ, vel etiam certæ perſonæ pauperis, Sanch. *c.*2. *n.*54. Laym. *n.*3. 4. Niſi fiat pactum circa hæreditatem perſonę incertę, v.g. ſi quę mihi hereditas obvenerit, dum vixero, tua eſto, ceſſat enim periculum. Mol. Sanch, *l.*7. *c.*2.

Quæres, Quouſque ſe extendat conſtitutio Tridentini *ſ.*25. *c.*16. *de regularibus*, irritans donationes, & renuntiationes, etiam juratas, quæ fiunt ab ingredientibus Religionem, niſi fiant cum licentia Epiſcopi ſive Vicarii, intrà duos menſes proximos ante profeſſionem, & profeſſio poſteà ſubſequatur?

Reſp.I. Hanc conſtitutionem non habere locum in codicillis, teſtamentis, aut donationibus mortis cauſa: quia hujus conſtitutionis ratio eſt, ne per renuntiationem hæreditatis, Novitiis imponatur neceſſitas profitendi; hæc enim ratio ceſſat in his ultimis voluntatibus; quippe quæ uſque ad profeſſionem revocabiles ſunt. Quare valet adhuc hodie teſtamentum à Novitio conditum, neque rumpitur ſecuta profeſſione, etſi Monaſterium in eo præteritum fuerit. Sanch. *l.*7. *cap.*5. Qui autem licitè à Religione recedit, recuperat omnia bona cuicunque ante donata intuitu ingreſſus in Religionem.

Reſp.II. Ea conſtitutione non prohiberi donationem modicam, quia ceſſat ratio.

Reſp.III. Ea comprehendi renuntiationem beneficii Eccleſiaſtici: Ratio, quia hæc eſt amiſſio magni juris, ob quam libertas egrediendi è Religione impeditur. Sanch. *n.*37.

Reſp.IV.

„ Reſp.IV. Per eandem etiam irritantur renunciationes, „ quæ fiunt ante ingreſſum Religionis, intuitu, vel cauſa im- „ pulſiva ingrediendi : qualis intentio in dubio præſumitur, „ ſi non multò ante ingreſſum factæ ſint ; Ratio, tum quia „ Concilium abſolutè loquitur ; tum quia aliàs non ſufficien- „ ter conſuluiſſet libertati Novitiorum. Nav. *conſil. l. 3. de* „ *Regul.conſil.*82. Leſſ.*l.2.c.*41.*n.*40. contra Sanch.cujus tamen „ ſententia eſt probabilis. Unde ſic donatum tutò retineri „ poteſt, donec per ſententiam Judicis reſcindatur.

„ Reſp.V. Irritam etiam eſſe donationem ſeu renunciatio- „ nem bonorum, ſub conditione profeſſionis edendæ factam, „ ita ut ea non ſecuta corruat, Nav.Sanch.*n.*17.Mol.&c. *to.*1. „ *de juſt.diſp.*149.*n.*4. Ratio, quia donantes,ſeu renuntiantes, „ ægrè contriſtant donatarios, ut eos de poſſeſſione ſemel ca- „ pta dejiciant: & Monaſteria, quæ tales donationes accepe- „ runt, omnes modos adhibent, ut tales ad profeſſionem in- „ ducantur. Laym.*l.3.tr.*5.*c.*7.*n.*8.

„ Reſp.VI. Non obſtante hac conſtitutione, validas eſſe „ renunciationes aut donationes, ante vel poſt ingreſſum So- „ cietatis JESU factas, juxta ejus Conſtitutiones. Ratio „ quia Tridentinum Societatem diſertè excipit. Dixi, *juxta* „ *Conſtitutiones*, quia in iis donationibus, quæ contra Conſti- „ tutiones fiunt, non videtur habere locum : quia Triden- „ tinum id voluit in favorem Societatis : Quod autem ob gra- „ tiam alterius conceditur, non eſt in ejus diſpendium retor- „ quendum. Mol.Sanch.Laym.*l.c.*

ADDENDA.

1126 QUæſt.203. *Si Cajus Societatem JESU ingreſſurus donavit Fratri ſuo certa bona, addito pacto non re- vocandi, ſed ſub conditione, ſi permaneat in Societate, an hæc diſpoſitio teneat?* R.§.1. Huic diſpoſitioni non obſtat Tri- dentinum *ſeſſ.*25.*c.*16.*de Regul.* quia Decretum Trid. non habet lo- cum in renunciationibus ante ingreſſum factis, etiamſi intuitu Religionis fiant,uti expreſsè declararunt interpretes Tridentini apud Gallemart ad hunc locum, & apud Dian. *p.*3.*t.*2. *R.*55. docentque cum aliis Sanch.*in Dec.l.*7.*c.*5.*à n.*3.&Caſtr.*t.*16.*d.*1. *p.*17.*n.*4. quamvis contradicant multi cum Barboſa *de Off. Epi- ſcop.alleg.*99.*n.*16. & Pirh.*l.*3.*t.*31.*n.*81. Et quamvis haberet lo- cum etiam in ingreſſuris alios Ordines, non tamen habet lo- cum in ingreſſuris Societatem, quia Trid. addit ſe nihil circa illam innovare, ſed relinquere immutatum ejus Inſtitutum : Itaque hæc quæſtio reſolvi debet ex jure, vel communi, vel particulari Societatis.

1127 §.2. Renuntiatio Caii videtur de jure communi eſse valida & irrevocabilis, quia nihil deeſt illi ad valorem donationis inter vivos, ſuppono enim adfuiſse reliqua in Cajo, ut validè donare poſſet. *Opponit* Barb.*n.*32.deciſum eſse in Rota, quòd talis donatio facta ob ingreſsum Religionis revocari poſſit,quia eſt veluti mortis cauſa : *Contrà* eſt, nam ſupponimus eſse do- nationem inter vivos, ſecundùm dicta hic n.816. Deinde talis deciſio Rotæ non eſt regula Juris, nec neceſsariò ſequenda, uti dictum eſt l.1.n.576. Quid autem tenendum ſit, ſi renuncia- tio fiat per modum teſtamenti, dicetur l.4.n.98.

1128 §.3. Valor iſtius renunciationis non videtur impediri, ſed potiùs firmari per inſtitutum Societatis, nam Examen ge- nerale cap.4. §.1.dicit, *Quicunque Societatem ingredi volent, antequam in domo aliqua vel Collegio ejus vivere ſub obedientia incipiant, debent omnia bona ſua temporalia, quæ habuerunt, diſtribuere & renuntiare, ac diſponere de iis, quæ ipſis obvenire poſſint*. Quod autem ibi loquatur de ingreſsuris Novitiatum, patet ex §.2.ubi additur, *quòd ſi ſtatim propter aliquas honeſtas cauſas bona non relinquet, promittat ſe promptè dereliturum omnia ; quandocunque per Superiorem injunctum ei fuerit*. Idem clariſſimè habetur p.3. Conſt.c.1.l.G. in declarationibus his verbis, *Ante ingreſſum quivis de bonis ſuis temporalibus pro ſuo arbitratu ſtatuere poteſt* : Et ideò Leſs.*l.*2.*c.*41.*num.*41.ait, *Ante ingreſſum Societatis poteſt quis validè diſponere de rebus ſuis in quaſcunque cauſas*, & Sanch.*n.*10. *Valent renunciationes & donationes factæ ante ingreſſum Societatis*.

Reſpondet Haun.*t.*2.*c.*6.*nu.*217. tantùm fieri poteſtatem di- ſponendi diſpoſitione abſoluta, nam in Examine §.1.expreſsè additur, *diſponendo tamen hæc bona juxta propriam devotio- nem, & à ſe omnem fiduciam ſubmovendo eadem ullo tempore recuperandi*. Cajus autem hic conditionatè tantùm diſpoſuit, & cum ſpe recuperandi, ſi nempe non maneret in Societate, ergo non diſpoſuit juxta Inſtitutum, ergo non validè. *Contrà*, diſſimulatis reliquis N. ult.conſeq. quia quamvis Inſtitutum fortè intendat talem diſpoſitionem fieri abſolutè ſine ſpe recu- perandi, tamen probari non poteſt, quòd aliter factam inva- lidet, ſtandum autem eſt pro valore actus, quamdiu clarè non conſtat eſse invalidum.

Nec obſtat, quòd dicatur, *debent omnia bona temporalia diſtribuere:* Nam Tò *debent*, in materia odioſa, & quæ eſt contra jus commune, non eſt explicandum ultra vim verbi, quod ad ſummum ſignificat Societatem optare aut velle, ut ſic abſolutè diſponatur ſine ſpe recuperandi, ſed non ideò impe- ditur valor : hinc Sanch.ſuprà docet jam ingreſſos Societatem poſſe validè, quamvis illicitè, diſponere in favorem cujuſcun- que de rebus ſuis, etiam contra Conſtitutiones & voluntatem Superiorum. Quòd autem Tò *debent*, non ſignificet impediri valorem actus, patet ex eodem capite 4.Examinis, ubi §.16.di- citur, *antequam ingrediantur in ſecundum annum probationis, per 6. menſes omnes vacare hujuſmodi 6. experimentis debent*: item §.27. dicitur, quòd emiſſuri profeſſionem per triduum mendicare *debent*, neque tamen dici poteſt, quòd ſecundus annus Novitiatus aut Profeſſio ſit invalida, ſi quis etiam culpabiliter tale aliquid non præmittat. An & quomodo No- vitius vel Scholaſticus Societatis poſſit diſponere de rebus ſuis, dicetur l.4.n.102.& 103.

DUBIUM IV. 1129

Qui poſſint & debeant eſſe Executores Teſtamenti?

REſp.I. Ii à teſtatore nominari poſſunt unus, vel plu- „ res ex hæredibus,vel non hæredibus nec tantùm maſ- „ culus, ſed etiam fœmina ; Sanch.VVading. Dian. *p.*8.*t.*5. „ *R.*4.non tantùm Laicus, ſed etiam Clericus, & Religioſus: „ Hic tamen non ſine ſui Prælati licentia : & quidem Gene- „ ralis, ſi ſit Societatis JESU : Fratres de Obſervantia,nullo „ modo. Quod ſi tamen Religioſus, contra Canonum decre- „ ta, executor teſtamenti ſit,acta ejus valent. Ita Laym. *l.*3.*t.* „ 5.*c.*11. Et ratio eſt, quia ſpectato jure naturali, ſufficit vo- „ luntas teſtatoris & executoris : nec Canones executionem „ Religioſi infirmant, ſed prohibent tantùm. V.Bon.*de cont.* „ *d.*3.*q.*18.*p.*3.*n.*10. Dian. *R.*9. 10. Et licèt impubes executor „ eſſe non poſſit, poteſt tamen Minor, ſi explevit annum 17. „ Sanch.Lug.VVading.Dian. *R.*6.Nullus autem cogi poteſt, „ ut ſit executor, Dian.*R.*27.detrectans tamen hoc ipſo perdit „ legatum, (ſaltem quod in præmium muneris ei relictum fuit) „ ceditque hoc aliis executoribus, Mol.*to.*1.*diſp.*248.*n.*5.Lugo, „ Dian.*R.*27.contra VVading. „

Reſp.II. Si nullus à teſtatore nominatus eſt executor,exe- „ cutio pertinet ad hæredem, etiam quoad legata pia : quo „ tamen caſu Epiſcopus jure communi ad ſe pertrahere poteſt. „ Laym.*num.*1. „

Reſp.III. Executor non poteſt officio fungi per alium, „ niſi Teſtator id ei permiſerit, aut niſi committatur executio „ nudi facti jam declarati. Sanch.Lugo, Dian.*R.*26. „

Quæres I. An Religioſus executor,legatum in pias cau- „ ſas, Monaſterio ſuo applicare poſſit? „

Reſp. Poſſe. Ratio, quia ſi quid obſtaret, eſſet ex eo, „ quòd executor etiam indigens, eleemoſynam ſibi ex teſta- „ mento applicare nequeat, niſi teſtator indigentiam ignora- „ verit,aut ea poſtmodùm ſupervenerit, cùm, ſi eam cogno- „ viſſet, certum quid ei legaturus fuiſſe videatur; ſed hæc ratio „ non ligat,quia cauſa Monaſterii diſtincta eſt à cauſa ſeu per- „ ſona Profeſſi, ſicut cauſa Eccleſiæ à cauſa Beneficiati. Unde „ etiam quivis juſſus aliquid dare pauperibus,poteſt id tribuere „ cognatis, vel filiis ſuis, quia evidens eſt diſtinctio inter do- „ nantem & accipientem. Sylv.Sanch. *l.*6.*c.*11.*n.*59. V.Dian. „ *R.*46. Porrò ad pias cauſas legata dicuntur, quæ intuitu „ pietatis relicta ſunt, nimirum. 1. Loco vel perſonæ ſacræ. „ 2. Hoſpitali. 3.Confraternitatibus. 4.Pupillis & Orpha- „ nis. 5.Quod cauſa alimentorum iis,qui indigent. 6.Quod „ cauſa ſtudii ſaltem Theologici. 7. Ad conſtructionem mo- „ numenti. 8. Ad utilitatem publicam, v.g. pro munienda „ urbe in neceſſitate, vel viis reficiendis. Dian.*p.*7.*t.*6.*R.*29. „ *&* 30.ex Bald.&c.mult. „

Quæres II. Quomodo relicta incerta executioni ſint man- „ danda? „

Reſp.I. Si incertitudo ſit ex parte legatarii, v.g.quia ſunt „ duo ejuſdem nominis & amicitiæ erga teſtatorem, jure civili „ corruit legatum; in foro conſcientiæ tamen tenetur executor „ inter eos dividere æqualiter, ſi in id conſentiant. Mol.*to.*1. „ *d.*197.*n.*1.*&* 2.*&c.* Dian.*p.*3.*t.*5.*R.*58. Trull. *to.*2.*l.*7.*c.*18.*d.*1. „ *n.*23. II. Legata ad cauſas pias, ob incertitudinem loci, „ vel Eccleſiæ, non fiunt caduca ; ſed plerumque pauperiori „ Eccleſiæ, vel Xenodochio danda erunt. III. Si incertitu- „ do ſit ex parte rei legatæ, videndum, an terminos à natura „ habeat, ut v.g.bos & equus ; vel ab arte & induſtria,ut do- „ mus, veſtis, &c.Si à natura habeat, danda eſt una ex medio- „ cribus : ſi ab arte, electio ad hæredem pertinet, qui rem in „ eo genere minimam dando ſatisfacit: Idemque dicendum „ eſt de legatis, in numero, pondere, & menſura conſiſtenti- „ bus. Vide Laym.*n.*7.8.9. „

Reſp.II. Si acceperint ſummam pecuniæ diſtribuendam „ pauperibus, non tenentur dare pauperioribus ; poſſuntque „ etiam dare hoſpitalibus, Eccleſiis, (quæ ornamentis, vel „ fabrica indigent,) Monaſteriis, vel iis, qui ſecundùm „

ſuum

„ ſuum ſtatum non poſſunt vivere, ſive ii ſint opifices, ſive
„ altioris conditionis, etiam Nobiles, Vaſq. Mol. & alii & dum-
„ modò tamen non conſtet, vel ex ſignis colligatur, aliam fuiſ-
„ ſe intentionem teſtatoris, quæ ſemper attendenda eſt. Dian.
„ *p.2.t.1.R.8.* Si verò deſignaverint ſemel certos pauperes, non
„ poſſe eos variare docet V Vading. ſed affirmat Lugo V. Dian.
„ *p.8.t.5.R.50.& p.2.t.16.r.19.* Poſſunt etiam ſibi ipſis, vel ſuis
„ cognatis, ſi verè pauperes ſint, præſertim ſi teſtator id ignora-
„ verit, eà applicare, V Vading. Dicaſt. Dian. *p.8.t.5.R.46.& 47.*
„ *Quæres* III. An legata ad certas pias cauſas, poſſint ab
„ executore, vel Epiſcopo commutari in alium pium uſum?
„ Reſp.I. Si voluntas teſtatoris impleri poteſt juſtè & hone-
„ ſtè, non licet eam commutare in opus quantumcunque me-
„ lius, niſi ex diſpenſatione Pontificis, & juſta de cauſa, Mol.
„ V Vad. Dian. *p.1.t.17.r.26.& p.8.t.5.r.63.&c.* communiter
„ contra Vaſq. & aliquos, qui docent, Epiſcopum poſſe com-
„ mutare in æquale vel melius. Interdum tamen ad Epiſco-
„ pum, hæredes & executores pertinet, ſecundùm epikiam
„ interpretari, non alienum eſſe à defuncti voluntate, ſi mu-
„ tatio fiat; v.g. ſi teſtator pecuniam Eccleſiæ legaret ad calices
„ comparandos, & Eccleſia non egeat calicibus, Mol. Laym.
„ *n.*10. V. Vaſq. *opuſc. de teſt. c.*8.§.5. *dub.*3.*n.*104. Trul. *to.*2.*l.*7.
„ *c.*18.*d.*12.*n.*30. Barboſ. *de off. Epiſc. alleg.*83.
„ Reſp.II. Si ad uſum à teſtatore deſtinatum applicari ne-
„ queunt, non ideò fiunt caduca, ſed arbitrio Epiſcopi & exe-
„ cutoris ad aliam piam cauſan applicanda ſunt; ita tamen,
„ ut quod fieri poteſt, defuncti voluntas impleatur. Ratio
„ eſt, quia is principaliter intendit ea in ſalutem animæ ſuæ ad
„ Dei honorem relinquere. Mol. *d.*294. Bon. *q.*17.*p.*8.§.9.*n.*4.
„ Barboſ. *l.c.* Ex dictis *reſolvuntur, ſequentes Caſus*:
„ I. Si teſtator pauperi determinato aliquid legavit, hic au-
„ tem ante ſolutionem moriatur, hæres illud tenetur alteri pau-
„ peri dare; quia præſumitur legatum pium factum in benefi-
„ cium animæ teſtatoris, ideoque deſignatio pauperis demon-
„ ſtrativè, non taxativè facta fuiſſet: niſi tamen aliud conſtet,
„ vel ex circunſtantiis colligatur de teſtatoris intentione; de
„ qua, ſi maneat dubium, manet data reſolutio. Mol. Sanch.
„ Bardi *d.*6.*c.*10.*ſ.*7.
„ II. Si legata pia inveniantur inducta, & non conſtet de
„ teſtatoris intentione, tenetur hæres ea ſolvere, quia præſu-
„ mitur id fortuitò ac caſualiter, & non ex teſtatoris voluntate
„ accidiſſe. Bard.§.17.
„ III. Si Teſtator legaverit Summam pecuniæ pro certo nu-
„ mero Sacrorum, hæres autem eam Summam Sacerdoti cui-
„ piam bono tradiderit, ac poſteà ob mortem dicti Sacerdo-
„ tis, aliamvè ob cauſam dubitet prudenter, an Sacrificia illa
„ ſint peracta, non tenetur curare ea iterum celebranda, quia
„ ſatisfecit teſtatoris voluntati. Bard.§.22.
„ *Quæres* IV. Intrà quod tempus, quo ordine & modo hæ-
„ redes & executores, defuncti voluntatem exequi debeant &
„ quis cogere poſſit?
„ Reſp.I. Teneri ſtatim poſt aditam hæreditatem, confe-
„ ctumque inventarium, etiam intrà annum, niſi juſto impe-
„ dimento excuſentur: Imò in legatis piis intrà ſex menſes.
„ Mol. Vaſq. Dian. *p.8.t.5.R.53.* Idque etiamſi hæreditas non
„ ſit adita, eò quòd hæres vel ante fuerit mortuus, vel eam re-
„ pudiarit, Covarr. & alii tres, Dian. *p.7.t.6.R.25.* Unde ſi
„ differant notabiliter, (præſertim ſolutionem piorum lega-
„ torum (aut negligant exequi, graviter peccant; tenentur-
„ que damnum, quod alii ipſorum culpa acceperunt, com-
„ penſare. Bonac. *d.3.qu.*18.*p.*4.*num.*1. Nav. *cap.*25. Lugo,
„ Dian. *R.*52.
„ Reſp.II. Ab utroque Judice, Eccleſiaſtico & ſæculari
„ compelli poſſunt, (ſi tamen laici ſunt) Quòd ſi poſt annum
„ à monitione Judicis vel Epiſcopi exequi negligant, omni
„ commodo (excepta tota legitima, ſi hæredes neceſſarii ſunt)
„ ex teſtamento ipſis proveniente privantur, V. Lay. *l.3.tr.*5.
„ *c.*11.*n.*13. Lugo. *d.*26. Dian. *p.*3.*t.*5.*R.*59. Valerum, Trull. *d.*11.
„ *n.*7. imò ſi intrà annum negligant exequi, jus executionis de-
„ volvitur ad Epiſcopum. Mol. & alii 8. Dian. *p.8.t.5.R.*40. Nec
„ admittitur purgatio moræ, Sanch. Dian. *R.*33.*&*.34. ſed tene-
„ tur Epiſcopus exequi, removendo illos ab executione, &
„ emolumentis ſpoliando: atque in defectum Epiſcopi, idem
„ poteſt Metropolitanus. Mol. *to.*1.*diſp.*250. Merol. Dian. *R.*57.
„ Reſp.III. Executor tenetur omnia exequi ſecundùm men-
„ tem teſtatoris, ad hoc tamen executor particularis non po-
„ teſt vendere bona defuncti, niſi hic ita ſtatuerit; univerſa-
„ lis autem poteſt, Lug. *d.*24.*ſ.*16. Dian. *R.*32. Neque poteſt
„ unquam invito hærede rem legatam dare legatario, quia non
„ poteſt niſi per Judicem ſpoliare hæredem ſua poſſeſſione; li-
„ cèt teneatur monere Epiſcopum, ut hæredem cogat. Sanch.
„ Lug. Dian. *R.*38. Quòd ſi bona non ſufficiant ad legata omnia
„ ſolvenda, diſtribuenda ſunt omnibus æqualiter pro rata
„ (etiamſi ſint pia, & licèt uni res certa, & in individuo ſit le-
„ gata) nec licet uni præ aliis gratificari, quia par omnium eſt
„ ratio & jus. Sylv. Sanch. Bonac. Dian. Trull. *d.*12. *num.*23.

Reſp.IV. Tenentur executores reddere rationem execu- „
tionis (idque probabiliter, etiamſi teſtator eos hoc onere li- „
beraſſet) exceptis iis, quæ teſtator juſſit erogari ſecretò, „
Dian. *R.*34.& alii 35. poſſuntque ad hoc cogi ab Epiſcopo „
vel Capitulo Sede vacante, *R.*36.37.*&* 62. niſi ſint Regula- „
res plenè exempti, quos cogi poſſe alii negant, affirmant alii, „
ut *Vid. l.c.* Denique non debetur iis ſalarium, cùm ſit officium „
voluntarium amicitiæ: ſi tamen damnum ex eo patiantur, „
vel ſint etiam adminiſtratores bonorum, debet aſſignari à „
Judice, Lugo *d.*24.*n.*335. V. Dian. *R.*39. Plura de executio- „
ne piarum & ultimarum voluntatum Vid. apud Trull. & „
Dian. *ll.cc.* & Barb. *l.3. de jure unius c.*27. „

ADDENDA.

*Quæſt.*204. *Quid notandum ſit præterea circa diſpoſitiones ad pias cauſas?* Reſp. Præter dicta à n.811. notanda ſunt ſeqq.§.1. Valere teſtamentum ad piam cauſam omiſſis omnibus ſolemnitatibus, dummodò conſtet de voluntate teſtatoris, v.g. ſi ſcripſerit aut ſubſcripſerit, ſi hæres agnoſcat ejus manum, aut ab eo immediatè audierit &c. docent AA. ita communiter, ut Haun. dicat ſe non inveniſſe celebrem Theologum contrarium. *Obiici* poteſt c. *Relatum* 11. *de Teſtam.* Ubi Alex. III. ait, *Mandamus quatenus cùm aliqua cauſa talis ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundùm leges, ſed ſecundùm Decretorum ſtatuta tractetis, tribus aut duobus legitimis teſtibus requiſitis.* R. Hos non requiri pro foro interno, aut ad ſubſtantiam, ſed tantùm pro foro externo ad probationem teſtamenti, quia poſſet teſtator non ſatis pro foro externo voluntatem ſuam manifeſtaſſe. *Nec obſtat*, quòd plures Juriſtæ ad ſubſtantiam teſtamenti, etiam ad pias cauſas, requirant ſaltem duos teſtes, quam ſententiam Julius Clarus *q.*7. aſſerit olim fuiſſe communiorem, *nam* idem ſubjungit, ſe nec ſibi nec amico ſuo ſuturum, ut eam practicet, maximè cùm ab ea recedant omnes Theologi & plurimi Canoniſtæ. Notat tamen Illſ. *t.*4.*d.*4.*n.*480. hæredem non teneri credere uni teſti, uti habetur cap.23. *de teſtib.& atteſt.* hoc enim foret obnoxium pluribus fraudibus; & hinc *Chriſtus Matth.*18. dicit, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Vide etiam dicenda l.4. nu.1517. Pro Archi-Diœceſi tamen Colonienſi declarat Synodus anno 1662. habita, p.2.tit.13.c.3.§.1. pag.116. quòd teſtamenta Eccleſiaſticorum facta ſine Notario vel Paſtore & 2. teſtibus, ſint invalida, quamvis admittat legata ad pias cauſas valere, tantùm ſcripta aut ſubſcripta à teſtatore. 1130

§.2. Quamvis teſtamenta per nutus facta; item captato- 1131
ria, id eſt, cum commiſſione ad arbitrium alterius, communiter cenſeantur nulla, ſi fiant ad cauſas profanas: tamen valent ad cauſam piam, uti de teſtamento per nutum docet cum aliis Illſ. ſuprà, & de teſtamento cum commiſſione habetur cap.13. *de Teſtam.*

§.3. Si voluntas teſtantis ſit ambigua, interpretanda eſt 1132
pro pia cauſa, Tiraq. de privilegiis piæ cauſæ, privil.165. & dictum eſt hic n.813. licèt videatur diſſentire Sanch. *in Decal. l.*4.*c.*15.*n.*46. dicens verba teſtatoris eſſe latè interpretanda in favorem hæredis; etiam contra piam cauſam, quia præſumitur plùs dilexiſſe hæredem quàm legatarios? ſed facilè reſpondetur præſumi debere, quòd adhuc plus dilexerit animam ſuam quàm hæredem: unde licèt aliàs, non quod majus eſt & melius, ſed quod eſt minus, in dubio veniat, tamen quando legatum factum eſt in genere vel obſcurè, ſi ſit ad piam cauſam, quod majus eſt, debetur, quia propter Dei honorem & utilitatem animæ augetur interpretatio teſtamenti, Tiraq. *Privil.*25. Unde ſi annuum legatum pro anima abſolutè relictum ſit, cenſeri debet perpetuum, hinc Alex. VII. damnavit hanc 43. propoſitionem: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quàm per* 10. *annos*. Circa dubias ejuſmodi diſpoſitiones videri poteſt Delbene *de Immu. Eccl.c.*8.*d.*21.*ſ.*14.*&ſeqq.*

§.4. Hæres ante omnia tenetur exequi, quidquid defun- 1133
ctus diſpoſuit ad pias cauſas pro ſua anima, Tiraq. *Privil.*133. & conſtat ex Cap. *Ultima*, 4.13.*q.*2.*l.*24. *Cod. de Epiſcopis, & l.*28. ibidem, item ex l.49. ibidem.

§.5. Executorem non poſſe exequi pia legata ante aditam 1134
hæreditatem, docent Covar. Jaſon. Tiraq. *Priv.*34. quia *Si nemo ſubiit hæreditatem, omnis vis teſtamenti ſolvitur*, Regula.181.ff. *de Reg. Juris*, & ſimilia habentur l.9.ff. *de Teſtam. Tut.* & alibi ſæpè, nihilominus alii cum Baldo *in l.*37. Cod. *de Epiſc.& Clericis n.*9. tenent contrarium ob rationem, quam referunt Bartol. Abb. aliique cum Menoch. *Conſ.*224.*n.*23.*p.*3. nempe quòd Lex magis faveat piæ cauſæ quàm filiis, excepta legitima. Addit Illſ. *num.*480. legata ad pias cauſas deberi etiam repudiata hæreditate.

§.6. Executores etiam feſtivis diebus poſſunt exequi pias 1135
cauſas, *ne conſcientia defuncti voto diu irretita detineatur*, uti loquuntur AA. tenentur autem legata pia exequi intrà 6. menſes, uti notat Covarr. *de Teſtamen. c.*3. putatque Baldus *in* L. *Captatorias* 11. Cod. *de Teſtam. milit. n.*12. tempus, intrà

quod

quod tenentur exequi, incipere à morte teſtatoris, & currere in favorem conſcientiæ defuncti, non tantùm ignorantibus, ſed etiam impeditis, alii tamen cum Covar. ſuprà & apud Molin. *to.2.d.251.* dicunt tempus non currere, niſi à die ſcientiæ, & aditæ hæreditatis, aut ſaltem inſinuationis teſtamenti; ſi autem Teſtator expreſſerit, ut poſt 6. menſes 100. Floreni dentur Pauperibus, probabile eſt poſſè id fieri maturius; poteſtque de hoc videri Covar. *c.17.n.8.* & Mol. ſuprà.

1136 §.7. Benedictus XI. in Extravag. 1. *Inter cunctas*, Tit.7. *de Privil.* ſub finem, ſic ſtatuit, *Relicta pauperibus non patiuntur Falcidiam*. Idem habetur L. *Si quis* 49. Cod. *de Epiſc.* & Auct. *Similiter*, Cod. *Ad l. Falcidiam*, docetque cum aliis Tiraq. *Privil.26.* Nec Trebellianica deducitur, Covar. Leſſ. *in Auct. v. Teſtam. caſu* 5. Tiraq. *Privil.27.* Quid autem intelligatur per Falcidiam & Trebellianicam dicetur à n.1170. Et licèt diminutio in codicillis ſit facta per verba generalia eorum, quæ relicta erant in teſtamento, non tamen extenditur ad ea, quæ in ipſo relicta erant ad pias cauſas, ſed hæc debentur integra, Tiraq. *Privil.19.* Quamvis autem aliàs legata diminuantur pro rata, ut omnibus ſufficiant, tamen Tiraq. *Privil.72.* putat legata pia ante omnia deduci tanquam ęs alienum, etiamſi aliis legatis non piis bona non ſufficiant; ſed in hoc contradicit cum aliis Buſemb. Addit Tiraq. *Privil.* 81. executorem teſtamenti poſſe præſtare legata pia inconſulto hærede; ſed in hoc videntur etiam contradicere alii cum Buſembaum.

1137. §.8. Si legatum pium fuerit relictum ſub conditione mixta, quæ non fuerit impleta propter caſum fortuitum, nihilominus debetur, etiamſi non ſteterit per hæredem, Tiraq. *Privil.57.* & 58. Similiter quamvis legata profana maneant hæredi, ſi eorum executio fieri non poſſit in ea ſpecie, in qua relicta ſunt, id tamen non tenet de legatis piis, ſed hæres debet hæc convertere in ſimilem uſum pium, uti ex Jure oſtendunt Covar. Mol. *d.249.n.7.* Delbene *ſ.16.* & ex Trid. *ſeſſ.25.c.8. de Reform.* colligit Haun. *t.2.t.7.n.347.* Et ratio eſt, quia Teſtator voluit expendi in bonum animæ ſuæ. Videri poteſt Molin. *diſp. cit.*

1138 §.9. Quando in teſtamento ponitur hæc clauſula: *Si ſine liberis deceſſero, volo, ut hoc prædium cedat Eccleſiæ:* Si Teſtatori naſcatur proles poſthuma, ſed ſolùm ſemeſtris vel octomeſtris, quæ ſtatim moriatur, illud prædium debetur Eccleſiæ, uti tenent plurimi cum Menoch. *de Præſumpt. l.4. Præſumpt.89.n.111.* Poſſuntque plures caſus apud eundem videri, in quibus manet ejuſmodi ſubſtitutio.

1139 §.10. Si Titius conſtituat Cajam hæredem ſub hac clauſula, *ut ſi moriatur abſque prole legitima, bona redeant ad Amicos*, ſi Caja profiteatur in Monaſterio, in primis nullum Jus competit ſubſtitutis ante naturalem mortem Cajæ, quia per Profeſſionem non moritur verè, ſed tantum fictè, dein hæc hæreditas abſolutè & in perpetuum relinqui poteſt Monaſterio, quod tanquam Filius excludet omnes ſubditos, uti habet Novella 123. *de Epiſc. cap.37.* quæ ſolùm excipit, niſi ſubſtitutio facta ſit in aliam piam cauſam: idem inſinuatur Auct. *Niſi rogati, ad S.C. Trebel.* Idem definitur c.8. *De Probationibus*, ubi id dicit etiam Gloſſa, docentque communiter Doctores cum Gomez. Alex. Decio, Molin. Leſſ. *in Auct. v. Teſtam. Caſu 3.* eſtque ideo ſtatutum, ne quis per hoc retrahatur à ſtatu perfectiore. Videri poteſt Cov. *l.1. variar. c.19.* Quòd ſi clauſula fuiſſet, *ut ſi decederet ſine prole, bona cederent alteri cauſæ piæ*, adhuc probabile dicit eſſe Leſſ. *Caſu.4.* Monaſterium Jure perpetuo poſſe ſuccedere, quia ex communi ferè Canoniſtarum non cenſetur ſine liberis deceſſiſſe, qui Monaſterium ingreditur, cum Monaſterium ſit liberorum inſtar, ſed probabilius eſt oppoſitum cum Covar. Mol. *diſp.207.* aliiſque multis, quia ſubſtitutionem ad piam cauſam expreſsè excipit Novella ſuprà.

1140 §.11. Si quis conſtituat Cajum hæredem, ſub conditione, ſi non ingrediatur religionem, talis clauſula ordinariè habenda eſt pro non adjecta, nec obligat in conſcientia, uti ſequitur ex dictis à n.599. docentque Silv. Med. Panormit. Leſſ. *caſu* 2. aliique communiùs cum Delben *de Immun. Eccl. c.8.d. 21 ſ.3.* ac probabile fatentur Covar. & Mol. videturque deciſum in Novella ſuprà & egregiè tradit Felin. Cap. *In præſentia*, De probat. num.37. Dixi, *ordinariè*, quia ſi aliunde reſciretur mens teſtatoris fuiſſe, non quòd vellet deterrere à Religione, ſed quia ſcriviſſet Cajum fore magis indignum, ſi Religionem non ingrederetur, probabiliter haberet locum diſtinctio jam referenda ex Barboſa, & fatetur etiam Delbene non eſſe omninò improbabile.

1141 §.12. Si ſic fiat diſpoſitio: *Lego Cajæ 200. ſi nubat; ſi autem ingrediatur Religionem, lego* 100. alii dicunt, ſi ingrediatur Religionem, deberi 200. alii tantùm 100. uti videri poteſt apud Covar. ſuprà Mol. *d.207.* Sanch. *de matr. l.5.d.34. nu.13.* Leſſ. *l.2.c.18. dub.15.* ſed Barboſ. *de Offic. Epiſc. Alleg.83.nu.28.* licèt dicat probabilius eſſe, ſi ingrediatur Religionem, deberi 200. tamen poſteà meliùs ſic diſtinguit, ſi teſtator ideò ita legavit, ut abſterreret à Religione, debentur 200. ſi autem ideo legavit, quia maritanda ęget majori dote debentur tantùm 100. unde ſi diſpoſitio diceret aliquid dandum maritandis, docet idem Barboſ. *n.26.* cum aliis 22. Authoribus, quos refert, non poſſe dari ingreſſuris Religionem.

§.13. Si Titius bona ſua legaverit alicui Eccleſiæ, ſub one- 1142
re, ut ſingulis diebus Miſſa ibi celebretur, ita ut ſi vel ſemel omitteretur, bona hoc ipſo devolverentur ad proximum ſuum conſanguineum, ſi vel ſemel culpabiliter omittatur, Eccleſia eſt privata, uti rectè Beja *p.1. caſu* 41. quia pœnæ appoſitæ ultimis voluntatibus cenſendæ ſunt potiùs conditiones uti num. 606. dictum eſt, ideòque videntur obligare, etiamſi alter non exigat vel moneat.

§.14. Si legatum ſic habeat: *Pauperibus in die ſepulturæ* 1143
meæ diſtribuantur 100. *daleri*, & dubitetur, an voluerit dari pauperibus inquilinis, an etiam exteris, inquiri debet in mentem teſtatoris, apud illos, qui ſcripſerunt, vel adfuerunt confectioni teſtamenti, aut præſumendum eſt ex circumſtantiis; nam ſi pauperes loci voluit adeſſe ſuo funeri, ſi ſtatuerat his benefacere, videtur ad hos ſolos reſpexiſſe; ſi autem de ea mente non conſtet, poterit dari etiam exteris, ut probabile eſſe docet Bonac. *de Contr. d.3. q.17. punct.8. ſ.4. n.2.* Diana *p.4. tr.4. R.140.* & alii, quos citant. Oppoſitum tamen valde probabiliter tenent alii cum Sanch. *in Conſ. l.4. cap.1. d.60.* Nam L. *Si quis ad declinandam* 49. *Cod. de Epiſc. & Cler.* ſic habetur §.3. *Ubi indiſtinctè pauperes ſcripti ſunt hæredes, ibi Zenonem ejus civitatis omni modo hæreditatem nanciſci;* ſed reſponderi poteſt, id quod ſtatutum eſt de hæreditate, non eſſe opus extendere ad legata. Poſſe autem ſub pauperibus comprehendi etiam Monaſteria Mendicantium, putat Leſſius *v. Teſtamentum*, caſu 6. niſi ſpeciatim pro illis factum ſit aliud legatum, ſed videtur diſſentire Delbene *num.17.*

§.15. Si Teſtator juſſit per 10. ſucceſſivè annos certam 1144
Summam erogari pauperibus, hæres poteſt totam quantitatem ſimul primo anno erogare, quia ſic citiùs prodeſt animæ defuncti, & hic cenſetur in favorem hæredis diviſiſſe per plures annos; ita Bald. Dec. Covar. Molin. Barboſ. *de Offic. Epiſc. Alleg. 83. num.25.* & alii contra Bart. & pleroſque alios.

§.16. Quamvis Religioſi non poſſint eſſe executores te- 1145
ſtamentorum, niſi impetrata Superiorum licentia, Cap. 2. *de Teſtam. in 6. & Clement. l.3. tit.6. de Teſtam.* ita quidem, ut executio per illos facta ſecundùm Decium & Covar. *de Teſt. c.17.n.2.* contra Laym. Buſemb. & alios invalida ſit; ſi tamen fuerit executio piæ cauſæ, erit valida, etiam ſine Superioris licentia, Ludov. Roman. *Conſ.409.* Circa Religioſos Societatis JESU, quomodo ſpecialiter prohibeantur eſſe executores teſtamentorum etiam ad pias cauſas, videri poteſt Lugo *in Reſp. Mor. l.4. dub.29.* & aliquid dicemus *Lib.4.n.146.* Et circa diſpoſitiones ad pias cauſas videri poſſunt plura apud Delbene *de Immun. Eccl. c.8. d.21. ſ.13. & ſeqq.*

Q.205. An in neceſſitate Reipublicæ licitum ſit diſpoſitio- 1146
nes pias convertere in alios uſus? Reſp. Intelligetur ex ſeqq. §.1. Gravis neceſſitas Reipublicæ, v.g. propter famem, communiter æquivalet neceſſitati extremæ particularium, Cajet. Suar. Tapia, Carden. *in 1. criſi d.80. à n.15.* aliique communiter, quia illa neceſſitas rarò erit ſine hac, unde ſicut certum eſt, eſſe obligationem, etiam ex neceſſariis ad ſtatum, ſuccurrendi Proximo in extrema neceſſitate, ita eſt opinio S. Th. 2.2. *qu.32. a.6.* communiter recepta, quòd ſit obligatio ſuccurrendi gravi neceſſitati Reipublicæ, quia commune bonum eſt præferendum proprio in temporalibus, & debet quivis privatus etiam vitam perdere, ſi neceſſe ſit pro tuenda vita Reip.

§.2. Gravis neceſſitas Reipublicæ tempore famis colli- 1147
gitur ex his ſignis: 1. Si omnes ſentiant gravamen ingens ob caritatem annonæ, ita ut, qui olim abundabant, jam ad parcimoniam redacti ſint. 2. Si valdè multi, v.gr. in valde magna civitate 40000. hominum publicè accedant ad reportandum fruſtum panis. 3. Si meritò timeatur, ne honeſtæ Matronæ, vel cives non habentes, quo ſe alant, nec potentes lucrari, fame enecentur. 4. Si ideo advertantur fieri multa furta nocturna, aut de prædationes. 5. Si præſentiatur ſeditio populi, qui plerumque in neceſſitate factiones inchoat. 6. Si prudenter timeatur vis inferenda Magiſtratibus in quos plerumque culpa aliqua refunditur. 7. Si enaſcantur periculoſi morbi, quia indigentes utuntur cibis noxiis. 8. Si multæ fœminæ ob famem fiant mancipia Veneris, Card. *à num.22.*

§.3. Licitum eſt ex illis, quæ ad uſus pios, etiam per ul- 1148
timas voluntates, deſtinata ſunt, ſubvenire gravi neceſſitati Reip. quia (ſecundùm omnes) bona exteriora ex Dei inſtitutione deſtinata ſunt ad ſublevandam neceſſitatem indigentium, ſaltem extremam aut illi æquivalentem, uti conſtat ex dictis Lib. 2. à n.204. hæc autem eſt talis, ergo. *Confirmatur*: nam ſi Teſtatores ipſi viverent, tenerentur diſpoſitiones ſuas relinquere iſti fini, aut prout poſſent, immutare aliter factas, ergo.

§.4. Commutatio illa fieri poteſt, 1. Per Papam, uti 1149
conſtat ex Trid. *de Reform. Seſſ.22.c.6. & Seſſ.25. c.4.* Notant autem plerique cum Carden. *n.40.* ad hoc requiri juſtam cauſam, quamvis etiam ſine cauſa ab eo fieri poſſe dicant Silv. Peruſ. Ang. alique quia teſtatores videntur facere ſub conditione,

niſi

niſi Papa aliter diſpoſuerit ; ſed priores probabilius dicunt intelligi, niſi ex juſta cauſa aliter diſpoſuerit. 2. Per ſupremum Principem ſæcularem, ſi materiam piorum operum ſit ei ſubjecta, Sanch. & alii cum Carden. *n.* 41. Non autem poteſt, ſi materia non ſit illi ſubjecta, uti ei non ſubjicitur legatum Miſſarum, Beneficii, Capellaniæ, Templi conſtruendi &c. 3. Per Epiſcopum, ſi non ſit aditus ad Papam, vel ſi ſit periculum in mora ; ita Moneta, Barboſa *de Poteſt. Epiſc. Alleg.* 83. *n.* 16. Carden. *nu.* 43. vocans ſecuram ſententiam ; nam poteſt in ſimili caſu diſpenſare quoad impedimenta Matrimonii, uti dicetur *L.* 6. quando de illis impedimentis ; item in votis Papæ reſervatis, uti dictum eſt p. 1. nu. 553. & 563. Item in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum, uti dicetur Lib. 4. n. 1365. Item in abſolutione à reſervatis Papæ, uti dicetur Lib. 6. quando de Confeſſario. Rationem dant Authores graviſſimi apud Sanch. *de Matrim. l.* 1. *d.* 61. *nu.* 3. quòd Epiſcopus id poſſit in ſua, quod poteſt Papa in tota Eccleſia, ſed abſtrahendo ab hoc : Ratio noſtra eſt, quia reſervatio illa Papæ non eſſet in ædificationem, ſed in deſtructionem Charitatis & boni publici. *Neque obſtat*, quòd executio ultimarum voluntatum ſit juris naturalis, quia teſtator voluit illum finem, & non alium. Ipſe autem erat Dominus rei ſuæ ; *nam* contra eſt, tum, quòd Deus aliter diſpoſuerit de bonis creatis, volens ea ſervire ad levandam talem neceſſitatem ; tum etiam, quia hæc fuit implicita voluntas fundatorum ut ad talem neceſſitatem ſublevandam impenderentur, alioquin irrationabiliter diſpoſuiſſent.

1150 §. 5. Non expedit, ut executores ultimarum voluntatum abſque authoritate Papæ, Principis vel Epiſcopi ejuſmodi legata commutent ad levandam gravem Reip. neceſſitatem, quia poſſent intercurrere multi errores, abuſus & ſcandala : poſſent tamen id abſolutè facere, ita Carden. *n.* 71. tum quia id liceret pro extrema neceſſitate hominis particularis, cui hæc æquivalet, tum etiam, quia hic urget jus divinum, cùm bona externa, DEI diſpoſitione ordinata ſint ad ſublevandas graviſſimas pauperum neceſſitates ; Ubi autem urget jus divinum, non eſt opus authoritate Superioris, ut mihi liceat illi ſatisfacere : ſi tamen neceſſitas illa Reip. non eſſet evidenter gravis, expectari deberet declaratio Epiſcopi, ut Trid. ſuprà innuit, & rectè notat Carden. *num.* 73.

1151 *Q.* 206. *Quid alias poſſit Epiſcopus circa commutationem ultimarum voluntatum* ? Reſp. De hoc dicetur l. 4. à n. 846. ubi univerſaliter examinabitur, quid poſſit Epiſcopus circa diſpoſitionem ad pias cauſas.

1152 *Q.* 207. *Si plures ſint deſignati executores, an quilibet ſolus poſſit exequi, vel debeant omnes concurrere* ? Reſp. Si executio ſit illis diviſim commiſſa, poteſt quilibet ſolus, argum. L. 2. Cod. *De divid. tute.* & L. 51. *ff. De adminiſtr. & peric. tut.* Si conjunctim ſit commiſſa, debent omnes concurrere, uti colligitur ex Cap. fin. §. fin. *De Teſtam. in* 6. niſi eorum aliquis in remotis ageret, id eſt, ſi proximè non eſſet reverſurus, tum enim opus non eſt vocari vel expectari ; L. *Pluribus*, *ff. de procurat.* Bald. in L. *Nulli*. 37. Cod. *de Epiſc. & Cleric. num.* 15. Quòd ſi aliquis executorum tergiverſetur, alii poſſunt pergere, Cap. fin. ſuprà.

1153 ## DUBIUM V.

De iis, qui teſtari & hæredes inſtitui poſſunt.

» REſp. I. Omnes homines liberam de ſuis bonis teſtandi » facultatem habent, niſi naturali aut poſitivo jure pro» hibeantur. Naturali autem jure teſtari vetantur infantes, fu» rioſi, amentes ; niſi lucida intervalla habeant, vel in una » tantùm materia delirent, & in aliis non, ut Nav. Sanch. *l.* 1 *de* » *matr. d.* 8. Quid autem ſentiendum de eo, qui ex morbo ali» quamdiu delirat. V. Lugo *d.* 24. *ſ.* 4. Poſitivo autem, ſur» dus ſimul & mutus à natura, prodigus, ſervus, uſurarius, » publicus, filius-familias de bonis adventitiis, (ſiquidem an» te Clericatum advenerint, ut V. Lug. *nu.* 67.) impubes, ca» ptivus apud hoſtem, damnatus ad mortem ; ſi bona ejus » confiſcentur, Lugo *nu.* 72. profeſſus Religionem.

» Dico, *profeſſus*, quia novitius, cùm adhuc ſui juris ſit, » abſque Superioris licentia validè teſtari poteſt, etiam non » ſervata juris ſolemnitate, uti habet Trull. *to.* 2. *l.* 7. *c.* 18. *d.* 5. *n.* » 4. ex Sà & Bon. & ſi quidem inteſtatus decidat, proximi con» ſanguinei in bonis ſuccedunt. Similiter Religioſus Societa» tis, poſt emiſſa vota ſimplicia, etſi non licitè, validè tamen » poteſt teſtari, quia dominium bonorum ſuorum retinet, » impeditum quaſi voto pauperatis, quoad diſpoſitionem ſine » licentia Superioris ; non autem ulla conſtitutione canonica » diſpoſitio irritatur. Ita Molin. Sanch. Laym. qui addit, » poteſtatem teſtandi, ſive jure, ſeu conſuetudine, etiam Re» ligioſis Ordinum militarium conceſſam, frequenterque à » Pontifice concedi iis ſolere, qui extra clauſtrum, Benefi» cium vel Epiſcopatum habent.

Reſp. II. Omnes homines, etiam amentes, ſurdi, muti, » ſervi, imò & communitas, hæredes inſtitui poſſunt, niſi » ſpecialiter prohibeatur. Ita Bon. *to.* 2. *de contr. d.* 3. *q.* 17. *p.* 3. » quia ad hoc tantùm requiritur plena poteſtas in diſponente, » & capacitas in hærede. Incapaces autem ſecùndum iura ſunt, » 1. Apoſtatæ & hæretici, eorumque receptores, defenſores, » fautores : licèt probabile ſit, eos ante ſententiam Judicis ad » reſtitutionem non teneri, eò quòd hoc jus in eo rigore non » ſit receptum. Leſſ. *l.* 2. *c.* 19. *dub.* 5. Sanch. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 31. 2. Ci» vitas hoſtium, & communitas Judæorum. 3. Damnatus » ad metalla, perſecutores & percuſſores Cardinalium, & qui » ob crimen activè inteſtabiles ſunt. Leſſ. *l. c.* Adde caſus, in » quibus aliqui excluduntur à bonis defuncti, ut 1. Hæres (uti » & legatarius) qui teſtatorem occidit, *leg. ult.* §. *ult. ff. de bonis* » *damnatorum*. 2. Item ſi teſtatori prohibuit teſtari, aut teſta» mentum revocare ; aut ſi ad uxorem teſtatoris accedat. 3. Si » dum teſtator mente captus fuit, hæres illius curam non ha» buit, aut ſi captivum redimere neglexerit. V. Mol. *d.* 178. » & 212. Lugo *d.* 24. *n.* 75. *Undereſolves :* »

I. Hæredes inſtitui poſſunt profeſſi Ordinum, quibus per» miſſum eſt bona immobilia in communi poſſidere, eorum» que nomine Monaſterium ſuccedit : Tales autem ſunt omnes » ferè Religiones, excepto Ordine Minorum de Obſervantia, » & Capucinorum. Ratio, quia illi ſunt incapaces, ſecundùm » Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 3. uti & profeſſi Societatis JESU. V. Sanch. *l.* 6. *c.* » 18. Bon. *l. c. n.* 5. Lay. *l.* 3. *t.* 5. *c.* 5. licèt contrarium probabiliuſeſ» ſe putet VVad. *de contr. d.* 4. *dub.* 5. §. 4. V. Dian. *p.* 9. *t.* 9. *R.* 16. »

II. Collegia Societatis JESU, & domus etiam profeſſæ, » hæreditates accipere poſſunt, modò bona immobilia, quæ » communi uſui & habitationi non deſerviunt, vendantur, & » non deferantur intuitu profeſſi, aut vota formata habentis. »

Dixi, *hæreditates* ; quia ſicut Minores & Capucini, le» gata & alia donata admittere poſſunt ; ita etiam Societas » JESU, etſi intuitu alicujus profeſſi tantùm ea deferan» tur. V. Laym. *l. c.* »

III. Teſtator poteſt quemvis extraneum inſtituere hære» dem, nulla facta mentione conſanguineorum collateralium, » etiam fratris pauperis, dummodò abſit ſcandalum, & gra» vis neceſſitas illorum : quia nullo jure prohibetur, & bona » ſunt ipſius, de quibus diſponit liberè. Bon. & alii 5. Dian. » *p.* 1. *t.* 8. *R.* 83. & 86. Item *p.* 5. *t.* 3. *R.* 114. »

Quæres I. Quæ ſit diviſio hærçdum ? »

Reſp. Hæres alius eſt ex teſtamento, alius ab inteſtato. He» res ex teſtamento, vel eſt univerſalis, ſive ex aſſe ; vel partia» lis, ſeu ex parte tantùm ; v. g. ex triente vel dodrante, vel » quadrante. Uterque horum, vel eſt hæres neceſſarius, qui » neceſſariò inſtitui debet, ut ſunt homines in recta linea de» ſcendentes, & poſt hos aſcendentes, niſi ſit cauſa juſta exhæ» redandi ; vel non neceſſarius, quem teſtator poteſt inſtitue» re, & non tamen cogitur, Laym. *l.* 3. *tr. c.* 5. *num.* 9. »

Quæres II. Quantum hæredibus neceſſariis debeatur ? »

Reſp. Jure novo legitimam portionem deſcendentium, » eſſe trientem hæreditatis ſi non ſint plures quàm quatuor li» beri ; ſi plures, ſemiſſem : Similiter aſcendentium portio, » etſi unus tantùm ſit, eſt triens hæreditatis, idque abſque ullo » gravamine, modo & conditione ; alioqui pro non appoſi» tis habentur. Quod ſi autem alicui aſcendentium, vel de» ſcendentium, portio legitima non relinquatur ; competit ei » actio ad petendum complementum, vel ad reſcindendum te» ſtamentum, ut ipſo jure nullum : maximè, ſi cauſa idonea » exhæredationis non ſit inſerta & probata. Laym. *num.* 10. »

His adde 1. Rumpi teſtamentum ob poſthumi præteri» tionem. 2. Peccare parentes, ſi abſque juſta cauſa, ex mor» dinato affectu erga liberos, ſucceſſionis inæqualitatem inter » eos inſtituant : Juſtæ autem cauſæ hujus inæqualitatis erunt, » merita & obſequia majora ; ſi pupilli magno ſumptu in ſtu» diis ali debeant ; ſi quis plus egere videantur, Dian. *p.* 1. *t.* 8. » *R.* 83. ſi quis in ſtudiis ſuſtentatus ſit Doctor, poſſitque lucra» ri, & alii ſecus ; imò pater, id, quod habet ſupra partes » legitimas filiis debitas, poteſt de rigore relinquere extraneo. » Trull. *to.* 2. *l.* 7. *c.* 18. *d.* 10. *num.* 2. Bon. Dian. *R.* 83. 3. Liberos » naturales, niſi legitimati ſint, reſpectu patris non eſſe hære» des neceſſarios, reſpectu tamen matris, eſſe, idque æquali » jure cum legitimis. Quòd ſi tamen pater liberis caret, na» turales poteſt inſtituere hæredes ; modò parentes ſuperſtites » legitima portione non priventur. 4. Fratrem & ſororem tunc » tantùm poſſe infirmare teſtamentum, ſi perſona infamis in» ſtituta ſit, Lay. *n.* 15. V. Bon. *d.* 3. *de contr. q.* 17. *p.* 3. 5. Patrem » non poſſe expenſas factas pro filio in ſtudiis litterarum repe» tere, ſiquidem eas liberaliter fecit, vel donavit : ſecus ſi ha» buit animum repetendi, & computandi in legitimam. Quod » ſi pater non repetiit, quando potuit, non tenetur filius eo » mortuo in diviſione conferre in commune, quia præſumi » poteſt liberaliter factas, vel condonatas, niſi aliunde con» ſtet contrarium. Azor. Vil. Trul. *t.* 1. *l.* 4. *c.* 1. *d.* 3. *num.* 3. V. » ſupra *c.* 3. *d.* 2. *de donatione*. »

Quæres

Quæres III. Qui hæredes ſuccedant ab inteſtato aut teſtamento rupto, vel irrito?

Reſp. Ante omnes alios, 1. Patri ſuccedere legitimos liberos, & in demortuorum locum nepotes. 2. Deficientibus deſcendentibus, patrem & matrem defuncti, & in eorum locum, avos & avias. 3. His quoque deficientibus, fratres & ſorores ex utraque parte conjunctos, idque æquis portionibus, excluſis iis, qui ex ſolo patre vel matre conjuncti ſunt. 4. Si ex fratribus vel ſororibus utrimque conjunctis, unus mortuus liberos reliquerit, ſuccedunt hi loco parentis ſui cum patruis, non in capita, ſed in ſtirpes. Si tamen fratres, & ſorores utrimque conjuncti, omnes mortui ſunt, tunc eorum liberi, excluſis patruis ex una tantùm parte conjunctis, non in ſtirpes, ſed capita, ideoque æquis portionibus ſuccedunt; quia duorum fratrum filii, non ſuorum parentum loco, ſed jure propriæ conjunctionis ſuccedunt; cùm ergo æqualiter juncti ſint, æquales etiam in portione hæreditatis eſſe debent. 5. Deficientibus fratribus, & ſororibus utrimque conjunctis, eorumque liberis, ſuccedunt fratres; & ſorores, ex una tantùm parte conjuncti: hoc tamen diſcrimine, ut qui ex parte patris ſunt juncti, ſuccedant in bona à patre provenientia, in reliquis æqualiter omnes. 6. Si fratres & ſorores, eorumque filii deficiant, ſuccedunt propinquiores collaterales uſque ad decimum gradum; & fit talis ſucceſſio in capita, nulla habita ratione, an ex altera parte, an ex utraque ſint juncti. 7. In horum defectu, ſuccedit uxor, & denique in illius morte fiſcus ſæcularis in bonis omnibus laici ab inteſtato defuncti: fiſcus autem Eccleſiaſticus, in bonis Clerici, Laym. *c.6.num.*1.2.3.& 4.

His adde: 1. Quòd ſi uxor, ſuſceptis ex priore marito liberis, ad ſecundas nuptias tranſiit, quidquid à priore marito, donatione aut teſtamento acquiſivit, ejuſdem matrimonii liberis cedere. Similiter, ſi maritus alteram uxorem ducat.

Adde 2. Hæredem adeundo hæreditatem, non commoda tantùm & jura, ſed etiam debita & onera realia defuncti in ſe transferre. Interim tamen duplici beneficio gaudere, 1. Ut ſupra vires hæreditatis non obligetur. 2. Quòd deductis expenſis funeris, & ſolutis debitis, quartam partem hæreditatis obtinere debeat hæres, vel hæredes; & ſi eam non habent, legatis, non tamen piis, ut notat Trull. *to.* 2.*l.*7.*c.*18.*d.*12.*nu.*25. ex *auth.* ſimiliter *C. ad legem Falcid.* detrahere poſſunt beneficio legis falcid. Laym. *num.*7. Sanch. *l.*4.*c.*15. Ut autem hoc beneficio frui poſſit hæres, conficere tenetur inventarium, tametſi hanc obligationem teſtator poſſit remittere, reſpectu legatariorum & fidei commiſſariorum, quibus ex mera liberalitate aliquid reliquit, non tamen reſpectu creditorum, quibus præjudicare non poteſt: Univerſim enim ab onere inventarii, & à rationibus reddendis, eos, quibus poteſt relinquere bona, ſine onere dandi partem aliis, poteſt liberare, iiſque concedere, ut eorum dictis, vel juramento ſtetur, Mol. Lugo *d.*24.*n.*236.

ADDENDA.

1154 *Quæſt.*208. *De quibus rebus teſtari poſſit filius?* R. Colligi poteſt ex dictis *p.*1.*à n.*1026. Poſſuntque videri alia apud Tamb. *in Decal.l.*5.*c.*4.*§.*1.& 3.

*Q.*209. *De cujus licentia teſtari poſſit Religioſus profeſſus, vel aliquis Eccleſiaſticus?* R. Caramuel docet pro Religioſo ſufficere licentiam eorum, per quos poteſt aliquid donare, ſed communiſſima ſententia cum Carden. *in* 1.*Criſi d.*65. dicit non poſſe, niſi de licentia Papæ, nam *Cap.*7. *Quia ingredientibus*, 19.*q.*3. expreſsè dicitur, *Ulterius nulli ſit teſtandi licentia:* & quidem quòd nomine proprio teſtari non poſſit, certum eſt, quia nomine proprio non eſt capax ullius dominii, ergo hoc, quod ipſi erat impoſſibile, non prohibetur, ergo prohibetur, ne teſtetur etiam nomine alieno, nempe communitatis, ad quam pertinet dominium: tale enim teſtamentum haberet ſpeciem diſpoſitionis ex dominio, quam à profeſſis omnino abeſſe vult Eccleſia. An & de quibus teſtari poſſit Eccleſiaſticus, dicetur *l.*4.*n.*1355.1359.

1155 *Q.*210. *Quid notandum ſit circa hæreditatem & legitimam, ac ſpeciatim circa Religioſos?* R. Seqq. §.1. Tota hæreditas in Jure vocatur As: as autem dividitur in duodecim uncias: duæ unciæ ſunt *ſextans*, id eſt, ſexta pars hæreditatis: tres unciæ ſunt *quadrans*, id eſt, quarta pars: quatuor unciæ ſunt *triens*, id eſt, tertia pars: quinque unciæ ſunt *quincunx*, id eſt, unica minùs quàm media pars: ſex unciæ ſunt *ſemis*, id eſt, media pars hæreditatis: ſeptem unciæ ſunt *ſeptunx*, id eſt, uncia plùs, quàm media pars: octo unciæ ſunt *bes*, id eſt, uncia minùs, quàm tres partes hæreditatis: novem unciæ ſunt *dodrans*, id eſt, tres partes hæreditatis: decem unciæ ſunt *dextans*, id eſt, uncia plus, quàm tres partes: undecim unciæ ſunt *deunx*, id eſt, hæreditas minùs uncia; atque ita habetur §.5. *Inſt. de hæred. inſtit.* ex quibus intelligitur, quid ſit inſtitui hæredem *ex aſſe*, *ex ſemiſſe*, *ex beſſe*, *ex deunce* &c.

§.2. *Legitima* eſt pars illa bonorum, quæ ſecundùm Le- 1156
ges relinqui debet hæredibus *ſuis*, id eſt, neceſſariis, qui præteriri non poſſunt: poteſt tamen relinqui ſub conditione honeſta, quæ ſit in poteſtate hæredis, v.g. ſi ſtuduerit, *L.fin.ff. de cond.inſtit.* ſi enim explere nolit, cenſetur renuntiare hæreditati, Haun. *t.*6.*n.*330.

§.3. Si Cajus ducturus ſecundam uxorem, cum hac paci- 1157
ſcatur, ut nec ipſi nec prolibus fortè naſcituris ſit ullum Jus ad hæreditatem vel legitimam, poterunt proles evertere hoc pactum, quia Legitimam, ad quam natura tribuit Jus, non poteſt ſine juſta cauſa auferre pater aut mater: unde ſi Cajus volebat excludere proles naſcituras, debebat, priuſquam ulla naſceretur, abdicare ſe bonis in favorem prolium primi thori, reſervato ſibi ſolo uſu-fructu.

§.4. Si Titius teſtamentum faciat pro Monaſterio, in quo 1158
profitetur, & moriatur ante aſcendentes, his debetur ſua legitima portio, non aliter ac ſi Titius in ſæculo fuiſſet mortuus, quia Monaſterium non debuit præjudicare Juri aſcendentium, quod eſt eſſe hæredem neceſſarium in legitima portione reſpectu talis filii, Mol. *t.*2.*d.*140.*n.*10. Idem videtur dicendum, ſi Collegium per teſtamentum filii acquirat ſimile Jus: *Nec obſtat*, quòd non debeatur Legitima aſcendentibus, ſi adſint deſcendentes, Monaſterium autem in Jure habeatur loco filii: *nam* habetur tantùm pro caſibus in Jure expreſſis, qualis hic non eſt. Pater verò & mater, aut alterutro mortuo, qui ex his ſupereſt, inſtituendus eſt hæres à filio quoad totam partem legitimam; & idem eſt de utroque Avo, ſi defuncti ſint pater & mater, &c. Mol. *d.*159.*n.*2. Et pars legitima aſcendenti relinquenda à filio, eſt pars tertia bonorum, de reliquis poteſt teſtari, Mol. *n.*3. Quòd ſi Novitius Profeſſionem edat, non facta priùs renuntiatione bonorum, ſuccedit Ordo, ſi eſt capax ſucceſſionis, ſi autem non eſt capax, ſuccedunt hæredes ab inteſtato, Pirh. *l.*3.*t.*31.*n.*79.

§.5. Si Religioſus ſcriptus ſit hæres, Monaſterium poteſt 1159
immediatè adire hæreditatem inſcio & etiam invito Religioſo, ut velut probabiliùs tenent Sanch. *in Dec. l.*7.*c.*12. *à n.*35. Lug. *de juſt. d.*3.*à n.*94. Todtf. *q.*75.*n.*12. contra VVading *de contr. d.*4.*dub.*5.*§.*5. & alios, qui dicunt fieri tantùm mediante Monacho: ſed ratio noſtra eſt, quia Religioſus omne ſuum *velle & nolle*, quoad ejuſmodi Jura, tranſtulit in voluntatem Superiorum. An autem & quomodo, v.g. Societas JESU poſſit prætendere hæreditatem, legatum vel Legitimam Profeſſi, qui ante Profeſſionem omnia ſua Jura ceſſerat alicui Collegio, videri poteſt Lugo *in Reſp. Mor. l.*4.*dub.*4.& 5. ubi *dub.*6. docet Generalem poſſe poſt mortem Teſtatoris acceptare legatum Scholaſtico relictum. Quoad Epiſcopatum Leodienſem, vide Mean, *Definit.*43.

§.6. Poteſt quidem Religioſus ex rationabili cauſa abſq; 1160
licentia Superioris repudiare donum ſibi oblatum, aut etiam petere illud potiùs donari, v.g. ſuo cognato, uti notant Sanch. *c.*19.*n.*75. Lugo *de Juſt. d.*3.*nu.*166. repudiatio tamen hæreditatis facta ſine licentia eſſet invalida, uti tenent idem Sanch. *c.*12. *n.*37. & Lugo *à n.*94. iterùmque *in Reſp. Mor. l.*3.*dub.*14.*num.*4. quia Superiores cenſentur priorem voluntatem ratam habere, non autem poſteriorem, poſſuntque immediatè & independenter à voluntate Religioſi hæreditatem adire, ut dictum eſt. V. Delbene *de Imm. Eccl. c.*17.*d.*6. Quoad Scholaſticos Societatis JESU, videri poteſt Pelliz. *tr.*4.*c.*2.*num.*172.

§.7. Si Teſtator excludat Religioſum profeſſum ab hære- 1161
ditate vel à legato, non ideò excluditur, qui in Societate tria tantùm vota emiſit, quia certum eſt non eſſe profeſſum, licèt per Pontifices illi communicentur aliqui effectus Profeſſionis, uti quòd invalidè contrahat Matrimonium &c. Quoad dominium autem & ſucceſſiones, decernunt non æquiparari Profeſſis: nec in odioſis, quale hoc eſt, extendi debet nomen profeſſi, & ideo per tria illa vota non vacant beneficia, nec ceſſant penſiones, nec Jus-Patronatus &c. Lugo *in Reſp. mor. l.*4. *dub.* 44. Plura circa jam dicta videri poſſunt apud Caſtrop. *tr.*16. *diſp.*3.*p.*3.& *ſeq.*

*Q.*211. *Quinam illegitimi poſſint eſſe hæredes?* Reſp. Ille- 1162
gitimi ſunt, qui naſcuntur extra Matrimonium, uti pluribus explicabitur *l.*4.*à num.*750. ubi etiam dicetur, quomodo fieri poſſit legitimatio. Quòd ſi inter Parentes potuerit eſſe validum Matrimonium, ſaltem intrà tempus, quo proles concepta eſt & nata; talis illegitimus dicitur naturalis; ſi autem validum Matrimonium tum eſſe non potuerit, dicitur ſpurius, uti communiùs loquuntur Theologi, licèt Juriſtæ diſcrepent, nam Stryckius *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſert.*7.*c.*2.*a* §.29. dicit illos eſſe naturales, qui ex concubina domi retenta, aut ex virgine ſoluta naſcuntur; illos eſſe ſpurios ſeu nothos, qui ex muliere publicè quæſtum meretricium faciente, quia cùm ignoretur pater, non cenſetur habere patrem: utroſque autem diſtinguit ab eis, qui ex adulterio, inceſtu & damnato Legibus coitu naſcuntur, quia tales nec patrem nec matrem nec agnatos habere

bere cenſentur, & habentur, tanquam ſi non ſint filii. Nos loquemur cum Theologis, quorum explicatio magis declarabitur *l.4.àn.751.*

1163 §.1. Naturales, ſi abſint legitimi aſcendentes & deſcendentes, poſſunt à Patre ex aſſe, ſi adſint legitimi deſcendentes, poſſunt tantùm ex uncia inſtitui hæredes; ſi adſint ſoli aſcendentes, his debetur Legitima, id eſt, triens, & reliqui duo trientes poſſunt per teſtamentum venire ad naturales. Si autem mater filiorum naturalium ſit ſuperſtes ſine filiis aliis, huic poteſt donari ſola ſemi-uncia. Quòd ſi pater moriatur inteſtatus, neque ſint legitimi deſcendentes, neque etiam legitima uxor, naturales ſuccedunt in ſexta parte inter ipſos & matrem eorum dividenda, aliæ quinque partes veniunt ad legitimos hæredes ab inteſtato. Si autem adſint deſcendentes legitimi vel uxor legitima, & Pater inteſtatus decedat, naturales nihil accipiunt, uti nec tum, ſi Pater alios filios adoptaverit, habentur enim legitimi, *Inſtit. De adopt.*§.2. Item nec tum ſuccedunt, ſi pater ſe pluribus concubinis miſcuerit, Stryck. *diſſ.*1.*c.*2.§.16. Excipe competentia alimenta, quæ ſemper debentur naturalibus ſecundùm arbitrium prudentum. Denique naturales non ſolùm ex teſtamento, ſed etiam ab inteſtato ſuccedunt Matri, non aliter ac ſi eſſent legitimi, unde in hæreditate materna æqualiter concurrunt cum legitimis, & cum his ſuccedunt etiam quoad relicta ab Avo aliiſque aſcendentibus, Molin. *àd.*165. Lugo *d.*24.*àn.* 88. Strick.§.46.47.*&* 52. Haun.*t.*5.*n.*449. Nepos tamè legitimus natus ex Patre naturali non ſuccedit Avo, ſecundùm Strych.§. 48. De natis ex vago concubitu ſeu meretricio, eſt ſimiliter diſcurrendum, niſi quòd non admittantur ad ſucceſſionem Matris illuſtris, ſi legitimi adſint.

1164 §.2. Spurii ſuccedere non poſſunt Patri aut Matri, nec per teſtamentum, nec ab inteſtato, nec per ſubſtitutionem, uti explicat Lugo *àn.*92. & habetur *L. Si quis inceſti*, Cod. *de inceſtis nuptiis*. L.1. Cod. *de natural. Liberis*. Novel.74.*cap.*4. ubi etiam dicitur, quòd nequidem per donationem inter vivos poſſint aliquid accipere: tenentque iſta, licèt Parentes poſteà petita diſpenſatione aut aliter ceſſante impedimento contraxiſſent Matrimonium, nec eſſent aliæ proles, quia ſpurii non legitimantur per ſubſequens Matrimonium, uti dicetur Lib. IV. nu.759. Item tenent dicta, uti habet Lugo *n.*92. licèt Parentes ſe abdicare vellent dominio rerum ſuarum, ut ſpurius eas primus occuparet, quia per Leges inhabilitati ſunt, tam Parentes ad dandum ſpuriis, quàm ſpurii ad accipiendum aliquid paternum vel maternum: ſtatuit enim Novella ſuprà *c.*6. eos, *qui ſemel ex odibilibus nobis & propterea prohibitis nuptiis procedunt, neque naturales vocari, neque participanda ulla clementia eſt, ſed ſit ſupplicium etiam hoc Patrum, aut agnoſcant, quia neque quidquam peccatricis concupiſcentiæ eorum habebunt Filii*. Poteſt tamen ſpurius accipere aliquid à Parentibus titulo oneroſo, v. g. emptionis, quia tum habet ſe ſicut extraneus, Lugo *n.*112. Item titulo remuneratorio, attamen non plus, quàm reipſa mereatur, Lugo *n.*114.

1165 §.3. Si quis natus ſit ex conjugato & ſoluta, Socin. Gomez & alii putarunt admitti ad ſucceſſionem Matris, ſed negant cum aliis Lugo *n.*92. & Stryck.§.57. quia eſt verè ſpurius.

1166 §.4. Si Pater ſpurii dicat alteri habenti etiam filium ſpuriũ, *ego filium tuum ſcribo hæredem, ſi tu meum ſcribas hæredem tuum*, diſpoſitio non valet, quia tantundem eſt, ac ſi permutarent ſua bona, & ſinguli darent ea ſuis ſpuriis, Lugo *n.*107. Item executor non poteſt ex illis, quæ legata ſunt pro Pauperibus, aliquid donare ſpurio teſtatoris, quia ſpurius reipſa acciperet à ſuo Patre: poſſet tamen executor donare ſuo ſpurio, quia donaret nomine teſtatoris, à quo ſpurius executoris acciperet, Lugo *àn.*108. An Pater poſſit aliquid relinquere uxori filii ſpurii, aut Avus ſpurio ſui filii, videri poteſt Lugo *n.*111. *& àn.*115.

1167 §.5. Parentes non tenentur alere ſpurium, niſi alimentis neceſſariis, putantque aliqui intelligi tantùm alimenta viliora & ad naturam neceſſaria, ſed alii communiter cum Lugo *n.*123. permittunt neceſſaria etiam ad decentiam ſtatus, juxta qualitatem perſonæ, & alias circumſtantias, & quidem pro tota vita ſpurii, Lugo *n.*126. Vide etiam Leſl. *in Auct. v. Illegitimus, caſu* 1. Hæredes autem Patris habent eandem obligationem alendi ſpurium, ſi Pater non proviſerit, Lugo *n.*125. Item aſcendentes paterni, ſi Pater aut hæredes deficiant, Lugo *n.*136.

1168 §.6. Legitimati per reſcriptum Principis non ſuccedunt cum legitimis, niſi fuerint legitimati ante natos legitimos, tum enim æqualiter ſuccedunt, Stryck.§.72. Caſtrop.*t.*13.*d.*4.*p.*4.§. 2.*n.*17. uti & tum æqualiter ſuccedunt, ſi ſint quidem legitimati poſt natos legitimos, attamen Princeps legitimans noluerit hoc illis obeſſe, Caſtrop.§.4.*n.*6. Comitibus tamen Palatinis ordinariè non cenſetur data poteſtas ſic legitimandi, niſi in tenore addatur, Strych.§.74. Beneficium autem legitimationis per Principem, ſecundùm Stryck. *diſſ.*7.*c.*2.§.36. etiam extenditur ad natos ex ſtupro, adulterio vel inceſtu, poſſuntque illegitimi legitimari per reſcriptum Principis etiam in præjudicium Agnatorum, ſi legitimi Filii non adſint, fieri tamen debet vivo adhuc Patre vel ſaltem ſic deſtinante, uti ſi illegitimum ſcripſerit hæredem ſub conditione petendi legitimationem à Principe, Strych.§.75. aliique cum Lugo *n.*113. ubi dicit ſpurium poſſe à patre inſtitui hæredem, ſub conditione ſi à Principe legitimetur. Videri poſſunt plura apud Mol. ſuprà, Az. *p.*2.*l.*2.*c.*7. *& ſeqq.* Lugo *ſect.*6.*&* 7. An filia poſſit exhæredari, ſi nubat invitis Parentibus, dicetur *L.*6. *de Sponſalib. ad d.*2. Non poſſe autem exhæredari ob ingreſſum in Religionem, dicetur *l.*4.*n.*51.

*Q.*212. *An obligationes teſtatoris tranſeant ad hæredem?* R. Satis colligi poteſt ex dictis *p.*1.*àn.*387.*&àn.*477. item hic *àn.*237.*& àn.*490.*& n.*1046. poteſtque etiam videri Lugo *d.*23.*àn.*98. Et univerſaliter notandum eſt, quòd hæres teneatur perficere negotia à defuncto inchoata & nondum finita, L. *Hæres*, 40. *ff. Proſocio*: *L. Nam & Servius*, *ſ.*2. *ff. de negot. geſtis*. Adde tamen, ſi teſtator dixerit, *hæres meus infraſcriptus* (qui eſt v.g. Titius) *peregrinetur pro me Lauretum, aut det* 100. *aureos pauperibus*, ſi Titius non fuerit peregrinatus, Cajus hæres Titii non ſatisfacit peregrinando, ſed debet dare 100. aureos pauperibus, quia To *infraſcriptus* notabat ſolum hæredem immediatum: obligatio autem realis Caji eſt inde, quia repræſentat perſonam Titii, quia qui peregrinationem non explevit, tenebatur ad iſtam eleemoſynam, ita Sanch. *in Dec. l.*4.*c.*15. *n.*31. Lugo *in Reſp. moral. l.*6. *dub.*13. ubi univerſim examinat, an hæres hæredis teneatur ad pœnam à teſtatore impoſitam. An autem obligatio reſtituendi famam tranſeat ad hæredem? dicetur n.1256. Denique hic notandum, ſi teſtator in vivis habuerit piam voluntatem aliquid faciendi, v.g. fundandi beneficium ſi hæredi vel hæreditati non impoſuerit eam obligationem, ſicuti voluit teſtator ex devotione facere, ita poterit hæres pro libertate omittere. 1169

*Q.*213. *Quid intelligatur per Falcidiam & Trebellianicam?* R. §.1. Falcidia eſt ea pars bonorum, quam detrahit hæres à legatis vel donationibus mortis cauſa factis, quouſque impleat ſuam Legitimam per illa legata vel donationes immiſnutam, ſi ſit hæres neceſſarius; aut quouſque ſeparet quartam partem bonorum, ſi ſit hæres, cui nulla debeatur Legitima. Cùm enim olim liberum eſſet totum patrimonium erogare in legata, ſicque hæredibus ſæpè nihil ſupereſſet, ac propterea hæreditatem reſpuerent, lata eſt *lex Furia*, primùm prohibens uni legatario legari ultra 1000. aureos: deinde etiam *lex Voconia*, prohibens, ne quis plus relinqueret alicui, quàm hæredi: ſed cùm neutra adhuc ſufficeret, lata eſt *lex Falcidia*, ſic dicta à *Falcidio* Tribuno, qui illam tulit, qua cavetur, ne plus legare liceat, quàm dodrantem ſeu tres partes omnium bonorum, ità ut hæredi ſemper remaneat quarta pars omnium, quę inveniuntur in morte teſtatoris, poſt ſoluta priùs debita, expenſas funeris, ac mercedem ſervorum: habentur hæc *Inſt. de lege Falcidia*, & Cod. *Ad legem Falcidiam*, additque etiam aliqua Buſemb. relatus *n.*1153. *in fine*. 1170

§.2. Per Trebellianicam hic intelligitur quarta pars hæreditatis, quæ competit hæredi fideicommiſſario: nam ſicuti per Falcidiam poſitum eſt temperamentum legatis, ita fideicommiſſis per S.C. Trebellianum, ſic dictum, quia Trebell. Conſule factum eſt, quo ſtatuitur, ut hæres fideicommiſſarius rogatus totam hæreditatem reſtituere, poſſit quartam partem ſibi retinere, uti habetur §.7. *Inſt. de fideicomm. Hæred.* & Cod. Ad S. C. Trebellianum, poſſuntque de Falcidia & Trebellianica plura videri apud Haun. *t.*7.*c.*4. per 9. controverſias. 1171

*Q.*214. *Quid agendum ſit in dubio, an fraus commiſſa ſit circa teſtamentum?* R. Sic dubitans poteſt vi teſtamenti adire hæreditatem, quia fraus, utpote delictum, non præſumitur: ſi tamen probabiliter adfuit fraus, & nemo eſt in poſſeſſione, Tamb. *in Dec. l.*1.*c.*3.§.7. *v. Teſtamentum*, dicit hæreditatem eſſe dividendam juxtà ratam probabilitatis. 1172

Occaſione hujus quæſtionis, in qua mentio fit fraudis, reſolvitur hic caſus: 1173

Titius habet duos nepotes, Cajum & Sempronium, ad quos per legem Patriæ, devolvi debent æqualiter bona immobilia Titii: hæc tamen bona vendere poſſet & conſumere Titius, ſi in neceſſitate eſſet. Et quia Cajus ei gratior eſt, optaret majorem partem devolvi ad Cajum, hinc

Quærit; an non poſſit fingere neceſſitatem, & nunc Cajo donare, v.g. ter mille Imperiales, eique iſto pretio vendere meliorem partem iſtorum immobilium?

Reſpondeo, non poſſe, 1. Quia Sempronius per legem Patriæ habet jus ad illam medietatem ſuo tempore obventuram, ergo fit injuria, ſi fraudetur, uti fieret injuria, ſi aliquis fraudaretur, qui per ſententiam Judicis haberet jus ad rem, ad certa bona; plus enim eſt habere jus per legem, quàm nudè per ſententiam. 2. Eſt illicitum & injuſtum per mendacium vel fraudem impedire aliquem à conſecutione boni, quod licitè petere vel ſperare poteſt, uti dictum eſt *num.*69. ſed Titius per mendacium vel fraudem impediret Sempronium à conſecutione boni, quod licitè petere & ſperare poteſt, deberet enim Titius fingere aut etiam dicere ſe neceſſitate preſſum ea

bona

bona divendere, ergo. 3. Leges ejuſmodi, etiam civiles, quæ purè pœnales non ſunt, ſed feruntur intuitu boni communis & pro conſervatione familiarum, obligant etiam in conſcientia, uti certum eſt, & latè probat Suarez *de Legibus c.21. & ſeqq.* ſed Lex, de qua hìc ſermo, non eſt purè pœnalis, ſed lata intuitu boni communis, pro conſervatione familiarum, ergo. *Confirmatur*, nam ſi tales leges non obligarent in conſcientia, fruſtra ferrentur, quia ſemper poſſent facillimè eludi per praxes ejuſmodi fraudum, & fictionum.

Cui cedant bona defuncti abſque hærede & teſtamento, dictum eſt *n.*104.

TRACTATUS VI.

De Præcepto Decalogi 8. 9. 10. *Et de Præceptis Eccleſiæ.*

CAPUT I.

De Præcepto Octavo.

Non loqueris &c.

1174 „ PRohibetur hìc omnis injuſta læſio famæ & honoris
„ proximi; ac præcipuè omnis falſitas, & menda-
„ cium, ac læſio verbalis, quæ fit, tum in judicio falsò ac-
„ cuſando, vel verum celando, de quo ſuprà: tum etiam
„ extra, perniciosè mentiendo, ſecreta revelando: de quo
„ V.Bon.*de reſt.d.2.q.2.p.unic.*Laym.*l.3.t.3.p.2.c.5.* ac denique
„ detrahendo.

DUBIUM I.

Quid ſit ſuſpicio, judicium temerarium, & dubitatio, ac quale peccatum.

1175 „ SUppono hæc tria differre inter ſe, quòd judicium ſit
„ firma animi ſententia, ſeu aſſenſus indubitatus;
„ Suſpicio, aſſenſus inchoatus, quo quis inclinat in unam
„ partem, judicans probabiliter latere aliquod fundamentum
„ opinandi: Dubitatio autem non eſt aſſenſus (niſi cauſa-
„ liter) ſed quaſi ſuſpenſio animi, in neutram partem incli-
„ nando. Quæritur ergo hìc, non de ſuſpicione & judicio
„ prudenti, quod ſufficientibus indiciis nititur, ſed de im-
„ prudenti & temerario, quod iis deſtituitur. Majora autem
„ indicia requiruntur ad judicium, quàm ad ſuſpicionem, &
„ ad hanc, quàm ad dubitationem.

„ Reſp.I. Judicium temerarium, cum plena advertentia,
„ de gravi malo proximi, communiter eſt mortale, contra
„ juſtitiam. Ita Fill.Leſſ.*l.2.c.29. d.2.*Laym.*c.2.* Ratio, quia
„ proximo fit gravis injuria, dum ſine cauſa improbus ha-
„ betur, cùm habeat jus ad bonum nomen & famam; præter-
„ quam quod ex his judiciis plerumque gravia mala ſequantur.
„ In Confeſſione tamen non opus eſt explicare ſpeciem mali
„ judicati, cùm omnia uni juſtitiæ commutativæ in ſpecie in-
„ fima adverſentur, Eſcob.*E.10.c.4.n.36.*

„ Dixi, *communiter*: quia ſi judicium habeat magnam pro-
„ babilitatem, etſi non omnino ſufficientem ad certitudinem,
„ erit veniale, quia moralis certitudo, & magna probabilitas
„ non adeò diſtant, ut cenſeatur gravis injuria, judicare cer-
„ tum, quod eſt valde pobabile; v.g. ſi judices juvenem ſo-
„ lum cum puella inventum in cubiculo, illicita tractaſſe. Ex
„ quibus reſolvitur, peccari tantùm venialiter temerè judican-
„ do ſequentibus caſibus. V.Tann.2.2.*d.4.q.3 d.2.*

„ I. Si non ſit grave malum, quod proximo temerè impin-
„ gis, & ſic eum, qui judicat alium eſſe ſpurium, vel filium
„ Judæi, à mortali excuſant Nav.Azor. & Leſſ. contra alios
„ apud Dian.*p.5.t.5.R.69.*

„ II. Si ſit grave quidem, ſed non perfectè advertas.

„ III. Si advertas quidem te malè judicare, non tamen ad-
„ vertis ſigna eſſe inſufficientia, nec de iis dubitas.

„ IV. Si ſigna ſint ſufficientia, nec de iis dubitas.

„ IV. Si ſigna ſint ſufficientia ad opinionem ſaltem proba-
„ bilem.

„ V. Mortale etiam non eſt, (per ſe loquendo) ſi de inde-
„ terminato tantùm judices: quia nulli fit gravis injuria.
„ Eſcob.*l.c.* ex Fagund.

„ Reſp.II. Suſpicio & dubitatio temeraria, ex genere ſuo
„ videntur eſſe peccata tantùm venialia; maximè, ſi procedat
„ ex errore intellectus, quo indicia ut ſufficientia apprehen-
„ duntur. Ita Laym.*n.6.* ex S.Th.Nav.Mol.Fill.*tr.4.c.1. qu.5.*
„ Leſſ.*d.3.&c.* contra multos, qui putant eſſe mortale. Ratio
eſt, quia communiter ſuſpicio tantùm eſt concitatio quæ- „
dam ad effectum; manet enim in mente ſuſpicantis aliquo „
modo bona exiſtimatio proximi: ergo non fit illi gravis in- „
juria, cùm non totaliter deturbetur de poſſeſſione bonæ fa- „
mæ; fit tamen aliqua, quia temerè dubitatur. „

Dixi, *maximè ſi ex errore*: quia talis cùm non ſit per „
ſe voluntaria, nec pertinax, meretur excuſationem: ſi ve- „
rò ex malevolentia in ſuſpicione gravi perſiſtas, erit morta- „
le, ut docet Leſſ.Fil.&c. ob injuriæ gravitatem. Atque idem „
eſt de dubitatione poſitiva, orta ex malevolentia abſque cau- „
ſa, procedit enim ex contemptu alterius, proindeque gra- „
vis injuria reputatur. „

Quæres. Quomodo diſcerni poſſit ſuſpicio à judicio firmo, „
quando formido de oppoſito expreſsè non eſt conjuncta? „

Reſp. Cajet. cenſet eum judicare, qui rogatus an habeat „
rem pro certo, reſpondet ſibi certam aut ferè certam videri; „
eum verò ſuſpicari, qui reſpondet ſe non eſſe moraliter cer- „
tum, ſed facilè poſſe falli. V.Bon.*dereſt.d2.q.7.p.1.* „

ADDENDA.

QVæſt.215. *Quid præterea notandum ſit circa ſuſ-* 1176
picionem & judicium temerarium? R.Seqq.§.1. Nomine communi ſuſpicionis veniunt dubitatio, ſuſpicio ſtrictè, & opinio. Dubitatio, eſt vel poſitiva ſuſpenſio aſſenſus poſt propoſita indicia boni & mali, vel poſitivum judicium de eo, quòd res ſit dubia, attamen ſemper cum propenſione ad aſſenſum de malo. Suſpicio, eſt aſſenſus de eo, quòd reipſa lateat aliquid, propter quod poſſit quis malè ſentire de proximo. Opinio, eſt aſſenſus de malo proximi, ita hæſitans & formidoloſus, ut ſi aſſentiens interrogaretur, reflectens, ſe diceret rem non eſſe certam, ſed ad ſummum fortè ita ſe habere: atque in hanc explicationem videntur recidere ea, quæ fusè habent Lugo *de Juſt.d.14.ſ.2.* & Haun.*t.2.à n.*515. ubi è contra notant per judicium temerarium juſtitiæ oppoſitum, intelligi aſſenſum, quo quis ſine ſufficienti fundamento judicat malum de proximo, cum firmitate, ita ut ex modo tendendi non velit ab eo judicio recedere nec ultra inveſtigare veritatem, ſed ex illo procedere ad actiones circa talem perſonam; atque ideò rectè infert Mol.*d.13.n.4.* viros timoratos rarò hìc peccare mortaliter, quia vel deeſt actus voluntatis, qui cauſare debet illam firmitatem, vel plena advertentia & deliberatio. *Dixi*, judicat malum, nam ſi quis ſine ſufficienti fundamento judicet bonum de proximo, erit quidem judicium temerarium & imprudens, attamen non injurioſum.

§.2. Quantum ex genere ſuo peccatum ſit temeraria ſu- 1177
ſpicio in communi ſumpta, etiam comprehendendo opinionem, non convenit inter Authores, Bann. & alii apud Leſſ. *l.2.c.9.n.15.* dicunt ſuſpicionem temerariam planè deliberatam de gravi malo proximi ſemper eſſe peccatum mortale, quia eſt læſio in gravi bono ſpirituali, cui homo præligeret jacturam magni boni temporalis: conſentit Leſſ. *n.21.* ſi ex pravo affectu & non ex imbecillitate humana faciat, atque illi pertinaciter inhæreat. E contra Caj.Illſ.*t.4.d.3.n.122.* & plerique alii apud Steph.*t.4.d.6.num.36.* cum Dian.*p.3.t.5.R.31.* dicunt ſemper eſſe veniale, quia non tollitur abſolutè fama, ſed tantùm diminuitur aut redditur dubia, Mol.Leſſ.Dicaſt. *l.2.tr.2.d.12. dub.3.* Lug.*n.14.* Bonæſp.Steph.aliique ſic diſtinguunt, ſi adſit gravis temeritas, fore mortale, uti ſi ex levi indicio opineris de Religioſo, quòd inceſtarit ſuam matrem, aut de viro Sancto, quòd ſit hæreticus, nam ex hac enormitate mali & probitate perſonæ læſæ multùm creſcit hæc temeritas: E contra ſi temeritas ob raram ejuſmodi circumſtantiam non augeatur, meritò cum communi cenſendum eſt ſemper eſſe veniale tantùm.

§.3. Quamvis judicium temerarium ſit minus peccatum 1178
quàm detractio, tamen graviter prohibetur, *Matth. 17. & Luc.6. nolite judicare & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini*, ideoque eſt mortale ex genere ſuo, uti habet communiſſima cum S.Th.2.2.*q.60.ar.3.* nam æquivalenter imponit proximo falſum crimen, quem ſine cauſa habet, v.g. pro adultero; & de ſe radix eſt etiam externi contemptus ac dehonorationis, ergo homines meritò graviter ſunt inviti de tali judicio. Neque per hoc excuſatur gravitas, quòd fama, quæ auferetur, ſtatim poſſit reſtitui, nam temerè judicans de ſe comparatus eſt ad perſiſtendum in ſuo judicio, uti n.1176. dictum eſt.

§.4. Temeritas poteſt dupliciter contingere, uti notat 1179
Haun. *n.*520. vel advertendo, quòd indicia ſint inſufficientia, vel tantùm nolendo inquirere, an indicia ſint ſufficientia, attamen advertendo obligationem inquirendi, & ita communiter contingit; poſſet autem temeritas deprehendi hac regula, nempe ſi indicia ſecundùm ſe ſint indifferentia aut rarò conjuncta cum aliquo effectu, temerarium eſt ex illis colligere talem effectum: E contra ſi ſecundùm ſe ut plurimùm ſint conjuncta, non erit temerarium; poſſunt tamē aliqua reſpectu unius perſonæ aut materiæ, & non reſpectu alterius eſſe ſufficientia,

tia, uti intelligetur ex ſeqq. Quænam autem materia cenſeri debeat gravis in judicio temerario dicetur à n.1194.

1180 §.5. Si adſint probabilia indicia pro eo, quòd aliquis ſit malus, licitum eſt poſitivè dubitare ſeu judicare dubium eſſe, an ſit bonus an malus, quia nemo rationabiliter poteſt eſſe invitus, ſi hoc, quod verè dubium eſt, ego judicem eſſe dubium. E contrà ſi adſint motiva utrimque probabilia, aliqua pro eo, quòd ſit bonus, alia pro eo, quod ſit malus, videtur eſſe injuria, ſi poſitivè judicetur malus, quia in dubio nemo eſt condemnandus, & in æquali cauſa melior eſt conditio poſſidentis, Lug. Haunold. *num.*522. & alii contra Leſſ. *num.*37. *Petſch.* & alios, qui dicunt hoc eſſe tantùm contra Charitatem, & quidem leve: Nihilominus in eo caſu non eſt opus poſitivè judicare eſſe bonum, ſed ſuſpendi poteſt omnis aſſenſus, quia nemo tenetur ſe exponere periculo errandi: notantque omnes, ſi adſint talia utrimque motiva, licitum eſſe reflexè judicare utramque partem eſſe probabilem, nempe probabile eſſe, quòd ſit malus, & probabile eſse, quòd ſit bonus, nihil determinatè aſſerendo de ipſo objecto directo; hoc tamen judicium, quo judicatur eſse probabiliter malus, debet eſse tantùm ſpeculativum & non practicum, id eſt, ſic judicans debet ſe gerere, ac ſi alter eſset bonus, nec debet hoc judicio regulare ſuum affectum aut ullam aliam actionem in præjudicium ipſius.

1181 §.6. Temerarium & ſuperſtitioſum eſt ex nomine baptiſmali conjicere, an aliquis ſit probus vel improbus, fidelis aut infidelis &c. uti contra Juriſtas alquos docent Bartol. Rayn. aliique communiſſimè cum Gob. *in Exp.t.2.à nu.*343. quia nomina ex ſe non inclinant ad malos vel bonos mores, & imponuntur independenter à complexione hominis, quæ tum adhuc ignota eſt, & antecedenter ad futura contingentia, quæ ſoli Deo nota ſunt.

1182 §.7. Si corpus hominis ſit, non ex morbo, vulnere aut alio accidente, ſed ex natura deforme, præſumunt multi Juriſtæ animam ineſſe non bonam, hinc abſolutè verum eſſe dicit Tiraq. *ſpecies corporis ſimulacrum eſt mentis figuraque probitatis, & Menoch.* ait, fieri non poteſt, ut qui omnino deformis eſt, bonus ſit; teſtaturque *Lean.* Judices in praxi facere, ut ſi duo cum paribus indiciis excuſentur, prius torturæ ſubjiciatur deformis quàm pulcher: ſed Gob. *t.*11. *nu.*1019. rectè rejicit illud dictum *Menochii*: quamvis autem ejuſmodi Judices non damnet, rectè tamen concludit eſſe temerarium ex ſola deformitate corporis ſuſpicari mortale vitium alicujus, quia deformitas provenit ea phyſicis cauſis planè naturalibus, & conſtat ſingula ſæcula tuliſſe homines corpore deformes & animo admodùm præſtantes ac bonos.

1183 §.8. Si quis emat venenum, & non emat à te, neque ad te ſpectet impedire damnum, quod inde poteſt oriri, temerarius es, ſi ſuſpiceris emi ad nocendum, quia nulla honeſta cauſa eſt, cur id timere vel ſuſpicari debeas: in dubio autem, per ſe loquendo, quiſque præſumi debet bonus, cùm ſit in poſſeſſione innocentiæ. E contrà ſi à te emat, vel ad te ſpectet impedire damna, quæ inde poſſunt oriri, potes timere & ſuſpicari malum animum, quantum neceſſum eſt ad impediendum damnum, quod tibi vel alteri inde oriri poſſet, ita Molin. *diſp.*14. Carden. *in* 1. *criſi d.*6. *à n.*263. Petſch. *de reſt.q.*5. *art.*2. Ratio eſt, quia ad vitandum peccatum vel damnum Proximi, in tantum præſumi poteſt alter eſſe malus, quantum neceſſe eſt ad illud præcavendum, uti notant Juriſ-Periti apud *Carden.* talis enim præſumptio non cauſat judicium de improbitate alterius, ſed tantùm dubitationem, quæ ob magnitudinem periculi prudens eſt & juſta, ideoque alter non poteſt eſſe rationabiliter invitus: ſic ſi videas hominem noctu hærentem ante domum tuam, non peccas timendo malum & parando defenſionem, in quo tamen præſumis illum eſſe iniquum, antequam probes, nihilominus juſtè præſumis, ſi non facias magis, quàm requiritur ad ſecuritatem tuam: notat tamen Steph. *n.*40. expedire tum formare tale judicium: *non nego hominem illum eſſe bonum, imò (quantum ad me) habeo pro bono, tamen nolo propterea ſubire periculum, quod ſubeſſe poſſet, ſi fortè ſit malus.*

1184 §.9. An ſit vel non ſit temerarium, ſi credam, quod unus affirmat, colligi debet præcipuè ex circumſtantiis illius, qui dicit, & de quo dicit, nam ſi ille, qui dicit, ſit homo, qui communiter nimis liber eſt in loquendo, nec multùm curat, ſitne verum an falſum, quod loquitur, aut ſi ſit malè affectus erga illum, de quo dicit, aut ſi ex illius depreſſione ſperare poſſit commodum, temerarius ero, ſi credam: de cætero, ſi non adſit talis circumſtantia, non ero temerarius, ſi credam.

1185 §.10. Quamvis mulier conjugata ſoleat ſe inebriare, temerarium eſt (ſaltem in Germania) ideò judicare eſſe adulteram, quia ſcitur multas in Germania eſſe bibaces, quæ tamen ſervant fidem conjugalem: quòd ſi eſſet puella vel vidua, Gob. *in Quint. t.*5. *c.*43. *nu.*63. dicit non fore peccatum ſuſpicari eſſe leviculam; hoc tamen non videtur ſufficere ad judicium. Dixi, *ſaltem in Germania:* quia ſi eſſet in Gallia, in Italia aut in Hiſpania, *Gobat* dicit non fore peccatum judicare, quòd ſit proſtitutæ pudicitiæ, ſed veriùs videtur, quòd accedere debeant alia indicia, ut hoc ſine temeritate judicari poſſit.

§.11. Si Titius accipiat rem Caii, vel ſi res Caii reperiatur 1186
apud Titium, Titius non ſemper poterit judicari eſſe fur, nam ſi accipit modo non inſueto, uti ſolent opifices vicini quandoque ab officina alterius abſentis accipere inſtrumentum aut aliud ſimile, quod reſtituere ſolent, tunc præſumi non debet voluiſſe furari, niſi aliunde eſſet ſuſpectus, & aliunde accederent conjecturæ: è contrà ſi accipiat modo inſueto, v.gr. non ad uſum nunc, ſed occultando, præſumi poteſt eſſe fur, Haunol. *n.*272. ſimiliter quamvis res tua reperiatur in aliena domo, non ideò poteris præſumere furem, niſi aut homo improbus ſit, aut clam acceperit & occultet, aut vili pretio à fure emerit, aut ſolitus ſit à furibus emere, his enim caſibus eſt præſumptio contra ipſum niſi aut furem oſtendat, aut deſignet, à quo emerit, ſi enim dicat ſe emiſſe à tranſeunte vel ab ignoto, non evitabit ſuſpicionem mali, uti docent Perez & Haunoldus *n.*278. habeturque clarè L.5. Cod. *de Furtis.*

§.12. Si temerè judicem malum grave de homine, quem 1187
non noſco, nec dignoſcam poſthac, non eſt mortale, quia talis ignotus non poteſt notabiliter ægrè ferre meum judicium, uti homo larvatus, quem non poſſum noſcere, notabiliter ægrè non feret, quamvis judicem eſſe malum, Mol. Lug. *n.*26. *Nec refert*, quòd graviter peccarem, ſi talem, quamvis ignotum, graviter percuterem. *Nam* percuſſio graviter afficit ipſum, prout eſt hic homo, qui tangitur, quamvis enim non noſcam, tamen illi graviter malè facio: è contrà ſi lædas famam ipſius, non lædis ipſum, prout eſt particularis hic homo, quia non cognoſcis eum ut talem, ſed lædis ipſum ſub ratione communi hominis, cum quo ſtat, quòd adhuc bene ſentias de ipſo, prout eſt particularis hic homo, v.gr. de Titio larva induto temerè judicas, quòd ſit impudicus graſſator, & tamen de eodem Titio ſcis, & interrogatus diceres non eſſe talem, ergo Titius non poteſt de illo judicio tuo temerario eſſe graviter invitus.

§.13. Tenendum eſt cum communi contra Mol. *d.*13. *n.*1. 1188
quòd judicium temerarium ſpecie diſtinguatur à detractione, uti ſatis probat communis ſenſus & praxis Fidelium, qui in Confeſſione ſe de his ſeorſim accuſant; & rationem dat Lugo *n.*33. quia per judicium temerarium non auferetur fama radicalis ſive notitia habitualis de bono alterius, ſed ſolùm fama formalis, id eſt, aſſenſus talis notitiæ, qui enim temerè judicat, ſufficienter advertit temeritatem, ergo non tollit radicem bonæ exiſtimationis, ſed hanc per ſe ipſum recuperare poteſt; è contrà per detractionem tollitur utraque fama apud audientem, ita ut non redeat bona exiſtimatio, niſi ab extrinſeco meliùs informetur.

*Q.*216. *Quænam ſint motiva contra hæc peccata temerita-* 1189
tis? Reſp. Decem eorum ſuggerit & fusè explicat *Lancicius Opuſc.* 19. ſunt autem hæc, 1. Vindicta Dei, quia temerarius involat in Jus Dei, cujus ſolius eſt noſſe & judicare de internis, nos verò arguimus & condemnamus, antequam id Deus fecerit. 2. Injuria in Chriſtum, qui ſolus eſt conſtitutus Judex vivorum & mortuorum. 3. Exemplum Chriſti, qui licet Judex & omniſcius, cautiſſimè proceſſit; imò ſe excuſavit, ne judicium ferret, ubi opus non erat. 4. Status rerum humanarum, quia nihil eſt, etiam ſanctiſſimum, imò nec opera Dei ſunt talia, quin poſſint in malam partem explicari, irrationabile autem eſt & iniquum ſic detorquere. 5. Ignorantia noſtra, quia (ut ait S. Auguſt. *lib.*3. *Confeſ. c.*9.) *Multa facta, quæ hominibus improbanda viderentur, teſtimonio tuo approbata ſunt, & multa laudata ab hominibus, te teſte damnantur, cùm ſæpè ſe aliter habeat ſpecies facti, & aliter facientis animus, atque articulus occulti temporis.* 6. Multiplex malitia hujus peccati, eſt enim contra Charitatem, & Juſtitiam, procedit ex levitate animi, ſuperbia, irreverentia erga Deum & homines. 7. Occulta & juſta Dei diſpoſitio, qui per defectus ſæpè celat ſuorum Sanctorum virtutes, ad eos in humilitate continendos aut reipſa humiliandos. 8. Viri ſancti ſtudioſè quandoque faciunt talia exteriùs, quæ videantur reprehenſibilia, eo fine, ut non habeantur ſancti: ſed ut contemnantur, iniquum autem eſt ideò velle eos cenſere improbos. 9. In nobis plura mala videre poſſumus & debemus. 10. Placet Deo, ſi omnia in bonam partem interpretemur, eſtque hoc opus plurium virtutum.

Quid illi ſit faciendum, qui ſcrupuloſè vexatur judiciis temerariis, diximus *l.*1. *n.*552. quibus adde, quòd ejuſmodi homines vix unquam habeant judicia, quamvis ſe habere putent, ſed ſunt meræ apprehenſiones violentæ, & impreſſiones phantaſiæ, ita fortes, ut videantur eſſe aſſenſus, cùm tamen nequidem ſint ſuſpiciones voluntariæ.

DUBIUM II.

Quid ſit & quàm grave peccatum Detractio?

Reſp. Detractio eſt alienæ famæ injuſta violatio vel „ 1190
denigratio. Differt à Contumelia, quæ eſt in- „

„ juſta honoris diminutio, 1. Objecto ; quia contumelia honor, detractione autem fama læditur, quæ eſt opinio, ſeu exiſtimatio de alterius excellentia: honor autem eſt teſtificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ. 2. Differt modo, quia contumelia inſtar rapinæ fit apertè, contra præſentem; detractio ut plurimum inſtar furti occultè, & contra abſentem. Unde licèt contumelia detractione gravior ſit, eſt tamē detractio peccatum mortale ex genere ſuo ; etſi ex parvitate materiæ, aut indeliberatione, fieri poſſit veniale. Ratio, quia eſt gravius furto, quod eſt mortale, cùm lædat Proximi famam, quæ eſt majus bonum, quàm opes.

Detractio alia eſt directa & formalis, quæ fit ex intentione famam lædendi : alia indirecta, & materialis tantùm, quæ fit ex levitate & loquacitate aliqua. *Ex dictis reſolves*:

I. Regulariter non eſt mortale, (etſi per accidens, ratione damni ſequentis, tale eſſe poſſit) revelare naturales defectus animi, corporis, vel naturalium, quia tales non ſunt morales ; nec infamia apud prudentes reputatur, quòd quis, v.g. ſit ſtupidus, ſpurius, luſcus. Bonac. *Tom.2. de Reſt. in particulari d.2 q.4.p 2.n.8.*

II. Plerumque etiam levis detractio habetur, ſi alium infames generalibus nominibus peccatorum mortalium, v. g. eſſe iracundum, ſuperbum, &c. (etſi aliquando gravis eſſe poſſit) quia audientes plerumque interpretantur de naturali propenſione & defectu involuntario : nec oritur grave damnum famæ. S. Anton. *1.p.t.8.c.4.* Sylv. Leſſ. *l.2.c.11.n.18.* Laym. *l.3.t.3.p.2.c.3.n.3.*

III. Similiter non erit mortale communiter, referre peccata mortalia, quæ ob conditionem perſonæ non notabiliter famam lædant; v.g. ſi dicas ; militem habere concubinam; pugnaſſe in duello; cogitare vindictam ; adoleſcentem eſſe prodigum, deditum amoribus, &c. Laym. *ll.cc.*

IV. Fieri tamen poteſt, ut narrando defectus etiam naturales, ſpectata conditione & ſtatu illius, graviter noceas, & ſic graviter pecces, ut ſi gravem & optimi nominis Prælatū, aut Religioſum, mendaciis aſſuetum eſſe dicas ; virum gravem ac conſularem, illegitimè natum, Judæum, &c. Idem eſt, etſi de altero nihil in particulari, ſed tantùm in genere dicas, v.g. te ſcire aliquid de illo, quod ſi dicas, magno illum rubore ſit affecturum, Lugo *d.14.num.49. & 50.*

V. Crimen aut defectum alicujus, modò ſit verum, ſæpè licèt prodere ob juſtas cauſas: v.g. 1. cùm expedit Superiorem ſcire ſuorum defectus, ut emendentur ; de quo *vid. ſup. de Corrept. fratr.* & ſic eos, qui crimen occultum filiorum Parentibus, vel famulorum heris, in ordine ad correctionem, (cavendo tamen, ne ex revelatione majus damnum ſequatur) ſignificant, communiter excuſari docet Trul. *t.2.l.7.c.* 10 *d.11.* ex *Bon. &c.* uti & uxorem loquentem cum marito (vel contrà) de criminibus occultis filiorum, vel famulorum. 2. Cauſa conſilii, vel auxilii capiendi : In quo tamen videndum, ut cum minimo damno tertii fiat. 3. Causà cavendi alterius damni: ut ſi alicujus æſtimatio falsò concepta de ejus doctrina, probitate, eſt aliis perniciosa : unde cùm agitur de conferendo officio, de contrahendo Matrimonio, de ſuſcipienda Religione, de aſſumendo medico, præceptore, famulo, famula, &c. licet manifeſtare (imò aliquando oportet) occulta alterius impedimenta, inhabilitatem, crimina, unde notabile aliquod incommodum timeretur : dummodò nulla alia ſit ratio commodior impediendi, & damnum quòd proximo timetur, ſit majus, aut ſaltem æquale damno, quod ex ea manifeſtatione defectus, aut criminis alterius ei obveniret, Leſſ. *d.12.*

VI. Hinc quoque, ſi quis injuſtè lædit famam tuam, nec potes eam tueri, nec recuperare alia via, quàm imminuendo quoque famam illius, id licet, dummodò falſa non dicas, in tantum, quantum ad tuam famam conſervandam neceſſe eſt ; nec magis lædas, quàm lædaris, collata tua & alterius perſona, Lugo *d.15.n.50.*

VII. Si quis ſolatii tantùm cauſa & non intentione detrahendi, alicui amico narret injuriam ab alio ſibi factam, non videtur eſſe mortale, etſi inde aliqua infamia proveniat authori; ea enim ipſi imputanda eſt. Cavendum tamen, ne dicatur pluribus, vel apertiùs nominetur perſona, quàm neceſſe ſit ad conſilium, vel ſolatium. Leſſ. *loc. cit.* Laym. *num.6.* Tann. *2.2.q.8.d.7.dub.4.* Lugo *d.14.nu.53.* Et ſic excuſari poſſe famulos (ſaltem à mortali) qui injurias ſibi ab heris ſuis; uxores, quæ à maritis; filios, qui à patre : Religioſos, qui à Prælato illatas, doloris tantùm mitigandi cauſa, referunt, docet Trul. *d.11.* ex Leſſ. Laym. Tann. Nav. Dian. *p.2.t.5 R.32.* Idem putat *Cajet.* dicendum, ſi crimen occultum reveles alicui viro prudenti & taciturno, cui dicere perinde ſit, ac ſi nulli diceretur, eò quòd damnum illud cenſeatur leve, & ſic Trul. cum Dian. *p.2.t.3. Miſcel.R.22. & p.3.t.5.m.R.32.* excuſat Pœnitentem, qui in Confeſſione manifeſtat complicem, dicuntque cum Tann. Bonac. Eſcob. *E.9. &c.* eam ſententiam eſſe probabilem : verùm hoc univerſim non videtur ſatis tutum, quia læſio famæ apud unam etiam perſonam, cenſetur gravis, ut patet in judicio temerario : imò ſæpè quidam ægriùs ferunt, ſe lædi apud unam perſonam gravem, quàm tres vel quatuor alios : unde Suar. Fill. Leſſ. *num.70.* Azor. Laym. *loc. cit.* putant communiter eſſe mortale. Vide Lugo *n.50. & ſeqq.*

VIII. Crimen ſimpliciter publicum, ſive ſit notorium Jure, ſive facto, manifeſtare iis, qui neſciunt, non eſt peccatum mortale injuſtitiæ, quia hoc ipſo author amiſit Jus ad famam, cùm ratio juſti judicii, & evidentia facti faciat, ne de injuria juſtè queri poſſit. Quod confirmat conſuetudo, mandans hiſtoriæ publica crimina.

Dixi, *non eſt mortale injuſtitiæ*: quia detegere eo loco, quò fama non erat perlatura, vel non niſi poſt longum tempus, vel aliter cum gravi mœrore ejus, qui commiſit, ſæpè poteſt eſſe mortale contra Charitatem, ut Leſſ. *l.5.c.65.* contra Nav. & Cajet. V. Lugo *n.59.* Fag. *p.2.l.5.c.3.*

IX. Similiter non eſt peccatum contra Juſtitiam, ſaltem mortale, quærere cauſam captivitatis alicujus, vel de ea loqui, ſicut enim captivitas eſt publica, ſic etiam cauſa videtur eſſe facta publica, Sayr. *Clav. Reg. l.11.c.6.n.28.* Bon. Trul. *d.11.* Ubi eodem modo excuſat eum, qui refert delictum alicujus publicum, referendo ſimul pœnitentiam & emendationem : ſecus ſi taceatur pœnitentia, quam fecit: Et ſic ait peccare Hiſtoriographos, deſcribendo peccata mortuorum publica, & non referendo Pœnitentiam vel emendationem, ſi reſipuerint.

X. Similiter manifeſtare crimen, quod nondum eſt publicum, moraliter tamen certum eſt, brevi fore publicum, (ſive per facti evidentiam, ſive per ſententiam Judicis) non eſt mortale: quia parum nocet: niſi tamen ex iſta anticipatione ſequerentur gravia damna, v.g. in officio &c. Lugo *n.92.*

XI. Infamem in uno crimine, de altero valde affini infamare, eſt tantùm veniale: ut v.g. ſi de adultero dicas, quòd miſerit litteras amatorias: quia tunc non notabiliter augetur infamia. De diſparato tamen, & non connexo crimine infamare, eſt mortale: quia infamis in uno genere vitii, non amiſit Jus famæ in aliis virtutibus, Tann. *d.4.de Juſt.q.8.d.7.n.141.* ex Nav. & Leſſ. *dub.14.* contra *Sylv. v. Detractio, Palud. &c.*

XII. Detractio materialis ex loquacitate orta, eſt mortale, ſi gravem Proximi læſionem importet, idque advertatur, quia etſi non intendatur directè læſio alterius, ea tamen indirectè & implicitè eſt volita & æquivalet formali. Veniale autem tantùm erit, ſi non ſequatur læſio gravis ; quia ſcilicet communiter non ſeriò accipitur, nec creditur. Similiter erit veniale tantùm, audita referre ut audita tantùm, hoc eſt, nihil affirmando de rei veritate, ſed dubitationem potius ſuam de ea ſignificando, ita ut nulla inde ſecutura putetur infamia, nec auditores rationabiliter ſint credituri, ita contra Azor *p.3.l.13.c.6.* docet Tan. *n.139.* Eſcob. *E.10.c.4. n.40.* eò quòd diffamatio, ſi fortè ſequatur, imputetur audienti, ſi credat. Idem docet Lugo *loc. cit.* rectè limitans, niſi grave damnum ex modo narrandi, vel ex levitate audientium, (qui temerè credituri ſint, & vulgaturi) ſecuturum poſſis prævidere. Hinc peccas graviter contra Juſtitiam, ſi referens grave crimen, addas, id tibi dictum eſſe à viro fide digno : quia præbes ſufficiens fundamentum credendi. Vid. Dian. *p.3.tr.5. Miſcel.R.28.*

XIII. Mortuum infamare, minùs grave eſt, quàm vivum : mortale tamen, & ad reſtitutionem obligans. Leſſ. *d.21.* Bonac. *d.2.q.4.p.2. Tom.2. de Reſtit. in particulari num.2.*

XIV. Non eſſe mortale de aliquo ignoto, vel indeterminato malè loqui : v.g. in tali loco eſſe multos improbos : in tali Collegio unum Canonicum commiſiſſe grave crimen, v.g. Simoniam, docet Eſcob. *E.10.cap.4.* ex Fagund. quod Trul. *d.4.* ex *Bonac. Az. &c.* limitat, ſi non ſit tale, quod in alios redundet.

XV. Graviſſimè autem peccant, qui Ordini, ſeu Statui alicui Religioſorum in communi, vel Monaſterio detrahunt, dicendo v.g. quòd in eo malè vivatur, non ſervetur Obſervantia Regularis, &c. (niſi id ſit planè notorium) quia graviſſimè nocent, tenenturque ſub mortali ad reſtitutionem toti Communitati, à qua Superioris remiſſio non excuſat Sot. Nav. Trul. *d.14.* Talem autem ſufficienter confiteri, ſi dicat, detraxi cuidam Religioni, Ordini, vel Monaſterio, &c. ſive ſit Communitas numeroſa, ſive non, docet Tamb. *de exped. Confeſſ. l.2.c.1.*

XVI. Similiter mortale eſt, tacita perſona nominare Monaſterium, vel Ordinem religioſum, ex quo aliquis grave peccatum occultum, v.gr. adulterii vel fornicationis commiſerit. Nav. Trul. *d.14.*

XVII. Explicandum eſt in Confeſſione, an apud multos, & quot circiter; an verò apud unum tantùm alicui detraxeris, probabiliter. Bon. *To.1. de Sacr. d.5.q.5.ſ.2.p.2.ſ.3.nu.16. &* 21. ex Sanch. Sylv. *Adr. n.135.* Sed Lugo *de Pœnit. d.16.n.131.* 140. *&* 163.164. ex *Nav. Salas, Kon. &c.* negat, dicitque con-

„ contrarium eſſe probabilius. Nec omittendum, ſi quem in-
„ famaveris libello famoſo ; cùm id ſit genus detrahendi gra-
„ viſſimum, & ad plurimos pertinens : non tamen neceſſariò
„ dicendum eſt, in quo genere infamaveris, quia fama ſemper
„ eſt ejuſdem ſpeciei in genere moris, Lugo *num.*265.

„ XVIII. Peccat mortaliter contra Juſtitiam, & tenetur ad
„ reſtitutionem, ratione cooperationis is, qui audit detracto-
„ rem, excitando ; vel animando efficaciter; qui verò lætatur
„ tantùm detractione audita, aut licèt non lætetur, qui non
„ impedit, cùm commodè poſſit, peccat pro ratione damni,
„ mortaliter vel venialiter contra Charitatem : non tamen
„ tenetur ad reſtitutionem, niſi ſit Superior, Pater, vel Domi-
„ nus; is enim ex officio tenetur impedire ſubditum, ne alteri
„ injuſtè noceat.

„ Dixi, *ſi commodè poſſit* : quia non peccat, qui putat mo-
„ nitionem ſuam nihil profuturam vel ex eo magnum incom-
„ modum metuit, vel qui rationabili verecundia prohibetur,
„ ob authoritatem detrahentis. Debet tamen tunc diſcedere,
„ ſi commodè poteſt ; faciem triſtiorem oſtendere, vel aliò
„ ſermonem avertere. Vid. Leſſ. *n.*23. & Bonac. *Tom.*2. *de Re-*
„ *ſtitut. in partic. diſp.*2. *q.*4. *p.*11. *num.*6. Hinc æqualis rarò, (in-
„ ferior rariſſimè) tenetur corrigere detractorem, 2. Quia
„ audiens plerumque neſcit, an quod dicitur, ſit notorium,
„ tametſi ipſe ignoraverit ; & in dubio non eſt, cur damnet
„ detractorem ; in quo multi falluntur, exiſtimantes, ſimul ac
„ aliquid audiunt dici contra Proximum, id ſibi mox refutan-
„ dum. 2. Quia cæpta detractione, ſæpè meliùs conſulitur
„ Proximo, ſi ſinatur abſolvi, quàm ſi abrumpatur : nam ſi
„ diſtinctè explicetur, ſæpè non tam graviter apprehenditur,
„ quàm initio conceptum erat. 3. Quia ſæpè ſine gravi offen-
„ ſione non poteſt corrigere. 4. Quia ſæpè alter habet juſtam
„ cauſam manifeſtandi, præſertim uni ſoli, Lugo *de Juſtit.*
„ *diſp.*14. *nu.*128. Vid. Dianam *p.*2. *t.*3. *Miſcell. ref.*24. *& p.*3. *t.*5.
„ *Miſcell. ref.*35.

„ *Quæres* I. An liceat alium infamare, ad tormenta gravia
„ vitanda?

„ *Reſp.* I. Licet, ſi crimen ſit verum ; quia nullam alteri
„ facit injuriam, cùm habeat Jus ad illud in neceſſitate re-
„ velandum.

„ *Reſp.* II. Si crimen ſit falſum, non licet, quia eſſet men-
„ dacium pernicioſum. *Sylv.* tamen & *Navar.* putant, ve-
„ niale tantùm eſſe, ſi ſola infamia ſequatur, & poſt tortu-
„ ram revocetur, eò quòd non ſit infamia efficax. Vide infrà
„ *lib.*4. *c.*3. *d.*7.

„ *Quæres* II. An liceat ſeipſum infamare?

„ *Reſp.* Id non eſſe ſaltem mortale regulariter, Leſſ. *d.*6.
„ Fill. *tr.*40. *n.*53. *& ſeqq.* & Laym. *l.*3. *t.*3. *p.*3. *c.*3. *nu.*14. quia non
„ eſt contra Juſtitiam, cùm ſit famæ ſuæ dominus : nec
„ contra Charitatem, quia hæc non obligat ad bona exter-
„ na conſervanda, niſi in quantum id exigit ſalus propria, vel
„ Proximi.

„ Dixi, *regulariter* : quia per accidens poteſt eſſe mortale, ut,
„ v.g. ſi tua fama ſit neceſſaria muneri, vel ſi tibi damnum vitæ,
„ vel aliis infamiæ, ex eadem ſequeretur, *Unde reſolves* :

„ Non eſſe mortale, ad vitanda gravia tormenta, falſum
„ crimen ſibi imponere, ex quo etiam mors ſequatur, quia non
„ tenetur homo cum tantis cruciatibus vitam ſuam tueri : nec
„ talis dicetur ſe interficere, ſed tantùm ex juſta cauſa vitam
„ morti exponere, Leſſ. *d.*7. & Fill. *num.*117. Vide infrà *lib.*4.
„ *cap.*3. *dub.*7.

ADDENDA.

1191 Q*Væſt.*217. *Quid notandum ſit circa diſtinctionem famæ & honoris?* Reſp. Seqq. §.1. *Fama*, eſt exiſtimatio bona de aliquo, quoad aliquod ejus bonum, Molin. *t.*4. *d.*1. *nu.*4. & ſecundùm hanc explicari debet definitio Juriſtarum *l.*5. *ff.* 1. *ff. de variis & extraordin. cognit.* qua dicunt, quòd fama ſit illæſæ dignitatis ſtatus, Legibus & moribus comprobatus. Dicitur 1. *Exiſtimatio*, nam licèt fama (propriè loquendo) ſignificet opiniones plurium de aliquo, tamen rectè notat Lugo *de Juſtit. diſp.*14. *num.*1. opinionem unius rectè dici famam ſaltem partialem ; notat autem Illſung. *t.*4. *d.*3. *nu.*101. hanc exiſtimationem habere rationem famæ, prout fundat ſermocinationem, ſive prout eſt cauſa, cur homines de aliquo loqui poſſint, ſi enim exiſtimatio maneat interna, non eſt completa fama, nam *fama* à *fando* dicitur. 2. *Bona*, nam hic non intelligimus famam malam, qua aliqui propter crimina dicuntur famoſi ; neque famam indifferentem, quæ definiri ſolet, multorum exiſtimatio de vita & moribus alterius, ſed ſolam famam bonam. 3. *Quoad aliquod bonum*, uti ſunt virtus, ſcientiæ, vires, valetudo, pulchritudo, nobilitas, opes, favor Principum, & quævis alia etiam extrinſeca, quæ aliquam afferunt laudem, vel ſaltem potentiam plus operandi, talia enim commendant hominem & bonam de ipſo exiſtimationem cauſant, Lugo *num.*2. Ex his

Colliges, infamiam eſſe exiſtimationem malam de aliquo, quoad aliquod ejus malum, ſive, uti definit Mol. *d.*7. *n.*4. eſt læſio ſtatus, dignitatis ſeu conditionis perſonæ alicujus: de qua, quomodo nempe inducatur Jure vel facto, item ex delicto proprio aut alieno, vel ex officio, videri poſſunt Molin. ſuprà & Haun. *tr.*2. *à n.*501. Et videri etiam debent dicenda *li.*4. *à n.*786.

§.2. *Honor*, eſt teſtificatio quædam excellentiæ alterius, 1192
S. Th. 2.2. *q.*103. *art.*1. ſive (aut ait Mol. *d.*1. *n.*1.) eſt exhibitio alicujus rei velut in teſtimonium & recognitionem quandam excellentiæ, quam habet ille, qui honoratur. Dicitur 1. *teſtificatio*, quæ reſpectu Dei poteſt eſſe tantùm interna, uti rectè *S. Th.* ſed reſpectu hominum, qui interna non norunt, requirit externa ſigna, quamvis ſecundùm *Molin.* interna teſtificatio ſeu agnitio excellentiæ ſit etiam honor reſpectu hominum, præſertim eorum, quibus aliunde eſt ſatis cognita. Quòd ſi fiat verbo, dicitur laus, quæ laus, ſi clareſcat, id eſt, ſi veniat ad notitiam plurimorum, dicitur gloria, quaſi claria, inquit *S. Th.* ad 3. gloria enim definitur, *clara cum laude notitia*. Poteſt quoque eadem teſtificatio fieri aliis ſignis, uti erectione ſtatuæ, ceſſione primi loci, corporis inflexione, genuflexione, &c. 2. *Quædam*, nam rectè notant Mol. Lugo & alii contra Leſſ. *l.*2. *c.*11. *n.*2. honorem non neceſſariò debere eſſe reverentiam, id eſt, teſtificationem cum ſubmiſſione, nam *Joan.*10 dicitur Deus honorificaturus Sanctos. *Tob.*1. Rex honoravit Tobiam. *Eſth.*6. Aſſuerus honoravit Mardochæum, & tamen nec DEUS ad homines, nec hi Reges habuerunt ſubmiſſionem ad ſuos ſubditos: poteſt tamen dici cum Haun. *num.*498. honorem ſemper eſſe, vel cum ſubmiſſione ipſius teſtificantis, vel ſaltem cum intentione aut judicio de ſubmiſſione ab aliis exhibenda, quod innuit S. Tho. *art.*2. *ad* 1. ubi *ad* 3. addit, honorem non deberi niſi ratione ſuperioritatis, quæ non neceſſariò conſiderari debeat per comparationem ad honorantem, ſed ſaltem per comparationem ad aliquos alios, quia in quolibet invenitur aliquid, ex quo poteſt alius eum Superiorem reputare, ſecundùm illud ad Philip. 2. *In humilitate Superiores invicem arbitrantes.* 3. *Excellentiæ*, id eſt, boni & perfectionis, propter quam, niſi aliquid aliud impediat, ſit dignus exiſtimatione & ſignificatione ejuſdem exiſtimationis, nam rectè notat Lugo *num.*4. per illam teſtificationem, quæ eſt honor, debere intendi, non ſolùm ſignificationem boni, ſed etiam manifeſtationem internæ exiſtimationis, quam quis ſaltem præſumitur habere de excellentia alterius. Dixi, *niſi aliquid aliud impediat*, nam rectè notat Leſſ. *nu.*3. dæmones, & damnatos, licèt habeant multas excellentias naturales, non eſſe honorandos, quia propter indurationem in malo & averſionem perpetuam à Fine ultimo reddiderunt ſe dignos omni ignominia. Ex his

Colliges ſeqq. 1. *Inhonoratio*, eſt teſtificatio quædam mali 1193
ſeu imperfectionis in altero, cum ſignificatione ſuæ malæ exiſtimationis de illo. 2. Si honor ſumatur, prout includit famam, eique ſuperaddit teſtificationem, meritò dicit Leſſ. *num.*5. quòd honor ſit majus bonum quàm fama : è contra ſi fama ſumatur prout contradiſtincta ab honore, Lugo *num.*9. rectè dicit famam prævalere honori, quia melius eſt internè haberi pro bono quàm externè tantùm dici bonum, & internè haberi pro malo.

Q. 218. *Quandonam peccetur graviter contra famam* 1194
vel honorem? Reſp. De hoc dari non poteſt regula una pro omni caſu ſufficiens, ſed conſideratis circumſtantiis definiendum eſt prudentis judicio, an læſio habeat vim meritò graviter contriſtandi vel diſſolvendi amicitiam : præcipuæ autem circumſtantiæ ſunt, qualitas perſonæ, cui fit injuria, authoritas vel conditio facientis injuriam ; item bonus vel malus affectus illius ; levitas aut gravitas materiæ ſecundùm ſe, in qua fit injuria; item varia diſpoſitio audientium vel ſpectantium : Ratio eſt, quia fama, quam ſequitur honor, conſiſtit in exiſtimatione hominum, ergo qualis hic & nunc communiter eſt jactura exiſtimationis hominum, talis erit injuria : exiſtimatio autem hominum eſt varia pro variis ejuſmodi circumſtantiis, v.g. faciliùs erit injuria gravis, ſi perſona, de qua aliquid mali dicitur, ſit magnæ exiſtimationis, tum quia uno defectu detecto omnes virtutes & bona reliqua ipſius fiunt ſuſpecta vel revocantur in dubium, tum etiã quia quantò major eſt fama, tantò cum majore labore & difficultate eſt parta, hinc meritò graviùs fert ita una vice tolli vel imminui. Item, ſi perſona dicens non ſoleat tale quid aut tali modo dicere, niſi cum magno fundamento, jam eſt præſumptio major. Item, ſi audientes ſint tales, qui ſoleant omnia in pejorem partẽ interpretari, & apud ſe plus concipere, quàm reipſa dicatur, jam plus nocetur, quàm ſi diceretur apud alios &c. Ex his,

Colliges Seqq. 1. Eſp. *de Juſtit. qu.*29. pro materia gravi mi- 1195
nùs rectè hic ſtatuit peccatum mortale, quod quis dicit vel objicit proximo, (& idem eſt de judicio temerario) quia ſi de gregario milite dicas habuiſſe duellum, fuiſſe ebrium &c. non ſunt injuriæ graves, quamvis ſint de peccato mortali: è contra ſi de Religioſo valdè ſtudioſo perfectionis dicas

ſolere mentiri ; de Epiſcopo eſſe ſpurium ; de peritiſſimo Medico eſſe ignorantem, ſunt injuriæ graves ; quamvis non ſint mortalia, aut nequidem peccata. 2. Nec videtur ſufficere regula, quam dat Mol.*d.16.n.5.* quòd illa ſit materia gravis, pro qua alter mallet pati gravem læſionem in bonis fortunæ, nam homo nobilis ſæpè mallet ferre jacturam ducati, quàm pati levem aliquam confuſionem vel irriſionem, uti rectè Lugo *diſp.* 14.*n.*24. & ideò ipſemet Mol.*d.26.n.*4. recurrit ad regulam à nobis datam. 3. Injuria in fama poteſt eſſe gravis in ratione damni circa alia bona, quamvis ſit levis ratione infamationis, ſi nempè ex illa quantumvis de ſe levi oriatur grave damnum in bonis fortunæ, corporis vel animæ, & tum eſt mortale alterius ſpeciei. 4. Licèt levis ſit injuria, ſi quis internè judicet aliquem eſſe, v.gr. adulterum ; quando probabilia ſunt indicia pro eo, quòd ſit, & etiam pro eo, quòd non ſit adulter, uti dictum *num.*1180. tamen gravis foret injuria, ſi alteri diceret eſſe adulterum : diſparitatem dat Lugo *n.*22. quia qui externè dicit, non ſignificat ſuam formidinem, nec infirmitatem, qua aſſentitur, quam tamen habet, qui tantùm internè judicat, ergo detractio illa externa eſt magis contra jus, quàm aſſenſus ille internus. Quod ſi exteriùs ſignificaret illam formidinem internam, dicendo, probabile eſt eſſe adulterum, per ſe loquendo, non eſſet detractio gravis, attamen ſecundùm limitationem *n.*1207. dandam.

1196 *Q.*219. *Quid præterea notandum ſit circa detractionem & injurias contra famam?* Reſp. Seqq. §.1. Detractio fieri poteſt verbis, ſignis, factis : fit autem præcipuè his 8. modis, uti notat Lugo *diſp.*14.*n.*35. Primò imponendo falſum. 2. Publicum augendo. 3. Occultum revelando. 4. Siniſtrè interpretando bona. 5. Negando laudabiliter facta. 6. Imminuendo merita. 7. Silendo, ubi ſilentium æquivalet confeſſioni defectus alieni. 8. Ita frigidè laudando, ut potiùs vergat in contemptum. Hos modos Illſ.*t.*4.*d.*3.*num.*101. complexus eſt his verſibus:

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remiſsè.

Quandoque fit detractio etiam per fictum dolorem, uti dicetur *l.*5.*n.*306. Quandoque detractioni accedit malitia ſuſurrationis, quia dirimitur amicitia & pax inter aliquos, quæ malitia, propter oppoſitionem cum charitate & pace, ſpecie diſtinguitur à malitia injuſtitiæ.

1197 §.2. Probabilius eſt contra Caj. & alios apud Leſſ.*lib.*2. *c.*11.*n.*88. (quorum ſententiam probabilem eſſe dicunt Dian. & Dicaſt.*de Reſtit.d.*12.*num.*133.) quòd poſſit eſſe mortale, etiam apud unicum detrahere, quamvis hic ſit vir prudens, qui rem ulteriùs non promulgabit, ita cum aliis Illſ.*nu.*105. Rationem dat *Buſemb.* quia hoc eſt plùs quàm judicium temerarium, nam per hoc tantùm tollitur fama formalis, ſeu actuale judicium de bono alterius, per detractionem autem tollitur etiam radicalis. & judicium quaſi habituale, diximus autem *num.*1178. cum communi, judicium temerarium poſſe eſſe mortale. *Nec obſtat*, quòd communiter reſpondent cum Tamb. *in Decal.lib.*9.*c.*1.*nu.*4. per judicium temerarium quaſi imponi falſum crimen, quod omnes apprehendunt ut grave, ſed detractionem fieri in vero crimine, uti ſupponitur, *nam* hoc dato, inde tantùm ſequitur judicium temerarium eſſe majorem injuriam in modo injuriandi, non autem in ratione damni ; deinde adhuc quivis meritò eſt graviter invitus etiam verum crimen ſuum revelari alteri, uti colligitur ex difficultate, quam homo ordinariè habet, ut grave crimen ſuum etiam ſoli Confeſſario manifeſtet, quamvis ſciat hoc neceſſarium eſſe ad obtinendam à Deo veniam.

1198 §.3. Eſt detractio, revelare occultum defectum illius, qui communiter habetur, v.g. doctus vel nobilis, quamvis talis non ſit : quia per communem exiſtimationem acquiſivit jus ad talem famam : notat tamen Mol.*d.26.n.*5. ſi de illo, qui habet majorem famam, quàm par ſit, proferatur judicium verum ex iis, quæ apparent, non detegendo crimen vel vitium occultum, nullam eſſe injuriam vel peccatum, dummodò abſit odium, invidia & prava alia intentio.

1199 §.4. Eſt detractio revelare crimen emendatum, niſi adſit periculum relapſus, qui per hoc impediri poſſit, vel alia juſta cauſa excuſet, uti pluribus oſtendunt Lugo *in Reſp.Mor.lib.*4. *dub.*46. Sanch.*in Dec.lib.*6.*c.*18.*n.*40. & 60. Mendo *d.*1.*à nu.*200. Ovied.*de Charit.contr.*11.*par.*10. §.12. ubi rectè probat Religioſum quemcunque etiam in Societate JESU, fore detractorem, ſi tale crimen ad Superiorem deferat.

1200 §. 5. Si publicetur crimen, quod nihilominus per alios erat brevi juſtè publicandum, non eſt mortale ; ſi autem erat injuſtè publicandum, eſt mortale, & tenetur compenſare damna, qui prior publicat, ſicuti graviter peccat, & ſecundùm dicta *num.*49. tenetur reſtituere, qui prior domum intendit, prævidens nihilominus injuſtè accendendam ab aliis, quia ſolus prævenit per injuſtum actum, ex quo efficaciter ſequitur damnum.

§.6. Eſt gravis detractio dicere de muliere Galla, Itala aut 1201
Hiſpana, quod ſit bibax, quia apud eos populos habetur hoc pro magno probro : idem dicere in Germania de Matronis primæ vel mediæ ſortis etiam eſt grave, ſed dicere de plebea & infimæ ſortis muliercula, non eſſe grave docet Gob.*in Quint. t.*5.*cap.*43.*num.*47.

§.7. Non eſt detractio dicere de aliquo, quòd ſit ſcrupu- 1202
loſus, ſi ſignificetur & audientes intelligant, quòd ſit timoratæ conſcientiæ, quæ formidet omne peccatum, aut quæ habeat ſolicitudinem ac curam pro officio vel obligatione accuratè explenda. E contra ſi per ſcrupuloſitatem intelligatur, ut intelligi ſolet, inanis apprehenſio peccati, & inde orta anxietas in agendis, communiter eſt detractio gravis, ſi dicatur de homine magnæ authoritatis, vel de tali, qui habet aut habere debet famam boni judicii & prudentiæ, quia per hoc ſignificatur defectus judicii naturalis & prudentiæ, quod utique meritò graviter diſplicet tali perſonæ, cauſatque ſæpiſſimè etiam damna, vel temporalia vel ſaltem ſpiritualia, etiam apud alios, qui diffidentiam habebunt erga illum : Eſtque circa hoc ea libertas hujus ſæculi, ut qui accuratè facere vult, quod debet, vix effugiat nomen ſcrupuloſi. De cætero, dicere juvenem vel hominem indoctum eſſe ſcrupuloſum, communiter non erit detractio, ſaltem gravis.

§.8. Si de aliquo dicatur, quòd laboret morbo gallico, 1203
Nav. negat eſſe mortale, quia morbus ille etiam aliunde contrahitur, quàm ex actibus venereis, ſed probabilius eſt cum *Bonac.* eſſe communiter mortale, niſi addatur cauſa alia credibilis, ex qua ortus ſit morbus, v.g. quòd dormierit in lecto infecto. Ratio eſt, quia cùm hic morbus ordinariè naſcatur ex vitio carnis vel congreſſu meretricio, erit mortale aſſerere de illo, de quo mortale eſſet aſſerere fornicationem.

§.9. Fieri poteſt, ut infamare in eodem genere, ſit mor- 1204
tale, v.g. dicere de viro honeſto, quòd ſecunda vice ſit fornicatus, quia potuit cenſeri prima vice feciſſe ex occaſione extraordinaria, fragilitate, paſſione ; ſed quando dicitur repetiviſſe, facilè judicabitur abſolutè impurus : regula itaque generalis eſt, videre, an nova inde ſequatur infamia vel damnum.

§.10. Detrahere in re gravi cum animo ſtatim efficaciter 1205
revocandi non eſt mortale, quia proximus non poteſt eſſe graviter invitus, ſi per tantillum tempus careat fama ſua apud alios, ita cum aliis Lugo *num.*13.

§.11. Non eſt mortale, ſi de homine ignoto, v.g. larvato, 1206
quem nec tu nec alii agnoſcent, dicas aliquid etiam grave, uti in ſimili oſtenſum eſt *n.*1187. de judicio temerario.

§.12. Si quis referat audita ut audita, ſcilicet dubitanter 1207
& abſque aſſeveratione, ſi ſit quid grave, *Sot.* abſolutè affirmat, Caj. Nav. & Gob.*in Clyp.num.*273. abſolutè negant peccari mortaliter, ſed alii probabiliùs diſtinguunt cum Dicaſt. *dub.*4. nam ſi audientes ex levitate vel malitia ſunt credituri, aut tanquam indubitatum divulgaturi, eſt mortale, quia ſic iniuſtè cauſatur gravis infamia proximo ; ſi autem non aliter crediturí ſunt vel divulgaturi, quàm audiant, ordinariè erit veniale tantùm, quia fama abſolutè non tollitur, ſed tantùm quaſi ſemiplenè, uti per dubium, ſuſpicionem vel opinionem temerariam.

§.13. Si tot defectus, etiam leves, ejuſdem hominis re- 1208
veles apud eundem, ut tandem notabiliter imminuatur exiſtimatio, peccas graviter, uti rectè Lugo *diſp.*16.*num.*46. Burgh. *centur.*2.*caſ.*87. neque opus eſt fieri intra breve tempus, uti vult Steph.*t.*4.*d.*4.*num.*6. nam collecti in memoria illius, apud quem detrahitur, habent eundem effectum, ſive intrà breve, ſive intrà longum tempus dicantur. Si tamen fiat apud diverſos, qui non communicabunt, non unientur in ordine ad cauſandum damnum grave in fama, unde erunt tantùm venialia. Addit rectè Lugo *num.*52. ſi de diverſis parva dicas, non unientur in ordine ad conſtituendum mortale, niſi per hoc graviter diffametur tota communitas : neque ſimile eſt de parvis furtis reſpectu plurium, nam in his meritò communitas eſt graviter invita, eò quòd furta ob utilitatem & lucrum magis alliciant, ſicque faciliùs ſingulis immineret periculum gravis damni, ideoque hæc debuerunt graviter prohiberi. Denique addit Lugo *n.*62. fieri poſſe, ut quis dicens leve quid de aliquo jam antecedenter ab aliis ſæpè leviter infamato, peccet graviter, ſi per ultimam ſuam detractionem addat hoc, quod requirebatur ad lædendam graviter exiſtimationem illius : unde non habet ſe ſicut ille, qui ultimò furatur aliquid leve illi, cui alii multi ante erant furati levia, ſed habet ſe, ſicut ille, qui alicui per multa levia vulnera ſauciato addit leve vulnus, quo cum aliis coniuncto, ipſe occiditur.

§.14. Si quis graviter ſit iniuriatus, & ideò quaſi non 1209
potens ſe cohibere prorumpat in publicas querimonias, per quas manifeſtetur iniuria, & ſic infametur ille, qui iniuriam intulit, aliqui apud Dian.*p.*3.*t.*5.*R.*32. dicunt eum non ſtatim eſſe damnandum mortalis, quia videtur eſſe ſupra humanam imbecillitatem tum tacere, debetque ſibi alter imputare,

tare, quòd coegerit ad tale lenimentum doloris: ſed meritò contradicunt alii cum Steph. *nu.* 11. quamvis enim probabile ſit, quòd ob rationem datam poſſit apud unum taciturnum effundere ſuum dolorem, id enim videtur eſſe naturale ejus lenimentum, tamen nimis longè prorumpit dolor, ſi publicè manifeſtando quærat ſolatium apud tam multos, cum tanto præjudicio famæ alienæ; imò aliqui meritò ſuſpectum habent, quòd propter ſolatium poſſit etiam uni dici aliquid redundans in infamiam alterius, quia facilè fieret abuſus; & ſi non liceat furari pro ſolatio ſuæ gravis miſeriæ, cur licebit detrahere pro ſolatio doloris? præſertim cùm infamia aliena non ſit ex natura ſua ita ordinata ad ſolatium doloris, uti bona aliena ad ſolatium miſeriæ.

1210 §.15. Si quis detrahat damnato, v. gr. Judæ, aliqui dicunt non eſſe peccatum, quia homo mortuus non eſt, ergo non habèt jus ad famam, uti nec homo tantùm poſſibilis: ſed ratio iſta nulla eſt, quamvis enim homo mortuus non ſit actu homo, tamen actu habet animam, (quod non eſt de homine purè poſſibili) in qua anima ejuſque voluntate reſidet dominium & jus famæ. Addit *Haun.* damnatos non eſſe capaces utilitatis, conſequenter nec juris, cum jus ad illam ordinetur: ſed nec iſta ratio tenet, nam ſunt capaces negationis majorum tormentorum, uti ſtatim dicetur, ergo & utilitatis: hinc *Mald. Mol.* & idem *Haun.* pro hac ſententia dant iſtam rationem, quòd damnati jam ſint hoſtes Dei & hominum, nec ſint ampliùs proximi, utpote omnino deordinati à fine ultimo, ergo non eſt dicendum, quòd Deus vel natura eis aſſiſtat vel faveat in ordine ad conſervandum illis jus aliquod, quo nos gravent, ne eis famam detrahamus. E contrà *Bonac.* & alii cum Lugo *d.* 14. *num.* 46. probabilius dicunt peccari, nam adhuc hoc ſenſu ſunt proximi, quòd ſint conjuncti in natura; deinde certum eſt illos habere adhuc aliqua jura, v. gr. ut pro levi mendacio non infligatur major pœna, quàm mereatur mendacium, ut nos non velimus illis majorem pœnam, quàm Dei judicio ſit conſtituta &c. Præterea peccatores ſunt hoſtes Dei & averſi à fine ultimo, tamen habent jus famæ, ex hoc autem, quòd damnati ſint perpetuò averſi: non ſequitur eſſe exutos omni jure naturali: rectè tamen notant Petſch. *qu.* 5. *ar.* 2. *qu.* 2. & Herinx *de Juſt. d.* 7. *nu.* 28. detrahentem fortè poſſe per hoc excuſari, quòd damnati non curent famam ſuam.

1211 §. 16. Si reus legitimè interrogatus neget verum crimen & ideò infamia redundet in accuſatorem, Cajet. Molin. aliiq; apud Dian. *p.* 3. *tract.* 5. *Reſ.* 30. dicunt huic fieri injuriam, quia negando crimen implicitè dicit eos falsò & calumniosè accuſare, ergo eſt cauſa injuſta illius infamiæ. E contrà Faber & Dian. ſuprà, Lugo *diſp.* 15. *numer.* 14. Dicaſt. *num.* 291. Haunold. *nu.* 556. Sporer *tr.* 5. *cap.* 4. *n.* 98. probabilius negant, quia reus non tenetur ex juſtitia fateri crimen, multò minùs juvare accuſatorem, vel contra ſeipſum agere, ergo negando, donec probetur, non eſt cauſa poſitiva, ſed tantùm permiſſiva illius infamiæ.

1212 §. 17. Si Titius per mendacium infamavit Cajum, & ego poſſim ſine incommodo ſalvare famam Caii, manifeſtando mendacium Titii, non detraho, ſi manifeſtem, quia Cajus retinet jus ad famam, & iſti juri conſervando licitè cooperor: immò Lugo *d.* 10. *à num.* 212. docet me ex charitate ad hoc teneri, ſicut ſi poſſem ſine incommodo, tenerer tibi manifeſtare furem, ne rem tuam pergat injuſtè retinere. Vide tamen dicta *l.* 2. *num.* 219.

Quod Buſemb. in fine dicit de illo, qui ſibi falſum crimen imponit, ob quod morte plectetur, quòd nempe non peccet graviter, nec cenſeatur ſeipſum occidere, de hoc recurret mentio *l.* 4. *num.* 1523.

1213 *Q.* 220. *An ſit licitum repercutere infama vel honore, id eſt, infamare vel inhonorare eum, à quo quis injuſtè infamatus vel inhonoratus eſt?* Reſp. §. 1. Communiter non eſt licitum, quia communiter hoc non eſt medium unicum vel certò efficax ad recuperandam famam aut honorem, uti rectè probat Carden. *in* 2. *Criſi diſſ.* 26. *nu.* 16. ergo illicitum eſt adhibere illud cum tanto præjudicio proximi: deinde quia communiter adeſt ſpiritus vindictæ, quæ privato non licet.

1214 §. 2. Si quis poſſit tueri vel recuperare famam, aliter, quàm infamando detractorem, peccat contra juſtitiam, ſi, ut ei fidem deroget, ipſum viciſſim infamet, ita cum communi Lugo *d.* 15 *n.* 49. Leſſ. *l.* 2. *c.* 11. *num.* 133. quamvis innuat velut probabile, quòd ſit contra Charitatem tantùm. Ratio noſtra eſt, quia detractor habet jus, ne plùs fiat, quàm neceſſarium eſt ad defenſionem, vel recuperationem famæ, ergo cùm reciproca infamatio non ſit ad hoc neceſſaria, habet jus ad negationem illius. Idem magis valet, ſi infamatio alterius ſit inutilis ad recuperandam famam, vel honorem ſuum; tum autem eſſet inutilis, ſi crimen manifeſtandum non redderet inhabilem ad teſtificandum, aut ſi accuſatus non poſſet illud crimen detractoris probare, nam ſine probatione nihil prodeſſet ad defenſionem.

1215 §. 3. Mortale eſt alteri falſum crimen grave imponere, ut ſic elidatur ejus authoritas, vel defendatur honor, nam hæ duæ prop. ſunt ab Inn. XI. damnatæ 43. *Quidni non niſi veniale ſit detrahentis authoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?* 44. *Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat: & ſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Ratio autem eſt, quia eſt mandacium in re gravi, deinde etiam eſt grave contra juſtitiam, uti jam dicetur.

§. 4. Tale falſum crimen imponere detrahenti, eſt in pri- 1216
mis contra juſtitiam legalem, quia eſt contra jus, quo Reſp. obligat ſingulos ſibi ſubditos, ne Judicem à ſe conſtitutum decipiant in iis, quæ ad publicam, & rectam gubernationem ſpectant, ſicque inducant ad puniendum aliquem ob crimen falſum. Deinde etiam eſt contra juſtitiam commutativam, ſive fiat in ſive extra judicium, ita *Garden.* & alii contra *Lugo*, & alios. Ratio eſt, quia quiſque habet jus, ne à privato occidatur, quod utrumque jus non amittitur, niſi ubi eſt defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ, qualis tum tantùm eſt, ſi medium, quod adhibes ad te defendendum, ſit unicum, & certò efficax, quod hìc non eſt. Deinde hæc defenſio eſt in perniciem, & contra jus Reipublicæ, ergo eſt illicita, ergo non poteſt dici eſſe defenſio cum moderamine inculpatæ tutelæ, hæc enim eſt licita. *Nec obſtat*, quòd talis imfamatio non ſit contra juſtitiam, in quantum eſt recuperatio famæ ſuæ injuſtè læſæ, *nam* eſt contra juſtitiam, in quantum eſt recuperatio per infamationem falſam, eò quòd hæc ſit contra jus ad famam, quod habet ille, qui infamatur, ne lædatur circa materiam, in qua eſt innocens.

§. 5. Licitum eſt, per ſe loquendo, crimen verum detra- 1217
hentis, vel falsò accuſantis manifeſtare, quantum neceſſarium eſt ad elidendam authoritatem illius, quia injuriam patiens habet jus ad defenſionem ſui, nec detrahens aut injuſtè accuſans poteſt eſſe rationabiliter invitus, cùm ipſemet cogat injuriatum ad hoc medium neceſſarium de ſe licitum, ita Carden. *nu.* 48. Imò aliqui dicunt id licere, quamvis eſſet accuſatus de vero crimine, ſed occulto injuriosè manifeſtato, quia adhuc injuſtè læſa eſt ejus fama, ad quam recuperandam jus habet. Addit *Carden.* ſi falsò vel injuſtè accuſatus inde paſſurus eſſet leve damnum, & accuſans grave, tum fore contrà Charitatem revelato ejus gravi crimine authoritatem elidere. *Dixi*, per ſe loquendo, nam aliter loquendum eſt, ſi quis ſub ſecreto illud habeat, vel injuſtè notitiam illam acquiſiverit, uti dicetur à 1228.

§. 6. Qui ab alio falſa calumnia impetitur, nec aliter po- 1218
teſt eam refellere, poteſt calumnianti dicere, quòd mentiatur, quamvis hoc ſit ipſi futurum ignominioſum, nam utitur moderamine inculpatæ tutelæ, ita cum aliis Mendo *diſſ.* 1. *num.* 225. Idem dicunt aliqui, quamvis crimen, quod obiicitur, foret verum, dummodo non ſit publicum, quia calumniator tum adhuc mentitur quoad famam publicam, ſed in hoc videtur eſſe reſtrictio nimiùm mentalis, nam neque ex verbis alterius, neque ex circumſtantiis colligi poteſt, quòd loquatur de fama publica: poſſet tamen dicere eſſe quoad hoc calumniatorem, & ſibi facere injuriam.

Q. 221. *Quid notandum ſit, ſi hoc, quod de altero di-* 1219
xiſti, fuit publicum? Reſp. Seqq.

§. 1. Aliquid poteſt eſſe publicum tripliciter, in primis *Jure*, ſi ſciatur per confeſſionem Rei in publico judicio, vel per ſententiam Judicis jam publicatam: Deinde *Facto*, ſeu per ipſam facti evidentiam apud tot, ut, attenta conditione illorum, qui eam habent, & qualitate communitatis, arbitrio prudentum judicetur nulla tergiverſatione celari poſſe. Denique *Famâ*, ſi rumor dehoc ex ſufficientibus indiciis ortus pervenerit ad majorem partem communitatis. Vide dicenda l. 4. num. 786. Ut autem crimen ſit famâ publicum, aliqui dicunt ſufficere, quòd ſciant decem, quia hic numerus ſufficit ad conſtituendum populum, ſeu parochiam, & turbam, L. 4. ff. *Vi bonor. raptor.* Alii dicunt ſufficere ſex, quia is numerus eſt plùs quàm media pars populi, ſeu numeri requiſiti ad parochiam; alii cum Arr. *de Sacram. d.* 21. *n.* 27. melius dicunt hoc eſſe judicandum reſpectivè tum ad communitatem, tum ad perſonas quæ ſciunt, & creduntur, vel tacituræ, vel leviter de hoc locuturæ: hinc putat, quamvis 30. viri graves, & taciturni aliquid ſciant, non ideò cenſeri poſſe famâ publicum. Mol. Lugo *d.* 14. *n.* 70. Haun. *n.* 544. dicunt, ſi communitas conſtet 8. perſonis, tum eſſe notorium famâ, quando 4. ſciunt: ſi conſtet 20. quando 7. ſi 100. quando 15. ſi 1000. quando 20. vel 30. qui ſint ex diverſis domibus. Quòd ſi vicinia conſtet ex 40. perſonis habitantibus in 4. vel 5. domibus, quando ſciunt 10. vel 8. perſonæ diverſarum domuum, cenſetur notorium, ſi autem civitas conſtet 5000. civibus, ſufficit, quòd ſciant 30. ſparſi per illam civitatem, aut quòd una platea vicina id ſciat, quia tum moraliter impoſſibile eſt celari. Addit cum aliis *Steph. t.* 4. *d.* 6. *n.* 27. crimen famoſum dici, cujus, famæ pervagatur per majorem partem Vicinæ, Communitatis, Op-

pidi, Parochiæ. Denique ut quis infamatus ſit in regno, ſatis eſt, ſi ſit infamatus in Curia vel alio illuſtri loco, ex quo facilè in totum regnum fama dimanet, ita Mol. & Lugo, poteſtque videri etiam Petſch.*q.5.a.3.q.7.*

1220 §.2. Si quid ſit publicum, non eſt detractio, ſi ulterius publicetur, ſaltem quando prima publicatio non fuit injuſta: Quòd ſi hæc fuit injuſta, adhuc docet Leſſ.Bonæſp.Burg.*cent. 1.caſ.*54.Petſch.*q.6.*non peccari ſi ulteriùs publicetur, dummodò ipſi non fuerit falsò impoſitum, tum quia per publicitatem amiſit jus ad famam, tum etiam quia conſiderata humana ſocietate nimis durum foret non poſſe loqui de publicis,& reipſa vix unquam poſſet quis loqui de crimine publico, quia primi ſermones ſæpiſſimè fuerunt injurioſi. Oppoſitum tenent Bonac.Haun.*n.*545.& alii cum Steph.*nu.*22.quia cùm cauſa publicitatis fuerit injuria, manet jus ad recuperandam famam, ergo facit injuriam, qui continuando diffamationem impedit illam recuperationem. Quod ſi crimen fuerit falſum, major adhuc eſt ratio, uti fatentur Burgh.& Petſch.*qu.*8.nam facultas publicandi crimen de aliquo, fundatur partialiter in veritate; E contrà jus ad famam fundatur, vel in ignorantia criminis veri, vel in vera criminis carentia, ergo cùm hic ſit vera carentia criminis, manet jus ad famam: poteſtque videri etiam Mol.*d.*32. qui magis propendet in ſecundam ſententiam.

1221 §.3. Crimen in uno Monaſterio publicum poteſt ulteriùs publicari intrà illud Monaſterium, ſed non extra, quia talis publicitas non eſt abſoluta, ſed reſtricta tantùm ad illos, cum quibus Monaſterium communicat in regula & regimine, Arr.*n.*23. An autem poſſit ſcribi etiam ad alia Monaſteria ejuſdem Ordinis? dubitatur: videtur poſſe, tum quia illa inter ſe communicant, tum etiam quia ſi Religioſus illuc veniret aliunde, poſſet dici præſenti, ergo etiam poterit ſcribi abſenti, ita cum aliis Mol.*t.4.d.33.n.*7.Rebell.*p.1.l.4.q.4.n.*10. ubi tamen addunt timoratos & prudentes id non facilè facere; ſed credo diſtinguendum eſſe, nam ſi illi Religioſi non ſolcant mitti de uno loco in alium, non videtur licitum eſſe, quia non habet tantam communicationem; ſi autem affixi non ſint certis locis, ſed permutentur, & permiſceantur, ſcribi poterit ob rationem datam.

1222 §.4. Sires, quæ fuit olim publica, ſed nunc oblivione ſepulta erat, iterum publicetur, fit injuria, ſi facto vel fama tantùm fuit publica, ita Mol.Lugo *num.*85.& alii. Ratio eſt, quia diverſitas temporis facit, ut res non ſit ampliùs abſolutè publica: ſed tantùm fuerit: hinc res per oblivionem eſt reducta ad eũ ſtatum, in quo erat ante publicitatem, & fama iterum juſtè poſſidetur. E contrà quod uno loco publicum eſt, eſt abſolutè de facto publicum, hinc, per ſe loquendo, poſſet etiam alio loco publicari. Probabile quidem etiam eſt, quod docent Az.Leſſ. & Urb.apud Steph.*n.*23.eum non peccare contrà juſtitiam, qui revelat delictum oblivione ſepultum, ſi ſimul patefaciat reſipiſcentiam, quia qui tali tempore fuit infamis, amiſit in perpetuum omne jus habendi famam pro eo tempore, quo fuit infamis. Contrarium tamen adhuc videtur probabilius, quia in praxi non videtur infamia temporis præteriti poſſe narrari, quin redundet in infamiam etiam præſentem: probabiliter tamen docent Leſſ.*n.*82. Lugo *n.*77. Petſch.*qu.*7 *illat.*4. non fore peccatum, ſi fuerit publicum publicitate juris, quia non obſtante oblivione, videtur moraliter perſeverare facultas manifeſtandi data à Judice.

1223 *Q.*222. *Quid notandum ſit circa injurias contra honorem?* Reſp.Seqq. §.1. Injuriæ contra honorem nomine generico dicuntur *contumelia*, à contemnedo, inquit Mol.*d.*18.*num.*1. Contumelia autem dividitur præcipuè in convitium, improperium, irriſionem, illuſionem, ſubſannationem, maledictionem. *Convitium* eſt, ſi vitium, vel defectus etiam naturalis objiciatur alteri cum ejus dedecore. *Improperium*, ſive contumelia ſpecificè ſumpta, qua vitium, vel defectus alicui præſenti in faciem objicitur. *Irriſio*, qua quis præſens, vel abſens objicitur riſui. *Illuſio*, qua quis objicitur ludibrio quaſi tectè, & cum quadam deceptione, uti cùm Judæi Chriſto velata facie illudebant, dicentes, *Prophetiza nobis Chriſte*, &c. *Subſannatio*, qua quis objicitur irriſioni per geſtus alioſve motus corporis, uti Chriſto Crucifixo ſubſannabant Judæi, moventes capita, & dicentes, *Vah! qui deſtruis templum Dei*. Iniuriæ contra honorem ſæpè additur *maledictio*, qua quis imprecatur alicui malum, de quibus omnibus videri poteſt Lugo *d.*14. *ſect.*11.

1224 §.2. Contumelia ex genere ſuo eſt mortale, quia honor, qui per eam tollitur, eſt bonum æſtimabilius quàm bona fortunæ: de ſe tamen eſt minus peccatum quàm detractio, reſpectivè ad illum, qui contumeliam infert, quia fama eſt bonum nobilius quàm honore, uti n.1193.dictum eſt. Rectè autem notat Steph.*t.4.d.6.n.6.* quòd convitia, quibus ſe mulieres, pueri, & infimæ ſortis homines appellant ſagas, meretrices, adulteras, nebulones, &c. communiter non ſunt peccata gravia, quia dicentes non ita ſentiunt, nec intendunt inferre infamiam gravem, audientes autem non credunt ſimilibus verbis, quia advertunt ex paſſione dici.

§.3. Injuria contra famam poteſt eſſe ſine contumelia, 1225
uti patet in judicio temerario, & detractione de abſente: ſimiliter contumelia poteſt eſſe ſine injuria contra famam, uti ſi alicui nemine præſente, objiciam vitium, ſi ſolus irrideam illum, vel ſubſannem.

§.4. Injuria contra famam ſpecie diſtinguitur ab injuria 1226
contra honorem, quia læduntur bona notabiliter diverſa, uti colligitur ex dictis num.1191.& 1192.quod *Conf.*nam detractor adhuc cenſetur aliquatenus revereri eum, cui detrahit, cùm plerumque detrahat abſenti, ideoque communiter detractio habet ſe inſtar furti: è contrà contumelioſus abjicit reverentiam erga alterum, ideòque contumelia ſpecificè ſumpta habet ſe inſtar rapinæ, Petſch.*q.5.a.3.Dico*, ſpecificè ſumpta, nam ſumpta genericè, prout comprehendit omnes injurias contra honorem, poteſt fieri etiam abſenti, uti ſi ſtatua ejus dehonoretur; hinc rectè notat Mol.*nu.*4. in hoc ſolo non poſſe poni differentiam adæquatam detractionis, & contumeliæ, quòd prima fiat abſenti, altera præſenti; nam detractio fieri poteſt præſenti, & contumelia abſenti.

§.5. Sicuti omnes detractiones, ita omnes contumeliæ 1227
ſunt ejuſdem ſpeciei, ſi diſtinguas mortalem à veniali, cùm per omnes idem honor lædatur, neque ratione diverſi modi refundatur ſpecialis inhoneſtas, nam quòd improperium fiat præſenti, hoc ipſum eſt illa dehonoratio, quæ hanc ſpeciem conſtituit, violentiam enim nullam infert, quamvis alter ſit invitus, ergo non ideò debet ab aliis ſpecie diſtingui.

*Q.*223. *Quid notandum ſit circa revelationem ſecreti?* 1228
Reſp. Seqq.

§.1. Per revelationem ſecreti poteſt fieri injuria gravis, vel levis, vel nulla, uti patebit ex dicendis: loquemur autem hic tantùm de revelatione ſecreti naturalis, nam de ſecreto ſacramentali, ſive ſigillo Confeſſionis, agetur l.6.t.4.c.3.dub.1.

§.2. Qui promittit ſervare ſecretum, non neceſſariò in- 1229
tendit ſe obligare ex juſtitia, ſed poteſt velle ſe obligare tantùm ex fidelitate, uti cum communi Lugo *d.*14.*n.*137.addens hanc obligationem fidelitatis eſſe tantùm ſub veniali, niſi ex promiſſione non obſervata grave damnum naſceretur proximo.

§.3. Si ſecretum ſit *commiſſum*, ideſt, revelatum ſub 1230
antecedente pacto tacendi, continet obligationem juſtitiæ gravem, vel levem, prout materia eſt, quia eſt contractus promiſſionis oneroſus, ſubdit enim onus revelandi, petens viciſſim onus tacendi. Si ſit ſecretum tantùm *promiſſum*, id eſt, ſi tu tantùm promiſiſti tacere, quod jam cognoveras, niſi intenderis obligationem Juſtitiæ, obligaris tantùm ex fidelitate: In dubio autem, an intenderis obligationem juſtitiæ, utendum eſt conjecturis, ex conſideratione circumſtantiarum: nam ſi ita promittas, ut ſi tunc peteretur à te, an velles te ſub mortali obligare, id negares, non cenſeris habere animum te obligandi ex juſtitia, ſed ſolùm ex fidelitate, aut etiam quandoque decentia, vel urbanitate tantùm, ita Lugo *d n.*137.

§.4. Obligatio Juſtitiæ circa ſecretum promiſſum eſt le- 1231
vior quàm circa commiſſum: hinc mera promiſſio tacendi non obligat in iis caſibus, in quibus aliàs teneberis ſecretum manifeſtare, v.gr. ſi legitimè interrogeris à Superiore, vel Judice: vi tamen illius promiſſionis teneris tacere in caſu, in quo poſſes, ſed non tenereris manifeſtare: Et contrà ſi ſit commiſſum, debes dicere cum æquivocatione te nihil ſcire de hoc, quia tunc talis eſt notitia, ac ſi eam non haberes. Excipe, niſi ille, qui ſecretum commiſit iniuſtè vexaret Rempublicam, vel alium innocentem, neque aliter deſiſtere vellet ab iniuria, tum enim poſſes revelare, etiamſi te obligaſſes ad potiùs ſuſtinendam mortem, quia hoc vinculum obligationis eſſet injuſtum, Lugo *n.*141.

§. 5. Si accuſatus ſciat ſub ſecreto crimen accuſan- 1232
tis, v.grat. quia accuſans ipſi confidit ſub pacto tacendi, vel manifeſtavit ob neceſſitatem petendi conſilii, Carden. *in 2. criſi, diſſ.26. à num.* 53. dicit eſſet illicitum uti illa ſcientia ad elidendam authoritatem accuſantis, quia jus ad ſecreta obſervanda eſt valdè ſtrictum, uti expendit Lugo *numer.* 104. ergo obligatio promiſſionis etiam tacitæ de ſervando ſecreto, prævalet neceſſitati ſe liberandi ab accuſatione: idem tamen Lugo *à numer.* 115. rectè notat attendi debere ad intentionem illius, qui obligationem tacendi admittit: nam ſi obligavit ſe ad tacendum, etiam cum periculo cujuſcunque damni, & mortis ipſius, tenebitur tacere, quia cùm hoc ſit licitum, potuit ſe ad hoc obligare, uti rectè Molin. *d.*37. quando verò promiſit tantùm verbis communibus, cenſetur ſe voluiſſe obligare ad moralem quandam, & humanam cuſtodiam ſecreti; unde colligi debet ex variis circumſtantiis, quouſque cenſeatur ſe extendiſſe hæc voluntas, ad quale & quantum incommodum, ad qualem mutationem circumſtantiarum, &c. alter enim mihi rem commiſit ſub ſecreto, quale ego cenſeor hic,

& nunc

& nunc admiſſurus fuiſſe, ſi prævidiſſem has, & illas circumſtantias.

1233 §.6. Si injuſtè acquiſiviſti notitiam criminis alieni ſecreti, v.g. apertis alienis litteris, non poteris uti illa notitia, nequidem ad evitandam mortem, niſi in caſu, in quo notitiam illam licitè comparare poſſes, ſi non haberes, quia ſi illam injuſtè acquiſiveris, non eſt moraliter tua, ergo ſi poſteà non juſtificetur, debes te gerere, ac ſi illam non haberes, uti probabiliter argumentantur Lugo *nu.*101. & Haun. *t.2. nu.*536. contra varias aliorum ſententias, poteſtque videri etiam Tamb. *in Dec. l.9. c.3. §.2. n.21.* neque oportet quoad omnia loqui de fama aliena, uti de bonis fortunæ, horum enim dominium ſervit neceſſitati vitæ, non item dominium famæ alienæ, Lugo *n.99.* Contrà in circumſtantiis, quibus licitè poſſes illam notitiam comparare, ſi non haberes, etiam poteris uti illa ad evitanda etiam gravia tormenta, quia tum juſtificatur, & nunc eſt moraliter tua in ordine ad uſum, habetque ſe nunc ita, ac ſi furatus eſſes aureum, & poſteà incideres in neceſſitatem in qua aureum licitè eriperes, tum enim licitè uteretis aureo, quia hic uſus juſtificaretur per præſentem neceſſitatem. Caſus autem, quibus licitè comparare poſſes notitiam criminis alieni, ſi eam non haberes, ſecundùm Lugo *nu.*103. ſunt ſequentes: ſi alter, vel alium innocentem injuſtè vexet, & repelli non poſſit niſi per notitiam, & manifeſtationem ejuſmodi criminis, item ſi ipſemet ex juſtitia teneretur tibi illud ſecretum manifeſtare; item ſi ad communem Reipublicæ ſalutem id neceſſarium eſſet.

1234 §.7. Si neque ſub ſecreto habeas, neque tu injuriam feceris in acquirenda notitia alieni delicti, poteris uti illa notitia, & tale delictum manifeſtare ad impediendum ejuſmodi damnum tuum, quod non tenereris ex Charitate ſubire ad impediendum damnum illud, quod alteri juſtè infligi poterit propter manifeſtatum ipſius delictum, Lugo *n.*113. hinc, inquit Haun. ſuprà, ſi tibi ex occultatione alieni delicti imminerent gravia tormenta, vel jactura bonorum, qua de ſtatu tuo decideres, poſſes alienum delictum manifeſtare, etiamſi mors propter illud eſſet ipſi à Judice infligenda, quia non habet jus, ut delictum ſuum occultetur, quando ex occultatione illius aliquis innocens pateretur damnum reſpectivè notabile, tunc enim expedit ad commune bonum Reipublicæ, ut manifeſtari poſſit, partim ut impii deterreantur à ſceleribus etiam occultis, partim ut innocentibus ſit juſta poteſtas ſe defendendi. Quòd ſi per alterius injuriam tibi communicata ſit illa notitia, Petſch. *q.5. a.4.* innuit idem dicendum eſſe, ac ſi per injuriam ipſemet comparaſſes, quia tota hæc notitia fundatur in injuſta manifeſtatione, ergo quamvis tu acquirendo illam non feceris injuriam, tamen eſt tibi data per injuriam, ergo debet ſervari ſub obligatione illius ſecreti, quam cauſat injuria. Deinde debetur reſtitutio pro illa injuria, & reparatio, vel impeditio damnorum, quæ ex illa ſequuntur, ergo tu peccas impediens reparationem illorum damnorum, uti num.1220. dictum eſt te peccare propalando longiùs crimens falſum, quamvis hoc ſit publicum, quia nempe impedis reparationem famæ ex juſtitia debitam.

1235 §.8. Quando ſubditus aliquid ſub ſecreto defert ad Superiorem mediatum, v.g. ad Generalem ſui Ordinis, hoc ipſo conſentit, ut rem communicet cum Superioribus immediatis, qui exequi debent; & quamvis litteris addat: *ſoli*, tamen ſi res non concernat Miniſtros ipſos, adhuc poteſt cum his communicari, nam ſcit Superiores non poſſe omnia conficere per ſeipſos, & particula excluſiva, *ſoli*, non præſcindit à concomitantibus, uti habet commune axioma: Miniſtri autem faciunt unum cum tali Superiore, ita Lugo à num.145. addens habere etiam locum hìc licentiam præſumptam, ſeu interpretativam committentis ſecretum.

1236 §.9. Quandonam, & qualis fiat injuria legendo litteras, aut ſcripta aliena, explicat *Buſemb.* referendus *l.5. c.3. dub.2.* unum hoc videtur addendum, nam dicit cum Laym. Dian. Lugo *n.*150. aliiſque communiter, quòd non ſit contra juſtitiam, ſi quis fragmenta epiſtolæ dilaceratæ colligat, iterum jungat, & legat, quia ſic abjiciens videtur cedere juri ſuo, & habere quaſi pro derelictis, ut quiſque faciat illis, quod poteſt: Econtrà alii cum *Rebell.* & *Petſch.* ſuprà probabiliùs tenent oppoſitum, quia hoc ipſo quòd dilacerarit, maximè ſi in parva fruſta, ſufficienter ſignificavit ſe nolle, ut legantur, ergo non ideò voluit cedere juri ſuo, aut dimittere ſecretum. A fortiori non poſſunt legi litteræ, quas aliquis caſu perdidit, vel in loco etiam publico ex inconſideratione reliquit.

1237 §.10. Obſervatio ſecreti pertinet ad varia præcepta, ſecundùm diverſitatem bonorum, quibus violatio illius opponitur, hinc ſi adferat damnum fortunarum, pertinet ad 7. præceptum; ſi famæ, vel honoris, ad 8. ſi corporis, ad 5. ſi animæ, reducitur ad 5. vel 7. Et univerſaliter omne ſecretum dici poteſt eſſe bonum animæ, eſt enim quaſi theſaurus intellectualis, cujus pretium tanto vilius eſt, quantò cum pluribus communicatur, ita Lugo *num.*144. Deferri poſſe crimen, licèt noveris ſub ſecreto naturali, ſi hoc ſit neceſſe ad cavendum damnum commune dictum eſt lib.2. num.217. De ſecreto, videri poſſunt plura apud Sanch. *in Conſ. lib.6. cap.6. diſt.*1.2.3. & Gob. *in Quint. t.5. cap.19. ſ.10. & 11.*

DUBIUM III.

An, & quomodo fama reſtituenda?

RESP. Niſi ſit cauſa excuſans, patet ex natura juſtitiæ, & ex dictis *de Reſtit.* famam injuſtè ablatam reſtitui debere: Et quidem, ſi verum crimen quis narravit, debet opinionem conceptam, quantum poteſt, apud audientes abolere, dicendo v.g. ſe malè dixiſſe, injuriam intuliſſe, deceptum eſſe, &c. Vel ſi hac ratione parum proficiatur, eum laudando in aliis rebus, crimen extenuando, honorem ejus in re alia procurando, &c. ſic enim ſenſim tantundem fama ejus illuſtrabitur ex una parte, quantùm ex altera obſcurata fuit. Quòd ſi autem crimen falſum impegiſti, teneris id apertè retractare (adhibito etiam, ſi opus eſt, juramento) apud eos, quibus dixiſti, & (per ſe loquendo) ad quos infamia pervenit, ſive apud auditores mediatos, ut contrà Leſſ. & Tann. 2.2. *d.4. qu.6. diſp.6. num.* 146. docet Lugo *diſp.*15. *ſ.*2. quia totum damnum famæ, cujus cauſa es, teneris reparare; licèt aliquando ſufficiat dicere, te penitus deceptum, rem aliter ſe habere, malè te informatum fuiſſe. Vid. Laym. *lib.3. t.3. par.2. cap.7.* Leſſ. *lib.2. cap.* 11. *d.*20.

Dixi *per ſe*: plerumque enim per accidens ab hac obligatione talis excuſatur, reſpectu auditorum mediatorum: tum ob moralem impotentiam; tum quia eò ipſo, quòd apud immediatos retractavit, implicitè illis commiſit, ut hanc retractationem ipſi indicent aliis, ſi quibus fortè revelaverint: idque confirmat praxis Confeſſariorum, qui tantùm obligant, ut retractent apud eos, quibus ipſi revelarunt. Vid. Lugo *l.c. Unde reſolves:*

I. Confeſſarii eſt, uti & Concionatorum, bene inſtruere ſuos, & monere de reſtitutione, ac fuga vitii tam communis.

II. Is, qui bona fide, vel probabili errore ductus, ſine formali mendacio falſum de alio dixit, tenetur (intellecta poſteà materiali injuſtitia) ad reſtitutionem, licèt non tam ſtrictè, quàm qui infamavit per injuriam formalem; hic enim tenetur reſtituere, cum detrimento famæ ſuæ, etiam æquali; alter non item, ſed tantùm quatenus ſine ſuo notabili incommodo poteſt. Mol. Leſſ. Lugo *d.*15. *n.*4. Similiter qui crimen narravit de uno, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, licèt non ex juſtitia (ſiquidem non ejus actio, ſed error audientium cauſa fuit damni injuſti) tamen ex charitate tenetur ad reſtitutionem, cùm poſſit grave damnum proximi ſine ſuo detrimento præcavere, Bon. *d.*44.

III. Qui detraxit alteri libello famoſo, tenetur, ut efficax ſit reſtitutio, eam facere contrariis ſcriptis, vel publica revocatione. Sayr. Bonac. *tom.2. d.2. de reſt. quæſt.4. p.9. num.9.*

IV. Si ex læſione famæ ortum etiam eſt alteri damnum fortunarum, ut ſi privatus eſt officio, excidit ſpe divitis Matrimonii, amiſit dotem, &c. tunc & fama debet reſtitui, & damnum illud compenſari ad arbitrium prudentum. Et quidem obligatio reſtitutionis famæ, cùm ſit purè perſonalis, non tranſit ad hæredes, obligatio autem compenſationis dicti damni, cùm habeat reſpectum ad bona infamatoris, tranſit ad hæredes. Laym. *ll.cc. n.*4.

Quæres. I. Quæ excuſent à reſtitutione famæ?

Reſp. Patere ex dictis *de reſtit. l.3. t.9. c.2. Unde reſolves:*

I. Excuſatus es à famæ reſtitutione, ſi planè ſis impotens.

II. Si crimen occultum, quod dixiſti, vel ſimile, alia ratione fiat publicum, Lugo *d.*15. *n.*37.

III. Si fama aliis modis jam recuperata ſit, ut infamati purgatione, vitæ probitate, teſtimonio prudentum, Leſſ. *l.2. cap.*11. *d.*17. Et ſi tunc pro damno, quod ſecutum eſt, debeat ſatisfieri. Lugo *ſ.3.*

IV. Si prudenter judicetur, jamdudum rem oblivione deletam: Quo caſu maximè prudentia opus eſt, nam aliquando periculoſius eſt retractare, renovando memoriam. V. Lugo.

V. Si is, cui detraxiſti, tibi ſimilirer detraxerit, nec velit reſtituere, quia tunc potes jure compenſationis, ſeu retentionis uti, dummodò infamia illata non redundet in alios; Ita probabiliter Tol. Leſſ. Sylv. Maldon. Diana *p.3. t.5. R.*30. Mol. *contra* Cajet. Tanner. Lugo, & Nav.

VI. Si

„ VI. Si non poſſis abſque periculo vitæ, vel ſi fama reſti-
„ tuenda ſit minoris valoris quàm fama detractoris: Sic v.gr.
„ Prælatus non tenetur reſtituere vili homini, ſi aliter non po-
„ teſt, quàm cum amiſſione famæ ſuæ multò majoris momenti;
„ ſed ſufficit tunc, ſi infamatum laudet, aut pecunia compen-
„ ſet, V.Lugo *l.c.*

„ VII. Si infamatus ſponte remiſerit, (modò tamen ejus
„ infamia non redundarit in alios, ut familiam, ſtatum) ſive
„ expreſſa, ſive tacita ſit condonatio: tametſi nihilominus ex
„ charitate damnum reſarcire aliquando tenearis, ſi poſſis abſ-
„ que gravi incommodo, Lugo *nu.*38. Imò aliquando etiam
„ ſufficit condonatio præſumpta, ſive interpretativa voluntas
„ ejus, qui poteſt condonare, ſi nimirum ille ſit ita affectus,
„ ut ſi rogaretur, facilè condonaret, tunc enim non eſt invi-
„ tus ſaltem quoad ſubſtantiam, etſi fama non reſtituatur. V.
„ Lugo *loc.cit.*

„ *Quæres* II. An reſtitutio famæ licitè condonetur?

„ *Reſp.* Licitè fit in iis caſibus, in quibus ſeipſum licet in-
„ famare: in quibus autem, & quàm graviter peccat ſe infa-
„ mando, in iiſdem, & tam graviter peccat condonando.
„ Nav.Trull.*t.2.l.7.c.*10.*d* 28. *Unde reſolves*,

„ I. Condonans famæ reſtitutionem, peccat mortaliter, 1.
„ Si infamia redundet in alios. 2. Si inde ſequatur ſcandalum.
„ 3. Si ſit vir valdè utilis Reip. & ex infamia fructus impediatur.
„ 4. Si fama ſit neceſſaria ad muneris gubernationem, Sot. Leſſ.
„ Trull. *loc.cit.* qui tamen notant, condonationem ſemper eſſe
„ validam, quando fama non redundat in alios; ſecus quando
„ redundat: Unde parentes non poſſunt condonare, quando
„ redundat in filios; neque filii, quando in parentes. V.
„ *Auth.cit.*

„ II. Ex eo verò præcisè, quòd infamatus (vel contumelia
„ affectus) converſans cum infamatore videatur remittere
„ injuriam, non cenſetur condonare reſtitutionem famæ, vel
„ honoris; ſicut nec alia debita per familiaritatem, Nav.*c.*18.
„ Trull.*d.*29.

ADDENDA.

AN reſtituendum ſit aliquid pro honore in defraudatione præmiferi, dictum eſt hic à *nu.*283. non eſſe autem obligationem reſtituendi pecuniam pro fama, dictum eſt à *nu.*297. attamen honorem reſtitui debere pro fama, etiam dictum eſt *nu.*302. Denique quòd fama conſequens talenta non ſemper ſit inæſtimabilis, notatum eſt *n.*304. *Inſt.*2. Præter hæc ſit,

1239 *Q.*224. *Quid faciendum ſit pro reſtitutione, ratione ſuſpicionis, vel judicii temerarii?* R. Ratione horum præcisè non eſt opus alia reſtitutione, quàm ut hæc deponantur, ita *Mol.* aliique cum Dicaſt. *de Reſtit.d* 2.*dub.*6. Ratio eſt, quia ſic reparatur totum damnum, & reducitur æqualitas, quæ erat ſublata, putatque Dicaſt. *num.*121. ſatis temerè dici, quòd alia ſatisfactio requiratur.

1240 *Q.*225. *Quantum reſtitui debeat ratione infamationis?* Reſp.§.1. Ex infamatione graviter injurioſa naſcitur obligatio compenſandi totum damnum etiam in aliis bonis inde ſecutũ, ita Leſſ.*l* 2.*c.*11.*n.*101. Lugo *d.*15.*à nu.*21. aliique cum Dicaſt. *nu.* 273. & ſequitur ex dictis de reſtitutione; tenetque, etiamſi crimen revelatum fuerit verum, ſi fuerit occultum, uti communiùs docent AA. contrà *Sot.* & recentiores aliquos, qui putant in hoc caſu teneri tantùm ad partem, eò quòd damnum principaliter ſequatur ex crimine ipſo verè commiſſo, quam ſententiam Leſſ.*n.*103. dicit non eſſe improbabilem, ſed oppoſita tenenda eſt, quia crimen occultum, erat, ac ſi non eſſet factum, ergo totum damnum ſecutum eſt ex injuſta revelatione, ergo ex hac eſt obligatio reparandi.

1241 §.2. Non eſt obligatio reſtituendi aliquid præcisè pro infamia temporis præteriti, ita Mol. Lug.*n.*17. Dicaſt.*n.*187. contra *Rebel.* Ratio eſt, quia pars famæ præteritæ non poteſt phyſicè reparari in proprio genere, cùm fieri non poſſit, ut tunc fuerit, quando non fuit, reſtituta autem in præſenti cenſetur, & moraliter reſtituta eſt pro præterito, & agnito errore quaſi retrotrahitur, auditores enim agnoſcunt ſe anteà falsò opinatos eſſe, unde nihil ampliùs damni manet, hinc nec videtur eſſe debita ulla pro eo ſatisfactio, uti putavit Leſſ.*n.*99. totum enim jam ſublatum eſt, ſi pro præſenti reſtituatur fama.

1242 *Q.*226. *Quid notandum ſit circa obligationem reſtituendi apud mediatos Auditores?* R. Quæ de his habet *Buſemb.* ſunt probabilia, ſed videtur probabilius ſic eſſe dicendum: ſi detractor dixit apud eos, qui meritò timebantur rem ulteriùs propalaturi, tenetur in horum defectu reſtituere etiam apud mediatos Auditores, quia eſt cauſa efficax infamiæ etiam apud hos cauſatæ, ideoque etiam tenetur inquirere, an immediati Auditores aliis dixerint. E contrà ſi detraxit apud eos: qui prudenter credebantur non propalaturi longiùs, ſi fortè hi aliis dicant, non tenentur reſtituere, niſi apud hos immediatos, hi autem tenentur apud cæteros, quia hæc ulterior propalatio non eſt moraliter imputabilis primo detractori, ſed mãlitiæ illorum; ita quoad omnia Dicaſt. *ſupra à num.*168. citans alios, item Dian. Tamb. Villal. Haun. *t.2.n.*557. Petſch. *pag.*518. Quòd ſi detraxerit, nihil cogitans de hoc, an hi auditores eſſent ulteriùs propalaturi necne, Tamb. & Spor. *in Dec.t.*5.*c.*4.*nu.*103. dicunt non teneri reſtituere, niſi apud immediatos, quia inculpabiliter non prævidit damnum; & hanc ſententiam vocat probabiliorem Dicaſt. *num.*276.

*Q.*227. *Quid addendum ſit circa illum, qui infamavit* 1243
alterum planè inadvertenter, & ſine culpa? R.§.1. Talis id poſteà reſciens tenetur ex juſtitia reſtituere famam ſi poſſit abſque gravi incommodo, ita Mol.*d.*40.*n.*3. Leſſ. Lug. *d.*15.*nu.*4. Haun.*n.*552. Platel.*n.*775. Spor.*n.* 86. aliique communiter contra *Bonæſp.* & alios tacito nomine relatos à Tamb. *in Dec.l.*9.*c.* 3.*ſ.*3.*nu.*8. qui dicunt eſſe obligationem tantùm ex charitate, quam ſententiam Steph.*t.*4.*d.*6.*n.*43. dicit eſſe probabilem, nec probabilitatem audet negare Haun. *nu.*555. Dicaſt. *de Reſtit. d.*12.*nu.*162. vocat probabiliſſimam: Ratio noſtra eſt, quia quamvis non ſit obligatio propriè ex re accepta, cùm nihil inde habeatur; neque ex injuſta acceptione, quæ præceſſerit, cùm factum ſit ſine ulla culpa, tamen eſt obligatio, in primis quaſi ex re accepta, nam non reſtituendo, quaſi detines famam alienam, eo modo, quo detineri poteſt, ergo ſicuti, habens ſine culpa bovem alienum domi tuæ clauſum teneris non detinere, ſed facere, ut redeat ad dominum, ita cum aliqua proportione de fama aliena. Deinde ſi non reſtituas, acceptio tua fiet formaliter injuſta, ergo teneris prævenire reſtituendo. *Ant.prob.* in ſimili; nam ſi caſu incendiſſes domum alienam, tenereris ex juſtitia incendium reſtinguere, ſi commodè poſſes, alioquin hoc negligens, poſteà tenereris ex damnificatione, quæ tum fieret injuſta, quando potens reſtinguere non reſtingueres. Ratio utriuſque à priori eſt, quia hæc continuatio incendii, & illa perduratio infamiæ jam fieret tibi voluntaria, & moraliter imputabilis, ergo ſic continuando peccares contra juſtitiam, quæ unumquemque obligat ad procurandum, ne ex ſua actione lædantur poſitivè jura aliorum. Notant autem communiter omnes cum Lugo *d.*39.*nu.*29. non teneri cum gravi incommodo, ideſt, tali, ad quod pro proximo ſubeundum non obligat præceptum Charitatis, cùm enim inculpabiliter dederit cauſam illi damno, ſi commodè non poſſit impedire, cenſebitur juſtè permittere, nec poterit illi moraliter imputari, conſtat enim apud omnes, quòd multò minor ſit obligatio impediendi, quàm poſitivè non inferendi damnum.

§.2. Non eſt obligatio reparandi damna ſecuta, antequã 1244
adverteris fuiſſe detractionem, ut rectè Lugo *diſp.*15.*nu.*5. illa tamen ſunt reparanda, quæ ſequuntur ex dilata culpabiliter reſtitutione famæ, uti colligitur ex dictis *nu.*252.

§.3. Si de Petro dicas crimen, quod audientes per errorem 1245
intelligant de Paulo, dum advertis, ex juſtitia teneris reſtituere Paulo, ob rationem *n.*1243. datam, & providere, ne intelligant etiam de Petro, Mol. Lugo *n.*6. Spor.*n.*87. contra *Leſſ.* qui dicit ex Charitate tantùm teneri, quod Dicaſt. *nu.*167. dicit eſſe probabile, ſed addit *Leſſ.* conſequenter dicere debuiſſe etiam tantùm ex Charitate teneri, ſi ſine culpa detraxerit, eſſe autem tum obligationem ſaltem ex Charitate, ſi poſſis ſine gravi incommodo, fatentur communiter omnes cum Dicaſt. *nu.*161. hoc enim faciendo non pateris damnum, quod patereris, ſi damnum in bonis fortunæ inculpatè cauſatum tenereris reparare.

*Q.*228. *An ille, qui detraxit, teneatur ſemper hoc revo-* 1246
care? R.§.1. Per ſe loquendo, tenetur, & non eſt ſatis eum laudare in aliis rebus, v.g. ſi dixiſti aliquem eſſe impudicum, non eſt ſatis laudare eum in aliis virtutibus, quia ſic nequidem æquivalenter reſtitues hoc, quod abſtuliſti: una enim fama in æſtimatione hominum non ſubſtituitur pro altera, uti habet communiſſima ſententia.

§.2. Si detraxit, manifeſtando aliquid verum, non poteſt 1247
hoc revocare, dicendo ſe eſſe mentitum, ſic enim mentiretur, ſed debet aliis verbis uti, v.g. dicere ſe malè locutum eſſe, ſe feciſſe injuriam, ſe deceptum eſſe, nempe errore practico, homines ſæpè mentiri talia dicendo, ſe non poſſe quidquam aſſerere de alterius crimine, &c. ſi tamen audientes adverterent hoc fieri ideò, ut reparetur fama, meliùs eſſet aliter compenſare, v.g. laudando in aliis virtutibus, vel quo-is alio modo ingenerando bonam opinionem de perſona læſa, aut etiam honorando uti habent Leſſ. & Lugo *d.*15.*num.*33. ea enim nunc eſt calliditas hominum, ut ſuſpicentur ejuſmodi retractationes, in quibus aliquis dicere non audet ſe dixiſſe falſum, fieri tantùm eo fine, ut ſatisfiat conſcientiæ: hinc pergunt credere fuiſſe verum: interim tamen debet detractor manere paratus ad revocandum, prout ſalva veritate poterit, ſi hoc fuerit neceſſarium ad reparationem famæ læſæ. Videri poſſunt Dian. *p.*3.*t.*5. *R.*30. *& p.*11.*t.*6.*R.*57. Dicaſt. *d.*12.*à n.*261. Steph. *t.*4.*d.*6.*n.*44. Spor. *in Dec.t.*5.*c.*4.*n.*92.

*Q.*229.

1248 *Q.229. Ad quid teneatur, qui falsò detraxit?* Resp. Tenetur, per se loquendo, retractare tali modo, qui sit efficax ad reparandam stabiliter famam alterius, etiam deberet dicere se mentitum esse, idque juramento firmare, etiamsi adhibitis testibus, aliisque quamvis extraordinariis mediis, ita cum communi Lugo à *num.*24. Illf.*t.*4.*d.*2.*num.*109. partim contra *Fabrum*, qui dicit non teneri addere juramentum, partim contra utrumque Nav.Rodriq.Dicast.*n.*259.Spor.*n.*89. qui dicunt non teneri adhibere testes, partim contra *Less.* qui dicit non teneri, nisi ad summum adhibere juramentum, & testes, non autem alia extraordinaria media, quod etiam videtur innuere *Illf.* sed ratio nostra est, quia diffamatus habet jus ad famam suam recuperandam, ergo diffamans tenetur adhibere media necessaria ad illam reparandam, ergo si ordinaria non sufficiant, tenebitur etiam ad extraordinaria, malitiæ enim suæ imputare debet, quòd sibi imposuerit illud onus. *Dixi* 1. per se loquendo, nam possunt esse causæ excusantes, v.g. si deberet ipse longè majorem infamiam subire: attamen non excusatur, si deberet subire tantùm æqualem, quia æquius est, ut nocens quàm ut innocens patiatur illud damnum, secundùm dicta *num.*368. *Dixi* 2. Ad reparandam stabiliter, nam si Auditores primò crediderint retractanti, posteà autem mutata mente redeant ad primam malam opinionem, tenebitur iterum hanc tollere, prout poterit, quia hoc damnum famæ adhuc respicit primum delictum veluti sui causam, uti rectè Lugo *num.*28.

Objic. Per juramentum dedit majus motivum, ut credatur retractationi, quàm per locutionem suam dederit, ut crederetur detractioni, ergo si audientes non credant juramento, non est detractioni imputandum, sed audientium malitiæ. Resp. Imputandum esse principaliter detractioni præteritæ, partialiter tamen etiam malitiæ audientium, qui ideò etiam obligantur deponere malam opinionem: cum quo stat; quòd detractor pergat obligari ad hoc ipsum procurandum, cùm opinionem illam injustè causarit.

1249 *Q.230. Ad quid teneatur Cajus, qui, ut impediret Titium ab officio, quo erat indignus, publicè diffamavit eum, cùm satis fuisset diffamare privatim?* Resp. Non tenetur reparare damna Titio ideò causata, quòd negatum sit officium, sed tantùm famam in publico perditam, quia sola diffamatio privata, ad quam jus habebat, fuit causa negandi officium, & consequenter causa damni non fuit injusta, ita Less.*l.*2.*c.*12.*nu.* 124. Lugo *d.*18.*n.*92.

1250 *Q.231. Ad quid teneatur, qui detraxit defuncto?* Resp. Si detraxit falsò, tenetur revocare, quia defunctus retinuit jus ad famam, uti dictum est n.1210. Neque hæredes possunt juri illi cedere, aut de illo transigere, cùm remaneat defuncti, quamvis possint remittere jus persequendi litem contra detractorem. Quòd si infamavit in vero crimine, tenetur reddere dubium, aut aliter excusare, secundùm antedicta, nec satisfacit orando pro ipso, uti vult *Mol.* quia sic non compensatur fama, quæ est bonum alterius generis. Denique si infamia, vel damna inde redundarint in Familiam, etiam tenetur pro his satisfacere, quia per injuriam ipsius causata sunt, ita quoad omnia Bon. *de Rest.d.*2.*q.*4.*p.*2.Dicast.*à n.*282. aliique communiter.

1251 *Q.232. An à restitutione famæ excuset prudens metus incurrendi damni temporalis in bonis fortunæ?* Resp. Excusat, si sit metus gravissimi damni, quamvis enim bonum famæ ex suo genere sit majus quàm omnia bona fortunæ, tamen bonum inferioris ordinis propter necessitatem, vel utilitatem suam sæpè censetur inter homines esse majoris æstimabilitatis quàm bonum superioris ordinis, uti rectè Illf.*t.*4.*dis.*3.*n.*111.

1252 *Q.233. Quid debeatur pro honore læso?* Resp.

§.1. Debetur satisfactio, ita Less.*l.*2.*c.*11.*dub.*27.Lugo *d.*15. *num.*53. Amic.*tom.*5.*d.*37.*n.*148. Dicast.*de Restit.d.*12.*à n.*354. Haun.*t.*2.*à n.*563.Herinx *d.*7.*q.*7.*n.*8.Petsch.*pag.*523.Probatur, quia si Petro nemine præsente dixeris contumeliam, aut impegeris alapam, non est satis præcisè desistere, sed teneris, vel petere veniam, vel testificari te rursus habere existimationem de ipso, vel tali modo te habere, ut non ampliùs censearis continuare injuriam, sed reparare, fuisti enim injusta causa doloris, qui meritò affligit animam Petri, ergo ex justitia teneris illam tollere, non tollis autem, sed continuas, si non ponas satisfactionem, ergo. Similiter si alicui impegeris publicam alapam; non semper erit satis, si etiam publicè cum signis doloris humiliter petas veniam, sed quandoque necessaria erit longè major humiliatio, v.g.genuflexio, uti rectè Rebell.aliique cum Lugo *n.*57.contra Less.*n.*145. si enim rusticus Principi publicam alapam impegerit, aut etiam Nobili, quis dicet satisfacere sic petendo veniam? Itaque regula generalis est, tantam reparationem, vel satisfactionem esse ponendam, quanta requiritur ad abolendam injuriam, sive ad famam, & honorem in eo statu reponendum, in quo erat, antequam læderetur.

1253 §.2. Si inhonoratus vindictam sumpserit de inhonorante, v.g.si eum percusserit, vulnerarit, &c.communiter non requiritur ulterior satisfactio pro honore, ita Lug.*num.*59.Herinx, & Petsch.*pag.*524. quia pro hoc videtur acceptare vindictam, & hoc ipso, quòd alter vicissim non vindicet; censetur recognoscere suam culpam, & testari existimationem de læso: si tamen ad alios dimanasset infamatio, qui de hac vindicta sumpta nihil rescirent, deberetur apud hos alia reparatio honoris. Videri possunt plura apud Dicast.*à n.*356.

§ 3. Etiam debetur compensatio damnorum, si inhonoratus ideò est aliqua passus, uti si ideò depositus est ab officio, & hoc satis colligitur ex dictis de restitutione. 1254

Q.234. Quid agendum sit, si dubitetur, an hoc, quod dixisti, sit oblivioni datum? Resp.*Caj.* dicit absolutè revocandum esse, nisi constet oblivioni datum esse; consentit Dicast.*num.*196. si personæ, apud quas revocat, sint creditura fuisse falsum: E contrà si fuerit verum, Nav. & Less. dicunt non facilè renovandam memoriam, nisi evidens si periculum, ne data occasione memoria redeat: Mol. dicit, si parva sit probabilitas, quòd aduc sit recordatio, & è contrà notabilis infamia caderet in retractantem, non esse obligationem retractandi: Lugo *n.* 35. dat hanc regulam, nempe ut hoc fiat, quod consideratis circumstantiis putatur velle passus injuriam; ut autem hoc dijudicari possit, debet detractor ipse considerare, quid sibi fieri vellet in ejusmodi circumstantiis: addit tamen rectè *n.*36. cum Mol.adhuc deberi aliquid infamato, v.g.laudem, aut honorem, secundùm ante dicta, in compensationem illius periculi, ne fortè infamia necdum sit oblivioni data. 1255

Q.235. An obligatio restituendi pro fama, vel honore transeat ad hæredes detractoris? Resp. Non transire, attamen transit obligatio reparandi damna fortunarum inde secuta. *Pars* 1.est Less.Lug.*d.*15.*n.*8.Dicast.*de Restit.d.*12.*n.*280. & aliorum communis contra *Adr. Nav. Mol. Rebel.* & alios. Ratio est, quia hæc obligatio est personalis, & ex communi sensu hominum hæres succedit defuncto tantùm quoad jura, & debita fortunarum, non autem succedit in fama, vel honore, & consequenter etiam non succedit in debitis famæ, vel honoris, quæ solam personam infamantis respiciunt; neque verum est, quòd defunctus teneretur compensare in pecunia, si non posset aliter, uti n.299. dictum, ergo multò minùs ad hoc tenetur hæres. *Pars* 2.patet, quia defunctus tenebatur damna illa fortunæ compensare, & bona ejus transeunt ad hæredem cum isto reali onere. 1256

Circa pœnas, & actiones, quæ competunt ratione injuriarum contra famam, & honorem; item ratione libellorum famosorum, videri possunt Dicast. *à n.*429. & Haun.*à n.*569.

CAPUT II.

Quid de Præcepto nono, & decimo.

Non concupisces, &c.

RESP. Prohibent omnes internas concupiscentias, & delectationes voluntarias istorum operum, quæ præceptis secundæ tabulæ, præsertim sexto, & septimo vetantur. Qua de re vide *supra*, & patebit ex dicendis de peccatis, *infr.l.*5. 1257

CAPUT III.

Quid de Præceptis Ecclesiæ.

RESP. Etsi ea sint plurima, præcipuè tamen toti Christiano populo communia quinque numerantur: Ex quibus hic agendum restat de tertio, quia de 1.& 2.actum, est *in præcepto* 3.*Decal.* De 4.& 5.*infrà lib.*6.*de Sacram.* 1258

DUBIUM I.

Quid requiratur ad Jejunium Ecclesiasticum, & quanta ejus obligatio?

RESP. Jejunium ex præcepto Ecclesiæ, obligante sub mortali, requirit tres conditiones. Laym. *l.*4.*t.*8. *cap.*1.*num.*13. 1259

I. Est unica tantùm comestio de die, in ordine ad nutritionem; Quæ ita necessaria est conditio, ut secunda comestione pecces mortaliter, reliquis autem supra secundam, summùm venialiter tantùm, Laym.*num.*12.& 13.

II. Est abstinentia ab esu carnium, itemque ovorum, & lacticiniorum: eò quòd ex carne originem trahant, multumque nutriant. Unde intrà Quadragesimam jure communi prohibentur; extrà eam permittuntur. Imò intrà eam, quibusdam locis consuetudo permittit, quæ ubique notanda est. Bon.*to.*2.*de præcept.Eccl d.ult.qu.*1.*p.*2. ex Sylv.Nav.Less.*lib.* 4.*cap.*2.*num.*8. Az.Laym.*nu.*3. Fill.*t.*27.*p.*2.*num.*44.*& seqq.* Fagund.*p.*4.*l.*1.*cap.*2. Adde, dispensatum quoad carnes,

etiam

„ etiam lacticiniis, & ovis veſci poſſe, non tamen vice verſa: „ & cui eſt permiſſus eſus carnium, etiam ſecunda refectio „ permiſſa videtur, ut contra Reg. Leſſ. Nav. &c. probabili- „ ter docet Az *l.7.c.*10.*q.*3. Fill.*c.*3.*q.*4. Tol. &c. Confirmatque „ Bonac. *l.c.* ſi eſus carnium ſit permiſſus ob debilitatem na- „ turæ, & non propter nauſeam, vel damnum tantùm. V. „ Leſſ. Fill. Azor. &c. Ratio, quia de eſſentia jejunii eſt abſti- „ nentia à carnibus.

„ III. Conditio eſt, certa hora refectionis; quæ eſt circa „ meridiem, niſi aliud loci conſuetudo ferat; idque non ma- „ thematicè computandum, ſed moraliter. Dictam autem „ horam notabiliter ſine juſta cauſa, prævenire, mortale putat, „ Nav. & quidam alii; ſed probabilius docent eſſe veniale Tol. „ & Fill. *nu.*70.71. & 72. eò quòd non violetur ſubſtantia, ſed „ tantùm circumſtantia, Leſſ. *n.*13. V. Laym. *n.*10. *& ſeqq.*

„ Dixi, *notabiliter*, *& ſine cauſa*: quia prævenire ex juſta „ cauſa v.g. ſi iter faciendum, ſi hoſpites dimittendi, &c. & „ abſque ea, per mediam horam tantùm, nullum peccatum „ videtur eſſe. Dilatio in veſperam, & licita eſt, & laudabilis, „ ſi nihil ante ſumas. *Ex dictis reſolves:*

„ I. Non ſolvitur jejunium per diviſionem prandii, ob ne- „ gotium incidens, vel ſi quid ſumatur per modum medicinæ, „ vel ob debilitatem, aliamve cauſam rationabilem, uti apud „ Religioſos faciunt miniſtri, & lectores menſæ, quia nonniſi „ unicam refectionem intendunt. Et hinc Sanch. *in Conſ. l.*5. „ *cap.*1.*d.*24. Eſcob. *t.*1. *E.*7.*c.*3.*n.*19. excuſant famulos menſæ „ miniſtrantes, ſi aliquid præguſtent, aut ex reliquiis gulosè „ ſumant, tum ut melius ſerviant, tum ut famem ſublevent; „ intellige, (ſi cum illorum refectione licita moraliter unia- „ tur.) Nec ſolvitur per ſumptionem electuariorum, vel „ crebriorem hauſtum: ante quem modicum ſumere, ne po- „ tus noceat, permittit Azor. Eſc. *n.*28. & quidem toties, quo- „ ties biberit, dummodò non in fraudem jejunii v.gr.5. vel 6. „ amygdalas, vel quid ſimile. Regin. & alii cum Diana *p.*1.*t.*9. „ *R.*24. quia ordinantur potiùs ad alterationem corporis, vel „ digeſtionem ciborum, quàm nutritionem.

„ Excipe tamen 1. Si quis ſumeret lac, juſculum, & ſimilia, „ quæ ſive forbeantur, ſive comedantur, non habent rationem „ potus, ſed cibi, ac principaliter referuntur ad nutriendum. „ 2. Si quis poma, pyra, vel etiam uvas in magna quantitate „ ſumeret: quia habent rationem cibi, Dicaſt. & alii 6. cum „ Dian. *p.*9.*t.*6.*R.*14. 3. Niſi quis in magna quantitate electua- „ ria in fraudem jejunii, ſumeret. Qui verò in potu valde ex- „ cederet, contra temperantiam quidem, non tamen contrà „ jejunium peccaret, ſaltem mortaliter, Laym. *n.*27.

„ II. Jejunium non ſolvitur per collatiunculam veſperti- „ nam, etſi hæc non ad ſomnum, ſed nutritionem ordinetur: „ quia conſuetudo permittit. Addo, *veſpertinam*, quia ſine „ cauſa non licet illam ſumere manè, vel meridie; ex juſta ta- „ men cauſa licet utrumque, ut ſi fiat ratione debilitatis, ne- „ gotiorum, ſtudiorum: ſine ea erit veniale tantùm, cùm „ non violetur ſubſtantia jejunii.

„ Quoad ejus quantitatem, communiter deſignatur quarta, „ vel quinta pars integræ cœnæ, ut contra Diana 1.*p.*1.*t.*9.*R.*1. „ Turr. &c. docet Regin. *c.*2.*l.*6.*n.*185. Laym. *nu.*9. Fill. *n.*33. di- „ cens, ita deciſum eſſe in celebri academia Theologorum, „ qui omnes in quartam partem conſenſerunt. Idem probat „ Eſc. *E.*13.*c.*3.*n.*61. ſiquidem cœna ordinaria duarum libra- „ rum pondus non excedat; quia talis in reliquis præceptis „ modica cenſetur, ac proinde tantò quis magis, minuſve „ peccat, quantò magis, vel minùs tranſgreditur. Adde, „ quibuſdam in locis ex conſuetudine plus permitti ſæculari- „ bus, quàm Religioſis; nobilibus, quàm plebeis, & in „ frigidis regionibus quàm in aliis, ut notat, Laym. *n.*9. Bon. „ *to.*2. *de præc. Eccl. d.ult. q.*1.*p.*3.*nu.*2. Plus item quibuſdam lo- „ cis, in vigilia Nativitatis Domini (& alibi in Cœna Domi- „ ni) permitti ex conſuetudine, dicit Med. Caj. *nu.*34. Sanch. „ Eſcob. *E.*7.*c.*3. Quod Bon. *l.c.* non improbat, ubi ea conſue- „ tudo eſt recepta.

„ Quoad qualitatem, in ea prohibentur cibi ad nutritionem „ communiter ordinati, qui inter fercula ferè apponuntur. „ Permittuntur autem leviores, ut fructus, aliave ex ſaccha- „ ro, & melle confecta; & pro more regionis parùm butyri, „ & caſei, ut in regionibus Septentrionalibus, ob fructuum „ inopiam. Laym. *n.*9.

„ III. In confeſſione non ſufficit dicere, non ſervari, aut „ fregi jejunium, ſed addendum, utrum refectione multipli- „ ci, an eſu carnium. Etſi hoc, utrùm ſemel an ſæpiùs quan- „ titatem notabilem ſumpſeris, quia probabile ſatis eſt, etiam „ in hac materia, parvitatem à mortali excuſare, ut docet „ Bon. *p.*2. & Tan. *t.*3.*d.*3.*d.*5. v.gr. ſi coquus, aut ægroti mini- „ ſter, parum carnis præguſtent; Eſcob. *nu.*54. Sanch. *dub.* „ 12. *num.*10. vel ex aliis cibis quartam tantùm partem colla- „ tionis ſerotinæ, ſive unam, vel duas uncias ſumat, hanc „ enim eſſe materiam parvam, cum Turr. & Leon. docet Dian. *p.*5.*t.*5.*R.*11. *& p.*8.*t.*7. *R.*54. eſſe probabile. Si autem ſæpius „ eodem die parùm ſumeret, peccaret graviter: quia materiæ „ illæ coaleſcerent in unam magnam, ut contra Salas docet „ Diana *p.*3.*t.*6. *R.*43. Denique ſi ſit in Quadrageſima, adden- „ dum, utrùm fregeris eſu ovorum, aut lacticiniorum: tamet- „ ſi enim Diana *p.*1.*t.*9.*R.*41. *& p.*3.*t.*6. *miſcel. R.*80. citans mul- „ tos doctores, dicat certum eſſe, quòd ſit mortale, ſi non ex „ jure poſitivo, ſaltem ex conſuetudine, in omnibus ferè „ mundi partibus recepta, veſci ovis, & lacticiniis in Qua- „ drageſima: probabile tamen eſt, & tutum (ſaltem in his „ Germaniæ partibus) eſſe tantùm veniale, Laym. *n.*3. Fag. „ *l.*1.*c.*2. *&c.* Tum quia, licèt conſuetudo habeat, ea tamen „ non ſemper ſub peccato, præſertim mortali, obligat. V. „ Filliuc. *t.*27.*p.*2.*c.*3. Bonac. *n.*2. Tum quia Eccleſia non tam „ graviter ad hoc obligat; ut patet, tum ex verbis ipſis, tum „ ex faciliore diſpenſatione in his, quàm in carnibus. Ob „ quam cauſam etiam laridi, & adipis uſum facilius concedi „ poſſe pauperibus, docet Laym. *num.*5. Imò ait, nec divi- „ tem propter eum uſum, continuò damnandum eſſe peccati „ mortalis, præſertim cum Sylv. *V. Jejunium*, & alii dicant, „ eum, cui ovorum, & lacticiniorum uſus permiſſus eſt, „ etiam laridi, & ſagiminis permiſſum videri; idque non „ improbet Azor. *to.*1.*l.*7.*c.*10.*q.ult.* V. Laym. hic, Fagund. „ *nu.*20. ubi dicit, pinguedinem inter carnes non computari. „ V. Dian. *p.*1.*t.*9.*R.*21. Verùm in his videndum ubique, „ quid recepta piorum conſuetudo ferat, à qua non temerè „ recedendum. „

Dixi, *ſi ſit in Quadrageſima*; quia extra eam licitè veſci- „ tur ovis, qui debet jejunare; v.g. ob jubilæum, Henr. &c. „ vel ex pœnitentia ſacramentali, Fagund. vel ex voto, aut in „ Vigilia. V. Dian. *R.*5. *& 6.* „

ADDENDA.

Q*Væſt.*236. *Unde & quanta ſit obligatio jejunandi*, 1260
vel abſtinendi à carnibus? Reſp. §.1. Obligatio quando-
que jejunandi, aut abſtinendi eſt ſaltem ex conſuetudine, uti
de jejunio quibuſdam diebus, & de abſtinentia diebus Vene-
ris ac Sabbati, habet communis ſenſus omnium fidelium: de
abſtinentia autem ab ovis, & lacticiniis in quadrageſima con-
ſtat ex prop. 32. ab Alex. VII. damnata: *Non eſt evidens, quòd
conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima
obliget*. Quoad quatuor tempora, ſic habetur in lectione Bre-
viarii 14. Octob. feſto S. Calliſti, *Conſtituit quatuor anni tempo-
ra, quibus jejunium ex Apoſtolica traditione acceptum ab omni-
bus ſervaretur*.

§.2. Datur de jejunio, & abſtinentia præceptum, etiam 1261
in Jure ſcripto, ita S. Th. & alii communiſſimè cum Moya *t.*1.
*t.*6.*d.*5.*qu.*2.*n.*5. contra Cajet. Et licèt aliqui id malè probent
ex Synodo VI. uti ex Bellarm. oſtendit Gob. *in Quint. t.*5.*c.*23.
*n.*221. tamen clarè habetur Cap. *Non liceat*, Cap. *Non oportet*.
De Conſecr. diſt.3. Cap. *Quadrageſima*, Cap. *Jejunia*. De
Conſecr. diſt.5. Cap. *Denique* diſt.4. ubi præcipitur obſervatio
jejuniorum, itemque in quadrageſima abſtinentia, non tantùm
à carnibus, ſed etiam ab ovis, & lacticiniis. Quod autem
attinet ad has partes ſeptentrionales, ſaltem per conſuetudinem
abſolutè licita ſunt lacticinia, uti & ova per quadrageſimam in
Diœceſi Colonienſi, Monaſterienſi aliiſque vicinis.

§.3. Præceptum jejunii ex ſe obligat graviter, nam Alex. 1262
VII. damnavit hanc 23. prop. *Frangens jejunium Eccleſiæ,
ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel
inobedientia hoc fiat, putà, quia non vult ſe ſubiicere præcepto:*
& hanc gravem obligationem pluribus probat Du-Bois ad hanc
prop. damnatam à n.492.

§.4. Quod dies Rogationum attinet, quamvis Laym. *l.*4. 1263
*t.*8.*c.*2.*n.*8. dicat abſtinentiam à carnibus adhuc hodie in pluri-
bus locis non obſervari ex præcepto, ſed conſilio; Azor. au-
tem *l.*7.*c.*15.*q.*4. dicat non eſſe quidem præceptum, poſſe au-
tem eſſe conſuetudinem, tamen in *Conc. Aurelianenſi* I. Can.
27. expreſsè habetur, ut triduo ante Aſcenſionem, omnes ab-
ſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur, quod etiam re-
fertur Cap. *Rogationes*. De Conſecr. diſt.3. & quamvis non eſ-
ſet præceptum ſcriptum, rectè tamen dicit, Steph. *t.*1.*d.*5.*nu.*99.
aliique cum illo, abſolutè eſſe mortale tum comedere carnes,
ſaltem ob conſuetudinem nunc introductam, & idem eſt de feſ-
to S. Marci, de quo vide dicenda l.4. n.1291.

*Q.*237. *An ille, qui ſemel fregit jejunium, poſſit eadem* 1264
die ſæpiùs comedere? Reſp. §.1. Si fregit eſu carnium, toties
peccat, quoties iterùm comedit carnes, uti habet communis
cum Gob. ſuprà *c.*4. *à n.*19. & dictum eſt hic *p.*1. *num.*438. quia
præceptum, quoad hanc partem, eſt negativum, prohibens
pro toto die, ideſt, ad nullo tempore iſtius diei comeden-
dum; & hoc non ratione jejunii præcisè, nam carnes ſæpè
prohibentur, quamvis non ſit jejunium, ſed ratione ipſarum
carnium, à quibus abſtinere multùm facit ad mortificandam

car-

carnem. Quòd autem tum etiam non poſſit ſumi ſecunda refectio, conſtabit eſt dicendis n.1269.

1265 §.2. Si tantùm fregit ſecunda refectione, Buſemb. relatus *nu.*1259. item Caſtrop. *t.*25. *p.*2. §. 2. *nu.*8. Steph. *n.* 110. & alii quatuordecim cum Dian. *p.*1. *t.*9. *R.*44. itemque alii cum Fagund. *præcep.* 4. *l.* 1. *cap.* 4. *nu.* 8. dicunt non peccare mortaliter comedendo cibos eſuriales, quoties volet: quod etiam dicunt Bonac. Laym. *num.* 13. Caſtrop. *num.* 9. ſi fecerit inadvertenter, vel neſciens eſſe jejunium; imò putant Vivald. Diana *R.*53. Illſ. *t.*4. *d.* 1. *num.*43. in ſequentibus comeſtionibus nequidem venialiter peccare, & idem cum aliis dicit Tamb. *in Dec. l.*4. *cap.* 5. §. 1. *num.*5. ſi inadvertenter comediſſet carnes: Rationem dant, quia tum ampliùs ſervari non poteſt jejunium, de cujus eſſentia eſt negatio ſecundæ refectionis, & carnium: ſed tenendum eſt cum communiſſima ſententia peccari ſaltem venialiter, quia eſt contrà finem legis, qui eſt mortificatio carnis: non eſſe autem plùs quàm veniale docet cum aliis probabiliter Leſſ. *l.* 4. *c.* 2. *num.* 17. quia cùm homines non ſoleant niſi bis comedere, quòd comedat ſæpiùs, non videtur multum facere ad finem legis, nihilominus *Maj. Med. Monteſ. Covarr. Molan. Sylv. Loth.* & alii multi valdè probabiliter dicunt peccari mortaliter, quoties iterum ſumitur plena refectio, quia notabilis mortificatio carnis, quæ eſt finis legis, adhuc obtineri poterat per negationem aliarum refectionum, nam ſi quis manè, & in prandio ſe plenè refecerit, adhuc notabilis mortificatio eſt abſtinere veſperi, uti fuiſſet notabilis mortificatio abſtinere manè.

1266 *Q.*238. *Quid veniat nomine carnium, & quinam teneantur præcepto ab illis abſtinendi?* Reſp.

§. 1. Indicium animalis carnei eſt, ſi poſſit diù vivere extra aquam; item ſi magis ſimile ſit animalibus habentibus carnem quàm non habentibus: teſtudines tamen terræ, & limaces, quamvis extra aquam vivant, non cenſentur caro, ita Regin. Tamb. *num.* 10. Gob. *in Quin. t.*5. *cap.*23. *num.* 122. Idem dicit Tamb. *num.*12. *de Viperis*, Paſq. autem cum Gob. dicit in dubio, an hoc animal conſtet carne necne, cenſeri poſſe non conſtare carne, quia eſt poſſeſſio pro libertate comedendi, quamdiu non conſtet eſſe prohibitum.

1267 §.2. Licitè miniſtrantur carnes parvulis ante, aut etiam poſt ſeptennium, ſi careant uſu rationis, uti habet communis cum Dian. Delbene *de Imm. Eccl. cap.*13. *dub.*1. & 4. Tamb. *n.* 9. Steph. *nu.*98. contra alios relatos l.1. nu.674. Nec obſtat conſuetudo contraria non dandi illis, *nam* ſi non teneantur ipſa lege, multò minùs conſuetudine; idem de perpetuò amentibus docent Sanch. Fagund. Delben. Dian. *ſuprà & p.*10. *t.*12. *R.*37. *item p.*11. *t.*2. *R.*56. contra J. Sanch. Ratio eſt, quia parvuli, & amentes non ſunt capaces præcepti humani, cum nullam humanam actionem exercere poſſint: quod magis valet de infidelibus, cùm non ſint ſubjecti Eccleſiæ: idem dicit Tamb. de amentibus in aliqua materia, ſed contrà eſt, quia fatetur cum Sanch. dari non debere ebriis, idem autem eſt de his amentibus, & ratio quoad utroſque eſt, quia cùm ſimpliciter habeant uſum rationis, comprehenduntur lege. Vide dicta l. 1. num. 676.

An Carthuſiani aliquando poſſint; aut teneantur veſci carnibus, videri poſſunt Buſem. relatus hic *p.* 1. *nu.* 769. & *Sanch. in Conſ. l.*5. *c.* 1. *dub.*34. Additque rectè Bouderv. *p.*2. *q.*18. licèt etiam in extrema neceſſitate conſtituti tenerentur abſtinere à carnibus, poſſe nihilominùs pro medicina ſumere cornu cervi, oſſa humana, ungulas Alcis, &c.

1268 *Q.*239. *An licitum ſit, v.g. Ambſtelodami, diebus Veneris comedere carnes?* Reſp. *Caram.* in Th. fund. affirmat, tum quia videtur eſſe præſcriptio, quæ per 10. annos prævalet contra legem eccleſiaſticam, uti multi probabiliter docent: tum etiam quia major pars illius communitatis legem iſtam non obſervat pars autem minor poteſt ſe accommodare majori. Oppoſitum eſt abſolutè tenendum, quia illa conſuetudo eſt irrationabilis, ergo non præſcribit, nec abrogat legem Eccleſiæ: deinde conſuetudini illi ſemper reclamat Eccleſia, conſuetudo autem non habet vim abrogandi legem, niſi accedente ſaltem tacito conſenſu Legislatoris, uti dictum eſt l.1. n.571. Denique leges Eccleſiæ etiam non indigent acceptatione populi, uti dictum eſt ibidem à numer.630.

1269 *Q.*240. *An ille, cui in die jejunii eſt permiſſus eſus carnium, vel ſecunda refectio, hoc ipſo etiam permittantur plures refectiones?* Reſp. §.1. Licèt alicui permittatur eſus carnium, non ideò permittitur ſecunda refectio, ita cum aliis Th. Hurt. *de Reſid. to.*1. *Reſol.*5. *à pag.*295. contra Illſ. *t.*4. *d.*1. *n.*44. Buſemb. & alios; Ratio eſt, quia licèt jejunium perfectum includat tam abſtinentiam à carnibus quàm refectionem unicam, tamen hoc præceptum eſt diviſibile, ideſt, præcipit unam partem independenter ab alteta: hinc duæ illæ partes ſunt diviſibiles, poteſtque obligatio ad unam manere ſine obligatione ad alteram, præſertim cùm unica refectio ſit magis eſſentialis jejunio, quàm abſtinentia à carnibus, uti probat Hurt. *p.*292. Et hoc ipſum communiter declarant Epiſcopi diſpenſantes pro carnibus in Quadrageſima, dum addunt ſe non aliter velle diſpenſare, quam relinquendo obligationem jejunii quoad refectionem unicam: hinc etiam aliquibus per Bullam Cruciatæ datur privilegium jejunandi in carnibus ut fatetur, Sanch. *dub.*31. Dixi, non ideò permitti, quia poſſet aliunde ſecunda, aut etiam multiplex refectio eſſe permiſſa, v.g. propter nimium debilitas, vel infirmas vires.

§. 2. Si alicui permiſſa ſit ſecunda refectio, putant Fa- 1270
gund. Bonac. & alii poſſe toties comedere, quoties vult, ſed Covar. & alii *n.*1265. citati probabiliùs negant, quia fieri poteſt, ut uni ſecunda refectio ſit tali die neceſſaria, & non ulterior, poteſtque adhuc obtineri finis jejunii, qui eſt mortificatio carnis, ſecundùm dicta ibidem n.1265.

*Q.*241. *Quid illi ſit faciendum, qui venit ex una in alte-* 1271
ram Diœceſin, ubi non ſervatur idem ſtylus Calendarii? Reſp. §.1. Cùm vetus Calendarium quandoque habeat Paſcha v.g. octo diebus ſeriùs quàm novum, qui in Quadrageſima inde veniret huc, ibi incepiſſet Quadrageſimam octo diebus ſeriùs, & hic haberet Paſcha octo diebus maturiùs, hoc non obſtante, multorum ſententia eſt cum Delbene *de Immun. Eccleſ. c.*12. *d.*2. *ſ.*4. non teneri illo anno hic jejunare per illos octo adhuc dies, ſed poſſe ſe accommodare moribus eorum, apud quos eſt; communicare tamen deberet pro Paſchate, licèt poſt tempus paſchale huc tranſactum veniret, quia hæc obligatio afficit perſonam, ut tempore iſto communicet, vel, primo quoque. E contrà ſi hic priùs abſolviſſet Quadrageſimam, non teneretur poſteà ibi obſervare illos octo dies, quia Eccleſia tantùm obligat ad unam Quadrageſimam uno anno, & idem eſt obſervandum de diebus feſtivis, ita Sanch. *in Dec. l.* 1. *c.* 12. *nu.* 22. Delbene ſuprà, *& ſect.*5. item alii cùm Buſem. relato *l.* 1. *nu.*687.

§.2. Si hodie ſit hic dies Cinerum, & Titius poſt 8. dies 1272
velit aliò proficiſci, ubi tunc priùs erit dies Cinerum, tenetur hic jejunare, quia lex nunc hic obligat, & ipſe eſt hic ſubditus, ergo tenetur lege. Si dicas, deobligari pro nunc, quia poſteà obſervabit, ſicuti quia ſerò audiam Miſſam, non obligor audire manè. Contrà eſt, nam non obligor determinatè manè, vel determinatè ſerò audire Miſſam, ſed hoc per Eccleſiam relictum eſt meæ libertati: E contrà oſtendi non poteſt, cur & undè mihi libertas eſſet jejunandi, ubi vellem, & me hic eximendi à lege nunc obligante. Si tamen jejunaverim hic per 8. illos dies, non tenebor ibi proſequi, niſi alios 32. quorum ultimus reſpondeat noſtro Paſchati, quia tum abſolvero Quadrageſimam.

*Q.*242. *Quid notandum ſit circa vigiliam S. Mathiæ, vel* 1273
S. Joannis: item circa abſtinentiam feſto S. Marci? Reſp. Juſta cauſa eſt, cur Epiſcopus diſpenſet ad vitanda ſcandala, & peccata populi, ſi vigilia S. Mathiæ incidat in unum diem è Bacchanalibus, ita Laym. *l.*4. *t.*8. *c.*3. *n.* 8. Caſtr. *t.*25. *p.*2. §. 5. *nu.* 12. Gob. & alii. Nec diſſentit Dian. *p.*3. *t.*6. *R.* 66. quamvis *p.*10. *t.*16. *R.*7. afferat Gav. & Leand. in contrarium. Si autem feſtum S. Mathiæ incidat in diem Cinerum, ſtatutum eſt in Diœceſi Colonienſi, Monaſterienſi, Viennenſi aliiſque, auctoritate Ordinarii, ut jejunium etiam à Religioſis anticipetur in priore Sabbato, (& idem eſt, ſi feſtum incidat in diem Martis:) feſtum autem in foro obſervetur in die Cinerum, & in choro poſtridie: Vigilia autem S. Mathiæ manet affixa ſuæ diei, quia non eſt cauſa hanc transferendi, & ab ea ſeparari poteſt jejunium, Gav. *in Rub. Brev. ſ.*3. *c.*7. *nu.*3. Quòd ſi feſtum S. Mathiæ incidat in diem Veneris ante quinquageſimam, Agenda Monaſterienſis ſub Erneſto edita anno 1592. ſtatuebat, ut jejunium ſervaretur ipſo feſto S. Mathiæ, ſcilicet die Veneris, ſed uſus iſte exolevit, & aliæ editiones Agendæ id non habent, hinc anno 1702. quando caſus iſte erat, obſervatum eſt ab omnibus jejunium die Jovis, ſecundùm morem univerſalis Eccleſiæ. Quod dictum eſt de jejunio transferendo; ſi vigilia incidat in unum diem è Bacchanalibus, admittunt alii cum Gav. etiamſi incidat in diem, v.g. Patroni, vel omninò ſolemnem. Per Bullam Urb. VIII. datam 13. Octobris 1638. ſtatuitur, ut ſi feſtum Corporis Chriſti incidat in Vigiliam S. Joann. Baptiſtæ, jejunium ſit pridie feſti Corporis Chriſti: & eo anno nihil fit de Vigilia, ita Mothier in Ordine Div. Off. pro anno 1707. Idem ſtatuit Leo X. teſte Nav. *in Man. c.*21. *n.*11. De abſtinentia feſto S. Marci, videri debent dicenda l.4. n.1291.

*Q.*243. *Ad quæ jejunia teneantur Religioſi?* R. §.1. Tenen- 1274
tur ad eccleſiaſtica juris communis, uti per ſe patet; non tenentur autem ad ea, quæ ſunt ſpeciali conſuetudine, vel voto oppidanorum, apud quos reſident, inducta, quia non cenſentur pars Communitatis profanæ, ita Dian. *part.* 9. *t.* 7. *R.* 14. qui tamen *p.* 1. *t.*9. *R.* 36. dixerat obligari generali conſuetudine recepta in aliqua civitate. Neque Religioſi Exempti tenentur ad illa, quæ à locorum Ordinariis inducuntur, quamvis jure novo teneantur obſervare feſta Diœceſana, & ceſſationem à divinis tempore interdicti, ita Sanch. in *Conſ. l.*5. *c.*1. *dub.*1. *& c.* 9. *dub.*1. Bonac. de præcept. Eccleſ. *d. ult. q.* 1. *p.* 6. *nu.*5. Caſtrop.

de Le-

*de Legib.d.*1.*p.*24.*ſ.*6.*nu.*11.aliique communiter cum Dian.*p.*1. *t.*9.*R.*36.*& p.*10.*t.*11.*R.*36.contra Villal.& alios.

1275 §.2. Si Religioſus necdum expleverit annum 21. Saa, Fagund.uterque Sanch.& alii dicunt teneri ad jejunia ſui ordinis, tum quia videtur per votum renunciaſſe privilegio ætatis, tum etiam quia obligatio Religionis, & regulæ eſt alia ab obligatione temperantiæ, quam intendit lex Eccleſiæ: Sed Medin.Graff. Aſcanius Tamb.& alii dicunt non teneri, quia præſumi poteſt regulam non obligare eum ſub mortali, quem non obligat Eccleſia, & utramque ſententiam dicit probabilem, & tutam Thomas Tamburin. *l.*4.*c.*5.*ſ.*7.*num.*6. *& numer.*8. addit idem videri eſſe de ſexagenariis Religioſis, poſito enim quòd non teneantur jejuniis Eccleſiæ, de quo dicetur à nu. 1317.probabile eſt, quòd les Religionis proportionetur cum lege Eccleſiæ.

1276 *Q.*244. *An parens teneatur filios, vel dominus ſervos cogere ad jejunandum?* Reſp.Vega,Fill.Rodriq.Homobon,Azor. Nav.Dian.*par.*1.*t.*9.*R.*28.Stephan.*t.*1.*d.*5.*nu.*138.& alii dicunt teneri monere, ſi jejunare teneantur, & non jejunent, attamen non teneri cogere, quia hoc videtur nimis durum; Tamb. §.6.*num.*3.putat ſatis eſſe, ſi moneant, & objurgent, præſertim cùm nullam in eos ſpiritualem juriſdictionem habeant: Sanch.*dub.*17.quamvis hoc admittat de dominis,tamen meritò dicit aliquando etiam famulis negandam cœnam,ſi probabiliter putent id profuturum: quòd autem filios attinet, rectè dicit, parentes teneri cogere filios, ſemper negando eis cœnam, quia tenentur corrigere, & adigere ad obſervationem præceptorum.

1277 *Q.*245. *Quid notandum ſit circa horam refectionis in jejunio?* Reſp.Seqq.§.1. Primitus erat hora 3.poſt meridiem, aut ſub veſperum, & ideo vocabatur cœna; nunc autem cenſetur 12.circiter: notat tamen Sanch.*dub.*28.ex communi conſuetudine eſſe medium 12. imò jam eſſe horam 11. dicunt Sanch. Med.Angles aliique, quod valet maximè de Religioſis, qui per privilegium etiam ſine cauſa poſſunt una hora anticipare, Steph.*num.*121.Tamb.*cap.*4.§.4.*nu.*3.

1278 §.2. Videtur probabilius cum Illſ.*t.*4.*d.*1.*nu.*39.quòd anticipare collationem veſpertinam notabili tempore, & abſque cauſa non ſit mortale, quia etiam per hoc non tollitur ſubſtantia jejunii, quæ conſiſtit in abſtinentia à carnibus, & refectione unica: unde ſi quis ſine cauſa manè ſumeret collationem, & meridiè prandium, aut manè, vel meridie collationem, & circa horam tertiam prandium, veſperi autem nihil, tantùm leviter peccaturum dicit cum aliis Tamb.*nu.*12.*&* 13.Addunt J.Sanch.*d.*53.*n.*2.Tamb.§.3.*num.*10.aliique apud Sanch. *dub.*27. nullum eſſe peccatum, ſi in meridie ſine cauſa fiat collatio, & veſperi prandium, quia eſt magis ad finem legis, cum ſit major mortificatio, & Sanch.dicit eſſe verè probabile, ſed Dian. *p.*11.*t.*3.*R.*9.& Caſtropal.§.3.*nu.*6.dicunt eſſe veniale, quia eſt alienum ab uſu Eccleſiæ, quamvis fateantur inter cauſa juſtas eſſe venationem, aut piſcationem, etiam recreationis cauſa, item faciliorem expeditionem negotiorum, tractationem hoſpitum, &c.

1279 *Q.*246. *Quomodo licitum ſit interrumpere prandium die jejunii?* Reſp.§.1.Si quis interrumpat ob negotium, Paſq.*deciſ.*121.putat eum poſſe complere prandium abſoluto negotio, quamvis hoc duraret uſque ad veſperum, quia cùm illa interruptio ſit involuntaria, prandium, ad quod jus habet, manebit complebile per ſequentem comeſtionem: contradicit Tambur.*in Dec.l.*4.*c.*4.*ſ.*2.*n.*18. non enim apparet, quomodo id, quod veſperi comedit,poſſit cum cibo jam digeſto facere unam comeſtionem. Hinc Diana, & Lezana dicunt non debere intercedere plùs, quam unam, vel duas horas, nam duas etiam admittit Sanc.quamvis Eſcob.putet id eſſe nimium, ideoque cum Tamb.tantùm unam concedat: nihilominus Leander, & Stephan.*t.*1.*d.*5.*nu.* 113. probabiliter ſic diſtinguunt, ſi interrumpat ultra duas horas, & priùs ſumpſerit, quantum ſatis eſt ad jejunium ſine magno incommodo tolerandum, non poterit redire; ſi autem priùs non ſumpſerit tam multum, dicunt cum Paſq.quantumcunque ſit ferò, poſſe redire, dummodò retinuerit intentionem redeundi,quæ uniat illas duas comeſtiones in unum prandium.

1280 §.2. Quando eſt tempus prandii, poteſt miniſtrans, vel legens ad menſam ſumere cibum, etiam in magna quantitate, per horam circiter ante prandium ſuum,& poſteà hoc complere expleto ſuo ſervitio, Sanch.Leand.Tambur.*num.*17.& alii cum Diana *par.*10.*t.*14.*R.*61.Ratio eſt, quia habet jus tum incipiendi prandium cum aliis, occurrente autem negotio, quale eſt tale ſervitium, licitè interrumpit.

1281 §.3. Si quis finierit prandium, & plicarit mappulam cum propoſito nil ampliùs comedendi,item ſi ſurrexit à menſa etiam gratiis actis, poteſt intrà quadrantem, uti docent Filliuc. & alii apud Dian.*p.*1.*t.*9.*R.*32.aut intrà quadrantem, & medium, uti habet Tambur. mutata voluntate iterum aſſidere, & comedere, quia moraliter cenſebitur una comeſtio; & ita etiam docet cum aliis Sanch.*in conſ.l.*5.*c.*1.*dub.*24. Hinc abſolutè tenent Leſſ.*l.*4.*cap.*2.*nu.*11.& alii contra Nav.Val. Caſtrop.*t.*30. *d.*3.*p.*2.*ſ.*2.*n.*2.ſi quis ſufficienter refectus ſurrexit animo non revertendi,poſſe poſt interpoſitum temporis intervallum mutata intentione redire,& continuare prandium: cujus tempus adhuc durat, & hoc fatetur probabile Laym.*l.*4.*t.*8.*cap.*1.*num.*6. licèt contrarium teneat.

§.4. Si prandium differre debeas ultrà horam commu- 1282
nem,potes aliquid cibi ſumere,ne vires deficiant,aut ſtomachus dolore prematur,quia talis cibi ſumptio cenſetur medicina, uti ex benigna interpretatione Eccleſiæ cenſent Nav.Tol.Az. Saa, Val.Leſſ.Lay.cum Caſtrop.*p.*2.*num.*3.

*Q.*247. *Quamdiù liceat protrahere prandium?* Reſp.Sal- 1283
tem ad duas horas, nec ultrà, uti volunt Fagund.& Tambur. *in Dec.l.*4.*c.*4.*ſ.*2.*nu.*15. ſi enim liceret protrahere uſque ad veſperum,etiam liceret ſumere ſecundam refectionem poſt prandium, idem enim eſt, in ordine ad nutriendum corpus, intrà tantum tempus incipere novam, aut continuare eandem refectionem, quæ reipſa erit moraliter multiplex. *Nec refert*, quòd non ſemper edatur, ſed fiat confabulatio, *nam* intereà concoquit ſtomachus cibos ingeſtos, qui ſufficiebant pro integro prandio: & licèt Paſqual. cum Gobat. *in Quint.t.*5.*c.*26. *num.*8. excuſent Germanos præcipuè ex conſuetudine protrahendi etiam ad 4.& 5. horas, attamen neſcio, an iſta conſuetudo approbetur: hoc tolerandum eſſet, ſi poſt duas circiter horas apponerentur ſola bellaria, vel leviores cibi, maximè ſi poſteà veſperi abſtineretur à collatione,quæ ſic cenſebitur quaſi anticipari.

*Q.*248. *Quid faciendum ſit illi, qui die jejunii manè, vel* 1284
poſt prandium comedit? Reſp.§. 1.Si manè ſumpſit jentaculum non æquivalens plenæ refectioni, poteſt moderatè prandere, quia non amiſit jus ad unam plenam refectionem, Leſs. Laym. *c.*2.*n.*14.ſi autem non ſumpſit nequidem æquivalens collationi veſpertinæ, poteſt prandere, & veſperi ſumere collationem, Dian.*p.*10.*t.*14.*R.*61.Tamb.*ſ.*3.*num.*14.quod concedit Turr.licèt mala fide ſumpſiſſet: Si tamen ſumpſerit æquivalens collationi veſpertinæ, poterit ſumere prandium in meridie, vel veſperi,ſi autem ſumat in meridie, Dian.& Tambur.dicunt non poſſet ſumere collationem veſperi, quia hanc ſumpſit manè, ſi tamen eſſet grave incommodum veſperi pati inediam, permittit eam etiam veſperi Tamb.

§.2.Si per inadvertentiam manè ſumpſit jentaculum ſuffi- 1285
ciens ad prandium, ſecundùm Fagund.& alios apud Laym.& Caſtrop.*num.*10.adhuc poteſt prandere, quia cùm ſit factum ex ignorantia jejunii,non computatur pro prandio,ergo manet jus ad illud:ſed probabilius eſt cum Dian.Laym.Caſtropal.& aliis non poſſe prandere: quia habuit una plenam refectionem, & æquè nutritus eſt, ſive ſciens ſive neſciens ita jentarit, poterit itaque veſperi tantùm ſumere collationem.

§.3. Si ex malitia vel iter facturus manè prandit,poſteà au- 1286
tem iter non agat,aliqui cum J.Sanch.*d.*53.*n.*2.*&* 6.putant poſſe iterum in meridie prandere, quia hora prandii eſt eſſentialis vel ſaltem circunſtantia intrinſeca jejunio,ergo hac violata ſervari non poteſt jejunium;ſed oppoſitum abſolutè tenendum eſt cum Sanch.*in Conſ.l.*5.*c.*1.*dub.*28.*n.*8. Caſtrop.§.3.*nu.*5.& aliis, quia adhuc ſervari poteſt ſubſtantia jejunii, circumſtantia autem illa præcipitur diviſibiliter.

§.4. Si quis poſt prandium ſumpſerit aliquid cibi, tantò 1287
minus ſumere debet in collatione: ſi tamen fermè ad tempus collationis ſumpſiſſet, quantùm per collationem permittitur deberet ab hac omnino abſtinere, quia prior comeſtio cenſeretur fuiſſe collatio.

*Q.*249. *An ſatisfaciat legi, qui pridie vel in prandio ita* 1288
replet ventrem, ut non ſentiat difficultatem in die jejunii? Reſp.Negant aliqui, quia agit contra finem legis, qui eſt maceratio corporis; ſed Bonac.*de præcept. Eccleſ.d.ult.q.*1.*p.*2.*num.* 7.cum aliis multis probabiliùs affirmant, quia quamvis peccet contra temperantiam, tamen ponit objectum à lege præceptum, licèt non attingat finem illius,quod non requiritur, quia finis præcepti non cadit ſub præceptum, alioquin qui per piſces plùs nutriretur quàm per carnes, non poſſet comedendo piſces ſatisfacere præcepto jejunii; quod nemo dicet.

*Q.*250. *Quid circa potum & res liquidas ſit addendum?* 1289
Reſp.ſeqq.§.1.Ad verum potum non eſt ſatis,quod ſit aliquid liquidum,alioquin lac & juſculum eſſet potus, ſed requiritur, ut ex natura ſua tantùm adjuvet ad alterandum corpus vel ad vehendum & concoquendum alimentum,non autem nutriat ſolidas corporis partes;& ita vinum,muſtum,cereviſia,vinum aduſtum aliique liquores ex herbis diſtillati, ſunt merus potus.

§.2. S.Antonin. Alenſ.Ricard.Roſel.Sylv.& alii dicunt 1290
vino frangi jejunium, præſertim ſi manè bibatur,aut intendatur nutritio,& fiat in fraudem jejunii;ſed abſolutè negant S.Thom. 2.2.*qu.*147.*art.*6.*ad.*2. aliique communiſſimè cum Sanch. *dub.* 23.Layman *l.*4.*t.*8.*c.*1.*num.*7. quamvis etiam fiat ad ſedandam famem: Caſtropal.*p.*2.§. 2. *num.*4. imò licèt fiat in fraudem jejunii, inquit Tamburin.§.2.*num.*4.quia Eccleſia tantùm prohibet hoc, quod de ſe eſt alimentum & tendit ad nutriendum cor-

corpus, neque intentio ſumentis mutat rationem potus, qui de ſe eſt tantùm ad ſitim ſedandam & refrigerandum ſanguinem, quamvis etiam juvet ad vehendos & concoquendos cibos.

1291 §.3. De chocolate docent *Th. Hurt. Lop.* & alii non frangere jejunium; Idem tenent Henriq. *v. jejunium*, referens Urbanum VIII. oblatis ingredientiis & in ejus conſpectu confecto chocolate, de illo guſtato dixiſſe, eſſe & manere potum: Idem reſponſum eſſe à Gregor. XXIII. S. Pio V. Paulo V. teſtantur plures DD. inquit Illſ. *t.4.d.1.nu.39.* Idem defendit Cardin. Brancatius *in diſſertat. de chocolate:* Et hanc ſententiam Dian. *p.11.t.6.R.54.* & Tambur. *num.7.* dicunt eſſe abſolutè probabilem. E contrà frangere jejunium docent plurimi alii cum *Lez. & Caſtr.* ſuprà, probantque fusè *Tambur.* ſuprà & Bouderv. *p.2.q.17.* conſideratis ingredientiis & vi nutritiva illius: nihilominus putant *Leand. & Dian.* ſi non miſceatur multum illius materiæ, ſed bibatur tenue, non frangere jejunium, ſecus ſi multum miſceatur, & coquatur inſtar denſæ pultis; addunt ſaltem nunquam graviter frangere, niſi miſceatur ultra duas uncias.

1292 §.4. De lymoniade & hypocras docent Leand. Murc. & Steph. *t.1.d.5.nu.91.* non frangere jejunium, quia communiter non multum miſcetur materiæ comeſtibilis, & idem videtur eſſe de faba Kaffe: minimè autem frangit decoctum ex herba The, quòd potiſſimùm eſt ad recreandos ſpiritus vel mitigandum ſanguinem.

1293 *Q.251. Quid circa ea, quæ ad hauſtum ſumuntur, item circa electuaria, tabacum & fructus?* Reſp. §.1. Communiter tenent omnes cum Diana *p.10.tr.14.R.59.* ratione potus, ne noceat, non licere plùs panis vel cibi ſumere, quàm mediam unciam, quia hæc quantitas commixta potui ſufficit ad impediendum nocumentum. Rectè monet Steph. *n.112.* his verbis, *puto de facto, ſub colore, ne potus noceat, ſæpius à variis aliqua ſumi, tantùm ideo, ut potus magis ſapiat, quod profectò non licet.*

1294 §.2. S. Th. Laym. & Steph. *nu.92.* dicunt licere electuaria, confecta ſeu conſerva, ut vocant cum accipiantur, non ut alimenta nec in fraudem legis, ſed ut medicamenta aut præſervativa, niſi acciperentur in magna quantitate: ſed contradicunt Fagun. & Diana, *R.60.* quia videntur habere rationem cibi, nec licere poſſunt niſi actu malè affectis pro medicina, vel de propinquo alioqui infirmandis, ad præſervativam.

1295 §.3. De tabaco docent omnes, quòd non frangat jejunium, quia non reficit ſolidas corporis partes, ſed tantùm ſpiritus.

1296 §.4. Docent *Vivald. & Paſq.* poſſe ad ſedandam ſitim comedi recentem uvam, pomum, lymonium, ſuccum citrini, quia non ſumuntur ut cibus ſed velut potus, maximè cum in ore priùs fermè reſolvantur quàm deglutiantur.

1297 *Q.252. Quid circa collationem veſpertinam ſit addendum?* Reſp. Hoc præcipuè advertendum eſt, quòd cùm collatio illa ſit per conſuetudinem introducta, in ea non liceat aliud circa quantitatem, qualitatem & tempus, quàm liceat conſuetudo hominum timoratorum in unaquaque patria, ita cum aliis Caſtrop. *t.30.d.3.p.2.§.2.num.5.* Authores tamen etiam notant ſequentia.

1298 §.1. Licita eſt talis collatio, quamvis fiat ad ſedandam famem, vel ſine ulla neceſſitate, Sanch. *in Conſ. l.5.c.1.d.25.n.2.* Caſtrop. ſuprà.

1299. §.2. Quod attinet ad quantitatem, ſententiæ variant, *Lez. Steph.* & alii dicunt non licere niſi 4. uncias; (12. unciæ ſunt libra ſeu unum pondo apud Veteres, 16. verò apud nos, *Leſ.* de vera ratione valetudinis conſervandæ n.14. in fine) Suar. & alii 12. Authores cum Diana *p.1.t.9.R.1.* concedunt 6. immò & 8. uncias; ſed alii dicunt illis tantùm licere 8. qui valde magno cibo indigent; hanc tamen reſtrictionem non admittunt Azor. Fagund. Villal. Bonac. Jo: Sanc. Caſtrop. *nu.7.* Tambur. *in Decal. l.4.c.5.§.3.num.1.* Sporer *in Th. mor. t.1.cap.5.num.30.* ſed abſolutè tenent cum primis, ac dicunt poſſe ſaltem ex conſuetudine ab unoquoque, ſive multum ſive parum comedente, ſumi octo uncias, etiamſi fames per illas planè extingueretur: videtur tamen probabilius dici, quòd quantitas reſtringi debeat ad quartam circiter vel quintam partem prandii, uti habet Buſemb. Addunt Laym Regin. Caſtrop. Illſ. *t.4.d.1.num.42.* plus permitti illis, qui continuò dediti ſunt ſtudiis aliiſque negotiis fatigantibus caput, quia ſpiritus in eis magis deficiunt. Similiter Azor. *t.1.l.7.cap.8. in fine*, Bonac. *de præcept. Eccl. d.ult. q.1. p.3.nu.2.* Jo. Sanch. *d.52.nu.9.* Laym. *l.4.t.8.cap.1.nn.9.* Fagund. *in præc. Eccl. l.4.c.4.num.21.* Regin. *l.4.d.10.nu.185.* Steph. *t.1.d.5. num.117.* Sporer *in mor. t.3.p.3.append. ad 3. præcept. ſ.2. aſſ 3.§.2. num.26.* Taber. *p.2.t.1.cap.4.qu.7.* aliique multi apud Vind. Tab. *ad prop.5. in collect.* permittunt plus nobilibus, quia ſolent eſſe debilioris valetudinis & aſſueti magis ſubſtantioſo cibo: ſed benè limitant, ſi talis ſit loci & timoratorum nobilium conſuetudo.

1300 §.3. Si quis ad duas uncias tantùm excedat quantitatem in collatione permiſſam, non peccat mortaliter, nam duæ unciæ non ſunt materia gravis, Vivald. Leand. Tambur. aliique cum Diana *p.10.t.14.R.57.* Addit Sporer tertiam partem collationis adhuc eſſe materiam levem, ideoque ſi extra tempus non ſumatur uſque ad dimidium collationis, non fore mortale, quia talis quantitas videtur parva, & in ſe & in ordine tam ad totum diem, quàm ad finem jejunii; non peccari autem mortaliter mutando tempus collationis illius veſpertinæ, dictum eſt num. 1278.

§.4. Uterque Sanch. Az. Dian. *p.1.t.9.R.35.* Tambur. *nu.8.* 1301 dicunt in vigilia Nativitatis Chriſti, etiamſi incidat in Sabbatum 4. temporum, poſſe accipi collationem duplo majorem, imò *Sanch.* dicit ex fructibus & conſervis poſſe accipi ad ſatietatem; quod *Vivald.* extendit ad vigilias Paſchæ & Pentecoſtes, quia ſunt vigiliæ lætitiæ, ſed attendenda eſt conſuetudo locorum, hinc Tamb. *n.7.* & Mendo *d.8.num.10.* negant licere, quia nempe in ſuis patriis necdum erat illa conſuetudo, uti nec eſt in his.

§.5. Azor. Bonac. Paſq. Vivald. uterque Marchan. V Vigers, Sporer, Burgh. *centur.1.caſ.74.* dicunt veſperi ſpectandam eſſe tantùm quantitatem non autem qualitatem, hinc ſumi poſſe 4. partem offæ, piſcis & ſimilium, quæ quis in prandio ſolet comedere; nec diſſentit Tamb. *nu.3.* dicens non conſtare de obligatione in contrarium; ſed contradicunt AA. plures quàm 30. cum Diana *R.1.* & pluribus *p.10.t.14.R.58.* Item Lez. & alii cum Steph. *n.115.* niſi alicubi prævaluerit conſuetudo, quà ſtandum eſt. 1302

§.6. Caſtrop. *nu.4. & 6.* Fill. *t.27.p.2.c.2.n.11.* negant licitum eſſe prò collatione permiſcere panem & vinum aliumve liquorem, & inde coquere velut offam, quia iſte liquor non retineret rationem potus, ſed propter coctionem ex illo & materia ſolida fieret unus cibus ſolidus excedens conſuetam quantitatem collationis & hæc ſententia eſt probabilior, quamvis Azor. Boſs. & alii cum Diana *p.1.t.9.R.34. & p.10.tr.14. R.58.* putent adhuc licere, cùm non augeatur ſubſtantia, ſed tantum temperetur qualitas in ordine ad faciliorem concoctionem; ſicque miſcebit ſaltem ſtomachus & concoquet ad ſimilem nutritionem, quod Laym. *l.4.t.8.c.2.nu.9.* fatetur probabile, attamen non approbat, quia videtur eſſe contrà conſuetudinem, ſi tamen adſit cauſa, uti ſtomachi infirmitas, dicit nullum fore peccatum: Addit piſcem infumatum ſumi poſſe; item lactucam elixatam, ut cruditas tollatur: admittunt etiam ova *Vivald. Paſq.* quando licitum eſt hæc comedere, ſed iterum contradicunt Tamb. ſuprà & Diana *R.57.* debetque etiam in hoc attendi ad conſuetudinem locorum. 1303

Q.253. Quid præterea notandum ſit circa parvitatem materiæ in carnibus? Reſp. §.1. Eam dari, præter citatos à Buſemb. docent Merol. Hurt. Paſq. Trull. Gob. *in Quin. t.5.c.23.nu.233.* Dian *p.5.tr.5.R.32.* qui *p.10.t.14.R.32.* vocat hanc ſententiam communem. Ratio eſt, quia prohibentur carnes prout ſunt nutritivæ ſeu refectivæ virium, ſed parum carnis parum nutrit, ergo etiam parùm, ſive ſub parvo peccato prohibetur *Nec obſtat*, quòd hoc præceptum ſit negativum, *nam* etiam præceptum non furandi eſt negativum, & tamen in eo datur parvitas materiæ. 1304

§.2. Difficultas major eſt in deſignanda parvitate materiæ: *Bonac. Hurt. Trull.* parvam materiam dicunt modicum, ſive exiguum fruſtulum, alius apud Dian *p.1.t.12.R.32.* dicit, non plus, quàm quod licet libatoribus ciborum apud Reges: Sporer *in Th. mor. tr.1.c.5.n.30.* concedit mediam aviculam, ſed cùm non determinent pondus, necdum ſcitur quantitas. Quidam recentior apud *Gob.* dicit materiam parvam eſſe, ſi non ſuperet 8. uncias, ſed meritò reiicitur ab omnibus, *Eſcob.* ponit, ſi non ſit plus quàm uncia; *Paſq.* ſi non ſit plus, quàm media uncia; *Leand. & Diana* putant hoc eſſe adhuc nimis laxum, unde dicunt non debere excedere octavam partem unciæ: Denique Illſ. *t.4.d.1.R.36.* univerſaliter dicit materiam illam eſſe parvam, quæ non poteſt homines ad frequentem ſui ſumptionem allicere, quia nempe tam parva eſt, ut homo non curet eam una die ſumere in ordine ad nutritionem. 1305

Q.254. An jejunium frangatur ſæpiùs per diem comedendo pauca? Reſp. Affirmativè, hinc Alex. VII. damnavit hanc 29. prop. *In die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium:* Ratio autem eſt, quia partes illæ uniuntur in effectu, qui eſt notabilis nutritio & roboratio corporis, ſingulæ enim partes cibi, ſive ſimul ſive ſucceſſivè ſumantur, addunt robur, & hic effectus roborationis manet ſimul poſt ſumptas omnes partes, hoc autem eſt graviter contra finem præcepti intendentis mortificationem carnis, uti pluribus deducunt Mendo *d.8.q.5.* & Du-Bois, ad hanc prop. damnatam. 1306

1307 DUBIUM II.

Quæ cauſæ excuſent à Jejunio.

„ REſp. Hæ ſequentes, I. Superioris diſpenſatio : qua „ tamen non eſt opus, ſi neceſſitas ſit evidens, ſed in „ dubio tantùm : idque ſive ad eſum carnium, ſive ad ſecun- „ dam refectionem. Talis autem Superior eſt Epiſcopus & „ Parochus, etiam præſente Epiſcopo, quando legitima con- „ ſuetudo ſic habet. Imò Sylv. & Sanch. *de Matrim. l.8. d.9. n.* „ 27. *& in conſil. l.5. c.1. d.5. num.*18. abſolutè affirmat, poſſe „ diſpenſare præſente Epiſcopo : quia, inquit, ad Epiſco- „ pum non recurritur in minimis, ut uſus habet : quod Epiſ- „ copi ſciunt, & non contradicunt : Verùm id totum pendet „ ab uſu & conſuetudine, ſine qua non licebit. V. Trul. *l.3.* „ *c.2. d.7.* Item Prælatus (& in ejus abſentia, Vicarius illius „ uti habet Sanch. *l.c.*) reſpectu ſuorum Religioſorum non ta- „ men Confeſſarius, licèt privilegiatus, ſi non ſit Parochus; „ quia non habet juriſdictionem in foro externo, Sanch. *l.c.* „ contra Palaum ; Unde tantùm poteſt judicare de juſtitia „ cauſæ. Cauſa autem valida ad diſpenſandum, erit, vel ve- „ ra, vel quæ talis putatur; ſufficit enim credulitas inculpata. „ Item, cùm quis bona fide putat ſe à jejunio excuſari, etſi „ cauſa inſufficiens ſit, tantùm venialiter peccare, docet *Caj.* „ At ſi verè bona fide putet, ſe planè excuſari, nullo modo „ peccare videtur.

„ II. Cauſa eſt impotentia, qua excuſantur, qui ſine nota- „ bili damno non poſſunt jejunare; ut ſunt juniores, uſque ad „ annum 21. completum; quibus tamen poſt 7. annum carnes „ dari non debent. Item debiles, infirmi, convaleſcentes, „ prægnantes, lactantes; &c. Ratio, quia hi omnes egent ali- „ mento multiplicato ; uti & ſenes communiter ſexagenarii, „ niſi evidenter conſtet poſſe jejunare ſine damno. In dubio „ autem, an poſſint, non tenentur cum periculo tentare for- „ tunam ; quia cùm de ætate conſtet, & robur ſit dubium, „ non eſt expectandum, donec deficiat, tunc enim irrecupe- „ rabilis eſt defectus, Gran. *t.2. d.6. tract.3. p.1. dub.6. ſ.5. nu.9.* „ Eſcob. Laym. *l.4. tr.8. c.3.* Tann. 2.2. *d.3. qu.3. dub.5.* Fill. *t.27.* „ *p.2. c.6. &c.* communiter, contra Nav. Sa, Sanch. *de Matr.* „ *tom.2. l.7. d.32. num.17. & Conſil. l.5. cap.1. d.4. nu.7.* Ita Diana „ *p.1. t.9. R.20. &c.* qui abſolutè, ſine omni reſtrictione ſe- „ xagenarios omnes à jejunio liberant. Quam ſententiam „ *Trull.* tanquam communiorem, & magis conformem tem- „ pori, & imbecillitati humanæ, ut ait, ſequitur (cum Mol- „ fez Ortiz. &c.) *n.3.* præſertim cùm ſcrupulis, quibus expo- „ nit contraria, liberet. Quidam inſuper id extendunt ad eos, „ qui pro toto vitæ tempore certis diebus voverunt jejunium, „ adduntque eſſe probabile, quod ſufficiet, ſi annus 60. ſit „ inchoatus, eò quòd is in favorabilibus habeatur pro com- „ pleto. Diana *p.5. t.14. R.38.* ex Naldo, & Sanch. *nu.6.* Item „ *p.9. t.7. R.73.* ex Trul. & aliis 6. Eademque ætate (uti & ante „ annum 21.) Regulares non teneri ad jejunia ſui Ordinis, „ probabile affirmat Diana ex aliis 4. qui etiam probabile cen- „ ſet excuſari fœminas quinquagenarias, ex aliis 4. Denique „ pauperes, qui non habent alium cibum præter prohibitum, „ vel non ſufficientem pro unica refectione. V. Sanch. *l.c. d.15.* „ *in Conſil.* ubi *dub.*14. ex Nav. Gabr. Angl. excuſat eos, qui „ laborant tertiana vel quartana ; item qui ex vacuitate ſtoma- „ chi notabilem capitis dolorem vel vertiginem patiuntur, vel „ tota nocte calefieri, aut dormire non poſſunt. Neque hos „ teneri manè ſumere collatiunculam, & veſperi cœnam, no- „ tat Diana *p.1. t.9. R* 51. ex Fill. & aliis 3. quia nemo tenetur „ pervertere ordinem refectionum.

„ III. Cauſa eſt, labor, vel officium, cum quo jejunium „ non poſſit conſiſtere, qualis eſt agricolarum, & multorum „ opificum, ut fabrorum, piſtorum, ſutorum, &c. (etſi de ſu- „ toribus neget Angl. cujus ſententiam Sanch. *conſ. l.5. c.1. dub.* „ 7. *nu.*5. dicit eſſe veram, ſi non ſuant, ſed tantùm ſcindant „ corium, & materiam præparent :) non tamen pictorum, „ ſartorum, quorum labor exiguus eſt. Excuſat etiam Laym. „ *l.4. t.8. c.3.* figulos, argentarios, ferrarios, lignarios, ful- „ lones, cœmentarios, coriarios, & textores. Dian. *p.4. t.* „ 4. *R.*134. & Gord. *t.2. l.6. q.*18. *c.6.* verſantes prælum typogra- „ phicum, non tamen typorum compoſitores. Foſſores au- „ tem, ferrarios, & ſimiles, etiam die uno, vel altero, quo non „ laborant, excuſat Az. &c. cum Diana *p.1. t 9. R.9.* Similiter „ excuſatur, qui pedibus facit iter per magnam diei partem, ut „ ait Sanch. *dub.*10. *n.3.* V. Fill. *nu.*119. Ratio horum omnium „ eſt, quia communiter horum vires non ſufficiunt ad hujuſ- „ modi labores cum jejunio.

„ Dixi, *pedibus* : quia multi non excuſant equites : longa „ tamen equitatio ad plures dies, ut docet Fill. *nu.*122. meritò „ excuſat : Ubi etiam concedit ob labores præcedentes, & „ ſubſequentes poſſe aliquem excuſari, ſi probabiliter debili- „ tatus, vel debilitandus putetur, ita ut officio ritè fungi ne- „ queat. V. Bona. *to.2. de præc. Eccl. d.ult. qu.4. n.*11. Ex eodem „ capite Doctores excuſant conjugem, ſi debitum reddere non „ poſſit, quando jejunat, uti & uxorem, quæ ob maciem „ non poſſit cum jejunio ſe viro gratam præſtare, Bonac. *num.* „ 14. Atque univerſim loquendo nemo tenetur opus, ad quod „ obligatur, omittere ob præceptum jejunii, ait *Caj.* quod „ intelligo, niſi iſta obligatio ſit valde levis, & rationabiliter „ poſtponenda obligationi jejunii. „

IV. Eſt pietas, vel majus bonum. Unde excuſantur, qui „ cum jeiunio non poſſunt vacare operibus melioribus, v.gr. „ Concionatores, Præceptores ordinarii, Confeſſarii, Canto- „ res, & quotquot opera charitatis & miſericordiæ, tam cor- „ poralia quàm ſpiritualia exercent, etiam ob mercedem, ſi „ ea cum jejunio peragere non poſſunt, Fill. *nu.*24. Azor. *p.1.* „ *l.7. c.*28. Fern. Nav. Sylv. Fag. &c. Atque hi quidem omnes „ intelligunt, & ferè addunt, quando eorum labores cum „ jeiunio non poſſunt conſiſtere, Diana autem (abſolutè lo- „ quendo) *p.1. t.9. R.9.* Prædicatores, qui diebus quadra- „ geſimalibus, (intellige omnibus) concionantur, putat à „ jeiunio excuſandos ; quia, inquit, ſummo opere laborant : „ non item eos, qui Dominicis tantùm concionantur, niſi ſint „ debiles, Sanch. tamen *d.*13. *n.6.7. &* 8. Trull. *l.3. c.2. d.7.* putat „ à jejunio Quadrageſimæ communiter, & regulariter excu- „ ſari eos, qui ter vel quater in hebdomada concionantur, „ cum fervore. De Lectoribus verò Diana *l.c.* cum Fag. *p.4. l.1.* „ *c.8. n.*19. cenſet, non omnes excuſandos, ſed eos tantùm, „ quorum labor eſt improbus ; vel quia ita ſunt debiles, ut „ ſatisfacere non poſſint. Idem ferè ſentit Sanch. licèt *l.c.* pu- „ tet, Lectores eos, qui quotidie quatuor lectiones legunt, „ (ut in Societate faciunt præceptores grammaticæ,) ſatisfa- „ cere, ſi media Quadrageſima, ſive ter in hebdomada jeju- „ nent, eò quòd ſit magnus labor, & paucis annis ſic fatigen- „ tur, ut progredi non poſſint. Sic ille. Verùm præſtat, ut „ Superiores ad tollendum ſcrupulum, cum talibus diſpen- „ ſent, (ut monet idem Sanch. *l.c.*) nam in omnibus iſtis, „ regula certa & univerſalis ſtatui non poteſt alia, quàm quòd „ lex Eccleſiæ non obliget, cum magna difficultate, ut notat „ Laym. *num.3.* „

V. Charitas, vel etiam urbanitas ſecundùm quoſdam ex- „ cuſat à veniali eum, qui die jejunii rogatus ab amico, mo- „ dicum cibi ſumit, Med. Fag. Fill. Dian. *p.1. t.9. R.* 29. vel qui „ ad excitandum infirmorum appetitum, comedit parum, „ etiam carnis. Nav. Sanch. Dian. *p.5. t.5. R.*32. „

ADDENDA.

QUæſt.255. *Quid notandum ſit circa diſpenſationem* 1308
in jejunio ? Reſp. Seqq. §. 1. Ad diſpenſandum cum particularibus ſufficit una ex cauſis à jejunio non totaliter, ſed, aliquo modo, attamen non ſufficienter excuſantibus ; item ſecundùm dicta l.1. num.804. ſatis eſt, ſi dubium ſit, an cauſa ſufficiat necne, ſi enim cauſa eſſet gravis & certa, non eſſet opus diſpenſatione ; ita cum aliis Illſ. *t.4. d.1. num.*49. Quòd ſi Superior advertat cauſam adhuc eſſe minùs ſufficientem, Tamb. *in Dec. l.4. c.5. ſ.7. nu.*60. & alii ſuadent miſceri aliquam commutationem, v.g. in Orationem vel eleemoſynam. *Dixi*, cum particularibus, nam pro diſpenſatione univerſali, qua utentur etiam alii multi, in quibus fortè cauſa non ſubſiſtet, uti ſi diſpenſetur, propter communem penuriam piſcium, quos tamen multi nobiles & divites habere poſſent, videtur requiri certitudo cauſæ rationabilis nunc exiſtentis, qualis eſſet periculum morborum propter piſces infectos, non quòd certum eſſe debeat tales morbos eſſe ſecuturos, ſed quòd nunc debeat certò eſſe prudens metus & periculum, quòd morbi ſint inde probabiliter ſecuturi, ita ut requiratur certitudo periculi, non tamen certitudo eventus. Ratio eſt, quia lex univerſalis jejunii eſt in certa poſſeſſione, à qua univerſaliter dejici non debet propter dubiam cauſam, hæc enim videtur eſſe mens Eccleſiæ ſolicitè inquirentis in cauſas majores pro univerſali diſpenſatione, quamvis pro particulari in favorem hujus vel illius perſonæ non ita rigidè procedat, eò quòd lex communis ipſius adhuc retineat obſervantiam ſui quoad reliquos.

§.2. Si quis initio Quadrageſimæ obtineat diſpenſatio- 1309
nem à jejunio ob morbum, à quo poſt dies 8. integrè ſanetur, Salas & Burgh. *centur. 1. caſ.*24. putant manere diſpenſatum pro reliqua parte Quadrageſimæ, tum quia lex eſt ſublata, nec redit ſine voluntate Superioris, tum etiam quia diſpenſatio cum juſta cauſa ſemel facta non revocatur, & favent dicta l.1. num.840. ſed contrarium eſt probabilius cum Sanch. *de Matr. l.8. d.30. num.*4. Steph. *t.1. d.5. num.*128. & aliis, quia diſpenſatus tantùm potuit petere pro tempore, quo erat cauſa, & diſpenſans cenſeri debet diſpenſaſſe tantùm pro eodem tempore, alioquin illicitè diſpenſaſſet, ergo ceſſante cauſa ceſſat diſpenſatio : oppoſita tamen ſententia haberet locum, ſi dubium eſſet, an perfecta ſanitas ſit obtenta ; item pro

ſcru-

ſcrupuloſis. Vide dicta l.1.n.796. in fine ante Appendicem, item num.808.

1310 §.3. Apud Religioſos poſſunt in jejunio cum ſubditis ſuis diſpenſare Provinciales & Superiores locales, ita Azor.*t.*1.*l.*7. *c.*18.*q.*6. Caſtrop. *t.*30. *d.*3. *p.*2. §.5. *n.*12. non tamen Abbatiſſa, nec Medicus, cùm careant juriſdictione ſpirituali, Tamb.*n.*62.cum communi. Quivis tamen homo prudens, & præcipuè Medicus, poteſt declarare talem eſſe ſtatum infirmi, ut non compatiatur jejunium, quo poſito per ſe deſinit ejus obligatio: quòd ſi ſtatus ille permaneat dubius, à Superiore petenda eſt diſpenſatio: ſi tamen ſit dubium de gravi damno ſecuturo ex jejunio, non eſſe opus diſpenſatione docet J.Sanch. & Caram. ſed tenendum eſt oppoſitum cum Sanch.& Illſ. ſuprà, niſi adiri non poſſet Superior, & periculum eſſet in mora, quia lex manet in poſſeſſione.

1311 §.4. In pleriſque Diœceſibus poſſunt Parochi per conſuetudinem diſpenſare in jejunio, etiam quoad eſum carnium, cum particularibus perſonis; quod ſpecialiter de Diœceſi Monaſterienſi verum eſt, ſaltem pro locis, in quibus non reſidet Epiſcopus vel Vicarius ipſius, imò & pro his locis dicunt ſe facultatem habere Parochi ſaltem per conſuetudinem, nec improbavit Celſiſſimus Epiſcopus à me interrogatus, cùm & fiat in urbe Roma, in qua Papa & ejus Vicarius reſident; & ita tenent etiam plures cum Leur.*p.*1.*q.*437.*n.*1.

1312 §.5. Si Epiſcopus in Quadrageſima diſpenſans permittat diebus Solis, Lunæ, Martis & Jovis carnes, dubium manet, 1. An in die Solis licitum ſit, quoties quis volet, carnes comedere. 2. An illi, qui per ætatem vel labores poſſunt plures refectiones ſumere, etiam poſſint pluries illis diebus veſci carnibus; Et de his interrogandus eſt diſpenſans, quia non ubique eſt eadem omnium voluntas.

An ille, cui permiſſus eſt eſus carnium vel ſecunda refectio, hoc ipſo permiſſæ ſint etiam plures, dictum eſt à n. 1269.

Nimiam eſſe in Epiſcopis, Medicis, Confeſſariis facilitatem diſpenſandi vel declarandi in jejunio & carnibus, conatur perſuadere Eliz.*in doctr.morum l.*6.*q.*16.§.11. qui videri poteſt, Medicum autem diſpenſare non poſſe, dicetur l.4.n.1538.

1313 *Q.*256. *An diſpenſatus ad carnes valetudini ſervientes, v.g.ad gallinas, poſſit comedere omnis generis carnes etiam nocivas, v.g.porcinas?* R. Affirmant Tamb. *in Dec.l.*4.*c.*5.§. 1.*n.*8. ſed oppoſitum videtur probabilius, quia expreſſio illarum carnium ſatis ſignificat mentem diſpenſantis eſſe ad has reſtrictam, maximè cùm pro illis non ſit ratio diſpenſandi, quæ erat conducentia ad valetudinem. *Nec obſtat*, quòd privilegia ſint amplianda, *nam* nego hoc eſſe privilegium, ſed eſt pura diſpenſatio à communi lege & conſuetudine, ideoque odioſa & reſtringenda ſecundùm dicta l.1.n.798. Si tamen propter valetudinem diſpenſatum eſſet in genere ad carnes, videtur licitum comedere quaſcumque, etiamſi hæ aut illæ in communi non habeantur ſalubres, fortè enim proderunt huic ſubjecto, maximè ſi ad illas ſit magnus appetitus, nec immodicè ſumantur; foretque aliàs nimis expoſitum ſcrupulis, cùm neſciamus, quænam obſint aut proſint magis.

1314 *Q.*257. *Quid addendum ſit circa tempus vel ætatem, in qua obligat lex jejunii?* R. §.1. Probabilius eſt contra Nav. & alios, quòd adoleſcentes etiam valdè robuſti non teneantur jejunare ante annum 21.completum, ne quidem aliquibus diebus, uti volunt Silv. & alii. Ratio eſt, quia Eccleſia illos ſolos obligat, qui incipiunt corpore conſiſtere, & licèt hic vel ille ſit ſatis robuſtus, tamen leges non attendunt ad hoc, quod rarò eſt, ſed quòd communiter, omnes autem communiter creſcunt, & firmantur ſaltem uſque ad annum 21. completum, ideòque tum indigent majori alimento, ita cum communi Sanch.*in Conſ.l.*5.*c.*1.*dub.*2.

1315 §.2. Qui poſt diligentem inquiſitionem adhuc dubitat, an annum 21. expleverit, non tenetur jejunare, quia libertas ejus eſt in poſſeſſione contra præceptum. Bonac.*de reſtit.d.*1. *q.*2.*p.*2.*n.*11. aliique multi cum Dian.*p.*4.*to.*3.*R.*21.

1316 §.3. Si quis compleat annum 21. in Quadrageſima, tenetur reliquo tempore jejunare, etiamſi unicus dies ſupereſſet, quia præceptum illud diviſibiliter obligat ad ſingulos dies, Sanch.ſupra *dub* 2. imò idem Sanch.*de Matr.l.*2.*d.*24.*n.*23. & poſt eum Lez.*v. Annus* n.9.ac *v. Ætas* n.8. docent, ſi compleat hora octava manè, teneri reliquo die jejunare, ſed contradicunt in hoc ultimo J.Sanch.Loth.Diana*p.*1.*t.*9.*R.*49. eò, quòd præceptum hoc videatur reſpicere diem integrum veluti individuum objectum, ideoque ſi non comprehendat totum, nec comprehendere partem: utraque opinio eſt ſatis probabilis; debere tamen ejuſmodi tempora conſiderari Eccleſiaſticè quoad inceptionem & deſitionem obligationis, diximus l.1.n.584.

1317 §.4. Viros omnes, hoc ipſo quòd annum 55. attigerint, excuſant aliqui teſte Diana *p.*11. *tract.*3.*R.*9. ſed reiiciuntur communiter ab omnibus: ſexagenarios tamen, quamvis adhuc robuſtæ ſint valetudinis, præter citatos à Buſemb. abſolutè excuſant Trull. Llamas, Angles Portell. J. Sanch. Caſtrop. *num.*6. Tamb.§.7.*n.*1. Steph.*n.* 124. Burg.*cent.*3.*caſ.*4. & ita ſenſiſſe etiam S.Pium V. dicit Diana*p.*1.*t.*9.*R.*20. addens ſe exiſtimare ſexagenarios certo & infallibiliter excuſari, quia ſunt ſenes, ætas autem ſenum eſt incoſtans & infirma, ſeu media inter morbum & ſanitatem, inquit Galenus, imò ſenectus ipſa eſt morbus, ergo meritò à jejunio excuſat; putat tamen Illſ.*n.*45. annum 60. debere eſſe completum, licet alii apud Buſemb. teneant oppoſitum. E contra ſexagenarios teneri jejunare, ſi per præſentes vires commodè poſſint, docent S. Antonin.Az.Med. Tol. Leſſ. Val.Bacho, Lez.Tann.Fagund.Fill. Bonac. Laym. quia certum eſt illos ante annum ſexageſimum fuiſſe obligatos, & dubium eſt, an per ſexageſimum eximantur, ergo lex eſt in poſſeſſione, à qua deiici non poteſt per dubium ſuperveniens, ergo ſi aliunde non deiiciatur, perget obligare. Cur autem certa ætas, nempe annus 21. ſtatuatur pro inceptione, & nulla ſtatuatur pro deſitione legis, hæc eſt diſparitas, quòd omnes uſque ad annum 21. adoleſcant & debeant firmari, è contrà multi poſt ſexageſimum non deficiunt notabiliter.

§.5. Mulieres quinquagenarias abſolutè excuſari putant 1318
Narbona, Mach.Pelliz. Loth. neque damnare audet Diana *p.*9.*t.*7.*R.*73. quia citiùs ſeneſcunt, & de ſe ſunt debilioris complexionis; ſed Sanch. dicit ſententiam illam non eſſe tutam, Laym. Fagund. J.Sanch. Tamb.*n.*5. dicunt eſſe improbabilem, nam dato, quòd prius ſeneſcant, etiam minus macerantur jejunio; & quamvis debiliores ſint etiam indigent non tantùm minoribus viribus, ſed etiam minore alimento: ſi quæ tamen ſit notabiliter debilior, poterit per malam valetudinem excuſari; eſtque etiam major cauſa cum talibus diſpenſandi, uti notat Sanch. *de Matr.l.*7.*d.*32. & Paſq *deciſ.*257. qui quamvis citentur pro contraria ſententia, tamen plùs non videntur velle.

§.6. Sanch.& alii cum Tamb.*n.*9. putant eum, qui vovit 1319
jejunare tota vita diebus Veneris, poſt annum 60. non obligari, eo quòd votum videatur obligare ſecundùm modum legis Eccleſiaſticæ: Sed Laym.dicit ſententiam illam eſſe improbabilem, quia obligat quidem ſecundùm modum legis Eccleſiaſticæ, quantùm ad formam & modum jejunandi, non autem quantùm ad perſonas, alioquin qui ante annum 21. voviſſet jejunare, tunc non teneretur, quia Eccleſia tunc non obligat eum: Ratio itaque à priori eſt, quia poteſt aliquis per votum ſibi imponere obligationem, licèt talem ei non imponat Eccleſia. Vide hic p.1.à num.438.

§.7. Si alicui per diſpenſationem ad ineundum Matri- 1320
monium, loco voti caſtitatis ſit ſubrogatum jejunium omni die Veneris, Tamb.*n.*12. putat excuſari poſt annum 60. ſicuti excuſaretur, ſi incideret in morbum; ſed oppoſitum videtur tenendum, nam etiam poſt annum 60. obligaretur ad caſtitatem, ſubrogatum autem ſapit naturam illius, cui ſubrogatur, Cap.1.& 2. *Ut lite pendente:* & ratio à priori eſt, quia videtur ſic facta commutatio, quamdiu vis frui Matrimonio, tamdiu utere jejunio: quod autem non obligetur, ſi incideret in morbum, ideo eſt, quia jejunium tunc illi eſſet grave noxium aut moraliter impoſſibile, uti ſupponitur, tunc autem non obligat Eccleſia. Vide tamen iterùm dicta p.1.n.439.

*Q.*258. *Quid circa pauperes ſit notandum?* Reſp. Seqq. 1321
§.1. Pauperes tenentur jejunare eo die, quo ſimul habent plenum prandium, niſi ex præcedente inedia ita eſſent debilitati, ut jejunium commodè ferre non poſſent ita Sanch.*in Conſ.l.*5. *c.*1.*dub.*15.Lez. aliique cum Steph.*to.*1.*d.*5.*n.*130. Pro prandio tamen debito non ſufficiunt panis, olera & fructus, uti docent Sanch.Angles, Paſq. aliique apud Dianam *in Comp.v. Jejunium*, n.14. Neque ſolus panis & vinum, inquit Tamb. *in Dec.l.*4.*c.*5.§.7.*n.*34. ſufficerent tamen pro uno vel altero die, uti notant idem Tamb.& Steph.ſuprà. Addit Paſq.ad debitam ejuſmodi refectionem requiri, ut pro potu adſit vinum vel ſaltem cereviſia, ubi non adeſt vinum, ſed Diana*p.* 10.*t.*12.*R.*25.*& t.*16.*R.*77. aliique contradicunt, quia poteſt, per ſe loquendo, ſine tali potu conſiſtere plena refectio.

§.2. Toleratur apud nos conſuetudo, inquit Laym. *l.*4. 1322
*t.*8.*c.*3.*n.*3. ut reliquiæ carnium, quæ in Bacchanalibus non ſunt abſumptæ, dentur pauperibus abſumendæ.

§.3. Qui pro ſufficiente refectione non habet cibos eſu- 1323
riales, poteſt ova, aut his deficientibus carnes comedere, quia benigna mater Eccleſia non cenſetur velle tota die ad panem, aquam, & pauca legumina adſtringere, Sanch. Dian. & alii, quod multi cum Vivald.& Paſqu.*deciſ.*49. dicunt etiam de divite, qui ad hoſpitium venit, in quo haberi non poſſunt cibi eſuriales, negant tamen hoc Leand. Diana *p.*10.*tr.*14.*R.*59. Steph.*n.*96. ſi tantùm uno die non haberet alios cibos præter panem, niſi eſſet perſona delicata aut è contrà valde robuſta, quæ ſine carne commodè ſaturari non poſſet.

*Q.*259. *An excuſetur, qui magnam in jejunio ſentit diffi-* 1324
cultatem, vel jejunans dormire non poteſt? Reſp.

§.1. Med. & Fill.*t.*27.*p.*2.*n.*125. ſimpliciter negant aliquem excuſari ob difficultatem, quia finis jeiunii eſt mortificatio,

quæ

quæ eſt victoria difficultatis: è contrà *Bon.* in Decal.d.ult.q.1. p.ult.n.15.ſimpliciter affirmat, quia magna difficultas videtur æquivalere magno incommodo, quod à tali lege humana excuſat; neque opus eſt incommodum magnum eſſe præſens; ſed ſatis eſt rationabiliter timeri, inquit Tamb.*n.*14. qui tamen poſtea n.47. cum Paſq. *deciſ.*296. probabiliùs ſic diſtinguit, ſi difficultas oriatur ex habitu vitioſo, v.g.intemperantiæ, tenetur hanc vincere & jejunare, ob rationem *Fill.*ſi autem oriatur ex naturali conditione ſtomachi nimis calidi & voracis, poteſt ſumere, quantum ſufficit ad temperandum hoc grave incommodum, ob rationem *Bon.*Similiter ſi quis nimiam difficultatem haberet ob debilitatem ſtomachi,deberet manè ſumere aliquid per modum medicinæ, nec ideò impediretur ab ordinaria collatione veſpertina, Sanch.*dub.*22.

1325 §.2. Qui dormire non poteſt, niſi veſperi plenè refectus, debet in prandio ſumere collationem & veſperi prandium, ita multi contra utrumque Sanc. Dian. *p.*1.*t.*9.*R.* 51. Caſtrop. §.5.*n.*9. Tamb.*n.*14.Loth.& alios, qui dicunt non teneri hunc ordinem invertere, ſed ſumpto ſecundùm conſuetudinem prandio poſſe iterum plenam refectionem ſumere veſperi. Ratio noſtra eſt, quia ſic poteſt commodè ſervari ſubſtantia jejunii; qui autem tenetur ad finem, etiam tenetur ad media non difficilia, & idem eſt, ſi quis non poſſet jejunare, niſi ſumpto manè jentaculo, uti fatetur Sanch.*dub.* 27.*n.*4. Similiter dub.32. docet teneri comedere ova, qui aliter non poſſet ſervare jejunium; addo ego etiam carnes, quia cum horum eſu conſiſtit jejunium, ſecundùm dicta n. 1269.

1326 *Q.* 260. *An excuſetur puella vel vidua volens nubere, ſi jejunio reddenda eſſet deformis?* Reſp. Affirmant Lop. Sanch. Tambur.*n.*45. Bouderv.*p.*1.*q.* 44. Loth. apud Steph.*n.* 131. quia ſi propterea minus deſideretur, eſt notabile damnum; ſignum autem tantæ jacturæ tunc erit, ſi ita color deperderetur vel induceretur macies, ut talis fœmina viſa, ſtatim de eo defectu notaretur, ita *Tambur.* verùm non facilè erit periculum illius incommodi, rarò enim notabiliter deformabitur homo propter jejunia ordinaria Eccleſiæ, unde ſententia illa vix pro praxi habebit locum.

1327 *Q.*261. *An excuſetur, qui habet duo cauteria* ? R. Affirmat J.Sanch.*d.*54.*n.*17.quia talis redditur maximè debilis, teſte experientia aliquorum ab eo conſultorum : ſed opinio illa ſequenda non eſt,niſi concurrant plures circumſtantiæ debilitatis vel laboris, nam experientia contraria probat, quòd cum duobus imò & pluribus cauteriis, per ſe loquendo, commodè ſtare poſſit jejunium, uti rectè Paſq.*deciſ.*266.

1328 *Q.*262. *Quid addendum ſit circa excuſationem quorundam ratione laboris vel officii?* Reſp.Seqq.

§. 1.Quivis labor non excuſat à jejunio, nam *Alex. VII.* damnavit hanc 30. prop. *Omnes officiales, qui in Rep. corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.*

1329 §.2. Ars ex ſe laborioſa liberat unumquemque à jejunio, etiam robuſtum & potentem cum eo labore jejunare, quia Eccleſia non includit ſic laborantes, & lex eſt, ſecundùm id, quod communiter eſt, communiter autem non poſſunt homines cum ejuſmodi labore jejunare : E contrà tamen quamvis labor de ſe non ſit talis, ut excuſet, ſi tamen complexio perſonæ ſit talis, ut officium, quod aliis leve eſt, ipſe non poſſit ſine magno incommodo conjungere cum jejunio, excuſatur, Sanch.Reg.Tamb.*n.*18.

1330 §.3. Opera ex ſe laborioſa ſunt, quæ exercentur cum magna agitatione corporis, per hanc enim ſpiritus multùm conſumuntur; & talia, ſunt præter relata à *Buſemb.* arare, fodere, triturare, ſecare lapides; portare onera, texere latos pannos etiam pedum adminiculo: remigare, percurſare urbem vendendo merces &c.hæc enim ſi longo tempore exerceantur, multùm fatigant.

1331 §.4. Fagund. & Ledeſma apud Dianã *p.*1.*t.*9. *R.* 8. excuſant ſartores & barbitonſores, ſed abſolutè tenendum eſt oppoſitum cum Mendo *d.*8.*q.*8.quia hic labor fit ſine agitatione & incommodo magno: Steph.*n.*132. excuſat ſartores, ſi impenſius laborent etiam per magnam partem noctis, ſed & hic ſpectandæ ſunt vires, nam labor ille de ſe non excuſat ergo ſi vires ſint pares jejunio, manet obligatio.

1332 §.5. *Angles* aliique cum Burg. *cent.*3.*caſ.*5. & Diana *in comp v Jejunium*, *n* 10. excuſant eos, qui multùm ſcribunt, v.g.Regum Secretarios, quia tale officium requirit conſtantes vires, ſed dicendum eſt cum Sanch.*dub.*7.non excuſari, poſſunt enim vires habere ſufficientes, quamvis jejunent, imò temperantia & jejunium maximè conducit ad valetudinem ſedentiarii.

1333 §.6. Qui laborioſis operibus incumbunt, excuſantur, licèt uno vel altero die non laborent, ſi v.g. ſit feſtum, *Sanch.* ſuprà, Diana *R.* 9. Tamb.*num.*24. Mendo *q.*7. referens alios multos: ſi verò tres vel quatuor dies jejunii ſequerentur, quibus non laborarent, *Sanch.* & alii dicunt debere jejunare aliquibus diebus ex his, v.g.alternis.

§.7. Suppoſita fatigatione gravi etiam malo fine cauſata, v.g. inſequendo concubinam, ſi non prævideris fatigationem illam fore incompoſſibilem cum jejunio, ſententia cõmunis habet, quòd poſſis ſæpiùs comedere : imò licèt prævideris, adhuc dicunt Palud. Silv. Fill. Sanch. Dian. Caſtrop. Tamb. Laym. *l.*4.*t.*8.*c.*3.*num.*5. & teſte *Paſq.* omnes communiter,te poſſe ſæpiùs comedere, quia moraliter impotens jejunare, non tenetur, atqui talis eſt moraliter impotens jejunare, uti ſupponitur, ergo non tenetur : major difficultas eſt, an hic antecedenter peccarit,etiam contra legẽ jejunii,ponendo iſtam cauſam defatigationis; negant *Led. Med. Bonac. Roccaf. Leand.Paſq.* & alii, ſed dicendum eſt cum S. Th. Sanch. Caſtrop. Diana *p.* 10.*t.*14. *R.*11. aliiſque communiſſimè peccaſſe etiam contra legem jejunii, quia ſicuti omne præceptum obligans ad aliquid, etiam obligat ad media obſervationi illius neceſſaria,ita etiam prohibet omnia incompoſſibilia cum ipſo,uti præceptum Miſſæ prohibet ſomnum toto manè continuari, ſecundùm dicta l.1.à n.782. neque verum eſt, quòd ſit jus ad ejuſmodi actiones, per quas eluderetur præceptum, ſed jus ad has ſuſpenditur, præſertim ſi ſint actiones illicitæ, ad quas nunquam propriè eſt jus : & hæc maximè valent, ſi tale quid incompoſſibile aſſumatur in fraudem legis, ſeu ex intentione non jejunandi, uti omnes communiter fatentur contra *Paſq. Roccaf. & J. Sanch.* ac ſatis conſtat ex legibus l. 1. n. 784. relatis, ubi à num.782. videri debent plura huc ſpectantia. Ex his,

1334

Sequitur, omne opus incompatibile cum jejunio, eſſe 1335
in die jejunii omittendum, ſi commodè omitti poſſit, uti habent *S. Thom.* & alii cum Moya *t.* 1.*tr.*6. *d.*5.*qu.*1.*num.* 21. Hinc Tamb.*nu.* 31. non excuſavit adoleſcentem nobilem, qui ex ſumma voluptate dabat operam arti ferrariæ in elaborandis ſclopetis : excuſat tamen juſta cauſa, qualis juxta Moyam *nu.* 22. eſt omnis labor aſſumptus ad utilitatem ſpiritualem aut corporalem, propriam vel alienam; hinc ſecundùm ipſum excuſant omnes artes,etiam ſi artifices ad ſui ſuſtentationem non indigeant, uti docent Roſel. Silv. Leſs. Vind.Gob. *p.*2.*prop.*13.*nu.*18.qui referunt *Eugenium IV.* ita declaraſſe:Item excuſant honeſtæ recreationes quandoque aſſumptæ: item univerſaliter omnia opera jejunio meliora, quia Eccleſia non intendit hæc impedire. Addunt *Vict.Henriq.Caſtrop. Bonac.Sanc. Boſſius*, excuſare laborem ex quovis honeſto fine aſſumptum, uti ſi operosè veneris, ludas, curras, pedibus eas ad amicum inviſendum, cum poſſes equo &c., quia nullas lex videtur tibi prohibere talem actionem ex honeſto fine ſuſceptam, ſuppoſita autem fatigatione inde cauſata, jejunium eſt moraliter incompoſſibile ; requirit tamen meritò *Sanch.* ut hoc non fiat frequenter. Denique notat Leſſ. *de Juſt.l.*4. *c.*2.*n.*43. eos excuſari, qui damni vitandi vel notabilis lucri (cujus occaſio non ſemper datur) captandi cauſa laborant, etiamſi ex officio non ſoleant ; uti qui ad nundinas proficiſcuntur, præſertim pedites, vel ad alia negotia, quæ commodè differri nequeunt.

§.8. Si quis actionem graviter fatigantem & de ſe non ma- 1336
lam aſſumat, partim ob recreationem, partim etiam ut non teneatur jejunare, aliqui cum Diana *p.*1.*t.*9.*R.*40. putarunt non peccare contra legem jejunii,quia hæc lex non videtur præcipere, ut abſtineam à recreatione mea : nec prohibet, ut me eximam ex eo ſtatu, in quo obligor, alioquin petere non poſſem diſpenſationem à præcepto, neque poſſem hinc, ubi eſt jejunium locale, exire, ut alibi non jejunem, & tamen hoc licere, dicunt multi relati l.1.nu.683. Nihilominùs alii cum *S.Thom.* probabiliùs contradicunt, ac ipſemet Diana *p.* 10. *t.* 14. *R.*11. retractata priore ſententia fusè probat ejuſmodi hominem peccare contra legem jejunii,quia tales leges non tantùm obligant, ut quis non impeditus eas obſervet, ſed etiam, ut quamdiu manet in actu primo obligatus, (uti fit in noſtro caſu) non ponat, ſine juſta cauſa, impedimentum obſervationi : quòd ſi petat diſpenſationem, vel exeat è loco, ubi eſt jejunium, ad alium locum, ubi non eſt, faciliùs excuſatur, quia intendit non jejunare eo tempore & loco, quo nequidem in actu primo obligabitur, ille enim tantùm tenetur, qui non eſt diſpenſatus, & eſt in tali loco, in quo lex obligat. Vide Vind. Gob.*p.*2.*prop.*13.

§.9. Poſſunt permitti carnes illis, qui laborant vel fa- 1337
mulantur inter hæreticos, dummodò tollant ſcandalum, dicendo ſibi hoc per Eccleſiam licere in tali circumſtantia : an autem & quomodo Catholici ſe addicere poſſint ejuſmodi ſervitiis, videri poſſunt dicta l.2.à n. 102.

*Q.*263 *Quid notandum ſit circa excuſationem ratione* 1338
conjugii? Reſp.Seqq.

§.1. Licèt conjux reddatur minùs potens ad reddendum debitum, non ideo tenetur omittere jejunium, quia habet jus ad opera ſpiritualia, licèt per hæc aliquantum impediatur à debito corporali, ita Cornejo, Steph.*t.* 1.*d.*5.*nu.* 131. Tenetur autem conjux jejunare, quamvis non ſit futurus potens ad petendum debitum, quia non tenetur petere, Tambur. *in Dec.l.*4.*c.*5.*§.*7.*num.*40.

§.2. Si

1339 §.2. Si medici cenſeant jejunium nociturum proli concipiendæ, mulier excuſatur à jejunio, quia grave eſſet incommodum non poſſe fovere prolem concipiendam, Tamb.*n.*17.

1340 §.3. docent Mendo *d.*8.*q.*9.IIII.*t.*4.*d.*1.*n.*44. aliique communiter, quòd mulieres prægnantes & lactantes, quamvis ſint robuſtæ valetudinis, à jejunio excuſentur, quia ob fœtum vel prolem alendam indigent copioſiore cibo.

1341 §.4. Uxor non excuſatur ex eo præciſè, quòd vir prohibeat, ne jejunet, quia non habet jus prohibendi, & ipſa magis tenetur obedire Eccleſiæ quàm viro: poſſet tamen, ſi alioqui prævideret graves diſcordias, non jejunare, quia præcepta poſitiva non obligant cum gravi ſcandalo & incommodo, & pax mutua conjugum præponderat jejunio: ſi tamen aliquis maritus, faceret in contemptum Eccleſiæ, vel jejunii, uxor teneretur potiùs vitam ponere, quàm obſequi, Steph.ſuprà.

1342 §.5. Per ſe loquendo, non eſt licitum viro uxoris hæreticæ, propter ipſam frangere jejunia, quia vir eſt caput uxoris, & hanc potiùs adducere debet ad ſuum modum vivendi: Excipe, niſi uxor ob impotentem indolem vel longè majorem nobilitatem haberet imperium, itaut vir ſine gravi modeſtia & turbatione familiæ aliter non poſſet.

1343 *Q.*264 *Quid circa itinerantes ſit addendum?* R.ſeqq.

§.1. Iter equeſtre nō ſemper excuſat à jejunio, nam Alex.VII. damnavit hanc 31.prop. *Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

1344 §.2. Quandonam itinerantes excuſentur à jejunio, variant AA. nam *Paſq.* dicit pro pedite ſufficere iter 7.milliarium Italicorum, ſive apud nos duarum leucarum & mediæ circiter, tria enim milliaria Italica faciunt unam leucam ſeu horam noſtratem, uti notant AA. apud Steph.*n.*132. Leander dicit ſufficere 3. leucas: alii cum *Diana* requirunt 4.tantùm leucas; *Caſtrop.*4. vel 5.ſed hi AA. communiter rejiciuntur: hinc *Az. Bon. Fagund. J. Marcha.* & alii requirunt ſaltem 5. leucas. Pro equite verò *Leand.* dicit ſufficere 10.vel 8.leucas, quamvis unico die equitet, & Diana dicit probabile, ſed *p.*11.*t.*2.*R.*57.cum *Mendo & Hurt.*requirit 9.vel 10.leucas: *Fill. Bonac. & Paſq. dec.*116. requirunt iter plurium dierum, præſertim in æſtate, quando minùs eſt moleſtum equitare. His non obſtantibus, probabilius eſt cum *Steph.* ſupra, regulam generalem in iſtis ſtatui non poſſe niſi hanc unicam, tum tantùm excuſari itinerantem à jejunio, quando cùm labore itineris, quomodocunq; tandem illud fiat, non poteſt conſiſtere jejunium ſine magna difficultate, & incommodo. Ratio eſt, quia aliqui plus alii minus laboris capiunt ex via ſitem, iter 4.leucarum propter montes & alia incommoda eſt longè difficilius plano per 5.vel 6.leucas; item, iter tempore pluvioſo, per vias lubricas, vento in faciem oppoſito, eſt duplo laborioſius quàm aura ſerena, viis ſiccis, vento ſecundo &c. Deinde aliqui ſine ullo labore & moleſtia equitant vel curru vehuntur tota die: alii malent ire pedites: item, aliquis mallet conficere 12.horas in hoc equo, quàm 6.in illo &c. ergo non poteſt ſtatui pro omnibus regula generalis, niſi illa, quā dedimus.

1345 *Q.*265. *Quid addendum ſit circa excuſationem ob pietatem vel majus bonum?* Reſp.ſeqq.

§.1. Peregrinatio excuſat, ſi fiat ex voto vel præcepto Confeſſarii, & alia die commodè inſtitui non poſſit, ita cum aliis Laym.*l.*4.*t.*8.*c.*3.*n.*5. Addit cum aliis Sanc. *in Conſ.l.*5.*c.*1.*dub.*11. etiam illam peregrinationem excuſare, quæ ad Dei honorem valdè utilis eſt, aut fit ex magno affectu pietatis, ita ut peregrinanti videatur futura utilior quàm jejunium, aut quia erit utilis, v.g. ad lucrandas indulgentias in altero loco; Item poteſt quis inire peregrinationem, licèt incurrant dies jejunii, ſi longa ſit & alioqui careret ſociis: imò Bon. *de pecc.d.*2.*q.*8.*p.*1.*n.*16. Tamb.*n.*30. Moya *t.*1.*t.*6.*d.*5.*q.*1.*nu.*22. & alii abſolutè dicunt excuſare omnes pias peregrinationes, quia videntur meliores jejunio.

1346 §.2. Si quis ex pio fine ſe cruentè flagellet, prævidens ſe ita debilitandum, ut jejunare non teneatur, *Palatios* & alii dicunt peccare, ſi non jejunet, ſed probabilius excuſant Bonac. *p.ult.* *n.*9. Sanch. *dub.*12. Moya & alii cum Tamb. *ſuprà*, quia hæc eſt honeſtiſſima fatigatio, quæ videtur etiam ipſo jejunio melior.

§.3. Sanc. *d.*13. cum aliis viris doctis dicit eos, qui frequenter concionantur excuſari à jejunio pridie & die concionis, quia hoc videtur requiſitum pro robore neceſſario ad diu concionandum; idem tenent Diana *p.*10.*t.*11.*R.*32. nec videtur diſſentire Caſtr.*t.*30.*d.*3.*p.*2.§.5.*n.*11. licèt id neget Tamb.*n.*26. & ſaltem non videtur licere pridie cœnare, ſi altera die priùs poſt meridiem liceat, quia vires per ſequens prandium ſufficienter reficientur. Item Sanch. Caſtrop. & alii viri docti dicunt Magiſtros Grammaticæ apud nos, qui quotidie 4.horis docent, non teneri jejunare, plùs quàm tribus diebus de ſeptimana, licèt dicant ſe eſſe robuſtos: quòd ſi aliquis eorum fuerit debilior, minùs aut nihil tenebitur; eſtque inquit Sanch. cauſa ſufficientiſſima, ut cum illis omnibus diſpenſent Superiores. 1347

§.4. Si quis jejunans plus vexetur tentationibus carnis quàm non jejunans, non ideo excuſatur à jejunio, per ſe loquendo, uti rectè Bonac.*n.*15. tum quia aliter vinci poſſunt tentationes, tum quia non tam naſcuntur ab inedia quàm à phantaſia inde apprehendente cauſam, aut fortè etiam à dæmone volente per hoc deterrere à jejunio. 1348

*Q.*266. *An omnes Monachi excuſentur à jejunio?* R.1. Caram. *in Th. fund.t.*1 *fol.*537. proponit & petit ſibi ſolvi hanc rationem dubitandi: Muſici à jejunio excuſantur, ſed omnes Monachi ſunt Muſici, ergo omnes Monachi excuſantur à jejunio. Majorem docent Jo.Sanch.*d.*44.*nu.*18. Diana *p.*1.*t.*9.*R.*1. Tamb.*n.*26. Minor etiam eſt vera, nam æquè canunt ad notas, & quidem longè laborioſiùs. R.2. cum Steph.*n.*137. diſt. maj. muſici à jejunio excuſantur, ſi per jejunium corrumperent voces, vel redderentur inhabiles ad canendum, c.tum enim paterentur grave incommodum, cùm vivant ex voce grata; hoc tamen rarò aut nunquam cauſabitur à jejunio, nec aliud volunt AA. citati: unde ſi horum neutrum ſit, n.excuſari neutrum autem eſt in Monachis, maximè cùm non ita curent vocem, ſed fracta voce canentes æquè ſatisfaciant choro. 1349

*Q.*267. *Quomodo urbanitas excuſet?* R.Si quis rogatus ab amico, ne videatur inurbanus, ſumat non ultra duas uncias, dicunt, præter citatos à Buſemb. Vivald. Lez. aliique 7. apud Steph.*t.*1.*d.*5.*n.*111. quòd nullo modò peccet, quia ſumit, non tam ex intentione comedendi, quàm urbanitatis & amicitiæ cauſa, cui ſervire pertinet ad ſpecialem virtutem: Sed contradicit Caſtr.§.2.*n.*5. quia petitio amici eſt iniqua, utpote oppoſita præcepto Eccleſiæ. Putant quidem Nav. aliique apud Dian. *in Comp. v. Jejunium, n.*51. aliquem die jejunii diſpenſatum, poſſe alium ad cœnam invitare, ut ſecum comedat, quem ſcit nihilominus cœnaturum alibi, eò quòd talis invitatio cenſeatur conditionata, *ſi vis, quia vis comedere*; nec fit cauſa efficax peccati, quod jam in animo conceptum erat, ſed probabiliùs cōtradicunt Diana aliique cum Leſſ. *l.*4.*c.*2.*n.*21. quia nemo poteſt invitare ad id, quod ſine peccato præſtari non poteſt: de quo plura diximus *l.*2.*à n.*255. & ſpeciatim *n.*256. 1350

*Q.*268. *Quid faciendum ſit cum illis, qui prætendunt cauſas non ſufficienter excuſantes?* R. Si quis, ſaltem in his regionibus Septentrionalibus, afferat rationem aliquo modo probabilem, ob quam non jejunet, ſaltem omnibus diebus, Lay. *l.*4.*t.*8.*c.*3.*n.*6. & 7. item Caſtrop.§.5.*n.*11. dicunt diſſimulandum eſſe ac poſſe abſolvi, ne, ſi contradicatur, graviùs peccet & nunquam jejunet: verùm doctrina illa eſt difficilis. Nam ſi non credatur eſſe paratus obſervare omnia præcepta graviter obligantia, non eſt diſpoſitus ad abſolutionem, ſi autem credatur eſſe paratus obſervare, moneri poteſt, eſt enim certa ſpes fructus; & officium Doctoris, quo fungitur Confeſſarius, videtur id exigere; intelligo, ſi Confeſſarius ſatis certus ſit de obligatione pœnitentis, de qua etiam non ſit pœnitenti permanſurum prudens dubium, ſi à Confeſſario fuerit meliùs inſtructus; quando enim talia pro ſui accuſatione vel excuſatione proponunt Confeſſario, cenſentur eum conſulere, ergo hic tenetur reſpondere, uti judicat rem in ſe eſſe. 1351

LIBER QUARTUS.

De Præceptis particularibus certo hominum ſtatui propriis.

1 „ CUm omnes fideles, ſicut Præcepta Decalogi, ita
„ etiam alia præcepta, quæ pertinent ad ſtatum
„ & officium uniuſcujuſque teneantur ſcire ſub
„ peccato mortali; ita ut ipſa eorum ignorantia
„ vincibilis, (licèt non ſequatur tranſgreſſio) ſit
„ peccatum mortale, Sylv. Sayr. *clav. reg. lib. 2. c. 9.*
„ *num.* 31. Sanch. Bald. *to. 2. l. 1. d. 9. num. 8. & 9.* Hinc poſt præ-
„ cepta omnibus communia, agendum de præceptis propriis
„ certorum ſtatuum in particulari.

CAPUT PRIMUM.

De Statu Religioſo.

DUBIUM I.

Quæ ſit natura Status Religioſi?

„ REſp. Status Religioſus eſt fidelium ad Divinæ charitatis
„ perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ pau-
„ pertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ſtabilis in communi vi-
„ vendi modus, ab Eccleſia approbatus.

„ Dico, *ab Eccleſia*: quia etſi olim Epiſcopi Religiones
„ approbare poterant, poſteà tamen in Concilio Lateranenſi,
„ ſub Innocentio III. ſtatutum eſt ne nova Religio inducatur,
„ niſi approbata à Papa. Ratio eſt, quia cùm Religio ſit com-
„ munitas ſacra, in qua debet eſſe ſpiritualis juriſdictio, hæc au-
„ tem à Papa proveniat, decens eſt, ut talis communitas ab eo-
„ dem approbetur, Laym. *l. 4. t. 5. c. 1. Unde reſolvuntur hi caſus:*

„ I. Ad eſſentiam Religionis non requiruntur vota ſolem-
„ nia. Ratio, quia qui in Societate JESU vota ſimplicia edunt,
„ ſunt veri Religioſi, uti definivit Gregorius XIII. in Bulla,
„ *Aſcendente Domino*, Laym. *n. 4.*

„ II. Non ſunt Religioſi ii Ordines militares, qui conjuga-
„ lem caſtitatem tantùm vovent; ſunt tamen veri Religioſi mi-
„ lites S. Joannis, & Teutonici, eorumque ſimiles, cùm tria vota
„ ſubſtantialia habeant. Similiter ex Fratribus & Sororibus
„ Tertiariis, ſive Ordinis S. Franciſci, ſive aliorum tantùm
„ ſunt Religioſi, qui in Religione approbata ſecundùm certam
„ Regulam tria vota ſubſtantialia emittunt; contra autem ii
„ non ſunt, qui licèt tria iſta emittant & communiter vel ſeor-
„ ſim habitent, Regulam tamen à Sede Apoſtolica approbatam
„ non profitentur, Laym. *loc. cit.*

„ III. Religioſi non ſunt, qui edito voto perpetuæ pauper-
„ tatis, & caſtitatis obedientiam vovent Confeſſario aut Epi-
„ ſcopo, Ratio quia tali voto non ſubjiciuntur juriſdictioni
„ ſpirituali, quæ à Deo, medio ejus Vicario, provenire debet.
„ *Ibid. num. 7.*

„ IV. Etſi Papa in votis ſolemnibus Religionis diſpenſare
„ poſſit, ut quis deſinat eſſe Religioſus, non poteſt diſpenſare
„ tamen, ut quis manens Religioſus, ſubſtantialibus votis non
„ teneatur, quia ad eſſentiam Religionis ſpectant. Laym. *nu.*
„ 8. ex Nav. *&c.*

„ V. Religioſus promotus ad Cardinalatum, vel Epiſcopa-
„ tum, obſtrictus manet votis eſſentialibus ſuæ Religionis; etſi
„ quoad aliquos effectus paupertatis & obedientiæ, exemptus
„ cenſeatur. Deinde, etſi jugo Regulæ abſolutus ſit, quoad
„ culpam & pœnam, tamen ex obligatione Moralis honeſtatis
„ ea ſervare debet, quæ eum decent & cum ejus munere con-
„ ſiſtunt: Hinc quoad habitum, ſui Ordinis colorem deferre
„ debet, etſi quoad figuram Epiſcopis ſæcularibus ſe confor-
„ mare poſſit, ut Clemens VIII. conceſſit apud Sanch. *l. 6. mor.*
„ *c. 6. n. 1. & ſeqq. & num.* 34. Imò ſi Epiſcopatum reſignet, vel
„ ob culpam deponatur, abſque degradatione tamen, non te-
„ netur ad Regularem obſervantiam redire, quia retinet emi-
„ nentiam Epiſcopalem, ob quam ab obedientia Regulari
„ exemptus fuit, *Ibid.* ex *S. Th. Rodriq. Sanch.* &c. Secus eſt
„ in Cardinali Religioſo, qui non eſt Epiſcopus, hic enim re-
„ licto Cardinalatu nihil retinet ex dignitate Cardinalitia,
„ ideoque ſi Papa ejus renunciationem acceptarit, tenetur re-
„ dire ad obedientiam Regularem ſui Ordinis, Palaus, Lug.
„ *Reſp. mor. l. 5. d. 12.*

„ VI. Religioſus ad Parochiam promotus cùm votis adſtri-
„ ctus maneat, tenetur deferre habitum Religionis, Regulam-
„ que obſervare in omnibus, quæ cum ſuo munere conſiſtere
„ poſſunt. Idque non tantùm ſecundùm moralem honeſta-
„ tem, ſed ſub obligatione gravis culpæ, ſi ad eam Regula
„ obliget. Laym. *nu.* 11. *&* 12. Ubi addit, quòd etſi Parochus
„ Religioſus in iis, quæ ad Regulam ſpectant, ſubjectus maneat
„ Superiori, jam tamen conſuetudine multis locis obſervari, ut
„ non tantùm in pertinentibus ad diſciplinam Eccleſiaſticam,
„ ſed etiam in pleriſque aliis ab obedientia Prælati eximatur,
„ & Epiſcopo ſubjiciatur. Vid. Sylv. Sanch. *n. 36.*

ADDENDA.

QUæſt. 1. *Quid præterea ſit notandum circa requiſita ad* 2
ſubſtantiam Status Religioſi? R. ſeqq.

§. 1. Ad eſſentiam ſtatus Religioſi non requiritur votum omnimodæ paupertatis vel obedientiæ, Caſtr. *t. 16. d. 1. p. 1. nu.* 4. & ſatis certum eſt, nam paupertas Scholaſticorum in Societate JESU non neceſſariò abdicat dominium, uti expreſsè habet Greg. XIII. in bulla, *Aſcendente Domino*. Similiter obedientia non comprehendit omne opus bonum, ſed tantùm ſpectantia ad regulam & conſtitutiones cujuſque Ordinis.

§. 2. Probabile quidem eſt, quòd votum caſtitatis conjuga- 3
lis, cum debito ex regula aliquando abſtinendi ab uxoribus, ſi addatur aliis votis in ſtatu ab Eccleſia approbato, conſtituat Religionem, ideoque ad ſubſtantiam Religionis non requiratur votum omnimodæ caſtitatis; uti docent Nav. Suar. Caſtrop. Sanch. *in Dec. l. 4. c. 16. n.* 11. Oppoſitum tamen videtur probabilius cum *Card. Buſemb.* ſuprà, quia ad Religionem requiritur votum talis caſtitatis, quæ ſit conſilium Evangelicum, ad quod ſpectat ſollicitum eſſe, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, & non quomodo placeat uxori: ſic enim diviſus eſt, uti habet Apoſtolus *1. ad Corinth. 7. v.* 33. abſtinentia autem illa quibuſdam temporibus non vovetur, ſed tantùm præſcribitur per regulam, ergo votum ſolius caſtitatis aliunde ex præcepto debitæ non videtur ſufficere ad ſtatum Religioſum.

§. 3. Ut quis ſiat Religioſus, neceſſe eſt, ut vota ſubſtantialia 4
Religionis admittantur ab aliquo Superiore: *Nec obſtat*, quòd in Conſt. Societatis JESU *p. 5. c. 4. in Dec. l. d.* dicatur vota illius ſimplicia ſoli Deo offeri & non homini, ideoque non dicantur fieri in manibus alicujus, *nam* conſiderari poſſunt, 1. prout ſunt promiſſio, & ſic non acceptantur ab homine, quia promiſſio illa fit ſoli Deo; aliud eſt in profeſſione & in votis Coadjutorum formatorum, quia in illis non ſoli Deo, ſed etiam homini fit promiſſio, uti patet ex verbis, quibus fiunt. 2. Prout ſunt formula quædam ex intentione Eccleſiæ, Societatis & ipſiuſmet voventis vim habens ſe tradendi in jus & corpus Societatis, & ſic admittuntur ab homine, Superior enim acceptat & vult eum Societati incorporare, licèt non omnino completè. Videri poteſt Leſſ. *in auct. v. Societas JESU caſ.* 3.

Q. 2. *Qui ſint effectus profeſſionis Religioſæ?* R. Effectus 5
profeſſionis in omni Ordine Religioſo, item votorum in Societate JESU poſt novitiatum emiſſorum ſunt ſeqq. uti ex Suar. Sanch. Laym. & aliis fusè deducit Caſtrop. *tr. 16. p. 2. p.* 8.

1. Quòd vi illius Religioſus tranſeat in dominium & pote- 6
ſtatem Religionis: Religio autem viciſſim obligetur eum alere & gubernare.

2. Remiſſio omnis pœnæ culpis debitæ, regulariter ex vi ip- 7
ſius profeſſionis vel votorum, tanquam condignæ ſatisfactionis: quamvis autem *Sanch.* neget idem fieri per renovationem profeſſionis vel votorum, tamen id affirmant *Sa*, *Laym. & Caſtrop.*

3. Commutatio omnium votorum antecedentium, quæ fit non tantùm accedente voluntate profitentis vel voventis, ſed etiam abſque hac, jure ipſo divino naturali, uti aliqui volunt, ſed, uti probabilius vult *Caſtrop.* jure tantùm Eccleſiaſtico. Quòd ſi profitens vel vovens huic commutationi contradicat, *Silv. Sanch. & Laym.* adhuc putant priora vota extingui, quia hæc commutatio eſt à jure, cui non obſtat voluntas hominis; alii probabilius dicunt tum non extingui; quia voluntas illa conſervat.

4. Sublatio irregularitatis ex defectu natalium. Statuerat 8
quidem Sixtus V. ut filius presbyteri eſſet inhabilis ad profitendum, ſed moderatione facta à Greg. XIV. intelligitur de eo tantùm, cujus pater ante vel poſt in eadem religione eſt

pro-

profeſſus: unde omnes naturales, ſpurii nati ex ſacrilegio, inceſtu, adulterio poſſunt fieri Religioſi, & abſque alia diſpenſatione ordinari, etiam in ſacris. Quòd ſi prius ordinati, fiant Religioſi, poterunt eoſdem Ordines exercere ſine diſpēſatione, poſſuntque promoveri ad doctoratum ac publicè docere, vide Leſſ. *in auct. v. Profeſſio Religioſa, caſ.* 13. Ejuſmodi tamen Religioſi manent inhabiles ad Prælaturas in- & extra Ordinem; itē ad dignitatem & officia intrà Ordinem habentia annexam juriſdictionem ordinariam, qualem habent Abbas, Generalis, Provincialis, Prior, Guardianus, Præpoſitus, Rector: vult etiam *Suar.* manere inhabiles ad quævis beneficia, ſed *Navar. Leſſ. Sanch.* dicunt id verum eſſe de beneficiis tantùm curatis: è contra *Caſtr.* dicit eſſe habiles etiam ad curata, quia putat excipi ſolas Prælaturas: non fiunt tamen apti ſuccedere in bonis paternis, nam profeſſio non reddit abſolutè legitimos, ſed tantùm ad effectus aliquos in Eccleſia. Putat autem Rodriq. etiam per novitiatum tolli irregularitatem ex defectu natalium, ſed contrarium eſt tenendum; ſic autem tollitur etiam per vota ſimplicia Societatis JESU; ut ſi quis ab hac dimittatur, non reincidat in irregularitatem, quod enim ſemel ſublatum eſt, non redit ſine nova cauſa, qualis hìc non ponitur, Sanch. Caſtrop. contra Dian. *p.* 4. *t.* 2. *R.* 66. Probabilius quoque eſt illegitimas Moniales excludi à Prælatura Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, quamvis multi apud Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 101. contrarium teneant. Vide Leur. *p.* 1. *q.* 263. & 264. ubi *q.* 271. & 285. explicat, quis cum Regularibus illegitimis diſpenſare poſſit ad Prælaturas: aut ut ſuccedere poſſint parentibus in beneficio vel Prælatura.

9 5. Habilitatio ad aliquos effectus temporales, uti ſi ob crimen fuiſſet inhabilis ad ferendum teſtimonium, habilitatur per Religioſum ſtatum.

10 6. Extinctio notæ ingratitudinis, ob quam priùs contractam à patre exhæredari potuiſſet vel privari legitima.

11 7. Irritatio Matrimonii ſubſequentis, & etiam antecedentis, ſi ſit tantùm ratum & non conſummatum.

Qui volet multa particularia de Religioſis, conſulat Suar. *de Relig. t.* 4. ubi *t.* 9. *lib.* 2. agit de Religione *S. Baſilii, S. Benedicti, Carthuſienſium, S. Hieronymi, Prædicatorum, Minorum, Auguſtinianorum, Carmelitarum.* De iiſdem, uti & de *Brigittanis* habet Loth. *t.* 7. *De Jeſuitis* Suar. *tr.* 10. Loth. *ſuprà. De Beguinis, Canoneſſis, Devoteſſis*, Loth. *t.* 8. Et de Canoneſſis aliqua dicemus *à nu.* 229. *De Monialibus* agit Loth. *t.* 23. De variis *Confraternitatibus* Loth. *tr.* 22. *De Exemptis & Juriſdictione Epiſcopi* circa exemptos, agunt Chock *de juriſd. Ordin.* Sanch. *in Conſ. l.* 6. *c.* 9. *d.* 1. *& ſeqq.* Lugo *in reſp. Mor. l.* 5. *d.* 20. 24. 25. Diana *p.* 8. *t.* 7. *R.* 5. *De privilegiis & juribus Monaſteriorum*, Engel *in ſpeciali tract.* poſt Jus Canonicum Salisburgi impreſſum anno 1688. Item Alviſet *de privileg. Ord. Regul.* Pelliz. Aſ. Tamb. *& alii paſſim.* Denique cujus authoritate erigi poſſint vel transferri Conventus aut Monaſteria, & ſub quibus conditionibus, videri poſſunt citati apud Leur. *p.* 1. *q.* 43.

DUBIUM II.

Quæ requirantur ad valorem Profeſſionis Religioſæ?

12 „ RESP. Ad valorem ejus, tres requiruntur conditiones:
„ I. Eſt qualitas, ſeu aptitudo voventis, ſcilicet, ut
„ juxta Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de Regular.* decimum ſextum ætatis
„ annum expleverit, annumque integrum cum Religioſo ha-
„ bitu ſteterit in probatione, nullumque habeat impedimen-
„ tum, quod per ſtatuta à Pontifice confirmata, in iſto Or-
„ dine ſubſtantiale eſſe cenſeatur. Azor. *t.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *qu.* 6. & 7.
„ Rodriq. *t.* 2. *c.* 6.
„ II. Conditio, conſenſus, & acceptatio expreſſa vel tacita
„ Prælati Ordinis: per hanc enim Religioni incorporari de-
„ bet. Idque ordinariè, non tantùm cum conſilio, ſed etiam
„ cum conſenſu Capituli, aut certè majoris aut principalioris
„ partis; ſecundùm cujuſcunque Ordinis ſtatuta. Nav. Leſſ.
„ *l.* 2. *c.* 41. *d.* 7.
„ III. Ut profeſſio ſponte facta ſit, non cogente gravi me-
„ tu, qualis eſſet incarceratio, alimentorum ſubtractio, eò
„ quod in profeſſionem conſentire noluerit; itemque metus
„ reverentialis, non quidem ſe ſolo, ſed accedente precum,
„ blanditiarum, & imperii, ſæpiùs repetita importunitate, aut
„ gravi offenſione aut diu continuata indignatione cōſangui-
„ neorum, adjunctis etiam minis de ſubſidiis negandis, ſi ex
„ Religione egrediatur: hæc enim, vel ſingula vel certè ſimul,
„ conſiderata conditione hominis rudis, timidi, &c. metum
„ juſtum incutere poſſunt, & profeſſionem irritare, ut docet
„ Laym. cùm aliis *l.* 4. *tr.* 5. *c. num.* 6. Leſſ. *d.* 7. *Unde reſolvuntur*
„ *ſequentes Caſus:*
„ I. Is, qui profeſſionem irritam edidit ex defectu alicujus
„ conditionis ex jam dictis, niſi eam poſtmodùm tacitè vel ex-
„ preſsè ratificaverit, egredi Religione, & uxorem ducere po-
„ teſt, licèt ob evitationem ſcandali, cauſam egreſſus dicere
debeat: & ſi ad forum externum cauſa deveniat, defectum „
profeſſionis probare; idque intrà quinquennium à die pro- „
feſſionis: poſt illud enim non auditur, juxta Trid. *cap.* 19. „
Seſſ. eadem, quia præſumitur eam intereà ratificaſſe. „
II. Quod ſi tamen ſciret, illam juris præſumptionem fal- „
ſam eſſe, eò quòd vel ignorans impedimentum, vel metu gra- „
vi, aliave juſta cauſa impeditus, reclamare intrà quinquen- „
nium non potuerit; vel impedimentum ſit eſſentiale ac per- „
petuum, aut ſaltem ultra quinquennium duret, eo elapſo „
poteſt reclamare, debetque audiri in judicio, ſaltem extra- „
ordinario, vel in integrum reſtitui, ut contra Bon. *t.* 1. *de clauſ.* „
q. 2. *p.* 10. *diffic.* 4. docet Nav. Sanc. *de Matr. l.* 7. *d.* 37. *n.* 22. Leſſ. „
d. 7. Az. *c.* 4. *q. ult.* Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 53. Barb. in Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 19. „
n. 8. ubi plures alios citat: & niſi aliud quid impediat, fugere „
poteſt, ut docet Laym. *num.* 7. Qui addit, quòd ſi fuga ſine „
gravi ſcandalo vel incommodo tentari non poſſet, monen- „
dum à Confeſſario, ut profeſſionem tacitè ratificet: quod „
fiet, ſi profeſſorum habitum proprium deferat, actuſque iis „
proprios exerceat, cum intentione, quòd profeſſus talis Or- „
dinis eſſe velit, *v. Auth. cit.* & Dian. *p.* 8. *t.* 7. *R.* 1. ubi ex Trid. „
c. 16. probat, Epiſcopum de nullitate profeſſionis, ſine inter- „
ventione Superioris Regularis ſententiam ferre non poſſe, „
& ſi faciat, fore nullam. „

ADDENDA.

QUæſt. 3. *An nunquam poſſit emitti profeſſio ante ætatem vel novitiatum prærequiſitum?* Reſp. 13

§. 1. Etiamſi tantùm ſex horæ deeſſent ætati, profeſſio eſt invalida, uti ex declaratione S. Congreg. docet cum aliis Diana *p.* 5. *t.* 5. *R.* 18. attendi enim debet ad momentum, hinc cum Mol. Sanch. Dian. Leſſ. Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 101. *n.* 22. dicendum eſt contra *Silv. Henriq. Rice.* ſi quis natus vel admiſſus 24. Februar. poſtea anno biſſextili compleat ætatem vel novitiatum, non poſſe profiteri niſi die 25. poſt tempus, quo natus vel veſtitus erat, quia hi duo dies cenſentur pro uno, uti habetur *l.* 3. §. 3. *ff. de minoribus, &c. Quæſivit, de verbor. ſignif.* & pluribus deducit Lugo *de juſt. d.* 22. *à nu.* 311. Ratio autem eſt, quia dies illa intercalaris adhuc addit partem temporis neceſſariam ad conſtituendos annos vel annum prærequiſitum, etiam more Eccleſiaſtico conſideratum. Attamen extrà annum biſsextilem putarem contra Lugonem *num.* 312. ſufficere dies 365. nec neceſsariò expectari debere alias ſex horas, quia abſque his eſt annus completus, non quidem Mathematicè, attamen Eccleſiaſticè, refertque Pelliz. *tr.* 2. *c.* 1. *n.* 36. cùm anno 1582. in correctione Gregoriana Kalendarii dubitatum eſſet, an pro eo anno complendo adjiciendi eſſet illi 10. dies, qui hactenus defuerant, negatum eſſe, eò quòd annus ſine eis eſſet civiliter & politicè completus.

§. 2. Quamvis profeſſurus in Societate JESU debeat com- 14
pleviſſe annum 33. ſi tamen, ſive per fraudem ſive per errorem, aliquis maturiùs profiteatur, profeſſio eſt valida, & profeſso competunt à die profeſſionis omnia, quæ aliis, quia nec eſt impedimentum eſſentiale, nec Societas illi defectui addidit aliquid irritans, Lugo *in reſp. mor. t.* 4. *d.* 21.

§. 3. Si quis in Societate JESU emittat profeſſionem ante 15
diem à Generali deſignatum, profeſſio videtur invalida, quia Generalis non videtur voluiſſe acceptare, niſi deſignato tempore: cenſetur tamen ex voluntate illius fieri valida adveniente die deſignato, ſi permaneat voluntas illius, qui profeſsus eſt, Lugo *dub.* 13.

§. 4. Ex privilegio S. Pii V. apud Barb. *n.* 33. potuerunt No- 16
vitiæ Ordinis S. Dominici intrà Novitiatum ex judicio Medici morituræ emittere profeſſionem ante expletum novitiatum; quod revocatum eſſe per Greg. XIII. docent *Sa, Crux, Vechis*, ſed adhuc perdurare dicunt *Henriq. Rodriq. Lez, Diana, Miranda, Sanch. Beja & alii.*

§. 5. Pœnitentes ac Conventitiæ, de quibus loquitur Trid. 17
ſeſſ. 25. *c.* 18. *de Regul.* poſsunt facere profeſſionem ante expletum novitiatum, uti declaravit S. Congreg. apud Barb. *num.* 34. quia Trid. præſervat earum Conſtitutiones, habuerunt autem id privilegium, ut eo ipſo, quòd ingrederentur Monaſterium, poſsent admitti ad profeſſionem.

Q. 4. *Quid circa interruptionem novitiatus ſit notandum?* 18
Reſp. ſeqq.

§. 1. Si Cajus dimiſſione obtenta dimiſerit etiam habitum & animum manendi in Religione, ſed nocte illa adhuc dormiens in Monaſterio, pœnitentia ductus iterum admitti petat & obtineat, ac reſumat altero die manè habitum, Leſs. *in auct. v. Profeſſ. Relig. caſ.* 3. putat probabile eſse, quòd novitiatus non debeat cenſeri interruptus, quia hoc tempus fuit parvum, & in hac materia videtur dari parvitas, uti plures tenent apud Dian. *p.* 5. *tr.* 5. *R.* 19. ſed probabilius eſt cum Navar. Suar. *de Relig. t.* 3. *lib.* 7. *c.* 1. *num.* 32. Sanch. *in Dec. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 20. & 32. Caſtrop. *t.* 16. *d.* 1. *p.* 12. *ſ.* 2. *nu.* 2. Lugo *in reſp. mor. l.* 4. *d.* 2. *num.* 1. Leſs. *caſ.* 8. *num.* 22. eſse interruptum, ideoque non poſ-

ſe validè profiteri, niſi iterum inchoet & compleat annum novitiatus; quod putant valere, etiamſi per unicam horam facta eſſet interruptio, quia requiritur continuitas temporis annui, uti latè probant Suar.*nu.*2. Sanch.*n.*30. Lugo *l.*3.*d.*2.*n.*3. Leſſ.*de juſt.l.*2.*c.*41.*n.*59. refertque pro hac ſententia plurimos Barb.*de poteſt. Epiſc.alleg.*101.*nu.*23. quia nempè ſic optimè exploratur diſciplina, & auſteritas Ordinis, deinde debet etiam tuliſſe habitum per annum continuum, uti ex Trid. colligunt Azor. Rodriq. Sanch. aliique cum Barb.*num.*29. deeſt autem continuitas, nam iſto intermedio tempore non poterat cenſeri novitius illius Ordinis. *Nec obſtat*, quòd interruptio fuerit brevis, *nam* adhuc defuit continuitas, quæ erat de eſſentia, uti rectè Suar. *n.*6. Sanch.*nu.*32. Caſtrop.*n*4. debetque etiam hoc tempus tum abſolvi de momento ad momentum, inquit Dian.*p.*3.*t.*2 *R.*57. *& p.*9.*t.*9.*R.*67. & quamvis Leſſ. *in auct.ſuprà caſ.*3. innuat probabile eſſe, *& de juſtit.ſuprà* abſolutè dicat credere ſe, quòd non impediat paucorum dierum interpolatio, ſed ſuppleri poſſit, poſteà addendo tempus factæ interruptionis, tamen oppoſitum videtur tenendum, quia per hoc non redit continuitas; unde additio talis temporis tum tantùm poſſet juvare ſi *v.* gr. poſt inceptum novitiatum priùs compleviſſet ætatem requiſitam, uti multis relatis docet Sanch.*de Matr.l.*7.*d.*37.*n.*50.

19 §.2. Ut Cajus ita dimiſſus poſſit iterum incipere novitiatum, debent illi, ad quos ſpectat, iterum admiſiſſe ipſum, quia ſic dimiſſus habuit ſe, ac ſi nunquam fuiſſet admiſſus, Suar. & alii cum Lugo *num.*9.

20 §.3. Si Cajus non fuerit dimiſſus, quamvis dimiſſo habitu & animo manendi latuerit in Monaſterio, expectans occaſionem egrediendi, Suar. & Caſtrop.*num.*7. rectè dicunt contra Dian. *ſuprà*, non eſſe factam interruptionem; uti nec tum, ſi Superior indutum veſte ſæculari voluiſſet priùs dimittere, in his enim caſibus cenſetur adhuc manſiſſe in Ordine, cùm non fuerit voluntate Superiorum dimiſſus, & ſaltem per hoc non cenſetur eſſe plena interruptio, niſi fuerit completa ſimul per actualem egreſſum.

21 §.4. Si novitia apud Moniales etiam ad clauſuram obligatas ob infirmitatem vel aliam cauſam neceſſariam debeat ad tempus remitti ad paternas ædes, poteſt hic cum facultate Prælati continuare ſuum novitiatum, Suar.*t.*3.*l.*5.*c.*14.*n.*13. dicens eſſe deciſum à S. Congreg. Sanch.*in Dec.l.*5.*c.*4.*num.*28. Pelliz.*tr.*10. *cap.*2.*num.*48.

22 *Q.*5. *Si quis abſoluto novitiatu dimittatur, & poſtmodùm iterum admittatur, an repetere debeat novitiatum?* Reſp. Negant Sanch.*in Dec.l.*5.*c.*4.*nu.*34. aliique cum Lez. *t.*4.*v.profeſſio num.*10. quia à Tridentino plus non requiritur, quàm ut præceſſerit novitiatus, in quo probarit Ordinem & ab Ordine ſit probatus, quod hìc factum eſt: è contra debere repetere putant Suar. & Caſtrop.*t.*16.*d.*1.*p.*12.§.2.*n.*10. tum quia prior probatio videtur eſſe extincta per egreſſum, tum etiam quia multi cenſent annum probationis debere ſic eſſe continuum, ut duret uſque ad profeſſionem, quamvis contradicant Angel. Silv. Rodriq. & alii apud Barb.*de poteſt. Epiſc.alleg.*201.*n.*23. *&* 28. ſed ſaltem vera eſt ſecunda ſententia, inquit Lug.*in reſp.mor.l.*4.*d.* 1. ſi quis in Societate JESU poſt novitiatum & vota ſimplicia dimiſſus fuerit, iterumque admittatur, quia tunc primus novitiatus habuit ſuum effectum, nempe admiſſionem ad vota, ergo pro nova admiſſione ad nova vota prærequiritur nova probatio, quod pluribus confirmat *Lugo* ibidem, quamvis cum tali ſæpè congruum ſit diſpenſari poſt primum annum repetiti novitiatus.

23 *Q.*6. *Quid ſit præterea notandum circa valorem vel invaliditatem, & revalidationem profeſſionis?* Reſp. ſeqq.

§.1. Si hermophroditus, in quo uterque ſexus erat æqualis, fecerit profeſſionem, Sanch.*de Matr.l.*7.*d.*106. docet hanc eſſe nullam, cùm enim ſit gravis indecentia & periculum gravium abuſuum, credendum eſt Eccleſiam non admittere talem profeſſionem, aut antecedenter velle talem hominem eſſe incapacem.

24 §.2. Si Titio poſt profeſſionem certò innoteſcat, quòd non fuerit rectè baptizatus, poteſt egredi, quia nulla Religio intendit recipere quenquam niſi Chriſtianum & Eccleſiæ ſubjectũ: ſi autem eſſet tantùm dubium de valore Baptiſmi, & ideò ſub conditione rebaptizaretur, deberet in Religione permanere, tum quia Religio eſt in poſſeſſione illius, à qua dejici non debet per ſolum dubium ſuperveniens, tum etiam, quia in dubio ſtandum eſt pro valore actus, donec conſtet oppoſitum, uti habent Menoch.*lib.*6.*præſumpt.*4. Tuſc.*v.præſumptio, concl.*620. Hinc videtur dicendum, quòd teneatur votis Religionis, aut ſaltem teneatur nunc ratificare profeſſionem, quia Religio, in qua alitur, jure id poſtulat ab eo. Quintanav. Gob.*in Exp.t.*2.*n.* 461. qui addit ex Gallem. ad Trid.*ſeſſ.*25.*c.*16. *de Regul.* quòd S. Congreg. 10. Decemb. 1588. reſolverit profeſſionem ad majorem cautelam debere iterum emitti expectato alio anno novitiatus, è contra Sylv.*v. Baptiſmus caſ.*3. dicit reſolutum eſſe, ut iterum emittat profeſſionem non expectato alio anno novitiatus, quod etiam videtur veriſimilius, docetque Suar.*de Relig.t.*3.*l.*7.*cap.*1. *num.*8. allegans etiam hanc declarationem; hinc infert Sylv. etiam debere cenſeri profeſſum à tempore profeſſionis primò emiſſæ, quia ipſi favet poſſeſſio, videri poteſt Suar. *toto cap.*1. *&* 2.

§.3. Statuerat *Sixtus V.* ut invalida eſſet profeſſio quorundam criminoſorum; item illius, de cujus vita, moribus, ætate non eſſet capta informatio, ſed *Clemens VIII.* reſtituit ejuſmodi profeſſioni valorem, relictis tantùm pœnis aliis contra Superiores, qui criminoſos aut non præmiſſis informationibus aliquos admiſiſſent ad profeſſionem, uti refert Lugo *in reſponſ. Mor.l.*4.*dub.*1. 25

§.4. Si quis profeſſurus & interrogatus tacuerit crimen, 26
quo manifeſtato fuiſſet rejectus, peccavit graviter, ſi inde poſſit redundare grave incommodum in Religionem, quia videtur eſſe contractus mutuus, in quo ſaltem quoad accidentia committitur gravis fraus: imò ſi Superiores fuerint animo ita comparati, ut nollent admittere ad profeſſionem, ſi tali crimine notatus eſſet, profeſſio foret invalida: è contra ſi ſimpliciter conſenſerunt, & reticentia illa parum aut nihil nocere poſſit Religioni, *Lugo* ſuprà putat adhuc non omnino excuſandum eſſe talem dolum, & communiter ſaltem aderit mendacium.

§.5. Quamvis in ſtatutis alicujus Ordinis dicatur, Ordinem 27
non obligari retinere aliquem, qui in examine reticuerit certum aliquem defectum, id tamen videtur intelligendum tantùm pro tempore novitiatus vel ante profeſſionem: hinc ſi profiteatur etiammala fide, non ideo profeſſio eſt invalida, Leſſ. *in auct. v. Profeſſio Religioſa caſ.*9. Si autem quis profiteatur cum defectu alicujus ordinariè prærequiſiti, v.g. ſi examinatores Titium Societatis Jeſu Scholaſticum excluſerant à profeſſione ob defectum ſcientiæ, & Generalis nec excluſerit, nec poſitivè admiſerit, attamen per errorem Secretarii relatus ſit inter profeſſuros, ſicque profiteatur, putat Lugo *l.*4.*d.*43. profeſſionem eſſe validam, quia videtur eſſe error tantùm in qualitate, cùm certum ſit Generalem poſſe etiam indoctum admittere ad profeſſionem; ſed oppoſitum videtur probabilius: nam mens Generalis præſumitur ſemper eſſe, quòd admittat ſuppoſitis ſupponendis, quæ hic non ſunt: rectè tamen addit *Lugo* eſſe cauſam, cur Generalis cum Titio diſpenſet & ſuppleat, dummodò Titius remaneat in voluntate profitendi.

§.6. Si Titio facta ſit ſpes officii, & ideo in certo Monaſterio 28
profiteatur, poſteà autem officium illud non obtineat, quamvis intenderit officium tanquam finem principalem, profeſſio eſt valida, nec poteſt egredi, quia abſolutè profeſſus eſt, licèt per accidens finem indifferentem adjunxerit: imò non obſtaret, licèt ex fine malo eſſet profeſſus, ſic enim ſi quis motus vana gloria voveat dare eleemoſynam, tenetur dare, non quidem ex vana gloria, ſed ex alio fine ſaltem indifferente: imò quamvis ſit profeſſus ita intendendo illud officium, ut ſi ſciviſſet ſe non obtenturum non fuiſſet profeſſus, adhuc valet profeſſio, quia officium erat tantùm conditio, ſine qua non fuiſſet facta profeſſio, jam autem facta eſt abſolutè: ſi tamen non intendiſſet ſe obligare, niſi obtineret illud officium, peccaſſet mortaliter decipiendo Religionem, & agendo contra morem debitum, eſſetque profeſſio conditionata, ideoque non impleta conditione non obligaret, ſed poſſet egredi, Leſſ. *v. Religioſus caſ.*7.

§.7. Si quis invalidè profeſſus non reclamarit intrà quin- 29
quennium, produxeritque cauſas coram Superiore ſuo, & Ordinario, uti habet Trid.*ſeſſ.*25.*c.*19.*de Regul.* attamen etiam non ratificavit profeſſionem; quamdiù non poteſt ſe expedire ab Ordine, gaudet privilegiis & poteſt abſolvi, uti alii Religioſi, quia præſumitur eſſe talis, donec contrarium per ſententiam declaretur, quæ præſumptio ſufficit ad juriſdictionem; poſſetque ad Ordines & Superioratum promoveri, niſi expreſsè reclamaret & diceret ſe ratificare non velle, tum enim tantùm poſſet permitti in uſu Ordinis recepti, non autem promoveri ad alium; Sanch.*de Matrim.lib.*7.*d.*37.*qu.*5. eſt enim ſæcularis, & eget dimiſſorialibus, item titulo patrimonii vel beneficii; nec poſſet ferre ſuffragium in Capitulo, nec acceptare munus Superioris, quantùm declinari poſſet ſine ſcandalo & infamia; ſimiliter non poſſet abſolvi à reſervatis per Confeſſarium Ordinis, niſi eo modo, quo alius ſæcularis, quia deſiiſſet præſumptio, ac conſequenter juriſdictio, Leſſ. *v. Prof. Relig.caſ.*18.

§.8. Quamvis Titius putans ſe validè eſſe profeſſum poſteà 30
ſæpius renovaverit priora vota, non ideo cenſetur illa ratificaſſe, quia non voluit plus circa illa facere, quàm initio fecerat, Leſſ.*caſ.*10. Lugo *dub.*2.*n.*4. Caſtrop.*t.*16.*d.*2.*p.*5.*n.*3. Si tamen ſciverit vel dubitarit, an prior actus non fuiſſet invalidus, aut expreſsè intenderit actum validum ponere, ſi fortè anteà non poſuiſſet, tum ratificaſſet, Leſſ.*caſ.*18. aliique cum Caſtrop.*ſup.*

§.9. Si Titius reſciens ſe invalidè profeſſum velit in Religio- 31
ne manere, Caſtrop.*ſuprà* docet requiri, ut Superiores de novo conſentiant, ideoque ut manifeſtet priorem nullitatem, ſed Suar.*t.*3.*l.*7.*c.*1.*n.*35. Leſſ.*caſ.*5.*&* 6. item *caſ.*15.*num.*42. Sanch.

in Decal.

*in Decal.lib.7.c.5.n.*81. Lugo *d.2.n.5.& 6.item d.16.n.*8. probabiliùs dicunt non teneri manifeſtare nullitatem ſuæ profeſſionis vel petere novum Superioris aut conventus conſenſum, quamdiù prior non eſt revocatus, adeoque ſatis eſſe, ſi profeſſionem ratificet omninò ſecretè, quod colligitur ex Trid. *ſeſſ.25.c.19.de Regul.* ubi non vult audiri eum, qui intrà quinquennium non reclamavit, quia nempe præſumitur tacita ratificatio, ergo hæc eſt ſufficiens ad revalidationem profeſſionis, & Papa ſupplet renovationem conſenſus Religionis, ſi expreſsè non contradixerit, uti tenent Leſſ. *de Juſt.l.2.c.*41.*nu.*66. & Sanch. *de Matr. l.7.d.*37.*n.*64. Putant autem aliqui cum Caſtrop.*num.*5. ad hoc prærequiri etiam delationem habitus ſaltem per quinquennium, ſed probabiliùs tenet oppoſitum *Leſſ.* cum aliis, quia geſtatio habitus per annum poſt novitiatum facit præſumi profeſſum.

32 §.10. Quamvis ſecundùm jam dicta ad revalidationem profeſſionis aliquando ſufficiat conſenſus à ſolo profitente renovatus, tamen ſi etiam ex parte Religionis poſitus ſit conſenſus etiam aliunde invalidus, etiam ex hac parte requiretur revalidatio conſenſus: cùm enim prior conſenſus fuerit nullus, quamvis virtualiter permaneret, adhuc eſſet nullus, quia quod ab initio eſt invalidum, tractu temporis non convaleſcit, niſi ſuperveniat aliquid faciens illud convaleſcere, quod hìc non eſſet, uti ſuppono, Suar.*n.*20. Sanch. *n.63.* Lugo *d.21.n.6.*

33 §.11. Si profeſſio fuit invalida, quia novitiatum non compleverat, vel quia illum interruperat, certum eſſe putant Caſtr. *n.6.*& alii apud Lugo *d.2.nu.*8.*&* 9. quòd reiterari debeat novitiatus, adeoque nullitas ſit manifeſtanda Superioribus, quia ſecundum dicta *nu.*13. jura invalidant profeſſionem ſine prævio novitiatu factam, in hoc autem caſu non præceſſit novitiatus. Si autem novitiatu integrè abſoluto profeſſio aliunde ſit invalida, Nav. Suar.*n.*34.*aliique n.*22. relati dicunt eſſe probabilius, quòd requiratur novus novitiatus; alii cum Caſtr.*n.*7. negant, cùm reipſa ſit probatus, & ipſe etiam probarit ſtatum: imò Leſſ. *ſup.*& Sanch.*n.*64. dicunt etiam id probabiliter verum eſſe, licèt fuerit defectus completi novitiatus, quia cenſetur poſteà ſupplere vivendo in Religione, ſed contradicit Suar.*n.*30. eò quòd, ſi putetur eſſe profeſſus, non cenſeatur ampliùs probari, ideoq; dici non poſſit ſuppleri tempus deficiens, vide dicta *n.*22.

34 §.12. Si Titius ſit invalidè profeſſus, quia neſcivit requiri talem ætatem, vel putavit ſe eam habere, non poteſt ideo ejici; & videtur eſſe contra juſtitiam, ſi ideo ejiciatur, quia redditur infamis abſque ſua culpa, Leſſ. *in auct. v. Prof. Relig. caſ.6. nu.* 14. Si tamen tunc tale quid in eo advertatur, ob quod ex novitiatu dimitti poſſet, poterit etiam nunc dimitti. *Nec juvat*, ſi vellet ratificare profeſſionem, *quia* ubi voluntas Superioris eſt contraria, profeſſio eſt invalida nec Eccleſia ſupplet conſenſum: quòd ſi tamen quinquennium effluxiſſet, dimitti non poſſet, quia præſumeretur ratificaſſe ante contradictionem Superiorum, & Eccleſia tunc ſupplet.

35 §.13. Si invalidè profeſſus ita tacitè ratificet profeſſionem, poteſt gaudere privilegiis omnibus, quæ habent antiqui præ junioribus, quia in foro externo cenſeri debet profeſſus ab eo tempore, quo profeſſionem primam fecerat, quamvis invalidam, Caſtrop.*num.*10. Et quòd poſſit eligi in Prælatum, dicit probabile eſſe Suar.*num.*37. ſi defectus profeſſionis manſerit ac ſit ita occultus, ut de illo non poſſit conſtare in foro Eccleſiæ, eſt enim reipſa profeſſus, & talis in foro externo habetur à tempore, quo primò emiſit.

36 §.14. Qui ignorans eſt invalidè profeſſus, acquirit ſibi & non Monaſterio, quod interèà acquirit, quia manſit capax dominii acquirendi, nec fuit Monaſterio ſubditus. *Neque refert*, quòd putarit ſe acquirere Monaſterio, *nam* erat error in ſubſtantia, qui impediebat valorem conſenſus, Leſſ. *caſ.6.& 7.* & etiam diximus *l.3.p.2.n.*612. eſtque ſimile, ſi quis ſolvat indebitum, aut donet Titio extraneo, quem putabat eſſe Cajum cognatum. Similiter talis invalidè profeſſus poteſt ſecum auferre omnia ſibi donata ab amicis aut cum venia Superiorum empta ex datis ſibi eleemoſynis, etiam data ab aliis Confratribus, ſi illi habebant facultatem alienandi in extraneos; niſi fortè omnia iſta cenſeretur abſolutè voluiſſe comparare Monaſterio in dominium, ſibi autem in merum uſum: non poſſet tamen ſecum auferre ea, quæ accepit in communi diviſione, v. gr. aliquo Fratre mortuo, quia per errorem venit in talem partitionem, eò quòd putaretur Frater Ordinis, cùm tamen non eſſet: quòd ſi ipſe etiam donaſſet aliqua Monaſterio, eò quòd putaſſet ſe eſſe profeſsum, Monaſterium teneretur ei reſtituere, quia omnis donatio & ceſſio juris, cujus principalis cauſa eſt in errore fundata, eſt involuntaria & irrita: poterit tamen Monaſterium repetere compenſationem alimentorum, uti habet Leſs. *caſ.6.n.*15. ſed hoc videtur intelligendum de alimentis poſt novitiatum, uti dicetur *n.*54.

An ſimplex Religioſus poſſit de licentia Superioris recipere alterius profeſſionem, diſcutit Dian.*p.3.t.2.R.*70. affirmans cum aliis contra *Valerum*. Poſſe autem Generalem Ordinis, etiam Societatis JESU, id committere etiam externo, v.g. Epiſcopo, docet Lug.*l.4.d.*14.*ubi n.*9. addit cum *Suar.* & aliis profeſſionem validè emitti per procuratorem. Denique an invalidè profeſsus teneatur ad caſtitatem vi voti ſimplicis incluſi in ſolemni, dicetur *n.*158.

*Q.*7. *An Berta poſſit Religionem petere & profiteri inter virgines, ſi virgo non ſit?* Reſp. Quandonam amittatur virginitas, dictum eſt *l.3.p.1.n.*917. quo ſuppoſito. 37

§.1. Certum videtur, ſi virginitas ſit amiſsa tantùm per voluntariam pollutionem, Bertam poſſe inter virgines conſecrari & velari; ita cum communi tenent Caj. Armil. Laym. Sporer *in Dec.t.5.in append.poſt c.3.n.*5. quia licèt coram Deo non ſit virgo, nec in cœlo ſit habitura corollam virginitatis, retinet tamen tamdiù ſtatum virginitatis coram Eccleſia, quamdiù clauſtrum non violatur ab extrinſeco, hinc qui talem vi violaret, cenſeretur eſſe ſtuprator.

§.2. Si amiſerit virginitatem per copulam, docet Suar.*t.4.tr.* 38 *9.l.1.c.*11.*n.*2.8. *& ſeqq.* non peccare petendo admiſſionem inter virgines, niſi fortè eſsent ſpeciales Conſtitutiones alicujus Ordinis, per quas excluderetur non virgo etiam occulta. Ratio eſt, quia viduæ vel non virgines nullo jure prohibentur admitti, poteſtque talis occultè corrupta ſe gerere pro tali, qualis in æſtimatione communi habetur: ſi tamen eſset publicè infamis, pro illa eſsent alia Monaſteria.

§.3. Si Caja ſciant hunc occultum defectum Bertæ, non tene- 39 tur huic negare ſuum ſuffragium pro admiſſione, quia non ideo notabile damnum orietur Monaſterio, & prævaleat tum utilitas tum fama Bertæ: ſi tamen Cajæ occurrerent graves rationes in contrarium, deberet petere loqui Bertæ privatim eique diſsuadere, Leſs. *in auct.v.Moniales, caſ.*3.

§.4. Si res maneat occulta, Berta poteſt acceptare velum 40 profeſſionis, & conſecrationis, ut virgines ſolent, Leſs. *v. Conſecratio, caſ.*3. Putant quidem *S.Th.Cajet.Palud.Nav.Silv. Sa*, & alii fore mendacium, ſi in conſecrationis formula dicatur virgo: addit Spor.*nu.6.* eſse gravem indecentiam, ſi Sacramentalibus, quale quid cenſetur conſecratio virginis, uti & benedictio ſalis vel aquæ, ſupponatur aliquid falſum, ſicuti hìc videtur fieri, ſed Suar.*num.*9. probabiliter dicit hìc nihil fore mendacii vel falſi, quod etiam probabile eſse fatetur Sporer, quia unuſquiſque cenſetur loqui in eo foro, in quo operatur, ergo cùm ſit virgo in foro externo, poterit publicè & in actu fori externi nominari talis; neque jura imponunt hanc pœnam privationis veli velut impedimentum, ſed tantùm præcipiunt Prælatis, ne conſecrent fœminam corruptam, ergo quando res eſt occulta, poteſt exteriùs ſe gerere talem, qualis in communi opinione habetur: & ex eodem fundamento docet cum aliis Diana *in comp.v.Legatum nu.*21. ſi quid legatum ſit virginibus, poſse tuta conſcientia acceptari & retineri ab ea, quæ habetur virgo, licèt ſit corrupta, quamvis Beja *p.1.caſ.*41. doceat, ſi legatum ſit ſub conditione, ſi caſtè vixerit, non poſse retinere, quamvis ſecretò tantùm eſset luxurioſa, ſed videri poſsunt dicta *l.3.p.2.n.*604.

§.5. Quamvis Superior & Conventus admittendo Bertam 41 ad profeſſionem fuerint ita conſtituti, ut ſi ſciviſſent non eſſe virginem, non admiſiſſent, ſi tamen ea conditio non ſit addita, uti addi non ſolet, nec debet, profeſſio eſt valida, quia iſta comparatio animi habet ſe per accidens, nec impedit admiſſionem abſolutam, Leſſ. *ſupra*.

§.6. Quamvis aliqui putent ejuſmodi corruptam eſſe inha- 42 bilem ad officia, v.g. Abbatiſſæ vel Prioriſſæ, probabilius tamen eſt contrarium cum Suar.*t.4.tr.*8.*l.2.c.6.n.*16. Sanch. *in Dec.l.5.c.* 5.*n.*22. Caſtrop.*t.16.d.2.p.*8.*n.*13.& idem de viduis docent multi Dian.*p.3.t.2.R.*99. quia jura, quæ videntur contraria, tantùm loquuntur de illis Abbatiſſis, quæ conſecrari debent formula ſolis virginibus propria, quamvis & de occultè corruptis poſſint intelligi ea, quæ dicta ſunt *num.*40.

*Q.*8. *Quid dicendum ſit de illo, qui cogit aliquem ad* 43 *Religionem, vel ab ea impedit; item qui cogit ad renunciandum bonis ſuis priuſquam ingrediatur, vel exhæredat, quia ingreſſus eſt?* Reſp. ſeqq.

§.1. Cogens aliquem ad Religionem peccat mortaliter, quia quivis habet jus liberè ſibi eligendi ſtatum vitæ, ergo qui agit contra hoc jus, eſt injurius, & quidem in re gravi, ergo peccat mortaliter. Et Trid. quidem *ſeſſ.25.c.17.de Regul.* ut coactionem impediret ac magis conſuleret libertati virginum Deo dicandarum, decernit, ut nulla puella profeſſionem emittat, priuſquam Epiſcopus vel ejus Vicarius à Præfecta Monaſterii monitus exploret ejus voluntatem, intentionem, & aptitudinem.

§.2. Qui aliquam cogit ad Monaſterium, incurrit excom- 44 municationem, uti habet Trid. *cap.*18. *Anathemati ſancta Synodus ſubjicit omnes & ſingulas perſonas cujuſcunque qualitatis vel conditionis fuerint, ſi quomodocunque coegerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in caſibus in jure expreſſis, ad ingrediendum Monaſterium, quique conſilium, auxilium vel favorem dederint, quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, quoquo modo*

eidem actui vel præsentiam vel consensum vel authoritatem inter posuerint. Quod Nav. Led. Zerol. Barb. Fill. & alii cum Delb. *de Imm. Eccl. c. 8. d. 19. ſ. 10.* extendunt etiam ad parentes, qui filiam puberem cogunt ad ſolam habitationem in Monaſterio, non autem ſi impuberem, quia illi, quibus incumbit educatio, poſſunt committere Religioſis uſque ad annos pubertatis, uti tenent cum communi Suar. Sanch. Portel. Delb. *n. 2.*

45 §. 3. Qui cogit aliquem ad Monaſterium, quamvis mortaliter peccet, ſecundùm dicta *n. 43.* tamen non incurrit excommunicationem, quia *Trid.* loquitur tantùm de fœminis, nec debet lex odioſa extendi ad mares: & ratio congruentiæ eſſe poteſt, quia fœminæ ſunt animo imbecilliores, & arctiùs poſteà includuntur, ergo decuit magis provideri illis, ut omninò ſolutæ vi ac metu ex ſua libertate Religionem eligerent.

46 §. 4. Qui levi metu fœminam impuliſſet ad Monaſterium, non eſſet excommunicatus, quia non feciſſet veram coactionem, uti nec ille cenſetur facere, qui ad Monaſterium adigit eam, quæ priùs voviſſet vel juraſſet ingredi, tum enim juſtè attingetur ad explendam ſuam obligationem, *Suar. Sanch. Leand.* & alii. Addit Delb. *n. 6.* cum *Ricc. Portel. Villal.* etiam non excommunicari parentes, qui metu reverentiali aut precibus importunis filiam impellunt in Monaſterium, eò quòd non ſit propriè coactio: uti nec per hoc cogit, ſi filiam ſcribat hæredem, cum pacto ut ingrediatur, alioquin habeat ſolam legitimam; & ita declaraſſe S. Congregationem teſtatur Suar. *de Relig. t. 3. l. 5. c. 9.*

47 §. 5. Qui impedit aliquem vel aliquam ab ingreſſu Monaſterii, v. g. negando illi dotem, peccat mortaliter, uti habet communiſſima cum Sanch. *de Matr. l. 4. d. 26. n. 7.* & diximus *lib. 3. p. 2. n. 347.* quia proles habet jus ingrediendi Religionem, ergo etiam ad dotem ad hoc neceſſariam: Eſtque ſtatutum in Jure multis locis, teſte Leſſ. *in diſp. de ſtatu vitæ elig. qu. 1.* ut quivis adepta pubertate ſit ſui juris, & liber patria poteſtate quoad ingreſſum Religionis. An autem ille, qui impedit vel abducit aliquem à Monaſterio, peccet contra juſtitiam? diximus *lib. 3. p. 2. à n. 347.*

48 §. 6. Qui à Religione impedit aliquem, non excommunicatur, ſed ſolùm ille, qui impedit aliquam, nam Trid. ſubdit, *Simili quoque anathemati ſubjicit eos, qui ſanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo ſine juſta cauſa impedierint*: putatque Leſſ. *qu. 8.* hoc tenere etiam de illo, qui impedit ſolo metu reverentiali; notat tamen Suar. *poſt num. 9.* non fore excommunicatum, ſi tantùm per preces vel promiſſiones abducat, quia hoc non eſt propriè impedire ſed tantùm perſuadere, ut voluntas mutetur vel non habeatur; an autem ſic adhuc peccetur mortaliter, diximus *l. 3. p. 2. n. 345.*

49 §. 7. Extrahens puellam, etiam invitam, è Monaſterio, in quo non intendebat profiteri, ſed ad ſolam educationem habitare, non incurrit excommunicationem, Lugo *in Reſp. Mor. l. 3. dub. 7.* an autem peccet, pendet ab intentione, & damnis, quæ fortè cauſat puellæ.

50 §. 8. Cogens volentem ingredi Monaſterium, ut renunciet bonis ſuis, peccat mortaliter, quia vult invito eripere jus notabile: eſt autem talis renunciatio invalida, utpotè involuntaria aut ſaltem à jure reprobata, uti oſtendit Sanch. *in conſ. lib. 4. cap. 1. dub. 34. num. 5.* Si tamen ingreſſurus Monaſterium jurarit ſe non revocaturum nec uſurum beneficio reſcindendi, tenebitur ſtare renunciatione, uti rectè Sanchez *num. 6.* & Lugo *de Juſtit. diſp. 22. num. 195.* poteſt tamen ei ſuccurri per diſpenſationem in juramento, tumque licitè repetet omnia ſua, Lugo *ſupra, & in Reſponſ. Moral. lib. 6. d. 24.* Sanch. *de Matrim. lib. 4. d. 9.* Tamb. *in Decal. lib. 5. cap. 4. ſ. 3.* & diximus *l. 3. p. 2. à n. 732.*

51 §. 9. Non poteſt filius aut filia ideo exhæredari aut privari legitima, quia ingreſſus eſt Religionem, uti Leſſ. *q. 11.* latè probat, 1. ex Jure Civili, *Novel. 123. cap. 37. 38. 41. Auth. ſi qua mulier, Cod. de SS. Eccleſ. Auth. Niſi rogati, Cod. ad S. C. Trebellianum*; idemque docent communiter DD. cum Felino *in Cap. In præſentia, n. 37. de probationibus*. 2. Ex Jure Canonico, *Cap. ſi qua mulier, & Cap. Non liceat, 19. q. 3.* 3. Ex S. Gregorio *l. 7. Epiſt. 7.* item diſſertiſſimè ex Salviano *l. 3. contra avaritiam*. 4. Rationibus manifeſtis in aperto jure fundatis. Atque ex his ſequitur aliquem, qui Religionem init, non ideo poſſe privari penſione annua ſibi aſſignata in bonis donantis, uti rectè idem Leſſ. *in auct. v. Religioſus caſ. 1.*

Quid dicendum ſit, ſi Bertæ promittantur 100. ſi nubat, ipſa autem fiat Religioſa? reſolvimus *lib. 3. p. 2. num. 600.* Si autem promittantur ſub conditione, ſi non ineat Religionem, reſolvimus ibidem *n. 1140.* Denique ſi promittantur 200. ſi nubat, & 100. ſi fiat Religioſa, reſolvimus ibidem *num. 1141.* quæ videri poſſunt.

52 *Q. 9. Quid notandum ſit circa illum, qui dicit ſe ex metu reverentiali feciſſe profeſſionem?* Quamvis metus reverentialis cum importunis precibus conjunctus pro foro conſcientiæ cenſeatur ſufficiens ad reſcindendos contractus, uti colligitur ex dictis *l. 3. p. 2. num. 632.* & docet Leſſ. *de ſtatu vitæ elig. q. 8.* tamen in foro externo meritò cenſetur inſufficiens ad irritandam profeſſionem, niſi acceſſerint minæ, quas minans ſolitus ſit exequi, & tum ex vi talis metus ſequatur profeſſio, Sanch. *de Matr. l. 4. d. 6.* Leſs. *in auct. v. Profeſſio. Relig. caſ. 12. ubi caſ. 13.* notat, ut talis profeſſio in foro externo declaretur irrita, debere metum illum legitimè probari per teſtes etiam juratos, uti fit in aliis cauſis gravibus. Addit quoque rectè Caſtrop. *t. 16. d. 1. p. 9. n. 1.* quamvis coactio profeſſionem annullet, relinquit tamen valorem novitiatus, quia jura tantùm loquuntur de profeſſione, unde ſi quis coactus iniverit novitiatum, ſi tamen eo expleto liberè fecerit profeſſionem, eſt valida. Notat enim Suar. *t. 3. l. 6. c. 4.* referens plures contra Leſs. *de juſt. l. 2. c. 41. d. 7.* profeſſionem non invalidari per metum acceptantis profeſſionem, ſed tantùm profitentis.

Q. 10. An Monaſterium poſſit novitium expleta probatione ſine cauſa, non admittere ad profeſſionem? Reſp. Per hoc non peccari mortaliter docent aliqui, quia ſicuti novitius liber eſt ad profitendum vel ad abeundum etiam ſine cauſa, ita videtur Religio debere eſſe libera ad admittendum vel remittendù, aliàs non eſt utrimque par conditio: ſed oppoſitum tenendum eſt cum Lugo *de Juſt. d. 9. n. 54.* aliiſque communiter, eſt enim hoc grave, in primis contra charitatem, quia ſine juſta cauſa infertur novitio grave damnum, eique inuritur gravis nota, ſi dimittatur: deinde tales Religioſi committunt gravem defectù in officio ſibi demandato, ſunt enim ab Eccleſia conſtituti Judices, ut pro merito vel demerito dicant novitium eſſe aptum vel ineptum Religioni, ergo cùm judicent aptum, & tamen rejiciendo, virtualiter dicant eſſe ineptum, ferunt ſententiam iniquam: denique etiam eſt grave contra juſtitiam, quia novitius per novitiatum benè expletum acquiſivit jus ad profeſſionem, illa enim conditione, & quaſi ſub hoc contractu ſubivit novitiatum, *Probate me, & poſtmodùm judicate pro merito, ut vel profitear vel abeam*, & ita cenſetur eum admiſiſſe Ordo, alioquin nemo vellet novitiatum ingredi, ergo cùm ex parte ſua impleverit contractum permiſeritque ſe probari, Ordo ex juſtitia tenetur reciprocè ad ſuam partem implendam. 53

Q. 11. Si novitius egrediatur vel Religioſus dimittatur, an debeat ipſe Ordini, aut Ordo ipſi aliquid refundere? Reſpond. 54

§. 1. Aliqui dicunt novitium teneri Monaſterio ſolvere mediam partem omnium expenſarum, quia probatio reſpicit bonum, tam novitii quàm Monaſterii, mutuò enim ſe probant, ergo æquum eſt, ut æqualiter ferant expenſas. Alii dicunt novitium teneri ſolvere omnes expenſas factas circa victum & veſtitum, quia Trid. *ſeſſ. 25. c. 16. de Regul.* dicit, quòd novitio reddenda ſint omnia, excepto victu & veſtitu, ergo Monaſterium videtur habere jus ad petendum pretium victus & veſtitus: Et quidem de veſtitu vix erit difficultas, quia prima veſtis in pleriſque Ordinibus ſolvitur ab ingrediente, debetque ei relinqui, cenſuit tamen S. Congregatio non ipſum veſtitum Religioſum eſſe exeunti reſtituendum, ſed pretium illius, uti refert Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg. 101. n. 39.* Quoad victum, videtur eſſe diſtinguendum, nam ſi de hoc non ſit antecedenter contractum nec novitius ſciverit de conſuetudine ſolvendi victum, dicendum eſt cum Suar. *t. 3. l. 5. c. 11. n. 5.* Sanch. *in Decal. lib. 6. c. 10. n. 4.* Lugo *de juſt. d. 9. à n. 61.* Caſtrop. *tr. 16. d. 1. p. 10. n. 2.* nihil teneri dare ratione victus, quia inter ingredientem & Monaſterium ſit ſaltem tacitè hic contractus, ut novitius alatur à Monaſterio, & è contra ſe probari permittat, illud autem, quod interim lucrabitur, cedat Monaſterio. Quòd ſi quis ingreſſus eſſet, non animo probandi, ſed cogitans redire ad ſæculum, ex juſtitia teneretur ſolvere victum & omnes expenſas ratione ſui factas, quia commiſiſſet dolum, nec Religio conſentit in ullas expenſas, niſi intuitu probationis ſincerè & ſeriò inſtituendæ.

§. 2. Si quis in novitiatu decedat, Barb. *n. 40.* refert deciſum eſſe, quòd dos, ſi jam Monaſterio ſit ſoluta, reſtitui debeat hæredibus cum omnibus fructibus. Vide dicenda *num. 99.* 55

§. 3. Si quis etiam ex juſta cauſa dimittatur à Societate JESU, non eſt obligatio ei reſtituendi illa, quæ Societati donavit, uti habet communis cum Suar. Sanch. *in Dec. l. 7. c. 1. à n. 34.* Lugo *in Reſp. Mor. l. 4. d. 45.* quia quamvis Trid. ſupra ſtatuat donationes omnes intuitu Religionis factas eſſe irritas non ſecuta profeſſione, tamen addit, decreto illo nihil immutari in Inſtituto Societatis, quod in *Exam. c. 4. §. 1.* dicit hanc renunciationem bonorum fieri debere, *à ſe omnem fiduciam ſubmovendo eadem ullo tempore recuperandi*, quod non fieret, ſi eſſet ſpes recuperandi poſt dimiſſionem: Si tamen dimiſſus, ſit egenus, nec aliunde habeat, tenetur Societas præſtare alimenta pro rata fructuum rei donatæ, alioquin poſſet revocare donationem ratione ingratitudinis, Sanch. *num. 39.* Sed oritur hic quæſtio, an ſi Societas tali dimiſſo reddere vellet bona immobilia aut mobilia pretioſa, opus eſſet facultate Sedis Apoſtolicæ vel Generalis? negarunt aliqui, & favet *Suar.* ſuprà, quia ordinationes dicunt reſtitui poſſe partem vel totum, pro arbitrio Superioris, ergo Societas non videtur ſtrictè acceptaſſe 56

eorum

eorum bonorum dominium; Idem videtur tenere Caſtr. *d.3.p.* 18.*n.*2. dicens illam redditionem non cenſeri alienationem bonorum Eccleſiaſticorum, eò quòd à principio ea conditione accepta fuerint, ut poſſet Societas, ſi expedire judicaverit, ea reddere: contradicit *Lugo* quia donans non videtur ſibi ullum jus retinuiſſe, & conſequenter Societas acquiſivit plenum dominium, quamvis etiam retinuerit poteſtatem reddendi, ſi vellet, hæc enim ſtat, imò eſt quædam pars perfecti dominii, ergo Societas non poteſt hoc plenum dominium dimittere ſine authoritate ſpeciali ſecundùm dicenda *à nu.*1363.

DUBIUM III.

Ad quid teneatur Religioſus vi ſuæ profeſſionis?

57 „ REſp. Religioſus vi ſuæ profeſſionis tenetur ad progre-
„ diendum aliquo modo in via perfectionis, qui ex vi
„ profeſſionis tenetur velle ſervare ſuum ſtatum, quia eſt per-
„ fectionis, ſive tendentium ad perfectionem, (licèt ſecundùm
„ ſe non ſit præcepti, ſed conſilii) hoc autem eſt intrinſecè vel-
„ le tendere ad perfectionem. S.Th.2.2.*qu.*186.*a.*1.*&* 2.*&qu.*
„ 184.*a.*5.Laym.*l.*4.*t.*5.*c.*1.*n.*1.Suar.*de Relig.t.*4.*l.*1.*c.*4.*n.*10.*&c.*
„ Bardi *de conſ.d.*7.*c.*6.*§.*5. *Unde reſolves:*
„ I. Religioſus non tenetur actu eſſe perfectus, ſed tantùm
„ ſtudere perfectioni: Bard. *&c. l.c.*
„ II. Tenetur tendere ad perfectionem, 1. Per media eſſen-
„ tialia, 2.Per vota, 3.Per auxilia ſecundaria, non contemnen-
„ do ea, Laym.*c.*9.*n.*13. 4.Tenetur aliquibus mediis uti, & ſi
„ omnia media abjiciat, non eſt in ſtatu ſalutis, Suar. Laym.*l.c.*
„ dicens, ſi nullum perfectionis ſtudium adhibeat, ſed omnia
„ monita & Regulas negligat, eò quòd ſub mortali non obli-
„ gent, peccare mortaliter. 5. Tenetur ad aliqua opera bona
„ ſupererogatoria, ſive ſpecialiter non præcepta, nec promiſſa;
„ quia aliàs moraliter loquendo, non poteſt habere debitam
„ intentionem ſalutis, Suar. *loc.cit.*
„ III. Tenetur tendere ad perfectionem per media ſuæ Re-
„ ligionis, (non per alia) hoc eſt ſervando ſuas Regulas, San-
„ ch.*l.*6.*c.*5.*n.*1.*&* 2. Hinc peccat, 1. Per contemptum Regulæ,
„ hoc eſt, ſi nolit ſubjici. *Ibid.nu.*6. 2. ſi tantùm velit ſervare,
„ quæ ſub mortali obligant, quia contemnit perfectionem.
„ *Ib.n.*7. 3. per actum directè contrarium, hoc eſt, nolendo
„ perfectionem, quod eſſe mortale docet Sanch. *Ibid.num.*10.
„ Pelliz. & Bard. *loc.cit.*
„ IV. Si quis non tantùm intendat non eſſe ſolicitus in ob-
„ ſervatione Regulæ; ſed etiam nunquam ſervare, etiam ſi fa-
„ cilè poſſit, eſt mortale, vel proxima diſpoſitio ad illud, vix-
„ que poteſt fieri ſine contemptu formali, Suar.*n.*23.
„ V. Si ex remiſſione animi, & ſine ullo juſto titulo, per
„ directam intentionem, velit aliquam Regulam non ſervare,
„ erit ſaltem levis contemptus, & peccatum veniale, Suar.*nu.*
„ 13. *in fine, & ſeq.*
„ VI. Frequenter, & ex conſuetudine violare Regulam, eſſe
„ mortale dicit Sanch, *c.*4.*n.*18.*&* 20. Tum quia perturbat Reli-
„ gioſam diſciplinam, tum quia ſecundùm quoſdam eſt con-
„ temptus interpretativus vel ſaltem probabiliſſimum ejus pe-
„ riculum: tenetur autem ſub mortali ita vivere, ut non ſit gra-
„ viter pernicioſus Religioni inducendo alios malo exẽplo ad
„ Regulæ laxitatem, Sanc.*n.*18. Laym.*c.*9.*n.*13. tum quia conſti-
„ tuit ſe in eo ſtatu, ut tanquam incorrigibilis ſit expellendus;
„ tenetur autem quiſque ratione votorum, quibus ſe Religioni
„ addixit, ita ſe gerere, ut ſit tolerabilis, & non mereatur expel-
„ li: at qui nullum conatum perfectionis adhibendo, Regulas
„ ſine diſcrimine tranſgreditur, reddit ſe intolerabilem, ut de-
„ beat expelli; aut ſi toleretur, plurimum nocet; ergo per ac-
„ cidens & indirectè agit contra profeſſionem, peccatq; mor-
„ taliter, Sanch. *num.*18. *v. Auth.cit.*
„ VII. Religioſus Societatis JESU peccat mortaliter, ſi non
„ adhibet diligentiam in cavendis defectibus, ob quos ſe di-
„ mittendum vel ejiciendum prævidet: & licèt ita dimiſſus, ſit
„ liber in conſcientia, ſi tamen ſit dimiſſus ob fraudem, vel pec-
„ cata in eum finem commiſſa, irrita eſt dimiſſio, utpotè ob-
„ tenta per dolum dantem ipſi cauſam; (ſicut in Matrimo-
„ nio, & cæteris contractibus) unde ſubjacet pœnis apoſta-
„ tarum, Bonac. *de clauſ.q.*2.*p.*12.*§.*1.
„ VIII. Scholaſticus Societatis JESU, qui pravis moribus
„ de induſtria dimiſſionem extorſit, vel falſis allegationibus
„ impetravit, non eſt liber à votis, Leſſ. *l.*2.*c.*41.*d.*15. Sanch.
„ *c.*9.*num.*66. Laym.*num.*13.

ADDENDA.

58 QUæſt.12. *Quid præterea notandum ſit circa obligationem Religioſi, ut ſervet regulam & tendat ad perfectionem?* Reſp. Quando Regula Religionis non obligat ſub culpa ſed tantùm ad pœnam, Suar.*t.*4.*l.*1.*c.*4.*à n.*12. dicit Religioſum non peccare mortaliter, ſi habeat animum non ſervandi ullam Regulam, dummodò paratus ſit ad pœnam ſuſtinendam, ſi tranſgrediatur, quia in objecto illius actus non eſt materia contraria ulli voto vel præcepto, ſed ſubmittit ſe Regulæ, uti lata eſt, id eſt, ſubeundo pœnam, ſi tranſgrediatur: idem docent alii cum Caſtrop. *t.*16.*d.*4.*p.*3.*n.*6. E contra Religioſum ſub mortali teneri tendere ad perfectionem, ſervando Regulas etiam non obligantes ſub peccato, docet Eliz. *in doctr. Morum l.*8.*q.*14. ex his rationibus, 1. quia Religioſus tenetur ſub mortali ſic ſe gerere, ut cenſeatur Religioſus, eſſet enim graviter difforme à recta ratione, ſi aliter ageretur, ſed cenſeri non poſſet Religioſus, ſi nihil curaret de ſervandis meditationibus, examinibus, ſilentio, mortificatione, modeſtia; cæteriſque in ſuo Ordine citrà peccatum præſcriptis, ergo. 2. Alioquin Superiores non peccarent graviter, ſi horum obſervationem non procurarent in ſubdita ſibi communitate, atqui per hoc peccare graviter docet communis cum Lugo *de Juſt.d.*9.*à num.*21. *ergo Conf.* nam ſi ſubditi negligendo illa non peccent, prudentiùs facient Superiores etiam diſſimulando, quia ex pœnis injunctis frequenter naſcuntur peccata impatientiæ, murmurationis, ſuſurrationis &c. 3. Alioquin ſequitur relaxatio Religionis & ejus diſſolutio: relaxatio enim habetur per non obſervantiam Regularum quæ ſi eſt uni, etiam erit aliis licita ſine peccato, ſicque diſſolvetur omnis diſciplina & tota Religionis forma; quod utique eſt grave malum. 4. Saltem eſt obligatio ſervandi Regulas ratione periculi violandi vota, maximè in materia caſtitatis, uti pluribus deducit Eliz. *qu.*15.§.3.*& ſeqq.* ſi enim ſpiritualia negligantur, fieri vix poterit, ut evitetur lapſus. 5. Quia nolle proficere ſpirituale eſt velle deficere ſpiritualiter, uti ex *S. Bernardo* pluribus deducit *Eliz. §.*6. ergo ſicuti nolle proficere ſeu ſe reficere in corpore, eſt velle mori corpore, in nolle proficere & ſe continuò reficere in ſpiritu, eſt velle mori ſpiritu, præſertim in hoc ſtatu naturæ lapſæ, in quo dominantur paſſiones, & rapiunt ad malum, velle autem mori ſpiritu eſt velle amittere gratiam, quod eſt mortale, ergo. Atque ex hac ratione infert *Eliz.* etiam ſæculares ſub mortali teneri tendere ad perfectionem ſui ſtatus: hinc etiam docet Oviedo *de pecc.controv.*3.*n.*86. propoſitum non ſequendi ulla Dei conſilia etiam in homine ſæculari ſemper eſſe peccatum, & quidem mortale, uti habet communis cum *Sanch.* quia videtur eſſe graviter diſſonum à natura rationali ſaltem ratione periculi, ne deferatur à Deo, ſi ſic abſolutè velit præcludere omnem aditum Spiritui ſancto.

Objicit ſibi 1. Nulla talis Regula obligat ſub peccato, ergo 59
nec tota collectio Regularum; Fundatores enim noluerunt imponere obligationem, niſi quam ſingulæ Regulæ afferunt. *Reſp.* N. conſeq. eò quòd ſit una aliqua obligatio, quæ reſpiciat totam collectionem Regularum, & ſit diſtincta à ſingulis obligationibus. Deus enim & Fundator Ordinis per collectionem Regularum intenderunt ſpeciale bonum, & quidem maximum, quod non intenderunt nec habere potuerunt per ſingulas Regulas, per quas non potuerunt aſſequi finem toti collectioni præfixum, ergo meritò voluerunt eſſe aliam obligationem ad totam collectionem, quàm ad ſingulas Regulas.

Si inſtes, Violatio Regularum omnium ſine propoſito violandi omnes, non eſt mortale, ergo nec violatio cum propoſito violandi omnes, quia propoſitum accipit ſpeciem ab objecto; ergo ſi objectum non ſit mortaliter malum, nec ejus intentio erit mortaliter mala. *Reſp.* N. antec. quia in violatione omnium datur propoſitum virtuale & interpretativum violandi omnes, tale autem propoſitum in moralibus æquivalet formali.

Objicit ſibi 2. In Religione nihil profitemur niſi tria vota 60
ſubſtantialia, ergo ad alia non tenemur ſub peccato. *Reſpondet*, N. antec. Religio enim ab Eccleſia non admitteretur, quæ tantùm tria vota profiteretur ſine peculiaribus Regulis ejus finem complectentibus: ſic enim finis caſtitatis Religioſæ non eſt honeſtas præcisè caſtitatis, ſed ſimul facultas liberiùs vacandi Deo & Divinis, uti ex Apoſtolo expreſsè docet S. Th. quem refert Eliz. *q.*15.§.1. Similiter paupertas & obedientia non haberent rationem virtutis perfectæ & Religioſæ, ſi in ipſis ſiſteretur, ſed illum habent, quia ſunt media ad aliam perfectionem veluti finem tali Statui Religioſo præfixum, uti pluribus declarat *Eliz.*§.2. Videri poteſt *Suar.* ſupra, ubi difficultates iſtas extenuat; ſi enim ſit duplex obligatio, una tendendi ad perfectionem, alia obſervandi vota, ergo qui peccat contra votum, committit duplex ſpecie peccatum: rectè tamen notat Caſtrop. *nu.*7. talem per accidens ſæpè contrahere mortale, vel ratione ſcandali, vel per contemptum Regulæ, vel quia reddit ſe Ordine indignum, vel quia cauſat grave damnum communitati, minuendo Regularem obſervantiam. Vide dicenda *lib.*5.*n.*214.

*Q.*13. *Quid notandum ſit circa novitiorum obligationes, & privilegia?* R. ſeqq.

§.1. Quamvis Regulæ alicujus Ordinis obligarent profeſſos 61
ſub peccato, tamen non obligant novitios, Suar. Sanch. Caſtrop. *t.*16.*d.*1.*p.*10.*n.*5. Ratio eſt, quia nec tenentur ex obedientia; cùm eam non voverint; neque ex debito uniformitatis,

quia ad hanc tenentur tantùm illi, qui profeſſi ſunt talem ſtatum; neque ex ſtatu ipſo probationis, qui non plùs obligat ad Regulas quàm ſtatus cathecumeni ad præcepta Eccleſiæ: tenẽtur tamen ad pœnas ſubeundas, ſi delinquant, partim quia hoc concedit Ordini Papa, ut novitii probari poſſint, partim etiam quia ſe tradiderunt gubernandos Religioni, & ſub ea conditione inſtruuntur ac ſuſtentantur: atque hoc fortè vult Laym. *l.4.t.5.c.5.n.3.* dicens novitios obligari juſtis præceptis Prælatorum, convenienter ipſorum ſtatui impoſitis, ſubjiciuntur enim ſpirituali eorum juriſdictioni, & aliàs tanquam vagi haberentur, quod videtur alienum ab Eccleſiaſtico regimine.

62 §.2. Superior non poteſt novitium ſub peccato obligare ad ea, quæ tantùm ſunt conſilii & perfectionis, quia novitius nec vovit illi obedientiam, nec obligavit ſe ad perfectionem, ſed tantùm probat ſtatum perfectionis, deliberans an eum amplecti velit necne: unde Superior tantùm ita poteſt obligare novitium, uti Prælatus Eccleſiaſticus ſuos Clericos, quia novitii per ingreſſum ſubjiciunt ſe Superioribus, uti Clerici Prælatis, quoad pœnas. Eſtque probabile novitium, qui deliquit, teneri ſubire pœnam, antequam egrediatur, uti docent Suar. & Caſtrop. *n.7. & 8. contra* Sanch.

63 §.3. Quamvis novitius faciat aliquid contra materiam votorum, v.g. contra caſtitatem, non ideo contrahit ſacrilegium, quia nulla tenetur ſpeciali obligatione votorum Religionis, *Suar. Sanch. Caſtrop.* & conſtat ex dictis.

64 §.4. Si novitius Ordinis exempti commiſerit peccatum, quod in illa Religione eſt reſervatum, docet Caſtr. *n.9.* quamdiu in novitiatu manet, non poſſe abſolvi à quocunque ſed tantùm ab habente poteſtatem in reſervata talis Ordinis, quia Papa eximens Ordinem à juriſdictione Epiſcoporum, etiam cenſetur eximere novitios, quos Ordo complectitur: & licèt hæc exceptio videatur aliquo modo novitiis præjudicare, tamen abſolute favorabilis eſt, cùm ſecum trahat multa alia privilegia novitiis propter Ordinem communia: putant tamen etiam multi apud Dicaſt. *de cenſ. d.3.n.596.* & cum Dian. *p.3.t.2.R.4.* & 110. peccata novitiorum non eſſe reſervata, quia ante profeſſionem videntur eſſe inſtar ſæcularium; & idem videtur tenere Pelliz. *t.10.c.10.nu.167.* ubi dicit Confeſſarium novitii vel novitiæ non indigere ſpeciali approbatione Epiſcopi, ſed poſſe confiteri alteri non aliter ac ſæculares, quamvis enim ad Confeſſiones Monialium requiratur ſpecialis approbatio, tamen per has intelliguntur Profeſſæ, cùm Tò Moniales, ſumi debeat ſtrictè.

65 §.5. Satis probabile eſt, quòd omnia privilegia Religioſis in genere conceſſa, etiam participentur à novitiis, quia licèt Religioſi non ſint, tamen communi nomine appellantur & in favorabilibus cenſentur Religioſi, Suar. Mol. Sanch. & alii cum Caſtrop *p.11.* & Dian. *p.3.t.2.R.73. contra* Rodriq. & Portel.

66 *Q.14. Quid notandum ſit circa clauſuram Monialium?* R. ſeqq.

§.1. Moniales ſunt immediatè ſubjectæ, vel Papæ, vel Epiſcopis, vel Superioribus Regularibus; & harum aliquæ ſunt, aliquæ non ſunt exemptæ à juriſdictione Epiſcopi: Et quidem putant Piaſ. *p.2.c.3.a.7.n.2.* Zerola, Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg. 102. an.5.* & alii cum Caſtrop. *t.16.d.4.p.9.n.7.* omnes Moniales etiam exemptas ſubjectas Regularibus, etiam ſubeſſe Epiſcopis quoad clauſuram, qui eum in finem poſſint eas ſemper viſitare & cogere, ut clauſuram obſervent, quia ſic videtur ſtatuere Bonif. VIII. in Conſtit. *Periculoſo, C. un. de ſtatu Regularium in 6.* quam renovant Trid. *ſeſſ.25.c.5. de Reg.* & 5. Pius V. in Conſtit. *Circa Paſtoralis*, apud Piaſec *ſupra*, & Barb. *à n.11.* ſed probabiliter contradicunt Nav. Llamas & Sanch. *in Dec. l.6.c.15.n.21.* aliique apud Barb. *n.6.* quia in Conſt. Bonifacii expreſsè dicitur, ut Epiſcopi id curent in Monaſteriis ſibi & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectis, Abbates autem & alii tam exempti quàm non exempti in Monaſteriis ſibi ſubjectis.

67 §.2. Præcipiunt Bonif. VIII. Trid. S. Pius V. Greg. XIII. Paulus V. ut clauſura conſervetur, aut ubi non eſt, inducatur in Monaſteriis Monialium: quæ decreta innovavit Alex. VIII. ſuntque recepta in pleriſque Diœceſibus, nominatim in Colonienſi ex mandato Sereniſs. Joſephi Clementis 30. April. 1690. item in Monaſterienſi ex Decreto Celſiſs. Friderici Chriſtiani 6. Julii 1690. ubi ex tenore Reſcripti Alexandri VIII. dicitur *Sub pœna nullitatis, ne impoſternm ad habitum Regularem admittantur novitiæ, vel jam in probationis anno exiſtentium profeſſiones excipiantur, niſi Monaſterium, in quo veſtiri vel profiteri cupiunt, amplexum ſit, & ad amuſſim obſervet clauſuram, juxta normam, quam ſuperiùs relati Pontifices præſcripſere*: quibus decretis jam paruerunt plura Monaſteria in Diœceſi Monaſterienſi, uno aut altero adhuc prætendente cauſam impoſſibilitatis, quibus tamen interim nunquam data eſt facultas admittendi ullam ad habitum vel profeſſionem.

68 §.3. Circa decretum illud Alexandri VIII. Illuſtriſs. Archi-Epiſcopus Thebarum, Nuncius Apoſtolicus Coloniæ, dedit 9. Febr. 1691. Reverendiſs. Anethan Suffraganeo & Vicario Generali Colon. hanc quaſi declarationem: *Quamvis Sanctiſſimus Dominus noſter prudenti Ordinariorum arbitrio reliquerit nunc & in hiſce circumſtantiis diſpenſare ſuper decreto circa clauſuram Monialium nuper emanato, dummodò à novitiis, antequam ad habitum & profeſſionem admittantur, explicitum votum clauſuræ exigatur: attamen cùm ſit etiam mens Sanctitatis ſuæ, quòd non ſolùm novitiæ, antequam ad habitum admittantur, promittant ſe hujuſmodi votum emiſſuras, ſed etiam declarent cæteræ Moniales earumque ſuperiores, ſe novitiam non niſi ea ſub conditione acceptare, ita ut abſque prævia ejuſmodi promiſſione & declaratione non poſſit puella admitti ad habitum, minùs ad profeſſionem, ſub pœna nullitatis & incurſionis cenſurarum, violatoribus clauſuræ per ſacros Canones & Conſtitutiones Apoſtolicas comminatarum.* Illuſtriſs. autem Archi-Epiſcopus Damaſcenus, etiam Nuntius Apoſtolicus Coloniæ, jam ante, ſcilicet 11. Julii 1690. inter alia ſcripſerat ad Diœceſim Monaſterienſem ſequentia, *Quod attinet ad objectionem, quòd poſſint Moniales opponere ſe non voviſſe tam ſtrictam clauſuram, Reſpondetur, nec illas ad ejuſdem obſervantiam per decretum obligari, poſſeque omnes in antiquo inſtituto permanere, dummodò novitias non admittant: ſi autem tempore meæ in hiſce partibus legationis aliquod Monaſterium diœceſis Colonienſis clauſuram non ſervans, Virginem ad habitum reciperet, intenderem eidem ejuſdemq; ſuperiori curare indicari à Reverendiſs. Domino ſuffraganeo vel nomine Pontificio, ut ante octiduum habitum dimitteret; & ubi hujuſmodi mandato non acquieſceret, decernerem, ut brachio ſæculari, veſtibus Monaſticis dimiſſis, ad cognatos decenter reduceretur.* Quamvis autem uterque Illuſtriſs. Nuntius ita reſcripſerit, tamen dicendum eſt cum Sanch. *c.2.n.42.* Caſtr. *n.2.* aliiſque quos refert & ſequitur Delb. *de Imm. Eccl. c.19.d.3.ſ.1.* poſſe ab Eccleſia, & nunc ab Epiſcopis authoritate Apoſtolica præcipi Monialibus ipſis ſtrictam clauſuram, quamvis eam expreſsè profeſſæ non ſint, quia hoc eſt conforme primæ earum Regulæ, & neceſſarium ad votorum obſervationem, ideoque indirectè ſpectans ad profeſſionem, quam emiſerunt, uti docet S. Th. *quodl.10.a.10.* & doctè reſolvit Sylv. *p.1.v. Clauſura caſ.1.* & 2. ſolvens omnes rationes, quæ fieri poſſunt in contrarium, poteſtque etiam videri Leſſ. *in aucl. v. Monialis caſ.1.* Imò Sylv. *caſ.3.* dicit inauditum eſſe; quòd uni aut alteri admittendæ indicatur clauſura, ſi major pars communitatis clauſuram non receperit, putavitque poſſe interim admitti alias, dummodo bona fide intendatur clauſura, & quamprimùm fieri poterit, inducatur: probat autem fusè Leſſ. *v. Religioſus caſ.6.* poſſe Prælatos à profeſſuris etiam ſcripto exigere, ut ſe obligent ad reformationem, ad ſtrictiorem obſervantiam Regularum, ad cedendum certis portionibus vel commoditatibus &c. Hæc enim ſunt conformia omni inſtituto Religioſo. Vide dicenda *num.160.*

§.4. Si Monialis exempta, Superiori Regulari ſubjecta ex juſta cauſa egrediatur, *Nav. Suar. Lez. Bonac. Mirand. Aſt. Tamb. Laym. Llamas, Graff. Rodriq.* aliique putant ſufficere licentiam Superiorum, quamvis contradicant Piaſ. *n.4.* aliique cum Barb. *nu 28.* & Delb. *d.7.* quia *S. Pius V.* expreſsè requirit licentiam etiam Epiſcoporum, aut ſaltem approbationem cauſæ per hos faciendam, nam dicit, *Quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monaſteriorum incumberet, etiam per Epiſcopum ſeu alium loci Ordinarium, etiamſi prædicta Monaſteria ab Epiſcoporum & Ordinariorum juriſdictione exempta eſſe reperiantur, cognita & expreſsè in ſcriptis approbata ſit:* ſed Sanch *c.15.n.28.* & Caſtrop. *nu.9.* rectè dicunt attendendam eſſe conſuetudinem, quæ in Hiſpania eſt, ut quoad exemptas ſufficiat ſolius Superioris Regularis licentia. Vide dicenda *n.76.* Addit *Sanch.* poſſe id concedi etiam ab aliis Superioribus, & non tantùm à Generali & Provinciali, niſi Conſtitutionibus Religionis aliter cautum ſit, aut conſuetudo obſtet; & idem quoad ingreſſum in Monaſteria repetit *c.16.n.13.* conſentitque Caſtrop. *p.10.§.2. num.3.* Abbatiſſa tamen non poteſt concedere talem licentiam, uti rectè Rodriq. & Sanch. *c.15. nu. 28. & c.16.n.22. addit c.15.n.28.* cum Barb. *n 28.* Delb. *d.8.ſ.1.* & aliis concedi poſſe Monialibus Epiſcopo ſubjectis à Vicario Generali, etiam ſede vacante, niſi Epiſcopus ſibi reſervarit, quia poteſtatem ordinariam habet communem; non tamen poteſt à Vicario, ſine commiſſione Epiſcopi, concedi Monialibus Papæ immediatè ſubjectis, quia circa has id poteſt Epiſcopus authoritate tantùm delegata: Denique putat *Sanch.* quòd Capitulum ſede vacante poſſit quoad hoc idem, quod Epiſcopus, quia mens Pontificum fuit, ut pro caſibus occurrentibus ſemper in partibus eſſet aliquis delegatus ad ejuſmodi conceſſionem dandam: vide Caſtrop. *p.9.n.10.* 69

§. 5. Cauſa egreſſus debet eſſe graviſſima, uti oſtendit Sanch. *c.15. nu.31.* quamvis enim Trid. dicat cauſam debere eſſe legitimam ab Epiſcopo approbatam, tamen videtur cenſere illas tantùm eſſe legitimas, quas poſteà adduxit *S. Pius V.* nempe 1. Cauſa magni incendi, ſi flamma declinari non poſſet. 2. Infirmitas lepræ, à qua eſſet grave periculum contagionis apud reliquas. 3. Epidemia, id eſt, quivis morbus contagio- 70

tagioſus, uti volunt multi apud Sanch. *num.* 35. cum Barb. *num.* 24. & Delben. *d.* 10. & 12. Quamvis autem Zerola apud Sanch. *nu.* 36. & alii plures apud Barb. *n.* 15. dicunt S. Congregationem declaraſſe ex nulla alia cauſa licere egreſſum, tamen meliùs dicunt alii plures cum Sanch. *n.* 37. Barb. *n.* 16. Caſtrop. *n.* 13. idem dici poſſe de aliis cauſis, in quibus eſt eadem vel urgentior ratio, quod probabile eſſe fatetur Delb. *d.* 11. quia leges patiuntur ejuſmodi extenſionem ad caſus ſimiles: putant tamen cum aliis multis Sanch. *n.* 39. Barb. *n.* 20. Delb. *d.* 17. extendi non poſſe ad alias diſſimiles cauſas etiam graviores, ideoque egreſſum concedi non poſſe Moniali, quamvis aliàs ex morbo eſſet moritura, quia hìc non pateretur bonum commune ſed tantùm privatum: Nav. tamen, Az. Llamas, Sorbus, Suar. Peyr. apud Barb. *nu.* 21. probabiliter contradicunt & probabile eſſe fatetur Caſtrop. *nu.* 15. quia tales leges humanæ non cenſentur obligare cum vitæ periculo; hinc etiã liceret Moniali fugere extra clauſuram, ſi alioquin eſſet ab invaſore occidenda, teſtaturque *Nav.* quòd Greg. XIII. pro cauſa dandæ facultatis agnoverit, ſi Medici judicent egreſſum eſſe neceſſarium ad tuendam vitam, & hoc videtur innui in cauſa magni incendii, propter quam videtur Cajæ Moniali licitum eſſe egredi, ſi alioqui eſſet comburenda, quamvis aliæ ſe aliter in clauſura ſalvare poſſent. Addunt omnes communiter cum Sanch. *à n.* 42. & Barb. *nu.* 20. & 25. juſtam cauſam egrediendi eſſe imminens periculum Monaſterii ab hæreticis militibus occupandi; aut ſimpliciter ab hoſtibus, à quibus honor Monialium & fortè vita periclitaretur, *Caſtrop.* ſupra & alii; Item ut Monialis pro neceſſitate fiat alibi Abbatiſſa, magiſtra novitiarum, aut alibi inchoet Monaſterium, aut ſi totus Conventus mutet habitationem; item ut aliqua præſtet juramentum pro obtentione feudi, ſi id ab alio homine præſtari non poſſit &c. hæ enim cauſæ ſunt ſimiles, cùm ſpectent ad bonum commune. Vide Delb. *dub.* 13. & *ſeqq.* ubi *d.* 19. docet contrà alios poſſe etiam ideo egredi, ſi velit ingredi ad ſtrictius Monaſterium. Quòd ſi neceſſitas egreſſus urgeret & non poſſet peti licentia, ſufficeret licentia Abbatiſſæ, quia neceſſitas non habet legem, Sanch. *n.* 62. Delb. *d.* 21. Cauſa tamen juſta egrediendi non eſt, ſi Monialis ſit incorrigibilis, quia tum potiùs reſtringenda eſt in carcere, uti habet conſuetudo, docentque AA. cum Barb. *n.* 27. & Delb. *num.* 18. Item non eſt juſta cauſa, ſi Abbatiſſa velit viſitare Monaſteria ſibi ſubjecta, uti declaravit S. Pius V. docentque AA. cum Delb. *d.* 15. quia viſitatio aliis commiſſa eſt. Quòd ſi cauſa egrediendi eſſet manifeſtè juſta, & tamen Superiores rogati negarent facultatem, ſecluſo ſcandalo vel infamia Religionis, docet cum aliis Caſtrop. *n.* 11. Monialem poſſe egredi, eò quòd præcepta humana vel vota non cenſeantur obligare cum vitæ propriæ vel boni communis gravi detrimento.

71 §. 6. Etiam juſta cauſa egrediendi non eſt neceſſitas conquirendi media vivendi pro Conventu, nam S. Pius V. (cujus Conſt. refert Piaſ. *n.* 2. quamque renovat Alex. VIII. poſt renovata etiam decreta Bonif. & Trid.) addit, *Ne propter numerum Monialium exceſſivum clauſuræ obſervatio violetur, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus & Ordinariis diſtrictè inhibendo præcipimus & mandamus, ne plures in earum Monaſteriis recipiant, admittant, ſive recipi & admitti permittant, quàm ex propriis redditibus ipſorum Monaſteriorum vel conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari poſſint.* Ut autem majori numero, ſi fortè alicubi eſſet, provideretur; idem S. Pius V. ſupra mandat Ordinariis & Superioribus, ejuſmodi egenis Monaſteriis *Meliori & commodiori modo, quo fieri poterit, etiam ex opere manuum iſtarum Monialium provideatur & ſuccurratur*, nullo autem verbo inſinuat ideo aperiri poſſe clauſuram: Quid autem dicendum ſit de Sororibus converſis exeuntibus ad colligendas eleemoſynas, videri poteſt Sanch. *à n.* 54. & Delb. *d.* 16.

72 §. 7. Monialis egrediens ſine licentia; item Superior concedens licentiam egrediendi ſine cauſa: item qui comitatur aut recipit ſic egreſſam, incurrit excommunicationem majorem latæ ſententiæ Papæ reſervatam, ipſo facto abſque ulla declaratione: & Superiores concedentes egreſſum privantur quibuſvis officiis, dignitatibus & adminiſtrationibus habitis, ac reddunturinhabiles impoſterum, ita S. Pius V. in Conſt. *Decori*; poſſuntque de illis pœnis videri Sanc. *à n.* 63. Caſtr. *à n.* 20. Delb. 22. & *ſeqq.* ubi *à d.* 28. examinat, quis ab illis pœnis poſſit abſolvere.

73 §. 8. Quoad puellas convictrices, Lugo *in Reſp. Mor. l.* 3. *d.* 7. refert hoc decretum S. Congregationis datum 31. Auguſt. 1575. *Eandem ſervent clauſuræ legem, quam Moniales ipſæ, & ſi ſemel exierint, nullam habeant ad ea redeundi facultatem:* ſed quoad hoc attendenda eſt conſuetudo.

74 §. 9. Ingreſſum in Monaſteria Monialium ſeveriſſimè prohibet Trid. ſuprà, tam viris quàm mulieribus cujuſcunque conditionis & ætatis: intelligunt tamen rectè Barb. *à n.* 31. Sanch. *c.* 16. *n.* 5. Caſtr. *p.* 10. §. 1. *à n.* 2. aliique multi cum Dian. *p.* 3. *t.* 2. *R.* 67. contrà alios, hanc prohibitionem cadere tantùm ſuprà perſonas habentes uſum rationis ſufficientem ad peccandum vel poteſtatem incitandi ad peccata, quales eſſent fatui, qui ideo admitti non debent, uti notat Delb. *d.* 30. *n.* 7.

§. 10. Ad ingrediendum requiritur *licentia ſpecialis*, uti habet Conſtit. Bonif. VIII. per hoc autem eſt ſpecialis, quòd ſit ſpecialiter obtenta, quamvis ſit ad perſonas in genere, v. g. pro fabris, Medicis &c. Az. Sanch. *n.* 28. Et talis licentia intrandi cenſetur eſſe data ad unam tantùm vicem, niſi aliud aliunde conſtet, Ricc. Ugol. Salas, Dian. Tamb. Barb. *n.* 59. Delb. *d.* 36. 75

§. 11. Aliqui apud Sanch. *n.* 12. dicunt licentiam ingrediendi 76
clauſuram Monialium etiam exemptarum, ſubjectarum Regularibus, dari poſſe ab Epiſcopo, quod Delb. *d.* 32. dicit eſſe probabile: Barb. *n.* 31. refert decreta S. Congregationis ſtatuentia, ut pro illis det Superior, & Epiſcopus, ſed Sanch. *n.* 13. Caſtrop. §. 2. *n.* 1. aliique multi cum Piaſ. *n.* 5. probabilius dicunt ad hoc requiri, & ſufficere licentiam ſolius Superioris Regularis; quando autem Trid. prohibuit ingreſſum *ſine Epiſcopi vel Superioris licentia*, tantùm ſignificavit, quod circa immediatè ſubjectas Epiſcopo vel Papæ, requiratur licentia Epiſcopi, circa alias autem requiratur Superioris; conſentitque etiam tandem cum aliis Barb. *num.* 40. referens *n.* 41. pro hoc decretum S. Congregationis à ſe viſum; vide Delb. *d.* 33. & ideo etiam dixit Bonif. VIII. *de illius, ad quem pertinuerit licentia:* atque hoc prætereà ita declaraſſe S. Pium V. teſtatur *Nav.* apud *Sanch.* Vide dicta *n.* 69. nam AA. cum Sanch. *num.* 14. idem dicunt de dantibus licentiam pro egreſſu & ingreſſu: circa Franciſcanos tamen eſt ſpecialis prohibitio circa ingreſſum de qua videri poteſt Sanch. *à n.* 17. Notant autem plerique cum Nav. Az. Rodr. Sanch. apud Barb. *n.* 34. Abbatiſſam non poſſe dare hanc licentiam, quamvis Rodriq. Bonac. Delb. *d.* 34. & plures apud Sanch. *n.* 23. contrà *Suarez* dicant poſſe à tali Superiore concedi Abbatiſſis aut etiam Confeſſariis poteſtatem in caſibus frequenter occurrentibus dandi eam licentiam, ne ſit opus cum incommodo nimis ſæpè ad Superiores recurrere.

§. 12. Licentia pro ingreſſu in Monaſterium Monialium 77
debet dari in ſcripto, uti habet Trid. ſuprà: ſimiliter ſecundùm dicta *n.* 69. pro egreſſu, uti etiam notant Sanch. *n.* 29. Barb. *n.* 28. Delb. *nu.* 37. putant tamen La Crux apud Gallem. litt. O. item Llamas apud Sanch. *nu.* 32. in caſibus communiter occurrentibus, uti pro ingreſſu Medici, Confeſſarii, Chirurgi, Viſitatoris, artificis & aliorum, quorum opera paſſim & frequenter eſt neceſſaria, non requiri in ſcriptis, imò cum Barb. *à n.* 49. notant in multis ejuſmodi caſibus eſſe licitum ingredi abſque alia licentia ſpeciali; quod ſpecialiter dicunt de Confeſſario, fabris, Medicis, Chirurgis &c. ſed contradicunt Nav. Az. & alii cum Sanch. *n.* 33. niſi eſſet repentina neceſſitas: docetque Sanch. *n.* 31. omiſſionem illius ſcripti fore mortalem, & pœnis ſubjectam, ſed oppoſitum etiam probabile eſſe docet cum aliis Delb. *n.* 8. attamen in caſu repentinæ neceſſitatis, ſi aditi non poſſit Superior, poteſt licentiam concedere Præfecta Monaſterii, uti cum aliis Barb. *nu.* 38. Et tunc requiri hanc illius licentiam docet Sanch. *n* 37. contra alios, ſicuti quando pro caſu Papali recurri non poteſt ad Papam, debet recurri ad Epiſcopum, quia præſumitur tum eſſe voluntas Superiorum, uti inferior det licentiam, ſed in hoc contradicit Caſtrop. *n.* 7.

§. 13. Poteſtas ad dandam licentiam egrediendi aut ingre- 78
diendi commiſſa alteri non requirit ſcriptum Superioris, quia Trid. tantùm hoc dicit de conceſſione licentiæ: ſi tamen Superior alicui commiſiſſet ſolum arbitrium, dicendo, do licentiam, ſi judicaveris cauſam ſufficientem &c. putat Sanch. *n.* 38. requiri ſcriptum ipſiuſmet Superioris, quia ipſe tum daret illam licentiam; de cætero ſufficiet ſcriptum Commiſſarii dantis licentiam ex poteſtate ſibi à Superiore facta, Delb. *d.* 38.

§. 14. Quævis perſona indigens ſpeciali licentia, & abſque 79
hac in ſcripto accepta ingrediens clauſuram Monialium, incurrit ipſo facto excommunicationem, uti habet Trid. ſupra, putatque Sanch. *n.* 31. & 73. incurri, ſi vel deſit juſta cauſa licentiæ, vel ſcriptum licentiæ, poteſtque videri fuſè à nu. 71. agens de hac aliiſque pœnis injunctis, ac præcipuè, an reſerventur Papæ, an incurrantur à cauſantibus vel permittentibus talem ingreſſum: & à n. 105. examinat, quomodo licitum ſit inviſere vel alloqui Moniales ad crates, aut eis ſcribere; de quibus fuſiùs agit Barb *à n.* 69. ſed pleraque non habent locum in Germania. De pœnis videri poteſt etiam Delb. *d.* 54. & *ſeqq.* de viſitatione autem, ſcriptione, & alloquio ad crates, agit d. 70. & 71.

§. 15. Cauſa pro ingreſſu debet eſſe rationabilis & manife- 80
ſta, uti habet Conſtit. Bonif. VIII. tum autem erit manifeſta, ſi non ſit dubia, ſed moraliter certa, aut uti vult Sanch. *n.* 39. ſi ſaltem probabiliter judicetur eſſe juſta: nec ſufficit quævis utilitas, quia Trid. dicit, *In caſibus neceſſariis;* Greg. XIII. *pro neceſſitatibus urgentibus:* ſufficit tamen neceſſitas aliqua moralis; & minor cauſa exigitur pro ingreſſu mulierum quàm virorum, pro ingreſſu Matris aut Sororis quàm aliarum fœminarum, pro ingreſſu in locum vicinum portæ quàm interiora Monaſterii, Rodriq. Sanch. *n.* 41. Barb. *n.* 48.

§. 16. Cauſa tunc erit moraliter neceſſaria, ſi nec per 81
Moniales, nec abſque ingreſſu aliquid commodè fieri poſſit, tamen pro hoc ſit aliqua moralis neceſſitas, uti eſſet, ſi tot Moniales eſſent docendæ in cantu, ut non omnes poſſent ad

crates

crates accedere; ſi organum, horologium, ædificium eſſet reparandum; ſi ægra ſit viſitanda à Medico, à Chirurgo ſanandum vulnus vel vena aperienda, Barb.*n.*54.V.Delb.*d.*40. Idem dicunt de Sartore ad metiendas veſtes Gl.Nav.& Sanch.*nu.*43. contrà Llamas, & Caſtrop.*p.*10.§.3.*nu.*11. qui dicunt in oſtio clauſuræ poſſe ſumi menſuram : negant tamen omnes de ſutore, quia pedem habere poteſt ex antiquis calceis, aut numeratis punctis menſuræ ; ſimiliter non eſt juſta cauſa, ut quis præſit electioni, quia fieri debet ad cancellos, Trid.*c.*7. Sanch. *num.*50. niſi aliunde eſſet gravis cauſa, Barb.*nu.*46. Poteſt autem Confeſſarius etiam initio morbi ingredi, & quoties volet Monialis ſecundùm præſcriptum vel conſuetudinem Ordinis confiteri, aut dixerit ſe Confeſſione indigere Portell. Villal. Dian.Barb.*n.*49. Item quoties ad veram & propriam conſolationem deſiderabit communicare, quia rationi congruum eſt infirmis hoc ſolatium non negare, Sanch.*n.*45. Delb.*d.*41. Et ſiquidem ſit Confeſſarius Regularis, poteſt ſecum ducere ſocium, quia id habet conſuetudo & poſtulat decentia, declaravitque Sacra Congregatio, Delb.*n.*15. ſi autem miniſtretur extrema unctio, poteſt etiam ingredi, qui miniſterio illi deſerviat, qualiſcunque ſit Sacerdos, qui adminiſtret, eſt enim minùs decens, quàm ut id per fœminam fiat, Delb.*num.*16. Item ingredi poteſt Epiſcopus pro Sacramento Confirmationis dando morituræ, Delb.*d.*51. Quoad Euchariſtiam, hæc excipi poteſt & deduci à Monialibus accenſis cereis, Llamas, Sanch.*num.*46.Delb.*d.*41.*nu.*17. Non eſt autem opus ſpeciali licentia pro tali ſocio, nam quando hæc ſocii præſentia neceſſaria eſt ad decentem ingreſſum, licentia cenſetur etiam ſocio conceſſa, juxta Cap.*Licèt*, De privilegiis in 6.tenentque cum aliis Rodriq.Sanch.*num.*47.Barb.*nu.*59. Delb.*n.*18.qui *num.*20. notat Sacram Congregat. voluiſſe ſocium habere ultrà 50.annos, quod obſervandum, ſi commodè fieri poteſt; item nu.21. notat Sacram Congregat. vetuiſſe ingredi ad Monialem energumenam exorcizandam. Malefactor etiam poſſet ad ſalvandam vitam profugere in clauſuram, decens tamen eſſet remitti extra clauſuram ad alium locum, qui gauderet immunitate : quòd ſi eſſet crimen non gaudens immunitate, nec vellet exire, poſſet in clauſuram admitti Judex aut alius, qui expelleret, Sanch.*àn.*57. Delb.*d.*43.

82 §.17. An & ex quibus cauſis poſſint puellæ, viduæ, conjugatæ admitti ad cohabitandum Monialibus, explicant fusè Sanch.Barb.*àn.*61.Delb.*nu.*46. *&* 47. ſed potiùs attendenda eſt diuturna praxis in quovis loco : an autem & quas ancillas ſæculares liceat habere in Monaſteriis, examinat Sanch.*àn.*65.Barb. *n.*60.ac 65.Delb.*d.*48.notantque cum aliis multis Sanch. *nu.*67. Barb.*n.*68.Caſtr.§.2.*nu.*10.Delb.*d.*41.*ànu.*3. juſtam cauſam ingreſſus non eſſe, ut mater filiam morti proximam inviſat, quia non eſt neceſſitas moralis, & præſentia matris majori triſtitia afficiet filiam ; ac ita declaraſſe Cardinales teſtantur Cucus, Rodriq.Miranda, Gallem.ad Trid.*ſeſſ.*25.*c.*5.

83 §.18. Qui poteſt aliis dare licentiam ingrediendi, etiam poteſt ex cauſa ingredi, dummodo ſocios habeat, ut decidit Greg.XIII. apud Sanch.*nu.*25. Barb.*nu.*43.Delb.*d.*35. Extendit hoc Caſtrop.*n.*5. cum Sanch.*n.*26. ad illos, qui habent delegatam tantùm poteſtatem dandi licentiam : Item Sanch.*n.*27. ad Confeſſarium, ſi ei daretur poteſtas alteri concedendi licentiam, quia quivis, per ſe loquendo, videtur poſſe uti licentia, quam aliis poteſt concedere. Poſſunt etiam Viſitatores ſecum ſumere ſocios pro inviſendo ædificio, infirmis, dormitorio, officinis &c. Similiter ſi Monialis cum licentia peregrinetur aut commoretur in aliqua urbe, poteſt pro hoſpitio, aut etiam pro recreatione ingredi aliud Monaſterium ſui, non tamen diverſi Ordinis, ut putat Sanch.*nu.*11. contrà Caſtrop.§.1.*nu.*4. qui tantùm concedit pro caſu, quo non eſset hoſpitium alibi conveniens.

84 §.19. Finita cauſa ingreſſus eſt ſtatim exeundum, & finita cauſa egreſſus ſtatim redeundum ; intellige *ſtatim*, morali modo, nam per brevem moram ſe adhuc detinere vel emanere, etiam curioſitatis aut urbanitatis cauſa, non videtur illicitum, Rodriq.Bonac.Tamb.*nu.*58.Delb.*d.*52. Sanch.*num.*69. addens cum Dian. *R.*67. contrà Bonac. & Meroll. ſi trahat longam moram, poſſe quidem peccari graviter, ſed non incurri cenſuras, quia præcipuè cadunt ſuper ingreſſum aut egreſſum ſine licentia.

85 §.20. Si quis ingrediatur, aut Monialis egrediatur clauſura ad duos tantùm pedes, & ſtatim recedat, eſt tantùm veniale, ſecundùm dicta l.1.n.673.

86 §.21. Circa pleraque hactenus dicta, uti & dicenda q. ſeq. ſapienter dicit Sylvius ſupra *caſ.*5. experientia conſtare, *Quod in multis locis voveatur & ſervetur à Monialibus bona clauſura, etiamſi ea non ſervetur cum omni rigore, qui eſt in Italia, ſed modificata juxta perſonarum, locorum & temporum neceſſitates*, & ratio poteſt eſſe, quia non fuit viſa eſſe ubique tanta cauſa inducendi ſummi rigoris, ubi non ſunt tanta pericula & occaſiones ſeductionum. An autem pœnæ ipſo facto incurrantur ſine declaratione, vide *Dianam* ſupra.

*Q.*15. *Quid notandum ſit circa clauſuram virorum ?* R. ſeq. 87

§.1. Ingreſſum mulierum in Monaſteria virorum prohibuerunt S.Pius V. & Greg.XIII. uti referunt Sanch. *in Decal.l.6.c.* 17.Barb.*de poteſt.Epiſc.alleg.*102.*à nu.*85. Caſtrop.*t.*16.*d.*4.*p.*8. Nomine autem mulierum veniunt ſolæ fœminæ habentes uſum rationis, & etiam faturæ puberes, quæ ad peccatum cooperari poſſunt, ſecundùm dicta nu.74. & vide Delb.*de Immun. Eccl.c.*19.*dub.*73. Excipiuntur tamen Imperatrices & Reginæ ac earum filiæ cum comitatu ſuo decente, quæ ingredi poſſunt ſine ullo privilegio, quia de ipſis non eſt ulla prohibitio : S.Pius V. autem prohibuit etiam Duciſſis, Comitiſſis, ac Marchioniſſis; Greg.tamen XIII.admiſit fundatrices Monaſteriorum, ſi Regula Ordinis hoc permittat : Verùm iſtæ Conſtitutiones non ſunt ubique in eo rigore receptæ, nam in Germania vidi ſæpius ingreſſum permitti Comitiſſis etiam non Fundatricibus, & aperta propter has ſemel clauſurà, quibuſcunque mulieribus ac puellis.

§.2. Licèt mulieres à Papa habeant privilegium ingredien- 88
di, ſi tamen ingreſſus ſit contra Statuta Ordinis, quibus privilegium quoad hoc expreſsè non deroget, ingredi non poſſunt.

§.3. Etiam prohibentur mulieres ingredi hortos Monaſteriis 89
vicinos, in quibus Religioſi ambulantes cenſentur eſse intrà clauſuram. Delb.*d.*77.*n.*7. attamen non prohibentur ingredi Sacriſtiam, in quam datur ingreſſus è templo, quidquid contradicant *Sanch.& Barb.* nam uſus eſt in illis partibus contrarius, cùm admittantur mulieres ad Sacriſtias, licèt etiam in Monaſterium habeant alium ingreſſum. V.Delb.*n.*9.

§.4. Quoad Reſidentias Societatis JESU, ſi hæ ſint perpe- 90
tuæ ac in eis vivatur ut in Collegiis, non eſt dandus ingreſſus fœminis: oppoſitum fit, ſi tantùm ſint ædes Miſſionariorum & velut privatæ, Delb.*n.*15.

§.5. S.Pius V. declaravit licitum eſse ingreſſum mulierum 91
in Monaſteria virorum cauſa proceſſionis, Vigiliæ, Miſsæ, funeris defuncti vel alterius cujuſvis officii Divini, dum celebratur intrà clauſuram & eò confluit populus, dummodò mulieres non admittantur in officinas internas, ſed *Barb.*dicit ceſſaſse iſtam conceſſionem, unde quoad iſta attendenda eſt conſuetudo: vide etiam Delb.*d.*78. Eſt tamen licitus ingreſſus cauſa medendi Religioſo graviter ægro vel læſo, ſi mas peritus deſit.

§.6. Fœminæ temerè ingredientes Monaſteria virorum abſ- 92
que legitima licentia, incurrunt ipſo facto abſque alia declaratione excommunicationem Papæ reſervatam, uti & Religioſi admittentes eas; hique præterea incurrunt ſuſpenſionem à Divinis, privationem officiorum & inhabilitatem ad illa; vide Caſtrop.ſupra, & Delb.*d.*79.*& ſeqq.*

§.7. Egreſsus diurnus Religioſi è Monaſterio ſuo abſque 93
venia, ſi non fiat animo pernoctandi extra, eſt tantùm veniale ; quale nequidem erit, ſi fiat ex cauſa cum præſumpta ſaltem venia, quando conveniri non poteſt Superior. Caſtrop.*p.*7.

*Q.*16. *An Religioſis licitum ſit audire vel tradere Jus Civile ?* Reſp. Hoc reſolvetur n.172.

Ibidem decidetur; an Religioſus poſſit profiteri Canones. 94

DUBIUM IV. 95

Ad quid Religioſus obligetur vi votorum?

REſp. I. Religioſus ex voto paupertatis obligatur, ut „ 96
nihil habeat proprium. Nomine proprii autem intel- „
liguntur bona temporalia pretio æſtimabilia; quorum domi- „
nium, vel certè facultatem diſponendi liberam & indepen- „
dentem, in perpetuum abdicavit. Conſtat *ex capite, Non* „
dicatis 12.*q.*1.*c.Monachi*, *de ſt.at.Monach.* „

Dicitur I. *Bona temporalia* : quia retinet Religioſus do- „
minium bonorum ſpiritualium, honoris, famæ & ſimilium. „
Item jus eligendi, præſentandi, conferendi regulare bene- „
ficium, &c.S.Th.2.2.*q.*186.*a.*7.Sanch.*mor.l.*7.*c.*18.*n.*25.Leſs. „
*l.*2.*c.*4.*d.*5.Laym.*l.*4.*t.*5.*c.*7.*n.*2. „

Dicitur II. *Dominium vel facultatem diſponendi*, propter „
Religioſos Societatis JESU, qui poſt emiſſa vota retinent, „
& acquirere poſſunt dominium radicale bonorum tempora- „
lium, non tamen habent jus actuale de iis pro ſuo arbitrio di- „
ſponendi vel utendi ; in cujus abdicatione eſſentia Religio- „
ſæ paupertatis conſiſtit. Sanch.*n.*23.*&* 28.Laym.*n.*3. „

Dicitur III. *Independenter* : quia Religioſus, etiam pro- „
feſſus, poteſt habere peculium dependens, & revocabile ad „
nutum Superioris, quod nomine proprii non comprehendi- „
tur Laym.*n.*12. *Unde ſequentes Caſus reſolvuntur :* „

I. Non repugnat voto paupertatis, quòd Religioſi ha- „
beant bona in communi, etiam immobilia : Imò, ſine con- „
ſenſu Papæ, non poſſunt ſe obligare communitati, quòd ea „
nunquam ſint acquiſituri, quia præjudicarent immunitati „
Eccleſiaſticæ. Lug.*in Reſp.mor.l.*3.*d.*8. Neque poſſunt fru- „
ctus ſeu reditus à donatore deſtinatos ad ea emenda, appli- „
care ad uſus alios, v.g. ſolvenda debita, &c.*Ibid.d.*10. „

II. Non

II. Non repugnat paupertati, ſi Religioſo detur villa, vel aliuslocus adminiſtrandus nomine Monaſterii idque in Monaſterii commodum: Imò nec repugnat, ſi detur in commodum vel incommodum ipſiuſmet Religioſi aliquod Eccleſiaſticum Beneficium. Quo caſu competit ei adminiſtratio reddituum, quos ad ſui ſuſtentationem piaſque cauſas applicare poteſt, juxta Canonum conceſſionem: quòd reliquum eſt, pertinet ad Eccleſiam vel Beneficium cui ſervivit; ac conſequenter donationes de redditibus beneficii factæ ab eo in uſus non pios, invalidæ ſunt & contrà juſtitiam, neque accipientes poſſunt tuta conſcientia retinere. Suarez *tom.4.de rel.l.5.*Mol.*de juſt.tom.2.d.276.& communiter*. Ratio, quia non habent dominium dictorum reddituum, Lug. *de juſt.d.4.ſ.1.* Nihilominus VVad. apud Dian.*p.8.t.6.R.133.* probabile cenſet, quòd etſi illicitæ, validæ tamen ſint iſtæ donationes: idemque multò magis de donationibus Epiſcoporum regularium cenſet cum eodem Dian. *R.132.&c.* contrà Sanch.Suar.&c. Ad Monaſterium verò pertinent omnia alia, quæ aliunde, quàm ex Beneficio acquiruntur, niſi ex conſuetudine cedant Eccleſiæ Nav.Azor.*t.1.l.12.c.10.qu.6.& 7.* Mol.*n.7.*Laym.*l.c.*V.Trid.*ſeſſ.25.c.2.de Regul.*

III. Non tantùm jure antiquo, ſed etiam poſt Tridentinum probabile eſt, Religioſo in Monaſterio, vel juxta illud manenti, annuatim aſſignari poſſe redditum, ut eo vivat ſuo commodo & incommodo, revocabiliter tamen ad nutum Prælati. Similiter Monialibus victum præberi poſſe; ita ut ipſæ ſibi labore manuum veſtes comparent, ita contra Azor. Leſſ. & Mald.docent Sanch.*c.*22. Tann. Laym.*c.*7. Qui addit, talem conſuetudinem, ubi viget, non damnandam: probat tamen tolli debere, ſi commodè poſſit, monetque, non ſine urgentiſſima cauſa introducendam.

IV. Peccat contra paupertatem Religioſus, ſi quid, ſeu domi ſeu foris, etiam ex iis, quæ ad victum & veſtitum pertinent, ſine Superioris conſenſu expreſſo, tacito vel præſumpto accipiat, retineat, abſumat, permutet, alteri donet, vel accommodet. Ita Leſſ.*l.2.c.41.d.8.& d.9.nu.79.*Sanch.*c.19.n.53.& c.21.n.32.*Suar.*t.3.de relig.l.8.c.17.*Laym.*n.4.* Azor.*c.12.*

Dixi 1. *ſive conſenſu tacito*: quia ſi Prælatus ſciat ſubditum aliquid accipere, retinere vel expendere, & non prohibet, cum facilè poſſit, tacitè conſentire & approbare videtur. Unde Sanch.*nu.7.*ait, ſi in aliqua Religione conſuetudo viget aliqua recipiendi vel expendendi ſine licentia, id excuſari per tacitam licentiam Prælati, qui id tolerando, conſuetudinem rationabiliter declarat: Et ſi Prælatus ſubdito donet, vel donari permittat imagines, roſaria &c. ſciens non indigere iis omnibus ad proprium uſum, tacitè facultatem concedere cenſetur donandi aliis, ut notat *Laym.* monet tamen *Leſſ.* talem conſenſum non præſumendum, niſi in rebus parvis, & crebrò occurrentibus.

Dixi 2. *vel præſumpto*: hic enim locum habet, cum res urget, Superiorque non eſt præſens: Ad hunc autem, ut vult *Sanch.& Bon.* non ſufficit, quod Superior libenter concederet, ſi peteres, (alioqui omnes donationes à Prælatis permitti ſolitæ, licerent ſine venia, quod cederet in everſionem diſciplinæ Regularis) ſed requiritur, ut ipſe cenſeatur concedere, quamvis non petas, & nolit in iis circumſtantiis te petere. Addit tamen *Suar.& Leſſ.* excuſari à mortali, ſi præſumatur affectus Superioris, libenter rem conceſſuri, ſi rogaretur. Ratio, quia tunc cenſetur rem habere ex voluntate Superioris, ſaltem virtuali, quæ in illo affectu latet; ideoque ſi Superior tantùm ſit invitus quoad modum, venialiter quidem peccari, non tamen contra paupertatem, docent Suar.Sanch.Laym.*n.4.*

V. Contra votum paupertatis peccas, ſi quid ex rebus in uſum tuum conceſſis, in alium uſum expendas, aut culpabiliter amittas, vel deſtruas lata culpa. Ratio, quia in iis tantùm habes uſum facti, idque precariò; quamdiù Superiori videbitur: eſtque actus dominii, poſſe rem arbitratu ſuo deſtruere, Sanch.*c.19.n.*115.Laym.*n.6.*Leſſ.*n.79.*

VI. Item peccas, ſi quid abſcondas, ut illud liberæ diſpoſitioni Superioris ſubducas. Nec Procuratores, OEconomi, Adminiſtratores, Prælati inferiores, quidquam poſſunt expendere, contra quàm Regula Ordinis, voluntas Superiorum, vel conſuetudo poſtulat. Ratio, quia non ſunt domini bonorum communium, ſed tantùm adminiſtratores. Laym.*n.9.*ex S.Th.&c.

VII. Si Prælatus permittat ſubdito, ut bona ex quacunque cauſa aut titulo provenientia, in uſus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut ſuperflua, pretioſa, & ſtatum ſuum dedecentia, penes ſe habeat, peccat & Prælatus & ſubditus contra votum paupertatis; eſtque talis donatio, ſeu alienatio irrita, & reſtitutioni obnoxia, Nav.Syl.Valent.Mol.Az. Leſſ.*d.9.*Sanch.Layman. Quia Prælatus non poteſt dare veniam majorem, quàm ipſe habet: ipſe autem, cùm non ſit dominus, non poteſt bona ſuo arbitratu & inutiliter expendere; ſed tantùm in Religionis neceſſitatem; & utilitatem. Vid.C.Lugo *de Juſt.d.3.n.*191.

Reſp. II. Religioſus voto Caſtitatis obligatur, ut abſtineat ſe ab omni voluntaria delectatione venerea, interna & externa: proindeque ſi quis contrà caſtitatem peccet, duo peccata admittit, luxuriæ & ſacrilegii, Leſſ. *num.*77. & Laym.*cap.*8.

Reſp. III. Religioſus ex voto Obedientiæ, obligatur ad omnia, quæ Superior præcipit, ſecundùm Regulas & Conſtitutiones Ordinis, ſive directè & expreſsè, ſive indirectè & implicitè. Et quidem ſi præcipiat in virtute S. Obedientiæ, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel ſimili forma, tenetur obedire ſub mortali, quia intendit obligare, quantùm poteſt: ſub veniali autem, ſi alia forma utatur, vel ſub nulla; quod conſuetudo in Societate JESU approbat, v.S. Th.2.2.*q.*104.Syl.Sanch.*l.6.mor.c.*1. Leſſ.*d.*9.Laym.*c.*9.*n.*8.

Porrò quæ indirectè pertinent ad Regulam, *Sylv.* & quidam alii ampliant ad illa, quæ faciunt ad pleniorem ejus obſervationem, *Sanch.* tamen arctat ad res valdè neceſſarias, ſine quibus Regula commodè ſervari nequit, alioqui enim Superior quaſvis corporis macerationes præcipere poſſet, ordinantur enim ad pleniorem obſervationem Regulæ, Laym. *l.4.t.5.c.9.n.*11. Leſſ. *d.9. Unde reſolves*:

I. Non tenetur ſubditus obedire in iis, quæ ſunt vel contra Regulam, (niſi Superior in ea poſſit diſpenſare, & legitima cauſa diſpenſandi ſubſit) vel ſupra Regulam, ut eſſent magnæ macerationes (niſi in pœnam, vel ad obligationem votorum neceſſariæ,) vel ut acceptet Epiſcopatum, Dian.*p.6.t.8.R.33.& aliiſex*: vel infra Regulam, ſcilicet vana (niſi præcipiat ex cauſa quæ ſit ſecundùm Regulam, v.g. ut obedientia exerceatur.) Nec refert, quod Regulæ jubeant in omnibus obedire, id enim non de obligatione voti, ſed obedientiæ perfectione intelligitur. Ita Suar.Sanch.*c.*2.& Laym.

II. Si Regula Ordinis ſub peccato obliget, ejus tranſgreſſio eſt contra votum, & ſacrilega. Ratio, quia talis Regula non eſt minùs præceptiva, quàm vox Superioris, & ſubditus promittens obſervationem Regulæ, eo modo, quo ipſa intendit, ſe obligare cenſetur: proindeque Carthuſianus v.g. carnes edens & Franciſcanus feria ſexta non jejunans, & contra obedientiam, & contra temperantiam peccat, S.Th.*in 2.d.44.q.2.a.3.* Val.Sanch.*c.1.&* 4. Vaſq.Rodr.Lay.*n.6.*Eſcob.&c.

III. Si Regula ſub peccato non obligat, tranſgreſſor illius non peccat contra votum obedientiæ. Ratio, quia talis Regula non continet propriè præceptum, ſed tantùm eſt ordinatio ſeu monitum, obligans tantùm ad pœnam ſi imponatur. S.Thom.Laym.*nu.7.&c.* Hinc nec tranſgreſſio illius ex rationabili cauſa & bono fine, ſeu ex motivo virtutis facta, v.g. ſi extra tempora loquatur cum ſocio, ut mœſtum conſoletur, eſt peccatum: erit tamen veniale, ſi ex negligentia, torpore animi, aliove inordinato affectu fiat, Lay.*l.c.* Quem ut plurimùm concurrere, adeoque rarò omni culpa vacare putant *Valent. Sanch.& Suar.* Qui addunt, quòd ſi quis frequenter, & quaſi per conſuetudinem, Regulam tranſgrediatur, Religioſam diſciplinam graviter perturbet, eaque ex cauſa in periculo expulſionis ſe conſtituat, peccet mortaliter, Laym.*c.9.*Sanch.*n.*18.*v ſupra dub.*2.

IV. Etſi Capitulares novum ſtatutum condere poſſint, quo ipſi, aliique poſtmodùm profeſſionem edituri, obligentur; ante tamen profeſſi, qui in illud non conſenſerunt, eo non obligantur, ſi ad Regulam Ordinis nec directè, nec indirectè ſpectet. Lay.*n.*10. Niſi tamen ſtatutum fiat in Capitulo Generali, vel ſaltem Provinciali, (juxta cujuſque Ordinis inſtitutum) concurrente majore parte ſuffragiorum; & non ſit Regulæ difforme. V.Eſcob.*de leg.E.1.c.*2. Ratio, quia quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari, juxta *Reg.19.in 6.* Addit Laym.& Sanch.ex Sylv.& Az.*tom.1.l.*13. *c.*11.*q.*19. Leſſ. *d.9.nu.*74.*in fine*, nec. Pontificem poſſe Religioſos cogere ad arctiorem vivendi rationem, quàm inſtituti prima forma poſtulat, quia obligatio obediendi, etiam Pontifici, provenit ex voto, quod factum fuit ſecundùm proprium Regulæ Inſtitutum: Si tamen Regulæ reformatio neceſſarium medium eſſet ad Ordinis conſervationem, ad eam Prælatus cum Capitulo, multoque magis Pontifex, illos cogere poteſt: quando ad hoc ſe implicitè quiſque obligaſſe cenſetur. Sylv.Leſſ.Sanch.Laym.*locis citatis*.

V. Etſi conſuetum non ſit nec conſultum, ut Prælati ſub peccato præcipiant actus internos, probabile tamen eſt fieri poſſe, ut docet *Laym.Suar. &c.* Ratio, quia veriſimile eſt, quod aliqui Religioſi ad id ſe obligare intendant, cùm ſe ſuaſi holocauſtum Deo tradant.

Quæres. An ſubditus teneatur obedire, ſi dubitet, utrum ſit res licita, quam Prælatus jubet, vel juſta cauſa imperandi?

Reſp.I. Communiter teneri, quia tunc melior eſt conditio Superioris, qui eſt in poſſeſſione poteſtatis præcipiendi, in dubio autem nemo ſpoliandus eſt jure, quod habet;

nec

„ nec dicas, ſubditum etiam eſſe in poſſeſſione libertatis;
„ cùm habeat debitum parendi.
„ Reſp. II. Non teneri, ſi grave damnum obediendo ti-
„ meat. Ratio, quia in dubio ſavendum eſt reo, eique, de
„ cujus damno agitur. Etſi enim ſubditus non ſit in poſſeſ-
„ ſione libertatis, eſt tamen in poſſeſſione juris, quo poteſt
„ ſe à periculoſis rebus conſervare. Sanchez. *6.moral. cap.3.*
„ *nu.24. aliique.*

ADDENDA.

97 Q*Væſt.17. Quomodo aliquis poſſit ante vel poſt ingreſſum Religionis diſponere de rebus ſuis?* Reſp. Quod attinet ad illum, qui vult ingredi Societatem JESU, videri debent dicta *l.3.p.2.à nu.*1126. Poſſunt tamen quoad illum & alios adhuc hìc addi ſeqq.

§.1. Probabilius eſt, quòd decretum Trid. *Seſſ.25.cap.16.de Reg.* prohibentis fieri reſignationes bonorum, tantùm intelligatur de illis, quæ fiunt poſt, non autem ante ingreſſum in Religionem, uti inſinuatum eſt *l.3.p.2.nu.*1126. putantque Haun. *de juſt.t.2.tr.6.num.*216. & Pirh. *l.3.t.26.num.*55. tantùm intelligi de renunciatione inter vivos. De reſignatione Beneficii Eccleſiaſtici, vide dicenda n.*993.*

98 §.2. Renunciatio, quæ fit per teſtamentum aut cauſa mortis vel profeſſionis, ſecundùm Sanch. *in Dec.l.7.c.*5. Barb. *de poteſt. Epiſc.alleg.99.num.*32. Sylvium *v. Societas JESU caſ.*2. Mangion. & alios ſemper revocari poteſt; cenſentque in dubio præſumendùm eſſe, quòd facta ſit cauſa profeſſionis ſecuturæ: Caſtrop. *t.16.d.1.p.17.nu.*12. putat certum eſſe, quòd renunciatio facta à Novitio ſecundùm formam à Trid. præſcriptam revocari non poſſit, alioquin ad eam non requirerentur tam graves circunſtantiæ, cùm Novitius quolibet tempore novitiatus & abſque licentia Epiſcopi poſſit facere renunciationem revocabilem: hæc tamen ratio non videtur ſententiam illam reddere certam, nam ad quod vis teſtamentum requiruntur graves ſolemnitates: item, ut Epiſcopus teſtari poſſit, requiruntur præter licentiam Papæ etiam aliæ ſolemnitates, & tamen ejuſmodi teſtamenta manent revocabilia, ideò enim ſunt tales ſolemnitates, ut ſecuta profeſſione vel morte, poſſit hæres legatarius vel donatarius jure agere per interpellationem Judicis, quod aliàs non poſſet: nihilominus tenent cum communi Sanch. *n.*57. Barb. Pirh. *t.*31. *n.*92. eſſe irrevocabilem.

99 §.3. Si Novitius moriatur, antequam ſit validè profeſſus, probabilius eſt, ſecundum dicta n.55. renunciationem factam etiam ſecundùm formam Trid. eſſe invalidam; quia expreſsè additur, *Ac non aliàs intelligatur effectum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione:* oppoſitum tamen tenent Suar. & Pirh. *nu.*91. quia videtur tum ceſsare cauſa dipoſitionis, quæ eſt, ut non minuatur libertas pro egreſsu.

100 §.4. Quando renunciatio bonorum fit à profeſsuro expletis 10. menſibus novitiatus, quamvis profeſſio ſubſecuta ſit irrita, quocunque tamen tempore poſteà ratificatur vel expreſsè vel tacitè, hoc ipſo etiam confirmatur renunciatio. Rodriq. Sanch. *n.*56. Lugo *in Reſp. Mor.l.3.d.16.n.*5.

101 §.5. Probabilius eſt cum *Sanch.* contra alios, quòd nequidem mutuum dari poſſit Monaſterio ex bonis Novitii, quamvis hic etiam 16. annis major eſſet: poterunt tamen parentes Novitii dare ex ſuis bonis, cum jure repetendi, ſi filius non profiteatur. Prohibetur etiam à Trid. ne aliquid alicujus momenti, attentis facultatibus Novitii, detur Monaſterio tempore novitiatus à Novitio, excepto victu & veſtitu, *Ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat, nec facilè, ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit.* Si autem res magni momenti datæ ſint, jubet reddi, etiam cum fructibus, uti notat *Sanch.* Atque hæc etiam intelligi debent de aliis obligationibus bonorum. Sanch. *n.*20. V. Lott. *l.3.q.26.n.23.*

102 §.6. Si Novitius Societatis JESU per teſtamentum diſponat de rebus ſuis ſine facultate Superioris; *Mol.* dicit peccare, ſed Sanch. *c.3.n.*5. negat, quia eſt ſui juris, & poteſt ſemper revocare; renunciatio tamen bonorum, quæ in Societate fit poſt vota, vel etiam ante vota poſt annum primum novitiatus, eſt abſoluta & irrevocabilis, ſecundùm dicta n.*56.*

103 §.7. Scholaſticus Societatis JESU, quamvis illicitè, validè tamen teſtatur de rebus ſuis ſine licentia Superiorum, Suar. Sanch. Caſtrop. *d.3.p.2.n.*7. Lugo *in Reſp. Mor.l.4.d.6.* Pelliz. *t.4. c.2.à nu.*157. contra Mol. & Leſſ. Tale autem teſtamentum eſt à Superiore irritabile, quamdiù teſtator vivit, ſed non eo mortuo, quia voluntas defuncti non ampliùs ſubordinatur voluntati Superioris, cùm non ſit ampliùs ſubditus, Lugo *de Juſt. d.3. nu.*81. Et renunciatio in favorem Collegii extra Provinciam, aut conſtituti ſub dominio alterius Principis, per ſe loquendo, non deberet admitti à Generali, ſi per hoc timeretur offenſa; ſi in favorem autem loci in Provincia admitti nō poteſt niſi à Generali, niſi, uti nunc habet uſus, non ſit ſupra 100. Imperiales, ad quos licentiam dare poteſt Provincialis: poteſtque Generalis acceptare tale legatum etiam mortuo ſcholaſtico teſtatore, quia quamvis donatio ſecundùm aliquos ſit invalida, donatore mortuo ante acceptationem, (cujus tamen oppoſitum cum aliis docet Lugo *d.23.n.*75.) nihilominus legatum eſt validum, ſumma enim eſt diſparitas, quia omne legatum priùs poſt mortem validè acceptatur: Et in mortis periculo, quando Generalis conſuli non poteſt, poteſt Provincialis, aut eo abſente, Superior localis dare Scholaſtico licentiam condendi teſtamentum: atque etiam ſufficit licentia Provincialis, quando teſtamentum fit proximè ante profeſſionem, per quam ſtatim redditur omnino irrevocabile, Lugo *d.3.num.*116. Et idem eſt, ſi fiat proximè ante mortem ſub ratihabitione Generalis. Vide etiam *Pelliz.* ſuprà.

*Q.*18. *Quid præterea notandum ſit circa votum pauper-* 104
tatis in Religioſo? R. Seqq.

§.1. Paupertas violari poteſt purè utendo re aliqua abſque licentia Superioris, nam ſuppoſita illa ſententia, quòd uſus etiam licitus facti ſeparari poſſit à dominio, Religioſus ſine licentia utens pecunia, cujus dominium relinquet apud externum, peccabit contra paupertatem & dicetur proprietarius, non quòd habeat dominium proprietatis, ſed quia habebit vitium proprietatis, utendo illa pecunia tanquam ſua; vovens enim paupertatem abdicat ſe poteſtate utendi re tanquam ſua, utitur autem re tanquam ſua, ſi illa utatur independenter à voluntate Superioris.

§.2. Religioſus admittit vitium proprietatis & peccat con- 105
tra paupertatem, ſi ſine ulla licentia Superioris apud externum comedat aut bibat, quamvis enim externus dicat ſe velle retinere totum illius cibi & potus dominium, tamen talis modus conſumendi cenſetur in æſtimatione morali uſus rei tanquam ſuæ. *Nec obſtat*, quòd Religioſus non peccet admittendo, v. gr. ignem aut ſuffitum ſibi factum ab externo, *nam* in his habet ſe merè paſſivè, & externus dicitur illum ignem aut ſuffitum ipſemet conſumere in gratiam Religioſi: è contrà ſi Religioſus comedat aut bibat, ipſemet conſumit, & maximè activè ſe habet, cùm illum cibum & potum acceptet in ſuum uſum, ſibi applicet, & eundem ſumat in alimentum, ita Suar. *de Relig.t.3.l.8. c.*11. *n.*42. Sanch. *in Decal.l.7.c.*19. *n.*53. Amic. *de juſt.d.*14. *nu.*57. Tamb. *in Dec.l.*8. *t.*1. *c.*2. §.5. *n.*10. & alii contra Lugo *de juſt.d.*5. *nu.*51. qui quamvis non affirmet abſolutè, attamen inclinat in eam ſententiam, quòd Religioſus etiam comedendo & bibendo habeat ſe tantùm paſſivè, ſed oppoſitum ſatis conſtat ex dictis: rectè tamen notat Tamb. *n.*11. *& c.*1. *n.*2. ſæpè excuſari à mortali; ideoq; etiam Suar. *n.*43. dicit regulariter non perveniri ad mortale, nec, per ſe loquendo, regulariter æſtimari materiam gravem in ordine ad paupertatem. Vide dicenda n.*133.*

§.3. Profeſſus non poteſt ſibi acquirere dominium rei do- 106
natæ vel emptæ, hinc ſi det ſæculari & viciſſim ab eo recipiat aliquid, quod recipit, acquiritur Monaſterio, quod dat, manet Monaſterii, *Bonac. Baun.* & alii, quamvis oppoſitum dicant probabile Pelliz. & Dian. *p.*10. *t.*14. *R.*2. putantes id, quod ſæcularis reddit profeſſo, cenſeri poſſe æquivalenter reſtitutionem illius, quod à profeſſo accepit.

§.4. Ut licentia Superioris excuſet à violatione paupertatis, 107
debet eſſe obtenta ſine dolo; dolus autem eſt, ſi taceas id, quo declarato non ſolet dari licentia, vel ſi falsò exprimas tale, ob quod concedi ſolet, Suar. Sanch. Caſtr. *t.16.d.3.p.23.n.*1. Aliud eſt, ſi ea taceas, vel falsò exprimas, quibus non obſtantibus ſolet concedi licentia, quamvis difficiliùs, *Suar. Caſtr.* ſuprà.

§.5. Non eſt contra paupertatem acceptare aliquid ſub 108
conditione licentiæ obtinendæ, aut etiam donare, dummodò res recuperari poſſit, ſi negetur licentia; quia cùm conditio nil ponat in re, ipſa ſuſpenditur actus, Lugo Pelliz. *tr.4.c.2.n.*438.

§.6. Certum eſt ad licitè acceptandum vel expendendum 109
ſufficere licentiam præſumptam, quando Superior conveniri non poteſt, & urget occaſio. Suar. *n.*3. Caſtrop. *n.6.* Item certum exiſtimo, inquit *Caſtrop.* ſufficere licentiam tacitam, licèt Superior conveniri poſſet: per hoc autem diſtinguuntur licentia præſumpta & tacita, quòd præſumpta non ſupponatur de facto exiſtere ſed tantùm extitura, ſi peteretur; & aliquando etiam vocatur interpretativa: è contrà tacita cenſetur de facto exiſtere, vel quia virtute in alia expreſſa continetur, vel quia ex circumſtantiis prudenter colligitur adeſſe: ſic ſi Superior tibi concedat veniam peregrinandi, nec prohibeat aliquid recipere & recepta expendere, eo ipſo cenſetur conſenſiſſe, niſi tibi proviſerit de neceſſariis, Suar. *nu.*7. Item ſi conſuetudo ſit aliqua dandi vel recipiendi, & Superior non revocet, eam approbat, *Suar. Sanch. Caſtr.* Item ſi ſciat aut videat fieri, & non prohibeat, cùm poſſet, quia in diſſimulatione continetur quædam approbativa voluntas, Sanch. Caſtrop. Pelliz. *nu.*417. ſecus eſſet, ſi difficulter impedire poſſet, eò quòd, v. gr. timeret, ne domus turbaretur tuis querelis, tum enim purè permittit & non excuſaris, *Nav. Mendoza, Rodriq. Suar. Sanch. Caſtrop.*

§.7. Si licentia præſente Superiore ſit tantum præſumpta, 110
quia nempe credis Superiorem daturum licentiam, ſi pete-

res, & tamen non petis præ verecundia vel alio reſpectu humano, docent Nav.Sanch.Caſtrop.Bardi *de Conſc.d.6.c.3.§.9.* ad ſummum ſore veniale ex illa operari, quia facis dependenter à voluntate Superioris ſaltem futura, ſi peteres: huic doctrinæ meritò contradicunt Buſemb.ſupra, Eliz.*l.4.qu.15.§.1.in fine*, Lugo *d.3.num.124.* nam ſi ad vitandum mortale ſufficit credere, quòd licentia daretur, ſi peteretur, nunquam petenda eſſet, nam vel creditur, vel non creditur danda; ſi creditur, jam non eſt opus petere, poterit autem ferè ſemper probabiliter præſumi dandam ab aliquo ſaltem mediato Superiore; ſi non creditur, ſtultè petitur, ergo nunquam eſſet petenda in ordine ad vitandum mortale: itaque dicit Lugo *num.125.* tum tantùm poſſe ſic procedi ex præſumpta licentia, quando Superior ita eſt invitus ſolùm quoad modum, ut ratione modi, qui diſplicet, non ſit etiam invitus quoad ſubſtantiam, ſolus enim modus tum manet contrà voluntatem Superioris: de cætero ſi Superior ratione talis modi teneatur eſſe invitus etiam quoad ſubſtantiam, licentia præſumpta non ſufficit, tenetur autem ſæpè ex vi officii, etiam ſub mortali, ſic eſſe invitus, ne alioquin diſſolvatur diſciplina & obſervantia paupertatis: & ſimile dat *Lugo* de diſpenſatione, nam licèt ſcias Superiorem hanc daturum, ſi peteres, tamen peccas operando illa non petita, dum peti poteſt; admittit tamen num.126. aliquando ſufficere præſumptam ad hoc, ut Superior ſit invitus tantum quoad modum, nam ſi adſim Principi, qui oſtendat ſe optare Reliquiarium meum, prudenter judico Superiorem non eſſe invitum, nequidem quoad modum, ut ſtatim dem; ſi tamen Princeps optaret à me priùs peti licentiam, & nihilominus ea non petita ſtatim darem, Superior adhuc non eſſet invitus quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad hunc modum. Requiri autem certitudinem moralem de futuro conſenſu Superioris, diximus *lib.1.nu.821.*

Obiicies. Conſenſus præſumptus Domini excuſat à furto, ſecundùm dicta *l.3.p.1.n.946.& 1033.* Item excuſat à reſtitutione, ſecundùm dicta *l.3.p.2.uum.462.* ergo ſimiliter à violatione paupertatis. Reſp.N.conſ.quia cùm Dominus tantùm attendat ad ſuam utilitatem, regulariter præſumitur, quòd diſplicentia talis modi non afferat diſplicentiam gravem quoad ſubſtantiam; è contrà Superior Religioſus debet attendere ad bonum commune Religionis, quod graviter pateretur, ſi invitus quoad talem modum non eſſet invitus quoad ſubſtantiam.

111 §.8. Si res ex tacita vel præſumpta licentia ſit conſumpta, non eſſe opus manifeſtare Superiori, putant *Suar.& Sanch.* quod verum eſſe dicit *Lug.* etiamſi illicitè & abſque ulla licentia eſſet conſumpta, quia ſubditus non utetur ampliùs re illa, nec Superior poteſt ampliùs circa illam diſponere; ſi tamen ſit vendita aut donata alteri, manifeſtari debet, quia manſit Monaſterii, quod habet jus repetendi,

112 §.9. Si licentia tibi ſit debita, & injuſtè negetur, itaut injuſtitia negationis teneat ſe ex parte Superioris, non ideo tibi licitus eſt uſus, ſicuti ſi injuſtè tibi negetur diſpenſatio, non ideo deobligaris: ſi autem licentia tibi ex parte tui debeatur, eò quòd à Religione jus habeas, ut tibi concedatur, ſufficit, ne votum violes, quia licentia tum jure ipſo conceditur à Religione, hinc ſi Superior non ſuppeditet tibi neceſſaria ad victum vel veſtitum juxta morem tuæ Religionis, licèt ſimul negaret tibi licentiam acceptandi ab externis, licitè acceptares, nam ſaltem ſubordinatus ejuſmodi Superior nequit te obligare ad paupertatem ſtrictiorem promiſſa, id eſt, ultra Religionis tuæ modum, Caſtrop. *n.10.* quæ tamen cautè intelligenda ſunt, nam vix poterit prudenter præſumi veniam injuſtè negari à Superiore, qui habere poteſt ex circumſtantiis cauſas nobis ignotas.

113 §.10. Si Superior illicitè det licentiam, Navar.Sanch.*à.n.21.* Caſtrop. *p.23.nu.4.* dicunt ſubditum illa utentem peccare contrà paupertatem, quia licentia illa eſt nulla: hinc dicunt ipſummet Superiorem ita utentem peccare contrà paupertatem: contradicit Lugo *nu.130.* quia aliàs ſubditus magis peccaret contrà paupertatem, ſi Superiore mandante furaretur, quod quamvis concedant Caſtrop.& Pelliz.*nu.419.* tamen negant Suar.& Sanch.*n.55.* *Si dicas*, ſubditum non furari ſibi ſed Monaſterio, & ideo non eſſe proprietarium, *ſimiliter* dico non expendere nomine ſuo ſed Superioris, ideoque etiam non eſſe proprietarium: docet nihilominus rectè Lugo *à num.131.* & conſentire videtur Pelliz.*nu.437.* quamvis talis ſubditus proprietarius non ſit, cùm propria auctoritate nil uſurpet tanquam ſuum, attamen poſſe peccare contra paupertatem, ſi non retineat ſtatum pauperis, quem in ſe conſervare tenetur.

114 §.11. Si Superior det licentiam ad uſus illicitos vel ſuperfluos, *Navar.Sanch.Caſtrop.& Buſemb.* ex eadem ratione dicunt tam Superiorem quàm ſubditum ſic utentem peccare contra paupertatem, ac propterea ejuſmodi licentiam eſſe invalidam, hinc ſi res pretioſa Religioſo, non ſit nec putetur pro ſe vel aliis uſui futura, ut ſi ei donetur lapis valens contrà morbum comitialem, quo nec ipſe nec alius, ubi erit, putetur laboraturus, docet Leſſ.*in auct.v.paupertas Religioſa, caſ.3.* Superiorem non poſſe ei relinquere, ſi aliò migret: è contrà S.Antonin.Silv.Turrecrem.Leſſ.ipſe alibi, Tabien.Az.Graff. aliique plures apud Sanch.*num.20.* & cum Lugo *nu.137.* dicunt ejuſmodi licentiam eſſe validam, ideoque ſubditum non peccare contra paupertatem, & videtur conſentire Pelliz.*nu.419.* dicitque probabile Diana *p.3.t.2.R.65.* quia ſi ſubditus cum licentia Superioris emat ſuperflua, nemo dicet emptionem eſſe invalidam ergo transfertur dominium pretii, ergo conſenſus Superioris fuit validus: ſimiliter ſi ſubditus cum licentia Superioris admittat ſuperflua ab externis, acquirit Monaſterio, ergo licentia illa eſt valida, nec peccat contra paupertatem, ſi conſervet ſtatum pauperis, ſecundùm antedicta, quem conſervare poteſt, licèt cum licentia Superioris parvo ſumptu conduceret meretricem, uti notat Lugo *num.135.* Et ideo etiam ſi Religioſus cum licentia Superioris det externo aliquid etiam ad uſum turpem, externum ad reſtitutionem non obligant Bann. Lop. & alii viri docti, quidquid contradicant Silv. Mol.Rodriq.Sanch.Caſtrop.*num.5.* notatque Rebell. ſaltem ſæpè præſumi Religionem conſentire, ne periclitetur fama Superioris vel ſubditi. *Nec obſtat*, quòd Superior non ſit dominus ſed tantùm adminiſtrator, ipſi autem non ſit commiſſa poteſtas ſic ad miniſtrandi, *nam* 1. Saltem Monaſterium eſt dominus, & diſponere poteſt de rebus ſuis etiam ad uſus illicitos, præſumitur autem ſæpè conſentire, uti notat *Rebell.* 2. Licèt Superior ſit tantùm Adminiſtrator, tamen ſi nullum Monaſterio inde naſcatur damnum, nullo jure ſcitur, eſſe ejus poteſtatem reſtrictam ad ſolos uſus licitos: atque ita poteſt Superior ſubdito dare generalem facultatem admittendi omni menſe aureum, non reſtringendo ad admiſſionem licitam vel illicitam, Lug.*nu.139.* Et quamvis plurimi cum Sanch.*nu.30.* dicant, ſi Superior det abſolutè licentiam, cenſeri limitaſſe intentionem ad ſolos uſus licitos, quorum ſententiam Lugo *nu.142.* fatetur communem & probabiliſſimam, tamen dicit oppoſitum non eſſe improbabile, quod ut verum abſolutè tenent *Bann.Lop.Rebell.Salas*, ac probabile dicunt *Sayr.& Diana* quia generaliter concedens licentiam vult, quantùm poteſt, tollere impedimentum, quod eſſet ex defectu licentiæ, relinquendo uſum conſcientiæ ſubditi, ſicuti ſi quis petat à te mutuam vel commodatam pecuniam, das illam generaliter ad omnes uſus, nec reſtringis ad uſus licitos: ſed neque cooperaris, etiamſi ipſe adhibeat ad illicitos: fatentur tamen omnes communiter cum Sylvio *p.1.v.Abbatiſſa*, Superiorem peccare contrà paupertatem, ſi cum damno Monaſterii paſſim pro ſua libertate de ejus bonis ſine juſta cauſa diſponat: quales autem donationes ſint Religioſis illicitæ, dictum eſt *l.3.p.2.n.808.*

§.12. Si Superior antecedens dederit mihi licentiam, valet 115 etiamſi ipſe ab officio deceſſerit, Lugo, Dicaſt. Diana *p.11.t.8. R.54.* E contrà quamvis Superior licitè acceptet pro ſe aliquid, tempore, quo eſt Superior: ac etiam licitè retineat tempore, quo non eſt Superior, uti rectè *Lugo* contra *Dicaſt.* attamen non poterit expendere ſine licentia moderni ſui Superioris, quia tantùm aliis, non autem ſibi ipſi poterat delegare ſeu committere poteſtatem ad exponendum pro tempore ſequenti, cùm inter delegantem & delegatum debeat eſſe diſtinctio.

§.13. Valet licentia priùs negata à Prælato Superiore, ſi 116 nulla hujus facta mentione eam obtineas à Prælato inferiore, etiamſi per Regulam præſcribatur, ut indicetur inferiori, cur negarit Superior. Ratio eſt, quia inferior habet de ſe poteſtatem ad hoc, uti ſuppono, & ignorantia negatæ ab alio licentiæ habet ſe per accidens, Pelliz.*n.416.* Et quamvis Prælatus Superior prohibuiſſet inferiori dare talem licentiam, attamen adhuc validè daret, dummodò non ſit addita clauſula irritans factum, quia non ideo erat Prælato inferiori ſublata ſua poteſtas ordinaria, multa autem fiunt illicitè, quæ tamen valent, Pelliz.*n.436.* Et idem eſt, ſi per ſtatutum Ordinis prohibeatur, ne Superior det licentiam accipiendi aliquid, v.gr. à conſanguineis, nam ſi licentiam det ſine cauſa, tantùm agit contra ſtatutum, fortè non obligans ſub culpa, ſed tantùm ex Regula, ſi autem det cum cauſa, nullo modo peccat ſubditus, cum Superior poſſit ex cauſa diſpenſare in ejuſmodi ſtatuto: aut ſaltem acceptare poterit ipſe Superior nomine Monaſterii, & tum ſi det ſubdito, certò evitabitur omnis culpa, Pelliz.*nu.446.*

§.14. Si Religioſus peregrinus fiat ſubditus Superiori loci, 117 in quo eſt, ut ſit in Societate JESU, hic poteſt dare licentiam, ut donet & acceptet, nec opus eſt poſteà licentia alterius Superioris, Pelliz.*à.nu.421.* Si autem aliquid donet vel recipiat ſine licentia Superioris, quem habet, volens per litteras petere licentiam ab alio Superiore, v.g. à Provinciali vel Generali, quem putat fore faciliorem, dicit Pelliz.*nu.423.* non peccare contra paupertatem ſed tantùm venialiter contra obedientiam; & ita docet etiam cum aliis Sanch.apud Pelliz.*num.424.* Religioſum non peccare niſi venialiter, ſi abſque ulla venia hujus Superioris acceptet ac retineat aliquid ad breve tempus, quo adveniet alius Superior, vel quo ſcribat Provinciali.

§.15. Si acceptes rem Superiori tradendam, rarò poteſt 118 eſſe mortale, Caſtrop.*p.21.nu.5.* ſi autem abſolutè acceptes cogitans donare Titio, cui etiam dones ſine licentia, peccas, quia

res

res per acceptationem tuam jam erat Monaſterii, è contrà ſi non acceptes, ſed à donante petas facultatem ejus nomine dandi Titio, non peccas, Suar.Sanch.Caſtrop.*p.*22.*n.*4.Diana *p.*1.*t.*6.*R.*8. aliique multi; quod verum eſse dicunt multi cum Sanch.Caſtrop.Diana *p.*3.*t.*2. *R.*65. quamvis donans non ſciat, cui donare velis, ſed id tuo arbitrio relinquat, quia relicta tibi ſola perſonæ electio non immutat rem: ſi tamen tibi det rem, non determinans ejus uſum, ſed relinquens tuo arbitrio, ut nomine ejus in uſum, quem voles, expendas, ita ut etiam tibi poſſis applicare, Suar.*c.*15.*num.*16.putat te ſic acceptando ſine licentia Superioris peccare contra paupertatem, ſed excuſat *Caſtrop.*ſuprà, ſi nolis tibi applicare, niſi dependenter à Superiore: hinc etiam Suar.ſuprà & Lugo *d.*2.*n.*54.dicunt, ſi acceptas cum intentione expendendi nomine donantis in uſum aliorum & non in utilitatem vel commoditatem tuam, te nullo modo peccare: docentque univerſaliter etiam Sanch.*c.*30.*n.*4. Dian.*p.*1.*t.*6.*R.*29. & alii nullo modo peccari contra paupertatem, ſi acceptentur eleemoſynę diſtribuendæ in pauperes etiam non deſignatos à donante, quia diſtribuens per hoc nihil dominii acquirit, & jus diſtribuendi non eſt dominium nec uſusfructus, nec uſus, ſed tantùm poteſtas diſponendi nomine alieno, quod non facit proprietarium. Vide *Sanch.*

119 §.16. Si habeas licentiam dandi aliquid Cajo, & des Titio, non peccas, niſi Superior dederit licentiam pro Cajo ob peculiarem rationem, negaturus, ſi petiviſſes pro Titio, Pelliz.*num.*275.

120 §.17. Si Titio Religioſo detur licentia dandi aliquid, quod dari ſolet Religioſis vel externis, hoc ipſo ſecundùm aliquos cum Dian. *p.*3.*t.*2.*R.*65. Cajus ejuſdem Superioris cum Titio ſubditus habet licentiam acceptandi, quia dare & accipere ſunt correlativa, ergo licentia ad unum cenſetur etiam eſse ad alterum, poteſtque Religioſus, cui volet & ſolet dari, ejuſmodi rem dare, quam habet cum licentia Superioris, & non ſolet concedi ad uſum Religioſi, ſed ad diſtribuendum aliis, Sanch. Bonac.Pelliz.*n.*428. Similiter habens licentiam generalem acceptandi & dandi, poteſt vi talis licentiæ emere & vendere, Lug.Pelliz. *nu.*315. Qui tamen habet licentiam acceptandi & dandi v.g.Munuſcula aliis, non ideò poteſt vendere, quia ſcitur eam non eſse mentem Superiorum illa concedentium.

121 §.18. Habens licentiam quotidie acceptandi medium aureum, ſi eadem die acceptet à pluribus aut ſucceſſivè plures medios aureos, peccat, nam privilegium, quod eſt contra communem obligationem, eſt ſtrictæ obligationis, uti dictum eſt *l.*1.*n.*839. Accedit, quòd moraliter coaleſcant in unam majorem ſummam, quàm quæ licita eſt ei, Diana & alii cum Burgh. *cent.*3.*caſ.*59.Et ut materię leves furti non coaleſcant, requirunt Fill.*tr.*31.*n.*244.& Diana *p.*1.*t.*6.*R.*34.ſaltem medium menſem; & idem putat hic dicendum *Burgh.* ita ut velit intrà duos menſes nonniſi quatuor ejuſmodi acceptationes fieri, licèt fortè non ſemper poſt unam interlabantur duæ ſeptimanæ.

122 §.19. Si Religioſus mittatur Romam, cenſetur habere licentiam ibi emendi ſpiritualia munuſcula & diſtribuendi, cùm redierit, dummodò non fiant expenſæ admodùm excedentes, uti, aliis conſultis, reſolvit Pelliz.*n.*431.

123 §.20. Religioſi iter agentes vel extra clauſtra degentes facere poſſunt, in primis moderatas eleemoſynas, id enim pietati & Religioni conforme eſt; deinde & donationes aliquas leves pro accepto beneficio, vel pro ſignificatione amicitiæ, vel pro concilianda aliorum voluntate in favorem Religionis, Suarez *à n.*11.Caſtrop.*n.*3.

124 §.21. Si Religioſus adminiſtret officium curæ animarum, quod ſit beneficium ſaltem manuale, poteſt habere adminiſtrationem proventuum, & etiam bonorum immobilium annexorum, uti probabiliter *Nav.* ſi autem id, quod ei commiſſum eſt, non ſit beneficium, ſed v.g.Vicaria ab Epiſcopo non inſtituta, ſed ſolùm conſtituta ad tempus ob aliquam neceſſitatem, attamen habens bona immobilia annexa, Superior non poteſt ei dare licentiam, ut ea adminiſtret, Trid.*ſeſſ.*25.*c.*2.*de Regul.* Si autem non habeat adminiſtrationem niſi aliquorum mobilium & emolumentorum, Superior concedere poteſt, Leſſ.*in auct.v.Paup.Relig.caſ.*4.

125 §.22. Si Religioſus ſine licentia ſumat rem è loco publico ac utatur, & poſteà reponat, *Az.Villal.Faber*, dicunt non peccare contra paupertatem, quia non ideò de illa diſponit; *Sanch.& Fauſt.* dicunt peccare, quia uſus ipſe, qui fit ſine licentia, eſt actus dominii, ſecundum dicta nu.104.Dian.*p.*1. *t.*6.*R.*40. dicit utramque ſententiam eſse probabilem, ſecunda tamen eſt probabilior & tenenda, niſi ſit licentia generalis vel præſumpta.

126 §.23. Religioſus longo tempore, ſcilicet per annum, utens ſine licentia re aliena notabili, aut eam occultans, ne auferri poſſit, peccat mortaliter, Suar.Caſtrop.*p.*21.*nu.*3. ſi tamen habeat palàm, etiamſi Superior non poſſit reſcire eſse alienam, Az.Coriolan.Homob.& alii cum Dian.*p.*3.*t.*2.*R.*65.dicunt non peccare mortaliter, ſi velit uti tantùm ad tempus; *Caſtrop.* contradicit, ſi ad longum tempus uti velit.

§.24. An Religioſus poſſit inire contractus, & Monaſterium ejuſmodi contractibus obligetur, videri poſſunt Onn.*de contr.d.*4.*ſ.*8. & Caſtrop.hic *d.*3.*p.*15. *&* 16. Et ſpeciatim, ſi Religioſus ex rebus ad uſum ſibi conceſſis mutuet alteri ſine licentia, peccat; ſi tamen certus ſit de reſtitutione & commodet, etiam externo, non peccat mortaliter, quia non transfertur dominium, nec res fit notabiliter deterior, uti ſuppono, uſus autem temporalis non eſt tanti, ut cenſeatur eſse materia mortalis, Laym.Sanch.Dian.*p.*1.*t.*6.*R.*37.& alii. Idem de mutuo dicunt Led.& Pelliz.*n.*281.quia quamvis per mutuum transferatur dominium, tamen vel hic non transfertur, vel cùm reſtitui debeat, nec Monaſterio cauſandum ſit grave damnum per illam carentiam temporalem, actus ille mutuandi videtur eſse quid leve. 127

§.25. Religioſus non peccat mortaliter, ſi commodato accipiat rem, licèt magni valoris abſque licentia, Pelliz.*n.*284. Aliud eſt, ſi accipiat mutuo, quia tum vult acquirere dominium, putant tamen Suar.Pelliz.*nu.*283.non eſse mortale accipere 10.aureos mutuos ad breve tempus: Quod ſi rem, quam accipit mutuam, aut quam quomodocunque acceptat abſque licentia, non vellet acquirere ſibi, ſed Monaſterio, cui etiam poſteà extraderet, regulariter loquendo non erit mortale, quia eouſque præſumitur conſenſus Superioris quoad ſubſtantiam, Suar.Caſtrop.Pelliz.*n.*267. 128

§.26. Si Religioſus abſque licentia pecuniam alienam permiſceat ſuæ, licèt alienæ dominium acquiratur, ſi permiſcens id intendat, ſecundùm dicta l.3.p.2.n.118. tamen non videtur grave contra paupertatem, quia commutatio illa eſt valde materialis & accidentalis, tenebiturque æquivalentem ex eodem cumulo reſtituere, Lugo *d.*6.*à n.*162. Quòd ſi mel alienum miſceret vino ſuo, ut faceret mulſum, peccaret contra paupertatem, quia notabiliter immutaret vinum, & Dominus mellis partialiter acquireret dominium vini, vel ſaltem Monaſterium obligaretur Domino mellis pretium ſolvere; talem autem permutationem non poteſt facere Religioſus abſque licentia. 129

§.27.Si quis ſine licentia permutet cum externo res ſui Monaſterii, & Monaſterium per hoc non patiatur damnum, Lop. Rodriq.Peir.Led. & alii, quorum ſententiam Diana *p.*1.*tr.*6. *R.*38. vocat probabilem, dicunt non ideò peccari, quia res accepta videtur eſse æquivalenter prior, & adeſse cenſetur interpretativa licentia: Alii cum Sanch.*c.*19.*n.*67.probabiliùs contradicunt, quia permutatio eſt actus dominii vel ſaltem uſus rei tanquam ſuæ. 130

§.28. Eſt contra paupertatem, ſi Religioſus ſine licentia fidejubeat, aut accipiat aliquid conſervandum in vim contractus depoſiti, quia non licet ei tales in ſe obligationes aſſumere, Sanch.Caſtrop.*d.*4.*p.*13.*ſ.*4. Non eſſet tamen contra paupertatem, ſi acceptaret aliquid tantùm in fidam cuſtodiam, Caſtrop. *d.*3.*p.*21.*n.*6. 131

§.29. Si Religioſus abſque licentia faciat & donet amico, v.g. picturam magni valoris, peccat, quia opus factum ſtatim erat acquiſitum Monaſterio: ſi tamen ille amicus antecedenter petiiſſet ac ſubminiſtraſſet materiam, Religioſus autem feciſſet pro ipſo, non peccaret, quia poteſt ſine licentia operam ſuam gratis exhibere alteri, Bonac. Val. Dian. *R.*6.Pelliz. *num.*295. 132

§.30. Quoad quantitatem gravem, loquendum eſse de Religioſis, ſicuti de filiis-familias docent, Sanch. Rebell.& alii cum Fagund.*in Decal.lib.*7.*c.*5. quantum autem requiratur, ut hi cenſeantur graviter peccare, dictum eſt l.3.p.1.à nu.1032. Addunt AA.citati Religioſos Ordinariè cenſendos eſse velut filios hominum mediocriter divitum. Lug.*d.*3.*à n.*172.putat Religioſos non eſse omnino æquiparandos filiis quoad materiam paupertatis, eò quod Superior in illis ſit magis invitus, non tam ratione damni temporalis, quàm ſpiritualis, quod præcipuè cavere tenetur, vide Pelliz.*à n.*254. Notant autem Suar.Sanch. Caſtr. Fagund.Pelliz.*n.*260. neceſſariam eſse minorem quantitatem, ſi uſurpetur res Monaſterii quàm externi, quia Superior ob majus damnum Monaſterii eſt magis invitus. 133

§.31. Si quis abſque licentia recipiat aut expendat modica uſque ad magnam quantitatem, *Nav. Vega, Graff. Carbo, Leſſ.*cenſent probabile eſse iſta non uniri, ideoque non peccare mortaliter; ſed oppoſitum tanquam probabilius tenent Sanch. Fagund.aliique cum Pelliz. *à n.*257. excipiunt tamen parva comeſtibilia, quamvis ab initio eſſet animus illa proſequendi. Vide dicta l.3.p.1.n.1016.quæ applicari poſſunt. 134

§.32. Licentia data ad majorem ſummam, quàm dare poſſit Superior, juvat ſaltem ad ſummam, quæ ejus poteſtatem non excedit, quia in ſeparabilibus utile per inutile non vitiatur, Pelliz.*n.*442. 135

Religioſum poſſe repudiare donum, non tamen hæreditatem ſibi oblatam, dixi *l.*3.p.2.n.1160.

*Q.*19. *Quid ſpecialiter notandum ſit circa paupertatem in Societate JESU, & domos illius profeſſas?* R.ſeqq. 136

§.1. In Epitome Inſtituti pag.248. ſic habetur: *Gratis dare debemus; quæ gratis accepimus, nec poſtulando nec admittendo ſtipendium vel eleemoſynas ullas, quibus Miſſæ vel Confeſſio-*

feſſiones vel prædicationes vel lectiones vel quodvis aliud officinm noſtri inſtituti compenſari videatur : prohibitumque, ne ullus Superior ac ne ipſe quidem Præpoſitus Generalis in eo diſpenſet ; declaratum prætereà nullius Superioris ſuper ea re vel licentiam vel diſpenſationem ſeu licitam ſeu validam eſſe : quæ igitur ſic donantur, ut conjectura ſit id fieri intuitu miniſterii, non ſunt admittenda , donec donantes planè intelligant accipi non poſſe , niſi nomine eleemoſynæ , & ſecluſo omni alio reſpectu , atque hoc eodem modo ipſi quoque largiantur . Hoc non obſtante , imò quamvis in Cõſtit.*p.4.cap.7.§.3.* dicatur non convenire ullam Collegii dotationem admitti cum obligatione ad dandum, v.g. Profeſſorem Theologiæ, tamen hoc non eſt contra paupertatem vel Conſtitutiones, quæ tantùm per modum conſilii dicunt hoc non convenire, nec ideò pro Miniſterio admittitur ſtipendium, ſed ad ſuſtentationem neceſſariam perſonæ, Sanch.Pelliz.*tr.*4.*c.*2.*nu.*149.

137 §.2. Stipendia acceptata pro Miſſis legendis, vel pro peragendis aliis miniſteriis ſpiritualibus debent reſtitui ante hæc opera peracta, uti certum eſt : ſi autem jam ſint peracta : Sanch. *in Decal.l.*7.*c.*28.*n.*11.dicit adhuc eſſe obligationem reſtituendi, non ex juſtitia, ſed voto, nec poſſe tradi Superiori aut expendi in pios uſus, quia etiam Superior obligatur voto non admittere, ergo etiam non expendere admiſſa. Alii cum Caſtr.*t.*16. *d.*3.*p.*11.*n.*9.negant teneri reſtituere, quia votum tantùm obligat, ut non admittas pro miniſteriis faciendis, non autem ut poſt facta reſtituas, finis enim voti tum ceſſat, qui eſt, ut pro miniſteriis nihil admittatur, quia gratis adminiſtrari debent. Sententia *Sanchez*, videtur probabilior, quia ſi poſteà pro eis admittatur ſtipendium, non ſunt adminiſtrata gratis.

138 §.3. Si Titius Sacerdos Societatis legat Miſſas ad intentionem Sempronii Sacerdotis ſæcularis, huic relinquens ſtipendia, quæ acceperat pro Miſſis legendis, videtur ſic diſtinguendum. 1. Si conſtituentes Miſſas ſpecialiter elegerint perſonam Sempronii (quod ordinariè non eſt) v.g.quia creditur legere devotiùs, fieri non deberet, quia ſic defraudaretur intentio eorum; attamen tantùm incircumſtantia non adeò notabili. 2. Si ſtipendia multa jam recepta ſint à Sempronio, qui nec ea poſſit reſtituere, nec ſatisfacere pro omnibus Miſſis, Titius poſſet ſupplere, quia in iſtis circumſtantiis cenſetur gratis & ex pura charitate legere, uti ex declaratione Claudii Aquaviva colligit Sanch.*num.*24.3. Si Titius non recipiat quidem ſtipendium , attamen circa illud diſponat, v.g. dicat Cajo, da ſtipendium iſti pauperi, & ego ad intentionem tuam legam Miſſam; vel ſi Sempronio dicat, tu accepta ſtipendium, ego loco tuo legam Miſſam, adhuc putat Caſtrop.*n.*7.cum licitè agere, quia nec Titius recipit ſtipendium, nec Cajus illud dat pauperi vel Sempronio nomine Titii ſed ſuo, licèt Titius det occaſionem, gratis offerendo Miſſam, non aliter ac ſi Cajus daret pecuniam pauperi vel Sempronio, quia Titius ab eo petiviſſet: ſed hæc ſententia communiter reprobatur, teſte Pelliz.*nu.*137. hinc Rodriq. Fagund.Sanch.*nu.*15.*&* 16. dicunt Titium illicitè agere, quia ſic diſponendo circa ſtipendium per quendam quaſi contractum, *facio, ut des*, virtualiter acceptat ſtipendium, illudque redonat alteri, quorum utrunque eſt contra votum

139 paupertatis. 4. Si Sempronius jam acceptarit ſtipendium , Titius nihil diſponendo circa illud poteſt licitè loco Sempronii ſupplere, Miſſam legendo, ita Michael Vaſq. Salas, Caſtrop. *nu.*8. contra Sanch.Ratio eſt, quia nec acceptatur ſtipendium à Titio, nequidem virtualiter, cùm circa illud nihil diſponat; nec in aliquo defraudetur Cajus; eratque Cajo perinde, per quem legeretur Miſſa. Conf.nam ſi Titius iturus Coloniam, in favorem Sempronii gratis ferret litteras, ad quas ferendas Sempronius eſſet mercede conductus,utique Titius non ageret contra paupertatem, nec cenſeretur ſibi acquirere, & Sempronio donare illam mercedem, quidquid in contrarium dicat Sanch. *n.*19.Item, ſi Titius pro Sacellano ex fundatione obligato ſuppleat in canenda Miſſa, non peccat fatente Sanch.*n.*18. quamvis Sacellanus pro hoc habeat ſuum proventum; idem eſt ſi pro aliquo concionetur, Confeſſiones audiat &c. qui inde trahat conſueta jura, ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Obiicies, Sempronius non habet jus vel titulum retinendi illa ſtipendia niſi mediantibus Miſſis Titii, ergo Titius legens Miſſas confert illi jus & titulum retinendi ſtipendia, ac proinde idem eſt, ac ſi ſtipendia illa acciperet & daret Sempronio.R.N. ant.nam jus & titulum retinendi habet ex vi donationis oneroſæ, ſive contractus innominati, *do, ut facias*, quo obligatur ad Miſſas per ſe vel alium legendas, quo onore levatur à Titio, qui tantùm ponit Miſſas velut conditionem, ſine qua Sempronius frui non poſſet illo jure & titulo retinendi ſtipendia.

Inſtabis. Saltem obſtat decretum III. Congreg.XII. prohibens ipſimet Generali, ne Miſſas, quæ ad ejus intentionem celebrantur per Societatem, applicet ſecundùm intentionem cujuſcunque alterius, qui inde lucrum aliquod reportare poſſet aut levari oneribus Miſſarum. R.N.aſſ. nam licèt id prohibeat Generali, in poſitivis non valet illatio à majori ad minus, cùm poſſit eſſe ratio pro uno, quæ non eſt pro altero: & circa Generalem reipſa ſunt aliæ cauſæ, v.g. ut liberetur importunitate petentium, ut Societati vel alteri fini nos proximius attingenti applicet. Deinde decretum illud eſt revocatorium illius, quod antea licebat Generali & aliis omnibus, eſtque etiam odioſum, ergo non eſt extendendum ad alias perſonas, ſed hæ manent in poſſeſſione libertatis ad hoc faciendum ſalvo voto paupertatis. Videri poteſt Lugo *in Reſp.Moral.l.*4.*d.*30.

§.4. Si quis principaliter voverat curare Miſſas, & conſe- 140
quenter ſecundariò ſtipendia pro Miſſis, quia credebat ſe non poſſe illas gratis habere, poterit Sacerdos Societatis gratis in ejus favorem legere Miſſas, ſicque qui voverat, poterit retinere ſtipendia, Sanch.Pelliz.*nu.*147.Si autem Sacerdos ad Societatem admiſsus cum onere Miſsarum debitarum ex acceptis ſtipendiis; aut jam profeſsus, ſi poſt conſumpta ſtipendia non poſſit per externos eas Miſsas conſtituere, poteſt juvarj à Sociis, Peliiz.*n.*145.146.

§.5. Viri docti è Societate cum Pelliz *nu.*142. putarunt Sa- 141
cerdotem Societatis poſse titulo gratitudinis celebrare Miſsas, retento ſibi cum venia Superioris ſtipendio, quod accepit pro conſtituendis Miſſis, ſi adſit probabilitas, quòd is, qui Miſſas voluit, relicturus ei eſset ex gratitudine illam pecuniam, ſi factum ſciret.

§.6. Scholaſticus Societatis illicitè,attamen validè diſponit 142
de bonis ſuis ſine licentia Superiorum, ut dictum eſt n.103.An autem peccet etiam Novitius ſic diſponens dictum eſt n.102.De cætero Scholaſticus à Superiore juſsus diſponere de bonis ſuis peccat contra paupertatem, ſi id non faciat, quia vi voti tenetur non uti re ſua invito Superiore, talis autem retentio eſt quidam uſus ſui dominii, Suar.Caſtr.*p.*2.*n.*4. Et idem eſt de Coadjutoribus temporalibus non formatis: intellige autem ſemper, ſi ſine cauſa detrectent, hanc enim poſsunt proponere.

§.7. Si quis pecuniam ſibi oblatam relinquat depoſitam 143
apud alium, penes quem pecuniæ dominium remaneat; vel ſi eam habeat apud ſe, ita ut dominium ſpectet ad alium, & nolit ea uti, niſi petita ſuo tempore venia à Superiore, Suar. Sanch.Laym.*l.*4.*t.*5.*c.*7.*qu.*1.Diana *pat.*3.*t.*2.*R.*65.negant eſse contra paupertatem, quia non acceptat dominium, uſum autem non vult niſi dependenter à Superiore; *Caſtrop.* dicit eſse ſaltem imperfectum : ſed quidquid de hoc ſit apud alios Ordines, in Societate ſtatutum eſt Congreg.12.decreto 41. ut Superioris licentia, quæ poſteà ad talem uſum daretur, ſit nulla & prorſus irrita, ideoque talis uſus non poterit eſse licitus Religioſo Societatis.

§.8. Quoad quotidiana videntur hæc ex conſuetudine te- 144
nenda:1.Eſt venia generalis ferendi ſua refarcienda ad ſartorem vel ſutorem, non autem accipiendi nova; ſi tamen illi ferant, quibus commiſsa eſt cura, poſsumus ordinariè præſumere, quòd cum facultate faciant. 2. Si quis cum venia ferat aliquid ex uno Collegio ad aliud, non eſt opus oſtendere in loco, ad quem venit, ſed poteſt hic uti aut conſumere : excepta pecunia, quæ apud hunc novum Superiorem deponi debet. 3. Ad ſcripta mutuanda vel donanda cenſetur eſse venia : videtur tamen generalis venia petenda ad pallium,calceos, & ſimilia mutuanda, item ad res parvas acceptandas vel dandas.4.Miniſter poteſt dare veniam pro rebus mutuandi, cujuſcumque pretii ſint:ſed communiter non habet niſi ad medium Imperialem in pecunia; aut ad rem illius pretii dandam vel acceptandam.

§.9. Si aliqua Confraternitas vel Sodalitas diſsolvatur, ſa- 145
cra ſupellex, quæ huic erat propria, manet ad uſum domus vel Collegii,quia talis præſumitur fuiſse voluntas aut eſse cõſenſus Sodalium, quamdiù aliud non reſcitur, tales enim Sodalitates non ſunt corpus ſtabile, ſed manent diſsolubiles ad arbitrium Societatis, & ſi hæc dimittat gubernationem, hoc ipſo diſsolvuntur, nec poſsunt ad alium locum pro libitu tranſire, ergo præſumendum eſt,quòd dominium ornamentorum acquiratur loco, in quo fuerant erectæ, Lugo *in reſp.Mor.l.*4.*d.*12. Ubi ex occaſione notandum eſt,quòd Sodalitates, ut aggregari poſſint & frui privilegiis majoris Sodalitatis Romæ, debeant haberi in locis ad Societatem pertinentibus ſaltem quoad uſum liberum, ſive per conductionem, ſive per conceſſionem Domini ad aliquod tempus, ita ut Societas primarium uſum habeat cum jure ibi manendi, & cæteros expellendi. Vide Lugo *diſp.*40.

§.10. Ut magis occurratur occaſionibus lædendæ pauper- 146
tatis, Congregatio 12.decreto 38. ſic ſtatuit: *De legatis confidentialibus dubitatum , noſtriſne liceat acceptare legata , quæ confidentialia vocant, cùm quis teſtator decedens jubet certam alicui è noſtris pecuniæ ſummam , aut rem à ſuis hæredibus dari , quam ille juxta teſtatoris mentem ſibi ſecretò communicatam impendat : major quidem pars cum Patribus deputatis judicavit, ſatis & paupertatis obſervationi & Societatis exiſtimationi conſultum videri , ſi ea tantùm legata confidentialia reſpuantur , ex quibus videatur utilitas aliqua in ſocietatem ipſam aut in particulares perſonas redundare , ſed cùm huic decreto interceſſum fuiſſet , re diu multumque agitata Congregatio omnibus interdictum voluit*

lega-

legatorum hujuſmodi executionem acceptare, eaque planè ratione, qua Conſt.p.6.c.3.§.7. teſtamentorum executio prohibetur, his verbis, *quoad fieri poteſt à negotiis ſæcularibus abſtineant (qualia ſunt teſtamentariorum vel executorum &c.) nec ea ullis precibus adducti ſuſcipiant &c. Præpoſito tamen Generali, vel qui ab eo facultatem habet, relinquitur facultas diſpenſandi in caſu aliquo neceſſitatis vel majoris momenti ad finem divini ſervitii præfixum*: ita declaratio adjuncta. Videri poteſt Lugo *d.*29.

147 §.11. Domus profeſſa non eſt capax ad retinenda bona immobilia aut redditus aut fructus, qui reddituũ loco eſſe poſſint; eſt tamen capax propriæ habitationis, villæ vel horti ſuburbani, uti habetur in Conſt.*p.6,c.*2.§.5.poteſtque uti fructibus hic provenientibus, uti pluribus exponit Lugo *diſp.*10.

148 §.12. Non eſt licitum Domui profeſſæ fructus horti vendere vel hortum elocare: neque ex uvis facere proviſionem vini, neque ex frumentis panem aut cereviſiam, poſſet tamen ſeri frumentum, ut à jumentis in herba conſumeretur, item eſt ipſi licitum alere Gallinas & harum ova vel pullos edere; item habere columbas vel apes ad uſum domus; item porcellos, ut ſuo tempore mactentur; item piſcinam, in qua piſces, non tamen in magna copia, adoleſcant; licitum etiam eſt habere commune cum aliis jus modicè piſcandi in præterfluente amne: quòd ſi fructus uno anno abundantes non poſſint à domo conſumi, non ideo licitum eſt vendere ad emenda alia neceſſaria, uti nec permutare, v.g. uvas cum tritico, quoties enim res eſt prohibita vendi, etiam cenſetur prohibita permutari.

149 §.13. Domui profeſſæ licitum eſt relinquere colono horti fructus, etiam cum poteſtate vendendi, ſi volet, ne hortus maneat incultus, retento tamen jure habitationis & recreationis; non eſt autem licitum accipere unam partem fructuum relicta illi altera parte velut in mercedem laboris, id enim eſſet elocare hortum: immò nec videtur licitum cum colono concurrere ad expenſas culturæ, & tum paciſci de parte fructuum habenda, quia eſſet æquivalenter locatio ſaltem partis horti: hinc multò minùs licitum eſt vendere partem fructuum ad ſolvendam mercedem colono, ſed ſi ex cultura redundet in nos pars fructuum vel utilitas, debet aliunde præſtari merces colono. Similiter nec licitum eſt vendere fructus ad neceſſarias expenſas pro fabrica vel ſepimentis horti, nam ſic cenſeremur pro his habere annuos redditus: Ratio omnium eſt, quia bona mobilia non poſſunt aliter Domui profeſſæ fructificare, niſi ad ſolos uſus ejuſdem domus.

150 §.14. Domus profeſſa poteſt inſtitui hæres aut legataria bonorum etiam immobilium, dummodò hæc alienet & ſe exuat omni jure civili ad illa, quamprimùm commodè poteſt: ſi tamen deſit emptor, poteſt retinere ad modicum tempus, quale cenſetur, quod eſt infra decennium. Lugo *d.*11. Quòd ſi ei legetur, v.gr. domus, non poterit hanc vendere Titio ad vitam cum poteſtate recipiendi dominium poſt mortem Titii, hoc enim eſſet vel elocare accepto ſemel & ſimul illius temporis locagio, vel vendere ſolum dominium utile retento dominio directo proprietatis: immò nec videtur eſſe licitum vendere cum pacto retrotrahendi, quando volet pecuniam refundere, quia ſic reipſa non planè alienaret nec ſe exueret omni jure civili ad illam: poteſt fortè excipi, niſi talis res non eſſet quidem nunc, attamen prævideretur futura poſteà neceſſaria ad uſum, v.gr. ad conſtituendum novum ædificium, augendam recreationem, inſtituendum Collegium, poteſt enim cenſeri tum retineri ad uſum proprium, imponendo emptori ſolam obligationem perſonalem ad revendendum.

151 §.15. Si teſtator obliget hæredem ad offerendos pro eleemoſyna omni anno 100. aureos domui profeſſæ, hæc poteſt acceptare, quia per hoc ipſa nullum jus vel actionem acquirit, ſed hæres habet obligationem, ad ſolum teſtatorem, Lugo *dub.*7. Si tamen teſtator relinqueret hæreditatem Collegio cum obligatione annuè numerandi 100. domui profeſſæ, Conſt.*p.6.Cap.*2. §.2. id prohibent, etiamſi eſſet ad conſervationem templi à teſtatore fundati, quia non voluerunt penes Societatem eſſe ullam actionem, diſpoſitionem aut diſpenſationem ejuſmodi rerum domui profeſſæ applicandarum; uti exponit Lugo *d.*8.*&*9. gravari tamen potuit Collegium ad ædificandam domum profeſſam, uti admittit Lugo *à nu.*10.

152 §.16. Miſſionarii, quamvis ſint profeſſi, poſſunt habere redditus, etiam non annexos certo Collegio, niſi mediatè, in quantum perſonæ ipſorum ad certum Collegium ſpectant; nec eſt opus, ut vel ipſi rectori Collegii, vel collegium de eorũ redditibus reddat rationes, ſed ſatis eſt reddi Provinciali. Similiter ejuſmodi Miſſionarii quoad contractum cenſus alioſque ſimiles poſſunt, quod rectores; non videntur tamen ſine licentia Provincialis poſſe elocare in perpetuum aliqua accepto nunc ſimul pretio, quia hoc eſt in grave præjudicium ſecuturorum: & hæc conformia ſunt praxi, uti reſponderunt mihi viri docti ante hac Miſſionarii, & judicarunt Theologi à me interrogati.

*Q.*20. *Quid circa votum caſtitatis in Religione ſit præterea notandum?* Reſp. ſeqq.

153 §.1. Certum eſt ex communi ſenſu fidelium, quòd votum caſtitatis in Religione, immò & in ſæculo emiſſum, ſe extendat, non tantùm ad cavendos actus luxuriæ conſummatæ, id eſt, in quibus intervenit voluntaria effuſio ſeminis etiam extra vas, ſed ad alios quoque motus & delectationes venereas cavendas, uti demonſtrat Card. *in* 1. *criſi d.*36. *Nec obſtat*, quòd S.Th.1.2. *q.*143.*art.un.O*, ponat hoc diſcrimen inter caſtitatem & pudicitiam, quòd caſtitas ſit circa illa, quæ ordinantur ad generationem, pudicitia autem circa delectationes circumſtantes, putà, quæ ſunt in oſculis, tactibus, amplexibus, *nam* ſatis ſe explicavit poſteà *q.*151.*a.*4.docens pudicitiam verſari circa omnia venerea & pudicitiam ordinari ad caſtitatem, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta, ſed quòd pudicitia *magis* reſpiciat hujuſmodi ſigna exteriora; ſi autem reſpiciat magis, ergo ſaltem minus reſpicit alia venerea: hinc *ar.*2. dicit, quòd caſtitas propriè ſit ſpecialis virtus, habens ſibi oppoſitam ſpecialem malitiam, ſcilicet concupiſcentias delectabilium, quæ ſunt in venereis. Adde, quòd per caſtitatem Religioſam intelligit *S.Th.* continentiam, nam *q.*186.*ar.*4. ait, continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis ſicut & voluntaria paupertas; atqui *q.*155.*ar.*2. docet materiam continentiæ univerſaliter eſſe concupiſcentias delectabilium tactus in venereis, ergo.

§.2. Etiam certum eſt, quòd caſtitas, quæ vovetur, ſe ex- 154
tendat ad actus internos luxuriæ cavendos, nempe delectationes & deſideria purè interna, uti habet communiſſima cum *Carden.* Ratio eſt, quia vovens ſe obligat ad caſtitatem, ſecundùm receptam ab omnibus in Eccleſia ſignificationem hujus nominis, *caſtitas*, quæ comprehendit omnes actus contentos ſub 6.& 9.præcepto Decalogi; citatque Carden.*nu.*90. authores 22.qui vel in terminis aſſerunt id eſſe certiſſimum, vel omnino ſupponunt nec dubitare audent, ex quo conſenſu Theologorum fit evidentia moralis, ergo licèt *Caram.* & unus Summiſta contrarium teneat, opinio eorum non eſt probabilis. *Conf.* quia in quæſtione, quæ dependet à ſignificatione vocis, communis ſenſus omnium vel ferè omnium facit evidentiam moralem, talis autem eſt hæc quæſtio; & eodem argumento evincitur, quòd votum jejunii comprendat abſtinentiam à carnibus, quia vox, *jejunium*, etiam illam ſignificat, de eſſentia enim vocis ſignificativæ ut talis, eſt communis uſurpatio, communis autem uſurpatio vocis, *caſtitas*, eſt abſtinentia ab omnibus venereis, ergo.

Objicies. S.Aug. contra Julian.*l.*4.*&de Civ.l.*1.*cap* 18. vocat pudicitiam virtutem animæ, virginitatem autem ſive caſtitatem vocat rem corporis, atqui non vovetur pudicitia, ſed virginitas aut caſtitas, ergo. Reſp.1. Non voveri virginitatem ſed caſtitatem, quæ cum pudicitia reſpicit etiam interna. Reſp.2. *S.Aug.* non dicit pudicitiam differre à virginitate quæ eſt virtus, ſed ab ea, quæ eſt integritas corporis, cum virginitas, quæ eſt virtus, non poſſit violenter auferri, poſſit autem auferri, prout eſt integritas corporis, ſecundùm dicta *l.*3.*p.*1.*nu.*917. ideò autem *S. Aug.* dicit pudicitiam eſſe virtutem animæ, quia recipitur & conſervatur in anima, neque poteſt ab extrinſeco tolli, uti tolli poteſt virginitas corporis, ſed ex hoc non ſequitur, quòd pudicitia non reſpiciat delectationes etiam externas, ut n.154. dictum eſt. Adde, quòd caſtitas, quæ vovetur, ſecundùm S. Aug. etiam ſit virtus animæ, nam *l. de mendacio cap.*19. ait, *Conſenſio ad impudicitiam corporalem, caſtitatem animi violat, &c.*20.ac alibi ſæpè repetit has voces, *caſtitas animi: Et cap.*7.19.*&* 20. dicit; *corporalis ergo pudicitia corrumpi, niſi in animo, non poteſt*, quia nempe eſt corporalis terminativè, & ſubjectivè in animo: & ibidem octies repetit pudicitiam corporis: & Epiſt. 109. *ne dicatis vos habere animos pudicos, ſi habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis eſt nuntius*, ubi impudicitia non ſoli cordi, id eſt, internis affectibus tribuitur, ſed etiam oculis corporeis. Denique Tom.9.*lib. de* 12. *abuſionum gradibus, gradu* 5. dicit duobus modis conſtare veram pudicitiæ exercitationem, corporis habitu in ſuperficie, & animi effectu interno.

§.3. Probabile eſt, quòd votum caſtitatis Religioſæ etiam 155
verſetur circa actus, qui terminantur ad impudicitiam alienam; ideoque Religioſum, qui etiam ſine propria delectatione concurrit proximè & immediatè, v.gr. per tactum, ad pollutionem hominis ſæcularis, violare votum ſuum caſtitatis, ita *Carden.* dicens ſententiam oppoſitam eſſe damnatam à S. fidei tribunali. Ratio eſt, quia qui utitur membris ſuis ad impudicitiam mortalem, etiam ſine delectatione propria, peccat mortaliter contra propriam caſtitatem, ſed qui tactu provocat alterum ad pollutionem, ſic utitur membris ſuis, ergo. Major prob. quia ſi fœmina aut mas ſine delectatione propria admittat alterum ad vas naturale vel præpoſterum, quia utitur vaſe ſuo ad impudicitiam mortalem, peccat mortaliter contra propriam caſtitatem, & committit fornicationem vel ſodomiam, ergo. *Conf.* quia ſi quis abſque delectatione propria dormientem tactu provocet ad pollutionem, peccat mortaliter contra caſcitatem; idem docet Sanch.*de Matrim.l.*9.*d.*23.*nu.*6. ſi quis fatuos conjungat ad copulam: ſed talis non peccat contra caſtitatem alienam, quia dormiens & fatui non peccant, ergo contra

pro-

propriam : imò licèt probabilis ſit ſententia *Sanch. Caſtrop. Arriagæ, Peliz. & Caram.* Religioſum, qui ex odio vel invidia deſiderat impudicitiam alienam, aut ſuadendo inducit ſæcularem ad eam ſine delectatione propria, non peccare contra votum ſuum, contrarium tamen veluti probabilius tenet *Carden.* quia votum caſtitatis Religioſæ eſt de materia omnimodæ caſtitatis, uti habet communis ſententia relata *n.*3. atqui in omnimoda caſtitate continetur caſtitas averſans actus verſantes circa luxuriam alienam, ergo. Adde, quòd is non ſit verè mente caſtus, qui deſiderat fornicationem alienam, vovemus autem caſtitatem etiam mentis; & hoc habet ſpeciale caſtitas, ut actus averſantes luxuriam alienam cenſeantur actus caſtitatis propriæ, quia nempè voluntas luxuriæ alienæ eſt contraria puritati mentis propriæ, ergo.

Obiic. Ergo ſi Religioſus ſine ulla delectatione propria procuret in beſtia effuſionem ſeminis; aut ſaltem ſi faciat, ut conjuges ſibi reddant debitum, peccabit contra caſtitatem propriam. 2. Ergo ſimiliter peccabit Religioſus contra votum paupertatis vel obedientiæ, ſi faciat, ut alter ſit proprietarius vel inobediens; item peccabit contra præceptum Miſſæ die feſto, qui poſtquàm audivit Miſſam, cauſa eſt, ut alter Miſſam non audiat. *Reſp. ad* 1. N. ſeq. quia tales effuſiones ſeminis nequidem materialiter ſunt malæ, ſed in brutis eſt merè naturalis & incapax inhoneſtatis; in conjugibus autem eſt honeſta, ergo concurrendo ad illas ſine delectatione propria non eſt contra caſtitatem. *Ad* 2. Etiam n. ſeq. diſparitas eſt, quòd voveatur caſtitas corporis & mentis, huic autem repugnat inductio ad luxuriam alienam : è contrà non vovetur paupertas vel obedientia mentis, ſed hæ ſpectant tantùm ad perfectionem illorum votorum : ſimiliter præceptum Miſſæ, quo obligor, tantùm tendit ad auditionem à me ponendam : & ita ſimilia vota aut præcepta interpretatur communis ſenſus omnium, de voto autem omnimodæ caſtitatis aliter cenſent.

Inſtabis. Nemo vovet caſtitatem alienam aut procurationem caſtitatis in alio, ergo nec peccat contra votum, faciendo alium eſſe luxurioſum. *Reſp.* N. conſ. caſtitas mentis, quam vovet, id comprehendit, ut non intendat luxuriam alienam, uti ante dictum eſt.

156 §.4. Peccat contra ſuum votum caſtitatis, qui ſe exponit periculo illud per ſe ipſum violandi, ut ex communi doctrina de periculo, dicetur *l.*5. *à n.*252. Docetque Carden. *d.*39. tanquam probabilius, & conformiter ad hic dicta *nu.*156. quòd etiam ille peccet contra ſuum votum caſtitatis, qui alterum exponit periculo violandi caſtitatem, quamvis in hoc poſtremo alii contradicant.

157 §.5. Sanch. *de Matr. l.*7. *d.*27. *n.*13. & alii cum Dian. *p.*6. *t.*7. *R.* 51. dicunt Titium invalidè profeſſum teneri ad perpetuam caſtitatem ex voto ſimplici caſtitatis, quòd includatur in voto ſolemni; ſed ſi ratio valet, ergo etiam ex voto ſimplici tenebitur ad paupertatem & obedientiam, quod nemo dicet, ſimili enim modo vovit omnia : itaque dicendum eſt cum Suar. *de Relig. t.*3. *l.*7. *c.*2. *à n.*14. conſulendam eſſe intentionem Titii, ſi enim non intenderit ſe obligare ad caſtitatem, niſi in Religione, eſt liber, nec profeſſio habet ullum effectum, uti etiam declarat Trid. *ſeſſ.*25. *c.*15. *de Regul.* Et idem eſt, ſi Titius profeſſus ſit invalidè in hac Religione, nam non ideò tenebitur ad aliam, quia licèt *Cap. Porrectum, de Regul.* & *Cap. Conſtitutionem, de Regul. in* 6. dicatur teneri ingredi aliam Religionem, hoc intelligitur, ſi profitens in hac Religione intenderit ſe obligare ad Religionem, non autem, ſi intenderit ſe obligare ad hanc præcisè, aut alioqui ad nullam aliam : & ſimili modo explicandum eſt *Cap. Quidam* & *Cap. Placet, de Converſ. conjug.* ubi dicitur, qui vivente conjuge profeſſus eſt in Monaſterio, altero mortuo, teneri ad caſtitatem.

158 *Q.*21. *Quid circa votum obedientiæ Religioſæ ſit præterea addendum?* R. ſeqq.

§.1. Subditus tenetur obedire Superiori imperanti aliquid probabiliter licitum, quamvis ſubdito probabilius ſit illud eſſe illicitum, uti oſtendimus *l.*1. *à n.*432. Item tenetur obedire in dubio, an legem ferens ſit legitimus ſuperior, ſi hic ſuperior habeat poſſeſſionem ſui officii, uti dictum eſt *ibid. n.*592. Item in dubio, an ſuperior habeat poteſtatem hoc imperandi, aut an lex ſit juſta, ſecundùm *ibid. dicta à n.*594. Non tamen tenetur obedire, ſi tam ſuperior quàm ſubditus dubitet, an hoc, quod imperat, ſit illicitum, ut *ibid. dictum eſt n.*595. Quamvis autem Lugo *de juſt. d.*18. *à n.*21. & pluribus *in Reſp. Mor. l.*3. *d.*19. contendat, etiam poſito præcepto ſuperioris poſſe ſubditum manere dubium, an liceat exequi rem præceptam, ſi nempe non fiat ei probabile ſaltem per ipſam authoritatem ſuperioris, quòd res ſit licita, ideoque dicat ſubditum non teneri tum obedire, quia cùm non poſſit judicare eſſe probabile, quòd ſit licitum, manebit practicè dubius : eſt autem illicitum operari cum dubio practico : contrà tamen eſt, quia ſubditus, per ſe loquendo, licitè non poteſt manere practicè dubius, ſed debet judicare, quòd objectum tale ſit licitum, quia in dubio præſumptio ſtat pro ſuperiore, quòd præcipiat licita, niſi conſtet eſſe illicita, uti dictum eſt *lib.*1. *locis citatis.*

§.2. Rem indifferentem poſſe per præceptum ſuperioris 159
fieri materiam illius virtutis, ex cujus motivo præcipitur, diximus *l.*1. *à nu.*624. Diſputat etiam fusè Card. *in* 1. *criſi d.*28. an poſſit ſuperior ſub obligatione præcipere aliqua ultra Regulam, & ultra media ad eam obſervandam neceſſaria, ideoque an habeat authoritatem non reſtrictam ad hoc vel illud; & concludit poſſe præcipere ea, inprimis quæ Deus & Eccleſia etiam præcipiunt; deinde etiam alia, quando per regulam datur libertas condendi nova ſtatuta aut etiam alia præcipiendi : de cætero tenet communis cum Caſtrop. *tr.*16. *d.*4. *p.*4. Superiorem non poſſe præcipere ea, quæ ſunt abſolutè extra Regulam : poſſe autem per reformationem præcipere ea, quæ ſunt conformia Regulæ antiquæ : ſimiliter poſſe graviter obligare ad ea, quæ ſunt in Regula, quamvis hæc graviter non obliget, probat fusè Carden. *tota d.*30. Videri poteſt Caſtrop. *p.*5. ubi in particulari examinat, quænam præcipi poſſint Religioſo. Vide dicta *num.*68. *in fine.*

§.3. Si in Monaſterio, quod Epiſcopo ſubjectum eſt, con- 160
traria præcipiant Superior & Epiſcopus, ſubditus in illis, quæ ſpectant ad Regulam & ſtatuta Ordinis, tenetur obedire ſuperiori, quia in hujus manibus vovit obedientiam ſecundùm Regulam : in aliis autem, quæ ſpectant ad diſciplinam Eccleſiaſticam, tenetur obedire Epiſcopo, quia quoad illa eſt ſuperior ipſe Epiſcopo ſubjectus, S. Tho. Aug. aliique cum Sylv. *p.*1. *v. Abbas caſ.*3. ſi tamen Epiſcopus cum cauſa rationabili diſpenſet circa ſtatuta, & tum præcipiat, debebit obedire Epiſcopo; non item ſi ſine cauſa diſpenſet. Quòd ſi Religioſi ſint ſubditi Epiſcopo velut Prælato, ita ut ei emittant votum obedientiæ, debent quoad omnia magis obedire Epiſcopo, quàm aliis ſuperioribus ſubordinatis, Sanch. *in Decal. lib.*6. *c.*1. *n.*11. & 12. Notatque etiam rectè Sylv. *v. Appellatio*, ſi ſubditus injuſtè gravetur à ſuperiore, poſſe appellare ad Epiſcopum, cujus juriſdictioni ſubeſt Monaſterium. Et de poteſtate appellandi videri poteſt etiam Caſtrop. *p.*15. de pœnis autem, quas infligere poſſunt ſuperiores, agit fusè *pu.*14.

§.4. Voluntas Religioſi ita eſt ligata, ut nequidem ſepul- 161
turam poſſit eligere, uti fusè deducit Caſtrop. *p.*13. *ſ.*8.

Circa alia vota & præcepta, quæ votis ſubſtantialibus adjici ſolent in Societate JESU, videri poteſt Caſtrop. *tota d.*5.

*Q.*22. *Quid notandum ſit circa votum non procurandi nec* 162
acceptandi Prælaturam vel Dignitatem? R. ſeqq.

§.1. Prælatus ſtrictè dicitur, qui habet curam animarum cum juriſdictione, ita ut poſſit ſubditos corrigere & punire, AA. cum Leſſ. *in auct. v. Prælatus caſ.*1. Hinc docet Lugo *in Reſp. Mor. l.*4. *d.*36. ex declaratione *Urbani VIII.* per Prælationem intelligi quodcumque officium de jure, uſu vel conſuetudine habens annexam juriſdictionem Eccleſiaſticam, quale quid eſt etiam Officium Guardiani, Prioris, & in Societate JESU Viſitatoris, Vice-Rectoris, non tamen Miniſtri, Profeſſoris, Procuratoris etiam Romam mittendi &c. Vide Caſtr. *t.*16. *d.*5. *p.*5. *n.*6. Per Dignitatem extra Religionem intelligitur etiam Vicariatus Epiſcopi; Item ſecundùm Caſtrop. *p.*6. *n.*3. quævis Dignitas etiam in Collegiata tantùm Eccleſia, quamvis juriſdictionem non habeat annexam.

§.2. Si Religioſus voverit nequidem indirectè prætendere 163
Prælationem, uti vovent profeſſi Societatis JESU, non peccat, quamvis internè appetat, dummodò exteriùs non manifeſtet, Suar. Vaſqu. Sanch. Caſtrop. *p.*5. *num.*2. Putat autem *Suar.* ſi actiones externæ de ſe indifferentes eo fine fiant, ut ſuperior moveatur ad dandam Prælationem, peccari contra votum, uti & tum, inquit Leſſ. *caſ.*3. ſi ideò dentur munuſcula, vel præſtentur officia, quæ alioquin non præſtarentur, ſed Sanch. & Caſtrop. *n.*3. rectè contradicunt, niſi ex circumſtantiis poſſit colligi ambitioſus animus, alioquin non cenſeris ambire apud homines, quod ſolùm eſt turbativum regiminis & offenſivum communitatis : hinc ſi tale externum obſequium, quod præſtas potenti promovere, æquè ſoleat præſtari ab alio, & à te nunc præſtetur, quia tuum eſt ſervire, quamvis nunc per illud obſequium intenderes benevolentiam Promotoris non videtur fore contra votum, inquit *Leſſ.* quia actus ille cenſetur procedere ex debito officii, & illa tua ãbitio eſſet merè interna.

§.3. Si videas te eligendum in Priorem vel Definitorem, nõ 164
poteris ſalvo voto agere, ut eligaris potiùs in Definitorem, ſic enim prætenderes officium cadens ſub votum, *Leſſ.* Nec potes alteri dare tuum ſuffragium pro uno officio, ut per hoc, alterum officium in te cadat, ſed debes ſincerè dare ſuffragium, uti ratio poſtulat & aliàs feciſſes : ſi autem detur tibi optio, ut præſis uni loco è duobus, ſi debebas præeſſe alterutri, potes eligere, quem voles; electus tamen ad unum non potes agere, ut transferaris ad alterum, ſed poſſes petere omninò liberari, aut ſi id obtinere non poſſes, ut ad alium locum transferreris, ubi melius Deo ſervire poſſes, *Leſſ. ſuprà.* De ambitu pro incerta perſona, videri poteſt Lugo *d.*25.

165 §. 4. Si voverit nequidem acceptare Prælationem vel Dignitatem extra Religionem ſuam, niſi cogatur præcepto illius qui ſibi id ſub peccato mortali præcipere poteſt, per hunc potentem præcipere intelligitur ſolus Papa, ut declaravit Urb. VIII. apud Lug. *l.3.d.4.n.19.& l.4.d.36.* Ratio autem eſt, quia Prælati Regulares non poſſunt præcipere niſi ea, quæ retenta Regulari ſubjectione ad ipſos, poſſunt impleri, hinc præcipere non poſſunt id, per quod quis ab eorum juriſdictione eximitur, id enim eſſet dicere: quia es meus ſubditus, præcipio tibi, ut non ſis meus ſubditus: & ideò nequidem Generalis Ordinis poteſt præcipere, ut quis acceptet beneficium curatum vel ſimplex, niſi ſit regulare ejuſdem Religionis, Nav. Suar. Sanch. Caſtrop. *d.4.p.5.n.3.* quia nempè per tale beneficium conſtitueretur extra obſervantiam Ordinis & Regulam: ſimiliter quamvis Generalis poſſit Scholaſtico Societatis JESU dare facultatem tranſeundi ad ſæculum vel ad alium Ordinem, tamen non poteſt ita præcipere, uti rectè Caſtrop. ſuprà, & pluribus Lugo *l.3.d.4.à n.6.* Poſſe autem Papam iſta omnia præcipere, fusè demonſtrat Lug. *d.5.* quia remanet ſubjectio ad Papam; Et *n.14.* docet cum *Suar.* ſi quis è Societate JESU jam factus ſit Cardinalis, poſſe non obſtante voto acceptare Epiſcopatum, imò & Papatum, quamvis necdum ſit Epiſcopus vel Cardinalis ſed adhuc ſolùm profeſſus Societatis, attamen *à n.15.* oſtendit non poſſe hoc alicui præcipi per Collegium Cardinalium.

166 §. 5. Si quis ab Ordine, ubi eſt tale votum non acceptandi dignitatem, tranſeat ad Ordinem, ubi non eſt, manet obligatus priore voto, uti declaravit Urbanus VIII. apud Lugo *ſup.n.1.*

167 *Q.23. An poſſit quis abſolvi à votis Religioſæ profeſſionis?* R. Vota ſubſtantialia Religionis tolli non poſſunt ab illo, qui ſit Papa inferior, uti habet Trid. *ſeſſ.25.c.1.de Regul.* quia cum per approbationem & confirmationem Papæ vim habeant, inferior nõ poteſt ejus diſpoſitionem tollere. Nec à Papa irritari poſſunt, quia poteſtas irritandi provenire deberet à Statu, quem Profeſſus inivit per vota, ſed nemo poteſt dare poteſtatem ad deſitionem & interitum ſui, ergo; imò nequidem Papam poſſe ea commutare aut diſpenſare, docent S. Th. 2.2.*q.*88. *art.*11. Arrag. & alii, 1. quia *Cap. Cùm ad Monaſterium 6. de ſtatu Monach.* dicitur, *Abdicatio proprietatis ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere:* 2. Quia Profeſſus eſt per vota traditus Deo; item conſecratus Religioni, res autem ſemel tradita non poteſt revocari, & ſemel conſecrata, quamdiù manet, non poteſt conſecrationem amittere, ergo. Oppoſitum tenuit aliquando S. Th. & conſtanter tenent Dur. Val. Suar. Az. Leſſ. aliiq; plurimi cum Sanch. *de Matr. l.8.d.8.n.7.* & Caſtr. *tr.16.d.5.p.ult.* quia licèt hoc non poſſit ordinariè & ex privata cauſa, neque in ſenſu compoſito ſtatus Monachalis, quod videtur velle decretalis citata, attamen exigente cauſa publica & graviſſima poteſt permittere, ut Religioſus profeſſus uxorem ducat, ſicque à ſe dividat ſtatum Monachalem, tum enim Deus exigente neceſſitate remittet jus acquiſitum, & delinet conſecratio per revocationem deputationis ad uſum ſacrum, & per converſionem ad uſum profanum. Videri poſſunt Suar. *de Relig. t.3.l.9.c.26.* & Sanch. *ſuprà.*

168 *Q.24. Quid notandum ſit circa exemptionem quorundam Regularium?* Reſp. De hac fusè agit Sanch. *in Conſ. l.6.c.9.d.1. & ſeqq.* apud quem videri poſſunt hæ aſſertiones deductæ & probatæ. 1. Regulares jure communi eximuntur à Diœceſana lege, ad quam ſpectat convocari ad Synodum, ad ſepulturas, ad ſolutionem alicujus rei in ſignum ſubjectionis, decimationum, hoſpitiorum &c. jure tamen communi non eximuntur à lege juriſdictionis, ad quam pertinet examen pro Ordinatione vel cura, datio curæ, prædicatio Evangelii, punitio delictorum, &c. 2. Pleræque Religiones nunc exemptæ ſunt à juriſdictione Ordinariorum, & nequidem ratione uniformitatis obligantur præceptis Epiſcopalibus, excepta celebratione feſtorum & ceſſatione à Divinis tempore interdicti: poteſt etiam Epiſcopus agere contra exemptos in delictis publicis vel contractibus extra locum exemptum, vel circa rem non exemptam factis; in cauſis mercedum & miſerabilium perſonarum; item ſi turbent ejus juriſdictionem: item poteſt componere controverſias eorum circa præcedentiam, & adigere ad proceſſiones, exceptis

169 Monachis recluſis & Societate JESU. 3. Si timeatur fuga, poteſt exemptus in gravi delicto deprehenſus capi ab Epiſcopo, ſed intrà 20. horas extradi debet Superioribus: poteſt etiam Epiſcopus capere apoſtatam. 4. Novitii volentes manere in Religione exempta gaudent exemptione. 5. Exempti non tenentur ad jus reverentiale, id eſt, ad obviandum Epiſcopo introeunti. 6. Nequit Epiſcopus in Eccleſiis exemptorum, ſi inviti ſint, convocare proceſſiones, celebrare Ordines, Miſſas, officia, judicia; nec viſitare, nec compellere, ut in Monaſterio vice carceris retineant reum, etiam Eccleſiaſticum. 7. In dubio, an juriſdictio contra exemptos pertineat ad Epiſcopum, judicat ſolus Papa. 8. Exempti non poſſunt reſignare beneficium niſi in manus Papæ. 9. Omnes exempti manent ſubjecti Nuntio à latere vel habenti hujus poteſtatem.

Q.25. Quæ officia & actiones ſpecialiter prohibeantur Religioſis? Reſp.

§. 1. Religioſus non poteſt eſſe Judex negotii forenſis aut 170
Eccleſiaſtici, niſi cum licentia Superioris ſaltem localis, & utilitate ſaltem indirecta Monaſterii, *Cap.35. Monachi, 16.q.1.* Quod extenditur etiam ad Canonicos Regulares, *Cap. Ex parte, 2. De poſtulando,* Sanch. aliique cum Caſtrop. *tr.16.d.4.p.12.ſ.1.* Similiter non poteſt nomine proprio in civilibus eſſe actor, vel reus, cùm nec agere nec conveniri poſſit, ſed ſolùm Monaſterium, cui ſe dedit, uti habent jura, & AA. cum Caſtr. §.2. Nec fungi poteſt officio advocati, procuratoris, tabellionis, teſtis, exceptis caſibus, de quibus Caſtrop. *ſ.3.& 4.* Nec tutoris, aut curatoris, *Cap. Pervenit, diſt.86.* V. Caſtrop. *ſ.7.*

§.2. Prohibentur etiam Religioſis actiones extrajudiciales, 171
niſi Superiores diſpenſent, nam eſſe non poſſunt executores teſtamentarii, Caſtrop. *p.13.ſ.1.* Nec Medici, vel Chirurgi, præſertim ſi facienda ſit inciſio, aut aduſtio: poſſunt tamen Religioſi Societatis JESU medicinę periti mederi, ſi alii deſint, dummodò per ſeipſos non faciant aduſtionem, Caſtrop. *ſ.2.* Quomodo autem his prohibeatur executio teſtamenti, & legati confidentialis, dixi *n.146.*

§.3. Religioſis ſub excommunicatione probibitum eſt au- 172
dire in ſcholis lectiones Juris civilis, *Cap. fin. Ne Clerici, vel Monachi,* Sanch. Leſs. Lugo *in Reſp. Mor. l.4.d.34.* Poteſt tamen Religioſus audire, & docere Canones, ſed profeſſor Canonum in Societate JESU non debet in ſchola tradere eas materias, quæ ſpectant ad forum contentioſum, niſi obiter attingendo, quantùm ad forum conſcientiæ poſſunt conducere, *Conſt. p.4.c.12.ſ.1.* Lugo *ſuprà.*

§.4. Etiam negotiatio prohibetur Religioſis, ſecundùm 173
dicta *lib.3.p.2.à n.997.* Item venatio, uti dicemus *à num.*1375. Item luſus alearum, uti dicemus *à n.*1378. talia enim, quæ Clericos, multò magis dedecent Religioſos; notantque Nav. Val. Suar. & alii cum Caſtrop. *ſ.5. num.2.* nomine Clericorum venire etiam Religioſos, quando prohibitio reſpicit decentiam ſtatus.

§. 5. In Societate JESU ſic ſtatuit Congr. 2. Decreto 60. 174
Quemadmodum hactenus factum eſt in quibuſdam locis, ut noſtri ita examinent ad Ordines promovendos, aut curæ animarum, verbo Dei, vel confeſſionibus audiendis præficiendos, ut ſimul judicium ferant de illorum ſufficientia, & admiſſione, ita de cætero ne fiat, quandoquidem judicamus non eſſe conſentaneum noſtro Inſtituto; illud tamen retineamus, ut judicium de admittendis, vel non admittendis non feramus, ſed illud omninò Prælatis relinquamus; poſſit tamen diſpenſare R.P. Generalis, ubi hoc utile, & expediens eſſe in Domino judicaverit. Videtur autem diſpenſaſſe, ſaltem pro his Diœceſibus, in quibus judicium noſtrum exquiritur.

DUBIUM V.

Qui poſſint, vel teneantur ingredi Religionem?

REſp. I. Omnes illi, & ſoli poſſunt ingredi Religio- „ 175
nem, qui ſunt ſui juris, nec aliis obſtricti; qui verò „
aliis obſtricti ſunt, non poſſunt ſine eorum conſenſu. Leſs. „
l.2.c.41.d.3. „

Unde 1. Non poſſunt ingredi Religionem puberes; quia „
ſub ſunt parentibus, vel tutoribus, quoad vitæ diſpoſitionem. „
2. Nec filii, ſi parentes ſine illis ſe alere nequeant. Laym. *l.4.* „
t.5.c.4.n.1. ſuprà l.3.tr.3.c.2.d.1. 3. Nec ſervi, ſine conſen- „
ſu dominorum. 4. Nec qui decepit virginem ſub promiſ- „
ſione Matrimonii. 5. Nec is, qui non eſt ſolvendo credi- „
toribus; modò in ſæculo manendo, poſſit intrà paucos an- „
nos ſolvere. D. Thom. tamen, Sylv. Fumus *v. Religio, &* „
alii, putant illum poſſe bona præſentia cedere creditoribus, „
quia perſona hominis liberi non eſt pro pecunia obligata. „
6. Nec Epiſcopus, ſine conſenſu Papæ, cui juramento ſe „
obſtrinxit: præterquamquòd ſit obſtrictus ſuæ Eccleſiæ, „
ſicut maritus uxori. 7. Nec conjuges, poſt Matrimonium „
conſummatum, niſi vir per vim conſummaſſet, ante exple- „
tos 2. menſes, qui eis à jure conceduntur; aut niſi alter con- „
jugum commiſiſſet adulterium; tunc enim innocens ingredi „
poſſet. „

Reſp. II. Qui vovit Religionem, tenetur ingredi ſecun- „
dùm ſequentes Regulas: „

I. Non tenetur, imò nec poteſt licitè ingredi Ordinem, „
in quo collapſa eſt diſciplina Regularis, idque ob periculum „
perverſionis. Laym. *c.6.n.5.* „

II. Qui vovit laxiorem, licitè ingreditur ſtrictiorem „
non tamen contrà; quia minùs præſtaret, quàm promiſit. „
Quod ſi tamen profiteatur in laxiore, valida eſt profeſſio, „
& liberatur à voto ſtrictiorem ingrediendi. Ratio, quia „

votum

„ votum ſolemne, quo fit perſonæ traditio, & Religioni jus „ in perſonam acquiritur, derogat priori voto ſimplici, per „ quod nullum tale jus Religioni ſtrictiori erat acquiſitum. „ Laym.*n.6.*ex S.Th.*&c.*

„ III. Is, qui vovit experiri Religionem ſtrictiorem, poteſt „ id commutare in votum profitendi, & perſeverandi in la- „ xiore. Ratio, quia hoc melius eſt. Laym.*n.7.* ex Sanch.*&c.*

„ IV. Profeſſo licentiam tranſeundi ad Ordinem laxiorem, „ Epiſcopus, vel Prælatus Ordinis exemptus cum conſenſu „ Capituli, diſpenſativè ex juſta cauſa dare poteſt. Laym.*l.c.* „ Leſſ.*n.*103.Sanch.*l.6.mor.c.7.n.*52.*& ſeqq.*

„ V. Profeſſus, ad Ordinem ſtrictiorem, petita, licèt non „ conceſſa, Prælati ſui licentia, ex juſta cauſa tranſire poteſt; „ Quod addo, quia hujuſmodi tranſitus ſine cauſa temerè fieri „ non debet. Quòd ſi autem fiat, ſpectanda eſt auſteritas cir- „ca ſilentium, & ſolitudinem; idque non tantùm ſecundùm „ inſtitutum Regulæ, ſed etiam ſecundùm obſervationem præ- „ ſentem. Probatur *ex cap. Licèt, De Regularibus*, v. Leſſ. „ Laym.Sanch.*ll.cc. Ex dictis reſolvuntur hi caſus:*

„ I. Canonici Regulares ad Monachos tranſire poſſunt, „ non contrà; cùm Religio Monachorum auſterior ſit. „ Laym.*l.c.*

„ II. Profeſſus Regulam ſtrictiorem, ſi ea non ſervetur in „ ſuo Monaſterio aliove ejuſdem Ordinis, nec ſit ſpes refor- „ mationis, poteſt tranſire ad laxiorem, in quo Regula ſerve- „ tur, itaut conſiderato præſenti ſtatu, ducat vitam ſtrictio- „ rem, Laym.*c.6.n.*10.ex Sanch.Rodr.*&c.*

ADDENDA.

176 *Quæſt.26. Quid præterea notandum ſit circa eos, qui Religionem ingredi non poſſunt?* Reſp.Seqq.

§.1. Parochus poteſt Religionem ingredi monito tantùm Epiſcopo, ut Eccleſiæ provideat: Epiſcopus tamen non poteſt ingredi ſine licentia Papæ, communis cum Caſtrop.*tr.16. d.1.p.7.ſ.1.*

177 §.2. Impuberes adhuc poſt *Trid.* poſſunt ingredi ante pubertatem, non poſſunt tamen annum novitiatus, qui ad profeſſionem prærequiritur, incipere ante, ſed priùs ſtatim poſt pubertatem, Caſtrop.*ſuprà, & p.12.ſ.3.n.2.*

178 §.3. Conjux poteſt intrà primum bimeſtre ante conſummationem ingredi Religionem, etiam invito altero conjuge, qui tamen poſt profeſſionem illius poterit alium ducere, communis cum Steph.*t.5.d.8.n.46.* poſt conſummationem non poteſt, niſi adſit cauſa perpetui divortii, vel unus alteri licentiam concedat, quòd ſi faciat ſine una ex his cauſis, profeſſio etiam bona fide facta eſt irrita, poteritque exire etiam non revocatus à conjuge, imò & hoc conſentiente, ut maneat, aut hoc mortuo, ſaltem accedente authoritate Ordinarii: ſi autem à conjuge revocetur ad Matrimonium, poterit tantùm reddere, & non petere debitum: nam votum ejus eſt ab Eccleſia acceptatum, quantùm eſt ad obligationem non petendi debitum: hinc & mortuo conjuge non poterit licitè ducere alium, poterit tamen validè; neque tenebitur redire ad Religionem. Quòd ſi habuiſſet expreſſam voluntatem ſe non aliter obligandi ad caſtitatem, quàm dependenter à Statu Religioſo, poſſet etiam petere debitum, & eſſe omninò habilis ad iterum ducendum, Suar.Sanch.Leſſ.Caſtrop.*d.2.p.2.ſ.4.ubi nu.7.* addit, ſi conjux Religionem ingrediatur cum licentia conjugis, ipſa verò non ſervet conditiones à jure præſcriptas, ut ſi maneat in periculo incontinentiæ, illum validè quidem profiteri, ſed illicitè & poſtquam profeſſus eſt teneri redire ad ipſam, & reddere debitum, non tamen petere, illa autem mortua, debere redire ad Monaſterium.

179 §.4. An, & quandonam debitores, vel alii, qui rationes ſuas necdum depoſuerunt, ingredi poſſint, diximus *l.3.p.2.à n.*441. Similiter an teneatur filius egredi ob neceſſitatem parentum, dictum eſt *l.3.p.1.n.*694. Docentque AA.communiùs cum *Caſtrop.*§.5.contra *Suar.* non teneri manere in ſæculo ob neceſſitatem non extremam avorum, fratrum, aut ſororum, quia nec tenetur illis providere, nec curæ illius committuntur. Addit *Caſtrop.n.*14. cum *S.Th.Suar.* & aliis, filium non teneri manere in ſæculo ob neceſſitatem communem parentum, ſed tantùm gravem, vel ſtatui meliori ſupervenientem. Quoad ſervos, putat Sanch.*in Decal.l.5.c.4.* eos invito domino invalidè profiteri, ſed probabiliùs contradicit *Suar.* quia jure naturæ validè vovent, nec jus poſitivum induxit invaliditatem.

180 §.5. Si filius non attenta neceſſitate gravi Parentum profiteatur, profeſſio eſt valida, ſed illicita, teneturque filius, ſi aliter aliis ſubvenire nequeat, exire: an autem id poſſit contra voluntatem Prælati, diſputant AA. inter quos abſolutè affirmant Janſen.Palat.aliique apud Sanch. *in Dec.l.4.c.20.n.25.* & apud Mendo *d.3.n.2.* quia manet filius, & obligatio filii erga parentes ita eſt naturalis, & intrinſeca, ut nequeat per ullum ſtatum eximi: & hanc ſententiam fusè tuetur Sylv. *p.1.v.Egreſſus* è *Monaſterio:* è contra abſolutè negant *S.Th.S.Ant.Arm. Fag.Caj.Sa, Sanch.Laym.* & alii: quia filius mortuus eſt ſæculo per profeſſionem, & ita mutavit ſtatum, ut non ſit ſui juris, ideoque Prælato negante conſenſum cenſendus eſt eſſe impotens: *Silv.Tol.Suar.Leſſ.* aliique multi ſic diſtinguunt, ſi parentes tempore profeſſionis fuerint in neceſſitate, tenetur exire etiam contra voluntatem Prælati, ob rationem primæ ſententiæ, & quia cenſetur ſe tradidiſſe Religioni ſub ea conditione, ſi aliter ſubveniretur parentibus; ſi autem poſt profeſſionem in neceſſitatem inciderint, non poteſt, ſi Prælatus nolit, ob rationem ſecundæ ſententiæ: ſi tamen parentes certò indigeant graviter, tenebitur quantùm poteſt retento ſtatu lucrari, & laborare pro illis, petita, & quamvis non obtenta licentia, quam Prælatus irrationabiliter negabit, *Caſtrop.ſ.6.n.9.* Et ſi ita juvare poſſit manendo in Religione, tenetur manere; ſi tamen dimiſſo habitu deberet vacare ſervilibus, decentius eſſet, ut exiret, Mendo *ſuprà.*

Q.27. Quænam impediant ingreſſum in Societatem JESU? 181 *Reſp.* Videri poteſt *Epitome Inſtituti par.1.c.1.ſ.2.& 3.* Singula autem impedimenta explicant Suar. *de Relig.t.4.tr.10.l.2.c.1.* & Caſtrop.*tr.16.d.1.p.8.ſ.1.& 2,* Speciatim de homicidio poteſt videri etiam Lug.*in Reſp.Mor.l.4.d.16.17.& 47.* Item de geſtatione habitus alterius Ordinis, habet *ibid.d.15.*

Q.28. Quid præterea notandum ſit circa eum qui vovit 182 *ingredi Religionem? Reſp.* Præter dicta *lib.3.par.1. à num.*565. adde ſeqq.

§.1. Si puer poſſit diſcernere inter ea, quæ ſaluti congruunt vel repugnant, etiamque intelligat Religionem eſſe rem ſalutarem, & Deo gratam, votum ejus de Religione eſt validum: quamdiu tamen impubes eſt, irritari poteſt à Patre, vel tutore, ſecundùm dicta *l.3.p.1. à n.*488. Poteſtque probabiliter etiam poſt pubertatem irritari à Patre, ſi pubes non ratificarit, *Nav. Caj.Lop.* & alii, non tamen, ſi in pubertate emiſerit, aut ratificarit, tum enim cenſetur de novo emittere, Leſſ. *de ſtatu vitæ eligendo q.3.*

§.2. Qui vovit Religionem, tenetur experiri tyrocinium, 183 & poſteà profiteri, ſi judicet Religionem eam ſibi conducere, uti dictum eſt *lib.3.p.1.n.*393. talis enim cenſetur eſſe mens voventis, & ſtatus Religionis, quem vovit importat vota ſubſtantialia. Si autem ſe malè gerat eo fine, ut è tyrocinio dimittatur, non eſt tutus in conſcientia, quia qui vovet Deo, etiam ſe obligat ad non præſtandum ſponte ſua impedimentum executioni voti, alioquin votum eſſet illuſorium; quòd ſi ita dimiſſus ſit, tenetur petere iterum recipi, Leſſ.*qu.*10. Imò ſi poſteà ex ſola animi levitate egrediatur, docent Caj. Suar. Laym.Caſtr. *t.16.d.1.p.4.n.5.* non ſatisfeciſſe voto, quamvis contradicant Nav.Az.Bon.Burgh.*cent.2.caſ.92.* putantes ſatisfeciſſe, ſi animo ſincero ſit novitiatum ingreſſus.

§.3. Si quis poſt primam inſtantiam non admittatur ad Re- 184 ligionem, quam vovit, an teneatur facere plures inſtantias, aut aliam Religionem ingredi, pendet ab intentione voventis, poſſuntque videri Suar.*t.3.l.4.c.2.* & Sanch. *in Decal.l.4.c.16.à n.27.* Quòd ſi credatur ſe admittendum, ſi manifeſtet ſe voviſſe, *Bon.* obligat ad manifeſtandum, quia promittens aliquid cenſetur etiam ea promittere, quæ ad illud ducunt per ſe, ac neceſſaria ſunt; è contrà *Suar.ſuprà*, & alii dicunt non teneri, quia ex vi voti teneris ad ea tantùm media, quæ per ſe ſunt neceſſaria, & ordinaria, aliàs tenereris etiam adhibere interceſſores.

§.4. Qui vovit perſeverare in Religione, ſecundùm com- 185 munem ſententiam tenetur, quamvis Ordo ſit ei valdè difficilis, quia plus cenſetur voluiſſe, quàm ſi dixiſſet, voveo Religionem, *Sanch.* & alii, quamvis Caſtr.*n.9.* ex parte contradicat, eò quòd in votis videatur ſtricta interpretatio facienda, & ſalvetur ſenſus voti, ſi dicatur ſe voluiſſe obligare ad perſeverandum, ſi bona fide probata inveniretur facilis, & conſentanea.

Ad quid teneatur ille, qui voverat ingredi Religionem, & poſteà invitus ejicitur ex illa, dicetur *n.*199.

Q.29. Quid addendum ſit circa illum, qui cupit tranſire ad 186 *Monaſterium ejuſdem, vel diverſi Ordinis?* Reſp.ſeqq.

§.1. Quando dicitur Religioſum poſſe tranſire ad ſtrictiorem Ordinem, dubitatur, an omnis Ordo, hoc ipſo quòd ſit perfectior, etiam ſit ſtrictior ſive ſeverior: negant cum communi *Sanch.Leſſ.Laym.* quia perfectio, & ſeveritas oriuntur ex diverſis capitibus, nempè perfectio ex perfectiori fine, & mediis; ſeveritas autem ex aſperitate mediorum: & ita Ordines Mendicantes ſunt perfectiores Monachalibus, v.gr. Carthuſiano, cùm pro fine habeant ſalutem ſuam, & proximi, ex quo major in Deum gloria redundat, & tamen Carthuſianus eſt ſtrictior: nihilominus contradicit Caſtr.*t.16.d.4.p.26.ſ.1.* quia hoc ipſo, quòd ſit perfectior, habet inter media perfectiores virtutis actus, virtus autem perfectior eſt difficilior, ergo. Deinde, quia quò Religio eſt perfectior, eò ſtrictiùs obſervat vota, ergo eo ipſo etiam eſt ſtrictior; atque ideò *Cap. Licèt de Regularibus*, concedens tranſitum à laxiori ad ſtrictiorem Ordinem, indifferenter utitur nomine *ſtrictioris, & ſanctioris:*

& ita etiam paſſim dicunt AA. poſſe ab uno Ordine tranſiri ad perfectiorem, per quem intelligunt ſtrictiorem.

187 §.2. Etiam monialem poſſe tranſire ad Ordinem perfectiorem, docent Zerol. Rodriq. & alii cum Barb. *de off. Epiſc. alleg.* 102. *n.*27. Tranſitum tamen illum concedere non poteſt Abbatiſſa, vel Præfecta Monaſterii, uti cum aliis Sanch. *in Dec. l.6. c.7. nu.61.* quia non habet juriſdictionem ſpiritualem, ſed tantùm poteſtatem quandam dominativam, neque Eccleſia mulieribus committit judicium de gravitate, vel ſufficientia cauſæ: itaque requiretur licentia Epiſcopi, ſi Monaſterium ſit ei ſubjectum, uti colligitur ex Trid. *ſeſſ.*25. *c.9. de Regul.* vel Prælati, Generalis, aut Provincialis, ſi Monaſterium ſit exemptum: putatque Caſtrop. *p.*16. §.5. *n.*7. pro viris, ſpectato jure communi, id poſſe etiam immediatum ſuperiorem Conventus; non requiritur autem pro his licentia Epiſcopi, qui quoad hoc in perſonas illas juriſdictionem non habet, nec ordinariam, nec delegatam, uti ſuppono, & notat Suar. *de Relig. t.4. tr.*8. *l.*3. *c.*11. *n.*19.

188 §.3. Si Profeſſa vellet tranſire ad Monaſterium alterius Ordinis, intendens in hoc ſervare Inſtitutum, non hujus, ſed ſui Ordinis, recurrendum eſſet ad Papam, quia hoc plus eſt, quàm tranſire ad Monaſterium aliud etiam alterius Ordinis, cùm ibi ſit futura veluti extra obedientiam Religioſam, quam ſoli ſuo Ordini vovit: erit enim ſine ſuperioribus, & ſine obſervatione conſuetudinum, ac modi vivendi ſui Ordinis; non videtur autem Epiſcopo, vel ſuperioribus Regularibus conceſſa eſſe poteſtas ad talia.

189 §.4. Etiam controverſum eſt, an Monialis ex cauſa correctionis, & punitionis poſſit extrahi ad aliud Monaſterium ejuſdē Ordinis ſine licentia Papæ: negant *Zerol. Barb. Lez. Tamb.* quia hæc non eſt inter cauſas egreſſus à *S. Pio V.* aſſignatas, & relatas *nu.*70. & pro hac ſententia referuntur declarationes S. Congregationis. Affirmant alii apud Lug. *in Reſp. Mor. l.*3. *d.*18. *n.*1. quia decretum *S. Pii V.* extendi poteſt ad ſimiles cauſas, uti inſinuatum eſt *n.*70. Et hoc videtur certum pro Ordine S. Clarę ex quodam privilegio apud Lug. *n.*8. ſi hoc apud illas Moniales ſit in uſu: ſed quoad reliquas, probabiliùs dicunt Cornejo, & Lugo *num.*6. id fieri non poſſe ex cauſa ſolius correctionis, ubi enim delinquit, ibi punienda eſt; poteſt autem fieri, ſi interveniat ſpiritualis neceſſitas communitatis, quæ alioqui pateretur ſcandalum, vel periculum perverſionis; & hoc eſt conforme dictis *n.*70.

190 §.5. Gl. Inn. Panor. Silv. Nav. Sa, Ang. cum Leſſ. *in auct. v. Monialis caſ.*4. docent Monialem, v.g. *S. Benedicti*, ſi Monaſterium ſubſit Epiſcopo, poſſe per hunc ex ejuſmodi cauſa tranſire ad Moniales v.g. *S. Auguſtini*: & quamvis Ordo, ad quem tranſitur, eſſet laxior, adhuc ſufficere licentiam Epiſcopi, vel ſuperiorum docent Sanch. *n.*65. 68. *& ſeqq.* loquens de viris, & *n.*6. dicens idem eſſe de Monialibus, Leſſ. *de juſt. l.*2. *c.*41. *nu.*102. Caſtr. *n.*3. Pelliz. *t.*3. *c.*5. *n.*64. Loth. *t.*23. *a.*1. aliique, quorum ſententiam *Suar.* ſuprà dicit eſſe practicè probabilem, quamvis putet verius eſſe, quòd pro Ordine laxiori recurri debeat ad Papam. Ratio prioris ſententiæ eſt, quia exigebat recta adminiſtratio, & ſpiritualis neceſſitas Monaſteriorum, ut eorum ſuperiores id poſſent: Unde Trid. *c.*19. *& Extravagans, Viam ambitioſæ, de Regul.* quæ videntur oppoſitum ſtatuere, explicantur de caſu, quo fieret ſine juſta cauſa, & pro libitu, ac etiam ſine conſenſu Conventus, ut olim quandoque fiebat, hunc enim requiri notant Sanch. *n.*66. Leſſ. *nu.*103. Caſtrop. *nu.*9. aliique communiter, eſt enim res gravis momenti: quænam autem videantur eſſe juſtæ cauſæ ſic tranſeundi, refert Caſtrop. *num.*6.

191 §.6. Docet Leſſ. *in auct. v. Monialis caſ.*2. Moniali, quæ abſolutè non poſſet aliter ſe expedire à turpi conſuetudine Confeſſarii, licitum eſſe fugere in habitu etiam ſæculari ad aliam Provinciam, ut ibi etiam in alium Ordinem recipiatur: ceſſant enim vincula humana, & proprio arbitrio inducta, quando ex illorum obſervatione ſequeretur pernicies animæ, & jactura ſalutis.

192 §.7. Si quis transferatur ad aliud Monaſterium, dos remanet primo, in quo profeſſionem fecit, quia in hoc abſolutè tranſtulerat dominium, Sylv. *p.*1. *v. Dos.* Similiter bona, quæ abſolutè donavit primo Monaſterio, vel quæ in eo, quomodocumque acquiſivit, huic remanent, uti habet communis cum Caſtrop. *d.*3. *p.*17.

193 §.8. Religioſus mendicans (etiam Societatis JESU) tranſiens ad laxiorem Ordinem, redditur per Clementinam I. incapax omnis beneficii curati, adminiſtrationis, Prælaturæ, Officii, etiam lectoris, vocis, & loci in Capitulo, &c. Sanch. *n.*109. Caſtrop. *d.*4. *p.*27. Pelliz. *t.*9. *c.*2. *n.*155. Et cauſa eſt, ne illis detur irritamentum tranſeundi: videndum tamen eſt, an Clementina illa ſit in quibuſvis Monaſteriis recepta: nam video paſſim contraveniri.

194 §.9. Religioſis Societatis JESU non licet ampliùs tranſire ad ullum Ordinem, nequidem in Carthuſianum ſine facultate Generalis, uti legi poteſt *in Comp. Privil.* Pragæ recuſo anno 1703. *v. Apoſtata* §.10. E contra poteſt Generalis Societatis etiam profeſſos, quos judicaverit, mittere ad quemvis alium Ordinem, etiam laxiorem, de conſenſu tamen ſuperiorum loci illius, quò deſtinabuntur, uti habetur *ibidem v. Profeſſi*, §.2. Quòd ſi profeſſus Societatis cum facultate Generalis tranſierit ad Ordinem A, Generalis Societatis non poteſt ampliùs illi dare poteſtatem tranſeundi ad Ordinem B, quia jam non eſt amplius ſubditus Societatis, ſed Ordinis A, Lugo *l.*4. *d.*41. Hinc etiam impedire non poteſt talem tranſitum.

§.10. Privilegium, ex quo Societas JESU mittere poteſt profeſſum ad alium Ordinem, non extenditur, ut mitti poſſit ad Ordines Militares, vel Oſpitalarios, uti ex reſponſo Sacr. Congregationis notant Roder. & Lugo *n.*4. Si autem id petatur à Papa, neceſſe eſt de hoc facere mentionem, quòd fuerit Societatis, Lugo *n.*7. *& 9.* 195

§.11. Si Religioſus Societatis JESU cum venia Generalis tranſierit, & profeſſus ſit in alio Ordine, ac poſteà ab hoc redeat ad ſæculum, vel ad laxiorem Ordinem tranſeat, Societas poteſt contra ipſum procedere uti contra alios apoſtatas, uti habetur in *Comp. Privil. ſuprà v. Apoſtata §.*11. 196

Plura circa tranſitum ab uno ad alium Ordinem videri poſſunt apud Caſtrop. *toto p.*27.

*Q.*30. *An aliquis poſſit à Religione dimitti ſub conditione in certis caſibus reincidendi in vota?* Reſp. Quæſtio procedit de Religioſis Societatis JESU necdum profeſſis, v.gr. an poſſit Scholaſticus dimitti ſub conditione reincidendi in obligationem votorum, ſi ad talem urbem redierit; & rectè negat Lugo *in Reſp. Mor. l.*4. *d.*23. quia intermedio tempore non eſt Religioſus, ergo nec poteſt iterum fieri ſine nova admiſſione, nova probatione, & novo conſenſu ſuo; imò poſſet intereà contrahere impedimentum eſſentiale, ergo quamvis lubens actu rediret, non ideò iterum fieret Religioſus. 197

DUBIUM VI.

Ad quid teneantur Religioſi ejecti, & fugitivi?

SUppono, Religioſum juſtas ob cauſas Religione expelli poſſe; 1. Si in gravi vel pernicioſo crimine exiſtens, notoriè incorrigibilis appareat: in quo tamen caſu, Moniales perpetuo potiùs carcere mancipandas, quàm ejiciendas, putat Sanch. *l.*6. *mor. c.*9. *n.*3. *& 6.* 2. Si ob criminis infamiam, ſine gravi Ordinis damno tolerari nequeat. 3. Si in admiſſione reticuerit impedimentum, vel eſſentiale, vel ſaltem admodùm grave, v.g. lepram, &c. ut docet Nav. *t.*2. *l.*3. *de Reg. conſil.*48. Sa *v. Relig. n.*34. Sanch. *n.*5. Az. *t.*1. *l.*12. *c.*16. *q.*3. Ratio, quia in re admodùm gravi decepit, itaut fraus dederit cauſam admiſſioni, v. Dian. *p.*9. *t.*9. *R.*57. ubi docet, quòd licèt hactenus ex communi ſententia *Sanch. Suar. Az. Rodriq. &c.* Religioſi propter delictum aliquod grave, etiam ſemel perpetratum potuerint expelli, jam tamen propter declarationem *Urb. VIII.* editam anno 1624. per nulla privilegia poſſint expelli è Religione (excepta Societate JESU) niſi ſint incorrigibiles; tales autem non cenſentur, niſi unius anni jejunio, & pœnitentia in carcere ſint probati. 198

Hoc ſuppoſito: Reſp. I. Profeſſus, è Religione ob culpam ejectus, manet Religioſus, votiſque adſtrictus. Laym. *lib.*4. *t.*5. *c.*13. *n.*2. *ex communi. Unde reſolvuntur hi Caſus:*

I. Ejectus, rerum, quas acquirit, uſum & adminiſtrationem tantùm ſibi vendicare poteſt, non autem dominium: neque illud acquiritur Monaſterio, cujus non eſt membrum ampliùs, ſed Eccleſiæ, in qua beneficium habet, vel Papæ, ſi beneficium non habet, & exemptus eſt. Quòd ſi autem non ſit exemptus, Epiſcopo loci. Laym. *n.*2. *& 3.* ex Mol. & Leſſ.

Dixi, *ejectus*: quia fugitivos, & apoſtatas, iis exceptis, quæ ex beneficio Eccleſiaſtico accepta ſunt, Monaſterio acquirere verius eſt, ſi illud dominii in communi capax ſit: ſin minus, Sedi Apoſtolicæ. Ratio, quia Monaſterium, inſtar ſervorum eos vendicare, & reducere poterat. Laym. *l.c.* ex Az. *l.c.* Sylv. *&c.*

II. Ejectus per culpam, non omninò ſolutus eſt voto obedientiæ, etſi ejus executio magna ex parte ceſſet, quia caret ſuperiore, à quo dirigatur. Debet tamen illud ſervare in præparatione animi, ſi recipiatur, Laym. *num.*4. ex Nav. & Leſſ.

III. Idem à reliquis Monaſticis obſervantiis, & Regulis, ut à jejuniis, vigiliis, delectu ciborum, & ſimilibus liber eſt. Laym. *n.*5. Sà *n.*40. Nav. *& alii*, contra Leſſ. Sanch. *&c.* Ratio eſt, quia talium obſervatio non comitatur ſimpliciter profeſſionem votorum ſubſtantialium, ſed ſtatum Regularem, à quo ille eſt expulſus.

IV. Etſi non ſit improbabile, quod docent *Nav. & Az.* probatque *Rodriquez*, ejectum tutò manere extra ſuum Ordinem, nec teneri receptionem petere, eò quòd juſtæ ſententiæ

„ tentiæ ſuæ ejectionis, ſe conformare poſſit : contrarium ta-
„ men communius eſt, & probabilius. Ratio, quia cùm ſit
„ obligatus votis tenetur ſe qualificare, ut vota ſua conveniен-
„ ter profeſſioni exequi poſſit: Quæ ratio magis probat, ſi Or-
„ do ipſum revocet. Laym.*n.6.* ex Sylv. Sanch. & Leſſ.

„ V. Ejectus poteſt tutò in ſæculo manere, ſi in Monaſterio
„ non recipiatur, niſi Religionem laxiorem inire malit, quia
„ aliam non vovit; neque per ipſum (ut ſuppono) jam ſtat, quò
„ minus in ſua recipiatur, ita Rodriq. Laym. *& c. l. c.* Ubi addit,
„ Prælatos poſſe aliquem ſub conditione ejicere, ut vel aliam
„ Religionem intret, vel ad ſuam revertatur, imò etiam Ordi-
„ narii locorum ejectos ad hoc cogere poſſunt. Ratio eſt, quòd
„ tales non ſine periculo, & ſcandalo aliorum in ſæculo vi-
„ vant. V. Laym. *n.8. & 9.*

„ Reſp. II. Prælati Ordinum fugitivos, & apoſtatas requi-
„ rere tenentur, ſi abſque gravi Ordinis damno poſſint, &
„ non omninò incorrigibiles videantur, ita Sanch. *l.c.* Ratio
„ prioris partis eſt, quia jure divino, & naturali tenentur
„ prælati proſpicere eorum ſaluti. Ratio poſterioris eſt, quia
„ ſi ob juſtam cauſam poſſint ejici, ob eandem etiam, poſt-
„ quam malitiosè exiverunt, poterunt non recipi, Laym. *num.*
„ 7. ex Sanch. *& c.*

„ Dixi, *fugitivos*, *& apoſtatas* : quia per ſententiam juſtam
„ ejectos, etſi ſe correxerint, neceſſariò recipiendos, negant
„ Sanch. *l.c.* & Azor. *c.*17. affirmant Nav. Mol. *t.*1. *d.*140. *n.36.*
„ Leſſ. *l.2. c.*41. *d.*15. Utrique probabiliter.

„ *Quæres*, An profeſſus in uno Monaſterio poſſit cogi, ut ſe
„ transferat ad aliud ?

„ Reſp. Poſſe, ſi plura Monaſteria faciant unum corpus ſub
„ uno capite ; ſecus, ſi ſingula ſubſint ſuis ſuperioribus ſub
„ Epiſcopo, vel immediatè ſub Papa. Ratio, quia non vovit
„ obedientiam, niſi in hoc Conventu, Laym. *n.*10. Vide etiam
„ Sanch. *l.*7. *Mor. c.*32.

ADDENDA.

199 QUæſt.31. *Quid præterea notandum ſit circa ejectos, & fugitivos* ? Reſp. ſeqq.

§.1. Qui vovit Religionem in genere, ſi ejiciatur ex una, ſecundùm aliquos tenetur intrare aliam, quia adhuc manet votum Religionis, cui poteſt ſatisfacere: Contradicit Leſſ. *de juſt. l.2. c.4. d.*15. quia hoc votum Religionis in genere videtur eſſe extinctum per profeſſionem in hac Religione, omnia enim vota ſimplicia commutantur in ſolemnia Religionis, ſecundùm dicta *n.*7. Quid autem dicendum ſit, ſi talis dimittatur è novitiatu, dictum eſt *n.*183.

200 §.2. Si quis injuſtè ſit ejectus, Monaſterium tenetur illi reſtituere, quod in ingreſſu dedit, nam non cenſetur dare voluiſſe ita ingratis, & injurioſis, aut ſaltem poteſt jam donationem revocare, Leſſ. *in auct. v. Illegitimus caſ.*4. *nu.*13. Si autem quis ſua ſponte profugerit, quamvis redeat, aut retrahatur, Monaſterium non tenetur ſolvere expenſas, quas in abſentia fecit, Sanch. Caſtr. *t.*16. *d.*4. *p.*17. *n.*2.

201 §.3. Religioſus timore pœnæ fugiens è Monaſterio cum habitu, ſi tum priùs habitum dimittat, poſtquam illo privatus eſt per ſententiam Prælati, & Capituli, non eſſe excommunicatus, poteſtque uti habitu Clericali ſine diſpenſatione Papæ, uti habet *Navar.* poteſtque Epiſcopus ei dare novam juriſdictionem (nam juriſdictionem ex vi Religionis acceptam amiſit per dimiſſionem) & ejus opera uti, Leſſ. *v. Religioſus caſ.*3.

202 §.4. Probabilius eſt cum Suar. *de Relig. t.*4. *l.*3. *c.*5. & Caſtr. *p.*21. *n.*7. contra *Sanch.* non eſſe obligationem recipiendi fugitivos, vel apoſtatas ad eundem gradum honoris, quem habuerunt, quia hic non ita profeſſioni annexus eſt, qui in pœnam poſſit tolli. Et quamvis Inn. XII. die 24. Julii 1694. decreverit, ut ad honores reciperentur, tamen decretum illud erat limitatum ad ſex menſes intrà Alpes, ad annum ultrà Alpes, & ad tres tantùm annos extrà Europam, unde nunc elapſum eſt illud tempus gratiæ.

203 §.5. An ejectus, vel fugitivus teneatur ad Horas Canonicas, dicetur *n.*1191. Cui autem acquirat, & quomodo de acquiſitis diſponere poſſit Religioſus incluſus, fugitivus, ejectus, factus Epiſcopus, vel beneficiarius, videri poteſt apud Caſtr. *d.*3. *p.*19. *qui d.*4. *p.*24. *&* 25. examinat, an Religioſus factus Epiſcopus vel Parochus adhuc teneatur votis, aut præceptis Religionis, & ſpeciatim de Religioſo Societatis JESU facto Epiſcopo, diſcurrit *d.*5. *p.*8.

204 §.6. Circa cauſas ejiciendi aliquem è Religione, aut dimittendi à Societate JESU, diſputat fusè Caſtrop. *d.*4. *p.*19. *&* 20. Quas autem pœnas incurrant cooperantes vel juvantes ad fugam, explicat *p.*18.

205 *Q.*32. *Quandonam fugitivi cenſeantur apoſtatæ* ? R.

§.1. Aliqui cum Suar. *de Relig. t.*4. *l.*3. *c.*1. putant illum eſſe Apoſtatam, qui metu carceris, depoſito, aut etiam retento habitu fugit, etiam cum animo redeundi, poſtquam erit, v.g. alius ſuperior, ſi emaneat per longum tempus: ſed communis ſententia eſt cum Sanch. *in Decal. l.6. c.*8. Caſtr. *t.*16. *d.*4. *p.*16. *n.*4. Lugo *in Reſp. Mor. l.*4. *d.*37. ut quis cenſeatur apoſtata, requiri dimiſſionem habitus, & deſertionem Religionis cum animo non redeundi, unde qui habet animum redeundi, eſt tantùm fugitivus, cui fugæ annexa non eſt jure communi pœna, attamen per depoſitionem habitus incurritur excommunicatio lata à *Paulo, & Pio IV.* uti habet Sanch. *num.*11. De pœnis in apoſtatas latis videri poteſt Caſtrop. *à n.*8.

206 §.2. Si fugias à tua Religione in aliam, *Silv. Caj. Arriag. Bann. Valent. Az. Rodriq. Leſſ.* aliique communiter cum Sanch. *n.*8. dicunt te non eſſe apoſtatam, quia non habes animum deficiendi à Religione in communi, ſed tantùm commutandi hanc cum tua: *Caſtrop. n.*7. licèt hanc ſententiam vocet probabiliſſimam, tamen dicit oppoſitam eſſe veriorem, quia ſic recedens à tua Religione es fugitivus, ergo cum ab ea recedas cum animo nunquam redeundi ad illam, es apoſtata à tua Religione, ergo ſimpliciter apoſtata. Adde, quòd Pontifices dicant tranſeuntes à Societate JESU ad alium Ordinem ſine licentia, poſſe puniri tanquam *alios* apoſtatas, per quod ſatis innuunt ſic tranſeuntes ad alium Ordinem, etiam hoc ipſo eſſe apoſtatas.

207 *Q.*33. *Quid notandum ſit circa Religioſum, qui dimittit veſtem, ſeu habitum ſui Ordinis* ? R. ſeqq.

§.1. Si habitum temerè dimittat, ut ſic celet ſtatum, & liberiùs vagetur, peccat mortaliter, & incurrit excommunicationem, ſecundùm dicta *n.*205. Putat tamen Sanch. *in Decal. l.6. c.*8. *n.*7. Religioſos Societatis JESU non ideò peccare, aut excommunicari, quia non habent certum habitum, ſed contradicit Caſtrop. *t.*16. *d.*4 *p.*6. quia proprius illorum habitus eſt, qui eſt Clericorum illius regionis.

208 §.2. Non temerè dimittis habitum, ſi ideò deponas, ut perſonam repræſentes in ludo, vel recreatione, ut velocior ſis; ut nates, &c. hæc enim non ſunt voluntaria occultatio ſtatus, *Nav. Rodriq. Suar. Sanch. Caſtr.* Et idem tenent, licèt aliæ veſtes ad hos effectus induantur: imò etiamſi deponas ob finè turpem, v.g. ut voluptuoſiùs forniceris, ut faciliùs fureris, *Nav. Suar. Sanch. & alii*: intellige tamen, inquit *Caſtrop.* ſi prima intentio ſit fornicari, aut furari, nam incurreres excommunicationem, ſi prima intentio fuiſſet occultare tuum ſtatum.

209 §.3. Licèt communior, & probabilior ſit ſententia incurri excommunicationem, licèt retineas habitum tuum, ſi ſuperinducas ſæcularem, & ita occultes Religioſum ſtatum, uti tenent *Sanch. & alii*, cùm aliàs facillimè eludi poſſet lex ejuſque finis, qui eſt, ne quis vagetur, &c. tamen *Suar. Sayr. Caſtrop. & alii*, quamvis concedant talem peccaturum graviter, probabiliter excuſant à cenſura, & probabile eſſe fatetur *Sanch.* quia verba, quæ hic ſtrictè ſunt interpretanda, loquuntur expreſsè de dimittente habitum.

210 §.4. Si quis habitum temerè dimitteret per horam tantùm, peccaret tantùm venialiter, quia hic datur parvitas materiæ, uti diximus *l.*1. *n.*671.

211 §.5. Ille temerè dimittit habitum, qui ſine legitima cauſa dimittit, pro nihilo ducens legis prohibentis violationem : è contra excuſaris, ſi dimittas ob actionem, quæ in proximi ſalutem cedat, & aliter commodè fieri non poſſit : Item ob vitandum periculum ſcandali, infamiæ, damni tui, aut tuorum: eſt enim tum rationabilis cauſa deponendi; nec opus eſt, ut juſtitia cauſæ evidenter conſtet, ſed ſufficit probabiliter apparere, *Suar. Sanch. Caſtrop.*

212 §.6. In hac lege, quæ juris communis eſt, nemo niſi Papa diſpenſare poteſt; & nequidem adeſſe debet cauſa: alii ſuperiores in dubio de juſtitia cauſæ poſſunt ſolùm interpretari legem, ac declarare, quòd eo caſu non obliget, Caſtrop. *num.*13.

Circa pœnas Religioſi fornicarii, vide Haun. *de juſt. t.6. tr.2. n.*200. Pirh. *l.*5. *t.*16. *n.*75. Pelliz. *t.2. tr.9. c.*4. *n.*204.

CAPUT II.

De Statu Clericorum.

CLerici generaliter dicuntur illi, qui ſacris ordinibus, „ 213
vel prima ſaltem tonſura ſunt initiati: Ad quorum ſta- „
tum cùm multa pertineant, de quibus alibi agendum, hìc „
agemus de beneficiis Eccleſiaſticis, Horis Canonicis, & „
aliis paucis.

DUBIUM I.

De Beneficiis Eccleſiaſticis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex Beneficium Eccleſiaſticum.

REſp. I. Beneficium Eccleſiaſticum eſt jus perpetuum „
percipiendi fructus ex Bonis Eccleſiæ propter offi- „

„ cium aliquod ſpirituale, authoritate Eccleſiæ conſtitutum. „ Ita Laym. *l.4.t.2.c.1.* Leſſ. *l.2.c.34.d.1.*

„ Dicitur I. *Jus perpetuum*, ad excludendam Vicariam, & „ Commendam temporalem; quæ non ſunt Beneficia, de „ quibus Canones loquuntur.

„ Dicitur II. *Propter Officium*: quia in Beneficio duo ju„ ra à ſe mutuò ſeparabilia diſtinguuntur: 1. Eſt jus, ſeu „ poteſtas exercendi muneris ſpiritualis; eſtque ſimpliciter „ ſpirituale. Alterum eſt jus percipiendi redditus Eccleſiaſti„ cos: quod etſi ſecundùm ſe ſit temporale, quatenùs tamen „ fundantur in officio ſpirituali, eique annexum eſt, ſpiritua„ litatem aliquam participat.

„ Dicitur III. *Authoritate Eccleſiæ, &c.* quia ſolius Prælati eſt, officia in Eccleſia inſtituere; eiuſque proventus Ec„ cleſiaſticos annectere; ipſiuſque eſt diſpicere, quot & quali„ bus miniſtris Eccleſia egeat.

„ Reſp. II. Beneficium dividitur, I. In Sæculare, quod pro „ ſæcularibus, & regulare, quod pro Regularibus eſt inſtitu„ tum. Unde ſine diſpenſatione, nec ſæculare regulari, nec „ contrà conferri poteſt. Porrò omne beneficium præſumitur „ eſſe ſæculare, niſi probetur eſſe regulare, vel ex prima ſui „ inſtitutione, vel per poſſeſſionem pacificam 40. annorum: „ per eam enim ex ſæculari fit regulare, & contrà

„ II. Beneficium aliud eſt duplex, aliud ſimplex. Duplex „ dicitur, quod eſt cum adminiſtratione, ut Papatus, Epiſ„ ſcopatus, & omnia quæ dicuntur dignitatis, hoc eſt, quæ „ habent præeminentiam cum juriſdictione in foro externo, „ ut Præpoſitura, Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, „ ſive ſæcularis, ſive regularis, Prioratus clauſtralis: Item „ perſonatus, qui eſt eminentia in Eccleſia, ſine juriſdictione, „ v.g. locus honorificus in choro, in proceſſionibus, ſuffra„ giis ferendis, ut Cantoria, & ſimiles. Item beneficia, quæ „ dicuntur officia, habentque adminiſtrationem rerum Ec„ cleſiaſticarum, ſine juriſdictione, ut Cuſtos, Theſaurarius, „ Primicerius, Archipresbyter. Denique duplicia dicuntur, „ Beneficia Curata; hæc enim omnia duplici onere, & cura „ conſtricta cenſentur, cùm præter recitationem precum, „ omnibus communem, habeant aliquam adminiſtrationem, „ & eminentiam. Simplicia dicuntur, quæ tantùm ſunt in„ ſtituta ad officia divina obeunda, neque adminiſtrationem, „ vel eminentiam ſingularem habent, ut Canonicatus, ſive „ ſæculares, ſive regulares, Capellaniæ. V. Laym. *c.4.nu.4.* „ *&c.* & Leſſ. *d.2.*

ADDENDA.

214 CUm de materia beneficiorum fusè, & accuratè ſcripſerit R.P. *Petrus Leurenius* in foro beneficiali, edito Coloniæ anno 1704. ad hunc pro his materiis frequenter remittam, maximè pro locis, & textibus Authorum, quos citabo.

Q. 34. *Quæ ſit diſtinctio inter Beneficium, Canonicatum, Præbendam?* Reſp.

215 §.1. Si ſtrictè loquamur, hæc eſt, 1. Beneficium eſt jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Eccleſiaſticis ratione ſpiritualis officii, conſtitutum ab Eccleſia, uti pluribus explicat Leur. *p.1.q.1.& ſeqq.* Perinde autem eſt, ſive illud jus ſit in aliquo, qui ſpectet ad aliquod Capitulum, ſive non: melius autem dicitur cum Lott. *l.1.q.33.a n.24.* quod Monachatus non ſit beneficium. 2. Canonicatus eſt jus ſpirituale, quod aliquis ad Capitulum ſpectans habet ad ſtallum, ſive ſedem in choro, & ad vocem in Capitulo, ſiquidem in ſacris ſit conſtitutus; ideoque poteſt aliquis eſſe Canonicus, qui tamen non habeat beneficium, id eſt, necdum habeat jus percipiendi fructus. 3. Præbenda eſt jus percipiendi fructus provenientes è Canonicatu, unde iterum Canonicus tamdiu eſt ſine Præbenda, quamdiu necdum habet jus percipiendi fructus; notatque Neuſſer *in polyanth.d.*144. *num.*5. poſſe alicui conferri Canonicatum abſque Præbenda, dummodò adſit cauſa, & non fiat in multis: addit cum *Fagnan. Pirh.* & aliis tali Canonico eſſe conferendam primam Præbendam vacaturam.

216 §.2. In illo, quod communi nomine appellamus beneficium Eccleſiaſticum, tria inveniuntur, officium, beneficium, & fructus: officium eſt obligatio ad aliquam functionem ſpiritualem, v.g. ad adminiſtranda Sacramenta, ad legendas Horas, & hoc officium eſt immediatè in ſe aliquid ſpirituale, quod eſt fundamentum beneficii. Beneficium hic intelligitur jus ad fructus ratione officii, quod jus per hoc tantùm eſt ſpirituale, quòd ſpirituali officio ſit annexum, & in eo fundetur: eſtque talis præſtatio fructuum, ſecundùm Az. *p.2.l.6.c.1.* juris naturalis, quia de jure naturæ debetur operario ſua merces; ſecundùm alios cum *Lott.* eſt juris Divini, quia Deus *Num.18. v.8.* Chriſtus Luc. 10. *v.7.* Apoſtolus 1. *ad Corinth.9. v.13.* præcipiit Miniſtris Eccleſiæ dari ſuas mercedes, & ſtipendia; conſtitutio tamen tanti, vel tanti ſtipendii ex hoc, vel illo fundo eſt juris humani tantùm, uti rectè AA. apud Leur. *qu.*12. Fructus, ſeu proventus ipſi ſunt aliquid omninò temporale, unde illos vendere, aut emere nulla eſt ſimonia.

*Q.*35. *Quid ſit præſtimonium, beneficium titulare, ma-* 217
nuale, monoculare, Commenda ſpiritualis? Reſp.

§.1. Præſtimonium eſt beneficium inſtitutum pro Clericis, ut ſtudiis vacent; habetque ſæpè adjunctum onus orandi quotidie quinquies Pater, & Ave: putantque Az. Suar. Garc. Gonz. Caſtr. *tr.13.d.1.p.7.n.1.* eſſe verum Beneficium eccleſiaſticum, ac materiam ſimoniæ, quamvis aliqui id negent.

§.2. Beneficium titulare eſt, quod in titulum perpetuum 218
ſic confertur, ut abſque gravi cauſa non poſſit auferri, & ideò eſt titulus Ordinationis.

§.3. Beneficium manuale eſt, quod ad nutum alterius po- 219
teſt auferri, ideoque dicitur manuale, quia in alterius manu, & diſpoſitione manet illud relinquere, vel auferre: talia ſunt pleraque beneficia regularia; neque dicuntur ejuſmodi Beneficia propriè vacare, ſi moriatur deſerviens, neque ſubjacent regulis proviſionum, ſicuti alia, Luca *de Benef. d.97.n.19.* In dubio autem an aliquod beneficium ſit manuale an abſolutè perpetuum, ſi ſit ſæculare, præſumi debet eſſe abſolutè perpetuum; imò omne manuale ſæculare poteſt conferri in perpetuum, Luca *n.*23. è contrà ſi ſit regulare, præſumitur manuale, propter ſubjectionem ad obedientiam, Luca *n.3. qui n.6.* oſtendit manualia quæcumque (exceptis Commendis aliiſque, quæ non ſunt meræ gratiæ, ſed veluti præmia benemeritorum) poſſe auferri pro arbitrio Superioris etiam ſine cauſa, niſi fieret ex odio, & calumnia, vel cum magno dedecore amoti, qui probare debet fieri ex illis cauſis vel cum hoc incommodò: imò quamvis Epiſcopus aliquē ordinaſſet ſuper tali beneficio, adhuc poſſet amoveri, quia factum Epiſcopi non debet præjudicare illi, qui habet jus amovendi, niſi hic conſenſiſſet: Garc. *p.1.c.2 n.91.* Luca *n.*25. An autem amotio fieri poſſit per laicos, videri poteſt Luca *diſc.*80. ſed de tali amotione, ſitne licita, vel etiam valida, plura videri poſſunt apud Caſtrop. *d.1.p.5.* Item univerſim de perpetuitate, & manualitate beneficiorum plura habet Leur. *p.1.q.61.& ſeqq.*

§.4. Beneficium monoculare eſt, quod eſt unicum in Ec- 220
cleſia, vel cujus ſolius, & unici collationem habet aliquis, Lott. *l.2.q.39.n.3.* Nicol. *tit.1.d.2.§.2.*

5.5. Commenda ſpiritualis eſt officium, vel beneficium, 221
in quo alicui commendatur adminiſtratio aliqua ſpiritualis; v.g. miniſtrandi Sacramenta, concionandi, &c. & aliter vocatur Vicaria; poteſtque eſſe perpetua, vel temporalis, uti latè proſequitur Caſtrop. *p.8.* & dicemus à n.239.

*Q.*36. *An Beneficia manualia ſint reipſa Beneficia?* Reſp. 222
Negant cum aliis Sanch. *in Dec. l.7.c.29. nu.*106. & Caſtr. *t.13. d.1.p.2.n.7.* quia non ſunt perpetua; ſed Leſſ. *de juſt. l.2.c.34.d.1.* affirmat: nam in ſe, id eſt, ex natura, & inſtitutione ſua ſunt perpetua, ac etiam cenſeruntur in perpetuum, ſive abſque reſtrictione ad tempus, quamvis per accidens, & prout ſunt in hoc beneficiato non ſunt perpetua, quia nempe hic proviſus eſt ſubjectus diſpoſitioni Superioris, vel obedientiæ quoad officium, habitationem, ac vitæ totius directionem. Deinde etiam per hoc ſunt perpetua, quòd inſtituta ſint, ut ſemper durent, dumque auferuntur uni, ut alteri conferantur, uti innuit Nav. apud Gob. *t.8.n.631.* Et ſic patet, cur penſiones non ſint beneficia, quia nempe morte penſionarii extinguuntur. Videri poteſt Leur. *p.1.q.84.* uti & Illſ. *t.5.n.173.*

*Q.*37. *Quid præterea notandum ſit circa beneficia regularia,* 223
& ſæcularia? Reſp. Seqq.

§.1. In Eccleſia ſæculari poſſunt eſſe beneficia regularia, & in regulari ſæcularia, Luca *de Benef. d.63.n.4.* Corr. *de Benef. l.1. c.6.a n.329.* Imo in eadem Eccleſia poſſunt eſſe duo Capitula, unum ſæculare, alterum regulare; item collator poteſt eſſe regularis, & Beneficium ſæculare, itaut non poſſit conferri regulari, Luca *n.7.& 13.* An autem beneficium fundatum in Eccleſia regulari poſſit ſemper præſumi regulare, videri poteſt Caſtrop. *t.13.d.1.p.3.§.4.n.6.*

§.2. Beneficium ſæculare vacat per profeſſionem Religio- 224
ſam, niſi Papa diſpenſet; ſed meritò non debet diſpenſare, ut Religioſus ſit Canonicus, quando eſt contra ſtatuta, vel immemorialem conſuetudinem alicujus Eccleſiæ, Luca *d.64.*

§.3. Beneficia ſæcularia ſine diſpenſatione conferri poſſe 225
Regularibus, præſertim Canonicis, docet cum aliis multis Tamb. *de jure Abb. t.3.d.9.qu.8.* quem ſequuntur Engel. & Leſſ. *in auct. v. Religioſus, caſ.*2. Oppoſitum probabilius tenent ex Conc. Later. Rebuff. Caſtrop. Vvamef. Pelliz. *t.8.cap.9. a num.*231. Corr. *in praxi diſpenſ. lib.6.cap.1.* Sanch. *in Decal. lib.7.cap.29.* Garc. *par.7.c.10.a num.*31. Pirh. *l.3. t.5. num.* 118. In quibus tamen caſibus Beneficia ſæcularia conferri poſſint Regularibus, vel regularia ſæcularibus, videri poteſt apud Caſtrop. §.1. & Leur. *p.1.qu.37.& 39. ubi qu.*40. notat Beneficium Regulare unius Ordinis, vel Monaſterii non poſſe conferri Regulari diverſi: quot verò vota requirantur, ſi Regularis eligatur, vel poſtuletur ad dignitatem ſæcularem, explicant Caſtrop. §. 2. & Leur. *qu.* 59. & 60. Quamvis

autem

autem multi dixerint ad electionem Monachi pro Beneficio ſæculari curato non requiri diſpenſationem Epiſcopi, ſed tantùm licentiam proprii ſuperioris, nunc tamen ob jus novum dicendum eſt, nec Monachum, nec Canonicum regularem poſſe aſſumi, neque in hoc diſpenſare poſſe Epiſcopum, uti latè ex jure, & AA. deducit Leur. *à q.46.* Poſſe tamen Beneficium ſæculare validè conferri novitio, docent *Sanch. Garc. Caſtrop. & alii*: Qualis verò requiratur licentia ſuperiorum, vel conventus, ut Regularis diſpenſatus poſſit admittere tale beneficium ſæculare, explicat Leur. *q.55. & ſeqq.*

Q.38. Quid addendum ſit circa beneficium duplex? Reſp. ſeqq.

226 §.1. Beneficium duplex eſt, quod afficitur aliqua qualitate juris, id eſt, vel præeminentia, vel juriſdictione, vel adminiſtratione Eccleſiæ: ſi fit cum præeminentia, & juriſdictione in foro externo circa Clericos, dicitur Dignitas, ſi cum præeminentia, & juriſdictione in foro tantùm interno, dicitur Curatum; ſi cum præeminentia ſine juriſdictione, Perſonatus; ſi ſine præeminentia, & juriſdictione habeat annexam adminiſtrationem aliquam, v.g. Cellerarii, dicitur Officium: Theſauraria in quibuſdam Capitulis eſt dignitas, vel perſonatus, in aliis tantùm Officium. Videri poteſt Leur. *p.1. q.32.* ubi plura de diviſione illa Beneficiorum.

227 §.2. Beneficium duplex ſubdividitur in majus, medium, & minus; majus eſt quaſi culmen Beneficiorum, & dignitatum, uti Papatus, Cardinalatus, Primatus, Patriarchatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus; hæc tamen in Canonibus pœnalibus, & aliis, quæ ſtrictæ ſunt interpretationis, non veniunt nomine beneficii: unde cùm exemptio à lege ſit ſtrictè interpretanda, ſi detur diſpenſatio ad omnia beneficia, non debet extendi, nequidem ad Epiſcopatum, Garc. *p.1. c.6. n.66.* aliique cum Leur. *q.34.* ubi pluribus exponit, quænam etiam Præbendæ quandoque non veniant nomine beneficii. Beneficium duplex medium, eſt v.g. Decanatus, Abbatia, uti tenent aliqui apud Lott. *l.1. q.26. à n.17.* Item Prioratus Clauſtralis, ſi quis ſub Abbate curam diſciplinæ habeat, & Prioratus Conventualis, ſi quis non habeat ſuperiorem in eo conventu; item Patronatus. Duplex minus dicitur, in quo exercetur juriſdictio tantùm in foro interno, ut faciunt Parochi, & Sacellani.

228 *Q.39. Quid cenſendum ſit, in dubio, an Beneficium ſit ſimplex an curatum?* Reſp. Cenſeri debet ſimplex, quia tot ſunt qualitates ad beneficium curatum requiſitæ, ut meritò præſumi non debeant, niſi probentur, Gutt. Hoi. Gonz. Dian. *p.4. t.3. R.74.* Nicol. *t.1. d.6. §.2.* Quomodo autem immutetur quandoque, vel unde deprehendi poſſit mutatio ſtatus beneficii, explicat Leur. *p.1. q.33. & 38.* poſſuntque videri dicenda *à n.296.*

Q.40. An Præbendæ Canoneſſarum ſint Beneficia? Reſp. Colligetur ex dicendis, inter quæ plura addemus ad hunc ſtatum pertinentia.

229 §.1. Status hic eſt antiquus, ſcilicet ab anno 817. uti referunt Zyp. *in Conſ. Can. l.3. de Reg. conſult.17.* & Neuſſ. Poly. *d.145. n.4.* ejuſque mentionem faciunt Bonif. VIII. *cap. Indemnitatibus, de elect. in 6.* ubi ſtatuit, ut earum Abbatiſſa ſit annorum ſaltem 30. Item Clemens V. *in Clem. l.3. t.10. c.2. Attendentes,* ubi dicit eas viſitari poſſe ab Epiſcopo, ſi exemptæ non ſint, ſi autem exemptæ ſint, à Nuntio Apoſtolico: & licèt aliqui apud Corr. *de Benef. l.c.5. n.142.* dixerint ſtatim illum ab Eccleſia eſſe reprobatum, tamen Zyp. aliique cum Neuſſ. *n.7.* rectè docent non reprobari quamvis etiam poſitivè non approbetur, niſi velut laudabilis Congregatio, Neuſſ. *n.8.* Imò Tomaſ. *p.1. l.3. c.63. n.3.* dicit videri tacitè approbatas. Quamvis autem Clericæ non ſint, ſunt tamen perſonæ Eccleſiaſticæ, uti & Moniales aliique Canonici ſæculares, Zyp. Neuſſ. *n.8. & 9.*

230 §.2. Docet Corr. *n.144.* Præbendas earum eſſe ſæculares, quarum plures poſſint ſine diſpenſatione poſſideri; *Concil. Colonienſe* apud *Tomaſ.* dicit non poſſe uni Abbatiſſæ duo ejuſmodi Collegia ſubeſſe. Addunt *Lott. Buratt. Corr. Tond.* & alii tales Præbendas non eſſe materiam ſimoniæ, Neuſſ. tamen *n.11.* dicit eſſe quodammodò Eccleſiaſticas, nec inexpertes ſimoniæ, & hoc eſt, quod diximus *l.3. p.1. n.105.* Notant etiam Zyp. *à n.27.* & Neuſſ. *n.9.* ſi tenues ſint, poſſe uniri authoritate Epiſcopi: & abſolutè docent Leſſ. *in auct. v. Horæ Canonicæ, caſ.16.* & Neuſſ. *n.11.* illas Præbendas non eſſe veros Canonicatus, aut Beneficia, cum hæc prærequirant ſaltem primam tonſuram.

231 §.3. *Leſſ.* ſuprà dicit eſſe obligationem apud ipſas, ut geſtetur in choro certus habitus, item ut Capitulum, & ſingulæ de Capitulo procurent officium Divinum quotidie fieri, ita ut ſi quæ ſub abſentia, vel aliter cauſaret omiſſionem officii, eſſet peccatura mortaliter; ubi tamen plures ſunt, & ſine eis haberi poterit officium, dicit abſentiam trium dierum non fore mortalem, ſed venialem, ſi cauſa legitima deſit. Et contrà eas non obligari ad quotidianam perſolutionem officii Divini in choro, dicit certum eſſe Neuſſ. *n.13.* adducta praxi trium Collegiorum propè Bonnam, quæ in Dominicis tantùm Miſſam, aliquas parvas Horas, & Veſperas decantent, ſed cùm praxis illa non ſit univerſalis, nec ſciatur eſſe approbata, nihil probat univerſaliter, aut pro aliis locis, in quibus poteſt eſſe obligatio ſaltem ex conſuetudine.

§. 4. Idem *Leſſ.* putat Canoneſſam omittentem officium 232
uno, vel altero die, dum chorum non frequentat, non videri peccare mortaliter, tum quia non tenetur ratione Ordinis, vel Beneficii, cùm Ordinem & beneficium non habeat; nec ratione Præbendæ videatur tam ſtrictè obliganda, non enim eſt idem finis, quæ Canonicorum, ſed hic eſt, ut diſcant inter ſe honeſtè vivere, ac benè educentur; videturque annexa officii recitatio tanquam pium exercitium eò juvans: nec ſunt Miniſtræ Eccleſiæ, uti Canonici, nec poteſt ſupponi, inquit, quòd fundatores puellas nobiles tam ſtrictè obligare voluerint: ſi tamen ad menſem, vel fortè etiam ad hebdomadam omitterent, putat fore mortale, quia videtur eſſe contra finem inſtitutionis, & mentem fundatoris, qui minùs non requiſierit. Neuſſ. *n.14.* etiam abſolutè docet velut probabile, quòd non obligentur ad privatam lectionem Horarum, & audivi idem in publica diſputatione propugnari: ſed contradicit Tomaſ. *n.10.* nam ad hoc poteſt eſſe obligatio ſaltem ex conſuetudine legitimè introducta, quæ colligi poteſt ex uſu timoratorum, nam præteritis temporibus, etiam cùm degerent extra Collegia, ſollicitè penſum illud Horarum exolvebant, & de hoc admonebantur ſedulò à Parentibus, faciebantque ſibi conſcientiam peccati, ſi non perſolverent, uti teſtantur etiamnum viventes, antiquæ ſimplicitatis, ac pietatis ſtudioſæ: notat tamen *Leſſ.* ipſas, ſi omittant, non amittere ipſo facto fructus Præbendæ, nec teneri ad reſtitutionem, quia leges pœnales loquentes de ſolis Canonicis, & beneficiariis non ſunt extendendæ, utpotè odioſæ. Cum *Leſſio* quoad omnia tenet etiam Gob. *in Exp. t.5. num.633.*

§.5. Quæſitum eſt nuper, an ſi in ejuſmodi Collegio ſit ſta- 233
tutum, ut Canoneſſæ caſtitatem ſervent, poſſit aliqua clàm maritata pergere frui Præbenda, v.g. ad annum, & interea domum vendere, ac, prout mos eſt, reſignare Præbendam? Affirmabant aliqui viri docti. 1. Quia ſtatutum, vi cujus maritata privatur Præbenda, non videtur obligare in conſcientia. 2. Simile ſtatutum contra fornicariam occultam, quæ peperit, non privat illam ipſo facto Præbenda, ergo neque maritatam. 3. Statutum illud circa fornicationem eſt pœnale non obligans ante ſententiam, vel declarationem, ergo ſimiliter illud circa maritatam. 4. Bona illa non ſunt Eccleſiaſtica, nec Præbendæ illæ ſunt ſpirituales, ergo non obſtat ſtatus Matrimonii, ſaltem ſi ſit occultus. Ego oppoſitum tenui cum aliis, quia Matrimonium reddit perſonam inhabilem ad talem Præbendam, ideoque etiam ad fructus ex illa, nam 1. Maritata, etiam occulta, non poſſet validè primò admitti ad talem Præbendam, uti prudentes omnes judicabunt, ergo ſignum eſt Matrimonio induci inhabilitatem, ſicut Matrimonio Clerici, etiam occulto, inducitur inhabilitas ad beneficium Eccleſiaſticum, etiam retinendum. 2. Finis intrinſecus talium Præbendarum, & fundationum eſt, (ſicuti dicent omnes, qui de ejuſmodi Præbendis aliquam notitiam habent) ut nobiles puellæ cœlibes vel volentes nubere, vel nubendi occaſionem expectantes honeſtè educentur, & ſaluti ſerviant extra graviora pericula ſæculi, ergo poſito jam Matrimonio ceſſat finis intrinſecus talium Præbenbarum, cùm etiam ceſſet cœlibatus, ceſſante autem fine intrinſeco Præbendæ in aliquo ſubjecto, hoc ipſo ſine ulla ſententia, vel declaratione eſt talis perſona inhabilis, & privata, uti dictum eſt de Clerico uxorato, ergo. 3. Si talis fœmina non eſt per Matrituonium facta inhabilis, poterit non tantùm uno anno, ſed tota vita retinere occultato Matrimonio, poterunt, & reliquæ ex ſimili cauſa, hoc autem nemo concedet, ergo. Unde,

Reſpondeo ad 1. Dato, quòd obligatio cœlibatus non ſit ex ſtatuto in conſcientia obligante, attamen eſt ex fine intrinſeco talium Præbendarum, quo deficiente perſona non manet habilis ad poſſidendum, ideoq; de jure naturæ reſultat in conſcientia obligatio ſe habendi velut privatam. *Ad 2.* N. conſ. quia fornicaria occulta non fit inhabilis, nam poſſet primò admitti ad talem Præbendam, & in ea non ceſſat finis præbendæ, cùm maneat cœlebs, apta honeſtè educari uſquedum nubat, ſi velit. *Ad 3.* N. conſ. quia fornicatio eſt crimen, cui reſpondet pœna, quam non tenetur quis in ſeipſo exequi, ordinariè ſaltem; Matrimonium non eſt crimen, ſed tantùm inducit inhabilitatem, ad quam non prærequiritur ſententia, vel declaratio. *Ad 4.* Do ant. & n. conſ. quia cum Matrimonio non ſtat finis intrinſecus talium Præbendarum, etiam dato, quòd pro ſæcularibus fundatæ ſint, quod tamen non eſt ſemper, ſed ſæpè primitùs fuerunt fundationes Religioſarum.

Q.41. Quid de Capellaniis ſit notandum? R. ſeqq. 234

§.1. Capella dicitur à cappa, quia erat certum genus tegumenti, ſeu tentorii, ſub quo Francorum Reges olim in campo habebant ſua divina; nunc ſumitur pro Oratorio, vel ædicula templo alicui annexa, aut in templo intercluſa cancellis, in qua erigitur altare: & cura regendi talem Cbpellam dicitur

Capellania, cui autem cura illa committitur, dicitur Capellanus Az.*p.*2.*l.*3.*c.*8. *q.*2. Unde etiam dici posset Sacellanus quia ipsi talis sacra cella, sive sacellum committitur; sed in his partibus obtinuit usus, ut per Sacellanum intelligatur aliquis, qui Parochum juvat in cura animarum, quamvis nulla Capella, vel altare ipsi specialiter committatur.

235 §.2. Capellania tum tantùm est Beneficium, si authoritate Episcopi sit creata, & dotata, Garc. *p.*1.*c.*2 *num.*102. Corr. *l.*1.*n.*285. aliàs est quoddam veluti legatum relictum cum obligatione alia onera præstandi possetque concedi non consurato, infantibus aut etiam fœminis secundùm voluntatem fundatoris, Luca *de Benef.d.*8.*num.*18.& ad Trid.*d.*24.*num.*10. Porrò signum est non esse Beneficium, sed Capellaniam pure laicam, si semper conferatur à Patrono laico absque authoritate Episcopi, vel Ecclesiæ, Castrop.*t.*13.*d.*1 *p.*6. Est tque absque simonia vendibilis, non quidem Capellania, sed talis Capella secundùm æstimationem materialium, Lott. *l.*2.*q.*4.*à num.*14. Poterit tamen ejusmodi Capellania laica, authoritate Episcopi erigi in Beneficium, dummodò fundator expresse aliter non voluerit, hoc enim, & ipsi, & Ecclesiæ est favorabilius, censetur autem aliter fuisse, si ipsemet vivens posuerit Capellanũ non requisito Ordinario. Quod si voluerit esse Ecclesiasticam, ad Ordinarium, per se loquendo, spectat institutio, præsentatio autem sola ad fundatorem, vel patronum ab eo designatum: in dubio verò Capellania præsumitur esse Beneficium, Barb. *de jure Eccl.l.*3.*c.*5.*n.*1.

236 §.3. Capellania laica non obligat ad Horas, nec potest esse titulus Ordinationis, etiamsi collator peteret aliquem desuper ordinari, cùm non sit Beneficium, & Capellanus semper liberè amoveri possit: è contrà Capellaniæ Ecclesiasticæ, quæ solent solis Clericis 14. annorum conferri, quando perpetuæ sunt, habentque sufficientes proventus, possunt esse titulus Ordinationis.

237 §.4. Si fundator noluerit, Ordinarius non debet visitare Capellaniam tam Ecclesiasticam quàm laicam; si tamen de hoc nulla mentio est facta, Ordinarius poterit visitare utramque, quamvis visitatio esset etiam alicui alteri commissa, quia est opus pium, à cujus inspectione non ideò excluditur Ordinarius, quòd etiam alius designetur inspector, cùm id jure suo competat Ordinario.

238 §.5. Capellanus laicus non tenetur ad subsidium, quod sæpè imponitur super proventus Ecclesiasticos, non enim habet Beneficium Ecclesiasticum. Hæc aliaque plura de Capellaniis videri possunt apud AA. citatos, & apud Leur. *p.*1. *qu.*85. *& seqq.*

239 *Q.*42. *Quid circa Vicarias sit notandum?* R. Seqq.

§.1. Vicaria dicitur à vices gerendo, estque constitutio alicujus ad gerendum officium beneficiale alterius. Quòd si constituatur tantùm ad tempus, aut ad beneplacitum constituentis: dicitur Vicaria temporalis; si constituatur authoritate Ordinarii in perpetuum, maximè pro cura simul administranda, dicitur perpetua, & ei deserviens dicitur Vicarius perpetuus, & sæpè vocatur etiam Rector; non quidem Ecclesiæ, sed curæ animarum, Barb. *de jure Eccl.l.*3.*c.*6.*n.*26. Lott. *l.*1.*q.*33.*nu.*110. Dantur tamen etiam Vicariæ non curatæ; quæ autem in Ecclesiis parochialibus sunt perpetuæ, & curatæ, requirunt Sacerdotium, ac eandem ætatem, uti alia beneficia parochialia, uti habetur in Clementinis l.1.t.7. attamen non necessariò conferuntur per concursum: Nicol. *t.*1.*d.*17.*§.*4.14.15. Unde autem colligatur, an sit Vicaria, explicat §.20.

240 §.2. Vicaria perpetua est Beneficium, Cap. *Postulasti*, De rescriptis: Temporalis, non est Beneficium, Barb. *n.*58. post tamen in visitatione erigi in Beneficium vocatis, & auditis illis, ad quos spectant Ecclesiæ unitæ, vel Beneficia, in quibus constituitur Vicaria, hi enim retinent jus nominandi, Garc. *p.*9.*c.*2.*nu.*294. Barb. *n.*45. Potest etiam Ordinarius in visitatione ex justa causa constituere Vicarium perpetuum in parochiali unita Capitulo alicui, vel Monasterio Regularium non Mendicantium, Corr. *l.*3.*c.*9.*à n.*6. Barb. *à nu.*9. An autem ad ista requiratur etiam Patroni consensus, videri potest Laym. *ad c.*3. *De off. Vicarii n.*3. Debet autem constituendus in Ecclesia regulari esse Regularis, nisi in unione aliter sit expressum, vel longissimo tempore fuerit sæcularis, *Laym.* suprà: semel autem constitutus Vicarius perpetuus, hoc ipso amoveri non potest, etiamsi Rector principalis moriatur, Corr. *n.*3. Lott. *l.*3.*q.*27.*nu.*171. Barb. *n.*47.

241 §.3. Vicarius perpetuus potest sibi alium substituere ad unam, aut alteram hebdomadam, quia curam, & jurisdictionem Ordinariam habet, Az. Castr. *t.*13 *d.*1.*p.*8. Addit Laym. *ad c.*4. suprà, etiam ad duos menses, si rarò fiat: Vicarius tamen temporalis id non potest, nisi de licentia saltem tacita Ordinarii, quæ ex consuetudine censetur adesse; ex qua potest etiam sibi adjungere alium cooperatorem, Laym. *in Th. Mor. l.*5.*t.*6. *c.*10.*n.*13. Castr. *n.*4. Et posse etiam temporalem ad universitatem causarum constitutum, pro assistentia Matrimonii vices suas alteri delegare, putat Sanch. *de Matr. l.*3.*d.*31.*à n.*13.

§.4. Portio congrua Vicario assignanda, secundùm Constit. *S. Pii V.* non debet esse major 100. nec minor 50. scutis annuis, computatis omnibus incertis emolumentis, & aliis obventionibus, uti pluribus explicat Luca *ad Trid.d.*9.*à n.*8. *& de Parochis d.*19.*n.*3. *& d.*20.*a n.*7. Barb. *à n.*44. an autem jus habeat ad distributiones, & ad quæ emolumenta, explicat Luca *de Parochis d.*17.*à n.*6. 242

§.5. Vicarius temporalis non tenetur ratione Vicariæ ad Horas; tenetur tamen sæpè aliunde, uti refert Barb. *de jure Eccl. l.*3.*c.*6.*n.*62. An autem quandoque teneatur ad subsidium charitativum, videri potest Leur. *p.*1.*q.*138 ubi etiam *à q.*108. habet de hactenus dictis, & aliis huc spectantibus. 243

*Q.*43. *Quid de Vicariatu Episcopi sit notandum?* Resp. seqq. 244

§.1. Vicarius Episcopi in genere est duplex, specialis, & generalis: specialis est, qui pro certis tantùm locis in diœcesi vices Episcopi agit, & est v.g. Archidiaconus, qui etiam dicitur Vicarius natus, quia ex officio, independenter à denominatione Episcopi, habet aliqua gerenda; talis etiam est Vicarius foraneus, qui foris, sive extra urbem, quam Episcopus inhabitat, pro certis Parochiis constituitur ad aliqua gerenda. Vicarius generalis est, qui tota diœcesi constituitur ad aliqua vice Episcopi gerenda.

§.2. Vicarius generalis, alius est in Pontificalibus, qui ordinariè dicitur Suffraganeus; alius in spiritualibus, qui ordinariè venit nomine Vicarii; alius in contentiosis, qui dicitur Officialis, estque præses judicii Ecclesiastici. 245

§.3. Cùm suffraganei sæpè sint Vicarii simul, aut in quibusdam locis non sint Suffraganei, sed soli Vicarii, quandoque etiam Episcopi aliqua specialia demandent uni, vel alteri extraordinariè, fit, ut non ubique satis distinguatur, quid pertineat ad singulorũ officium, & dum sunt distinctæ personæ, una in alterius partes se ingerat, non sine magnis incommodis, quibus ut occurreret Ferdinandus Archiepiscopus Colonienſis declaravit typo 26. Octob. 1645. quid vellet ad unumquemque pertinere: singulorum etiam functiones accuratè describit Dript. *in speculo Archidiaconali §.*1.*a.*4. qui videri potest: hoc videtur certum ex *cap. Cùm nullus, De temp. Ord. in* 6. quòd Vicarius ex vi officii sui litteras dimissorias concedere non possit, cùm ad id Vicariatus officium non extendatur, nisi Episcopo in remotis agente, Barb. *in collect. ad Trid sess.*23.*c.*10. *de Ref. n.*17. *& de potest. Episc. alleg.*7. *nu.*9. Sbroz. Rebuff. Gutt. Zerol. P. Greg. Az. Emman. Piasc. Abzed. Velasc. Sanc. Gratian. Narbon. Campan. Molf. Homob. Cabass. *lib.*1.*c.*13.*n.*12. Addit Barb. *n.*4. dimissorias posse concedere cunctos Episcopos, qui attenta juris Sanctione, privilegio, vel consuetudine ad Ordines valent assumere, is enim potest dimissorias concedere, qui & ordinare valet: hinc *Dript. & Vinitoris* docent Suffraganeum ex vi Officii posse dimittere eos, qui ordinare potest. 246

§.4. Quando aliqua delegatio, vel expeditio inscribitur Roma ad Officialem Episcopi, per hunc de stylo Curiæ ultra montes, & maria intelligitur Vicarius, uti notant Mandos. Hier. Paulus, Sbroc. Barb. *de potest. Episc. alleg.*54.*n.*53. Corr. *in praxi disp.*1.*c.*4.*à n.*17. Rosa *de Execut. litt. Apost. p.*1.*c.*3.*n.*22. Dript. *§. De Officio Vicarii in contentiosis.* Atque ita pro diœcesi Monasteriensi declaravit *Ferdinandus Bavarus Episcopus*; item *Christoph. Bernardus* 16 *Julii* 1663. his verbis, *Prædecessoris nostri Ferdinandi gloriosæ memoriæ declarationi, & decreto inhærentes tenore præsentium declaramus, ac decernimus, quandocunque collationes beneficiorum, dispensationes, aliæque causæ quæcumque ab altissimè memorato S.S. Dom. nostro, aut Sede Apostolica ad partes remissæ, & Officiali nostro inscriptæ, commissæ, vel delegatæ fuerint, per Officialem nostrum in spiritualibus Vicarium generalem intelligendum esse, & intelligi debere, &c.* Idem declaravit, ac decrevit 13. Dec. 1703. Celsiss. *Fridericus Christianus*: Ratio est, quia Vicarius in spiritualibus, non autem in contentiosis, est vi officii sui in dignitate Ecclesiastica, ergo non hic, sed ille censeri debet Delegatus Sedis Apostolicæ, cùm causæ ab hac non debeant committi, nisi constitutis in Dignitate, vel Canonicis in Cathedrali, *cap. Statutum*, 11. *De rescriptis in* 6. Sbroc. *de Vicar. Episc. l.*2.*q.*29. Garc. *p.*5.*c.*8.*n.*36. Barb. *à n.*132. Duo opponit quidam modernus, 1. Quòd in Curia sit praxis, ut etiamsi expressè petatur delegatio ad Vicarium, id negetur, ergo signum est in Curia per Officialem non intelligi Vicarium, 2. Quòd in Leodiensi diœcesi in gratiosis intelligatur Vicarius, in contentiosis Officialis, ergo similiter ubique. Resp. *Ad* 1. n. conf. nolunt enim mutare stylum, sed semper inscribunt Officiali; supponunt autem per hunc in his partibus intelligi Vicarium. *Ad* 2. Dato ant. n. conf. si enim id fiat ibi, est propter statutum aliquod, vel consuetudinem; oppositum autem est in aliis diœcesibus. 247

§.5. Omnes tres Vicarii generales videntur habere potestatem, vel Jurisdictionem ordinariam, uti colligitur ex *cap. Inter cætera, De off. Jud. Ordin. Cùm Episcopus, eod. tit. in* 6. *L. Solet* 16. *& seqq.* ubi Gl. & DD. *ff. de jurisd. omnium Jud.* & quidem de *Suffraganeo*, habetur *cap. Quoniam in plerisque*, 248

ubi

ubi Gl.& DD. *v.Vicarium*, *de off.Judic.ordin.& cap.Si Epiſcopus*, *de Præben.in 6.*Monoch.*conſ.59.n.59. de Vicario*, *cap. In nona*, 16.*q.7.cap.Cùm nullus,de temp.Ordin.in 6.cap.Cùm in generali de off.Vicar.in 6.*tenentque innumeri, quos citat, & ſequitur Barb.*de jure Eccleſ.l.3.c.6.de officiali*, *cap.2.de conſuetud. in6.cap.cùm nullus*, *ſuprà*, *& cap.licèt*, *de off.Vicar.in 6.*ubi Gl. *v.Officialem*, *cap.cùm in generali ibidem*, *Clement.2.de reſcriptis*, juncta Gl. *v.Officialis*: Specialiter autem de Vicario probant AA.communiter, tum quia facit idem tribunal,nec ab illo ad Epiſcopum datur appellatio, tum quia facta nominatione Epiſcopi, poteſtas, vel juriſdictio ab ipſis legibus illi conceditur; & idem quoque videtur eſſe de aliis Vicariis, Az. Mol.Sanch. Barb.*de poteſt.Epiſcop.alleg.*54.*à num.*1. Caſtrop.*t.*13.*d.*2.*p.*30. *à num.*1.

249 §.6. Quando Epiſcopus Vicario committit aliqua non comprehenſa in generali poteſtate Vicariatus; ſi illa annectantur officio Vicariatus, vel ejus intuitu committantur, pertinent ad juriſdictionem Ordinariam,quia acceſſorium ſequitur principale: alia autem ſpectant ad delegatam, Sbroc.*q.*55.Garc.*nu.* 41.Sanch.*de Matr.l.*3.*d.*29.*n.*8.Dript.*ſupr.*

250 §.7. Vicarius ex vi generalis commiſſionis non poteſt conferre beneficia, uti habetur *cap.cùm in generali de off.Vic.in 6.* Nec poteſt admittere reſignationes, vel permutationes, Azor. Rebuff.Ricc.Garc.Pariſ.Caſtrop.*nu.*3. Nec præſentare vel eligere ad Beneficia, ad quæ poteſt Epiſcopus, Sbroc.Pirh.Poteſt tamen præſentatos inſtituere; Item conſtituere,qui ſuppleant, dum vocat Beneficium, non tamen ſubrogare alios,Cov.Barb. *n.*60. Ratio omnium eſt, quia vi commiſſionis generalis poteſt tantùm ea, quæ ſunt neceſſitatis, & utilitatis, non autem quæ ſunt gratiæ. Vide Leur.*p.*2.*q.*682.*& ſeqq.*ubi explicat,quandonam cenſeatur conceſſa facultas conferendi Beneficia: & quomodò ſit interpretanda. Vide etiam Barb.*à n.*60.

251 §.8. Si Epiſcopus commiſerit Vicario collationem Beneficii, poteſt conferre etiam extra diœceſin exiſtens, non aliter, ac Epiſcopus ipſe, ſecundùm dicenda *n.*366. notatque etiam Leur.*q.*692. Quòd ſi conferat indigno, Epiſcopus non ideò privatur jure conferendi, quia mandatum erat,ut conferret digno, quod ille tranſgreſſus eſt, ergo nocere non debet mandanti, Rebuff.Laym. *Nec obſtat*, quòd Epiſcopus, & Vicarius cenſeantur una perſona, *nam*, cum hoc ſtat, quod de Vicarii culpa poſſit cognoſcere, nec Vicarii poteſtas teneat, niſi dependenter ab Epiſcopo, hinc poteſt reſcindere malè acta ab illo, Laym.Leur.*q.*753.

252 §.9. Tunc poteſt Epiſcopus ſuo Vicario generali committere poteſtatem diſpenſandi in caſibus ſibi à Sede Apoſtolica conceſſis, quando commiſſio à S. Sede facta eſt Epiſcopo ratione dignitatis, vel officii ſui, quia tum talis poteſtas tranſit in ordinariam, & conſequenter committi poteſt. Dript.*pag.* 54.qui rectè excipit caſus Papales, quando per accidens ad Epiſcopum devolvuntur ob difficultatem adeundi Papam. Si autem Epiſcopo nominatim expreſſo ratione ſui, talis poteſtas committeretur, non poſſet ſubdelegari, ſed cenſeri deberet electa induſtria perſonæ. Vide Barb.*alleg.*39.*à num.*11. Cauſam tamen à S. Sede ſibi delegatam poteſt Epiſcopus Vicario generali ſubdelegare, uti habet communis ex *cap.3.de offic.deleg.*Excipe, niſi ſola executio ſine cognitione cauſæ demandata ſit, vel etiam hic perſonæ delegatæ induſtria electa videatur, quod colligi debet ex cauſæ arduitate, & aliis circumſtantiis, Dript.*pag.*55.

253 An Vicarius generalis præcedere debeat alios quoſcunque etiam de Capitulo Cathedrali non eſt noſtrum definire: videri poteſt Riccius *p.*4.*R.*390.*&* 391. ubi pugnat pro Vicario, uti & Barb.*alleg.*54.*à n.*143. item Cabaſſ.*l.*1.*c.*13.*n.*19. ſi tamen ſit Canonicus, dicit non ideò ante alios deberi illi præcedentiam in choro, vel Capitulo; vide etiam Zerolam *p.*2. *v.Vicarius*. Plura de Vicariis Epiſcopi videri poſſunt apud Leur. ſpeciali tract.ſub hoc titulo.

254 *Q.*44. *Quid de Archidiaconatu ſit notandum?* R. Seqq. *ſ.*1.*c.*1.*& 7.de offic.Archid.* dicitur quidem Archidiaconus eſſe Vicarius Epiſcopi in omnibus,differt tamen à Vicariis,1.quòd hi ſint dativi, id eſt, dati, aſſumpti, & conſtituti ab Epiſcopo, Archidiaconus autem à jure ſtatutus. 2. Quòd illorum officium Epiſcopo mortuo ceſſet, niſi cum conſenſu Capituli continuetur, manet autem officium Archidiaconi. 3. Quòd à Vicariis non appelletur ad Epiſcopum, cùm idem cum illo tribunal conſtituant; ab Archidiacono autem,utpotè inferiore, appellari poſſit ad Epiſcopum. 4.Etiam functione differt à Vicariis.

255 §.2. De jure communi deberet unus tantùm in una Diœceſi eſſe Archidiaconus, qui poſt Epiſcopum ſit primus in dignitate quoad ſtallum in choro, & vocem in Capitulo, ſed his derogavit nunc conſuetudo, nam vix eſt in Germania diœceſis, quæ plures non habeat; neque officium Archidiaconi dat præferentiam in choro, vel Capitulo.

256 §.3. Archidiaconus debet eſſe Diaconus ſecundùm dicenda *n.*797. nam ideò dicitur Princeps Diaconorum: nihilominus etiam hìc videtur præſcripſiſſe uſus, nam ſæpè ſunt tantùm Subdiaconi, aut Clerici; imò in diœceſi Monaſterienſi, multæ Abbatiſſæ ſunt Archidiaconiſſæ, quamvis per Commiſſarium Eccleſiaſticum debeant officium explere.

§.4. Licèt *cap.Diaconi*,11.*d.*93.dicantur Diaconi eſſe oculi Epiſcopi, id tamen propriè convenit Archidiaconis, uti habetur *c.*7.*h.t.* & in Trid.*ſeſſ.*24.*c.*12. *de Reform.* quia nempe pro Epiſcopo advigilant gregi, viſitant parochias, corrigunt mores, cuſtodiunt ea, quæ ſunt Eccleſiæ, uti habetur *c.*3. *h.t.* Quamvis autem *cap.*2. dicatur ad eos pertinere, ut curent Evangelium, & ordinent circa canenda, ac cantores, tamen in his partibus ea facere non ſolent. Vide Dript. *In ſpec.Archid.ſ.*1.*a.*4. 257

§.5. Ad Archidiaconos ſpectat viſitare, quibus quoad hoc ſubſunt Archipresbyteri, ſeu Decani, *cap.7.h.t.& cap.*1. *de offic.Archipresb.* Monaſteria tamen Religioſa viſitare non poſſunt, niſi adſit conſuetudo, *cap.*10.*h.t.*Imò putat Dript.*a.* 7. Epiſcopos ipſos non habere poteſtatem viſitandi Monaſteria Monialium, quæ ſunt redacta in aliquam Congregationem, aut in quibus viget obſervantia: quidquid ſit de hoc, de quo videri poteſt Barb.*de poteſt.Epiſc.alleg.*74. *à num.*16. rectè dicit Dript.*ar.*8.Epiſcopos non habere poteſtatem ordinariam ad puniendos Regulares exemptos, etiamſi ſint in Parochiis extra Monaſteria, ſed debere monere eorum Superiores, ut puniant, ac petere certiores fieri de punitione facta: quod ſi Superiores neglexerint, Epiſcopi tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ punire poſſunt: ſubſunt autem Regulares etiam exempti juriſdictioni, correctioni, & punitioni Epiſcopi in illis, quæ curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem concernunt, uti ex Trid. *ſeſſ.*6.*cap.*3.*de Regul.* notat Fagn.*in cap. Grave*, *de Offic.Ordin.num.*35.& in *cap.Tuarum*, *de privilegiis num.*42. 258

§.6. Archidiaconus ſecundùm Trid.*ſeſs.*24.*c.*3.*de Reform.* aſſumpto Notario de conſenſu Epiſcopi per ſeipſum viſitare debet: poteſt tamen Epiſcopus ex cauſa rationabili dare ei facultatem, ut viſitet per Commiſſarium Clericum, non autem ſæcularem, & Epiſcoporum intereſt ſcire, an ad id munus idonei ſubſtituantur, Dript.*ar.*9.Debent autem tam Archidiaconi quàm Commiſſarii ipſorum infra menſem de tota viſitatione rationes, & acta exhibere Epiſcopo, uti habet Trid.*ſupr. Non obſtantibus quacunque conſuetudine etiam immemoriali, atque exemptionibus, & privilegiis quibuſcumque*. Non poteſt autem Archidiaconus per ſuam viſitationem impedire viſitationem Epiſcopi, aut ejus Vicarii, imò tenetur Epiſcopus ſupplere in locis, ubi deficiet diligentia Archidiaconi, Trid. *ſupr.* 259

§.7. Archidiaconus debet ſemel tantùm in anno viſitare, niſi neceſſitas aliud poſtulet, *cap.6.h.t.*Et ſtatuitur in *Conc.Toletano*, uti refertur *cap.Inter cætera*, 10.*q.*3.ut etiam Epiſcopus diœceſin viſitans non ampliùs quàm una die per unamquamque Baſilicam licentiam habeat. 260

§.8. Archidiaconi judicare non poſſunt de cauſis matrimonialibus, & criminalibus, niſi probent Poſſeſſionem immemorialem; quo tamen caſu poterit etiam Epiſcopus de illis judicare, Trid. *c.*20. Etiam non poſſunt propria authoritate committere curam animarum, aut conferre Beneficia, Barb. Leur.*p.*2.*q.*723. 261

§.9. Etiam non poſſunt Archidiaconi ferre cenſuras ex vi officii, *c.*5.*h.t.*Trid.*ſeſs.*25.*c.*3.*de Reform.cap.tamen* 7.*&* 9.*h.t.* dicitur ad ipſos pertinere inſtitutionem corporalem tam ſuper Beneficiis quàm etiam dignitatibus, ponere Abbates, & Abbatiſſas in Sede, examinare promovendos ad Sacros Ordines, vel ad Beneficia, quamvis *cap.*8. dicatur non poſſe dare commendatitias ad Ordines, ſed pro his omnibus ſpectanda eſt conſuetudo cujuſque Diœceſis, quæ in Monaſterienſi non eſt, ut ferant cenſuras, aut examinent ad Ordines. 262

§.10. Trid.*ſeſſ.*25.*c.*3. *de Reform.* permittit, ſi expedire videbitur (ſi nempe alia pœna non videatur fore ſalubrior) ut illi, qui defectus corrigunt, imponere poſſint etiam pecuniarias mulctas: & quamvis à jure certa pœna ſit aſſignata delicto, docet tamen Dript.*ſ.*2.*a.*4. poſſe commutari in mulctam pecuniariam; ſed rectè addit ex Fagnan.non debere eſſe ſtatutum, vel conſuetudinem, ut certum delictum certa pecunia mulctetur, quia ſic facilè peccarent ditiores, ſecuri de alia pœna non ſubeunda. 263

§.11. Trid.ſuprà expreſsè ſtatuit, ut ejuſmodi mulctæ pecuniariæ, eò ipſo quòd exactæ fuerint, aſſignentur locis piis ibi exiſtentibus: & idem mandatur *cap.Presbyteri de pœnis*; refertque Fagn.pro hoc declarationem S.Congregationis; Hinc etiam Hoſt.Gem.Covar.Galet.Barb.Piaſec.cum Dript.*a.*5.docent omninò debere eas mulctas arbitrio Judicis Eccleſiaſtici ſtatutas erogari in pios uſus, ſi tamen non ſint arbitrariæ, ſed à Canonibus, vel ſtatutis Synodalibus determinatæ, communis ſententia eſt, quòd dictans, ſi verè, & evidenter ſit pauper, (quales ordinariè non ſunt Archidiaconi) poſſit eas ſibi applicare. 264

§.12.

265 §.12. *Cap.Irrefragabili, de off.Jud.Ordin.* ſic ſtatuitur. *Provideant diligenter Eccleſiarum Prælati, ut hoc ſalutare ſtatutum ad quæſtum pecuniæ, vel gravamen aliud non convertant:* circa quod notanda ſunt verba Gerſonis Cancellarii Pariſienſis apud Dionyſium Carthuſ.de vita, & regimine Epiſcopi *art. 36. Dici non poteſt, quanta mala faciunt iſti ſcelerati exploratores criminum, quos promotores appellant, qui ſimplices & agreſtes pauperculos vitam ſatis innocuam agentes & fraudis urbanæ ignaros ſæpè in jus pro nihilo vocant, cauſas & crimina contra eos confingunt, eoſque vexant, terrent, irritant, & ita eos per talia ſecum componere ac paciſci compellunt: quòd ſi facere renuerint, crebris & quotidie repetitis citationibus eos ſupra modum infeſtant: quòd ſi qualibet occupatione præpediti comparere deſierint, cenſura anathematis aut pecuniaria tanquam rebelles puniuntur, ſi verò perſeveraverint comparere, eorum audientias apud Judicum tribunalia impediunt, moraſque & ſubterfugia dilationum & interlocutionum captant, quæ perfacilè in foris Eccleſiaſticis obtinentur, quatenus ſimplices longo tædio fatigati cogantur pactione pecuniæ redimere futuram vexationem, atque impenſam, ſicque pro levi vel nullo delicto, pro exiguo debito ſit innumerus cumulus expenſarum.*

266 §.13. Quales debeant eſſe Archidiaconi eorumq; Commiſſarii, eleganter expreſſit S.Bern. *de conſid.l.4.c.6.* ubi inter cætera hæc habet, ut nempe ſint tales, *Qui adventantium non manus attendant ſed neceſſitates, qui ſient viriliter pro afflictis & judicent in æquitate, qui ſint in judicio induſtrii, in agendo ſtrenui, in loquendo modeſti, qui miſſi poſt aurum non eant ſed Chriſtum ſequantur, qui quæſtum legationem non æſtiment, non requirant datum, ſed fructum: qui vulgus non ſpernant ſed doceant; divites non palpent, pauperes non gravent ſed foveant; qui Eccleſias non ſpolient ſed emendent; marſupia non exhauriant ſed corda reficiant; & crimina corrigant; qui redeant fatigati quidem ſed non ſuffarcinati, gloriantes, quod Eccleſiis reliquerint Ordinem, Clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum.*

267 §.14. Similiter inter vitia eorum recenſet Dript. *ſ.1.ar.ult.* ſi delicta occulta publicè puniat, ſi nimis avidi ſint pecuniarum; ſi ex reſpectu humano diſſimulent delicta ditiorum ac potentiorum; ſi permittant ſe corrumpi pecuniis, ut delicta diſſimulent; ſi ea ſigna habeant pro plenis probationibus, quæ ſuſpicionem prudentem vix fundant: ſimiliter vitium eſt, ſi ex vanis ſuſpicionibus ruſticos vocent ad juramenta, an non hoc vel illud fecerint; tenenturque Epiſcopi invigilare ad iſta, ne fiant, March. *in Trib.tr.8.tit.3.ſ.3.* Defectus ſimiles Archidiaconorũ recenſet Philippus Rovennius Archi-Epiſcopus Philippenſis, *de Repub.Chriſt.l.1.c.20.n.8. Connivent Archidiaconi ad vitia, recipiunt munera, conferunt Beneficia non meritis, implent ignaris & inutilibus perſonis Eccleſias, ut repleant burſas, arces non perſonas viſitant, res pauperum non erogant pauperibus ſed amicis, imò turpibus perſonis ſæcularibus ∴∴∴. contra Epiſcopum præſcribunt, & in ejus ordinariam meſſem extraordinariam falcem mittunt: ſcandalizant plurimos, cum impudicis, vel ſimoniacis, ac ſacrilegis diſſimulant propter munera vel quia eidem luto inhærent.*

268 §.15. Ob hos defectus alioſque ſimiles dixit Zerola *in prax. Benef.p.1.V.Archidiaconus*, eorum juriſdictionem hodie extinctam eſſe, illoſque non eſſe ampliùs oculos Epiſcopi: dicit etiam Laym. *l.4.t.2.c.4.n.4.* eorum poteſtatem in multis diœceſibus eſſe translatam ad Vicarium Generalem; ſed hoc non tenet in multis diœceſibus, in quibus adhuc remanet Archidiaconis officium & authoritas.

269 §.16. In eis, quæ ſpectant ad emendationem vel correctionem in viſitationibus, non admittitur appellatio, nec ad effectum ſuſpenſivum nec ad devolutivum, niſi modus excedatur, *cap. Irrefragabili, de offic.Jud.Ord.* item *cap. Ad noſtram, de appell.* Plura de Archidiaconis videri poſſunt in ſpeciali tractatu apud Leur.

270 *Q.45. Quid de Coadjutoriis ſit notandum?* R. De his dicetur à *n.718.*

271 *Q.46. Quid notandum ſit circa erectionem, & mutationem Beneficiorum?* R.ſeqq.

§.1. Beneficium erigere, eſt cum approbatione Superioris Eccleſiaſtici ſtatuere jus percipiendi fructus ob aliquod ſpirituale officium: Eccleſias autem Metropolitanas, Cathedrales, Collegiatas, Regulares poteſt ſolus Papa approbare; item dignitates, quæ re & nomine novæ ſunt ac primæ in aliqua Eccleſia, uti habet communis cum Lott. *l.1.q.5.à n.12.* Epiſcopus tamen, & Prælati habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem pro certo territorio, poſſunt pro Eccleſia ſibi ſubjecta approbare beneficia ſimilia præexiſtentibus, v.g. ſecundum Archidiaconum vel Perſonatum, hæc enim non tam ſunt nova beneficia quàm extenſio priorum: item poſſunt creare Parochiales Eccleſias, uti habetur in Trid. *ſeſſ.21.c.4.de Ref.& c.ad audientiam, 3.de ædif.Eccl.* Corr. *l.3.c.2.n.2.* Item creare poſſunt ſimplicia beneficia. Quid autem circa talia & circa ædificandas Eccleſias poſſit Sede vacante Capitulum vel Vicarius, explicat Caſtrop. *tr.13.d.2 p.2.n.9.& d.6.p.11.*

§.2. Poſſunt in eodem altari conſtitui plura Beneficia, attamen ſub diverſis invocationibus: Tamb. apud Barb. *de jur. Eccl.l.2.c.8.n.27.* Lott. *q.2.n.44.q.30.n.40.* Imò & eadem invocatione, Luca *de jurepat.d.17.n.3.* Poteſtque admittere Epiſcopus Beneficia in quibuſvis Eccleſiis, etiam invitis harum Rectoribus, quia id ſpectat ad augmentum cultus divini, nec præjudicat juri cujuſquam, Corr. *l.4.c.6.n.42.* Circa dotem autem beneficiorum & Eccleſiarum conſtituendam vel redintegrandam videri poteſt Leur. *p.1.q.21.& ſeqq.* 272

§.3. Solus Papa poteſt mutare Collegiatam in Cathedralem, Parochialem vel ſimplicem in Collegiatam, ſæcularem in Regularem, Corr. *n.4.* Caſtr. *d.6.p.11.n.2.* Lott. *q.14.n.43.* Epiſcopus tamen poteſt mutare ſimplicem in Parochialem, Azor. Garc. *p.12.c.5.n.3.* Barb. *de poteſt.Epiſ.alleg.68.* Caſtr. Corr. *c.3. n.12.* hoc enim eſt ad incrementum; ſed non poteſt beneficium Parochiale vel curatum reducere ad ſimplex aut diſmembrati partem unire ſimplici, Trid. *ſeſſ.25.c.16.* Garc. *c.2.n.87.* Corr. *n.13.* Poteſt etiam Epiſcopus cum conſenſu Capituli ex perſonatu, quamvis non vacet & poſſeſſor ſit invitus, erigere Præpoſituram, ſi adſint cauſæ rationabiles, quæ in ſcripto afferri debent, Luca *de Benef.d.45.n.5.* Si tamen beneficium illud erat patronatus laici, putant aliqui cum Caſtrop. *p.12.§.2.* requiri conſenſum Patroni, & ita inſinuat Trid. *ſeſſ.24.c.15.& ſeſſ.21. c.5.* Poteſt etiam Epiſcopus Vicariam temporalem mutare in perpetuam, illam priùs erigendo in beneficium, Garz. Caſtr. *§.3.n.6.* Videri poteſt Leur. *p.3.q.964.& 965.* Item Capellaniam poteſt erigere in novam dignitatem, Leſſ. *in auct.v.Beneficium caſu 23.* An Epiſcopus poſſit mutare mentem fundatoris vel onera beneficii, aut diſpenſare in qualitatibus requiſitis? dicetur *à n.838.* An autem lapſu temporis poſſit mutari ſtatus beneficii? dicetur *à n.296.* 273

Q.47. Quid notandum ſit circa unionem Beneficiorum? R. Seqq. 274

§.1. Solus Papa nunc poſt Trid. *ſeſſ.24.c.13.de Ref.* poteſt Parochialem unire Monaſterio, Abbatiæ, Collegiatæ, Dignitati, Canonicatui, vel alteri beneficio ſimplici, Laym. *ad c.2. de ſuppl.neglig.Prælat.n.3.* Barb. *de jur.Eccl.l.3.c.16.n.33.* Caſtrop. *t.13.d.6.p.12.§.3.n.17.* Luca ad Trid. *d.8.n.19.* Gonz. *ad Reg.8. Cancell.gl.5.§.7.à n.63.* Garc. *p.12.c.2.n.87.* Poteſt tamen Epiſcopus beneficia ſimplicia unire Abbatiis, Monaſteriis & locis religioſis, Sanch. Garc. *n.77.* Barb. *n.36.* Caſtrop. *n.21.* Tond. *qq. Benef.p.3.c.151.* Lott. *l.1.q.29.nu.39.* Quale autem jus competat Monaſterio, cui unitur beneficium, explicant Garz. *p.11.c.2. n.3.* Barb. *de offic.Epiſc.alleg.72.n.189.* Lott. *q.28.n.165.* Luca *de Parochis d.10.à nu.6.* Et ad quid obligetur tale Monaſterium, explicat Laym. *ſuprà.*

§.2. Poteſt Papa, quaſcunque uniones faciat, derogare juri Collatoris ordinarii; & nominatim id poteſt, ſi Prioratum unius Monaſterii uniat Monaſterio alterius Ordinis: uti & poteſt derogare juri patronatus Eccleſiaſtici, Cov. & ſecundùm probabilem etiam juri patronatus laici, ſi cauſa adſit, Rebuff. Leſſ. *in auct.V.Beneficium, caſ.28.* Similiter poteſt Legatus Apoſtolicus per unionem auferre Epiſcopo collationem, Rebuff. citans Rotam: imò cauſa cognita & approbata poteſt fieri unio, non vocato aut etiam invito collatore aliiſque, quorum intereſt, Rebuff. Leſſ. *caſ.27.* 275

§.3. Secundùm Trid. *ſeſſ.21.c.5.* Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus poteſt unire Eccleſias Parochiales, attamen cum conſenſu Patronorum; aut etiam his invitis, ſi neceſſitas evidens poſtulet uti ex variis declarationibus docent Zerola *p.2.V.unio*, Laym. *l.4.t.2.c.9.& ad c.4. de ætate & qualit. præfic.* Caſtr. *nu.11.* Parochiæ tamen unire non poteſt Dignitatem aut Canonicatum, Trid. *ſeſſ.24.c.13.* Ventrig. *t.2.annot.8.§. 1.n.21.* Garz. *n.68.* Item non poteſt beneficium aut fructus beneficii curati unire non curato, Sanch. Lugo *in Reſp. Mor.lib.5. d.2.* Excipitur cauſa paupertatis, ob quam, uti & ob alios caſus à jure permiſſos, unire poteſt beneficia curata vel non curata cum curatis, Trid. *ſeſſ.21.c.5.* Item poteſt in Eccleſia ſibi ſubjecta facere unionem prębendæ Subdiaconali cum ipſa Prępoſitura, ob illius paupertatem, & per accidens eſt, quòd Papa privetur jure tale beneficium conferendi alterno menſe, Leſſ. *caſu 25.* 276

§.4. Etiam poteſt Epiſcopus cum conſenſu Capituli, quam vis invito poſſeſſore, unire Perſonatus aliaque Beneficia ſimplicia, non tantùm Prębendis Canonicalibus, Trid. *ſeſſ.24.c.15.* ſed etiam dignitati tenujori, Gõz. *gl.37.& ſeqq.* Garz. *c.2.n.170.* Luca ad Trid. *diſc.8.n.25.& de Benef.d.46.* Et univerſim, ſecundùm Caſtr. *§.2.& §.3.n.11.* Barb. *de jur.Eccl.l.3.c.16.n.54.* Lott. *n.40.* poteſt Epiſcopus ex juſta cauſa omnia beneficia ſuæ Diœceſis non exempta, id eſt, quæ ſubjiciuntur proviſioni Ordinariorum, unire: & ita, quando poſtulat bonum Eccleſiarum, quibus aliter provideri non poteſt, poteſt duas Capellanias cum conſenſu Patronorum etiam laicorum erigere in beneficium Parochiale conveniens unius ſuſtentationi: quòd ſi una Capellania haberet quot hebdomadis legenda duo Sacra, altera quatuor 277

tuor aut quinque, Leſſ. *caſ.* 24. dicit faciendam eſſe moderationem horum onerum, cùm enim Epiſcopus poſſit quandoque addere, cur non & tollere onera, ſi ita poſtulet neceſſitas? Vide tamen dicenda *àn.* 854.

278 §. 5. Etiam poteſt Epiſcopus Monaſterium ſibi ſubjectum conſentientibus Monialibus unire Monaſterio vel loco Religioſo, quamvis Moniales per alia Monaſteria forent diſpergendæ: nec jus ullum ad hoc requirit conſenſum Capituli vel Canonicorum; & quamvis requireretur, ſufficeret conſenſus majoris partis, Bald. Tab. Sa, Leſſ. *caſ.* 26.

279 §. 6. Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 9. prohibet præſtimonia aut beneficia qualiacumque unius Diœceſis uniri cum beneficiis alterius diœceſis, etiamſi uterque Epiſcopus conſentiret, Caſtrop. §. 3. *n.* 10. Luca ad Trid. *d.* 18. *n.* 18. Docent etiam Caſtrop. *num.* 20. Luca *n.* 19. aliique, non poſſe ab Epiſcopo uniri Beneficium liberum cum Patronatu, ne liberum in ſervitutem redigatur: contradicit Lott. *q.* 28. *n.* 165. putans Beneficium liberum extingui, ſed Ventrig. *num.* 28. dicit fieri poſſe, ſi Patronus conſentiat, ut Beneficium conferatur alternatim, jam liberè, poſteà ex præſentatione.

280 §. 7. Si ex duobus beneficiis æquè principaliter unitis fiat unum, neutrum per unionem extinguitur, Pariſ. Gonz. Mandoſ. Garz. Leur. *p.* 3. *q.* 130. Hinc retinentur privilegia & qualitates utriuſque, ſi ſe compatiantur; ſi autem ſe non compatiantur, retinentur ea, quæ ſunt magis favorabilia vel digniora, Garz. *àn.* 40. E contrà ſi unum beneficium acceſſoriè annectatur alteri, beneficium annexum amittit rationem Beneficii omniaque privilegia, & habetur veluti prædium illius, cui utitur, Luca *de Benef. d.* 44. *n.* 5. Caſtrop. §. 1. ubi notat, ſi in reſcripto ſic ponatur, *illud & illud Beneficium unimus*, tum uniri æquè principaliter, & tali modo communiter unitur Præbenda Canonicalis alicui Dignitati, ideoque poſſidens habet jus ad utrũque Capitulum; ſi autem dicatur, *tale Beneficium unimus illi*, tum prius uniri acceſſoriè; & tum extinguitur beneficium illud, quod unitur, ſoletque tum fieri, ſi fructus ſint ita imminuti, ut non ſufficiant honeſtę ſuſtentationi; ſic enim etiam fieri poteſt, ut fructus unius Canonicatus diſtribuantur in præſentias aliorum Canonicorum, uti habet Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 15.

281 §. 8. Epiſcopus unire poteſt aliqua Beneficia Seminario, quamdiù id erit neceſſarium ad educationem juventutis pro Clericatu, Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 18. Notant tamen omnes communiter cum Garz. *n.* 193. & Caſtr. *p.* 12. *ſ.* 3. *àn.* 13. Seminarium debere antecedenter fuiſſe inſtitutum, id eſt, domum ſaltem conductam, in quam inducti ſint actu Scholares & aliqui Magiſtri; deinde ut electi ſint duo Canonici pro ejus regimine; itę unus ex Capitulo, alter ex Clero; item unus per Capitulum, alter per Clerum, qui quatuor electi agant de inſtituendis taxis & neceſſitate uniendi beneficia, poſtquam adverterint partem detractam de menſa Epiſcopali aliiſque beneficiis per Diœceſim non fore ſufficientem pro fabrica & ſuſtentatione talis Seminarii, uti fusè explicant Lott. *q.* 29. *àn.* 47. aliiq; apud Leur. *q.* 888. Quòd ſi Capitulum vel Clerus intrà terminum competentem non deputaret aliquem, Sacra Congregatio ſtatuit, ut Epiſcopus cum aliis tribus taxet, quando enim non dicitur *de* conſilio ſed *cum* conſilio, non tenetur quis ſequi, ſed tantùm audire conſilium, uti notant Canoniſtæ apud Lugo *in Reſp. Mor. lib.* 5. *d.* 21. Hæc autem beneficia unienda debent eſſe tantùm ſimplicia, non requirentia reſidentiam, non Eccleſiæ Collegiatæ, non collationis inferiorum Collatorum, non juriſpatronatus etiam Eccleſiaſtici, non antecedenter unita Monaſteriis, non reſervata poſt vacationem, non ſolius proviſionis Papalis (niſi fieret pro tempore vacationis poſthac futuræ) non litigioſa, non manualia, non monocularia, uti pluribus docent AA. apud Leur. *q.* 889. 900. & 902.

282 §. 9. Uniones, quas facit Epiſcopus, debent eſſe in perpetuum, ſi nempe cauſa & neceſſitas ſit perpetua, & non ad vitam alicujus tantùm, alioquin non tam provideretur Eccleſiæ quàm perſonæ, Trid. *ſeſſ.* 7. *c.* 4. Barb. *n.* 54. Caſtrop. §. 2. *n.* 7. Leur. *p.* 1. *q.* 901.

283 §. 10. Ad valorem unionis ab Epiſcopo faciendæ, præter juſtas cauſas, de quibus videri poteſt Leur. *p.* 3. *à q.* 909. requirũtur etiam quædam veluti ſolemnitates, inter quas eſt cognitio cauſæ, Barb. Caſtrop. Leur. *q.* 911. Poteſtque etiam videri Leſſ. *caſ.* 27. Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 167. Luca *de Benf. d.* 47. *nu.* 6. *de Parochis d.* 10. *n.* 5. ad Trid. *d.* 8. *àn.* 11. Leur. *q.* 913. An autem & quando requiratur conſenſus Capituli, vocatio poſſeſſoris beneficii, Patroni &c. item an exprimendus ſit valor & litigioſitas beneficii, refert Leur. ex AA. *q.* 914. & *ſeqq.*

284 §. 11. Quamvis unio rarò poſſit præſumi, cùm ſit aliquid facti, & quidem odioſi, Caſtr. §. 4. *n.* 3. Leur. *q.* 882. ideoque probari debeat, Leur. *q.* 931. tamen ſi facta ſit, ordinariè loquendo, præſumi debet adfuiſſe cauſam, maximè ſi uniens teſtetur de cognitione cauſæ, Corr. Garz. *n.* 121. Barb. *n.* 51. Leur. *q.* 910. Et poſt lapſum 30. annorum præſumitur facta validè & cum ſolemnitatibus, niſi conſtet de contrario, Leur. *q.* 929. qui *q.* 932. & 933. explicat, quomodo probari poſſit eſſe factam.

§. 12. Unio tum priùs habet locum, quando beneficium unitum vacaverit, quia uniens non vult præjudicare poſſeſſori, niſi ei aliter ſubveniat, Laym. *ſupr.* Garz. *num.* 214. Pariſ. *l.* 2. *q.* 9. *num.* 7. 285

§. 13. Prælati Epiſcopo inferiores non poſſunt, per ſe loquendo, beneficia unire, niſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, Lot. *q.* 28. *n.* 111. 134. & *ſeqq.* Ventrig. *n.* 2. Caſtrop. *ſ.* 2. *n.* 18. Nec poteſt Vicarius Epiſcopi ex vi officii ſui, uti habet communior cum Caſtr. contrà Lott. *àn.* 125. Nec Coadjutor Epiſcopi, niſi Coadjutor mente deficeret, Luca *de Paroch. d.* 35. *n.* 10. Nec Archi-Epiſcopus in Eccleſiis ſuffraganeis, quia non ſunt ei ſubjectæ, niſi in caſibus à jure expreſſis Barb. *n.* 58. Caſtrop. *num.* 17. Excipit Ventrig. *nu.* 6. niſi ob negatam juſtam unionem ad eum appellaretur, ſic enim ad ipſum devolveretur negotium: Poteſt tamen Legatus à latere, uti plures docent apud Leur. *q.* 905. Sed non Capitulum Sede vacante, uti tenent aliqui contra alios; & ſaltem nullum beneficium vel Eccleſiam poteſt ſibi unire, Leur. *q.* 908. 286

§. 14. Singuli Pontifices ſtatim poſt electionem ſuam vi Regulæ 13. & 21. Cancellariæ revocant omnes uniones, annexiones & incorporationes nondum ſortitas effectum, uti pluribus explicat Chok. *ad Reg.* 21. Non tamen revocant illas, quæ ſaltem ex parte ſunt ſortitæ effectum, Garz. *n.* 294. Plures autem adhuc ſunt exceptiones ab illa Regula revocatoria, uti videri poteſt apud Chok. *ſupr.* Lott. *l.* 2. *c.* 5. *àn.* 21. Lott. *q.* 28. & 29. Leur. *q.* 491. 287

Plura de unionibus Beneficiorum videri poſſunt apud Leur. *p.* 1. *à q.* 162. & *p.* 2. *à q.* 877.

Q. 48. *Quid ſit notandum circa diviſionem, diſmembrationem & ſuppreſſionem Beneficiorum?* R. Seqq. 288

§. 1. Diviſio Beneficii eſt, quando de uno fiunt plura: qui autem jure ordinario poſſunt unire, etiam poſſunt dividere, Caſtrop. *t.* 13. *d.* 6. *p.* 12. *ſ.* 4. *n.* 4. Luca *de Paroch. d.* 35. *n.* 8. Leur. *p.* 3. *qu.* 935. hinc ſi Epiſcopus ob paupertatem univit duas Eccleſias, illa ceſſante poterit dividere, & poſt unionem diſſolutam redeunt Beneficia ad priſtinam naturam, v. g. redit jus patronatus, Leur. *q.* 945. 289

§. 2. Diſmembratio beneficii eſt ſeparatio tantùm aliquorum fructuum ab illo, ut applicentur alteri beneficio vel loco pio: per hoc differt à diviſione, quòd per hanc titulus fiat multiplex in ordine ad conſtituenda plura beneficia, diſmembratio autem relinquat unicum Beneficium, à quo ſeparat partem fructuum, Garz. *p.* 12. *c.* 3. *n.* 1. Tond. *qq. benef. p.* 3. *c.* 156. *n.* 17. Caſtrop. *p.* 10. Leur. *q.* 946. 290

§. 3. Epiſcopus poteſt ex cauſa dividere Beneficium, etiam unam Parochiam in duas, unum Canonicatum in duos, vel in unum Canonicatum & portionem, ſervatis his conditionibus, ut fructus ſingularum partium ſufficiant honeſtæ ſuſtentationi & ſerventur ſolemnitates in alienatione rerum Eccleſiaſticarum requiſitæ. Vide Caſtrop. *à num.* 3. & Leur. *q.* 935. ubi multa habet de diſſolutione unionum. 291

§. 4. Epiſcopus non poteſt ab Eccleſia Parochiali dividere beneficia ſimplicia vel Oratoria unita; neque partem fructuum, & applicare beneficio ſimplici, uti conformiter ad Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 16. notant Caſtrop. *num.* 2. Tond. *c.* 36. *nu.* 4. Garz. *c.* 2. *num.* 88. 292

§. 5. Non tantùm cauſæ ſed & ſolemnitates requiruntur ad diviſionem, uti & ad unionem, Lott. *l.* 1. *q.* 28. *n.* 4. Corr. *l.* 3. *c.* 2. *n.* 2. Leur. *qu.* 949. & *ſeqq.* ubi etiam explicat, an in dubio præſumantur, quæ cauſæ & ſolemnitates requirantur, quandonam diviſio dicatur ſortita effectum. Rectè autem docent Caſtrop. Lott. Leur. *qu.* 940. poſſe Epiſcopum uniones à prædeceſſoribus factas examinare ac diſſolvere, ſi inveniat non canonicè factas. 293

§. 6. Ex quibus cauſis una Parochialis poſſit dividi aut diſmembrari, pendet ex plurimis circumſtantiis, uti rectè Luca ad Trid. *d.* 16. *à nu.* 2. ideoque dicit eſſe potius quæſtionem facti: pro directione videri poſſunt Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 4. Gonz. *ad Reg.* 8. *Cancel. gl.* 6. *n.* 96. Barb. *de jur. Eccl. l.* 2. *c.* 2. *à num.* 8. Luca *de Paroch. d.* 18. *n.* 2. & *d.* 34. & 35. Lott. *l.* 1. *q.* 28. Et notandum eſt, quando dividitur una Eccleſia in duas, jus patronatus novæ competere Rectori antiquæ, ſi hæc de ſuo aliquid contulit pro dote novæ, Lott. *num.* 47. Unde aliàs peti debeat dos pro nova Eccleſia, videri poteſt Luca *de Decimis d.* 12. 294

§. 7. Ex quibus indiciis præſumi poſſit diſmembrationem eſſe factam cum authoritate & ſolemnitatibus requiſitis, videri poteſt apud Barb. *l.* 1. *c.* 20. *n.* 19. & Lott. *à nu.* 38. quales verò ſolemnitates in tali diſmembratione obſervari debeant, explicant Lott. *àn.* 6. Corr. *àn.* 4. Luca *de Paroch. d.* 35. *àn.* 5. 295

Plura de diviſione Beneficiorum videri poſſunt apud Leur. *à q.* 957. de diſmembratione autem, *à q.* 946. uti & *p.* 1. *à q.* 154. Denique an & qua authoritate poſſit una provincia Religioſa dividi in duas, videri poteſt Luca *de Regul. d.* 5. & 27.

§. 8. Suppreſſio beneficii eſt extinctio tituli, per quam beneficium definit; poteſtque eſſe temporalis aut perpetua. Quòd ſi non extinguatur titulus ſed tantùm veluti ſuſpendatur vis illius,

illius, v.g. quia unitur alteri, ſed ſoluta unione poteſt redire, non eſt in rigore extinctio, quidquid contradicant Lott. *l.2.q.8. an.*48. & Corr. *l.2.c.8.an.73.* Requirit cauſam neceſſariam, quæ probanda eſt; item ſolemnitates &c. de quibus omnibus Leur. *p.3.a q.*967. Quid autem circa eam poſſit Epiſcopus, habet Trid. *ſeſſ.*24.*c.*15. poteſtque videri Leur. *qu.*972. Denique ſupprimere non poſſe alium Epiſcopo inferiorem, niſi per viam unionis, declarat Leur. *q.*973.

296 *Q.*49. *Quomodo per lapſum temporis mutari poſſit ſtatus Beneficii?* R.

§.1. Ut Beneficium primitus ſæculare fiat regulare, vel contrà, ſufficit per 40. annos continuè ac pacificè ab uno vel pluribus Regularibus in eo inſtitutis fuiſſe gubernatum, *cap. Cùm de beneficio, de præb. in 6.* Barb. *ibidem*, Mareſch. *l.1.1. var. Reſ. c.*55. *an.*66. Corr. *l.1.c.6.n.*322. Etiam ſufficiunt 40. anni, ut curatum fiat non curatum, Rota, Pariſ. *de reſign. l.*10. *q.*2. *nu.*88. Mareſch. *num.*1. & 2. Corr. *nu.*324. Tuſch. *lit. S. concl.*424. *n.*4. & 8. Item ut perpetuum fiat manuale, & contrà, Barb. *n.*10. Mareſch. *n.*3. Corr. *nu.*293. Item ut patronatum fiat non patronatum, Mareſch. *n.*12. Corr. *n.*349. & 360. Item ut requirens reſidentiam perſonalem, poſtea non requirat, Hurt. *de reſid. t.1. l. 6. Reſ. 6. §.4. n.8. & 9. & §.6. per totum.*

297 §.2. Ut ita fiat mutatio ſtatus in beneficio, neceſſe eſt, ut ea inducatur ab habente poteſtatem & voluntatem primævum ſtatum immutandi; hæc autem poteſtas (ſaltem quoad aliqua, de quibus vide dicta *num.*273.) eſt etiam penes Epiſcopum vel alium, qui habet poteſtatem quaſi Epiſcopalem, Corr. *nu.*325. putat tamen Lott. *l.1. qu.*34. *num.*10. ſi non repugnet jus commune, ſufficere ſimplicem præſcriptionem 40. annorum; ut mutetur ſtatus beneficii; at ſi repugnet, quia v.g. agitur de ſtatu ſæculari imprimendo beneficio regulari vel contra, dicit non ſufficere talem præſcriptionem, niſi ſimul oſtendatur Epiſcopum ab initio præſcriptionis voluiſſe è ſæculari facere regulare, Pirh. *lib.3.t.5. num.*122. ait, ut Beneficium ſæculare tranſeat in regulare, non tantùm requiri, ut poſſidentes illud per 40. annos adminiſtraverint tanquam Regulares, ſed etiam ut conferatur animo & intentione velut imprimendi alium ſtatum, ideoque conferens in collatione dicat Regulari, *Confero tibi Beneficium ſæculare* &c. ſi tamen Beneficium primitus ſæculare lapſu 40. annorum factum ſit regulare, poteſt iterum fieri ſæculare lapſu 10. annorum, & vice verſa, quia facilius eſt rem redire ad priſtinam, quàm abire ad alienam naturam, Corr. *n.*321. & 326.

ARTICULUS II.

Quomodo acquirantur, & conferantur Beneficia.

298 „ RESP.I. Beneficia Eccleſiaſtica uno ex tribus modis
„ communiter acquiruntur. 1. Per electionem, v.g.
„ Canonicorum; vel etiam poſtulationem, (quæ eſt electio
„ ejus, qui non erat de Capitulo, vel de jure non erat capax)
„ & confirmationem Superioris, ſi electum vel poſtulatum
„ idoneum eſſe intelligat: 2. Per præſentationem Patroni præ-
„ viam, & inſtitutionem ſubſecutam, à Prælato Eccleſiæ fa-
„ ctam, ſi præſentatus ſit idoneus. Etſi verò Patronus præſen-
„ tato jus ad rem conferat, ita ut Beneficium alteri conferri
„ nequeat; jus tamen in re, & collatio beneficii per inſtitu-
„ tionem datur. 3. Per collationem liberam, quando benefi-
„ cium ſolo jure Prælati datur, nec Patronatus juri ſubeſt:
„ Unde etiam Beneficia, ex modo conferendi, dividuntur
„ in Electiva, Patronata, & libera.

„ Reſp.II. In qualibet diœceſi Epiſcopus eſt proprius collator beneficiorum, niſi ex legitima præſcriptione hoc jus alteri competat: ſupremus autem & univerſalis collator omnium beneficiorum non patronatorum, eſt Papa: Leſſ. *l.1.c.*34. *d.*10. Ratio prioris eſt, quia Epiſcopus in ſua diœceſi eſt moderator ſacrorum; ergo ipſius eſt officia ſacra conferre. Ratio poſterioris, quia Papa eſt ſupremus diſpenſator bonorum Eccleſiaſticorum, & Ordinarius Ordinariorum.

„ Poteſt autem Papa tribus modis beneficia conferre. 1. Jure prævention is. 2. Jure concurſus. 3. Jure devolutionis, de quibus vid. Leſſ. *l.c.* ubi notat, jure prævention is & concurſus ad vitandas lites, rariùs Papam uti: imò per concordata Germaniæ inter Sedem Apoſtolicam, & Fridericum Imperatorem, per Conſtitutionem Nicolai V. quæ incipit, *Ad Sacra* &c. alterni tantùm menſes Papæ collationi reſervantur, ſcilicet Januarius, Martius, &c. reliqui verò Ordinariis collatoribus relinquuntur. Imò ſi per tres menſes, à die notæ vacationis, in loco beneficii nulla diſpoſitio vel gratia Papæ appareat, Ordinarius conferre poteſt. Similiter mortuo Papa, quamdiù Sedes vacat, Leſſ. *l.c.* Laym. *l.4.t.2. c.*10. Quòd ſi autem Pontifex & Ordinarius eodem die idem beneficium diverſis contulerint, & neutrius collationis prioritas appareat, præferendus eſt, qui invenitur in poſſeſſione; quia pro eo jus præſumit. Si neuter eſt in poſſeſſione, præfertur proviſus à Pontifice, ob dignitatem proviſoris, „
Barboſ. & Bardi *d.6.*§.10. *ex c. Si à Sede, de præb. in 6.* Denique ſi in ultima nocte menſis Epiſcopalis beneficium ceperit „
vacare, in dubio utrùm ante, an poſt mediam noctem, qua „
incipit menſis Papalis, ſi nemo ſit in poſſeſſione, nec ulla „
proviſio, præſumptio juris eſt pro Ordinario, Gonz. Barb. „
Bardi §.11. „

Quæres I. Quid & quotuplex ſit jus Patronatus? Reſp.I. „
Eſſe poteſtatem præſentandi ad beneficium Eccleſiaſticum „
vacans. Reſp.II. Eſſe duplex, ſcilicet jus Patronatus Eccle- „
ſiaſtici, quod alicui competit, quia ex bonis Eccleſiaſticis; „
& jus patronatus laici, quod alicui competit, quia ex bonis „
patrimonialibus Eccleſiam fundavit, vel dotavit, vel erexit. „
Laym. *c.13.n.2. & 4.* „

Quæres II. Quando Patronus teneatur præſentare beneficio vacante? Reſp. Si patronatus ſit laicus, teneri inter 4. menſes: Si Eccleſiaſticus, intra *6.* intrà quos niſi fiat præſentatio, „
beneficium ſit liberum, ejuſque diſpoſitio pro ea vice devol- „
vitur ad eum, cujus eſt inſtituere præſentatum. „

Quæres III. Quid faciendum, ſi multi præſententur? „
Reſp.I. Si patronus, qui anteà præſentavit Petrum, præſen- „
tet poſtea Paulum, velitque hunc præferri, poterit Prælatus „
inſtituere utrum maluerit, ſi patronatus ſit laicus; quia tunc „
præſentatio ſecunda non facit irritam primam, nec contrà. „
Si tamen patronatus ſit Eccleſiaſticus prior tempore erit po- „
tior jure, ex *cap. Cùm authenticè de jure patronatus.* Reſp.II. „
Si ex duobus patronis alter Petrum, alter Joannem præſentet, „
poteſt collator conferre utri maluerit. Imò juxta Sylv. Epi- „
ſcopus tunc tertio conferre poteſt, eò quòd patroni non con- „
veniant. Reſp.III. Si multi patroni inter ſe ſint diſcordes, is „
inſtituendus, in quem plures conveniunt. Vid. Leſſ. *d.8.* & „
Laym. *num.*18. „

ADDENDA.

QUæſt.50. *Quibus generatim modis acquirantur Beneficia?* R. Duobus, *actu*, ſi acquiratur jus in re; & *potentia* ſi tantùm acquiratur jus ad rem: per hoc autem differunt hi modi, quòd vi juris in re beneficium ſit proprium acquirentis, & ſimul adſit poteſtas illud adminiſtrandi, etiam ante poſſeſſionem: ſolum autem jus ad rem nihil horum tribuit, Caſtr. *t.13.d.2.p.1.à n.*1. Jus in beneficio acquiritur confirmatione electionis vel poſtulationis, inſtitutione & collatione; Jus ad beneficium acquiritur electione, poſtulatione, præſentatione, collatione necdum acceptata, vigore gratiæ expectativæ, reſervatione in favorem, conſuetudine ſeu privilegio optandi, ingreſſu vel acceſſu ob penſionem non ſolutam, Coadjutoria cum futura ſucceſſione, de quibus dicemus in ſeqq. poteſtque videri Leur. *p.2.q.3.* 299

*Q.*51. *Quid ſit, & quomodo differant proviſio, nominatio, præſentatio, inſtitutio, collatio, inveſtitura, electio, poſtulatio, confirmatio, admiſſio, poſſeſſio?* R. 300

§.1. Multi ex his terminis confunduntur, & ſæpè ſumitur unus pro altero, in rigore tamen videtur hoc modo loquèdum: *proviſio* eſt quid genericum, & ſignificat diſpoſitionem de beneficio in favorem alicujus, hinc qui præſentavit aut contulit alicui beneficium, dicitur illi providiſſe, & qui beneficium accepit, dicitur proviſus de beneficio. *Nominatio* etiam eſt quid genericum & ſignificat deſignationem unius vel plurium perſonarum ad beneficium, poteſtq; fieri vi præſentationis, collationis, electionis, privilegii vel facultatis aliquem vocandi ad certum beneficium. Vide Leur. *p.2.q.*10. *Præſentatio* eſt exhibitio perſonæ beneficiandæ, facta illi, ad quem pertinet inſtituere. *Inſtitutio* eſt attributio ſive conceſſio beneficii facta ex præſentatione Patroni. *Collatio* eſt conceſſio beneficii ex ſolo jure & libertate conferentis, abſque præſentatione Patroni. Vide Leur. *q.8. Inveſtitura* eſt aliquid, quo ſignificatur jus in beneficio antea acceptum, & facultas intrandi vel petendi poſſeſſionem vacantem, fitque ordinariè in abſentia rei, per annulum vel impoſitionem bireti. Loco inveſtituræ quandoque eſt inſtallatio aut inthronizatio. Vide Leur. *qu.9. Electio* eſt deſignatio alicujus perſonæ capacis ad aliquod beneficium, facta per ſuffragia; Vide Leur. *à q.*132. *Poſtulatio* eſt ſimilis deſignatio facta per ſuffragia, qua petitur aliquis, qui per diſpenſationem tantùm capax erat, Leur. *q.*198. *Confirmatio* electionis vel *admiſſio* poſtulationis eſt approbatio, qua Superior roborat electionem vel poſtulationem factam: unde præſentationi reſpondet inſtitutio, collationi inveſtitura, electioni confirmatio, poſtulationi admiſſio: ultimum eſt *poſſeſſio*, quæ ſupponit titulum & jus in re completum, eſtque veluti poſitio Sedis, ſeu pedis in beneficio, per quam habetur demum in illo quies.

§.2. Differentia horum colligitur ex dictis, nam 1. electio & poſtulatio eſt de uno tantùm, nominatio poteſt eſſe de pluribus; ſic enim quidam Reges nominant Papæ tres, è quibus unum deſignet in Epiſcopum, Leur. *q.*200. 2. Præſentatio & 301

ele-

electio dant jus ad rem, ſeu dant jus, ut acquiratur beneficium; inſtitutio, collatio, confirmatio, & admiſſio dant jus in re, id eſt, faciunt beneficium eſſe acquiſitum: poſtulatio autem nullum dat jus, nequidem ad rem, & per hoc præcipuè differt ab electione, Leur.*q.*199. 3. Inſtitutio & confirmatio electionis per hoc differunt à collatione, quòd fiant ex obligatione, nam Superior tenetur inſtituere præſentatum & confirmare electum; è contrà collatio fit ex ſola liberali voluntate conferentis, ex qua etiam omnino liberè & ex gratia fit admiſſio poſtulationis. 4. Inſtitutio & confirmatio per hoc differunt, quòd inſtitutio ſit de perſona præſentata, confirmatio autem de perſona electa, uti admiſſio ſimiliter eſt de perſona poſtulata. 5. Præſentatio & electio aut poſtulatio etiam per hoc differunt, quòd præſentatio fieri poſſit ab uno, eoque laico: electio autem & poſtulatio fiat à pluribus, & ſolis Eccleſiaſticis per ſuffragia.

Hactenus dicta habentur partim in jure, partim in AA. citatis apud Leſſ.*de juſt.l.*2.*c.*34.*d.*3. & Caſtr. *tr.*13.*d.*2.*p.*1.*&* 12. alioſque paſſim.

302 *Q.*52. *Quid circa præſentationem ſit addendum?* R.Seqq.

§.1. Præſentatio facta antequam vacet beneficium, reprobatur *cap.*2. *&* 13.*de conceſſ.præb.* hinc ſi juraris te præſentaturum Cajum, quando beneficium vacabit, promiſſio eſt illicita & irrita, Caſtrop.*t.*13.*d.*2.*&* 3.*p.*5.*n.*1. Sylvius *p.*1.*v. Beneficium caſ.*3. putatque Lott.*l.*2.*q.*6.*n.*9. eſſe mortale, quia Eccleſia graviter prohibuit, ne detur occaſio alienæ mortis captandæ: valet tamen præſentatio, licèt non vacet beneficium, ſi Patronus putavit vacare, tum enim convaleſcet à die veræ vacationis, Lott.Corr.*l.*4.*c.*6.*n.*37.

303 §.2. Poteſt fieri vel miſſis litteris vel per procuratorem, *cap. Ea noſcitur*, De his quæ fiunt à Prælatis: attamen cum ſpeciali mandato, Barb.*de poteſt.Epiſc.alleg.*72.*n.*116. Cor.*c.*2.*num.*23. Leur.*p.*2.*q.*124. Poteſtque, ſi adſit juſta cauſa abſentiæ, antecedenter id demandari pro tempore futuræ vacationis etiam unici beneficii, Lott.*nu.*10. duratque mandatum etiam ſecuta ſed ignorata morte mandantis, Lott.*q.*14.*n.*43. ſed non debuit nominari certa perſona præſentanda, ne huic daretur occaſio captandi mortem alterius, Lott.*q.*6.*n.*12. Vide Leur. *q.*99. Similiter poteſt quis ſe inſtituenti præſentare per litteras vel per procuratorem, Az.Caſtrop.*p.*1.*n.*6. Luca *de Jurep.d.*64.*nu.*30. Leur.*q.*125. Poteſt etiam præſentatio fieri per ſcripturam privatam, aut oretenus ſine omni ſcriptura & abſque certa verborum forma dummodò exprimatur actualis voluntas præſentantis, Luca *à num.*21.

304 §.3. Poteſt eſſe conditionata, obſcura, dubia; v.g. Præſento, ſi per diſpenſationem te ſtatim reddas habilem, ſi Papa mihi reſervet penſionem, ſi ſis mihi ſanguine proximior &c. dummodò conditio, obſcuritas, incertitudo purificetur intrà tempus conceſſum ad præſentandum, Caſtr.*d.*3.*p.*1.*n.*3. Corr.*n.*26. Luca *ſupr.* Leur.*q.*127.

305 §.4. Ut afferat aliquod jus, debet eſſe facta habenti inſtituere, & à præſentato vel ab habente ſpeciale illius mandatum acceptari intrà terminum Patrono conceſſum ad præſentandum; aliàs collatio beneficii devolvitur ad Superiorem, debetque de acceptatione conſtare per litteras vel procuratorem, Caſtrop.Garc.Corr.Barb.Leur.*q.*122. Si autem bona fide præſentarit non habenti jus inſtituendi, habet iterum tempus novum præſentandi, de jure conceſſum ad præſentandum, Corr.Barb.*n.*141. Leur.*q.*123.

306 §.5. Patronatui laico conceduntur reſpectu beneficii ſimplicis quatuor menſes, Eccleſiaſtico ſex ad præſentandum, *cap. Quoniam*, *cap. Cùm propter*, *cap. Eam te*, *de Jurepatr.* Patronatui mixto ſimiliter ſex ſecundùm communem ſententiam, quàvis Caſtrop.*d.*2.*p.*5.*n.*2. dicat concedi tantùm quatuor, ſi laici præſentèt ſeorſim ab Eccleſiaſticis; quod etiam dicunt Pereira, Gonz.Lott.Barb.*alleg.*60.*n.*17. ſi ſimul præſentent & ſint plures laici quàm Eccleſiaſtici, ſed in hoc contradicunt Vivian. Pariſ.Luca *num.*4. Nicol.*t.*1.*d.*11.*§.*9. Et hæc valent etiam pro prima proviſione beneficii jam erecti; currit enim tempus à die factæ erectionis, Lamb.Corr.*c.*1.*à n.*5. Leur.*q.*142. Reges tamen & ſummi Principes non arctantur tempore, quia hi, non item alii, præſumuntur habere multa impedimenta, Garz.*c.*2.*n.*34. Caſtrop.*num.*5. Corr.*p.*10.*c.*2.*n.*64. Luca *num.*13. Pro beneficio curato debet ſecundùm Bullam S.Pii V. ubi recepta eſt, etiam à laicis fieri præſentatio intra 20. dies, & præſentatus inſtitui intrà duos menſes à die peracti examinis, Baſſ.*T.*2.*v. Beneficium* §.5.*n.*5. Leur.*q.*135. Quod ſi præſentatio non fiat intrà tempus, devolvitur ad Superiorem, uti dicetur *n.*566. In Clivia tamen, Julia, & Montibus pro bimeſtri priùs devolvitur ad Principem ſeu Ducem.

307 §.6. Ille, ad quem ſpectat inſtituere, poteſt prolongare tempus ad aliud quadrimeſtre vel ſemeſtre, (non tamen ultrà) quia illa determinatio temporis facta eſt in inſtituentis favorem, cui cedere non poteſt, Barb.*alleg.*72.*n.*143. Caſtr.*n.*8. Corr. *num.*66. Luca *num.*16. Nec ideò fit injuria Superiori, ad quem collatio devolveretur, quia devolutio collationis non habet locum, niſi poſt elapſum quadrimeſtre vel ſemeſtre inter præſentationem & inſtitutionem: præſentatio autem differri potuit uſque ad diem ultimum illius temporis, Leur.*qu.*137. Poteſt etiam præſentatio, inſtitutio, collatio (non tamen electio) fieri ſtatim mortuo & necdum ſepulto Rectore, Garz.*c.*1.*n.*38. Corr.*c.*6.*à n.*39. Leur.*q.*138.

§.7. Menſes computantur, prout tum occurrunt in Kalendario, & momento ad momentum, ſecundùm dicenda *n.*420. Hoc autem tempus incipit currere, non ab hora, qua vacavit beneficium, ſed qua patronus habuit notitiam vacationis, Az.Tiraq.Barb.Caſtrop.*n.*3. Garz.*n.*34. Lott.*qu.*6.*n.*23. contra Lambert. & alios, cùm enim ſtatutum ſit in pœnam negligentiæ Patronorum, talis pœna non habet locum niſi poſt ſcientiam; quod verum eſt, licèt fundatio haberet, ut præſentatio fiat intrà tale tempus à die mortis vel vacationis, debet enim intelligi, *cognitæ*, Corr.*c.*2.*n.*74. Et opponens præſentationem non eſſe factam in tempore, tenetur probare Patronum ſciviſſe vacationem, quia non præſumitur voluiſſe negligere jus ſuum, Barb.Garc.Caſtrop.Corr.*n.*75. Luca *nu.*5. Quòd ſi fuerint ſex Patroni, & quinque ſcientes vacationem neglexerint præſentare, ſextus, qui neſcivit, præſentat ſolus, Barb.Caſtr.Garz. *c.*2.*n.*41. Leur.*q.*139. Neque hoc tempus currit legitimè impedito, quominus præſentet, quia nemo debet ſine ſua culpa privari jure, quod ipſi eſt certum, Abb.Barb.Caſtrop.*nu.*5. Pirh. *l.*3.*t.*38.*à n.*105. Leur.*q.*40.*nu.*1. ubi recenſet impedimenta aliqua: Vide etiam dicenda *à nu.*421. Et quamvis tempus non currat collatoribus & electoribus litigantibus de jure conferendi aut eligendi, tamen currit Patronis litigantibus de jure præſentandi, ſi neuter ſit in poſſeſſione, ideoque eo evoluto, ſi lis non ſit finita, poteſt Ordinarius conferre, Az.Garz.*n.*19. Caſtr.*num.*6. Lott.*n.*26. Si tamen patroni litigarent tantùm de habilitate præſentati, aut litigarent cum Epiſcopo volente Eccleſiam eſſe liberam, non curreret illis tempus, ſed expectandus eſſet finis litis, Ric.Barb.Caſtrop.*n.*7. Pirh.*à n.*111. Uti nec tum currit, ſi lis ſit inter præſentandos, quorum unus dicat ſe præferendum alteri, Caſtrop. nec patroni tum poſſunt præſentare tertium, aut alium ſubſtituere in locum unius mortui, Covarr. Lancell.Caſtrop.*p.*5.*n.*5. *&* *p.*10.*n.*9. Barb.*de jure Eccl.l.*3.*c.*12. *n.*173. Garz.*p.*5.*c.*9.*n.*217. Leur.*q.*140.

308

309 §.8. Si præſentatus renunciet aut moriatur, vel detegatur vitium; ob quod irritatur præſentatio, ab hinc incipit Patronis currere novum tempus, Corr.*c.*3.*n.*19. Leur.*q.*141.

310 §.9. Si præſentatio vel collatio fiat poſt elapſum tempus, poteſt irritari: quia tamen jura non tam intendunt pœnam negligentium, quàm ut Eccleſiis vacantibus citò provideatur, ſi poſtea per celerem proviſionem mora quaſi purgata ſit, debet talis proviſio de æquitate tolerari, *cap. Litteras*, *de ſuppl.neglig. Prælat.* Engel.*l.*3.*tr.*5.*n.*65. Vide dicenda *n.*568.

311 §.10. Si plures patroni præſentent per modum unius, ſive prout faciunt unum corpus, v.g. unum Capitulum, omnes vocandi ſunt, ita ut ſi unus, qui poſſit vocari, fuerit omiſſus, præſentatio ſit nulla; ſi autem præſentent ut ſinguli & per modum plurium, Vaſq.Garz. & alii cum Leſſ.*de juſt.lib.*2.*cap.*34. putant præſentationem à majore parte patronorum factam eſſe validam, quia etiamſi adfuiſſet, qui omiſſus eſt, tamen prævaluiſſet pars oppoſita major. Contradicunt Az. Laym.Caſtr. *p.*8.*à n.*1. Leur.*qu.*131.*n.*1. quia nemo ſine culpa privandus eſt jure, quod habet: ſufficienter tamen cenſetur aliquis vocatus, ſi vacatio beneficii ſit ab Ordinario ita publicata, ut in notitiam omnium patronorum potuerit devenire.

312 §.11. Ad validam præſentationem requiritur, ut major pars Patronorum conſentiat in unum, uti dicetur *num.*394. unde ſi communitas præſentet, pars abſolutè major illius conſentire debet, alioquin non eſt verum communitatem præſentare, Silv. Az.Vaſq.Caſtr.Leur.*q.*131.*nu.*3. Hinc ſi Titius in Capitulo 12. perſonarum nominetur 7. votis, Cajus 5. & poſtea Titius reſciatur fuiſſe inhabilis, Cajus non habet jus, quia non eſt nominatus à majore parte Capituli, poteſtque Capitulum intrà tempus à jure conceſſum præſentare alium. E contrà ſi plures præſentent ut ſinguli, illa pars prævalet, quæ reſpectu aliarum eſt major, v.g. ſi ſint 9. Patroni, & à duobus præſentetur Titius, à tribus Cajus, à quatuor Sempronius, prævalet præſentatio Sempronii, quia licèt non ſit à majore parte Patronorum, ſi computentur omnes, eſt tamen à majore parte eorum, quatenus præſentationem faciunt, & cõparatione aliarum partium, Silv.Az.Vaſq.Caſtrop.*n.*4. Conſequenter dicendum eſt, ſi plures communitates tanquam diverſa corpora concurrant, illum prævalere, qui à pluribus integris communitatibus nominatur, v.gr. ſi communitas A habens 30. perſonas unanimiter præſentet Titium; communitas B habens 20. perſonas unanimiter præſentet Cajum, & è communitate C. habente 20. perſonas novem præſentent Titium, undecim Cajum, Cajus prævalet, quia habens majorem partem communitatis C. cenſetur habere totam, Laym.*ad c.Paſtoralis de reſcriptis*, *n.*9. Lott.*q.*11.

à num.

*à num.*134. Ob rationem datam, ſi votum Patroni A æquivaleat votis Patronorum BCD, eò quòd hi deſcendant ex unico ſtipite, ſi Cajus habeat votum Patronorum A & B non ideo prævalet Titio habenti vota Patronorum C & D, quia Titius cenſetur habere votum totius hujus ſtipitis æquivalentis alteri, hinc ſunt æquales in votis. Similiter ſi præſentatio fieri debeat ab Epiſcopo & Capitulo velut ſingulis, & Titius habeat votum plurium de Capitulo, Cajus autem Epiſcopi & aliquorum Capitularium, ſunt pares, uti ex Trid *ſeſſ.*25.*c.*6.notant AA. communiter apud Luca *de Benef.d.*30.*n.*7.& Leur.*n.*5.ac iterum *qu.* 698. Quid autem in tali æqualitate fieri poſſit, habet Leur.*qu.* 131.& aliquid inſinuabitur *n.*364.

313 §.12. Præſentatus pluribus votis, ſi habilis ſit, debet præferri, *cap. Quoniam, de Jurep.*& ex communi Leur.*qu.*195.addens cum Abb.Roch.Garz.*p.*6.*c.*2.*n.*88.ſi minor pars præſentet habilem, major inhabilem, priorem præferri, quia poſterior præſentatio eſt, ac ſi non eſſet facta. Quòd ſi patronus Clericus & laicus præſentarint Cajum, & laicus variet accumulando Titium, prævalet Cajus, quia habet duo pro ſe vota, Abb. Barb.Caſtrop.Pirh.Leur.ſuprà; & conſtabit ex dicendis *n.*315.

314 §.13. Præſentatus poteſt, antequam inſtituatur, renunciare præſentationi in manibus patroni, etiamſi præſentatio ſtetiſſet per annum, quia juri ad rem non eſt opus renunciare in manibus Superioris; imò renunciare poteſt in manibus ſimplicis Notarii; tumque habebit patronus iterùm totum tempus, quia per eum non ſtetit, quominùs præſentatio conſequeretur effectum, Corr.Leur.*q.*135.

315 §.14. Omnes patroni poſſunt ante præſentationem variare ſuam mentem, quia res adhuc integra eſt: poſt præſentationem autem poteſt ſolus patronus laicus variare ſeu præſentare alium, non privativè, id eſt, non excludendo primò præſentatum, ſed cumulativè, id eſt, adjungendo illi alium, etiamſi jus patronatus ſit mixtum, dummodò ab initio præſentarit diverſum ab illo, quem præſentarat Eccleſiaſticus, Abb.Tiraq. Barb.Caſtrop.*p.*6.*n.*7.Leur.*q.*148. ſi tamen duo laici initio præſentarunt eundem, non poteſt unus accumulare invito altero patrono, Leur.ſuprà. Quòd ſi etiam plures ſint accumulati, adhuc liberum eſt inſtituenti præferre, quem volet, *cap. Cùm autem, & cap. Quod autem, de Jurep.*Garz.*à n.*211. Ac poſſe etiam plures ſucceſſivè ſic accumulari à patrono laico, docent Gl.Abb.Decius, Az.Caſtrop.*n.*3. contra Nav.Garz. Guttier. Lambert.Barb.Pirh.& alios, eò quòd hoc videatur Eccleſiæ utile ob majorem delectum. Vide Leur.*q.*145.*à num.*4.Quòd ſi moriatur patronus laicus, poterit ſucceſſor variare; uti potuiſſet defunctus, Vivian.Corr.*l.*4.*c.*7.*n.*23. Leur.*q.*146.Patronus verò Eccleſiaſticus, quamvis variare non poſſit, tamen poteſt plures ſimul præſentare, ut ex illis unus inſtituatur, Lop.Garz. Caſtrop.ſuprà.

316 §.15. Patronus laicus, ſi indignum vel inhabilem inſcienter præſentarit, poteſt, & mandari debet illi, ut intrà tempus ſtatutum præſentet alium, *cap. Cùm vos, de offic.Judic.Ordin.* Corr.*cap.*6.*nu.*41.Pirh.*num.*104. Docetque Barb. *de jure Eccl. lib.*3.*c.*12.*n.*174. idem poſſe patronum Eccleſiaſticum. Addit *n.*176. laicis etiam poſt tempus permitti intrà certum tempus præſentare alium: putatque Leur.*q.*145.*num.*3.poſt detectum errorem habere patronos illos iterum totum tempus.

317 §.16. Si laicus ſcienter præſentarit indignum, Fagn. Pirh. Leſſ.*l.*2.*c.*34.*nu.*29.& alii putant nequidem pro illa vice privari jure præſentandi & variandi, quia Canones id dicunt tantùm de eligentibus: leges autem civiles dicentes privari etiam præſentantes non obligant in materia Eccleſiaſtica, ſed communiùs contradicunt alii cum Roch.Lambert.Barb.Corr.Luca *de Jurep.d.*47.*nu.*2. docentes devolvi ad Superiorem. Eſt autem Eccleſiaſticus ſaltem privandus pro iſta vice, uti habet communiſſima cum Leur. quamvis Leſſ. dicat oppoſitum etiam eſſe valde probabile. Et aliqui ex hoc excuſant patronos, quòd non ipſis ſed Epiſcopis committatur proviſio digni. Vide Leur.*qu.*153.

318 §.17. Si ſex ſint in ſolidum patroni, & eorum quinque præſentarint indignum, ſextus retinet jus præſentandi, Luca *de Benefic.diſc.*28.*à num.*17. Quod tenet, quamvis ejus mandatarius etiam præſentaſſet indignum, dummodò hic non fuerit à mandante deſignatus, quia mandatum non debet trahi ad factum, unde mandans incidat in pœnam, Lott.*qu.* 6.*à num.*30.

319 §.18. Quod Bonif.VIII.ſtatuit *cap.*1.*Ut lite pendente, in 6.* ut ſi duo electi litigent & unus moriatur, vel à lite deſiſtat, non procedatur ad aliam electionem, valet etiam, ſi lis oriatur inter duos præſentatos, tum enim non poſſunt patroni, etiam laici, nequidem accumulando variare, licèt adhuc duret tempus præſentandi, nimirum ne lites prorogentur, Calder.Lop.Lott. *q.*20.*à n.*2.Garz.*nu.*217. contra alios apud Caſtrop. *p.*6.*num.*5. Aliud eſt, ſi lis eſſet tantùm inter patronos, vel inter patronum & Epiſcopum, quamvis acceſſoriè redundaret etiam in præſentatos, tum etiam variare poſſet patronus, Archid.Lott.*à n.*7. Poteſt etiam patronus mortuo uno præſentato præſentare alium è collitigantibus, ſic enim accelleratur finis litis, Garz.*n.*220. Pariſ.Caſtrop.*num.*6.contra Gonz.cui adhæret Barb.*num.*177. pro caſu, quo lis penderet ſuper titulo aut aliter prorogaretur. Vide Leur.*q.*147.Quòd ſi moriatur collitigans, cui favebat Patronus, docet Caſtrop.*p.*10.*n.*9. nequidem Papam poſſe inſtituere ſuperſtitem invito Patrono, niſi priùs deroget juripatronatus, ſed cauſam mortui eſſe proſequendam, pro quo ſi decidatur, proviſio facienda eſt, tanquam ſi beneficium ex tunc vacaret per mortem.

§.19. Si Patronus jurarit non revocare præſentationem pri- 320
mi, poteſt nihilominus accumulando præſentare ſecundum, quia per hoc non mutat ſed relinquit præſentationem factam, ſecundùm dicta *n.*315. Si autem jurarit non accumulare aut ſimpliciter non variare, Gutt.Lamb.Barb.*de poteſt.Epiſ.alleg.* 72.*n.*177.Caſtr.*p.*6.*n.*8.dicunt invalidè præſentari alium, quia juramentum accedens actui ad ſui valorem requirenti authoritatem Judicis (qualis eſt præſentatio) reddit eum irrevocabilem juxta Gl.*& cap. licèt mulieres, de jurejur. in* 6. niſi ille, in cujus favorem adjectum eſt, cedat juri ſuo, Luca *de Jurep.d.*43.*nu.* 10.Excipiunt Covarr. & alii, niſi Ordinarius hanc ſecundam præſentationem approbet. Imò adhuc invalidam eſſe præſentationem ſecundam, quamvis ſolùm promiſerit non variare, docent Lop.Gutt.Caſtrop. quia per promiſſionem acceptatam ceſſerat juri variandi. Quòd ſi quis commiſerit procuratori præſentationem, ac jurarit non revocare commiſſionem, poſſe nihilominus validè revocare docet Caſtrop.*n.*10.V.Leur. *qu.*149.*& ſeqq.*

§.20. Poſt legitimam inſtitutionem nulli patrono licitum 321
eſt variare, *cap. Quod autem, de Jurep.*Caſtrop.*p.*6.*n.*1.Quod tenet, etiamſi poſteà contra inſtitutum moveretur lis, Caſtrop. *n.*5.Garz.*p.*5.*c.*9.*n.*218.Item tenet ſecùndùm *cap. Si tibi abſenti, de præb. in* 6.etiamſi poſſeſſionis traditio necdum ſit facta, Pirh. *n.*98. Quamvis autem electionis ſcrutinium publicatum revocari non poſſit, *cap. Publicato, de elect.*tamen ſi præſentatio etiã Capituli necdum ſit facta Superiori, quamvis aliquis ſit in Capitulo nominatus, revocari poteſt, Laym.*ad tit. de elect.n.*3.

§.21. Qui præſentatur, debet eſſe actu idoneus, Barb. 322
Caſtrop.*p.*7.*n.*1. niſi præſentetur ſub conditione procurandæ idoneitatis, & hæc procuretur intrà tempus præſentandi, Corr.*l.*4.*c.*6.*n.*26.Quòd ſi inter duos aptos unus ſit actu habilis, alter inhabilis, qui intrà tempus conceſſum habilitari poſſit, poteſt, ſed non tenetur expectare patronus, Luca *diſc.*45.*nu.* 8. Hinc ſi unus è familia ſit præſentandus, & primo menſe nullus ſit habilis, poteſt ſtatim præſentare alium non de familia, Leur.*q.*152.

§.22. Si fundatio requirat aliquem certo loco natum, qui 323
non eſt tali loco natus, præſentari non poteſt: Ut autem quis dicatur certo loco natus, ſatis eſt ejus Patrem eſſe inde oriundum, Jaſ.Mandoſ.Barb.*alleg.*4.*à n.*6.Caſtrop.*d.*4.*p.*9.*n.*2. poteſtque etiam videri de Ordine *p.*15. Similiter ſi præſentandus debeat eſſe civis certæ urbis, illi non obſtat, quòd fortè natus ſit alibi ob accidentalem moram Matris, quia natus extra patriam ex cauſa accidentali abſentiæ Parentum dicitur verus civis prioris patriæ, ac ſi verè propriè ibi natus eſſet, Felin.aliique apud Luca *de Benef.d.*61.*n.*4.notans tamen ex circumſtantiis ſæpè plus exigi ex mente fundatoris. Quòd ſi fundatio habeat, ut ſit filius civis certæ urbis, Titius autem non ſit filius civis ſed reipſa civis, videtur eſſe capax, quia conditio eſt adjecta in favorem civitatis, nempe ut hujus membro detur Beneficium, quod hic fiet, maximè cùm plùs ſit eſſe civem, quàm purè filium civis.

§.23. In eo caſu, quo fundatio dicit præſentandum debere 324
eſſe ex certa familia, Rodriq.& Luca *de Jurep.d.*43.*n.*3.putant præſentari poſſe non proximiorem, quod Caſtrop.*num.*5.vocat probabile, quia quando non exprimitur proximior, electio videtur eſſe relicta patrono: ſed communis cùm Gutt.& Garz. *p.*7.*c.*15.*n.*17.contradicit, quia proximior cenſetur eſſe fundatori gratior, utpotè conjunctior: ſi expreſſerit, *proximiorem*, intelligitur proximior fundatori, Lamb.Vaſq.Garz. *num.*20. Caſtrop.*num.*6. dummodò tempore præſentationis ſit habilis, Luca *num.*6.ubi addit, ſi duo ſint æquè proximi, unus è linea maſculina, alter è fœminina, ſecundùm Garz.*num.*21. poſſe præferre, quem vult, quia hìc non agitur de propagatione nominis vel familiæ; ſecundùm Caſtrop. *num.*7. debet præferre eum, qui eſt è maſculina, quia cenſetur fundatori gratior; hinc *nu.*8. addit, ſi conjuges ex bonis communibus fundarint beneficium pro familia, in gradu æquali præferendos conſanguineos mariti, niſi conſanguinei uxoris eſſent in fundatione primo loco nominati, Felin.Gutt.Gomeſ.Caſtrop.*n.*9. Computatio autem proximitatis eſt facienda potiùs ſecundùm jus civile, niſi fundatio reſtrinxiſſet ad quartum gradum, quia tum denotaretur jus Canonicum, Garz.*num.*25.Caſtrop.*num.* 10.Leur.*q.*156.

§.24. Legitimatus à Principe ſeculari cenſetur eſſe de fami- 325
lia,

lia, hinc ſi Eccleſia etiam diſpenſet cum eo, & fundatio utatur verbis naturæ, quod præſumendum eſt, v.gr. ſi dicat, provideatur aliquis *ex deſcendentibus noſtris, ex noſtro ſanguine*, præſentari poterit ad tale beneficium pro familia erectum: ſi autem utatur verbis civilibus, v.g. provideatur aliquis *de familia, cognitione, conſanguinitate, ſtirpe*, Garc. *à num.* 39. putat non eſſe capacem, ſed Gonz. & Caſtrop. *nu.* 11. dicunt ſpectandum eſſe communem modum loquendi & circumſtantias, ſicque admitti poſſe etiam ſpurium, ſi non cenſeatur per verba excludi: ſi tamen adſit legitimus, videtur præferendus, quamvis eſſet remotior, quia legitimitas cenſetur ſuperare omnem propinquitatem illegitimi, Gutt. Peregr. Rodriq. Caſtrop. *n.* 13. contra Gonz. & Garc. *n.* 53.

326 §. 25. Patronus non poteſt ſeipſum præſentare, id enim in odium ambitionis prohibetur *cap. Per noſtras, de Jurepatr.* Caſtrop. *d.* 4. *p.* 7. *n.* 2. Barb. *de jure Eccl. l.* 3. *c.* 12. *n.* 193. Quod tenet in beneficiis etiam ſimplicibus, Corr. *l.* 4. *c.* 2. *n.* 16. Pirh. *n.* 90. Poteſt tamen unus patronus præſentare alium Compatronum, & hic dicere, *Conſentio præſentationi de me factæ*, Lamb. Ricc. Az. Tuſch. Barb. Caſtrop. *nu.* 3. Unde ſi ſint tres patroni, quorum unus nominarit Titium, alter Compatronum, qui conſentiat, hic conſenſus facit, ut habeat duo vota: quod ſi nominatio fieret ſecretè & tertius aliquis cum Compatrono haberet æqualia vota, poſſet patronus publicatis votis advertens ſe nominatum revocare ſuum votum, & conſentiendo in ſeipſum facere plura pro ſe vota; non poſſet tamen per talem acceſſum facere pro ſe paritatem votorum, Lamb. Corr. ſuprà.

327 §. 26. Nequidem per procuratorem à ſe delegatum ad præſentandum poteſt præſentari patronus, quia ſic præſentaret ſeipſum, cùm delegatus agat nomine delegantis, Pariſ. Caſtrop. Pirh. *n.* 89. contra Ricc. cujus opinionem Corr. *nu.* 17. dicit eſſe contra innumeras Rotæ deciſiones, contra DD. omnium ſententiam & praxin: Excipiunt 1. Andr. & Pirh. *n.* 91. niſi in delegatum tranſtulerit omnem poteſtatem nominandi, quem volet & judicarit aptiorem: quòd magis valet, ſi omnes patroni conſtituerint procuratorem, hic enim poterit præſentare unum ex patronis, Corr. *n.* 21. Procurator tamen ipſe non poteſt præſentare ſeipſum, quia maneret locus ambitioni, Gonz. Lamb. Barb. Caſtrop. Leur. *q.* 165. Si autem patronus liberè & abſque pacto renunciet juri præſentandi, poteſt inſtituens eum vocare ad beneficium; item ſi inſtituens antecedenter patrono offerat beneficium, hic poterit conſentire, Abb. Vaſqu. Leſſ. Barb. Caſtrop. Pirh. Leur. *q.* 164 *n.* 9.

328 §. 27. Patronus poteſt à Papa, aut ſi pauper ſit, & beneficium ſit ſimplex, etiam ab Ordinario per viam deprecationis obtinere beneficium, cùm enim ei debeantur alimenta, ſic optimè conſulitur ipſi, Abb. Lamb. Corr. *n.* 199. Pirh. *n.* 91. Luca *d.* 45. *n.* 8. Leur. *q* 164.

329 §. 28. Patronus poteſt filium ſuum præſentare, quia non cenſetur hic eſſe una cum illo perſona, Abb. Az. Barb. Corr. Caſtr. Pirh. *n.* 92. Leur. *q.* 166. Item donatarius poteſt præſentare donantem jus patronatus, dummodò abſit ſuſpicio pacti & fraudis: debet tamen donatio eſſe in perpetuum facta cum conſenſu Epiſcopi & cum abdicatione privativa omnis juris præſentandi, etiam cumulativè, Lamb. Corr. Leur. *q.* 167.

An præſentatus per plures præſentationes poſſit proſequi ſingulas, dicetur *n.* 437.

330 *Q.* 53. *Quid præterea notandum ſit circa jus patronatus & Patronos?* R. ſeqq.

§. 1. Jus patronatus eſt poteſtas nominandi vel præſentandi Clericum ad beneficium Eccleſiaſticum vacans; ſive ſecundùm Lot. *l.* 2. *q.* 3. *à n.* 22. eſt prærogativa certa conceſſa per Eccleſiam in retributionem temporalium pro conſtituendo beneficio Eccleſiaſtico elargitorum; fundans enim beneficium habet prærogativam honorificentiæ, ſuſtentationis (ſi ipſi & liberis deficiant alimenta) & poteſtatis præſentandi ad beneficium, Lott. & alii cum Leur. *p.* 2. *qu.* 29. & 102. De illa honorificentia vide Leur. à *q.* 103. De alimentis autem *à q.* 105.

331 §. 2. Jus patronatus dividitur in perſonale & reale, ſecundùm dicta *l.* 3. *p.* 1. *à n.* 127. Etiam aliter dividitur in Eccleſiaſticum, laicale & mixtum; tunc eſt *Eccleſiaſticum*, ſi beneficium fundetur ex bonis Eccleſiaſticis; *Laicale*, ſi ex bonis patrimonialibus vel aliis, de quibus fundans, licèt ſit Eccleſiaſticus, liberè poſſit diſponere, Garz. *p.* 5. *c.* 1. *à n* 593. Corr. *l.* 4. *c.* 2. *à n.* 48. Nicol. *t.* 1. *d.* 5. §. 2. Leur. *q.* 15. & 16. *Mixtum* eſt, ſi proveniat titulo partim Eccleſiaſtico partim laicali, ac competat patrono tum Eccleſiaſtico tum laico. Si neſciatur, ex quibus bonis Eccleſiaſticis fundarit beneficium, utendum eſt præſumptione, nam ſi jus præſentandi dederit ſuis hæredibus, conſanguineis, laico, debet cenſeri laicale, aliàs non potuiſſet illis donari, nec hi ab initio admiſſi fuiſſent ad præſentandum, Mandoſius, Gonz. Garz. *n.* 594. Lott. *q.* 10. *n.* 2. Addunt Corr. & Nicol. §. 17. ſi laici ſint in poſſeſſione præſentandi, etiam præſumi laicale, niſi contrarium expreſsè probetur.

332 §. 3. *Cap. Si laicus, hoc tit. in* 6. ſtatuit Bonif. VIII. ut ſi laicus jus ſuum patronatus conferat Eccleſiæ, Collegio Clericorum vel Monaſterio, cenſeatur Eccleſiaſticum: idem eſt, ſi conferat perſonæ Eccleſiaſticæ ratione dignitatis vel beneficii, cui annectit, Barb. *de jure Eccleſ. l.* 3. *c.* 12. *num.* 10. Lott. *num.* 6. Leur. *q.* 16. *num.* 9. Nicol. §. 4. Etiam tum eſt Eccleſiaſticum, ſi competat laicis utriuſque ſexus religioſè viventibus, Beguinis, Monialibus, Abbatiſſis, Communitati Tertiariorum *S. Franciſci*, Commendatoribus Ordinum militarium, etiam conjugatis, Barb. Garc. Lott. Leur. *n.* 11. Idem dicunt aliqui contra alios, ſi competat Confraternitatibus laicorum alicui Eccleſiæ affixis; ſi datum ſit laico ratione Eccleſiæ, v.g. quia eſt Proviſor; ſi competat hoſpitalium Adminiſtratoribus laicis; aut Collegiis inſtitutis pro ſuſtentatione egenorum, uti refert Leur. *à num.* 12. Hæc tamen & ſimilia cenſeri debent laicalia ad effectum derogationis & reſervationum. Et ſi quis fundans beneficium ex bonis laicalibus det jus patronatus Eccleſiæ, expreſsè præſervans, ut ſit & maneat laicale, manet tale, Barb. *n.* 12. Lott. *n.* 5. Item ſi Clericus laicis fundatoribus ſucceſſerit, etiam manet laicale, Barb. *n.* 14. Corr. *num.* 54. & 58. Quòd ſi beneficium fundatum ſit ex bonis Eccleſiaſticis; quamvis jus patronatus illius tranſiret ad laicum, maneret Eccleſiaſticum, niſi hic acciperet titulo oneroſo, v.gr. permutatione apud Papam, tum enim efficeretur laicale, Barb. *n.* 16. Pirh. Leur. *n.* 6.

§. 4. Si ex tribus patronis duo ſint Eccleſiaſtici, Lott. *n.* 67. 333
dicit jus patronatus eſſe Eccleſiaſticum; ſi duo laici, laicale: tum autem tantùm vult dici mixtum, ſi æqualiter pertineat ad Eccleſiaſticos & laicos; ſed Caſtr. *t.* 13. *d.* 2. *p.* 2. *n.* 3. adhuc vocat mixtum, ſi patroni Eccleſiaſtici & laici concurrant, quamvis non æquali numero; tale autem jus patronatus ſemper gaudet privilegiis laicalis, hinc excludit reſervationem, concurſum &c. Luca, Leur. *q.* 18. Quod tenet, etiamſi patroni inter ſe convenirent, ut hac vice præſentaret ſolus Eccleſiaſticus, poſteà ſolus laicus, tum enim, quando præſentaret Eccleſiaſticus, non poſſet alternare Papa, Lott. *n.* 98. Leur. *q.* 19. contra Garc. Vide dicenda *n.* 480. & 515. & 516.

§. 5. Jus patronatus aliter dividitur in *Hæreditarium*, quod 334
tranſit ad quoſcunque hæredes etiam extraneos; poteſtque illud ſibi reſervare hæres, ſi teſtator juſſerit erigi beneficium, Nicol. §. 18. *Gentilitium*; ſi fundator voluerit pertinere ad gentem ſeu familiam aliquam, quæ ſi emoriatur, redit ad hæredes; in dubio autem ſemper cenſetur hæreditarium. *Mixtum*, ſi fundator in eo, qui debet providere, exegerit, ut eſſet non tantùm hæres, ſed etiam de certa familia: poteſtque jus patronatus ſemel conſtitutum, ſi fundator ipſemet petat, per Epiſcopum mutari de hæreditario in gentilitium vel mixtum, & contrà, Lott. *q.* 11. & 47. Leur. *q.* 20. & *ſeqq.*

§. 6. Jus patronatus ex communi juris diſpoſitione acquiri- 335
tur, 1. Per fundationem Eccleſiæ ſive per conceſſionem fundi, in quo ædificatur, Leur. *q.* 39. 2. per liberam Eccleſiæ ædificationem aut planè deſtructæ reædificationem, ita ut nova conſecratione egeat, Leur. *q.* 40. 3. Per dotationem, ſive per aſſignationē reddituum ſufficientium pro ſuſtentādo Rectore ſeu Miniſtris & pro luminaribus, etiamſi Eccleſia jam fuerit antecedenter ædificata & conſecrata, Leur. *q.* 30. 42. & 43. Nec opus eſt, ut hi ſibi expreſsè reſervarint jus patronatus, cum id habeatur ex diſpoſitione juris, niſi tamen recuſarint, Garc. Caſtrop. Lott. Corr. Leur. *q.* 35. Requiritur tamen Epiſcopi, & ſi Epiſcopus fundet, ædificet aut reædificet vel dotet, Papæ conſenſus, Az. Barb. Caſtrop. Leur. *q.* 36. & 37.

§. 7. Si unus fundavit, alter ædificavit, tertius dotavit Ec- 336
cleſiam, quamvis unus plus, alter minus contulerit, omnes tres habent jus patronatus. Si duo fundarunt, uterque eſt patronus; ſed habent unum tantùm votum comparatione ædificantis & dotantis, Leur. *q.* 31. Non poteſt autem fundans aut ædificans habere jus patronatus, niſi ſequatur dotatio, imò Eccleſia abſque dote ædificari non debet, aut ſaltem non conſecrari, Az. Barb. Leur. *q.* 40. *n.* 5.

§. 8. Si Clericus ex redditibus ſui beneficii ædificavit Eccle- 337
ſiam, habet jus patronatus, quamdiù vivit; poſt ejus mortem, ſi Eccleſia non ſit Collegiata, habet ſucceſſor in beneficio; ſi ſit Collegiata, habet Collegium Clericorum, Leur. *q.* 40. *n.* 2. Quod ſi Eccleſia fuit planè deſtructa, quamvis reædificetur ex eadem materia, videtur deſinere jus primi ædificatoris; ſi tamen tota tantùm per partes fuit reædificata, manet jus primi, Pirh. Leur. *n.* 3.

§. 9. Ædificans Eccleſiam in fundo meo me invito, acqui- 338
rit quidem jus patronatus, ſed ego propria authoritate deſtruere poſſum vel occupare Eccleſiam; ſi necdum ſit conſecrata; ſi autem ſit conſecrata, tenetur ipſe mihi ſolvere pretium fundi Pirh. Leur. *q.* 41.

§. 10. Per augmentum dotis non acquiritur jus patronatus, 339
cùm per hoc ſit tantùm benefactor; niſi dos prior periiſſet aut facta fuiſſet incongrua, & augens exprimeret ſe novam dotem facere, Lott. Leur. *q.* 44. *Dixi* autem *n.* 293. ſi aliqua Eccleſia dividatur in duas, Rectorem antiquæ, ſi de antiqua contulit ad dotem novæ, habere jus patronatus reſpectu novæ.

§. 11.

340 §.11. Juſpatronatus poteſt acquiri etiam per privilegium, ſi à Papa concedatur alicui ob merita in Rempub.Chriſtianam vel ob augmentum dotis, Az.Caſtrop.Lott.*q.*7.*nu.*20. Leur.*q.* 45.Non poteſt tamen hoc concedere Epiſcopus, quia non poteſt gravare beneficium, Garc.*c.*9.*n.*128.Corr.*c.*5.*n.*24. Leur.*q.* 46.Similiter jure antiquo poſſet juſpatronatus etiam à laico acquiri per præſcriptionem, contra Eccleſiam ſpatio 40.annorum cum titulo, vel tempore immemoriali ſine titulo, contra alium autem laicum ſpatio 10.inter præſentes, & inter abſentes 20.annorum, ſed jure novo *Trid.* videtur aliter loquendum, uti dicetur *n.*354.Quomodo autem præſcribatur libertas à jurepatronatus explicat Leur.*q.*120.*n.*6.

341 §.12. Juſpatronatus poteſt ab uno ad alterum tranſire. 1. Succeſſione per hæreditatem vel teſtamentum. 2.Donatione. 3.Permutatione. 4.Venditione, uti jam explicabitur.

342 §.13. Si fundator reſervarit ſibi juſpatronatus, tranſit ad ejus hæredes: ſi donarit Titio, tranſit ad hæredes Titii, etiam extraneos & etiam ad fœminas, Caſtrop.*p.*4.*n.*2.quod fit etiam ſine conſenſu Epiſcopi ſaltem ordinariè, de quo vide Leur.*q.*57. hinc ſi Titius inſtituat Monaſterium in hæredem ſuum, tranſit ad Monaſterium, Lott.*q.*11.*n.*26. Si tamen juſpatronatus eſſet conſtitutum in ſanguine, Monaſterium haberet tantùm ad vitam Religioſi, tumque rediret ad conſanguineos defuncti, Garz.Tamb.Pirh.Leur.*q.*56.Quòd ſi v.g.tres filii ſint hæredes, ſingulis competit æqualiter, Az.*p.*2.*l.*6.*c.*20.*q.*9. horum autem filii non competit in capita ſed in ſtirpes, Barb.*de poteſt. Epiſc. alleg.*72.*n.*70. Vide Leur.*q.*49.

343 §.14. Covar.Bald.Lott.*n.*37. negant jus patronatus tranſire ad fidei-commiſſarium vel uſufructuarium univerſalem, quia non ſunt hæredes; contradicunt Mol.Zoeſ.Corr.*n.*1. quia hæreditas ad illos tranſit; ſed meliùs diſtinguit Caſtrop. *num.*5. negans de jurepatronatus perſonali, quia adhæret perſonæ hæredis, affirmans de reali, quod adhæret rei hæreditariæ. Vide Leur.*q.*50.

344 §.15. Si creditori detur in pignus vel in depoſitum hereditas bonorum, juſpatronatus, etiam reale, manet apud debitorem, quia ad præſentandum requiritur poſſeſſio juriſpatronatus, creditor autem non acquirit poſſeſſionem pignoris vel depoſiti ſed nudam detentionem, Barb.*de jure Eccl.l.*3.*c.*12.*à n.*236.Caſtrop.*n.*14. Leur.*qu.*51. An tranſeat in conductorem, dictum eſt *l.*3.*p.*1.*n.*131. Communis autem ſententia habet cum Leur.*q.*54.quòd tranſeat ad emphyteutam & vaſſallum. Similiter tranſire ad ſequeſtrum bonorum, quibus annexum eſt, ſi ſequeſter ille ſit capax, docent Garz.*c.*6.*n.*1. Barb. *n.*233.quod dicunt Gutt.Lamb.Caſtrop.*p.*28.*n.*5.etiam de ſequeſtro dignitatis vel beneficii, quia ſequeſter adminiſtrat omnia nomine Judicis & Superioris, qui tum deberet præſentare; ſed alii reſtringunt ad ſolum ſequeſtrum de conſenſu partium conſtitutum. Vide Leur.*q.*53.Quòd ſi bona Titii addicantur fiſco, juſpatronatus reale tranſit ad fiſcum, perſonale autem ad filium vel hæredes Titii, Leur.*q.*55.

345 §.16. Si in jurepatronatus gentilitio fundator dixerit, *Hoc juſpatronatus reſervo mihi & meis deſcendentibus*, intelliguntur in recta linea procreati ab ipſis; ſi dixerit, *mihi meiſque agnatis*, intelliguntur poſiti in linea etiam tranſverſa; etiam fœminæ, ſalva ſemper prærogativa propinquioris gradus, Lott.*à n.*49. Leur. *q.*59. Illegitimi autem etiam veniunt nomine conſanguineorum; ſæpè tamen præſumi poteſt fundatorem voluiſſe legitimos præferri illegitimis, Lott.*nu.*150.Leur.*qu.*61.Vide dicta *num.*325.

346 §.17. Poteſt quis ſine conſenſu Epiſcopi donare juſpatronatus Eccleſiæ, Monaſterio, loco religioſo, Clerico nomine dignitatis ſuæ, non tamen laico aut Clerico tanquam perſonæ privatæ, ſed ad hoc requiritur conſenſus Epiſcopi, Az.Barb. Corr.*à n.*8.Caſtrop.*p.*4.*à nu.*16. Leur.*qu.*62. Poteſtque parens tale jus donare, cui filiorum volet, aut etiam extraneo, ſi illud habebat ex bonis liberis ſeu non ſpectantibus ad filiorum legitimam, Caſtr.*n.*8.Leur.*q.*64.Si autem donet extraneo, putant Gonz.Lott.Corr.*nu.*16. non cenſeri excluſiſſe ſeipſum aut hæredes ſuos, ſed hos retenturos cumulativè cum illo: attamen juſpatronatus ſemel unitum in una perſona, non poteſt dividi in plures, quia cenſeretur induci major ſervitus Eccleſiæ vel beneficio, Lott.Leur.*q.*65.

347 §.18. Juſpatronatus perſonale poteſt etiam propria authoritate permutari per ſe & ratione ſui cum alia re ſpirituali, quia excepta materia beneficiaria non prohibentur permutationes rerum ſpiritualium, ſecundùm dicta *l.*3.*p.*1.*n.*114. Juſpatronatus reale per accidens permutari poteſt cum re temporali, ſi res, cui adhæret, permutetur: tum enim acceſſoriè cum ea tranſit, Az.Caſtrop.*nu.*9. Corr.*nu.*7. Leur. *q.*66. & quomodo ſimiliter vendi poſſit cum re vendita, etiam diximus *l.*3.*p.*1.*nu.*128.nec ad hoc requiritur conſenſus Epiſcopi, Corr. *n.*20. Poſſetque etiam vendens Caſtrum reſervare ſibi juſpatronatus ſeparabiliter annexum, Lott.*q.*9.*n.*47.

348 §.19. Sive juſpatronatus ſit aliquid in ſe ſpirituale ſive tantùm annexum ſpirituali, tamen eſt materia ſimoniæ, nec ratione ſui vendi aut emi poteſt, ut dixi *l.*3.*p.*1.*à n.*127. Nec de illo jurepatronatus cognoſcere poteſt Judex laicus, *c. Quantò, de judiciis*, Lot.*n.*30.Corr.*c.*2.*n.*52.Leur.*qu.*26.eſt enim introductum per Eccleſiam & ex gratia, ideoque de illo vult cognoſcere ſola Eccleſia, quia reputatur ſemper tanquam gratia, Lott.Leur.*q.*28.

§.20. Juſpatronatus non poteſt competere infideli, quamvis Eccleſiam ædificaret aut emeret caſtrum, cui annexum eſt, Caſtrop.*n.*19.Similiter nec hæretico, Lott.*q.*14.*n.*18.Competere tamen poteſt infanti, pro quo præſentare poteſt tutor, Caſtrop. *nu.*21. Poteſtque pupillus ſeptennio major ipſemet præſentare, Garz.*c.*9.*à n.*186. expedit tamen fieri per tutorem: nec requiri conſenſum pupilli docent alii contra alios; addunt etiam non requiri conſenſum filii impuberis, ſi pro eo præſentet pater: ſi tamen præſentet curator vel pater puberis, requiritur hujus conſenſus, quamvis ſit minorennis, quia non ita ampliùs regunt perſonam, ſaltem quoad ſpiritualia jura, ſed tantùm adminiſtrant bona, Garz.*à num.*196. Caſtrop. *n.*22. qui excipit, niſi patronatus competeret filio ob bona adventitia, quorum uſumfructum habet pater. Vide Leur. *qu.*71. *&* 72. 349

§.21. Fœmina capax eſt juriſpatronarus; *c.ult.de conceſſ. præb.* Hinc ad eam tranſit, ſi ſit hæreditarium vel pro conſanguineis, Garz.*à n.*144.Quando competit uxori, ſi ſit perſonale aut reale ratione paraphernalium vel propriorum, non competit marito: ſi ſit reale ratione bonorum, quæ æſtimata & velut empta, ſint data in dotem, competit marito, Caſtrop.*à n.*27. Vide Leur.*q.*73. 350

§.22. Illegitimus tam ſpurius quàm naturalis capax eſt juriſpatronatus: item irregularis, cùm non ſit beneficium, nec requirat Clericatum, Az.Caſtrop.*nu.*24.Leur.*q.*74.Excommunicatus major non amittit illud; imò poteſt Epiſcopus conſentire, ut, ſi ſit toleratus, etiam acquirat, v.gr. ædificando Eccleſiam, ſed prohibetur illius uſus, donec abſolvatur, ſi tamen præſentet, poteſt Epiſcopus admittere, quamvis non teneatur, *Suar.Pirh.* Quòd ſi ſit vitandus, invalidè præſentat, ſaltem ſi ſit Eccleſiaſticus, Barb.*de jur.Eccl.l.*3.*c.*12.*n.*162. Putant que *Turr.& Hurt.* idem eſſe, quamvis eſſet laicus, quia debet conferre jus ad rem, ergo debet habere juriſdictionem aliquam, qua privatus eſt excommunicatus vitandus; ſed Covar. Villal.Cornejo, Dian.*p.*5.*t.*9.*R.*105. dicunt validè præſentare, quamvis admittere non debeat Epiſcopus, ne communicet cum illo: ſi tamen non ſit in culpabili mora petendæ abſolutionis, tempus ei non currit. Vide Leur.*q.*75. 351

§.23. Quamvis alicui reipſa non competat juſpatronatus, ſi tamen bona fide poſſideat, poteſt, etiam poſt motam litem circa petitorium, præſentare, Ab.Az.Caſtrop.*n.*25. Et poſtea quando apparet non habuiſſe jus, non poteſt annullari inſtitutio, Ab.Laym.Garz.*c.*5.*n.*4.*&* 45. Caſtrop.Corr.*l.*1.*c.*6.*n.*360. Pirh.*nu.*76.*&* 83.Leur.*q.*76. Si tamen defectus innoteſcat ante inſtitutionem, hæc fieri non debet, Caſtrop.*p.*28.*n.*2. dixerat tamen *p.*4.*n.*26.cum *Lop.* & aliis, ſi poſt præſentationem poſſeſſio fiat ſolummodò dubia, probabile eſſe, quòd inſtitutio fieri poſſit, eò quòd videatur prævalere bonum Eccleſiæ nolentis beneficia diu vacare. E contra ſi adſit mala fides, invalidè præſentat, *c.Conſultationibus* 19. *de Jurep.* Tenent autem dicta de poſſeſſore bonæ fidei, licèt nunquam ante præſentarit, quia ſufficit quaſi poſſeſſio defuncti anteceſſoris abſque nova apprehenſione ſeu exercitio, Garz.*n.*9.*&* 37.Corr.*c.*4.*n.*19. quamvis *n.*17.cum Luca *in ſumma Juriſp.n.*85. dicat hæredem non eſſe in poſſeſſione præſentandi, ſi ipſemet nunquam præſentarit, niſi juſpatronatus eſſet annexum officio, tum enim poſſeſſio tranſit in ſucceſſorem, Leur.*q.*58. 352

§.24. Quomodo contra Eccleſiam aut alium Patronum probari poſſit juſpatronatus aut poſſeſſio præſentandi tam Communitatum quàm Potentium & Privatorum, videri poteſt Trid.*ſeſſ.*25.*c.*9.*de Ref.*Barb.*de poteſt.Epiſc.alleg.*72.Caſtr.*d.*2.*p.* 3.Lott.*q.*7.*&ſeqq.*Leur.*q.*78. *&ſeqq.* Quomodo autem patronus non debeat ſe immiſcere in res temporales Eccleſiæ uſurpandas vel curandas, nec aliquid temporale exigere ab Eccleſia vel præſentatis, vide Leur.*q.*95.100.*&* 101. Quid verò poſſit circa inſtituendos vel deſtituendos Miniſtros Eccleſiæ, item circa electiones Prælatorum, explicat Leur.*q.*96.*&* 97. 353

§.25. Juſpatronatus contra Eccleſiam, quæ ſecundùm propriam inſtitutionem deberet eſſe libera, præſcribitur tempore immemoriali, ſi allegari poſſit titulus: putant quidem aliqui non eſſe opus, ut tanto tempore poſſidens alleget titulum, quia ipſa tanti temporis continuata poſſeſſio non tantùm inducit præſumptionem tituli vel accepti privilegii, ſed reipſa videtur jus tribuere, uti tenent Gl.Abb.Covar.Mol.*de juſt.d.*75.*n.* 8.Laym. *lib.*3.*t.*1.*c.*8.*n.*14. *&* 15. Haun. *de juſt.T.*2.*t.*5.*c.*2. *controv.*4.*nu.*319. & diximus *lib.*3.*par.*2.*num.*543. verùm quoad juſpatronatus, jus poſitivum Trid. *ſeſſ.*25.*cap.*9. videtur obſtare, ubi expreſsè ſtatuit, *Ut titulus juriſpatronatus ſit ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento & aliis jure requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis* 354

præ-

præſentationibus per antiquiſſimum curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundùm juris diſpoſitionem: in iis verò perſonis ſeu Communitatibus vel Univerſitatibus, in quibus id jus plerumque ex uſurpatione potiùs quæſitum præſumi ſolet, plenior & exactior probatio ad docendum titulum requiratur, nec immemorialis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quàm ſi præter reliqua ad eadem neceſſaria, præſentationes etiam continuatæ non minori ſaltem, quàm quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſint, authenticis ſcripturis probentur. Et propterea docent Caſtrop.*p.2.à n.*12.Lott.Leur. *q.*47.ſolam probationem immemorialem hic non ſufficere.

355 §.26. Conſenſus Patroni ex honeſtate tantùm requiritur ad alienationem dotis Eccleſiæ: & quamvis requiri debeat, tamen ſi renuat, poteſt ob magnum bonum Eccleſiæ eo invito fieri aliqua mutatio vel imminutio Beneficii: non poteſt tamen beneficiatus ob crimen privatus reſtitui Beneficio ſine nova præſentatione Patroni; nec Eccleſia patronata erigi in Collegiatam; nec Beneficium patronatum uniri cum amiſſione juris præſentandi. Vide Leur.*q.*108.

356 §.27. Epiſcopus invalidè inſtituit aliquem independenter à voluntate patroni, niſi hic reſciens cenſeatur velle cedere juri ſuo, Caſtrop.*p.9.n.*5.Barb.*de jure Eccl.l.3.c.12.num.163.*Lott. *q.*14.*à n.*62.Leur.*q.*109.& 181.Qualis autem requiratur Patronorum conſenſus, ſi plures præſentent, dictum eſt à *n.*311.& 364.dicetur, quid poſſit inſtituens, ſi plures æqualibus votis præſententur. Debet autem Patronis relinqui libertas præſentandi, quem volent, & qui ideo ipſis aut conſanguineis inferunt moleſtias, quia hunc vel illum non præſentarint, ipſo facto incurrunt excommunicationem, *cap.Sciant, de elect.in 6.* Laym.ad dictum *cap.*Leur.*q.*110.

357 §.28. Papa poſſet validè ſine cauſa, & cum cauſa licitè derogare juri patronatus, etiam laicali, ac Beneficia conferre, cui vellet, invitis Patronis, quia conceſſit liberè, non abdicando jus contraveniendi, Caſtrop.*p.*10.& 13.maximè cùm conceſſerit principaliter ob bonum Eccleſiæ:id tamen ordinariè non facit, ne deterreat à fundationibus, imò in reſignationibus & permutationibus vult adiici, *de conſenſu Patroni*; facit tamen tum, ſi Beneficium vacet in Curia, aut Patroni impediantur præſentare ob litem in Curia. Nuncius Apoſtolicus non poteſt derogare juri patronatus laicali,quod ex fundatione vel dotatione competit, ſed tantùm Eccleſiaſtico vel illi laicali, quod competit per præſcriptionem vel ex mero privilegio. Epiſcopus nec Eccleſiaſtico nec laicali derogare poteſt. Vide Leur.*q.*112.& 113. Quid autem requiratur, ut Papa cenſeatur velle derogare juri patronatus, explicat Leur.*quæſt.*119. Vide dicenda à *num.*469.

358 §.29. Jus patronatus ceſſat, 1. Per remiſſionem hujus juris. 2.Extincta familia, cui erat affixum. 3. Si Eccleſia penitus deſtruatur,ſine ſpe reædificationis. 4. Si patronus conſentiat, ut Beneficium uniatur Monaſterio. 5. Per ſententiam, in pœnam delicti. 6.Per præſcriptionem. 7.Si Patronus labatur in hæreſin. 8. Per occiſionem vel mutilationem Clerici Eccleſiæ patronatæ. 9. Per Simoniam in ceſſione ejus commiſſam. 10. Si patronus ſe ingerat in perceptionem fructuum aut uſurpet bona Beneficii. 11.Si ingratus ſit Eccleſiæ. 12. Per non uſum longi temporis. Vide Leur.*q.*120.

359 *Q.*54. *Quid addendum ſit circa inſtitutionem?* R.Seqq.

§. 1. Inſtitutio alia dicitur *collatoria* tituli, per quam datur jus in Beneficio, poteſtque fieri ab inferiore, quàm ſit Epiſcopus; alia *auctorizabilis*, quæ reſpondet Beneficio curato & fit ab Epiſcopo vel ejus Vicario, per quam ſimul datur juriſdictio fori pœnitentialis & authoritas exercendi curam animarum, Leur.*p.2.q.*7.Poteſt tamen etiam quandoque fieri, v.g.ab Abbate vel Monaſterio aliquo ex conceſſione Papæ vel Epiſcopi, Lott.*l.2.q.*12.*à n.*6.Leur.*q.*718.Item alia eſt *verbalis*, per quam voce vel ſcripto confertur jus Beneficii: alia *realis*, per quam fit inductio in poſſeſſionem: neque ad inſtitutionem opus eſt ſcriptura aut alia cæremonia, quamvis expediat ſcripto fieri, etiam interventu Notarii & duorum teſtium. Quod ſi duo ſint inſtituentes, debent ambo ſubſcribere. *Corr.* Si ei addatur v. g.impoſitio bireti, erit ſimul inveſtitura. Leur.*q.*186.

360 §.2. Nemo poteſt ſeipſum inſtituere, & de jure communi ſpectat ad Epiſcopum præſentatos inſtituere in omnibus Beneficiis ſuæ Diœceſis, *cap.Exfrequentibus, De Inſtit.*Nec opus eſt eſſe conſecratum, cùm non ſit actus Ordinis. Lott.*q.*2.*nu.* 9. Sede vacante ſpectat ad Capitulum, Corr.Si tamen ſint plures præſentati, poteſtas hic gratificandi videtur reſervata Epiſcopo ſucceſſori per cap. *cùm autem*, de Jurep.Lott. *n.*34. Poteſt etiam Vicarius Epiſcopi inſtituere, quia ratione officii generatim commiſſi poteſt expedire ea,quæ ſunt juſtitiæ & neceſſitatis, Az.Laym.cap.*cùm in generali*. De off.Vicar.n.9.Garc. *p.5.c.8.à n.*84. aſſerens idem, quamvis in concurſu plurium præſentatorum eſſet locus gratificationi; & idem eſt de Vicario Capituli, Sede vacante, Garc.*c.7.nu.*28. niſi Capitulum ſibi reſervarit.

361 §.3. Etiam aliis Eccleſiaſticis competere poteſt inſtitutio ex fundatione, donatione, privilegio, præſcriptione, conſuetudine, ſtatuto &c. Az.*p.1.l.*5.*c.*19. Corr.*l.*4.*c.*7.*num.*2. Lott. *q.*12.Barb.*de off.Epiſc.all.*72.*n.*176.Poteſtque etiam per fundationem vel ſtatutum reſervari Papæ, Corr.*n.*29.& *c.*3.*n.*21.*Nec obſtat*, quòd *Trid.ſeſſ.*14.*c.*12.*De Ref.*dicat, in caſu fundationis aut dotationis etiam à laico factæ: *Inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſervetur, nam* intelligitur, niſi Epiſcopus conſenſerit,unde tantùm vult *Trid.*non poſſe excludi Epiſcopum, ſi inſtitutionem velit, cùm ad eum de jure communi ſpectet; non negatur autem poſſe eum cedere juri ſuo, Luca ad *Trid.d.*11.*n.*27.Et ita exponi debent Barb.*de jure Eccl.l.*3. *c.*12.*n.*208.& Corr.*c.*3.*n.*27.quando dicunt nunc poſt *Trid.*id ampliùs fieri non poſſe, niſi Epiſcopus approbet fundationem aliter factam, ſi enim nolit ſibi reſervari jus inſtituendi, poteſt donare, relinquere aut veluti committere alteri perſonæ Eccleſiaſticæ, cap.*Cùm veniſſent h.t.*Ac merito debet talis fundatio admitti, tum quia non præjudicat Epiſcopo, cum liberè cedat, ſitque illi melius ſic poſſe cedere, ſi velit: tum etiam quia hoc favet fundatoribus, quia magis alliciuntur, ſi eorum libertati ſubſint ejuſmodi conditiones, etiam contrà jus commune, uti ſubeſſe dicemus *n.*808.

§.4.Ex commiſſione Prælatorum poſſunt inſtituere etiam 362
Abbatiſſæ aut Prioriſſæ, Silv. Az.Laym. Item merè laici, ſed tantùm ex privilegio Apoſtolico, Laym.Corr.*c.*7.*n.*28.Et cùm ſit jus ſpirituale, à laico de ſe poſſideri nequit, conſequenter nec præſcribi, Diana *p.*3.*t.*1.*R.*65.Si tamen eſſet poſſeſſio immemorialis, præſumi poſſet privilegium, ac valeret bona fide facta inſtitutio, quamvis reipſa ab initio non fuiſſet jus. Lamb. Corr.*c.*4.*nu.*11.V.Leur.*q.*109.& *ſeqq.*In praxi autem ſuadetur inſtituto à laico, ſaltem poſt elapſum tempus inſtituendi, ut petat collationem à Superiore Eccleſiaſtico, ne fiat intruſus, Leſs.in auct. v.*Beneficium*, caſ.6.An inſtitutus à pluribus poſſit proſequi inſtitutionem, quam voluerit, dicetur *n.*437.

§.5. Si eidem competat præſentatio, & inſtitutio, priùs 363
fieri deberet præſentatio, poſteà inſtitutio, niſi utraque conveniret ex diverſo jure, ut pluribus explicant Corr.*c.*7.*à n.*20. & Leur.*q.*184. Et qualecunque ſit Beneficium, debent inſtituendi prius ab Ordinariis examinari, an idonei ſint, cap. *Exfrequentibus h.t.Trid.ſeſſ.*7.*c.*13.*de Ref.* Garc.*p.*9.*c.*3.*nu.*5. Quòd maximè valet de Beneficio curato *Trid ſeſſ.*24.*c.*18. ſed circà ſimplicia non eſt ubique praxis. Vide dicenda *n.*385. Quoad curata autem etiam prærequiritur approbatio, Azor. ſupra, Laym.ad cap.*Cùm ſatis, de off.*Archid. Leur.*q.*185.

§.6. Inſtituens poteſt gratificari, quando duo ab eodem 364
præſentati ſunt æquè digni, cap. *cùm autem*, de Jurep. Idem dicunt Leſs.*l.*2.*c.*34.*n.*33. Caſtr.*t.*13.*d.*2.*p.*9.*n.*1. Corr.*l.*4.*c.*6. *n.*56. Lott.*l.*2.*q.*51.*n.*47.Si quis æquali numero ſuffragiorum ſit præſentatus à pluribus, ſed contradicit Pirh.de Jurep. *n.*100. niſi ſinguli juraſſent ſe non præſentaturos alium, quia neutra præſentatio videtur eſſe valida: cùm neutra ſit à majori numero Patronorum: in eo autem caſu licere Epiſcopo inſtituere tertium non præſentatum, docent Silv. Az.Vaſq.quorum ſententiam Leſſ. putat probabilem, ſed probabiliùs contradicunt alii cum Caſtr. *n.*4.& Pirh. docentes eſſe monendos; ut intrà terminum præfixum magis conſentiant in unum; ſi autem ſtent prioribus votis, poteſt Epiſcopus gratificari uni; imò poteſt inſtituere tertium, ſi neutrum ex præſentatis poſſit præeligere, abſque atroci ſcandalo facti, Lott.*q.*6.*n.*27.V. Leur.*q.*193.& 194.

§.7. Si præſentetur habens Beneficium incompatibile cum 365
eo, ad quod præſentatur, inſtitui non poteſt, niſi dimiſerit, aut à S. Sede ſit diſpenſatus, Corr.*n.*28.Leur.*q.*196.Intellige, ſi cogitaret cum primo retinere ſecundum: nam ſi intendat dimittere ob vacationem primi per obtentionem ſecundi, nil obſtat, cur inſtitui non poſſit.

§.8. Inſtitutionis executio ſuſpenditur, ſi proceſſum ſit & 366
appellatum judicialiter, Lott.Leur *q.*180. Eſt autem irrita, ſi fiat inſcio aut invito Patrono, ſecundùm dicta *n.*356.De cætero poteſt inſtitutio fieri extrà diœceſin vel territorium inſtituentis, cùm ſit actus voluntarius & extra judicialis, Garc..Gonz. Caſtrop.Leur.*q.*183. Et ideò etiam fieri poteſt diebus feſtivis, Lott. Leur.*p.*190.

§.9. Jus commune nullum præfixit tempus ad inſtituen- 367
dum, Abb. Corr. *c.*7.*n.*11. Lott.*q.*13.*nu.*59. Semeſtre videtur concedere Caſtrop.*p.*5. *n.*8. quamvis alii dicant ſtatim debere fieri, eſt enim debita, ſi conſtet, 1.de vacatione Beneficii. 2.de exiſtentia juriſpatronatus. 3.de habilitate præſentati. 4.de præſentatione facta in tempore. Debetque horum examen præmitti ac ſub pœna nullitatis publicari edictum, ubi id moris eſt, quo citentur omnes, quorum intereſt, aſſignato termino peremptorio, Corr.*c.*3. *à num.*28. Lott. *à n.*19. & 57. Garc.*p.*9.*c.*4. *à nu.* 1. Quòd ſi hæc nimiùm differantur, non ideo poteſt præſentatus ſe ingerere in Beneficium, uti *nu.* 368. dicetur, ſed debet conqueri apud Superiorem, qui poterit præfigere terminum, quem ſi ille monitus negligat, poterit hic inſtituere, Lott. à *n.*65.Corr.*nu.*12.V. Leur.*q.*177. Notant autem

autem Garc.& Caſtrop.*d.3.p.5.nu.*8. id non fieri vi devolutionis, ſed ut tollatur impedimentum. Addit Caſtrop.*p.*4.*n.*10. fieri non debere inſtitutionem durante tempore conceſſo ad præſentandum, tum quia laicus intereà poteſt variare, tum maximè quia poſſet alius intereà prætendere & probare jus præſentandi. V.Leur.*q.*189. Nec fieri debet ante elapſum terminum edicti, ubi conſuetudo eſt illud publicandi, idque ſub pœna nullitatis: quod ſi præmiſſo edicto fiatinſtitutio etiam per Patronum putatitium, ſuſtineri debet, Garc.Corr.Lott. Leur.*q.*192. Poteſt autem fieri inſtitutio etiam poſt obitum præſentatus, Vivian.Corr.Leur.*q.*190.

368 §.10. Si præſentatus ſe in adminiſtrationem ingerat ante inſtitutionem, docent Mareſch.Mant.Lott.A.Tamb.Cor.*c.*7. *n.*13.illum privari omni jure quæſito & incidere in pœnas ſtatutas cap.*Avaritiæ*, de Elect. in 6. Admittunt hoc Gemin. & Pirh.de præſentato ad dignitatem: ſed de omnibus negat Paſſ. quia lex loquitur de electo: pœnalia autem non ſunt extendenda. V.Leur.*qu.*430.*n.*6.

369 *Q.*55. *Quid circa collationem ſit addendum?* R.ſeqq.

§.1. Epiſcopus eſt inter collatores ordinarios primus, utpote cui de jure communi competit conferre omnia beneficia ſuæ diœceſis, Cap.*Omnes Baſilicæ*, Cap.*Nullus omninò*, 16.*qu.*7. Cap.*Conquerente* 16.*de off. Jud.ordin. cap.Ex frequentibus*, de Inſtit. Poteſtque hoc facere Epiſcopus ante ſuam inſtallationem vel inductionem in poſſeſſionem, ſi non ſit proviſus à Papa: non poteſt tamen alteri, quàm Vicario ſuo generali committere poteſtatem conferendi, Rebuff.Covarr.*p.*5.*c.*8.*nu.* 119. V.Leur.*p.*2.*q.*664.

370 §.2. Ordinarius collator hic vocatur, quiſquis jure proprio beneficium confert, ſive ſit Epiſcopus ſive non: ſive jus illud habeat à jure communi, ſive ex conſuetudine, præſcriptione vel privilegio, cap.*Ordinarii, de off.ordin.in* 6.Caſtrop.*t.*13.*d.* 2.*p.*27.*n.*1. *Luca de benef.d.*31.*n.*15.

371 §.3. Merè laici ſunt incapaces conferendi beneficia, cap. *Si quis deinceps*, cap. *Per laicos*, cap.*laicis*, cap.*laici*, 16.*q.* 7. ita ut nequidem per conſuetudinem immemorialem vel præſcriptionem obtinere poſſint; quia qui jus non poteſt poſſidere, etiam non poteſt præſcribere, Reg.3.juris in 6. laici autem jus illud ſpirituale poſſidere non poſſunt: poſſunt tamen laici, etiam fœminæ obtinere jus conferendi per privilegium Papæ, quod præſumetur in probatione temporis immemorialis, ſed tum non tam ipſi conferent, quàm Papa vel Epiſcopus ad eorum nominationem: non tamen ideo habent jus petendi remotionem à beneficio. V.Leur.*q.*726.

372 §.4. Excommunicatus non toleratus conferre non poteſt, cap.un. *Ne Sede vacante*, in 6.Caſtr.*n.*12. Lott.*l.*2.§.41.*nu.*15. & 22. Toleratus, quamvis ſit notorius, validè confert, *Extrav.* Martini V.Ad evitanda, Covarr.Suar.Sayr.Gom.Leur. *q.*728.contrà Garc.*c.*4.*n.*313. Putat tamen Luca *d.*23.*n.*22.quod cenſura ſuſpenſionis, quamvis ſit minor, tollat vel impediat jus conferendi.

373 §.5. Capax juris conferendi, ſi bona fide ſit in poſſeſſione, confert validè & licitè, quamvis fortè careat jure, cap. *Cùm Eccleſia ſutrina*, Cap. *Cùm olim*, *de cauſ.poſſ. & prop.* Garc.Caſtr.Lott.*qu.*45.*nu.*2. Quod tenet, etiamſi alius anteà fuiſſet in poſſeſſione, dummodò ipſe ultimò poſſideat, Lott. *qu.*34.*à nu.*26. Item ſi ſit in poſſeſſione rei, cui jus conferendi eſt annexum, licèt nunquam contulerit, Caſtrop.*p.*28.*nu.*1. Garc.*c.*5.*à nu.*9. Item ſi ſit hæres vel ſucceſſor in eo, propter quod anteceſſor poſſedit jus conferendi, Caſtrop.Garc.*n.*33. & 37. Et hæc tenent, etiamſi jam ſit contrà ipſum mota lis circa proprietatem. Si tamen ſit mota ſuper poſſeſſionem, expectandus eſt eventus litis, Garc. Caſtrop.Quod ſi conſtaret de proprietate ad alterum pertinente, poſſidens conferre non poſſet, Menoch.Dec.Gutt.Lamb.Covar.Garc.Caſtrop. *nu.*2. Si tamen collatio jam facta eſſet; antequam conſtaret, quamvis proviſus necdum cepiſſet poſſeſſionem, privari non poſſet, quia per collationem acquiſitum fuiſſet jus perpetuum in beneficio, Garc.Caſtrop.Lott.contrà Gabr. Vide Leur.*q.*729. *Dixi* capax juris conferendi, nam ſi jus reſiſtat, ut reſiſtit laico, non ſufficit talis quaſi poſſeſſio, ſed exigitur titulus; Lott.*q.*45. *n.*17.& 27.Leur.*q.*730.

374 §.6. Poſſeſſio conferendi acquiritur per unicum actum, quo quis tanquam Ordinarius ultimò contulit beneficium, Pariſ. Gutt.Zech.Covarr.Caſtrop. Lott. Nec obſtat, ſi Papa poſtremus contulerit; quia non interrupit, ſed tantùm fecit dormire poſſeſſionem, Garc.Leur.*q.*731. Ut tamen ita acquiratur poſſeſſio, debet in conferente eſſe bona fides, in adverſario ſcientia & patientia, in proviſo deductio ad effectum, ut nempe vi illius collationis acceperit poſſeſſionem beneficii & percipiat fructus, Covarr.Gutt. Roch. Rebuff.Lamb.Coraſ. Garc. Quod ſi jus reſiſtat, uti reſiſtit laico, non ſemper poteſt præſumi bona fides, niſi adſit titulus vel ratio probabilis, Garc. & alii plurimi. Si autem collatio vel obtentio beneficii ſit data cum clauſula præſervativa, *ſalvo jure cujuſcumque*, aut ſi proviſus manſit in beneficio per compoſitionem litis, conferens non acquiſivit uſum aut poſſeſſionem conferendi, Garc. V. Leur.*q.*732. Quomodo probetur jus conferendi, examinat *qu.*735. Quomodo autem collatori remaneat jus, licèt hoc beneficium applicetur dotationi alterius, explicat, *q.*736.

Quòd ſi plures habeant ſimultaneam collationem, divi- 375
dere poſſunt per turnos vel menſes, Leur.*qu.*697. *& ſeqq.* ubi etiam diſcutit, quomodò quis excludi aut ſtabiliri poſſit in ſimultanea collatione. Si autem ex pluribus, qui habent jus ſimultaneum, aliique fiant inhabiles aut impediantur, totum jus habent reliqui, etiamſi eſſet unicus de integro capitulo, Luca, Leur. *q.*724.

§.7. Si quis à Superiore conſtitutus per errorem commu- 376
nem reputetur eſſe verus Prælatus, ad cujus officium pertinet conferre, quamvis reipſa non ſit, quia v.g.ab initio fuit inhabilis, valet ejus collatio, & Eccleſia ſupplet ob utilitatem publicam, arg.*l.Barbarius ff.de off.* prætoris cap. *Infamis* 3.*q.*7. & AA.communiter cum Leur.*q.*725.Putant quidem Abb.Inn. Fil.& alii id tum tantùm verum eſſe, ſi quis ratione officii publici ſibi commiſſi ſit collator; ſed hanc limitationem improbant Sanch.Pontius, Caſtr.& alii, quia etiam homo privatus confert nomine Eccleſiæ & pro bono publico. V.Leur.*q.*725.

§.8. Nemo poteſt, nequidem per ſubſtitutum, ſibi ipſi 377
conferre beneficium, uti à pari dictum eſt de præſentatione à *n.*326. Hinc ſi Vicarius ab Epiſcopo habeat poteſtatem conferendi beneficia, non poteſt conferre Epiſcopo, Az. Rebuff. Garc.Caſtrop.Leur.*q.*693. Similiter ſubſtitutus à Vicario non poſſet conferre Epiſcopo aut Vicario, Caſtrop. Si tamen Epiſcopus Vicario commiſiſſet collationes cum poteſtate ſubſtituendi Pro-Vicarium his verbis: *Quem nos Pro-Vicarium, nunc prout ex tunc, cum eadem poteſtate ſubſtituimus*, hic Pro-Vicarius non poſſet quidem Epiſcopo, attamen poſſet Vicario conferre, Garc.Caſtrop.Leur.*q.*694.

§.9. Beneficium non poteſt provideri antequam vacet, 378
uti dicetur à *n.*461.Collatio autem ſpectans ad ordinarium collatorem debet fieri intrà ſex menſes à die vacationis cognitæ aut juris ad conferendum acquiſiti, cap. *Nulla eccleſiaſtica*, De conceſſ.præb.Leur.*q.*789. Si autem collatio Parochiæ ſit reſervata Papæ, vel competat alteri quàm Epiſcopo, examen & præſentatio magis idonei fieri debet intrà quatuor menſes, uti ſtatuit S.Pius V.apud Caſtrop.*d.*3.*p.* 5.*n.*5. De collatione beneficii reſignati in manus Ordinarii, dicetur *n.*1030.

§.10. Tempus non currit impedito, uti dictum eſt *n.*308. 379
Quòd ſi impedimentum intervenerit, v.gr. poſt tres menſes, à tempore ſublati impedimenti, indulgetur iterum ſemeſtre integrum; uti & à tempore, quo collatio non eſt acceptata, aut providendus moritur, Az.Lott.Leur.*q.*790. Quomodo autem aliquando valeat collatio, ſi fiat poſt elapſum tempus, dicetur *num.*568.

§.11. Collatio beneficii debet eſſe, 1.pura. 2.certa, 3. 380
facta in perpetuum. 4. ſine diminutione, 5. gratis. 6. liberè, uti jam declarabitur.

1. Debet eſſe *pura*, id eſt, non conditionata: ſi tamen fiat ſub conditione, quæ jure ineſt, v.g. *Si beneficium vacet, ſi ſit aptus &c.* non vitiat, quia hæ conditiones ſemper imbibuntur, ergo non obſunt, licèt exprimantur, Caſtrop. *p.*1.*n.*4. Non debent tamen aliter apponi, quàm inſint, unde non valet confero Parochiam, *Si intrà annum fias Sacerdos*, nam ſic ſuſpenditur collatio, debet autem abſolutè conferri, cum obligatione, ut intrà annum fiat Sacerdos, Garc.*p.*8.*c.*2. *num.*12. Quòd ſi addatur conditio de præſenti aut præterito non ſpectans ad fundationem beneficii, v.g.confero, *ſi es conſanguineus Titii, ſi ſtuduiſti Canonibus*, Caſtr.*n.*7.putat collationem eſſe invalidam, quia cùm conferens neſciat, an illa conditio exiſtat, videtur voluntas ejus & collatio ſuſpendi, Paſſ. & Garc.*n.*9. probabiliùs dicunt valere, ſi conditio reipſa exiſtat, quia voluntas reipſa eſt tunc abſoluta. V.Leur.*q.*769.

2. Debet eſſe *certa*; hinc collatio incerta, & non deter- 381
minata ad unam perſonam, eſt invalida, uti confero Petro vel Paulo; Petro & Paulo; *uni ex tuis filiis, &c.* quia unus tantùm poteſt habere jus plenum beneficii, Az. Laym.Caſtr. Leur. *qu.*772.

3. *In perpetuum*, nam ſolus Papa poteſt beneficium con- 382
ferre ad tempus, Cap. *Si gratioſè*, De reſcriptis in 6. Beneficia enim ſunt de ſe perpetua, uti dictum eſt *n.*215. & 222. V. Leur.*qu.*774.

4. *Abſque omni diminutione*, uti explicabitur à *n.*668. 383

5. *Gratis:* ideò enim dicitur conceſſio gratiæ: & ſi fiat pro pretio, præmio vel mercede, committitur ſimonia, cap. *Si quis objecerit*, cap.*Salvator* 1. *qu.*3. cap. *Quàm pio*, 1. *qu.*2. Et ſatis conſtat ex dictis *l.*3.*p.*1.*à n.*69.

6. *Liberè*: ſi enim ſit coacta, id eſt, extorta per vim vel 384
metum, eſt nulla; uti & tum, ſi ſit ſubreptitia & per fraudem obtenta. V.Garc.*p.*8.*c.*3.& Leur.*q.*775. An poſſit eſſe clandeſtinata, vel quomodo requiratur, ut etiam in foro externo probari poſſit. V.Leur.*q.*773.

§.12. Collatio beneficii ſimplicis ordinariè non præ- 385
qui-

quirit examen, ſi notum ſit petentem eſſe ſufficienter litteratũ, Gonz.Lamb.Felin.Caſtrop. V.Leur.*q.*778.& dicta *n.*363.

386 §.13. Si fundatio requirat, ut collatio fiat cum conſilio, hoc audiri debet, aliàs collatio eſt nulla, Cap.*Cùm in veteri*, De elect. Abb.Gonz.Lott. V.Leur. *qu.*779. ubi plures affert diſtinctiones, & limitationes; & inter alia notat aliquos putare, ſi dicatur, ut conferat *cum conſilio*, hoc non neceſſariò eſſe ſequendum, ſecus ſi dicatur, ut conferat *de* vel *ex conſilio* alterius; quamvis alii etiam hoc negent: admittit tamen Gonz.eſſe ſequendum, ſi dicatur, ut conferat *juxta* vel *ſecundùm conſilium* alterius.

387 §.14. Si fundatio prætereà requirat, ut collatio fiat cum conſenſu Titii, ſine hoc facta erit nulla; quòd ſi conſilium dederit, hoc ipſo conſenſit: & ſi conſenſit, etiam cenſetur conſilium dediſſe, Oldrad. Gonz. Et ſufficit regulariter loquendo, ſi conſenſus ſaltem ſequatur intrà tempus conferendi, Abb.Tiraq.Lamb.Pariſ.Gonz.V.Leur. *qu.*780. Si fundatio tantùm requirat interventum Titii, ſatis eſt eſſe ad hoc vocatum, corpore præſentem aſſiſtere, & intelligere, quid agatur, quamvis collationem improbet; & tum ſe habet res, uti quando Parochus debet intereſſe contractui Matrimonii, Maſc.Menoch.Gonz.V.Leur.*q.*781. Si autem fundatio requiſierit ſcientiam Titii, ſatis eſt, ſi collator prius illi notificet, quòd velit tali conferre, nec requiritur ejus conſilium, conſenſus aut præſentia, Bal.Felin.Gonz.Leur.*p.*782. Denique ſi dicatur fieri debere ad ſupplicationem Titii, hæc expectari debet, quamvis non neceſſariò ſit illi obſequendum, cùm ſupplicatio fiat ob gratiam obtinendam, Lacell. Marant. Gon.Leur.*q.*783.

388 §.15. Collatio facta ab inferiore, quàm ſit Papa, non requirit certam formam verborum vel ſcripturam: imò poteſt fieri nutu, dummodò exprimatur voluntas conferentis,Lamb. Silv.Corr.Lott.Leur. *qu.*785. Proviſio tamen Papalis requirit pro ſui forma ſignaturam Papæ, & pro ſui exequibilitate etiam reſcriptum, ſaltem de mandato Papæ. V.Leur.*q.*786.

389 §.16. Collatio non dicitur perfecta, nec beneficium abſolutè proviſum, niſi collatio ſit acceptata, Covarr.Gonz.Lot. *l.*3.*q.*1.*à n.*20. Revocari tamen non poteſt, quamvis acceptata non ſit, cap. *Si tibi abſenti, de præb.in* 6.Nec eſt paritas cum promiſſione, donatione vel aliis contractibus, ſecundùm dicta *l.*3.*p.*2. *à num.*767. Probatur autem acceptatio verbis, factis, ſignis aut aliis conjecturis de quibus Lott.à *n.*27. Quòd ſi nominatus ſemel renuntiarit, ſed pœnitentia ductus iterum acceptet, antequam collator mutet voluntatem valet acceptatio, Laym. Poteſtque acceptatio fieri etiam per procuratorem vel mandatarium, etiam laicum à te conſtitutum, quamdiù non revocaſti. V.Leur.*q.*794.*& ſeqq.*

An aliquis poſſit proſequi plures collationes ſibi factas, dicetur *num.*437.

390 *Q.*56. *Quid circa electionem ſit addendum?* R.ſeqq.

§.1. Electiones jure communi ſpectant ad Collegium ſeu Capitulum, in quo præficiendus eſt aliquis, Cap.*Congregatio* 16.*qu.*7. Et ſoli illi habent votum, qui ſunt capitulares ſeu emancipati, ideoque dicuntur vocales. Ad tale autem Capitulum primò conſtituendum requiruntur ſaltem tres, L. Neratius 85. *ff.* de verb.ſignif.& ad illud conſervandum duo; ad jura autem illius conſervanda ſufficit etiam unicus, hinc talis poterit eligere vel poſtulare, uti poterat totum Capitulum, L.*Sicut*, *ff.* Quod cujuſque univerſ. nomine, Laym. ad *cap.*1.*de elect.*aliique cum Leur.*p.*2.*q.*238.*& ſeqq.* Notant autem Nicol.*t.*1.*ſ.*6. & Luca de Canonicis *d.*26.*nu.*5.electiones Canonicorum aut etiam Decanorum in Capitulis, in rigore non eſſe electiones, ſed potiùs nominationes vel collationes, ideoque non eſſe invalidas, licèt non ſerventur omnes apices Juris pro electionibus ſtatuti.

391 §.2. Electio fieri non poteſt ſponſo necdum mortuo: Nec priùs valet tractatus definitivus de hoc vel illo eligendo, capit. Bonæ 35.*de elect.* ſed electio talis foret irritanda, Abb.Paſſ. *c.* 13.*à n.*9.Leur.*q.*324. Moritur autem ſponſus non tantùm naturaliter ſed etiam moraliter, nempè per translationem, ceſſionem, depoſitionem, cap. *Inter corporalia*, de transl. Epiſc. Paſſ.Leur.*q.*325. Licèt autem electio fieret ante ſepulturam defuncti, non ideo eſſet caſſanda. Gl. Abb. Barb.Tamb. Lavor. Mirand. Biax, Paſſ.Leur. *qu.*327. contrà Hoſt. Maj. Garc. Rodriq.

392 §.3. Electio fieri poteſt, 1.per ſcrutinium ſecretum(quem modum tenentur ſervare Regulares, Trid.*ſeſſ.*25.*c.*6.*de Regul.*) in quo tres aſſumuntur de Capitularibus, non ſurdi nec cæci, ſive electio fiat ad aurem ſive per ſchedas: nec opus addere Notarium & teſtes, quamvis fieri poſſit. V.Leur.*qu.*334. *& ſeqq.* ubi à *qu.*353. explicat, quomodo manifeſtatio voti fieri poſſit per ſortes, per calculos aut fabas: Item à *qu.*357. an votum poſſit eſſe disjunctivum, conditionatum, inutile, mutabile &c. Item à *q.*367. quid faciendum ſit poſt completum ſcrutinium, quomodo ſit aperiendum, quomodo facienda communis electio ac publicanda, 2. Per compromiſſum, ſi electores communi planè conſenſu aliis Clericis idoneis committant, ut eligant, quem judicaverint aptiorem. V.Leur.*qu.* 393. *& ſeqq.* 3.Per communem inſpirationem,nemine non cõſentiente in eandem perſonam. V.Leur.*q.*407.*& ſeqq.* Notandum tamen electionem tunc dici factam ſimpliciter per inſpirationem, ſi Deus per aliquod ſignum externum certò cognoſcatur eſſe illius author,ideoq;fiat non ſervata forma vel ordine: è contrà ſi tale ſignum externum deſit quamvis non ſervetur accuratè forma, & omnes etiam ſubitò conſpirent, Lott.dicit eſſe tantùm quaſi per inſpirationem. V.Leur.*q.*418.*n.*5.

§.4. Quamvis in præſentatione Patronorum ſufficiat majoritas votorum reſpectivè ad perſonas, ſecundùm dicta n.312. tamen in electione requiritur majoritas abſolutè ſeu reſpectivè ad totum Capitulum, ita ut ſi in Capitulo ſint duodecim, debeat validè electus habere plura, quàm ſex vota, *cap.Eccleſia veſtra*, 48.*cap.Cumana*, *cap.Ingeneſi h.t.*& cum Gl.Engel. *l.* 1.*t.*6.*n.*37. Sanig. *l.*1.*t.*6.*n.*9. aliique. Dicit quidem Zyp.apud Engel. conſuetudinem paſſim eſſe contrariam, fateturque Laym.*l.*4.*t.*2.*c.*12.*n.*6. etiam attendendam eſſe conſuetudinem, ſed quamdiu illa alicubi non probatur eſſe contraria, ſtandum eſt jure communi. 393

§.5. Ille cenſetur nominatus à majore parte, qui etiam dimidio tantùm voto excedit medietatem, v.g.ſi vocales ſint novem, qui nominatus eſt à quinque, Abb.Butr.Sigiſm.Paſſ. *c.* 19.*n.*18.ubi ait in ſuo Ordine Prædicatorum, in quo requiruntur duo vota ſupra medietatem, ſufficere, ſi à novem aliquis habeat ſex. Plura de ſuffragiis dicta ſunt à *n.*311. 394

§.6. Eligere poſſunt, qui habent ſolùm poſſeſſionem eligendi, cum bona fide, Cap.*cùm olim*, De cauſa poſſeſſ.& c. *Querelam h.t.* Item extranei, qui non ſunt de Capitulo, nimirum vel ex privilegio, quod etiam laicis competere poteſt, vel ex præſcriptione, & quidem cum titulo, tempore 40. annorum, intrà quod fuerit electio Superioris authoritate confirmata, ſine titulo autem tempore immemoriali, Leur.*q.*217.*n.*4. *& q.*244.*n.*2. Hæc tamen præſcriptio aut conſuetudo tantùm Clericis competere poteſt, cap. *Meſſana h.t.* Item eligere poſſunt Capitulares per extraneos compromiſſarios, cap. *Quia propter, h.t.* admittere tamen non poſſunt extraneum, nequidem Clericum, ad ſecum eligendum, Donat.Paſſ.& alii contrà Nav.Lez. & alios, qualiter ſi admitterent laicum, electio eſſet irrita, cap.*Quærelam*, cap. *Quiſquis*, cap. *Meſſana h.t.* ſi tamen Laici vel alii inhabiles ſint ignoranter aut ſine culpa Clericorum admiſſi, putant Inn.& Fagn. ac probabile eſſe dicit Pirh.quòd valet electio habilium, per cap.fin. de procurat. & quia utile per inutile non vitiatur, Reg.37. Juris in 6. ſed contradicunt alii cum Laym.in cap.*Meſſana h.t.* quia pœna illa invaliditatis lata eſt in odium laicorum ſe electioni immiſcentium. V.Leur. *qu.*243.*& ſeqq.* 395

§.7. Eligere non poſſunt carentes perfecto uſu rationis, quales ſunt pueri & amentes, Gl.Nav.Paſſ.*c.*10.*nu.*12. niſi hi ſint in lucido intervallo, Pirh.De Elect.*num.*26. in quo præſumitur facta electio, ſi quietè facta ſit, nec ſapiat ſtultitiam, Covarr.Jaſ.Bald.Menoch. *præſump.*45.*num.*66. Nec impuberes eligere poſſunt, cap. *Exeo, h.t.* in 6. quia non cenſentur habere prudentiam requiſitam, Barb.de Jure Eccl.*l.*1. *c.*19.*n.*84. Paſſ.*n.*10. Poſſunt tamen eligere cœci, uti & ſurdi, Paſſ. *num.*16. 396

§.8. In Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis prærequiritur Subdiaconatus per Clement.2. *Ut ii*, de ætate & qualit. Item per Trid.*ſ.*22.*c.*24 *de Ref.* ſatis autem eſt ſuſcipi poſt vacationem, ante actum electionis, Paſſ.*nu.*59. nec opus eſt eſſe ſuſceptum cum ætate prærequiſita, quia jura tantùm prærequirunt Ordinem Sacrum, Felin.Suar.Tamb.Sanch.Barb.Lugo *in Reſp.Mor.l.*5.*d.*19. Paſſ. *n.*60. Si tamen mala fide & ſubreptitiè eſſet ordinatus, excluderetur tanquam ſuſpenſus per Extrav. Pii II. *Cùm ex Sacrorum*, Paſſ.*nu.*61. Diſpenſatus autem ſuper ætate ad Canonicatum, non ideo eſt diſpenſatus ad votum pro electione, ſi in Sacris non ſit, Barb.Paſſ.*n.*63. hinc reſolvit Lugo ſuprà, ſi quis in defectu ætatis diſpenſetur ad Archidiaconatum cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, quamvis Archidiaconatui tali in debita ætate ſuſcepto annexum eſſet jus adeundi capitulum, etiam ante ſuſceptum ſubdiaconatum, non ideò erit diſpenſatus ad capitulum, quia diſpenſatio eſt odioſa, uti dictum eſt *l.*1.*n.*622.798. 839. nec debet extendi ad annexa ſeparabilia, quoties id, ſuper quo principaliter diſpenſatur, poteſt ſortiri effectum, licèt non ita plenè; aliud autem longè eſt habere Archidiaconatum ſine ætate, & habere vocem in capitulo ſine Ordine ſacro. V. Leur.*qu.*254. *& ſeqq.* 397

§.9. Votum datum extrà capitulum per litteras non valet; hinc ſi ad electionem requirantur vota unius Communitatis, debent electores in unum locum convenire, Fagund.Sylvius *p.*1.*v.Congregatio*. Ex legitima tamen cauſa abſens habet jus ſuffragii per procuratorem, cap.*ſi quis juſto*, *h.t.*in 6.Abb. Inn.Az.Barb.Tamb.Laym.Paſſ.*n.*35. Luca *de benef.d.*3.*à nu.*3. Pro præſentibus etiam habentur legitimè impediti in vicinia 398

loci electionis,& ad eos mitti debent ſcrutatores pro audiendo voto, Silv.Holt.Azor.Laym.Barb.Paſſ.*nu.*32. In illis tamen electionibus, in quibus obſervari debet cap. *Quia propter*, non poteſt dari ſuffragium per litteras, c.*Si quis juſto h.t.* in 6. nequidem conſentiente capitulo, Barb.Paſſ.*num.*35. Unde apud Regulares non poteſt conſtitui procurator, qui deſignatum à principali eligat, quia à Trid.*ſeſſ.*25.*c.*8. de Regul. jubentur ſecretò eligere, hic autem deberet publicari perſona à Principali deſignata, Tamb.Garc.V.Leur.*q.*261.*& ſeqq.*

399 §.10. Procurator debet habere conditiones requiſitas ad electorem, & eſſe de capitulo, Paſſ.*n.*35. poſſet tamen, ſed non tenetur capitulum admittere extraneum, Abb.Barb. nec aliquis de capitulo tenetur eſſe procurator, Gl.Paſſ.*nu.*43. Si tamen per conjurationem nemo vellet eſſe, poſſet ob injuriam reſcindi electio, Toloſ.*De elect.c.*6.*n.*9. Si ſit de capitulo,& generali mandato conſtitutus poteſt etiam mandantem eligere, habetque duo vota, quæ tamen dividere non poteſt, aliàs utrumque eſt irritum, c.*Si quis juſto*, *h.t.* in 6. Nec poteſt ſibi ſubdelegare alium, qui pro mandante eligat, quia committebatur induſtriæ ipſius, Pirh.*n.*150. Poteſt etiam eligere alia forma, quàm ſcrutinii, quia indefinitè conſtitutus, habet totum jus mandantis. Si habet ſpeciale mandatum de eligendo Titio, poteſt ſuo ſuffragio eligere alium, Barb.Toloſ.Pirh.Engel.*n.*10. poteſtque tum ſibi ſubdelegare alium, ſed non poteſt uti alia forma, quàm ſcrutinii, quia hæc ſola intelligitur ipſi demandata, Gl. Si mandans moriatur, mandatum procuræ ceſſat, Barb. Excipiunt aliqui apud Paſſ.*n.*42. niſi mors ignoretur. Poſſunt etiam ab eodem plures conſtitui procuratores, debetque admitti priùs petens; & in dubio, quis fuerit prior, quem plures capitulares deſignarint, aut his æqualiter diviſis, qui priore dato eſt conſtitutus, c.*Si quis juſto*, *h.t.* in 6. Paſſ.*num.*46. V.Leur.*q.* 266.*& ſeqq.*

400 §.11. Excommunicatus minor retinet jus ſuffragii, quia tantùm privatur participatione Sacramentorum, Zoeſ.*nu.*13. Paſſ.*nu.*86. Pirh.*nu.*28. Etiam retinet excommunicatus major, quamvis notorius, ſi non ſit vitandus, id eſt, non nominatim denuntiatus, nec notorius percuſſor Clerici, Zoeſ.*n.*10. Paſs. *n.*76. contrà Inn.Caſtel.Donat. extendit Abbas etiam ad vitandum alibi, ſi hoc ignoretur in loco electionis: poteſt tamen etiam toleratus repelli per proteſtationem, dummodò fiat ante electionem, Laym.Paſs. *à n.*71. & ſi poſtea conſtiterit electum prævaluiſſe vi hujus voti, electio irritari poterit, Suar. Paſs *n.* 79. ſed non toleratus, & notorius nullum retinet jus ſuffragii, niſi eſſent electores Papæ, uti ad vitandum ſchiſma ſtatuit Gregorius XV. Quòd ſi talis excommunicatus ſcienter admittatur ad coeligendum, electio cenſeri debet ipſo facto irrita, Nav. Suar.Barb.Paſser.*n.*65. contrà Laym.& Caſtrop.de Cenſ. *d.*2.*p.* 13.*nu.*13. dicentes eſſe tantùm irritandam: ſi tamen non potuerit expelli ſine gravi periculo vel ſcandalo, & electores proteſtati ſint coram teſtibus, nec attendant ejus votum, validè eligent, Inn.Abb.Barb.Paſs.*n.*68. Denique ſi non certò ſciatur eſſe vitandum, ſed tantùm per dubiam famam, aut ſi ab electoribus quidem certò ſciatur eſſe excommunicatus, attamen necdum ſit publicè denuntiatus, excludi non poteſt, quia cenſetur manere in poſſeſſione juris eligendi, Suar.Paſs.*à nu.* 70.V.Leur.*q.*269.*& ſeqq.*

401 §.12. Quæ dicta ſunt de excommunicato tolerato & non tolerato, valent de ſimiliter ſuſpenſo ab officio, Barb.Paſs. Pirh.Leur.*qu.*276. ſaltem ſi ſit ſuſpenſus etiam ab uſu juriſdictionis, de quo vide dicenda de Ordine, ad dub.2. Similiter loquendum de interdicto, nam denuntiatus perſonaliter invalidè eligit Az.Leſs.Laym.Garc.Barb.Paſs.Leur.*qu.*277. Irregularis ex delicto eligit validè, quia irregularitas tantùm impedit exercitium Ordinis, & non uſum juriſdictionis, eligere autem, quamvis quandoque prærequirat, tamen non eſt actus Ordinis, Suar.Fill.Bon.Nav.Paſs.Leur.*qu.*278. contrà Laym. Peyr.Tamb. Attamen infamis infamia juris & per ſententiam declaratus, eligit invalidè. Gl.Suar.Az.Sanch. Infamia facti tantùm, id eſt, orta ex eo, quòd homines malè loquentes ei cauſarint etiam publicam infamiam, non impedit jus eligendi, Suar. Paſs. Leur.*q.*279.

402 §.13. Poteſt quis per ſententiam privari voce activa: legitima tamen appellatio poſſet hic ſuſpendere effectum talis ſententiæ, Suar.Paſſ.uti nec tunc obeſſet valori, ſi reliqui eligentes eum admittant, qui toleratus eſt, id eſt, in quem in particulari non eſt actu lata ſententia privationis, Molin. Sanch.Diana, Paſſ.V.Leur.*q.*280.

403 §.14. Eligentes non ſervata forma ſunt pro iſta vice privandi poteſtate eligendi, c.*Quia propter*, *& cap. Quanquam*, *h. t.* in 6. Clerici admittentes laicum ad coeligendum incurrunt ſuſpenſionem ferendæ ſententiæ ab officiis & beneficiis per triennium, & ipſo facto privationem vocis activæ, cap. *Quiſquis*, *h.t.* Suar.Laym.Leur.*q.*282. Electus autem tali electioni conſentiens ſit etiam ineligibilis ad omnes, & ſolas dignitates, c. *Quiſquis*, *h.t.* idque ipſo facto, Abb.Inn.Suar.Fagn.Laym. Paſſ.*cap.*8.*n.*15. contrà Barb.Bonac. putantes hanc pœnam eſſe tantùm ferendæ ſententiæ: poteſt tamen Epiſcopus in hac ineligibilitate diſpenſare, Abb.Inn. contrà Fagn. quia quando Canon permittit diſpenſationem, ſi non exprimatur, quis debeat, poteſt diſpenſare Epiſcopus, Laym.Barb.Az.Butr.Bonac. Paſſ.*n.*26. Vide Leur. *q.*281.*& ſeqq.*

§.15. Eligentes ſcienter indignum, *quos* nempe *Dei timor* 404
à malo non revocat, privantur ipſo facto per iſta vice poteſtate eligendi, & ſuſpenduntur à beneficiis per triennium, c.*Cùm in cunctis*, *cap. Dudum*, *h.t.* Quod tenet de eligentibus etiam ad Prælaturas & Dignitates Epiſcopatu inferiores Abb. Pirh. pœna tamen ſuſpenſionis incurritur tantùm ab eligentibus Epiſcopum indignum, c.*Si compromiſſarius*, *h.t. in* 6. Si ad prælaturam etiam inferiorem electus ſciebatur inſuper ſimoniam commiſiſſe, eligens ſit præterea inhabilis ad dignitatem vel beneficium aliud in illa Eccleſia obtinendum, cap. Per *Inquiſitionem*, *h.t.* Abb.Pirh.Leur.*q.*284.285. Quòd ſi omnes ſcienter elegerint indignum, jus eligendi pro ea vice devolvitur ad Superiorem; ſi tantùm aliqui, remanet apud innocentes, qui tamen, ſi velint, poterunt iterum admittere nocentes, quia pœna illa lata eſt in favorem innocentium, ideoque remittere poſſunt; nec videtur incurri, niſi poſt apertum ſcrutinium fuerit publicata communis electio, tum enim priùs cenſetur eſſe perfecta, *cap.perpetuo*, 7.*h.t.in* 6. Abb.Laym.Pirh.Leur.*q.* 250. Vide etiam dicenda *n.*443. Et notandum præterea debere eligi digniorem, uti dicetur *à n.*579.

§.16. Eligi non poteſt excommunicatus, interdictus, ir- 405
regularis; & ſecundùm Caj.Sot.Panorm. & alios, qui eſt in peccato mortali, ſed Nav.Az.Caſtrop.*d.*2.*p.*11.§.2.*n.*3. meritò intelligitur tantùm de illo, qui eſt in peccato mortali publicè noto, qui tamen adhuc videtur validè eligi, quamvis peccari poſſit ratione ſcandali, ſi talis indignus præferretur aliis. An autem electio excommunicati minoris ſit irrita, videri poteſt Dicaſt.*de cenſ.d.*2.*dub.*6. ubi dicit eſſe tantùm irritandam.

§.17. Privatus ipſo jure voce paſſiva, aut redditus inha- 406
bilis, adhuc eligi poteſt, ſi necdum ſit privatus ſervata forma judicii poſt citationem, vel per ſententiam, quæ tranſierit in judicatum, (ſeu cujus effectus non ſit ſuſpenſus per appellationem) ſit declaratus reus criminis, cui privatio eſt annexa, Paſſ.*c.*25. *à num.*600. docentque AA.multi cum Leur.*qu.* 288. quando agitur de privatione vocis activæ aut paſſivæ aut de inhabilitate aut de alia ſimili pœna eccleſiaſtica, quamvis dicantur ipſo jure & ante ſententiam, etiam abſque declaratione incurri, tamen reum non teneri in conſcientia eam in ſe exequi ante ſententiam declaratoriam criminis. Vide dicta *l.*1. *n.*612.

§.18. Semel rejectus ab electione ob crimen vel infamiam, 407
manet ineligibilis, donec iſta purgentur; ſi autem habens confirmare rejecerit electionem nulla data cauſa, priùs præſumendum eſt fuiſſe vitium in electione, ideoque in electum non redundat inhabilitas, cap. *Super eo*, *h.t.* niſi fortè interveniſſet ſimonia. Vide Leur. *q.*289.*& ſeqq.*

§.19. De jure communi valet ad dignitates vel beneficia 408
non regularia electio illius, qui non eſt de Capitulo aut etiam Diœceſi, ſi fiat à majore parte, cap.*Cùm inter*, 21.*h.t.* Innoc. S.Thom. Abb. Felin. Butr. Barb. Laym. Garc. Paſſ. poteſt etiam Superior ad quem fit devolutio, conferre extraneo, cap. *Ad decorem*, De Inſtit. Gl. Abb. Caſtrop. ſi autem requiratur, ut eligendus ſit aliquo loco oriundus, ſatis eſt ejus patrem inde eſſe oriundum, uti dictum eſt n.323. Vide Leur.*q.*293.*& ſeqq.*

§.20. Invalida eſt electio ſui ipſius, cap. *Inſcripturis* 8. 409
*qu.*1.*cap.fin. De Inſtit.* Quod tenet, quamvis quis eſſet dignior, & juraſſet ſe electurum digniorem, Silv.Paſs. valentque hæc etiam in electione per compromiſſum: unus enim compromiſſarius non poteſt eligere ſeipſum, quamvis eligere poſſit alium compromiſſarium, & hic conſentire poſſit electioni ſui, eo modo, quo *à n.*326. dictum eſt de præſentatione. Vide Leur.*qu.*296.401.

§.21. Ut quis eligatur ad præfecturam regularem, non præ- 410
requiritur Clericatus, quia confertur tantùm poteſtas & dominativa & paterna, qualis convenit etiam fœminis, & olim competebat antiquis Monachis non Clericis, S.Thom. Suar.Paſs. prærequiritur tamen profeſſio, ut præfectura obtineatur in titulum, cap.*Cùm ad noſtram*, de electione; & quidem expreſſa prærequiritur, cap. Nullus, de Elect. in 6. & in eadem Religione, Clement.1. de Elect. quorum unum ſi deſit, irrita eſt electio, Trid.*ſeſſ.*25.*c.*1.*de Regul.* Valentque hæc etiam de Monialibus, c.*Indemnitatibus*, *de elect.in* 6. quæ ut Abbatiſſæ vel Prioriſſæ fieri poſſint, debent præterea fuiſſe profeſſæ per quinque annos, Trid.*c.*7. Abb.Suar.Tamb.Barb.Leur.*q.*297.*& ſeqq.*

§.22. Vocare ad electionem, communiter ſpectat ad Præ- 411
latum primæ Dignitatis, vel ad illum, qui ſenior eſt ſervitio aut profeſſione, Paſs. Debentque vocari omnes, qui debent, volunt, & commodè intereſſe poſſunt, cap.*Coram & cap. Quia propter h.t. cap.Cùm in Eccleſiis*, *de præb.& dignit.in* 6.

§.23. Illi dicuntur debere intereſſe, qui jus habent, aut 412
ſunt in poſſeſſione eligendi, cap. In Geneſi & cap. *Quærelam*

h.t.

h.t. non ideo tamen, qui jus habent, tenentur intereſſe, niſi exigat bonum commune, quia tunc poteſt cogi, ut muneri ſuo ſatisfiat, Abb.Tambur.Barb.Paſſ. cogi tamen nemo poteſt ad dandum votum certò inutile, Paſſ. quamvis teneatur quis electionem malam expreſsè reprobare, alioquin cenſetur conſentire, Rodriq.Paſſ.& niſi excuſet juſta cauſa, etiam ſub veniali tenetur dare ſuum votum, alioquin non ſatisfacit muneri, Paſſ.Vide Leur.*q.*300.*&ſeqq.*

413 §.24. Tunc aliquis non poteſt commodè intereſſe, ſi Eccleſia vel ob moram nimiam vel alia ex cauſa ideo pateretur grave damnum, de quo judicare debet Præſes electionis cum majore parte eligentium, Paſſ.Barb. Et quamvis cap. *Coram*, 35. *h.t.* dicatur vocandos eos, qui ſunt in Provincia, tamen ceſſante periculo gravis damni Eccleſiæ etiam vocandi ſunt omnes extrà Provinciam degentes, ſi intrà tempus electioni ſtatutum adeſſe poſſunt, Abb.Tamb.Paſſ.Quòd ſi quis renuntiarit voci ſuæ activæ, ſi renuntiationem etiam acceptatam revocet, adhuc vocandus & admittendus eſt, quia hoc eſt utile Eccleſiæ; attamen facta ſine illo ante revocationem valent, Abb.Silv.Paſſ.Vide Leur.*q.*305.*&ſeqq.*

414 §.25. Canonicus ingreſſus novitiatum Religionis debet ſecundùm multos vocari, quia ſaltem poteſt procuratorem conſtituere, ſecundùm alios non debet vocari, quia cenſetur longiſſimè abſens; ſi tamen acceſſerit, rejici non poterit, Suar.Az.Sanch.Caſtrop.Leur.*q.*308. Attamen attendenda eſt conſuetudo.

415 §.26. Inhabiles vocandi non ſunt, ſi actu privati ſint voce, ſi autem ſint tantùm privandi ob crimen, vel notorium, vel quod probari poſſit, vocari poſſunt, attamen vocari neceſſe non eſt, Abb.Hoſt.Barb.Paſſ.Leur. *qu.*309.

416 §.27. Vocati ad certam diem cenſentur vocati ad horam diei matutinam, qua fieri ſolet electio,Paſs.Leur.*qu.*310. Si tamen major pars manè conveniens vellet priùs poſt prandium eligere, expectari deberet, Paſs.Leur.*q.*330. Si autem quis termino electionis necdum inſtante ex juſta cauſa appellet à tali die præfinito, audiendus eſt, alioquin cenſebitur contemptus. Quòd ſi etiam major pars nihil proteſtata ſit, ſed via facti emanſerit, poteſt etiam unicus præſtituto tempore comparens validè eligere: è contra ſi comparuerint & pars major noluerit iſta die eligere,ſuſpendi debet electio, ſi adhuc duret tempus eligendi à jure ſtatutum; ſi autem jam expiraret, poteſt ſola pars minor eligere, Paſs.Leur.*q.*311.

417 §.28. Abſentes ſunt perſonaliter vocandi,ſi commodè fieri poſſit, Cap.*Cùm olim*, De dolo & contum. Si neſciatur, ubi ſint, citatio facienda eſt ad ædes, aut ſi ædes non habeat, in Eccleſia aut ad valvas Eccleſiæ, ubi habitare conſuevit, Cap. *Venerabilis* ibidem. Paſs.V.Leur.*q.*312.313.

418 §.29. Si quis vocandus, non ſit vocatus, habet jus ante confirmationem, aut ſi etiam de hac nihil ſciverit, etiam poſt confirmationem agendi de contemptu: ſi tamen diſſimulet caſsari non poteſt electio cæteroquin valida; ſi ſe opponat, caſsari debet, cap. *Quod ſicut*, *h.t. cap.fin. h.t. in* 6. Abb.Barb. Quòd ſi moriatur, poteſt ejus ſucceſsor ſimiliter ſe opponere. Bald.Lavor.Paſs.Nec præſumitur facta citatio, ſed probari debet ab electoribus, Paſs.Quod ſi caſsetur electio,non devolvitur ad Superiorem, ſed redit ad Capitulum, Paſs.V.Leur.*q.*314. *&ſeqq.*

419 §.30. Electio fieri debet in Eccleſia viduata, *cap. Quod ſicut*, *h.t.* Poteſtque fieri ſive in choro vel navi; ſive in Sacriſtia vel domo Capitulari, ſive in ambitu aliave parte honeſta. Ex cauſa tamen fieri poteſt extra Eccleſiam: & alibi facta ſine cauſa, ſecundùm Laym.& Pirh. contrà multos alios, venit irritanda: & ſi eſset electio Papæ, extra conclave foret irrita, *cap.Ubi periculum,h.t.*in 6.& Conſt.Greg.XV. *Æterni Patris*. V..Paſſ.c.12.*an.*1. Leur.*q.*320.*&ſeqq.*

420 §.31. Tempus pro eligendis Prælatis tam ſæcularibus, in Cathedrali, quàm Regularibus, de jure communi ſunt tres menſes, Cap. *Ne pro defectu*, *h.t.* Pro dignitatibus in Collegiatis vel pro aliis beneficiis, ſunt ſex menſes, Cap. *Nulla de conceſſ.præb.cap. Licet, de ſuppl.neglig.Prælat. Clem.*1. *tit.eod.* Et computandi ſunt menſes, prout occurrunt in Calendario, ac de momento ad momentum: hinc ſi 1. Januarii hora 6. obierit, durat tempus uſque ad horam 6. Julii, Menoch. Mandoſ.Boer.Garc.Sanch.Caſtrop.Paſſ. Leur. *qu.*328. Poteſt tamen hoc tempus reſtringi, ſi major pars eligentium velit, Abb.Paſſ.Leur.*q.*331.

421 §.32. Hoc tempus incipit currere à die acquiſitæ notitiæ vacationis, Cap. *Quia diverſitatem*, *de conceſ.præb. & Cap. licet*, *De ſuppl.negl.præl.* Quod Paſſ. & Paxiord. dicunt eſſe tempus, quo haberi potuit, & debuit talis notitia. Vide dicta *num.*308.

422 §.33. Tempus non currit habentibus, & probantibus ſuum impedimentum, etiamſi per culpam inciderint in impedimentum, dummodò non ſint in mora, cur per alium non tollatur. Cap. *Quia diverſitatem*, *De conc.præb.*Gl.Abb. Barb. Garc. Quamvis ipſi non teneantur ſemper urgere, ut impedimentum tollatur, Paſſ.V.Leur.*q.*329. & dicta *n.*308.

§.34. Si ex negligentia non ſit facta electio intrà tempus, 423 proviſio devolvitur immediatè ad illum Superiorem, cujus erat confirmare; ſi etiam hic intrà tempus, ordinarium negligat, devolvitur ad alium immediatum, & tandem ad Papam, Cap. *Quanquam*, *h.t.* in 6.Rebuff.Laym.Pirh. Quòd ſi Superioris proviſio fuerit reprobata, aut ab eo proviſus noluerit conſentire, aut poſt conſenſum renuntiarit juri ſuo, poteſtas eligendi revolvitur ad ordinarios electores; habentque iterum novum tempus integrum, quia tantùm privantur pro una vice, Paſſ. Pirh. Si autem non fuerit negligentia in eligendo, ſed tantùm propter aliquem defectum fuerit rejecta electio, aut electus non conſenſerit, manet electoribus etiam novum tempus. Cap.*Si electio*, *h.t.* in 6.Pirh.V.Leur.*q.*332.

§.35. Electio non debet eſſe clandeſtina, Cap. *Quia pro-* 424 *pter*, *h.t.*Leur.*q.*773. Poteſt tamen ex cauſa rationabili fieri de nocte, Lavor.Rodriq.Mirand.Paſſ.dicentes, ſi de die abſolvi non potuerit, poſſe continuari in noctem, quamvis Pirh. dicat altero die reſumendam: ſi autem ſine cauſa fiat de nocte, Laym. Pirh.aliiq; communiter dicunt reſcindi poſſe tanquam non Canonicam, quamvis contradicat Paſſ.V.Leur.*q.*333.Poteſt autem fieri etiam die feſto,uti docent AA.cum Paſſer.*c.*12. *n.*45.quia eſt actus extrajudicialis: hinc poſt Cajet docent Bonac.ad 3.*præcept.p.*2.*n.*9.*&* Baſſ.v.*Feſtum.*2.*n.*14. etiam civibus licitum eſſe die feſto convenire & eligere ad officia.

§.36. Priùs poſt publicationem ſcrutinii, & communem 425 electionem, debet ſaltem intra octiduum, ſi commodè fieri poſſit, requiri conſenſus electi, Cap. *Cupientes*, *h.t.* in 6. Nec ipſe priùs conſentire poteſt, quia utrumque ſpectat ad formam cap. *Quia propter h.t.* Inn. Abb.Barb.Butr. Baſſ. Debet autem conſentire intrà menſem ab electione ſibi præſentata, alioquin amittit jus quæſitum, Gonz.Barb.Paſſ. V.Leur. *q.*382. *&ſeqq.*

*Q.*57. *Quid notandum ſit circa Confirmationem electionis?*

R. Seqq.

§.1. Si Capitulum habens jus eligendi & confirmandi, in- 426 ſtallet electum,hæc inſtallatio habet vim confirmationis,Oldr. Lott. Similiter quandoque ſola benedictio ab Epiſcopo data Abbati habet vim confirmationis, Laym.Leur.*p.*2.*q.*413.

§.2. Omnis electio inferioris, quàm ſit Papa, licèt facta 427 ſit per unanimia & quaſi per inſpirationem, indiget confirmatione, quia aliàs non habetur à Superiore Eccleſiaſtico authoritas & juriſdictio,Hoſt.Donat.Lott.Si tamen ſit facta ſimpliciter per inſpirationem, non videtur indigere confirmatione; quæ enim Spiritu Dei aguntur, humanis legibus non ſubſunt, Donat.Lot.Barb. De jure Eccl.*l.*1.*c.*9.*n.*7. quandonam autem cenſeatur facta per inſpirationem, dictum eſt *n* 392. Quòd ſi quis poſt nominationem ſuam ſtatim habeat jus in re & poteſtatem adminiſtrandi, eſt potius collatio quàm electio. Non valere autem conſuetudinem non confirmandi electum docent Abb.Joan.Andr.Laym.quamvis Pirh. dicat contrarium induci poſſe per conſuetudinem. V.Leur.*q.*416.*&* 417.

§.3. Si quis ſit canonicè electus, præſentatus, habilis, ita 428 ut manifeſtè non appareat electi indignitas, confirmari debet: neque poteſt electus rejici abſque læſione ſaltem charitatis, Lug.de Juſt.*d.*35.*n.*62.Imò confirmatio cenſetur actus juſtitiæ, ſive debitus, Laym.Paſſ.Lott.Luca. V..Leur.*q.*419. *&ſeqq.* Item *qu.*473. Quod tenet, licèt electio facta ſit in diſcordia, dummodò ſit à majori parte, Paſſ.Leur. *q.*467. Poteſt tamen negari confirmatio, ſi inde oriretur ſcandalum vel commune damnum, Paſſ.*c.*33.*n.*137. A quibus autem confirmandi ſint Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ &c.& an poteſtas confirmandi Sede vacante competat Capitulo, item ad quem ſpectet per jus devolutum aut orta lite, vel ſi facta ſit appellatio ab electione, videri poteſt Leur.*q.*459.*&ſeqq.*

§.4. Confirmandus non eſt,cujus electio facta eſt per abu- 429 ſum poteſtatis ſæcularis, Laym.Nec invitus, Cap. *Cùm inter Canonicos*, De elect. Nec qui à confirmatore prudenter creditur malè recturus, Clement.*Exivi,De verb.ſignif.* ſub finem. Nec indignus, qui ſi confirmetur, ſecundùm cap.*Nihil* 44.De Elect. dejiciendus eſt prælatura vel beneficio, & confirmans iſta vice privatur jure confirmandi, ſuſpenditur à perceptione fructuum ſui beneficii, & ſi fecerit per malitiam vel dolum, puniendus eſt graviori pœna arbitraria. V.Leur.*q.*468.*&ſeqq.* Quid autem facere debeat confirmator, ſi electus laboret infamia facti, explicat ex Paſſ.Leur.*q.*475.

§.5. Cauſa confirmationis cognoſci debet, Cap. *Nihil*, 430 *de elect.* & facta ſine cognitione cauſæ eſt irrita poſt declarationem, cap. fin. de elect. in 6. Abb.Tamb.Donat.Lavor.Paſs. Quod tenet etiam quoad Regulares, Paſſ. & cap.fin.ſermo eſt etiam de confirmatione in beneficiis ſimplicibus; Paſſ. Vide Leur.*q.*476.*&ſeqq.* ubi à quæſtione 479. explicat, quæ pœnæ incurrantur, ſi confirmator negligat inquiſitionem; item in qualia circa electum inquirere debeat: an inquirere debeat, etiamſi nihil obmoveatur, & electus ſit notoriè dignus: an inquiſitio ſit facienda judicialiter; quomodo caſ-

fanda ſit electio; an detur appellatio vel exceptio contrà confirmationem aut ſententiam caſſationis; an confirmatione annullata perimatur quoque electio &c.

431 §.6. Electio jure humano nulla, fit valida per confirmationem illius, qui poteſt & vult ſupplere defectus; ad hoc tamen neceſſe eſt, ut confirmans procedat ex certa ſcientia de defectibus, quos ſanat, Laym. Donat Paſs. Lott. V. Leur. *q.* 423.

432 §.7. Electus non habet ante confirmationem jus in re, Nav. Az. Garc. Rebuff. Tamb. Paſs. Leur. *q.* 424. Nec poteſtatem adminiſtrandi, Laym. Pirh. Leur. *qu.* 425. & eſt expreſsè vetitum electis, ne ante confirmationem ſe ullatenus ingerant in adminiſtrationem, Cap. *Noſti*. Cap. *Qualiter*, De Elect. Az. Tamb. Lott. Leur. *q.* 426. & nequidem deputari poteſt, ut adminiſtret velut Oeconomus vel procurator aliove ſimili titulo, Cap. *Avaritiæ*, de Elect. in 6. Paſs. Lott. Pirh. Adminiſtrare tamen poteſt, 1. Si exigat neceſſitas, & abſit, qui confirmare poteſt, Lott. 2. Si alicubi ſit conſuetudo adminiſtrandi, necdum accepta confirmatione, Paſs. & alii contrà Abb. & alios. 3. Abbatiſſa aut Prioriſſa electa per majora, non poteſt tamen alienare aliquid, nec admittere novitias, Laym. Pirh. 4. Epiſcopi aliique Prælati etiam inferiorum Eccleſiarum confirmandi à Papa, ſi extrà Italiam ſint in concordia electi, cap. *Nihil*, de elect. Leur. *q.* 803. Tunc autem dicitur electio in concordia, ſi facta ſit per majorem partem, ita ut minor juſtè non poſſit contradicere, Laym. Nullam tamen habent poteſtatem alienandi vel donandi, cap. *Nihil*, ibid. Hanc poteſtatem adminiſtrandi Abb. Laym. Pirh. contrà Gl. & Butr. concedunt etiam aliis Prælatis ab Epiſcopo vel alio confirmandis, ſi ob diſtantiam vel aliud impedimentum nimium differenda eſt confirmatio. V. Leur. *n.* 427. *& ſeqq.* Adminiſtrantes autem ex conceſſione cap. *Nihil*, hoc ipſo acquirunt quaſi poſſeſſionem, Gl. Laym. Pirh. Leur. *q.* 435. Quòd ſi electio rejiciatur tanquam irrita à principio ob defectum publicè notum, ceſſat poſſeſſio, imò geſta ab electo ſunt irrita, ſi autem electio ſolùm irrita eſt, aut ſi defectus non fiat publicè notus, geſta valent, Gl. Abb. Inn. Laym. Pirh. Leur. *q.* 433.

433 §.8. Quando opus eſt confirmatione Papæ ante adminiſtrationem prælaturæ, quamvis aliquis etiam per teſtes certus ſit confirmationem eſſe datam vel etiam ſcriptam, tamen miniſtrare nō poteſt, niſi litteris acceptis & exhibitis, Bonif. VIII. Extrav. *Injunctæ*, de elect. inter communes, Az. Pariſ. Paſs. alioquin irritum eſt, quidquid agit, nec quidquam percipere poteſt, & qui talem recipiunt, ſuſpenduntur à perceptione. Eædem pœnæ cadunt in illos, qui adminiſtrant necdum præſtito fidelitatis juramento vel non obtentis litteris traditionis pallii, Pirh. Excuſatur ab his pœnis, qui non commiſit temeritatem, & præſumptionem, & in quem nondum eſt lata ſententia horum declaratoria. V. Leur. *qu.* 438. & 439. & quoad Regulares *q.* 430.

434 §.9. Qui confirmantur ab alio quàm Papa, poſsunt validè & impunè adminiſtrare ante exhibitas litteras confirmationis, quamvis hoc negotium non ſit ordinatum, ſed adhuc ſubjectum turbationi, Abb. Felin. Oldr. Barb. Paſs. Lott. Leur. *q.* 441. valentque dicta, etiamſi nondum ceperit poſſeſſionem, Paſs. Garc. V. Leur. *q.* 442.

435 §.10. Pœna uſurpatæ adminiſtrationis ante confirmationem eſt, privatio juris quæſiti per electionem, Cap. *Qualiter*, de elect. putatque Laym. non requiri niſi declarationem, & executionem Judicis, ſed alii cum Paſs. Lott. Pirh. dicunt eſſe pœnam ferendæ tantùm ſententiæ: ſi autem quis ſe ingeſerit ex titulo Oeconomi vel alio, cum præſumptione ſeu temeritate, malitia & dolo, per cap. *Avaritiæ*, De elect. in 6. privatur ipſo facto ſuo jure, attamen poſt declaratam à Judice præſumptionem, malitiam & dolum, Tiraq. Pariſ. Tamb. Paſs. Lott. Porrò à dolo excuſat quævis cauſa, etiam de ſe injuſta & imprudens, Paſs. Lott. Quod ſi quis ſe ingeſerit poſt confirmationem ex errore juris irritam, multi cum Lott. dicunt adhuc incurri illam pœnam, ſed probabiliter negat Paſs. quia pœnæ non ſunt extendendæ ad diverſos caſus. V. Leur. *qu.* 435. Talem autem ſe ingerentem reddi inhabilem in illam Prælaturam, & ad alia etiam beneficia in quacunque Eccleſia, tenent Menoch. Az. & alii. V. Leur. *q.* 436.

436 §.11. Epiſcopus accepta confirmatione, poteſt, etiam ante conſecrationem ſaltem per alium omnia, quæ ſunt juriſdictionis, ſed non, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis. Nec obſtat Reg. 67. juris in 6. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit*, nam ſenſus eſt non poſſe, v. g. Suffraganeo ſuo dare poteſtatem ordinandi, hanc enim aliunde habet, attamen dare poteſt juriſdictionem, quam non habet Suffraganeus ſed ſolus Epiſcopus, Leur. *q.* 443. Archiepiſcopus tamen non poteſt ante acceptum pallium convocare Concilium provinciale aut viſitare Provinciam &c. Cap. *Quod ſicut*, De elect. Leur. *qu.* 444. Abbas confirmatus poteſt ante benedictionem exercere omnia, quæ ſunt juriſdictionis, Tambur. Lott. V. Leur. *q.* 445.

437 §.12. Electus debet intrà trimeſtre à die acceptatæ electionis petere confirmationem, niſi legitimè impediatur, Cap. *Quàm ſit*, De elect. in 6. Eſt tamen ſatis, ſi procurator, amicus, electores vel quivis alius petat pro ipſo, Paſſ. Et ſi per duas electiones ſit electus, non poteſt niſi ex vi unius peti confirmatio, ne hæc vagetur in incerto, cap. *Et quis*, de elect. Laym. Paſſ. Lott. Pirh. *Nec obſtat*, quòd quis poſſit proſequi plures collationes vel inſtitutiones, *nam* diſparitas eſt, quòd electus priùs quærat jus, & ſit petitor confirmationis, ideoque determinare debet, vi cujus electionis petat; habens autem collationem vel inſtitutionem habet jus in re, & quærit ſe in eo defendere, & *Nemo pluribus uti defenſionibus prohibetur*, Reg. 20. juris in 6. docent autem etiam Gl. Barb. Lott. Paſſ. Leur. *qu.* 188. præſentatum pluribus præſentationibus poſſe proſequi ſingulas, aut ab una electa regredi ad alteram, ſed contradicunt Lap. & Lamb. quia ſimiliter inſtitutio hic vagaretur in incerto, Plura circa petitionem confirmationis vide apud Leur. *q.* 446. & ſeqq.

438 §.13. Qui abſente impedimento non petit confirmationem intrà tempus, ipſo facto ſine alia declaratione cadit jure quæſito, Cap. *Quàm ſit*, de elect. in 6. Suar. Barb. Paſſ. Pirh. & tunc jus ac tempus eligendi redit ad electores, Cap. *Si electio*, ibidem, Paſſ. Pirh. niſi electio fuerit præſentata Papæ, cui tunc per applicationem manuum proviſio reſervatur, Lott. *l.* 3. *q.* 17. *nu.* 213. Poſſet autem confirmans ex cauſa cogere electum ad petendam priùs confirmationem, Gemin. Franc. Paſſ.

439 §.14. In Eccleſiis cathedralibus & regularibus, pro quibus confirmatio petitur à Papa, ſtatuitur Cap. *Cupientes*, de elect. in 6. ut electi poſt menſem à præſtito conſenſu veniant Romam intrà tempus reſpondens diſtantiæ loci, aut ſi impediti ſint, mittant procuratorem cum actis, debentque etiam nomine electorum venire duo, qui poſt 20. dies ab adventu ſe ſimul præſentent, referant de electione & confirmationem petant, nec diſcedant Roma, niſi confecto toto negotio. V. Leur. *qu.* 455.

440 §.15. In jure non eſt ſtatutum tempus, intrà quod dari debeat confirmatio; ſi tamen tardes, poteſt Superior illius, qui habet jus confirmandi, præfigere terminum, ſed non ultrà ſex menſes, intrà quos, ſi non confirmet, ipſe faciat, Barb. Paſſ. Leur. *q.* 456.

441 §.16. Confirmatio fieri poteſt omni loco honeſto; facta tamen in aula Principis ſæcularis poſſet irritari, Cap. *Qua fronte*, De appell. & arg. Cap. *Quanquam*, de elect. in 6. Paſſ. Pirh. Leur. *q.* 457. Quòd ſi fiat poſt litem in judicio contradictorio, aut opponentibus ſolemniter citatis, fieri non poteſt extra territorium proprium, quia in alieno exerceri non poteſt juriſdictio contentiosè, Paſſ. V. Garc. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 141. & Leur. *q.* 458.

442 *Q.* 58. *Quid circa poſtulationem ejuſque admiſſionem ſit addendum?* R. De poſtulationis diviſione, fine, effectu, & formis in illa obſervandis, videri poteſt Leur. *p.* 2. *q.* 201. & ſeqq. quibus adde ſeqq.

§.1. Poſtulatio facta in diſcordia, id eſt, in qua aliqui poſtulant hunc, alii alium, ſi non concurrat cum electione, requirit majorem partem Capituli, uti ex cap. 1. De his, quæ fiunt à maj. part. Capit. & ex cap. *Bonæ* 23. *h.t.* colligunt Az. Laym. Barb. De jure Eccl. *l.* 1. *c.* 19. *nu.* 12. Si concurrat cum electione, ut huic prævaleat, requirit duplo majorem numerum votorum, ſive duas partes Capituli. Abb. Silv. Laym. Barb. Fagn. Paſſ. Lott. *l.* 3. *qu.* 17. *nu.* 241. probatque ſtylus Curiæ antiquus & recens: hinc Cap. *Scriptum*. De elect. ſignificatur, ubi ſunt 47. eligentes, ſi non fuerint 32. poſtulantes, ſed 17. eligentes, confirmandam eſſe electionem, & Authores, qui fortè innuunt poſtulationem per majora factam eſſe præferendam, intelligi debent, ſi poſtulatio cum poſtulatione concurrat, quamvis, & tum poſſit utraque rejici, cùm admiſſio poſtulationis non ſit debita, uti dicetur n. 448. Notat tamen Laym. & Pirh. ſi major pars poſtularit, & minor pars, attamen major, quàm ſit pars tertia, elegerit, Superiorem poſſe admittere poſtulationem, quamvis & electionem confirmare poſſit, aut etiam utramque rejicere; quod maximè valet, ſi duæ partes ignoranter poſtularint indignum: tum enim rejicitur poſtulatio & electio, ſi autem ſcienter fecerint, confirmatur potiùs electio, Paſs. de elect. *c.* 24. *n.* 57. V. Leur. *qu.* 209. 210.

443 §.2. Quamvis poſtulatio ſit unanimiter facta, ſi necdum ſit præſentata Superiori, poſſunt poſtulantes reſilire & procedere ad aliam poſtulationem vel electionem, Abb. Sylv. Az. Barb. Lott. Quod tenet, etiamſi eſſet publicata Laym. Pirh. & admiſſa à poſtulato. Paſſ. Engel. imò licèt poſtulantes promiſiſſent non revocare, Bald. Paſs. ſic tamen variantes ſine cauſa poſſent peccare cauſando infamiam poſtulato; & ſi conſenſerint in expenſas ab hoc faciendas, tenentur refundere, Paſſ. Engel. contrà Abb. Silv. E contrà ſi poſtulationem præſentarint Superiori, debent hujus judicium expectare, Cap. *Bonæ* 4. *h.t.* Vide Leur. *q.* 212. 213.

444 §.3. Omnes, qui poſſunt eligere, poſſunt poſtulare, cùm poſtulatio ſit acceſſoria, & fiat loco electionis. Silv. Bar. Paſs. Ideoque etiam præſcribi poteſt jus poſtulandi, uti & eligendi, ſecundùm dicta *n.* 395. Poſtulari poſſunt ſolùm illi,

illi, qui ob impedimentum canonicum diſpenſabile eligi non poſſunt, quamvis fortè rarò ſoleat diſpenſari, Paſſ.Engel.*l.*1. *tit.*5.*n.*10. In dubio,an quis ſit eligibilis an poſtulabilis,ſecurius eſt poſtulari, Paſſ.*n.*25.

445 §.4. Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi poſſunt tantùm poſtulari ad aliam Eccleſiam, *Cap.ult.h.t.* Quod tenet de Epiſcopo confirmato, quamvis nondum conſecrato, Abb. Laym.Paſſ.Pirh.*l.*1.*t.*5.*nu.*9. attamen non tenet de electo necdum confirmato ; neque de illo, qui Epiſcopatum dimiſit, quia necdum eſt, aut deſiit eſſe in Matrimonio cum Eccleſia, Cap. *Cùm inter*, de Elect. Cardinalem eſſe eligibilem ad Epiſcopatum docent *Abb.Laym.Paſſ.Pirh.& alii*, contrà Imol. Hoſt.Silv.Butr.Az.Barb.*n.*9. quia hoc nullibi negatur,quamvis admittere non poſſit ſine licentia Papæ. Similiter Abbates, Archidiaconi, Præpoſiti, Priores ſunt eligibiles ad dignitatem ſimilem vel majorem in alia Eccleſia, Laym.Pirh.Paſſ. à *nu.*38. Similiter Clerici unius Diœceſis ad Prælaturas alterius, Abb. Silv.Tabien.Paſſ.*n.*41. Similiter Religioſi profeſſi ad Prælaturas Epiſcopatu non inferiores attamen non ſine licentia Superioris, cap.*ſi Religioſus*, De Elect.in 6. Gl.Abb.Silv. Pirh. *nu.* 42. Mendicantes tamen nequidem poſtulari poſſunt ad Eccleſias inferiores vel alia Monaſteria extrà ſuos Ordines, Extrav. de poſtulatione, inter communes. Poſſent tamen poſtulari apud Papam, Paſſ.*n.*44. Quòd ſi non eſſent profeſſi, poſtulari poſſent ad Prælaturam regularem, Paſſ.Lott.*n.*256. Eligi etiam poteſt aliquis, quamvis non ſit de hoc Capitulo vel Diœceſi, uti dictum eſt *n.*408. Denique ſi aliqui inſcienter elegerint tantùm poſtulabilem, cognito errore poſſunt poſtulare eundem. Laym. Vide Leur.*q.*221. *& ſeqq.*

446 §.5. Si ſcienter poſtuletur indignus, ſive habens defectum indiſpenſabilem, perditur pro ea vice ipſo facto jus poſtulandi & eligendi, *arg.cap.*1.*&* 2.*h.t.Cap.Scriptum*, *& cap. Cùm in cunctis*, De Elect.Abb.Barb.Az.Paſſ.*n.*17. electio enim & poſtulatio etiam quoad pœnas æquiparantur, cùm ſint ad eundem finem, Gl.Laym.Pirh.Prætereà poſtulantes indignum, ſaltem ad Eccleſiam Cathedralem, ſuſpenduntur per triennium à beneficiis in Eccleſia, pro qua poſtularunt, Extrav. un.h.t. inter communes: Qui tamen tali poſtulationi expreſsè contradixerunt, ſoli retinent jus, *c.*2 *h.t.& c.Cùm Vinionienſis*, De Elect. Quod verum eſt, etiamſi eſſet unicus, qui contradixiſſet, nam jus & nomen univerſitatis conſervatur in uno, uti dictum eſt n.390. Vide Leur.*qu.*217.*& ſeqq.* Item dicta n.404.

447 §.6. Poſtulatio publicanda eſt, non tantùm coram Capitulo, ſed etiam populo, uti vult Paſſ.*n.*22. contrà Silv. Tenentur autem poſtulantes intrà tres menſes ſuam poſtulationem præſentare, *Gl.* Laym.Pirh.*l.*1.*t.*6.*n.*307. aut ſi à Papa petenda ſit admiſſio, ſecundùm Cap.*Cupientes*. De Elect. in 6. debet Capitulum poſt menſem à non recuſata poſtulatione mittere Romam, eo modo, quo de electione dictum eſt à *num.*437. poſſuntque videri Pirh. à *n.*209.& Leur.*q.*455. Poſtulatus autem prohibetur ſui admiſſionem petere, Paſſ.*c.*33.*n.*43. debet tamen intrà menſem declarare, an diſſentiat ſui poſtulationi an non, Cap.*Quàm ſit*, De elect.in 6.non tenetur tamen poſitivè conſentire, Cap.*Cupientes*, *ibid.*quamvis, ſi non recuſet, poſſit conſentire ſub conditione admiſſionis à Superiore, *Paſſ.* Vide Leur.*q.*214.*& ſeqq.*

448 §.7. Poſtulatio dirigitur ad eum, cujus eſſet confirmare electionem, dummodò poſſit diſpenſare in impedimento, alioquin dirigitur ad diſpenſantem, ut tollat impedimentum; & dein ad confirmantem, niſi diſpenſans ſimul haberet poteſtatem confirmandi, Laym.Pirh.Leur.*q.*228. Non eſt tamen ex juſtitia obligatio, ut admittat poſtulationem, Hoſt.Tond. Laym.Paſſ.Pirh.*l.*1.*t.*5.*num.*15. contrà Abb.Jo.Andr.& Lott. quod colligitur ex Cap. *Poſtulationem*, & Cap.3. *Bonæ h.t.* ubi dicitur eſſe gratiam, ſi admittatur, etiamſi quis per unanimia poſtuletur, non enim eſt obligatio diſpenſandi, cùm nemo invitus de ſuo cogatur facere beneficium, Cap.4.*Precariæ*, 10.*q.*2. quamvis per accidens poſſit eſſe obligatio ex officio, charitate vel aliunde, Leur.*q.*229.

449 §.8. Si poſtulatus adminiſtret ante admiſſionem, poſtulatio eſt ipſo jure nulla, quia nequidem dat jus ad rem, Inn. Abb.Laym.Tond.Paſs.Lott.*n.*301.Pirh.*l.*1.*t.*6.*n.*302. Imò electores talem poſtulatum recipientes ſunt iſta vice privati poteſtate eligendi & poſtulandi, Leur.*q.*430.*n.*5.

450 *Q.*59. *Quid addendum ſit circa poſſeſſionem?* R. De poſſeſſione multa diximus *l.*3.*p.*2.*à n.*507. quæ videri debent: hic adde ſeqq.

§.1. Beneficium collatum & acceptatum dat plenum jus in re, ita ut ſi ſic proviſus moriatur ante poſſeſſionem captam, beneficium vacet per mortem, quia poſſeſſio non addit jus, ſed tantùm facit, ut jus ſit efficax & competat poteſtas adminiſtrandi ac percipiendi fructus, *Roſa* de Exec. lit. Apoſt.*p.*1.*c.*6. *n.*194. Vide Leur.*p.*2.*q.*442.*&* 800. Et quamvis ſecundùm dicta n.432. electus per concordiam ſæpe habeat poteſtatem adminiſtrandi etiam ante confirmationem, tamen is, cui beneficium eſt collatum, debet, antequam adminiſtret; præter collationem & inveſtituram, habere poſſeſſionem, Laym.Lott. Leur.*q.*801. niſi fortè inveſtitura fieret in loco beneficii, aut non eſſet liber acceſſus ad locum beneficii, Covarr. Laym. Caſtrop.*t.*13.*d.*2.*p.*32.*à n.*7.

§.2. Quando in Eccleſia vel altari, ubi eſt beneficium, 451 fit ejuſmodi apprehenſio poſſeſſoria, per eam ſufficienter apprehenduntur omnia ad beneficium pertinentia, Covar. Caſtrop.Cor.Leur.*q.*806. ſicque etiam capitur poſſeſſio beneficii uniti, Gonz.Lott.Leur.*q.*807. poteſt autem poſſeſſio apprehendi etiam per procuratorem ad hoc ſpecialiter deputatum, Pariſ. Caſtrop.Leur. *q.*810. Et quamvis inthronizatio, quæ tantùm eſt externa ſolemnitas, de ſe non tribuat poſſeſſionem, tamen Lott. putat per inſtallationem ſeu aſſignationem proprii ſtalli ſufficienter tradi poſſeſſionem; hoc tamen non eſt verum, v.g. de electo, ſi ducatur ad ſtallum vel ad domum beneficii, quia cùm poſſeſſio non poſſit capi ante confirmationem, talis cæremonia cenſeri non poteſt poſſeſſio. Vide Leur.*q.*802.

§.3. Poſt confirmationem, inſtitutionem aut collatio- 452 nem,& inveſtituram poteſt quis propria auctoritate capere poſſeſſionem, niſi alicubi eſſet praxis, ut per alium detur, Leur. *q.*798. aut niſi alius poſſideret beneficium, tum enim hic poſſidens eſſet per executorem vel judicem vocandus, Cap. *Licèt Epiſcopus*, de Præb.in 6.Pariſ.Menoch.Leur.*qu.*809. Et ſic qui obtinuit reſignationem in forma *dignum*, debet citato reſignante per executorem mitti in poſſeſſionem; poteſt tamen habens reſignationem in forma gratioſa propria authoritate poſſeſſionem capere, Pariſ.Garc.Luca. Vide Leur.*q.*799. De cætero nunc ordinariè ad Epiſcopum aut ejus Vicarium ſpectat mittere ſeu mandare proviſum mitti in poſſeſſionem.

§.4. Poſſeſſio in beneficiis Cathedralibus & Collegiatis 453 illarum Eccleſiarum debet tradi per Capitulum vel aliquem ab eo deputatum, ſi tamen id neglectum ſit, ſatis eſt aliquem poſteà admiſſum eſſe ad alios actus Capitulares, Lott.Luca V. Leur.*q.*808.

§.5. Si beneficium habeat ſuam Eccleſiam vel altare,debet 454 ibi capi poſſeſſio, Corr.*l.*4.*c.*7.*n.*44. fieri autem poteſt per tactum januæ templi, per oſculum altaris, vel in neceſſitate per ocularem inſpectionem cum atteſtatione Notarii, Corr.*n.*41. Quòd ſi neſciatur Eccleſia vel altare beneficii, ſatis eſt apprehendere prædium beneficii, Lott. Vide Leur.*q.*804.805.

§.6. Lite pendente non poteſt capi poſſeſſio beneficii, ſu- 455 per quo lis eſt apud Judicem introducta,ſi tamen tantùm extrajudicialiter ſit proceſsum, poteſt capi. Vide Leur.*q.*811.

§.7. Si quis, etiam poſt ſignatam à Papa ſupplicam, atta- 456 men ante expeditionem litterarum, ceperit poſſeſſionem beneficii, non facit fructus ſuos, ſed in conſcientia tenetur reſtituere, etiamſi nemo ſe opponat, eſtque talis poſſeſsor intruſus & perpetuò inhabilis, Conſtit.Julii III.Luca *de Benef.d.*56.*n.* 2.V.Leur.*qu.*812. id tamen tenet tantùm de proviſis per Papam & non per alios, Lott.Leur.*q.*442.*n.*5.

§.8. Quamvis ad acquirendam poſſeſſionem prærequira- 457 tur titulus, nec vitioſus ſit ingreſsus, ideoque non poſſit electus capere poſſeſſionem ante confirmationem, non præſentatus ante inſtitutionem, Laym.Pirh.Leur.*q.*434. tamen titulus non requiritur ad manutenendam poſſeſſionem, Pariſ. Lott. *l.*3.*q.*24. *à n.*6. Unde non expedit, ut poſſidens producat titulum, maximè ſi ſit imperfectus, quia præſumeretur non adeſſe meliorem, ſed ſatis ipſi eſt, quod poſſideat, & non conſtet de jure alterius, Pariſ.Lott. Excipe, niſi Superior inquirat, Abb.Felin.Pariſ.*l.*11.*q.*14.*nu.*35. quod Lott. extendit etiam ad Patronum, aut etiam in curatis, ad quemvis parochianum, quia horum omnium intereſt, ne quis ejuſmodi beneficia occupet ſine titulo ; non debent tamen injuſtè inquirere, quod præſumeretur, ſi facerent poſt pacificam poſſeſſionem triennalem ; nec debent inquirere tanquam adverſarii, ſed tantùm velut agentes ex officio ſuo, vel pro cautela, Pariſ.*n.*38.Lott. Vide Leur.*qu.*816. Eo ipſo tamen quòd quis poſſideat beneficium; præſumitur titulus, Pariſ.Rebuff.Maſcar. Gonz. Lott. & quamvis impetrans probet unum titulum eſſe invalidum, præſumitur alium valere, quia poteſt adfuiſſe aut ſuperveniſſe melior, Tond.Lott.Leur.*q.*823. Similiter ſi quis probet ſe hodie poſſidere, præſumitur continuaſſe poſſeſſionem, Gl. Abb. Pariſ.Leur.*qu.*824. Quid dicendum ſit, ſi duo eadem die ſint proviſi, nec ſciatur quis prius, & neuter poſſideat, dicetur *n.*488. Item an & quomodo per ſurrogationem continuari poſſit poſſeſſio anteceſſoris, dicetur *n.*537.*&* 546.

§.9. De jure communi nullum capiendæ poſſeſſionis tem- 458 pus ſtatuitur, Boer.Pariſ.Tond.Leur.*q.*818. exceptis beneficiis reſignatis, ſaltem extra Curiam, quorum poſſeſſio capi debet intrà tempus, quo fieri debet eorum publicatio, ſecundùm dicenda *n.*1071.

§.10. Quomodo debeat probari poſſeſſio beneficii, præ- 459 cipuè ut ſpoliatus reſtituatur, videri poteſt Leur.*qu.*819. amittitur autem poſſeſſio per ſpontaneam & puram reſignationem à Superiore acceptatam: quid autem dicendum ſit, ſi quis reſignarit in favorem tertii vel conditionatè, dicetur à *n.*957. Item

poſſeſſio amittitur per reſignationem factam in manibus non habentis authoritatem recipiendi, retinetur tamen proprietas, donec privetur, quia proprietas eſt quid ſpirituale; hinc de ea diſponit ſolus Superior: poſſeſſio autem nihil habet ſpiritualitatis. Abb.Inn.Nav.Menoch.Pariſ. V.Leur.*q.*821.

460 §.11. Poſſeſſio data ab illo, qui poteſt conferre, habet vim collationis, ſi hæc fortè antea fuit omiſſa vel irrita, Abb.Covar. Corr.Gonz.Lott.Leur.*q.*822.

*Q.*60. *An poſſit conferri, peti vel promitti Beneficium necdum vacans; aut ſaltem dari ejus expectativa?* R.

461 §.1. Beneficium necdum vacans conferri non poteſt, cùm enim titulus beneficii non poſſit dividi, ſed neceſſariò competat uni tantùm, & quidem habenti, Cap. *Cùm non ignores*, Cap. *Tuæ*, De præb. alius illum obtinere non poteſt, Laym. Caſtrop.Leur.*p.*2.*qu.*787.*n.*1. De præſentatione, vide dicta num. 302.

462 §.2. Epiſcopus non poteſt ſuo Vicario committere poteſtatem, vel conferendi certum beneficium antequam vacet, vel ſimul & conjunctim admittendi reſignationem, & conferendi idem beneficium reſignatum, vel conferendi primum beneficium vacaturum aut reſignandum alicui determinatæ perſonæ, quia talibus præbetur occaſio, vel captandi mortem alterius, vel per vias illicitas aperiendi ſibi viam ad beneficia nondum vacantia, Rebuff. Laym.Sbrot.Pirh.Leur. *q.*691.

463 §.3. Poteſt beneficium vivente adhuc beneficiato incorporari, v.g. Monaſterio, per hoc enim non fit proviſio beneficii in actu, ſed tantùm in habitu, Laym.Leur.*nu.*2. Poteſt etiam Epiſcopus ſuo Vicario, & non alteri dare generalem commiſſionem conferendi beneficia, non tamen conferendi unum certum vacaturum, Caſtrop. Leur.*p.*788.

464 §.4. Regula 21. Cancellariæ ſic habet, *Si quis ſupplicaverit de Beneficio quocunque tanquam per obitum alicujus licèt nunc viventis vacante provideri, & poſteà per obitum ejus vacet, proviſio, & quævis diſpoſitio etiam vigore alterius novæ ſupplicationis vel gratiæ dicto ſupplicanti per obitum hujuſmodi denuò faciendæ nullius ſint roboris vel momenti.* Item Regula 30. *Voluit & ordinavit, quòd omnes gratiæ, quas de quibuſvis Beneficiis Eccleſiaſticis cum cura vel ſine cura, ſæcularibus vel Regularibus per obitum quarumcunque perſonarum vacantibus in anteà fecerit, nullius roboris vel momenti ſint, niſi poſt obitum, & ante datam gratiarum hujuſmodi tantum tempus efluxerit, quod interim vacationes ipſæ de locis in quibus perſonæ prædictæ deceſſerint, ad notitiam S. D. N. veriſimiliter potuerint pervenire.*

465 §.5. Cùm L. *Donari*, 29.ff. De donationibus, & L.ult.Cod. De pactis, omnis pactio vel promiſſio circa hæreditatem viventis non conſentientis rejiciatur tanquam repugnans bonis moribus, multò magis circa beneficia; unde qualiſcunque promiſſio beneficii necdum vacantis alieni conferendi eſt prorſus irrita & prohibita, ut dictum eſt nu.302. Nihilominus adhuc uſum habent preces primariæ, uti dicetur à n.569. Item coadjutoriæ cum futura ſucceſſione, uti dicetur à n.718.

466 §.6. Per expectativam intelligitur mandatum Papæ ad Ordinarium, ut hunc vel illum Clericum provideat de primo beneficio vacante: In Germania autem uſus expectativæ ſublatus eſt per concordata; imò Trid. *ſeſſ.*24.*cap.*19. & *ſeſſ.*25.*cap.*7. *de reform.* generatim & ubique abrogat omnes expectativas, etiamſi accederet conſenſus Ordinarii, Barb. *de jure* Eccl. *l.*3. *c.*13.*num.*10.

467 §.7. Quamvis Papa, ſecundùm multos AA. adhuc poſſit abſolutè concedere expectativam, attamen non facit, Luca ad Trid. *d.*45.*n.*1. Vide Leur.*p.*2.*q.*628. & *ſeqq.* ubi etiam explicat, ad quæ beneficia ſe extendat expectativa, quænam ex pluribus concurrentibus ſit præferenda, quomodo poſſit renuntiari, permutari, extingui, perdi; & ſignanter notant Pariſ. Garc. Leur.*p.*3.*q.*298.*n.*4. ſi Papa mandet aliquem provideri de primo beneficio vacaturo, non intelligi vacaturum ex permutatione: imò nec intelligi beneficium curatum, nec dignitatem, nec Canonicatum Cathedralem docent Garc. *p.*1.*c.*6. *à nu.*49. Caſtrop.*t.*13.*d.*1.*p.*2.*n.*10. Gratia autem expectativæ expirat morte Papæ, re integra, & quando executores deputati non ſunt, Cap. *Si ſuper*, De off. delegati in 6. Cap. *Si cui*, De præb. in 6. Cabaſſ. *l.*2.*c.*3.*n.*20.

468 §.8. Si quis habens tenuem Præbendam, & credens pinguem brevi vacaturam, ſciat aliquem tertium obtinuiſſe à Papa indultum pro prima vacatura, ideòque ſuam reſignet, ut hæc conferatur illi tertio, & ipſe pinguem brevi vacaturam obtineat, hanc obtinere non poteſt, quia commiſit fraudem, ſed conferri debet expectanti Apoſtolico, uti habetur *c.*2. de Renunt. in 6.

469 *Q.*61. *Quid Papa abſolutè poſſit & ſoleat facere circa Beneficia?* R.

§.1. Juxta Cap. *Licèt*, 2. De præb. in 6. & Cap.1. *Si duobus*, Ut lite pendente, habet Papa jus plenum & abſolutum diſponendi de omnibus beneficiis, Laym. Caſtrop. *t.*13.*d.*2.*p.*13.*n.*2. nec ullus Catholicus id negat, inquit Lott. *l.*2.*q.*22.*n.*9 quia id imbibitur in erectione & admiſſione omnis beneficii. Neque hanc poteſtatem poteſt ei ullum Concilium adimere aut reſtringere. Az.Lott.*nu.*23. Nec Papa ipſe poteſt ſe poteſtate illa privare, cùm à Chriſto ſit in bonum Eccleſiæ alligata officio, Vide Leur.*p.*2.*qu.*512 & dicenda n 518.

§.2. Papa poteſt providere de beneficiis, 1. Jure concurſus, ſi quando vacat, præveniat Ordinarium collatorem, & alii conferat. 2. Jure devolutionis, ſi collatores aliquid negligant. 3. Jure præventionis, ſi antequam vacet, aſſignet alicui per expectativam. 4. Jure reſervationis pro certis caſibus. 5. Simplici via juris, ſi conferat illi, qui defert alium malè ingreſſum. Leur.*qu.*513. 470

§.3. Papa poteſt, ſi velit, concurrere cum quocunque, non attento jure etiam cujuſcunque Patroni ſecundum dicta n. 357. Si tamen aliquis juridicè probet, ſe priùs ab Ordinario poſſeſſionem habuiſſe, eſt manutenendus, Gonz. Luca, Caſtrop. *n.*4. Leſſ. *in auct. v. Beneficium, caſ.*4. Vide dicenda *n.*546. Quod ſi Papa præveniat in quatuor menſibus de jure concellis Ordinario, ſciens eſſe menſem Ordinarii, prævalet proviſio Papæ, quamvis, non exprimat ſe juri Ordinarii derogare, concedendo enim iſtam facultatem generalem non cenſetur ſibi eripuiſſe poteſtatem faciendi alicui gratiam ſpecialem: Si autè faciat in ſex menſibus alternativæ conceſſæ Ordinariis, Garc. Ricc. Barb. *& alii* dicunt adhuc prævalere proviſionem Papæ, quamvis expreſsè non deroget, ſed Felin. Gonz. Zerol. Caſtr. aliique dicunt Proviſionem Papæ cenſeri debere profectam ex errore, quo putaverit proviſionem ad ſe pertinere, quia ſpecialis gratia non debet cenſeri revocata, niſi expreſſe fiat mentio, Caſtrop. *p.*14. Luca *de Benef. d.*23.*n.*4. & *d.*18.*nu.*12. ſed Chok. ad Reg.8. Cancel. *in proœm.nu.*16. dicit non eſſe quidem abſolutè opus, ut expreſsè meminerit, attamen opus eſſe, ut ex ipſa ſupplica & gratia clarè pateat nullo alio, quàm præventionis titulo agere voluiſſe, uti ſi narretur beneficium vacare in menſe Ordinarii & Papa dicat ſe illud conferre. Vide Leur.*q.* 513. & *ſeqq* An autem Papa poſſit concurrendo vel præveniendo derogare Concordatis Germaniæ, dicetur à n.518. 471

§.4. Papa communiter non utitur jure concurſus vel præventionis, ne Epiſcopi conquerantur, & ratio datur Can. *Pervenit, cauſ.*11.*qu.*1. *Si qua unicuique Epiſcopo juriſdictio non ſervatur, quid aliud agitur, niſi ut per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri ille ordo debuit, confundatur?* hinc pluribus probat Gonz. ad *Reg.*8. *Cancel. in proœm. §.*4. ob multa incommoda non eſſe honeſtum, ut Papa id faciat, ideoque in dubio non præſumitur voluiſſe facere, Chok. ſupra: quod maximè valet, ſi de hac præveniendi intentione nullam faciat mentionem. Vide Leur. *q.*599. *n.*6. 472

§.5. Az. Garc. Luca, Pirh. Leur. q.212. & 521. putant Papam juxta Cap. *Quæ in Eccleſiarum*, De Conſtit. poſſe ex alta poteſtate cuivis, etiam ſine cauſa, adimere beneficium, ſed contradicunt alii cum Leſſ. De Juſt. *l.*2.*c.*34.*nu.*3. putantes Papam eſſe tantùm ſupremum Diſpenſatorem beneficiorum ad utilitatem Eccleſiæ, & non abſolutum dominum, ſicuti eſt tantùm ſupremus adminiſtrator bonorum Eccleſiæ, uti tenent Nav. & Dicaſt. *De juſt. l.*2.*t.*3.*nu.*342. imò quamvis permittatur cum Menoch. Burſ. Lott. *l.*2.*q.*22.*nu.*11. eſſe abſolutum dominum beneficiorum, tamen dicunt, ſi ſemel contulerit, acquiri jus etiam contra ipſum Papam, ita ut ſine cauſa illo privare non poſſit, uti ſi dominus rem ſuam donarit, donatarius ſic acquirit jus, ut ſine cauſa tolli non poſſit. 473

§.6. Probabilius eſt contra Suar. Vaſq. & alios apud Barb. De jure Eccl. *l.*1.*c.*1. Papam non tantùm peccare, ſi diſponat de Papatu, & conſtituat ſibi ſucceſſorem ſed etiam id non poſſe, quia reſpectu Eccleſiæ habet ſe ſicuti vir ad uxorem, vir autem non poteſt uxori ponere ſucceſſurum virum: deinde nec ante mortem poſſet illi ſucceſſuro conferre jus, alioquin darentur ſimul duo capita in Eccleſia, nec poſt mortem, quia tunc non eſt. 474

*Q.*62. *Quid addendum ſit circa jus alternativè conferendi per menſes?* Reſp. ſeqq. 475

§ 1. Præſcindendo à ſpecialibus Concordatis, de quibus dicetur à nu.502. Papa ut ad reſidentiam alliceret Epiſcopos, 4. menſibus nempe Martio, Junio, Septembri, Decembri, quorum proviſionem jure communi habebant Epiſcopi, adjecit per Reg.8. Cancellariæ duos, ita ut jam alternatim poſſint providere, Papa quidem in Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, Novembri, Epiſcopus autem in Februario, Aprili, Junio, Auguſto, Octobri, Decembri, & hæc gratia dicitur alternativa.

§. 2. Ad alternativam habendam ante omnia requiritur, ut Epiſcopus per literas patentes ſubſcriptas in diœceſi ſua, ſigillatas, miſſas ad Datariam, hanc alternativam acceptarit, & hoc ſit annotatum Romæ, tum enim cenſetur approbata, Caſtrop. *tom.*13.*d.*2.*p.*23. *§.*4.*num.*2. Luca De Benef. *d.*93.*n.*2. & 7. Et ex tempore annotationis illius habet Epiſcopus jus alternativæ, & ceſſant 4. menſes ordinarii: attamen licitè non utitur hoc jure ante notitiam annotationis, niſi provideat ſub conditione, quo tamen caſu proviſus non poterit 476

cape-

capere poſſeſſionem, niſi accepta notitia, Garc. Caſtrop. Corr. Leur. *p.2.q.577.578.* Quòd ſi idem Epiſcopus habeat duas Eccleſias, ſive divilas, ſive etiam æquè principaliter unitas, & acceptet alternativam ſub nomine unius, non ideò acceptat ſub nomine alterius, Gonz. Leur. Luca *q.579.* Si autem ſic ſcribatur & annotetur: Cajus Epiſcopus hujus & illius Eccleſiæ acceptavit alternativam, præſumi debet acceptaſſe pro utraque, Luca *n.20. & diſc.19.*

477 §.3. Ut competat alternativa, requiritur prætereà Epiſcopi reſidentia; neque hic juvat ulla cauſa etiam juſtiſſima abſentiæ, nequidem ſi extra diœceſim deſerviat Sedi Apoſtolicæ: Addunt cum communi Garc. Caſtrop. §.2. *n.2.* Leur. *q.572. n.2.* quamvis ex juſta cauſa abeſſet etiam ad duos dies tantùm, ſi tamen intereà vacet beneficium, eum non gaudere privilegio, licèt toto menſe adfuiſſet, ſed requiri reſidentiam actualem, quando incipit vacare Beneficium, & ita reſolvit Rota; hinc Gonz. ad Reg. 8. Gl. 43. *n.14. & 144. & ſeqq.* latè probat, momento, quo ceſſat reſidentia, etiam ceſſare jus alternativæ. Idem dicunt Garc. & alii cum Leur. quamvis abeſſet timore mortis vel violentia impeditus, contradicit tamen in hoc Gonzal. Quòd ſi abſit tribus menſibus à Trid. Seſſ. 23. *cap.1.* De Ref. conceſſis, Garc. *p.5.c.1. à nu.461 & Corr. l.3. cap.6. à nu.41.* dicunt ex declaratione S. Congreg. non gaudere alternativa pro iſtis menſibus. Et hanc quidem reſidentiam requiri animo conſtanter reſidendi & ſatisfaciendi ſuo muneri, non autem ex alia cauſa, neque affectatam pro illo tempore, docent Lott. & Luca, quamvis alii cum Gonz. Garc. Leur. *nu.7.* meritò tantùm requirant veram actualem reſidentiam præſcindendo ab intentione.

478 §.4. Hæc reſidentia debet eſſe in ipſa formaliter Diœceſi Epiſcopi, nec ſufficit eſſe in loco etiam viciniſſimo, quia conceſſio dicit, apud Eccleſiam, ſicuti nempe paſtor debet eſſe apud & inter oves, Barb. De off. Ep. *all.53. nu.4.* imò Garc. & Caſtrop. putant contra Gonz. & Corr. non ſufficere, ſi ſit in loco exempto intra diœceſin, niſi ibi eſſet ad exercendam juriſdictionem extraordinariam; admittunt tamen ſatis eſſe, ſi ſit in loco ſuæ juriſdictionis ordinariæ, quamvis extra terminos diœceſis ſuæ. Vide Leur. *n.8.*

479 §.5. Si Epiſcopus non reſideat initio, aut acceptet alternativam poſt initium menſis, toto menſe non fruitur privilegio quia menſis ſemel Apoſtolicus ſemper eſt talis, Barb. Luca *d. 19. n.5.* Lott. *l.2. q.40. à n.54.* contra Gonz. Garc. Caſtrop. *nu.6.* Si autem reſideat initio menſis, & non poſteà, hoc tempus ſequens eſt Apoſtolicum, Luca *n.9. & 18.* Validè tamen contulit pro tempore habili, quo reſedit. Vide Leur. *n.5. & 6.*

480 §.6. Alternativa conceditur ſolis Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis, non autem inferioribus Prælatis, nec Cathedrali Capitulo, Gonz. Garc. Caſtrop. Luca, Leur. *qu.* 570. Eſtque pro ſolis beneficiis liberæ conditionis ad eos pertinentis, quæ ſcilicet non conferuntur per præſentationem, electionem, ſimultaneam collationem, conſilium vel interventum alterius, Gonz. Garc. Caſtrop. Chok. Leur. *qu.*581. & ideò nu.333. dixi alternativam non habere locum in patronatu mixto, licèt ſolus Eccleſiaſticus per vicem ſuam præſentet: attamen habet locum in beneficiis, quæ conferri debent certæ familiæ vel certo generi hominum, verbi gratia Nobili, Gonz. Garc. Luca; Item in curatis & parochialibus, Leur. ſuprà, quamvis Papa in his diſſimulet, ſupponens omnia conferri per concurſum. Item alternativa extendit ſe ad illa, quæ ſpectant ad ſimultaneam collationem Epiſcopi & Capituli, poſtquam diviſerunt collationem per turnos vel menſes, uti explicat Leur. *q.782.*

481 §.7. Qui acceptavit alternativam, non amplius poteſt providere beneficia vacantia in Martio & Septembri, quia jam ſunt reſervata Papæ; neque in Epiſcopi poteſtate eſt alternativam acceptatam dimittere, Caſtrop. Leur. *qu.572. nu.4. & qu.* 580. *n.3. & 4.* Si tamen iſtis duobus menſibus non reſideat, putant aliqui tum poſſe providere, cùm careat gratia alternativæ, ſed adhuc oppoſitum tenent Caſtrop. & Luca. Imò quamvis Epiſcopi dicantur fixè retinere Junium & Decembrem, ideoq; putent Garz. Barb. Caſtrop. Pirh. Epiſcopos, etiamſi acceptaverint alternativam, retinere illos, quamvis non reſideant, tamen multis contradicunt Gonz. & Lott. *q.41. nu.38.* quia privilegium juris communis ad providendum in illis menſibus mutatum eſt in gratiam alternativæ, quæ illos duos menſes æqualiter cum aliis comprehendit ac reſervat, niſi reſideatur. Vide Leur. *q.567. & 568.*

482 §.8. Si Cajus ſit proviſus à Sede Apoſtolica, quia Epiſcopus negatur reſediſſe, & Titius ab Epiſcopo, qui dicitur reſediſſe, Titio incumbit probare, quòd Epiſcopus reſederit, quia vult gaudere privilegio reſidentiæ, ergo debet hanc probare; neque jus præſumit Epiſcopum ſemper verè ac perſonaliter reſidere, cùm ſæpè habeat cauſas abſentiæ, Garc. Gonz. Caſtrop. Luca, Leur. *q.574.*

483 §.9. Alternativa ceſſat, 1. Per mortem Papæ vel Epiſcopi, ita ut non tranſeat ad ſucceſſorem: 2. Si Epiſcopus tranſeat ad aliam diœceſin: 3. Si Epiſcopus declaretur ſe immiſiſſe in menſes Papales, aut impediviſſe proviſiones Papales: 4. Si Epiſcopus renunciet, & renunciatio ſit acceptata à Papa Caſtr. §.5. *n.3.* Notant autem Gonz. Garc. & alii, ſi Epiſcopus ex ignorantia probabili prorideat beneficia reſervata, non amittere alternativam, quia hæc pœna ſupponit gravem culpam. Vide Leur. *q.583. & ſeqq.*

§.10. Pro urbe Colonienſi ſic habent Concordata, ut 484
cùm Papa alternet, non Archiepiſcopus, ſed ſingula Capitula, quæ habent Februarium, Aprilem, Junium, Auguſtum, Octobrem, Decembrem; Papa verò ſex menſes ſuos tranſcripſit, partim Archi-Epiſcopo, partim Univerſitati, ita ut hi etiam alternent, & Archi-Epiſcopus habeat Januarium, Majum, & Septembrem, Univerſitas autem Martium, Julium & Novembrem, in quibus Canonicatus & Vicarias per mortem vacantes conferunt Rector Magnificus, quatuor Proviſores & quatuor Decani, & hæ Præbendæ dicuntur tertiæ gratiæ; deinde in ſingulis Capitulis eſt una certa Præbenda, quæ dicitur ſecundæ gratiæ, quam tale Capitulum ſemper confert in quocunque menſe vacet: prætereà in Cathedrali & aliis undecim Collegiatis eſt alia certa Præbenda, quæ dicitur primæ gratiæ, quæ in quocunque etiam menſe vacet, ſemper confertur ab Univerſitate, id eſt, à Rectore Magnifico, & quatuor Proviſoribus, omnes autem qui ab Univerſitate providentur Præbenda tertiæ vel primæ gratiæ, debent eſſe ſaltem Magiſtri in artibus, & poteſtas conferendi Præbendam tertiæ gratiæ debet confirmari à ſingulis Pontificibus, & quandoque confirmatur tantùm ad aliquot annos: poteſtas autem conferendi Præbendam ſecundæ vel primæ gratiæ eſt ſtabilis & perpetua. Quoad poteſtatem reſignandi Præbendam primæ gratiæ, obligationem docendi, aliaque, videri debet Indultum Innocentii XII. datum 29. Oct. 1698.

Q.63. Quid notandum ſit circa tempus, quo incipit men- 485
ſis Papæ vel Ordinarii? R. ſeqq.

§.1. Initium novæ diei de jure communi incipit à media nocte L. *More Romano*, ff. de feriis, L. *Conſuluit*. De off. deleg. Nav. Tiraq. Gonz. Barb. Garc. Caſtrop. *t.13. d.2. p.22. §.2. nu.1.* Tempus autem menſis ſumi debet ſecundùm Calendarium, & tempus horæ mediæ noctis attendi debet non præter propter, ſed, quantùm fieri poteſt, de momento ad momentum, civiliter & more Eccleſiaſtico, per deſignationem horologii, ſicuti dictum eſt *l.1. à n.582.*

§.2. Tum eſt, v.g. duodecima noctis in æſtimatione Ec- 486
cleſiæ, quando ſonat primus è quatuor quadrantibus, ante ſigna ipſiuſmet horæ, quia quando rotæ incipiunt volvi pro ſonando primo ictu, jam ſecundùm tempus adeſt hora, uti periti artifices fatentur, & docent Sanch. Barb. Garc. Caſtr. Schild. *de Conſc. t.6. c.4. §.1.* Gob. *in exp. t.4. n.274.* Nicol. *tom.1. d.12. §.3.* Leur. *p.1. qu.561. n.2.* ictus enim illi volunt manifeſtare horam præſentem. Putant quidem Breſſ. Leand. Dicaſt. Narbon. Paſq. Gob. Carden. *in 1. criſi d.26. num 73.* & alii apud Dianam *p.10. tr.13. R.45.* probabile eſſe, quòd hora duodecima necdum cenſeatur adeſſe moraliter & civiliter, niſi dum auditur duodecimus pulſus horæ, tum quia alioquin etiam cum primo motu totæ jam fuiſſet duodecima, quod videtur eſſe contra ſenſum communem, tum etiam quia horologium eſt veluti teſtis, qui aliquid loquitur, teſtis tamen non cenſetur loquendo dediſſe teſtimonium, donec propoſitionem ſuam integrè edixerit, prolatis etiam ultimis verbis, ergo licèt horologium per primum pulſum denotet aliquam horam eſſe completam, tamen non notat, quæ aut quota ſit illa, donec ultimus pulſus acceſſerit: ſed R. Cum primo motu rotæ adeſſe horam, ſed neſcimus adeſſe niſi ex pulſu. Ad alteram rationem eſt diſparitas, quia teſtis loquens poteſt per extrema verba modificare vel explicare totum priorem ſenſum, quem elocutus eſt, horologium autem eloquitur priùs per ultimum ſimul pulſum: attamen ab initio invariabiliter manifeſtabat totam illam horam præſentem: ſi tamen in horologio eſſet luſus campanarum, hic eſt ante horam.

§.3. Si unicum eſſet horologium, quod ordinariè aber- 487
rat, non eſt habenda ejus ratio, ſed ex aliis indiciis colligendum eſt medium noctis: horologia enim, quæ negligenter diriguntur, non habent vim opinionis probabilis, ſed ſunt veluti homines non digni fide, quia ſciuntur ſæpè mentiri, Caram. Gob. *n.275.* E contrà ſi ſint plura horologia ordinariè bene directa, aliqui putant ſtandum eſſe horologio parochiæ defuncti, alii illo, quo populus communiter dirigitur, alii dicunt, ſi plura ſint quàm duo, ſtandum pluribus numero & communiter certioribus, ut contingit in teſtibus: vide *Nicol.* §.4. ubi verò non eſt horologium vel non eſt auditum medium noctis, metiendum eſt, vel ex curſu ſiderum, vel ex judicio prudentum, Garc. Barb. Caſtrop. Ex galli autem cantu vix aliquid certi colligi poteſt, cùm mutet tempora, niſi per experientiam aliud ſciretur; poterit tamen firmare præſumptionem, maximè pro Ordinario, ſi adverſarius oppoſitum non probet, Gonz. Garc. Caſtrop. Leur. *q.561.*

488 §.4. In dubio invincibili, an beneficium vacaverit in Papæ vel Ordinarii menſæ, ut ſi beneficiatus inveniatur ultima nocte Decembris mortuus, ſtandum eſt pro Ordinario, quia de jure communi ſpectat ad hunc proviſio, Cap. *Ex frequentibus*. De Inſtit. & reſervatio non præſumitur, utpote odioſa, Garc. Corr. Gob. Nicol. Leur. *p.3.q.15*. Quòd ſi uterque proviſerit, & neſciatur, quis prior; nec alteruter proviſorum ſit in poſſeſſione, adhuc præfertur proviſus ab Ordinario, quia pro hoc præſumitur, Gonz. Caſtrop. Leur. *p.2.qu.562.nu.3*. dicuntque idem Garc. Barb. Caſtrop. Nicol. Leur. *contra* Gonz. licèt quis priùs eſſet proviſus à Papa, jamque haberet poſſeſſionem, quia Papa voluiſſet providere vi reſervationis, quæ hic in dubio non habuiſſet locum; aliud autem eſt, quando agitur de jure concurſus ſeu prævention is, uti dicetur *n.*578.

489 *Q.64. Quid præterea ſit addendum circa reſervationem Papalem?* R. Seqq.

§.1. Reſervatio eſt interdictum Papæ, factum inferiori circa uſum poteſtatis diſponendi de beneficio. Quomodo autem differat ab affectione beneficii per appoſitionem manuum Papæ, dicetur à *n.*521. Porrò hic notandum obiter, ante hac ab Epiſcopos ſpectaſſe omnium beneficiorum collationem, & circa tempora Joannis XXII. ſub anno 1316. incepiſſe reſervationes hac occaſione, quòd ad preces Papæ & ejus Officialium Epiſcopi darent beneficia, ſicque paulatim plura ſibi reſervavit Papa. Vide Luca *in Relat. Curiæ d.9.n.11. & de Benef.d.1.& ſeqq.*

490 §.2. Reſervatio eſt vel generalis, quæ ad plura beneficia ſe extendit, vel ſpecialis, quæ eſt tantùm de uno certo beneficio. Item alia dicitur clauſa in corpore juris, nempe in aliquo ex libris 6. Decretalium vel Clementinarum; alia extra corpus juris, quæ continetur in Extravagantibus aut Regulis Cancellariæ. V. Leur. *p.2.q.524.& ſeqq.* Dividitur etiam reſervatio in localem, quæ oritur ex vacatione per obitum in loco, v.g. Romæ; Realem, quæ oritur ex re ipſa, id eſt, ex ipſa beneficii qualitate, uti in Germania ſunt prima poſt Pontificalem in cathedralibus, & prima dignitas in collegiatis: Reſultantem ex tempore, quia nempe vacatio incidit in menſem vi alternativæ reſervatum Pontifici; Perſonalem, quæ oritur ex perſona, cujus obitu vacat, uti quia erat familiaris Papæ.

491 §.3. Videtur unica eſſe reſervatio clauſa in corpore juris, cap. *Licèt*, 2. cap. *Statutum*, 3. cap. *Præſenti* 34. De præb. in 6. quà reſervantur beneficia vacantia in Curia Romana: Curia autem Romana dicitur, ubi Papa cum Collegio Cardinalium habet ſenatum, uti notat Lott. *l.2.qu.27*. qui cum Gl. Simon Mandoſ. pro eodem habet beneficium vacare in curia Romana, & apud Sedem Apoſtolicam, quia cap. *Licèt*, cùm Pontifex priùs dixiſſet nemini licere beneficia apud Sedem vacantia conferre, mox ſubdit, niſi ei ſuper conferendis eiſdem in curia Romana vacantibus ſpecialis authoritas ab ipſo Pontifice ſit attributa; ſed iſta diſtinguunt Gomes, Covar. Gonz. Caſtrop. *t.13.d.2.p.16.nu.2*. qui eam vacationem ſolam vocant apud Sedem, quæ contingit per obitum in curia, reliquas autem omnes vacationes, quarum proviſio eſt apud Papam, dicunt non eſſe propriè apud Sedem, ſed tantùm in curia. Idem notat ex aliis Engel. *l.3.t.5.n.9*. hinc inferunt Rebuff. Barb. *de off. Ep. all.57.nu.24*. Gonz. *ad Reg.8. Cancel. gl.13.nu.60*. eum, qui habet indultum conferendi vacantia extra curiam, poſſe conferre reſervata per Extrav. & Bullas, adeoque excludi tantùm vacantia per obitum in curia. Vide etiam Leur. *p.1.q.174*. Nos hic ſumemus pro eodem: itaque beneficium tum vacat in curia, ſi quis moriatur in loco, ubi eſt Papa vel ejus curia, aut ſaltem in loco curiæ vicino intrà duas dietas locales, quarum dietarum quælibet continet 20. leucas ſeu milliaria Italica, uti oſtendit Caſtrop. ſuprà, milliare autem unum quodque habet mille paſſus. Vide Leur. *p.2.q.529.& ſeq.* ubi *q.*534. recenſet exceptiones ab illa reſervatione.

492 §.4. Sub eandem reſervationem cadunt beneficia illorum, qui ſunt Officiales ſive Curiales Papæ, quocunque loco moriantur, quia ratione officii cenſentur ſemper affixi Romæ. Vide Leur. *q.536.537*. Quòd ad familiares attinet, docet *Caſtr. p.19.n.11*. ut hæc reſervatio locum habeat, non eſt neceſſe familiaritatem durare aliquo determinato tempore, quocunque enim tempore etiam brevi duret, ſi eo durante receptum vel habitum ſit beneficium, ſufficit, ut reſervatum maneat, Garc. *p.5.c.1.n.277*. Barb. *n.*113. Addunt rectè, quantùm eſt ex vi regularum Cancellariæ, beneficia non liberari ab hac reſervatione, eſtò per obitum Papæ vel Cardinalis, aut alia via ab eorum familiaritate diſceſſeris, quia ita cavetur in dictis regulis, ubi dicitur, *Etiamſi ab iſta familiaritate receſſerint*: & comprehenduntur etiam Officiales ſeu Curiales titulares ſive honoris, uti habet Reg.7. Vide Barb. tota ferè all.57. & Leur. *q.543.& ſeqq.* Quænam autem officia & beneficia officialium non ſubjaceant his reſervationibus, explicat *q.556.& ſeqq.*

493 §.5. Papa debet beneficia vacantia in Curia conferre intrà menſem à die vacationis, alioquin redeunt ad Ordinarios collatores, atque ſi reſervata non fuiſſent, *cap. Statutum*, 3. *De præb. in 6.* Zerol. Garc. Chok. Barb. Nicol. *tom.1. diſp.11.ſ.4*.

§.6. Etiam reſervantur beneficia in pœnam delicti, 1. Ob 494 hæreſin, 2. Ob ſimoniam. 3. Si in collatione parochiæ neglecta ſit forma Trid. 4. Si neglecta ſit publicatio reſignationis. 5. Si quis moleſtet litigantes in curia Romana eorumque Judices, Advocatos &c. 6. Si ex poteſtate conferendi à Papa conceſſa, beneficium conferatur inhabili. 7. Si quis ſe pro alio ſupponat examini; offerat penſionem pro obtinendo beneficio, beneficium impetret alteri pro compenſatione; beneficium ſibi impetret cum intentione reſignandi; vide tamen quæ à *n.*859. dicemus. 8. Si beneficia perdantur ob non delationem habitus clericalis. 9. Si proviſus per Cardinalem non obtinuerit novam proviſionem à S. Sede, citra montes intrà 4. menſes, ultra montes intrà 8. menſes. Prærequiritur tamen in his omnibus declaratio delicti. Vide Caſtrop. *p.*24.

§.7. Indultum ad conferenda beneficia reſervata, non 495 extenditur ad reſervata duplici reſervatione, niſi hoc exprimatur, Alex. VII. apud Luca *de Benef.d.3.n.8*. Gonz. *ad Reg.8. gl.13.à n.81.& gl.25.num.23*. Nicol. *t.3.d.1.ſ.13*. Probabiliter tamen dicitur id tantùm intelligi de indultis, quæ illis dantur, qui ante reſervationes non fuerunt ordinarii Collatores, Electores vel Patroni, in illis enim habent indulta vim ſpecialis tantùm privilegii, ideoque ad duplices reſervationes non facilè extenduntur, ſed cenſentur ſtricti juris; oppoſitum eſt circa illos, qui ante reſervationes erant ordinarii Collatores, Electores vel Patroni: hi enim per indultum reſtituuntur ſuæ priori poteſtati, cui non obſtabit ullum impedimentum, Gonz. *gl.24.à n.24.& 68*. Garc. *p.5.c.5.n.7*. Nicol. *t.1.d.8*. Vide Steph. Grat. *c.278.& 972*.

§.8. Beneficia juriſpatronatus Laici vel mixti non cadunt 496 ſub reſervationem, Leſſ. Leur. *qu.117.& 118*. Excipit Piaſ. *p.2. c.5.a.1.n.10*. ſi vacent in curia, & Papa exprimat ſe juri patronatus derogare. Vide Gonz. *gl.18*.

§.9. Beneficium, quod nemo poſſidet jure, ſi moriatur 497 ille, qui ſolo facto poſſidet, cadit ſub reſervationem, dummodò hic poſſeſſor non fuerit violentus vel intruſus, Gonz. *gl.15.à n.45*. Leur. *p.3.qu.9*.

§.10. Si beneficiatus moriatur, v.gr. 10. Januarii, qui eſt 498 menſis Papæ, & Papa moriatur 20. ejuſdem menſis necdum facta Beneficii proviſione, Epiſcopus autem poſt tres menſes Sede adhuc vacante conferat Titio, collatio eſt nulla, quia beneficium ſemel reſervatum, etiamſi ſuperveniat Sedes vacans, manet tale, uſque ad diſpoſitionem novi Pontificis, Gonz. Luca *d.*24. Excipiunt aliqui beneficia curata, ne adminiſtratore tam diu careant, de quo iterùm plura habet Luca d. 25. Vide dicenda *n.*602.

§.11. Reſervationi Pontificiæ ſatisfit, ſi Papa ſemel de 499 beneficio reſervato diſpoſuerit, ideoque poſteà redit ad diſpoſitionem ordinariam, uti omnes fatentur.

§.12. Si beneficium fuerit in diſpoſitione & jure Ordi- 500 narii, quando dabatur in commendam, ceſſante commenda manet juris ordinarii, etiamſi vacaverit in Curia, vel aliqua alia affectione videretur reſervatum Papæ, Piaſ. *num.8. aliique*.

§.13. In Germania nulla beneficia reſervantur, niſi quæ 501 continentur in Concordatis, de quibus jam dicam.

Q.65. Quid notandum ſit circa Concordata, præſertim 502 *Germaniæ*, & reſervationes in iis contentas? R. Seqq.

§.1. Clemens VII. Papa pro conferendis beneficiis fecit ſpecialia concordata cum regno Poloniæ, quæ videri poſſunt apud Nicol. pag.264. Similia inivit cum regno Galliæ Leo X. quæ refert idem Nicol. pag.273. Specialia etiam inivit Eugenius IV. cum Eccleſia Leodienſi, quæ refert Nicol. pag.187. Denique etiam ſpecialia inivit Nicolaus V. pro Germania, quorum hic eſt tenor ex tom.1. Bullarii apud Cherub. pag.281.

CONCORDATA GERMANIÆ.

AD Sacram Petri Sedem divina diſpoſitione ſublimati, 503 ſingulis, quæ pro univerſalis Eccleſiæ unione ac pace & tranquillitate profutura conſpicimus, Apoſtolicæ providentiæ ſollicitudine libenter intendimus, & ad felicem eorum proſecutionem & conſummationem opem & operam impendimus efficaces.

1. Nuper ſiquidem Chariſſimus in Chriſto filius noſter Fredericus Romanorum Rex Illuſtris, & nonnulli alii dilecti filii Eccleſiaſtici & ſæculares Principes inclytæ nationis Germanicæ ex una, ac dilectus filius noſter Joannes S. Angeli Diaconus Cardinalis in partibus illis Apoſtolicæ Sedis de latere Legatus, per nos ad dictas partes miſſus, ſufficienti deſuper à nobis & Sede Apoſtolica authoritate ſuffultus, ex alia partibus, Romanæ Eccleſiæ & dictæ nationis nominibus, pro

ipſis

ipſis Eccleſiæ unione, pace & tranquillitate inter Eccleſiam & nationem prædictam perpetuò ſolidandis & conſervandis, diverſa rationabilia & utilia ordinationes & ſtatuta, à partibus ipſis hinc inde approbata, laudata, concluſa, acceptata & Concordata fecerunt ac ediderunt, nobiſque humiliter ſupplicari fecerunt, ut illis pro firmiori eorum ſubſiſtentia robur Apoſtolicæ firmitatis adjicere nec non authoritatem potiorem & decretum interponere dignaremur.

2. Nos itaque, qui ſtatuta, ordinationes & Concordata prædicta per nonnullos ex Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus, magnarum maturitatis, authoritatis & litteraturæ viros diligenter examinari & diſcuti fecimus, eaque rationabilia & ſalubria tam Eccleſiæ quàm nationi præfatæ fore comperimus, de dictorum & aliorum Venerabilium Fratrum noſtrorum prædictæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio & aſſenſu, Apoſtolica authoritate & ex certa ſcientia approbamus, ratificamus, laudamus & acceptamus & præſentis ſcripti patrocinio communimus, juxta modum & formam ſubſequens.

3. Placet nobis ſuper Eccleſiarum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque proviſionibus, uti juris ſcripti reſervationibus & *Execrabilis & Ad Regimen* Conſtitutionibus modificatis, ut ſequitur. Ad regimen Eccleſiæ Generalis, quanquam immeriti, ſuperna diſpoſitione vocati, gerimus in noſtris deſideriis, ut debemus, quòd per noſtræ diligentiæ ſtudium ad quarumlibet Eccleſiarum, & Monaſteriorum regimina & alia beneficia Eccleſiaſtica juxta Divinum beneplacitum & noſtræ intentionis affectum viri aſſumantur idonei, qui præſint & proſint committendis eis Eccleſiis, Monaſteriis, beneficiis prælibatis: præmiſſorum itaque conſideratione inducti & ſuadentibus nobis aliis rationabilibus cauſis, nonnullorum Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum veſtigiis inhærentes, omnes Patriarchales, Archi-Epiſcopales & Epiſcopales Eccleſias, & etiam Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus & Officia, necnon Canonicatus, Præbendas & Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica, cum cura vel ſine cura, ſæcularia & regularia, quæcumque & qualiacumque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem ſeu quemvis alium modum aſſumi, nunc apud Sedem Apoſtolicam quocunque modo vacantia & in poſterum vacatura, necnon per depoſitionem vel privationem ſeu translationem, per nos authoritate noſtra factas & in antea faciendas ubilibet, necnon ad quæ aliqui in concordia vel diſcordia electi ſive poſtulati fuerint, quorum electio caſſata ſeu poſtulatio repulſa vel per eos facta renunciatio & admiſſa authoritate noſtra extiterit, ſeu quorum electorum ſeu poſtulandorum & in antea eligendorum ſeu poſtulandorum electionem caſsari, ſeu poſtulationem repelli, aut renuntiationem admitti per nos aut authoritate noſtra continget apud Sedem prædictam vel alibi ubicunque: ac etiam per obitum Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ Romanæ aut Officialium dictæ Sedis, quamdiù ipſa officia actualiter tenebunt (videlicet Vice-Cancellarii, Cancellarii, ſeptem Notariorum, Auditoris litterarum contradictarum & Apoſtolici palatii cauſarum Auditorum, Correctorum, centum & unius Scriptorum litterarum Apoſtolicarum & viginti quatuor Pœnitentiariæ præfatæ Sedis, & vigintiquinque Abbreviatorum, necnon verorum Commenſalium noſtrorum & aliorum viginti quatuor Capellanorum Sedis ejuſdem in Epitaphio deſcriptorum) & etiam quorumcunque Legatorum ſeu collectorum ac in terris Romanæ Eccleſiæ Rectorum ac Theſaurariorum deputatorum ſeu miſſorum hactenus vel deputandorum aut mittendorum impoſterum, nunc vacantia & in antea vacatura, ubicunque dictos Legatos vel Collectores ſeu Rectores & Theſaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint ſeu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, necnon quorumlibet pro quibuſcunque negotiis ad Romanam curiam venientium ſeu etiam recedentium ab eadem, ſi in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non diſtantibus jam forſan obierint vel eos in antea ab hac luce tranſire contigerit, ac etiam ſimili modo quorumcunque curialium peregrinationis, infirmitatis ſeu recreationis vel alia quacumque cauſa ad quævis loca ſecedentium, ſi eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut præmittitur, non remotis (dummodò eorum proprium domicilium non exiſtat ibidem) jam forſan deceſſerint vel impoſterum eos contigerit de medio ſubmoveri, etiam nunc per obitum hujuſmodi vacantia vel in poſterum vacatura: rurſus Monaſteria, Prioratus, Dignitates, Perſonatus, Decanatus, Adminiſtrationes, Officia, Canonicatus, Præbendas & Eccleſias, cæteraque beneficia Eccleſiaſtica ſæcularia & regularia, cum cura vel ſine cura, quæcunque & qualiacunque fuerint, etiamſi ad illa perſonæ conſueverint ſeu debuerint per electionem ſeu quemvis alium modum aſſumi, quæ promoti per nos ſeu authoritate noſtra ad Parochialium, Archiepiſcopalium & Epiſcopalium Eccleſiarum, necnon Monaſteriorum regimina, obtinebant tempore promotionum de ipſis factarum nunc quocunque modo vacantia aut in poſterum vacatura, necnon etiam per aſſecutionem pacificam quorumcunque Prioratuum, Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Eccleſiarum, aut beneficiorum aliorum per nos ſeu authoritate noſtrarum litterarum immediatè collatorum ſeu conferendorum impoſterum, præterquam ſi virtute gratiæ expectativæ aſſecutio fiet, nunc vacantia & in antea vacatura, plena ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis cum fratribus noſtris collatione præhabita, & matura deliberatione ſecuta, ordinationi, diſpoſitioni ac proviſioni noſtræ de ipſorum Fratrum conſilio authoritate Apoſtolica reſervamus: decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper præmiſſis & quolibet eorum per quoſcumque quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

4. Item placet nobis, quòd in Metropolitanis & Cathedralibus etiam immediatè non ſubjectis Eccleſiis, & Monaſteriis immediatè ſubjectis Sedi Apoſtolicæ fiant electiones Canonicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur, quas etiam ad tempus Conſtitutionis ſel. record. Nicolai Papæ III. quæ incipit, *Cupientes*, expectabimus, & elapſo dicto tempore, ſi non præſentatæ, vel ſi præſentatæ, minùs Canonicæ fuerint, providebimus; & ſi Canonicæ fuerint, eas confirmabimus, niſi ex rationabili & evidenti cauſa, ac de dictorum Fratrum conſilio, de digniori & utiliori perſona duxerimus providendum, proviſo, quòd confirmati prædicti & per nos proviſi Metropolitanis ſuis & aliis præſtent debita juramenta & alia, ad quæ de jure tenentur: & in Monaſteriis dictæ Sedi immediatè non ſubjectis & aliis regularibus beneficiis, ſuper quibus pro confirmatione vel proviſione ad dictam Sedem non conſuevit haberi recurſus electi ſeu illi, quibus providendum eſt, pro confirmatione & proviſione hujuſmodi ad curiam Romanam venire non tenebuntur, ipſaque regularia beneficia ſub gratiis expectativis non cadant: ubi autem pro Monaſteriis ad dictam curiam venire ſeu mittere conſueverint, non aliter confirmabimus vel providebimus, quàm ſuperiùs de Cathedralibus Eccleſiis eſt expreſſum: & de Monaſteriis Monialium non diſponemus, niſi ſint exempta, & tunc per commiſſionem ad partes.

5. De cæteris verò dignitatibus & beneficiis quibuſcunque ſæcularibus & regularibus vacaturis, ultra reſervationes prædictas, (majoribus dignitatibus poſt Pontificales in Cathedralibus, & principalibus in Collegiatis Eccleſiis exceptis) de quibus jure ordinario providetur per illos inferiores, ad quos aliàs pertinet, placet etiam nobis, vel per quamcunque aliam reſervationem, gratiam expectativam aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſub quacunque verborum forma, per nos vel authoritate noſtra factam vel faciendam, non impediemus, nos, quominus de illis, cùm vacabunt de *Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris & Decembris* Menſibus, liberè diſponatur per illos, ad quos eorum collatio, proviſio, præſentatio, electio ſeu quævis alia diſpoſitio pertinebat, reſervatione aliave quavis diſpoſitione, authoritate noſtra factis vel faciendis, non obſtantibus quibuſcunque. Quoties verò aliquo vacante beneficio in *Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris & Novembris* Menſibus ſpecialiter diſpoſitioni dictæ Sedis reſervatis, non apparuerit intra tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apoſtolica authoritate proviſum fuerit, ex tunc & non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo liberè diſponere poterit: & ad finem, ut hæc ordinatio collationum Beneficiorum non reſervatorum per alternos menſes poſſit per dictam nationem publicari, & omnes, qui ea gaudere voluerint, tempus congruum habeant eam acceptandi, tunc quoad dictam Sedem à Calendis Junii proximè futuris ipſa currere incipiet & durabit deinceps, niſi in futuro Concilio de conſenſu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum.

6. Placet ſimiliter nobis, quòd circa proviſionem dictæ Sedis ordinandam modus annatarum hoc modo currat: de Eccleſiis Cathedralibus omnibus & Monaſteriis virorum dumtaxat vacantibus & vacaturis ſolvantur de fructibus primi anni à die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur, & ſi quæ exceſſivè taxatæ ſunt, retaxentur, & quòd provideatur ſpecialiter in gravatis regionibus ſecundùm qualitatem rerum, temporum, & regionum, ne nimium prægraventur, ad quod petentibus dabimus Commiſſarios in partibus, qui diligenter inquirant & retaxent: taxæ autem prædictæ pro media parte infra annum à die habitæ poſſeſſionis pacificæ totius vel majoris partis ſolvantur, & pro alia media parte infra annum ſequentem, & ſi infra annum bis vel pluries vacaverit, ſemel tantùm ſolvantur, nec debitum hujuſmodi in ſucceſſorem in Eccleſia vel Monaſterio tranſeat: de cæteris verò Dignitatibus, Perſonatibus, Officiis & beneficiis ſæcularibus ac regularibus quibuſcunque, quæ authoritate dictæ Sedis conferentur,

vel

vel de quibus providebitur (præterquàm vigore gratiarum expectativarum aut cauſa permutationis) ſolvantur annatæ ſeu medii fructus juxtà taxam ſolitam à tempore poſſeſſionis intrà annum, & debitum hujuſmodi ſimiliter in ſucceſſorem in beneficio non tranſeat : ſed de beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, nihil ſolvatur, duretque hæc obſervantia deinceps, niſi eam ſimiliter in futuro Concilio de ipſius nationis conſenſu contingat immutari.

7. In aliis autem, quæ per Fel. Recordationis *Eugenium* Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum pro dicta natione uſque ad tempus futuri Generalis Concilii permiſſa, conceſſa, indulta & decreta, ac per nos confirmata fuerunt, in quantum illa Concordiæ præſenti non obvient, ita vice nihil volumus immutatum : Et per hoc, quòd in Concordatis hujuſmodi ſive quibuſvis aliis eorum occaſione conficiendis litteris propter compendioſiorem deſcriptionem Alemannia ſpecialiter appellatur natio ipſa cenſeri non debet à Germanica natione diſtincta ſeu quomodolibet ſeparata.

8. Et præterea, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingula, in quibus de eis forſan fides facienda fuerit, loca deferri, eadem Apoſtolica authoritate decernimus quòd ipſarum tranſumpto Metropolitanorum dictæ nationis ſigillo munito, tanquam præſentibus, ſi exhiberentur, litteris plena fides adhibeatur, & perinde ſtetur, ac ſi dictæ præſentes litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ : & inſuper quoque irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, ratificationis, laudationis, acceptationis, commutationis, reſervationis, conſtitutionis & voluntatis infringere vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum anno 1447. Calendis Aprilis, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

504 §.2. Si per indultum Papæ ante Concordata Germaniæ datum ſit privilegium, verbi gratia : eligendi Decanum, hoc deſiit per Concordata, quia inita ſunt pro communi concordia, & omnes privati collatores ac patroni coacti ſunt cedere omnibus juribus, conſuetudinibus, privilegiis, quæ his Concordatis obſtarent, Leonin. *conſ.* 50. Branden. *qu.* 2. *& ſeqq.* Nicol. *t.* 3. *d.* 1. *&* 2.

505 §.3. Sub Concordatis Germaniæ per extenſionem continentur, Eccleſia Virdunenſis, Metenſis, ſecundùm aliquos, Genuenſis. Ad Imperium ſpectant Eccleſiæ, Nivellenſis, Cameracenſis, Trajectenſis ad Moſam. Eadem Concordata recepit Eccleſia Leodienſis, non item Herbipolenſis & Bambergenſis, quamvis ſint in Germania, quæ tamen Eccleſiæ adhuc recipere poſſent : Et non fuiſſe ab initio obligationem recipiendi, putat Zypæus contra Leonin. Brand. Nicol. Chok. & alios, quamvis nunc, cùm recepta ſunt, ſit iis ſtandum, etiam vacante Sede Papali, Zypæus, Pirh. Vide Leur. *p.* 2. *q.* 590. *& ſeqq.* Engel. tamen putat Ordinarios Sede vacante poſſe conferre beneficia, ſed contradicunt alii cum Barboſ. *de pot. Epiſc. all.* 57. *num.* 62. Nicol. *t.* 1. *d.* 8. *§.* 14. eò quòd Concordata ſint perpetua. Vide Leur. *qu.* 600. & dicta *num.* 498.

506 §.4. Quæ beneficia per Concordata reſerventur patet ex verbis : Inter cætera reſervatur dignitas major poſt Pontificalem in Cathedralibus, & principalis in Collegiatis, etiamſi ante diem promotionis vel aſſumptionis ad Epiſcopatum dimittantur vel reſignentur in manus Ordinarii, Chok. Brand. Leur. *q.* 598. *num.* 4. Major autem & principalis dignitas eſt Præpoſitura, & ubi in Collegiatis nulla eſt Præpoſitura, principalis dignitas eſt Decanatus, Nicol. *d.* 1. §.10. notantque Gonz. & Engel. *l.* 3. *t.* 5. *num.* 23. in ſingulis Eccleſiis tantùm unam reſervari. Quòd ſi præpoſitura ſit exempta à reſervatione, putat Lott. *l.* 2. *qu.* 33. *num.* 43. Decanatum reſervari, ſed oppoſitum habet praxis in multis Cathedralibus, in quibus Præpoſitura eſt exempta, & tamen Decanatus manet ſub electione Capitularium. Nulla autem Canonia vel Dignitas apud Canoneſſas cadit ſub ullam reſervationem, Corr. *l.* 1. *c.* 5. *nu.* 146. Attamen beneficia, ſuper quibus datur Coadjutoria perpetua cum futura ſucceſſione, cadunt ſub Concordata, uti dicetur, n.720.

507 §.5. Leodienſes per indultum poſſunt conferre illas primas dignitates electivas, dummodò intrà 30. dies à vacatione fiat electio, & confirmatio Romà petatur infra 6. menſes à die electionis. Simile indultum eligendi Præpoſitum habent Eccleſia Auguſtana & Monaſterienſis in VVeſtphalia.

508 §.6. Si quis per Papam promotus, verbi gratia : ad Epiſcopatum, per diſpenſationem retineat priora beneficia, putat Caſtrop. *t.* 13. *d.* 2. *p.* 17. *num.* 3. hæc non eſſe reſervata vel affecta, ideoque cadere ſub diſpoſitionem ordinariam; conſentit *Engel. num.* 16. allegans Rotam : Rationes ſunt, 1. Quia Concordata tantùm loquuntur de beneficiis per promotionem vacantibus, ſed talia beneficia non vacant per promotionem; nam manent apud priorem poſſeſſorem ergo. 2. Omnis reſervatio eſt odioſa, uti dicetur nu. 1004. ergo extendi non debet ultra verba clara, ergo cùm Extrav. *Ad Regimen*, reſervet ſola beneficia vacantia per promotionem, extendi non debet ad vacantia aliter, verbi gratia : per reſignationem aut poſteà per obitum. 3. Reſervatio exhauritur, ſi Papa ſemel diſpoſuerit de beneficio reſervato, ſecundùm dicta *n.* 499. ſed relinquendo illa promoto diſponit de illis, idem enim eſt ac ſi conferat de novo, ergo ſicuti ſi contuliſſet alteri, hoc ipſo ſatisfactum eſſet reſervationi, ita ſi relinquat promoto. Conf. nam vel tale beneficium vacavit per promotionem vel non ? ſi vacavit, Papa de eo iterùm diſpoſuit, ergo ceſſat reſervatio; ſi non vacavit per promotionem, ergo non eſt reſervatum. 4. Talia beneficia poſſunt à promoto reſignari, uti habet praxis, & docent Pariſ. *l.* 3. *qu.* 1. *num.* 86. *&* Caſtrop. ſuprà; quia diſpenſatus habet idem jus in beneficiis, ergo cùm ante promotionem haberet jus reſignandi, etiam habet poſt eam, ergo ſignum eſt nullam amplius adeſſe reſervationem. Oppoſitum tenent Simonet. Barb. quia verba Extravagantis ſunt generalia, ita enim habent, *Beneficia, quæ obtinebant tempore promotionis, nunc vacantia & in ante vacatura*, ergo beneficia debent generaliter cenſeri reſervata, quandocunque ſunt vacatura. Hinc dicendum videtur, quod Extrav. & conſequenter Concordata, intelligantur de vacatione ſive præſenti ſive futura per promotionem ſeu ratione promotionis, quod etiam probat ſtylus Curiæ, nam Anno 1702. ex illo fundamento contulit Papa Canonicatum Epiſcopi Hildeſienſis in Auguſto mortui : atque ex his patet reſponſio *ad* 1. *&* 2. *Ad* 3. R. Papam non plenè diſpoſuiſſe de illo beneficio relicto, alioqui proviſus deberet iterùm ſolvere ſtatuta, iterùm emancipari & eſſe junior &c. unde argumentor à contrario, nam dato, quòd tale beneficium non ſit reſervatum, tamen ab initio eſt affectum, uti declarabitur à *nu.* 521. ergo conſequenter manet affectum, donec Papa de eo ſemel plenè diſpoſuerit. *Ad* 4. poſſunt quidem reſignari, uti omnia aliàs reſervata, ſed non poſſunt niſi apud Papam, hinc cum Maximilianus Henricus Archi-Epiſcopus Colonienſis ejuſmodi Canonicatum reſignaſſet in menſe Ordinarii, non permiſit Papa, ut Turnarius illum conferret, ſed ipſe de eo providit.

§.7. Licèt, quando Papa alicui generatim concedit facul- 509
tatem conferendi beneficia quæcumque, aut mandat provideri alicui de quibuſcunque beneficiis, hac generali conceſſione vel mandato non comprehendantur curata, attamen comprehenduntur generali diſpoſitione Concordatorum, ſi ſint patronatus Eccleſiaſtici, Pirh. *de præb. num.* 362. Nicol. *d.* 6. *§.* 1. Leur. *q.* 599. *num.* 4. Similiter conſuetudo interpretatur, quòd beneficia etiam litigioſa comprehendantur concordatis, Rebuff. Tond. Luca, Leur. *n.* 5. Etiam beneficia monocularia, Nicol. *d.* 2. *§.* 3. Non tamen Vicariæ perpetuæ parochialium unitarum Dignitatibus, Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis, Monaſteriis, Collegiis, piis locis, Nicol. *d.* 6. §.9. Nec beneficia, ad quæ quis per Papam habet regreſſum, Nicol. *d.* 8. §.5. Brand. *q.* 11. *n.* 1.

§.8. Docent Garc. Brand. Nicol. *d.* 1. *§.* 16. Decanatus, 510
Scholaſterias aliaſque omnes Dignitates inferiores, aut officia perpetua, etiamſi ſint electiva, cadere ſub alternativam Concordatorum, niſi aliunde ſit privilegium : ſimiliter beneficia in menſibus Papæ vacantia per affecutionem ſecundi incompatibilis per privationem, per Matrimonium, per ingreſſum Religionis, probabiliter ſunt reſervata Papæ per Concordata, Zerol. *p.* 2. v. Alternativa §.1. imò Chok. & Nicol. §.22. dicunt etiam eſſe reſervata Papæ, licèt ita vacent in menſibus Ordinarii, putant enim hoc ipſo eſſe affecta, quòd vacent ipſo jure; & ſi conſtat affecta ac Papæ reſervata eſſe, quæ vacant propter hæreſin, ſimoniam, non publicatam reſignationem, uti conſtat ex Conſtit. Pii IV. & V. ac Gregorii XIII. apud Nicol. ſuprà & Brand. *q.* 10. ſed quoad priora contradicit Engel. *num.* 18. Putat etiam Brand. *qu.* 9. vacantia per promotionem ad Abbatiam vel quodvis aliud regimen Eccleſiæ, cadere ſub Concordata ſed attendendum eſt, quomodo interpretetur conſuetudo : ſaltem per obtentionem Epiſcopatus titularis in partibus infidelium non reſervantur nec vacant beneficia, quia non ſtat per hos promotos, quominus aſſequantur poſſeſſionem, Nicol. §.24. Similiter officia Eccleſiaſtica Cuſtodis, Cellerarii, Protonotarii, & ſimilia ad nutum amovibilia non cadunt ſub reſervationem per Concordata. Nicol. *d.* 3. §.2.

§.9. Vacantia per reſignationem apud Ordinarium non 511
cadunt ſub Concordata: hinc Epiſcopi poſſunt in omni menſe admittere reſignationes ſimplices, item conferre ea beneficia, etiam in menſibus Papæ reſignata, quæ alioqui erant in diſpoſitione eorum, ſi per obitum vacaſſent in menſibus non reſervatis Papæ, Brand. Gonz. *gl.* 14. *nu.* 31. Piaſ. *p.* 2. *cap.* 5. *art.* 2.

art.2.num.3. Chok. *ad reg.8.gl.11 num.29.& ad reg.24.nu.19.& ſeqq.* Nicol.*d.9.§.9.* ſic enim dicitur etiam in Reg.8. Cancell. *aliàs quàm per reſignationem quocunque modo vacatura*, unde quando in Conſtitutione, *Ad regimen*, dicitur beneficia etiam per renunciationem vacantia reſervari, intelligitur, ſi renunciatio ſit per Sedem Apoſtolicam admiſsa Romæ vel alibi uti explicat Engel.*n.*15.

512 §.10. Si familiaritas, vi cujus, ſecundùm dicta n.492. beneficium reſervatur Papæ, fuerit ante mortem dimiſsa, putant aliqui manere reſervationem, non obſtantibus Concordatis Germaniæ, ſed tenendum eſt oppoſitum cum Rebuff.Mohed. Lott.*l.2.q.28.à num.64. & q.32.nu.152.* Fagn.*in cap.Nullus, de Elect.nu.11.* Puteo *dec.41.num.1.l.1.* Chok.*reg.10. à n.8.* Zyp.in *Reſp.Can.Reſp.1.n.10.de Reſcript.* Luc.*de Benef.d.3.nu.11. & d.11.nu.3.& 52.* Ratio eſt, quia concordata expreſsè dicunt beneficia Officialium & Familiarium tamdiù eſse reſervata, quamdiù ipſa officia *actualiter* tenebunt: *Tò quamdiù* autem alligat ad tempus, uti de legato viduæ relicto dicitur, quamdiù remanſerit, duraturum, ut latè Mantic.*de Conject.ult.volunt. l.11.t.19.à nu.22.* Item ſicuti ex Reg.11. Cancel. Epiſcopi gaudent alternativa *quamdiù* reſederint, ita ut momento, quo ceſsat reſidentia, ceſset jus alternativæ, uti nu.477. dictum eſt, maximè cùm hic addatur, *actualiter* tenebunt, & ubi verba ſunt clara, ceſsat interpretatio, uti dicetur nu.541. eſt autem notum, quòd *Tò actualium* non ſignificet eos, qui tantùm gaudent eo nomine, aut tantùm fictione juris tales ſunt, aut qui tales fuerunt, uti rectè Gonz.*gl.43.n.15.* Et hinc etiam concordatis inſertæ ſunt voces, non tantùm hæ, *quamdiù actualiter* tenebunt, ſed etiam illæ, *verorum* commenſalium, ut excludantur, qui verè non deſerviunt, quia ſunt tantùm titulares, v.gr. Camerarii honoris, quamvis etiam hi comprehendantur in Reg.7.Cancellariæ, veri autem commenſales dignoſcuntur ex *mente & dente*: Ex mente ſi ex animi deſtinatione aſsumpti ſint ad aliquod miniſterium Papæ realiter exhibendum; Ex dente, ſi ideò alimenta habeant, Lott.*qu. 32.à n.1. Nec obſtat* 1. Beneficia illa fuiſse aliquando affecta reſervatione, ſemel autem affecta maneant affecta, ſecundùm Extrav.communem, *Ad Romani*, 14.de Præb.*nam* vi concordatorum etiam abſolvuntur, ſicuti beneficia litigioſa affecta ſunt reſervatione, ſed lite ceſsante definit reſervatio, ita diſponente Eccleſia, Lott.*q.20.à n.67.*

Nec 2.obſtat, quòd Papæ adhuc poſt concordata reſervent, *nam* hæ ſubſequentes reſervationes non tangunt nationem Germanicam, concordata enim expreſsè dicunt alias omnes reſervationes factas vel faciendas non habere locum; nec volunt Papæ agere contra concordata, ordinariè loquendo, uti dicetur *num.519.*

513 §.11. Quamvis concordata explicari debeant in favorem Ordinariorum, cùm reducant ad jus commune, Luca, Chok. Leur.*qu.597.* tamen non tantùm Papa poteſt concurrere & prævenire Ordinarios, ſecundùm dicta à num.469. ſed etiam Nuntius à Latere, cùm ipſe etiam ſit Ordinarius in ſua Provincia: meritò tamen non ſolet Papa vel Nuntius id facere, uti dictum eſt *nu.*472.& quoad concordata dicetur *num.519.* Vide etiam Illſung.*t.5.n.191.*

514 §.12. Si fundatio patronatus Eccleſiaſtici expreſsè reſervet alteri quàm Papæ collationem beneficii, pro quocunque menſe vacaverit, adhuc dicunt Pariſ. Gonz. Piaſec. VVameſ. Nicol.apud Leur.*q.598.n.5.* non præjudicari Papæ, ſed nunc poſse conferre, ſi in ejus menſe vacet, 1. Quia nulla fundatio poteſt facere, ut Papa careat poteſtate abſoluta ſibi à Chriſto tradita diſponendi de beneficiis. 2. Quia Papa neceſsariò manet Ordinarius, & Superior omnium Ordinariorum ac Collatorum, ergo debet poſse, quod hi poſsunt. 3. Quia Papa in concordatis derogat omnibus juribus & diſpoſitionibus contrariis, ergo talis fundatio non ſubſiſtit, nec ab Epiſcopo admitti poteſt. *Nec obſtat*, quòd quivis poſſit de rebus ſuis diſponere pro libitu ſuo, *nam* non ideo poteſt evertere jura deſuper ſtatuta, hinc cap.*Requiſivisti*, de teſtam. dicitur, *Privata diſpoſitio teſtatoris non poteſt generalem conſtitutionem Canonis immutare*: ita illi. Hæ rationes id tantùm evincunt, quod talis fundator non poſſit Papam excludere, ſi Papa non cenſeatur conſentire, fortè autem cenſetur conſentire: nam Eccleſia permittit, ut conditiones etiam juri communi contrariæ in limine fundationis appoſitæ admittantur, uti dicemus *n.* 808. Et hoc ſaltem fatendum eſt cum Nicol. *d.4.§.4.* quæcunque beneficia poſse ab illis, qui fundant, conferri prima vice, etiam in menſe Papali.

515 §.13. Beneficia juris patronatus laici non cadunt ſub reſervationem Concordatorum, Nicol. *d.5. §.8.10.11.* Si tamen patronus laicus fiat Eccleſiaſticus (de quo dictum eſt *n.*332.) beneficia hæc veniunt ſub alternativam Concordatorum, Nicol. §.4. Quòd ſi beneficium ex fundatione laicale nunc per præſcriptionem immemorialem quaſi liberè & abſque ullius præſentatione conferatur, v.g. ab Archidiacono, cujus anteà erat ſolùm inſtituere, quamvis fortè dici poſſet, quòd extinctus non ſit patronatus laicus, ſed Archidiaconus conferat ex vi utriuſque juris in eadem perſona conſolidati, ideoque beneficium non cadat ſub reſervationem, ſicuti ſi Archidiaconus habens inſtituere emeret caſtrum, cui patronatus laicus eſt annexus, beneficium tale non ideò eſt reſervatum, ſed manet patronatus laici, quali modo dicitur aliquis Epiſcopus Monaſterienſis quà Princeps ex bonis propriis fundaſſe Capitula aliqua ſuæ diœceſis, ideoque beneficia in illis dicuntur patronatus laici, ita ut Epiſcopus quà Princeps videatur eſſe patronus, quà Epiſcopus ſit inſtituens; ſi tamen præſumi debeat, quòd jus patronatus laicale reipſa extinctum ſit, & præſcriptum jus liberè conferendi beneficium, cadet ſub reſervationem, quia jam mutata eſt ejus natura.

516 §.14. Beneficia juris patronatus mixti habent ſe hìc, uti ſi ſint juris patronatus laici, ſecundùm dicta *nu.*333. quod fatetur enim Nicol.§.15. ſaltem ſi Patroni laici ſint numero æquales Eccleſiaſticis: addit tamen, ſi patronatus laicus competeret ex præſcriptione, conſuetudine, privilegio, uſurpatione aut alio ſimili modo, beneficium hujus patronatus cadere ſub Concordata.

517 §.15. Circa hoc, quod in concordatis dicitur, ut quando beneficium vacat in menſe Papæ, ſi non apparuerit intrà tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apoſtolica authoritate proviſum fuerit, tunc providere poſſit collator ordinarius, dedit Gregorius XIII. hanc quaſi declarationem in Conſt. *Quæ in Eccleſiam*, 1.Nov.1576.quòd proviſi Apoſtolicè teneantur intrà tres menſes à die notæ vacationis in loco beneficii publicare, ſe Apoſtolicè eſſe proviſos: ſi tamen Papa providerit, & hæc publicatio fuerit neglecta, quamvis Ordinarius etiam providerit, Papæ proviſio manet valida; ſi autem intrà tres illos menſes non ſit facta publicatio, & Ordinarius reſcierit Papam intrà illos menſes non proviſiſſe, ut tunc prius validè provideat Ordinarius, Brand. Engel. Pirh.Leur.*q.1599.n.9.* Notant tamen VVameſ.Chok.Zyp. & Nicol.*d.1.§.14.* Conſtit. illam Gregorii minùs obſervari, quia emanavit inconſulta natione Germanica.

Q.86. An Papa poſſit vel ſoleat derogare Concordatis? R.

518 §.1. Non poteſt paſſim pro arbitrio & ſine legitima cauſa, quia etiam Princeps cum ſubdito contrahens obligatur naturaliter, & civiliter, ut habent jura & DD. apud Chok. Ad preces *primar.ſect.5.§.2.num.15.* & apud Nicol.*t.3.d.3.§.2.& ſeqq.* Nihilominus abſolutè loquendo poſſet ex plenitudine poteſtatis, etiam extra concilium, derogare ob cauſam gravem, & extraordinariam concernentem commune bonum Eccleſiæ, uti ſequitur ex dictis *n.*469. docentque AA. ex his rationibus, 1. Quia habet ita plenam à Chriſto poteſtatem, ut hanc à ſe omnino abdicare non poſſit. 2. Quia hæc concordata, licèt habeant aliquam vim pacti, uti fatetur Julius III.apud Nicol. tamen magis ſunt privilegium Papale, ad quem primitus ſpectabat omnis beneficii proviſio; privilegia autem revocari poſſunt ex cauſa. 3. Quia quomodocunque paciſcatur Papa, maximè cum ſibi ſubdito, ſemper includitur hæc conditio, niſi occurrat cauſa gravis extraordinaria, ob quam aliud poſtulet commune bonum Eccleſiæ, in ordine ad quod concordata ſunt facta: medium enim definit eſse medium & negligidebet, quando obſtat fini intento, Felin.Suar.Pariſ.Diana, Simonet. Laym. VVameſ.Brand, Menoch.Garcias. Luca. Vide Chok. & Nicol.§.5. *& ſeqq.* Item Leur. *p.2.qu.595.* ubi oſtendunt Papam quandoque ex ſimili cauſa derogaſſe.

519 §.2. Papæ non ſolent derogare Concordatis, niſi in caſibus neceſſariis, Nicol. ſuprà. Et ſi quandoque egerint contra concordata, poſteà declararunt non fuiſſe mentem ſuam, ſed ſub-vel obreptitiè fuiſſe informatos; & ita Julius III.apud Nicol. *d.1.§.2.* dicit, *Nos attendentes Concordata prædicta vim pacti intrà partes habere, & quæ ex pacto conſtant, abſque partium conſenſu abrogari non conſueviſſe neque debere ∴ ſtatuimus & ordinamus atque decernimus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus iidem Ordinarii ∴ juxta ipſorum Concordatorum continentiam & tenorem diſponere liberè & licitè poſſint ∴ acirritum & inane exiſtat, ſi ſecus à quoquam ſuper his quavis authoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, non obſtantibus &c.* Similiter Clemens VIII.apud Nicol.§. 6.commendat Rudolpho II.Imperatori, ut Concordata Germanica tanto pondere ſancita nullo modo violari aut imminui patiatur. Similiter Paulus V. apud Chok. ſuprà & Nicol. *§. ult.* declaravit, nec Clementis VIII. prædeceſſoris, nec ſuam unquam mentem fuiſſe derogare concordatis; ſimili modo ſcripſit Urbanus VIII. ſuo Legato apud Ferdinandum II. uti habet Nicol.§.6. Nec refert quòd in proviſione concordatis contraria fiat generalis derogatio, quia concordata ſemper cenſentur excepta, nec per clauſulas quantumcunque generales & prægnantes eis derogatur, Creſcent, Put. Gonz. & alii cum Lott. *l.2.qu.28.num.65.* Præclarè dixit S. Gregorius M. relatus *cap.Juſtitiæ, 25. quæſt.1. Juſtitiæ ac rationis ordo ſuadet, ut qui à ſuis ſucceſſoribus mandata ſua ſervari deſiderat, prædeceſſoris ſui voluntatem ac ſtatuta quoque obſervet.*

Vide

Vide ſimilia ibidem c. *Quæ ad perpetuam*, dicta à S.Leone M. item c.Ideo, à S.Leone IV.quæ maximè tenent, quando ejuſmodi pacta, non tam nomine prædeceſſoris, quàm dignitatis & officii concepta ſunt, quia ſucceſſor tunc cenſetur eadem perſona cum anteceſſore, Chok.ſuprà.

520 *Q.67. An præſcribi poſſit contra Concordata?* R.Non poſſe præſcribi, nec contraria conſuetudine illis derogari, etiam pro foro interno, docent Leonin. Brand.Nicol. *t.3. d.2.ſ.3.* Pirh. *l.3.t.5.n.363.* Leur. *p.2.qu.593.* 1.Quia uſus & obſervantia univerſalis apud ferè omnes Germaniæ Eccleſias impedit particularem præſcriptionem hujus vel illius Eccleſiæ, ex vi inſeparabilis connexitatis, quam habent inter ſe partes & totum.2. Quia conſtanter ita judicatur in Curia Romana, ſecundùm decretum Greg.XIII. apud Nicol.§.25. Illis autem quæ in foro externo ſervantur, debemus nos conformare in foro interno, quando externum non nititur falſa præſumptione nec ſententia Judicis agentem damnat in pœnam, ut fusè ex Bald. Nav.& aliis Sanch.in Decal. *l.1.c.10.n.11.& de Matr.l.2.d.41. num.12.* 3.Quia jus publicæ utilitatis, unionis & tranquillitatis, quæſitum ex concordatis toti Imperio, non poteſt ullis ſubditorum factis vel uſibus immutari aut tolli, tam parum quàm Clerici poſſint ſe abdicare privilegio fori.4.Quia contra leges Pontificias nullo uſu ſeu conſuetudine contraria præſcribitur ſine poſitiva & certa ſcientia Papæ,uti latè Rota apud Nicol.*t.1.d.1.ſ.5.*docentque Gonz.*in cap.ult. de Conſuet. num.14.* Vaſq. *1.2.qu.97.art.3.d.277.c.7.num.62.* Pirh. *l.1.t.8.nu.60.* quia nempe Papa habet poteſtatem ſuam, non à populo, uti Principes ſæculares, ſed immediatè à Chriſto,ideoque decreta illius nulla egent approbatione vel conſenſu ſubditorum, ſed mox ut promulgata innoteſcunt, obligant ad receptionem & obſervantiam, Suar. *de leg.l.4.c.15. à num.3.* Diana *p.6. t.6. reſ. 39.* 5.Quia Papa in his concordatis expreſsè derogat omnibus conſuetudinibus contrariis præteritis & futuris, & quidem per decretum abſolutè irritans, quod elidit vim omnium actuum contrariorum, uti dicetur *n.657.* facitque nequidem colorem tribui poſſe in judicio poſſeſſorio ſummariiſſimo manutentionis, pro quo deciſiones plurimas affert Nicol. §.9. & Clemens VII. apud eundem §.12. motu proprio & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declarat quaſcunque collationes contra formam concordatorum faciendas nullum titulum vel colorem tribuere, ſed proviſos pro malæ fidei poſſeſſoribus & merè intruſis habendos. Adde, quòd ubi Papæ cognoverunt contraventum eſſe, prorſus improbarint, uti *num.519.* dictum eſt: ſimiliter Imperatores in capitulationibus ſuis ſpondent ſe curaturos, ut concordata obſerventur, uti factum à Ferdinando IV. teſte Nicol. §.8.Item à Leopoldo I.cap.9.& à Joſepho I. cap.18. ergo ſufficienter eliditur omnis conſuetudo etiam ſecutura, poſſe enim per ejuſmodi leges obviari conſuetudinibus futuris, docet Carden. *in I. criſi p.2. d.29. cap.2.art.2.& ſeqq.*

E contrà Zyp.Conſult.Canon. *l.3. ad tit.de præb.conſult.3.* putat his Concordatis derogari poſſe per præſcriptionem, per non uſum, vel per contrarium uſum: conſentit, Engel.*l.3. t.5. num.54.* Rationes ſunt, 1. Quia præſcriptio ſaltem immemorialis procedit contra Papam, quia cum ea allegari poteſt quivis titulus, cap. *Ad audientiam* 13. cap. *Cùm vobis* 14. cap. *Si diligenti* 17.*De præſcript.* 2. Docet Sanch. de Matr. *l.7. d.4.* conſuetudine contraria aboleri poſſe impedimentum aliquod dirimens Matrimonii, ideòque legem, quæ univerſalis eſt, ac involvit decretum irritans: Similia de conſuetudine habent Caſtrop.*t.3.d.3.ſ.2.à num.6.* Laym. *in cap. ult.de Conſuet.num.6.* Pirh. *l.1.t.8. num.58.63.65. & ſeqq.* 3. Durum videtur damnare ut invalidas omnes proviſiones in Germania factas contra concordata: ſanè Laym. *in Th.mor. l.4.t.2.cap.10.num.3.* & Pirh. *l.3.t.5.num.362.* docent per concordata reſervari Papæ beneficia etiam curata in menſibus Pontificiis vacantia, idque indubitatum eſſe aſſerit Nicol.*t.1. d.6.ſ.1.& 5.* & tamen paſſim providentur ab aliis in hiſce partibus, etiam ſæpè ſine concurſu. *Ad* 1. rationem oppoſitam dicunt, ſæpè aliqua obligare univerſalem Eccleſiam, contra quæ conſuetudo particularium Eccleſiarum præſcripſerit: ſic in Hiſpania Sabbatis Catholici veſcuntur inteſtinis, in Belgio Sabbatis inter nativitatem & Purificationem veſcuntur carnibus, uti & Mediolani primis diebus quadrageſimæ &c. *Ad* 2. Curiam Romanam ſic judicantem præſumere, non adeſſe omnia ad præſcriptionem requiſita. *Ad* 3.Malè ſuppono nulla conſuetudine induci poſſe, ut Clericus in quibuſdam ſubjiciatur foro laico, nam Abbatiſſæ, quæ laicæ ſunt, in multis Germaniæ & Belgii locis juriſdictionem habent in Clericos, idque ex ſola conſuetudine, ſaltem apud Canoneſsas; cùm talium vivendi ritus à Papa non ſit approbatus, ſecundùm dicta *num.229.* Similiter tantùm conſuetudine videtur fieri quòd cauſæ reales & civiles, etiam inter Clericos, agitentur in foro ſæculari, cùm juxta cap. *Quod Clerici*, 9. De foro compet. videantur ſpectare ad forum Eccleſiaſticum; ſed adhuc eſt diſparitas inter hanc materiam & Clericum ſe ſubjicientem laico, nam hoc præjudicat dignitati Ordinis Clericalis, illud autem, quòd quædam beneficia ab inferioribus conferantur in menſibus Papæ, non præjudicat dignitati Papæ. *Ad* 4. Oppoſitum conſtat ex dictis *l.1.n.632.* & probatur à Laym. *in cap.ult.de conſuet.num.3.*quia Papa ibi tribuit legitimæ conſuetudini, ut abrogare poſſit legem Eccleſiaſticam & Tuſch. *lit. C. concl.797.* docet conſuetudine immemoriali præſumi ſcientiam & patientiam, imò concl.873. negat in ea requiri ſcientiam & patientiam Principis. *Ad* 5. Poſſe contra decretum irritans præſcribi, ſatis probabiliter docent Suar. *De leg.l.7.c.19.num.14.* Sanch.& Pirh.ſuprà, probatque Zyp. quia clauſula irritans eſt tantùm pars, & quidem acceſſoria legis, ergo ſicuti poteſt præſcribi contra legem, ita, & multò magis, contrà clauſulam irritantem: ſimiliter intelligunt Conſtitutiones Pontificum *n.519.*citatas: itemque Capitul.Imperatorum, nempè quòd loquantur de Concordatis, ubi & quoad illa, quæ adhuc ſunt in uſu.

His utrimque propoſitis interrogatus à me vir doctiſſimus, quid ſentiret? Reſpondit ſententiam primam eſſe valde probabilem, attamen ſe propendere, ut etiam ſecundam probabilem eſſe cenſeret.

Q.68. Quid dicendum ſit de affectione Beneficii per appo- 521
ſitionem manuum Papæ? R.ſeqq.

§.1. Reſervatio & affectio per hoc differunt,quòd reſervatio reſpiciat actum verbalem & expreſſum, uti ſi Papa voce vel conſtitutione dicat ſe reſervare tale beneficium, & plerumque pro ſemper; affectio autem reſpiciat actum realem ſeu factum, ex quo tacita reſervatio oritur, uti ſi Papa incipiat diſponere de beneficio, & tunc dicitur apponere manum, Gonz. *ad Reg. 8.Cancel.gl.52.n.4.* Caſtrop.*t.13.d.2.p.15.n.4.*

§.2. Manus appoſitio plus habet efficaciæ, quàm reſerva- 522
tio; uti cum aliis Gonz.*n.9.*Deinde affectio habet locum etiam in aliis quàm beneficiis, nam ordinatus Minoribus à Papa non poteſt ordinari Majoribus ab alio,nequidem à proprio Epiſcopo, cap.*Cùm in diſtribuendis*, de tempor. ordinat. Item ordinatus à Papa non poteſt ob delictum degradari ab Epiſcopo: Item hoc ipſo quòd Papa cœperit cognoſcere de aliqua cauſa aut commiſſionem aliquam ſignaverit, cenſetur revocata à judicibus inferioribus, cap.*Ut noſtrum 56. De appellat.*Et cauſa ſemel facta curialis per appoſitionem manus Papalis, ſemper manet curialis. Item, ſi Papa commiſit alicui executionem litterarum proviſionis beneficii, alius ſe immiſcere non poteſt: idem eſt, ſi poſt demandatam alicui executionem, Papa huic apponat manum. Denique ſi Papa contulit privilegium, ad ipſum ſpectat ejus declaratio vel interpretatio.

§.3. Beneficia per appoſitionem manus Pontificiæ affe- 523
cta non poſſunt pro ea vice conferri ab inferiore. Extrav. comm. Ad Romani, 14. De præb. Inn.Abb. Piaſec.*p.2.cap.5. art.1.num.8.*

§.4. Papa apponit manum, 1.Si beneficium ſuæ colla- 524
tionis det in commendam, aut uniat ad vitam alicujus. 2.Si mandet alicui provideri de primo vacante. 3. Si in proviſione apponat decretum, ut in manibus ſuis reſignetur, nam ſi reſignetur, eſt affectum. 4. Si volens prævenire Ordinarium, conferat etiam invalidè. 5. Si quis reſignet beneficium, aut, 6. etiam jus ad rem in manus Papæ, etiam in menſe Ordinarii. 7. Si mandet non procedi ad electionem pro aliquo beneficio. 8. Si diſcutiat validitatem electionis alioqui confirmandæ ab Ordinario, Confirmatio eſt affecta. 9. Si ex Papæ mandato aliquis privetur beneficio. 10. Si quis habeat collationem à Papa & indigeat diſpenſatione, ſolus Papa diſpenſare poteſt. 11. Si habens collationem à Papa etiam petat ab Ordinario. Addit Piaſ.ſi Papa conferat inhabili, aut ſi ab eo collatum vacet propter inhabilitatem: Beneficia autem, quæ reſignantur apud Papam, tum primùm afficiuntur per appoſitionem manus Pontificiæ, quando ſupplicia eſt à Pontifice ſignata & à Datario recognita, vivo adhuc reſignante. Vide Gonz.*à num.11.*

§.5. Affectio non habet locum, 1. Si Papa appoſuerit 525
manum ad alium effectum quàm conferendi, verbi gratia: ad imponendam penſionem. 2. Si falsò narratum fuit, quòd beneficium eſſet reſervatum, & ideò Papa conferre voluit. 3. Si beneficium permutationis cauſa vel in favorem alicujus reſignatum, aut etiam ob delictum vel negligentiam beneficiati impetrandum conferre voluerit Papa, & intereà vacet per obitum. 4. Si beneficium ſit juris patronatus laicalis aut mixti. 5. Si ex tali manus appoſitione reſultaret præjudicium Concordatorum. 6. Si Ordinarius prior contulit Cajo, & Papa poſterior Titio, Cajus autem nolit acceptare. 7. Si appoſitio manus ſemel ſit ſortita effectum per proviſionem ſecutam. Vide Gonz.*à num.38.*

Q.69. Quid notandum ſit circa poſſeſſionem pacificam, & 526
Beneficium litigioſum? R.ſeqq.

§.1. Poſſeſſio tum eſt pacifica, ſi nulla lis vel controverſia circa illam vel circa beneficium ſit mota: Putant autem cum aliis Lott. *l.2.quæſt.52.à num.31.* Luca De Benef. *d.91.num.22.*

& d.

& *d.*92. *num.*11. tum non eſſe pacificam poſſeſſionem, ſi lis etiam nulliter & merè de facto, attamen coram Judice competente ſit mota, etiam tantùm circa poſſeſſorium: item ſi lis coram quocunque ſit mota, ſimulque illatæ moleſtiæ & facta turbatio circa jus percipiendi fructus: Addit Haun. *De Juſt.t.5.num.*276. etiam tum non eſſe pacificam, ſi facta ſit citatio vel appellatio etiam extrajudicialis, ſed putant alii cum Sanch. *in conſ.l.*2. *cap.*1.*d.*27. ſaltem non officere verbalem & extrajudicialem controverſiam. Vide Leur. *p.* 2.*qu.*834.

527 §.2. Ut beneficium ipſum fiat litigioſum, docent Inn. Bald.Gloſſ.Lott.& alii, requiri ut ſit collatum, & tum litigetur, ad quem pertineat, ac conſequenter non ſufficere, quòd petatur beneficium conferri: & pro hoc referuntur plures Rotæ deciſiones apud Roſam *De Exec.lit.Apoſt.p.*1.*c.*17. *à nu.* 71.qui tamen cum Garc.*p.*11.*c.*3.*à n.*75. & aliis concludit oppoſitum, nempe beneficium etiam nulli adhuc collatum fieri poſſe litigioſum: & de hoc iterum diſputat in utramque partem Roſa à *n.*81.& iterum à *num.*112. afferens contrarias deciſiones Rotæ, ſed à *n.*114. concludit cum Ferentil. in beneficiis, quæ conferuntur per electionem vel præſentationem, non prærequiri eſſe collatum ſeu proviſum uti de electione clarè habetur c. 1.& 2.*Ut lite pendente*, in 6.ideoque ſufficere, ut beneficium petatur tanquam ſibi debitum: è contrà in beneficiis collativis requiri, ut ſit collatum, ideoque ut beneficium petatur tanquam ſuum: vide tamen iterum Roſam à *n.*117.

528 §.3. Non ſufficit quævis lis, ut beneficium reddatur litigioſum, ſed requiritur, ut ſit verè introducta, & quidem circa titulum ac proprietatem beneficii uti dicetur *num.*542. Unde non ſufficit, ſi litigetur, v.gr. de executione litterarum Apoſtolicarum; nec ſufficit, ſi incidenter litigetur de titulo, ſed debet de hoc eſſe lis directè & principaliter, Tond.Pariſ.Chok.Luca De benef.in ſumma à nu.82.Roſa à nu. 124.Nec ſufficit lis coram Judice incompetente, nec per procuratorem falſum; neque lis, qua urgeatur privatio beneficii: neque lis circa crimen beneficiati, Pariſ.Garc. Roſa *n.*74. & 118. Leur.*p.*3.*qu.*308.*num.*5. imò quamvis concluſa lite circa delictum jam ſit lata ſententia privationis; ſi tamen beneficium necdum ſit actori adjudicatum, non ideò eſt litigioſum, Roſa, Garc.Leur.*qu.*310.*n.*13. attamen Lott.*qu.*20.*nu.*45. Luca ſuprà Roſa *n.*94. 120.124. putant, ſi principaliter petitum ſit beneficium, & ſecundariò actum ad privationem alterius, beneficium fieri litigioſum, quia lis reipſa eſt ſuper titulo: non ſufficit autem, lis apertè calumnioſa, uti dicetur *n.*541. Denique etiam non ſufficit, ſi lis principaliter ſit inter præſentantes vel conferentes, contendentes de jure præſentandi vel conferendi, uti dicetur *n.*542. & in hoc quidem caſu, quo lis pendet inter Patronos, Epiſcopus poteſt conſtituere œconomum, attamen ſalvo jure Patroni illius, qui vicerit, cap. *Quoniam*, 3. & cap. *Eam te* 22. *De jure patron.* Leo Theſau. Eccleſ.*p.*2.*c.*6.*n.*27. finita autem lite conſtitutus ab Epiſcopo removendus eſt, & qui præſentabitur à Patrono, inſtituendus, cap.*Conſultationibus*, 19. De Jure patron.& arg.cap. *Decernimus*. 16.*qu.*7. quia *pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non poteſt de jure donare*, cap.*Quod autem*, 5.De Jure patron.Leo *num.*28.

529 §.4. Si cauſa ſit introducta ad Judicem & expedita citatio cum inhibitione, tum dici poteſt introducta lis quoad Actorem, abſolutè tamen & quoad rem non dicitur eſſe lis introducta, uſque dum ſequatur legitima executio citationis, niſi fortè citatus impediret executionem, tum enim in odium ipſius habetur citatio pro executa, licèt non fuerit reproducta, Roſa *n.*132. Luca, *De benef.d.*50.*à num.*3. De cætero ſi citatio ſit legitimè executa & in actis reproducta, jam indubiè introducta eſt lis uti habetur Clement.2.Ut lite pendente; & in deciſionibus apud Roſam *nu.*113. citatio autem, etiam tum eſt executa ſufficienter ad conſtituendum litigioſum, ſi pars citata venerit in judicium & reſponderit; quia per comparitionem ſupplebitur omnis defectus, *Roſa num.*131. è contrà notant Buratt.& Tond.*p.*1.*c.*85.*n.*67. quamvis adverſarius impetraverit beneficium tuum, ſi non intervenerit citatio tui, nequidem poſſeſſionem tuam turbari.

530 §.5. Etiam non cenſetur lis introducta per reſcriptum ſubreptitiè impetratum aut nullum, unde beneficium tunc non fit litigioſum, Gom.Az.Chok. *ad Reg.de ſubrog.n.*35. nec tum fit litigioſum, ſi lis intentetur illi, qui ſaltem per triennium poſſedit, Chok.Roſa à *n.*124.

531 §.6. Quamdiù lis pendet, beneficium non poteſt provideri ab alio quàm Papa, cap.1.& 2.*Ut lite pendente* in 6.Clement.1.*cod.tit.*& AA.omnes cum Roſa *n.*5.Nec ſatis eſt, quòd unus litigantium moriatur, naturaliter vel civiliter, nam ſi ante ejuſmodi ceſſum vel deceſſum lis non fuerit finita, beneficium manet affectum, Luca *d.*92.*n.*18.Leur.*p.*2.*q.*677.Et hoc tenet, quamvis modernus poſſeſſor habuerit pacificè per annum, Moh.Chok.Lott. Quòd ſi lis ante utriuſque mortem extinguatur vel ceſſet, beneficium redit ad ordinariam collationem, Vital.Lott.Pirh.Leur.*qu.*793. An autem, ſi unus collitigantium moriatur, poſſit etiam Epiſcopus vel Ordinarius collator ſurrogare ſuperſtiti, dicetur *n.*548.

§.7. Lis extinguitur, 1. ſi partes faciant compoſitionem; 532 quæ tamen videtur debere eſſe perfecta & non ſubjacens liberæ mutationi, Luca *d.*51.*num.*4.*& ſeqq.* 2.Si collitigans ſimpliciter cedat liti vel cauſæ, Roſa à *num.*134. 3.Si actor moriatur; poteſt tamen ſuperſtes habens poſſeſſionem proſequi cauſam & ita obtinere abſolutionem; Lott.*l.*2.*q.*20.*num.*55. 4. Si reus ſaltem tacitè oſtendat ſe nolle cauſam proſequi, v.gr.ſi procuratorem revocet, & niſi alii pro jure etiam ſuo tuendo adhæſerint actori, qui proſequi velint, Luca *d.*52.*à n.*5. nam admitti non poteſt tanquam contradictor, qui nullum habet intereſſe in cauſa, Luca *d.*55.*nu.*9. Eſtque probabilior & communior opinio, quòd ille ſit reus & non actor, qui, ut ſe in poſſeſſione defendat, à Judice poſtulat remedia, Luca *d.*52.*n.*6. 5.Etiam extinguitur lis per ſententiam, quæ tranſivit in judicatum, Roſa *num.*137.

§.8. Ut lis cenſeatur deſerta, requiritur lapſus 30. anno- 533 rum, vel ſententia declarans deſertionem, vel ut conſtet de jure proſequentis cum lapſu 10. annorum, vel ut conſtet de non jure partis, quæ per 10. annos tacuerit, Lancell. Roſa *n.*137. Luca *d.*92.*à n.*9. Leur.*p.*3.§.308.*n.*3. Docent autem Gomeſ.Lott.Luca *d.*50.*n.*8. ſi quis inceperit diſputare ſuper beneficio alieno, debere infra ſex menſes litem introducere, & intrà alios ſex menſes eam proſequi, alioquin ſi alter pergat pacificè poſſidere, priorem cadere de jure proſequendi, ſecundùm Reg.*De annali*: nihilominus Roſa *n.*104. dicit lite introducta, ſi non fundetur in impetratione certo modo facta, nullum tempus ſtatui ad proſequendum.

*Q.*70. *Quid circa ſurrogationem ſit notandum?* R.Seqq. 534

§.1. Regula de ſurrogando collitigante ſic habet. *Item D. N. cupiens litium ſuccindere anfractus, & ne novi collitigantibus adverſarii dentur, providere, voluit, ſtatuit & ordinavit, quòd quoties deinceps aliquem ſuper quovis Eccleſiaſtico Beneficio collitigantem in jure vel ad jus, ſi quod forſan ejus adverſario in dicto Beneficio competierit, ſurrogari conceſſerit (dummodò prædictus collitigans in dicto Beneficio intruſus non fuerit, nec ſuper eo contra dictum adverſarium, poſtquam illud per triennium pacificè poſſederit, lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de præmiſſo jure, ſive tunc vacet vel cùm vacaverit, impetrationes vel conceſſiones etiam motu proprio intrà menſem ante conceſſionem hujuſmodi factæ, nullius ſint roboris vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium Beneficia, illorum præſertim, quibus aut propter ſenium aut propter infirmitatem imminet vitæ periculum, impetrant, ut illis decedentibus tanquam collitigantes in eorum juribus faciliùs ſurrogentur, voluit, ut deinceps nullus in jure vel ad jus in Beneficio defuncti, quod illo vivente in caſibus præmiſſis vel ſimilibus impetraverit, aliquo modo ſurrogetur, ac ſurrogatio vel gratia, ſi neutri, ſi nulli, ſeu novæ proviſionis aut perinde valere, taliter impetranti nullatenus ſuffragetur: Quòd etiam ſtrictiſſimè obſervari mandavit in impetrationibus Beneficiorum per privationem & amotionem ex quibuſvis criminibus & exceſſibus forſan perpetratis, etiamque uſque ad diffinitivam ſententiam, quæ tamen in rem non tranſierit judicatam, proceſſum fuerit.*

§.2. Senſus primæ partis Regulæ eſt, ſi duo litigent ſuper 535 beneficio, & unus illorum cedat vel decedat pendente lite, ac aliquis tertius quomodocunque petat ſe ſubrogari, etiam hic tertius ſit prior in data, tamen ſi alter collitigans infra menſem poſt impetrationem illius tertii petat ſe ſubrogari, valet impetratio collitigantis, & non alterius tertii: Regula tamen illa non ligat Papam vel Datariam, quin poſſint etiam tertium ſubrogare in totum jus defuncti, ſed tunc derogandum eſſe huic Regulæ, Rota, Ameyden, Roſa *De Exec.litt.Apoſt.p.* 1.*c.*17.*n.*163.*& à n.*196.

§.3. Finis hujus Regulæ eſt, ut longi litium anfractus, 536 amputentur, & ne beneficia diu vacent, hinc ſic proviſo debet accelerari proviſio. Nec executio ſurrogationis gratioſæ retardari poteſt per exceptionem ſub-vel obreptionis, niſi hæc ſit clara, Roſa *n.*61.

§.4. Per ſurrogationem nemini fit injuria, quia beneficia 537 litigioſa ſunt affecta durante lite, ſecundùm dicta *nu.*531.& certitudo, quam habet Papa, quòd collatio illius beneficii ad ſe pertineat, facit ceſſare omne præjudicium cujuſcunque collatoris, Lott.*l.*3.*q.*13.*n.*31. Neque vacat tale beneficium, ſed ſurrogatus repræſentat perſonam & jus defuncti, Lott. *n.*22.*&* 33.Roſa *à n.*7.*& à n.*30.& iterum à *n.*154. ſicque in ſurrogato continuatur poſſeſſio, quam habuit defunctus, Lott.& alii, ſaltem ſi tertius aliquis intereà non ceperit poſſeſſionem, uti fusè diſputat Roſa à *n.*28.

§.5. Surrogatio ex duplici fundamento dari ſolet ſuperſti- 538 ti collitiganti, vel ex reſervatione, vel ex lite ipſa, uti habet Regula: Tunc datur ex reſervatione, ſi beneficium litigioſum à defuncto poſſeſſum, erat reſervatum Sedi Apoſtolicæ

per

per vacationem, ex qua defunctus obtinuerat : debet autem reſervatio fuiſſe manifeſta, uti pluribus Lott. *n.69.* Roſa à *nu.* 43.qui addunt plures deciſiones.

539 §.6. Communis eſt ſententia Canoniſtarum, beneficia etiam juris patronatus laici, quamvis ſint ex fundatione vel dotatione, cadere ſub titulum, *Ut lite pendente*, in 6.& ſub Regulam, *De ſurrogandis*, Luca Leur.*p.2.qu.677.nu.*1.Putat quidem Fond. de hoc faciendam eſſe mentionem, alioqui Papam non cenſeri derogare, ſed Roſa *nu.*159. dicit non eſſe opus derogatione, verùm ſatis eſſe dicere, quod beneficium ſit aut fuerit litigioſum.

540 §.7. Quamvis Ameyd. dicat ſurrogationem non ſolere dari ſuperſtiti, ſi non poſſederit, tamen oppoſitum probat uſus, docentque Lott. *l.2. qu.*20.*num.*179. & Roſa *à num.*165. ſæpe enim conceditur ſurrogatio ad poſſeſſionem defuncti, uti dicetur *num.*546.

541 §.8. Ad ſurrogationem prærequiritur lis legitimè introducta, ſecundùm dicta à *n.*528. Nec debet lis eſſe introducta per reſcriptum ſub-vel obreptitium, ſecundùm dicta *n.*530. Nec debet eſſe lis calumnioſa, nam beneficium etiam tum non redditur litigioſum, Luca *De Benf.d.*50.*à num.*10. *& d.*92.*à n.*31.aliique plurimi apud Roſam *c.6.à num.*160. Debet tamen calumnia eſſe evidens, Tond.*p.2.c.4.§.5.n.3.* Porrò calumniator in jure dicitur, non ſolùm ille, qui falſa crimina alteri impingit, ſed etiam, qui litem omni juris calore deſtitutam intentat, qualis eſt, quæ contra clarum textum juris vel pacti procedit, quia in claris & diſertis verbis citra calumniam nefas eſt cavillari, inquit Paulus L.*Ille aut ille* 25. *ff.* De legatis & fidei commiſſis,3.& Ulp.in L.*Natura cavillationis*, 177.*ff. De vrb.ſignif.*ait : *Natura cavillationis hæc eſt, ut ab evidenter veris ad ea, quæ evidenter falſa ſunt, diſputatio perducatur :* contra clara enim verba non admittitur perplexa interpretatio, nec attenditur contraria obſervantia, uti firmavit Rota & adducti à Lott.*q.*47.*à n.*29. Notat tamen Roſa *n.*102. & iterum à *n.*170. ex deciſionibus Rotæ & declaratione interpretum Trid. calumniam in principio litis non præſumi,ideoque ſufficere litem quomodocunque introductam cum aliqua probabilitate vel colore ; neque obſtabit,ſi poſteà detegatur calumnia, dummodò non fuerit manifeſta initio litis.

542 §.9. Quamvis Papa, etiam ubi lis fuit ſuper ſolo poſſeſſorio, poſſit ſurrogare, Seraph. Sarn. Lott. *q.*20.*n.*52.*& q.*22. *à n.*48. tamen ſi id non exprimat, nomine litis, quam prærequirit vel ſupponit, non venit lis ſuper ſolo poſſeſſorio vel alio acceſſorio. Si autem ſurrogatio detur poſt litem in ſolo poſſeſſorio, non juvat ad immiſſionem, niſi priùs juſtificata ſit tota gratia principalis, & diſcuſſum jus defuncti. Neque ex lite ſuper poſſeſſorio data ſurrogatio impedit Ordinarium vel patronum, quominus provideat, Lott. *q.*20.*num.*53. ſed requiritur lis principaliter ſuper petitorio, ſecundùm dicta *nu.* 528. Lott.*n.*41. Roſa *c.*17.*à num.*71. & iterum à *nu.*125.VVameſ.*Conſ.*251.*nu.*9. Chok.ad hanc Reg.*n.*35. Ratio eſt, quia poſſeſſio valdè diſtinguitur à beneficio, ita ut paſſim de illa diſputetur etiam coram tribunalibus laicis, per hoc autem necdum attingit beneficium, ergo beneficium non ideò redditur litigioſum : hinc Vital. *in Clement.*1. *num.*43. *Ut lite pendente*, ait, non eſſe dandam ſurrogationem proviſo Apoſtolico, quando vel Patronus vel ordinarius Collator opponit ſe proviſioni Apoſtolicæ, dicendo collationem non pertinere ad Papam : idem habet Roſa *n.*80.qui tamen *nu.*110. hanc affert diſtinctionem, ex Ameyd. ſi ſit lis inter Patronos poſt factam præſentationem, tum beneficium fieri litigioſum, quia tunc cenſentur ſimul litigare præſentati prætendentes jus ad beneficium, è contrà ſi ſit lis inter Patronos ante præſentationem, per hoc, beneficium non fieri litigioſum, nec ob talem litem dandam eſſe ſurrogationem.

543 §. 10. Intruſus excluditur à Regula ſurrogationis : per intruſum autem non intelligitur quivis, qui pendente lite cepit poſſeſſionem, ſed qui cepit propria authoritate, vel ſine titulo ejus, qui poteſt providere, Lott.Ameyd. Roſa *n.*175.ſi enim titulus ſit à potente providere, eſt coloratus, & facit evitari intruſionem hic punitam, Roſa *n.*178. Similiter, qui beneficium viventis impetravit, à ſurrogatione excluditur per Regulam,quia factus eſt infamis, & inhabilis, nec juvat, ſi prætendat errorem, niſi fuiſſet communis credulitas orta ex fama publica, Rota, Roſa *n.*183.Chok.tamen putat excuſare quamlibet juſtam cauſam, & probabilem exiſtimatæ vacationis.

544 §.11. Si pendente lite moriatur ille, qui per triennium pacificè poſſederat, collitigans ſurrogari non poteſt, uti habet Regula : poteſt tamen ſurrogari tertius in jus defuncti, Rota, Lott.Roſa à *n* 179.Si autem defunctus nõ fuerit in poſſeſſione, & ſurrogatio data ſit ſub conditione, vel ex ſuppoſitione, quòd in poſſeſſione fuerit, ſurrogatio nulla eſt, Garc.*p.6.c.4.à nu.*35. ſufficit tamen, quòd aliquo modo poſſederit, bene vel malè, Lott.Roſa *n.*63. ſed ſi ante mortem fuit ſpoliatus poſſeſſione, eique non debebatur manutentio,ſurrogato non eſt debita immiſſio in poſſeſſionem, Lott.Ameyd.Roſa *nu.*67. præſumitur autem mortuus in poſſeſſione, ſi hanc habuit, & non probatur amiſiſſe, uti cum communi Roſa *n.*70.

§.12. Nullum tempus eſt præfinitum collitiganti ad obti- 545
nendam ſurrogationem, ad effectum, ut deinceps ſibi denegetur, ſed tantùm ad effectum, ut ſi concedatur tertio, hæc reddatur nulla, ſi collitigans ſurrogationem petat infra menſem ab impetratione, vel conceſſione facta tertio, Rota,Lott. Roſa à *nu.* 190. contra Mandoſ. & Ameyd. qui putant petendam eſſe infra menſem.

§.13. In ſurrogatione communiter dantur litteræ, non 546
tantùm ad jus defuncti, ſi quod habuit, ſed etiam ad poſſeſſionem, Lott.Roſa *n.*12.Leur.*p.2.q.*813.debet tamen de hoc fieri mentio, nec ſufficit dici, quòd ſurrogetur in jus, & ad jus, Chok.ad dictam Reg.litt.M.& hoc non obſtante, quòd ſurrogatio à Papa detur etiam ad poſſeſſionem, tamen ſi Titius ſit ita proviſus à Papa, & Cajus eadem die ab Ordinario, ac hic prior ceperit poſſeſſionem, manutenetur, ſecundùm dicta *n.* 471.is enim eſt ſtylus curiæ,uti teſtatur Roſa *n.*58.*& 66.* Gonz. apud Leur.*qu.*826.Vide etiam dicenda *n.*578.Si autem anteceſſor Titii fuiſſet poſſeſſione exturbatus,ſurrogatus non cõtinuaret poſſeſſionem,poſſet tamen etiam pendente lite incipere, ſi nec Cajus nec alius contradictor eam occupet,Lot.Leur.*q.*814.

§.14. Si ſurrogatio detur etiam ad poſſeſſionem, tum ma- 547
ximè dicitur gratioſa, cujus ea eſt vis, ut probatis his tribus, *Clericatu ſurrogandi*, *lite*, *poſſeſſione defuncti*, ſine juſtificatione principalis gratiæ, dummodò fuerit ad eam aliquis color boni juris, ſtatim habeat locum, & debeatur immiſſio in poſſeſſionem, Lott.Leur.*q.*815. & hoc Rota millies decidit, inquit Roſa *num.*14.*&* 140. prærequiritur tamen adhuc expeditio litterarum, Roſa à *num.*15. quibus productis differri non poteſt immiſſio,niſi fortè duo haberent ſurrogationem pro eodem beneficio, aut alius haberet beneficii poſſeſſionem, de quibus caſibus agit Roſa à *num.*54. Quòd ſi nullus alius poſſeſſionem habeat, poteſt gratioſè ſurrogatus, etiamſi anteà fuiſſet intruſus, nunc purgare vitium, ſaltem ſi hoc narrarit, & propria authoritate poſſeſſionem ingredi, etiam pendente lite, Lott.*& alii cum* Roſa à *nu.*140. E contrà ſurrogatio tum eſt rigoroſa, ſi executori demandetur, ut ſurroget : & hæc indiget non tantùm verificatione narratorum in litteris,ſed etiam diſcuſſione juris defuncti, Lott.*l.3.q.*13.*à num.*32. Roſa *n.*13. *& iterùm à num.*20.

§.15. Si moriatur unus collitigantium, docet Luca *diſt.* 548
92.*num.*35. non poſſe ab ordinario Collatore, vel præſentatore ſurrogari ſuperſtitem, ſed contradicunt Covarr. Roch. Lancell.Pariſ.Garc.*p.5.c.9.à nu.*220.cum hic ceſſet ratio prohibitionis, nam ita ſurrogando non datur novus adverſarius : Et quando Ordinarius prohibetur ſurrogare alium, intelligitur alius à collitigantibus.

§.16. In Gallia non habet locum Regula de ſurrogandis, 549
nec cap.1. & 2. *Ut lite pendente*, *in 6.* quia animadverſum eſt dari occaſionem primis litibus frivolis, ut ſic eluderentur Ordinarii collatores, Rebuff.*in addit.ad Reg. Cancell.* de ſurrog. *Gaſtel.de uſu*, *& praxi Curiæ Rom. pag.*206.teſtantes beneficia litigioſa recidere ad manus Ordinariorum : idem paſſim fit in Belgio, eſſetque forſan utile idem fieri in Germania, præſertim cùm Concordata nihil habeant de hac reſervatione ob litem, nec de ſurrogatione.

*Q.*71. *Quid notandum ſit, circa gratiam, ſi neutri, ſi* 550
nulli ? R.ſeqq.

§.1. Gratia, *Si neutri*, conceditur illi tantùm collitiganti, qui Apoſtolicè proviſus eſt, & ſic quaſi firmatur prima gratia ipſi facta : dicitur, *Si neutri*, quia datur tantùm ſub conditione, ſi neutri eorum ſit jus quæſitum,unde non tollit jus quæſitum ex præſentatione, vel proviſione Ordinarii, &c.poteſtque etiam alicui tertio concedi, ſed ſi concedatur collitiganti, non eſt opus juſtificare narrata in prima gratia, ſed tantùm in hac ſecunda. Vide Roſam *de Exec.Lit.Apoſt.p.*1.*c.*18.

§.2. Gratia, *Si nulli*, eſt ſimilis, & conceditur, ſi nulli 551
ex pluribus quàm duobus collitigantibus ſit jus quæſitum. Vide Roſam *n.*33.& Caſtrop.*t.*13.*d.*2.*p.*31.§.1.*n.*2.

*Q.*72. *Quænam pactiones, vel compoſitiones ſint licitæ ad terminandas controverſias circa Beneficia?* Reſp.Conſtabit *ex ſeqq.*

§.1. Omnis ceſſio beneficii, vel juris etiam dubii circa be- 552
neficium, ſi fiat propria authoritate propter aliquid temporale, eſt ſimoniaca, uti tenent omnes cum Caſtrop. *t.*17.*d.*3.*p.*19. *n.*1.Nec poteſt abſque ſimonia ferri ſententia, ut unus ſolvat aliquid temporale pro jure ſpirituali ſaltem dubio, quod alteri competit : ſic enim temporale eſſet pretium ſpiritualis : ſi tamen quis habens jus in beneficio, per ſententiam cogatur dare aliquid temporale, cenſebitur dare ad redimendam vexam, Suar.Pirh.*l.*3.*t.*19.*n.*49.

§.2. Si reſignes liti beneficiali, paciſcendo de recuperan- 553
dis tuis expenſis, eſt ſimonia. Cap. *Cùm pridem*, De pactis, Pariſ. Corr.Pirh. Vide dicenda à *num.*1059. Idem eſt, ſi reſignes huic liti pro obtentione alterius Beneficii, quia eſt pactio in beneficialibus, quæ ſecundùm dicta *l.*3.*par.*1.*num.*57.&

70.pro-

70. prohibetur velut ſimoniaca, Az. Suar. Lambert. Caſtrop. Item ſi ex duobus electis alter alterum corrumpat, ut juri ſuo reſignet, Majol.Lott.Leur. *p.3.q.751.*

554 §.3. Si duo litigent circa plura beneficia, illicita eſt pactio, ut hic unum, alter alterum beneficium habeat, quia, ut dictum eſt, in materia beneficiaria pactiones ſine authoritate Superioris ſunt prohibitæ, & ſpecialiter hìc, ubi cùm jus utriuſque partis ſit dubium, non poteſt per voluntatem tranſigentium transferri hoc jus in illum, & illud in alterum, ſed hoc fieri debet authoritate Superioris, Suar. *De ſimon.c.51.n.14.* Si tamen Cajus litiget pro habendo beneficio Titii, & Titius pro habendo beneficio Caii, poſſunt authoritate propria paciſci, ut alter cedat à lite, ſi alter viciſſim cedat, quia ibi non fit compoſitio ſuper beneficiis, ſed ſuper lite tantùm, Suar. *n.15.* Si lis ſit ſuper aliis juribus ſpiritualibus, v.gr. ſuper juriſdictione in locum aliquem, ſuper jure præſentandi ad beneficium, &c. poſſunt fieri tranſactiones, uti dictum eſt lib.3. par.1. num.114.

555 §.4. Si duo litigent, habentes jura tantùm ad beneficia, Rayn. *l.2.ſ.1.c.2.n.38.* putat, ſi accedat Epiſcopi authoritas, fieri poſſe compoſitionem, permutando jus unum cum altero; & idem videtur inſinuare Suar. *num.16.& 20.* ſed Caſtrop. *n.2.* requirit ad hoc authoritatem Papæ, quia permutatio jurium ad beneficia fieri non poteſt apud Ordinarium, ut dicetur num.1085.

556 §.5. Poteſt fieri compoſitio inter litigantes, per ſententiam judicis ordinarii vel delegati, vel arbitrorum Eccleſiaſticorum, aut compromiſſorum à Superiore deputatorum pro tentanda concordia, qui accedente partium conſenſu, & compromiſſo adjudicent beneficium illi, pro quo videtur eſſe jus probabilius eique imponant pendendam alteri certam pecuniam, vel aliud temporale, non in compenſationem juris, ſed ob bonum temporale pacis, & ut à lite etiam in temporalibus noxia recedatur, Cap. *Non ſine*, 2. De arbitris, Barb. *De jure Eccl.l.3. c.15.n.50.* Poteſtque etiam eſſe penſio annua in certa quantitate impoſita, non beneficio, ſed beneficiato, & ad vitam hujus tantùm beneficiati, uti habetur cap. *Niſi eſſent*, De Præb. Imò putant Abb. Cardin. Cacialup. Gamb. Mandoſ. Redoan. Duenn. Cuch. Suar. *nu.18.* Caſtrop. *n.5.* Rayn. *c.10.nu.16.* Grat. apud Dian. *p.9.t.9.R.49.* etiam ab Epiſcopo poſſe imponi ad vitam penſionarii, vel beneficio, vel per conſenſum hujus beneficiati, etiam ſucceſſoribus, quia cap. *De cetero*, De tranſact. dicitur, quòd penſio ſine authoritate Epiſcopi impoſita durare non debeat, niſi ad vitam illius, qui ſolvit; ex quo inferunt poſſe per authoritatem Epiſcopi imponi etiam ad vitam illius, cui ſolvitur, ſed communiùs contradicunt alii cum Fagn. ad cap. *Niſi* De Præb. & Luca *De penſion.d.40.n.5.*

557 §.6. Si compoſitio fieret privata authoritate partium, eſſet ſimoniaca, neque à Superiore approbari poſſet, Cap. *Niſi eſſent*, *De præb.* Garc. Chok. Leur. *qu.445. num.1.* Et ratio eſt, quia tum præſumitur dari temporale pro ſpirituali ob utilitatem perſonarum contrahentium; è contrà Judex cenſetur intendere bonum pacis, & concordiæ, Suar. *n.19.* Caſtrop. *n.6.* Pirh. *n.39. Nec obſtat*, quòd volentes permutare poſſint paciſci de modo, ſub conditione, ſi Superior approbet, uti dicetur n.1106. *nam* hìc obſtat ſpecialis prohibitio.

558 §.7. Simonia eſt litem beneficialem privata authoritate terminare interventu ſortium, quia eſt pactio in materia beneficiaria, Suar. *De ſuperſt.c.12.n.3.* Rayn. *c.2.n.24.* poſſetque fieri, ut is, cui ſors faveret, reipſa careret titulo, quem alter litigans ei dare non poteſt. Quòd ſi interveniat authoritas Superioris, potentis dare titulum, non videtur illicitum adhibere ſortes, nã licèt in quibuſdam electionibus Eccleſiaſticis interdicatur earum uſus, nulla tamen hìc eſt electio; nec beneficium recipitur ex vi ſortis, ſed ex vi juris prætenſi, ſortibus tantùm removentibus obicem, Gl. Abb. Suar. *n.14.* Rayn. *ſuprà*. Quid fieri poſſit, ſi partes nec velint compoſitionem, nec ſortes, & ſit rationum æqualitas, dicetur *n.1495.*

559 *Q.73. Quænam circa proviſionem beneficiorum ſit poteſtas Cardinalium, Legati Apoſtolici, Epiſcopi, Vicarii Generalis, Capituli ejuſque Vicarii; item Monaſteriorum?* R. Videri poteſt, Leur. *p.2.* De Cardinalibus, q.639. & ſeqq. De Legato Apoſtolico, q.649. & ſeqq. De Epiſcopo, q.664. & ſeqq. De Vicario Epiſcopi, q.681. & ſeqq. De Capitulo, Sede tam vacante, quàm plena, & de ejus Vicario, q.696. & ſeqq. De Monaſteriis, Abbatibus, Abbatiſſis, &c. q.718. & ſeqq. Diximus etiam aliqua circa Epiſcopum, *n.369.& 489.* Circa Vicarium generalem, *nu.250.* Circa Capitulum Sede vacante, dicemus *n.601.*

560 *Q.74. Quid notandum ſit circa abſolutionem beneficii?* R. ſeqq.

§.1. Devolutio, eſt juris ad providendum translatio in alium, ob negligentiam, vel culpam illius, ad quem ſpectabat providere. Fit ob bonum Eccleſiæ, ne beneficia diu vacent, Cap. 2. *De conceſſ.præb.* Cap. *Licèt*, De ſuppl. neglig. prælat.

561 §.2. Datur devolutio, 1. Si intrà tempus à jure præſcriptum neglecta ſit proviſio: debet tamen probari ſciviſſe eum, ad quem ſpectabat providere, potuiſſe & noluiſſe providere, Lott. *l.2.q.24.àn.6.* Leur. *p.2.q.740.& q.745.n.2.* Neque hìc expectatur purgatio moræ, ſed ſic evoluto tempore jam perditum eſt jus, Abb. Az. Caſtrop. *t.13.d.2.p.34. n.4.* Barb. *De Pot. Ep. alleg.73.n.169.* Lott. *àn.53.* Leur. *q.738.& 744.* 2. Ob proviſum ſcienter indignum, aut inhabilem, Garc. *p.10.c.3.n.3.* Caſtrop. *n.5.* 3. Ob dilatam nimiùm inſtitutionem, poſt appellationem legitimam, &c. Leur. *q.177.* Item ob negligentias alias in conferendo beneficio reſignato, &c. uti ſuis locis dicetur.

§.3. Impedimentum, ſive facti, ſive juris, etiamſi ex pro- 562
pria culpa ſit cauſatum, dummodò non ideò ſit inductum, & non facilè potuerit removeri, excuſat hìc à negligentia, Cap. *Quia diverſitatem*, De Conceſs. Præb. Gutt. Lott. *à num.18.* fuiſſe autem legitimum impedimentum, probari debet à volente retinere jus, quia non præſumitur, Lott. *num.22.* Leur. *quæſt.741.*

§.4. Devolutio nihil immutat in beneficio, ſed debet hoc 563
conferri ſecundùm eaſdem qualitates, conditiones, quas ſecum affert fundatio, Az. Gonz. Gutt. Barb. Caſtrop. *n.3.* Lott. *n.63.* Leur. *q.743.* hinc conferens ex devolutione videtur tantùm præcipere poſſe, ut à ſe proviſus mittatur in poſſeſſionem ab iis, ad quos de cetero ſpectat. Vide Leur. *q.748.*

§.5. Devoluto non fit ad parem, vel inferiorem, ſed ad Su- 564
periorem, ut inferioris negligentiam quaſi corrigat; hinc à Capitulo fit devolutio ad Epiſcopum, non contrà, Caſtrop. *n.2.* quamvis Az. Rebuff. Garc. *n.33.* Pirh. *l.3.tit.8.n.34.* putent etiam fieri ad Capitulum ab Epiſcopo, in beneficiis, quæ jure proprio confert, ob magnam communicationem, quam ad ſupplendum invicem habent caput, & membra; quod admittunt Laym. & Lott. *à num.40.* quando Epiſcopus ſcienter indigno contulit, confirmavit, inſtituit, dicunt enim ex diſpoſitione juris, Cap. 2. *De conceſſ.præb.* Capitulum tunc fieri authoritate Superiorem Epiſcopo; Si tamen Epiſcopus, & Capitulum habentes ſimultaneam proviſionem hanc diviſerint in turnos, & Capitulum, vel Canonicus pro Capitulo proviſurus in ſuo turno negligat, non devolvitur ad Epiſcopum, nam reſpectu hujus beneficii ſunt pares, ſed ad utriuſque Superiorem, cap. 2. *De conceſs.bræb.* Caſtrop. *n.2.* Garc. *n.35.* Pirh. *n.39.* Leur. *qu.745. n.1.* Quòd ſi ſimultaneè providere debebant, & unus negligat, totum jus devolvitur ad conſortem, ſi autem uterque neglexit tempus, devolvitur ad Superiorem, Luca, Leur. *q.751.* An Capitulum Sede vacante poſſit providere de devolutis, dicetur *num.601.*

§.6. Devolutio fit gradatim ab ordinariis Collatoribus ad 565
Epiſcopum, qui tunc beneficia non exempta confert jure proprio, exempta autem, v.g. ſpectantia ad Regulares exemptos, ex delegatione Papæ, Luca *De benef.d.27.n.10.* Leur. *q.747.& q.754.nu.4.* Similiter jus devolvitur ab Epiſcopo ad Metropolitanum, etiamſi Epiſcopus eſſet Cardinalis, Gonz. Garc. Leur. *q.749.* A Metropolitano ad Primatem, vel Patriarcham, ſi huic ſubjiciatur. Quoad electionem Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, devolutio fit ad illum, ad quem ſpectat confirmare, qui eſt ſolus Papa, Abb. Pirh. Leur. *q.745.n.3.& q.754.n 7.* Quòd ſi is, ad quem facta eſt devolutio, ſcienter conferat illi, qui ipſo jure inhabilis eſt, devolvitur ad illius Superiorem; ſi conferat illi, qui tantùm poſteà per ſententiam eſt redditus inhabilis, proviſio revertitur ad primum Collatorem, quia jam iterum vacat beneficium poſt proviſionem validam: ſi ignoranter conferat inhabili, non fit devolutio, ſed debet ſe corrigere ſubſtituendo habilem, Caſtrop. *n.7.* Leur. *q.746.* Si verò Epiſcopus ob cenſuram providere non poſſit de beneficiis ſibi ſoli ſubjectis, providet Papa, cap. *Quia diverſitatem*; De conceſſ. præb. Pirh. *n.36.* Vide Leur. *q.752.* Si Vicarius Epiſcopi contulit indigno, devolutio fit ad Epiſcopum, ſi tamen hic collationem ratam habuerit, fit ad Metropolitanum, Rebuff. Laym. Leur. *q.753.* A Legato de latere fit devolutio ad Papam, à Papa non fit devolutio, quia illi nunquam imputatur negligentia, Lott. *n.66.* Leur. *q.744.* Quomodò autem ſe gerere debeat, qui à Papa petit beneficium devolutum, vide Leur. *q.758.*

§.7. Si negligatur præſentatio intrà tempus à jure ſtatutum, 566
devolutio videtur eſſe, non ad Archidiaconum, aut alium, qui inſtituere ſolet, ſed ad Epiſcopum, tum quia Authores paſſim dicunt, ſi inferior negligat, devolvi ad Epiſcopum, tum maximè quia omnes Epiſcopo inferiores non habent de ſe, ut conferant beneficia; imò inſtituunt nomine Epiſcopi, qui iis non commiſit niſi hoc, non autem, ut de devolutis provideant: & reipſa talis proviſio eſt collatio, uti rectè Leur. *q.177. n.1.* collatio autem de jure ſpectat ad Epiſcopum. Oppoſitum videntur tenere Gl. & Lott. Vide Leur. *q.754.*

§.8. Devolutio non habet locum in beneficiis affectis, vel 567
reſervatis Papæ: Et quando quis habet indultum illa conferendi, ſi negligat intrà tempus ſtatutum, redeunt ad Papam, Corr. Garc. *à num.18.* Quæ vacant in menſibus proviſoris ordinarii vi alternativæ, devolvuntur immediatè ad Papam, Lott. *num.36.* contra Gonz. Manualia devolvuntur cum amovibilitate proviſi, & datur in eis purgatio moræ, Garc. *à num.46.*

beneficia conventualia exemptorum, v.g. Abbatia, Prioratus, devolvuntur immediatè ad Papam, Lott.*an.*47. Electiva devoluuntur ad eum, qui habet jus confirmandi, uti volunt Gl.Lott.*n.*4. Vide Leur.*q.*754.

568 §.9. Quilibet Superior, ad quem gradatim fit devolutio, habet semestre ad conferendum, à die notæ devolutionis, Az. Corr.*l.*5.*c.*1.*n.*61. Pirh.35. quamvis devolutio esset facta à laico, qui tantùm habebat quadrimestre, Garc.*n.*9. Leur.*qu.*755. Si tamen Superior dissimulet, valebit provisio, uti & electio facta post tempus elapsum, prior enim provisor censebitur id facere nomine Superioris, Azor. Rebel. Pirh. Leur.*q.*756. Hinc infert Laym.*ad cap. Litteras*, De suppl. negl. num. 1. probabile esse, quòd sic provisus, quamdiu nemo se opponit, possit tuta conscientia retinere beneficium, eò quòd talis provisio sit de jure naturæ valida, quamdiu judex aliud non declaret, Pirh.*l.*1.*t.*10.*n.*3.*not.*3. Vide dicta *n.*310. & dicenda à *n.*836.

569 *Q.*75. *Quid notandum sit circa obtentionem beneficii per preces primarias?* R. seqq.

§.1. Per illas intelligitur indultum, quod Papa dat Imperatori, ut possit in singulis Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis per totum Imperium, prout nunc est, nominare aliquem ad unam primò vacaturam dignitatem, personatum, beneficium, vel officium, etiamsi per præsentationem, vel electionem aliàs conferatur: idque in quocunque mense, quamvis Chok. *in sch. ad prec. prim. pag.*56. pro Leodiensibus dicat excipi menses Ordinariorum.

570 §.2. Imperator posset has preces cedere alteri, Chok. Leur. *par.*2.*qu.*617. Dicuntur autem *preces*, quia Imperator non confert, sed tantùm petit conferri personæ à se nominatæ: *primariæ*, vel quia sunt primæ, vel quia præferuntur cuivis alteri nominationi, vel quia tantùm valent pro prima, & unica vice. Et ut habeant locum, 1. fieri non debent ad dignitatem majorem post Pontificalem in Metropolitanis, & Cathedralibus, nec ad principalem in Collegiatis, & apud Leodienses, etiam non ad dignitates aut beneficia electiva. 2. Ipsi collatores debent habere saltem quatuor beneficia in Imperio, quæ conferant, aut ad quæ præsentent. 3. Pro una persona fieri debent ad unum tantùm beneficium; non obstat tamen aliquem habentem beneficium præsentari per preces, & simul retinere plura compatibilia. Vide Leur.*q.*602. *& seqq.* Item *q.*620.

571 §.3. Cadunt sub preces beneficia reservata Papæ extra Extrav. *Ad Regimen*, Pirh. *De præb. num.*382. *Vvagner.* ad Cap. *Is qui*, *De præb. pag.*494. Chok. *pag.*29. Item devoluta ad Ordinarios, & resignata in manus Ordinarii. E contrà à precibus libera sunt beneficia juris patr. laici, aut mixti, si competat ex fundatione, vel dotatione; item regularia requirentia professionem religiosam; litigiosa, nisi lis esset solùm super possessione; devoluta ad Papam; resignata in favorem; permutata; erecta post concessas preces; manualia, incorporata menssæ Episcopi, Capituli, vel Abbatis; exempta, commendata: item Officia cadentia in laicos. Vide Leur.*q.*607. 608. Item liberæ sunt præbendæ Canonessarum, quia non sunt beneficia, nec Papa ipse habet de eis disponere, secundùm dicta à *n.*229.

572 §.4. Potest per preces nominari carens qualitate aliàs requisita per statutum, vel etiam per jus commune, dummodò dispenset Papa. Vide Leur.*q.*610. Nominatus autem per preces instituì debet ab Ordinario, uti probabiliùs tenent Engel. & Leur.*q.*613. contra Vvagner. qui dicit instituì debere per executores precum, ab Imperatore cum authoritate Papæ constitutos, de quibus vide Leur.*q.*614.

573 §.5. Si Imperator moriatur post datam, & à Precista admissam gratiam nominationis, quamvis nil ampliùs factum sit, manet gratia, & est exequenda, quia dato, quod se habeat instar mandati, tamen res non est integra, cùm Imperator jam dederit gratiam, sitque acceptata, & gratia Principis debeat esse perpetua, Pariſ. Oldr. Mohed. Leur.*q.*615.

574 §.6. Precista debet intrà mensem à die notæ vacationis beneficii acceptare gratiam, dicendo se velle hoc beneficium vi precum, tumque collatori ordinario hanc suam acceptationem manifestare, Leur.*q.*621. Quo facto, debet executor gratiam exequi infra mensem Leur.*q.*616. Nec impediri potest executio, vel possessio, quia indultum precum derogat omnibus aliis, Leur. *q.*622. *& seqq.* Si autem precista moriatur re non sortita effectum, potest Imperator alium substituere, Leur *q.*618. Quid autem fieri debeat, si plures ad idem beneficium nominentur, explicat Leur. *q.*619. Quòd si precista nolit acceptare primum beneficium vacans, potest expectare secundum, vel tertium, Chok. Pirh. Vvagn. Leur. *q.*621. *n.*5.

575 §.7. Præscribi non potest contra indultum precum, quia contra privilegium consistens in voluntate utendi non præscribitur: Nec Papa illi unquam derogat. Precista amittit gratiam precum, si fiat inhabilis, &c. item si renunciet, etiam tacitè, v.g. ducendo uxorem, sequendo militiam, &c. Chok. V. Leur. *qu.*625. *& seqq.* Item *Dissertationem de primariis precibus* editam Friburgi 1707.

*Q.*76. *Quid dicendum sit, si idem beneficium eadem vel diversa die pluribus conferatur, vel cedatur?* R. 576

§.1. De hac concurrentia in data litterarum agitur cap. *Duobus*, 14. De rescriptis in 6. sed clariùs in Regulis Cancellariæ: Reg.17. *Item voluit, quòd de concurrentibus in data ejusdem diei super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis, illi, quibus gratiæ motu proprio conceduntur, ceteris simili modo gratias non habentibus; aliàs graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æquales graduatos prius graduatis; nec non colorato titulo possessores non possessoribus; ac inter personas alias in Curia præsentes absentibus ab ea; ac inter præsentes, non beneficiati beneficiatis, & similiter inter absentes ceteris paribus oriundus non oriundo, Diœcesanus non Diœcesano; in reliquis verò singuli, qui prius Apostolicas desuper litteras earum executoribus præsentarint, aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione præferantur.* Reg.34. *Si ipsum resignantem, seu cedentem pluries super uno, & eodem beneficio in favorem diversarum personarum successivè consentire contigerit, voluit Sanctitas sua, quod primus consensus tenere debeat, ac litteræ eorum prætextu etiam sub priore data expeditæ pro tempore, nullius sint roboris, vel momenti.*

§.2. Si quis obtinuit gratiam sub conditione, & hanc nec- 577
dum purificata alius die eadem, vel etiam posteriore obtineat purè, seu absque conditione, hic prævalet, quia conditio suspendebat provisionem, alter autem interim acquisivit jus in re, Cap. *Si prote*, De Reser. in 6. Laym. Lott. Leur. *p.*2.*q.*771.

§.3. Si Papa volens concurrere, seu prævenire, contu- 578
lerit eadem die beneficium Titio, & Ordinarius Cajo, qui etiam prior possideat, Cajus præfertur secundùm dicta *num.* 471. *&* 546. Si neuter possideat, nec sciatur, quis prævenerit, præfertur Titius, quia est præsumptio pro falso antedato Ordinarii, arg. Cap. *Si à sede*, De Præb. in 6. Barb. Gonz. Castrop. Luca, Pirh. Leur. *q.*518. Si Cajus moriatur, & Ordinarius substituat Sempronium, quamvis hic ante Titium capiat possessionem, adhuc præferendus erit Titius, quia sic decisum est à Rota apud Gonz. & Leur. *q.*825. *n.*4. Quid autem requiratur ad faciendam fidem de anteriore provisione Ordinarii, vide Leur. *q.*519. Si tam Titius, quàm Cajus cœperit possessionem, & provisio solius Caii exprimat horam, præfertur Cajus; si Titius possideat, quamvis provisio hujus non expresserit horam, videtur præferendus, licèt Caii provisio horam expresserit, quia præsumptio ex possessione videtur superare præsumptionem ex hora, Tiraq. Mascard. Rebuff. Gonz. Leur. *qu.*825. *nu.*2. contra Menoch. Mandos. Quod Gonz. & alii cum Leur. *n.*3. extendunt, etiamsi possessio non sit capta eadem die factæ provisionis: Idem dicunt alii cum Gonz. & Leur. *n.*4. licèt Titius, qui citius possessionem acceperat, hanc dimiserit, & Cajus, qui seriùs acceperat, eam semper retinuerit, quia per possessionem priorem Titii præcludebatur jus Cajo, quod jus nunquam convaluit. Vide dicta *n.*546. Quid autem dicendum sit in dubio, an fuerit mensis Papalis, an ordinarius, dictum est *num.*488.

*Q.*77. *An beneficia concedi debeant dignioribus?* R. Con- 579
stabit ex seqq.

§.1. Inn. XI. damnavit hanc 47. prop. *Cùm dixit Concilium Trid. eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primò videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundò locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos, vel tandem loquitur, quando fit concursus.* Ex qua damnatione patet, per digniores, quos Trid. præcepit præferri, intelligi simpliciter digniores, comparativè ad alios dignos, & non tantùm, quando fit concursus, sed etiam extra.

§.2. Qui promovet indignum ad quodcunque beneficium 580
Ecclesiasticum, peccat mortaliter, tum quia Conc. Later. & Trid. severè præcipiunt, ut beneficia conferantur dignis, alioqui promovens indignum incurrat pœnas Constit. *Grave nimis*, tum etiam quia talis promotio cedit in grave damnum Ecclesiæ, cui etiam debetur restitutio, uti habet communis cum Garc. *p.*7.*c.*16.*n.*47. Fill. *t.*41. *n.*183. Castrop. *t.*13.*d.*2.*p.*11.§.4.*n.*1. Ac tenetur damna illa compensare, ante omnes indignus, qui procuravit sibi beneficium; post hunc, qui providit; denique cooperatores. Speciatim autem de pœna præsentantis indignum diximus *n.*317. De pœna eligentis, *n.*404. Vide Leur. *p.*2.*q.*764. Quomodò verò peccet, qui indignum promovet in Doctorem, vel Licentiatum, videri potest Sanch. in Conſ. *l.*2.*c.*1.*d.*57.

§.3. Putat cum aliis Lugo *de just. d.*35.*n.*5. si nullus occur- 581
rat dignus, licitum esse promovere indignum ad excludendum indignissimum, quia graviora mala afferet Ecclesiæ, sed alii apud Dianam *p.*1.*t.*4.*R.*38. contradicunt, quia non est licitum facere intrinsecè malum, quamvis sit minus, ut evitetur majus, promovere autem indignum videtur esse intrinsecè malum, unde potiùs permittenda esset vacatio. An provisio indigni sit ipso jure irrita, videri potest Lugo *n.*9.

§.4. Cer-

582 §.4. Certum eſt, quòd is, qui ad Cardinalatum, vel Epiſcopatum promovet minùs dignum prætermiſſo digniore, peccet mortaliter, nam de tali loquuntur Trid. *Seſſ.24.c.1.* De Reformat. & prop. damnata *num.579.* relata : Docetque ſententia communis ad hoc graviter obligari etiam Papam, & Reges, quidquid contradicat Regin. cujus ſententiam Dian. *p.2.t.15.R.* 40. reputat probabilem, ſed ſine fundamento. Idem videtur eſſe de promotione eorum, qui habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem, uti Abbates, & ita expreſsè habet auth. *De Monachis*, Cap.9. §. *Ordinatione*, dicens eligendum eum, quia apparuerit optimus. Idem eſt quoad Priores, Guardianos, Rectores, uti docent Vaſq. Rebel. Valent. Azor. P. Nav. Mendo *d.13. à n.* 279. Carden. *in 2. Criſi d.28.n.5.* contra Caj. Valer. & Th. Hurt. apud Mendo *n.*708. Et rationes patebunt ex dicendis.

583 §.5. Qui ad beneficium curatum promovet minùs dignum prætermiſſo digniore, etiam peccat mortaliter, S. Th. Gutt. Barb. Rebell. Leſſ. Garc. Caſtr. Luca, Leur. *p.1.q.211.* contra Gl. Hug. Sot. Alenſ. & alios apud Dianam ſuprà, quorum ſententiam Fill. *num.*181. & Burgh. *cent.1.caſ.*18. putant eſſe probabilem, quamvis talem eſſe non agnoſcat Diana *ibid. & p.11.t.4.R.*34. Ratio eſt 1. quia Trid. *cap.*18. id præcipit, & cùm ſit materia gravis, maximique momenti, utique ſub mortali, jubet enim pro parochis inſtitui examen, *ex hiſque*, inquit, *Epiſcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, atque illi, & non alteri collatio Eccleſiæ ab eo fiat, ad quem ſpectabit eam conferre ∴ is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur : cùm verò inſtitutio ab alio quàm ab Epiſcopo erit faciendæ, tunc Epiſcopus ſolus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præſentet, ad quem inſtitutio ſpectat.* Similiter propoſitio damnata videtur intelligenda de beneficiis curatis; nam loquitur de beneficiis, quæ conferuntur, *quando fit concurſus*, rarò autem fit concurſus pro Epiſcopatibus, & ſemper fieri deberet pro parochiis. 2. Eſt gravis obligatio promovendi digniores ad Epiſcopatum, quia ità poſtulat bonum animarum, & Eccleſiæ utilitas, ergo etiam ad beneficium curatum, quia ita etiam poſtulat bonum animarum, & utilitas Eccleſiæ, quæ dignior magis promoturus eſt. 3. Si aliter fiat, eſt acceptio perſonarum in re gravi, uti rectè S. Th. *2.2.q.63.art.2. ad 3.* quando enim perſona digna præfertur digniori, pro motivo præferendi acceptatur aliquid velut cauſa, quod cauſa non eſt, & circumſtantia nihil conferens ad cauſam, ſubſtituitur pro circumſtantia conferente ad cauſam; Et pro hoc hęc verba S. Hieronymi adducit S. Th. *q.*185. *art.3.* in O. *Quidam non quærunt eos in Eccleſia columnas erigere, quos plùs cognoſcunt Eccleſiæ proeſſe, ſed quos plùs ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel dediti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, &, (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt: hoc autem pertinet ad acceptionem perſonarum, quæ in talibus eſt grave peccatum :* Plures rationes dabuntur *n.*588.

584 §.6. Etiam tenentur digniorem præferre, qui per liberam præſentationem, vel collationem provident de beneficiis curatis, quamvis fortè ſint laici, Sanch. *d.5.* Leſſ. *l.2.c.34.nu.64.* Lugo *num.*40. Mendo *num.*261. Carden. *num.39.* contrà Ricc. Nav. Lambert. Henriq. Garc. Barb. Caſtrop. *p.7.num.6.* Burgh. ſuprà, & alius apud Mendo *num.*270. Probatur, quia de his valent rationes datæ, & dandæ.

585 §.7. Si plures ad beneficium curatum præſententur inæqualiter digni, dicunt multi Inſtituentem poſſe eligere, quem volet, dummodò dignum, ſed Barb. & alii cum Caſtrop. *p.9.n.3.* probabiliùs dicunt præferendum digniorem, ob rationes datas, & dandas : Imò Dian. *p.9.tr.8.R.16.* dicit tum reipſa eſſe velut concurſum, quia præſentans videtur appellare ad judicium Inſtituentis, ut magis idoneum præferat.

586 §.8. Si quis reſignet, vel permutet beneficium curatum, communis ſententia cum Az. & Barb. *De off. Parochi c.2.n.101.* dicit ſatis eſſe, ſi transferat in aliquem dignum, quia dimittit hoc, quod ſuum eſt, & propter quod, ſi retineret, non teneretur plùs facere, quàm mediocriter idoneus, ergo ſubſtituendo talem ſatisfacit : accedit, quòd reſignans, vel permutans non ſit diſtributor beneficii, ideoque non videatur teneri quærere, aut deſignare digniorem. Addunt Caj. Salon. Regin. Leſſ. Lugo *n.*51. Caſtrop. *p.11.§.2.num.11.* Dian. *p.2.tr.15.R.41.* talem minùs dignum poſſe à Superiore inſtitui : è contrà Nav. Sot. Vaſq. Paſſer. Pariſ. & alii cum Carden. *n.*45. dicunt etiam talem reſignantem, vel permutantem teneri eligere digniorem, ſi occurrat, & fatetur Leſſ. ſi multò dignior ſe offerat, vel ſit in promptu, charitatem boni communis obligare, ut præferatur; Et in hanc partem etiam multùm inclinat Lug. tenetque eandem Leur. *p.3.qu.*838. (quamvis oppoſitum inſinuaſſet qu. 352. & par.1.qu.211.num.3.) ſi ille, qui per reſignationem, aut permutationem beneficium accipit, ſit notabiliter minùs dignus, præferendum eſſe digniorem, rationes enim ſunt eædem, ut conſideranti patebit.

587 §.9. Proviſio curati digni præ digniore eſt valida, ſaltem ſi fiat extra concurſum, Barb. *à n.*97. Caſtrop. §.3. *n.1.* Leur. *p.2.nu.*474. Etſi facta ſit, nequidem eſt irritanda, quia per hoc aperiretur janua ad multas lites, ſcandala, inimicitias, detractiones, Luca *De Benef. d.67.nu.*10. Quid autem dicendum ſit, ſi præceſſerit concurſus, dicetur *n.*628.

588 §.10. Probabilius videtur etiam eum peccare mortaliter, qui pro beneficio ſimplici præfert dignum digniori, ita S. Tho. Caj. Vaſq. Caſtrop. §.2. *nu.*8. aliique multi apud Carden. *num.9.* Conſentiunt Nav. Az. Sa, Fill. *num.*179. ſi fiat paſſim, non autem ſimul, aut bis. Conſentiunt Rebell. Mald. Leſſ. Regin. ſi fiat in Beneficiis majoris momenti, uti in primario Canonicatu : Contradicunt tamen Sanch. & alii cum Barb. *n.*103. dicentes in beneficio quocunque ſimplici non peccari mortaliter, quia cùm nec Trid. nec Canones prærequirant concurſum, vel ſpeciale examen, innuunt ſatis eſſe, ſi provideatur dignus; fatentur tamen plerique per hoc peccari venialiter. Aliqui cum Garc. & Dian. *p.2. t.15.R.*38. excuſant ab omni peccato, quorum ſententiam Luca *num.3. & d.69.num.9.* dicit conſuetudine eſſe receptam, Carden. fatetur probabilem, ſi beneficia nequidem mediatè habeant annexam curam : ſed ratio noſtra eſt, 1. Quia ſic videtur declarare Inn. III. C. un. *Ut Eccl. Benef. ſine diminut.* ubi loquens de beneficio ſimplici, dicit, *Diſcreto judicio debuiſti Eccleſiaſticum officium, & beneficium in perſona magis idonea diſpenſare.* 2. Quia etiam hic eſſet acceptio perſonarum in re gravi. 3. Quia finis primarius inſtituendi beneficia fuit major Dei cultus, & majus bonum Eccleſiæ, finis autem ſecundarius fuit remuneratio benemeritorum, uti cum aliis rectè Carden. *num.7.* ſed ſi excludantur digniores, uterque hic finis impeditur, qui omninò magni momenti eſt, ergo. 4. Sic excludens digniorem facit contra fidelitatem debitam ex officio, Eccleſia enim commiſit huic, vel illi poteſtatem providendi de beneficio ea tantùm conditione, ut utatur tanquam fidelis diſpenſator ſecundùm fines ab Eccleſia in erectione beneficiorum intentos, & hic finis eſt aliquid in ſe grave, ſeu magni momenti, violare autem fidem ex officio debitam in re gravi eſt mortale, uti rectè Fill. *num.*178. ergo. Ex his,

Sequitur, ſi inter plures æqualiter præſentatos ſit alius alio dignior, præferendum digniorem, Vivian. Roch. Az. Lop. Barb. Caſtrop. Corr. Pirh. Leur. *q.*193. *n.3.* Similiter ſi confirmatori proponantur plures electi, tenetur confirmare digniorem, quia in eo caſu ſuſtinet partes electoris, & confirmatoris, Led. Arm. Donat. Si tamen unicus ſit electus, etiamſi dignior ſit prætermiſſus, confirmari debet, ſi ſit dignus, quia ad vitandas lites aliaque incommoda ita præcipitur Cap. *Poſtquam*, 3. De elect. Caj. Bann. Covar. Rodriq. Donat. Paſſ. V. Leur. *q.*474.

589 §.11. Etiam in electionibus apud Religioſos præferri debet dignior, Rebel. Sot. Vaſq. & alii communiter cum Lugo *n.* 55. contra Valer. & Caſtrop. *p.11.§.2.n.14.* Refert tamen Lugo multos caſus, in quibus prætermitti poſſit dignior, uti ſi utilius occupetur in alio officio; ſi alioqui eſſet perpetuò futurus ad regimen, aut in digniore officio, quod ſæpè non expedit; ſi reſervetur ad aliam functionem cum majori emolumento boni communis. Vide dicenda *n.*592.

590 §.12. Qui dignus erat, & beneficium obtinuit excluſo digniore, non tenetur illud dimittere, ſaltem ante ſententiam, Leſſ. Th. Hurt. Caſtrop. §.5. *num.6.* contra Rebell. Imò qui ſe agnoſcit minùs dignum quàm alium, poteſt ſe offerre ad beneficium, relinquendo totum judicium examinatoribus, vel Collatoribus, Caj. Cov. Azor. Leſſ. Dian. *p.3.t.5. R.*110. quod admittit Caſtrop. *num.1.* ſi dubitet, nam ſi clarè cognoſceret ſe eſſe minus dignum, neque putaret ſe compenſaturum defectum per ſpecialem diligentiam, dicit eum non poſſe petere abſolutè, quia peteret hoc à Collatore, quod hic licitè præſtare non poſſet, ergo petendo peccaret: Si tamen bona fide tentet aleam, & præferatur aliis, poteſt acceptare, ſequendo judicium aliorum, Sot. Tur. Quid agendum ſit, ſi lis oriatur inter dignum, & digniorem, videri poteſt Caſtrop. §.3. *à n.*4.

591 §.13. Dignus, qui procuravit ſe præferri alteri, quem ſciebat eſſe digniorem; item promovens dignum præ digniore, non videtur peccare contra juſtitiam, ideoque non tenetur cuiquam aliquid reſtituere, non Eccleſiæ, uti certum eſſe dicit Caſtrop. §.4. *n.2.* docentque etiam Mol. & Leſſ. quia Eccleſiæ aſſignatur idoneus Miniſter, cujus labor eſt par ſtipendio. Nec digniori, uti tenent Adr. Nav. Cov. Gutt. Valent. Tol. Az. Leſſ. Rebell. contra Palud. Arag. Caj. Salon. Bann. Silv. Lop. P. Nav. Rodriq. Med. Led. Vaſq. Ratio eſt, quia dignior non habet jus ad beneficium, ſicuti melior operarius non habet jus, ut vocetur ad laborem pro ſtipendio : aliud tamen eſt, ſi per concurſum judicatus ſit dignior, uti dicetur *n.*628.

592 §.14. Dignior poteſt aliquando præteriri, uti ſi beneficium ex fundatione conferri debeat perſonæ certæ urbis, vel familiæ, &c. Caſtrop. §.2. *nu.5.* Si tamen in tali urbe, vel familia ſint duo inæqualiter digni, præferri debet dignior, Baſſ. Leur. *q.*154. *n.1.* Item præteriri poteſt dignior, ſi reſervetur ad aliud beneficium, in quo erit Eccleſiæ utilior, quamvis fortè hoc bene-

beneficium ſit futurum tenujus, Caſtrop.*n.*13.Lug.*à n.*24.Ratio eſt, quia obligatio præferendi digniorem eſt primariò ob majus bonum Eccleſiæ, ergo ubi hoc non eſſet, ceſſat illa obligatio: Similiter fieri poteſt, ut digniſſimus poſtponi poſſit digniori,nam ſi inter tres eligendos unus ſit dignus,alter dignior, tertius digniſſimus, & prævideam, ſi votum meum dem digniſſimo, fore ut dignus plura vota habeat quàm dignior, poſſum præterito digniſſimo dare votum digniori, quia ſic magis attingo mentem Eccleſiæ, & finem beneficiorum, Vaſq. Cur.Leſſ.Caſtrop.*n.*12.Lugo *n.*31.

593 §.15. Per digniorem, qui dicitur ſub mortali præferendus, intelligitur notabiliter dignior : ſi autem in uno ſit parvus exceſſus ; an mortale ſit digniorem tum prætermittere, dicetur *l.*5.*n.*204. Docent tamen Sot.Bann.Salon.Valent.Rodriq. apud Dianam *p.*5.*t.*5.*R.*13. eſſe tantùm veniale, ſi beneficium ſit parvi momenti, & poſtponatur, qui tantùm parum excedit. Quòd ſi videatur eſſe æqualitas inter plures, aut dubium ſit, & diſcerni nequeat, quis ſit dignior, liberum eſt præferre, quem voles.

594 §.16. Notant Sigiſm.Paſſ.Leur. *q.*293.*nu.*2. tutius eſſe eligi dignum, de cujus dignitate conſtat, quàm eum, qui videtur dignior, de cujus majore dignitate habetur ſolùm probabilitas: ſi tamen certum ſit eum eſſe æqualem digno, præferendus eſt, quia per hoc ſuperat, quòd probabiliter ſit dignior.

595 §.17. Rectè notat Mendo *n.*277. etiam valde conſultum eſſe, ut ad officia ſæcularia aſſumantur digniores, quia id etiam poſtulat bonum commune,ac utilitas omnium, & quando aliter fit, ordinariè eſt acceptio perſonarum, vel ſordida cupiditas pecuniæ, aut lucri proprii.

596 *Q.*78. *Quis hic dicatur dignior, dignus, indignus* ? R. §.1. Dignior dicitur, qui conſideratis omnibus dotibus corporis, & animi creditur futurus Eccleſiæ utilior ; dignus, qui habet qualitates requiſitas ad miniſterium ; indignus, cui deeſt aliqua ex qualitatibus ad miniſterium requiſitis, ſeu qui non poteſt ſatisfacere tali muneri.

597 §.2. Ille non ſemper eſt dignior, qui eſt ſanctior, vel doctior, uti expreſsè S.Thom.2.2.*q.*185.*art.*3. *in O.& ad* 3. Item *q.*63.*art.*2. *in O.* Et quamvis quis quoad aliqua ſit minùs dignus, tamen poteſt cenſeri eſſe dignior, v.g.ſi ſit ex patria, & gratior populo ; ſi non ſit implicatus tot negotiis externis ; ſi ſit eligibilis, alter autem deberet poſtulari : ſi habeat majorem experientiam, &c. Dian.*p.*3.*t.*5.*R.*110. Hinc etiam rectè notat Lugo *de juſt.d.*35.*n.*2. pro majore dignitate ſimpliciter ſtatuenda ſpectandas eſſe circumſtantias: nam ſæpè præferenda eſt doctrina pietati, uti ſi quis inter hæreticos ſit futurus parochus : è contrà ſæpè præferenda probitas, & exemplaris vita doctrinæ, maximè inter Catholicos, & idem eſt de aliis talentis, v.g.concionandi, canendi, converſandi reſpectivè ad templa, & loca, in quibus erit. Addit Barb.*de Off.Paroch.c.*2.*n.*109. judicari debere, quòd ad ultior ſit dignior quàm juvenis, Doctor quàm non Doctor, non habens beneficium quàm habens, ſacerdos quàm non ſacerdos, nobilis,quàm ignobilis, diſpenſatione non indigens quàm egens ; dives quàm pauper, ſi Eccleſia ſit indigens, &c. Vide etiam Leur. *p.*2.*q.*193.*n.*3.*& q.*293.*n.*2. Item dicta *n.*576.

598 *Q.*79. *Quid præterea notandum ſit circa Parochos, parochias, & curata Beneficia* ? R.ſeqq.

§.1. Parochus videtur dici à græco *παροικος accola*, ſeu *incola*, eò quòd parochi collocentur inter eos, quorum quoad animas curam gerunt, Barboſ. *de jure Eccleſ.lib.*1.*cap.*1.*nu.*13. Et parochia ſignificat locum certis finibus limitatum, complectentem familias ſaltem decem, uti vult Barboſ. *cap.*20.*nu.*16. aut ſi jam erecta fuerit parochia, decem perſonas, uti habet Corr.*l.*3.*cap.*5.*n.*10. in quo loco habitet populus deputatus tali Eccleſiæ, quæ in hoc dicitur parochialis, quòd in ea unus aliquis authoritate Epiſcopi conſtitutus exercere debeat curam animarum tali Eccleſiæ aſſignatarum. Notat autem rectè Corr. *num.*3. contra Lott. *lib.*1.*qu.*20.*à num.*55. ſicuti non omne beneficium curatum eſt parochiale, ita nec omnem Eccleſiam curatam eſſe parochialem, ſi enim duo per vices, vel ſimul ex officio exerceant curam animarum in aliqua Eccleſia, uterque erit creatus, ſeu neuter parochus, nec Eccleſia erit parochialis, attamen erit curata : ſigna autem Eccleſiæ parochialis ſunt, ſi habeat certos limites, vel familias ſibi deputatas, quæ diebus feſtivis ibi audiant Miſſam, recipiant Sacramenta, ibi ſepeliantur ; ſi in ea aſſervetur Euchariſtia, fiant oblationes, dentur decimæ, &c. Barboſ.*n.*22. Notat etiam Laym. *ad Cap.Statutum, De elect.in* 6.*& ad Cap.*3. *de Poſtul.num.*1. nomine parochialis non venire in odioſis Eccleſiam, quæ ſimul eſt Collegiata, uti nec dignitates habentes parochiam annexam, aut curam habitualem tantùm : videri tamen debet Luca *de Benefic.d.*14.*num.*7.*d.*16. *d.*24. *à num.*6. *d.*77. *num.*3. *& d.*952.

599 §.2. Providendus de parochia ſcire debet linguam, ſeu idioma loci, in quo eſt parochia, alioquin proviſio eſt nulla, uti dicetur *n.*790.

§.3. Parochus non poteſt amovibiliter præfici parochiæ, 600
uti declaravit Sacra Congr.apud Gonz.*ad Regul.*8.*Cancell.gl.*5. §.6.*n.*60.& Corr.*c.*9.*n.*39.quia ſicuti Matrimonium carnale non contrahitur ad tempus, ita nec ſpirituale, quamvis hoc ſemper maneat indiſſolubile, ſi tamen parochia ſit unita Monaſterio, vel alteri loco, vel beneficio, poteſt per Vicarium temporalem provideri, Luca ad Trid.*d.*9.*n.*1.

§.4. Beneficia, præſertim curata, non debent diu vacare, 601
Cap. ne pro defectu, de elect. Cap. Ut circa, de elect. in 6.*Cap. Si Apoſtolica, de præb. in* 6. His non obſtantibus, ſi Sedes Epiſcopalis vacet, Garc.Corr.Lott.& alii apud Leur.*p.*1.*q.*171. docent collationes beneficiorum ſpectare ad Papam, & non ad Capitulum, niſi eſſent beneficia ſimultaneæ collationis Epiſcopi cum Capitulo, Leur.*p.*2.*q.*708. *& ſeqq.* parochialis autem tunc vacans in menſe Ordinarii, reſervatur Epiſcopo ſucceſſori, ſi ad Epiſcopum ſpectabat providere, Gonz. Garc. Leur.*quæſt.*711. poteſt tamen Capitulum indicere, & habere concurſum, ſed electio dignioris reſervatur Epiſcopo ſucceſſori, Molina, Caſtrop. apud Leur. ibidem : & ſecundùm Laym.Az.Rebuff.Leur. ibidem, poteſt Capitulum conſtituere œconomum, aut commendare ad ſex menſes : de cætero, beneficia Sede vacante vacantia in menſibus Ordinarii, etiam per Concordata Germaniæ reſervantur Epiſcopo ſucceſſori, Leur.*q.*709. & Capitulum nequidem de devolutis poteſt providere Az.Barboſ.Garc.Caſtrop.Leur.*q.*712. contra Zerol.Lamb. Mol.& alios.

§.5. Si Sedes Apoſtolica vacet, Epiſcopus aut quivis alius 602
habens jus ordinarium confert parochias, alioqui Papæ reſervatas, non tamen alia beneficia curata, uti nec habitu tantùm parochialia, *Cap. Si Apoſtolica, de præb. in* 6. Gonz.Corr. Leur.*p.*1.*qu.*172.ſed per Concordata poſſunt Epiſcopi aliique collatores in Germania tum providere de omnibus beneficiis, etiamſi in menſe Papali incipiant vacare, Chok.Pirh.Leur. *q.* 174. Quid autem dicendum ſit, ſi beneficium jam ante mortem Papæ vacaverit, dictum eſt *n.*498. ſi tamen ſit parochiale, & Papa ante ſuum obitum de eo non providerit, is, ad quem ordinariè pertinet, poteſt liberè de eo providere, *Cap. Si Apoſtolica, ſuprà.*

§.6. Parochialia beneficia provideri debent per concurſũ, 603
uti dicetur *n.*610. Et quamvis id non fiat, tamen omnes admittendi ad beneficia curata debent ante poſſeſſionem examinari ab iis, quos Epiſcopus conſtituerit, Pariſ. Garz. Barboſ Caſtrop.*t.*13.*d.*3.*p.*2.§.4.*nu.*10. Etiam examinari debent, qui volunt præfici Parochiis unitis Monaſterio exempto, Luca ad Trid.*d.*32.*n.*36.Leur.*qu.*209.etiam illi examinari debent,qui à patronis laicis præſentantur, ut habet Trid.*ſeſſ.*24.*c.*18.*de Ref. Nec refert*, quod conſtet de alicujus idoneitate quoad omnia, v.g.quia eſt doctor Theologiæ, aut etiam Vicarius in ſpiritualibus, *quia* examen ſpectat ad formam proviſionis, Pariſ. Garc.Corr. Lot.Leur.*qu.*207. Etiam meritò iterum examinatur parochus ad aliam parochiam transferendus, quia qui idoneus fuit, poteſt per oblivionem, ſocordiam vel aliam cauſam, factus eſſe idoneus, aut defeciſſe in moribus, Laym. *ad Cap. Ex litteris, de Conſt.num.*2.Garc.*p.*6.*c.*2.*n.*253 *&* 266. Luca *de Parochis d.*6.*n.*6.aut major doctrina fortè neceſſaria eſt ad alteram difficiliorem parochiam. Quòd ſi beneficium ſit tantùm ſecundariò curatum, adhuc videtur præmittendum examen, uti obſervatum eſt in diœceſi Monaſterienſi, ne curam ſuſcipiat, qui fortè ineptus eſt, & poſt obtentum plenum jus in re cum majoribus incommodis removeri debeat.

§.7. Si quis in primo examine pro beneficio curato non re- 604
periatur idoneus, videtur poſſe illi concedi tempus pro præparatione ad aliud examen, & ſi tum reperiatur idoneus, provideri:& ita vidi practicari,quidquid in contrarium dicant Garc. & Leur. *q.*200. verificatur enim, quod per examen reperiatur idoneus, nec verba videntur odiosè reſtringenda ad examen unicum.

§.8. Parochus etiam in concurſu, & ſine reſtrictione ap- 605
probatus poteſt ex cauſa revocari ad examen, v.g. ſi adſit prudens ſuſpicio oblivionis, ſi ſe nimium effundat ad occupationes exteriores, ſi negligat ſtudium, ſi in praxi ſæpè malè procedat : & ubi non bene ſubſiſtet, ſuſpendi poteſt à cura, quia ſpectat ad officium Epiſcopi providere, ut ſemper idonei curam adminiſtrent, Ricc.Gonz.Barb.Lugo, Luca, & alii cum Leur.*p.*1.*q.*210.

§.9. Quomodo & ſub qua pœna teneantur reſidere Paro- 606
chi, dictum eſt *l.*3.*p.*1.*num.*736. & ſpeciatim de pœnis, vide Leur. *qu.*388. *& ſeqq.* Quòd ſi Parochus emaneat diu ultra licentiam, & negligat monitionem ad ſex alios menſes, privari poteſt, Lott.*l.*3.*qu.*27.*à n.*79. Si autem ignoretur, ubi ſit, aut ſit in loco, quo conveniri non poteſt, citari debet tribus vicibus, & poſt expectatos à lapſu ultimi peremptorii alios ſex menſes debet privari, ſive declarari privatus parochia ob non reſidentiam, Lott.Leur. *quæſt.*390. *& ſeqq.* Si ante privationem compareat, audiri debent cauſæ excuſantes abſentiam, ſi compareat poſt privationem, & cauſæ inveniantur juſtæ

ſub-

ſubvenitur remedio reſtitutionis in integrum, Lott. Leur. *q.* 394.

607 §.10. Parochus fruens decimis tenetur concurrere ad reparationem domus parochialis, & Eccleſiæ, niſi conſuetudo onus illud impoſuerit parochianis Azor. *p.*2. *c.*9. *q.*10. Barb. *de off. Paroch. c.*13. *à n.*2. V. Leur. *q.*433.

608 §.11. De juriſdictione, & poteſtate Parochi in ordine ad adminiſtrandum Sacramentum pœnitentiæ, aut ad delegandam ad hoc poteſtatem, dicetur, l.6. Notat autem cum aliis Leur. *q.*447. in locis Regularium exemptis, Parochum non retinere juriſdictionem, quamvis eam retineat Epiſcopus, & Capitulum Cathedrale; in propria autem Eccleſia præceditParochus omnes, etiam in majore dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos. Vide Leur. *q.*448. Quid poſſit quoad impediendas varias functiones Regularium, & quoad ædificationem novorum Monaſteriorum, videri poteſt Leur. *q.*442. *& ſeqq.* Item quid poſſit, aut debeat facere circa bona ſuæ Eccleſiæ, habet Leur. *q.*445. *& ſeqq.* Non poteſt autem ferre cenſuras, quia hoc ſpectat ad juriſdictionem fori externi. Denique de jure Parochi, maximè circa funera, portionem canonicam, oblationes, decimas, primitias, videri poteſt Leu. *q.*449. *& ſeqq.* & aliqua addemus à num.1361.

609 §.12. Quæ ſit Parochi obligatio quoad conciones, dictum eſt l.3. p.1. à n.763. Item à n.767. quandonam potiſſimùm peccet in officio; Item à n.749. an teneatur ad Curam per ſeipſum. Item à n.754. quæ ſit ejus obligatio tempore morborum, & belli. Item à num.762. an quandoque teneatur Miſſam offerre pro parochianis. Quomodo autem, & ſub qua pœna teneatur habere intentionem recipiendi Sacerdotium, illudque intrà annum recipere, dicetur n.748. & 859. item de obligatione faciendi profeſſionem fidei, dicetur à nu.740. Denique legenda eſt à Parocho admonitio, quam ad Paſtores ſui gregis habet Deus, Iſaiæ 34. *Dices paſtoribus*, &c.

610 *Q.*80. *Quænam Beneficia conferri debeant per concurſum?* Reſp. Generalis regula eſt ex *Trid. Seſſ.*24. *c.*18. *De Ref.* & ex Bulla *S. Pii V. In cõferendis Beneficiis*, 47. quòd omnia Beneficia parochialia conferri debent per concurſum, ad quemcunque collatio ſpectet, etiamſi ad Abbates, ad Exemptos, ad Papam ipſum. Exceptiones tamen ſunt multæ, quas recenſent Barb. *De off. Paroch. c.*2. *à n.*14. *& iterum n.*126. Caſtrop. *t.*13. *d.*3. *p.*2. §. 5. Nicol. *t.*1. *d.*6. §.6. Leur. *p.*1. *q.*206. nã omitti poteſt concurſus.

1. Si quis in manus Papæ reſignet parochiam in favorem alicujus, aut etiam liberè, uti volunt Gonz. *ad Reg.*8. *Cancel. gl. 6. n.*116. & Piaſ. *p.*2. *c.*5. *n.*9. contra Barb. *De pot. Ep. all.*60. *nu.*21. & Corr. *l.*3. *c.*3. *n.*5.

2. Si Papa alicui Romæ præſenti conferat parochiam reſervatam in partibus.

3. Si duo apud Epiſcopum permutent Beneficia, vel ambo curata, vel curatum cum ſimplici, Garc. Zech. Pariſ. *l.*8. *q.*9. *n.*95. contra Leſſ. *l.*2. *c.*34. *n.*85.

4. Si alicubi ſit conſuetudo immemorialis, ut Parochi optent Eccleſias vacantes.

5. Si in proviſione alicujus parochiæ non ſit obſervata forma à *Trid. & S. Pio V.* præſcripta, tunc enim confert ſine concurſu, vel Papa, vel alius inferior, ad præſentationem Patroni Corr. Gonz. *n.*126.

6. Si per concurſum electus intrà quadrimeſtre non exhibuerit collatori teſtimonium ſuæ præelectionis, tunc enim conferri poteſt tertio ſine concurſu, Corr. Gonz. *n.*131.

7. Si Parochia ſit acceſſoriè unita Vicariæ perpetuæ, Dignitati, vel Canonicatui. Aliud eſt, ſi æquè, vel magis principaliter ſe habeat in unione, Garz. Gonz. Corr. Leur. *d.*120.

8. In proviſione Dignitatum habentium curam animarum in Collegiatis Eccleſiis, Corr. Garc.

9. Si in collegiata per Canonicos hebdomadarios exerceatur cura, Gar. Corr. Luca *De Parochis d.*37. *n.*37.

10. Si Parochia ſit juris patronatus laicalis. Excipe tamen, niſi unita fuerit Beneficio liberæ collationis, aut ex privilegio tantùm, vel conſuetudine eſſet jus præſentandi, aut plures æqualiter eſſent præſentati, aut penderet lis ſuper jure patronatus, aut proviſio devolveretur ad Epiſcopum: in his enim caſibus inſtitui deberet concurſus.

11. Etiam omittitur concurſus, ſi patronatus ſit mixtus, quamvis alii cum Diana *p.*9. *t.*8. *R.*18. dicant tunc habendum, quia ubi agitur de favore, & bono Eccleſiæ, putant Clericos habendos eſſe potiores; Corr. dicit, ſi mixtura ſit æqualis, tunc certò non requiri concurſum, ob declarationem S. Congreg. ſi autem pars Clericorum ſit major, requiri.

12. Si Parochia ſit litigioſa, & unus litigantium moriatur, tunc enim Papa ſolet ſurrogare alterum.

13. Si Beneficium parochiale ſit regulare, & conferatur Regulari: ſi autem conferatur ſæculari, requiritur concurſus, Garc. Corr. Barb. *alleg.*6. *n.*33.

14. Si ob tenues reditus non offerant ſe oppoſitores: aliud eſt, ſi ſe offerant, Garc. *p.*9. *c.*2. *n.*220. Barb. *n.*38. Item omittitur, ſi idcò prævideretur rixæ, vel diſſidia, Corr.

15. Si quis per regreſſum obtineat parochiam, v.g. quia ipſi, poſtquam reſignavit, non ſolvitur penſio conſtituta, Garc. *n.*168. dicit tamen Leur. *p.*1. *q.*207. non poſſe ſine concurſu parochiam vacantem dare illi, qui eam anteà per concurſum obtinuerat, & reſignarat.

16. Si ſit habitu tantùm parochialis, Zerol. Corr.

17. Si electus per concurſum nolit conſentire in penſionem impoſitam in favorem alterius: tunc enim poteſt Papa prævio examine ſine concurſu conferre, cui voluerit, Gonz. Corr.

18. Cardinales Epiſcopi exiſtentes in curia poſſunt conferre parochiales ſuæ diœceſis ſine concurſu.

*Q.*81. *Quid notandum ſit circa proviſionem Beneficii per concurſum?* 611 Reſp. ſeqq.

§.1. Modum inſtituendi concurſum deſcribit *Trid. Seſſ.*24. *c.*18. *De Ref.* ac in primis ſtatuit, ut cum vacaverit parochia, Epiſcopus conſtituat Vicarium, qui deſerviat cum congrua portione fructuum, niſi fortè vicinus Parochus, vel alius id præſtet; poteritque talis deſerviens conſequi etiam emolumenta Curæ, & oblationes, Barb. *De Off. Paroch. cap.*14. *n.*10. ſed cùm Parochi in his partibus habeant annum gratiæ, hæredes conſtituunt deſervientem ab Ordinario approbandum.

§.2. Tempus indicendi concurſum ſunt 6. aut 4. menſes: 612 haberi autem debet à tempore edicti publicati ad ſummum intrà 20. dies: quòd ſi intrà hos dies non haberetur, putant Garc. & Lott. *l.*2. *q.*31. *n.*41. proviſionem fore invalidam, & addit ſæpè ita reſolutum eſſe à Rota, quia videtur eſſe contra formam ſub pœna nullitatis præſcriptam: ſed Caſtrop. *t.*13. *d.*3. *p.*2. *ſ.*1. *n.*9. dicit valituram, quia quando aliquis habet facultatem ad aliquid; licèt ei præſcribatur modus faciendi, non ideò tollitur facultas, ſi illum negligat, quia forma ſubſtantialis manere poteſt, quæ hìc eſt, ut fiat edictum, inſtituatur examen, &c. hinc etiam Leſſ. *l.*2. *c.*34. *n.*85. dicit non omnia hìc præſcripta, eſſe ubique uſu recepta, Trid. ipſum in fine addit, *Licebit etiam ſynodo provinciali, ſi qua in ſupradictis circa examinationis formam addenda remittendave eſſe cenſuerint, providere.* Et in vaſta diœceſi Monaſterienſi ordinariè dantur duo, aut tres mẽſes, tum, ut notitia faciliùs perveniat ad omnes, tum etiam ut oppoſitores colligant teſtimonia, relegant caſus, ac ſe meliùs diſponant: poſt elapſum verò tempus in edicto præſcriptum adhuc expectari poteſt ad aliquot dies, Corr. *l.*3. *c.*4. *n.*25.

§.3. Concurſum talem indicere non poteſt, niſi Epiſco- 613 pus, vel ejus Vicarius, aut in diœceſibus nulli Epiſcopo ſubjectis, Abbates habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in parochias incorporatas, Leur. *p.*1. *q.*205. Unde licèt, v.g. Archidiacono competat collatio, ipſe tamen authoritate ſua non poteſt proponere edictum pro concurſu, Pariſ. Leur. *p.*2. *q.*723. *n.*3. ex decreto S. Cong. De Capitulo Sede vacante, vide d. n.601.

§.4. Debent eſſe plures, qui concurra nt, alioquin non eſt 614 reipſa concurſus. Quòd ſi compareat unicus, qui reperiatur dignus, debet ei conferri, Garc. Caſtrop. *n.*8. ſi autem nullus, vel tantùm indigni compareant, poteſt liberè conferri, aut pro alio tempore indicendus eſt novus concurſus, Luca *ad Trid. d.*32. *à n.*35. ſi nec tunc compareat dignus, confertur ſine concurſu: poſſunt autem oppoſitores ſemper vocari ſine edicto publico, Leur. *p.*1. *q.*181.

§.5. Determinatum tempus ſemel publicatum mutari non 615 debet, quia oppoſitoribus, qui ſe ſiſtunt, tacitè per edictum promiſſa eſt obſervatio hujus temporis. Quòd ſi examen fieret ante completum tempus edicti, proviſio eſſet irrita, Garc. Corr. Caſtrop. §.4. *n.*2. ſi tamen poſteà nullus alius oppoſitor ſe ſiſteret Corr. Lott. Lamb. Calder. & Leur. *qu.*183. putant fore validam. E contrà ſi quis finito tempore edicti velit adſcribi inter oppoſitores, de jure admitti non deberet, quidquid contradicant aliqui apud Leur. *qu.*182. quia ſoli intrà deſignatum tempus inſcripti videntur acquiſiviſſe jus: conſuetudo tamen habet, idque in favorem Eccleſiæ ad delectum tantò majorem habendum, ut adhuc admittatur, Garc. Barb. Caſtrop. §.2. *n.*2. Corr. *n.*23. Quòd ſi aliquis poſt concurſum ſe ſiſtat reliquis omnibus dignior, præferri non debet, Caſtrop. *d.*2. *p.*11. §.2. *nu.*5. obligatio enim præferendi digniorem intelligitur ſine violatione formæ præſcriptæ, & contractus iniri cum oppoſitoribus vocatis ad concurſum: poteſt tamen, ſi examen cenſeatur necdum eſſe finitum, admitti, Carden. *in* 2. *criſi d.*28. *n.*42. & 43. Si verò quis jam adſcriptus inter oppoſitores legitimè impediretur, & minuiſset Ordinarium, ſecundùm Garc. & Corr. *n.*23. poſſet, ſecundùm Caſtrop. *d.*3. *p.*2. §.4. *n.*3. deberet ad aliquod tempus ſuſpendi examen; ſi autem concurſu planè finito, & electione jam facta deſiſteret ille, qui fuit agnitus dignior, deberet inſtitui novus concurſus, Garc. Corr. Zerol. Leur. *q.*199. etiam poſt lapſum quadrimeſtre, aut ſemeſtre, inquit Caſtrop. *n.*4. contra Garc.

§.6. Poteſt etiam ille, qui eſt conſtitutus deſerviens, con- 616 currere pro hac parochia, quam ſi per concurſum obtineat, poterit pergere deſervire abſque periculo intruſionis, quia hoc facit ex vi prioris mandati, ut deſerviret tanquam Vicarius, Caſtrop. *n.*5. contra Garc.

§.7. Parochus in una, poteſt concurrere pro alia parochia, 617

quia licèt celebrarit nuptias cum ſua, hæ tamen ſunt abſolutè ſolubiles, Barb.Garc.Corr.Caſtrop.§.2.*n.*3.

618 §.8. *Si parochia vacet per reſignationem in manus Epiſcopi*, non poteſt ad concurſum pro illa admitti conſanguineus, affinis, vel familiaris Epiſcopi, collatorum, aut reſignantis, quia obſtat Bulla *S.Pii V.* ſecundùm declarationem S. Congreg.apud Garc.*p.9.c.2.n.*211. & apud Corr.*n.*10. Et de illa dicetur à n.1011.

619 §.9. Epiſcopus poteſt ſtatuere examinatores tot, quot volet, Barb.Corr.Debent autem ſtatui ſaltem ſex, qui ſint Doctores, vel Licentiati in Theologia, aut jure Canonico, vel ſi hi deſint, Clerici, ſeu Regulares, etiam ex Ordine Mendicante, ſeu non Regulares, qui ad id videbuntur idonei, quos eligere debet Synodus Diœceſana, vel Epiſcopus deſignare, quoties Synodus erit. Quòd ſi quatuor tantùm, vel quinque eſſent deſignati, per nullum horum validè poſſet haberi examen, uti deciſum eſſe teſtantur Garc.*n.*64.& Caſtrop.*ſ.*3.*n.*2. Si aliquis ex illis ſex moriatur, aut aliò diſcedat, debet in prima Synodo compleri numerus,& intereà examinabunt reliqui, qui ſuperſunt, etiamſi eſſet unicus, Garc.*n.*69. poſſet etiam tum Epiſcopus cum conſilio Capituli uſque ad Synodum hunc numerum complere per alios ex antiquis examinatoribus: aut ſi hi deficiant, per alios idoneos, Garc.à *n.*70.Corr.Lott.*num.*71. Caſtrop.*nu.*5. Poteſt etiam Epiſcopus cum conſilio Capituli, elapſo anno deſignationis, & Synodo abſque culpa ejus non celebrata, deſignare alios, quos volet, Barb.Ricc.Garc.*n.*90. Caſtrop.*n.*6.quamvis Dian.*p.*3.*t.*5.*R.*64. dicat deciſum eſse, ut ſi ſingulis annis Synodus non fiat, examinatores ſemel deputati peragant exercere munus ſuum, donec habeatur nova Synodus; ſi autem anno elapſo aliquis ex eis mortuus fuerit, putat officium omnium expirare, addit cum Garz.Corr.Lott. Epiſcopum tum non poſſe deſignare alios, ſi poſſit, & non celebret Synodum.

620 §.10. Examinatores pro concurſu debent eſse ſaltem tres ex Synodalibus: ſi autem ad hos addatur alius non Synodalis, Garc.*n.*324. Diana *R.*65. Luca *nu.*2. dicunt omnia fore irrita, quia uti non debet demi, ita non debet addi ad formam præſcriptam: ſed Caſtrop.§.4.*n.*5.dicit hoc non obſtare, quia ſuperabundantia non poteſt nocere, quando non immutat, nec demit de requiſitis.

621 §.11. Si in examinatorem deſignatus ſit ille, qui, v.g.hunc Canonicatum Doctoralem poſſidet, non ideò ſucceſſor, vel ſubſtitutus illius eſt deſignatus, quia cùm Trid.ſupponat omni anno mori poſſe, non vult ita annecti dignitati, vel officio, Garc.Caſtrop.§.3.*n.*8.contra Ledeſm.

622 §.12. Examinatores debent tactis Evangeliis jurare, quòd ſine humano affectu velint exequi munus: & ſi non præceſſerit juramentum, vel tacta non ſint Evangelia, Garc.*à n.*355. Barb. *c.*2.*à n.*76.dicunt examen eſſe irritum, ſed Caſtrop.§.4.*n.*7.dicit manere validum, putat enim juramentum non ſpectare ad formam examinis, ſed tantùm ad rectum illius uſum: poteſt autem juramentum fieri in Synodo, vel extra coram Notario,Garc. Corr.Leur.*q.*189.

623 §.13. Rectè docent Gonz.Garc.Barb.Ricc.Caſtrop. *nu.*8. Leur.*q.*192.examinatores debere examinare, & ſaltem exquirere ante, vel poſt examen de pluribus, quàm de ſcientia: nam Trid.dicit; *Peracto examine renuncientur, quotcunque ab eis idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis.*

624 §.14. Examinatores peccant mortaliter, ſi ante, vel in concurſu in præjudicium tertii moneant, vel informent examinandum de punctis quærendis: de cætero in aliis examinibus, quando ſciuntur eſſe ſatis docti, & forſan ex metu, vel verecundia turbandi ſunt, non eſt mortale præmonere, Peyr.Dian. *p.*5. *t.*14. *R.*89. Si tamen Epiſcopi coram Papa examinentur, non poſſunt præmoneri, quia examinatores priùs jurant ſe nequidem in genere præmonituros de eis, quæ ſunt interrogaturi. Dian.*p.*10.*tr.*16.*R.*38.

625 §.15. Videtur eſſe de valore concurſus, ut Epiſcopus, vel ejus Vicarius interſit Lott.*n.*57. quamvis Luca *nu.*12. inſinuet poſſe præſſe alium ab Epiſcopo deſignatum: poteſtque Vicarius præeſſe, etiam non impedito Epiſcopo, Garc.*n.*119. Ad ſolum tamen Epiſcopum ſpectat conferre digniori, Garc. *p.* 5.*c.*8.*n.*109. quamvis in examine de idoneitate non habeat votum pro vel contra, niſi quando vota examinatorum ſunt paria, aut omninò ſingulariter diviſa, Garc.*p.*9.*c.*2.*n.*56.Caſtrop. *n.*6. Leur.*q.*195.

626 §.16. Med.Led.Nav.Azor.Sanch. aliique dicunt examinatores teneri indicare digniorem, quamvis Epiſcopus non petat, aut nolit ſibi dici, tum enim procedit mala fide: Sed Garc. *n.*108.Caſtrop.*n.*9.Dian *p.*3.*t.*5.*R.*111.Lott.*num.*98.probabiliùs negant, quia non ſunt judices exceſſus, ſed idoneitatis: addit tamen Lugo *De juſt. d.*35.*n.*65. eos poſſe, & optimè facturos eſſe, ſi indicent digniorem, poteſtque de hoc eos interrogare Epiſcopus, Barb.*n.*66.89.*& ſeqq.* imò Lugo *num.*67. innuit communiter indicare debere, licèt non interrogentur, ne videantur cenſere omnes eſſe ferè æquales, ideòque Epiſcopum poſſe præferre, quem volet. Poſſunt autem referre ſuum judicium eodem tempore, ſcripto, vel voce, palàm, vel ſecretò, Leur.*q.*191. Quod ſi Epiſcopus aliunde habeat informationem de oppoſitoribus, quoad eligendum digniorem non tenetur ſe accommodare judicio Examinatorum, quia judicium ultimum circa exceſſum ſpectat ad ipſum, Leur.*q.*196. ex quibus autem abſolutè deſumi debeat judicium de majori idoneitate, videri poteſt Leur.*q.*197. item dicta n.598.& 622.

§.17. Semper eſt mortale in concurſu digniorem poſtpo- 627
nere digno, uti ſequitur ex dictis à num.582. docentque omnes communiter cum Lugo *d.*18.*n.*107. & Caſtrop.*d.*2.*p.*11,§.2.*n.*5. qui cum multis addit §.3. num.2. talem proviſionem ipſo jure eſſe irritam, quamvis Gonz.Garz.Lott.Lugo *d.*35.*n.*71.Leur. *qu.*198.probabiliùs dicant tantùm eſſe irritandum.

§.18. Poſt concurſum eſt obligatio ex juſtitia dandi Bene- 628
ficium illi, qui judicatus eſt dignior, & ſi non fiat, debetur huic reſtitutio, ſeu compenſatio damnorum, Mol.Gutt.Vaſq. Leſſ.Fernand.Rodriq.P.Nav.Caſtrop.§.4.*num.*6. Ratio eſt, 1. quia dignior habet jus ex lege, ut ait Nav. cum Leſſ. *num.*72. 2.Hic intervenit quaſi contractus inter illos, qui indicunt concurſum, & qui concurrunt, uti dictum eſt l.3.p.2. num.285. Conf. nam ſi concurſus fieret ſub promiſſione eligendi digniorem,evidens eſt,inquit Caſtrop.tum fore ex juſtitia obligationē illi conferendi, atqui hoc ipſo, quod indicatur concurſus, ſemper æquivalenter fit promiſſio conferendi digniori, ſicuti æquivalenter fit promiſſio non conferendi alteri extrà concurſum, uti fatentur omnes cum Garc.*p.*7.*c.*16.*n.*58. ergo. Accedit, quòd *S.Pius V.* concedat jus appellandi ab *iniqua* electione minùs digni, ergo fit contrà jus, & eſt injuria reſpectu dignioris. *Nec obſtat*, quòd Garc.*nu.*57. dicat, quòd non videatur includi promiſſio in indictione concurſus ad Beneficia non parochialia,ideoque non fieri injuriam digniori ejecto, *nam* num.61. concedit in parochialibus fieri injuriam, neque invenio ullum, qui aſſentiat: & quoad opinionem Garciæ circa non parochialia, quamvis Dian.*p.*3.*t.*5.*R.*110. dicat opinionem illam eſſe probabilem,& tutam in praxi,citetque pro ea Led.Merca.Sot.tamen poſteà p.4.t.4.R.210. ubi eandem Garciæ opinionem nudè dicit probabilem, ſubdit, *ſed tunc diſcedat ab opinione affirmativa*, quæ nimirum dicit fieri in utroque caſu injuriam, & deberi reſtitutionem.

§.19. Examine facto, & recognita obſervatione formæ de- 629
bet ille, qui judicatus eſt dignior, inſtitui: quòd ſi forma obſervata non fuiſſet, quamvis Papa ipſe unum ex vi concurſus prætuliſſet aliis, proviſio eſſet invalida, quia ad valorem ſemper ſupponit formam eſſe obſervatam, Garc.*p.*9.*c.*2, *num.*366. Caſtrop.*d.*3.*p.*2.*ſ.*6.*n.*5.

§.20. Si plures judicati ſint æquè idonei, neque Epiſcopus 630
poſſit aliter diſcernere digniorem, poteſt eligere, quem volet, cui fiat collatio, etiamſi hæc ab alio facienda eſſet; & tunc eligitur, non poſitivè, ſed negativè dignior, id eſt, quo nullus alius dignior ſit, Garc.Caſtrop.*nu.*2. Quod ſi inſtitutio competat Epiſcopo, electio autem Patrono, ad hunc ſpectat eligere, quis ſit inſtituendus, Nav.Az.Garc.*n.*266.Caſtrop.*n.*3. Si verò Patroni Eccleſiaſtici eligant illum, qui manifeſtè eſt minus dignus, Epiſcopus non tenetur illum inſtituere, quia tamen id conſtare non poteſt ante ſententiam per Judicem appellationis datam, præſumendum eſt, quòd electus ſit dignior, ideoque inſtitui debet, quiſquis electus fuerit, Garc. *nu.*269. Caſtrop.*n.*4.

§.21. Contra examinatores pro Beneficio curato non da- 631
tur appellatio in ordine ad obtinendum Beneficium, ſed tātùm pro purganda nota infamiæ; appellatio tamen hæc non poteſt fieri ad Ordinarium, quia examinatores idem tribunal conſtituunt cum Ordinario, Caſtrop.*n.*6.contra Garc. In Beneficiis ſimplicibus dari poteſt appellatio ab examinatorum relatione, vel judicio ad Superiorem Ordinarii, etiam in ordine ad obtinendum Beneficium, Gonz.Garc.*num.*244. Caſtrop.*num.*7. & idem eſse in aliis parochialibus, quæ per concurſum non cōferuntur, putant Garc. *num.*245. Caſtrop. *num.* 8. contra Lott.apud Leur.*q.*202. Si tamen in concurſu fuiſses à pleriſque ſaltem examinatoribus judicatus idoneus, & alius minus idoneus te rejecto fuiſset ab Epiſcopo electus, poſses appellare ad Superiorem Epiſcopi, & provocare electum ad novum examen coram hoc, Barb.*n.*138.& 148.quæ appellatio licèt non ſit ſuſpenſiva electionis factæ,tamen eſt devolutiva cauſæ ad Superiorem, Garc.*n.*247. Caſtrop.*n.*9. Leur.*qu.*201.& 203. Ut autem appellans vincat debet per ſecundum examen judicari dignior electo, & ſi electus iterum appellet, uti poteſt, antequam excludatur ex poſſeſſione, debet appellans obtinere tres ſententias conformes, vel unam, quæ tranſeat in rem judicatam, tuncque provideri à Judice appellationis, ſi collatio ſpectabat ad Epiſcopum, à quo appellatum eſt, ſi autem ſpectabat ad alium, ad hunc ſpectat proviſio, Gonz.Caſtrop.*n.*10.ſed rectè notat Luca *n.*20. ejuſmodi appellationes communiter ſola incommoda afferre utrique parti.

§.22.

632 §.22. Trid. ſuprà addit, *caveantque* (Examinatores) *ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis, nec ante nec poſt accipiant, alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi quàm alii dantes incurrant, à qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocunque etiam anteà obtinebant, & ad alia impoſterum inhabiles reddantur.* Ex hoc loco deducit cum aliis Barb. *à n.* 79. examinatores nihil, etiam quantumcunque leve, poſſe acceptare, quamvis gratis, & liberaliter oblatum ab aliquo examinando, vel examinato, poſſe tamen Epiſcopum aliquid de ſuo illis dare titulo præmii, ſtipendii, vel laboris: docent etiam Nav. *l.*4. *Conſil.*53. *de ſimonia*, & Zerol. *in praxi Epiſc. p.*1. *v. Parochia §.*2. *d.*11. ſi acciperent quid modicum, v.gr. valorem trium Juliorum, non incidere in labem ſimoniæ, quoad forum conſcientiæ; modò hoc non accipiant pro favore præſtando, ſed omninò gratioſè, quia in materia ſimoniæ juris tantùm Eccleſiaſtici putant dari parvitatem materiæ, quamvis non detur in ſimonia juris naturalis, ſecundùm dicta *l.*3. *par.* 1. *num.*198. & diſparitas eſt, quia quando temporale non datur, ut pretium rei ſpiritualis (ſed actio ideò tantùm eſt ſimoniaca, quia prohibita eſt ex motivo Religionis ad cavendam omnem ſpeciem ſimoniæ) reipſa non fit injuria rei ſpirituali, cùm non æſtimetur temporali, ſed tantùm eſt tranſgreſſio præcepti reſpicientis reverentiam rei ſpirituali debitam; ergo ſicuti poteſt quis alia præcepta tranſgredi graviter, aut leviter, prout materia eſt gravis, vel levis, ita & hic: quidquid ſit de hoc, ſi ſupponamus ab aliquo examinatore, vel examinando commiſſam eſſe ſimoniam gravem occaſione concurſus, putat Garc. totum examen eſſe ipſo facto irritum, ſed meliùs contradicunt Caſtrop. §.4. *num.*7. & Luca *num.*16. nam hoc non attingit formam, ſed tantùm reprobat abuſum, & cùm ejuſmodi ſimonia poſſit ſequi, non debet nocere illi, qui judicatus eſt dignior.

Qui plura volet circa examinatores ſynodales, legat Barb. *à n.*37. *&* 57. item Leur. *q.*186. *& ſeqq.*

Quæ forma ſervanda ſit in proviſione beneficii magiſtralis, & doctoralis; item beneficii ſimplicis, habet Caſtrop. *d.*3. *p.* 3. *&* 4.

633 *Q.* 82. *Quid agendum ſit illi, qui Beneficium vacans vult obtinere?* R.

§.1. Narrare debet ſe eſſe Clericum, legitimè natum, eſſe idoneum, habere ætatem, *cap. Cùm adeò, De Reſcriptis*, Roſa *de exec. lit. Apoſt. p.*1. *cap.*6. *à num.*275. Attamen non obeſt valori, ſi expreſſa horum mentio omittatur, quia jure ipſo ſupponuntur in petente, & verificari debent apud Executorem, Az. Caſtrop. *t.*13. *d.*2. *p.*31. §.4. *n.*2.

634 §.2. Exprimi debet qualitas beneficii impetrandi, etiamſi detur reſcriptum motu proprio, Roſa *à num.* 122. an nempe ſit perpetuum; an actu, ſaltem in ſpe, curatum, vel ſimplex; an juriſpatronatus; an in Eccleſia Cathedrali, aut inſigni collegiata; an reſidentiale Caſtrop. *à num.*11. Roſa *à num.*130. *&* 150. Leur. *p.*1. *qu.*175. Quòd ſi dicatur eſſe curatum, vel reſidentiale, quando non eſt, proviſio videtur irrita, Menoch. Caſtrop. *n.*15. uti & tum irrita eſt, ſi narratum non ſit eſſe electivum, Az. Sanch. Caſtrop. Item ſi ſæcularis impetrans taceat beneficium eſſe regulare, vel contrà, Sanch. Caſtrop. *nu.*19. Roſa à *n.*126. Item ſi impetrans hoſpitale vocet beneficium, aut ſi impetrans beneficium unitum taceat unionem, ut ſi non narret beneficium eſſe monoculare, Caſtrop. à *n.*20. Si autem ſit curatum, debet expreſſa curæ, & ætatis fieri mentio, Luca *de Benef. diſc.*55. *àn.*17.

635 §.3. Poſt expoſitam qualitatem beneficii narrandum eſt, quòd vacet, per hæc verba, *cum vacaverit, & vacet ad præſens*, debetque hæc vacatio probari poſſe indubitatè, Leur. *p.*3. *q.*16. ſive ſit vacatio de jure, ſive de facto, Caſtrop. *p.*22. §.5. *n.*9. & niſi beneficium vacet, ſicuti narratum eſt, gratia eſt nulla, debetque vacatio verificari tempore datæ, *cap. Eam, de Reſcript.* Pariſ. Lott. *l.*3. *q.*8. *n.*41.

636 §.4. Quamvis jure antiquo, uti & novo in Gallia, non ſit opus narrare modum, quo vacat, tamen alibi eſt opus per *Reg.* 46. *Cancel.* ſub pœna nullitatis, ut narretur unus ſaltem modus, quo vacat, Barb. Lott. Roſa *c.*5. *àn.*26. *& c.*6. *à n.*191. niſi conferatur ex devolutione, Tond. Barb. Lott. Garc. Leur. *qu.*10. & quando ex devotione confertur, non poteſt intelligi vacatio, licèt in Reſcripto addatur, *Sive vacet præmiſſo, ſive quovis alio modo*, Roſam *à nu.*229. eſtque ſaltem tutius narrare, an vacet de jure tantùm, an etiam de facto, de quo vide dicenda *n.*885. & Roſam *à nu.*212. Quòd ſi narretur vacare per obitum, cùm tamen vacet per reſignationem, vel contrà, Reſcriptum etiam motu proprio datum vitiatur, *cap. Suſceptum, de Reſcript. in* 6. Felin. Silv. Menoch. Az. Caſtrop. *p.*31. *§.*4. *num.*23. Roſa *à num.*228. Si tamen narratum eſſet dubitativè, v.g. *per, Forſan, ut creditur, ſicut putatur, prout aſſeritur*, non eſſet opus determinatè verificari talem modum, cùm non aſſeratur, Gonz. *ad Reg.*8. *Cancel. gl.*32. *à num.*12. unde expedit ponere, *Cum vacet hoc modo, vel quocunque alio*, quia in alternativis ſufficit verificari unum. Vide Leur. *qu.*13. Imò Menoch. & Caſtrop. dicunt, ſi nullum vacationis modum exprimas, gratiam plerumque non ideò fore ſubreptitiam, quia quando dicitur vacare, & non additur, quo modo, intelligitur omnis vacationis modus, quorum uno vacet.

§.5. Etiam exprimendum eſt nomen illius, per cujus ceſſum, vel deceſſum beneficium vacat, quia ita ſervat ſtylus Curiæ: Similiter exprimendum eſt nomen Sancti iſtius Eccleſiæ, in qua eſt beneficium: ſi tamen hoc omittatur, vel erretur in exprimendo, ſecundùm Caſtrop. *num.*23. *&* 27. Roſa *nu.*190. & alios, non ideò vitiatur Reſcriptum, quia hoc nec ad ſubſtantiam, nec ad faciliorem conceſſionem gratiæ pertinet. Etiam exprimenda eſt diœceſis, in qua eſt beneficium, Roſa *n.*267. Multò maximè exprimendum eſt nomen impetrantis, in quo ſi erretur, putat Roſa *à num.*169. Reſcriptum non eſſe exequibile. 637

§.6. Per *Regul.*8. *Cancel.* debet ſub pœna nullitatis narrari menſis vacationis, Gonz. Caſtrop Roſa à *n.*251. Leur. *par.*2. *q.*564. *& par.*3. *q.*11. Et hæc narratio debet verificari de iſto determinatè menſe, qui narratur; nec hic juvant clauſulæ generales, *hoc vel alio menſe*, niſi planè reſciri non poſſet, uti ſi beneficiatus reperiretur ſubmerſus. Vide Leur. *par.*3. *qu.*14. Si tamen beneficium ſit, vel devolutum, vel reſignatum, vel patronatus laicalis, vel litigioſum, aut aliunde reſervatum, non requiritur expreſſio menſis, quo vacavit, Gonz. Garc. Caſtrop. *p.*22. *§.*5. *n.*11. 638

§.7. Si beneficium ſit reſervatum, vel affectum à Papa, hoc etiam narrari debet, etiamſi gratia daretur motu proprio, Gonz. Caſtrop. *p.*31. *§.*4. *num.*24. Similiter narrari debet cauſa amotionis, ſi quis iterùm petat idem beneficium, *cap.*26. *de Reſcript.* ſi autem à Sede Apoſt. petatur parochialis, eò quòd in ejus proviſione non eſſet obſervata forma Trid. & S. Pii V. ſatis eſt narrari non eſſe obſervatam formam, ſi poſteà apud Executorem verificari debet, in quo ſit neglecta, Roſa, Anch. Inn. Corr. Leur. *p.*1. *q.*176. 639

§.8. Si alicui tertio jus beneficii competat per collationem, electionem, præſentationem, id narrari debet, quamvis necdum ſit facta acceptatio, quia Papa non cenſetur velle tollere jus quæſitum alteri, Caſtrop. *n.*29. Vide Roſam *cap.*6. *àn.*225. Et quamvis in Reſcripto dicatur, *Non obſtante jure alteri quæſito*, putat Azor. intelligi de jure invalido, niſi aliud exprimatur: attamen de jure tertii incerto, eventuali, & non conſiderabili, non neceſſariò facienda mentio, Roſa *nu.*101. Si alius ſit in poſſeſſione beneficii ſaltem colorata, & ſolo etiam facto, etiam narrari debet, *cap. Cùm noſtris, de conc. præb.* Gonz. Lott. Vide Roſam *à n.*212. & Leur. *p.*3. *q.*12. Excipe, niſi reſcriptum eſſet cum clauſulis, *vocatis vocandis*, aut *amoto quolibet detentore*; item ſecundùm Caſtrop. *n.*30. ſi ſit cum clauſula, *motu proprio*. Quòd ſi alter detinuiſſet beneficium per annum, hoc ſpecialiter eſſe narrandum, quia annalis detentio dat ſpeciale jus, uti dicetur à *n.*680. ſi tamen beneficium dimiſiſſet, non eſſet opus narrare, quòd antehac detinuiſſet. 640

§.9. Etiam lis de Beneficio narrari debet; quod tenet Caſtrop. *n.*32. etiamſi lis eſſet de ſola poſſeſſione, ſed Menoch. requirit litem de titulo. Similiter ſi impetrare volens poſſideat ſine titulo aut per intruſionem, debet hoc ipſum narrari, aliàs vitiatur Reſcriptum, etiamſi ſit ex motu proprio, Menoch. Caſtrop. *n.*25. 641

§.10. Petens, etiam narrare debet, ſi habeat aliud beneficium, etiam tenue, *cap.*17. *&* 42. *de Reſcript. cap. Si motu proprio.* 23. *de Præb. in* 6. etiamſi eſſet tantùm Vicaria, dummodò ſit perpetua, *cap.*27. *de Reſcript.* Et etiamſi haberet tantùm jus ad rem, *cap.*32. *de Reſcript.* Menoch. Azor. Caſtrop. *num.* 3. *&* 4. Item, quamvis beneficium illud per vim vel intruſionem poſſideret, Menoch. Caſtrop. *num.*7. Et addere debet, an ſit curatum: item an habeat penſionem in titulum, uti volunt Menoch. & alii contra Azor & alios apud Caſtrop. *n.*5. Et quando ratione paupertatis petit aliud beneficium, narrare debet, quale habeat patrimonium, *argum. cap.*27. *de Reſcript.* Item an habeat præſtimonium &c. Menoch. Az. Caſtrop. *nu.*9. Vide dicenda *n.*908. 642

§.11. Etiam exprimere debet valorem beneficiorum, quæ vult ſimul habere, Menoch. Sanch. Caſtrop. *n.*16. Roſa à *n.*240. Putat tamen Caſtrop. ſi falsò exprimat valorem illius, quod petit, non vitiari reſcriptum motu proprio datum: quod autem attinet ad Hiſpaniam, Galliam & Germaniam valor non exprimitur, qualis in ſe eſt, ſed ſufficit fieri mentionem, quòd non excedat valorem 24. ducatorum ſecundùm communem æſtimationem. Vide Luca *de Benef. diſc.*72. *&* 90. item dicenda *num.* 676. *& ſeqq.* 643

§ 12. Si promiſiſti reſignare beneficium præhabitum, Felin. & Menoch. putant faciendam eſſe hujus promiſſionis mentionem, ſed Caſtrop. dubitat, cùm hoc ſit quid extrinſecum, nec de eo inveniatur lex. Quòd ſi neſciveris te habere aliud beneficium vel jus ad illud, & ideò non narraris, non obſtat, ſed excuſaris, *cap. Gratia, 7. de Reſcript. in* 6. Menoch. Azor. Caſtrop. *n.*4. 644

§.13. Etiam narrare debet, ſi habeat aliquam dignitatem, 645

cap. Ad aures, de Reſcript. Menoch. Caſtrop. *n.6.* Item: ſecundùm dicta *l.1.n.*811. narrare debet, ſi fuerit pluries diſpenſatus in ordine ad idem beneficium. Si tamen gratia motu proprio concedatur, non eſt opus facere mentionem de beneficiis obtentis, *cap. Si motu proprio, 23. de præb. in 6.* Sanch. Caſtrop. *n.9.*

646 §.14. Si aliquod ſtatutum Eccleſiæ obſtet impetrationi apud Papam, hoc ipſum narrari debet, aliàs vitiatur Reſcriptum etiam datum motu proprio, Menoch. Caſtrop. *n.*28.

647 §.15. Omnem narrativam Reſcripto contentam verificari debere docent Creſcent. Moh. Roman. Pariſ. Gonz. *n.*57. quamvis aliàs neceſſaria non eſſet, cùm ſit pars gratiæ: hinc docet etiam Roſa *n.*120. quòd in beneficialibus quælibet minima ſubreptio irritet totam gratiam, ſed probabilius eſt, ſecundùm dicta *l.1.n.*806. ſi quid inſertum ſit non faciens ad ſubſtantiam rei nec attingens cauſam gratiæ, per hoc licèt falsò expreſſum non vitiari reſcriptum, uti etiam diximus hic *n.*637.

648 §.16. Impetrare volens per Reſcriptum in forma gratioſa, debet mittere teſtimonium idoneitatis dandum ab Epiſcopo originis, quia Papa non vult ſe exponere periculo conferendi inhabili vel indigno: ſi tamen reſcriptum detur in forma, *dignum*, non eſt opus illo prævio teſtimonio, quia tum committitur Ordinario, ut examinetur idoneitas, & ſi reperta fuerit, ut conferatur beneficium.

649 §.17. Hactenus dicta procedunt, quando beneficium à Papa impetratur, non autem ſi ab Ordinario, qui cenſetur ſcire beneficiorum vacationem, qualitatem, valorem ac conditiones impetrantis &c. Menoch. Sanch. Caſtrop. *n.*33.

650 §.18. Pro Archi-Diœceſi Colonienſi ſtatutum eſt 12. Aug. 1689. mandato Archi-Epiſcopi, ut nullus Regularis ad ullum beneficium ſæculare cum vel ſine cura; item nullus ſæcularis ad curata ſæcularia vel regularia admittatur, niſi examinetur à tribus deputatis, & præmiſſis publicè proclamationibus in Eccleſia vacante tribus feſtis diebus continuis vel intercalatis.

651 *Q.*83. *Quid circa ſupplicas, reſcripta & literas expeditionis ſit prætereà notandum?* R. ſeqq.

§.1. Quid apud Papam in ſupplica pro obtinendo beneficio ſit exprimendum, dictum eſt *à n.*633. item dictum eſt *n.*464. ſi quis ſupplicarit pro habendo beneficio tanquam vacante per mortem, cum tamen poſſeſſor adhuc viveret, impetrationem eſſe irritam.

§.2. Si plura impediant gratiam obtinendam, putant Abb. Dec. Menoch. Led. aliique cum Sanch. *de Matr. l.8. d.23.* omnia eſſe ſimul exprimenda, nec ſatis eſſe ſingula per diverſas ſupplicas narrari & per diverſa reſcripta diſpenſari, tum quia qui unicum narrat, tacitè negat alia adeſſe, tum etiam quia ſi ſimul proponantur, apta ſunt movere Papam ad negandum gratiam, ſi enim reſciat aliquem laborare, v.g. ſex impedimentis Matrimonii, ſæpè negabit diſpenſationem, quamvis daturus eſſet laboranti ſingulis. Contradicunt Nav. Rodriq. Cevall. Sa, quia poteſt unum tolli ſine altero, & ſic certum videtur, ſi quis impeditus voto & conſanguinitate velit ducere Cajam, poſſe obtinere diſpenſationem voti, non facta mentione conſanguinitatis, pro qua poſteà petere poterit: ſed rectè concludunt Suar. Salaſc. Merol. Bonac. Roſa *de Exec. lit. Apoſt. p.1. c.6. n.*356. per ſe loquendo, valere petitionem ad diſpenſationem unius ſine altero, niſi gravitas unius augeatur per alterum, aut non ſatis explicari poſſit non narrato altero: an autem in ſupplica pro diſpenſatione fieri debeat mentio alterius diſpenſationis ad eundem finem obtentæ, dictum eſt *l.1.n.*811.

652 §.3. Quandonam ſupplica aut reſcriptum ſit ſub-vel obreptitium, intelligitur ex dictis *l.1.n.*806. quando autem eſt tale, nihil operatur, niſi taciturnitas veri vel expreſſio falſi facta ſit perignorantiam, & non attingat cauſam finalem, *cap.*20. & 22. *de Reſcrip.* Roſa *à n.*19. & iterùm *à n.*26.

653 §.4. Quid dicendum ſit, ſi ſub-vel obreptio in una tantùm parte commiſſa ſit, dictum eſt *l.1.n.*807. ſi autem ſit commiſſa à ſolo ſollicitatore vel alio tertio, Sanch. Tuſch. Merol. & alii dicunt non nocere quoad alteram partem, quia nullitas talis totius Reſcripti, *cap.*20. *de Reſcrip.* imponitur tanquam pœna perverſitatis, quam hic non commiſit impetrans. Vide Roſam *à n.*102.

654 §.5. Clauſula, *motu proprio*, videtur ſanare vitium ſubreptionis, non autem obreptionis, uti tenent multi apud Roſam *num.*109. quia intelligitur, ſi expreſſa ſint vera, uti putant Sanch. Garc. Leur. *p.3. q.*455. Videri poſſunt dicta *l.1. num.*814. & Caſtrop. *t.13. d.2. p.*31. §.4. *nu.*11. & iterùm *à nu.*17. Item *p.*22. §.5. *n.*1.

655 §.6. Uſu nunc receptum eſt, ut clauſulæ generales nihil in particulari determinantes nihil operentur, cùm per Scribas addantur ſecundùm ſtylum Curiæ, uti teſtatur Gaſtell. *de uſu & praxi curiæ Rom. pag.*233. Circa clauſulam autem, *Si preces veritate nitantur*, ſic habet Reg.61. Cancell. *Item quòd in literis ſuper Beneficiis per Conſtitut. Execrabilis, vacantibus, ponatur clauſula, ſi eſt ita, ſimiliter de quibuſcumque narratis informationem facti requirentibus:* quamvis autem in Reſcripto Papæ ad inſtantiam impetrantis conceſſo non exprimatur clauſula illa, *Si preces veritate nitantur*, ſubintelligi tamen debet, *cap.2. de Reſcrip.* Jure autem civili expreſsè apponenda eſt, *l. fin. C. de diverſ. Reſcrip.* Vide Roſam *à n.*20.

§.7. Circa clauſulas derogatorias diximus aliqua *lib.1. à n.* 656
806. quæ videri debent. Notandum autem eſt hic, quòd Reſcriptum concernens bonum publicum & Eccleſiarum utilitatem non cenſeatur ſublatum per clauſulas generales derogatorias, uti in dubium eſſe ſcribit Gonz. *in Regul.8. Cancell. gl.9. §.2. nu.* 18. citans Ferret. latè id probantem: & exemplum affert Nicol. *t.1. d.1. §.12.* in quo Urb. VIII. declaravit proviſiones Apoſtolicas, quæ in præjudicium dati antehac pro utilitate Eccleſiæ indulti fierent, eſſe nullas, quia eſſent præter mentem & intentionem Pontificiam. Quòd ſi addatur generalis derogatoria cum clauſula, *quorum tenores*, &c. contra Reſcriptum anterius ſimili clauſula in futurum derogatoria & decreto irritante munitum, putat cum aliis Barb. *de clauſ. clauſ.* 43. *n.*17. ultimum Reſcriptum non infringere vim prioris; contradicunt Felin. Selva, Roman. & innumeri alii, ſed Gonz. *gl.36. à num.*13. rectè concludit, quòd poſterius prævaleat, ſi ſit datum motu proprio: & *n.*80. addit, in dubio ſtandum eſſe pro primo, quod eſt in poſſeſſione.

§.8. Clauſula decreti irritantis adjecta Reſcripto ligat etiã 657
ignorantes & in cauſis beneficialibus inficit titulum ac poſſeſſionem & omnes actus ſubſequentes in contrarium, ita ut ne coloratum quidem titulum relinquat vel patiatur, Rota coram Dunoz. *dec.25. n.5. & dec.317. n.12. par.16. & dec.31. n.*18. *& dec.* 192. *n.1. par.*18. *rec.* Garc. Vvameſ. Chok. Nicol. *d.2. §.5. & tit.3. d.2. §.9.* Quòd ſi addatur, *dummodò alteri non ſit jus quæſitum*, intelligitur tantùm de jure valido, Luca *d.54. n.3. d.56. n.5.*

§.9. Pro Reſcripto ſufficit exhibere tranſumptum Bullæ 658
cum ſubſcriptione Prodatarii & ejus ſigillo ac ſubſcriptione Notarii ad id deputati; & idem valet, quod originale, Rota, Tond. Corr. *l.7. c.ult. n.*90.

Q. 84. *Quid notandum ſit circa executorem litterarum* 659
Apoſtolicarum? R. Seqq.

§.1. Executor alius dicitur merus, alius mixtus; tum dicitur merus, ſi ipſi committatur nudum exercitium executionis abſque exercitio juriſdictionis, uti communiter fit in literis gratioſis Papæ; ſi tamen adſit legitimus contradictor & poſſeſſor in beneficio, tum ex mero efficitur mixtus. Mixtus dicitur, qui ſimul partes Judicis aſſumit, uti ſi Papa ei committat in forma, *dignum*, tum enim examinare debet narrata &c. ubi è contrà merus non cognoſcit de ſub-vel obreptione, ſed hanc advertens nudè ceſſat ab executione, Roſa *de Execut. lit. Apoſt. p.1. c.6. à n.*1. Et communis ſententia habet cum Lugo *in Reſp. Moral. l.5. d.*4. per Reſcriptum in forma, *dignum*, tantum acquiri jus ad rem, ſi autem ſit in forma gratioſa, acquiri jus in re. Vide Lugo *ſupra*, Sanch. *de Matr. l.8. d.29.* Fill. *t.41. c.3. n.*91. Garc. *p.4. c.2. à n.*17. Luca *d.42. n.3.*

§.2. Quando in reſcriptis additur, *vocato* Titio, tunc exe- 660
cutor eſt mixtus, præſertim quando Papa ipſe non facit gratiam, ſed committit faciendam, Roſa *cap.8. à n.*1. Et ſi vocatus apponat, tenetur inſtituere proceſſum ordinarium & appellabilem, donec res judicata per tres conformes executioni locum præbeat, Luca *de Benef. d.*48. *n.*4. *& d.*72. *n.*7. & in ſumma *num.*268.

§.3. Quid obſervare, & quomodo procedere debet exe- 661
cutor, tam merus quàm mixtus, accuratè explicat Roſa *tota p.1. & cap.*1. agit de modis, quibus fieri debet ſupplica, & quibus dicatur gratia facta. 2. De neceſſitate & variis modis expediendi litteras, 3. Ad quos mitti ſoleant literæ expeditionis. 4. De præſentatione literarum apud executorem. 5. De clauſulis apponi ſolitis in Reſcriptis. 6. De enarrandis, ne committatur ſub-vel obreptio. 7. Quomodo impetrans teneatur probare & juſtificare narrata. 8. Quomodò executor procedere debeat quo ad illam juſtificationem: & quis ſit aut poſſit eſſe contradictor. 9. Quid agere debeat executor, ſi literæ ſint ſubreptitiæ, abraſæ, defectuoſæ, ſuſpectæ; & quomodò corrigi poſſint. 10. Quamdiu duret poteſtas executoris; & an poſſit ſubdelegare. 11. quæ & ad quem interponi poſſit appellatio à decreto executoris. 12. De executoribus diſpenſationum matrimonialium. 13. De executoribus gratiæ, *Si in evidentem*. 14. De executore in formis *gratiæ & dignum*. 15. De executore literarum reſignationis in favorem. 16. De executione Brevis è Camera de capienda poſſeſſione. 17. De exequendis literis gratioſæ ſubrogationis. 18. De executore gratiæ, *Si neutri*. 19. De executione literarum, quæ ad ipſos Oratores diriguntur.

Parte 2. *Cap.*1. agit de executoribus literarum juſtitiam continentium. 2. De narrativa facienda pro valida impetratione literarum juſtitiæ. 3. De literarum juſtitiæ expeditione & præſentatione coram delegato. 4. De clauſulis in literis juſtitiæ apponi ſolitis. 5. De poteſtate ſubdelegandi, quam habet delegatus à Papa. 6. Quomodo delegatus procedere debeat, & quandonam ab eo geſta ſint irrita defectu juriſdictionis.

nis. 7. Quibus modis delegati juriſdictio expiret. 8. De appellatione à ſententia delegati vel ſubdelegati.

662 §.4. Si primò conſtitutus executor ſit negligens vel malitioſus, poteſt impetrans poſt 30. dies implorare ſecundum, qui exequi poterit, ſi agnoſcat culpam prioris, *cap. Si Capitulo, de conceſſ. præb. in 6.* Caſtrop. *t.13. d.2. p.31. §.2. n.5.*

663 *Q.85. Quid notandum ſit circa falſificationem literarum Apoſtolicarum?* Reſp. ſeqq.

§.1. *Cap.5.* De crimine falſi referuntur hi modi falſandi literas Apoſtolicas: Si Bulla falſis literis apponatur: ſi filium veræ Bullæ inſeri ſolitum, aut pars veræ Bullæ jungatur falſis literis; ſi per raſuram aliquid immutetur: ſi deletis prioribus literis ſuperinducantur novæ: Si Bullæ agglutinetur nova charta cum alia ſcriptione; qui Bullam recipiunt de alia manu quàm Papæ vel bullatoris: qui falſas literas inter veras projiciunt, ut bullentur. *Cap.6. ibid.* declarat Papa, quod Epiſcopos in ſuis Bullis vocet Fratres, Principes autem filios, & nunquam loquatur in plurali, ſi uni ſcribat, atque etiam inde cognoſci poſſe literas falſas. Similiter *cap.11. de Reſcript.* declarat *Lucius III.* ſi Reſcriptum Papæ contineat manifeſtum in latina conſtructione errorem, cenſeri debere falſum.

664 §.2. *Cap.9.* De crimine falſi declarat *Innoc. III.* per raſuram paucarum literarum in loco non ſuſpecto, Reſcriptum non probari falſum: è contrà ſi ſit in loco ſuſpecto, abraſio & correctio etiam in una tantùm ſyllaba vel puncto reddit literas falſas, Fagn. *in cap. Ex conſcientia, de crim. falſ. n.8. ubi à num.16.* notat eum locum ſuſpectum dici, ſi fiat in nominibus Judicum, vel in data, vel in remotione appellationis: è contra non eſſe locum ſuſpectum, ſi fiat in narrativa facti, uti habetur *cap. Ex literis, de fide inſtrum.* niſi fieret ab impetrante, vel ſubſtitueretur ſcriptio diverſa manu. Quòd ſi literæ clauſæ ſint redditæ executori, non nocet raſura, dummodò character non ſit difformis, Fagn. *num.21.*

665 §.3. *Cap.2.* ibi decernitur, quòd literæ Apoſtolicæ falſificatę nullam juriſdictionem vel poteſtatem tribuant, nec ſint exequendæ. Item *Cap.7.* ſub pœna privationis omnium beneficiorum & excommunicatione latæ ſententiæ prohibetur, ne ullus etiam prætextu ignorantiæ utatur literis Apoſtolicis falſis.

666 *Q.86. Quid agendum ſit, ſi commiſſus ſit error vel vitium in Reſcripto aut ſupplica?* Reſp.

§.1. Quamvis Papa cenſeatur habere jura omnia in ſcrinio pectoris, ideoque nunquam procedere ex ignorantia juris, poteſt tamen error intervenire, quia non omnia ſemper ſunt in memoria Papæ: deinde expedientes reſcripta quandoque falluntur, & Papa bona fide iis credit. Nec novum eſt impetrata eſſe à Pontificibus multa per ſub-vel obreptionem, quæ poſteà revocata ſunt. Videri poteſt Extrav. Joannis XXII. *Execrabilis, de præb.* ubi ambitionem talia extorquentem perſtringit: Et ideò Barb. *clauſul.45.* dicit ſi Papa conferat beneficium tanquam reſervatum, quod tale non eſt, conferre non vult.

667 §.2. Varia circa errores in Reſcriptis & ſupplicis diximus *l.1. à n.806.* quæ videri debent, & hic applicari: ſi autem quis errorem vel vitium advertat fuiſſe in ſupplica jam ſignata & regiſtrata, poteſt ſibi conſulere per reformatorium, quo Papæ per aliam ſupplicam ſignificatur error in priore commiſſus: quòd ſi literæ jam ſint expeditę, impetrari debet revalidatorium ſeu gratia, *perinde valere*, quæ ſanat omnes errores, & retrotrahitur ad tempus primæ impetrationis, niſi intereà fuiſſet jus alteri quæſitum; & hæc ſecunda gratia eſt independens à priore, ideoque ex illa poteſt procedi ad executionem non productis literis primæ gratiæ. V. Lott. *l.2. q.54. à n.52.* Ameyd. *l.1. c.14.* Roſa *p.1. c.6. à n.316.*

Q.87. An Beneficia conferri debeant ſine diminutione? Reſp.

668 §.1. Conferri debere ſine diminutione ſtatuitur expreſsè *Cap. un. Ut Eccleſ. Benef. ſine diminut. confer.* Diminuitur autem beneficium per impoſitionem novi oneris, item per diviſionem, diſmembrationem, ſuppreſſionem, de quibus & maximè quid circa ea poſſit Epiſcopus, videri debent dicta *à num.288.*

669 §.2. Nulli præterquàm Papę licitum eſt in proviſione ullum onus reale vel perſonale addere vel augere, quod ex fundatione non ineſt, uti habet communis & certa cum Barb. ad Trid. *ſeſſ. 25. c.5. de Ref.* Lott. *l.1. q.32. à n.8.* Epiſcopis tamen licitum eſt ob neceſſitatem, v.g. pro Eccleſia reparanda, ſubtrahere partem redituum beneficii vacantis, item pro magna utilitate Eccleſiæ beneficio, dum vacat, novum onus adjicere, quod cum beneficio tranſibit ad providendos, Gloſ. Abb. Az. Laym. Garz. Barb. Zoeſ. Engel. Lott. Leur. *p.1. q.31. & p.2. q.776.* idque inſinuatur *cap. Significatum, de præb.* cujus titulus ſic ſonat, *Poſſunt Prælatus & Capitulum Præbendæ vacanti honeſtum onus imponere, ad quod præbendarius teneatur.*

670 §.3 Simonia eſt, ſi onera etiam pia, & etiam quæ beneficio inſunt, exigantur ſub novo pacto, v.g. ſi beneficium conferatur ſub pacto, ut Beneficiandus juret ſe lecturum Miſſas, ad quas fundatio obligat, uti dictum eſt *l.3. p.1. n.70.* ſi tamen collatio non fiat ſub pacto, ut juret, ſed collator, antequam providendus habeat ullum jus ad beneficium, ab hoc petat juramentum, quòd velit, v.gr. reſidere, ſecundùm obligationem Beneficii, Laym. & Garz. *p.8. c.2. à num.32.* putant eſſe licitum, & idem eſt, ſi alicubi ſit ſtatutum vel conſuetudo, ut jurent ſe non renunciaturos in favorem tertii. V. Leur. *p.2. q.770.*

Q.88. Quid notandum ſit circa Capitulationes ante acquiſitionem Beneficiorum, reſervationes fructuum, annos gratiæ &c. Reſp. 671

§.1. De his edidit ſequentem Conſtitutionem *Innocentius XII.* die 22. Septembr. 1695. Eccleſiæ Catholicæ per Univerſum Orbem diffuſæ regimini, meritis licèt imparibus, Divina diſpoſitione præſidentes, ea, quæ à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, ſive ad illicitorum, ac præſertim Eccleſiaſticæ libertati adverſantium juramentorum abuſum tollendum, ſive ad quamcunque avaritiæ labem à perſonis in ſortem Domini vocatis, quas, non quæ ſua ſunt, ſed quæ JESU CHRISTI, quærere maximè convenit, excludendam, prudenti ſalubrique conſilio, ac illo, qui ſecundùm ſcientiam eſt, zelo conſtituta & ordinata eſſe noſcuntur, Apoſtolici muniminis noſtri patrocinio libenter roboramus, noviſque præſidiis, ut ſerventur exactiùs, conſtabilimus, ac aliàs deſuper conceſſæ Nobis à Domino poteſtatis partes ſtudioſa charitate interponimus, ſicuti Eccleſiarum omnium, quam gerimus, ſolicitudo poſtulat, Noſque, omnibus maturæ conſiderationis trutina perpenſis ad omnipotentis Dei gloriam, rectam ac feliçem Eccleſiaſticarum rerum directionem, necnon animarum pretioſo Unigeniti Dei Filii Domini Noſtri JESU CHRISTI Sanguine redemptarum ſalutem expedire in Domino arbitramur. Dudum ſiquidem, poſtquam fel. rec. NICOLAUS Papa III. Prædeceſſor noſter, accepto in nonnullis Eccleſiis de earum conſuetudine obſervari, ut cùm earum Prælati ad Eccleſias ipſas primò accederent, vel cùm de recipiendis ibidem novis Canonicis ageretur, nec Prælatos admitti, nec Canonicos aliter recipi in iiſdem Eccleſiis, niſi juraſſent ſtatuta & conſuetudines ipſarum Eccleſiarum ſcripta & non ſcripta inviolabiliter obſervare; Inter Laicos quoque multarum civitatum, Caſtrorum & Terrarum eum conſuetudinis morbum in ſuis Poteſtatibus, Rectoribus vel Officialibus aſſumendis irrepſiſſe; ut ipſi Poteſtates, Rectores & Officiales ad ejuſmodi Poteſtarias, Rectorias & Officia nullatenus admitterentur, niſi priùs ſe ſtatuta ipſorum locorum clauſa ſervaturos ſimiliter juraſſent: In ſtatutis verò, ac conſuetudinibus ſupradictis interdum aliqua reperiri illicita ſive impoſſibilia, vel Eccleſiaſticæ libertati obviantia; ne ſub tali generalitate jurandi ſic jurantibus peccandi occaſio præberetur, animarum periculis obſiſtere cupiens, ſalubri ſua ac generali Conſtitutione præceperat à quibuſcumque ſcientibus contineri in prædictis conſuetudinibus & ſtatutis illicita, impoſſibilia vel libertati Eccleſiaſticæ obviantia, juramenta hujuſmodi nullo modo præſtari; Ac propterea decreverat talia juramenta ea intentione facienda vel facta, ut etiam illicita vel impoſſibilia, ſeu Eccleſiaſticæ libertati obviantia obſervarentur, cùm etiam ſub tali intentione præſtari non poſſent abſque Divinæ Majeſtatis offenſa in hujuſmodi illicitis, impoſſibilibus ſeu libertati Eccleſiaſticæ obviantibus non ſervanda: quin potiùs pro animarum ſalute, ſi ſub forma præfata vel ſimili aliquos ignorantes prædicta illicita ſeu impoſſibilia, vel libertati Eccleſiaſticæ obviantia jurare contigiſſet, ad obſervanda dumtaxat licita, poſſibilia & libertati Eccleſiaſticæ non obviantia jurantium intentionem referri debere; declarans inſuper juramenta ſub hujuſmodi generalitate qualitercumque & ſub quacumque verborum forma præſtita vel præſtanda, ad licita, poſſibilia ac Eccleſiaſticæ libertati non obviantia dumtaxat extendi, ipſoſque jurantes ad alia per præſtationem juramenti hujuſmodi non teneri; recen. memor. Gregorius Papa XIII. etiam Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas deſuper ſub plumbo expeditas literas, quarum initium: Inter Apoſtolicas, &c. prædictam Nicolai III. Prædeceſſoris Conſtitutionem, itidemque alias omnes Canonicas ſanctiones de abuſu & reprobatione juramentorum hujuſmodi promulgatas innovavit, voluitque eas ubique ab omnibus, etiam quoad præterita, inviolabiliter obſervari. Præterea præcepit & interdixit Prælatis, Canonicis, & aliis ſupradictis, necnon Eccleſiarum Capitulis & Monaſteriorum, ceteriſque Conventibus, Civitatum quoque, Caſtrorum & Terrarum Communitatibus, & perſonis quacumque dignitate præditis, ne ulla omnino juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa vel libertati Eccleſiaſticæ aut Decretis Concilii Tridentini obviantia, ſive ante ſive poſt electiones, confirmationes, proviſiones, receptiones, admiſſiones, aut alios actus ubicumque ac quocumque tempore, etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis quantocumque tempore obſervatæ, quæ potiùs corruptela eſſet cenſenda, ſive in genere, ſive in ſpecie præſtare, reddere vel exigere, neve ſuper præſtitis, redditis vel exactis eouſque

quem-

quempiam in judicio vel extra illud inquietare auderent quoquomodo, vel turbare. Ac illos, qui juramenta illicita, impoſſibilia, damnoſa, vel Eccleſiaſticæ libertati, aut Decretis dicti Concilii obviantia exigere contendiſſent Epiſcopos quidem & alios quoſcumque Pontificali dignitate præditos à Divinis ſuſpendit; Capitula verò & Conventus, eorumque Eccleſias & loca omnia interdicto Eccleſiaſtico ſuppoſuit, ac ſingulares perſonas excommunicationis ſententia innodavit, inhabileſque fecit ad obtenta, & alia obtinenda eo ipſo, ſibique, & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti relaxationem ſuſpenſionis & interdicti, necnon abſolutionem ab excommunicationis ſententia hujuſmodi perpetuò reſervavit. Decernens eos, qui talia juramenta ſcienter præſtitiſſent, uſu & commodo rei ac gratiæ, cujus cauſa juraſſent, eo ipſo privatos eſſe; alios verò ignorantes ad præſtitorum juramentorum hujuſmodi obſervationem minimè teneri, & aliàs prout in præfatis Gregorii Prædeceſſoris literis, quarum tenorem præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſo, ac de verbo ad verbum inſerto haberi volumus, uberiùs continetur. Porrò antequam literæ hujuſmodi emanaſſent, ſimilis mem. Pius Papa V. etiam Prædeceſſor noſter, ejuſdem Concilii Tridentini Decretis, quibus ne quidquam, quod in uſus pios non convertatur, in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione vel alia proviſione ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas quoquomodo perſolvi poſſit, ſtrictiſſimè prohibetur, inhærens, ſuam hac in re Conſtitutionem ediderat tenoris, qui ſequitur, videlicet: Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Durum nimis & incommodum arbitramur, quòd Eccleſiarum Miniſtri in iis, quæ ad ipſorum ſuſtentationem ſuppeditant, diſpendia patiantur. Quocirca cùm hanc ad rem, ſimulque prohibendam ab Eccleſia Dei avaritiæ pravitatem, editas antehac ſanctiones minimè ſatis eſſe intelligimus, novæ conſtitutionis ſubſidio cogimur providere. Cùm itaque aliàs ex plurium Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum Conſtitutionibus, aut ex prava conſuetudine obſervari intelligeretur, ut in electione, præſentatione, nominatione, inſtitutione, confirmatione, collatione, vel alia proviſione, ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Cathedralis Eccleſiæ, vel Beneficii, Canonicatuum, aut Præbendarum, vel partem proventuum, ſeu ad diſtributiones quotidianas certæ conditiones ſeu deductiones ex fructibus, ſolutiones, promiſſiones, compenſationeſve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur Turnorum lucra interponerentur, licèt Sancta Synodus hæc deteſtata, mandaverit Epiſcopis, ut quæcumque hujuſmodi, quæ in uſus pios non converterentur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem haberent, fieri non permitterent, ipſique diligenter de eorum Conſtitutionibus, ſive conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcerent, & illis tantùm, quas probarent, exceptis, reliquas ut pravas & ſcandaloſas rejicerent, eos verò, qui adversùs prædicta quavis ratione commiſiſſent, pœnis contra ſimoniacos editis teneri decreverit; multorum tamen indomita cupiditate tam prædicta quàm alia ad Beneficium & commodum ipſorum Miniſtrorum edita, aut omninò contemnuntur, aut in varios ſenſus traducta perperàm eluduntur. Quare Nos pro Divini cultus exercitio, ſimulque evocatorum ad illum, auxilio pleniùs evidentiùſque conſulendum fore rati, revocamus & abolemus omnia & quæcumque privilegia, conſuetudines & ſtatuta quarumcunque Eccleſiarum Cathedralium & Metropolitanarum, ac Majorum, necnon Collegiatarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut alio quovis præſidio munita, ac etiam ſupra hominum memoriam, & longiſſimo, & quantocunque tempore etiam continuo obſervata, ſive pro ſolvendis Eccleſiarum vel Prælatorum debitis, ſive pro ſupportandis illorum oneribus, ſive aliis etiam majoribus, maximis, & urgentiſſimis cauſis conceſſa & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extenſa & moderata, quòd vacantibus ipſarum Eccleſiarum, Dignitatibus, Canonicatibus, Præbendis, Portionibus, Beneficiis, & Officiis, fructus, ac etiam quotidianæ diſtributiones ex eis primo ab ipſa vacatione anno, aut longiore vel etiam breviore tempore proventuri, menſæ Epiſcopali ſeu Capitulari, aliove loco integrè vel partim remaneant ſeu applicentur, aut in communes uſus cedant, ſeu inter alios Canonicos & perſonas Eccleſiæ ſeu Capituli dividantur. Quodque nullus etiam Apoſtolica authoritate proviſus in Canonicum recipi, aut ad Dignitatem, ſeu portionem, Beneficium, vel Officium admitti, vel alias in ejus poſſeſſionem induci poſſit, niſi priùs de obſervandis hujuſmodi privilegiis, conſuetudinibus & ſtatutis juramentum præſtiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum & diſtributionum perceptioni renuntiaverit, ſeu Capitulo & perſonis prædictis ceſſerit, ſeu (ut appellant) dulciaria, aut quid aliud præſtiterit, quorum omnium tenores, cauſas & affectus habemus præſentibus pro expreſſis, quibuſcumque illa concepta ſint formulis, necnon irritantibus & aliis Decretis roborata. Volentes ea omnia vires & effectum de cætero non habere. Præcipimus igitur & interdicimus omnibus Epiſcopis, Capitulis, Collegiis, & perſonis, ad quos id pertinet, ne poſthac fructus aut diſtributiones hujuſmodi, nec prorſus ullam eorum partem retineant, neve ipſorum ceſſionem vel renuntiationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant vel exigant, vel quemquam ſive Ordinaria ſive Apoſtolica authoritate proviſum ad præſtandum hujuſmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti poſſeſſionem impediant vel remorentur. Quicumque contra fecerint, ſi Eccleſiarum Antiſtites, tamdiù à Pontificalis officii exercitio ſint ſuſpenſi, donec ſatisfactione prævia illis per Sedem Apoſtolicam ſuſpenſio relaxetur: Capitula verò & Collegia quæcumque Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto, ac ſingulares perſonæ in excommunicationis ſententiam incurrant, à quâ, niſi in mortis articulo conſtitutæ ab alio, quàm à Romano Pontifice, abſolutionis beneficium nequeant obtinere; Decernentes hujuſmodi præſtita juramenta non tenere nec quemquam illis obligari, quinimò jurantes in hujusmodi cenſuram incidere, necnon irritum & inane, quicquid ſecus ſuper his per quoſcumque ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus ſtatuimus, ut ubicumque hujuſmodi fructus & diſtributiones Fabricæ vel Sacriſtiæ, aut alterius pii loci uſibus ultra ſemeſtre tempus reperiuntur conceſſi, horum dumtaxat dimidia pars ipſi Sacriſtiæ vel Fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram verò Beneficiati prædicti integrè percipiant. Non obſtantibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab Apoſtolica ſit Sede indultum; quod interdici, ſuſpendi, aut excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, Decreto prædictæ Synodi, ac etiam Conſtitutione fel. record. JOANNIS Papæ XXII. quæ incipit, Suſcepti, & aliis juribus hac de re diſponentibus nihilominus aliàs in ſuo robore duraturis. Ceterùm per prædicta non intendimus illis præjudicare Capitulis, Collegiis, Menſis, aut perſonis, fructus & diſtributiones inter vacationem Beneficiorum & eorum collationem ſive poſſeſſionis apprehenſionem provenientes ex ſtatuto, conſuetudine vel privilegio hujuſmodi percipientibus vel retinentibus, quominus ipſi illos interim, ut anteà, exigere valeant & habere. Poſtremò volumus, ut præſentium exempla etiam impreſſa, Notarii Publici manu, & Prælati Eccleſiaſtici ejuſque Curiæ ſigillo obſignata, eandem illam prorsùs fidem, ubique locorum in judicio & extra illud faciant, quam facerent ipſæmet præſentes, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, Decreti, ſtatuti, intentionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno 1570. die 30. Junii. Cùm autem, ſicut, non ſine gravi animi noſtri dolore, ex quamplurium, ac præſertim nonnullorum Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ad Apoſtolatum noſtrum delegatis querelis accipimus, adeo creverit tam ſalutarium legum tranſgreſſorum impudentia, ut non deſint, qui ſive avaritiæ, quæ eſt idolorum ſervitus, improbo affectu, ſive ambitioſo Eccleſiaſticorum graduum cupiditatis conſilio ducti, hominibus trepidè paſciſcentibus fidem habentes, & tamen Deo veraciter promittenti minimè credentes, ſacras ipſas electiones, quas Sanctiſſimi Eccleſiæ Canones omni prava pactione ſubmota peragi tam diſtrictè præcipiunt, illicitis, injuſtis ac per tot Apoſtolicas ſanctiones reprobatis conventionibus per Electos, quicumque illi ſint, obſervandis, quibus Canonica Præſulum juriſdictio ut plurimùm circumſcribitur, vacantium Eccleſiarum jura læduntur, ac ipſius etiam Apoſtolicæ Sedis authoritas interdum violatur, temerè inquinare ſatagant, atque ita abominationem deſolationis in Sanctuarium invehere, ſacraſque Eccleſiæ dignitates, ad quas olim nonniſi ex perſecutionis tolerantia aſcendebatur, in turpem quæſtum, ac tenebrarum negotium commutare minimè vereantur, non ſine graviſſima Eccleſiaſticæ diſciplinæ perturbatione, fidelium ſcandalo, ac ſalutis animarum detrimento: Hinc eſt, quòd nos, qui libertatis, juriſdictionis, aliorumque Jurium Eccleſiaſticorum aſſertores in Terris à Domino conſtituti ſumus, omniumque Chriſti Fidelium curam ſuperna diſpoſitione gerimus, abuſus quoſcumque circa præmiſſa introductos è medio tollere, illiſque in futurum omnem anſam præcidere, necnon animarum periculis, quantùm nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, habita ſuper iiſdem præmiſſis cum particulari Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum

rum S. R. E. Cardinalium ejuſdem Concilii Tridentini Interpretum, qui rem maturè diſcuſſerunt, diligenti deliberatione, de illorum conſilio pariter & aſſenſu, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia & ſingula præmiſſa à præfatis NICOLAO, PIO & GREGORIO Prædeceſſoribus conſtituta, ordinata, interdicta, decreta & reſpectivè declarata, ut præfertur, expeditaſque deſuper illorum Conſtitutiones ſeu literas ſupradictas tenore præſentium perpetuò approbamus, confirmamus, innovamus, illiſque perpetuæ atque irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, patrocinium, præſidium adjicimus. Præterea ut eadem præmiſſa firmiùs atque inviolabiliùs de cætero obſerventur, ultra omnes & ſingulas pœnas in iiſdem Conſtitutionibus ſeu literis impoſitas, privationis Dignitatum, Canonicatuum & Præbendarum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum; & quoad Regulares, etiam vocis activæ, & paſſivæ, ac graduum, munerum & officiorum quorumcunque per eos reſpectivè obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumque impoſterum quomodolibet obtinenda, pœnas per contra facientes ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendas, adjungimus. Porrò ad penitus extirpandum atque evellendum abuſum Capitulationum, pactionum, conventionum, concordatorum ſeu ſtatutorum quorumcunque, quę perperàm ac adversùs Sacrorum Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum diſpoſitionem, occurrente Eccleſiarum quarumlibet, præſertim Cathedralium & Metropolitanarum, Monaſteriorum quorumvis vacatione, ab iis, ad quos electio perſonarum idonearum ipſis Eccleſiis ſeu Monaſteriis, ad electionem hujuſmodi reſpectivè præficiendarum juxta privilegia & indulta Apoſtolica eis deſuper conceſſa, aut aliàs legitimè ſpectat, ſive ante, ſive poſt electionem prædictam interdum iniri, condi, aut fieri conſueverint, motu, ſcientia, deliberatione, & poteſtatis plenitudine paribus earumdem tenore præſentium omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, præeminentiæ vel dignitatis fuerint, ſub eiſdem omninò pœnis ſuperiùs expreſſis, quarum abſolutionem ſeu relaxationem Nobis & Romano Pontifici pro tempore exiſtenti dumtaxat ſpecialiter reſervamus, diſtrictè prohibemus & interdicimus, ne Capitulationes, pactiones, conventiones, concordata, ſeu ſtatuta hujuſmodi ante ipſam quidem electionem, ſeu etiam poſtulationem de cætero inire, condere aut facere audeant quovis modo, ſeu præſumant; Illaque proinde, quatenus de facto contra præſentis noſtræ prohibitionis formam inita, condita ſeu facta fuerint, nulla, inania, invalida, irrita, viribuſque & effectu penitus & omnino vacua, ac nullius roboris & momenti eſſe, & perpetuò fore, neminemque ad illorum, ſeu cujuslibet eorum, etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri, aut obligatum exiſtere, vel fore decernimus & declaramus. Quæ verò electione ſeu poſtulatione hujuſmodi ſecuta quomodolibet iniri, condi ſeu fieri contigerit, ad Nos ſeu eundem Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem qua mprimùm deferri, atque ita noſtro & Sedis Apoſtolicæ judicio ſubjici præcipimus; ſuſpenſa interim eorum omnium & ſingulorum executione, donec & quouſque ab eadem Sede, ſine cujus authoritate nihil omnino in ſimilibus paciſci fas eſt; Apoſtolicæ confirmationis robur in totum vel in partem receperint. Cæterùm per præſentes non intendimus ea, quæ antehac contra ſupradictarum NICOLAI, PII & GREGORII Prædeceſſorum, ſeu forſan aliarum Apoſtolicarum Conſtitutionum ſeu literarum formam quomodolibet geſta fuerunt ullatenus approbare, nec pœnas ea de cauſa per tranſgreſſores incurſas remittere, vel condonare. Decernentes pariter eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quilibet in præmiſſis ſeu eorum aliquo jus vel intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, præeminētiæ & dignitatis exiſtant, & aliàs ſpecifica & individua mentione & expreſſione digni illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati & auditi, neque cauſæ, propter quas præſentes emanarint, ſufficienter adductæ, verificatæ & juſtificatæ fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica & privilegiata cauſa, colore, prætextu & capite, etiam in corpore juris clauſo, etiam enormis, enormiſſimæ, & totalis læſionis nullo unquam tempore de ſubreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſus, aliove quolibet etiam quamtumvis magno, ſubſtantiali ac incogitato & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, ad terminos juris reduci, ſeu in controverſiam vocari, aut adversùs illas aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti vel gratiæ remedium intentari vel impetrari, ſeu impetrato aut etiam motu, ſcientia & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe, ſed ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios & integros effectus ſortiri & obtinere, ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit, inviolabiliter & inconcuſsè obſervari; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apoſtolicæ Sedis præfatæ Nuntios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia & poteſtate fungentes & functuros, ſublata, eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, interpretandi facultate & authoritate, judicari & definiri debere, ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quatenus opus ſit, noſtra & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, aliiſque Apoſtolicis, ac in Univerſalibus Provincialibuſque & Synodalibus Conciliis editis Generalibus vel ſpecialibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, necnon Eccleſiarum & Monaſteriorum quorumvis, & illorum Ordinum, aliiſve quibuſvis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, aut quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, etiam immemoriabilibus; privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis, eiſdem Eccleſiis, Monaſteriis ac Ordinibus, illorumque Præſulibus & Capitulis, Abbatibus, aliiſque Superioribus & perſonis quibuslibet ſub quibuſcumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus & inſolitis clauſulis, irritantibuſque & aliis Decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus, ac Conſiſtorialiter, & aliàs quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac quantiſcunque vicibus confirmatis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, ac pleniſſimè & ampliſſimè derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque; aut ſi præfatis, vel aliis quibuslibet communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Ut autem eædem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus illas, ſeu earum exempla, ad valvas Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, necnon Cancellariæ Apoſtolicæ, Curiæque Generalis in Monte Citorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt, affigi & publicari; ſicque publicatas & affixas, omnes & ſingulos, quos illæ concernunt perinde arctare & afficere, ac ſi unicuique eorum nominatim & perſonaliter intimatæ fuiſſent; &c.

§. 2. Hæc Conſtit. confirmat ea, quæ *l. 3. p. 1. num. 87.* diximus, nempe eſſe ſimoniam, ſi Canonicus pro admiſſione in poſſeſſionem cogatur ſolvere aliquid Capitularibus, vel inſtituere convivium &c. Quomodo autem poſſit contra ejuſmodi prohibitionem præſcribi, diximus ibidem *à num. 191.* item *l. 1. à num. 632.* Et certum eſt necdum præſcriptum eſſe contra hanc Conſtit. ubi obligavit, itaut nuuc præter id, quod Conſtit. permittit, non liceat exigere pecunias propter ſtatuta, nec quidquam aliud etiam ad uſus pios, licèt antehac aliter docuerint multi Authores. Vide Leur. *p. 3. q. 748.* Neque poteſt aut conſuetudo præſcribere aut ſtatutum prævalere, ut fructus primi anni, v. g. diſtribuantur inter ſeniores, quia tales conſuetudines & ſtatuta eſſe iniqua ac ſcandaloſa declarant *Trid. S. Pius V. Clemens VIII.* teſte Garz. *p. 11. c. 5. à n. 162. & Innoc. XII.* per Conſt. relatam: Praxis autem in his partibus habet, ut proviſus ad redimendam vexam pecunias, quæ propter ſtatuta ſolvi debebant, deponat apud Capitulum, uſque ad tempus, quo ſupplicetur Papæ, vel declaretur ſalvà Conſtit. relata licere ejuſmodi ſolutionem. 672

§. 3. Quod attinet ad annos gratiæ, certum videtur, quòd fructus primi anni ſpectent ad novum proviſum, nam collatio Beneficii, v. gr. à quinque menſibus vacantis, hodie facta, cenſetur facta à momento vacationis, ergo cùm proviſus hodie acquirat quaſi fundum Beneficii, fructus omnes ab initio vacationis inhærentes Beneficio, per ſe loquendo, pertinent ad ipſum, Surd. Gemin. Lott. Leur. *p. 2. q. 792.* Hoc non obſtante fructus primi anni ſæpè relinquuntur hæredibus defuncti beneficiati, & id adhuc licitum eſt ſaltem pro Parochis, quia *Innoc. XII.* tantùm loquitur de Beneficiis Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum, quoad Beneficia autem ſimplicia 673

adhuc

adhuc putant aliqui ejuſmodi ſtatutum vel conſuetudinem, ut novus proviſus per annum deſerviat Beneficio ſine ullis fructibus non repugnare nequidem Conſtit. relatæ, ſi eos fructus poſt ejus mortem accipiant hæredes, nam defunctus ſic reipſa percipit fructus primi anni, qui non auferuntur ſed differuntur, & quaſi aſſervantur, ut ſint pro funeralibus & debitis ſolvendis, ſi debita contraxerat, idque ſemper licuiſſe notant ex declarationibus S. Congreg. & deciſ. Rotæ authores apud Leur. *p.3.q.*103. Idem dicit *Garz.* ſi ſit ſtatutum vel conſuetudo, ut nihil percipiat, qui non erit, v.gr. Subdiaconus; ad majorem tamen ſecuritatem in Diœceſi Colonienſi & Leodienſi ſupplicatum eſt ratione annorum gratiæ contra illam Conſtit. *Innocent. XII.* & Papa remiſit examen ad Congregationem, quæ hactenus, non reſpondit. Similiter quoad illud punctum ſupplicarunt quatuor Capitula, urbis & ſuburbii Monaſterienſis in VVeſtphalia, Anno 1701. & Congregatio remiſit cauſas examinandas Officiali, unde ſi relatio Romam miſſa nitatur cauſis ſufficientibus, poſſunt hæc Capitula uti annis gratiæ, uſque dum aliud urgeatur.

674 *Q.*89. *Quid notandum ſit circa obligationem annatæ vel quindenæ; item circa valorem Beneficii?* R. Seqq.

§.1. Per annatam intelligitur media pars fructuum primi anni Sedi Apoſtolicæ ſolvenda inſtar decimarum, partim ad ſuſtentationem Papæ & Cardinalium, partim in recognitionem univerſalis dominii, quod Papa & Eccleſia habet in omnia Beneficia, uti loquitur *Paulus IV.* apud Luca *d.*89. *num.*2. Hæc autem annata non ſolvitur ex Beneficiis, quæ non excedunt 24. ducatos auri de Camera, uti habent Concordata relata *n.*503. unde cùm nulla Beneficia in Germania, Gallia & Hiſpania taxentur in Camera ultra 24. ducatos, pro illis nihil ſolvitur ratione annatæ, Brand. Chok. Pirh. Leur. *p.2.q.*601. De cætero in hoc nihil committi nundinationis vel ſimoniæ, probat rectè Leur. *p.3.q.*190.

675 §.2. Quindena ſeu quindenium eſt media pars fructuum, quæ ex Beneficiis alicui Communitati vel loco pio unitis ſolvitur ſingulis 15. annis, cùm enim tale Beneficium non ampliùs vacet, loco annatæ impoſita eſt quindena, unde qui non tenentur ſolvere annatam, etiam non tenentur ad quindenam. Videri poteſt Caſtrop. *t.7.d.3.p.*7. ubi etiam agit de charitativo ſubſidio, quod quandoque à Beneficiatis exigitur.

676 §.3. Si quis habeat indultum conferendi Beneficia, addita clauſula, ut ſic proviſus, ſi fructus Beneficii valorem annuum 24. ducatorum excedant, infra 8. menſes novam proviſionem à ſua Sanctitate impetret, & literas petere ac jura Cameræ Apoſtolicæ perſolvere teneatur, dubitarunt aliqui, an etiam in Germania ſic proviſus non teneatur iſta præſtare? pro parte affirmante eſt; quòd indultum ſit extraordinaria gratia, ideoque potuerit Papa extraordinariam clauſulam addere præter Concordata, idque præſumendum ſit, ne clauſula iſta ſit fruſtranea. *Conf.* nam Germanus Romæ ſupplicans pro Beneficio, licèt ſcribatur illud non excedere 24. ducatos, tamen putat Plettemberg *in notit. tribunal. ad Reg.*55. *Cancell. pag.*471. teneri exprimere verum valorem, ergo ſi reverà excedat, debebit id manifeſtare Romæ, & quia ita mandat indultum, novam petere proviſionem. Nihilominus præſcindendo à praxi, de qua mihi non conſtat, ſententia negans videtur probabilior, quia dicta clauſula non eſt ſpecialiter iſti indulto inſerta, ſed paſſim de ſtylo communi & antiquo omnibus ejuſmodi indultis etiam Cardinalium & Legatorum Apoſtolicorum inſeritur, ut videre eſt apud Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.*57. *n.*52. & Tond. *p.2.c.*3. §.5. *n.*22. idque unicè, ne Camera Apoſtolica fraudetur annatis, quòd autem iſta clauſula non habeat effectum, ubi valor omnium Beneficiorum non cenſetur excedere 24. ducatos, id per accidens eſt, nam obtinet effectum in indultis ad alias Provincias, ubi Beneficia taxantur ad verum valorem, hinc clauſula iſta ubique relinquitur, ne mutetur ſtylus ſcribendi, unde dato, quod opus ſit in ſupplica ad Papam exprimere verum valorem, hìc non eſt opus ulla ſupplica ad Papam, ergo nec opus hoc exprimere.

677 *Q.* 90. *Quid intelligatur per valorem* 24. *ducatorum de Camera?* R.

§.1. Ducatus auri de Camera eſt Scutum aureum & unus argenteus ſeu Julius; Scutum autem aureum ſecundùm monetam noſtram eſt ducatus ſive duo Imperiales in ſpecie. Quòd ſi dicatur ducatus, & non addatur, *de Camera*, attendendus eſt valor ducati currens in loco Beneficii, Garz. *p.*5. *c.*3. *num.*151.

678 §.2. Pro deſignando valore Beneficii non debent computari emolumenta incerta, ſed ſola certa, uti ſunt anniverſaria fixa & dotata, *Suar. Caſtrop. Garz. VVameſ.* Etiam probabiliter non debent computari ſtipendia pro Miſſis, ſi has poſſet legere per alium, tunc enim non ſunt fructus Beneficii ſed proprii laboris, Guttier. Graff. Garz. *num.*166. debet detrahi etiam penſio impoſita Beneficio, quia Beneficium cenſetur valere hoc, quod beneficiato remanet detractis oneribus, *Gigas*, *Caſtrop.* contra alios; excuſatur autem mala expreſſio valoris, ſi ſit exceſſus modicus, id eſt, non ultra ſextam partem, Mandoſ. Leur. *p.2.q.*659. *n.*8.

§. 3. Cùm anni varient in proventibus, valor taxari 679
debet ex annis pluribus: Et ſufficere attendi quinque præcedentes, dicunt *Mandoſ. & Maſcard.* ſed attendi debere 10. præcedentes docent Garz. & Caſtrop. Vide Leuren. *qu.*660.

*Q.*91. *Quid notandum ſit circa poſſeſſionem annalem?* 680
Reſp. ſeqq.

§.1. De hac ita habet Regula Cancell. *Dominus noſter, ut improbi lites exquirentium mores reprimantur ſtatuit & ordinavit, quòd quicumque Beneficium Eccleſiaſticum tunc per annum immediatè præcedentem pacificè poſſeſſum, & quod certo modo vacare prætendit, deinceps impetraverit, nomen, gradum & nobilitatem poſſeſſoris ejuſdem, & quot annis illud poſſederit & ſpecificam & determinatam cauſam (ex qua conſtare clarè poterit, quòd nullum ipſi poſſeſſori in dicto Beneficio jus competat) in hujuſmodi impetratione exprimere, & intrà 6. menſes ipſum poſſeſſorem ad judicium evocare facere, cauſamque ex tunc deſuper infra annum uſque ad ſententiam diffinitivam incluſivè proſequi debeat & teneatur, alioquin impetratio prædicta & quæcumque inde ſecuta nullius exiſtant firmitatis; & idem impetrans de damnis & intereſſe poſſeſſorem ipſum propterea contingentibus ei ſatisfacere, & ſi poſſeſſorem ipſum frivolè ac indebitè moleſtaſſe repertus fuerit, 50. florenos auri perſolvere Cameræ Apoſtolicæ ſit adſtrictus, nec aliàs quàm præmiſſæ vacationis modus, etiam per literas, ſi neuter aut ſubrogationis vel aliàs ſibi quoad hoc, ut hujuſmodi Beneficium ea vice conſequi vel obtinere valeat, quomodolibet ſuffragetur, illudque nullatenus in antea litigioſum cenſeatur.*

§. 2. Expreſſio multorum, quæ Regula recenſet, non eſt 681
neceſſaria, ſi Beneficium impetretur apud Ordinarium, nam hìc cenſetur noſſe ſuos, hinc dicit Chok. ad hanc Reg. *num.*55. eam non habere locum extra Curiam Romanam; habet tamen locum apud Legatum Apoſtolicum, ad quem etiam iſta exprimi debent, Az. Rebuff. Gonz. Leur. *p.*2. *q.*830.

§. 3. Poſſeſſor annalis poteſt in quacunque inſtantia, 682
etiam poſt ſententiam & executionem, adducere exceptionem hujus Regulæ pro defenſione ſui & reſtitutione poſſeſſionis, dummodò probet ſe per annum poſſediſſe, & poſſediſſe pacificè uſque ad diem impetrationis alterius, Gratian. Gonz. Lott. *l.2.q.52. num.16. & à num.*23. Leur. *q.*831. Quod tenet, etiamſi impetrans ignoraverit poſſeſſionem fuiſſe annalem, Chok. Leur. *q.*841.

§.4. Hæc Regula tuetur quemcunque poſſeſſorem, etiam 683
aliàs inhabilem, de jure privatum, intruſum, carentem bona fide & omni titulo &c. niſi per confeſſionem vel judicaturam notoria fuiſſet inhabilitas vel nullitas tituli, Lott. *num.*38. Luca *de Benef. d.*47. *n.*16. Leur. *q.*832. Item tuetur poſſeſſorem necdum percipientem fructus, Gom. Mandoſ. Chok. Leur. *q.*842. Putat quidem *Soto* non tueri privandos ſed tantùm actu privatos Beneficio, ſed oppoſitum videtur verum; poſſeſſor tamen probare debet, præter poſſeſſionem, etiam aliunde competere jus in Beneficio. Putat etiam Sarn. apud Leur. *q.*853. Regulam non ſervire perſonæ incapaci detentionis, quia nempè ipſi prohibitum erat detinere Beneficium, ſed ſi reipſa detinuit cum colorato titulo, cenſetur poſſediſſe, uti dicetur *num.*685. *in fine.*

§.5. Hinc annus inchoatur à die captæ poſſeſſionis & fini- 684
tur eadem die incepta, quia cùm agatur de favore poſſidentis, annus computatur civiliter ad dies & non de momento ad momentum, Lott. *n.*21. Leur. *q* 833.

§.6. Si reſignans poſſederit per ſex menſes & reſignatarius 685
etiam per ſex, hic non juvatur per dictam Regulam, quia licèt poſſeſſio anteceſſoris ſæpè uniatur cum poſſeſſione ſucceſſoris, ut dictum eſt *l.3.p.2.n.*527. tamen hæc Regula ſemper loquitur de uno poſſeſſore, Mandoſ. Az. Lugo, Pariſ. Caſtrop. Leuren. *qu.*835. Neque reſignatarius vel ſucceſſor poteſt ſe tueri poſſeſſione annali reſignantis aut anteceſſoris, quia Regula reſpicit ſolùm poſſeſſorem actualem, ideoque ex ſtylo Curiæ cenſetur perſonalis, Mandoſ. Pariſ. aliique cum Leur. *qu.* 837. Imò quamvis reſignans Beneficium per undecim menſes poſſederit, & reſignatarius ultra menſem diſtulerit capere poſſeſſionem, reſignans non poterit ſe tueri hac Regula, quia non poſſedit per 12. menſes, Mandoſ. Pariſ. *l.3.q.5.n.*64. quia tamen *num.*58. cum aliis multis excipit caſum, quo reſignans perrexiſſet retinere Beneficium, & reſignatarius necdum capta poſſeſſione poſt menſem moreretur, quia quamvis per reſignationem amittatur poſſeſſio civilis, videtur tamen retineri poſſe naturalis ac ſufficiens ad effectum hujus regulæ, ad quem ſufficit etiam aſinina tantùm poſſeſſio. Vide Leur. *q.*839. *& q.*840. *num.*3. Item dicenda *à num.*956.

§.7. Gaudent effectu hujus Regulæ officia & Dignitates 686
Eccleſiaſticæ, Præſtimonia data in titulum perpetuum; item ſecundùm *Gom.* contra *Mandoſ.* penſiones ſuper fructibus Beneficii,

neficii, beneficia commendata, Vicariæ perpetuæ, Capellaniæ datæ in titulum; item beneficia juris patronatus, uti tenet *Chok.* contra *Tond.* E contra non gaudent beneficia manualia, uti nec conſiſtorialia, de quibus Papa diſponit coram Cardinalibus. V.Leur.*q.*843.

687 §. 8. Valet hæc Regula contra impetrantem cum Reſcripto, *motu proprio*, Mandoſ. Chok.Leur.*quæſt.*845. quem vide *quæſt.*846. De pœnis, *& quæſt.*847. De derogationibus hujus regulæ.

688 §.9. Ut impetrans aliquid poſſit contra poſſeſſorem, debet à tempore datæ impetrationis infra 6. menſes eſſe executa citatio poſſeſſoris; & à tempore executæ citationis, etiamſi primo menſe facta eſset, currit annus pro urgenda definitiva circa petitorium; & ad ejuſmodi citationem arctatoriam requiritur, ut delegatus Apoſtolicus citationi faciat inferi copiam literarum ſuæ delegationis, Roſa *de Exec. lit. Apoſt. p.2. c.6.n.6.* His factis ſatis eſt, ſi impetrans faciat, quod in ſe eſt, ut intrà annum pronuncietur ſententia, *Gonz. Lott.Chok.* Et de impedimento debere proteſtari putant Gloſ. & Rebuff. ſed negant Ricc.& Tond. V.Leur.*q.*844.

689 *Q.92. Quid notandum ſit circa poſſeſſionem triennalem Beneficii vel fructuum?* Reſp.

§.1. De hac ita habet Regula 3.olim 35. Cancell. *Statuit & ordinavit idem D.N. quòd ſi quicumque Beneficia Eccleſiaſtica, qualiacunque ſint, abſque ſimoniaco ingreſſu, Apoſtolica vel ordinaria collatione aut electione, & electionis hujus confirmatione ſeu præſentatione & inſtitutione illorum ad quos Beneficiorum hujuſmodi collatio & proviſio, electio & præſentatio ſeu quævis alia diſpoſitio pertinet, per triennium pacificè poſſederit, (dummodo in Beneficiis hujuſmodi, ſi diſpoſitioni Apoſtolicæ ex aliqua reſervatione generali in corpore juris clauſa reſervata fuerint, ſe non intruſerint) ſuper iiſdem Beneficiis taliter poſſeſſis nequeat moleſtari, nec non impetrationes quaslibet de Beneficiis ipſis ſic poſſeſſis factas, irritas & inanes cenſeri debere decrevit, antiquas lites ſuper illis motas penitus extinguendo.*

690 §.2. Regula de annali relinquit impetranti poteſtatem moleſtandi poſſeſſionem, ſed præſcribit modum & tempus, hæc autem Regula tollit poteſtatem moleſtandi, Lott.*l.2.q.*53.*n.*8. Luca *de Benef.d.*91.*n.*2. Engel *l.3.t.5.n.*39. Leur.*p.2.q.*850. imò tolluntur omnia acta & ſententiæ anteà latæ; uti habet Regula in fine, ideòque perfectè ligantur os Judici, & manus parti adverſæ, Luca *n.*3.

691 §.3. Gaudent effectu hujus Regulæ Commendæ perpetuæ, Officia Eccleſiaſtica, Hoſpitalia data in titulum, beneficia etiam juris patronatus, etiam reſervata extra caſum vacationis per obitum in Curia; Manualia tamen non gaudent. Vide Leur.*qu.*861.

692 §.4. Juvat hæc Regula etiam contra Minorem & impuberem, Sanch.*in Conſ.l.2.c.1.d.*22. item contra proviſum à Papa de beneficio etiam reſervato, ſi excipias per obitum in Curia, Luca *num.*5. Regula tamen valet tantùm contra privatum agentem ex alia impetratione, non autem contra Ordinarium vel alium Superiorem viſitantem aut inquirentem in titulum beneficii, huic enim tenetur probare titulum eſse ſaltem coloratum, Felin.Lott.*n.*8. *& q.*46. *à num.*35. Quod autem addit Chok. ad hanc *Reg. n.*76. talem poſſeſſorem, ſi inveniatur vitium, poſſe amoveri, loquitur in ſua ſententia putans per triennalem poſſeſſionem non præſcribi titulum, de quo dicetur *num.*716.

693 §.5. Etiam juvat Regula ſæcularem, ſi triennio poſſederit beneficium regulare, & Regularem, ſi ſæculare, quia licèt requirantur 40. anni, ut mutetur ſtatus talis beneficii, ſecundùm dicta *à num.*296. non tamen, ut beneficium cenſeatur poſſeſſori acquiſitum, Sanch. *in Decal. lib.*7. *cap.*29. *num.*87.

694 §.6. Fructus beneficii triennio præſcribuntur, Mol.*t.*3. *d.*718.*num.*1. Sanch. *in Conſ.l.*2.*c.*1. *d.*34.*num.*17. Dicaſt. *de Reſtit. d.*5.*num.*84. quia numerantur inter res mobiles, uti expreſsè *Molin.* res autem mobiles cum certo titulo præſcribuntur triennio, ſine titulo 30. annis, etiam contra quamcunque Eccleſiam, uti cum iiſdem aliiſque AA. habet Haun. *de juſtit. t.*5. *num.*271. Addunt Sanch. aliique cum Dicaſt. *à num.*85. præſcribi fructus per triennium, etiamſi conſumpti ſint ante triennium elapſum; item ad hos præſcribendos ſufficere generalem titulum poſſeſſionis, *pro ſuo*, nam in præſcribendis acceſſoriis ſufficit hic titulus abſque alio ſpeciali, fructus autem præſcribuntur tanquam acceſſorii rei bona fide poſſeſsæ.

695 *Q.93. Quænam conditiones requirantur, ut quis juvetur privilegio Regulæ de triennali?* R. Requiruntur tam multæ, ut Luca *de Benef.d.*91. aliquoties repetat rarum eſse caſum, in quo poſſeſſor beneficio hujus tantùm Regulæ juvetur, præcipuæ autem ſunt ſeqq.

1. Habilitas perſonæ ad poſſidendum vel detinendum beneficium, uti declarabitur *à n.*703.

2. Bona fides, uti habet communis cum Nav.Rebuff.Sanch. *in Conſ.l.*2.*c.*1.*d.*31.*n.*20. quamvis contradicant Gom. Covar. Creſcent. Sa, Caſtro.Tond.Chok.Leur.*p.*2.*q.*857. ſed videtur dicendum, quòd bona fides non requiratur ad tuendum ſe pro foro externo, attamen requiratur ad præſcribendum jus pro foro interno, uti rectè Dicaſt. *de juſt.l.*2.*t.*1.*d.*1.*n.*151. Vide dicenda *n.*716. ut enim jus præſcribatur in beneficio, requiritur bona fides, eo modo, quo *l.3.p.*2.*à n.*479. diximus requiri ad præſcriptiones ordinarias.

3. Poſſeſſio, de qua videnda ſunt dicta *lib.3.p.*2.*à n.*507. 696 item dicta hic *à num.*450. Quòd ſi poſſeſſio per alium ſit capta, currit priùs à tempore ratihabitionis, debetque ſemper ab allegante probari poſſeſſio, Luca *num.*9.

4. Poſſeſſio pacifica, eo modo, quo dictum eſt *à n.*526. Et ut poſſeſſio Caji ad effectum hujus Regulæ ſit pacifica, ſatis eſt, quòd ſine lite jam præterierit triennium, quamvis ante illud per Titium fuiſſet Cajo mota lis, quia hæc Regula eſt ad extinguendas antiquas lites, Lott.*l.*2.*q.*53.*n.*19. Et quamvis fortè ante abſolutum triennium moverit litem Titius, tamen Cajo currit triennium contra alios, reſpectu quorum manet pacificus poſſeſſor, *Gl. Sanch. Rebell. Tond.* Quod ſi contradictio extrajudicialis fuerit cepta, ſed per triennium intermiſſa, prodeſt Regula, Burat.Tond. V.Leur.*q.*852.

5. Poſſeſſio ejuſdem per triennium; unde poſſeſſio ante- 697 ceſſoris etiam hic non unitur, ſed nunc poſſidens debet habuiſſe beneficium per triennium, uti de annali dictum *n.*685. Si tamen prædeceſſor triennio pacificè poſſederit, ſucceſſor non tenetur ampliùs juſtificare illius titulum, Lop.Maſcard.Garz. *p.*11.*c.*1.*n.*12. ideoque ſucceſſor per hanc Regulam defenditur contra moleſtantes, Rebuff.Ripa, Sanch.*d.*23. Luca *n.*7. Putatque cum aliis Dian.*p.*9.*t.*9.*R.*67.*q.*5. ſufficere, ſi ultimus dies triennii ſit inceptus, ſecundùm dicta *num.*684. De poſſeſſione ſurrogati, v.dicta *n.*546.

6. Poſſeſſio non eſt interrupta: ſi tamen quis per annum 698 pacificè poſſederit, & reſignarit coactus vi vel metu cadente in conſtantem virum, obtinueritque reſtitutionem per actionem, *Quod metus cauſa*, ac per alios duos annos pacificè poſſederit, gaudet beneficio triennalis, ac ſi poſſeſſio non fuiſset interrupta, quia quando quis priſtino juri reſtituitur, in illud ex toto redit, *L.Quod ſi minor, §.4. ff.de Minoribus*, Rebuff. Pariſ. apud Leur. *p.*3.*q.*703.*n.*3.

7. Titulus ſaltem coloratus, de quo dicetur *à n.*708. debet- 699 que eſse vel verè probatus, oſtendendo literas proviſionis, vel præſumptivè allegatus, uti ſi quis per 10. annos beneficium poſſederit, ſecundùm dicenda *num.*715. Tali titulo habito putat *Tond.* allegari poſſe quemcunque alium meliorem de cetero facilè obtinibilem, v.g. diſpenſationem, imò ad præſumendum titulum ſufficit hæc poſſeſſio triennalis, ſi Epiſcopi omni anno viſitent, quia non eſt præſumendum, quòd tanto tempore toleraſsent intruſum, Innoc. Dec. Ferrett. Pontan. Pariſ. Lott. Item ex poſſeſſione triennali non tantùm præſumitur diſpenſatio, ſed etiam facta publicatio reſignationis, niſi aliud conſtet. V.Leur.*p.*2.*q.*853. *&* 854. Quod ſi titulus coloratus reducatur ad non coloratum, uti ſi poſſeſsor triennalis pro colore ſuæ poſſeſſionis alleget titulum reſignationis, quam nunc conſtat fuiſse invalidam, Regula non juvat, Rebuff. Gom. Sanch.*d.*31.*n.*10. Debet autem probari, quòd beneficium fuerit poſſeſsum ex vi talis tituli; nec juvat poſſeſsorem habuiſse titulum, ſi vi ejus non poſsedit, Luca *n.*14.

8. Ut Beneficium non poſſideat contra decreta Trid. *de* 700 *Ref.ſeſſ.*7.*c.*4. ut non habeantur plura incompatibilia: *& ſeſſ.*14. *c.*17. ut habeatur unicum competens ad ſuſtentationem: *& ſeſſ.*25.*c.*15. ut filius Clerici illegitimus non habeat beneficium in Eccleſia, ubi pater ejus habet aut habuit: ita enim habet expreſsa declaratio S.Congr. apud Garz. *p.*11.*c.*5. *n.*379. Vide dicenda *n.*763.

9. Ingreſsus non debet fuiſse ſimoniacus.

10. Poſſeſsor non debet eſse intruſus.

11. Sanch.*d.*33. etiam requirit, ut poſſeſsor non fuerit 701 violentus, ſed contradicunt alii cum *Az.* quia Regula nihil habet de violento, ſed ſolùm *Conc. Baſilienſe*, quod in eo non habet vim legis, uti notat Lugo *de juſt. d.*7.*n.*128. Caſtrop. tamen dicit aliquem amittere jus, ſi invito poſſeſsore violenter occupet, ſed prærequirit ſententiam Judicis ſaltem declaratoriam. Docet etiam Gom.Pariſ.Chok.Leur.*qu.*859. carere privilegio Regulæ ſpoliatorem, qui via facti occupavit beneficium alienum per meram uſurpationem, quia nempè talis ſit intruſus, ſecundùm dicenda *n.*713.

12. Ut beneficium non fuerit reſervatum propter obitum 702 in Curia, unde non obſunt aliæ reſervationes omnes, Gom. Sanch.*d.*34.*n.*5. Excipit Luca *n.*18. niſi his reſervationibus annexum ſit decretum irritans, quod impediat colorem tituli & poſſeſſionem omnem, ſecundùm dicta *n.*657.

Q.94. Quid notandum ſit circa varios, qui à quibuſ- 703 *dam dicuntur inhabiles ad gaudendum beneficio Regulæ, de triennali?* Reſp.ſeqq.

§.1. Cer-

§.1. Certò inhabiles ſunt laici, conjugati, bigami, quia non tantùm non poſſunt conſequi beneficium, ſed nec præhabitum retinere, Sanch. *in Conſ. lib. 2. c. 1. d. 31. n. 21.* Reliquos non expreſsè excluſos per regulam putant juvari Gom. Nav. Sanch. Chok. Caſtrop. *tr. 13. d. 2. p. 33. n. 9.* Luca *de Benef. d. 91. n. 3.* quia quamvis ſint incapaces veri tituli, tamen non ſunt omninò incapaces beneficii, cùm habere poſſint titulum coloratum, quaſi poſſeſſionem &c. unde licèt Lugo *de juſt. d. 7. n. 110.* putet eos non juvari, qui ex parte perſonæ jure ipſo ſunt incapaces, ſi impedimentum perduret etiam poſt triennium, tamen AA. citati & Dian. *p. 11. tr. 5. R. 3.* dicunt per regulam juvari omnes illos, qui etiam ex parte perſonæ inhabiles ſunt ex pœna, cenſura, irregularitate &c. eò quòd vi hujus Regulæ cenſeatur fieri diſpenſatio vel tolli impedimentum in ordine ad tale beneficium triennio poſſeſſum. Et in ſpecie ſecundùm *Sanch.* & alios juvantur excommunicati, ſpurii, irregulares, ſuſpenſi, non promoti ad gradum requiſitum, non diſpenſati ad tale beneficium, qui non habuerunt ætatem, habentes beneficia incompoſſibilia, non promoti intrà annum ad Ordinem debitum, Conſentit *Sot.* de excommunicatis, etiam hæreticis, donec ſpolientur (attamen de hæreticis contradicunt *Rebuff. Chok.* & ipſemet *Sanch.* quia incapaces ſunt poſſeſſionis & omni beneficio ac auxilio juris carent, *cap. Si adverſus de hæreticis.*) Idem cum *Sanch.* ſentiunt *Gom. & Chok.* de illegitimis & ſpuriis; idem *Pariſ. & Chok.* de non promotis intrà tempus ad Ordinem debitum; idem *Gom. Pariſ. Rebuff.* de poſſidentibus duo curata, quamvis quoad hos meritò contradicant *Tond. & Chok.* ob declarationem S. Congr. de qua dictum eſt *n.* 700.

704 §.2. Juvatur, qui per ſub-vel obreptionem obtinuit beneficium, uti cum aliis Dian. *R. 4. q. 3.* Item is, qui beneficio privatus erat ipſo jure, vel per ſententiam, dummodò pergat poſſidere. V. Leur. *p. 2. q. 860.*

705 §.3. Si Clericus ſuaſerit concubinæ abortum, licèt triennio poſſideat, docent aliqui non juvari per Regulam, ſed contradicunt alii cum Sanch. *d. 34. à n. 10.* & Burgh. *cent. 2. caſ. 7.* quia non eſt inter exceptos.

706 §.4. Putant *Hoſt. Gemin. Sarn. J. Andr. Carden.* etiam eum juvari, qui reſignationem ſuam non publicavit, quia talis continuatio videtur æquivalere publicationi, quando autem forma reſpicit certum effectum, poteſt per æquipollens adimpleri, *L. Jubemus, C. de teſtam.* ſed contradicunt *Ferret. Pariſ. Chok. Leur.* quia Papa requirit formalem publicationem, & tollit titulum coloratum non publicanti, ac exprimit contravenientes non defendi Regula annali aut triennali. Similiter ſecundùm *Chok.* non juvatur preciſta nominatus ad primam vacaturam & acceptans in caſu non conceſſo. Nec ille, qui ex ſola electione ſine confirmatione poſſidet beneficium, *Gom. Sot. Chok.* Nec ille, qui non emiſit profeſſionem fidei juxta Trid. *ſeſſ. 24. c. 12.* Pariſ. *l. 8. q. 9.* V. Leur. *q. 860.*

707 §.5. Si beneficium reſignatum in manus Ordinarii ſit collatum conſanguineo collatoris vel reſignantis, & in ea Diœceſi recepta ſit Conſtit. S. Pii V. de qua dicemus *à n. 1011.* hic non videtur juvari per Regulam, ſecundùm dicta *n. 657.* quia additum eſt hoc decretum irritans, *Quòd ſi ſecus ac etiam quidquid præter vel contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere,* per hoc enim videtur in primis tolli poteſtas conferendi conſanguineo, cùm velit non habere vires & effectum: collatio autem facta alicui ſine poteſtate conferendi non dat titulum nequidem coloratum, uti conſtabit ex dicendis *n. 708.* Ergo. Deinde etiam videtur tolli proviſo poteſtas capiendæ poſſeſſionis, cùm non poſſit illam nec licitè nec validè inchoare, ſine poteſtate autem capiendæ poſſeſſionis, non poteſt capi vel haberi poſſeſſio, ergo. *Conf.* decretum illud irritans facit, ut quidquid factum eſt à collatore & proviſo, ſit nullum & quaſi non factum, facit enim nullas habere vires & nullum effectum, ergo nunc eſt, atque ſi nec collatio ſit huic facta nec ab hoc capta poſſeſſio, excluſa autem collatione tanquam fundamento tituli colorati, & præcluſo ingreſſu in poſſeſſionem non potuit incipere illi currere tempus præſcribendi; Quòd ſi reipſa cauſaretur titulus coloratus & caperetur poſſeſſio, talis proviſio haberet aliquem effectum, quod tamen negat Bulla, ergo.

708 *Q. 95. Quis titulus dicatur coloratus?* R. Qui apparet, ſeu probabiliter videri poteſt eſſe juſtus, uti ſi collatio habeatur ab eo, qui habet poteſtatem ordinariam conferendi, quamvis nunc adfuerit impedimentum validæ proviſionis, Sanch. *in Conſ. l. 2. c. 1. d. 31.* Notantque Gom. & Dian. *p. 11. t. 5. R. 4. q. 3.* ſequentia, 1. Si beneficium priùs detur Cajo & poſteà Titio, Cajum habere verum titulum, Titium habere coloratum. 2. Si Cajo detur beneficium Titii adhuc viventis, mortuo Titio Cajum habere titulum coloratum. 3. Si impetratum ſit beneficium non expreſſo ejus valore; quando id fieri debebat, ad talem collationem ſequi titulum coloratum. 4. Si beneficium litigioſum aut aliter contra aliquod decretum Cancellariæ alicui detur, acquiri colorem tituli.

Q. 96. Quis ingreſſus hic dicatur ſimoniacus? & an 709
Regulæ, de triennali, ſemper obſtet ſimonia? Reſp.

§.1. Tunc eſt ingreſſus ſimoniacus, ſi quis ſciens eſſe commiſſam à ſe vel alio ſimoniam in adeptione beneficii, illud ingrediatur: è contrà ſi ipſo ignorante ſit à tertio, v.g. à patre ipſius commiſſa, non excluditur beneficio Regulæ, Gom. Rebuff. Ugol. Suar. *de ſimonia c. 57. n. 38.* Garz. *p. 8. c. 1. n. 15.* Leſs. *l. 2. c. 35. n. 140.* Sanch. *in Conſ. l. 2. c. 1. d. 32.* Caſtrop. *t. 13. d. 2. p. 33. nu. 11.* Luca *de Benef. d. 91. n. 6.* Leur *p. 2. q. 873.* Putat quidem *Chok.* ex vi Regulæ non eſſe tutum in conſcientia, ſed teneri petere abſolutionem & novam proviſionem à Papa, ſed loquitur in ſua ſententia, putans poſſeſſione triennali non acquiri jus, de quo dicetur *num. 716.*

§.2. Si quis à principio ſit ingreſſus cum titulo, ſed poſteà 710
commiſerit ſimoniam: aut ſi anteà commiſerit ſimoniam, ſed poſteà ſupervenerit titulus coloratus, per quem ſit ingreſſus, docent *Gom. & Chok.* non obſtare Regulæ, quia non eſt ingreſſus vi ſimoniæ ſed alterius tituli; contradicit Lugo *de juſt. d. 7. n. 127.* quia ſubjectum illud erat incapax, ſed reſponderi poteſt incapacitatem illam fuiſſe tantùm ab extrinſeco, ideoque non obſtitiſſe Regulæ, ſecundùm dicta *n. 703.*

§.3. Si quis ex ſolo titulo ſimoniaco poſſideat, quamvis 711
diſpenſatus & abſolutus ſit à ſimonia & pœnis, tamen non poſſe juvari hac Regula docent Lugo & Haun. *de juſtit. t. 1. t. 5. n. 280.* quia ingreſſus fuit reipſa ſimoniacus, de cujus pœnæ ſublatione debuiſſet fieri mentio.

§.4. Non obſtat ſimonia mentalis tantùm vel con- 712
ventionalis, ſed ut excludatur effectus Regulæ, debet præceſſiſſe ſimonia realis utrimque completa, ſecundùm dicta *lib. 1. num. 212.*

Q. 97. Quis dicatur intruſus, & quæ intruſio obſtet 713
Regulæ de triennali? Reſp.

§.1. In genere omnis ille dicitur intruſus, qui accipit vel retinet beneficium, ſciens nullum ſibi jus competere in illo: ſed ſtrictiùs loquendo, Caſtrop. *t. 13. d. 2. p. 33. n. 11.* & alii communiter per intruſum intelligunt illum, 1. Qui ſine authoritate veri collatoris ſe immittit in beneficium. 2. Qui ſine titulo ſe ingerit in adminiſtratione beneficii. 3. Qui poſt electionem ante confirmationem beneficium adminiſtrat. 4. Qui abſque legitima inſtitutione fructus beneficii percipit. 5. Qui beneficium retinet, poſtquam per ſententiam Judicis amotus eſt, niſi ab illa, jure appellet. 6. Qui detinet beneficium, quo ipſo jure privatus eſt; ſed accedere debet ſententia ſaltem declaratoria criminis, ſi ob crimen privatus ſit, *Covar. Vaſq. Caſtrop.* 7. Qui cum excommunicatione vel ſuſpenſione vel interdicto ab officio, adeptus eſt beneficium. 8. Qui canonicum titulum habens, violenter occupat beneficium; prærequiritur tamen ſententia declaratoria, Covar. Vaſq. Caſtrop. Lugo *de Juſtit. d. 7. num. 132. 9.* Qui poſſeſſionem beneficii accipit necdum expeditis à Papa literis, ſed ſola ſupplicatione ſignata, Azor. Caſtrop. Fill. aliique communiùs contra Sanch. *in Conſ. l. 2. c. 2. d. 21.* & Rebuff. quamvis enim per ſolam ſignaturam perficiatur gratia, nec requiratur ſemper ſcriptura, hic tamen requiritur ob novas Conſtitutiones Pontificum, Caſtrop. Lugo *num. 133.*

§.2. Nulla intruſio videtur obſtare Regulæ de triennali, ni- 714
ſi ex proviſione alterius quàm Papæ aliquis ingreſſus ſit beneficium vacans per obitum in Curia, vel ſecundùm Conſtit. Julii III. apud Piaſ. *in Proœm. n. 9.* ſi ſuſceperit adminiſtrationem beneficii aut dignitatis ante expeditas literas aut confirmationem obtentam, vel denique ſi ſit aliquo ex dictis modis intruſus, & nullitas ſeu vitioſitas tituli ſit notoria aut manifeſtè probetur. V. Leur. *p. 2. q. 862.*

Q. 98. Quid notandum ſit circa poſſeſſionem decennalem? 715
R. Hæc majores habet favores quàm annalis & triennalis, nam decennalis habet vim tituli, niſi conſtet de intruſione, Gl. Archid. Pariſ. Sanch. *in Conſ. l. 2. c. 1. d. 30.* Lott. *l. 2. q. 53. n. 31.* Luca *de Benef. d. 91. num. 15.* Tond. *p. 1. c. 85. n. 1.* dicens eſſe certum: quod tenet, etiamſi non doceatur de titulo colorato, nam ex decennali oritur præſumptio canonici ingreſſus, Luca *num. 16.* nec præſumi debet, quòd Epiſcopi viſitantes permitterent ad decennium aliquem intruſum: hinc nequidem Epiſcopum poſt decennium poſſe ex officio cogere Clericum ad exhibendum ſuum titulum, docet Fagn. *in cap. Licèt Heli, de ſimon. an. 22.* ideoque etiam talis poſſeſſio ſuſtinetur, quamvis manifeſtè haberet juris communis reſiſtentiam, quia præſumi poteſt diſpenſatio, Poſtius *de Manut. obſerv. 44. n. 22.* Et ſola negativa, quòd titulus ſufficiens non adfuerit, tamdiu perfectè non probatur, quamdiu adeſt ſola poſſibilitas in contrarium, Luca *d. 94. n. 12.* Roſa *de Execut. lit. Apoſt. p. 1. c. 7. nu. 15.* Poſſuntque plures tituli præſumi, cùm unus non præjudicet alteri, Luca *d. 39. n. 4. & d. 79. n. 8.*

Q. 99. An aliqua poſſeſſio non tantùm generet præſump- 716
tionem tituli, ſed reipſa conferat titulum & jus, ſi fortè deſuit? Reſp.

§.1. Annalis non confert, uti tenent omnes, quia permittit

Item

litem contra poſſeſſorem. Quòd triennalis etiam non conferat, docent Covar. Felin. Gom. Az. Mol. Chok. Caſtrop. Leur. *p.2. q.827.* & ideo per hanc Regulam non defendi aliquem in petitorio ſed in ſolo poſſeſſorio; ideoque poſſe impeti ac privari, ſi poſt triennium erumpat vitium vel nullitas tituli, docent Gl. Chok. Leur. *quæſt.858.* Rationem dant, 1. quia tantùm prohibetur, ne poſſeſſor triennalis moleſtetur litibus, quod ſervari poteſt, quamvis ipſe cognoſcens vitium ſuæ proviſioni teneatur beneficium dimittere aut diſpenſationem impetrare. 2. Quia titulus beneficii aliter acquiri non poteſt, quàm Canonica inſtitutione uti ſignificatur *Regul. 1. juris in 6. & cap. Exfrequentibus, de Inſtit.* 3. Quia aliàs ad quid poſſet Ordinarius ab eo, quem ſciret triennio poſſediſſe, exigere titulum beneficii? id autem poſſe, diximus cum communi *n.692.* E contra, quòd titulum conferat, reddatque tutum in conſcientia, docet Nav. Sot. Rebuff. Sa, Sanch. *in Conſ. l.2. tit.d.21.* Zyp. *lib.3. conſ.2.* Lugo *de Juſt. d.7. n.107.* Dian. *p.9. tr.9. R.67. & p.11. t.5. R.4. q.2.* Haun. *de Juſt. t.5. n.284.* Suadetur ex *Conc. Baſilienſi*, à quo primùm tradita eſt Regula, quod teſte Zypæo ita habet, *non poſſit poſtea in petitorio vel poſſeſſorio à quoquam etiam ratione juris noviter impetrati moleſtari:* Eſtque hoc rationi conſentaneum, inquit Leſſ. *de Juſt. l.2. c.6. n.35.* quia eſt ſimilis præſcriptioni, per quam conferri jus etiam pro foro conſcientiæ diximus *l.3. p.2. à n.470.* valetque hic ratio ibi adducta, & ſi poſſint præſcribi bona Eccleſiaſtica, cur non beneficia? Hinc reſpondent, *Ad 1.* Hoc ipſo, quòd Papa mandet aliquem non moleſtari ſuper fructibus & poſſeſſione, per hoc ſufficienter ei adjudicari jus ad licitè percipiendos fructus, quod jus, eſt ipſe titulus beneficii. *Ad 2.* Hæc præſcriptio eſt Inſtitutio Canonica, quia per Canones habet hanc vim talis poſſeſſio. *Ad 3.* Adhuc poſſent ſubeſſe vitia impedientia effectum Regulæ, uti ſunt inhabilitas poſſidendi, ingreſſus per ſimoniam, intruſio, mala fides, poſſeſſio non pacifica &c. de quibus dictum eſt *à num.695.* Quod attinet ad fructus per triennium ſine titulo perceptos, hi reſtitui debent, exceptis illis, qui functioni & labori reſpondent: ſi tamen etiam hos per triennium poſſedit, præſcripſit: item ſi bona fide conſumpſit & non ſit factus ditior à reſtitutione excuſatur, Sanch. *c.2. d.34.* Lugo *num.136.* Dian. *p.7. t.10. R.26.*

717 §.2. Poſſeſſio decennalis inter præſentes, vicennalis inter abſentes, de jure communi præſcribit jus in beneficio Eccleſiaſtico, eo modo, quo præſcribuntur aliæ res immobiles, ſecundùm dicta *l.3. p.2. n.530.*

718 *Q.100. Quid notandum ſit circa modum obtinendi Beneficium ratione Coadjutoriæ?* R. ſeqq.

§.1. Coadjutoria eſt facultas alicui conceſſa adjuvandi beneficiatum in ſui beneficii regimine; ideoque de ſe non eſt beneficium, Abb. Azor. Caſtrop. *tract.13. d. 1. punct. 9. num. 1.* Et poteſt dari ad tempus vel ad vitam Coadjuti, idque ſine vel cum futura ſucceſſione, tam in ſimplicibus quàm curatis beneficiis.

719 §.2. Papa poteſt alicui dare coadjutoriam perpetuam cum futura ſucceſſione etiam non derogando decretis canonum vel Conciliorum, quæ deteſtantur occaſiones captandæ mortis alienæ, quia non loquuntur de caſu, quo Papa id faciat, Caſtrop. *à num.8.*

720 §.3. Etiam Cardinales, & Epiſcopi poſſunt aſſignare coadjutores pro beneficiis, quorum inſtitutio ad ipſos ſpectat, Abb. Gonz. Caſtrop. *à num.5.* ſed non niſi ad tempus Trid. *ſeſſ.21. c.6. de Refor.* nec cum futura ſucceſſione, quia proviſio, & promiſſio beneficii vacaturi eſt irrita, ſi fiat ab alio quàm Papa, Caſtrop. *num.7.* & diximus *à n.461.* Addit Nicol. *tit. 1. d.8. à n.3.* tunc tantùm poſſe Epiſcopos & Cardinales, ſi à Papa habeant indultum conferendi beneficia vacantia in menſibus Papalibus: id tamen non poſſe Univerſitates habentes ſimile indultum; Et §.6. notat cum *Brand.* beneficia, ſuper quibus data eſt coadjutoria perpetua, etiam cum futura ſucceſſione, cadere ſub concordata Germaniæ, ideoque poſſe Ordinarios hæc beneficia in ſuo menſe vacantia conferre, niſi Papa expreſsè derogarit concordatis, quod non ſolet, ſecundùm dicta *num.519.*

721 §.4. Cauſa dandi coadjutorem eſt, vel impotentia adminiſtrandi, vel mala adminiſtratio coadjuvandi; ut habent jura & AA. cum Caſtrop. *num.4.* Quòd ſi pro motivo allegetur infirmitas, hæc debet eſſe abſque probabili ſpe futuræ melioris rationis, niſi ſimul adeſſet ſenectus, quæ ipſa eſt morbus, Luca *de benef. d.78. n.4.*

722 §.5. Obtenturus coadjutoriam à Papa, debet in ſupplica facere mentionem beneficii etiam compatibilis prius obtenti, Garz. Caſtrop. *p.10. à n.48.* Etſi coadjutoria concedatur ad tempus, coadjutor debet actu habere Ordinem & cæteras qualitates requiſitas ad miniſterium, Caſtrop. *p.9. n.11.* è contra ſi concedatur in perpetuum & ad beneficium non curatum, probabile eſt ſatis eſſe habere ætatem requiſitam, & intra annum ſuſcipere Ordinem, *Pariſ. Gonz. Garz.* Si autem concedatur in perpetuum ad beneficium curatum, docet Caſtrop. *p.10. n.42.* debere eſſe actu Sacerdotem. *Si dicas*, ſatis eſſe Parochum intrà annum fieri Sacerdotem, *dat* diſparitatem, quia Parochus non tenetur primo anno per ſe miniſtrare Sacramenta, coadjutor autem tenetur, ne opus ſit coadjutore coadjutoris: verùm videmus aliter in praxi fieri, quia paſſim fiunt coadjutores in Epiſcopatibus, qui Sacerdotium non habent.

§.6. Si coadjuvandus fuerit mortuus tempore gratiæ ſignatæ, coadjutor ſuccedere non poteſt, quia gratia ſuccedendi dabatur dependenter ab obligatione præſtandi ſervitii pro coadjuto, quod nunc non habet locum: ſi tamen adhuc vivebat tempore Datæ, etiamſi mortuus ſit inſcio coadjutore ante præſtitum ullum ſervitium, poteſt ſuccedere, Garz. Caſtrop. *num.34.* 723

§.7. Coadjutor poteſt illa ſolùm, ſive ſpiritualia ſive temporalia exercere, quæ jure vel conſuetudine pertinent ad coadjutoris officium, inter quæ non ſunt ea, quæ coadjutus poteſt & vult per ſe ipſum agere, Garz. *p.5. c.4. n.274.* unde non poteſt conferre beneficia, quamvis coadjutus non contradicat, Pavin. Selv. Coraſ. Rebuff. Garz. *num.275.* Caſtrop. *d.2. p.27. n.5.* Leur. *p.2. q.679.* contra Nav. Campeg. Gonz. Nec tenetur coadjutus talia agere cùm conſilio vel auxilio coadjutoris, niſi hic ei datus eſſet ob malam adminiſtrationem, Caſtr. Garz. *n.273.* Quòd ſi adjutus eſſet amens, coadjutor poſſet, quod poterat coadjutus, Az. Pariſ. Caſtrop. Garz. *num.270.* Quamvis autem amens non ſit, ſi tamen abſit, adminiſtrare poteſt coadjutor, ac ſi eſſet proprietarius, & habet ſtallum in choro, vocem in capitulo; & gaudet omnibus privilegiis, quæ ratione Præbendæ habet coadjutus; huic tamen lucratur omnia, ac tenetur compenſare, ſi quid negligat; nec poteſt v.g. adire capitulum vel chorum, ſi coadjutus ex juſta cauſa ſit invitus; Garz. Caſtr. *d.1. p.10. à n.1.* Nec poſſunt coadjutor & coadjutus ſimul in eodem officio miniſtrare, quia uterque facit unam perſonam, Garz. Caſtrop. *num.24.* Nec coadjutori debetur, v.g. fedes aut antecedentia, quam habuit coadjutus, ſed ſequitur reliquos omnes: talia enim debebantur coadjuto, non ratione Præbendæ, ſed ratione longioris poſſeſſionis, quam coadjutor nunquam habet, cùm non poſſideat beneficium, ideoque nunquam poteſt ratione coadjutoriæ præferri ulli habenti in tali Eccleſia proprium canonicatum, etiamſi hic canonicus diu poſt poſſeſſam coadjutoriam obtinuiſſet canonicatum, Gonz. Garz. Caſtrop. *à n.11.* & iterum *n.25.* ſi tamen talis coadjutor deſervierit uno vel tribus annis, Regulæ de annali & triennali favent ipſi, ut pergat coadjuvare; quia coadjutoriam poſſediſſet, Gonz. Garz. Caſtrop. *n.19.* 724

§.8. Coadjutor non tenetur ſolvere jura ſtatuta pro ingreſſu, cùm non percipiat commoda, Garz. Caſtrop. *num.13.* Nec tenetur ad onera, quæ ſubire ſolent alii juniores canonici, cùm canonicus non ſit, & tantùm ſubſtituatur coadjuto, Garz. Caſtrop. *num.44.* ſi autem velit non reſidere per trimeſtre, debet accipere eoſdem menſes, quos coadjutus, aliàs cenſeretur habere ſex menſes abſentiæ, Gonz. Garz. Caſtrop. *p.9. num.14.* 725

§.9. Coadjutus tenetur dare coadjutori congruam ſuſtentationem; quia *Qui altari ſervit, de altari vivere debet, cap. cùm ſecundùm Apoſtolum, de præbend.* Trid. *ſeſſ.21. c.6. de Refor.* Gonz. Garz. Caſtrop. *p.10. n.47.* Si autem proventus beneficii utrique non ſufficiant, præfertur coadjutus, cùm poſſideat: poſſet tamen Epiſcopus cogere populum ad alendum coadjutorem ſibi aut alicui Parocho neceſſarium, Az. Barb. Ricc. Caſtrop. *p.9 n.3.* 726

§.10. Habens coadjutorem, non ideo excuſatur à reſidentia, uti de Parocho declaravit Congr. apud Caſtrop. *n.12.* Vide dicenda *n.867.* E contra coadjuto legitimè impedito, quominus interſit v.g. choro, non ideo excuſatur coadjutor, quia datus eſt, ut ſuppleat in neceſſitate, Farin. Caſtrop. *p.10. à n.6.* Si tamen abſit etiam coadjutor, & coadjutus ſit legitimè impeditus, habetur pro præſente, & fruitur omnibus uti alius non habens coadjutorem, *cap. unic. de Cleric. non reſid. in 6.* Nav. Gonz. Garz. Caſtrop. *num.9. & 45.* Similiter ſi coadjutus ſit legitimè impeditus, cenſetur pro coadjuto eſſe præſens, Grat. Gonz. Garz. Caſtrop. *num.15.* id tamen non tenet, ſi vellet abeſſe ratione ſtudii in Univerſitate, aut ſervitii præſtandi Epiſcopo, nam hoc privilegium non reſidendi conceditur tantùm illis, qui ratione beneficii ſui tenentur reſidere, coadjutor autem non tenetur ratione beneficii ſed officii, Garz. Caſtrop. *num.40.* Addit *num.41.* coadjutorem ſervientem in Cathedrali poſſe lucrari fructus beneficii in alia Eccleſia, licèt hoc alioqui requirat reſidentiam. 727

§.11. Si Coadjutus ob excommunicationem eſſet inca- 728
pax fructuum, coadjutor poſſet eos lucrari, non coadjuto ſed ſibi, quia tunc non ſervit nomine coadjuti ſed nomine Eccleſiæ, ſecundùm ordinationem Papæ, Garz. Caſtrop. *num. 16.*

§.12. Habens coadjutorem cum futura ſucceſſione pro 729
certo beneficio, non poteſt optare aliud loco illius, niſi coadjutori ſit data facultas etiam in optione ſuccedendi coadjuto,

juto, alioquin gratia coadjutori facta fieret fruſtranea, Gonz. Caſtrop. *num.*28. hinc etiam ab alio optari non poteſt Præbenda, quæ vivo coadjuto erat adjudicata coadjutori, Garz. Caſtrop. *num.*29.

730 §.13. Coadjutor poteſt per ſeipſum renunciare jus ſuccedendi, ſed non poteſt dimittere obligationem ſerviendi ſine conſenſu Papæ; ſufficit tamen conſenſus Ordinarii, ſi coadjutus conſentiat, Pariſ. Garz. Caſtrop. *n.*31.

731 §.14. Si quis accipiat poſſeſſionem beneficii incompatibilis cum miniſterio coadjutoriæ, hæc eo ipſo vacat, *Clemen. gratiæ, de Reſcript. Cenſeris renunciare gratiæ, ut de Beneficio vel dignitate providearis, ſi ante adeptionem ejuſdem aliud Beneficium pacificè obtineas, quod ſimul de jure cum dignitate vel beneficio virtute dictæ gratiæ tibi debito retinere non poſſes, licèt illud reſignaveris aut ſis reſignare paratus*, Garz. Caſtrop. *num.*30.

732 §.15. Coadjutori poteſt etiam per ſubſtitutum præſtare ea, quæ poteſt per ſeipſum, & facit tanquam coadjutor, v.g. poteſt alicui committere; ut pro ſe eligat, quia ut iſta agat, habet ab Eccleſia & non à coadjuto, ergo poteſt delegare alteri, Garz. Caſtrop. *num.*35. Et quidem poteſt talis coadjutor habere duo vota, unum de ſe, ſi habeat v.g. dignitatem in illo capitulo, alterum ratione coadjuti, Caſtrop. *n.*37. Quòd ſi ſit coadjutor dignitatis & canonicatus, poteſt coadjuto relinquere votum ratione dignitatis, & dare ſuum ratione canonicatus, Garz. Caſtrop. *num.*38.

733 §.16. Quamvis coadjutor reipſa non haberet dignitatem vel canonicatum, tamen poteſt eſſe Judex Apoſtolicus vel ſynodalis, quia habet prærogativas talium, quorum eſt coadjutor, & fictione juris cenſetur talis, Gonz. Caſtrop. *num.*39. contra Garz. Videri poſſunt plura apud Garz. *p.*4. *c.*5. *à n.*55. Caſtrop. *cit. p.*9. *&* 10. Leur. *in ſpeciali tract. de coadjutoriis, ſub titulo, de Vicariis Epiſcopi.*

ARTICULUS III.

734 *Quæ intentio, & qualitates requirantur ad Beneficium accipiendum?*

Reſp. I. Ut beneficium aliquod validè, & licitè obtineatur, requiritur, ut ſit perſona capax & habilis, hoc eſt, ut ſit Clericus, non illegitimus (cum quo tamen Epiſcopus diſpenſare poteſt ad Ordines minores, & beneficium ſimplex, cui Ordo major non eſt annexus,) non irregularis, non excommunicatus, non improbus aut facinoroſus, ut habeat ſcientiam competentem ad munus beneficio annexum, & ætatem legitimam, niſi diſpenſetur, ſcilicet pro beneficio ſimplici annos 14. (ſufficere tamen 14. inchoatum, docet Dian. *p.*3. *t.*6. *R.*64. ex Azor. & aliis 5.) pro eo, quod Subdiaconatum requirit, vigeſimum primum: pro eo, quod Diaconatum, 22. pro eo, quod Sacerdotium, vigeſimum quartum inchoatum; colligitur ex Trid. *ſeſſ.*22. 23. *&c.* In his tamen & ſimilibus caſibus multi excuſantur, vel quia illud jus ubique non eſt receptum; vel quia bona fide tres annos fuerunt in poſſeſſione, quæ veluti uſucapionem & dominium parit. Ita Leſſ. *lib.*2. *c.*34. *d.*20.

Reſp. II. Qui recipit beneficium quodcunque habens annexum Ordinem Sacrum, tenetur habere voluntatem, ſaltem conditionatam, clericandi, & Sacrum Ordinem accipiendi, intrà tempus à jure requiſitum, Laym. *c.*14. Leſſ. *d.*26. Ratio, quia ſuſcipiens officium, cui obligatio eſt annexa, omni modo ſe habilitare tenetur. Imò ſi curatum ſeu Parochiale eſt, habetque intentionem Sacerdotium intrà annum non ſuſcipiendi, ſed Parochiam dimittendi, non tantùm mortaliter peccat, ſed etiam ipſo jure eſt privatus, & ad fructuum reſtitutionem tenetur, ut patet ex *c. Commiſſ.* §.7. *De elect. in* 6. Quod ſi tamen mutata voluntate, ante finem anni Sacerdos fiat, fructus retinere poteſt; imò & Epiſcopus diſpenſare poteſt, ut Vicario ſubſtituto, ſtudiis per ſeptennium vacet.

Dixi I. *Habens annexum Ordinem Sacrum*; quia ſi is non ſit annexus, & beneficium ſit ſimplex, licèt illud acceptet animo fructus lucrandi, & deinde uxorem ducendi, non niſi venialiter peccat, ſi aliàs officio ſuo ſatisfaciat, ut docet Laym. *n.*12. Sanch. *lib.*7. *de Matrim. d.*45. Vaſq. Ratio, quia illa perverſio ordinis non videtur gravis, nec ullo jure vetatur, ideoque ad nullam fructuum reſtitutionem tenetur. Unde Garz. *p.*3. *c.*4. *num.*42. talem ab omni culpa excuſat.

Dixi II. *Voluntatem ſaltem conditionatam*; quia ſi ex juſta cauſa poſtmodùm ſtatus clericalis minùs illi convenire videatur, poteſt animum mutare, etiamſi beneficium ſit curatum, v.g. ſi primogenitus familiæ, aut frater unicus ſine liberis decedat; ſi optimum Matrimonium ad conſervationem familiæ nobilis, vel ad lites graves ſopiendas neceſſarium offeratur. Ratio, quia non eſt mens Eccleſiæ, ita ad Eccleſiaſticum ſtatum obligare, ut hæc & ſimilia bona impediantur, Laym. Leſſ. *l.c.*

ADDENDA.

Quæſt. 101. *Quid dicatur eſſe de forma, & quid tantùm conditio requiſita ad proviſionem beneficialem?* 735
Reſp.

§.1. Illud dicitur eſſe de forma proviſionis, quo non poſito actus proviſionis non exiſtit, forma enim eſt, quæ dat eſſe rei: illud eſt tantùm conditio, ſine quo eſſentia actus poteſt ſubſiſtere, adjicitur tamen actui, & aliquando ita neceſſariò, ut ſi deſit, poſt ſe trahat nullitatem actus, & ita dicuntur mediatè ſpectare ad formam ſeu eſſentiam actus, Caſtr. *t.*13. *in proœm. ad diſp.*3. Docent autem AA. apud Leur. *p.*2. *q.*860. *n.*9. *ex l. Jubemus, Cod. de teſtam.* ſi forma reſpiciat certum effectum, poſſe per æquipollens adimpleri.

§.2. Conditiones ad collationem requiſitas dedimus *à n.* 736
380. & facilè applicantur reliquis proviſionibus, attamen cum diverſitate ſecundùm diverſam naturam proviſionum, uti circa varios modos providendi eſt dictum. Quid faciendum ſit, quando fundatio vel ſtatutum requirit, ut proviſio fiat cum conſilio, interventu, conſenſu, ſcientia aut ſupplicatione alicujus, dictum eſt *à n.*388.

*Q.*102. *Quid notandum circa fidem beneficiati, & profeſſionem fidei ab eo faciendam?* Reſp. ſeqq. 737

§.1. Infideles non baptizati ſunt omninò incapaces beneficii Eccleſiaſtici, cùm non ſint in Eccleſia: capaces tamen eſſe poſſunt, ſi converſi baptizentur, etiamſi parentes in infidelitate ſint mortui, Suar. Sanch. Paſſer. *de elect. c.*56. *à n.*56. quamvis particularibus decretis ejuſmodi deſcendentes quandoque arceantur à quibuſdam beneficiis aut Ordinibus Religioſis, uti refert Leur. *p.*1. *q.*291. De neophytis ſeu recenter baptizatis videri poteſt idem Leur. *q.*292. *&* *p.*3. *q.*361.

§.2. Hæretici ſunt incapaces, quia ſunt excommunicati, 738
irregulares, infames, ac ſpecialiter prohibentur tam jure humano, *cap. Quicumque, de hæreticis in* 6. quàm divino, 1. ad Timoth. 3. *hæreticum hominem devita*. Extendit hoc Caſtrop. *t.*4. *d.*4. *p.*5. *n.*2. ad hæreticos publicos etiam cum Eccleſia reconciliatos. De fautoribus filiis ac nepotibus hæreticorum; item de punitis per inquiſitionem, item de ſchiſmaticis. V. Leur. *p.*2. *q.*295. *& ſeqq.*

§.3. Proviſi in Cathedralibus tenentur profeſſionem fidei 739
emittere coram Epiſcopo & Capitulo, alioquin non faciunt fructus ſuos, nec eos juvat poſſeſſio, Trid. *ſeſſ.*24. *c.*12. *de Ref.* Si autem quis profeſſionem illam omiſerit per ignorantiam, inadvertentiam, oblivionem, facit quidem fructus ſuos pro foro conſcientiæ, ſed pro foro externo non juvabit eum allegata ignorantia juris clari, Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.*61. *n.*29. Sylvius *p.*1. *v. Fidei profeſſio.*

§.4. Qui admiſit Parochiam, tenetur ultrò per ſe vel per 740
procuratorem ſpecialiter deſignatum intrà duos menſes à die acceptæ pacificæ poſſeſſionis facere coram Epiſcopo, vel Vicario profeſſionem fidei, & ſpondere obedientiam Papæ, etiam Sede Romana aut Epiſcopali vacante: idem fieri debet, quoties novam Parochiam accipit, uti ſtatuit *Trid.* ſuprà: ad idem tenetur, etiamſi obtineat Parochiam per reſignationem, alioquin peccat mortaliter & tenetur reſtituere fructus perceptos poſt illos duos menſes, uſquedum profeſſionem illam faciat; priùs tamen poſt ſententiam Judicis, uti cum aliis Barb. *de Off. Parochi c.*4.

*Q.*103. *Quid circa Clericatum, & Ordines prærequiſitos vel annexos Beneficio ſit notandum?* Reſp. ſeqq. 741

§.1. Clericatus dicitur à κλῆρος, *Sors* vel hæreditas, eò quòd Clerici in ſua Ordinatione aſſumantur in hæreditatem Domini vel aſſequantur hæreditatem in Domino, uti dicitur *cap. cùm ſecundùm*, 16. *de Præb.* Acquiritur autem Clericatus per primam tonſuram.

§.2. Ad quodcunque beneficium Eccleſiaſticum, aut etiam 742
ad penſiones ſuper fructibus beneficii, per ſe loquendo, & ordinariè prærequiritur Clericatus, quia laicus non poteſt poſſidere jus ſpirituale, *cap. Si quis deinceps, & ſeqq.* 16. *q.*7. Lott. *l.*1. *q.*4. *n.*121. Corr. *l.*1. *c.*5. *n.*156. *&* *à n.*163. Nec ſufficit eſſe deſtinatum ad Clericatum, aut communiter haberi pro Clerico, quia licèt communis error poſſit reddere illa valida, quæ talis facit, non tamen reddit eum in ſe habilem ad aliquid, Pariſ. Leur. *p.*3. *q.*353. *num.*2. Nec ſufficit Clericatus conjugati, quia jus eum habet tanquam laicum, Pariſ. Leur. *num.*3. Nec etiam ſufficit laicatus Religioſi, qui tantùm gaudet privilegio Canonis; Butr. Pariſ. Rebuff. Leur. *num.*4. Imò præſentatio aut electio alicujus non actu Clerici, aut priùs tonſurati poſt expeditionem literarum, etiam antequam eas obtineat, eſt ipſo jure nulla, Paſſer. *de elect. c.*25. *à num.*335. Corr. *à n.*109. Nec validatur per ſupervenientem Clericatum, uti putat Corr. *num.*101. Idem eſt de tonſurato ab alieno Epiſcopo ſine dimiſſoriis

ſoriis quia cùm ſit ſuſpenſus & careat executione, eſt, ac ſi non haberet Clericatum, Corr.*n.*150.Pariſ.Leur.*qu.*355.Debetque Clericatus exprimi in impetratione beneficii, Pariſ. *de reſign. l.*4.*q.*2.*n.*9.Lott.*l.*3.*q.*35.*à n.*1. *Dixi* 1. per ſe loquendo, nam fundator poteſt diſponere, ut infans uſque ad Clericatum habeat beneficium titulo ſæculari, Garc.*p.*1.*c.*2.*n.*31. Item Papa poteſt concedere beneficium laicis, etiam fœminis, Barb. *de Pot.Ep.alleg.*72.*n.*75. Corr.*à n.*135.V.Leur.*p.*1.*q.*302. *& ſeqq. Dixi* 2.ordinariè, nam poſſet laicus præſentari in tempus habile, v.g. *Præſento, quamprimùm fuerit tonſuratus: præſento & peto ei dari tonſuram*, dummodò hanc recipiat intrà tempus præſentatoriconceſſum, Gutt.Pariſ.Lamb. Garc.*p.*7. *c.*1.*à n.*28.Corr.*l.*4.*c.*6.*nu.*31. Item, ſi præſentetur per litteras, ſatis eſt eſſe Clericum, quando præſentatio exhibetur habenti inſtituere, Garc.*n.*32. Leur.*p.*2.*q.*158.*n.*3. Teſtatur etiam Pariſ.apud Leur.*p.*3.*qu.*353.*num.*1. Rotam aliquando reſolviſſe, quòd ſufficiat, ſi præſentandus fuerit proximè clericandus. quia tum non eſt penitus indignus, cùm ante inſtitutionem ſit tonſuratus. Non eſt tamen opus Clericum præſentandum incedere in habitu & tonſura, & quamvis id à *Sixto V.* requiratur ad inſtituendum, Corr.*num.*32. Leur.*n.*4. ſed illa Conſtit. non eſt valdè recepta uſu. Ad præfecturam regularem non prærequiritur Clericatus, uti dictum eſt num.410. V.Leur.*p.*1.*qu.* 310.323.324.

743 §.3. Si quis ante primam tonſuram ſuſceperit Minores, & in his miniſtraverit, ſi hoc delictum maneat occultum,nec ad forum contentioſum deductum fuerit, eſt quidem irregularis, ſed Epiſcopus poteſt diſpenſare,ut habet Trid. *ſeſſ.*24.*cap.*6. *de Ref.* Si non miniſtrarit, non eſt irregularis; putat tamen Sperell.*dec.*114. fori Eccl.non eſſe per 4.Minores capacem beneficii, ſed adhuc requiri tonſuram, quam cum Canoniſtis contrà Theologos docet eſſe Ordinem, ſed oppoſitum videtur dicendum, nam ſicuti qui ſine ullo alio Ordine fieret Sacerdos, eſſet Clericus, quia addiceretur cultui & officio divino, & iniret ſtatum Eccleſiæ proprium, ita etiam qui ordinaretur Minoribus ſine tonſura.

744 §.4. Præter tonſuram non prærequirit jus commune aliquem Ordinem ad ullum beneficium, ſed ſatis eſt beneficiandum eſſe habilem,ut intrà annum ſuſcipiat Ordinem beneficio annexum, Lott.*l.*2.*q.*47.*n.*13.Corr.*l.*2.*c.*10.*nu.*84. Computatur autem hic annus à die pacificæ poſſeſſionis, Paſſer.*n.*368.Barb. ad Trid.*ſeſſ.*22.*c.*4.& de Canonicis *c.*16.*n.*7.Debetque huno Ordinem tunc recipere, quamvis poſſideat tantùm partem redituum, Gl.Laym.Leur.*qu.*319. Et ſi poſt monitionem negligat recipere, poteſt declarari ipſo jure privatus beneficio per Statutum *Conc.Conſtant.* ſeſſ.43. de diſpenſ. uti habet declaratio Cardinalium,quod etiam poterit facere Capitulum,ſi ſit exemptum Leſſ.in auct. *v.Beneficium*, caſ.20. Poſſe tamen quoad beneficia ſimplicia in hoc diſpenſare Epiſcopum & Capitulum, docent Abb.Laym.& Leur. *qu.*322.ſi id per fundationem non requiratur.

745 §.5. Ad electionem in Epiſcopum, ſub pœna irritationis faciendæ, prærequiritur ſecundùm Barb. *de Pot.Epiſc. Allegat.* 1.*nu.*37. ut ſex menſibus ante fuerit presbyter, vel, uti probabiliùs docent Leſſ.*l.*2.*c.*34.*n.*98. Caſtrop.*t.*13.*d.*4.*p.*7.*n.*2. Paſſer.*à n.*352. ſaltem ſubdiaconus; & cùm electus Epiſcopus ſecundùm Trid.*ſeſſ.*23.*c.*2. *de Ref.* teneatur conſecrationem recipere intrà tres menſes, non poſſit autem conſecrari, quin ſit Sacerdos, tenetur intrà tres menſes à die Confirmationis fieri Sacerdos, Paſſer. *num.*354. Ad prælaturas autem Epiſcopatu inferiores præter tonſuram ſufficit Subdiaconatus, Paſſer.*nu.*357. V.Leur.*q.*314.& ſeqq.

746 §.6. Ubi diviſio Canonicatuum præcepta per Trid. *ſeſſ.*24. *c.*12. non eſt introducta, ſufficit prima tonſura, ut quis etiam in Cathedrali ſit Canonicus. Et quamvis ſecundùm dicta nu. 397. aliquis ſine Subdiaconatu non poſſit habere votum in Capitulo, tamen habet turnum ordinarium, optationem præbendæ & alia ſimilia, niſi obſtet conſuetudo vel ſpeciale Statutum. V.Leur.*q.*318.

747 §.7. Si Abbas, Præpoſitus, Decanus, Archi-Presbyter, quibus Cura incumbit, non fiant Sacerdotes; item ſi Archi-Diaconus non fiat Diaconus intrà annum, privandi ſunt,cap. *Ut Abbates*, de æt. & qual.præfic. cap. *Cùm in cunctis*, de elect.Trid.ſuprà, Nav.Sanch.Paſſer.*n.*370. Reliqui beneficiati in Cathedrali vel Collegiata intrà annum non recipientes Ordinem annexum, ſecundùm Trid.*ſeſſ.*22.*cap.*4. privandi ſunt media parte diſtributionum ordinariarum, licèt horis interſint, uſquedum Ordinem requiſitum recipiant, item voce in Capitulo. V.Paſſer.*à n.*377.& Leur.*q.*320.*n.*5. Quòd ſi moniti adhuc negligant, declarari poſſunt privati, uti dictum num. 744. Vide tamen dicta n.156. nam multis locis conſuetudo videtur præſcripſiſſe.

748 §.8. Si Parochus intrà annum à die pacificæ poſſeſſionis, aut ſecundùm Caſtrop.*d.*5.*p.*6.*num.*2. à die, quo eam accipere potuit, neglexerit fieri Sacerdos, ipſo jure eſt privatus, cap. *licet* 14. De elect. in 6.Laym. aliique cum Leur. *qu.*320. Quod tenet Paſſer.*n.*364. quamvis primo anno nullos fructus percipiat: eſtque præterea illa vice incapax iſtius beneficii, etiam ante omnem ſententiam,uti communiſſimè omnes cum Sanch. *in Conſ.*l.2.c.2,*d.*22.contrà nonnullos apud Barb. *de Off. Paroch. c.*5.*n.*9.*&* 13. qui dicunt non teneri dimittere niſi poſt ſententiam, quod probabile eſſe agnoſcit Caſtrop.*n.*6. quia nemo videtur teneri tales pœnas in ſe exequi: hinc etiam Henriq.Garc. & alii cum Barb.*q.*12.admittunt in conſcientia non vacare, donec ſpolietur. Eadem autem obligatio eſt in Vicariis, & aliis ſimilibus beneficiis curatis, Caſtrop.*n.*12.

§.9. Si lis aliquantùm periculoſa initio vel per decurſum 749 anni oriatur, poteſt differri ſuſceptio Ordinis, quia non eſt æquum, ut quis obligetur ad onus propter beneficium, quo fortè privabitur, Garc.Caſtrop.*n.*3.Excuſant etiam diſpenſatio & impedimenta legitima, de quibus Caſtrop. *à n.*9.Porrò Epiſcopus quoad hoc de jure antiquo diſpenſare poterat in unico caſu, nempè cum Parocho, etiam ad ſeptennium ſtudiorum cauſa, ſed de hoc vide dicta l.3.p.1.n.748.

An ſufficiat Ordo ante ætatem per diſpenſationem receptus, dicetur n.802.& 822.

*Q.*104. *Quid circa legitimos, & illegitimos ſit prætereà* 750 *addendum?* Reſp. Illegitimi omnes, ſive ſint naturales ſive ſpurii, ſunt irregulares, & inhabiles ad quodvis beneficium, cap. *cùm in cunctis*, cap. *Innotuit*, de elect. cap. *Ut filii*, de filiis presb.cap.1.eod.tit.in 6. Probabile tamen eſt proviſionem illegitimi non eſſe ipſo jure nullam, Paſſ. & alii cum Leur. *p.* 1.*q.*288. Hic præcipuè explicandum eſt, quinam ſint illegitimi, quinam naturales aut ſpurii, quomodo aliquis legitimari poſſit, quomodo filii Clericorum excludantur à beneficiis. Quoad ſucceſſiones vel hæreditates illegitimorum ſatis dictum eſt l.3.p.2.à n.1163.

§.1. Illegitimi dicuntur, qui naſcuntur extrà Matrimo- 751 nium, & ſecundùm dicta l.3.p.2.n.1162. ſi intrà tempus, quo concepti ſunt & nati, potuerit eſſe validum Matrimonium inter parentes, dicuntur naturales; ſi inter eos non potuerit eſſe validum Matrimonium, dicuntur ſpurii; hinc ſi alter vel uterque parens habuerit in ſæculo ſimplex votum caſtitatis, proles ex his nata eſt naturalis, quia licèt inter parentes tunc eſſe non potuerit licitum Matrimonium, attamen potuit eſſe validum, cùm tale votum non dirimat Matrimonium, ſed tantùm reddat illicitum, Mol.Caſtrop.*t.*13.*d.*4.*p.*1.§.1.contrà Az.& alios. Idem eſt de prole nata ex patre vel matre poſt celebrata ſponſalia cum alia perſona, Caſtrop.nata autem poſt ſponſalia inter patrem & matrem jure civili cenſetur legitima, etiamſi ſponſus matrem deſerat & ducat aliam, Strickius de ſucceſs. ab inteſt. diff.1.c.2.§.49.& 50.ſed jure canonico eſt naturalis.

§.2. Legitimi ſunt, qui naſcuntur ex Matrimonio non 752 baptizatorum, contracto ſecundùm illorum uſum, Paſs. de elect.cap.25.n.108. Item nati ex Matrimonio ab utroque fideli contracto mala fide, eò quòd putarent ſubeſſe impedimentum dirimens, ſi hoc reverà non ſuberat, Suar.Sanch.*de Matr.l.*9.*d.* 36.*n.*3. Nati verò ex muliere & viro poſt Matrimonium ratum profeſſo in Religione, ſunt ſpurii, quia ſolutum erat Matrimonium, & aderat impedimentum dirimens, Sanch. Barb. Leur.*p.*1.*q.*258. Similiter nati ex viro facto presbytero & uxore id permittente poſt ratum vel conſummatum Matrimonium, quamvis ſimpliciter & quoad civilia non vocentur, ſunt tamen illegitimi ſecundùm quid, irregulares, & inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica.

§.3. Si contrahentes Matrimonium habuerint occultum 753 impedimentum dirimens, & præmiſerint proclamationes, proles inde nata eſt legitima, cap. *Ex tenore*, cap. *cùm inter*, cap. *pervenit*, Qui filii ſint legitimi, Garc.*p.*7.*c.*2.*n.*44. ſi autem ſint omiſſæ proclamationes, cenſetur illegitima, Barb.ad cap.*cùm inhibitio*, de clandeſt.deſponſ.neque cum tali diſpenſabit Papa, inquit Gob.*in Exp.t.*10.*n.*501.natus autem ex Matrimonio publico, quod bona fide ſaltem ab uno ex contrahentibus putabatur eſſe validum, quamvis reverà fuerit invalidum, cenſeri debet legitimus,uti ex jure probant Caſtrop.*n.*6. Strick.§.51.Gob.*in Quint.t.*5.*c.*37.*n.*247. qui in exp.t.8.nu.438. idem dicit, quamvis poſteà ſequeretur divortium.

§.4. Quando dubitatur, an aliquis ſit legitimus an illegiti- 754 mus, reputari debet legitimus, Barb.Menoch. Maſcard. Paſſer.Tamburin.Gob.*nu.*435. Leur. *qu.*265. tum quia in dubio non præſumitur vitium, ſed ſtandum eſt pro favore, & valore Matrimonii, tum etiam quia culpa parentum eſt dubia, & illegitimitas eſſet quaſi pœna certa, pœna autem certa non reſpondet culpæ incertæ; & ideo cap. *Lator*, & cap. *pervenit*. Qui filii ſint legit. in dubio, an quis ſit illegitimus, rejicitur onus probandi in opponentem. Ex hoc principio dicendum eſt, 1. Quamvis ſciatur, quòd uxor ante Matrimonium habuerit copulam cum pluribus, tamen ſi proles naſcatur poſt ſeptimum menſem ab inito Matrimonio, præſumitur legitima, Gob. *T.*10. *num.*197. 2.Quamvis mater illum dicat illegitimum, qui antehac habitus eſt pro legitimo filio, habendus eſt legitimus, uti habet communis: Idem

eſt, ſi parentes dicant ſe non fuiſſe veros conjuges, quia delinquentium confeſſio tantùm valet contrà ipſos, non autem contrà tertium innocentem, niſi accedant alia indicia, Paſſer. *n.* 179. contrà Suar. poteſtque videri Leur. *q.* 265. *&* 266. 3. In locis acatholicis nati ex Matrimoniis initis coram Prædicante vel cum impedimento juris Eccleſiaſtici, quæ apud hetorodoxos impedimenta eſſe non reputantur, cenſendi ſunt legitimi, quia eorum Matrimoniorum validitatem defendunt plures AA. uti dicemus l. 6. 4. Si ſciatur duos contraxiſſe cum impedimento dirimente, & dubitatur, an contraxerint mala fide, proles cenſeri debent legitimæ, Suar. *de Cenſ. d.* 50. *ſ.* 1. *nu.* 10. Paſſer. *nu.* 109. quod tenet, etiamſi parentes, poſtquam bona fide contraxerant, dubitarint de valore Matrimonii, & proles, ſtante hoc dubio, ſint genitæ.

755 §. 5. Aliqui putant, quamvis certum eſſet Titium eſſe illegitimum, ſi tamen publicè habeatur pro legitimo, poſſe pro tali ſe gerere, quia eſt legitimus pro foro externo, nec plùs videntur intendere Canones, quorum finis eſt, ut perſonæ ad beneficia admittendæ ſint publicè, & in communi æſtimatione honeſtæ, quod hic erit; & ſimile quid dictum eſt à n. 38. de puella corrupta, quæ poteſt ſe gerere velut Virginem: ſed quidquid ſit de hoc poſtremo caſu, quoad priorem contradicunt Nav. Suar. Az. Sayr. Leur. *q.* 262. quamvis Laym. & alii cum Pelliz. *de Regul. t.* 2. *t.* 7. *cap.* 5. *ſ.* 2. *n.* 71. fateantur talem illegitimum, quando cauſa gravis urget, poſſe promoveri, etiam ad ſacros Ordines ſine diſpenſatione, ſi hæc haberi nequeat ſine propria aut parentum infamia: Ratio noſtra eſt, quia communis ſententia tenet cum Diana *p.* 10. *t.* 13. *R.* 30. etiam occultos illegitimos eſſe irregulares. Vide dicenda n. 781.

756 §. 6. Legitimatio eſt reſtitutio natalium quoad ea, quæ jure poſitivo illegitimis denegantur: differt autem à diſpenſatione, quòd hæc ſit circa aliquos tantùm effectus, ſitque ſtrictè interpretanda, ſecundùm dicta l. 1. n. 798. legitimatio autem ſit circa perſonam, quam reddit aptam ad omnes effectus, ac latè ſit interpretanda, Paſſer. *n.* 306. Leur. *q.* 287.

757 §. 7. Illegitimi naturales fiunt legitimi per ſubſequens Matrimonium parentum, etiamſi poſteà priùs contrahatur in articulo mortis, & quando facti ſunt inhabiles ad generandum, aut poſt intermedium aliud Matrimonium; Stryck. §. 62. Matrimonium enim fictione juris retrotrahitur ad tempus, quo proles ſunt genitæ, atque legitimat ex vi ſua & legis poſitivæ, etiamſi parentes aut proles ipſæ legitimationem nollent, vel etiam poſteà eſſent ingratiſſimæ: ſufficit autem Matrimonium præſumptum, bona fide contractum, etiam ſine cæremoniis & ſcripturis nupcialibus, dummodò ab Eccleſia, ut validum reputetur, quamvis fortè reipſa eſſet invalidum. Vide Leur. *q.* 260. *num.* 1. An autem & quomodo per ſubſequens Matrimonium clandeſtinum legitimari poſſit proles, videri poſſunt Sanch. *de Matr. l.* 3. *d.* 44. *n.* 2. Card. n. *in* 1. *criſi d.* 11. *n.* 149.

758 §. 8. Si Cajus per fornicationem natus ex Titio, & Berta moriatur illegitimus, & relinquat proles ex vero conjugio, tumque priùs Matrimonium ineant Titius & Berta, proles Caii etiam immediatè legitimantur ex vi hujus Matrimonii, ut latè contrà alios probat Caſtrop. §. 2.

759 §. 9. Spurii ſpectato jure Canonico non legitimantur per ſubſequens Matrimonium, cap. *Tanta*, Qui filii ſint legit. Quòd ſi impedimentum dirimens ab uno ſaltem parentum fuerit ignoratum, quando proles concipiebantur, putant Stryc. §. 65. & Caſtrop. *n.* 9. legitimari, quia ſicuti ad hoc, ut filius ſit legitimus, ſufficit bona fides unius è parentibus habilibus, ita ad hoc, ut ſit naturalis, videtur ſufficere, quòd unus ignorarit impedimentum dirimens; ſed Suar. Garc. Peyr. contradicunt, quia cùm uterque ſciverit ſe illicitè agere; & illa quaſi pœna ſequatur delictum, putant ex diſpoſitione juris cenſendum eſſe ſpurium.

760 §. 10. Si impedimentum abfuerit ſaltem tempore nativitatis, adhuc volunt Abb. Butr. Suar. Menoch. Fill. Garc. Paſſ. *nu.* 134. eſſe ſpurium, ſed probabiliùs contradicunt Covarr. Sanc. Sayr. Pont. Peyr. Barb. Caſtrop. *n.* 5. quia ſecundùm legem civilem debet hìc attendi tempus conceptionis *vel* nativitatis, prout proli magis expedit; nec huic legi derogant Canones: & idem dicit Caſtrop. ſi quocumque tempore intermedio fuerint habiles.

761 §. 11. Tam ſpurii quàm naturales legitimari poſſunt per ſolum ſupremum Principem ipſorum, aut ex ejus commiſſione per alium, v. gr. in Imperio Romano per Comitem Palatinum: Supremi autem Principes ſunt in Eccleſiaſticis Papa; in civilibus, Imperatores, Reges, aliique Principes, qui pro ſuis terris condere poſſunt leges, & conditas abrogare. Caſtrop. §. 5. Princeps autem Eccleſiaſticus legitimat ad favores tantùm Eccleſiaſticos, ſæcularis tantùm ad ſæculares, quia neuter poteſt ſe extendere ultrà ſuum forum, unde Cajus hìc legitimatus à Cæſare, eſt legitimus civiliter tantùm, & manet irregularis ac incapax Beneficii, capax tamen eſt juris patronatus annexi ſuæ hæreditati, Caſtrop. *n.* 19. E contrà legitimatus à Papa eſt legitimus canonicè tantùm, ſitque capax Ordinum & Beneficiorum, ſed non ſucceſſionis hæreditariæ nec aliorum jurium civilium ſolis legitimis conceſſorum, Gob. *in Quint. t.* 5. *c.* 37. *n.* 350. Vide tamen etiam Leſſ. in auct. v. *Illegitimus* caſ. 2. & præcipuè Delbene *de Immun. Eccleſ. cap.* 10. *dub.* 6. *ſect.* 9. Ut autem valeat hæc legitimatio, putat Caſtrop. §. 6. *n.* 13. requiri conſenſum tam parentum, quàm legitimandi, quia invitis non fit gratia. Vide dicta l. 1. num. 841. Quomodo autem poſſit Papa legitimare aliquem etiam quoad civilia, removendo illegitimitatem ab ipſo Matrimonio, & veluti ſanando radicem, explicant Caſtrop. §. 5. *à num.* 5. & Corr. *in praxi diſp. Apoſt. l.* 8. *cap.* 3. *à num.* 51. ſic enim ſi Papa per clauſulam *ex tunc* vel *ab initio* diſpenſet in Matrimonio inito cum impedimento dirimente aut illud poſteà ratihabeat, tunc ſanat radicem, & legitimantur etiam ſpurii, Abb. Garc. Paſſer. *n.* 142. quod dicunt verum eſſe Peyr. & Barb. cap. *Tanta*, etiamſi ob mortem unius conjugis Matrimonium non potuerit perfici. Quòd ſi nudè diſpenſet pro Matrimonio contrahendo, manent ſpurii, Paſſer. *nu.* 144. An verò & quomodo filius legitimari poſſit à parente, aut Clericus à Principe ſæculari, explicat Caſtrop. §. 6. *à n.* 5. Et quas conditiones requirat Reſcriptum legitimationis explicat §. 7.

§. 12. Epiſcopus aliique habentes juriſdictionem quaſi 762
Epiſcopalem; item Capitulum Sede vacante, poſſunt cum ſuis ſubditis etiam ſpuriis diſpenſare ad Ordines minores, & ad beneficium tantùm ſimplex, cap. *Is qui*, *de filiis presbyt. in* 6. Barb. *ibidem n.* 6. Non tamen ad plura Beneficia, etiamſi tenuja, Az. aliique apud Leur. *q.* 269. Etiam probabiliter diſpenſare poſſunt cum illegitimis occultis ad Sacros Ordines, Avil. Kon. Corneo, Henriq. Laym. Lez. Præpoſ. Peyr. apud Dianam *p.* 10. *t.* 11. *R.* 24. & cum Pelliz. *nu.* 73. Item ad Canonicatum Eccleſiæ Collegiatæ, & inferiora beneficia Cathedralis, quæ non requirunt Ordinem ſacrum, Diana *p.* 4. *t.* 2. *R.* 64. & multò magis ſecundùm Nav. Con. Caſtrop. contrà Suar. Paſſer. & alios, ad miniſtrandum in Ordinibus ſacris bonà, aut fortè etiam mala fide ſuſceptis, uti putat Laym. videri tamen debent de his Barb. *de pot. Epiſc. alleg.* 45. *à num.* 19. & Leur. *qu.* 267. 268. 270. Quomodo autem verba talis diſpenſationis ſint interpretanda, dixi l. 1. num. 622. poteſtque videri etiam Leur. *qu.* 269. & Leſſ. *caſ.* 3.

§. 13. Filii illegitimi Clericorum, etiamſi ſint legitimati 763
vel diſpenſati ad Ordines & beneficia, non poſſunt in Eccleſiis, ubi eorum patres habent aut habuerunt beneficium, obtinere beneficium qualecunque, etiam diſſimile, nec penſiones ſuper fructibus Beneficiorum, quæ patres habent vel habuerunt; imò nec ullo modo miniſtrare in illis Eccleſiis, ita Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de Ref.* circa quod varia dubia, extenſiones & limitationes adducunt Caſtrop. *d.* 4. *p.* 2. Luca *de Benef. d.* 66. Leur. *qu.* 272. *& ſeqq.* ubi *qu.* 278. idem ex parte extendit ad Regulares; item q. 279. & 280. ad patrem, qui ſuccederet filio in eodem beneficio, aut in eadem Eccleſia poſt filium obtineret beneficium. Vide dicta n. 700.

§. 14. Filii legitimi Clericorum poſſunt in eadem Eccleſia 764
habere cum patre beneficium, non tamen ſuccedere in beneficio, niſi mediatè, cap. *Ad Extirpandas*, & cap. *Conſtitutus*, de filiis presb. Inn. Garc. Leur. *q.* 281. *& ſeqq.* ubi circa hæc plures limitationes, extenſiones & dubia proponit, ac reſolvit.

§. 15. Hìc obiter notandum eſt cum Stric. §. 53. illegitimos 765
etiam per hoc diſcerni, quòd non utantur inſignibus patris, niſi baculo ſeu barra interjecta, quæ incipiat à ſiniſtris, & deſinat in imum latus dextrum, quia ſunt filii quaſi ſiniſtræ; E contrà pro legitimis, à dextris deſinit in ſiniſtram.

Quomodo omnes illegitimi legitimentur, ſi in aliqua Religione emittant vota ſubſtantialia, dictum eſt n. 8. ubi circa hos plura videri poſſunt.

Q. 105. *An expoſititii, quorum parentes ignorantur, cen-* 766
ſeri debeant legitimi, ideoque ſint capaces beneficiorum? Reſp. Negant Covarr. Ugol. Majol. Suar. Vaſqu. Rebel. Garc. Tond. Corr. Paxjord. quia ſæpiùs ſunt illegitimi, præſumptio autem ſumitur ex his, quæ frequenter contingunt: E contrà affirmant Grat. Felin. Bernard. Paleot. Rodriq. Menoch. Maſcard. Salas, Barb. Peyr. Paſſ. Diana, Caſtrop. Pontius, Leur. *p.* 1. §. 265. de quo etiam habet p. 3. q. 521. quia etiam ſæpè exponuntur legitimi ob paupertatem parentum vel alias cauſas, in dubio autem facienda eſt interpretatio in meliorem partem & in favorem prolis, arg. cap. *Extenore*, Qui filii ſint legit. Et quando eſt præſumptio contra præſumptionem, illa debet prævalere, quæ continet favorem & excludit delictum, cùm delicta non præſumantur: denique quia in dubio, an quis ſit legitimus an illegitimus, cenſeri debet legitimus, ſecundùm dicta n. 754.

Q. 106. *Quid notandum ſit circa conjugatum, bigamum,* 767
ſervum? R. Seqq.

§. 1. Quamvis aliqui dicant Clericum conjugatum in Eccleſia latina eſſe ex diſpenſatione Epiſcopi capacem Beneficii ſimplicis, quia id videtur ſupponi cap. *Joannes*, de Cler. & conjug. tamen tenendum eſt oppoſitum cum Sanch. *de Matr. l.* 7. *d.* 42. *num.* 18. quia cap. *Diverſis*, ibid. id prohibetur Epiſcopis

pis, & reputatur laicus in omnibus, præterquàm in privilegio Canonis & fori in criminalibus, juxta Cap.un.De cler.conjug. in 6.Corr.*l.*1.*c.*5.*à n.*114.Hinc dicendum eſt quòd caput, *Joannes*, loquatur de Clericis diſpenſatis per Papam.

768 §.2. Bigamia eſt reiteratio Matrimonii conſummati, ſeu diviſio carnis in duas ſucceſſivè uxores : inducit irregularitatem ex defectu ſignificationis Sacramenti, quo Chriſtus cum unica ſponſa Eccleſia conjungitur. Eſt autem triplex, *vera*, ſi reipſa cum duabus uxoribus conſummarit Matrimonium, ſive ante ſive poſt ſuſceptum Baptiſmum : *Interpretativa* ſive per juris fictionem, uti ſi quis in uxorem ducat & cognoſcat viduam à priori viro cognitam, aut etiam non viduam ſed priùs corruptam ab alio : *Similitudinaria*, ſi Clericus in ſacris conſtitutus vel Religionem profeſſus cum virgine invalidè contrahat Matrimonium eamque cognoſcat. Vide Buſemb.*l.*7.*c.*5.*d.*5.*n.*5.Leur.*p.*1.*q.*352.*& ſeqq.* Omnes hi bigami ſunt incapaces beneficii, quia ſunt irregulares ac prohibentur ſuſcipere Ordines, & in ſuſceptis miniſtrare, cap.*Cognoſcamus*, diſt.34. cap.2.& ſeqq.d.26.cap.*Præcipimus* & ſeqq.diſt.34. cap.un. *De bigamis* in 6.Imò prohibentur ſuſcipere tonſuram, cap.*Si quis viduam*, diſt.50.V.Laym.*l.*1.*t.*5.*p.*5.*c.*6. Ad cap.1. De bigam. n.3.item Leur.*q.*353.

769 §.3. Papa poteſt cum omnibus bigamis diſpenſare ad Ordines, beneficia, & dignitates, quamvis enim cap.2. De bigam. dicatur, *Non licet contrà Apoſtolum cum bigamis diſpenſare, ut promoveri poſſint ad Ordines*, tamen non dicitur non poſſe, ſed tantùm inſinuatur difficultas, niſi adſit graviſſima cauſa; neque Apoſtolus ibi promulgat legem divinam, ſed ut Apoſtolus, & Paſtor Eccleſiæ condit humanam, Leur.*q.*356.

770 §.4. Epiſcopus non poteſt cum veris aut interpretativis bigamis diſpenſare ad ullos Ordines, nec ad miniſtrandum in eis, nec ad tonſuram aut beneficium ullum ; Nav.Suar.Garc.Lay. Barb.Piaſ.Diana, Fagn.ad c.2. de bigam. à num.33. Paſſer. de elect.cap.27.n.66.contrà Silv.Avil.Az.Sayr.Sanch. *de Matr.d.* 86.*num.*11. quorum aliqui dixerunt poſſe diſpenſare ad omnia beneficia, alii ex cap. *Super eo*, De bigam.non poſſe quidem ad recipienda ſed ad recepta, ſed oppoſitum habetur ex cap.2. *De bigam.*& cap.un. *De bigam.*in 6.cap.*Conſidat* diſt.50.Poteſt tamen diſpenſare Epiſcopus in bigamia ſimilitudinaria, Suar. Laym.non tamen ſi poſt Sacros Ordines vel profeſſionem religioſam duxerit, & cognoverit viduam, quia talis incurrit irregularitatem indiſpenſabilem, cap. fin. *De bigam.non Ord.* Suar.Sanch.Leur.*q.*357.

771 §.5. Poteſt Epiſcopus diſpenſare cum Religioſis, uti cum aliis, Suar.Sanch.Laym.Pirh.Leur.*n.*2.Superiores autem eorum plùs non poſſunt quoad hoc circa ſubditos ſuos, quàm Epiſcopus. Leur.*q.*358.

772 §.6. Verè ſervi, ſeu mancipia, ſunt irregulares, nec ad ullum beneficium, nec ad primam tonſuram promoveri poſſunt, cap.1.& cap.*Conſuluit*, De ſervis non ordin.cap.*Generalis* & cap.*Admittuntur*, diſt.54.Leur.*q.*359. Excipe, niſi ſint plenè liberti ſeu abſolutè, & in perpetuum manumiſſi, cap. *Si quis*, diſt.54.Leur.*q.*361. Quòd ſi ſervus ſciente & non contradicente Domino tonſuretur, fit liber, cap. *Si ſervus* 20. diſt.54.Suar. De Cenſ.d.ult.ſ.3. num.5. Si ignorante domino ordinetur tantùm Minoribus, manet ſervus, cap. *De ſervorum*, diſt.54.Suar.ſuprà. Si contradicente vel ignorante domino ſuſcepit Subdiaconatum aut Diaconatum ab Epiſcopo ſciente, fit liber, ſed Epiſcopus, aut qui id procuravit, tenetur reddere duos ſervos æquè bonos vel duplum pretium ſolvere, cap. *Si ſervus*, De ſervis non ordin. Si ſervus ipſe procuravit nemine conſcio, debet domino dare ſui ſimilem vel ſe ex proprio peculio redimere, vel ſi neutrum poteſt, debet reddi domino, & privatur uſu Ordinum ac privilegio fori, cap. *Ex antiquis*, diſt.54. retinet tamen privilegium Canonis, Sayr.Pirh.Si ſic ſuſcepit presbyterium, manet liber, ſed perdit uſum peculii, ſi quod habeat, cap. *Ex antiquis*, ibid. Si non habeat, tenetur ſervire in officiis ſpiritualibus, cap.*Frequens*, ibid. *Dixi* verè ſervi, nam originarii, quales ſunt in his partibus, non ſunt irregulares, quamvis indigeant conſenſu illorum, quibus obligantur ad obſequia perſonalia, cap. *Admittuntur*. ibid.Laym.*l.*1.*t.*5.*p.*5.*c.*8.*n.*2.

773 §.7. Servum ab irregularitate abſolvere poteſt ſolus Papa, Laym.Pirh.Leur.*q.*362.

774 *Q.*107. *Quid de illo ſit dicendum, qui eſt in cenſura aliqua vel irregularitate ?* Reſp.

§.1. Excommunicatus excommunicatione majori, etiam ab homine, quamvis injuſtè, dummodò ritè ſit lata : & quamvis talis excommunicatus ſit toleratus ac planè occultus, aut etiã neſciatur incurriſſe, vel putetur eſſe abſolutus, eſt nihilominus inhabilis ad omne beneficium, & penſionem quomodocunque acquirendam, cap.*Poſtulaſtis*, de Cler. excomm.cap. *Paſtoralis*, De appell.cap.1. De Reſcript.in 6. Garc. *p.*7.*cap.* 13.Paſſ. *de elect.cap.*25. *à num.*445. Barb.ad cap. *Poſtulaſtis*, Leur.*p.*1.*q.*325. Et ſi conſtitutus in tali excommunicatione, etiam ignorans aut ſe non reflectens accepit beneficium, tenetur fructus perceptos reſtituere, quia non habet titulum faciendi ſuos, Leſſ.in auct.v.*Beneficium*, caſ.7.

§.2. Si proviſio facta ſit ante excommunicationem, ſed acceptio poſſeſſionis fiat in excommunicatione, Covar.Kon. Hur.& alii dicunt proviſionem eſſe invalidam, quia quando acceptat aut ingreditur jus, eſt illius incapax, ergo illud non accipit; oppoſitum tenent Suar.Vaſq.Pariſ.Garc.Barb.Paſſer. *n.*459. Diana *p.*4.*t.*4. *R.*56. quia jura tantùm irritant collationem & electionem, per quam excommunicato jus acquiritur, non autem acceptationem vel poſſeſſionem, quia acceptatio eſt tantùm juris acquiſiti receptio, poſſeſſio autem eſt potiùs aliquid facti, quàm juris : ſi tamen per hæc acquireretur novum aliquod jus, proviſio invalidaretur. Leur.*q.*329. 755

§.3. Si Electio vel præſentatio facta ſit tempore excommunicationis, ſed acceptatio, confirmatio aut inſtitutio fiat extra, Abb.Suar.Garc.Barb.Leſſ.Kon.Paſſer.*n.*448. Leur.*qu.*326. probabiliùs dicunt proviſionem eſſe invalidam, quia quod ab initio nullum eſt, nec tempore, nec acceptatione, nec confirmatione aut inſtitutione fit validum : Putat tamen Bonac. Henriq.Diana ſuprà, Sanch. *de Matr.l.*8.*d.*7.*num.*12. eſſe probabiliter validam, quia prior electio vel præſentatio videtur in prima voluntate durare uſque ad ſublationem excommunicationis, quando acceptans eſt capax. Quid in Reſcriptis operetur clauſula abſolutoria, *à quibuſvis*, videri poteſt Leur. *qu.*329.*num.*4. 776

§.4. Excommunicatio minor facit promotionem ad beneficium non ſimplex eſſe irritandam, cap. *Si celebrat*, De Cler. excom.Suar.Paſſer.*n.*473. contrà Abb.& alios : Si tamen probabiliter ignoretur à promovente & promoto, valet promotio, quia lex loquitur tantùm de ſcienter agentibus, Paſſer.aliique contrà Garc.Quòd ſi alteruter tantùm ignorarit, videtur irritanda, Garc.& alii contrà Hoſt.& Peyr.V.Leur.*q.*303.& Dian. *p.*11.*t.*5.*R.*5. 777

§.5. Suſpenſus ſimpliciter ab omni officio, & beneficio, etiamſi ſit occultus & non denuntiatus, promoveri non poteſt ad dignitates vel beneficia Eccleſiaſtica, cap. *Cùm bonæ*, De ætat. & qual. præſ.putant tamen Laym. Caſtrop. aliique cum Diana *p.*11.*t.*5.*R.*4. contrà Suar.Th.Hurt. & alios apud Paſſ. *n.*493.promotionem talis ſuſpenſi non eſſe ipſo jure irritam ſed irritandam. Quòd ſi ſuſpenſus ab omni tantùm officio promoveatur ad beneficium curatum aut ſimplex, promotio eſt etiam irritanda, quia omni beneficio annexa eſt aliqua functio, quæ ipſi prohibetur, qualis eſt ſaltem privatim orare Horas tanquam Miniſtrum & Officialem Eccleſiæ, nemo autem poteſt promoveri ad hoc, quod prohibetur exercere, arg.cap.*Translato*, de conſtit. Si autem ſuſpenſus ſit ab officio tantùm particulari, poteſt promoveri ad beneficium ſuper alio officio fundatum, Paſſ. *à num.*478. Et hæc applicari debent ſuſpenſo à beneficio, quia omne beneficium eſt propter officium annexum, Paſſ.*n.*492. Denique ſuſpenſus ab aliquo Ordine, promoveri non poteſt ad beneficium requirens uſum talis Ordinis : poteſt tamen ad aliud requirens vel ſolam primam tonſuram vel uſum alterius tantùm Ordinis, Paſſ.*n.*489. V.Leur. *q.*331.*&* 332. 778

§.6. Interdictus perſonaliter, etiam occultus, eſt inhabilis ad omne beneficium, quia prohibetur exercere omnia officia Clerici, quale eſt ſaltem orare Horas, cap.1.*De poſtul.* cap.ult. *De exceſſ.præl.* cap.*Epiſcoporum*, de privil. in 6.Paſſ. *à n.*497.Leur *q.*333. Idem eſt de violante interdictum, cap.*Is qui*, De ſent.excom.in 6.de quo tamen vide Leur.*q.*334. 779

§.7. Irregularis nõ poteſt promoveri ad ullum beneficium vel penſionem Eccleſiaſticam, uti habet communiſſima cum Leur.*q.*335.quia cùm omne beneficium & etiam prima tonſura tendat ad Ordines & horum uſum, & ſuſceptio ac uſus omnis Ordinis prohibeatur irregulari, etiam prohibetur beneficium, Paſſ. *num.*506. Si tamen irregularitas impediat uſum alicujus tantùm Ordinis, poterit recipi beneficium requirens uſum alterius tantùm Ordinis anteà ſuſcepti, Garc. Leur. *qu.*335. Habetque ſententia communior promotionem irregularis eſſe ipſo jure nullam, licèt Felin.Laym.Dian.Caſtrop.Leur. *qu.*336. probabiliter dicant eſſe tantùm irritandam ; peccatur tamen graviter ſic admittendo, quia in re gravi eſt inobedientia contrà Sacros Canones, teneturque talis ſtatim petere diſpenſationem. Paſſ.*n.*519. 780

§.8. Si quis in occulto ejuſmodi impedimento conſtitutus non poſſit recuſare beneficium, niſi graviter infamando vel dando ſcandalum poteſt acceptare, ſed tenetur ſtatim procurare abſolutionem ab eo, qui non tantùm poſſit abſolvere, ſed etiam nullitates antecedentes ſanare, Suar.*de cenſ.d.*13.*ſ.*1.*à nu.* 31.Peyr.Sa, Garc.Leur.*q.*327.& 328. Vide dicta nu.755.& dicenda à n.835. 781

*Q.*108. *Quid circa aptitudinem corporis ſit addendum ?* Reſp.Seqq. 782

§.1. Generaliter ex tit. *De corpore vitiatis*, *De clericis ægrotantibus*, Cap. *Niſi cùm pridem*, De renunc.Trid.*ſeſſ.* 22.*cap.*4.*De Ref.* illa diſpoſitio corporis reddit incapacem beneficii,

neficii, quæ reddit inhabilem ad decenter præſtandum officium beneficio annexum, Caſtrop.*t.*13.*d.*4.*p.*4.*n.*1. Specialiter autem loquendo, incapaces beneficii acquirendi ſunt, 1. cæci, ſurdi, muti, non tamen lippi, carentes uno oculo, ſurdaſtri, balburientes, Nav. Peyr. Sayr. Paſſ. Leur. *p.*1.*q.*230. 2. Laborantes quaſi continua paralyſi aut podagra, Barb. Peyr. Sayr. Pariſ. Leur. 3. Habentes infirmitatem habitualem & radicatam duraturam notabili tempore, & impedientem à præcipuis functionibus beneficii vel Prælaturæ, S. Th. Abb. Suar. Item valetudinarii communiter lecto affixi, Pariſ. Menoch. 4. Carentes primaria aliqua corporis parte: vel ita deformes, ut ſine notabili horrore & ſcandalo obire nequeant munia Eccleſiaſtica; Paſſ. de elect. c. 25. à n. 327. Plura de his dicentur l. 7. quando de irregularitate.

783 §. 2. Qui habet vitium corporis, ob quod inhabilis eſt ad Presbyterium, etiam videtur inhabilis ad Ordines Minores & tonſuram, ideoque & ad omne beneficium, nam cap. 60. *Non confidat*, diſt. 50. abſolutè dicitur corpore vitiatos non eſſe applicandos divinis Miniſteriis, & finis primæ tonſuræ ac aliorum Ordinum eſt Presbyterium, ergo inhabilis ad hoc, etiam eſt ad illos, Tol. Garc. Ugol. Caſtr. Leur. *q.* 231. contra Valent. *t.* 4.*d.*7.*q.*19.*p.*3. Si tamen aliquis poſt ſuſceptum Clericatum cõtrahat vitium corporis, ob quod fit irregularis, poteſt promoveri ad beneficium, cujus officium non impeditur, quia irregularitas ex defectu corporis ſuperveniens ordinato impedit illius tantùm Ordinis exercitium, ad quod reddit inhabilem, ergo etiam illius tantùm beneficii aſſecutionem, cujus impedit exercitium ſeu obligationem, Azor. Suar. Hinc referunt Leſſ. Garc. Caſtr. Leur. *q.* 239. cùm omni beneficio annexa ſit obligatio Horarum, qui per vitium ſuperveniens redditur inhabilis ad legendum, eſſe inhabilem ad omne beneficium.

784 §. 3. In Prælatos eligi non poſſunt, 1. amens, licèt habeat lucida intervalla, quia Prælatus debet eſſe omni tempore aptus ad gubernandum, Paſſ. *nu.* 5. 2. Qui ſemel fuit fatuus, ſi cauſa permaneat, & probabile eſt illorum electionem pro Cathedralibus & Collegiatis eſſe irritam per Trid. ſeſſ. 22. c. 4. De Ref. *Nec aliis impoſterum fiat proviſio, niſi iis, qui jam ætatem & cæteras habilitates integrè habere dignoſcantur, aliter irrita ſit proviſio*, Paſſ. *num.* 10. Leur. *q.* 233. Si autem probentur eſſe perfectè ſanati, & antecedenter habuerint Ordinem ad prælaturam requiſitum, eligi poſſunt, Paſſ. *n.* 7. Leur. *q.* 232. ſed ordinati non poſſunt, quia ſunt irregulares, Suar. Bonac. Leur. 3. Qui frequenter ſe inebriat, quia eſt velut amens per intervalla, Peyr. Barb. Paſſ. Leur. *q.* 234. 4. Semel poſſeſſus à dœmone, ſi antecedenter non habuerit Ordinem requiſitum; quia ob irregularitatem ordinari non poteſt, ſi tamen habuerit Ordinem prærequiſitum, & probet ſe liberatum, eligi poteſt, Suar. Paſſ. Leur. *q.* 235. 5. Epileptici, nam hi, non ordinati, ſunt perpetuò irregulares, tamen ordinati, & rarò, v.g. in menſe tantùm ſemel ſine inconditis vocibus cadentes, eligi poſſunt, multò magis, ſi morbo ſint liberati, quod probatur per dies 30. c. *Intuis litteris* 7. q. 2. Suar. Bonac. Silv. Paſſ. Leur. *qu.* 236. Ejuſmodi tamen defectuoſorum electiones non ſunt ipſo jure irritæ, ſed irritandæ, Paſſ. *n.* 329. Quod ſi talis infirmitas vel inhabilitas ad regendum ſuperveniat Prælato confirmato, non deponitur, ſed ei datur Coadjutor, Paſſ. *num.* 332.

785 *Q.* 109. *Quid addendum ſit circa morum probitatem?* R.

§. 1. Cap. *cùm in cunctis*, de elect. cap. *grave nimis*, De Præb. *Clement.* 1. de ætate & qual. Trid. ſeſſ. 24. c. 18. de Ref præcipitur, ut inquiſitio fiat in mores ac honeſtatem beneficiandi; eſtque ſaltem irritanda promotio illius, qui deditus eſt gravibus peccatis cum animo in iis perſeverandi: eſſet enim ſcandalum talem adhibere aut relinquere in miniſterio ſacro, Navar. Az. Caſtrop. *t.* 13. *d.* 4. *p.* 5. Imò ſi ſecuta erat infamia, hæc potuit reddere irregularem & inhabilem ideoq; irritare proviſionem, ſecundùm dicenda n. 787. Delicta autem, quæ ſecundùm dicenda à nu. 940. inducunt privationem beneficii, multò magis impediunt proviſionem beneficiandi. V. Leur. *p.* 3. *qu.* 356.

§. 2. Præſentatus invalidè ob crimen, ſi ſe emendarit, poteſt denuò præſentari, ſaltem accedente diſpenſatione Superioris, Abb. Laym. Leur. *p.* 2. *q.* 168.

786 *Q.* 110. *Quænam infamia obſit beneficiando?* R.

§. 1. Quid ſit fama, & infamia, dixi, l. 3. p. 2. nu. 1191. Eſt autem duplex fama, alia de homine, alia inter homines: *fama de homine* eſt illæſæ dignitatis ſtatus moribus, & vita comprobatus, cap. *cognitionum*, ſ. *Exiſtimatio* ff. De variis & extraord. cognit. *Fama inter homines* eſt communis opinio voce manifeſtata, ſol[illegible]e dici vox populi ſeu pica rei geſtæ, uti ait Baldus. Diff[illegible]rumore, quòd hujus neſciatur author ſitque particularis proclamatio, & facilè deficiat, fama autem habeat authorem, ſit communis proclamatio, & creſcat eundo. Utraque fama tum dicitur *publica*, quando jus vel factum per eam redditur notorium, id eſt, tranſit ad notitiam majoris partis communitatis, nam per majorem partem repræſentatur totus populus, *l. Nulli*, & *l. Planè*, ff. Quòd cujuſcunque univerſ. nom. Notorium autem eſt vel *juris*, quod provenit ex judiciali confeſſione, probatione aut re judicata; vel *facti*, cujus teſtis eſt populus, ita ut diſſimulationi non ſit locus; vel *præſumptionis*, ſi ex circumſtantiis publicis à jure acceptetur pro veritate. Ad notorium requiritur ſcientia viciniæ vel majoris partis ipſius, dummodò, inquit Abb. in cap. *De manif.* 2. q. 1. non ſint minùs quàm 10. perſonæ in loco, unde ubi non ſunt 10. perſonæ, non poteſt oriri notorium, uti fatetur Bart. in cap. *Scriptus*, n. 2. v. *Quid ergo*. Vide dicta l. 3. p. 2. n. 1219. ubi magis particulariter id explicatum eſt. Similiter infamia alia eſt *juris*, ſi ſecundùm leges inducatur per ſententiam, & ita lex reddit ſodomitas infames, licèt crimen divulgatum non ſit, Jaſon & alii cum Leur. *p.* 1. *q.* 339. Alia *facti*, ſi ex facto ipſo independenter ab omni lege humana exurgat apud bonos, & graves homines, rectè enim notant Sanch. & Garc. *p.* 7. *c.* 8. *nu.* 12. ex cap. *Qualiter & quando*, 24. De accuſ. & cap. *In cunctis* 11. q. 3. eum non eſſe infamem, cujus fama læſa eſt tantùm apud maledicos, mulieres, pueros, leves perſonas: etiam rectè notat Abb. in cap. *Inquiſitionis*, num. 6. & colligitur ex cap. *Ubi periculum*, de elect. in 6. in majoribus criminibus ad infamiam requiri majorem numerum perſonarum, quæ ſciant; & adhuc multò majorem numerum ad infamiam perſonæ publicæ quàm privatæ.

§. 2. Infames infamia facti ex delicto notorio non debent 787
provideri: proviſio tamen eorum non videtur ipſo jure irrita ſed irritanda, quando ſufficienter conſtabit de delicto; hinc ſi Presbytero adultero, & de adulterio infamato etiamque punito fiat collatio, debet ſaltem irritari: ac idem eſt, ſi de eo ſit vehementiſſimè ſuſpectus. Leſſ. in auct. v. *Beneficium*, caſ. 5. Infames infamia juris, ſi non ſint declarati per ſententiam, licèt provideri non debeant, tamen proviſio eorum non eſt irrita ipſo jure, & ſi confirmetur, antequam proviſus decernatur infamis, proviſio rectè eſt confirmata, licèt ob delictum poſteà puniri poſſit etiam privatione beneficii, ſed ſi infamia eſt latæ ſententiæ, proviſio infamati eſt ipſo jure nulla, quamvis ante declarationem ſit tolerata ab Eccleſia; & ideò acta per juriſdictionem talis proviſi valent ex titulo publici officii, attamen per ſubſequentem declarationem criminis infamantis, ipſo jure ruit proviſio & confirmatio, ſuntque irrita omnia acta proviſi privata & non provenientia ex officio. Quòd ſi quis infamis provideatur poſt ſententiam declaratoriam criminis cui annexa eſt infamia ipſo jure, proviſio eſt nulla, nec toleratur, ſed omni effectu caret. Ita de electione Paſs. *c.* 25. *nu.* 595. quod ſimiliter valet de aliis proviſionibus; poſſuntque hæc videri per partes explicata apud Leur. *q.* 340. & ſeqq.

§. 3. Putant Nav. Rodriq. Mirand. & alii cum Barb. *De* 788
Pot. Ep. alleg. 43. *num.* 30. Epiſcopum aut Prælatum poſſe cum ſubdito beneficiando diſpenſare in infamia, ſed dicendum eſt tantùm poſſe diſpenſare in effectibus, quos cauſat infamia, nam infamia facti, quamdiu non purgatur, eſt impedimentum quaſi de jure naturæ excludens à beneficio, uti rectè Paſs. *num.* 540.

Q. 111. *Quid addendum ſit circa ſcientiam, peritiam linguæ gradum quandoque prærequiſitum in beneficiando?* R. Seqq.

§. 1. In genere, tanta requiritur ſcientia, quæ cum ordi- 789
nariis auxiliis divinis, & conſiliis humanis ſufficiat ad prudenter exequendum officium dignitati vel beneficio annexum, alioqui tam promovens quàm promotus peccat mortaliter, Suar. Mirand. Garc. Leur. *p.* 1. *q.* 242. ubi in qq. ſeq. declarat in ſpecie, quæ ſcientia requiratur ad Clericatum, beneficium ſimplex, Dignitates, Canonicatus, Parochiam, Abbatiam, Epiſcopatum; & ſi horum omnium promotio fiat cum defectu ſcientiæ, non eſt ipſo jure irrita ſed irritanda, Leur. *q.* 249. hinc ſi titulum beneficii obtinuerint, non tenentur fructus interea perceptos reſtituere; promotores tamen tenentur reparare damna ideo cauſata Eccleſiæ, Nav. Az. Leſs. Garc. *p.* 7. *c.* 7. *nu.* 26. Quòd ſi quis nequidem ſciret legere latinè, illius præſentatio ad beneficium eſt ipſo jure irrita, arg. cap. ult. *De temp. ord. in* 6. quia, uti dicitur Cap. *Illiteratos*, diſt. 36. *litteris carens, ſacris non poteſt eſſe aptus Officiis*. Si autem legere, & ſcribere ſciat, ſed non intelligat, eſt irritanda, imò eſt irrita, ſi ſit beneficium curatum vel Cathedrale, Laym. Leur. *p.* 2. *qu.* 163. Et defectum omnis litteraturæ eſſe juris divini ac omninò indiſpenſabilem putant Felin. Maj. Turrecr. Pariſ. apud Leur. *p.* 3. *q.* 358. poteſtque etiam de hoc videri p. 1. q. 257. Et ubi neſcitur de ſcientia vel litteratura ſufficiente, promovendus tenetur eam probare acceptato examine, Lott. Leur. *p.* 1. *q.* 251.

§. 2. Ignorans idioma loci, eſt per Reg. 19. Cancel. inca- 790
pax beneficii curati in tali loco, cùm debeat etiam verbo paſcere gregem, niſi fortè Papa conferens, v.g. Epiſcopatum, & hoc ſciens, cenſeatur diſpenſare. Idem tenent Gom Chok. & alii de Vicariis perpetuis, Beneficiis electivis, Commendis, ſi ſint beneficia curata, non autem ſi curata non ſint. V. Leur. *p.* 3. *q.* 354. ubi etiam notat in quibuſdam Regnis non poſſe conferri exteris, licèt idioma noverint.

§. 3. Pro Cathedralibus Eccleſiis requiritur gradus Docto- 791
ris

ris vel Licentiati in Theologia aut jure Canonico, vel ſaltem publicum alicujus Academiæ teſtimonium de idoneitate ad alios docendos, 1. Ad Epiſcopatum: 2. Ad Scholaſteriam, ubi Seminarium eſt, nec inſtituti ſunt alii præceptores, Trid.ſeſſ. 23.cap.18.de Ref. 3. Ad Archidiaconatum habentem annexam curam animarum vel Juriſdictionem, Trid.ſeſſ.24.c.12.addens tamen, *Ubi id fieri poteſt*. 4. Ad Archipresbyteratum, cui annexa eſt Juriſdictio, Barb.ad Trid.ſuprà. 5.ad Canonicatum, cui annexus eſt pœnitentiariatus, Trid. addens tamen poſſe eſſe alium, qui aptior pro loci qualitate reperiatur. Hortatur etiam Trid. ut Decani aliique dignitatem habentes, item media ſaltem pars Canonicorum in Cathedralibus & inſignibus collegiatis ſit graduata, id tamen nõ præcipit, Barb.Garc.Lott.Leur. *p.1.qu.*252. Vide etiam Menochium de arbitr.judic.caſ.425.

792 §.4. Debet ille gradus eſſe ſuſceptus in publica Univerſitate ſtudii generalis, Lott.*l.3.q.7.àn.*123. Quamvis autem mens Trid. ſit, ut non adſit tantùm gradus, ſed etiam competens ſcientia, Lott.*àn.*50. ſi tamen quis habens gradum careret ſcientia, validè provideretur, Az.Barb.Garc.Caſtrop.*t.*13.*d.*4.*p.*6. *num.*19. nec privari poſſet vi legis poſitivæ, nam obſervata eſt per ſuſceptionem gradus, Paſſer.De Elect.cap.25.nu.36.Quòd ſi gradus ſuſceptus ſit irritus, quia neglectum eſt aliquid ad valorem præmittendum, proviſio etiam irrita eſt ipſo facto, Az. Garc.Caſtrop.Leur. *q.*254.putat tamen Sanch.in Conſ.l.2.c.1. d.57. ſi quis contrà ſtatuta Univerſitatis, v.g. fieret Magiſter artium, antequam eſſet immatriculatus, vel Baccalaureus, ſi reliqua haberet, non peccaturum graviter, neque Magiſterium ideò fore irritum.

793 §.5. Si expreſsè non dicatur, quòd gradus debeat eſſe ante ſuſceptus, uti ſi fundatio ſic habeat. *Hoc beneficium non conferatur niſi Doctori Theologiæ*, non eſt opus, ut talem gradum priùs habeat, ſed ſufficit, ut tempore proviſionis ſit habilis ad illum ſtatim comparandum, cum obligatione comparandi, Leſſ.*l.2.c.34.n.*106. Ratio eſt, quia præſumitur talem fuiſſe mentem fundatorum, cùm gradus actualis non faciat idoneum: & alioquin ſæpè excluderentur digniores, qui fortè gradum actu non habent. Et quando dicitur, ut gradus aut certus Ordo ſuſcipiatur intrà annum, tempus non currit niſi à die obtentæ pacificæ poſſeſſionis, quia incertus de Beneficio exponi non debet periculo perdendi ſumptus aut ſubeundi onera ſine beneficio, Luca *d.*42.*n.*12.

794 *Q.*112. *Quid addendum ſit circa ætatem requiſitam ad Beneficia?* Reſp.ſeqq.

§.1. Certa ætas non requiritur ad Capellanias laicas aliaſque etiam pias diſpoſitiones, quæ non ſubjiciuntur poteſtati Superioris Eccleſiaſtici, uti dictum eſt *n.*235. Nec ad penſiones, niſi per accidens ſeptennium, ſi debeat eſſe Clericus, Luca de benef.d.95. Etiam ad Papatum non requiritur certa ætas, Caſtrop. *t.*13.*d.*4.*p.*3.*n.*1. Ad Cardinalatum ſufficit ætas neceſſaria Ordini annexo, & hoc tantùm ex decentia, quia Papa poteſt, etiã rationabiliter, in ætate minore creare Cardinalem, Barb.Caſtr. Leur.*d.*1.*q.*221. Ad Epiſcopatum requirit Trid.ſeſſ.7.cap.1. de Ref.ex cap.*Cum in cunctis*, de elect.annum 30.completum, ſed in regno Galliæ ex Concordatis cum Leone X.ſufficit, ut Epiſcopus eligendus inchoarit 27.annum, Caſtrop.*nu.*2.

795 §.2. Ad omnia beneficia etiam ſimplicia requirit Trid.annum 14.inceptum, Nav.tamen apud Dian.*p.3.tr.6.R.*64.dicit Trid.non eſſe intelligendum de beneficiis juris patronatus cùm in odioſis non veniant nomine beneficii, ſed paſſim, & meritò, rejicitur, nam ſunt verè beneficia. Ad principaliter curata requiritur vel actu Sacerdotium cum ætate ordinariè requiſita ſuſceptum, vel ſaltem illa ætas, qua ſuſcipitur Sacerdotium, cum obligatione intrà annum ſuſcipiendi, ætas autem illa eſt annus 25.inchoatus, Leſſ.*l.2.c.*34.*n.*108. Caſtrop.*n.*12. Garc.Corr.Lott.Leur.*p.2.q.*161. aliique 20. AA.cum Barb. de poteſt Ep.alleg.60.n.81.& de Off.Parochi cap.5.nu.2. habeturque expreſsè in cap. *cùm in cunctis*, de elect. Ratio petitur ex Trid.ſeſſ.23. ubi poſtquam de Ref. c.6. dictum eſſet neminem etiam prima tonſura initiatum poſſe obtinere beneficium etiã ſimplex ante annum 14. additur c.12. ſic: *Nullus impoſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante* 22.*ad Diaconatus, ante* 23.*ad Presbyteratus, ante* 25. *ætatis ſuæ annum promoveatur*, jam verò beneficia principaliter curata prærequirunt eſſe Presbyterum, vel ſaltem habere ætatem Presbyteri, & obligationem intrà annum ſuſcipiendi Presbyteratum. Idem eſt de Vicariis perpetuis Eccleſiarum Parochialium, Az. Caſtrop. Si autem cura ſit tantùm acceſſoriè annexa, ſufficit illa ætas, quæ pro beneficio neceſſaria eſt, Luca, Leur.*p.1.q.*218. Quòd ſi aliquis de beneficio curato proviſus impediretur, quominus poſſet intrà annum fieri Sacerdos, non ideò privatur beneficio, cap.*commiſſa*, de elect.in 6 Barb.*n.*84.

796 §.3. Ad dignitatem Epiſcopatu inferiorem, ſi ſimul habeat curam animarum, uti habent quidam Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Generales Ordinum, Provinciales, Priores Conventuales, requiruntur 25. inchoati, Suar. A. Tamb. Paxiord.Leur.contrà Nav. Bald. Lez. requirentes 30. annos. Ad verum Abbatem (cujus ſigna ſunt prærogativa in Choro & Capitulo ac adminiſtratio cum juriſdictione) in jure non ſtatuitur certa ætas, communiter tamen poſtulantur 25.anni. Ad Abbatiſſam olim requirebantur 40. nunc 30.completi, Feneck.*de benef.c.*34. Si autem non ſit verè Abbas aut Abbatiſſa, ſed tantùm nominetur, ſufficit ætas, quæ ad beneficia ſimplicia; Leur.*q.*223.224. de dignitatibus apud Moniales vide Leſſ.*num.* 107.& Caſtrop.*num.*4.

§.4. Ad Canonicatum qualificatum, qui in Cathedrali 797
vel etiam Collegiata dicitur curatus, quia illi ſpecialiter actu vel habitu incumbit Cura animarum, requiritur annus 25. inchoatus; ad eum autem, qui dicitur pœnitentiarius, requiritur 40.Luca ſuprà; ſufficere autem eſſe inceptum dicunt Az. & Caſtrop.*n.*17.ſed alii cum Leur.*q.*219.requirunt completum. Quòd ſi talis non adeſſet, qui foret aptus, poterit è dioeceſi aſſumi aptus etiam ſine ea ætate, aut extrà dioeceſin accerſiri alius habens eam ætatem, Caſtrop.Leur.

§.5. Si diſtributio Ordinum præcepta per Trid. ſit facta in 798
aliqua Eccleſia, requiretur ætas ad Ordinem Canonicatui annexum neceſſaria; ſi diſtributio illa non ſit facta, ſuſtinent aliqui ſufficere annum 14. inceptum, ſed pro Cathedralibus declarationes dicunt requiri eam ætatem, ut proviſus poſſit intrà annum promoveri ad Subdiaconatum, quod Luca De Canonicis d.5.nu.2. defendit, etiamſi nullus Ordo ſit annexus tali Canonicatui: in Germania tamen ex univerſali conſuetudine, permittente Papa, ſolent etiam ſine diſpenſatione & derogatione Trid.tales Canonicatus conferri ingreſſis annum 14. Luca *de benef.d.*95. Leur.*qu.*213.

§.6. Ad dignitates in Cathedrali vel perſonatus non ha- 799
bentes Curam animarum non requirentes Sacerdotium ſufficit 22.annus, ſecundùm multos cum Azor.& Barb.de Poteſt.Epiſ. alleg.60.nu.66. inchoatus, ſed ſecundùm Henriq.Leſſ.Garc. Caſtrop.*n.*10.Leur.*qu.*216.*n.*1.completus, quia Trid.dicit non debere eſſe minores 22. annis, qui autem non complevit, eſt minor: an verò etiam comprehendantur Præpoſitura & Decanatus, videri poteſt Garc.*p.*7.*c.*4.*n.*73.& Leur.ſuprà. Ad ſimiles dignitates, & perſonatus in Eccleſia collegiata plures cum Barb. *n.*67. & Luca ſuprà dicunt non requiri annum 22. ſed ſufficere 14 ſed Garc.& alii cum Caſtr.*n.*7.tenent oppoſitum, quia Trid. ſic habet, *In Eccleſiis præſertim Cathedralibus*, Tò *præſertim* autem includit alias præter Cathedrales.

§.7. Non ideò requiritur annus 25. ad Canonicatus, quia 800
Eccleſiæ vel capitulo annexa eſt Cura: nam hæc non eſt penes ſingulos, ſed penes unum ſpecialiter deſignandum, Luca ſuprà. Pro cæteris Canonicatibus Eccleſiarum Collegiatarum & dimidiis portionibus Cathedralium ſufficit annus 14. inceptus, Garc.Barb.Caſtrop.*àn.*18.Leur.*q.*212. Commendæ Eccleſiaſticæ regulantur uti beneficia, Luca ſuprà; item Coadjutoriæ, inquit Caſtrop.*n.*13. eadem enim ætas, quæ in Principali requiritur & ſufficit, etiam poſtulatur ad Commendam & Coadjutoriam.

§.8. Cùm Trid. ſtatuat, ut providendus ſit in Ordine, qui 801
tali beneficio eſt annexus; vel in ætate tali, ut infra annum poſſit eum ſuſcipere, dubium eſt, an pro beneficio v.gr. Subdiaconali ſufficiat te compleviſſe annum 20. & incepiſſe 21. affirmant Abb.Fagn.Ugol.Pariſ.Ricc.Paſſ.Barb.Gonz. Lay. Leur. *q.*215.item Az.& Leſſ.*nu.*110. quia poſt annum habilis es pro illo Ordine, quod tantùm requirit Trid. E contrà negant Garc. *ànu.*22. Paxiord.Caſtrop.*nu.*16. & dicunt ad tales Præbendas requiri actu ætatem, quæ capax ſit Ordinis annexi recipiendi, cum obligatione illum recipiendi intrà annum, ſicuti in beneficiis Parochialibus, quamvis non ſit obligatio niſi intrà annum ſuſcipiendi Sacerdotium, tamen requiritur actu ætas Sacerdotio apta, ſecundùm dicta n.795.

§.9. Si fundatio requirat, ut beneficiandus habeat ætatem 802
pro Presbyterio, quamvis per diſpenſationem fiat Presbyter ante ætatem, non eſt capax beneficii ſed inhabilis defectu ætatis, Garc.*n.*82. Caſtrop.*n.*21. E contrà ſi fundatio dicat ut ſit Presbyter, ſatis eſt eſſe per diſpenſationem Presbyterum ante ætatem, Butrio, Leſſ.in auct. v.*Beneficium* caſ.2. Vide dicenda n.822.

§.10. Hactenus dicta intelligi debent de beneficiis ſecun- 803
dùm ſe & nunc poſt Trid. nam fundatis ante Trid. non eſt derogatum. Et etiam nunc, ſi aliter diſponatur in fundatione, Trid. non obſtat, Garc.Caſtrop.*n.*19.Corr.*l.4.c.6.n.*23.Leur.*p.2.qu.* 160.*n.*2. unde ſi fundator nunc velit ſufficere ætatem minorem, admitti poteſt ejus voluntas, ſecundùm dicenda n.808.

§.11. Ætas requiſita debet adeſſe, non tantùm tempore 804
collationis, ſed etiam tempore electionis, præſentationis, impetrationis, quibus jus ad beneficium acquiritur; imò putant Vaſq.Garc. aliique cum Caſtrop. debere adeſſe tempore, quo te, v.g. ad concurſum ſiſtis, alioquin inhabilis poſtulas beneficium; ſed oppoſitum videtur probabilius, nam per examen vel concurſum non confertur jus ad beneficium, ſed tantùm fit experimentum de majore dignitate; nec petis beneficium, niſi pro tempore, quo eris habilis. Idem eſt, ſi quis, dum

reſignatio fit in ejus favorem, non habeat Clericatum vel ætatem, ſatis eſt enim habere, quando à Papa Romæ ſubſignatur ſupplica, quia tunc priùs acquiritur aliquod jus. Similiter non eſt opus te ætatem habere, quando impetras Reſcriptum gratiæ ad Beneficium proximè vacaturum, ſed ſufficit habere in tempore executionis, Laym.Leur.*p.*1.*q.*212.

805 §.12. Si vel minimum deſit ætati, obſtat valori proviſionis vel præſentationis Nav.Sanch.Garc.*nu.*84. Si tamen patronus aliquem preſentet per literas, ſatis eſt hunc habere ætatem, dum litteræ perveniunt ad illum, cui præſentatur, Rodriq. Vega apud Garc.*nu.*88.

806 §.13. Gl.ad Reg.17.Cancel. & Sfortias dixerunt numerationem ætatis inchoari poſſe à die conceptionis, quando eſt favorabile proli ſic numerari, ſed Covarr.& Sanch.in Decal.l.4. cap.35.n.4. dicunt nihil in hac re faltius dici poſſe, cùm generali uſu receptum ſit ubique, ætatem à die nativitatis numerari; conſentit Garc.*num.*89. citans Mol. & Mandoſ. Ratio autem eſt, tum quia homo per conceptionem necdum cenſetur eſſe in mundo, ſecundùm illud Chriſti Joan.16.v.21.*Cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ, quia natus eſt homo in mundum*, tum etiam, quia dies conceptionis & animationis nimis ignotus & incertus eſt; neque eſt idem tempus remanſionis in utero quoad omnes, ergo à termino ignoto, & ita incerto malè numeraretur ætas: Imò Gonz. & Corr.*n.*22. docent ætatem quoad beneficialia numerandam eſſe à die Baptiſmi, quia per hunc prius naſcitur homo in Eccleſia & in ordine ad ſpiritualia, ſecundùm illud Chriſti, Joan.3.v.7.*Oportet vos naſci denuò*, & v.5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, adducitque pro hoc communem uſum totius orbis, quia ætas probatur per teſtimonium Baptiſmi, etiam ſecundùm plures deciſiones Rotæ, quas refert. Nihilominus alii cum Sanch.in Conſ.l.7.c.1.d.33.n.8.dicunt etiam in ordine ad ſpiritualia numerari poſſe à die nativitatis, ſic enim Judæus quinquagenarius, ſi heri ſit converſus & baptizatus, utique hodie eſt capax tonſuræ, & cras Beneficii, quantùm ad ætatem, quod autem petatur teſtimonium Baptiſmi ad probandam ætatem, inde eſt, quia ex illo poſſumus circiter conjicere de nativitate, aut ſaltem numerando à Baptiſmo habemus tempus ætatis ſufficiens.

807 §.14. Epiſcopus, per ſe loquendo, nequidem ad unum diem poteſt diſpenſare in hac ætate, etiamſi Beneficium ſit ſimplex nec requirens ullum Ordinem, Laym. Az. Leſſ. Garc. Barb. *de off. Paroch.c.*2.*n.*6. Caſtrop.*n.*20. Leur.*q.*217.*&* 228. Poſſunt tamen per ſpeciale privilegium aliqui Epiſcopi diſpenſare infra annum, id eſt, pro anno, minus uno die, pro ſuſcipiendis Ordinibus, ſed ſic diſpenſatus non eſt capax Beneficii curati, niſi etiam attigerit annum 25. quamvis anno 24. incepto ordinatus eſſet Sacerdos uti dictum eſt nu.795. docentque Corr.*l.*3. *c.*7.*num.*5. & alii paſſim cum Leur.*q.*217.*n.*3. An autem diſpenſatus in ætate ad Sacerdotium, ſit capax Beneficii Sacerdotalis, dicetur n.822.

808 *Q.*113. *Quid notandum ſit circa varias conditiones, & clauſulas fundationum?* R.Seqq.

§.1. Fundator poteſt in limine fundationis addere conditiones etiam contrarias juri communi, quæ tamen, ut obligent, admitti debent ab Epiſcopo, Inn.Felin.Abb.Lamb.Lott.Piaſ. *p.*2.*c.*3.*a.*5.*n.*5. Luca *de Benef.d.*61.*n.*2. Leur.*p.*1.*q.*28. Et ſi ab Epiſcopo admiſſæ ſint, obligant, Luc.de Canon.d.36.n.6.de Jurepatr.d.45.n.10.& d.70.n.13. Non debent tamen eſſe nimis difficiles, nec turpes, nec contra finem ſeu ſubſtantiam Beneficii, nec contra jus naturale vel divinum, juri autem humano derogatur ex conceſſione Eccleſiæ, Lamb.Lott.Leur.*q.*29.*&* 30.Sic apponi poteſt in fundatione, ut quis præſentari poſſit ad Beneficium necdum vacans, Rota, Corr.Leur.*p.*2.*q.*99.*nu.*5. Item ut liceat per annum, abeſſe ultrà tres menſes, Corr.*l.*2. *c.*14.*nu.*46. Item ut inſtituens in Beneficio ſit, non Epiſcopus, ſed alia perſona Eccleſiaſtica, uti dictum eſt nu.361. Item ut laicus ad tempus habeat beneficium, ſecundùm dicta n.274. Item ut Clericus ſeptem annorum habeat Beneficium, nec obligetur ad Horas ante 12.ſecundùm dicenda nu.1198. Item ut quis hoc Beneficium retinere poſſit cum alio etiam incompoſſibili, uti dicetur n.905.Item ut habens tantùm 14.annos obtineat Beneficium ſacerdotale, faciatque Miſsas celebrari per alium, Lott.Leur.*q.*160.*num.*1. Item ut ſi deficiant proventus, onera, etiam Miſsarum, reduci poſſint ab Epiſcopo, uti habet S.Congreg. apud Gob. *in Exp.t.*3.*num.*536. Non obſtantibus illis, quæ dicemus n.854.An autem admitti poſſit fundatio patronatus Eccleſiaſtici excludens Papam ab alternativa, videri poſſunt dicta nu.514. Notant autem Luca, Corr.& alii cum Leur.*num.*2. nunc poſt Trid.requiri, ut in limine fundationis fiat ſpecialis mentio de tali exorbitante conditione. Quòd ſi fundator aliud non expreſſerit, cenſetur voluiſſe conformare ſe juri communi, Fagn.in cap. *Ut Abbates*, de ætat. & qualit.ordin.n.98.

809 §.2. Illicitum eſt dare bona ſua Eccleſiæ, cum pacto, ut dans illa retineat pro Præbenda, & in Canonicum admittatur, quia eſt emptio rei ſpiritualis pro pretio, ideoque ſimonia juris naturæ, ſecundùm dicta l.3.p.1.n.86. poteſt tamen quis bona dare & eam gratiam petere: & ita refert Lugo in Reſp.mor.l.5. d.15.n.10. acceptatos eſſe annuos redditus 300.aureorum oblatos ab eo, qui petebat Epiſcopatum titularem nullos fructus afferentem, non quòd illis redditibus emeretur Epiſcopatus, ſed ut eſſet conditio ad juſtificandam cauſam erigendi & ei conferendi Epiſcopatum, ſic enim fiebat dignior gratia, ſicuti laico fundanti beneficium datur jus patronatus, quo reddit ſe dignũ per fundationem Beneficii. Item ſicuti multæ indulgentiæ vel diſpenſationes conceduntur ſub conditione dandi eleemoſynam vel aliquid ad pium opus, quæ datio complet cauſam dandi, reddendo dantem dignum tali gratia.

§.3. Quamvis conditiones, quæ per ſtatuta Capitulorum 810
vel aliunde extrinſecè adveniunt Beneficio, aut etiam per Canones præſcribuntur, non videantur eſſe adeò ſubſtantiales, tamen conditio, quæ nititur voluntate fundatoris, omninò ſubſtantialis eſt, uti patet ex illis, quæ habet Corr.*l.*2.*c.*10.*àn.* 144.*&c.*12.*àn.*30. quia hic noluit alium eſſe capacem; hinc proviſio aliter facta videtur invalida, ſed dato eſſe validam, tamen ſi aliquis per fundationem in individuo determinatus excludatur, qui erat certò obtenturus Beneficium, huic facta eſt injuria, & eſt obligatio reddendi Beneficium, ac compenſandi damna, quia per fraudem impeditus eſt à conſecutione boni illius. Si autem nullus determinatè erat certò obtenturus adhuc dimitti debet Beneficium, ut conferatur ſecundùm legem fundationis, & reſtitutio facienda pauperibus vel piæ cauſæ. Quòd ſi habentes jus per fundationem reſciant & non contradicant, cenſentur conſentire. Si tamen conditio talis requiſita eſſet ob majus bonum Eccleſiæ vel communitatis, uti ſi requiratur Doctoratus, tunc proviſio facta non Doctori eſt invalida, licèt nullus Doctor contradicat, Cened. Gutt. Garc. *p.*7.*c.*15.*àn.* 11. Caſtrop.*t.*13.*d.*4 *p.*9.*n.*4. Leur.*p.*2.*q.*762.

§.4. Quid fieri debeat, quando fundatio requirit, ut pro- 811
videndus ſit certo loco natus; Item ut ſit civis certæ urbis; Item ut ſit conſanguineus; & an tunc conferri debeat proximiori, aut etiam conferri poſſit illegitimo, dictum eſt à n.323. Quando autem fundatio dicit, ut aliquid fiat cum aut ex conſilio, cum conſenſu, interventu, ſcientia, ſupplicatione alicujus, quid tunc fieri debeat, dictum eſt à n.386.

§.5. Si fundatio dicat, aſſiſtat choro, ad hoc videtur te- 812
neri ex juſtitia, uti ex juſtitia tenetur legere Miſsas præſcriptas, nempe ex vi contractus, *do, ut facias*, quem cum eo inivit fundator. Si autem fundatio dicat, ut in neceſſitate juvet Parochum per neceſſitatem non videtur intelligi magnus concurſus populi, ſed tantùm neceſſitas, quæ eſt, ſi Paſtor ſit æger vel abſit aut aliter non poſſit miniſtrare Sacramenta, in tali autem concurſu poteſt ſaltem cum aliis adjutoribus; & per accidens eſt nunc ita confluere populum: ita cenſuerunt duo viri docti à me interrogati. Denique ſi non adſit habens qualitatem à fundatione requiſitam, poteſt quivis alius provideri, prout magis accedet ad mentem fundatoris ſecundùm alias conditiones vel qualitates.

*Q.*114. *An beneficiatus in Cathedrali vel Collegiata tenea-* 813
tur officia hebdomadaria aliaſque functiones ſuo Beneficio annexas per ſeipſum præſtare in Eccleſia? Reſp. Affirmant Zerol. Garc.*p.*3.*c.*2.*àn.*494. Corr.*l.*2.*c.*14.*n.*45. quia ſic præcipit Trid. *De Ref.ſeſſ.*22.*c.*4.*&ſeſſ.*24.*c.*12. Ideoque dicunt multi peccare mortaliter, ſi in hoc notabiliter deficiat; ſed non credo Trid. in tanto rigore eſſe ubique in uſu, cùm plurimi per ſubſtitutos faciant: ſi tamen quis faciat per ſeipſum, & in eadem Eccleſia habeat dignitatem cum Beneficio, hæcque dignitas ac Beneficium maneant duo Beneficia, aut ſint unita principaliter, præſtari debent utraque onera & officia annexa, niſi eodem tempore concurrant, tunc enim unum peragi debet per ſubſtitutum. Et idem eſt, ſi unum ſit alteri tantùm ad vitam poſſidentis acceſſoriè unitũ, quia etiam tunc manent duo Beneficia: ſi tamen in perpetuum ſint acceſſoriè unita cum extinctione inferioris tituli, tenetur tantùm ad onera dignitatis. V.Leur.*p.*1.*q.*419.

*Q.*115. *Quid notandum ſit circa Beneficium requirens* 814
Sacerdotium, & quæ tunc ſint obligationes? Reſp.

§.1. Si verba requirentia Sacerdotium ſint negativa, v.g. *Nullus, niſi qui actu ſit Sacerdos, habeat Beneficium*, debet priùs eſſe actu Sacerdos, quàm obtineat Beneficium, uti habet communis contra Gonz. Si ſint affirmativa, v.g. *Inſtituatur Sacerdos, qui Miſſas celebret*, graves DD. putant ſufficere, quòd ſit Clericus aptus fieri Sacerdos, quia videtur tantùm ſignificari, quòd debeat eſſe Sacerdos, quando Miſsæ erunt ex obligatione Beneficii celebrandæ: Alii cum Caſtrop.*t.*13.*d.*1.*p.*6.*nu.*12.& Leur. *p.*1.*q.*102.*num.*1. dicunt prærequiri Sacerdotium, quia aliàs non habet qualitatem requiſitam, nam eſſe aptum ad Sacerdotium non eſt ſimpliciter eſſe Sacerdotem; Gonz. Garc. *p.* 7.*c.*1.*n.*58. Luca *De Benef.d.*96.*nu.*18. tenent ſufficere Sacerdotium aptitudine, ſi requiratur per legem, uti eſt in Beneficiis parochialibus; ſi autem requiratur per hominem, uti eſt in fundationibus, tenent requiri Sacerdotium actu.

§.2. Si

815 §.2. Si verba dicant, *Inſtituatur, qui Miſſas celebret*, plerique dicunt ſatis eſſe & requiri, ut ſit Clericus aptitudine, ac voluntate Sacerdos; Az.putat, ſi fundator fuerit laicus, debere eſſe actu Sacerdotem, quia laici non examinant ſed ſupponunt ineſſe qualitates requiſitas; & videntur conſentire Garc. Leur.*qu.*313. E contrà Felin.Gonz.Barb.Garc.Lott.Caſtrop.*n.* 18.Leur.*qu.*102.*num.*2. probabiliter dicunt ſatis eſſe, quòd ſit Clericus, quamvis nec actu nec aptitudine proxima ſit Sacerdos, dummodò ſit 14.annorum, quia poteſt per alium Miſſas celebrare. Idem tenet cum aliis Gob. *in Exp.t.3.num.*574. & etiam plures cum Luca *d.*58.*n.*2. docent beneficia non ideò debere cenſeri ſacerdotalia, quòd habeant annexum onus celebrationis Miſſarum, cùm hoc expleri poſſit per alium, uti dicetur n.817. Idem docet d.61.num.8. & d.96.num.4. ubi nu.12. notat, quòd nomine Presbyteri etiam aliquando ſignificetur Clericus conſtitutus in Minoribus, ſed ante omnia attendendum eſt, ubi & à quo conceptum ſit inſtrumentum fundationis, & quid ſecundùm morem loquendi cenſeri poſſit intelligi per talia verba: hinc rectè dicit Leur.*qu.*312. nunc per Presbyterum intelligi Sacerdotem, quamvis Presbyter de ſe ſignificet tantùm ſeniorem.

816 §.3. Si requiratur Sacerdotium actu in eo, qui beneficium obtinebit, adhuc dubium eſt, an præſentandus debeat eſſe actu Sacerdos, & hoc colligendum eſt ex verbis, quæ ſi reſpiciant actum præſentationis, v.gr. *Præſentetur Sacerdos, qui Miſſas celebret*, prærequiritur Sacerdotium; ſi reſpiciant potiùs officium præſentati, v.g. *Præſentetur, qui Miſſas perſe celebret*, aut ſi fundator ſimiliter dicat beneficium eſſe ſacerdotale, ſatis eſt tum habere annum 25. & intrà annum fieri Sacerdotem, Garc.Corr.Lott. Eſtque perinde quoad hoc, ſive fundatio ſit laica ſive eccleſiaſtica, Garc.Lott.Leur.*p.2.q.*162.

817 §.4. Si verba requirant, ut providendus celebret Miſſas, ſed non exprimant, ut *per ſeipſum*, poteſt ſemper per alium, quia poteſt quis per alium, quod poteſt per ſeipſum; & qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſeipſum; Reg.68.& 72.Juris in 6.Bon.Dian.Caſtrop.*n.*18.Luc.ſupra, Lugo *in Reſp. mor.l.5.d.9.n.9.* Et univerſim quando in his & ſimilibus dubiis eſt de mente fundatoris, eſt maximè attendendum ad circumſtantias, de quibus Luca *d.96.n.*10. & ad obſervantiam temporis præteriti, Lugo *d.6.n.9.* & Luca *n.*8. Vide Leur.ſupra, qui rectè notat, ubi mens fundatoris eſt clara, non debere attendi ad obſervantiam contrariam, cùm nequidem Papa præſumatur velle tollere leges fundationis.

818 §.5. Quamvis verba dicant, ut talis providendus fiat Sacerdos, & perſonaliter reſideat, adhuc dubium eſt, an teneatur celebrare per ſeipſum, nam non eſt certum plùs inde colligi, quàm deſiderium fundatoris, ut aptus ſit celebrare per ſeipſum, & ita reſolvit S.Cong.teſte Lugo *n.*10. Putant tamen Garc.Fill. Leur.*p.1.q.*102.*n.*4. ſi præter onus Miſſarum ſit annexum onus juvandi Parochum in cura aut choro, teneri ad Miſſas per ſeipſum, quia videtur exigi ſervitium perſonale.

819 §.6. *Si ex fundatione ſit cautum, ut Capellanus per ſeipſum celebret Miſſas, ſimplici adhuc conferri poteſt clerico in ea ætate conſtituto, ut intra annum ad Sacerdotium promoveri queat.* S.Congreg.Nav.Gonz.Garc.Leur.*n.*3.

820 §.7. Si obligetur celebrare per ſeipſum, & legitimè impediatur, non tenetur ſubſtituere alium, qui pro ſe ſuppleat: ſi obligetur celebrare per ſeipſum vel per alium, ſi non poſſit per ſeipſum, debet per alium, vel ſaltem per ſeipſum alio tempore vel loco, ſecundùm præſumptam voluntatem fundatoris, cujus mens ſic poteſt impleri; nec obligatio extinguitur per impedimentum, Caſtr. *n.*25. Si autem celebret per alium, non tenetur dare, quantum ex fructibus Beneficii reſpondet uni Miſſæ, ſed ſatis eſt dare ordinarium ſtipendium: decretum enim de non conſtituenda Miſſa ab alio celebranda retenta ſibi parte ſtipendii, non ſpectat ad beneficiarios, uti S.Congr. declaravit apud Lugo ſupra, & de Euch.d.21.n.30.

821 §.8. Si fundatio habeat, ut fiat Sacerdos vel amittat fructus, non ideò eſt beneficium Sacerdotale, poteſt enim non fieri Sacerdos, ſi velit fructus amittere, Lott.Leur.*q.*312.*n.*5. ubi n.6. notat poſſe Beneficium quandoq; non eſſe Sacerdotale, quamvis Præbenda ſit talis.

822 *Q.*116. *An diſpenſatus in ætate ad Sacerdotium, hoc ipſo ſit capax Beneficii requirentis Sacerdotium, quamvis in ſupplica non ſit petita diſpenſatio pro Beneficio?* Reſp. Si Beneficium ſit curatum, non eſt capax uti dictum eſt nu.795.& 807. Si Beneficium ſit ſimplex, adhuc negat capacem eſſe Corr.*l.3.c.7.n.* 9.& 15. citatque pro ſe Rebuff. & Barb.ſed oppoſitum videtur tenendum ſecundùm dicta n.802. ſi enim fundatio non requirat qualitatem ætatis ſed Sacerdotii, hanc habet, ergo ſatisfactum eſt menti fundatoris.

823 *Q.*117. *Quid dicendum ſit, ſi fundatio præſcribat Miſſas certo loco vel tempore, in certo altari vel certis diebus?* Reſp.

§.1. Qui citra neceſſitatem legit Miſſas alibi, quàm in loco vel altari à fundatore deſignato, peccat graviter ſecundùm Nav.Az.Henriq.Barb.Corr.*l.2.cap.*11.*num.*20.& 27. Caſtrop.*t.* 13.*d.*1.*p.*6.*nu.*26. Excuſatur tamen à mortali, ſi tantùm quinquies vel ſexies per annum negligat locum aut tempus, dummodò celebret alibi aut aliàs ad intentionem debitam: neque talis tenetur ad reſtitutionem, quia ex hac negligentia loci vel temporis non oritur, per ſe loquendo, damnum conſiderabile, Barb.Corr.*à n.*23. Burgh.*cent.*3.*caſ.*98. contra Az.& Caſtr. *num.*27.

§.2. Cauſa rationabilis mutandi aliquando locum vel tem- 824
pus eſt, ſi inveniat altare occupatum, aut ibi deſit aliquid requiſitum ad Miſſam, deberetque nimis diu expectare, Lugo *De Euch.d.*21.*num.*38. Item ſecundùm Leſſ.*in auct. v. Miſſa, caſ.*5. ſi velit adeſſe primitiis cognati ſui, viſitare amicum, aliquò ex devotione peregrinari &c. Putat etiam Sylvius p.1. v.*Miſſa* caſ.1. Epiſcopum ex cauſa permittere poſſe, ut celebretur extra locum in fundatione expreſſum, ſed contradicit Corr.*à num.*25. Docent etiam Henriq.Graff.Bon. Monet. Homob.Barb.de poteſt. Epiſc.alleg.24.num.*36.* Caſtrop. num.27. Gob.*in Exp.t.3.num.*578. & alii Epiſcopum diſpenſare poſſe, ut obligatus certo loco celebrare abſit cauſa ſtudiorum etiam per aliquot annos, & celebrando alibi fruatur ſtipendiis ex fundatione reſpondentibus Miſſæ, ſed in hoc etiam contradicunt alii cum Corr.*n.*27.

§.3. Si jubeatur omni menſe celebrare 15.Miſſas, ſatisfacit 825
pro hoc & ſequente menſe, ſi celebret hoc menſe 30.quia hæc anticipata ſolutio prodeſt Creditori, Lugo *n.*43.& 44.Gob.*n.* 602. Excipe, niſi fundator ob ſpecialem cauſam voluiſſet aliter, v.g. ne locus diù careret Miſſis aut ut Miſſæ prodeſſent hominibus adhuc morituris.

§.4. Si fundatio habeat, ut celebret feſtis celebribus, per 826
hæc intelliguntur, quæ in tali Eccleſia celebrantur in choro & foro, niſi aliunde conſtet de mente fundatoris; & ita nunc videtur conſtare oppoſitum de fundationibus quibuſdam in diœceſi Monaſterienſi factis circa 15.ſæculum, nam eo tempore per feſta intelligebantur omnia, quæ in Calendario rubro charactere notabantur, in Breviario enim Monaſterienſi impreſſo anno 1518. poſt Calendarium dicitur, *Feſta Sanctorum rubra ſunt celebria*, & expreſsè dicitur, quòd feſtum S. Thomæ Cantuarienſis & S. Pauli Eremitæ &c. ſit celebre feſtum: Ex quibus patet pro explicanda mente fundatorum attendi debere ad tempus, & locum, quo factæ ſunt fundationes; item ad ſignificationem verborum in communi uſu eo tempore, & loco.

§.5. Quando jubetur celebrare, v.g. ter de ſeptimana, hæc 827
inchoatur in die Dominica, poteſtque ſatisfacere etiam diebus ferialibus: putat tamen Gob.*n.*586. ſi deeſſet alius pro diebus feſtivis, fundatorem cenſeri voluiſſe obligare ad dies feſtivos.

§.6. Qui jubetur celebrare omni die Jovis, Veneris & Sab- 828
bati, ad nihil tenetur pro die Veneris ſancto, quia ille dies ſemper cenſetur exceptus: Si commodè poſſet & vellet celebrare die Jovis aut Sabbato ſancto, deberet offerre pro fundatione, non tenetur tamen petere pro hoc licentiam, nec aliis diebus ſupplere, ſed poteſt ſe accommodare conſuetudini Eccleſiæ, ſecundùm quam non celebratur illis diebus, Lugo *num.*46.

§.7. Si quis teneatur celebrare certo die, v.g. Jovis, ob pe- 829
culiarem rationem iſti diei affixam, v.g. ob honorem Venerabilis Sacramenti, idem dicendum eſt, quod num.833. dicetur de deſignatione loci & altaris, ſi enim non poſſit illo die, non tenebitur alio, Lugo *n.*43. Rarò tamen præſumi poteſt, quòd ratione diei vel talis præcisè myſterii requiratur Miſſa.

§.8. Si jubeatur celebrare omni die, Nav.apud Dian.*p.*2. 830
*t.*14.*R.*28. dicit ſemel iterumque de ſeptimana abſtinere poſſe devotionis & reverentiæ cauſa: Steph.*t.*5.*d.*4.*n.*75. dicit poſſe ſemel, idque colligit ex cap. *Significatum*, De Præb.ubi dicitur de tali, ut quantò frequentius poteſt, celebret, ſalva honeſtate & debita devotione. Admittit etiam Lez. poſſe ſemel vel iterùm de anno celebrare pro aliquo ſibi valde conjuncto, v.g. qui objit vel eſt in gravi neceſſitate: nimis enim durum foret id negare illi, & reverà conſentiret fundator, ſi rogaretur: Imò Gob. & alii dicunt poſſe de anno quinquies aut ſexies vel etiam ſæpiùs celebrare pro ſe, cognatis vel benefactoribus aliis, quod omninò rationabile eſt, ſed conſulit Steph.*n.*74. ut ſimul applicet pro fundatore, quantùm huic prodeſſe poteſt: ſuppoſito autem, quòd talis poſſit aliquando omittere Miſſam, tamen ſi legat omni die, non poteſt ullam legere pro ſtipendio ad intentionem alterius, quia talis non poteſt præſumi eſe intentio fundatoris, Diana, Paſq. *de Sacrif.q.*1194. Steph.*nu.*75. imò ſi de ſeptimana poſſet ſemel omittere & vellet omni die legere, non poſſet communiter legere pro ſe vel pro alio gratis, Pelliz.Gob.*n.*584.

Plura circa hæc videri poſſunt apud Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg.*24.*à n.*29. Paſq. *de Sacrif.à q.*1116. Gob.*t.*3.*à n.*504. & in Clypeo n.501. ubi fusè agunt de obligatione celebrandi ratione Capellaniæ vel Beneficii.

*Q.*118. *Quid dicendum ſit, ſi non præſcribatur expreſsè* 831
quoties, vel ad quam intentionem ſit celebrandum? Reſp.

§.1. Si quis habere non possit litteras fundationis, aut ex his non possit rescire obligationem ad Missas, an nempe teneatur omni die, septimana vel mense, inquirat, quid fecerint antecessores, & idem faciat; aut attendat, quæ sit quoad similes fundationes consuetudo regionis & loci, in quo est Beneficium, & secundùm illam procedat: quòd si mos sit varius, sequi potest hoc, quod est minus: Si tamen redditus sint pingues, nec aliunde colligere possit, quoties teneatur, putant Tamb. & Gob. *in Exp. t. 3. num.* 478. teneri omni die, & si hactenus neglexerit, debere compensare, quantùm factus est ditior, quia ubi fructus sunt æquales obligationi quotidianæ, hæc præsumi debet imposita, nisi aliud constet.

832 §.2. Si jubeatur celebrare, quoties salva honestate ac cum debita devotione poterit, secundùm Panorm. Silv. & alios non tenetur, si passus sit pollutionem, etiam sine culpa; nec si à gravi passione iræ aut tristitiæ non facilè possit animum componere: nec si malè habeat aut sentiat tædium, quòd non facilè possit excutere; nec si sentiat cruditates stomachi, quales ex crapula & epulis relinquuntur; nec quando est ita affectus, ut non videatur si posse tantam functionem cum debita devotione & attentione obire: de cætero debet quotidie, nisi legitima consuetudo vel authoritas aut similis causa justa excuset, Less. in auct. v. *Missa* cas. 5.

833 §.3. Si constet Missas, v.g. tres in septimana esse legendas, & nesciatur ad quam intentionem, præsumendum est fieri debere pro anima vel familia fundatoris, quia in dubio quisque præsumitur sibi vel suis voluisse optimè consulere, Bonac. Lugo, Pasq. qu. 908. Gob. nu. 494. pro quo declarationem S. Congreg. refert Pignatelli Tom. 1. Conf. 139. Hinc docet Sylvius p. 2. v. *Missa* cas. 4 si fundatio nudè habeat: *Fundo Missam omni die Veneris legendam*, præsumi legendam ad intentionem fundatoris, quia usus est fundantium, ut quamvis Missa talis sit etiam ad devotionem vel commoditatem populi, tamen velint sibi & familiæ prodesse, ideoque assignant stipendium. Quòd si prudenter præsumatur, quòd non intenderint specialiter fructus Sacrificii; sed tantùm venerationem loci vel temporis aut aliquid simile, qui non posset celebrare isto loco vel tempore, non teneretur alio, sicuti qui ad honorem S. Bernardi vovisset jejunare pridie festi ipsius, si tum non posset, non teneretur alio die, Burgh. Gob. *n.* 577. ideoque semper posset Missam applicare alteri pro stipendio, Lugo *d. n.* 36. Steph. *t.* 5. *d.* 4. *nu.* 66. Præsumi tamen vix potest, quod fundator non intenderit simul fructum sacrificii, hinc manebit obligatio alio loco vel tempore celebrandi: si tamen jubeatur celebrare, quando ad Ecclesiam accedit multus populus, putat Tambur. *in meth. celebr. l.* 3. *c.* 1. §. 3. *d. num.* 20. posse præsumi, quòd fundator principaliter intenderit solam celebrationem fieri, non autem applicari sibi Missam: idem dicit, si Moniales dato stipendio vocent Sacerdotem ad legendam Missam, ut eam audire possint, sed Gob. *nu.* 549. refert decretum S. Congreg. approbatum ab *Urb. VIII.* expresè dicens, quòd illi Sacerdotes, qui nulla alia obligatione in Confraternitatibus vel Monasteriis Monialium celebrant, quàm pro ornatu Ecclesiæ, vel ut Confratres aut Moniales satisfaciant præcepto Missæ, non possint ultra stipendium, quod accipiunt à Confraternitate vel Monasterio, aliud à quoquam alio recipere.

834 §.4. Si ad fundationem aliquam de se tenuem adjecta sint legata per benefactores, & nesciatur, an pro solo fundatore, an etiam pro benefactoribus sint legendæ Missæ, Gob. *nu.* 594. putat non necessariò esse his applicandas, nisi positivè constet ita statuisse, quia jura & DD. non ita loquuntur de his, uti de fundatore, & censentur voluisse ferre subsidium fundationi non ideo addendo nova onera: hinc putat satis esse eorum cum aliis meminisse in Sacrificio.

Etiam hic videri possunt AA. relati n. 830. in fine.

835 *Q.* 119. *Quid facere debeat, qui ante vel post provisionem advertit in se inhabilitatem, vitium vel defectum?* Resp.

§.1. Qui advertit ante provisionem, per se loquendo, petere non debet illam priusquam dispensetur: & si fiat inquisitio circa defectum, tenetur manifestare aut recusare beneficium, Abb. Inn. Butr. Nav. Sanch. Laym. Si tamen sine infamia vel gravi alio damno non posset subterfugere, posset admittere cum obligatione statim petendi dispensationem, uti dictum est num. 781. esset que talis provisio naturaliter & quasi fundamentaliter valida, ac sanaretur per supervenientem dispensationem, Inn. Suar. Laym. Lott. Diana *p.* 4. *t.* 4. *R.* 56. Leur. *p.* 2. *qu.* 759.

836 §.2. Qui nulliter est provisus, per se loquendo tenetur Beneficium dimittere, aut manifestata nullitate petere de novo titulum: si tamen vitium sit occultum, & hoc posteà per dispensationem tollatur, probabile est titulum validari, uti habet Laym. sed hoc non debet cedere in cujusquam præjudicium, de quo exempla dat Leur. *qu.* 760.

837 §.3. J. Andr. Abb. Felin. Laym. putant provisum cum defectu, quem sperat brevi cessaturum, v.gr. cum irregularitate, defectu ætatis vel scientiæ &c. posse aliquando salva cõscientia retinere Beneficium nec indigere revalidatione post remotum defectum, quia si observata sint ea, quæ de jure naturæ sunt necessaria, non censetur esse tantus rigor Constitutionum positivarum, ut velint actum esse ipso jure & facto nullum, quamdiu non rescinditur, sic enim cap. *Cùm dilectus*, De Consuet. cap. 1. De Postulat. cap. *Scriptum*, De Elect. dicuntur ea esse irritanda, quæ ipso jure non subsistebant, Nav. Silv. Sa, Sanch. *de Matr. l.* 8. *d.* 7. *nu.* 12. Hinc Diana in Comp. v. *Beneficium* n. 18. dicit, *Qui non publicavit resignationem secundùm Gregorianam, vel habuit Beneficium non servata forma à jure tradita, vel per præsentationem patroni elapso tempore, vel per collationem non habentis potestatem, vel habentis quidem, sed non potentis conferre propter excommunicationem vel aliam causam, potest in foro conscientiæ illud retinere*, ita Sot. & alii sex: quæ saltem vera sint, inquit Diana *p.* 11. *t.* 5. *R.* 56. quando defectus est occultus, & ex dimissione Beneficii vel petitione novæ provisionis magnum damnum status vel famæ pateretur: & idem tenent Paris. *de Consid. qu.* 14. *num.* 34. Branden. *q.* 5. *n.* 13. Sanch. *in Consil. l.* 2. *c.* 1. *d.* 34. *n.* 14. aliusque doctissimus vir ab eo consultus, si nempe ex dimissione Beneficii timeretur grave scandalum, quia alii aliquod grave malum de illo suspicarentur, eò quòd nullus appareret color, cur Beneficium illud dimittat: fatendum tamen est quandoque ita irritari actus jure positivo nullos, ut nequidem pro conscientia valeant unquam, uti si quis sit provisus in excommunicatione majori, per excommunicatum non toleratum, per simoniam, laborans infamia juris publica &c. Vide Leur. *qu.* 761.

Circa præsentationem vel provisionem factam post tempus à jure concessum, videri possunt etiam dicta n. 310. & 568.

Q. 120. *Quid possit fundator, hæres, patronus, Episcopus, Papa circa immutationem vel dispensationem in conditionibus fundationum?* R.

838 §.1. Post perfectam & ab Episcopo admissam erectionem Beneficii non potest fundator adjicere novas leges aut conditiones alterativas, nec nova onera addere, nec imposita minuere, Imol. Garc. Corr. Luca. Nec hæres vel Patroni possunt negligere conditionem à fundatore appositam, Barb. Burat. Vivian. Luca. Leur. *p.* 2. *q.* 94. Putat tamen Luca apud Leur. *nu.* 6. à Patrono successore posse adjici aliquid quasi declarativum ejus, quod fortè volebat fundatio, v.g. si fundator dixerit providendum debere esse civem talis urbis, Patronum posse adjicere, ut si plures illius urbis habeant cæteras qualitates, ille præferatur, qui est de sanguine fundatoris. Similiter quamvis per Patronum nequidem de consensu Ordinarii beneficium perpetuum reddi possit manuale, uti habet communior contra Nav. & Gonz. tamen putat Luca apud Leur. *nu.* 8. si fundator erexerit Beneficium manuale, posse patronum successorem consentiente Episcopo sic limitare, ut quoties continget illud possideri per aliquem de familia, is removeri nequeat, quia hoc est tantùm suppletivum & declarativum mentis fundatoris, cui dedecus esset removeri suum descendentem vel agnatum. Diximus etiam num. 334. posse per Episcopum, si fundator petat, jus patronatus hæreditarium mutari in gentilitium vel mixtum & contrà.

839 §.2. Si fundator adhuc vivat & consentiat, poterit Episcopus cum causa utili Ecclesiæ, etiam in perpetuum mutare talem aliquam conditionem, uti tenent Gutt. Lambert. Leur. *p.* 1. *qu.* 31. & clarum esse dicit Garc. *p.* 7. *c.* 1. *nu.* 103. ac certum esse dicit Castrop. *t.* 13. *d.* 1. *p.* 6. *nu.* 20.

840 §.3. Graves AA. apud Castrop. *num* 21. aliique cum Pegnat. *dec.* 45. *nu.* 10. docuerunt posse Episcopum cum consensu Patronorum dispensare in conditione à fundatore requisita, sed cùm non meminerit Trid. nec declarationum post illud, censentur loqui de jure vel consuetudine antiqua. Etiam facta mentione Trid. putarunt plures viri docti, si adsit causa, ob quam fundator credatur consensurus, si viveret, adhuc posse Episcopum cum consensu successoris Patroni pro una vel altera vice sic dispensare: & id probabile esse dixit Pirh. *de Jurepatron. num.* 131. citans Abb. & Navar. imò Nicol. *t.* 1. *d.* 5. §. 18. dicit ita esse resolutum à Rota, Laym. *l.* 4. *t.* 2. *c.* 13. *n.* 17. citans Lambert. ait, si sint circumstantiæ, ob quas à conditione Beneficii rationabiliter videatur recedendum, talem interpretationem ac mutationem pro una vel altera vice facere posse Episcopum consentiente hærede fundatoris vel successore aut Patrono; vel etiam quando necessitas exigit, his invitis, quia per hoc nulla vel exigua fit derogatio menti fundatoris, quæ manet aliàs immutata & per epikiam censetur non fuisse de hoc casu. Consentit Sanch. *in Consil. l.* 2. *cap.* 2. *d.* 26. quia voluntas fundatoris præsumi potest fuisse submissa potestati Ordinarii, si ita videretur etiam successoribus seu Patronis: imò Sanch. putavit, quamvis fundator addidisset, *Nec volo à quoquam aliter fieri*, adhuc fieri posse, eò quòd videatur esse sensus, non volo aliter fieri ordinariè, communiter & sine causa: E contrà videtur obstare Trid. Sess. 25. cap. 5. de Ref. *Ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur,*

quan-

quando igitur ex Beneficiorum quorumcunque erectione ſeu fundatione aut aliis Conſtitutionibus qualitates aliquæ requiruntur &c. in Beneficiorum collatione ſeu in quacunque alia diſpoſitione eis non derogetur; hinc Dec. Gutt. Barb. & Gallem. ad dictum locum Trid. & Caſtrop. *num.* 22. Luca *de Benef. diſc.* 96. *num.* 7. Leur. *p.* 1. *q.* 313. *& p.* 2. *q.* 94. dicunt nequidem de conſenſu Patronorum id nunc fieri poſſe; Garc. *p.* 7. *c.* 1. *à num.* 112. refert id ſæpius deciſum eſſe. Idem tenet Corr. *lib.* 2. *c.* 11. *à num.* 147. ubi dicit nequidem pro una vice id poſſe Epiſcopum; *& num.* 148. adducit hanc declarationem: *Congregatio Concilii cenſuit non licere Epiſcopo poſt Concilium, etiam accedente Patronorum conſenſu derogare qualitatibus in fundatione Beneficii appoſitis, ideoque ſi beneficium in fundatione certam ætatem requirat, non poſſe Epiſcopum illud, quamvis Patronus conſentiat, ei conferre, qui nequaquam fuerit ejuſmodi ætatis*: plures ejuſmodi declarationes, & deciſiones affert *num. ſeqq. Nec obſtat*, quòd fortè talis conditio ſit ab Epiſcopo ipſo appoſita, *nam* ratio *Trid.* eſt univerſalis, dicit enim, *Quæ ſemel benè conſtituta ſunt, ratio poſtulat, ut illis non derogetur*, ubi non diſtinguit, an per fundatorem ipſum, an per alium ſit in fundatione aliquid bene conſtitutum; imò expreſsè addit, quando ex Beneficiorum erectione ſeu fundatione *aut aliis Conſtitutionibus requiruntur*, &, *in quacunque alia diſpoſitione, eis non derogetur*. Adde, quòd licèt talis conditio ſit ab Epiſcopo appoſita, tamen videtur certum, quòd fundator in eam conſenſerit, ergo tantundem eſt, ac ſi ab ipſo fundatore eſſet appoſita.

841 §. 4. Quamvis aliqui teneant Epiſcopum poſſe aliquam ultimam voluntatem defuncti commutare in melius, uti referemus *n.* 846. tamen dicendum eſt non poſſe mentem fundatoris commutare in melius, quamvis accedat conſenſus hæredum & Patronorum, Mol. *de Juſt. tom.* 2. *d.* 249. *num.* 610. Et ſequitur ex dictis, 1. quia ſpecialiter prohibetur Epiſcopis, ne alterent leges fundationis, uti dictum eſt. 2. Fundator hoc ordinavit, & nihil melius voluit, ſed hoc præcisè, ergo nec debet aliud velle Epiſcopus, cujus non eſt citrà conſenſum Eccleſiæ reformare vel meliorare mentem fundatoris. 3. Si hoc liceret, omnes fundationes eſſent perpetuò mutabiles ob varia judicia Epiſcoporum hoc vel illud putantium eſſe melius. 4. Hæc poteſtas Epiſcopi multùm deterreret homines à faciendis fundationibus, ergo.

842 §. 5. Papa ipſe legibus à fundatore poſitis derogare non poteſt, niſi agat de plenitudine poteſtatis, *Bald.* & alii cum *Sanch. d.* 34. quia cenſetur eſſe quaſi contractus initus inter Eccleſiam & fundatorem, ut illa ita obſervantur: tenetur autem etiam Papa ordinariè contractibus, ubi non urget alia neceſſitas, uti dictum eſt à *n.* 518. ergo.

843 §. 6. Si per ſtatutum alicujus particularis Eccleſiæ non cõfirmatum à Papa requiratur aliquid ad Beneficium, Epiſcopus cum conſenſu Capituli, diſpenſare poteſt, Laym. Leur. *p.* 1. *q.* 228. *nu.* 2. Et quando Papa providet etiam ex motu proprio alicui cum clauſula, *non obſtantibus*, per hoc derogat qualitati requiſitæ ex ſpeciali ſtatuto alicujus Eccleſiæ vel etiam fortè fundatoris Eccleſiaſtici, non tamen laici, Corr. Leur. *qu.* 313. contrà Gonz.

844 §. 7. Si fundator voluerit aliquid, quod ſervari non poteſt, Ordinarius cum duobus peritioribus de Capitulo poterit diſponere alium pium uſum, qui intentioni fundatoris ſit proximior, uti ex Trid. *cap.* 8. docet Sylvius *par.* 1. *v. Hoſpitale, & v. Miſſa, caſ.* 3. *&* 4. Similiter quando diſpoſitio beneficialis non ſubſiſtit, poteſt Epiſcopus eam commutare, præſertim ſi accedat hæredis conſenſus, uti ſi pecunia fundata ad certum uſum, ad hunc non ſufficeret, Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 83. *à n.* 5.

845 §. 8. Si fundator voluerit, ut qui hoc ſuum Beneficium haberet, non poſſet habere cum illo aliud, ita autem deficiant redditus, ut non ſufficiant ad honeſtam ſuſtentationem, poteſt Epiſcopus interpretando mentem fundatoris declarare poſſe ſimul haberi aliud beneficium, uti colligitur ex eis, quæ habent Felin. *ad cap. cùm acceſſiſſent*, & Abb. *ibid. De Conſtit. numer.* 5. Item Nav. *lib.* 3. *conſ.* 6. *nu.* 4. *de Cleric. non reſident.* Laym. *l.* 4. *t.* 2. *cap.* 13. *num.* 13. *&* 17. Et ita etiam judicarunt duo Doctores à me conſulti. Irrationabiliter enim vellet fundator beneficiatum deſtitui honeſta ſuſtentatione, nec quoad hoc Epiſcopis prohibetur diſpenſare vel declarare, quamvis prohibeatur quoad reductionem Miſſarum, uti dicetur *n.* 854. Vide etiam dicenda *n.* 871.

846 *Q.* 121. *Quid aliàs poſſit Epiſcopus vel alius circa commutationem ultimarum voluntatum, & circa diſpoſitiones ad pias cauſas?* R. De hoc habet Buſemb. relatus *l.* 3. *p.* 2. *nu.* 1129. addi tamen poſſunt ſeqq.

§. 1. Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de Reform.* ſic habet, *In commutationibus ultimarum voluntatum, quæ non niſi ex juſta, & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi tanquam delegati Sedis Apoſtolicæ ſummariè & extrajudicialiter cognoſcant, nihil in precibus tacita veritate vel ſuggeſta falſitate fuiſſe narratum, priuſquam commutationes prædictæ executioni demandentur.* Ex hoc textu infert communis ſententia cum Sanch. in *Conſ. l.* 4. *c.* 2. *d.* 3. *&* 7. Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 83. *nu.* 5. quamvis Epiſcopus non poſſit immutare conditiones fundationum beneficialium, uti à *num.* 839. dictum eſt; tamen poſſe tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum pias voluntates etiam ultimas in uſum alium pium commutare ob cauſam, quæ judicio ſuo videatur juſta: idem dicunt Silv. Beja *p.* 4 *caſ.* 22. Barb. ſuprà, quamvis tale legatum impleri poſſet; ſed in hoc contradicit Haun. *de Juſt. t.* 1. *t.* 6. *num.* 681. ſi ad Sedem Apoſtolicam poſſit recurri: imò Mol. *de Juſtit. t.* 2. *d.* 249. *num.* 6. & Delbene *de Imm. Eccl. c.* 8. *dub.* 21. *ſ.* 17. probabilius putant citato loco *Trid.* tantùm committi Epiſcopis, ut quando commutatio ultimæ voluntatis fuerit obtenta à Sede Apoſtolica, Epiſcopi, quibus committitur executio, examinent, an ab illis, qui petierunt fieri commutationem, nihil narratum fuerit tacita veritate vel ſuggeſta falſitate, nam *Trid.* cap. immediatè antecedente locutum erat de executionibus diſpenſationum à Sede Apoſtolica obtentarum: eſtque hoc conforme *Clement. Quia contingit, De relig. domibus*, ubi dicitur, *Quòd quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (Salva quidem Sedis Apoſtolicæ authoritate) converti.* Communis tamen ſententia, uti dixi, tenet, apud Epiſcopos eſſe ejuſmodi facultatem Ordinariam commutandi, quia talis commutatio eſt quædam diſpenſatio in lege præſcribente exactè impleri ultimas voluntates: quando autem dicitur fieri poſſe diſpenſationem, & non exprimitur à quo, uti in *Trid.* ſatis dicitur, intelligitur fieri poſſe ab Epiſcopo, uti cum plurimis docent Suar. *de leg. l.* 6. *c.* 14. *n.* 8. & Sanch. *de Matr. l.* 8. *d.* 5. hinc infert Sanch. *in Conſ. l.* 4. *c.* 2. *d.* 7. quod approbat Lugo *de juſt. d.* 24. *n.* 310. ſi teſtator reliquit alicui Eccleſiæ annuatim viginti pro anniverſario & Eccleſia indigeat reparatione, quæ aliunde haberi non poſſit, poſſe de licentia Epiſcopi proventum illum ad tempus applicari reparationi; quod admittit Delbene à *n.* 9. propter Epikiam.

§. 2. Non eſt licitum commutare, nequidem in melius, 847
piam voluntatem teſtatoris, quamvis accedat conſenſus hæredum, niſi adſit juſta & neceſſaria cauſa, uti tenent plures cum Barb. *num.* 2. contra Silv. Bej. Fern. Genuenſ. Graff. Comit. Vaſq. Dianam *p.* 2. *tr.* 3. *R.* 26. & rationes ſunt eædem, ob quas *num.* 841. diximus Epiſcopum non poſſe, nequidem in melius, commutare mentem fundatorum: nam quæ ibi dicta ſunt de fundationibus, facilè applicantur piis diſpoſitionibus.

§. 3. Inter juſtas cauſas, ob quas poſſit Epiſcopus com- 848
mutare ultimam piam voluntatem defuncti in aliquid menti teſtatoris proximum, recenſet ſequentes Barb. à *n.* 7. & iterum in Collectan. ad *Trid.* ſuprà; citans pro his multos & graves AA. 1. Si pecunia legata ad uſum deſignatum non ſufficiat: 2. Si uſus deſignatus non poſſit impleri ſine magna difficultate: item ſi commodè impleri non poſſit, inquit Haun. *num.* 682. 3. Si Monaſterium non poſſit conſtrui, ubi voluit teſtator, poteſt Epiſcopus facere, ut conſtruatur alibi. 4. Si legatum ſit factum ad uſum non ita neceſſarium, poteſt Epiſcopus convertere ad uſum ejuſdem Eccleſiæ magis neceſſarium, v. g. ſi factum eſt ad ornamenta, quibus Eccleſia non ita indiget, poteſt converti ad ſalarium Rectoris. 5. Dicit *Barb.* poſſe cum conſenſu hæredis alterari voluntatem defuncti pro una tantùm vice & ad tempus. 6. Si Eccleſia ſit negligens, poteſt Epiſcopus alio loco vel alio modo facere impleri voluntatem teſtatoris. 7. Si urgeat aliunde neceſſitas commutandi ultimam voluntatem, nec adiri poſſit Papa. Imò Epiſcopum poſſe etiam poteſtate ordinaria pias diſpoſitiones pro una vel altera vice commutare in uſus pauperum, quando eſt gravis neceſſitas, docet Carden. *in 1. criſi d.* 80. *num.* 67. Quid autem poſſit ad ſublevandam Reip. neceſſitatem, dictum eſt *l.* 3. *p.* 2. *à num.* 1146. ubi *n.* 1150. dixi non expedire, ut executores ſine authoritate Superiorum, etiam pro gravi neceſſitate Reipubl. commutent legata.

§. 4. Si Titius donarit 1000. aureos ad pium finem, ſub 849
conditione, ut ſi finis obtineri non poſſet, redirent ad diſpoſitionem ſuam, & interèa moriatur, poteſt eo mortuo adhuc per proportionatum tempus à Judice limitandum ſollicitari finis, uti habent Lop. Covarr. & alii cum Sanch. *in Conſ. lib.* 4. *cap.* 1. *d.* 56. *num.* 3. *&* 8. Quòd ſi finis ille omninò obtineri non poſſit, ſumma donata non cedit hæredi, ſed convertenda eſt ad alium uſum pium, uti habet communis cum Sanch. *c.* 2. *d.* 4. & Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 83. *num.* 4. quia ſibi ſoli reſervavit diſpoſitionem de illa, & præſumitur abſolutè deſtinaſſe ad pium uſum & ad utilitatem animæ ſuæ potiùs quàm hæredis: poſſuntque ſic convertere Epiſcopus & Executores, ſemper attendendo, ut talem pium uſum eligant, qui maximè accedat ad mentem Titii, uti habetur in Trident. *ſeſſ.* 25. *cap.* 8. *de Refor.* & in exemplo oſtendit Lugo *in Reſp. Moral. l.* 4. *d.* 32.

§. 5. Dum fit commutatio piæ voluntatis defuncti, ali- 850
qui

qui affirmant, alii negant requiri conſenſum hæredis; & putant plures apud Barb. *num.6.* ſufficere conſenſum Eccleſiæ, cui legabatur. Quid poſſit Societas JESU circa immutationem voluntatis teſtatorum, vide novum Comp. privil. *v. Alienatio §.5.*

851 *Q.*122. *An Epiſcopus vel Capitulum poſſit Beneficio addere nova onera; vel circa Beneficium facere nova ſtatuta aut conditiones?* Reſp. An poſſint addi nova onera, videri debent dicta à *n.*669. An autem & quando Epiſcopus poſſit cogere Clericos ad charitativum ſubſidium, videri poteſt Barboſ. *de poteſt.Epiſc.alleg.*87. item Piaſec. *de juriſd. Epiſc.pag.*185. *à n.*12. ubi dicit, quando cauſa eſt rationabilis & manifeſta, poſſe illud peti, attamen debere accedere conſenſum Capituli & Cleri. Quoad nova ſtatuta vel conditiones, docet cum multis aliis Paſſer. *de Elect.c.*2. *à num.*45. poſſe etiam à Capitulis fieri ſtatuta, v.g. ut à Beneficiis ſui Capituli excludatur certum genus perſonarum: & idem eſt de aliis ſimilibus: ſed ſi hoc ſit contra fundationem, tenendum eſt oppoſitum, ſecundùm dicta à *n.*840. Si autem ſit tantùm præter fundationem, adhuc dicendum eſt, quòd talia ſtatuta non ligent Papam, ſi conferat in alternis ſuis menſibus, quia ſtatuta particularis Eccleſiæ non poſſunt præjudicare quæſito juri S. Sedis, & libertati antiquæ conferendi.

852 *Q.* 123. *An poſſit præſcribi contra vel ultra onera ac conditiones in fundationibus appoſitas?* R.

§.1. Si præſcriptio ſit immemorialis, valet contra onera ac conditiones, non ex vi præſcriptionis præciſæ, ſed quia cum hac præſumitur & allegari poteſt quivis titulus, ſecundùm dicta *lib.3.p.2.num.*543. quodnam autem tempus ſit immemoriale, dictum eſt *ibid.num.*520. Si præſcriptio non ſit immemorialis, major eſt difficultas, nam 1. quamvis in præſcriptione longiſſimi temporis quandoque præſumi poſſit titulus, ſecundùm dicta *ibid.num.*500. tamen hìc præſumi non poterit bona fides, quæ ſimul adeſſe deberet; Beneficiatus enim præſumi debet ex fundatione cognoviſſe leges Beneficii, ideoque mala fide neglexiſſe, niſi oſtendat diſpenſationem vel privilegium. 2. Primæva fundatio habet majorem vim, quàm conſuetudo vel privilegium, Corr.*l.*2.*c.*10.*num.*90. Nec illi per ordinarias præſcriptiones derogari poteſt, eò quòd Trid.*ſeſſ.*25.*cap.*5. *de Reform.* vetans derogari fundationibus, & Bulla *Pii IV.* confirmans *Trid.* contineat decretum irritans, quidquid contrà factum fuerit, ergo impediunt colorem tituli & poſſeſſionem, ergo præſcriptionem ordinariam in contrarium, ſecundùm dicta *num.*657. *Nec obſtat*, 1. Quòd in Beneficiis ultimus ſtatus ſit attendendus, uti notant Bald. Rota, Lott.*d.*1.*q.*34.*num.*30. *nam* id tantùm valet pro capienda præſumptione, quando de ſtatu anteriori non conſtat contrarium: tum enim primævus ſtatus præſumitur fuiſſe ſecundùm fundationem, Corr.*l.*1.*c.*2. *à n.*30. *Nec obſtat* 2. Quòd ſtatus Beneficii poſſit mutari, ſecundùm dicta à *num.*296. *nam* quamvis mutetur non ideò deſinere debet ullum onus: deinde etiam mutari non poteſt, niſi accedat ſcientia & conſenſus Superioris, ſecundùm dicta à *num.*296. conſenſus autem Superioris, cùm ſit aliquid facti, non præſumitur hìc, nec probari poterit; imò univerſaliter docetur, quod ad inducendam conſuetudinem contra Canones, requiratur ſcientia & conſenſus Papæ, uti decidit Rota apud Nicol.*t.*1.*d.*1.*§.*5.

Nihilominus etiam per aliam præſcriptionem præſcribi poſſe contra onera & conditiones fundationum docent multi cum Laym.*lib.3 ſect.3.t.*1.*c.*8.*num.*17. & Paſq.*de Sacrif. quæſt.*1191. Similiter præſcribi poſſe contra numerum Miſſarum, docent Paſq. *qu.*1192.*& ſeqq.* Tamb. *in meth. celebr. lib.*3.*cap.*7. *§.*1. Gob. *in Exp.t.*3.*à num.*514. Pelliz. *t.*5.*cap.*9. *num.*92. teſtans viros doctos à ſe conſultos eſſe ejuſdem mentis: & addens *num.*515. idem eſſe de obligatione anniverſariorum, officii defunctorum, eleemoſynæ &c. putantque ſufficere inter præſentes, annos 20. inter abſentes, 30. Quoad poteſtatem præſcribendi contra onera & Miſſas conſentit Th. Hurt. *de Reſid.t.*1.*l.* 6.*r.*6.*§.*4.*à num.*8.*& §* 6.*à num.*14. Et hanc ſententiam ſecuta eſt *Rota*, ut teſtantur Tuſc.*lit.S.concl.*424.*num.*9.& Corr.*lib.*1. *cap.*6.*num.*324. Rationes eſſe poſſunt, 1. quia fundatio & Beneficium admittunt præſcriptionem, *cap. Cùm de Beneficio, de Præb.in* 6. *& ibid.* Gl. Anchar. Franch. Selv. Gom Barb.*num.*4. Rebuff. *in praxi Benef.tit.Regularia Beneficia.* 2. Quia lex in fundatione poſita non obligat, niſi quatenus eſt uſu recepta, Vivian. Corr. *in praxi diſp.l.*4.*cap.*1.*num.*9. Requiri autem 40. annos docet Paſq. *qu.* 1193. quia agitur contra Eccleſiam: hos autem ſufficere tenent Gl. aliique cum Barb. *ſupr.num.*5. Gonz. *ad Reg.*8. *Cancell.glo ſ.*7.*num.*8.*&* 25. Tuſc. *lit.P.concl.*542. adeò ut ſi præſcriptio 40. annorum ſit completa, faciat jus, & agatur de auferendo jure quæſito, Gonz. *num.*16. & alii; Licèt enim præſcriptio ſit odioſa & contra jus, quando tamen eſt acquiſita, dicitur ſecundùm jus, *cap. de quarta & toto tit. de præſcrip.* Gonz. *num.*21. Poteſtque ſucceſſor in Beneficio, inquit Dicaſt. *de Juſt.l.*2.*t.*1.*d.*1.*num.*262. gaudere acceſſione temporis anteceſſorum ſuorum, ut ab aliqua conditione ſeu onere in fundatione requiſito liberetur, eamque libertatem illos bona fide poſſediſſe in dubio præſumendum, juxta Reg. 14. juris in *6. Cùm quis in jus ſuccedit alterius, juſtam ignorantiæ cauſam cenſetur habere*; & notavit Navar. *lib.*2.*conſ.*1. *de præſcript.* Et in ſimili Covarr. *Reg.poſſeſſ.p.*2.*§.*11.*n.*6. *Corollario* 4. 3. Quia etiam conſuetudo prævalere poteſt fundationi, Gl. Barb. *in Summar.*1. *De conſuet.nu.*10. *& cap.ult.ibid.à num.* 10. Laym. *lib.*1. *decret.cap.ult. de conſuet.num.*9. Habenturque etiam uſus & obſervantia pro conſuetudine, Barb. *num.*4. *addens axiom.de conſuet.num.*18. quidquid per præſcriptionem induci poteſt, multò magis per conſuetudinem, ſic enim valet conſuetudo non reſidendi, & tamen percipiendi fructus in abſentia, *cap. Cùm omnes, De Conſtit.* & ibi Gloſſ. Fagn. *num.*11. Et ita inolevit conſuetudo generalis, quod Beneficia ſimplicia obtinentes non obligentur ad perſonalem reſidentiam, dummodò per ſubſtitutos deſerviant, Pariſ. *lib.*1. *de Reſign.qu.*10. *à num.*66. Hurt. *§.*6. *per totum*, Fagn. *in cap. Cùm omnes, de Conſtit.num.*15. Pirh. *l.*3.*t.*4.*nu.*16. Lott. *l.*3.*qu.*27. *num.*9. Huc faciunt etiam illa, quæ *n.*520. diximus de poteſtate præſcribendi contrà Concordata, licèt contineant decretum irritans.

§.2. Si quis ex errore, etiam per 30. annos, de ſeptimana legerit 4. Miſſas, poſteà tamen in fundatione inveniat, quòd ad 3. tantùm ſit obligatio, quamvis *Pelliz.* dicat talem obligari ad quatuor, id tamen meliùs negant Tamb. & Paſq. *q.*1195. tum quia nemo eſt, qui poſſideat contra ipſum, ſuppono enim legiſſe ex ſe, & nemine cogente aut id requirente, præſcriptio autem non inducitur ſine poſſeſſione; tum etiam quia actus per errorem geſtus non nocet erranti, *L. Si per errorem, ff. de juriſdict.* errans enim habetur pro contradicente, ergo. Excipe, niſi primæ fundationi acceſſiſſet melioratio, ac præſumi poſſet hoc tempore etiam adjunctum eſſe novum onus. Vide tamen dicta *n.*834. 853

*Q.*124. *Quis poſſit reducere onera fundationum?* R. 854

§.1. Si redditus non ſint ampliùs ſufficientes ad præſtanda onera, poſſe ab Epiſcopo cum conſenſu Patroni, aut etiam ſine hujus conſenſu, ſi irrationabiliter ſit invitus, etiam in perpetuum reduci onera, imminui numerum Miſſarum, remitti reſidentiam &c. docet *Pirh.* citans *Abb. Laym. Azor.* & conſentit Barb. *de poteſt.Epiſc.alleg.*83.*num.*4. citans *Felin. & Roch.* quoad reductionem onerum, attamen *Barb.* ibi non loquitur de reductione Miſſarum: nihilominus *Az. Lambert.* & alii cum Caſtrop. *tr.*13.*d.*1.*p.*6.*à num.*23. docent Epiſcopum etiam extra ſynodũ poſſe reducere onera Miſſarum, ſi redditus ſint ita imminuti, ut Beneficiato non ſufficiant: ſed dicendum eſt, quòd quamvis Trid. *ſeſſ.*25.*c.*4. *de Ref.* conceſſerit Epiſcopis facultatẽ in ſynodo, item Abbatibus & Generalibus Ordinum in Capitulis generalibus reducendi numerum Miſarum, quæ ad id uſque tempus debebantur ex defunctorum legatis ſeu relictis vel eleemoſynis, ſi omnes peragi non poſſent, attamen non dedit facultatem reducendi numerum Miſarum, quæ debentur ex fundatione Beneficii vel Capellaniæ: neque nunc poſſunt Epiſcopi aut Generales reducere onera Miſarum ex legatis vel eleemoſynis contracta poſt *Trident.* uti declaravit *Urban. VIII.* & recenter Innocent. XII. uti referemus *lib.*6. quando de Sacrificio, ad *dub.*1. ideòque pro his recurrendum eſt Romam.

§.2. Si uno anno emaneant toti fructus, non eſt obligatio ad ullum onus; ſi ex parte, eſt obligatio pro rata, ſed ad Epiſcopum ſpectat imminuere, Sylvius *p.*2. *v. Miſſa caſ.*1. *Nec obſtant* Urb. VIII. aut Innocent. XII. decreta, *nam* videntur tantùm loqui de reductione ſtabili & ſemper duratura, non autem pro brevi tempore, Sylv. *caſ.*5. Vide dicenda de Sacrificio ad *dub.*1. 855

*Q.*125. *An Epiſcopus poſſit removere altare fundatum & transferre fundationem ad aliud altare?* R. 856

§.1. Putarunt aliqui poſſe, in primis quia Epiſcopus juſtis de cauſis poteſt deſtruere altare, Barboſ. *de jure Eccl.lib.*2.*c.*8. *num.*14. *arg.cap. Placuit, de Conſecr.d.*1. juncta Gl. Paſq. *de Sacrif.qu.*584. & alii; imò *cap. Eccleſiæ* 16. *de Conſecr.d.*1. præcipitur, ut deſtruantur altaria ſuperflua. Deinde poſſunt in eodem altari conſtitui plura Beneficia ſeu capellaniæ, uti *dictum* eſt *num.*272. Præterea per hoc, quòd Beneficium altaris deſtructi transferatur ad aliud altare, neque huic neque illi fit præjudicium, ſed potiùs augetur cultus utriuſque Sancti, cum ad unum illorum altare fiant plures Miſsæ & magis frequentetur à populo, Luca *de Jurepatr.d.*17.*num.*4. ex mente Lott. *& deciſ.* 1394. Peniæ. Nihilominus dicendum eſt, quòd Epiſcopus non poſſit penitùs removere altare, quod fundator laicus aut etiam Eccleſiaſticus conſtrui fecit, aut etiam tantùm dotavit, quia *Clement. Quia contingit, de religioſis domibus*, dicitur: *Ea, quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ authoritate) converti*, ergo multò minus penitùs aboleri debent: quin & Trid. *ſeſſ.*21. *cap.*7. *de Reform.* ne ea, quæ ſacris miniſteriis dedicata ſunt, temporum injuria obſoleſcant

& ex hominum memoria excidant, mandat Epiſcopis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, ut Beneficia ſimplicia ex Eccleſiis, quæ vetuſtate vel aliàs collapſæ & nullatenus ob inopiam reſtaurari poſſunt, transferant ad Eccleſias alias eorundem locorum, & in iis erigant altaria vel capellas ſub iiſdem invocationibus, vel certè transferant in jam erecta in iis altaria vel capellas cum omnibus emolumentis & oneribus, ergo multò minùs licitum eſt Epiſcopis authoritate ordinaria deſtruere aliqua non erectis ſub eadem invocatione aliis in eadem Eccleſia perſiſtente. Si dicantur eſſe ſuperflua, contra eſt, quòd ſuperfluorum nomine veniant illa tantùm, quæ in quibuſdam capellis interdum ſunt per agros aut per vias, uti notat Zerola *p.1. v. Altare*, non autem illa, quibus annexæ ſunt fundationes per Epiſcopos approbatæ.

857 §.2. Neque videtur Epiſcopus removere poſſe aliquod altare, fundationem transferendo ad aliud altare habens aliquam fundationem. Ratio eſt 1. quia etiam obeſt textus *Clement.* ſuprà. 2. Quia Epiſcopi non poſſunt immutare vel alterare mentem fundatorum, uti dictum eſt à *n.*840. hoc autem hic fieret, quia ſinguli fundatores voluerunt altare ſub ſeparata invocatione. 3. Fundatores non conſentirent ita fieri, ſi viverent, nec fundationes facerent, ſi prævideren ita pro libitu immutandas ab Epiſcopis, præſertim cùm fundatoribus majori honori ſit, quòd ſoli fundarint integrum altare; & reipſa ſatis eſt ipſos piè ſic voluiſſe, nec Epiſcoporum eſt eorum voluntatem nequidem in melius commutare aut reformare, uti *num.*841. dictum eſt. 4. Vel utrumque altare erat ſub eadem invocatione, v.g. *S. Petri*, vel ſub diverſa, v.g. unum *S. Petri*, alterum *S Joannis*: ſi ſub eadem, minuitur cultus illius Sancti, quia plus eſt coli in duobus altaribus quàm uno: ſi ſub diverſa, etiam minuitur utriuſque cultus, nam ſi altare, ad quod fit translatio, dicatur, uti ante, ſimpliciter *S. Petri*, certò minuitur cultus *S. Joannis*, qui jam nullum altare habet ſuæ invocationis; ſi dicatur ſimul altare *SS. Petri & Joannis*, etiam minuitur utriuſque cultus, quia plus eſt privativè habere altare quàm cumulativè. Unde à paritate rationis non tantùm non poteſt Patronus etiam cum conſenſu Epiſcopi auferre fundatoris inſignia poſita in Eccleſia vel altari & ſua ſubſtituere, uti rectè Laym. Pirh. Leur. *p.2.q.94.n.7.* ſed nequidem ſua ſimul apponere, quia ſic partem fundationis addiceret nomini ſuo in præjudicium illius, qui ſolus fundavit.

858 §.3. Si fundator præſumi non poſſit habuiſſe ſpecialem cauſam, ob quam elegerit hoc numero altare præ alio, ſed ad hoc ſit determinatus, v.g. conſilio Epiſcopi aut alterius, videtur Epiſcopus ex juſta cauſa poſſe ejuſmodi fundationem, retento tamen titulo & invocatione, transferre ad aliud altare omnino liberum: tum enim nec largitio fundatoris aboletur, nec primariæ ejus intentioni contravenitur, nec evertitur ulla lex fundationis, nec onus novum imponitur beneficiario; illa autem materialis circumſtantia altaris aut loci non eſt conſiderabilis, ſi juſta cauſa aliud poſtulet. Et ita quoad omnia ſenſerunt mecum plures viri eximii de toto hoc caſu conſulti.

859 *Q.*126. *Quid addendum ſit circa intentionem admittentis Beneficium?* R. Seqq.

§.1. Qui acceptat Parochiam ſine animo recipiendi Sacerdotium intrà annum, ſed tantùm volens, v.gr. frui fructibus aut emolumentis unius anni, peccat mortaliter, & tenetur reſtituere fructus, niſi voluntate mutata ſacerdotium recipiat; & qui tali ſcienter confert Parochiam, tenetur in ejus defectu reſtituere, *cap. Commiſſa, de elect. in 6.* Caſtrop. *t.*13. *d.*4. *p.*7. *n.*6. Paſſer. *de Elect. c.*25. *n.*403. Si autem acceptet cum dubio, an velit intrà annum ſuſcipere Sacerdotium, Nav. Graff. Garc. aliique cum Barb. *de Off. Parochi c.5. num.*14. excuſant à peccato & obligatione reſtituendi, quia illi tantùm dicuntur ſubjacere illi culpæ & pœnæ, qui non intendunt ſuſcipere Sacerdotium, id eſt, ut ipſi explicant, qui habent voluntatem non ſuſcipiendi; ſed probabilius eſt cum Sot. Lop. Az. Vega, Manuel. Sanch. Caſtr. *n.*5. & 6. quòd peccet mortaliter & teneatur reſtituere, etiam ante ſententiam Judicis, quia jus prærequirit animum ſuſcipiendi, niſi juſta cauſa occurrat, quæ poſteà excuſet: qui autem dubitat, an velit, non poteſt dici ſimpliciter habere animum. Idem dicit cum aliis Paſs. *nu.*397. ſi acceptet cum animo conditionato, v.g. niſi quid melius occurrat, ſed in hoc alii contradicunt cum *Caſtrop.* Si autem initio habuit animum ſuſcipiendi, ſed poſteà abſque cauſa mutet & non ſuſcipiat, videtur certum, quòd peccet mortaliter, quia non ſatisfacit obligationi gravi, quam in ſe ſuſcepit; eumque *Abb. Hoſt. Sot. Tol. Graff. Az. Garc.* & alii cum Barb. *nu.*15. obligant ad reſtitutionem, quia fructus dantur ob ſervitium ſaltem præſtandum, ſed Nav. Lop. Vaſq. Sanch. Leſſ. Caſtrop. *nu.*9. Paſſ. *num.*402. probabiliùs à reſtitutione excuſant, quia habuit jus in beneficio fecitque fructus ſuos, neque lex obligat ad reſtitutionem niſi illum, qui recepit parochiam ſine intentione ſe promovendi. Quod ſi intendat brevi dimittere parochiam, Sanch. & Caſtr. *n.*11. dicũt non eſſe mortale; Leſſ. *de juſt. l.2. c.*34. *n.*136. dicit eſſe veniale, quia eſt aliqua deceptio Eccleſiæ, quæ non conferret, ſi non putaret eſſe deſerviturum; neque expedit Parochos ita ſæpe mutari.

§.2. Si quis admittat beneficium ſimplex, cui Ordo Sacer 860
eſt annexus, abſque animo, vel cum animo dubio de ſuſcipiendo Ordine annexo, peccat mortaliter, quia quiſque jure naturæ tenetur velle eſſe idoneus ad id, cujus onus ſuſcipit: imò ſecundum *Rebuff. Graff. Rayn. Garz*, tenetur reſtituere fructus, ſed Nav. Sot. Sal. Leſſ. Az. Vaſq. Tol. Lop. Caſtrop. *n.*13. Paſſ. *nu.*405. Sanch. *de Matr. l.7. d.*45. *nu.*13. probabiliùs dicunt non teneri reſtituere ante ſententiam, quia lex pœnalis *cap. commiſſa*, tantùm loquitur de parochialibus: imò praxis eſt, ut primò priventur mediis fructibus, poſteà totis, denique etiam ipſo beneficio, ergo ſignum eſt, quod ante ſententiam privati non ſint.

§.3. Si quis beneficium ſimplex non habens annexum Ordi- 861
nem Sacrum admittat cum animo percipiendi fructus ad tempus & poſteà ducendi uxorem vel reſignandi, ſecundùm *Sot. Tol. Nav.* peccat mortaliter, quod Fill. *in append. ad tr.*41. *c.6. n.*43. & Lugo *in Reſp. Mor. l.5. d.*4. probant ex Bulla *Pii IV.*12. *inter cæteras*, quæ talem acceptationem cujuſcunque beneficii reddit irritam, ac prohibet ſub pœna excommunicationis & maledictionis æternæ, ac privationis omnium aliorum etiam Beneficiorum ante habitorum, & inhabilitatis ad omnia imposterum, ipſo facto ſine alia declaratione incurrenda; ex quibus clauſulis colligunt eſſe gravitatem præcepti, dicuntque quòd AA. contrariæ ſententiæ nõ viderint vel non ponderarint hanc Bullam: è contra tamen Garz. & Caſtrop. *de Cenſ. d.3. p.*30. *n.*8. dicunt Bullam illam tantùm pro Curia Romana eſſe latam, quia initio facit mentionem Cardinalium & Datarii, ad quos ſpectat proviſio beneficiorum, utique non omnium, ſed eorum quæ Romæ conferuntur, ideoque etiam teſtantur *Fill. & Lugo* ſuprà, quòd in Curia Romana exigatur juramentum, quod beneficia non accipiant animo dimittendi, & reipſa *Lugo* tantùm reſpondet in caſu, qui erat in Curia Romana. Addit *Caſtrop.* contra eam Bullam non agi, ſi admittens cogitet dimittere cum conſenſu Papæ, ſed in hoc poſtremo etiam contradicit Dian. *p. 9. t.7. r.*52. Communiter tamen tenent omnes cum *Sanc. & Leſſ.* talem ſemper peccare venialiter, quia eſt aliqua, non tamen gravis deordinatio & deceptio Eccleſiæ, quæ beneficia pro ſtatu Clericali intendit, ſed Nav. Gom. Garc. Caſtr. *t.*13. *d.*4. *p.*7. *n.* 16. adhuc dicunt probabile eſſe, quod nullo modo peccet, quia nullum præceptum viget, quod ab illo violetur, & jus relinquit illi liberum tranſitum ad nuptias: neque videtur agi cõtra mentem Eccleſiæ, quæ vult beneficiatum ſuſtentari ex beneficio, quamdiu illud habet & deſervit, nec obligat ad permanendum in illo. Vide Leur. *p.1.q.*320. *& p.3.q.*319.

ARTICULUS IV.

An liceat habere plura Beneficia. 862

REſp. Plura Beneficia poſſidere, non eſt res ſimpliciter „
intrinſecè mala, nec omninò indifferens, ſed ſpeciem „
mali præ ſe ferens, imò ordinariè illicita, & naturali juri „
repugnans, (ſi talia ſint, quorum unum ad honeſtam ſuſten- „
tationem ſufficiat) niſi juſta cauſa ex circumſtantia cohone- „
ſtetur. Ita ferè Laym. *l.4. t.2. c.8. n.*2. ex D. Th. Leſſ. Azor. *to.*1. „
*l.5. c.*19. *& c. commun.* Quia, ut docet Trid. *ſeſſ.*24. *c.*17. *de Ref.* „
pluralitas hujuſmodi magnam inordinationem involvit, dũ „
minuitur cultus Divinus, Eccleſia operariis, fundator pia in- „
tentione, pauperes utiliores Eccleſiæ futuri ſuſtentatione pri- „
vantur. Hinc beneficia diſtinguuntur in incompatibilia pri- „
mi generis, in quibus adepta pacifica poſſeſſione ſecundi, „
vacat prius, qualia ſunt plura beneficia curata; item plures „
dignitates, perſonatus, duo beneficia uniformia ſub eodem „
tecto: & in Incompatibilia ſecundi generis, quæ etſi ſine pec- „
cato citra diſpenſationem obtineri nequeant, primum tamen „
altero obtento non vacat; qualia ſunt beneficia reliqua reſi- „
dentiam poſtulantia, v.g. Canonicatus duo diverſarum Ec- „
cleſiarum, in quibus recepta eſt conſtitutio Trid. *c.*12. ut non „
liceat ultra tres menſes Canonicis ab Eccleſia abeſſe: Unde „
Laym. *num.6.* docet Canonicatus in Cathedralibus Eccleſiis „
Germaniæ, quæ ex immemorabili conſuetudine requirunt „
tantùm reſidentiam medii anni vel trium menſium, in- „
ter compatibilia beneficia numeranda. „

Dixi, niſi juſta cauſa cohoneſtetur, quia qui per diſpenſa- „
tionem plura officia obtinuit, niſi juſta cauſa ſubſit, in con- „
ſcientia non erit tutus, ſed tenebitur alterum reſignare, ut „
docet Leſſ. *l.2. c.*34. *n.*151. „

Porrò juſta cauſa diſpenſandi erit evidens neceſſitas, & uti- „
litas Eccleſiæ, & quandoque etiam prærogativæ, & merita „
perſonæ, v.gr. inſignis nobilitas, dignitas, ſcientia, au- „
thoritas, virtus, &c. modò caveatur, ne beneficiorum coa- „
cervatio, facta etiam ob prærogativam perſonæ, ad priva- „
tum tantùm, & non ad commune bonum referatur. Imò „

» ſine diſpenſatione plura Beneficia, ſeqq. caſibus haberi
» poſſunt:
» I. Si utrumque adeò ſit tenue, ut neutrum ſufficiat ad
» ſuſtentationem: modò utrumque ſit ſimplex, nec reſiden-
» tiam requirat.
» II. Quando Parochia eſt annexa Canonicatui, eique
» acceſſoria: tunc enim utrumque per modum unius poſſi-
» detur, ita tamen, ut teneatur Vicarium perpetuum in
» Eccleſia alere.
» III. Quando beneficia legitimè ſunt unita.
» IV. Quando alius idoneus, & dignus non reperitur.
» V. Quando unum beneficium habetur in titulum, alterum
» in Commendam non perpetuam, ſed ad aliquot menſes, do-
» nec de idoneo provideatur. Ita *Reginal.* ex *Sylv.*
» *Quæres*: An, & quomodo Clerici teneantur ad reſi-
» dentiam?
» *Reſp. I.* Epiſcopos, Parochos, eoſque, qui curatum
» beneficium habent, jure Divino teneri. Nec ſufficit, ſi
» per alios adminiſtrent, niſi majus bonum urgeat: quia
» contra rationem eſt, ut hic officium & fructus, alter onus
» habeat. Bon. *t.1.d.5.de oblig.benef.p.1.*
» *Reſp. II.* Ita teneri ad reſidentiam, ut ſi Epiſcopi intrà
» annum ultra tres, & Parochi ultra duos menſes, abſque le-
» gitima cauſa per Epiſcopum cognita & approbata, abſint,
» mortaliter peccent, & fructus non faciant ſuos. Ita Trid.
» *ſeſſ.23.de Ref.c.1.* V. Bon. *l.c.* Notat autem Dian. *p.9.t.7.r.53.* ex
» *Bordon.* ſupradicta etiam habere locum in Superioribus ſive
» Prælatis regularibus; ideoque eos teneri tempore peſtis,
» etiam cum periculo, ſuis aſſiſtere.
» *Reſp. III.* Qui in Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis
» obtinent dignitates, Canonicatus, Præbendas, vel portio-
» nes, ſi intrà annum ultra 3. menſes abſint, primo anno me-
» dia parte fructuum, ſecundo verò anno omnibus fructibus,
» quos illo anno lucrati ſunt, privandos: Quæ tamen pœna
» eſt ſententiæ ferendæ, non latæ, ut conſtat ex Trid. *ſeſſ.24.*
» *c.12.de Ref.*
» *Reſp. IV.* Cauſas à reſidentia excuſantes eſſe, 1. Doctionem
» Theologiæ vel Juris Canonici: neque ad hoc licentiam
» Prælati, aut Epiſcopi requiri; requiri autem ad doctiones
» litterarum humaniorum, & Philoſophiæ; niſi contrarium
» habeat conſuetudo. 2. Studium Theologiæ, vel Juris Cano-
» nici; id enim per 5. annos etiam excuſat. 3. Obſequium Pa-
» pæ, vel Epiſcopi, ad Eccleſiæ utilitatem. 4. Licentiam
» legitimam ex quavis alia juſta cauſa. 5. Honeſtam conſue-
» tudinem, ubi diſpoſitio Concilii non eſt recepta. Vid.
» Bona *c.loc.cit.*
» *Reſp. V.* Qui abſque juſta cauſa abeſt, peccat mortaliter,
» non tamen tenetur ad reſtitutionem fructuum, ſi officio ſa-
» tisfecerit, niſi ad eam condemnetur, vel niſi id aliquo ju-
» re ſit expreſſum.
» *Reſp. VI.* Eos, qui ex legitima cauſa abſunt, non lucrari
» diſtributiones, juxta *Trid.* niſi tamen abſint ad curanda ne-
» gotia Eccleſiæ, ex commiſſione Capituli, vel omnino invo-
» luntariè ob morbum, captivitatem, injuſtam excommuni-
» cationem, &c. V. Leſſ. *num.164.*

ADDENDA.

863 *Quæſt.* 127. *Quid addendum ſit circa incompatibili-*
tatem Beneficiorum? R. De hac dicetur à *n.896.*

864 *Q.*128. *Quid circa reſidentiam ſit prætereà notandum?*
R. Seqq.

§.1. Reſidentia eſt præſentia perſonæ in loco beneficii ad ei
deſerviendum. Alia eſt præciſa, alia cauſativa; tum dicitur
præciſa, ſi ſit inſeparabilis à beneficio, ideoque obliget ſub
pœna amiſſionis tituli; cauſativa eſt, ſi ſine ea poſſit retineri
beneficium, ideoque obliget ſub pœna amiſſionis ſolorum
fructuum.

865 §.2. In beneficiis curatis requiritur reſidentia perſonalis
perpetua, de qua videri debent dicta *l.3.p.1.à nu.736.* Et in his
quidem beneficiis requiritur non tantùm de jure humano, ſed
etiam divino & naturali, ex quo Paſtores tenentur paſcere gre-
gem ſuum, S.Th. Leſſ. Hurt. Pirh. Leur. *p.3.q.119.* ſic tamen, ut
omiſſio illius quandoque ob certas circumſtantias cohoneſtari
poſſit, Az. Laym. Leſſ. Garc. Pirh. Leur. *q.120.* Et quidem quo-
ad Epiſcopum, docent *Vaſq.* & alii cum Caſtrop. *tr.13.d.5.p.1.*
n.4. Papam non poſſe diſpenſare, ut abſit ab Eccleſia, quia ab-
ſens non poteſt ſatisfacere officio, *Az.* tamen *Fill.* & alii ab-
ſolutè dicunt Papam ex cauſa diſpenſare poſſe, ſed probabiliùs
concludit Lugo *in Reſp.Mor.l.5.d.13.* Papam poſſe diſpenſare
in lege Eccleſiaſtica imperante reſidentiam Epiſcopo, non ta-
men in lege divina naturali eam requirente, ſed tantùm poſſe
declarare, an hic & nunc ſint tales cauſæ vel circumſtantiæ, ut
jus divinum naturale non cenſeatur obligare; & inter circum-
ſtantias ſunt neceſſitas vel magna utilitas Eccleſiæ, aut meritũ
illius, cum quo diſpenſatur. Idem applicandum eſt Parocho,
cum quo poteſt ſimiliter procedere Papa. V. Leur. *p.1.q.367.*
& p.3.q.122.

§.3. Sola conſuetudo etiam immemorialis facere non po- 866
teſt, ut curatis liceat non reſidere, Abb. Cov. Rebuff. Leſſ. Garz.
Pirh. Leur. *p.3.q.121.* limitat Barb. *de off. Parochi p.2.c.18.nu.39.*
niſi ſuppleat Vicarius perpetuus; attamen tunc licentia non
habetur vi conſuetudinis, ſed præſumitur adfuiſſe diſpenſatio
vel declaratio Papæ.

§.4. Epiſcopi & Parochi tenentur reſidere, etiamſi tres aut 867
quatuor tantùm habeant ſubditos: item ſecundùm dicta *n.727.*
licèt habeant Coadjutores, Barb. *c.8.à n.4.* niſi tota cura ſit tran-
ſlata in Vicarium perpetuum, Garz. *p.3.c.2.num.175.* Similiter
tenentur, qui Parochiam habent in Commendam, Garc. *n.165.*
Et quamvis illis omnibus ſtatim poſt poſſeſſionem moveatur
lis in petitorio, adhuc tenentur, Garc. Leur. *p.1.qu.366.* Imò
Fill. & Az. *p.2.l.7.c.4.q.1.* ad ſimiliter reſidendum obligant illos,
quibus incumbit tantùm exterior Cura animarum per viſita-
tiones, correctiones, cenſuras &c. ſed quoad hos praxis eſt
contraria.

§.5. Trid. *ſeſſ.23.cap.1. de Ref.* indulget Epiſcopis ex juſta 868
cauſa abeſſe per trimeſtre, ſive continuè, ſive interruptè; monet
tamen, ut adſint in Adventu, Natali Domini, Quadrageſima,
Paſchate, Pentecoſte, Corporis Chriſti. Quòd ſi diutiùs abeſ-
ſe velint, indigent licentia Papæ vel Metropolitani vel ſenioris
Suffraganei, uti habet *Trid.* & videri poteſt Leur. *p.1.qu.373.*
Vide etiam dicta *n.477.* Quamdiù & quomodo abeſſe poſſint
Parochi, dictum eſt *l.3.p.1.à nu.736.* Prætereà quomodo Epiſ-
copus vel Cardinalis abeſſe poſſit ob occupationem in ſervitio
Papæ aut Sedis Apoſtolicę, item Parochus in ſervitio Epiſcopi,
videri poteſt Leur. *q.386.*

§.6. Spectata diſpoſitione juris communis, omne benefi- 869
cium etiam ſimplex, exceptis præſtimoniis, requirit præci-
ſam reſidentiam, ſed generalis conſuetudo eam obligationem
ſuſtulit, niſi obſtet alia ſpecialis conſuetudo, ſtatutum aut
fundatio, Garc. Lott. Leur. *p.3.q.114.* Et licèt fundatio requirat
aliquod ſervitium perſonale in certo loco vel altari, v.gr. Miſ-
ſam, aut etiam aſſiſtentiam in choro, non ideò ſemper cenſeri
debet beneficium eſſe reſidentiale, quia officium poteſt fieri
per alium, aut ſine reſidentia, aut ſaltem talis reſidentia ſæpè
tantùm eſt cauſativa, Garc. *p.7.c.1.num.89.* & in dubio non
præſumitur eſſe præciſa, Gonz. *ad Reg.8.gl.15.num.19. & 22.*
Luca *de benef.d.58.n.4.* Imò licèt fundatio dicat, ut per ſeipſum
præſtet ſervitium, tamen notat Lott. *l.3.q.27.n.14.* Rotam non
repugnaſſe, ut per alium præſtaretur. Nec etiam refert, quòd
fortè dicatur Canonicatus, quia multa beneficia dicuntur
Canonicatus, qui tamen non ſunt, Luca *d.59. & 63.num.3.*
beneficia tamen in Eccleſia propriè Collegiata ſunt reſidentia-
lia, Luca *d.60.* Hoc non obſtante dicit Leſſ. *in auct.v.Beneficium caſ.*
18. in Belgio poſſe aliquem cum venia ſui Capituli ali-
quot annis Romæ eſſe pro diſcenda praxi, ſimulque agere cau-
ſam alicujus Principis in Curia: ſed Capellaniæ, de quibus in
abſentia nihil percipi poteſt, videntur requirere perſonalem
reſidentiam.

§.7. Quamvis reſidentia in Beneficiis purè ſimplicibus ſit 870
juris tantùm humani, tamen ſolus Papa & non Epiſcopi in
tali reſidentia diſpenſare poſſunt in perpetuum, ſed ſolùm ad
tempus ex juſtis cauſis. Quòd ſi fundatio aliqua requirat reſi-
dentiam perſonalem, & fructus ita imminuti ſint, ut non
reſpondeant iſti oneri, poteſt Epiſcopus in reſidentia diſpen-
ſare, Garc. *l.7.c.1.n.126.* Lott. *num.19.* Vide Leur. *ſuprà*, item
dicta *num.845.*

§.8. Quoad illos, qui dignitates obtinent, eſt ſpecialis 871
obligatio reſidendi, in qua diſpenſare non poſſunt Capitula nec
Epiſcopi, niſi ex cauſis in jure expreſſis, quod omnibus per-
mittit tres menſes de anno, ad recreationem etiam, & ſine cau-
ſa vel licentia, Fill. *t.41 c.6.nu.29.* ſed non debent beneficiati
unius Capituli abeſſe omnes ſimul, ne deſtituatur chorus; nec
ad illos tres menſes componendos poſſunt dies confici ex ho-
ris, quibus emanetur è choro, ſed integri dies accipi debent,
Corr. *l.2.c.14.n.49.*

§.9. Per conſuetudinem induci poteſt, ut ſine reſidentia 872
percipiatur corpus fructuum, non tamen diſtributiones: fitque
etiam quandoque, ut legitimè excuſatus nequidem corpus per-
cipiat, uti novitius in Religione; & è contra ut abſens ob ne-
gotium neceſſarium Eccleſiæ lucretur etiam diſtributiones. Vi-
de hæc fuſiùs deducta apud Leur. *q.395. & ſeqq. Cap. fin. de Ma-*
giſtris, permittitur beneficiatis non curatis abeſſe, quamdiù vo-
lunt, ac percipere fructus, ſi cum licentia Univerſitatis doceant
in ea publicè Theologiam, Az. Garz. Leſſ. *l.2.c.34.n.163.* Idem
eſt de publica doctione juris Canonici, Nav. Az. Garc. Leſſ. *l.*
2.q.47.n.201. Idem dicit Garz. *p.3.c.2.n.119.* de docentibus S.
Scripturam in Cathedralibus & Collegiatis: item de concio-
nantibus. V. Leur. *q.379. &* 410.

§.10. Docet Menoch. *de arb. Jud. caſ.425. à num.26.* degen- 873
tes in Univerſitate ob ſtudium excuſari à reſidentia & percipere
poſſe fructus, ſed praxis habet, ut facultas petatur ab Epi-
ſcopo,

ſcopo, & hoc videtur hodiedum requiri, uti colligitur ex *cap. Tuæ fraternitatis*, 12. *de Cler. non reſident.* docentque Paxjord. Barb. in Trid. *ſeſſ.* 5. *c.* 1. *de Reform. num.* 59. Leur. *q.* 408. *nu.* 2. quia Epiſcopo committitur, ut cauſas, & circumſtantias conſideret. Et quamvis Felin. Rebuff. Garz. Leur. *qu.* 403. dicant fructus non lucrifieri in abſentia, niſi in caſibus à jure expreſſis, ideòque diſpenſatum à reſidentia non poſſe percipere fructus beneficii, niſi hoc diſtinctè concedatur in diſpenſatione, tamen *cap. Licèt*, 32. *de Præb.* videntur concedi toti fructus, ſed praxis multis locis habet, ut diſpenſato aſſignetur ab Epiſcopo certa portio vel tota quantitas, quam percipere debeat, ne à Capitulis obmoveatur difficultas: Epiſcopi autem tenentur licentiam dare illis, qui minores ſunt 30. annis & volunt ſtudiorum cauſa Univerſitatem adire, *Garz. Barb.* ſuprà. Non poſſunt tamen dare licẽtiam ad ſeptem annos ſed tantùm ad quinque, etiam pro ſimplicibus beneficiis, uti ex declaratione Sac. Congreg. docent Garc. Barb. *num.* 60. Leur. *q.* 408. *num.* 2. contra Zech. & Zerolam; idque tantùm ad ſtudia Theologiæ vel Canonum, uti habet *Garc.* contra alios, & poſſunt emanere toto quinquennio, dummodò reipſa pergant ſtudere etiamſi ante illud elapſum ſuſcepiſſent gradum Doctoratus, quia etiam Doctores diſcere debent, Luca, Leur. *q.* 409. Sic autem abſens non lucratur quotidianas diſtributiones, uti habetur *cap. Licèt*, ſuprà, niſi fortè beneficium conſiſteret in meris diſtributionibus, eum enim tum lucrari certas, & ordinarias diſtributiones (non tamen incertas) docent *Gl. Abb. Rebuff.* & alii, quamvis Garz. Paxj. Barb. *nu.* 56. ex declaratione S. Congr. putent, quòd carere debeat tertia parte,

874 §. 11. Etiam facit conſuetudo aliquarum Eccleſiarum, ut Canonici non reſidentes nec conſtituentes alium, qui deſerviat pro ſe, licitè & ſine diſpenſatione percipiant totos fructus, dummodò maneant ſufficientes Miniſtri pro officio, & cultu Divino, *Abb. Fagn. Pirh. Leur.* Notant etiam Covarr. Ripa & Leſs. *in auct. v. Horæ Canonicæ caſ.* 17. Canonicos non poſſe privari corpore fructuum, ſi abſint propter contagionem ſeu periculum peſtis: ſed quoad Parochos diximus *l.* 3. *p.* 1. *nu.* 748. eos non poſſe diſpenſari ab Epiſcopis, ut abſint cauſa ſtudiorum: ſimiliter maximè tenentur reſidere tempore peſtis, & belli, ſecundum ibidem dicta *num.* 754. An autem gaudeat præſentiis, qui abeſt ob infirmitatem ſibi ex culpa cauſatam, dicetur *num.* 1210.

875 §. 12. Canonicus ob occupationes in ſervitio Epiſcopi non reſidens gaudet fructibus Beneficii, *cap. De cætero*, *cap. Cùm dilectus*, *cap. Ad audientiam*, *de Cleric. non reſid.* ubi ratio redditur, *Cùm abſentes dici non debeant, ſed præſentes, qui tecum pro tuo, & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur*. Unde & Gonz. *ad cap. De cætero*, adductis plurimis concludit haberi ut reſidentes, & percipere omnia præter quotidianas diſtributiones; conſentit Fagn. *ad cap. Ad audientiam*. Nec refert, ſive ſit in Eccleſia Cathedrali ſive in Collegiata, quia ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus: hinc Fagn. *num.* 3. dicit identitatem rationis hic conſiderari. Non debent tamen verſari in Epiſcopi obſequio ob ſuum privatum commodum, neq; ob temporale aut privatum commodum Epiſcopi, v. g. venationis vel œconomiæ cauſa, ſed ita, ut ſervitium in Eccleſiæ cedat commodum, uti clarè colligitur ex *cap. Ad audientiam*: hoc autem ipſo, quòd ſerviant Epiſcopo, juvando ipſum in negotiis ad Epiſcopale ejus officium pertinentibus, uti ſi fungantur munere Vicarii, Sacellani, Conſiliarii apud ipſum, cenſentur ſervire ipſi Eccleſiæ; hinc alii dicunt debere ſervitium cedere in utilitatem implicitam Eccleſiæ, quod fit, ſi ſit in utilitatem Epiſcopi prout gubernantis Eccleſiam. Præterea quamvis jus non diſtinguat inter primam reſidentiam, per quam primò acquiritur plenum jus in beneficio, & ſecundam, videaturque eſſe eadem ratio de utraque, tamen cùm prima reſidentia ſoleat ſeverius exigi & exactius obſervari, videtur facultas non reſidendi pro prima reſidentia non eſſe danda, niſi ſervitium talis perſonæ fuerit neceſſarium. V. Leur. *qu.* 406. qui *q.* 407. refert, quandonam deſerviens Epiſcopo poſſit frui etiam diſtributionibus.

De pœnis Epiſcoporum & aliorum Curatorum non reſidentium videri poſſunt plura apud Leur. *p.* 1. *q.* 388. & 389. De pœnis autem aliorum non Curatorum, *q.* 424.

Quamdiù reſignans & quando reſignatarius obligetur ad reſidentiam, dicetur *n.* 965.

876 *Q.* 129. *Quid notandum ſit circa obligationem aſſiſtendi in choro & Capitulo?* Reſp. Seqq.

§. 1. Si præbendatus abſque legitima cauſa abſit à choro ultra tempus à jure permiſſum, *Garc. Caſtrop.* & alii multi apud Leur. *p.* 1. *q.* 399. dicunt peccare mortaliter, quia Eccleſia jubet graviſſimas pœnas tali infligi, nempe privationis ſtipendii, ſuſpenſionis, excommunicationis, ergo ſignum eſt ſupponi gravem culpam: putant tamen probabiliter *Silv. Cov. Suar. Vaſq. Bonac.* ſi de anno abſit tantùm per dies tres aut quatuor, eſſe tantùm veniale: præterea Caj. Nav. Valent. Ang. Regin. Barboſ. *de pot. Ep. alleg.* 53. *n.* 131. dicunt fore tantùm veniale, quamvis per longius tempus abeſſet: addunt Tamb. *in Dec. l.* 2. *c.* 5. §. 1. *n.* 7. aliique apud Gob. *in Exp. t.* 5. *nu.* 700. quamvis per totum annum abeſſet, dummodò reſideat, & non ideò negligatur chorus, non fore mortale, quia obligatio aſſiſtendi choro eſt diverſa, & videtur præcipuè præcipi ſub pœna amittendarum diſtributionum.

§. 2. Qui à choro abeſt, & tamen participat diſtributiones, 877
peccat, & tenetur reſtituere, etiam ante omnem ſententiam, etiamſi Epiſcopus vel Capitulum, aut illi ipſi, quibus deberent accreſcere, remitterent, quia talis remiſſio eſt invalida, per Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. *de Ref.* Caſtrop. *t.* 7. *d.* 3. *p.* 2. *nu.* 1. & *p.* 6. *n.* 3. & *p.* 9. §. 13. Lugo *de juſt. d.* 21. *n.* 51. Si tamen portiones abſentium datæ fuerint præſentibus, hi poſſunt dare illi, qui abfuit, quia tum non remittunt, ſed donant; attamen hoc fieri non debet ex pacto vel in fraudem legis, Sanch. *in Conſ. lib.* 2. *c.* 2. *d.* 109. Lugo *in Reſp. Mor. l.* 5. *d.* 18. *n.* 5. Vide etiam Leur. *q.* 421. qui *q.* 422. declarat, ad quem aliàs ſpectent portiones abſentium.

§. 3. Si obligatus ad præſentiam in choro, compareat 878
quidem ſed non canat, peccat, niſi conſuetudo prævaleat, quòd aſſiſtens poſſit per Vicarium canere, quia eſt obligatio perſonalis *Aſſiſtendi choro ad pſallendum divinum officium*, & mandat *Trid.* ut Canonici per ſeipſos onera & officia annexa præſtent, uti dictum eſt *num.* 813. docetque cum aliis Caſtrop. *p.* 3. Quòd ſi obligetur ad canendum per ſe, & non canat, ſed attendat vel recitet ſubmiſsè, *Suar. Fill. Bonac.* & alii cum Gob. *n.* 703. dicunt poſſe participare diſtributiones, quia religioſè aſſiſtit; contradicunt Rodriq. Caſtrop. *p.* 4. *n.* 5. Tamb. §. 3. *n.* 16. tum quia non aſſiſtit prout debet, nempe chorum juvando, tum etiam quia non dicitur abſolutè recitare in choro aut eſſe pars chori, quod tamen Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 12. & *S. Pius V.* requirunt ad hoc, ut poſſit participare diſtributiones: Laym. tamen & Beja *p.* 1. *caſ.* 55. putant lucrari partem, quia aſſiſtentia etiam eſt ad decorem chori; imò poteſt facere conſuetudo, ut tantùm aſſiſtens percipiat diſtributiones recitando Horas privatim, Azor. Med. Tol. Leſſ. Garc. *par.* 3. *cap.* 2. *num.* 514. dummodò habeat Capellanum & Miniſtrum, qui canat. Vide Leur. *q.* 418.

§. 4. Si alicui liceat per alium canere, & aſſiſtat quidem, 879
attamen nec oret nec attendat, ſed fabuletur, dormiat aut legat profana, putant *Suar. Garc.* & alii, quod adhuc lucretur diſtributiones, quia eſt præſens, quod Tamb. §. 4. *nu.* 22. dicit eſſe probabile, ſed negant alii communiùs cum *Barb. & Caſtrop.* apud Gob. *n.* 702. quia diſtributiones aſſignantur tantùm illis, qui aſſiſtunt aſſiſtentia humana cedente in honorem & cultum Dei, uti colligitur ex dictis.

§. 5. Etiam ille cenſetur abſens à choro, qui ſub cantu legit 880
Miſſam, quamvis in eodem templo, niſi eſſet Officium ſub tali Hora, aut juberetur à Superiore, Barb. *n.* 134. Quinam autem excuſentur à choro, & tamen participare poſſint diſtributiones, fusè deducunt Barb. à *nu.* 141. Caſtrop. *p.* 9. Dian. *p.* 9. & *p.* 5. *t.* 2. *R.* 79. Leur. *q.* 402. & *ſeqq.*

§. 6. Quamvis Canones privantes Clericum diſtributioni- 881
bus, ſi abſit à choro, de rigore non cadant in Canoneſſas & earum Abbatiſſam, tamen ſpectato jure naturæ, cui ſe conformarunt Canones, & ex præſumpta voluntate fundatorum, dicendum eſt illas non frui diſtributionibus ſi abſint, ſed eſſe dandas præſentibus, aliud eſt, ſi aliqua abſit pro utilitate Eccleſiæ, uti de Clericis dictum eſt, & cum communi notat Barb. *num.* 171. tunc enim frui poſſunt.

§. 7. Quanta apud Religioſos profeſſos ſit obligatio frequẽ- 882
tandi chorum, videri poteſt apud Tamb. §. 1. *nu.* 7. Docent autem *Leand. & Tamb.* apud Gob. *nu.* 698. ſi in aliquo Monaſterio non ſint ſaltem quatuor Religioſi, non eſſe obligationem chori, putantque ſufficere, ſi ſaltem cum novitiis ſint quatuor. Quod attinet ad Canonicos, quamvis, per ſe loquendo, ſit obligatio, ut in choro canant omnes Horas, tamen conſuetudo multis locis obtinuit, ut nequidem Veſperas canant niſi feſtis, profeſtis & Octavis, aut etiam rariùs Matutinum. Quòd ſi nequidem quatuor ſint Canonici, qui poſſint canere, *Marchinus* excuſat à cantu, attamen obligat ad dicendas alta voce Horas in choro, ſed *Tamb.* dicit, ſi teneantur frequentare chorum, etiam teneri canere. Vide *Gob.* ſuprà.

§. 8. Non eſt licitum Canonico ordinariè abeſſe à Ca- 883
pitulo, quia ſi id liceret uni, liceret omnibus, quibus tamen incumbit regimen ſuæ Eccleſiæ, Garc. *p.* 3. *c.* 2. *a num.* 529. enumerans poſteà cauſas juſtæ abſentiæ. Vide etiam Leur. *quæſt.* 420.

ARTICULUS V.

Quibus modis Beneficia amittantur. 884

RESP. I. Beneficia quatuor modis amittuntur, 1. Per „
mortem beneficiati. 2. Ex diſpoſitione juris: idque „
vel propter alterius beneficii incompoſſibilis conſecutionem, vel per profeſſionem Religioſam, vel per contra- „

ctum

„ ctum Matrimonii, vel per commiſſionem criminis, (v. gr. „ hæreſis, ſchiſmatis, ſodomiæ ſæpius exercitæ) cui amiſſio „ beneficii ipſo facto eſt annexa, ut V. apud Leſſ. *l.2.cap.34.d.* „ 34. 3. Per ſententiam judicis. 4. Per liberam reſignationem: „ de qua,

„ Reſp. II. Reſignatio eſt ſpontanea proprii beneficii di- „ miſſio facta coram legitimo Superiore id acceptante: Eſt- „ que duplex, ſcilicet tacita, quæ fit ex juris diſpoſitione, „ ut dum quis Religionem profitetur: & Expreſſa, quæ rurſus „ eſt duplex, ſcilicet pura, quæ fit ſine conditione & pacto „ appoſito, coram Ordinario, qui beneficium cuilibet alteri „ conferre poteſt; & conditionata, ſeu in favorem: eaque „ vel eſt ſimplex in favorem, ut quando fit abſque reſervatio- „ ne; vel eſt Qualificata, quando ſcilicet fit reſervato ſibi jure „ regreſſus, vel penſione, vel fructibus aliquibus, quæ ob ſimo- „ niam juris humani, non niſi in Pontificis manibus fieri po- „ teſt. Et quamvis verius ſit, etiam reſignationem ſimplicem „ in Pontificis manus faciendam, cùm alioqui periculum ſit, „ ne Beneficiorum reſignationes ſpeciem quandam hæredita- „ riæ ſucceſſionis acquirant, quod jura Canonica deteſtantur; „ probabile tamen eſt, in manus Ordinarii fieri poſſe, eò quòd „ permutatio ejus manibus fieri poſſit. Idque à fortiori verum „ eſt, ſi fiat ſine modo obligatorio, quamvis addita deprecа- „ tione, ut perſonæ certæ conferatur. Idque obſervari poteſt „ ubi non eſt recepta Bulla *S. Pii V.* quamlibet perſonæ ſucceſ- „ ſuræ deſignationem prohibens, quam citat Laym. *l.4.t.2.c.17.*

„ Porrò ut reſignatio conditionata valida ſit, requiritur, 1. „ Ut beneficium ſit reſignantis, cùm reſignatio ſit juris ſui di- „ miſſio. 2. Ut fiat liberè. 3. Ut fiat in manibus ejus, qui po- „ teſt admittere, ſcilicet Pontificis, Ordinarii, Collatoris, „ vel Inſtitutoris, juxta dicta. 4. Ut acceptetur à Prælato, in „ cujus manibus fit: quia ſine acceptatione jus ſuum reſignans „ non perdidit. 5. Ut conferatur illi, in cujus favorem cum „ clauſula conſueta (*non aliter, nec aliàs*) eſt reſignatum. 6. „ Ut is, cui confertur, acceptet, aliàs enim reſignans non „ perdit beneficium, propter clauſulam, *non aliter*. 7. Re- „ quiritur conſenſus Patroni, vel Electorum, prout Benefi- „ cium eſt patronatum vel electivum. 8. Si reſignans ſit infir- „ mus, ut à reſignatione ſupervivat 20. dies: aliàs enim per „ obitum vacare cenſebitur. 9. Ut ſi reſignatio fiat in Curia „ Romana, intrà 6. menſes à ſupplicatione oblata computan- „ dos, in loco beneficii publicetur: ſin autem extra Curiam, „ intrà menſem: alioqui ſi contingat reſignantem mori, ante- „ quam reſignatarius cepit poſſeſſionem, Beneficium per obi- „ tum vacare cenſebitur, Leſſ. & Laym. *c.17.*

„ Reſp. III. Permutatio Beneficiorum, quæ eſt quædam „ ſpecies conditionalis reſignationis, fit, cùm duo beneficia- „ ti, unum vel plura ſua beneficia, Pontifici non reſervata, „ in manus Ordinarii, alteriuſve Epiſcopali authoritate præ- „ diti, reſignant, cum conditione, ut is poſteà viciſſim alte- „ ri alterius beneficium conferat: Quod quandoque Epiſcopus „ inſtituere poteſt, ſi neceſſitas ita exigat; vocatis tamen iis, „ quorum intereſt, ſcilicet Patrono, & Collatore inferiore. „ Ad hanc autem omnia requiruntur, quæ ad reſignationem „ in favorem, V. Leſſ. *d.35. & 36.* Laym. *cap.17.* Bon. *de ſimon. d.1.q.4. ſ.12.*

„ *Quæres* I. An licitè ſint permutationes coram Ordinariis, „ in menſibus reſervatis per Concordata Germaniæ? *Reſp.* „ Affirmativè, quia per reſervationem Concordatorum, non „ cenſetur Pontifex voluiſſe conditionem Ordinariorum Ger- „ maniæ deteriorem facere, quàm Epiſcoporum extra Germa- „ niam, coram quibus id ſimpliciter licet.

„ *Quæres* II. An licitum ſit permutare beneficia; compen- „ ſata fructuum æqualitate?

„ *Reſp.* I. Non licere, ſi beneficium copioſius, non ſepa- „ ratis proventibus à titulo, permutetur cum tenui. Ratio, „ quia exceſſus ille, eò ipſo, quò manet annexus titulo, eſt „ debitus titulo, ideoque pro eo nihil exigi poteſt, quin etiam „ exigatur pro titulo.

„ *Reſp.* II. Poſſe peti compenſationem, ob hujſmodi per- „ mutationem, à Pontifice pro incommodo temporali; quod „ alter ſubit, ſpoliando ſe proventibus ſui beneficii; ideoque „ talis compenſatio non eſt pretium beneficii, aut proven- „ tuum annexorum, ſed conditio, ut ſe indemnem ſervet, ſine „ qua conditione nollet ſe ſpoliare.

„ *Reſp.* III. Jura proventuum poſſe ſeparari à titulis, & pri- „ mò nudos titulos, deinde alio contractu jura proventuum, „ utpote temporalia permutari, compenſato exceſſu opulen- „ tioris, idque authoritate ſolius Papæ. V. Leſſ. *l.c.* Bon. *n.11.*

„ *Quæres* III. An licitè permutetur beneficium hac lege, ut „ expenſæ litis, vel Bullarum, refundantur per recipientem? „ *Reſp.* Videri permutationem ſimoniacam, ſi impenſæ ſint „ cauſa impulſiva permutationis, ſine qua actus non fuerit „ futurus. Idem de ſimili reſignatione affirmarem. V. Leſſ. „ *l.c.* Bon. *num.9.*

ADDENDA.

Quæſt.130. Quid circa vacationem Beneficiorum ſit ad- 885
dendum? R. Seqq.

§.1. Beneficium vacare poteſt, 1. De jure tantùm, ſi quis habeat illius poſſeſſionem, ſed nemo jus in eo, uti ſi Titius ob crimen, vel poſſeſſionem alterius incompatibilis ſit actu beneficio privatus, cujus tamen poſſeſſioni inſiſtat. De facto tantùm, ſi quis habeat jus in Beneficio, ſed nemo poſſeſſionem, uti ſi Titius habeat ſolam collationem. 3. De jure, & de facto, ſi nemo habeat in eo, aut jus, aut poſſeſſionem, uti fit beneficiato mortuo; & hæc utraque vacatio venit communiter nomine vacationis; poteſtque idem beneficium vacare de jure per obitum unius, & de facto per obitum alterius, uti colligitur ex dictis, Roſa *de Execut.lit.Apoſt.par.1.cap.6.à num.208.* Vide etiam Leur. *p.3.qu.2. qui à quæſt.4.* exponit vim termini illius, *vacare*.

§.2. Duo univerſim ſunt modi vacationis, nempe naturalis 886
quem inducit natura ipſa per mortem beneficiati, & civilis, ſi beneficiatus dimittat, vel excludatur à beneficio: prior vacatio vocatur deceſſus: poſterior, ceſſus, Leur. *qu.3.qui q.21.* notat ſimiles vacationes etiam aliqua ratione convenire beneficiis manualibus. Vide eundem *q.22.* De cætero ſpeciales modi, quibus vacare poſſit beneficium, ſunt plurimi, quorum 48. fuſè enumerat Barb. *de pot.Epiſc.alleg.57.à n.199.*

§.3. Beneficium cenſetur vacare in loco, in quo quis mo- 887
ritur, jus enim adhærebat perſonæ, ergo ibi deſinit, ubi perſona, *Imol.Gonz.Lott.* Si obtineatur beneficium aliud incompoſſibile, ibi vacat primum, ubi capitur poſſeſſio ſecundi, Vital. Cardin. Imol. Gonz. *ad.Reg.8.gl.15. ſ.2.n.10.* Si beneficium perdatur propter factum negativum, v.gr. quia quis inter annum non eſt promotus, ibi vacat, ubi eſt perſona non promota in fine anni, Rebuff. Tond. Garc. *p.5.c.1.num.78.* Si perdatur ipſo jure propter factum poſitivum, ibi vacat, ubi delictum eſt commiſſum, Tond. Garc. *num.79.* Si perdatur per ſententiam, ibi vacat, ubi fertur ſententia privationis, Abb. Felin. Simon. Pavin. Mandoſ. Gonz. *n.18.* contra *Gom. & Cardin.* Si perdatur per Matrimonium, ibi vacat, ubi Matrimonium contrahitur, etiamſi fiat per procuratorem, Vital. Gonz. *n.15.* Si reſignetur, vel permutetur, ibi vacat, ubi hoc fit, unde ſi fiat apud Ordinarium, vacat in partibus, ſi apud Papam, vacat in Curia, Gl. Vital. Simon. Rebuff. Pariſ. *l.1.q.4.n.50.* Omnia verò beneficia affecta, ſeu reſervata dicuntur vacare in Curia, uti & omuia, quorum vacatio in Curia inducitur, Simon. Garc. *n.73.* In dubio, beneficium non reſidentiale præſumitur vacare illo loco, in quo beneficiatus ordinariè habitabat; reſidentiale autem in loco beneficii, *cap.Ex tua, de Cler.non reſid.* Abb. Alciat. Maſcard. Gonz. *n.25.* V. Leur. *qu.25.*

§.4. Si beneficium vacat, etiam tantùm jure, v.g. ob crimen, 888
conferri poteſt alteri, etiam ante ſententiam declaratoriam criminis, & non citato criminoſo poſſidente; quia cùm ipſo jure ſit privatus, caret jure, & alius eſt ejus capax, *Azor. Gonz. Pariſ. Mandoſ. Sanch. Rebuff. Garc. Barb. Chok. Lott. Pirh.* Attamen non poterit novo proviſo dari poſſeſſio, niſi vocato primo poſſeſſore; multò minùs dari poteſt, ſi criminoſus tantùm fuiſſet privandus, ſed prærequireretur ſententia privationis, idem AA. cum Leur. *qu.8.* Vide Roſam à *n.234.*

§.5. Vacatio non inducitur ex perſona habente ſolummo- 889
dò jus ad beneficium, uti ſi moriatur præſentatus, ante inſtitutionem; electus, ante confirmationem, quia beneficium per talem perſonam nunquam fuit plenum; hinc manet ſub diſpoſitione, & modo providendi, qui competebat ex vi prioris vacationis, *Vital. Pariſ. Gonz. Put. Lott.* Idem eſt, ſi ille, cui collatum eſt beneficium, aut datum eſt mandatum proviſionis in forma, *dignum*, moriatur ante acceptationem, vel executionem, *Gonz. Lott.* Quomodo tamen cenſeatur inducta vacatio in ordine ad reſervationem, vide Leur. *q.17. & 28.*

§.6. Non poteſt dari duplex in eodem genere vacatio ejuſ- 890
dem beneficii, ſed prima impedit ſequentem, *cap. Suſceptum, de Reſcript.in 6.* Gonz. Lott. Leur. *q.18.* Vacatio autem non conſumitur, ſeu non finitur per proviſionem de jure nullam, aut non acceptatam, nec per commendationem beneficii, attamen conſumitur per proviſionem legitimam acceptatam, etiam ſine poſſeſſione; uti & per ſignaturam, & regiſtraturam ſupplicæ jam extraditæ, & acceptatæ, licèt necdum expeditis litteris, dummodò fuerit reſcriptum in forma *gratioſa*. Item conſumitur, imò in perpetuum tollitur per unionem ad alterum beneficium factam in perpetuum, Tond. Gonz. Lott. Leur. *q.19. & q.22.nu.2.* Specialiter autem ſtatuitur *Extrav. Injunctæ, de Elect.* inter communes, ut vacatio Sedis Epiſcopalis, vel Abbatialis non cenſeatur finiri niſi litteræ confirmationis, aut proviſionis Apoſtolicæ ſint expeditæ, & præſentatę Capitulo, Rebuff. Gonz. Leur. *q.20.*

§.7. Si verba fundationis ſic habeant, *quando contigerit* 891
poſſeſſorem mori, ſubſtituatur, qui has qualitates habeat, per

To

Tò mori, debet intelligi quæcunque vacatio beneficii, nam tantùm ponitur mors, quia per hanc communiùs vacant beneficia, Sanch. *de Matr. l. 7. d. 8. n. 13.* Leur. *q. 27. n. 2.*

892 *Q.* 131. *Quid addendum ſit circa vacationem per obitum?* R. Seqq.

§. 1. Mors talem inducit vacationem, ut licèt beneficiatus reſurgeret, jus ei non rediret, quia mors omnia jura ſolvit, Gonz. Barb. Caſtrop. Leur. *p. 3. q. 26.*

893 §. 2. Per mortem hic intelligitur naturalis, hoc enim nomine ſimpliciter non venit mors civilis, niſi in caſibus à jure expreſſis, Fagn. Laym. Luca, Leut. *n. 3.* Dicitur autem naturalis, prout opponitur civili, hinc ſub ea venit etiam violenta ab extrinſeco illata, Bald. Lott. Leur. *n. 4.*

894 §. 3. Si poſſeſſor litigans moriatur, beneficium cenſetur vacare per mortem, quia poſſeſſor præſumitur dominus, *Clem. 1. Ut lite pendente, L. 2. C. de probationibus*, Simon. Gonz. Leur. *q. 28.* E contrà ſi quis jure, vel ſententia privatus moriatur ante dimiſſam poſſeſſionem, non vacat morte, ſed per aliam cauſam, ob quam privatus eſt, Barb. Leur. *q. 30.*

895 §. 4. Si reſignans moriatur intrà 20. dies, videtur probabiliùs, quòd beneficium vacet per obitum, *Put. Rebuff. T ond. Pariſ.* contra *Luca*, & alios: idem eſt, ſi moriatur ante admiſſam reſignationem, aut ſi in favorem ſit facta, ante acceptatam à tertio reſignationem ejuſque conditiones impletas, Pariſ. Leur. *qu. 33.* An & quomodo probanda ſit mors, aut tempus mortis, videri poteſt Leur. *q. 34. & 35.* De poteſtate, & jure Capituli Sede vacante, videri poteſt ſpecialis tractatus apud *Leur.* ſub titulo, de Vicario Epiſcopi.

896 *Q.* 132. *Quid notandum ſit circa incompatibilitatem, & vacationem prioris Beneficii propter aliud cum illo obtentum?* R. Seqq.

§. 1. Beneficia tum dicuntur incompatibilia, ſi ab uno ſimul haberi non poſſunt: ſuntque incompatibilia, vel ſimpliciter, ſi unum ipſo jure excludat alterum; vel ſecundùm quid, ſi poſſint quidem haberi ſimul, ſed non licitè, ideoque poſſidens, ſi non diſpenſetur, poſſit per Superiorem privari, Leur. *p. 3. q. 61.*

897 §. 2. Niſi excuſent juſtæ cauſæ, vel circumſtantiæ, eſt contra jus naturæ, & indiſpenſabile, ut quis plura ſimul beneficia habeat, S. Thom. Caj. Hoſt. Anch. Silv. Arm. Tab. Vaſq. Sanch. T. Hurt. Leſs. P. Marchant. Dian. *p. 10. tr. 13. R. 1.* Leur. *qu. 62.* & Theologi ferè omnes. Patet, quia inordinatum eſt, imò, & ſcandaloſum ſic minui cultum divinum per excluſionem plurium perſonarum, quæ pluries legerent Miſſas, vel Horas Canonicas, aut aſſiſterent choro; item Eccleſiam privari pluribus Miniſtris, ab uno occupari plurium officia, alios dignos, & ſæpè indigos excludi beneficiis, everti intentionem fundatorum, qui quia voluerunt eſſe plures in Eccleſia Miniſtros, plura fundarunt beneficia, &c. Idem prohibetur per Canones, maximè in odium avaritiæ, & ambitionis, *c. Singulæ, diſt. 89. c. Epiſcopi, diſt. 80.* Trid. *ſeſſ. 24. cap. 17. de Ref. extrav. Execrabilis, de præb.* Vide Azor. *p. 2. l. 6. c. 10. & ſeqq.* item *l. 7. c. 3. q. 1.*

898 §. 3. Beneficium ſimplex non requirens reſidentiam, nec ſufficiens ad honeſtam ſuſtentationem eſt compatibile cum alio ſuperveniente etiam ſufficiente, ſic enim habet Trid. ſuprà: *Unum tantùm Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, & quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferre.* Unde per obtentionem hujus ſufficientis non vacabit inſufficiens, uti ex verbis *Trid.* probabiliùs colligunt *Fagn. Caſtrop. Pirh.* contra *Garz.* idem dicit *Leſſ.* etiamſi primum ſufficiens eſſet Cathedrale, vel parochiale, vel dignitas. Vide Leur. *q. 64.*

899 §. 4. Verior, & communior ſententia eſt, inquit Pirh. *l. 3. t. 5. n. 139.* quòd habens beneficium inſufficiens, ſi accipiat aliud ſufficiens, teneatur primum inſufficiens dimittere, tum quia aliàs tollit ſibi ſtipendia plurium, & minuit cultum Dei, tum etiam quia ſi primum fuiſſet ſufficiens, non poſſet cum illo admittere aliud inſufficiens, ergo à pari hìc, nam eſt eadem ratio, nempe quia unum ſufficit ad ſuſtentationem. Oppoſitum tenent *Inn. & Rebuff.* dicentes hanc ſententiam conſuetudine invaluiſſe, eamque ſciri à Papa, & tolerari. Videtur conſentire Caſtrop. *t. 13. d. 6. p. 4. n. 13.* fundans ſe in citatis verbis *Trid.* cùm enim dicat poſſe aliud ſimplex ſufficiens conferri, dummodò utrumque reſidentiam non requirat, videtur ſatis apertè innuere, quòd poſſit retinere utrumque, ſi ratione reſidentiæ ſe compatiantur. Quamvis autem *Trid.* tantùm dicat illud ſimplex, tamen eadem eſt ratio de Curato, ſaltem illo, quod habitualiter tantùm eſt tale: nam hoc non requirit reſidentiam, & quoad compatibilitatem habet ſe ſicuti ſimplex, uti rectè Barb. *de off. Parochi c. 2. n. 50.* Quòd ſi ſecundum beneficium ſit actualiter curatum, adhuc dici poſſet non obſtare, dummodò primùm non requirat reſidentiam, nam tunc verum eſt, quòd utrumq; non requirat reſidentiam, non enim obſtat, quamvis unum requirat, uti ex declaratione Cardinalium habet Gallem. in Trid. *ſuprà n. 3.* & aſſentitur Pirh. à *nu. 135.*

§. 5. Si tam primum quàm ſecundum ſeorſim ſit inſufficiens, poteſt utrumque retineri, uti colligitur ex dictis, & probat praxis tolerata poſt Trid. Dian. *p. 10. tr. 13. R. 1.* Etiam Decanatus cum Canonicatu in alia Eccleſia, Leſſ. *in auct. v. Beneficium, caſ. 15.* Si tamen ſecundum beneficium inſufficiens obtineatur à Papa, debet fieri mentio prioris etiam inſufficientis, alioquin obtentio eſt ſubreptitia, *c. Si motu proprio, de præb. in 6.* Azor. Pirh. Leur. *q. 86.* 900

§. 6. Multæ ſunt declarationes Cardinalium, docentq; *Abb. Nav. Garc. Pirh.* nunc non licere habere ſimul plura, quàm duo etiam inſufficientia beneficia, quia *Trid.* dicit in ſingulari, liceat illi *aliud* conferre. E contrà poſſe plura eidem conferri uſque ad ſufficientiam, probabiliter docent *Hojeda, Pariſ. Quintanad. Zerol. Zech.* dummodò non nimis multa, v. g. 8. aut 9. concumulentur; & conſentit *Az.* ubi talis eſt conſuetudo, fateturque *Garz.* Rotam ita ſenſiſſe, & talem eſſe ſtylum Curiæ teſtatur *Hoj.* æquum enim eſt cuivis Clerico ab Eccleſia aſſignari ſufficientem ſuſtentationem, vide Leur. *q. 65.* 901

§. 7. Si præhabitum ſufficiat ad ſuſtentationem, non videtur eſſe licitum admittere ſecundum, etiam inſufficiens, animo ſimul retinendi, etiamſi utrumque eſſet ſimplex, & neutrum reſidentiale, Gl. Abb. Hoj. Nav. Azor. Laym. Zerol. Rodriq. Zech. Garz. Pariſ. Caſtrop. Pirh. Leur. *qu. 66.* contra *Inn. Gloſ.* aliam, *Gardin. Ferret. Rebuff. T uſch. Ledeſ. Valent.* & alios apud Garz. *p. 11. c. 5. à n. 264.* Ratio colligitur ex dictis *n. 897.* Putant quidem *Hurtado*, & alii jam citati in contrarium hoc non eſſe jure naturæ illicitum, ideoque poſſe diſpenſari, vel per conſuetudinem præſcribi, ſed tenendum eſt oppoſitum, niſi juſta cauſa, vel circumſtantia evacuet turpitudinem, faciatque talem combinationem non contineri ſub prohibitione juris naturalis ſecundùm dicta *num. 897.* & ita docent *Abb. Hoj. Az. Caſtrop.* uterque Pariſ. Socin. Menoch. Lop. Garz. Pirh. Leur. *q. 67.* Omnes autem, etiam ipſe *Hurtado* fatetur nimiam cumulationem beneficiorum in una perſona, ſaltem ſi ſit ultra neceſſitatem ſuſtentationis, eſſe jure naturæ illicitam, ac proficiſci ex avaritia, ambitione, aut cupiditate lautiùs vivendi; cenſendum eſt autem eſſe nimiam cumulationem, ſi idem beneficiatus ex ſingulis beneficiis habeat proventus ſufficientes ad ſuſtentationem multarum ejuſmodi perſonarum, qualis ipſe eſt. Vide Leur. *q. 68.* Et quæ dicta ſunt de pluribus beneficiis, dicunt *Hoj. Vaſq. Az. Hurt.* etiam de pluribus penſionibus Clericalibus, Vide Leur. *q. 70.* 902

§. 8. Etiam illa beneficia ſunt incompatibilia, quæ de ſe ſingula ſufficiunt ad ſuſtentationem, licèt ex uno nihil percipias, quia nempe non reſides; tunc enim per te ſtat, quòd tibi non fructificet, Leur. *q. 110. n. 2.* 903

§. 9. Quantum ad ſuſtentationem decentem cuique neceſſarium ſit, *Ex perſonarum qualitate, & locorum diverſitate unuſquiſque ſibi Judex erit, advertens quòd Deum fallere non poſſit*, inquit Gonz. *gl. 15. n. 39.* Spectantur autem hæc, ſi quis ſit nobilis, vel illuſtris, ſi eximiè litteratus, ſi infirmæ valetudinis, ſi in Eccleſiam multa merita contulerit, ſi ſit beneficiatus in Eccleſia celebri, inſigni, illuſtri, in oppido vel in urbe, ſi habeat Vicariam, Canonicatum, vel Dignitatem, ſi in eo loco ſit major, vel minor charitas annonæ, ſi ſimiles beneficiati pro more patriæ, Capituli, vel etiam familiæ hoc, vel illo modo ſe gerant. Victus autem nomine veniunt omnia neceſſaria ad ſe, & familiam ſuſtentandam, uti ſunt cibus, potus, veſtitus, habitatio, medicinæ, hoſpitalitas, eleemoſynæ, ordinaria donaria, honeſtæ recreationes; & ad familiam cenſentur ſpectare famuli, & ancillæ. Item, ſi indigeant parentes, fratres, ſorores, nepotes, conſanguinei, filii, ſi quos habet. Item equi, & apparatus, uti habent ſimiles beneficiati timorati, &c. Az. Caſtrop. Leur. *q. 71.* putatque Nav. apud Pariſ. *l. 5. q. 6. n. 147.* Baroni beneficiato competere 4. famulos, & coquum. Nec opus eſt hìc haberi rationem bonorum patrimonialium, S. Th. Inn. Abb. Caj. Sot. Nav. Sarm. Hurt. Pariſ. *n. 154* quia hæc ſe per accidens habent. *Nec obſtat*, quòd *SS. Hier. Auguſt.* & *Proſper* relati *c. Sicut, 4. 1. q. 2.* quos ſequuntur *Hojed. Barbut. Dec.* dicant Clericum potentem ex patrimonio vivere, teneri quod ex beneficio provenit, dare pauperibus, nam S. Th. *2. 2. q. 185. art. 7. ad 3. Caj. Hurt.* & alii dicunt illos loqui in caſu gravis neceſſitatis proximi, nam *S. Aug.* expreſsè dicit, *in articulo neceſſitatis fructus Beneficii non ſunt bona noſtra.* V. Leur. *q. 72.* & quæ habet *Buſemb.* referendus *n. 1355.* Notandum tamen, quod ait *Diana* ſuprà, *in facti contingentia* (circa admiſſionem plurium beneficiorum) *ubi materia eſt tam perniciosa, & lubrica, videat unuſquiſque, quid faciat, & viros doctos, ac timoratos conſulat; nec dicat, ille vel ille hoc facit, ergo licitum erit facere, id enim abſonè infertur.* 904

§. 10. Si fundator voluerit hoc beneficium à ſe fundatum obtineri poſſe ſimul cum alio, vel aliis, id permittunt jura, quàvis aliàs jure poſitivo eſſent incompatibilia, quia potuit donare bona ſua ſub conditione etiam juri communi contraria, ſecundùm dicta *n. 808.* Lott. *l. 1. q. 32. n. 43.* De cetero cauſæ diſpenſandi ad ſimul acquirenda, vel retinenda plura beneficia, ſunt, vel neceſſitas Clerici, ſi unum ei non ſufficiat ad ſuſtentationem, 905

ſecun-

ſecundùm ante dicta, vel utilitas Eccleſiæ, ob quam plura conferri poſſunt Nobilibus, litteratis, potentibus, bene meritis, vel merituris de Eccleſia, &c. Vide Dianam *ſupra*, & Leur. *q.*74. & 75. Præterea *Fill. Lugo*, *Hurt.* putant ſufficientem eſſe cauſam diſpenſandi ad obtinenda, aut ſaltem ad retinenda plura beneficia, uti vult *Nav.* ſi poſſeſſor ſit impenſurus fructus in pios uſus, ſed meritò contradicunt *Az.* & alii cum Leur. *q.*76. quia optimus uſus eſt, ſi fructus cum titulo relinquantur alteri Clerico, ut ſe alat, & in ſimiles uſus impendat, quod ſuperfluet. Si tamen quis habeat parentes, fratres, nepotes ex fratre vel ſorore indigentes, hanc eſſe cauſam diſpenſandi dicunt Nav. Az. Caſtrop. Leur. *q.*77. contra Bejam *p.*1. *caſ.*59. Et non ideò teneri dimittere beneficia propterea obtenta, quamvis ceſſet indigentia, docent Caj. Hurt. Leur. *q.*80. dummodò fructus ſuperfluos impendat piis cauſis. Addit *Hurt.* cauſam ſufficientem eſſe, ſi habeat amicum indigentem, cui multùm debeat. Notant autem *Præpoſ. Felin. Hurt.* apud Leur. *qu.*78. ipſammet liberalitatem, quæ Principem decet, eſſe in Papa ſufficientem cauſam diſpenſandi. Denique ſatis certum eſt juſtam cauſam retinendi ejuſmodi duo beneficia, per ſe loquendo, non eſſe, v. g. ut in hac, vel illa electione poſſim favorem præſtare amico, ipſemet eligi ad certam dignitatem, impedire hanc, vel illam familiam, aut factionem, ne votis prævaleat, &c.

906 §.11. In dubio, an adſint cauſæ, vel circumſtantiæ, quæ evacuent turpitudinem cumulationis plurium beneficiorum, Papæ eſt id declarare, atque ita diſpenſare, Leur. *q.*73. *n.*2. Si autem dubium oriatur circa valorem diſpenſationis Papalis, de hoc etiam debet cognoſcere Papa ipſe, & non Ordinarius, *cap. Ordinarii, de off. Ord. in* 6. Laym. Leur. *q.*90. Quòd ſi ſatis conſtet diſpenſationem à Papa eſſe factam ſine ulla cauſa, videtur non juvare pro foro conſcientiæ, quamvis alii oppoſitum teneant, Leur. *q.*81. & 82. Si tamen Papa habenti Beneficium unum, conferat aliud motu proprio, & ex certa ſcientia, præſumi poteſt habuiſſe cauſam juſtam. V. Leur. *q.*83.

907 §.12. Jam ampliùs non poſſunt Epiſcopi, aut Nuntii Apoſtolici diſpenſare in eo, ut quis obtineat, vel retineat ſimul plura beneficia incompatibilia, quia poſteriores Canones, & *Trid.* aliter fieri jubent, & inferior non poteſt diſpenſare in lege Superioris, Abb. Azor. Leſſ. Caſtrop. Garz. Hurt. Pirh. Leur. *qu.*79. contra *Selv. Rebuff. Gamb. Hoj.* & alios putantes id poſſe propter neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ; ob quam putant etiam Abb. Barb. & Pirh. *lib.*3. *cap.*5. *num.*150. poſſe Epiſcopum diſpenſare, ut idem habeat unum beneficium actu, & alterum habitu curatum. Vide Caſtrop. *t.*13. *d.*6. *p.*4. *n.*28. & dicenda *num.*920.

908 §.13. Quamvis aliquis petens à Papa novum beneficium narrarit ſe habere alia beneficia, non ideò diſpenſatur ad hæc cum novo retinenda, ſi priora ſufficiebant ad ſuſtentationem, *c. Non poteſt, de præb. in* 6. Nav. Mohed. Bart. Ferret. Rodriq. Gonz. Caſtrop. Leur. *q.*84. Si autem petierit diſpenſationem ad plura, & reticuerit modicum beneficium, quod etiam habebat, diſpenſatio eſt nulla, quia talis expreſſio eſt de forma, *cap. Non poteſt, ibid. Covar. Lay. Pirh.* Quod verum eſt, etiamſi illud primum injuſtè poſſediſſet, *Gl. Pirh.* Idem eſt, ſi reticuerit eſſe curatum, *Clement.* 1. *de præb.* Item ſi non meminerit penſionis datæ in titulum perpetuum, *Gonz. Garc. Chok. Pirh.* Item ſi non expreſſerit valorem beneficii impetrandi. Vide dicta *n.*634. 642. 643. Debetque Papa hìc diſpenſans derogare decreto *Trid.* ſaltem generaliter, Gonz. V. Leur. *q.*87. 89. 191. 192.

909 §.14. Non ideo cenſetur diſpenſare Papa, quòd ſciat aliquem habere plura, & toleret, *Cùm multa per patientiam tolerentur, quæ ſi in judicium deducta fuerint, exigente juſtitia non debeant tolerari, c. Cùm jamdudum, de præb.* Pirh. Leur. *qu.*85. Hinc ex aliis circumſtantiis colligendum eſt, an Papa id approbet necne? quandoque enim expectat, ut ad ſe deferatur factum, aut non improbat politivè, ne gravius malum accerſat.

910 §.15. *Garz.* & alii putant, ſi quis habens beneficium ſufficiens admittat aliud ſufficiens, aut etiam inſufficiens ſine diſpenſatione, hoc ipſo vacare primum, & hoc videtur colligi ex textu *Trid.* relato hìc *n.*898. ſed Abb. Nav. Gonz. Caſtrop. Pirh. Leur. *q.*91. dicunt neutrum actu vacare, valet enim collatio ſecundi, uti fatetur *Garz.* & docent Caſtrop. Lott. Luca, Leur. *q.*92. & 108. ideoque videtur relinqui libertati ipſius, ut retineat, quod volet: pœna enim illa privationis ipſo jure, & facto nullibi clarè ſtatuitur: ſi tamen neutrum dimittat, *Nav. Gutt. Put. Gonz.* apud Leur. *qu.*91. dicunt privari poſſe per Ordinarium. Quòd ſi tamen pro acquirendo primo neceſſarias expenſas fecit ex bonis ſuis, cogi non poteſt, ut illud dimittat ante reſtitutas expenſas, niſi appareret, quod eas feciſſet purè in favorem Eccleſiæ ſine animo eas repetendi, Laym. Pirh. *lib.*3. *t.*5. *n.*159. Si autem fundatio, vel ſtatutum habeat, ut obtinens tale beneficium non poſſit ſimul habere aliud, Putant. *Azor.* & *Lott.* apud Leur. *q.*93. primum jure ipſo vacare per obtentionem ſecundi, quia per admiſſionem hujus videtur ſe reddere incapacem illius.

911 §.16. Putat idem Garc. *p.*11. *c.*5. *nu.*310. ex declaratione S. Congregat. ſi Ordinarius conferat tertium beneficium habenti jam duo inſufficientia, vacare illa duo prima, ſi illud tertium ſit per ſe ſufficiens; ſi autem non ſit ſufficiens, debere unum ex præhabitis dimitti, alioqui ambo vacatura: ſed alii in hoc ultimo contradicunt, nam ſecundùm dicta *n.*901. probabile eſt poſſe eidem plura inſufficientia conferri uſque ad congruam ſuſtentationem.

912 §.17. Si ex diſpenſatione habenti plura beneficia conferatur adhuc aliud incompatibile, *Az. Garz. Pirh.* docent ex *Clement. Si plures, de præb.* eò ipſo vacare omnia priora, etiamſi collatio ultimi eſſet invalida; V. Leur. *q.*95.

913 §.18. Vacatio, de qua hactenus, non inducitur præcisè per collationem etiam acceptatam, ſed prærequirit adeptam poſſeſſionem pacificam poſterioris beneficii, *c. Licèt Epiſcopus, de præb. in* 6. *extrav. Execrabilis*, *Az. Pariſ. Caſtrop. Corraſ. Garz.* niſi per proviſum ſtet, quominus poſſeſſionem poſterioris adipiſcatur, Garz. Caſtr. Lott. Leur. *q.*97. Quòd ſi poſſeſſio poſterioris ſit pacifica, ſed oriatur lis de illius titulo, vacatio prioris non inducitur, ne, ſi lite cadat, omni beneficio careat, *Luca* & alii cum Leur. *q.*98. contra *Inn. Tuſc.* & alios. Si verò quis obtento titulo unius beneficii, abſque illius poſſeſſione, obtineat ſecundum beneficium litigioſum, & priuſquam efficiatur pacificus poſſeſſor hujus ſecundi, accipiat pacificam poſſeſſionem prioris, non ideò vacabit illud ſecundum litigioſum, cùm id nullibi ſtatutum ſit, Nav. Leſſ. Garc. Pirh. Leur. *q.*99.

914 §.19. Quandonam poſſeſſio cenſeatur pacifica, dictum eſt à *n.*526. Putant autem *Bonif.* & *Maſcard.* ut beneficium poſterius cenſeatur pacificè poſſeſſum, & conſequenter, ut prius beneficium vacet, debere effluere annum, intrà quem non moveatur lis ſuper titulo, vel poſſeſſione, quod *Tond.* dicit ſervari in Gallia; ſed ſi hoc verum eſſet, Ordinarius Collator teneretur integrum annum expectare pro collatione beneficii vacàtis per aſſecutionem alterius, quod eſt contra praxin: itaque ſatis eſt interfluere duos menſes, Lap. Garc. Quintanadv. Caſtrop. Lott. Leur. *q.*100. & 107. *n.*2. Et ſi lis non moveatur, *Garz.* putat beneficium prius cenſeri vacaſſe initio, è contrà *Rebuff.* dicit cenſeri primò vacaſſe in fine illorum duorum menſium. Videri poſſunt Caſtrop. *p.*3. §.6. *n.*21. & Luca *de benef. d.*54. *n.*5.

915 §.20. Ut inducatur vacatio prioris beneficii, debet poſſeſſio poſterioris etiam eſſe fructuoſa, ſaltem ex majori parte fructuum, aliàs non cenſetur plenè poſſideri, *c. Si tibi conceſſo, de præb. in* 6. Abb. Rebuff. Az. Garz. Coraſ. Caſtr. Leur. *q.*101. Cenſetur autem ei fructuoſa, ſi ejus hæredibus poſt mortem obveniant fructus, ſecundùm dicta *n.*673. docentque Caſtrop. Garc. Leur. *q.*102. aliud autem eſt, ſi applicentur fabricæ, menſæ Epiſcopali, aut inter reliquos dividantur, & id impedire non poſſit beneficiatus: beneficium enim tum non poteſt eſſe ipſi fructuoſum, Garz. Caſtrop. Leur. *q.*104.

916 §.21. Si ſolùm via facti injuſtè, attamen ſcienter obtineas, & pacificè poſſideas ſecundum beneficium, vacat primum in pœnam delicti, talis enim mala poſſeſſio habetur pro bona in odium capientis, *Az. Garz. Caſtrop. Lott.* Idem eſt, ſi beneficium, ad quod jus habes, per vim, aut propria authoritate occupes, *c. Eum qui, de præb. in* 6. Pirh. Leur. *q.*105.

917 §.22. Ut inducatur vacatio præhabiti, debet utrumque beneficium eſſe collatum in perpetuum, ſive in titulum, ſive in commendam: & ita beneficium manuale inducet vacationem, ſi conferatur in perpetuum, Abb. Garz. Pirh. Leur. *q.*106.

918 §.23. Beneficia etiam inſufficientia ſunt incompatibilia, ſi ambo requirant reſidentiam perſonalem incompatibilem, hanc autem ſecundùm Trid. *ſeſſ.*24. *c.*12. *de Ref.* requirunt Canonicatus, & portiones in Cathedralibus, & Collegiatis, niſi aliud habeat conſuetudo: reliqua præſumuntur eam non requirere, *Imol. Rebuff. Felin. Gonz.* Et ſola reſidentia perpetua, & præciſa inducit incompatibilitatem, non autem reſidentia ad tempus, ſimul permittens reſidentiam pro altero beneficio: Pirh. Leur. *q.*110. *num.*2. Nec inducit reſidentia tantùm cauſativa, *Nav. Anch. Tond. Imol. Butr.* Quænam autem reſidentia dicatur præciſa, & cauſativa, dictum eſt *n.*864.

919 §.24. Per obtentionem ſecundi reſidentiam incompatibilé requirentis videtur vacare ipſo jure quodcunque beneficium præhabitum requirens ſimilem reſidentiam, uti colligitur ex Trid. *ſeſſ.*7. *c.*4. docentque Az. Gutt. Gonz. Zech. Hojed. Garz. Caſtr. Leur. *q.*110. qui cum Garz. Caſtr. Luca *diſ.*59. *num.*2. dicit ambo vacare ipſo jure, ſi præſumatur utrumque ſimul ultra duos menſes retinere; imò ſit inhabilis ad Ordines, & beneficia per *extrav. Execrabilis*. Vide Leur. *qu.*124. & 128. Putant tamen *Nav. Pariſ. Piaſ. Pirh.* & alii à *Trid.* nil innovari, ideoque ſecundùm antiquos Canones id verum eſſe tantùm de beneficiis curatis, dignitatibus, perſonatibus; quoad alia autem ſimplicia, beneficiatum tantùm cogendum eſſe ad dimittendum alterutrum. V. Leur. *q.*112. & 123. Sufficit autem, ſi dimittat cum effectu, licèt non cum ſolemnitate, ſic enim nunc receptum eſt per conſuetudinem, Zerol. Garz. Leur. *q.*125.

920 §.25. Duo curata in titulum ſunt incompatibilia ratione reſidentiæ, *cap. De multa, de præb. Extrav. Execrabilis*, Trid. *ſeſſ.*7.

ſeſſ.7.c.4. idem dicens, ſi unum detur in titulum, alterum in commendam perpetuam, de utriſque enim eſt par ratio, Gom. Mandoſ.Ricc.Tond.Az.Laym.Leur.*q.*117. Excipe, ſi unum eſset curatum pro foro interno, alterum tantùm pro externo, uti Archidiaconatus, *Barb.Lott.* contra *Abb.& Pirh.* item ſi unum ſit actu, alterum habitu tantùm, vel tantùm acceſſoriè curatum; nam habitu, non dicitur ſimpliciter curatum, Barb. *de off.Parochi c.2.n.74.*& quod acceſſoriè tantùm eſt curatum, eſt abſolutè ſimplex. V.Leur.*qu.*116.*&* 130.*qui qu.*127. notat cum *Pirh.*dicta de incompatibilitate beneficiorum Curatorum tenere etiam in pluribus dignitatibus, & perſonatibus, licèt curam animarum non habeant, *cap.Ad hæc, de Præb.& cap. Cùm ſingula, de Præb.in 6.*

921 §.26. Duo beneficia uniformia, ideſt, ejuſdem rationis, & nominis, etiam ſimplicia, ſunt incompatibilia ſub eodem tecto, ideſt, in eadem Eccleſia, *cap.De multa, de præb.cap.Litteras, de conceſſ. præb.Clem.ult.de præb.* Ratio eſt, quia minuitur cultus Divinus per paucitatem Miniſtrorum. Et tenet hoc, licèt reſidentiam non requirant, *Az, Garc. Lop.* Et quamvis neutrum ſufficiat ad ſuſtentationem, uti cum communi Garc. & Leur.*qu.*129.contrà *Zerol.*Item quamvis unum eorum eſset annexum alteri difformi, v.g. Decanatui, *Abb.Cardin.Gom. Rebuff.Garc.* dummodò ſint annexa, ſeu unita æquè principaliter, aut ad vitam obtinentis tantùm, nam tum neutrum per unionem extinguitur, ſecundùm dicta *n.*280. Et etiamſi talis Decanatus eſset in alia Eccleſia, *Nav.Garc.* Vide Leur.*q.*132. Nec in hoc diſpenſare poteſt Epiſcopus, aut præſcribere conſuetudo, Garc.Lambert.Pirh.Leur. *q.*131. Imò ad obtentionem ſecundi vacat ipſo jure primum, *cap.Litteras, de conceſſ. præb.Clem.ult.de præb.cap.*1. *De Conſuetud. in 6.* Abb.Azor. Pariſ.Caſtrop.Rebuff.Lamb.Leur. *quæſt.*132. Docent tamen Nav.Mandoſ.Zerol.Zech.Gonz.Pirh. *lib.3.t.5.nu.*138. contra Garc.& alios, duas Capellanias in diverſis altaribus eſse compatibiles, ſi non ſint ad idem miniſterium, & corpus conſtituendum, & habeant diverſa onera, tum enim videntur eſse beneficia difformia, de quibus jam dicetur. V.Leur.*q.*133.

922 §.27. Si beneficia ſub eodem tecto ſint difformia, uti eſt Decanatus, & Canonicatus, docent *Inn.Mandoſ.Hoſed.* & alii adhuc eſse incompatibilia, quia Canones generatim prohibent haberi duo ſub eodem tecto; admittunt tamen plerique unum ipſo jure non vacare per admiſſionem alterius, ſed tantùm eſse dimittendum: Neque in hoc diſpenſare poſse Epiſcopum, docent plerique, quamvis aliqui dicant poſse. V.Leur.*qu.*135. E contrà illa eſse incompatibilia docent Abb.Nav.Felin. Lap. Rebuff.Pariſ.Gonz.Leſs.*in auct.v.Beneficium;caſ.*15.Conſentit *Caſtrop.* ſi ſint ſimplicia, & ſingula inſufficientia ad ſuſtentationem, nec plura ſimul habeantur quàm duo, quia communis opinio, & praxis interpretatur Canones de Beneficiis uniformibus, ſi enim ſint difformia, non ita minuitur cultus Divinus, vel officium utriuſque beneficii, cui ſatisfacere poteſt unus. V.Luca *de benef. d.*57.*à nu.*5. Hinc docent etiam *Nav.Laym.Pirh.* Parochum poſse in ſua Eccleſia habere Capellaniam, quamvis in hoc contradicat *Garc.*ob declarationem S.Congr. ſed *Pirh.*dicit, vel non eſse authenticam, vel non eſse in uſu. V.Leur.*p.2.q.*610.*n.*1.*&p.3.qu.*133.134.138.141. Saltem alia duo difformia compatibilia eſse, ſi talis ſit conſuetudo; docent plerique AA. utriuſq; ſententiæ cum Leur.*q.*136.*&* 137. Non tamen poterunt ſimul haberi, aut validè conferri plura quàm duo, uti habet communis contra *Nav. Bottæum*, *& Zerolam.* Vide Leur.*q.*139.*&* 140.

923 §.28. Beneficia ſita in Capella, Clauſtro, Cœmeterio, ambitu contiguo Eccleſiæ cenſentur eſse ſub eodem tecto, quia iſta cenſentur eſse pars Eccleſiæ, qua polluta, vel interdicta, etiam ipſa cenſentur talia, *Cap.un.de conſecr.Eccleſ.in 6. Cap. Si civitas, de ſent.excom.in 6.* V.Leur.*q.*142.

924 §.29. Quæ dicta ſunt de incompatibilitate beneficiorum, intelliguntur potiſſimùm de ſæcularibus; pleraque tamen etiam conveniunt regularibus, de quibus ſpeciatim multa habet Leur.*à q.*143.*uſque ad* 149.

925 §.30. Beneficia omnia promoti in Epiſcopum vacant ipſo jure, *cap.Cùm in cunctis, de elect.*Trid.*ſeſſ.7.c.9.ſeſſ.23.c.*2. Quod ad penſiones extendunt Barb.Caſtrop.Pariſ.Garc. V.Leur. *qu.* 149. Et idem eſt de promoto ad Papatum, Pariſ. Garc.Leur. *qu.*150. Item de Promoto ad Abbatiam, Pariſ. & alii cum Leur.*qu.*158. Idem tamen non eſt de Epiſcopo titulari in partibus infidelium, quia hic nunquam acquirit poſſeſſionem, aut fructus, & conſuetudo non eſt peti diſpenſationem, (alioquì appoſitio manus Papalis cauſaret affectionem) Pariſ.Pirh. Luca *d.*4.*nu.*9. Leur.*q.*151.contra Rebuff. & alios. Similiter non eſt idem de promoto ad Cardinalatum, nam poteſt retineri, aut etiam conferri aliud beneficium, Abb. Laym. Pirh.Leur.*q.*159.debet tamen eſse compatibile, & conveniens dignitati Cardinalatus, uti ſtatuit Sixtus V.quem refert Dian. *p.5.t.2.R.*11. Vide eundem *R.*41.

926 §.31. Conferri poteſt aliud beneficium Epiſcopo, 1. necdum confirmato, Garc.*p.*11.*c.*6.*n.*47. 2. Confirmato, ſi Papa diſpenſet, vel ſi neceſſitas ſuſtentationis exigat, Abb.Lamb.Rodriq. Leſs.Garc.*n.*44. Et poſse tum etiam ſine diſpenſatione conferri aliud ſimplex de ſe compatibile, uti etiam Parocho, tenent Nav. Laym.Leſs.Pirh.Leur.*q.*152.*contra* Caſtrop. 3. Si Epiſcopatui renunciarit, Nav.Garc.*num.*45.*contra* Cardin. 4. Si ſit tantùm titularis, Nav.Garc. *contra* Burſat. eſtque hic etiam ſine diſpenſatione capax penſionis. V.Leur.*p.2.qu.*765. Quòd ſi verus Epiſcopus admitteret dignitatem aliam, v.g. Abbatiam, non ideò vacaret Epiſcopatus, tum quia Epiſcopatus, in Canonibus odioſis non venit nomine dignitatis, vel beneficii, tum etiam quia non poteſt deſeri ſine ſpeciali licentia, Abb.Rebuff. Coraſ.Laym.Garc.Pirh.Leur.*p.3.q.*154.*contra* Caſtrop.

§.32. Vacatio beneficiorum, & penſionum Epiſcopi præ- 927
requirit confirmationem, poſſeſſionem; & conſecrationem; aut concurrente negligentia lapſum trimeſtris, niſi, uti nunc eſt ſtylus Curiæ, Papa exprimat vacare per confirmationem, *Garc.Caſtrop.Pirh.* beneficia tamen illa promovendorum ad Epiſcopatum, vel Prælaturam reſervantur Papæ à puncto electionis, per *Reg.Cancell.& Extra. Ad Regimen, de præb.* Vide Leur.*qu.*155.*&* 156. Quòd ſi per diſpenſationem prolongetur tempus ſumendæ conſecrationis, *Abb.Butr.Fel.Garc.Sanch.* dicunt etiam prolongari tempus inchoandæ vacationis; quod admittunt *J.Andr.*& alii, ſi diſpenſatio data ſit motu proprio Papæ, ſed probabilius eſt cum Lay.& Leur.*q.*157. Beneficia vacare elapſis tribus menſibus, quia hæc ſunt ab invicem independentia, nec diſpenſatio in uno poſtulat diſpenſationem in altero.

§.33. Si Epiſcopus, vel Prælatus transferatur ad aliam Ec- 928
cleſiam, vacat prior ipſo jure, *cap.In Apibus, 7.q.1.cap. Quanto, de transl.Epiſc.* Et ea vacatio inducitur eo tempore, quo in Conſiſtorio abſolvitur à priore Eccleſia, etiam ante expeditionem litterarum, & poſſeſſionem, ne ſit ſponſus duarum, & velut ſpiritualis adulter, *Barb.Engel.* Quòd ſi authoritate ſua ſe transferat ad aliam Eccleſiam, privatur utraque ſaltem per ſententiam, Leur.*q.*160.

§.34. Si promotus, vel translatus ad aliam Eccleſiam impe- 929
diatur in capienda poſſeſſione ſuæ novæ Eccleſiæ, poteſt ſine nova collatione redire ad priorem, quia Papa volebat vacationem ſub conditione habendæ alterius, *arg.cap.Si Beneficia, de præb.in 6.* Caſtrop.Garc.Leur.*q.*155.*n.*3.*&q.*160.*n.*4.

*Q.*133. *Quid notandum ſit circa vacationem per Ma-* 930
trimonium, ingreſſum Religionis, militiam, captivitatem, abſentiam? Reſp.

§.1. Per matrimonium de futuro, ſive per ſponſalia non amittitur beneficium, Sanch.Caſtrop.Lot.Leur.*p.3.q.*44. talem tamen meritò privandum eſse dicit Leſs. ſed melius contradicunt Lot.& Garc.*p.*11.*c.*3.*n.*19. quia nullibi imponitur ea pœna. E contrà per Matrimonium de præſenti vacant ipſo jure abſque ſententia, vel declaratione omnia beneficia in Eccleſia latina, *cap.*1.*&* 3.*de Cler.conjug.& cap.un. eodem tit.in 6.* Azor.Sanch. Barb.Leur.*qu.*36.*contra* Carer.& Rodriq. Similiter cum Matrimonio penitus emoritur, nec ſoluto Matrimonio reviviſcit jus ad beneficium, expectativa, acceſsus, regreſsus, &c. Sanch. Garc.Barb.Pariſ.Caſtr.Lott.Leur. *qu.*38. Quod tenet, etiamſi uxor non conſummato Matrimonio ingrederetur Religionem, aut moreretur, Sanch.Garc.Barboſ.Caſtrop.Lott.Leur. *qu.*41. Item perditur jus ad penſiones Eccleſiaſticas, Tuſch.Barb. Pariſ.Caſtr.Lott.Leur. *qu.*38. Neque in his diſpenſare poteſt Epiſcopus, Abb.Hoſt.Az.Caſtrop.Lott.Leur.*q.*42.*&* 48. Diſpenſatio tamen habilitans ad beneficium non tollitur per Matrimonium, Sanch.Garc.Leur.*q.*39.

§.2. Si Matrimonium ſit invalidè contractum defectu con- 931
ſenſus in beneficiato, vel quia caruit libertate, vel quia vi aut injuſto metu eſt coactus, non inducitur vacatio, quia nec aſſumpſit nec attentavit aſsumere Matrimonium, *Sanch. Garc. Caſtrop.Luca, Lott.* Si tamen doloſè finxit conſenſum, aut ſcienter contraxit cum impedimento dirimente, adhuc putant *Sanch.Leſs.Laym.Caſtrop.Pirh.*aliique Theologi ipſo jure non induci vacationem, quia Canones tantùm loquuntur de legitimo Matrimonio, & reipſa talis non contraxit ſtatum incompoſſibilem, nec cenſeri poteſt voluiſse dimittere beneficium; conſentit *Garc.* ſi ignoranter ita contraxit, ſed *Covar.Gonz. Barb.Tond.*& Canoniſtæ communiter docent jure ipſo vacare ſive ignoranter, ſive ſcienter ſit contractum, & *Lott.*dicit oppoſitam ſententiam eſſe cavendam, ac erroneam, quia quando lex ipſa, vel diſpoſitio conſideravit potiùs ipſum factum quàm effectum, pœna incurritur per ipſum factum, Bart.*in l.Quid ergo, n.*1.*ff.de his, qui notantur infam.* Hinc in ordine ad incurrendam hanc pœnam privationis ipſo jure putant non eſse inſpiciendam facti validitatem, ſed factum ipſum, ideoque hanc vacationem cauſari à ſola attentatione ſtatus imperfectioris, & ejuſdem productione ad aliquod eſse de facto, licèt fiat abſque valore. V.Leur.*q.*43.46.47.

§.3. Si beneficiatus pubes contrahat cum impubere Ma- 932
trimonium, non videtur ipſo jure privari beneficio, quia talis contractus interpretatione juris eſt tantùm ſponſalitius, *cap.un.De deſponſ.impub. in 6. Nec obſtat*, quòd ſit attentatio

Matrimonii: *quia* hæc non inducit obligationem, vacatio autem non respondet attentationi nullam inducenti obligationem, Castrop. Leur. *q.*45.

933 §.4. Quamvis præbenda Canonicæ non sit beneficium, secundùm dicta *n.*230. tamen vacat per Matrimonium, uti dictum est *n.*233.

934 §.5. Beneficium non vacat per ingressum in novitiatum Religionis, *cap. Beneficium, de Regul. in 6.* Imò novitius manet capax novi beneficii, si ei conferatur, Lott. Leur. *q.*54. Et hæc tenent, licèt novitiatus produceretur ultra ordinarium tempus, quia manet idem status, Sanch. Mandos. Castrop. Leuren. *q.*55. Et fructus perceptibiles in absentia acquiruntur novitio, non tamen requirentes personalem præsentiam, quia hæc non est ex causis à jure expressis, Suar. Sanch. Garc. Castrop. Leur. *qu.*56. Si tamen beneficium requirat servitium, debet statui Vicarius, assignata solùm congrua portione fructuum, Laym. Tann. Lohn. Leur. *q.*57. Quòd si beneficium sit Curatum, debet obtineri licentia Ordinarii in scriptis, Garc. *c.*9. *n.*30. Quod dictum est de novitiis, valet etiam de conversis ingredientibus Monasterium, & vestem religiosam assumentibus cum solo voto simplicis obedientiæ, Lott. Leur. *q.*53.

935 §.6. Per professionem religiosam vacant ipso jure beneficia in sæculo obtenta, *cap. Beneficium, de Reg. in 6.* Item jus ad beneficium, uti & pensiones Ecclesiasticæ, *Sanch. Barb. Garc. Castrop. Luca.* Valetque hoc etiam de votis Coadjutorum formatorum in Societate Jesu, Castrop. Leur. *q.*52. Idem est de conversis, qui emittunt professionem, Lott. Leur. *qu.*53. Et dicta tenent, etiamsi professio sit solùm tacita, id est, quæ inferatur per conjecturas, & signa exteriora, ac fieri censeatur per actum aliquem professis proprium, qualis est eligere in Capitulo, &c. Lott. Leur. *q.*50. si tamen professio sit nulla, non vacant, sed post declarationem nullitatis potest insistere beneficio, quia hic attendebatur status melior, unde non est ideò privandus, Lott. Leur. *q.*51.

936 §.7. Licèt per emissionem votorum simplicium in Societate JESU aliquis fiat Religiosus, tamen non ideò ipso jure vacat ejus beneficium, aut pensio, quia manet capax juris, & dominii fructuum, *Sanch. Barb. Castrop.* Decrevit tamen Congreg. III. Can. 5. ut antequam vota simplicia emittantur, omnia beneficia dimittantur, Leur. *q.*52.

937 §.8. Beneficia ipso jure vacant per militiam sæcularem, quia est status incompossibilis, *Gl. Gig. Az. Tond. Paris. Gonz. Lott.* Unde dimissa militia non poterit quis redire ad beneficium adhuc vacans, *Ricc. Barb.* qui tamen putant Clericum in sacris constitutum venire tantùm privandum: probabile etiam videtur, si tantùm sit adscriptus militiæ & necdum secutus castra, neque exercuerit militaria, non vacare beneficia ipso jure, Gl. Az. Rebuff. Tond. Lott. Leur. *q.*59.

938 §.9. Beneficia non vacant per captivitatem, aut incarcerationem perpetuam, id enim nullus Canon statuit, *Tond. Lott. Luca: Nec obstat*, quòd *cap. Si Episcopus, de suppl. neglig. Prael. in 6.* Ecclesia censeatur vacare, Episcopo in captivitatem abducto, nam eodem modo censetur vacare, si fiat amens, nec ideò verò vacat, sed in tantum censetur vacare, quòd jurisdictio devolvatur ad Capitulum *Laym. Luca*; Quòd si beneficiatus in captivitate, vel carcere moriatur, beneficium vacat per mortem, nec in materia Canonica valet dispositio civilis legis Corneliæ statuentis morientem in captivitate fingi mortuum in hora captivitatis, Leur. *q.*60.

939 §.10. Gl. & alii communiter, teste Pirh. *l.*3. *t.*5. *n.*171. docent per solam absentiam, quamvis 10. annorum, non censeri vacare beneficium, nec beneficiarium ipso facto, vel jure censeri privatum, sed esse citandum: nisi tamen propter nimis longam absentiam, & alias circumstantias aliquis censeri possit beneficium pro derelicto habere, Gonz. *gl.*15. *n.*64.

940 *Q.* 134. *Quid dicendum sit circa privationem ob varia delicta?* Resp. seqq.

§.1. Certum est per aliqua delicta induci privationem beneficii: & quamvis multi teneant hujusmodi pœnæ locum non esse nisi in delictis à jure expressis, eò quòd leges pœnales non sint extendendæ, secundùm dicta *l.*1. *n.*616. sitque hoc probabilius cum Gonz. Garc. Leur. *par.*3. *qu.*169. tamen aliqui cum *Selv. & Rebuff.* docent posse extendi ad delicta expressis similia, sed hoc intelligunt alii, si à jure exprimatur pœnam ad similia extendi posse. Debet autem esse delictum, non semper atrox, attamen magnum, quia privatio beneficii censetur mors civilis, sicut privatio vitæ est mors temporalis, Luca *de benef. d.*75. *n.*4. quænam autem delicta censeantur magna, remittitur Judicis arbitrio, spectatis circumstantiis, & qualitatibus, Selv. *p.*3. *q.*3. *num.*2.

941 §.2. Sententia privationis hìc vel est hominis, si Judex eam pronunciet; vel legis, si pœna illa ab ipsa lege infligatur: differunt autem hæ sententiæ. 1. Quòd sententia legis sit certior, & majorem vim habeat. 2. Quòd probatio sequatur sententiam legis, & antecedat sententiam hominis. 3. Quòd executio sententiæ legis, saltem supponentis factum, prærequirat sententiam, vel declarationem hominis, non contrà. 4. Quòd à sententia legis non detur appellatio, detur autem à sententia hominis. V. Leur. *q.*162.

§.3. Nullum delictum inducit privationem beneficii ipso jure, nisi in jure ita sit expressum, *Felin. Coras. Suar. Hoj. Henriq. Mandos. Rebuff. Garc. Lott. Pirh.* Et in dubio, si verba non sint clara, præsumitur tantùm inducenda per sententiam, Tiraq. Gamb. Gonz. Garc. Paris. Lott. Pirh. Leur. *qu.*170. Putantque *Gonz.* & alii per hæc verba, *eo ipso, hoc ipso*, significari privationem à lege ipso jure; imò & solis, *privatus existat*, V. Leur. *qu.*171. 942

§.4. Si ad exequendam pœnam privationis non exigatur factum hominis, *Bald. Felin. Dec.* & alii dicunt non requiri declarationem delicti, contradicunt *Gl. Anch. Archid. Jo. Andr. Lott.* Et fatentur omnes non requiri, si factum, ex quo concluditur delictum, sit notorium, sed dicunt tum sufficere dari terminum ad excusandum factum, maximè si agatur de præjudicio irretractabili. Vide dicta *lib.*1. *n.*612. Id autem hìc dicitur notorium, quòd non tantùm est verum, & manifestum, sed cujus veritas publicè est nota, secundùm dicta *l.*3. *p.*2. *nu.*1219. Vide etiam Leur. *qu.*163.164. Non sufficit autem allegari, quòd delictum sit notorium, sed si negetur, debet Judici probari esse tale, *Lott.* & alii cum Leur. *q.*165. Et quamvis intereà temporis, dum pro declaratione delicti fit examen, beneficium sententia legis admissum censeatur vacare, & quidem à momento delicti, ideoque resignari non possit, secundùm dicenda *n.*986. Nec fructificet reo, nec ejus intereà morientis obitu vacare censeatur, Barb. Paris. Castrop. Lott. Chok. Leuren. *q.*166. nihilominus reum posse in conscientia possessionem retinere, & in hoc manutenendum esse usque ad sententiam declaratoriam facti, docent *Covar. Nav. Henriq. Suar. Vasq. Sot. Mol. Less. Laym. Az. Tond. Lott. Pirh.* imò, & manere dominum putarunt *Sot. Vasq. Mol. Bann. Gutt.* & alii apud Garc. *p.*11. *c.*10. *nu.*10. quamvis contradicant *Caj. Vega, Less. Valent.* & alii: ac in hoc conveniunt, quòd non teneatur reus seipsum spoliare, seu in seipso pœnam exequi, uti etiam notavimus *lib.*1. *n.*612. sed debere id fieri ministerio, & authoritate Judicis: è contrà tamen *Abb. Felin. Tiraq. Paris. Hoj.* aliique cum Garc. *nu.*18. dicunt in conscientia teneri dimittere beneficium. V. Leur. *qu.*167. In omnium sententia, si, v.gr. Parochus, cujus beneficio est conjuncta potestas absolvendi, eligendi, aut conferendi beneficia, sit ipso jure privatus beneficio ob crimen adhuc occultum, & nihilominus ratione publici muneris, ac officii absolvat pœnitentes, eligat ad beneficia, vel conferat, valent hi actus, quia vel adhuc possidet prius jus, vel saltem Ecclesia supplet; ad evitanda gravissima incommoda, ut facit jus civile *L. Barbarius, ff. de Offic. Prat.* Abb. Caj. Az. Less. Leur. *q.*168. 943

§.5. Ad privationem per sententiam procedi non potest ex diffamatione, adminiculis, & præsumptionibus, sed prærequiritur legitima confessio, vel concludens delicti probatio. Putat tamen Luca *num.*8. si sit vehemens diffamatio, ob quam delictum scandalosum apud populum habeatur pro certo, accedentibus indiciis indubitatis, posse Judicem in magnis tribunalibus dilatare arbitrium contra infamatum. V. Leur. *q.*172. Quomodo autem detur appellatio, supplicatio, vel recursus à sententia Judicis; item exceptio nullitatis, & notoriæ injustitiæ, v. Leur. *q.*173. & 178. 944

§.6. Quamvis beneficiatus per sententiam condemnetur de delicto, ob quod privari potest beneficio, si tamen sententia ei non imponat pœnam privationis, hanc non incurrit, sed resignare poterit, nisi privatio à lege expresè statuta sit ipso jure, Felin. Rebuff. Paris. Lamb. Zerol. Gutt. Garc. Lott. Leur. *qu.*175. Quòd si per sententiam ipsi pœna privationis imponatur, beneficium illicò vacat, Abb. Rebuff. Lott. Leur. *q.*174. Excipe, nisi sententia esset nulla, quia *Quod nullum est, nullum præbet impedimentum*, secundùm *Cap. illud, de jure Patr.* Paris. Leur. *q.*178. *n.*1. Item nisi appellet, de quo vide dicenda *n.*985. 945

§.7. Per quæ delicta, & quomodo inducatur privatio beneficii, videri potest fusè apud *Leur.* Et speciatim an, & quomodo inducatur ob non factam publicationem resignationis explicat *q.*758. *& seqq.* Ob non servatam formam à S. *Pio* V. præscriptam, *q.*184. Ob non promotionem ad debitos Ordines intrà annum, *q.*185. Ob non residentiam, *qu.*186. Ob omissionem habitus Clericalis, *qu.*187. Ob denegatam ostensionem tituli, vel dispensationis pro retinendis beneficiis incompossibilibus, *q.*188. Ob non solutas Cameræ Apostolicæ annatas, *q.*189.190. Ob non expressum valorem beneficii, *q.*191.192. Ob apprehensam possessionem ante expeditionem litterarum, *q.*193. Ob factam alteri possessori violentiam in apprehendenda possessione, *qu.*194. Ob violationem sequestri, *qu.*195. Ob retentionem scripturarum spectantium ad Cameram Apostolicam, aut non revelationem illius, qui retinet, *q.*196. Ob crimen falsi in litteris Apostolicis commissum, *qu.*197. Ob malam promotionem ad Ordines majores, *q.*198. Ob alienationem rerum Ecclesiæ, vel beneficii, *qu.*199. Ob simoniam con- 946

conventionalem, *q.*200. Ob ſimoniam confidentialem, *q.*201. 202.203. Ob excommunicationem, ſuſpenſionem, & inſordeſcentiam in eis, *q.*204.205.206.207. Ob irregularitatem, *q.*208. Ob homicidium, mutilationem, vulnerationem, percuſſionem, *q.*209. Ob aſſaſſinatum, *q.*210. Ob procurationem abortus, *q.*211. Ob ſodomiam, *q.*212. Ob pollutionem extraordinariam, & beſtialitatem, *q.*213. Ob defloration em Monialis, *q.*214. Ob adulterium, *qu.*215. Ob concubinatum, *q.*216.217. Ob perjurium, *q.*218. Ob blaſphemiam, *q.*219. Ob ſacrilegium, *qu.*220. Ob furtum, uſuram, incendia, & ſimilia, *qu.*221. Ob incarcerationem beneficiati in ordine ad extorquendam reſignationem, *q.*222. Ob temeritatem, ſi quis ſine presbyterio legat Miſſas, & Confeſſiones audiat, *qu.*223. Ob ſimulationem ſupponentis ſe loco alterius pro beneficio obtinendo, vel pro examine, *q.*224. Ob crimen læſæ Majeſtatis humanæ, *q.*225.226.227. Ob hæreſin, *q.*228.229. Ob receptationem, aut favorem hæretico exhibitum, vel ob procreationem ab hæretico, *q.*230.231. Ob apoſtaſiam, & ſchiſma, *q.*232. Ob impetrationem beneficii ad preces hæretici, *q.*233.

947 §.8. Si privandus citatus non compareat, eſt, tanquam contumax, habendus pro convicto, & confeſſo, ideoque ad pœnam ordinariam condemnari poteſt, Luca *num.*7. Si tamen compareat intrà annum, & purget contumaciam, ceſſat omnis effectus ſententiæ, ſi autem compareat, & purget poſt annum, quando jus in beneficio eſt alteri quæſitum, juvari non poteſt, Farin.Lott.Leur.*q.*18.

948 §.9. Delicta, quæ non privant ipſo jure, non impediunt reſtitutionem in integrum, *Abb. Pariſ.* & quidem juſtè privatus reſtituitur ex gratia, injuſtè privatus, ex debito, v.Leur. *q.*179. ubi etiam explicat, an imploratio reſtitutionis in integrum ſuſpendat executionem.

949 §. 10. Beneficium vacans per privationem ſive juris, ſive ſententiæ ob delictum, vel aliam cauſam, cadit, ſub Regulam menſium, niſi aliunde ſit reſervatum, Nav.Gonz.*gl.*15.*n.*156. Nequit autem conferri judici, nec judicis nepoti, conſanguineo, affini, ſollicitatori, Procuratori, domeſtico, familiari, ob Bullam Pii IV.Cupientes, apud Gonz.*num.*168. ut ſic vitetur occaſio fraudum, & injuſtitiæ.

950 *Q.*135. *Ad quem ſpectent fructus Beneficii poſt mortem beneficiati, vel penſiones poſt mortem penſionarii?* Reſp.

§.1. Fructus beneficii à die vacationis ſpectant, per ſe loquendo, ad illum, qui beneficium obtinebit, niſi defunctus habeat annum gratiæ, tunc enim ſpectabunt ad hæredes, uti dictum eſt *n.*673. Et quoad fructus, qui reſtant, vel obveniunt v.g. Sede Epiſcopali Vacante, *Cap. Quia ſæpè, De elect. in 6.* ſuſpendit ab officio, & beneficiis illos Capitulares, qui occupant, aut dividunt inter ſe dimiſſa à defuncto Prælato, aut obvenientia tempore vacationis. Similiter *Cap. Statutum, De elect. in Clem.* declarans *Cap. Quia ſæpè*, ſic habet, *Statutum ſuper bonis, à Prælatis Cathedralium, Regularium & Collegiatarum Eccleſiarum dimiſſis, aut obvenientibus tempore vacationis earum, futuris ſucceſſoribus, fideliter reſervandis editum, locum declaramus habere in omni emolumento, quod provenit ex juriſdictione, & ſigillo Curiæ Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, aut aliàs undecunque, quod ad Prælatos (Eccleſiis non vacantibus) pertineret conſuetudine qualibet contraria non obſtante, ita tamen, quòd in iſtis, & ſimilibus rationabiles deducantur expenſæ.* Idem declaravit S.Congreg. 5. Aprilis 1627. ut videri poteſt apud Fermoſinum *de poteſt. Cap. Sede vacante, tract.*1.*qu.*4.*num.*6. Intellige hæc, per ſe loquendo, id eſt, præſcindendo à privilegio, ſtatuto vel nova conſuetudine legitimè præſcripta. Probabiliùs autem tenent Covar.Molin.uterque, Gutt.Pariſ.& alii, quos citat, atque ſequitur Garc. *de benefic.par.*2.*cap.*1. *num.*96. fructus pro rata anni dividendos eſſe inter defunctum, ſucceſſorem: & conſequenter ex fructibus reſpondentibus tempori vacationis, peti poterunt expenſæ faciendæ in onera v.gr. aulæ per tempus aliquod continuandæ, nam in dicto *Cap. Statutum* additur, *ita tamen, quod in iſtis, & ſimilibus rationabiles deducantur expenſæ*: ſunt autem rationabiles ejuſmodi expenſæ, tamdiu enim cenſetur domui ſuæ præeſſe Prælatus. Item ſi Miniſtris, & Officialibus ſecundùm loci conſuetudinem ſolvantur ſalaria uſque ad certum tempus: hinc Gloſ. ad dictum *Cap. verbo Expenſis*, ait, *hoc etiam ibidem addebat Archidiaconus, ut quia ſalaria dantur Officiali &c. vel fiunt expenſæ in Miniſtris*, &c. Intellige ſemper, niſi obſtet ſtatutum, vel alia conſuetudo;

951 §.2. Putat Tond. *qq.benef.p.*1.*c.*22.*n.*2. fructus beneficii, ſi exacti non ſint ante obitum beneficiati, non tranſire ad hæredes, ſed remanere in dominio Eccleſiæ: verùm oppoſitum cum communi docet Galli *diſp.*37.*n.*7. Quia tales fructus, quando ceſſit dies, habentur pro perceptis, ergo ſicut fructus percepti ſpectant ad hæredes, ita etiam exigendi: ſimiliter ſi penſionarius moriatur ante terminum ſolvendi, beneficiarius ſolvere debet hæredibus pro rata fructuum perceptibilium uſque ad illud tempus, uti cum communi Garc.*p.*2.*c.*1.*n.*106. Tond.*n.*4. Lott. *l.*1.*q.*44.*n.*16. Galli *nu.*8. quem vide *tota diſp.*37. Vide etiam cenda *n.*962.& 1162. Item Luca *de benef. diſc.*100.

*Q.*136. *Quid in genere notandum ſit circa reſignationem?* 952 Reſp.ſeqq.

§.1. Singulas particulas in definitione reſignationis poſitas explicat Leur.*p.*3.*q.*234. Diviſiones autem exponit *q.*235. inter cætera rectè notans cum *Nav. Barb. Lott. Pirh.* contra *Az. Caſtrop.* & alios, reſignationem tacitam non eſſe quamcunque amiſſionem beneficii, quæ fit ex ſola juris diſpoſitione independenter à voluntate beneficiati (hæc enim non eſt reſignatio, ſed potiùs privatio jure ipſo, v.gr. ob initum Matrimonium) ſed eſſe talem dimiſſionem, quæ abſque verbis vel ſcriptura inducitur à jure ipſo per quandam interpretationem voluntatis beneficiati ſufficienter declaratæ ex facto aliquo ad renunciandum apto, uti ſi quis permittens beneficium ſuum conferri alteri, ſimul det ſignum externum, quo conſenſus ille ſufficienter ſignificetur.

§.2. Nomine reſignationis, ordinariè venit pura, & non 953 conditionata, niſi materia ſubjecta, vel circumſtantiæ aliud poſtulent: hinc ſi quis habeat expectativam ad primum beneficium vacaturum per mortem, vel reſignationem, ſi aliquod reſignetur ſub conditione, non poterit illud prætendere, *Gonz.* & alii. Dixi, ordinariè, nam quando in Regula de menſibus à reſervatione Papæ excipiuntur vacantia ex reſignatione, per hanc intelligitur etiam conditionata: ſimiliter omnis diſpoſitio loquens de reſignatione, regulariter intelligitur etiam de permutatione, quamvis permutatio ſit reſignatio conditionata: hinc Regula de publicandis reſignationibus intelligitur etiam de permutationibus. V.Leur.*qu.*236.

§.3. Conditiones, quæ apponi poſſunt reſignationi, redu- 954 cuntur ad has 4. 1.Ut beneficium conferatur alicui deſignato; & hæc dicitur in favorem. 2.Ut reſignatarius viciſſim ipſi permittat ſuum beneficium; & hæc dicitur permutatio. 3.Ut ſibi reſerventur omnes, vel aliqui fructus; & tunc dicitur ſub penſione. 4.Ut regredi, vel ingredi poſſit ad beneficium; regredi quidem, v.g. ſi reſignatarius præmoriatur; ingredi autem, v.g. ſi alicui collatum ſit beneficium, & hic ante captam poſſeſſionem cedat alteri, ſub pacto, ut poſt abſoluta ſtudia propria authoritate illud recipere poſſit; & tunc dicitur reſignatio cum regreſſu, vel acceſſu. V.Leur. *q.*235.*n.*3.

*Q.*137. *An reſignatio cenſeatur favorabilis, an odioſa?* R. 955 Facta ob utilitatem Eccleſiæ, eſt favorabilis; facta in favorem tertii, eſt odioſa: & in genere reſignatio cenſetur odioſa, ideoque ſtrictæ interpretationis, Gl. Nav. Dec. Cravet. Burſ. Pariſ. Caſtrop.*t.*13.*d.*2.*p.*15.*nu.*5. Garc. Leur. *p.*3.*qu.*237. An idem ſit de permutatione, dicetur *n.*1081.

*Q.*138. *Quid notandum ſit circa vacationem Beneficii reſignati?* Reſp.

§.1. Si reſignatio ſit pura, & à Superiore admiſſa, hoc ipſo 956 adeſt vacatio beneficii, quoad titulum, Leur.*p.*3.*q.*238. Item quoad poſſeſſionem naturalem, & civilem, Pariſ. Leur. *qu.*243. Quamvis ſecundùm dicta *n.*685. manere poſſit poſſeſſio facti, ſeu detentio, ſi reſignans permaneat in loco beneficii, & officio; cui ſi pergat incumbere animo continuandi, putant Butr. Calder. Sarn. Rebuff. Leur. *qu.*239. retineri etiam poſſeſſionem naturalem. Vide tamen Leur.*q.*264.*n.*1.

§.2. Si reſignatio ſit in favorem, & expeditæ ſint litteræ, v.g. 957 pro Titio, docent aliqui cum *Lott.* hoc ipſo adeſſe vacationem, quamvis Titius ante obtentum beneficium moreretur, dummodò reſignationi conſenſerit, quia pactum, & conditio non fuit, ut Titius reipſa haberet beneficium, ſed ut Papa conferret in favorem Titii, quod factum eſt, ergo conditio videtur impleta, & mortuo Titio vacabit beneficium per reſignationem in manibus Papæ. *Conf.* nam ſi litteræ fuiſſent expeditæ in forma *gratioſa*, habuiſſent vim, & Titius jam obtinuerat gratiam in inſtanti, quo gratia fuiſſet ſignata, & regiſtrata, non obſtante voluntate reſignantis, uti fatentur plerique cum Rebuff. & Gonz. poteſtque de hoc videri Roſa *de Execut. litt. Apoſtol. p.*1.*cap.*6.*an.*199. Ergo idem dicendum eſt, licèt fuerint in forma *dignum*. Contradicunt cum communi Barb. *de jure Eccleſ. l.*3.*c.*15.*num.*75. Roſa *c.*15.*anu.*87. Luca *de benef. d.*34.*n.*5. *d.*35.*nu.*3.*d.*39.*nu.*2.*d.*94.*num.*4. quia mens reſignantis fuit non abdicare jus, niſi illud obtineret Titius, cui reſignantis menti benignè annuit Papa, ergo beneficium non vacat, niſi reſignatio effectum ſortiatur in reſignatario; pro quo duas claras deciſ. Rotæ affert Roſa *an.*135. imò *Tond.* putat jus non perdi à reſignante, niſi reſignatarius jam ſit adeptus poſſeſſionem. V.Leur.*qu.*240. Addunt *Nav. Rebuff. Barb. Sarn. Pariſ. Tond.* Leur.*q.*243. poſſeſſionem continuari à reſignante; ideoque poſſe peragere omnia donec adimpleatur conditio: quod verum eſſe dicit *Luca*, etiamſi inter reſignantem, & reſignatarium fuerit ab initio orta lis, an capta ab hoc poſſeſſio fuerit valida. V.Leur.*q.*241.

§.3. Si quis bona fide reſignet propria authoritate, aut 958 coram non Superiore, amittit poſſeſſionem, ſed non titulum, *Abb. Menoch. Barboſ. Pariſ.* Et ad recuperandam eam poſ-

ſeſſionem, ſecundùm *Nav. Barb. Pariſ.* indiget authoritate Superioris. Si conditionatè reſignet nulliter, idque ſcienter, amittit titulum, *Rota, Rebuff. Pariſ. Garc. Luca.* Si reſignatarius reſignationem non publicet, amittit titulum, & beneficium vacat per reſignationem, *Gonz. Garc. Lott. Luca.* Si reſignans moriatur intrà 20. dies, beneficium vacat hujus morte, *Lott. Luca.* Si reſignarit purè, & moriatur, ac pariter moriatur reſignatarius per litteras in forma *dignum* nominatus, ſed necdum proviſus, beneficium videtur vacare per reſignationem, & non per mortem hujus reſignatarii, quia per litteras in forma *dignum* non acquiritur jus in re; contradicit tamen Luca *d.* 35. *n.* 31. dicens in forma *dignum* tunc tantùm non habere effectum, quando conſtaret gratiam non poſſe redigi in actum, v.g. ob incapacitatem ſubjecti proviſi, ſi autem conſtet gratiam eſſe juſtificabilem, putat dicendam eſſe puram, & perfectam ab initio, quia conditio, quæ de facto ineſt, non ſuſpendit actum, ſubſequens autem juſtificatio ſecundùm ipſum ſolùm declarat, quòd jam inerat, & nobis ignotum erat, atque ideò aperit viam, non ad jus jam præhabitum, ſed ad executionem, ſicque pluries eſſe deciſum affirmat; & idem iterum defendit uberiùs *d.* 37. *n.* 7. Vide Roſam *à n.* 106.

959 §. 4. In caſibus illis, quibus amittitur titulus, etiam amittitur poſſeſſio; valentque dicta ſimiliter de permutatione, vide Leur. *q.* 242. An autem, & quando vacent beneficia permutata, dicetur *n.* 1082.

960 *Q.* 139. *Ad quem ſpectent fructus beneficii reſignati?* R.

§. 1. Si reſignatio ſit irrita, & reſignans non perdat titulum, fructus ad hunc ſpectant; ſi autem amiſerit, vel depoſuerit titulum, caret fructibus, Rebuff. Gonz. Pariſ. Leur. *p.* 3. *qu.* 246.

961 §. 2. In reſignatione pura fructus, per ſe loquendo, ſpectant ad ſucceſſorem, non aliter, ac ſi beneficium vacaſſet per obitum, ſecundùm dicta *à n.* 950. docentque *Pariſ. & Lott.* In reſignatione autem facta ad favorem, ſecundùm *Pariſ.* & alios, fructus uſque ad diem conſenſus à Superiore præſtiti debentur reſignanti, & ab illo die incipiunt deberi reſignatario: hinc univerſim verum eſt, quòd in omni reſignatione fructus non debeantur reſignanti, niſi uſque ad momentum, quo ab eo abdicatur titulus, & poſſeſſio, ac poſtmodùm reſerventur ſucceſſori, etiamſi poſteà priùs acquirat jus in Beneficio, Barb. V. Leur. *à num.* 4.

962 §. 3. In reſignatione pura, fructus civiles, quales ſunt penſiones ex cenſu, locagium domus, ſpectant ad reſignatarium, niſi reſignans reſervarit, aut conſuetudo ſit contraria, nam alioqui cenſetur cum titulo abdicaſſe omne jus à ſe, *Tond. Lott.* Oppoſitum eſt in moriente, nam hic nihil diſponit circa beneficium, & fructus, hinc fructus civiles ſpectant ad hæredes, ſecundùm ratam temporis, quo defunctus beneficium habuit ſecundùm dicta *à n.* 950. docentque *Bonac. Monet. Tond. Lott.* In reſignatione in favorem, fructus civiles debentur reſignanti uſque ad tempus acceptationis, *Tond. Lott.* Naturales autem fructus, & mixti adhuc pendentes, ſecundùm aliquos ſpectant ad reſignationem, ſicuti ſpectarent ad ſucceſſorem, & non ad hæredes, ſi reſignans fuiſſet mortuus, quia Clerici in vita æquiparantur uſufructuariis, qui ſecundùm *Nav. Monet. Bonac. Tond.* ſolos fructus jam collectos, & à ſolo ſeparatos faciunt ſuos; ſed ſecundùm *Covar. Mol. Garc. But. Pariſ. Fill.* & alios ſpectant partim ad reſignantem partim ad reſignatarium, ſecundùm ratam temporis, quo beneficium habuerunt: æquum enim eſt, ut qui habet titulum, & præſtat officium, gaudeat beneficii fructu, quod magis valet de fructibus tempore reſignationis à ſolo ſeparatis, licèt nondum exactis, vel invectis, Pariſ. Leur. *qu.* 247.

963 *Q.* 140. *Ad quem ſpectent obligationes, jura, commoda, & incommoda Beneficio reſignato annexa?* Reſp.

§. 1. Succeſſor in beneficio etiam nulliter reſignato, per ſe loquendo, tenetur ex fructibus, ſi hos percipiat, ſolvere penſiones, & onera realia beneficio impoſita, reſignans tamen tenetur illa præſtare uſque ad tempus reſignationis, *Gig. Barb. Pariſ.* Et ſi hic neglexerit, putant aliqui reſignatarium teneri, ſicuti poſſeſſor fundi tenetur ad decimas prædiales de præterito non ſolutas. V. Leur. *p.* 3. *q.* 248.

964 §. 2. Reſignans, poſt reſignationem admiſſam, non tenetur amplius vi beneficii ad Horas, *Nav. Pariſ. Barb.* reſignatarium autem teneri ſtatim poſt collationem acceptam, etiam ante captam poſſeſſionem docet *Nav.* quia habet jus in beneficio, ſed contradicit *Pariſ.* quia à poſſeſſione capta numerantur illi ſex menſes, intrà quos, ſi non oret, privatur beneficiatus fructibus, & tenetur perceptos reſtituere, ut dicetur *n.* 1201. *Barb.* ſentit cum *Nav.* ſi reſignatarius ante poſſeſſionem captam percipiat fructus, ſi autem non percipiat, ſentit cum *Pariſ.* Quòd ſi reſignatario datus ſit merus titulus, & omnes fructus ex licentia Papæ relinquantur in penſionem reſignantis, *Caj. Sandoval. Sanch. Hurt.* dicunt reſignatarium non teneri ad Horas, quod probabile eſſe fatetur *Bonac.* (quamvis cum aliis multis diſſentiat.) Idem dicunt *Mandoſ. Sarn. Pariſ.* ſi hoc ita diſpoſitum ſit jam ante ex conſenſu prædeceſſoris, non autem ſi fiat de conſenſu ipſiuſmet reſignatarii retinentis aliquod ſervitium beneficio annexum, nam tunc per ipſum ſtat, quominus fructus ſaltem aliquos habeat, & hoc etiam tenet Lugo *in Reſp. Mor. lib.* 5. *d.* 6. *n.* 4. (rectè addens, ſi negligat, non obligari ad reſtitutionem, cùm nihil percipiat) ſed *Hurt.* adhuc contradicit, quia Papa ſic dividens fructus à beneficio videtur etiam liberaſſe reſignatarium onere legendi Horas, reſignans autem ſive penſionarius erit ſimiliter liber, & tantùm tenebitur ad officium parvum B. V. ſecundùm dicenda *num.* 1156. V. Leur. *qu.* 249.

§. 3. Si beneficium requirat reſidentiam, purè reſignans, 965
poſt reſignationem à Superiore admiſſam non tenetur reſidere, etiamſi ei reſervati ſint omnes fructus, & ſtallum in choro, *Gig. Sarn. Pariſ.* Reſignans in favorem tenetur, quando percipit fructus, *Barb.* Reſignatarius tenetur ſtatim à poſſeſſione capta, Pariſ. Leur. *qu.* 250.

§. 4. Si Papa aliquam cauſam commiſerit decidendam Ti- 966
tio in dignitate conſtituto, & Titius hanc dignitatem reſignet poſt acceptatam commiſſionem, *Abb.* putat hanc ceſſare, quia facta erat intuitu dignitatis, quæ ceſſavit, non aliter, ac Legatus ex provincia reverſus abſolvere non poteſt cauſam in provincia inceptam. Oppoſitum tenent alii communiùs cum *Pariſ.* dummodò reſignans non ſit factus incapax talis commiſſionis, v.g. per Matrimonium, quia in talibus ſpectatur initium, ergo ſatis erat adeſſe dignitatem, quando dabatur commiſſio. Quòd ſi Commiſſarius moriatur, & in commiſſione erat expreſſum ſolum nomen dignitatis, commiſſio tranſit ad ſucceſſorem in dignitate: ſi erat expreſſum nomen proprium Commiſſarii, commiſſio extinguitur, *cap. Quoniam Abbas, De off. deleg.* Pariſ. Leur. *qu.* 251.

§. 5. Omnia commoda, & jura, quæ conveniebant reſi- 967
gnanti ratione beneficii, tranſeunt in reſignatarium, quia habet beneficium, in quo fundantur, & reſignans cenſetur mortuus, Rota, Burſ. Pariſ. Leur. *q.* 252. Si tamen reſignans non probetur pacificè poſſediſſe per triennium, & alius contradictor titulum ſuum juſtificaſſet, deberet reſignatarius juſtificare titulum reſignantis, Rota, Calder. Lott. vide Leur. *qu.* 253. Similiter, qui jus ſuum fundat in reſignatione, tenetur hujus exiſtentiam, & valorem probare, Burſ. Luca Leur. *qu.* 254.

§. 6. Reſignatarius tenetur ſtare locatione per reſignantem 968
facta nomine Eccleſiæ, uti etiam ſi contraxerit expreſſo nomine officii propter utilitatem Eccleſiæ; non autem tenetur ſtare facta per reſignantem nomine proprio; & idem videtur eſſe de quocunque ſucceſſore in beneficio, *Tond. Pariſ.* & alii. Vid. Leur. *q.* 255. Tenetur etiam reſignatarius ſtare tranſactione, vel pactis per reſignantem factis, dummodò adſit confirmatio Superioris, Pariſ. Rebuff. Leur. *q.* 256. Item tenetur ſolvere debita à reſignante conracta pro neceſſitate Eccleſiæ, *cap.* 1. *De ſolut.* Quod *Rota, Abb. Mandoſ. Pariſ.* extendunt etiam ad debita contracta pro illo, qui Eccleſiam poſſidet, quia ipſo indigente cenſetur indigere Eccleſia, quæ neceſſitati ſuorum Miniſtrorum ſervit, niſi fortè hæc contraxiſſet voluntariè. Vide Leur. *qu.* 257. Tenetur quoque reſignatarius præſtare alimenta reſignanti in favorem ſuum, ſi fortè ipſi deſint, uti donatarius tenetur donatori: Videtur etiam teneri præſtare reſignanti purè, nam additur, *modò reſignans aliunde vivere valeat.* V. Luca *de benefic. d.* 37. *num.* 15. Etiam tenetur purgare attentata ante reſignationem à reſignante circa beneficium commiſſa, Lancell. Pariſ. Leur. *qu.* 259. Item ſpolium, cùm res tranſeat cum ſuo vitio, *Cap. Ex parte, De Teſtibus*, Sarn. Pariſ. Leur. *q.* 260. Si autem reſignans aliquid contrà ſe faſſus eſt ante reſignationem, debet illo ſtare reſignatarius, niſi aliundè prætendat aliud jus, Pariſ. Lott. Leur. *q.* 261. Sententia autem contrà reſignantem lata poſt reſignationem non nocet reſignatario, quia reſignans jam cenſebatur mortuus, Rota, Pariſ. Leur. *qu.* 262.

Q. 141. *Quomodo reſignans poſſit mutare, aut revocare* 969
conſenſum, vel redire ad beneficium? Reſp.

§. 1. Si quis reſignet in favorem plurium, ſola reſignatio pro primo eſt valida, licèt poſterior eſſet ſub priore Data, uti habet *Reg.* 40. *Cancell.* Et ſecundus eſt intruſus, nec præſcribit, licèt per triennium poſſideat, uti volunt multi, vide tamen dicta *n.* 714. Dicuntque hoc tenere, quamvis pro primo reſignaſſet per procuratorem, aut apud Ordinarium: pro ſecundo autem per ſe ipſum, aut apud Papam, ſecundùm dicenda *num.* 1041. Item licèt primus non fuiſſet uſus reſignatione intrà duos annos; attamen ſecunda valeret, ſi prima non fuiſſet admiſſa, aut ſi fuiſſet revocata ante præſtitum conſenſum in Camera, vel Cancellaria, aut ſi jus per primam non fuiſſet abdicatum à reſignante, Rebuff. Pariſ. Leur. *p.* 3. *q.* 263.

§. 2. Reſignatio necdum admiſſa à Superiore revocari po- 970
teſt, licèt ſupplicatio pro admiſſione jam præſentata ſit, *Nav. Burſatt. Pariſ.* ſi autem quis petierit licentiam reſignandi, & hanc conceſſerit Superior, cogi poſſe ad reſignandum docent plurimi cum *Pariſ.* juxta *cap. Quidam, De renunc.* ne illudatur

Sup-

Superiori, & quia talis variatio eſt indecens; quod verum eſſe fatentur Laym. & Pirh. quando Superior abſolutè conceſſit veniam, aut alicui commiſit recipere talem renunciationem, ſi ipſi videatur; quando autem veniam dedit, aut commiſit cum reſpectu ad voluntatem reſignaturi, v.gr. ſi hic in conſcientia putet ſe habere cauſam, rectè dicunt manere locum pœnitentiæ: Addit Lott. ſemper ſupplicari poſſe pro aliter inſtituenda reſignatione: putant etiam Pariſ. & Pirh. poſt veniam renunciandi coram Papa dari locum pœnitentiæ: exceptis Epiſcopatibus, & Beneficiis conſiſtorialibus. Vide Leur. *qu.*264.

971 §.3. Quamvis reſignatio in favorem ſit apud Papam admiſſa, ſignata, per, *fiat, ut petitur*, regiſtrata; imò & reſignans juravit ſe non revocaturum, tamen datur locus pœnitentiæ, tum quia imbibit hanc tacitam conditionem, ſi ſupplicantes in eadem voluntate permaneant, tum etiam, quia deſcribuntur tantùm à Notariis, & plerumque remanent in manibus ſupplicantium, qui lacerare poſſunt: hinc res eſt adhuc imperfecta, quia *dum ſupereſt aliquid agendum, nihil adhuc dicitur actum*, ideòque præſtitus hic conſenſus dicitur cauſalis, & parvus, Burſat. Pariſ. Lot. Chok. qui tamen addunt, ſi reſignatarius cum conſenſu Papæ acceptaſſet, & jus ſuum ceſſiſſet alteri, reſignantem non poſſe pœnitere. Si autem ſupplicationi ſignatæ per Datarium, & regiſtratæ præſtitus ſit à reſignante in Camera, vel Cancellaria conſenſus formalis, & extenſus (poteſt enim is præſtari, vel in Camera, vel in Cancellaria, Pariſ. Leur. *q.*698. *n.*10.) tunc non datur locus pœnitentiæ, quia *Remittentibus actiones ſuas non eſt regreſſus dandus, L. Quæritur, ſ. Si venditor, ff.* de ædil. edicto, & *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt*, Reg. 21. Juris in 6. taliſque illuſio, & variatio in Eccleſiaſticis prohibetur cap. *Cùm autem*, De Jurepatr. cap. *Publicato*, De Elect. Cap. *Quidam*, De Renunciat. Vide Leur. *qu.*270. In omnibus autem Beneficiis non conſiſtorialibus, id eſt, quæ in conſiſtorio Papæ, & Cardinalium non conferuntur, neceſſariò debet in Camera, vel Cancellaria præſtari hic conſenſus extenſus, cum juramento, quòd non intervenerit fraus, dolus, vis, metus, ſimonia: Neque nunc urget tempus, intrà quod præſtetur, uti docent Lott. & Chok contra Pariſ. qui putavit præſtandum intrà 15. dies à die ſubmiſſæ per Datarium ſupplicæ; Vide Leur. *q.*265. *266.* qui circa hunc conſenſum extenſum explicat *q.*267. an revocari poſſit vel priùs poni poſt expeditionem litterarum; item *q.*268. quomodò retrotrahatur ad diem primò datæ ſupplicæ, & an probanda ſit illius exiſtentia, item *q.*269. in quibus caſibus derogari ſoleat Regulæ requirenti conſenſum extenſum.

972 §.4. Si Cajus reſignarit in favorem Titii, pro quo jam expeditæ ſint litteræ in forma *gratioſa*, Cajo non datur locus pœnitentiæ; Vide Luca De Benef. *d.*38. Si autem admiſſa ſit per Papam reſignatio, & acceptata à Titio, qui tamen necdum juſtificatis litteris in forma, *dignum*, moriatur, Lott. dicit Cajum non poſſe pœnitere, aut redire ad Beneficium, quia jam amiſerat illius jus, ſecundùm cap. *Ex tranſmiſſa*, De Renunc. & idem dicit, ſi Titius non reperiretur dignus, ſed vide dicta *nu.*957. & Leur. *q.*276. & 277.

973 §.5. Secundùm Gemin. Burſat. Pariſ. Leur. *qu.*271. poteſt illi pœnitere, & ante collationem alteri factam repetere Beneficium, qui inconſultò reſignavit; item qui ex ira, vel indignatione, Dec. Boer. Pariſ. Id tamen difficulter admittetur, niſi ſtatim improvidam reſignationem revocet. Quòd ſi reſignatio facta ſit vi, metu, vel dolo, maximè revocari poteſt, aut certè ab initio nulla eſt, arg. cap. *Super hoc*, & cap. *In præſentia*, De Renunc. Pariſ. Coraſ. Leur. *qu.*272.

974 §.6. Si reſignatio habuerit effectum, non poteſt rediri ad beneficium ſine nova proviſione, quia fuit extinctus prior titulus, unde ſi ille, qui reſignavit, beneficium recipiat, perdit prærogativam antiquitatis, Pariſ. Si autem reſignatio non habuerit effectum ob non impletas conditiones, Rot. Pariſ. Imol. aliique cum Leur. *q.*275. putant non eſſe opus nova proviſione, quamvis contradicant Maſcard. Selv. *& alii*. Ratio eſt, quia quando reſignatio non habuit effectum, jus non eſt amiſſum, ſecundùm dicta à *nu.*956. Requirunt tamen declarationem Superioris Ubert. Felin. Pariſ. quia quando poſſeſſio occupata eſt ab alio, non poteſt quis in illam propria authoritate involare.

975 *Q.*142. *Quæ Beneficia, ex cujus conſenſu, & quomodo reſignari poſſint?* Reſp.

§. 1. Omnia beneficia, cujuſcunque ſint generis, & qualitatis, niſi ſpecialiter jure prohibeatur, reſignari poſſunt: Hinc reſignari poteſt Papatus: quòd enim reſignatio debeat fieri in manus Superioris, & ſecundùm alterius judicium, tenet tantùm in illis, qui Superiorem habent, non autem in Supremo Principe. Leur. *p.*3. *qu.*280. Item Patriarchatus, ſed non in favorem; Epiſcopatus reſignari poteſt purè, & conditionatè, Leur. *q.*281. 282. Item reſignari poſſunt Abbatia, prioratus, officia Eccleſiaſtica, beneficia parochialia, ſed ordinariè tantùm poſt tres, vel quatuor annos: Item Vicariæ perpetuæ, portiones, etiam dimidiæ, Oratorium, Eremitorium, præſtimonia data in titulum, beneficia patrimonialia conferenda deſignatis per fundationem, manualia, etiam in favorem, ſed cum expreſſione manualitatis. Vide Leur. *q.*283. *& ſeqq.* De reſignatione dignitatis extra Ordinem collatæ Religioſo: Item officii Abbatiſſæ, vide Leur. *q.*329. 330.

§.2. Beneficia, quæ optari ſolent, poſſunt reſignari apud 976
Papam, ſi enim reſignationem admittat, reſervantur, & tunc in proviſione, dicit, *Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus*, Pariſ. Tond. Lott. Leur. *qu.*292. Electiva etiam reſignari poſſunt, ſed ſi fiat in favorem, requiritur conſenſus eligentium, qui ſaltem ſubſequatur, nam conſenſus ſuperveniens animat actum; Et hic conſenſus ſufficienter colligitur eſſe, ſi procedant ad electionem novi. Pariſ. *l.*7. *q.*23. *à n.*32. Si conſenſum negent, reſignatio videtur valere, ſed poteſt annullari, cap. *Ea noſcitur*, De his, quæ fiunt à Præl. Senis, Pariſ. Et ſi fiat in utilitatem Eccleſiæ, ſufficit conſenſus majoris partis, ſi in utilitatem hominis, requiritur conſenſus omnium, Gemin. Az. Pariſ. Pirh. Vide Leur. *qu.*293. Si autem electiva reſignentur purè coram confirmante, adhuc requiri conſenſum eligentium docent Pariſ. & Leur. *q.*387. *n.*4.

§.3. Beneficia patronata reſignari poſſunt purè, etiam ſine 977
conſenſu patroni, apud Ordinarium (ſed ab Ordinario conferri non poſſunt ſine præſentatione patroni) Leur. *q.*294. quamvis *q.*387. *nu.*3. videatur dicere oppoſitum. Idem dicit Garc. ſi beneficium ſpectet ad collationem inferioris; ut tamen apud Papam reſignentur in favorem, requiritur conſenſus patroni, Inn. Abb. Roch. Leur. *p.*2. *q.*109. quod etiam de patrono Eccleſiaſtico valere dicunt Lamb. Pariſ. Pirh. (& admittunt Ventrig. Tond. Chok. Pirh. de permutatione coram Ordinario,) negant tamen Garc. & alii communiter de reſignatione coram Papa licèt hic requirat conſenſum patroni laici; & quando patroni ſunt plures, dicendum eſt idem, quod *n.*976. dictum eſt de conſenſu Electorum, Senis, Chok. ſatis eſt autem poſtea poni conſenſum patroni laici, nec ideò videtur ab initio irrita eſſe reſignatio aut proviſio alterius, Roch. Covar. Senis, Garc. Tond. Ricch. Choc. Pirh. contra alios: Eſt tamen irritanda patrono contradicente intra tempus ad præſentandum dato, Ricc. Pariſ. Garc. Tond. Pirh. Proviſio verò beneficii ſcienter reſignati contempto patrono eſt ipſo jure nulla, Garc. Tond. Lott. Luca, vacatque beneficium, & poteſt alius à patrono præſentari poſt rem judicatam ſuper nullitate inducente vacationem, etiamſi reſignatio ſit facta in favorem coram Papa, Sarn. Garc. Luca. Si tamen facta eſt, quia probabiliter ignorabatur Patronatus, reſignans poteſt etiam invito patrono redire ad beneficium, quia nec contempſit nec ingratus fuit; putat tamen Lott. prærequiri ſententiam Superioris, qua declaret reſignationem fuiſſe nullam. Vide Leur. *p.*3. *q.*294.

§.4. Reſervata Papæ reſignari poſſunt apud Papam & Or- 978
dinarium, ſed apud Ordinarium, non in favorem; nec poteſt de illis providere niſi Papa, Az. Pariſ. Caſtrop. Pirh. Et de tali beneficio proviſus per Ordinarium eſt intruſus, nec acquirere poteſt titulum vel poſſeſſionem, Felin. Mand. Mant. Garc. Lot. Leur. *qu.*295. Exempta à poteſtate Ordinariorum apud Papam reſignari poſſunt, Par. Az. Chok. Pirh. Leur. *qu.*297. & 331. Illa, quorum conferendorum Indultum habet aliquis, etiam apud hunc reſignari poſſunt, niſi aliud colligatur ex verbis. Vide Leur. *q.*301. Illa, ſuper quibus conceſſa eſt expectativa, reſignari non poſſunt in favorem, niſi coram Papa de hoc admonito, Clem. 1. *De renunc.* Gamb. Pariſ. Et ſi fiat coram Ordinario, vacat, ac ſubintrat expectans, Rota, Put. Pariſ. Leur. *q.*296.

§.5. Beneficia unita, ſi unio necdum venerit ad effectum, 979
reſignari non poſſunt, Trid. *ſeſſ.*21. *c.*5. *de Ref.* Et ſi quis reſignet coram Papa ſciens unionem, & non faciens de ea mentionem, beneficium vacat, & unio habet effectum, Pariſ. Garc. Pirh. ſi autem unio ſit ſortita effectum, multò minus reſignari poſſunt, quia unus titulus plerumque eſt extinctus & in alterum tranſfuſus, ſecundùm dicta *n.*280. Beneficia tamen carentia reditibus reſignari poſſunt. Rota, Pariſ. Vide Leur. *q.*298.

§.6. Beneficia data in Commendam temporalem reſigna- 980
ri non poſſunt à deſerviente, quia nullum in eo jus habet, ſed tantùm adminiſtrationem, quæ ſolùm poteſt pure dimitti: data in Commendam perpetuam reſignari poſſunt, quia habetur jus & titulus, qui abdicari poteſt, etiam in favorem: ſimiliter qui tantùm habet jus ad rem & non in re reſignare non poteſt, Pariſ. Tond. ſi tamen prætendat ſe habere jus in beneficio, poteſt hoc jus prætenſum renunciare, Pariſ. & habens jus ad rem, verbi gratia: per electionem, poteſt hoc jus purè dimittere. Vide Leur. *qu.*303. poteſt quoque beneficium etiam in favorem reſignari ante expeditas bullas; ante publicationem reſignationis, per quam acquiſivit; ante captam poſſeſſionem, Pariſ. Leur. *q.*304.

§.7. Si alicui conceſſus ſit regreſſus ad Beneficium, dum 981
vacabit per ceſſum vel deceſſum, reſignari non poteſt; ſed ſi poſſidens cedat vel decedat, ſubintrat regreſſus, Barboſ. & alii. Vide Leur. *q.*300. qui *q.*302. plura habet circà hoſpitalia, præceptoria & Beneficia Melitenſium.

§.8. Beneficium litigioſum poteſt ſimpliciter dimitti co- 982

ram Ordinario vel etiam Notario; quamvis non actuario, modò fiat mentio de litis pendentia: nec regula de surrogandis habet locum, nisi collitigans habeat à Papa confirmationem sui juris; unde si alter tum ingrediatur possessionem vacuam, non attentat, quia desiit litigiositas, hinc etiam hic resignare poterit. Si autem lite adhuc pendente fiat resignatio coram Ordinario, valet, sed Ordinarius conferre non potest, nec alium collitigantem surrogare, quia beneficia litigiosa sunt reservata Papæ per *Cap.1.& 2. Ut lite pendente, in 6.* Si resignatio fiat coram Papa absque narratione litis, invalida est; quod verum esse dicit *Paris.* etiamsi Papa motu proprio conferret, non facta mentione litis. Vide Leur.*q.*308.& dicta *nu.*526. Si tamen resignatio sit facta ante litem inceptam circa titulum beneficii, possunt resignatario expediri litteræ, & etiam capi possessio pendente lite, *Abb.Im.Az Paris.* Vide Leur.*n.6.*

983 *Q.*143. *An resignari possit Beneficium vel titulus, super quo quis ad majorem Ordinem promotus est?* Resp.

§.1. Voluntariè resignari non potest beneficium nequidem apud Papam, super quo quis ad majorem Ordinem promotus est, nisi hæc duo narrentur, & quòd eo titulo sit ordinatus, & quod aliunde habeat, quo vivat, aliàs resignatio est irrita, Trid. *sess.*21.*c.*2.*de Ref.* Et si Ordinarius resignationem, in qua hæc non narrantur, admittat, beneficium per Constit. S. Pii V. vacat ac devolvitur ad Papam, teneturque Ordinarius de propriis providere resignanti, *Paris.Garc.Tond.Nicol.* Quamvis autem ipse Papa admittat, est irrita, & resignans retinet jus, poteritque Ordinarius de eo beneficio disponere, si resignans decedat in mense Ordinarii, *Garc.Tond.Nicol.* Dixi, voluntariè, nam si resignatio aut privatio inducatur à jure, v.gr. ob assecurationem alterius incompossibilis, valida est, nec opus ista narrari, *Garc.* tale tamen beneficium surrogatum pro titulo resignari non potest, nisi ista pariter narrentur, quia surrogatum hic habet naturam illius, cui surrogatur, *L.Si eum, ff. Qui injuriarum, ff.Si quis cautioni, Gutt.Garc.Chok.* Et disposuit etiam S. Pius V. ut nec aliud beneficium, super quo non est ordinatus, resignetur, nisi aliunde habeat, unde vivat, Paris.Garc. Vide Luca *de benef.disc.*37.*n.*14. De permutatione dicetur *n.*1103.

984 §.2. Etiam dimitti non potest titulus patrimonii, super quo quis ordinatus est, *Trid.* suprà: soletque requiri juramentum non resignandi, nisi aliunde provisum sit de honesta sustentatione ac sciat approbetque Episcopus. V.Leur.*p.*3.*qu.*305. *& seqq.* Similiter pensiones constitutæ loco beneficii, super quo quis est ordinatus, resignari non possunt, cùm sint ad necessitatem sustentationis. V.Leur.*qu.*309.

985 *Q.*144. *Quinam resignare possint beneficium?* Resp.

§.1. Qui prævidet se ob delictum etiam notorium esse privandum, resignare potest, etiam in favorem, etiam per procuratorem, cum reservatione pensionis, etiam pendente lite aut post latam sententiam perpetui carceris aut etiam privationis, si ab hac appellarit: tunc enim privatio non habebit effectum; nisi post tres conformes; nec beneficium tale ideò fit litigiosum, nisi postquam alteri fuerit adjudicatum, Rebuff.Gonz. Paris.Garc.*p.*11.*c.*3.*à n.*80. Nec opus est in resignatione fieri mentionem criminis, litis aut privationis, cùm id nullibi in jure caveatur, *Garc.Castrop.Corrad.Pirh.* contra *Felin. Paris. Tond.* Et tenent dicta, licèt reus sciat beneficium pro casu privationis jam impetratum esse à tertio, *Covar. Garc. Castrop. Tond. Pirh.* contra *Butr. Lancell. Felin. Gomes. Farin. Paris.* quia nempè adhuc habet jus in beneficio, quod non prohibetur abdicare, nisi aliud exprimatur in rescripto impetrationis. Putant tamen *Pirh.* & alii contra *Garc.* talem resignationem posse postea post totam sententiam rescindi per Judicem, quod maximè teneret de rescissione pensionis. V.Leur.*p.*3.*qu.*310. *&* 311.

986 §.2. Privatus ipso jure resignare non potest, cùm jus ampliùs non habeat, communis cum Leur. *quæst.*312. Et tenet hoc, etiamsi fiat ante sententiam declaratoriam, supposito ex dictis *n.*943. quòd hæc requiratur, quia talis à momento commissi criminis amisit jus, ac subsequens declaratio eò retrotrahitur. Et idem est de privato per sententiam hominis, si hæc transierit in rem judicatam, quamvis necdum sit executioni data, nam etiam tum amisit omne jus, Paris.Garc.Leur.*q.*313. contra *Rebuff.* Unde si apud Papam resignarit sub pensione, non facta mentione amissi tituli pensione frui non potest, quia Papa tantùm illi vult pensionem dari, qui per resignationem abdicat titulum, Gig.Gamb.Garc.Paris.Leur.*q.*314.

987 §.3. Quando is, cui reservata pensio, egit ad privationem vel regressum ob non solutam pensionem, resignatarius non potest resignare in favorem tertii; aliàs potest, etiam non admonito primo resignante; & hic secundus resignatarius non potest à primo ob nō solutas pensiones molestari. V.Leur.*p.*315.*&* 316.

988 §.4. Habens parochiam, ob quam tenetur promoveri intrà annum, potest eam ultima die anni resignare, quia pœna privationis non incurritur, nisi tempus ex toto labatur: non facilè tamen admittetur hæc resignatio, quia stylus habet, ut si tantùm brevi tempore possederit, rejiciatur cessio, Paris. Leur. *q.*313. Et simpliciter in simplicibus beneficiis requirentibus residentiam stylus Datariæ requirit, ut resignans exprimat se possedisse per annos saltem absolutè tres, ideoque debet declarari, à quo tempore obtinuerit, Paris.Garc.Castrop.*t.*13. *d.*6.*p.*2.*§.*5.*n.*9. Et si ponat, per annos quinque circiter, satis est, si per annos quatuor & medium, *Garc.Corr.* qui notat praxin illam tenere tantùm in resignatione apud Papam & non apud Ordinarium. Quod si quis præsens in Curia obtineat aliquod beneficium, jurare debet se non habere animum resignandi; intellige intrà breve tempus, usus enim habet, ut resignare possit post aliquot annos, Garc.Corr.Leur.*q.*319.

§.5. Impetrans beneficium per annum pacificè possessum, 989
potest illud, si resignationem Superior admittere velit, statim resignare, nec evocato possessore, nec causa expedita, quia ad hæc tenebitur resignatarius, Sarn.Mandos. Paris. Leur.*qu.*318.

§.6. Promovendi per Papam ad Ecclesiarum aut Monaste- 990
riorum regimina non possunt intrà tempus vacationis Ecclesiæ aut Monasterii & tempus promotionis suæ resignare sua beneficia alioqui vacatura per promotionem, illa enim Papæ reservantur per Reg. Cancell. Excipe, si quis eo tempore resignavit ignorans se promovendum, quia tum abest fraus, Gl.Paris. V.Leur.*qu.*320.

§.7. Mente captus nequit resignare, nisi in lucido interval- 991
lo, *Cap.quamvis sit triste, 7.qu.*1.*Cap.Consaldus, 17.q.*2. Cùm autem resignatio non præsumatur, *Cap.Super hoc, de Renunc.* probari debet fuisse lucidum intervallum, *Glos.Rebuff. Paris.* contra *Sarn.* sed è contrà etiam prius probari debet fuisse amentiam, quia in dubio præsumitur quis esse sanæ mentis, *Bald.Paris.* maximè si fuerit brevis amentia, *Bartol.Alex.Dec. Paris.* Idem est de furore & ebrietate. V.Leur.*q.*321.

§.8. Senex resignare potest, quamvis ejus resignatio diffici- 992
liùs admittatur, Paris.Barb.Leur.*qu.*322. Similiter Minores, qui excesserunt 14. & necdum attigerunt 25. ætatis annum, possunt sine Curatoris consensu etiam per procuratorem sine officio Judicis constitutum resignare, *Azor.Castrop.Pirh.* sed impubes, si per dispensationem habeat beneficium ante annum 14. resignare non potest sine authoritate Tutoris & decreto Superioris, quia pupillus sine Tutore nihil attentare potest, Bursat.Rebuff.Paris.Tond.Pirh.Leur.*q.*324. Quomodo autem Minori vel impuberi, si resignarit, aliquando detur restitutio in integrum, explicat Castrop. *§.*3. *num.*13. & Leur.*q.*325.

§.9. Putant Chok. & Leur.*q.*326. admissum ad Monaste- 993
rium sed necdum ingressum novitiatum non posse resignare beneficium intuitu Religionis ingrediendæ, tum quia refertur declaratio S.Congreg. eò extendens decretum Trid. *sess.*25. *c.*16. *de Regul.* quo prohibentur abdicationes usque ad duos menses proximos professioni, tum etiam quia eadem hic est ratio, ne videlicet novitii deterreantur ab egressu è novitiatu, aut si egrediantur, ne careant competentia vivendi. Novitios autem ipsos posse cum consensu Episcopi etiam sine consensu Superiorum duobus mensibus ante professionem resignare beneficium, etiam super quo ordinati sunt, docent communiùs AA. apud Leur. *qu.*327. *&* 328.*num.*3. quamvis resignatio non habeat effectum, quousque emittant professionem: è contrà *Mach.Villal.Garc.Barb.Castrop.* dicunt illud decretum *Trid.* non agere de resignationibus beneficiorum, sed tantùm de abdicatione aliorum bonorum, quod probabile reputat *Pirh.* quia loquuntur de renuntiatione etiam in favorem causæ piæ, quod beneficiis non convenit, ideoque censent beneficia ab ingressuris & ingressis resignari posse, quando & quomodo volent, dummodò serventur leges juris communis; sed Maj.Azor.Paris.Laym.Sperel.Sanch.Tond.Chok.Pirh.Leur.*n.* 1. tenent velut probabilius, quòd *Trid.* loquatur etiam de renunciatione beneficiorum, cùm de his sit eadem ratio: talis tamen renunciatio imbibit hanc conditionem, si professio sequatur; hinc beneficia sic resignata conferri non possunt nisi professione secuta.

Q. 145. *Quid notandum sit circa resignationem factam* 994
ab infirmo? Resp.seqq.

§.1. Regula Cancell. de infirmis sic habet, *Item voluit, ut si quis in infirmitate constitutus resignaverit, sive in Romana Curia sive extra illam aliquod Beneficium, sive simpliciter sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit aut illius Commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ, & postea infra* 20. *dies per ipsum resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quavis authoritate conferatur, collatio ejusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.*

§.2. Causæ hujus Regulæ fuerunt, 1. ne vel Ordinarii 995
fraudentur collatione sibi competente; vel expectantes, gratia sibi facta. 2. Ne beneficia fiant hæreditaria, aut de illis disponatur quasi per viam ultimæ voluntatis. 3. Ne ab homi-

neper

ne per inſtantem mortem turbato obtrudantur quęvis perſonæ. 4. Ne detur occaſio captandi mortem reſignantis: Pariſ. Leur. *p.3.q.333.* Et quia regula illa eſt ſecundùm jus commune, ad communem utilitatem & pro ſervandis juribus Ordinariorum, cenſent eam eſſe favorabilem Rebuff.Pariſ. Leur. *q.334.* ſed contradicunt *Dec. Mandoſ. Sarn. Gamb.* & alii dicentes eſſe odioſam, quia eſt ad gravamen eorum, quos concernit, nempè infirmorum. Vide dicta *l.1.an.619.*

996 §.3. Sub hanc Regulam cadunt omnia beneficia, etiam electiva, etiam patronata, hinc licèt talis beneficii tanquam per reſignationem vacantis jam facta ſit inſtitutio, collatio, confirmatio, ſi tamen reſignans ante expletos 20. dies moriatur, iſta omnia ſunt invalida, & providetur beneficium tanquam vacans per mortem, *Rota, Rebuff. Az. Pariſ. Tond. Pirh.* Idem eſt, ſi infirmus, quomodocunque dimiſerit, v.gr. volendo uniri vel incorporari, *Mandoſ. Az. Pariſ. Pirh.* Item ſi beneficium ſit conſiſtoriale & à Papa provideatur extrà conſiſtorium, *Az. Pariſ.* Item ſi beneficium acquiſitum vigore gratiæ per ſolam ſupplicationem ſignatam ante expeditas litteras reſignetur, *Pariſ.* E contrà translatio penſionis Eccleſiaſticæ non comprehenditur, *Gom. Mandoſ. Pariſ.* nec officia ſæcularia Curiæ Romanæ, *Sarn. Az. Pariſ.* Vide Leur. *q.335.*

997 §.4. Hac regula comprehenduntur Cardinales, quia ubi agitur de fraude vitanda, hi etiam comprehenduntur, *Sarn. Az. Pariſ. Chok. Pirh.* contra *Barbat. Mandoſ.* & alios. Item Patriarchæ, Epiſcopi, Abbates, Priores, exempti, familiares Papæ, Officiales Curiæ Romanæ: item Abbatiſſæ, Prioriſſę, uti habent *Rebuff. Pariſ. Chok. Pirh.* contra *Mandoſ.* Vide Leur. *q.336.* Item comprehenduntur collationes omnes, quas jam relati facere poſſunt, Rebuff.Pariſ.Leur. *qu.338.* Neque tantùm collationes ſunt vi hujus Regulæ irritæ, ſed etiam ipſæ reſignationes, quas etiam Papa non admittit, niſi ſub conditione vitæ per 20. dies perduraturæ, hinc per ipſas non vacat beneficium, Lott. Leur. *qu.340.*

998 §.5. Hæc Regula habet locum in reſignatione. 1. Quæ fit per procuratorem, quia idem, imò majus periculum eſt fraudis, ſi per hunc fiat. 2. Quæ fit coram Ordinario, (ſaltem extra Galliam) quia dicitur, ſive in Romana Curia ſive *extra illam*, item *quavis authoritate* conferatur, *Rebuff. Pariſ. Az. Vame. Tond. Chok. Engel, Pirh.* contra *Papon. Dec. Mandoſ.* dicentes, in primis Regulas Cancellariæ non habere locum extra Curiam; deinde cùm reſignatio apud Ordinarium non fiat in favorem, ceſſare principales cauſas legis *n.995.* relatas; ſed primum argumentum falſum eſt ex dictis *l.1. num.575.* Alterum autem etiam deficit, nam ſaltem tres ultimæ cauſæ manent, & una ceſſante non ideo ceſſat diſpoſitio, §. *Affinitatis, Inſtit. de nuptiis*. 3. Quæ fit permutationis gratia, uti exprimit Regula, etiamſi beneficia ſint æqualia, *Rebuff. Mandoſ. Graff. Pariſ. Az. Chok. Tond. Pirh.* contra *Sarn. & Gonz.* 4. Quæ fit ſub penſione vel reſervatis fructibus. Vide Leur. *qu.337.*

999 §.6. *Pariſ. Az. Caſtrop. Chok. Pirh.* teſtantur in Curia eſſe praxin, ut Regula habeat locum etiamſi reſignans, dum reſignavit, non fuerit infirmus, dummodò decedat morte naturali vel violenta intrà 20. dies à præſtito in reſignationem conſenſu, uti ſi reſignarit, & infrà 20. dies ob crimen afficiatur ultimo ſupplicio: de cætero rectè notat *Engel* ſpectando verba Regulæ oppoſitum eſſe verum: nam dicit, *Si quis in infirmitate conſtitutus reſignarit:* &, *de ipſa infirmitate deceſſerit.* V. Leur. *q.341.* Saltem non ſufficit, ſi intrà 20. dies moriatur civiliter, v. gr. ineat matrimonium, quia ſtatutum loquens de morte, intelligitur de naturali, prout opponitur civili, *Chok.* Nec ſufficit, ſi moriatur intrà 20. dies poſt privationem, quia Regula loquitur de reſignatione; ſi tamen privandus reſignaret, putant Pariſ. Chok. Pirrh. Leur. *q.342.* Regulam habere locum, ſed attendendum eſt ad praxin, nam verba id non ſonant.

1000 §.7. Ponuntur 20. dies, quia Medici dicunt totidem eſſe periculoſos in morbis acutis. Intelliguntur autem dies naturales ſeu 24. horarum, ſic enim in jure accipitur dies, *L. More, Romano, ff. l.2. tit.12.* Sarn. Reb. Selv. Pariſ. Chok. Pirh. Leur. *q.344.* Et numerantur à die, quo reſignans præſtat conſenſum reſignationi à Superiore approbatæ, licèt necdum conſenſerit reſignatarius, Rota, Pariſ. Leur. *qu.329.* Putatque Pariſ. *lib.12. qu.5. num.37.* ſi reſignatio fiat apud Papam, intelligi diem, quo ad ſupplicam procuratoris datur parvus conſenſus, de quo dictum eſt *nu.971.* ſed *Rebuff. Azor. Chok. Pirh.* aliique communiùs cum Leur. *q.344. nu.3.* dicunt intelligi conſenſum magnum in Camera, quia ante hunc non eſt reſignatio perfecta ſed res adhuc integra & locus pœnitentiæ ſecundùm dicta *nu.971.* Si autem reſignatio fiat apud Ordinarium, numeratur à die, quo Superior reſignationi præſtat conſenſum, Pirh. *de Renunc. num.34.*

1001 §.8. Diem, quo præſtatur conſenſus, includunt in numero 20. dierum Rota, Gl. antiquus, Pariſ. Caſtrop. Pirh. Leur. *num.4.* quia licèt dies termini inchoati in odioſis non computetur eſſe in termino, *l. Eum qui 41. §. planè, ff. de verb. oblig.* aliud tamen eſt, ubi cum includi favorabile eſt illi, cui terminus ſtatuitur, &

ita *L. Gallus, ff. de liberis & poſthumis*, dicitur, ſi quis nepotem, qui naſcetur intrà 10. menſes à die mortis filii, inſtituerit hæredem, diem illam mortis filii includi in illis 10. menſibus; quod hìc magis tenet, nam cùm dicatur, intrà 20. dies, Tò intrà, regulariter includit ſua extrema, uti ex Civiliſtis probat Pariſ. *n.25.* E contrà diem præſtiti conſenſus excludunt *Sarn. Rebuff. Chok.* & probabile agnoſcit *Leur.* quia nullitas reſignationis videtur in pœnam ſtatui: dies autem termini, in pœnalibus, non computatur eſſe in termino.

§.9. Primus dies præſtiti conſenſus & ſimiliter dies ultimus, quo reſignans moritur, non debet cenſeri pro die completo, ſed incipit à momento: hinc ſi quis reſignet primo die Januarii manè hora 8. & moriatur ante horam 8. diei 21. Januarii, non ſupervixit 20. dies, quia licèt in favorabilibus dies inceptus habeatur pro completo, ſi tempus definiatur per annos, *L. Aqua ætate, ff. de teſtam.* tamen ſi à lege fiat computatio per dies, ſumitur de momento ad momentum, Gomeſ. Pariſ. Az. Sanch. Caſtrop. Pirh. Leur. *nu.5. & 6.* 1002

§.10. Qui vult infirmare reſignationem, probare debet mortem obveniſſe intrà 20. dies, quia quiſque debet probare id, ſupra quo ſe fundat, *l.2. ff. de probat.* Debetque probatio eſſe clara & plena, *Sarn. Mandoſ Pariſ. Chok.* Si tamen ſignans in favorem conſanguinei vel amici, in ejuſdem domo moriatur, negato ad infirmum acceſſu Medicorum & aliorum, præſumetur fraus; quæ etiam ex conjecturis probatur, *L. Dolum, Cod. de dolo*, Mandoſ. Dec. Pariſ. Leur. *q.343.* 1003

§.11. Si reſignans moriatur intrà 20. dies, *Roſin. Gomeſ.* 1004 *Garc. Chok.* dicunt beneficium apud Papam ſic reſignatum non reſervari Papæ, tum quia per hanc Regulam omnia reſolvuntur, ac ſi nihil eſſet factum, nec apponitur reſervatio, quæ cùm ſit odioſa, non eſt inducenda, niſi in caſibus expreſſis; tum etiam quia principalis ratio Regulæ fuit, ne Ordinarii fraudentur jure ſuo conferendi, quod fieret, ſi ad Papam pertineret collatio: E contrà reſervari Papæ dicunt *Sarn. Boer. Rebuff. Pariſ. Az. Tond. Lotth. Pirh.* Rationem dant, 1. Quia tale beneficium dicitur vacare in Curia, non aliter ac ſi quis in Curia beneficio privetur: *ſed* hæc ratio non videtur firma, nam cùm reſignatio in Curia tunc ſit nulla, reipſa vacat per obitum mortui extra Curiam. 2. Quia Papa ſaltem applicavit manum, ſicuti quando mandavit provideri de beneficio, inducitur affectio & reſervatio, licèt proviſio impediatur. Sed dici poteſt id ordinariè verum eſſe, non autem hìc & in ſimilibus caſibus, in quibus Papa quærit conſervare jus Ordinariorum. 3. Quia ſecundùm *Lott.* obitus reſignantis per fictionem juris & in odium fraudis retrotrahitur ad tempus reſignationis tentatæ in Curia, & ſic iſte obitus cenſetur eſſe factus in Curia, ſicuti lex Cornelia fingit Patrem eſſe mortuum eo tempore, quo captus fuit, *L. Pater inſtituto, ff. de Captiv. & poſtlim. reverſ.* *ſed* dici poſſet gratis ea dici, cùm nulla lex juſtificet priorem illam fictionem. Ex his concludit *Engel*, primam ſententiam, ſpectata ratione, eſſe probabilitatem, & teſtatur *Chok.* Leodii quotidie practicari: ſaltem in hoc conſpirant utriuſque ſententiæ AA. ſi reſignatio tentata ſit apud Ordinarium, non affici à Papa, ſed beneficium per obitum vacans manere in proviſione Ordinarii, Leur. *q.346.*

§. 12. Quamvis Regula dicat, ut beneficium cenſeatur vacare per obitum, tamen reipſa etiam ſic vacat, aut ſaltem habet omnes effectus vacationis per obitum, *Pariſ. Lott.* contra *Sarn.* quia in his, quæ ſunt juris, parta ſunt eſſe tale, & haberi pro tali, & fictio à jure inducta (ſi talis hìc ſit) habetur pro veritate quoad juris diſpoſitionem, cùm idem importet fictio legis quod Veritas, *Bartol.* Vide Leur. *q.345.* 1005

§.13. Si quis beneficium ſic vacans impetret à Papa, exprimere debet menſem obitus, Lott. Leur. *qu.347.* Addunt *Sarn. Pariſ.* etiam modum, quòd ſic vacet per obitum intrà 20. dies. 1006

§.14. Papa ſolet huic Regulæ derogare in permutationibus, & quandoque etiam in reſignationibus ultra montes, ſed hoc debet exprimi, nec ſufficit in ſupplica dici, *Quocunque modo vacet*, nam intelligitur, quocunque modo de facto vacet, non autem pro futuro ante 20. dies. Quòd ſi laborans podagra reſignarit, & Papa derogarit Regulæ his verbis, *Quatenus ex illa infirmitate moriatur*, ſi intrà 20. dies moriatur ex alia infirmitate, non cenſetur eſſe derogatum Regulæ, quia non eſt impleta conditio, *Sarn. Pariſ.* Gratia autem derogationis Regulæ conceſſa ab hoc Papa manet ſub Papa ſucceſſore, *Rota, Pariſ.* Vide Leur. *qu 349.* Denique ſi quis reſignarit apud Papam, & Papa moriatur ante præſtitum in Camera magnum conſenſum, quem poſteà præſtet reſignans, attamen moriatur intrà 20. dies, tenet reſignatio, quia Regulæ Cancell. ceſſant per mortem Papæ, Leur. *q.348.* ex *Sarn. & Pariſ.* qui putant oppoſitum eſſe dicendum, ſi vivente Papa datus eſt magnus conſenſus, quia Regula jam antecedenter affeciſſet beneficium. 1007

Q.146. Quibus reſignari poſſint Beneficia? Reſp. 1008

§.1. In primis non poſſunt reſignari niſi dignis, *Cap. cùm in-*

cunctis, de elect. An autem reſignari debeant dignioribus, vide dicta *n.*586. Deinde etiam nonniſi illis, qui habent qualitates à jure, ſtatuto & fundatione requiſitas, nec aliunde tenentur impedimento, uti conſtat ex hactenus dictis. Nec juvat, ſi poſtmodum ſuperveniat idoneitas, nam tunc requireturnovus conſenſus reſignantis, & nova proviſio Superioris, Rota, Gl. Anch. Pariſ. Leur. *p.3.q.*350. Vide tamen dicta *à n.*836.

1009 §.2. Beneficia non poſſunt reſignari illis, quibus non poſſunt conferri: hinc reſignari non poſſunt laicis, uti conſtat ex dictis *à n.*742. Si autem reſignatio in favorem laici ſit admiſſa à Papa ſub hac clauſula, *Quàm primùm Clericali charactere fuerit inſignitus*, quamvis ille priùs poſt mortem reſignantis fiat Clericus, valet reſignatio, quia reſignans nihil ultrà facere poterat, ſed ſolus Papa & reſignatarius, Pariſ. & alii contra Gabr. apud Leur. *qu.*354. Nec reſignari poſſunt criminoſis vel infamibus, ſecundùm dicta *n.*785. Et crimina, quæ privant beneficio, multò magis reddunt incapacem acceptandi: quænam autem privent, dictum eſt *à n.*940. Et ſpecialiter ſecundùm AA. apud Leur. *qu.*356. reſignari non poteſt beneficium homicidæ, perjuro, hæretico, hæretici filio, ſchiſmatico, ſortilego, ſacrilego, falſario litterarum Apoſtolicarum, uſurario publico, apoſtatæ, reo læſæ Majeſtatis, aleatori, notoriè infami. Et quamvis Papa ſciat aliquem eſſe talem admittatque reſignationem in ejus favorem, per hoc non cenſeri diſpenſare, docent Abb. Hoj. ed. Rebuff. & alii cum Pariſ. *l.*4.*q.*3.*à n.*63. Nec reſignari poteſt excommunicato, ſuſpenſo, irregulari, ſecundùm dicta *à nu.*774. Vide etiam Leur. *q.*357. Nec mente capto, Pariſ. *lib.*12.*q.*4 *n.*1. Nec illitterato aut ignoranti linguam loci, in quo eſt beneficium, ſi ſit curatum, uti dictum eſt *à n.*789. Nec illegitimo, ſecundùm dicta *n.*750. Nec bigamo, ſecundùm dicta *n.*768. Nec minori 14.annis, Leur. *q.*362. Vide dicta *n.*795. Neque ſæculare beneficium reſignari poteſt Clerico regulari vel contrà, ſecundùm dicta *n.*225. Nec pater reſignare poteſt filio, ne videatur hæreditaria ſucceſſio, Laym. Leur *q.*368.

1010 §.3. Beneficia reſignari poſſunt ſenibus & infirmis, dummodò maneant apti ſatisfacere officio, *Pariſ.* Item majoribus 14.annis etiam ſine conſenſu curatoris, *Buratt. Pariſ.* Item in favorem Capituli, Conventus, habentis dignitatem Superioris. V. Leur. *qu.*362.

1011 §.4. S. Pius V. in Conſt. *Quanta Eccleſiæ Dei*, ſic ſtatuit, *Præcipimus, ne Epiſcopi ..ut alii Collatores de Beneficiis & officiis reſignandis, aut ſuis aut dimittentium conſanguineis, affinibus vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere: quòd ſi ſecus ac etiam quidquid aut contra formam prædictorum fuerit à quocunque temerè attentatum, id totum ex nunc vires & effectum decernimus non habere: qui verò contra fecerint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, à Beneficiorum & officiorum collatione, necnon electione, præſentatione, confirmatione & inſtitutione, prout cuique competierit, tamdiu ſuſpenſi remaneant, donec remiſſionem à Romano Pontifice meruerint obtinere; & qui talia Beneficia ſeu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus ſubjacere.* Quòd ſi aliquis ita contulerit ideoque ſit ſuſpenſus, ac nihilominus pergat iterum ſimile quid attentare, incidit in excommunicationem ipſo facto, vel ſi ſit Conventus, in ſuſpenſionem à divinis, à quibus abſolvi non poſſint niſi à Papa.

1012 §.5. Circa Conſtit. illam Pianam quædam notanda ſunt: 1. Per Epiſcopos non intelliguntur Cardinales, quamvis ſint Epiſcopi, cum hæc Conſtit. ſit odioſa, *Az.*2. Per familiares intelliguntur, qui actu deſerviunt Epiſcopo aut Collatoribus, & continuam exercent commenſalitatem in eorum domo, Pariſ. Tond. Leur. *p.*2.*q.*676. 3. Cùm dicat, *Ne Epiſcopi aut alii Collatores*, putat Luca *de benef. d.*65.*n.*16. probabile eſſe, quod non comprehendat Canonicum turnarium, qui nomine Capituli confert, cùm Capitulum non habeat conſanguineos aut affines. 4. Conſtit. illa non habet locum in beneficiis juriſpatronatus, uti declaravit Greg. XIII. apud Corr. *l.*5.*c.*1.*nu.*50. & S. Congr. apud Quarant. *in ſum. Bullar. v. Beneficiorum reſignatio*; quod quamvis Ricc. reſtringat ad juſpatronatus laicale, tamen Quarant. Garc. Tond. Sanch. *in Conſil. l.*2.*c.*3.*d.*36.*n.*24. Leur. *qu.*676. & alii loquuntur ſine diſtinctione, & ratio eſt eadem de omnibus, nam S. Pius tantùm loquitur de Epiſcopis & Collatoribus ut talibus, quando nempè ex ſeipſis beneficia conferunt. 5. Si quis etiam ignorans contraveniat huic Conſtit. putant aliqui cum *Corr.* ſuprà incidere in dictas pœnas, ſed non video, quomodo ignorans pœnam incurrat; uti *l.*1.*à n.*767. dictum eſt: proviſio tamen manet invalida. 6. Epiſcopus non poteſt ejuſmodi conſanguineos vel affines vel familiares admittere ad concurſum pro parochiali in manus ſuas reſignata, uti dictum eſt *n.*618. 7. Epiſcopus poteſt beneficium in manus ſuas reſignatum conferre conſanguineo, affini vel familiari ſui Vicarii Generalis. Item Vicarius ſuo conſanguineo, affini vel familiari, quod enim ipſe facit, cenſetur facere Epiſcopus: unde Vicarius non poteſt conferre conſanguineo, affini, familiari Epiſcopi, quia ſic cenſeretur Epiſcopus conferre ſuo, *Corr.* ſuprà & alii. 8. Conferri poſſunt conſanguineis &c. ſi vacent aliter, quàm per reſignationem, quia S. Pius tantùm loquitur de vacantibus per reſignationem, Ricc. Tond. Leur. *ſuprà*. Vide eundem *p.*3.*q.*370. Quoad permutationem dicemus *num.*1103.

§.6. Hæc Conſtit. uſu recepta eſt in diœceſi Colonienſi, 1013
Leodienſi & Monaſterienſi in VVeſtphalia: debuitque ab initio eſſe ubique recepta & obligare poſt acceptam illius notitiam, ut in fine habetur: contrà illam tamen ſupplicavit Hiſpania, uti referunt Dian. *p.*5.*t.*14.*R.*26. & Caſtrop. *t.*13.*d.*6. *p.*2.*ſ.*1.*num.*7.

Q. 147. *An reſignanti ſit licitum interponere preces* 1014
apud ordinarium collatorem, ut beneficium reſignatum conferat huic vel illi? R. Eſſe licitum, non tantùm poſt reſignationē, uti limitant aliqui cum Nicol. *t.*1.*d.*9.*ſ.*5. ſed etiam ante; vel dum ea fit, dummodò abſit omne, etiam tacitum pactum, S. Anton. Suar. Regin. Felin. Rebuff. Garc. Az. Pariſ. Fill. Tond. Barb. Caſtrop. Sanch. *in Conſ. l.*2.*c.*3.*d.*36.*n.*23. contra Hoſtienſ. *Nec obſtat* relata Conſtit. S. Pii V. vetans omnem ſucceſſoris in beneficio deſignationem, imò & intentionem ſucceſſoris, *nam Barb. Zoeſ. & Engel* dicunt id prohiberi collatori tantùm, ne appromittat alicui conferre: *Nav. Pariſ. Sanch. Caſtrop.* dicunt tantùm vetari deſignationem vel intentionem, ſi expreſsè vel tacitè deducatur in pactum: alii dicunt eſſe admonitionem tantùm, ut hoc non fiat, non autem præceptum, nam tantùm dicit, *Caveat*: de cętero nudæ illæ preces nullam collatori obligationem afferunt, & de ſe non ſunt illicitæ. Et videntur valere dicta, quamvis reſignans ſic ſperet, ſitque ita conſtitutus, ut non reſignaret, ſi ſciret huic non conferendum, quia hæc ſpes ac diſpoſitio animi nec eſt de ſe mala, nec ullibi prohibetur, Nav. Pariſ. Az. Dian. Barb. Tond. Vide Leur. *p.*3.*qu.* 369. & 728.

*Q.*148. *Coram quibus fieri poſſit reſignatio?* Reſp. 1015
§.1. Neceſſariò fit in manibus Superioris, *cap. Admonet, de Renunc.* quia beneficiatus obligarat ſe Eccleſiæ, nec niſi per Superiorem ſolvi poteſt, Pariſ. Garc. Az. Barb. Laym. Caſtr. Pirh. Leur. *p.*3.*q.*372. Authoritas tamen Superioris non requiritur, ut quis dimittat jus ad rem acquiſitum & etiam acceptatum ratione electionis, poſtulationis, præſentationis, impetrationis litterarum &c. quia necdum erat vinculum cum Eccleſia, AA. iidem. Poteſt etiam intruſus propria authoritate dimittere beneficium, *Gl. Inn. Abb. Hoſtienſ. Pariſ.* quod limitat *Garc.* ſi appareat, quod intruſus ſit & careat titulo. Idem dicunt multi cum *Abb. Pariſ. Garc. Barb.* ſi quis habeat dubium jus in beneficio litigioſo, quamvis neget *Laym.* Vide Leur. *qu.*373.

§.2. Epiſcopus quantumcunque criminoſus, & etiamſi ſit 1016
ſimoniacus, non poteſt Epiſcopatum dimittere abſque licentia Superioris, *Cap. Niſi cùm pridem, de Renunc.* Uti nec ullus alius habens jus in beneficio, ſi ob crimen veniat tantùm privandus, *Pariſ. Pirh.* Et quamvis ſit jure ipſo privatus, adhuc tamen expectare debet ſententiam declaratoriam, quando hanc prærequirit privatio, ut nempè ſic tollatur titulus coloratus & poſſeſſio, Abb. Pariſ. Pirh. Leur. *q.*374.

§.3. Si quis obtinuerit aliud incompatibile, debet nihilo- 1017
minus prius beneficium dimittere cum authoritate Superioris, alioquin revocari poteſt ad primum, *Extrav. Execrabilis, De præb. Abb. Hoj. Gregr. Coraſ. Burſat. Pariſ. Pirh.* contra *Gloſ. Hoſt. Gonz. Quintanadv. Garc.* Et ſi tranſeatur ad beneficium alterius Diœceſis, requirunt conſenſum expreſſum; ſi autem ad beneficium ejuſdem Diœceſis, admittunt tacitum ſufficere *Fagn. ſ. Andr. Pirh.* Quòd ſi promoveatur ad dignitatem vel beneficium curatum, impediri non debet, Gl. Hoſt. Laym. Pirh. Leur. *qu.*375.*num.*1. & 2.

§.4. Satis eſt, ſi profeſſurus in Religione id indicet Supe- 1018
riori Eccleſiaſtico, nam jus facit ei poteſtatem ſic dimittendi beneficium, *arg. cap. licèt, de Regul.* Laym. Pirh. Et univerſaliter verum eſt, ſi beneficium ſit tantùm ſimplex nullum ſervitium aut reſidentiam requirens, poſſe requiſito & quamvis invito Superiore dimitti, quia erat principaliter ob beneficiati utilitatem, cui reſignare poteſt, Fagn. Pirh. Leur. *nu.*3. quem vide etiam *q.*377. Poteſt etiam quis inire Matrimonium & ſic tacitè reſignare, etiam non petita licentia Superioris, Leur. *qu* 375.*n.*4. Et idem, ſi ſequatur militiam.

§.5. Reſignatio ſine Superioris authoritate facta, eſt 1019
nulla, poteſtque Superior cogere reſignantem, ut in beneficio permaneat, vel cogere, ut legitimè dimittat, aut ratam habere deſertionem, ſicque vacans beneficium conferre alteri. Quòd ſi reſciens, intrà 6.menſes non jubeat permanere in beneficio, cenſetur conſentire, & reſignatio ſortitur effectum, *Pariſ. Caſtrop. Pirh.* De cętero antequam conſentiat Superior, reſignans retinet titulum, ſed amittere poteſt poſſeſſionem. *Inn. Abb. Selv. Rebuff. Pariſ. Garc. Menoch. Laym. Barb. Pirh.* Et ad hanc ſine Superioris authoritate regredi non poſſe docent *Nav. Pariſ. Barb.* ac conſentit *Pirh.* ſi reſignarit coram laico. V. Leur. *q.*376.

§.6. Per Superiorem hìc intelligitur ille, qui habet pote- 1020
ſtatem

ſtatem ordinariam beneficiatum removendi ab hoc beneficio; hanc autem non habent omnes collatores, nec deputati ad providendum de beneficiis vacaturis, Nicol. *t.1.d.9.ſ.10. & 11.* Unde non eſt verum univerſaliter, quòd, ad quem pertinet inſtitutio, ad illum ſpectet etiam deſtitutio, niſi inſtitutio ad eum pertineat jure communi & ordinario, non autem ſi tantùm privilegio vel conſuetudine, Pariſ. Luca: habet tamen praxis, teſte Laym. & Pirh. ut Capitulum admittat reſignationes beneficiorum ſimplicium, quorum habet collationem independenter ab Epiſcopo; Vide Leur. *q.*378.395. Quòd ſi, v.gr. dignitas acquiratur per electionem Capituli, quæ confirmari debet per Epiſcopum, videtur reſignanda in manus Capituli, quia obtenta fuit vi electionis Capituli, & confirmatio nihil juris addebat, ſed tantùm majus robur: attamen vidi etiam oppoſitum fieri, & reſignationem talem admitti ab Epiſcopo.

1021 §.7. Reſignatio fieri non poteſt coram Laico, *cap. Quod in dubiis, de renunc.* Etiamſi ſit patronus beneficii; Abb. Pariſ. Barb. Pirh. Laicus tamen v.g. Notarius, poteſt recipere conſenſum, ſed non authoriſare, Nav. Pariſ. Poſſet etiam laicus ex privilegio Papæ reſignationem recipere, Pariſ. Leur. *q.*379.

1022 §.8. Nonniſi à Papa admitti poteſt reſignatio Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, beneficii exempti, dignitatum primariarum poſt Pontificalem in Cathedralibus, & principalium in Collegiatis, quia harum diſpoſitionem ſibi reſervavit Papa per *Reg. 3. Cancell.* Pariſ. Pirh. Leur. *q.*383. Excipe, niſi privilegium, vel conſuetudo aliud habeat. Item ad ſolum Papam ſpectat admittere reſignationem Abbatiarum, & Prioratuum, quorum collatio ad ipſum ſpectat, Gl. Tamb. Leur. *q.*396. quem vide ibid. quoad reſignationem talium prælaturarum regularium, quarum collatio ad Papam non ſpectat. Quam poteſtatem admittendi reſignationem habeant Cardinales, & Legati à latere, refert Leur. *qu.*384.385. quam habeant Abbates, Præpoſiti, Decani, &c. Item auditores Rotæ, Notarii Apoſtolici, &c. refert *q.*392. *& ſeqq.*

1023 §.9. Archiepiſcopus non poteſt admittere reſignationes beneficiorum in Diœceſibus Epiſcoporum Sufftaganeorum, Leur. *q.*386. Poſſunt autem Epiſcopi admittere reſignationes puras omnium aliorum beneficiorum, etiam reſervatorum Papæ, quamvis hæc conferre non poſſint: Item patronatorum, & electivorum, ſaltem accedente conſenſu patronorum, & Electorum, ſecundùm dicta à *n.*976. Vide etiam Leur. *qu.*387.

1024 §.10. Vicarius Epiſcopi non poteſt ſine ſpeciali mandato hanc poteſtatem determinatè exprimente recipere reſignationes, poteſt tamen Epiſcopus id ipſi committere. V. Leur. *q.*389. ubi etiam agit de Coadminiſtratoribus Epiſcoporum, vel Vicariis Apoſtolicis, *& q.*390. de Coadjutore Epiſcopi. Nullum autem capitulum, regulariter loquendo, poteſt ſede plena recipere reſignationes, Abb. Inn. Pariſ. Pirh. quamvis etiam per privilegium, vel conſuetudinem haberet poteſtatem deſtituendi, uti putat Luca, attamen Pariſ. & Pirh. putant, ſi haberet poteſtatem inſtituendi, & deſtituendi, poſſe etiam reſignationes recipere. Sede vacante poteſt capitulum recipere reſignationes puras beneficiorum ſpectantium ad collationem etiam ſolius Epiſcopi, Pavin. Sbroz. Coraſ. Azor. Garc. Barb. Caſtrop. partim contra Rebuff. Pariſ. Laym. Pirh. id admittentes tantùm de beneficiis ſpectantibus ad ſimultaneam collationem Epiſcopi & capituli, & de eis, quæ reſignantur in pœnam; partim contra Roffiniac. & alios id abſolutè concedentes tantùm de reſignatis permutationis cauſa: ſed ratio noſtra eſt, quia capitulum ſuccedit Epiſcopo in omnibus, quæ ſunt juriſdictionis ordinariæ, ſaltem neceſſariæ, niſi expreſsè excipiantur à jure; hæc autem poteſtas eſt juriſdictionis ordinariæ & neceſſariæ, debet enim reſignatio facta ex juſta cauſa recipi, nec excipitur à jure, ergo. Non videtur tamen capitulum recipere poſſe reſignationes permutationis cauſa, niſi eorum beneficiorum, quæ conferre poteſt ſaltem cum Epiſcopo, quia cùm permutationem comitetur collatio, ſi hanc non poſſit facere capitulum, nec poterit illam. Vide Leur. *q.*391.

1025 §.11. Epiſcopi poſſunt in omni menſe admittere reſignationes, & non obſtantibus concordatis conferre beneficia reſignata, quæ aliàs ſunt ſuæ collationis, uti dictum eſt *n.*511.

1026 *Q.*149. *Quas cauſas requirat reſignatio?* R.

§.1. Quamvis Engel dicat hodie conſuetudinem obtinuiſſe, ut ſine cauſa graviore reſignationes admittantur, attamen debet adeſſe juſta cauſa, cùm beneficii natura poſtulet de ſe perpetuitatem, & illa continua dimiſſio pariat gravia incommoda, uti rectè Pirh. *de Renunc. num.*39. Nicol. *t.1.d.9.ſ.6.* Si tamen fiant in favorem apud Papam, ſufficit voluntas gratificandi reſignatario. Corr. Vallenſ. Leur. *p.3.q.*399. Et quamvis in ſupplica ad Papam addi ſoleat *Ex certis cauſis animum noſtrum moventibus*, tamen non eſt opus hoc, aut ullam cauſam allegare apud ipſum, ſed ſolæ reſignationes apud Ordinarium dicuntur fieri *ex cauſa*, debetque exprimi ſaltem hoc, *Ex certis cauſis*, Corr. Leur. *q.*401. In dubio autem ſemper præſumitur reſignationem eſſe factam ex juſta cauſa, Butr. Pariſ. Tond. Corr. Leur. *q.*400. quem vide *q.*403. *& ſeqq.* de cauſis reſignandi prælaturas.

§.2. Univerſim cenſentur duæ juſtæ cauſæ reſignandi, 1027
nempe utilitas Eccleſiæ & ſalus propria: & ſpeciatim ut reſignatio poſſit ab Ordinario admitti, S. Pius V. in Conſtit. *Quanta Eccleſiæ*, requirit unam ex his cauſis, 1. Senium, quod an adſit ſufficiens, remittitur prudenti arbitrio Judicis, ſpectata perſonarum qualitate & complexione. 2. Incommoda valetudo, ita ut non poſſit præſtare officia. 3. Si ſit corpore impeditus, quominus commodè præſtet officia, uti eſt lunaticus, leproſus &c. 4. Si ſit corpore vitioſus, uti eſt cæcus, ſurdus, mutilatus. 5. Si ſit obnoxius crimini, ob quod privari poſſit. 6. Si ſit in cenſura, à qua facilè abſolvi non poſſit. 7. Si quid advenerit, ob quod impeditur, quominus deſerviat officio, uti ſi ſit dæmoniacus, bannitus, irregularis, ſcandalosè vivens. 8. Si habeat plura beneficia, quorum unum ſufficit ad ſuſtentationem. 9. Si obtineat ſecundum beneficium ſufficiens. 10. Si ingrediatur Religionem, Matrimonium, militiam; ſed beneficium ingreſſi Religionem non confertur ſtabiliter ante profeſſionem; ingreſſuri Matrimonium aut militiam poteſt ſtatim conferri. 11. Si ob capitales inimicitias non audeat reſidere in loco beneficii exigentis reſidentiam. Addit autem S. Pius V. ſi reſignare volens ſit in Sacris, velitque manere in ſæculo, non admittendam reſignationem, niſi habeat, unde vivat. V. Caſtrop. *t.13.d.6.p.2.ſ.1.an.*4. & Leur. *qu.*412.413. Ubi autem Conſtit. illa uſu recepta eſt, ſi reſignatio ab Ordinario admittatur abſque ulla ex his cauſis, eſt nulla, quia habet decretum irritans, Pariſ. Az. Caſtrop. Pirh. Leur. *q.*415. ſed teſtatur Zyp. *in analyſi h.t.n.*1. non eſſe ubique uſu receptam.

§.3. Juſta cauſa reſignandi non eſt, ut vitetur labor, ut 1028
captetur gratia reſignatarii &c. Barb. Leur. *q.*402. Et ſi quis reſignet beneficium tenujus eo tantùm fine, ut obtineat pingujus, peccat ſecundùm S. Tho. Nav. Hurt. putatque hoc eſſe mortale Cajet. ſi hic finis appetentis non tendat in aliquem alium finem bonum; Vide Leur. *qu.*416. Quòd ſi aliquis reſignet hoc beneficium ea intentione & ſpe, ut alterum ſibi à Superiore conferatur, aliàs non reſignaturus, non eſt ſimoniacus, ſi non intendat obligare Superiorem, Sot. Valent. Rodriq. Farin. apud Dian. *p.6.t.7.R.*42. Addit Valent. etiam poſſe prædictam ſpem verbis aut ſcripto exprimi apud Superiorem, quia quod licitum eſt optare, etiam licitum eſt, per ſe loquendo, verbis exprimere, Caſtrop. *tr.17.d.3.p.4.n.*2.

*Q.*150. *Intrà quod tempus Superior admittere aut rejicere* 1029
debeat reſignationem? R. Extra Curiam intrà menſem, uti habet Conſtit. Greg. XIII. *Humano vix judicio*, alioqui beneficiorum illorum proviſio ſpectat ad Sedem Apoſtolicam, Pariſ. Barb. Chok. Leur. *p.3.q.*398.

*Q.*151. *Intrà quod tempus conferri, & occupari debeat* 1030
beneficium reſignatum? R.

§.1. Pariſ. Garc. Chok. putant illos, in quorum manibus reſignata ſunt vel permutata beneficia, teneri ea iterum conferre intrà menſem, alioquin devolvi immediatè ad Papam, propter dictam Conſtit. Greg. XIII. ſed Barb. *de jure Eccl. l.3.c.*15. *n.*113. & Nicol. *t.1.d.11.ſ.1.* contradicunt, dicentes tantùm præcipi, ut negotium admittendæ vel rejiciendæ reſignationis intra menſem abſolvatur: proviſio autem ipſa relinquitur facienda juxta Canonicas ſanctiones, nempe ſecundùm *cap. Nulla, de conceſſ. præb.* intrà 6. menſes à die acceptatæ reſignationis; quod inde colligitur, nam juxta Trid. *ſeſſ.*24. *cap.* 18. *de Reform.* debet de parochialibus etiam reſignatis indici concurſus, & per conſtitutionem S. Pii V. datur ſemeſtre ad illarum collationem, ergo cùm S. Pius V. non deroget nec mentionem faciat Conſtit. Gregorianæ, ſignum eſt per hanc non reſtringi collationem ad unicum menſem; hinc docent cum Selv. Coraſ. Senis, Az. *p.2.l.7.c.*30. *qu.*2. Chok. *de permut. p.3.c.*17. Garc. *p.*10. *c.*4. *n.*2. certum tempus ſtatutum non eſſe à jure, intra quod etiam beneficia permutata conferri debeant. V. Leur. *p.* 3. *qu.*398. & dicenda *n.*1108.

§.2. Si quis apud Papam reſignet in favorem alicujus, 1031
optetq; ex juſtis cauſis adhuc per aliquod tempus retinere poſſeſſionem beneficii, notant aliqui hanc eſſe praxin, ut curet reſignationem ſubſignari & regiſtrari, tum elapſis 20. diebus expectet ad 6. menſes nec curet expediri bullas, poſtmodùm petat prorogationem aut novum datum: evoluto hoc tempore expediantur litteræ, quæ intrà Alpes detineri poſſunt ad 6. ultrà alpes ad 9. menſes, intrà quos ſi poſſeſſionem non capiat, obtinetur prorogatio ad alios 9. menſes, poſtmodùm ad alios duos, denique ad alios ſeptem, nec ultrà hos duos annos datur prorogatio.

*Q.*152. *Quid notandum ſit circa reſignationem per pro-* 1032
curatorem? R. Seqq.

§.1. Poteſt reſignatio fieri per procuratorem, quia qui poteſt aliquid per ſe, etiam poteſt per alium, niſi lege prohibeatur, *leg. Labeo, ff. de procurat.* nulla autem lex prohibet ſic fieri, niſi quis ſit præſens intrà muros vel ſuburbia Romana, tum enim

enim per *Regul.24.Cancell.* debet per ſeipſum præſtare magnum conſenſum. Vide Leur.*p.3.qu.672.*

1033 §.2. Bellam.Pariſ.Az.Caſtrop.apud Leur.*qu.673.* dicunt procuratorem non poſſe ſimul & ſemel conſtitui ad beneficium idem accipiendum & dimittendum; quia quamdiu principalis non habet beneficium, voluntas & mandatum dimittendi eſt nullum & de ſubjecto non ſupponente:ſed non video, cur mandatum dari non poſſit pro tempore futuro, quo habetur beneficium : hoc tamen videtur inordinatum, ſi velit ſtatim dimittere beneficium, ſecundùm dicta à *n.859.*

1034 §.3. Laicus poteſt eſſe procurator ad reſignandum, uti & ad acceptandum beneficium, quia nomine alieno agit tanquam purus Miniſter mandati, Pariſ.Laym.Leur.*q.674.* Poteſt etiam eſſe Religioſus, ſi Superior conſentiat & ſit in utilitatem conventus Zabarel.Az. Caſtrop. Leur. *qu.675.* contra Vital. & Pariſ. Poſſuntque plures conſtitui, vel in ſolidum, ita ut ſinguli ſeorſim poſſint conſentire, vel tantùm in ſimul, quo caſu ſufficeret unum conſentire poſt alterum, Pariſ.Az. Leur.*q.677.* Poſſet etiam non tantùm in permutatione unus utriuſque permutantis eſſe procurator, uti dicetur *n.1089.* ſed etiam in reſignatione unus idemque dimittere beneficium pro reſignante & illud admittere pro reſignatario, Pariſ.Azor. Caſtrop.Leur.*q.678.*

1035 §.4. Pro reſignatione apud Ordinarium ſufficit procuratorem conſtitui per privatas litteras, uti & pro danda ſupplicatione in Curia & præſtando parvo conſenſu ; ad magnum tamen conſenſum præſtandum exhiberi debet mandatum ſcriptum manu Notarii publici, exprimens locum, in quo fit, voluntatem mandantis ad reſignandum beneficium iſtius nominis & loci, obſignatum ſigillo Judicis Ordinarii & communitatis, recognitum à mandante, ſubſcriptum à Notario , Pariſ.Az.Caſtrop. debetque procurator eſſe ſpecialiter conſtitutus ad reſignationem hujus vel horum beneficiorum,Burſat. Bellarm.Rebuff.Pariſ. Nec poteſt agere procurator, niſi mandatum ſcriptum in manibus habeat & videat ejus clauſulas, Pariſ.Az. Huic autem tradi poteſt à quocunque, quia ſubſcriptiones ſufficientem fidem faciunt, Pariſ.contra Rebuff. V. Leur.*qu.679.& ſeqq.* Sed quoad iſta,maximè ſpectanda eſt conſuetudo & praxis Curiæ.

1036 §.5. Jus non ſtatuit tempus, intrà quod procurator debeat pro principali reſignare : ſi tamen fiat in Curia , debet à parvo conſenſu intrà ſex menſes præſtari magnus , Pariſ.Az. Caſtrop.Leur.*q.684.*

1037 §.6. Conſtitutio procuratoris non impedit, quominus principalis per ſeipſum reſignet, unde ſi hic reſignet in Octobri apud Ordinarium , & procurator in Novembri apud Papam , valet reſignatio principalis, Caſtrop.Leur.*q.686.* contrà Abb. Bald.Menoch.Felin.Pariſ. Az. An autem procuratori debeat priùs intimari revocatio mandati, dicetur *n.1039.&* 1041.

1038 §.7. Procurator nil poteſt ultra fines mandati, uti per ſe patet. Si habeat poteſtatem reſignandi, in quem volet, non poteſt reſignare in ſeipſum,quia tale mandatum continet tres perſonas, mandantem, mandatarium & tertium. Si reſignet in inhabilem,inſcio mandante,beneficium non vacat,quia exceſſit fines mandati, Pariſ.Leur.*q.689.* Si conſtitutus ad concordandum ſuper beneficio quibuſcunque conditionibus , reſignet beneficium, reſignatio eſt nulla, quia cùm reſignatio ſit datio, non præſumitur, niſi exprimatur, Pariſ. Leur.*q.690.* Si reperiantur duo mandata eodem planè modo & tempore facta, ſed ad oppoſitos effectus, neutrum valet , Rota, Selv. Pariſ.Leur.*qu.688.* Reſignatio facta per procuratorem, poſteà præſumitur facta cum mandato, Simonet.Pariſ.Leur.*q.692.*

1039 §.8 Mortuo mandante, quamvis id neſciat procurator, ceſſat mandatum, ſi res ſit adhuc integra, quia cùm Beneficium jam vacet per mortem, non poteſt vacare per reſignationem, Clement.*uli.de procurat.*Az.Pariſ.Caſtrop.*t.13.d.6.p.2. ſ.4.n.9.* Res autem integra non eſt, ſi præſentata, ſignata & datata ſupplica procurator adhuc vivo mãdante Romæ præſtiterit partum conſenſum, tum enim debet etiam poſteà mortuo mandante præſtare magnum , & valet reſignatio, *leg. Nam & Servius, ſ Si vivo Titio, ff de negot.geſt.* ſed Pariſ.& Az.volunt faciendum intrà annũ à morte mandantis; è contrà Chok. & Leur.*q.266.* dicunt fieri poſſe etiam poſt 4. annos, etiamſi mandans ante mortem mutaſſet voluntatem, dummodò hoc non fuerit intimatum procuratori, Clement.1. *de Renuneiat.* Quòd ſi ipſemet principalis dediſſet parvum conſenſum , & dato procuratori mandato de præſtando magno conſenſu moreretur, ceſſaret mandatum, quia reſpectuprocuratoris, qui nihil adhuc egiſſet, foret res integra , Pariſ.Az.Chok. Leur. *ibidem.* Similiter ſi procurator non ex vi mandati ſed tantùm per litteras rogatus præſentaſſet ſupplicam vivo principali, hoc mortuo non poſſet præſtare magnum conſenſum , ita quoad omnia Pariſ.Az.Leur.*qu.694.* E contrà ſi procurator vi mandati porrexerit ſupplicam ſub penſione vel regreſſu in favorem mandantis, valebit reſignatio, etiamſi poſt mortem mandantis præſtet conſenſum, Pariſ.Azor.Leur.*ibidem.* Et quod dictum eſt de morte mandantis, valet de furore ſuperveniente, quia furioſus habetur pro mortuo, L.1.§.*Furioſus,ff.de acquir. poſſeſſ.* Maſcard.Pariſ.Leur. *qu.695.*& idem videtur eſſe, ſi mandans removeatur ab illo beneficio, quia moritur civiliter, innuit tamen Pariſ. Procuratorem tum non poſſe pergere, nequidem re incepta, Leur.*qu.696.* Mors autem mandantis non præſumitur, ſed probari debet, Pariſ. Azor. Maſcard. *de probat.concluſ.1069.*

§.9. Procurator hìc revocari poteſt,Clement.*l.1.t.4.* Licèt 1040
adjectum ſit juramentum non revocandi, quamvis enim revocans tum ſit perjurus, attamen valet revocatio, Selv.Moh.Rebuff.Pariſ.Tond.Leur.*q.697.* Etiamſi id jurarit tam reſignatario quàm procuratori, Pariſ.contra Bald.poteſtque revocatio fieri tuntùm tacitè, v.g.conſtituendo alium , quia dato poſteriore procuratio prioris eſſet revocata, *Cap. Non injuſtè, 14. de procur.* Quod tenet, etiamſi ſecundus non acceptarit mandatum , Mant.Bellar.Tond.Si tamen per primum voluit reſignare in favorem Titii, per ſecundum in favorem Caii, qui tunc fuerit mortuus , Rota & Pariſ.dicunt non revocari primum, quia revocatio cenſebatur eſſe ſub conditione , ſi poterat prodeſſe Cajo , ſed Tond.putat in conſtitutione ſecundi debuiſſe exprimi, citra revocationem primi. Vide Leur.*qu.698.t.1.& 2.*

§.10. Ut revocatio valeat, debet fieri ante conſenſum, 1041
quo perficitur reſignatio: valet tamen revocatio facta poſt ſupplicam etiam ſignatam & datatam: etiam poſt præſtitum in curia parvum conſenſum, quia principalis etiam tum pœnitere poſſet, uti dictum eſt *n.971.* Item revocatio debet eſſe intimata vel procuratori vel admittenti reſignationem, niſi hoc ſit malitiosè impeditum, aut conſtitutio procuratoris eſſet facta ex metu , Clement.*l.1.t.4.* Rebuff.Selva , Pariſ. Et non ſufficere, quod procurator revocationem aliunde reſciat, docent Gloſ. Zabar.Vital. Felin.Rebuff. Pariſ. quamvis alii probabiliter putent ſufficere certam notitiam undecunque hauſtam; ſaltem ad ſuſpendendum mandatum ſatis erit mandantem per litteras ſignificaſſe procuratori, ut ſiſtat tantiſper, Pariſ. Az. invalidè tamen reſignat principalis apud Ordinarium , antequam revocatio ſit notificata procuratori cõſtituto pro reſignatione apud Papam , Barbat. Selv. Pariſ. Tond. contra Felin. putantem reſignationem principalis prævalere , ſi ſit prior tempore . Si autem illa notificatio fiat Superiori, debet Romæ fieri tam in camera quàm Cancellaria , quia in hac & illa expediri poteſt reſignatio ; ſi autem fiat procuratori , & plures in ſolidum ſint conſtituti , debet fieri ſingulis : denique putant Selva , Rebuff.Pariſ.Tond.Luca *diſc.38.&* 40.*n.10.* contrà Felin. ſufficeru , quòd revocatio intimetur etiam ſoli reſignatario. Vide Leur.*q.698.à n.3.*

§.11. Si eadem die, qua præſtatur conſenſus, fiat revo- 1042
catio mandati procuratorii, conſenſus cenſeri debet præceſſiſſe revocationem, quia præſumitur pro validitate actus , uſquedum probetur tempus antecedentis revocationis, Rota , Pariſ.Leur. *qu.699.*

§.12. Revocans mandatum tenetur compenſare damna 1043
procuratori ratione mandati vel inchoatæ reſignationis cauſata, Bald.Rebuff.Tond. Leur. *qu.700.*

§.13. Si reſignatio plena totius beneficii ſit ſortita effe- 1044
ctum & dimiſſa poſſeſſio, ceſſat officium procuratoris conſtituti ad cauſas illius beneficii, *arg.* Clement.*ult.de procurat.* beneficiatus enim eſt tum civiliter mortuus illi beneficio, Rota, Mand.Sarn.Pariſ.Leur.*qu.245.*

Q.153. Quid dicendum ſit de reſignatione facta ex me- 1045
tu, dolo, vi ? R. Supponenda ſunt & hìc applicanda dicta *lib.3.p.2.à num.608.* ubi explicavimus, quomodo conſenſus in contractum debeat eſſe liber à vi, metu, dolo : adde tamen ſeqq.

§.1. Ad valorem reſignationis requiritur conſenſus ſponta-
neus , liber à metu , dolo , vi , *cap.ad audientiam , cap.Abbas , cap.Ad aures* , de iis, quæ vi metuſve cauſa fiunt , *cap.Accepta, de Reſtit.ſpoliat.*& AA.omnes cum Leur.*p.3.q.701.*

§.2. Reſignatio facta ex metu non valet, licèt firmetur ju- 1046
ramento , à quo tamen abſolvi quis debet, antequam beneficium repetat ; nec plus vult *cap.Ad aures , ſuprà*, Nav.Pariſ. Az.Garc.Luca Leur.*qu.702.* Non eſt tamen ipſo jure nulla,ſed venit irritanda , Garc. Leur. *qu.703.contra* Hoſt.Vital.Butr.*& alios*. Excipiunt Pariſ.Az.Caſtrop.Si vi incarcerationis per laicum extorqueatur , tum enim eſt ipſo jure nulla per Clement. *l.5.t.8.c.2.* Hic autem per metum intelligitur gravis , cadens in conſtantem virum , de quo videri poteſt etiam Leur.*q.704.* Et cùm metus ſit aliquid facti nec præſumatur , debet per teſtes vel litteras vel alia indicia probari ab illo , qui dicit illum ſibi eſſe factum, Bald.Maſcard.Alciat.Pariſ.Az.Leur.*qu.705.*

§.3. Quamvis proteſtatio de metu , qui incutitur , dum 1047
quis reſignat , non ſit neceſſaria ad hoc , ut poſteà poſſit excipere de metu , tamen multum juvat probationem metus , Dec. Cravet.Burſat.Pariſ.Leur.*q.706.* Nec illi probationi obeſt,quòd in litteris reſignationis dicatur conſenſiſſe ſpontè & liberè, ad hoc enim inferendum potuit cœgiſſe idem metus Pariſ. Leur.*q.*

708.Si

708. Si tamen ille, qui ex metu reſignavit, poſt ſublatam totam cauſam metus taceat, aut faciat aliquid, ex quo argui poſſit nunc liberè conſentire, metus purgatur, ut in aliis etiam exemplis oſtendunt Maſcard. Leur. *qu.* 707.

1048 §.4. Reſignatio facta per dolum eſt nulla, quia non eſt deterior ingreſſus, quàm dolus, *LL. de doli excep.* Pariſ. Az. Leur. *q.* 709. Eſtque ipſo jure nulla, quia dolus tollit conſenſum & libertatem, quam metus tantùm diminuit, Abb. Pariſ. Caſtr. Leur *q.* 710. Probari autem debet dolus conjecturis & præſumptionibus, de quibus vide Maſcard. *de probat. concl.* 815. quarum præcipuas recenſet Leur. *q.* 711.

1049 §.5. Reſignatio vi extorta eſt annullanda, quia vis æquiparatur metui; & illi, cui vis facta eſt, competit actio ſpolii, Butr. Pariſ. Az. Leur. *q.* 712. Spoliatus autem volens reſtitui, tenetur probare duo, 1. Se poſſediſſe, dum ſpoliaretur. 2. Tunc habuiſſe jus ſaltem coloratum, Inn. Pariſ. Az. Caſtrop. Vide Leur. *q.* 715. Et ad vim reducuntur vexationes illatæ ab Epiſcopo, Gemin. Præpoſ. Az. apud Leur. *qu.* 713. Similiter reſignatio facta ab aliquo, poſtquàm beneficio ſpoliatus erat, cenſetur ex vi facta, *cap. Sollicitè, de Reſtit. Spoliat.* quod tenent aliqui cum *Pariſ.* quamvis adjectum ſit juramentum. Vide Leur. *q.* 714. Excipe, niſi facta eſſet coram Judice competente, quia authoritas Judicis de cauſa cognoſcentis excludit ſuſpicionem violentiæ, Abb. Bartol. Pariſ. Az. Caſtrop. Leur. *q.* 716. Si autem certò conſtet reſignationem factam eſſe ſine vi, reſcindi non poteſt, quia apparente veritate libertatis ceſſat præſumptio violentiæ. Dixi, certò, nam ſi maneat dubium, manet præſumptio, Pariſ. Az. Leur. *qu.* 717.

1050 §.6. Si ante ſpolium ſponte conſtitutus erat procurator ad reſignandum, reſignatio facta poſt ſpolium cenſetur ſpontanea, nec reſcindi poteſt, Abb. Pariſ. Menoch. Caſtrop. Leur. *q.* 718. Item eſt, ſi reſignatio facta ſit diu, v.g. anno poſt ſpolium, de quo nihil quæſtus ſit reſignans, Butr. Menoch. Az. Caſtrop. ſed limitat Pariſ. niſi facta eſſet in favorem ſpoliantis, quia tunc præſumeretur duraſſe eadem vis. Vide Leur. *q.* 719. Quod ſi ſpoliatus reſignet cum pacto non agendi, ut cum juramento coram Notario atteſtante abeſſe vim, promittat ſe non acturum actione ſpolii, jam ceſſit juri ſuo in favorem ſpoliantis, uti etiam poteſt quis cedere actione furti in favorem furis, L. *Si unus*, §. *Pacta*, ff. *de pactis*: hoc ipſo autem, quòd fiat coram Notario, excluditur ſuſpicio continuatæ violentiæ, hinc talis ſpoliatus non poterit repetere beneficium, Abb. Menoch. Rebuff. Pariſ. Az. Vide Leur. *q.* 720. Similiter ſi poſt ſpolium reſignaverit in favorem tertii, à quo ſpoliatus non fuit, eique ceſſerit actionem ſpolii repetere non poteſt beneficium, Pariſ. Vide Leur. *q.* 721. Denique ſi ſciatur ſpoliatum ſponte reſignaſſe poſt ſpolium, quia v.g. dimiſit titulum ac poſſeſſionem, reſignatio valet, ſpoliator tamen manet puniendus, quia initio vim fecit, debetque compenſare expenſas, & damna ratione ſpolii facta, Bellam. Menoch. Pariſ. & alii cum Leur. *q.* 722.

1051 *Q.* 154. *Quid notandum ſit circa reſignationes in favorem tertii?* Reſp. ſeqq.

§.1. Solus Papa poteſt admittere reſignationes in favorem tertii, Rebuff. Garc. Barb. Lott. Pirh. Leur. *p.* 3. *q.* 381. Rationem dant Caſtrop. *t.* 17. *d.* 3. *p.* 17. *n.* 3. & Haun. *de Juſt. T.* 6. *tr.* 2. *num.* 569. quia cum AA. citatis *n.* 975. putant beneficium ſub conditione reſignatum non vacare ante poſitam conditionem: nemo autem præter Papam poteſt conferre beneficium necdum vacans. Unde peccat, qui ſic reſignat apud inferiorem Papa, nam etiam prohibetur à S. Pio V. Caſtrop. *n.* 4. peccatque etiam admittens reſignationem ſic factam, ut notat Suar. Et talis reſignatio videtur eſſe etiam invalida ex vi motus S. Pii V. uti rectè Sanch. *in Conſ. l.* 2. *c.* 3. *d.* 36. *n.* 21. ita ut nequeat Epiſcopus vel alius collator rejecta illa conditione beneficium conferre, Rebuff. Suar. Leſſ. Barb. Garc. Caſtrop. Pirh. Engel. Leur. *q.* 382. contra Covar. Boer. Redoan. Ratio eſt, quia cùm actus ille non poſſit admitti totus, id eſt, cum illa conditione, ſub qua tantùm & non aliter fit, nihil juris dimittitur, ideoque totus invalidus eſt.

1052 §.2. Reſignatio in favorem facta coram alio quàm Papa, ſecundùm Felin. Rebuff. Sarn. Mandoſ. Redoan. Gutt. Ugol. Gonz. Suar. Leſſ. Pariſ. Az. Garc. Lott. eſt ſimoniaca: quod certum videtur, ſi cum admittente ineatur pactum de non conferendo alteri niſi deſignato, quia omnis pactio in beneficialibus eſt prohibita ob vitandam ſimoniam, ſecundùm dicta *l.* 3. *p.* 1. *n.* 57. & 70. E contrà ſi abſit talis pactio, & reſignans tantùm dicat, *Reſigno beneficium, non aliter, quàm ut conferatur Titio*, non eſt ſimonia, cum pactio abſit, & tantùm petat ita fieri, poſſitque rejici, Sot. Covarr. Valent. Vega, Steph. Zerol. Suar. Vaſq. Leſſ. Caſtrop. Pirh. Barb. *de jure Eccl. l.* 2. *cap.* 15. *n.* 54. Du-Hammel *in Decal. l.* 1. *cap.* 8. *num.* 5. Vide Leur. *qu.* 727. Quòd ſi quis reſignet cum ea tantùm intentione, ſpe aut etiam ſupplicatione, ut conferatur Titio, nec eſt ſimonia nec illicitum, ſecundùm dicta *nu.* 1014. Præterea ſi Epiſcopus ex cauſa velit unire meum beneficium beneficio Titii, permittere poſſum & conſentire in favorem Titii, qui non accipit vi reſignationis meæ, ſed vi unionis, Garc. Tond. Leur. *quæſt.* 730.

§.3. Si ergo reſignem meum beneficium in favorem tui 1053 nepotis, & tu reſignes tuum in favorem mei nepotis, quamvis videatur eſſe permutatio, attamen non eſt, ſed duplex reſignatio in favorem tertii, quæ vocatur *reciproca*, & non poteſt admitti ab Ordinario, Pariſ. Az. Leur. *q.* 735. imò à Suar. Leſſ. Caſtrop. *n.* 11. rectè dicitur ſimoniaca, ſi accedat pactum. Conſequenter ſi ex pacto ſaltem tacito reſignem meum beneficium Cajo, ut Cajus ſuum reſignet Titio, & Titius ſuum mihi reſignet, vocatur renunciatio triangularis & eſt ſimoniaca, Caſtrop. *ſuprà, & t.* 13. *d.* 6. *p.* 3. §. 1. *n.* 1. Notant tamen Suar. & Leſſ. facilè evitari ſimoniam & peccatum, ſi nempe cum licentia Ordinarii ego permutem meum beneficium cum Cajo, & Titius ſuum permutet mecum jam habente beneficium Caii.

§.4. Si quis probari poſſit reſignaſſe beneficium ſuum in 1054 favorem tertii apud alium quàm Papam, ſciens id invalidum eſſe in pœnam ſui facti poteſt eo beneficio privari, ita ut collatori fiat licitum, cui voluerit, illud conferre, Suar. Pariſ. Caſtrop. Leſſ. *l.* 2. *c.* 35. *n.* 86.

Q. 155. *Quid notandum ſit circa reſignationes cum reſervatione fructuum vel penſionis?* R. De his videri poteſt Leur. *p.* 3. *q.* 417. *& ſeqq.* item dicenda à *n.* 1121. Adde tamen etiã ſeqq. 1055

§.1. Licitum eſt apud Papam reſignare, vel purè, vel in favorem alicujus, ſub conditione penſionis ſibi dandæ ab eo, qui beneficium habebit, *& non aliter*, quia Papa permittit tales reſignationes ſibi exhiberi, ut vel admittat vel rejiciat, uti probat quotidiana praxis, poteſtque reſignans cum reſignatario antecedenter tractare de tali modo reſignationis, ſub clauſula, *Si Sanctiſſimo placuerit*, Felin. Præpoſ. Gam. Redoan. Pariſ. Leur. *q.* 435.

§.2. Simoniacum eſt, coram Ordinario reſignare ſub 1056 reſervatione penſionis vel fructuum, quia eſt pactum in materia beneficiaria, Abb. Covar. Suar. Valent. Bonac. Caſtrop. Fill. Diana, Barb. Leur. *p.* 381. *n.* 2. Quod Rota & Pariſ. dicunt tenere, etiamſi fieret cum clauſula, *ſub beneplacito Apoſtolico*, quia putant hanc clauſulam tãtùm admitti in reſignationibus apud Papam faciendis. Vide Leur. *q.* 729. Si tamen quis apud Ordinarium dimittat beneficium alicui dignitati vel loco unitum, poteſt ſibi fructus reſervare, quia debebantur ipſi non obſtante unione, & conditio illa de jure inerat, Rebuff. Garc. Tond. Leur. *q.* 730. Vide Caſtrop. *t.* 17. *d.* 3 *p.* 17. *n.* 13.

§.3. Si penſio reſervata in reſignatione conditionali ſit 1057 nulla, etiam nulla eſt reſignatio, quia reſignans nolebat aliter abdicare jus, Tond. Similiter ſi regnatio ſit nulla, etiam penſio cauſa reſignationis impoſita eſt nulla, Pariſ. Corr. Leur. *qu.* 507.

§.4. Si inferior collator alicui contulerit beneficium 1058 purè reſignatum ſub reſervatione penſionis, quam ipſe imponere non poterat, valet collatio, ſed non impoſitio penſionis, quia utile per inutile non vitiatur in iis, quæ ſeparationem recipiunt, Tond. Similiter ſi Papa contulerit Titio beneficium, & ſuper hoc reſervavit Cajo penſionem, quamvis collatio facta Titio ſit nulla, v.g. quia erat inhabilis, tamen valet impoſitio penſionis, quam præſtare debebit Cajo, quiſquis habebit beneficium, quia erant duæ gratiæ ſeparabiles, Gonz. Leur. *q.* 508. contra Garc.

Q. 156. *Quid dicendum de reſignatione, ſub conditione, ut refundantur expenſæ litis vel bullarum aut quæcunque aliæ?* R. 1059

§.1. Simoniacum eſt, ſi reſignes ſub conditione ſeu pacto, ut tibi refundantur expenſæ factæ pro beneficio obtinendo, v.g. in lite, ſolvendis ſtatutis &c. Pariſ. Suar. Az. Leſſ. Caſtrop. Pirh. Leur. *p.* 3. *q.* 738. *Si dicas*, te eas repetere, non pro beneficio, ſed pro indemnitate tua, aut ſaltem pro commodo, quod reſignatarius habet ex tuis expenſis: *Contra* eſt: nam tam parum potes paciſci pro indemnitate, quàm pro ſuſtentatione tua habenda, maximè cùm expenſas feceris propter te, ut beneficium tibi utile aſſereres; commodum autem quod reſignatarius habet, fundatur & immediatè ſequitur ex beneficio à ſe reſignato, & non ex tuis expenſis, ſicuti ſi mihi donares agrum, commodum, quod inde habeo, eſt ex agro & non ex pretio, quo tibi comparaſti agrum.

§.2. Reſignatio in favorem, cum pacto, ut reſignatarius 1060 ſolvat omnes expenſas pro bullis, eſt ſimoniaca, ſed ſinguli tenentur ſolvere pro bullis ſuis, & quamvis in reſignatione pura reſignatarius ſoleat totas expenſas ſolvere, tamen non debet duci in pactum. Putant quidem Pariſ. Az. Caſtr. *tr.* 17. *d.* 3. *p.* 16. *n.* 5. in reſignatione ſub pẽſione poſſe reſignatarium ſe obligare ad ſolvendas totas, ea conditione, ut in primo termino eaſdem ſibi compenſet, ſed Garc. meritò dicit eſſe ſimoniacum, ſi de hoc antecedenter pacti ſint. Vide Leur. *q.* 739. Quòd ſi ex conventione falsò exprimant majorem valorem, ut ſic moveant Papam ad concedendam penſionem, Nav. Pariſ. Garc. Leur. *q.* 740. dicunt non eſſe ſimoniam, quia non ſunt pacti circa beneficium vel aliquid cum beneficio connexum, ſed tantùm circa falſam narrationem ad obtinendum conſenſum: per hoc tamen peccarunt, & impoſitio penſionis eſt nulla.

§.3. Si

1061 §.3. Si reſignes ſub pacto, ut reſignatarius refundat expenſas factas pro beneficio, *v.g.* pro reparanda Eccleſia, meliorandis fundis, redemptione vexæ ab hæretico intentatæ, Az. & Pirh. dicunt non eſſe ſimoniam, quia tantùm repetit, quod ſuum eſt, & veluti adhuc ineſt beneficio; conſentiunt Felin. & Pariſ. ſi expenſas fecerit ex bonis patrimonialibus; nam etiam ſucceſſor in beneficio tenetur eas expenſas refundere hæredibus defuncti: ſi autem fecit eas ex bonis Eccleſiaſticis, quod præſumitur, niſi probetur contrarium, dicunt reſignationem ſub tali pacto eſſe ſimoniacam, quod dicit Gamb. quamvis fecerit ex patrimonialibus, quia illa conditio refundendi non ineſt de jure, ergo non poteſt deduci in pactum; Et hæc ſententia tenenda eſt, ſi eas expenſas fecerit in commodum ſuum, ac ideò è beneficio retulerit fructus expenſis ſuis reſpondentes. Vide Leur. *q.*741.

1062 *Q.*157. *Quid præterea notandum ſit circa reſignationem ſimoniacam aliaſque conditionales?* R. Recolenda ſunt dicta *lib.3.p.1.à num.57.69. & 79.* ubi explicavimus, quid ſit ſimonia & quomodo committatur in materiis beneficialibus. His adde ſeqq.

§.1. Reſignatio ſimoniaca eſt nulla, *cap. Cùm pridem, & cap.ult.de pactis*: Quod verum eſt, licèt firmetur juramento, Steph. Pariſ. Tamen ſic reſignans non amittit jus in beneficio, quamvis privari poſſit, Gl. Rebuff. Nav. Laym. Pariſ. ſuntque ejuſmodi reſignationes ipſo jure nullæ, Selv. Nav. Rebuff. Pariſ. Az. Vide Leur. *p.3.q.*723.724.

1063 §.2. Illa reſignatio eſt ſimoniaca, quæ fit ſub conditione, modo vel pacto, quod de jure non ineſt nec adjicitur authoritate Apoſtolica; ſi tamen fiat ſub reſervatione beneplaciti Apoſtolici, excluditur ſimonia, cùm tantùm prohibeatur pactio firma, *cap. Cùm univerſorum, de rer.permut.* S. Anton. Felin. Varin. Pariſ. Tond. Lott. Luca. Eſtque licitum, ſecundùm dicta *num.*1055. antecedenter tractare de conditionibus; attamen eſſet ſimonia ante approbationem Apoſtolicam mandare executioni hoc, de quo conventum eſt, Mohed. Tond. Leur. *q.*726. Si autem fiat coram Ordinario ſub conditione, quæ de jure, fundatione vel ſtatuto ineſt; *v.gr.* ſub pacto reſidendi, ad quod vi beneficii obligabitur, nulla eſt ſimonia nec illicitum, *cap. Significaſti, de elect.* Pariſ. Az. uti nec tunc eſt ſimonia, ſi fiat ſub pacto ſolvendi penſionem, ſi beneficium penſione ſit gravatum vel legitimè gravetur, Leur. *qu.*731. contra Nav. & Pariſ. Etiam ſimonia eſt, ſi ex pacto pro re temporali, aut etiam ſpirituali, reſignes gratiam expectativam, quam habes, Abb. Az. Laym. Leur. *q.*752.

1064 §.3. Si conditio non inſit beneficio, attamen ſit debita, verbi gratia: ſi reſignes cum pacto etiam tacito, ut reſignatarius tibi ſolvat, quod debet, eſt ſimonia, ſecundùm dicta *l.3.p.1.num.*83. è contrà ſi nullum pactum intercedat, quo imponatur nova obligatio, ſed reſignes beneficium eo fine ſecundario, ut reddatur potens tibi ſolvere vel ut flectatur ad ſolvendum, non eſt ſimonia nec illicitum, Suar. Laym. Pirh. apud Leur. *q.*732.

1065 §.4. Quomodo ſimonia confidentialis committatur in reſignationibus, dictum eſt *l.3.p.1.à n.63.* Hic notandum, quod reſignatio ita ſimoniacè facta, quamvis ſit ipſo jure nulla, tamen teneat in præjudicium reſignantis ſimoniacè, qui ideò amittit jus, nec conceditur ei regreſſus, ſed beneficium tanquam vacans à tertio impetrari poteſt, Boer. Tond. Leur. contra Rebuff. attamen ſimonia commiſſa ab uno ex tranſigentibus, alteri vel aliis, qui non deliquerunt, nocere nequit, *cap.* 33. *Sicut, de ſimonia*, Tond. Leur. *q.*754.

De pœnis ſimoniæ dictum eſt *l.3.p.1. à num.*200. quomodo autem & cui reſtituendum ſit pretium acceptum, dictum eſt *ibid. à num.*237.

1066 *Q.*158. *An poſſit alicui conferri pinguius beneficium, ſub conditione, ut reſignet vel dimittat illud, quod habet?* R. Si conferatur aliud incompatibile, adjici poteſt conditio, ut dimittat primum, quia hæc conditio de jure ineſt, uti habet communis cum Carden. *in 2. criſi d.27. num.*120. ſi autem ſecundum ſit compatibile cum primo, Selv. Garc. Sanch. Gibal. dicunt fore ſimoniam, ſed oppoſitum tenet cum Moſcoſo Carden. *num.*122. 1. Quia etiam hæc conditio videtur ineſſe de jure, non quidem præcipiente, attamen conſulente, quamvis enim beneficia ſint de ſe compatibilia, tamen ſecundùm dicta *n.*897. Canones oderunt pluralitatem beneficiorum in eodem ſubjecto, & Trid. *ſeſſ.24.c.17.de Ref.* vult ſingula ſingulis conferri, etiam præſcindendo à ſufficientia ſuſtentationis, (ob quam tamen aliquid indulget) ob multa incommoda, quæ in Eccleſiam redundant, ſi idem habeat plura beneficia, ergo poterit dicere, confero tibi hoc beneficium, ſub conditione, ut agas hoc, quod eſt conformius Canonibus, & hic eſt, ut præhabitum reſignes. Et hæc ratio militat pro omni collatore. Sed loquendo de Epiſcopo, quod plus probabilitatis habet, *cap. Quæſitum, de rer.permut.* datur illi poteſtas, ut quando eſt neceſſarium, ſive quando poſtulat magna utilitas pro bono regimine Eccleſiæ transferat beneficiatos de una ad aliam Eccleſiam, quod tantùm hic fiet per providentiam Epiſcopi, cujus eſt ſpectare commune bonum Eccleſiæ, & curare, ne plura beneficia ſine cauſa in uno cumulentur, ideoque non requiſita voluntate beneficiati poteſt dicere, *Jubeo, ut acceptes hoc beneficium, & illud, quod habes, dimittas. Nec obſtat,* quòd Epiſcopus debeat expectare conſenſum poſſeſſoris, ideoque videatur eſſe confluxus duarum voluntatum & pactio, *nam*, etiam aliæ leges expectare poſſunt acceptationem ſubditorum, & Superiores ſæpè legem revocant, ſi ſubditi ex cauſa contra legem ſupplicent, nec tamen ideo ſunt pactiones ſed leges vel mandata. Deinde licèt in beneficialibus omnis pactio apud Ordinarium ſit ſimoniaca, tamen excipitur tranſlatio ab una ad aliam Eccleſiam, ſive fiat per modum permutationis, in qua intervenit pactio utriuſque beneficiati, ſive per modum nudæ translationis beneficiati, dummodò id ortum ducat à providentia Epiſcopi, nam ſi poſſit tranſferre perſonas paciſcentes inter ſe de beneficiis permutandis, etiam poterit pro bono regimine Eccleſiæ transferre perſonam, quodammodo paciſcendo cum ea, ut primum beneficium dimittat.

*Q.*159. *Quid notandum circa publicationem reſignationum?* Reſp. Seqq.

§.1. Per Conſtit.87. Greg.XIII. *Humano vix*, datam 1067 nonis Jan.1583. debent reſignationes publicari. Nec contra eam Conſtit. obtendi poteſt, quod non fuerit publicata aut acceptata in partibus, nam ſufficit eſſe publicatam Romæ, & reipſa uſu ſatis recepta eſt ubique, Pariſ. Leur. *p.3.q.*759. Vide etiam dicta *l.1.nu.*759. Finis autem dictæ Conſt. eſt 1. Ut tollantur fictæ reſignationes. 2. Ne reſignantes remaneant in beneficiis & exerceant actus invalidos juriſdictionis. 3. Ne decimæ aliaque ſolvantur reſignantibus, quæ poſteà iterum petantur à reſignatariis. 4. Ne ordinarii collatores deludantur, nunquàm enim ſcirent, quis ſit verus poſſeſſor, aut cujus morte vacaturum eſſet beneficium. 5. Ne inducatur ſucceſſi o hæreditaria, dum vivens vult manere in beneficio, & interim diſpoſuit, quis ſit ſuus ſucceſſor: unde quia Conſtit. illa eſt ad obviandum tot fraudibus & incommodis, & Pariſ. & Leur. *qu.*761. cenſent eſſe favorabilem.

§.2. Sub hac Conſtit. cadunt publicationes quorumcun- 1068 que beneficiorum, etiam reſervatorum, & eorum, quæ jure devoluto conferuntur, etiam commendarum, etiam poſt reſignationem unitorum alteri beneficio vel pio loco, etiam hoſpitalium, ſaltem eorum, quæ dantur in titulum. Vide Leur. *q.*762. *& ſeqq.* Similiter publicari debere ceſſiones litis beneficialis & jurium quorumcunque docent Pariſ. Az. Chok. Leur. *q.* 768. beneficia tamen reſignata, quæ Romæ in Conſiſtorio conferuntur, non publicantur, uti nec Coadjutoria cum futura ſucceſſione. Vide Leur. *qu.*763.767.

§.3. Omnes reſignatarii obligantur hac Conſtit. etiam 1069 Cardinales, quicunque Officiales Papæ, exempti, minores, cum quibus diſpenſatum eſt: etiam ſecundus reſignatarius, quamvis primus publicarit; item illi, qui impetrant beneficia vacantia ob non factam à reſignatariis publicationem. Vide Leur. *q.*770. *& ſeqq.*

§.4. Publicari debent reſignationes etiam factæ coram 1070 Ordinariis, etiamſi beneficia apud Ordinarios reſignata conferantur à Papa. Etiam factæ cum reſervatione fructuum, adminiſtrationis, penſionis, regreſſus &c. Etiam factæ in manibus Papæ, licèt non in favorem, Pariſ. Az. Caſtrop. contra Garc. Lott. Ventrig. Quod tenet, etiamſi ſucceſſor provideatur in forma *dignum*: Item etiamſi Papa moriatur intrà tempus datum ad publicandum. Vide Leur. *qu.*774. *& ſeqq.* Si tamen Papa moriatur ante expeditas litteras, eſt juſtum impedimentum excuſans ad tempus, Pariſ. Leur. *q.*804. Denique quamvis facta reſignatio fuiſſet nulla, ſi alter beneficium eo colore obtinuerit, facienda eſt publicatio, Garc. Caſtrop. Ventrig. Leur. *qu.*782. Si tamen beneficium non ſit reſignatum ſed purè dimiſſum, verbi gratia, per aſſecutionem incompatibilis, qui poſteà obtinet, non tenetur ad hanc publicationem, Garc. Barb. Ventrig. Leur. *q.*780.

§.5. Reſignationes factæ in Curia de beneficiis intrà mon- 1071 tes, publicari debent intrà 6. menſes; factæ extra montes, intrà 9. Factæ apud Ordinarium, ſi Ordinarius provideat, intrà 3. ſi autem provideat Papa, intrà 9. Az. Garc. Caſtrop. Leur. *qu.* 785. Numerantur autem hi menſes in reſignationibus apud Ordinarios, à die factæ proviſionis; in reſignationibus apud Papam, à die Datæ, in qua prima ſupplica à Papa ſignata eſt & à Datario recognita, Pariſ. Caſtrop. Ventrig. Leur. *q.*786. Et videndum, an data habeat, Anno *ab Incarnatione*, an à *Nativitate Dominica*: currit que hoc tempus etiam Minori 14. annis, ignoranti reſignatum ſibi eſſe beneficium, quia decretum irritans ligat etiam ignorantes, Pariſ. Az. Barb. Ventrig. niſi cum Nav. dicas illum haberi tanquam legitimè impeditum. Contendit Pariſ. talem Minorem nequidem eſſe reſtituendum in integrum. Vide Leur. *q.*787. An concedatur reſtitutio in integrum, vel prologatio temporis, *v.* eundem *q.*788.

§.6. Hæc

1072 §.6. Hæc publicatio, fieri non poteſt ante expeditionem Litterarum Apoſtolicarum ; fieri autem deberet, antequam capiatur poſſeſſio, ſed Ventrig. teſtatur id non ſervari in praxi, hinc *Pariſ.* dicit poſſe conſtitui procuratorem, qui poſt captam poſſeſſionem publicet. Vide Leur. *qu.* 789. 790.

1073 §.7. Fieri debet die dominico vel feſtivo : Putat tamen Barb. valere, ſi fiat non feſtivo. Item valet, ſi fiat de nocte ſub divinis, Ventrig. Item, ſi poſt prandium, Pariſ. Leur. *qu.* 791.

1074 §.8. Fieri debet in Eccleſia ex loco publico: ſi beneficium non ſit in Cathedrali, fieri debet in Cathedrali, & Eccleſia beneficii reſignati, aut ſi in hac fieri non poſſit, in viciniori parochia. Si beneficium ſit in Eccleſia nullius diœceſis, fit in ſola Eccleſia beneficii : ſi beneficium ſit rurale & populi conventu careat, fit in parochiali. V. Leur. *qu.* 792. & 802. Item fieri debet coram frequente populo ad Miſſarum ſolemnia, Concionem vel alia divina conveniente, unde facta in choro coram ſolis Canonicis eſt irrita, Pariſ. Garc. Ventrig. Leur. *qu.* 793.

1075 §.9. In actu publicationis debent manibus teneri, & exhiberi litteræ reſignationis, & proviſionis in Originali vel in copia authentica, quamvis non ſit opus prælegere, *Rebuff. Pariſ. Caſtr.* Sufficeret etiam loco litterarum habere Breve Apoſtolicum ſive authenticam ſcripturam emanatam à Papa, facientem de litteris mentionem, Rota, Pariſ. V. Leur. *qu.* 794. In hac autem publicatione debet clara & intelligibili voce exprimi reſignatio & facta gratia, qualitas beneficii, nomina & cognomina reſignantis & reſignatarii, Pariſ. Caſtrop. Leur. *q.* 795. Et exemplar omnium, quæ in publicatione dicta ſunt, affigi debet ac permanere ſaltem uno die ad valvas Eccleſiæ: non eſt autem opus exemplar illud eſſe authentizatum, Garc. Pariſ. Leur. *qu.* 796. Et poſtmodum debet ſuper his omnibus à Notario ad hoc rogato confici inſtrumentum, quod ordinariè inſcribitur tergo litterarum Apoſtolicarum) qui teſtetur etiam de affixione, cum interventu duorum aliorum, qui nominentur, ſimul teſtantium de omnibus, Pariſ. Leur. *q.* 797.

1076 §.10. Si litteræ expeditionis fuerint ſub-vel obreptitiæ, & revalidentur per litteras, *perinde valere*, ſatis eſt publicari primas litteras, licèt ſubticeantur revalidatoriæ, quia *perinde valere* revalidat omnia ab initio cum omnibus inde ſecutis, Rota, Rebuff. Pariſ. apud Leur. *q.* 798.

1077 §. 11. Hæc publicatio fieri poteſt per procuratorem, dummodò ſpeciali mandato ſit conſtitutus, Pariſ. Leur. *q.* 799. Etiam fieri poteſt per ipſum reſignantem, Rota, Lott. apud Leur. *qu.* 800.

1078 §.12. Fieri debet hæc publicatio, quamvis reſignatio & proviſio eſſet aliunde notoria, quia ſpectat ad formam, Pariſ. Lott. Ventrig. Leur. *q.* 783. Unde non ſufficit aliquid publicationi æquivalens : nec poſteà juvabit poſſeſſio etiam per decem annos continuata, quia neglecta publicatione vacat hoc ipſo beneficium, nec remanet titulus nequidem coloratus, ſine quo non eſt poſſeſſio, *Pariſ. Az. Caſtrop.* Si autem reſignatarius neglexerit, & novam impetret gratiam, debet hæc nova proviſio publicari, Pariſ. Leur. *q.* 801.

1079 §.13. Impedimentum legitimum excuſat à publicatione facienda, quia impedito non currit tempus, Menoch. Bald. Pariſ. Et propter impedimentum receditur à forma, C. Pariſ. Burſat. & impeditus non dicitur negligens, Steph. Pariſ. Quod autem impedimentum per adhibitam diligentiam removeri non potuerit, & immediatè impedierit publicationem, debet ab allegante probari per teſtes vel conjecturas, vel ſaltem per juramentum impediti : quænam autem impedimenta cenſeantur legitima, explicat Leur. *q.* 803. & 804.

1080 §.14. Pœna neglectæ intrà tempus, vel non factæ ſecundùm formam præſcriptam publicationis, eſt, uti inſinuavi paulò ante, annullatio reſignationis, proviſionis & cæterorum omnium. Item inhabilitas reſignatarii ad illud beneficiù etiam de novo obtinendum, ita ut ei non ſuffragetur poſſeſſio etiam decennalis, Pariſ. Caſtrop. Ventrig. Leur. *q.* 805. Nec reſignans poteſt repetere beneficium aut agere de ſpolio, quia ſpoliavit ſeipſum omni jure, Pariſ. Lott. Luca, Leur. *q.* 806. Si tamen poſſeſſionem dimiſerit, gaudet ipſe aut alii reſervationibus penſionum, fructuum, aliorumve jurium, Pariſ. Ventrig. Leur. *q.* 807. beneficia autem ipſa ſunt reſervata Papæ, & cenſentur à die reſignationis factæ vacare in Curia, Pariſ. Leur. *q.* 808. Poſſuntque à quovis impetrari; ſed ſpecialiter exprimendus eſt hic modus vacationis, ac nomen & cognomen tam reſignantis quàm reſignatarii, Pariſ. Ventrig. Leur. *q.* 809. Et ab allegante, debet concludenter probari neglectam eſſe publicationem, quia licèt factum non præſumatur, tamen ſi de jure faciendum erat aut fieri conſueſcat, poteſt præſumi, Maſcard. Felin. Pariſ. Quod maximè valet, ſi reſignatarius per triennium pacificè poſſederit, tum enim præſumitur publicaſſe, Pariſ. Garc. Lott. Leur. *q.* 810. Quibus autem modis allegans probare debeat neglectam eſſe publicationem ; item quomodo in proviſione impetrantis, addi debeat (vocato poſſeſſore;) item quomodo elidi poſſit intentio Actoris in hac materia : Denique quandonam reſignatarius teneatur probare publicationem à ſe factam eſſe, exponit Leur. *q.* 811. & ſeqq.

Ex hactenus dictis de reſignatione ſequitur, ut reſignatio beneficii coram Ordinario facta ejuſque collatio & obtentio ſit valida, requiri, 1. Ut reſignans non ſit ordinatus titulo beneficii reſignandi, vel aliunde habeat, unde vivat. 2. Ut non fiat in favorem nec ſub conditione. 3. Ut fiat ex cauſa. 4. Ut acceptetur ab habente poteſtatem. 5. Ut providendus ſit capax; nec ſit conſanguineus, affinis vel familiaris reſignantis aut conferentis. 6. Ut reſignatio publicetur.

Q. 160. *Quid in genere dicendum ſit de permutationibus beneficiorum ; & an hæc per eam vacent ?* R. 1081

§.1. Permutatio generaliter ſumpta convenit omni contractui, quia ſemper datur vel permittitur vel fit unum pro alio : ſumpta ſpecificè, eſt contractus, in quo res, prout à pretio contradiſtinguitur, commutatur cum alia re. Vide Pirh. *l.* 3. *t.* 19. *à n.* 1. permutatio, de qua hic agimus, eſt reciproca beneficiorum reſignatio facta ad invicem inter permutantes. V. Leur. *p.* 3. *q.* 815. Nomine autem reſignationis ordinariè non venit permutatio, uti diximus *n.* 953. docentque Gonz. Chok. Leur. *qu.* 817. contrà Sarn. & Pariſ. Et permutationem eſſe rem favorabilem dicunt Mandoſ. Pariſ. Gonz. Leur. *q.* 818. quamvis *q.* 855. fateatur eam eſſe veluti odioſam, quia prohibetur Cap. *Quæſitum*, de rer. permut. & Cap. *Majoribus*, de præb.

§.2. Quamvis ſecundùm dicta *n.* 957. multi teneant per reſignationem conditionalem non vacare beneficium ante impletam conditionem, tamen in permutatione debet priùs vacare, tenent Pariſ. Caſtrop. Lott. apud Leur. *q.* 819. Et licèt Inn. Arch. Senis, Gonz. dicant admiſſionem utriuſque reſignationis eſſe tacitam collationem, nec requiri aliam expreſſam, tamen contradicunt Garc. Leſſ. Caſtrop. Leur. *q.* 816. quia hic datur nova collatio, ergo cùm beneficium non vacans conferri non poſſit, præcedit vacatio : quod Conf. nam collatio ſequi poteſt poſt permutationem, fit enim aliquando, ut ſi duo permutent, Papa uni Romæ præſenti conferat beneficium & committat Ordinario in partibus, ut etiam diu poſt conferat alteri : Similiter poteſt Titius coram Epiſcopo ſuo permutationis cauſa dimittere beneficium unum, & priùs poſt aliquot menſes recipere beneficium, quod Cajus in alia diœceſi coram ſuo Epiſcopo in ejus favorem dimittet, Rebuff. Senis, Az. Leur. *q.* 864. 1082

§.3. Si verum eſt, quòd permutatione vacent beneficia, videtur conſequenter dicendum, quòd turnus conſumatur per collationem factam ex vi permutationis, uti per factam ex quacunque alia vacatione, niſi aliud habeat ſtatutum, pactum vel conſuetudo, Gonz. Chok. Leur. *q.* 876. 1083

Q. 161. *Qualia beneficia, & à quibus permutari poſſint ?* R. 1084

§.1. Permutari non poteſt beneficium cum non beneficio ; unde permutari non poteſt cum jure patronatus, decimis, capella, hoſpitali, præſtimonio ; intellige, ſi hæc non ſit erecta in titulum : Nec cum Commenda beneficii, quia deſerviens non habet titulum : nec cum titulo patrimonii, quia non eſt quid perpetuum, AA. communiter cum Leur. *p.* 3. *q.* 821. Nec verum beneficium permutari poteſt cum ficto, quod vocatur, *de pertica*, uti nec cum beneficio ſimoniacè obtento. V. Leur. *q.* 822. 823. putarunt tamen viri docti, quos interrogavi, Titium ordinatum ſuper quibuſdam Miſſis legendis juncto his patrimonio, poſſe hunc ſuæ ordinationis titulum etiam apud Ordinarium permutare cum beneficio Caji, ſi titulus ille Titii authoritate Ordinarii fiat perpetuum etiam in Cajo, ita ut hic privari nequeat, quoad vivet : & ita in Colonienſi Archidiœceſi jam ab 80. annis practicatum eſſe teſtatur vir omni exceptione major.

§.2. Az. Pariſ. Leſſ. Garc. Zerol. Corr. Tond. Leur. *qu.* 820. putant contrà Caſtr. ad permutationem prærequiri jus in re in beneficiis, ideoque jus ad beneficium non poſſe coram Ordinario permutari cum beneficio vel cum ſimili jure ad beneficium : Similiter Abb. Pariſ. Garz. Az. Gaſtrop. Leur. *q.* 752. *n.* 3. docent contra Suar. Leſs. Gamach. Ordinariù non habere poteſtatem admittendi permutationes jurium acquiſitorum per electionem, præſentationem, expectativam &c. Et hæc ſunt conformia dictis *n.* 980. Imò Chok. putat non valere permutationem factam per procuratorem eo tempore conſtitutum, quo principalis non habebat jus in re, licèt tunc habeat, quando procurator permutat, ſed vide dicta *n.* 1033. 1085

§.3. Permutari poſſunt beneficia necdum poſſeſſa ; item poſſeſſa cum non poſſeſſis, Coraſ. Mant. Garc. Chok. Tond. Etiam ſolo verbo collata à Papa, Maſc. Rebuff. Chok. Etiam electiva Gemin. Chok. Etiam exempta, ſed tantùm coram illo, qui poteſt horum reſignationes admittere, Chok. Pirh. Etiam conſueta optari, Az. Chok. Etiam dignitas cum ſimplici beneficio, Mant. Chok. Leur. *q.* 827. *n.* 1. Etiam una prælatura cum alia, uti præpoſitura cum Archidiaconatu, Chok. Etiam curata cum non Curatis, Azor. Chok. Ventrig. Etiam plura cum uno, Rebuff. Nav. Az. Garc. Caſtr. Chok. V. Leur. *qu.* 824. Requiritur tamen, ut ſi Ordinarius permutationem admittat, 1086

hic poſ-

hic poſſit talia duo ſimul concedere, Leur.*q.*854.*nu.*4. Etiam permutari poſſunt pinguia cum tenuibus, dummodò fraus abſit, & Ordinatus ſuper pingui poſſit ſe decenter alere proventibus tenuioris aut aliunde, Az.Ventrig.Leur.*q.*827.*n.*1.Etiam exiſtentia in diverſis diœceſibus, uti dicetur *n.*1095. Etiam illud, quo quis eſſet per ſententiam privandus, non tamen ſi ſit privatus, ſecundùm dicta *n.*985. & Leur.*qu.*830. 831. contrà alios. Etiam, ſecundùm Mol.Tiraq.Garc.apud Leur.*qu.*832. prohibitus acquirere novum beneficium poteſt ſuum cum alio permutare. Item fieri poſſe permutationem, quamvis ſuper utroque vel eorum uno ſit alicui tertio conceſſa expectativa, docet ex cap. *licèt*, de rer. permut. in 6. Pirh. *l.*3.*t.*19.*n.*35. ſed Pariſ.& Leur.*q.*825.*n.*1. contradicunt, hinc declaravit Rota, quam ſequuntur Put.Pariſ.Leur.*q.*296.poſſe expectantem ſubintrare in tale beneficium.

1087 §.4. Beneficium Papæ reſervatum, & permutationis cauſa reſignatum, amiſſum eſt à reſignante, qui ad illud redire non poteſt, Tuſch.Măt.Tond.Chok.Nec permutatio illa expediri poteſt coram Ordinario aut Legato à latere, quia illud conferre non poſſunt, Pariſ.Tond.Lott.Leur.*q.*295.825.854. Nec beneficia unita permutari poſſunt, uti nec reſignari, ſecundùm dicta *n.*979. Item fieri non poteſt permutatio beneficiorum, ſi ſuper eorum uno quis ordinatus ſit, niſi obſervatis illis, quæ *n.*983. dicta ſunt. Nec permutari poſſunt, ſi unum ſit litigioſum, Pariſ.Az.Barb.Caſtrop.*t.*13.*d.*6.*p.*3.*ſ.*2.*n.*6. Vide tamen dicta *nu.*982.& Leur.*nu.*825. Nec illud poteſt reſignari in favorem aut permutari, quod quis habuit, ſi in obtentione alterius addita ſit clauſula de dimittendo illo præhabito, alioquin utrumque manebit in manibus Papæ, Garc.Chok. Leur.*q.*828. Similiter diſpenſatus ad beneficium, quod habet, non poteſt aliud acquirere per permutationem, quia diſpenſatio, utpote odioſa, extendi non debet ad aliud beneficium, V.Leur.*q.*835. Et idem eſt, ſi permutet bigamus aut alius ſimilis diſpenſatus ad hoc tantùm beneficium, quod habet, Leur. *qu.*840. Hinc etiam habens ex diſpenſatione duo alioquin incompoſſibilia, non poteſt hæc permutare cum altero, niſi & hic ſimilem diſpenſationem obtineat, quia diſpenſatio non tranſit ad aliam perſonam, Az.Caſtrop.Pirh.*n.*28.

1088 §.5. Quod attinet ad illos, qui permutare poſſunt. 1. Si accepiſti beneficium animo dimittendi, potes permutare, uti poſſes reſignare, quidquid contradicat Chok.apud Leur.*q.*833. 2. Si ſenex vel infirmus permutet, eſt præſumptio fraudis, ſi autem fiat ex fraude, permutatio nulla eſt ex parte fraudulenti, Pariſ.Leur.*q.*835. 3. Si illegitimus obtinuit beneficium in Eccleſia, in qua habet aut habuit ejus pater, poteſt imò debet reſignare aut permutare intrà tres menſes, Trid.ſeſſ.25. c.15. de Ref.V.Leur.*q.*838. 4.Si permutet excommunicatus, ſuſpenſus, irregularis, criminoſus, infamis, illitteratus, non habens ætatem requiſitam, &c.permutatio eſt irrita reſpectu habentis talem defectum, valet tamen reſpectu alterius, qui novæ collationis capax eſt, Leur.*q.*839.& ſeqq.Nec obſtat, quòd habens talem defectum, licèt habilis ſit ad retinendum illud, quod habet, tamen ſit inhabilis ad acquirendum novum beneficium, ideoque non videatur debere amittere ſuum: nam quòd ſit inhabilis, non eſt culpa alterius, ergo hic non ideo impeditur, quominus acquirat beneficium ab ipſo dimiſſum, Caſtrop.Leur.*q.*310.*n.*13.

1089 *Q.*162. *An permutatio fieri poſſit per procuratorem?* R. Affirmativè, etiamſi procurator ſit laicus: poteſtque unus idemque eſſe procurator utriuſq; permutantis, Bellam.Gamb. Senis, Az.Chok.ſed requiritur ſpecialè mandatum ad hoc, Az. Chok. Et debet mandatum infra annum executioni mandari, aliàs præſumetur ceſſaſſe, Chok Conſtitutus autem ad permutandum coram Papa, non poteſt permutare coram Ordinario, Chok. Et beneficium vacat in loco, ubi procurator permutat, non ubi conſtituitur, Rebuff. Gamb. Az.Chok.Leur.*p.*3. *qu.* 866. Quòd ſi principalis moriatur poſt reſignationem à procuratore factam, hic cogi poteſt ad extendendum conſenſum & complendam permutationem, Chok.Leur.*qu.*870. Tenetque etiam permutatio poſt factam mandati revocationem, ſi hæc debitè intimata non fuit, ſecundùm dicta *n.*1041. ſufficit autem hanc revocationem intimari, vel procuratori vel Superiori vel compermutanti, Pariſ.& alii cum Leur.*q.*698.*n.*12. Vide dicta à *n.*1032. de reſignatione per procuratorem, quæ hic applicari debent.

1090 *Q.* 163. *An requiratur conſenſus permutantium, item Patronorum & Electorum?* R.

§.1. Quamvis requiratur conſenſus permutantium, cùm nemo invitus privandus ſit jure ſuo, tamen ſi Eccleſiæ neceſſitas poſtulet, poteſt quis compelli ad permutandum. V.Leur.*p.*3. *q.*867. Quod ſi partes promiſerint aut jurarint permutare, non poſſe reſilire, docent Chok.Ventrig.ſed propabilius contradicunt alii cum Garc.apud Leur. *q.*868. quia in contractibus innominatis re adhuc integra locus eſt pœnitentiæ; obtineri tamè debet diſpenſatio à juramento, & ſecundùm Gonz.ac But.contra Garc. refundi debent expenſæ alteri parti ideò cauſatæ: ſi autem res non ſit amplius integra, ſed unus beneficium ſuum reſignarit, debet & alter compelli, Bellam. Ubald. Az. Leur. *q.*869.contrà Gl.& Cynum.

§. 2. Si permutatio fiat coram Ordinario, ſecundùm 1091
Gonz.Barb.Caſtrop.*t.*13.*d.*6.*p.*3.*ſ.*2.*n.*4. requiritur conſenſus patronorum, ad eum modum, quo *n.*977. dictum eſt de reſignatione: Si autem patronus reclamarit, ſecundùm Tond. Garc.Lott.Luca, permutatio eſt ipſo jure irrita propter contemptum ipſius; E contrà Steph.Zerol. Rebuff. dicunt ſecundùm declarationem S. Congreg. ſatis eſſe requiri conſenſum, quamvis negetur, quod Garc. explicat pro caſu, quo patronus ſine juſta cauſa contradiceret, vel permutatio peteretur in magnam utilitatem Eccleſiæ, in quo conſentiunt Abb.Covar. Lamb.Garc.Tond.Chok.Nicol.*t.*1.*d.*9.§.15. eò quòd tunc ſupplere poſſit Ordinarius, nec cenſeatur contemni patronus. Si permutatio fiat coram Papa, adhuc dicit Lott. fore irritam reclamante patrono, niſi Papa derogaret juripatronatus, quia non aliter cenſetur conſentire, Luca de benef *d.*40.*n.*3.*& an.* 9. Item *d.*42.*n.*5. Quòd ſi quis ſcienter permutans contempſerit patronum, etiamſi addat, *non aliter nec alio modo*, ſecundùm Gratian.Rebuff.Pariſ.Tond.vacat beneficium, vel in pœnam, uti vult Garc.vel per privationem juris, uti vult *Francis*, & videtur conſentire Luca, poteſtque præſentari alius poſt ſententiam de nullitate inducente vacationem, Gemin. Garc. Selv. Lamb.Lott.Luca; Si autem factum eſt ob ignoratum probabiliter patronatum, poteſt permutans redire ad beneficium, etiam invito patrono, quia nec contempſit nec ingratus fuit, Bellam.Gamb.Lamb.Garc.V.Leur.*q.*294.*an.*5.& dicta *n.*977. Similiter requiritur conſenſus Electorum, eo etiam modo, quo de reſignatione dictum eſt à *n.*976.

Q. 164. *Quis debeat permutationes admittere ſeu au-* 1092
thorizare? R.

§.1. Aliquis Superior, unde ſi authoritate propria fiat, eſt ſimonia, cap. *Quæſitum*, de rer. permut. Hanc tamen ſimoniam eſſe tantùm juris humani dicunt Sot. Maj. Leſs. Caſtrop. aliique apud Leur.*p.*3.*q.*846. & rationem dedimus *l.*3.*p.*1.*an.* 109. pœna autem propria authoritate permutantium eſt privatio beneficii, ſaltem per ſententiam infligenda. Vide dicta *l.* 3.*p.*1.*n.*215.

§.2. Duo Epiſcopi, qui per diſpenſationem cum Epiſ- 1093
copatibus retinuerunt beneficia, permutant hæc coram Metropolitano: Epiſcopus permutet cum Capitulo coram Archi-Epiſcopo: ut autem Epiſcopus permutet cum aliis ſufficit, ſi habeat conſenſum ſui Capituli, Silv.Pirh.*l.*3.*t.*19.*n.*27.

§.3. Authorizare permutationem inferiorem poteſt Epiſ- 1094
copus loci, in quo eſt beneficium, Cap.un. *De rer.permut. in* 6. ad ipſum enim jure communi ſpectat collatio, & inſtitutio beneficiorum ſuæ Diœceſis; poteſtque etiam hanc poteſtatem delegare alteri, Chok.Leur. *qu.*852.Item authorizare poteſt Legatus à latere pro ſua provincia reſpectu beneficiorum Epiſcopis ſubjectorum: Item habentes ex conſuetudine vel privilegio authoritatem quaſi Epiſcopalem: Item alii inferiores, ſi probent conſuetudinem legitimè prꝙſcriptam ea enim, quæ ſunt ſolius juriſdictionis, præſcribi poſſunt, Rebuff.Chok. Leur. *q.*848. Vicarius in ſpiritualibus non poteſt hoc vi officii, Garc. Az.Caſtor.Chok.Pirh.V.dicta *n.*1024.& Leur. *q.*849.*n.*1. Quid poſſint Coadjutor, & Capitulum, colligi poteſt ex dictis *nu.* 1024. poteſtque videri Leur.*q.*849.*n.*2.*&* 3. Item *q.*713.714. Viſitator ſeu adminiſtrator Eccleſiæ vacantis à Papa conſtitutus poteſt recipere, & expedire tam permutationes quàm reſignationes, Chok.Leur.*qu.*850.

§. 4. Si beneficia ſint in diverſis diœceſibus, requiritur 1095
utriuſque Epiſcopi authoritas, non eſt tamen opus, ut eodem tempore concurrat, Nicol.*t.*1.*d.*9.*ſ.*16.*&* 17. poſſetque unus Epiſcopus totum negotium committere alteri, Az.Garc.Ventrig.Tond.Chok.Leur.*q.*829.

§.5. Seclu ſo privilegio, conſuetudine aut præſcriptione, 1096
non poſſunt permutationem authorizare Collatores, etiamſi ſint Præpoſiti, Decani, Archidiaconi &c.Nav.Rebuff. Suar. Caſtr.Chok.Pirh.Leur.*q.*851. Oppoſitum tamen tenent Angel. Silv. Sot.Diana *p.*10.*t.*16.*R.*17. quorum ſententiam Suar.vocat valde veriſimilem, Caſtrop.probabilem, Pirh. non improbabilem, quia approbatio Epiſcopi videtur à jure requiri in iis tantùm beneficiis, quæ Epiſcopus ipſe confert, ex quo inferunt, ſi collatio & inſtitutio non ſpectet ad Epiſcopum, poſſe fieri permutationem ſine ejus licentia, ex authoritate illius, qui confert aut inſtituit: quidquid ſit de illa ſententia, ſaltem ſuſtineri non poteſt de iis Collatoribus, qui beneficia deſtituere, ſeu apud quos beneficia dimitti non poſſunt.

§.6. Epiſcopus exiſtens in Curia poteſt quidem admitte- 1097
re reſignationes, ſed non conferre beneficia tum reſignata, hinc nec ibi permutationes authorizare poteſt: ſi autem beneficia ſint reſignata coram eo extrà Curiam, poterit ea conferre exiſtens in Curia, ideoque & expedire permutationem, Pariſ.Chok.Leur.*q.*853.

§.7. Etiam in menſibus Papalibus admitti poſſunt per- 1098
muta-

mutationes ab Ordinariis, quia quæ vacant per reſignationem non reſervantur per alternativam, uti excipit Reg. 8. Cancel. Gonz. Chok. Leur. *q.* 854. *n.* 1. Vide dicta *n.* 511.

1099 §. 8. Permutatio apud Ordinarium non poteſt fieri niſi inter duos; unde triangularis aut quadrangularis erit ſimoniaca, v.g. ſi reſignem tibi, ut tu Titio, & ut Titius mihi, Az. Leſſ. Gon. Leur. *q.* 837. Vide dicta *n.* 1053.

1100 *Q.* 165. *An cauſæ requirantur; & quid præterea exprimi vel obſervari debeat in permutationibus?* R.

§. 1. Permutatio apud Ordinarium requirit juſtam cauſam, nam cap. *Quæſitum*, de rer. permut. & cap. *Majoribus*, de præb. prohibetur; & eſt ſaltem irritanda per Conſt. S. Pii V. ſi cauſa non ſit à permutantibus allegata & ab Epiſcopo cognita, Garc. Barb. Tond. Caſtrop. Leur. *p.* 3. *q.* 855. Non eſt tamen opus adeſſe cauſas illas, aut obſervari omnes conditiones relatas *nu.* 1027. & à S. Pio V. præſcriptas pro reſignationibus, nam permittit permutationes fieri juxta Canonicas ſanctiones, Azor. Caſtrop. Leur. *q.* 414.

1101 §. 2. Cauſæ juſtæ ſunt, vel neceſſitas vel ſaltem utilitas Eccleſiæ, ſeu major Dei cultus, ſufficit etiam utilitas aut commoditas permutantium, ſi hæc redundet in utilitatem Eccleſiæ, v.g. ſi ideò meliùs aut promptiùs Deo ſervient, alioquin non ſufficit, S. Tho. Silv. Bellam. Barb. Garc. Ventrig. Ugol. Corr. quorum aliqui dicunt eſſe ſimoniacam, ſi fiat purè ob utilitatem privatam permutantium; eſt tamen ſatis, ſi cedat in utilitatem unius Eccleſiæ, dummodò non cedat in damnum conſiderabile alterius, Garc. Ventrig. Pirh. *l.* 3. *tract.* 19. *n.* 25. V. Leur. 859.

1102 §. 3. Si permutatio fiat apud Ordinarium, non eſt opus exprimere alia beneficia, quæ permutantes habent; ſi apud Papam, opus eſſe dicunt aliqui, alii negant, Leur. *q.* 859. Nec apud Ordinarium opus eſt exprimere qualitates beneficiorum, niſi quis ſit deſuper ordinatus: opus eſſe apud Papam, affirmant aliqui, alii negant, Leur. *q.* 860. Quamvis autem mentio non fiat ſtatus Sacerdotalis ad beneficium requiſiti, putat Luca de benef. *d.* 42. *num.* 11. non ideo cenſeri ſubreptionem, quando Papa potuit de hoc habere generalem ſcientiam vel cogitationem; Univerſaliter tamen verum eſt, quod acquirens beneficium permutatum debeat habere omnes qualitates ad illud requiſitas, quæ autem onera ſubiri debent, dum beneficium ſimpliciter vacat, etiam ſubiri debent, quando vacat cauſa permutationis. V. Leur. *q.* 863.

1103 §. 4. Conſanguinitas permutantium non obſtat in permutationibus, quæ fiunt apud Papam, neque in his neceſſariò exprimitur, ſed tantùm in illis, quæ fiunt apud alium, Luca *d.* 40. *n.* 15. & fuſiùs *d.* 65. *num.* 5. poſſuntque videri dicta à *num.* 1011. Nec neceſſariò exprimi debet inæqualitas ætatis, nam ſæpè agni moriuntur ante oves, inquit Luca. Si autem omittatur mentio ejus, quòd quis ſuper eo titulo ſit ordinatus, Trid. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Ref.* irritat permutationem, uti S. Congreg. declaravit apud Luca *d.* 41. *n.* 5. quamvis aliqui defendant valorem actus, dummodò permutans antecedenter proviſus ſit de alio beneficio æquè ſufficienti ad congruam ſuſtentationem, ut idem refert *n.* 6.

Q. 166. *Quid fieri poſſit: ſi beneficia permutanda ſint inæqualia vel unus fecerit expenſas pro ſuo beneficio?* R.

1104 §. 1. Si ſint inæqualia quoad dignitatem, poteſtatem, juriſdictionem, eſt ſimonia, ſi inæqualitas compenſetur per pecuniam vel aliud temporale, quia res purè ſpiritualis æſtimaretur pretio temporali; neque hanc ſimoniam purgare poteſt authoritas illius Superioris, cùm ſit juris naturalis. Si ſint inæqualia quoad fructus, Caj. Nav. Gonz. Delph. Zerol. Vvameſ. Ventrig. Chok. Leſſ. Diana *p.* 9. *tr.* 9. *R.* 49. putant Ordinarium poſſe ex officio, & motu proprio, ſi non anteceſſerit conventio partium, imponere penſionem pinguiori beneficio pro adæquanda iſta inæqualitate, & conſentit Sylv. *p.* 1. *v. beneficium caſ.* 4. & 7. ſi penſio non excedat tertiam partem fructuum, vocatque ſententiam communem: ſed contradicunt alii communiùs, Cech. Philiarch. Ugol. Suar. Valent. Azor. Murg. Rodriq. Garc. Caſtrop. Corr. Leur. *p.* 3. *q.* 445. *n.* 2. *q.* 735. *n.* 2. *q.* 827. *nu.* 4. quia beneficia conferri debent ſine diminutione. Hinc Leſſ. *l.* 2. *c.* 34. *n.* 106. demum rectè remittit ad conſuetudinem locorum, ſine qua legitimè præſcripta id non liceat. Putant quidem aliqui cum eodem Leſſ. poſſe priùs permutari beneficia, & poſteà per novum contractum jura ad proventus, compenſando etiam per pecunias exceſſum pinguiorum proventuum, pro quo citari ſolet cap. *Ad quæſtiones* de rer. permut. ubi dicitur in permutationibus Eccleſiarum poſſe refuſa certa pecuniæ quantitate adjici contractum, quo poſſeſſiones inæquales adæquentur, ſed adhuc contradicunt Suar. Caſtrop. *t.* 17. *d.* 3. *p.* 16. *n.* 1. Pirh. *l.* 3. *t.* 19. *à num.* 31. Leur. *qu.* 445. *num.* 2. dicentes Cap. cit. tantùm loqui de poſſeſſionibus merè temporalibus, quæ erant ſub dominio temporali Eccleſiarum, non autem de præbendis vel beneficialibus juribus ad proventus, & Ratio eſt, quia jus ad proventus beneficiales fundatur in beneficio, nec ab hoc, niſi authoritate Papæ, ſeparari poteſt, uti habet communiſſima. Putat quidem etiam Azor. poſſe primò permutari beneficia & jura beneficialia, poſtà autem poſſe ſupervenire permutationem fundi feracioris cùm minùs ferace dummodò non præceſſerit de hoc pactum, uti refert Leur. *qu.* 827. *num.* 3. & favere videtur Chok. apud Leur. *qu.* 845. *num.* 1. ſed contrà eſt, nam jura in fundis beneficialibus ſunt jura beneficialia, quæ à beneficiis ſeparari non poſſunt abſque authoritate Papæ: poterunt tamen liberè permutari fructus præſentes & futuri, uti & vendi poſſunt, quia ſunt merè temporales & de ſe omninò ſeparabiles à Beneficio ac præbenda, Suar. Pirh. *num.* 23. Vide etiam Leſſ. in auct. v. *beneficium caſ.* 9. ubi fusè diſputat, quomodo beneficium aſſerens actu fructus poſſit ſub penſione permutari cum alio afferente fructus tantùm in ſpem.

§. 2. Gamb. Senis, Az. Chok. apud Leur. *qu.* 862. dicunt 1105 licitam eſſe permutationem, cum pacto, ut compermutans refundat expenſas in conſervationem vel meliorationem beneficii factas, quia eſt onus beneficio incumbens, ſed videri debent dicta *num.* 1061. quæ hìc cum proportione applicanda ſunt.

Q. 167. *Quænam præterea pactiones hic licitæ ſint, &* 1106 *quomodo circa permutationes poſſit aliter committi ſimonia?* R.

§. 1. Si permutantes independenter à Superiore abſolutè conveniant de penſione, compenſatione vel re alia beneficiis extrinſeca præſtanda, eſt ſimonia, ſi tamen fiat ſub conditione, ſi Superior approbet, & ſecundùm dicta de reſignatione 1063. non eſt illicitum, quia non eſt permutatio, nec ſimpliciter pactio, cùm eam ſuſpendat conditio. Imò quamvis obligarent ſe ad non revocandam illam pactionem conditionatam, donec ſit præſentata Superiori, ut approbet vel reprobet, ut probabiliùs putant Panorm. Silv. Suar. Caſtrop. Diana Pirh. Rayn. *de benef. l.* 2. *ſect.* 1. *c.* 2. *nu.* 11. Leur. *p.* 3. *q.* 844. pactum licere & obligare, quia non eſt per ſe malum, nec prohibetur ejuſmodi tractatus de permutando, ſed tantùm permutatio; ratihabitio autem futura, ſub qua fit conventio non expectatur ut diſpenſatio, ſed ut ordinaria quædam validatio & impetratio authoritatis.

§. 2. Quomodo committi poſſit ſimonia confidentialis in 1107 permutationibus, dictum eſt *l.* 3. *p.* 1. *num.* 67. quomodò autem alia etiam ſimonia ſæpè in his committatur, ſatis indicatum eſt ibidem & hìc per decurſum.

Q. 168. *Intrà quod tempus perfici debeat, ac publicari* 1108 *permutatio?* R.

§. 1. Non eſt à jure ſtatutum certum tempus, intrà quod beneficia permutata conferri debeant: Dicunt quidem rectè Garc. & Leur. *p.* 3. *q.* 865. *n.* 2. vi Conſtit. Greg. XIII. debere intrà menſem admitti vel rejici permutationem, putantque etiam intrà menſem debere fieri proviſionem, ſed vide dicta *n.* 1030. quæ etiam hìc valent.

§. 2. Permutatio publicari debet, eo modo, quo dictum 1109 eſt à *n.* 1036. de reſignatione, debetque publicatio fieri ab utroque permutante, uti tenent Pariſ. Az. Chok. Leur. *q.* 776. contrà Nav. Barb. Ventrig. putantes ſatis eſſe fieri ab alterutro; ſi tamen ab uno eorum negligatur, id non nocet alteri, Gonz. Pariſ. Tond. apud Leur. *n.* 871. *n.* 4. Et debet hæc publicatio fieri intrà tempus notatum de reſignatione *n.* 1071.

Q. 169. *Quid dicendum ſit, ſi permutatio non habeat* 1110 *effectum, vel ſi non ſervetur conditio appoſita?* R.

§. 1. Si permutatio non habuit effectum, uti ſi reſignatione ab uno facta alter noluit aut non potuit viciſſim reſignare, poſſe primum ſine nova collatione redire ad ſuum beneficium, docent J. Andr. Franc. Senis, Roſſin. Duar. Pariſſ. Leſſ. quia reſignavit ſub conditione, ſi non ſuſpenſiva, ſaltem reſolutiva, ut ſuum beneficium cum alterius beneficio commutetur, & conditione non impleta non fuit voluntas abdicandi jus, ideoque beneficium ejus non videtur vacaſſe; ergo poterit propria authoritate illi inſiſtere: Limitant Gemin. Tuſch. Chok, ſi abſque culpa eorum impediatur effectus: volunt tamen *Abb. Rebuff. Staphil. Redoan. Az. Barb. Zoeſ. Ventrig. Lotth. Pirh.* prærequiri, ut Superior declaret eum vel eos poſſe authoritate propria redire ad beneficia. Addunt Lott. Prob. Leur. *p.* 3. *qu.* 294. *n.* 10. etiamſi permutatione vacaſſent beneficia, ſi tamen abfuit culpa, & permutatio declaretur nulla, hoc ipſo declarari nullum jus eſſe abdicatum, ideoque poſſe redire ab beneficia ſine novo titulo.

§. 2. Docent Gonz. Garc. & Caſtrop. ſi dimiſeras tuum 1111 beneficium, & beneficium compermutantis tibi fuerat collatum, ipſe autem vel moriatur vel fiat incapax, antequam tuum ei conferatur, hoc tuum eſſe tertio conferendum tanquam vacans per reſignationem tuam, quia permutatio erat ex parte tua perfecta: E contra ſi necdum dimiſeras tuum, quamvis alterius beneficium ſit tibi collatum, dicunt Garc. Az. Caſtrop. Tond. Nicol. *t.* 1. *d.* 9. §. 18. te poſſe hoc retinere ſimul cum tuo, ſi ſint compatibilia, (ſi enim ſint incompatibilia, habes optionem retinendi, quod voles, Garc.) quia jure accepiſti poſſeſſionem alieni beneficii, & necdum amiiſti poſſeſſionem

tui

tui ; quod limitat Ventrig. dummodò non interceſſerit fraus, uti ſi permutaſſes cum infirmo, ſecundùm dicta *n.*1088.

1112 §.3. Si compermutans, qui reſignavit, moriatur, antequam tu reſignaris, & tibi facta ſit collatio beneficii, quod habuit defunctus, docet Garc. beneficium defuncti non deberi tibi, ſed providendum tanquam vacans per reſignationem. Si autem reſignaſti, & ex culpa vel defectu tuo fiat, ut permutatio non habeat in te effectum, non poteris ad beneficium tuum redire, ſed erit conferendum alteri, quia impleta eſt conditio, ſub qua reſignaſti, nempe ut alter tibi dimitteret ſuum beneficium, quod dimiſit, tibi autem imputa, quòd illud non acceperis, Caſtrop. Si carebas vero titulo beneficii, quod mecum permutaſti, & ideo tertius evincat beneficium, quod à te accepi, teneris mihi meum beneficium reſtituere, quia non eſt impleta conditio, ſub qua reſignaram, quæ erat, ut in favorem mei dimitteres beneficium, quod cum effectu habere poſſem, Caſtrop. Et idem videtur eſſe, ſi reipſa non habueris beneficium, quia, v.g. acquiſiveras per ſimoniam, quia cùm error dederit cauſam huic permutationi, videtur eſſe irrita, ſecundùm dicta de contractibus *l.3.p.2. num.*612. Ita Suar. Az. Garc. Leſſ. Caſtr. Leur. *qu.*737. contrà Rebuff. qui putat valere, cui favet Leſſ. in auct. v. Simonia caſ.4. ſi inhabilitas per ſimoniam contracta fuerit ſublata, quia beneficia in manibus Epiſcopi ſunt repoſita, & ab eo dantur permutantibus, ſed contradicit Sanch. in Conſ. *l.2.c.1.d.31.nu.*11. quia cum Epiſcopus velit conferre cauſa permutationis, intendit hoc beneficium conferre loco dimiſſi, ergo ille, qui reipſa non habuit jus, ideoque nihil dimiſit, ex intentione Epiſcopi nihil poteſt accipere, ſed alter poterit reverti ad beneficium.

1113 §.4. Si permutatio fuerit nulla propter patronorum contemptum, de quo *num.*1091. dictum eſt, poterunt illi in pœnam ingratitudinis præſentare alios ad iſta beneficia, Lott. Chok. V. Leur. *qu.*871.

1114 §.5. Si permutans coram Papa moriatur intrà 20. dies à præſtito conſenſu, beneficium vacat per mortem, & poteſt alteri conferri, Rebuff. Pariſ. Gonz. Vvameſ. Chok. Leur. *qu.* 861. Quod tenet etiam Communis de permutante apud Ordinarium, licèt Chok dicat oppoſitum defendi à multis. Vide dicta à *n.*994.

1115 §.6. Si permutatio ſit peracta, licèt non impleatur conditio adjecta, v.g. non ſolvatur penſio appromiſſa non ideo repeti poteſt beneficium, quia pœnitentiæ locus non eſt, ſi completa ſint illa, quæ intrinſeca ſunt, Boer. Chok. apud Leur. *q.*872. Similiter permutatio expedita per Ordinarium non poteſt per hunc reſcindi, etiamſi poſteà advertatur inæqualitas fructuum aut læſio ultrà dimidium, Abb. Anchar. Dec. Ventrig. Chok. Excipe, ſi decepta ſit Eccleſia, Calder. Cagnol. Ventrig. Item ſi compermutans dolum fecerit, v.g. ſi dixerit majorem eſſe valorem beneficii, Cap. *Cùm univerſorum de rer. permut.* Item ſi ſic deceptus fuerit Minor. Chok. Leur. *q.*874.

1116 ## ARTICULUS VI.

Quid & quotuplex ſit penſio.

„ RESP. Penſio eſt jus percipiendi fructus ex alieno beneficio. Eſtque triplex, 1. Temporalis, quæ datur propter miniſterium temporale v.gr. Cantori, ædituo, patrono „ & defenſori Eccleſiæ. 2. Spiritualis, quæ fundatur in titulo „ merè ſpirituali, ut quæ datur Concionatori, Coadjutori „ Epiſcopi, parocho, &c. 3. Media, quæ fundatur in ſtatu „ ſpirituali, non tamen officio ſpirituali : ut quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho ſeni ad ſuſtentationem, vel quæ „ datur cauſa reſignationis, & litis componendæ. Duæ poſteriores dicuntur Clericales, quia Clericis ; prima laicalis, „ quia laicis tantùm datur.

„ Porrò circa penſiones, Laym. *l.4.t.2.c.*18. & Leſſ. *l.2.c.*35. „ *d.*38. docet hæc, 1. Etſi eam deſignare proprium ſit Papæ ; id „ tamen etiam Epiſcopum poſſe in cauſis ſpecialibus, & neceſſariis, v.gr. propter paupertatem & ſenium reſignantis, „ vel litis compoſitionem, vel propter adæquandos fructus in „ permutatione beneficiorum. 2. Debere eſſe moderatam, ita „ ut beneficiato relinquatur ſufficiens ſuſtentatio : talis autem „ plerumque cenſetur tertia pars fructuum. 3. Ad penſionem „ non requiri conſenſum patroni, ut quidam volunt, quia id „ nullo jure ſtatutum eſt : Neque ullum fit præjudicium per „ impoſitionem penſionis, cùm is fructus non percipiat ex „ beneficio, ſed tantùm habeat jus inſtituendi, & præſtandi, „ quod ei non adimitur. 4. Penſionarius poſt Conſtitutionem „ S. Pii V. ubi ea eſt recepta, tenetur recitare officium B. V. nec „ facit fructus ſuos, ſi omittat. 5. Penſionem extingui morte „ penſionarii, ſicut uſusfructus morte uſufructuarii. Poſſet „ tamen Papa facere perpetuam, ex plenitudine poteſtatis. „ De venditione & redemptione penſionis, v. Laym. *l.c.* Leſſ. „ *d.*22. Bon. *de ſimon. d.*1. *q.*4. *ſ.*13.

ADDENDA.

*Quæſt.*170. *An penſio Eccleſiaſtica, quæ alicui conceditur ſuper beneficio alieno ob reſignationem, permutationem, compoſitionem litis &c. ſit verè beneficium aut aliquid ſpirituale, vel ſaltem poſſit eſſe titulus ordinationis?* R. 1117

§.1. Nulla penſio eſt beneficium, niſi in titulum novi beneficii erigatur, uti habet communiſſima cum Leur. *p.3.qu.*440. nam cap. *Quamvis*, de præb. in 6. contradiſtinguitur à beneficio, eſtque tantùm jus temporale, quod finitur cum morte alicujus, uti uſus-fructus, unde ratione penſionis nemo gaudet privilegio Canonis vel fori, Gonz. Barb. Leur. *q.*442.

§.2. Nav. Reg. Rodriq. Vivald. Pariſ. Garz. Az. Leſſ. Laym. 1118 *l.4.t.2.c.*18. *n.*2. Beja *p.1.caſ.*37. Caſtrop. *t.17.d.3.p.*13. *n.*8. Rayn. *de benef. l.2.ſ.*1. *c.*2. *n.*40. dicunt penſionem ejuſmodi Eccleſiaſticam eſſe aliquid ſpirituale, quia prærequirit Clericatum, ideoque eſt ſpirituali annexa : & maximè quia nunc poſt Conſtitut. S. Pii V. habet annexum onus recitandi officium B. Virginis, ideoque non aliter ac beneficium datur propter Officium ſpirituale. E contrà *Bald. Felin. Anchar. Imol. Gonz. Lott. Luca* dicunt eſſe quid merè profanum, & temporale, eò quòd non detur ratione præſtandi miniſterii ſpiritualis, ſed poſt dimiſſum illius onus concedatur tantùm in vitæ ſubſidium, ideoque ſit omninò ſeparata à titulo ſpirituali : quòd autem requiratur Clericatus, eſt ex ſolo ſtylo Curiæ non concedentis penſionem niſi Clerico ; nec adjecta obligatio orandi officium B. Virginis probat penſionem eſſe ſpiritualem, alioqui ſtipendium pro Miſſa etiam eſſet quid ſpirituale, cùm habeat annexam obligationem legendi Miſſam. V. Leur. *q.*439.

§.3. Poſſet aliquis ſuper tali penſione promoveri ad ſa- 1119 cros Ordines, ſi erigeretur in titulum, uti quis poteſt ordinari titulo patrimonii ſæcularis; & id concedit Trid. *ſeſſ.*21. *c.*2. de Ref. ſi ita poſtulet neceſſitas vel utilitas Eccleſiæ, Gonz. Az. Barb. Ventrig. Leur. *qu.*441.

*Q.*171. *An reſervatio penſionis ſit odioſa?* R. Eſſe odio- 1120 ſam dicunt Sanch. Pariſ. Cor. tum quia videtur eſſe contrà jus commune, tum etiam quia affert ſervitutem beneficio ; E contrà favorabilem eſſe dicunt Lott. & Leur. *p.3. q.*436. quia dum cohoneſtatur per cauſam decentis alimentationis, non contrariatur juri, & onus non jam imponitur beneficio quàm beneficiato, quia cùm conſentiat, ſitque ei abſolutè melius ſic habere beneficium quàm non habere, per hoc non ſubit ſervitutem ſed accipit gratiam. Burſat. Gig. Gonz. dicunt eſſe odioſam, antequam concedatur, ſed poſt conceſſionem eſſe favorabilem : Fortè etiam dici poſſet eſſe favorabilem, ſi imponatur petente etiam beneficiato, odioſam autem, ſi imponatur eo quaſi invito. Vide dicenda *n.*1127.

*Q.*172. *Quis, & ex qua cauſa poſſit concedere alicui* 1121 *penſionem ſuper alieno beneficio?* R.

§.1. Papa poteſt ipſimet beneficio imponere, ut tamen licitè imponat, requiritur juſta cauſa, quamvis etiam ſine cauſa poſſit validè imponere, uti tenent Rebuff. Az. Sanch. Pariſ. Garc. Barb. Caſtrop. Luca, Diana *p.*10. *t.*14. *R.*70. Leur. *p.3.qu.*443. contrà Vaſq. Gamb. Tol. Leſſ. Rodriq.

§.2. Poſſunt Epiſcopi, ſi adſit juſta cauſa, imponere 1122 penſionem perſonæ habenti vel habituræ beneficium ; ordinariè autem non debent beneficium ipſum gravare, ſed ſine diminutione conferre, ideoque onus illud non imponunt beneficio vel ſucceſſoribus, ſed penſio durat tantùm ad vitam vel ad certos annos vitæ hujus proviſi, Sot. Tol. Zech. Nav. Pariſ. Azor. Garc. Barb. Ventrig. Lott. Luca contrà Caccialup. Gig. Cuch. Cautium, Tond. qui putant poſſe imponi ad vitam penſionarii quod ſaltem in caſu terminandæ litis dicunt plures, uti notatum eſt *n.*559. V. Leur. *q.*444.

§.3. Vicarius Epiſcopi non poteſt vi officii imponere 1123 penſionem, Sbroz. Bero. Garc. Leur. *q.*449. Legatus de latere poteſt idem, quod Epiſcopus, Az. Garc. Fill. Caſtrop. Leur. *q.*450. Collatores inferiores, item Compromiſſarii & Judices non poſſunt niſi authoritate Epiſcopi, Garc. Leur. *q.*451. Monaſteria & Superiores regulares poſſunt in beneficiis ſibi incorporatis per Vicarios adminiſtratis, aliiſque manualibus, ſed hæ non ſunt propriæ penſiones. Lott. *q.*452. 453.

§.4. Contractus privata authoritate factus de penſione 1124 beneficiali propriè dicta, eſt ſimoniacus : poteſt autem quis ex alia cauſa ſe civiliter obligare ad dandam partem fructuum ſui beneficii. V. Leur. *q.*454.

§.5. Impoſitio penſionis ab alio quàm Papa, facta ſine 1125 juſta cauſa, eſt invalida, Sarn. Corraſ. Garc. Leur. *q.*445. *n.*1. Juſtæ autem cauſæ, ob quas imponi poſſint, cenſentur terminatio litis, de qua dictum *n.*556. Neceſſitas vel magna utilitas Eccleſiæ. Alimentatio neceſſarii Miniſtri in Eccleſia, ſuſtentatio pauperum, Suar. Az. Fill. Barb. Diana *p.9.t.9.* & 49. Leur. *q.*444. Et docent S. Thom. Abb. Laym. Garc. Lott. poſſe Epiſcopos cum conſenſu Capituli, antequàm beneficium pingue conferant, ſuper hujus fructibus imponere etiam in perpetuum penſio-

penſionem pro neceſſitate alterius Eccleſiæ vel neceſſarii Miniſtri: Et quamvis *Garc.& Murga* dicant Clericum perpetuò ægrotantem non poſſe reſignare in manus Epiſcopi ſub reſervatione penſionis pro ſuis alimentis, tamen contradicit *Ferret.* & ſaltem fatentur plerique cum Abb. & Gamb. apud Leur. *qu.*446. Epiſcopum poſſe illo conſentiente, ſubſtituere alium, reſervata penſione quoad vixerit.

1126 §.6. Penſio commenſurari debet cauſæ, alioquin quoad exceſſum eſt invalida & reducenda ad proportionem cauſæ, Garc.Leur.*qu.*455.*n.*2. Et tenetur Epiſcopus cauſam impoſitæ penſionis verificare, nec ſatis eſt,ſi dicat adeſſe, Grat.Barb.Luca Leur.*n.*1.*& q* 447.

1127 *Q.* 173. *An ad impoſitionem penſionis requiratur conſenſus beneficiati & Patronorum* ? Reſp.

§.1. Ordinariè requiritur conſenſus beneficiati, nam nequidem Papa ſolet aliter imponere,Pariſ.Garc.Caſtrop.Lot.Luca, Leur.*p.*3.*qu.*456. Si tamen cauſa neceſſaria poſtulet, rectè inquit Leur.*q.*457. beneficiatum licèt invitum poſſe compelli ad conſentiendum. Quòd ſi beneficium vacet, poteſt conſtitui defenſor, qui conſentiat, Az.Caſtrop.Leur.*qu.*458. Et ut in futurum valeat impoſitio, debet etiam ille conſentire, qui habet jus regreſſus ad beneficium, Gig.Pariſ.Leur.*qu.*459. Si tamen penſio imponatur ipſi beneficio, valet conſenſus hujus beneficiati pro obligandis etiam ſucceſſoribus; ad quos tranſibit beneficium cum onere penſionis, Lott.Luca, Leur *quæſt.*462.

1128 §.2. Poteſt à Papa imponi etiam non requiſito Patrono,ſic tamen,ut ſi Patronus poſteà egeat, ipſi priùs quàm penſionario præſtentur alimenta,quia jus ejus eſt anterius & beneficio quaſi intrinſecum, *Az.Caſtrop.Lott.* Et ſi ſit Patronus laicus, debet in conſtitutione penſionis illius fieri mentio, v. Leur. *qu.*464. Epiſcopum autem non poſſe imponere ſine conſenſu Patroni, præſertim laici, docent Rebuff.Zech.Barb.Caſtr.Leur.*qu.*465. contrà *Gig.Gamb. & Leſſ.* quia videtur Patrono præjudicare, quòd beneficium ita reddatur poſſeſſori minùs æſtimabile, quod fatetur *Garc.*ſi penſio beneficio ipſi imponatur etiam pro ſucceſſoribus.

1129 *Q.*174. *Quibus beneficiis imponi poſſit penſio?* Reſp.

§. 1. A Papa imponi poteſt omnibus beneficiis, etiam patronatis, ſecundùm dicta *n.*1128. Item à Papa imponi poteſt Epiſcopatui, dummodò Epiſcopo ad ſuſtentationem remaneant mille ducati, juxta valorem in regione, in qua eſt Epiſcopatus, Trid.*ſeſſ.*24.*cap.*13. *de Reform.* Similiter parochiæ vel beneficio curato, dummodò poſſeſſori remaneant 100. ducati, Trid.*ſuprà.* Valet tamen penſio, ſi illi mille vel centum ducati poterant haberi tum,quando penſio imponebatur, licèt poſteà fiat diminutio: quamvis hac facta peti poſſit, ut cum proportione etiam imminuatur penſio. V.Leur.*p.*3.*qu.*466. *& ſeqq.*

1130 §.2. Non ſolebat antehac penſio imponi beneficio ſimplici non excedenti 24 ducatos de Camera; quid autem hi ducati faciant, dictum eſt *nu.*677.Nec Canonicatui & dignitati non excedenti 100.ducatos: Nec Præbendæ Theologali. V.Leur. *q.*470.471. nunc autem quandoque fit aliter, ex cauſis. Nec imponi poteſt fructibus Eccleſiæ necdum erectis in beneficium. Corr.Leur.*q.*474. Nec imponi ſolet diſtributionibus quotidianis, Garc.Caſtr.Lott.Leur.*qu.*481. imò nec toti ſummæ groſſæ ſolitæ diſtribui inter eos,qui certis temporibus interſunt,Pariſ. Leur.*qu.*482.

1131 §. 3. Imponi poteſt beneficiis perpetuò commendatis, Gamb.Pariſ.Az.Tamb.Leur.*q.*472.Item alteri beneficio, quod habet Titius reſignatarius, ſi beneficium ei à Cajo reſignatum penſionem ferre non poſſit, Az.Leur. *qu.*473. Item beneficio Sempronii,ſi Titius reſignatarius non habeat aliud beneficium, nec hoc beneficium à Cajo reſignatum Titio, penſionem ferre poſſit, Pariſ.Az.Leur.*q.*476. Item fundo unius beneficii pro alterius dote, Abb.Gig.Gonz.Lott.Leur.*qu.*475. Item fructibus beneficii, etiam incertis, Lott.Leur.*qu.*480.

1132 *Q.*175. *Quid liceat circa impoſitionem penſionis in permutationibus, ſi beneficia ſint inæqualia quoad fructus* ? Reſp.Dictum eſt *à num.*1104.

1133 *Q.*176. *Quid notandum ſit circa quantitatem, & reductionem penſionis* ? Reſp. eqq.

§.1.Penſio ita debet eſſe moderata,ut beneficiato relinquatur competentia vivendi:& olim quidem imponebatur in omnibus beneficiis tantùm ad tertiam partem reddituum,nunc autem in ſimplicibus regulariter imponitur ad medietatem & non ultrà. Pariſ.Corr.Lott.Tond. Leur.*p.*3.*q.*483. Fit tamen adhuc ſæpè Romæ, ut ſi proventus ſint 800. Imperiales, penſio imponatur ad 600. quia beneficiato manet honeſta ſuſtentatio. Quòd ſi fiat exceſſus ſupra determinatam quantitatem, totam penſionem corruere dicit Gig.Barb.Lott.Ventrig.Leur.*q.*484. contrà alios putantes tenere, ſed eſſe reducendam ad legitimam quantitatem. Similiter tenent. Lott.Luca, Leur.*q.*485. totam corruere, ſi falsò narratus ſit valor major remanens poſſeſſori beneficii; non idcò tamen poterit penſionarius redire ad beneficium, ſi reſignarit ſciens tantam penſionem non habere locum, Garc. Leur.*qu.*486. Penſionarius autem, ſi non ſit in poſſeſſione percipiendi, tenetur probare, quòd penſio reſervata non excedat debitam quantitatem, uti dicetur *num.*1155.

§.2. Si redditus omnibus annis ita diminuantur,ut poſſeſſo- 1134
ri beneficii non remaneant congrua, debet ſic diminui penſio, ut redintegretur tota congrua ab initio illi conſtituta. Si diminuantur per aliquos tantùm annos, qui per alios compenſari poſſint, non ideo diminuitur penſio, Gig. Garc.Barboſ. Ventrig.Lott.Leur. *q.*487. Porrò congrua conſtituitur tantùm ex fructibus certis,uti explicat Leur.*q.*488.Si reſignatarius quereretur ad nimio onere penſionis; audiri non debet, ſed vel ſolvere totam vel dimittere beneficium,Lott.Luca,Leur.*q.*489. Succeſſor tamen primi reſignatarii poſſet ab initio petere reductionem penſionis nimis exceſſivæ, Tond.Lott. Leur. *qu.*490. Poteſtque etiam Patronus beneficii petere,ut immodica penſio ad debitam quantitatem reducatur, Gig.Az.Leur.*q.*491.

§.3. Si tractu temporis diminuti ſunt fructus, poteſt Epiſ- 1135
copus, niſi ſpecialiter prohibeatur, reducere penſionem ad debitam quantitatem,etiamſi penſio ſit impoſita à Papa: ſi à ſucceſſore reſignatarii petatur reductio penſionis conſtitutæ à Papa, Epiſcopus reducere non poteſt, niſi ex commiſſione Papæ, *Gamb.Garc.* Excipe, niſi conſentiret Penſionarius, cùm ſola ejus voluntate diminui poſſit penſio, niſi expreſsè aliter ſtatuatur, Gig.Corr. Lott.Leur.*q.*492. Intereà autem, dum petitur reductio penſionis hactenus ſolutæ, debet integrè ſolvi, Lott.Luca, Leur.*q.*493.

*Q.*177. *Quandonam, & quibus modis imponatur pen-* 1136
ſio ? Reſp.

§.1. Communiter imponitur in collatione beneficii,poteſtq; etiam fieri poſt illam, *Az.* ſed ſi Epiſcopus imponat, *Laym.*dicit fieri debere ante collationem, Leur.*p.*3.*q.*494. Et quia accipientes beneficium ſæpè conſentiebant impoſitioni penſionis, quam non ſolverent ipſi, ſed eorum ſucceſſores, adjici ſolet decretum, ut ab initio quotannis ſolvatur penſio, alioquin impoſitio ſit irrita, debetque per inſtrumenta Notarii, & teſtium probari ſolutiones ſingulis annis à prædeceſſore eſſe factas, Barb.Tond.Corr.Luca, Leur.*qu.*495.*&* 569.

§.2. Scriptura non requiritur ad valorem penſionis, ſed 1137
tantùm ad probationem, Gig.Gonz.Lott.Luca, Leur.*qu.*496. prohibetur tamen exactio penſionis ante expeditionem literarum, uti dicetur *n.*1168.

§.3. *Azor.*putat eſſe ſimoniam,ſi Epiſcopus alicui reſervet 1138
penſionem ſub conditione, ut eam dimittat, quando beneficium obtinuerit, quia videtur promittere beneficium ſub conditione penſionis dimittendæ, ſed meritò contradicit Leur.*qu.* 498.nam non ideo promittit beneficium, & penſio poteſt conſtitui pro tempore, quo penſionarius indigebit.

§.4.Poteſt à Papa imponi penſio cum clauſula,ut ſolvatur 1139
etiam ante obtentam poſſeſſionem beneficii, & quamvis nulli perciperentur fructus,quia in hoc conſentire poteſt beneficiandus ob ſpem beneficii & fructuum, Gig.Pariſ.Az.Fill.Leur. *qu.*499.quem vide etiam *qu.*545.*num.*2.

§.5. Si penſio uni conſtituatur in pluribus beneficiis, non 1140
cenſetur impoſita ſingulis in ſolidum, ſed pro rata & proportione ad beneficiorum fructus, è quibus quantitas alimentationi deſtinata conflari debet, *cap.Conſtitutus, de Relig.domib.* Pariſ.Corr.Lott.Ventrig.Leur.*qu.*501.*&* 566.

*Q.*178. *Quibus perſonis reſervari, vel conſtitui poſſit* 1141
penſio Eccleſiaſtica ? Reſp.

§.1. Penſio à ſolo Papa reſervari poteſt perſonæ incertæ & non nominatæ,Tond.Leur.*p.*3.*q.*500.Etiam ſolus Papa diſpenſare poteſt cum Epiſcopo, ut ſit capax penſionis, Corr.Leur. *qu.*531. Item ut promotus ad Epiſcopatum retineat penſiones ante habitas, Leur.*qu.*586.

§.2. Quamvis aliquis ſit incapax beneficii, tamen *Gonz,* 1142
Lamb.Garc.Lott. dicunt poſſe eſſe capacem penſionis ſuper beneficio: hinc docent *Suar.*& alii communiter inhabilitatum ad beneficia, ſaltem per ſententiam hominis, non ideò eſſe inhabilitatum ad penſiones,quia pœnæ non extenduntur. Putant tamen *Nav.Sanch.Zerol.Barb.Caſtrop.Ventrig.* jure ipſo vel lege inhabilitatum ad beneficia, etiam eſſe inhabilitatum ad penſionem ſaltem reſpondentem tali beneficio, ad quod inhabilis eſt, uti exponit Leur.*q.*510. Similiter dicunt *Covar.Baldel. Salz.Barb.* ſi per legem vel privilegium in aliquo regno exteri ſint incapaces beneficiorum, etiam eſſe incapaces penſionum. V.Leur. *qu.*527. Denique fatentur *Gamb.& Lott.* Clericum ſecularem,qui non eſt capax beneficii regularis, etiam non eſſe capacem penſionis huic imponendæ, Leur.*q.*528. & quamvis Regularis quandoque ſit capax beneficii ſæcularis curati, tamen non eſt capax penſionis ſuper hoc, quia Eccleſiæ neceſſitas juſtificat primum, non ſecundum, Mandoſ.Zech.Sanch. Zerol.Garc.Barb.Caſtrop.Corr.Lott.Leur.*qu.*529.

§.3. Quamvis laici de ſe capaces ſint penſionis, quæ ſe- 1143
cundùm dicta *num.*1118. eſt quid merè temporale, tamen ex

Conſt.*S.Pii V.* penſio non niſi Clerico conſtitui poteſt, Caſtr. Lott.Leur.*q.*511. Debetque Clericatus actu adeſſe, dum conſtituitur penſio, *Gig.Lamb.Corr.Lott.Ventrig.* contrà *Filliuc.* Nec ſufficit aliquem communiter reputari Clericum, Lott. Ventrig.Leur.*q.*512. contrà *Corr.* Non tenetur tamen geſtare habitum & tonſuram, niſi penſio excedat ſummam 60.ducatorum de Camera, Garc.Caſtrop.Leur.*q.*514.

1144. §.4. Per eandem Conſt.*S.Pii V.* incapaces ſunt penſionis Clerici conjugati; bigami,licèt nunc extra Matrimonium conſtituti; promoti ad Clericatum ſine licentia proprii Epiſcopi, niſi hic ante conſtitutionem penſionis ratificaverit, Ricc.Corr. Leur.*qu.*515. Non obſtat tamen dicta Conſt. quin Epiſcopus poſſit in favorem ſui nepotis reſervare penſionem, quia tantùm vetat illi conferri beneficium reſignatum, Gratian. Pariſ. Ton.Leur.*p.*2.*q.*676.

1145 §.5. Equites Melitenſes carentes prima tonſura capaces ſunt penſionis,quia quoad hoc equiparantur tõſuratis, Gamb. Corr.Lott.Leur.*p.*3.*q.*517. Novitii tamen Religionum, ſi non ſint Clerici, manent incapaces, quia cenſentur adhuc eſſe in ſtatu, in quo erant, cùm reciperentur, Lott.Leur.*q.*516.Nec equites Melitenſes videntur eſſe capaces penſionis beneficio ſæculari impoſitæ, Lott.Leur.*qu.*529.*num.*1.

1146 §.6. *Sa, Sanch.Garc.Barb.Squill,Campan.Sanctar.Caſtrop.* dicunt Minorem 14.annis non eſſe capacem penſionis, uti per Trid.*ſeſſ.*23.*c.*6.*de Ref.* non eſt capax beneficii. E contrà *Gig.& Lott.* nullam ætatem prærequirunt,ſed dicunt ſi quis per diſpenſationem tonſuretur quarto anno ætatis, hoc ipſo eſſe capacem penſionis: *Zech.Ricc.Grat.Leſſ.* probabiliter dicunt ſufficere ſeptennium, cùm ſufficiat ad Clericatum, nec *Trid.* loquatur niſi de beneficiis. Circa ordinatum, omiſſa tonſura, vide dicta *n.*743.

1147 §.7. Clericus, quamvis ſit illegitimus, capax eſt penſionis Rota,Gonz.Gamb.Zerol.Majol.Tond.Lott.Leur.*q.*520. contrà,*Zech.Nav.Sanch.Leſſ,Garc.Caſtrop.*Quòd multò magis valet de expoſititiis, ſecundùm dicta *nu.*766. docentque Garc. Tond.Leur.*q.*521. Poteſtque etiam illegitimus obtinere penſionem, quam habuit ejus pater, *Pariſ.Gonz.Barb.Lott.Ventrig.* contrà Mandoſ. non tamen ſuper beneficio, quod habet vel habuit pater, Trid.*ſeſſ.*25.*c.*15. *de Ref.* quamvis habere poſſit penſionem ſuper eodem beneficio, ſuper quo penſionem habet pater, Grat.Tond.Leur.*q.*522.

1148 §.8. Si ſupponamus ad penſionem requiri diſpenſationem illegitimi, docent *Mandoſ.Rebuff.Laym.* diſpenſatum ad beneficia non ideò eſſe diſpenſatum ad penſiones, quia hæc ſunt ſeparabilia, & diſpenſatio eſt ſtrictè interpretanda; contradicunt *Az,Garc.Caſtr.* quia inhabilitas ad beneficia eſt fundamentum inhabilitatis ad penſiones, quod tunc tollitur; Fatenturque *Rebuff.Corr.Tond.* diſpenſatum ad hoc beneficium etiam eſſe diſpenſatum ad penſionem in hoc beneficio. V. Leur.*q.*523.*& q.*529.*n.*2.

1149 §.9. Excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus eſt incapax penſionis, ideò enim præmittitur abſolutio penſionarii ab his cenſuris, Leur.*q.*524.Vide tamen Dian.*p.*11.*tr.*5.*R.*5.Idem cenſent de irregulari multi, ſed contradicunt alii ob declarationem, V.Leur.*ſupr.* Multò magis incapaces ſunt penſionis hæretici eorumque filii & nepotes non tamen illi, qui tantùm ſuſpecti ſunt de hæreſi, Leur.*qu.*526.

1150 §.10. Qui non poteſt recitare officium B.Virginis, eſt capax penſionis, ſi Epiſcopus hanc obligationem mutet in alias orationes,Fill.Leur.*q.*532. Et univerſaliter loquendo qui ſciens confert penſionem habenti impedimentum, tacitè cum eo diſpenſat, ſi diſpenſare poſſit, quia nemo cenſetur velle ponere actum nullum vel malum, *Alciat.Pariſ.Fill.* Si autem diſpenſare non poſſit nec prævideat facilè diſpenſandum, videtur peccare graviter, quia eſt graviter difforme rectæ rationi velle intrudere aliquem in id, cujus ſcitur eſſe incapax, Cov. Fill.Leur.*q.*533.

1151 *Q.*179. *Quid narrari debeat ab illo, qui vult impetrare penſionem?* Reſp.

§.1. Debet narrare, ſi quæ alia penſio vel onus incumbat beneficio, ſuper quo petit penſionem, alioquin impoſitio eſt nulla, & ſi impetrans reſignarit beneficium, non ideò poterit rediri ad illud, Garc.Pariſ.Caſtrop.Tond.Lott.Luca Leur.*p.* 3.*q.*502. ſufficit tamen penſiones priùs impoſitas narrare genericè, dicendo penſiones alias eidem beneficio eſſe impoſitas, Lott. Ventrig.Leur.*q.*503. Etiam exprimi debet quantitas penſionis jam impoſitæ, ne beneficium gravetur ultra vires. Item exprimi debet quantitas reddituũ beneficii penſione gravandi,ut poſſit congrua determinari beneficiando; Lott.Leur. *qu.*506.

1152 §.2. Secundùm *Garciam*, ſi quis impetret penſionem ſuper beneficio à ſe reſignato, quod retinere poterat, non tenetur narrare,quòd habeat beneficium vel penſionem aliam; ſi tamen impetret ſuper beneficio non reſignato à ſe, aut ſuper beneficio à ſe reſignato, quod retinere non poterat, debet narrare, ſed contradicit *Caſtrop.* admittens quidem narrandum, quòd habeat aliam penſionem, non tamen quod habeat aliud beneficium. V.Leur.*q.*505. An narrare debeat eſſe litem ſuper penſione, dicetur *n.*1173.

*Q.*180. *Quid ſit notandum circa poſſeſſionem, & jura* 1153 *penſionarii?* Reſp.

§.1. Unicus actus ſolutionis penſionario factæ à beneficiato vel ejus procuratore ex vi mandati, vel à quocunque alio cum beneficiati ſcientia & conſenſu tribuit quaſi poſſeſſionem exigendi penſiones impoſterum,etiam pendente lite ſuperveniente,Garc.Corr.Lott.Ventrig.Leur.*p.*3.*qu.*571.574. Quod etiam verum eſt, ſi ſolutio facta ſit per campſorem, qui præſumatur habuiſſe mandatum, Lott.Leur.*q.*575.Aut etiam per antecedẽtem beneficiatum morti proximum, Luca, Leur.*q.*572. ſolutio tamen facta ab œconomo, exactore vel alio tantùm deputato ad colligendos fructus beneficii vacantis non dat penſionario quaſi poſſeſſionem contrà ſucceſſorem in beneficio, *Garc.* & alii cum Leur.*q.*573. Et quando ſolutio facta tribuit quaſi poſſeſſionem debet plenè probari per penſionarium, *Lot.* & alii cum Leur.*q.*576. Qui penſionarius licèt poſteà etiam per decennium non exigat penſionem, non ideò amittit poſſeſſionem acquiſitam, niſi fortè ipſi petenti negata eſſet, & tunc diu non petens cenſeretur abjeciſſe animum poſſidendi. V. Leur.*qu.*577.

§.2. Quamvis penſio conſtituta,fuerit invalida ob omiſ- 1154 ſam narrationem prioris penſionis impoſitæ, ſecundùm dicta *à nu.*1151. ſi tamen penſionarius per longum tempus perceperit fructus, putant Tond. & Leur.*qu.*509.poſſe eſſe locum regulis de pacifico poſſeſſore, de quibus actum eſt *à nu.*680.689.715. Et quidem penſionarius, qui in poſſeſſione eſt, habet actionem, in primis perſonalem contrà beneficiatum ejuſque ſucceſſores, quia ad hos etiam hoc ignorantes tranſit beneficium cum onere, Lott.Ventrig.Leur.*q.*478.Deinde etiam realem ſeu quaſi hypothecariam in fructibus, ſuper quibus conſtituta penſio,Gig.Az.Caſtr.Lott.Ventrig. Leur.*q.*579.contra *Caſtrenſ.& Felin.* Poteſtque contrà beneficiatum tam primum quàm ſucceſſores agere actione poſſeſſoria ſeu de ſpolio, iidem AA.cum Leur.*q.*580. Hinc in fructibus beneficii gravati præfertur penſionarius quibuſcunque aliis creditoribus,Gig.Garc.Tond.Luca, Leur.*q.*581. Et habet penſionarius pro exactione penſionis paratam viam executivam, Lott.Luca,Leur.*q.*588. Quæ autem ſit praxis urgendi ſolutionem penſionis, vide apud Leur. *qu.* 589. *& ſeqq.* ubi etiam declarat, quæ pœnæ ſint ſtatutæ non ſolventibus penſionem. Idem penſionarius, cui non ſolvitur penſio, habet jus regrediendi ad beneficium, beneficiato tamen conceditur appellatio & purgatio moræ: imò & pœnitentia, qua excludatur regreſſus, ſi penſiones offerat. V.Leur. *qu.*594. ubi plura habet de regreſſu. Quamvis autem penſionarius regreſſus ſit ad beneficium, adhuc videtur habere jus exigendi penſiones decurſas uti docet *Barb.* contrà *Gig. Tond.* & alios apud Leur.*qu.*600. An poſſeſſio primi ſerviat ſecundo, vide dicenda *n.*1169.

*Q.*181. *Quæ ſint obligationes penſionarii?* Reſp. 1155

§.1. Si non ſit in poſſeſſione percipiendi, tenetur probare, quòd penſio non excedat debitam quantitatem: item oſtendere litteras reſervationis & verificare qualitates in reſervatione penſionis appoſitas: item probare poſſeſſionem ac jus illius, qui primò conſenſit penſioni. V.Leur.*par.*3.*qu.*534. *& ſeqq.*

§.2. Sub onere non faciendi fructus ſuos ſed reſtituendi 1156 tenetur quotidie orare officium B.Virginis, ex Conſt.*S.Pii V.* quam uſu receptam eſſe teſtantur AA.communiter apud Leur. *q.*537.contrà *Valent.Cuch.Vivald.*& alios: & hanc obligationem eſſe ſub mortali, docent *Graffiis* & alii, teſte Lott.*l.*1.*q.* 45.*num.*16. Manetque hæc obligatio etiamſi dimiſerit partem penſionis, aut conſenſerit totam redimi, uti tenent *Azor.* & alii, contra alios. Excipit Bonac. *de Horis d.*1.*qu.*2.*p.*4.*à n.*8. illum, 1. Cui reſervatur penſio in commodum alterius, ſolus enim ille tenetur, qui fruitur. 2.Cui reſervatur, vel tanquam laico, vel abſque prævia conditione ſtatus Clericalis. 3. Qui recitat Horas Canonicas, etiamſi ad has aliunde obligetur: Addit Bonac.*nu.*11.eum non ampliùs obligari, cui authoritate Apoſtolica eſt redempta penſio, quia *S.Pius V.* obligat ſolos penſionarios, qualis hic non eſt, cùm dimiſerit jus penſionis: aliud eſt, ſi authoritate propria admittat tantùm aliquas anticipatas ſolutiones.

§.3. Non tenetur ſuperfluos fructus penſionis impendere 1157 in pios uſus, ſed poteſt pro libitu de eis diſponere, etiam per teſtamentum, quia Canones aliter diſponunt de ſolis fructibus beneficiorum, Covar. *T.*2.*lib.*1.*c.*15.*n.*13.Menoch. *de arbitr. Jud.l.*2.*caſ.*172.*nu.*8. Tuſch.*T.*6.*concluſ.*267. Valq. *de eleemoſyn. cap.*4.*d.ult.num.*22. Ricc.*praxi var.Reſ.*117. Naldus *v.penſio num.*5.*& v.Fructus n.*7.Galettus *margar.caſ.*5.*v.fructus*,Lugo *de red. Eccl.d.*4.*num.*32. Binſ. *Ench.p.*4.*c.*13. Redoan.*de reb. Eccl.non alien.qu.*53.*c.*3.*num.*1.*&* 8.Az.*p.*2.*l.*7.*c.*9.*qu.*12.Regin. *l.*30.*t.*3.*cap.*7.*num.*91. Gigas *de penſion.q* 52. Zerol.*praxi Epiſcop.p.*2.*v.penſionarius nu.*2. Trull.*in Decal.l.*1.*c.*5.*d.*9.Vallenſis

de be-

de benef. l.4. tit.12. n.13. Taber. *p.2. t.2. c.3. q.10.* Leur. *q.539.* contrà Th. Hurt. *Reſ. mor. l.2. n.649. & alios.* Videtur tamen illicitum plures penſiones, quarum ſingulæ ad ſuſtentationem ſufficiant, ſimul habere, uti colligi poteſt ex dictis *à n.897.* tenentque Az. & Leur. *qu.540.*

1158 §.4. Tenetur pro rata penſionis contribuere ad onera beneficii, niſi Papa addiderit, ut penſio ſit *libera, immunis, & exempta,* Az. Barb. Lott. V. Leur. *q.541. & ſeqq.*

1159 *Q.182. Ad quid teneatur beneficiatus, cujus Beneficio annexum eſt onus penſionis?* Reſp.

§.1. Tenetur ſub mortali hanc ſolvere, quia acceptavit beneficium cum hoc onere, Az. Garc. Barb. Caſtrop. Leur. *p.3. q.544.* Non tamen tenetur, per ſe loquendo, quamdiu beneficium non obtinet nec percipit fructus, ſi per eum non ſtet, quia fructibus propriè imponitur penſio, Pariſ. Fill. Tond. Lott. Leur. *qu.545.* unde etiamſi invalidè teneat beneficium, ſi obtineat fructus; tenetur, quia obligatio ſolvendi penſionem non fundatur in titulo Beneficii ſed in perceptione fructuum, Garc. Fill. Barb. Corr. Leur. *qu.546. 549. & ſeqq.* Hinc etiam qui dimiſit beneficium, cui impoſita erat penſio, per ſe loquendo non ampliùs tenetur ad penſionem, ſed alter, qui beneficium accipit, etiamſi invalidè, ſi modò fructus percipiat, Gamb. Mandoſ. Burſat. Gig. Pariſ. Garc. Leur. *q.547.*

1160 §.2. Docent *Suar. & Caſtrop.* habentem beneficium penſione gravarum & graviter indigentem non teneri ſolvere penſionem, ſi foro cedat, quia id videtur concedi *cap. Odoardus de ſolution.* ſed contradicunt *Covar. Gomeſ. Gutt. Garc. Ventrig. Lott.* maximè ſi obligarit ſe vel ad ſolvendum vel ad reddendum beneficium. V. Leur. *qu.546.*

1161 §.3. Si beneficium penſione gravatum vacet, tenebitur, quiſquis fructus percipiet, ſolvere penſionem, *Garc.* & alii cum Leur. *q.552. & 555.* Similiter *Nav. Bonac. Barb. Garc. Caſtrop. Conrad. Lott. Ventrig. Tond.* docent contrà *Gutt. Tol. Monet.* & alios, Capitulum teneri ſolvere penſionem impoſitam fructibus, qui aliàs beneficio vacante vel beneficiato abſente jure accreſcendi dividuntur inter alios. V. Leur. *qu.* 553. 554.

1162 §.4. Si penſiones non ſint ſolutæ à priore beneficiato, tenentur ejus hæredes: ſi ibi non poſſint, & penſionarius probet ſe non neglexiſſe ſuis temporibus, monere, putant plures cum *Caſtrop. Lott. Luca, Ventrig.* ſucceſſorem teneri ad penſiones præteritas, tum quia onus illud videtur eſſe impoſitum, non hujus vel illius anni fructibus, ſed quibuſcunque uſque dum ſolvatur penſio, tum etiam quia Superior videtur ab initio ad hoc obligaſſe penſionarium & ſucceſſores. V. Leur. *qu.556. & ſeqq.* Item *qu.582.* notatque etiam *qu.559.* cum *Mareſch. Gig. Tond. Lott.* contrà *Luca* & alios *n.951.* relatos, quamvis fructus beneficiorum non exacti à beneficiato fortè non poſſint exigi ab hærede, tamen ab hærede penſionarii exigi poſſe penſiones non exactas. Vide dicta *n.951.*

1163 §.5. Si beneficiatus penſiones trium annorum ſequentium anticipatò ſolverit penſionario, qui hoc anno penſionem reſignet Cajo, putat *Gig.* beneficiatum non teneri ſolvere aliquid Cajo pro illis tribus annis, quia penſionarius non potuit Cajo dare jus, niſi quod habebat: non habebat autem ad penſiones trium annorum ſequentium, quia hoc jus erat extinctum per anticipatas ſolutiones: Contradicunt Az. Caſtrop. Leur. *q.583.* quia ſicuti ſi Titius poſt elocatos fructus ſui beneficii ad tres annos & ſolutiones anticipatò acceptas hoc anno moreretur, ſucceſſor Titii poſſet à conductore petere fructus, aut etiam hunc expellere, ita videtur eſſe hìc; manet tamen actio ipſis ad repetendas ſolutiones prætitas.

1164 §.6. Si penſionarius moriatur ante terminum ſolvendæ penſionis, beneficiatus tenetur ſolvere hæredibus pro rata fructuum perceptorum vivente penſionario, *Ricc. Tuſc. Tond. Lot. Luca, Ventrig.* contrà alios. Vide Leur. *qu.560.* Annus autem incipit currere à die conſtitutæ penſionis, Leur. *qu.561.* Et locus, in quo ſolvi debet penſio, eſt ubi fructus percipiuntur, in quo ſi fiat proclamatio & penſionarius non compareat, beneficiatus non eſt in mora culpabili, Bart. Garc. Corr. Caſtr. Leur. *q.562.*

1165 §.7. Si penſio dicatur ſolvenda determinatè in tot ducatis auri de Camera, & ſolvenda ſit in Romana Curia, debet in hac determinatè ſpecie ſolvi; ſi extrà Curiam, ſufficit ſolvi æquivalens; ſi ſimpliciter dicatur ſolvenda in tot ducatis, &c. ſatis eſt dari ducatos uſualis monetæ, quia in obſcuris minimum ſequimur, Gratian. Ventrig. Leur. *q.363.* Si valor ducatorum mutetur, penſio ſolvi debet, vel in ſpecie ducatorum, vel in moneta æquivalente ducatis pro tempore ſolutionis, Gig. Lott. Ventrig. V. Leur. *q.564.* Si penſio ſit conſtituta alternativè, vel in tot ducatis vel in tot modiis frumenti, videtur eſſe in electione penſionarii, ut ſolvatur hoc vel illud, quia in ejus gratiam conſtituta eſt penſio, Corr. Leur. *q.565.*

1166 §.8. Si penſio ſit impoſita uni beneficio, quod poſteà diſmembratur tantùm quoad fructus, retinens beneficium tenetur ad totam penſionem; ſi diſmembretur etiam quoad titulum, ita ut ex uno fiant duo beneficia, putant *Seraph. & Barb.* apud Leur. *qu.567.* ſingulos beneficiatos obligari in ſolidum, hinc penſionarium poſſe à quo volet exigere totam penſionem; ſed videtur rationabilius, ut uterque concurrat pro rata, ad eum modum, quo *n.1140.* diximus pro rata ſolvendum, ſi penſio ſit conſtituta ſuper pluribus beneficiis.

§.9. Beneficiatus tenetur ſolvere procuratori oſtendenti 1167 mandatum penſionarii, & aſſerenti hunc adhuc vivere, quia hoc præſumitur etiam uſque ad 100. annos, niſi adſint conjecturæ probabiles de morte. Lott. Tond. Vide Leur. *q.584.*

Q.183. Quandonam exigi poſſit penſio? Reſp. Non poteſt 1168 exigi vel ſolvi ante completam expeditionem litterarum, niſi in hoc diſpenſetur, alioquin ex decreto *Clementis VIII.* impoſitio penſionis eſt ipſo jure irrita, uti & tunc, ſi ceſſante impedimento litteræ illæ non expediantur intrà 9. menſes ultrà montes, & intrà 6. citrà montes, *Az. Garc. Barb. Caſtr. Lott. Ventrig. Luca*; vide tamen Leur. *p.3. q.653. n.2. & 3.* Et nequidem pro foro interno licitum eſt priùs exigere, *Azor. Caſtrop.* contrà *Gig. Mandoſ. Rebuff. Sanch.* Nec juvat expeditio poſteà ſequens, Lott. Corr. Leur. *qu.585.* Litteræ autem exhiberi debent, uti pluribus explicat Leur. *q.587.* Et poſtmodùm exigi poſſunt fructus reſpondentes diei conſtitutæ penſionis, Luca Leur. *q.585. num.12.* An autem poſt mortem penſionarii exigi poſſint penſiones ceſſæ, ab eo in vita non exactæ, vide dicta *n.951. & 1162.*

Q.184. Quid notandum ſit circa translationem penſionis? Reſp. ſeqq.

§.1. Poſſunt transferri penſiones ab una in aliam perſo- 1169 nam, uti habet communis cum Leur. *p.3. q.607.* & tum ad vitam penſionarii conſtituitur novum jus ad penſionem, Pariſ. Az. Garc. Caſtrop. Lott. Leur. *q.608.* Et qui fuit fidejuſſor primi penſionarii, non ideò eſt ſecundi, Garc. Caſtrop. Leur. *q.609.* contrà *Lott.* Similiter poſſeſſio primi penſionarii non tranſit ad ſecundum, quamvis, ſi primus habuerit longiſſimam poſſeſſionem, præſumatur titulus, Garc. Lott. Leur. *q.610.* Nec ideò poteſt ſecundus penſionarius transferre penſionem, quòd id potuerit primus, quia fuit privilegium perſonale, Pariſ. Lott. Corr. Leur. *qu.611.* Eſtque translatio hæc plerumque odioſa, ideoque non extendenda, iidem AA. cum Leur. *q.612.*

§.2. Solus Papa poteſt concedere penſionem cum poteſta- 1170 te transferendi in alium, Pariſ. Gamb. Garc. Caſtr. Lott. Leur. *qu.613.* Cauſæ autem ſunt, vel affectus Papæ erga penſionarium, vel dignitas penſionarii, vel neceſſitas, ut penſio poſſit prodeſſe tertio, cui impenditur: vide Leur. *q.614.* Poteſtque talis translatio fieri etiam in articulo mortis, neque hìc locum habet Reg. de infirmis intrà 20. dies morientibus: fieri tamen debet ab infirmo abſolutè, & non ſub conditione, ſi moriatur, Garc. Corr. Lott. Leur. *q.616. & 622.* qui tamen putat cum Pariſ. & aliis poſſe pro translatario addi hanc conditionem, *Ex tunc cùm fuerit clericus*: Eſtque ſub pœna nullitatis ſervanda forma translationis præſcripta in indulto, Corr. Lott. Leur. *q.660.* Et ſi fiat coram Judice vel executore, exhibendæ ſunt litteræ, quibus conceſſa eſt facultas, aliaque plura obſervanda, de quibus vide Leur. *q.617. & ſeqq.* An autem requiratur conſenſus beneficiati gravati aut Patronorum; Item an fieri debeat mentio qualitatis beneficii vel onerum illi annexorum; item pacti, quod fortè injerunt de non transferendo, explicat Leur. *qu.623. & ſeqq.* poſſuntque videri dicta *nu.1123. & à nu.1151.* Denique quandonam ceſſet conceſſa facultas transferendi, habet Leur. *q.615.*

§.3. Qui poteſt transferre totam penſionem, poteſt, per 1171 ſe loquendo, transferre tantùm partem unam & alteram retinere, *Gig. Corr. Garc.* Qui autem poteſt transferre, v.g. tantùm quoad 50. ducatos, ſi transferat ad 60. valet, ſed tantùm quoad 50. *Corr. Lot.* V. Leur. *qu.626.* Poteſtque fieri translatio pro tempore futuro, ante quod prior penſionarius potuit pro ſecuritate ſua accipere aliquot anticipatas ſolutiones, Gig. Luca, Leur. *q.628.* De cætero, transferens cenſetur voluiſſe ſtatim transferre pro rata termini currentis; niſi aliud expreſſerit, Pariſ. Lott. Leur. *qu.633.*

§.4. Penſionarius retento jure penſionis poteſt propria 1172 authoritate transferre totum commodum temporale penſionis, etiam cum pacto de re temporali ejus loco habenda, ſic enim tantùm cedit ei fructus, qui ſunt vendibiles, Lott. Luca, Leur. *q.627. 629.* Non poteſt tamen penſionem ipſam transferre pro pretio, quia Papa id prohibet: quòd ſi fiat, & ſupponamus penſionem non eſſe aliquid ſpirituale, ſecundùm dicta *n.1118.* etiam non erit ſimonia, etiamſi vendat.

§.5. Non obligat litigioſitas, quominùs poſſit transferri 1173 penſio, quia vitium litigioſi non afficit penſionem primi, quæ extinguitur, nec ſecundi, quæ priùs conſtituitur: imò nequidem opus eſt fieri mentionem litis, Lott. Leuren. *qu.* 630. 631.

§.6. Translatio non poteſt fieri niſi in talem, qui capax 1174 eſſet primò habendi penſionem, ſecundùm dicta *à num.1141.* Caſtrop. Corr. Lott. Leur. *q.632.* Debetque translatio penſionis

intrà tres menſes intimari illi, qui debet ſolvere, Gig.Caſſad. Pariſ.Az.Leur.*qu.*634. Et tum ſecundo penſionario aperta eſt eadem via exe cutiva agendi ad ſolutionem penſionis, ſecundùm dicta n.1154.etiam intentando regreſſum ad beneficium. Vide Leur.*q.*635.*& ſeqq.*

De translatione penſionis reſervatæ alicui, v.gr. Hiſpano, ſed ſolvendæ in utilitatem alicujus v.g. Itali, vide Leur.*q.*661.

1175 *Q.*185. *Quid præterea notandum ſit circa amiſſionem vel extinctionem penſionis?* Reſp.Seqq.

§.1. Ob delictum privatus omnibus Beneficiis non ideo privatur penſionibus, quia non veniunt nomine Beneficii; Gratian.Tond.Luca, Leur.*p.*3.*qu.*638. Hæreticus tamen privatur penſionibus, quod etiam ad filios & nepotes extendunt Sanch. Lott.Ventrig. Vide Leur.*q.*639. Sed alia crimina, uti & irregularitas, non privant penſionibus, Luca, Leur. *q.*640. Privat tamen bannum capitale per annalem contumaciam confirmatum, quia talis eſt civiliter mortuus, Gamb.Lott.Luca,Leur. *qu.*641.

1176 §.2. Non geſtans habitum clericalem tanto tempore, ut ab omnibus reputetur laicus, ipſo facto amittit penſionem excedentem 60.ducatos de camera, per Conſtit. *Sixti V. Paſtoralis*, Barb. Lott.Ventrig.Luca, Leur.*qu.*642. Vide dicta num. 1143. Item amittit exercens per ſeipſum officium ſæculare criminale, uti volunt aliqui, quamvis Luca dicat talem venire tantùm privandum; Item ſuſcipiens feudum à laico, quia reipſa ſuſcipit militiam, Luca Leur. *q.*643. Item aſſumens militiam ſæcularem, quia ſi non ſit in Sacris conſtitutus, cenſetur per eam receſſiſſe à Clericatu, Pariſ. Ventrig. Luca. Et quidem amittit, quamprimùm nomen ejus relatum eſt in matriculam, uti volunt Riciul. Ventrig. Luca contra Rebuff.Az. Caſtrop.Tond.Lott.qui etiam probabiliter dicunt, cùm facilè poſſit à militia recedere, eſſe monendum, & ſi non recedat, eſſe privandum. Vide Leur.*q.*644. Item iniens Matrimonium, etiam irritum & non ſecuta copula, & quamvis ſponſa poſteà intrà duos menſes ingrediatur Religionem, quia ipſe jam abjecerat Clericatum. Lott.Ventrig. Vide Leur.*qu.*645.*& ſeqq.* Item profitens in Religione amittit penſionem Beneficio ſæculari annexam: retinent tamen ſcholaſtici Societatis JESU, Sanch.Caſtrop.Leur.*q.*648.

1177 §.3. Aſſumptus ad Papatum vel Cardinalatum non amittit penſionem attamen amittit adeptus poſſeſſionem Epiſcopatus veri & non nudè titularis: quod etiam dicunt plerique de aſſumpto ad Abbatiam. Vide Leur.*q.*649. *& ſeqq.* Putat etiam Caſtrop. ſi penſionarius accipiat beneficium, ſuper quo habuit penſionem, hoc ipſo hanc extingui, ſed contradicit Az. nam ſi beneficio privetur, aut coactus illud dimittat, remanet ei penſio, ergo dicendum eſt fuiſſe tantùm ſuſpenſam, & non extinctam, Vide Leur.*q.*654.

1178 §.4. Si penſionarius aliunde acquirat alimenationem, ceſſat penſio conſtituta ab Epiſcopo; non tamen à Papa, Luca, Leur.*q.*655. Et univerſaliter quamvis ceſſet in illo, cui conceſſa eſt penſio, certa qualitas, v.gr.Decanatus,non ideò ſemper ceſſat penſio, quia talis qualitas non ſemper fuit cauſa conceſſionis, Luca, Leur.*q.*656. Nec ceſſat penſio, quamvis alteretur Beneficium, v.gr. ſi de ſimplici fiat Curatum, Luca, Leur.*q.*657. Nec ceſſat, ſi Papa, qui abſolutè fecit gratiam penſionis etiam pro tempore futuro priùs habendæ, moriatur, antequam executioni ſit mandata, tum enim adhuc debet executor eam complere: ſi tamen fuiſſet conditionalis, & Papa ante conditionem impletam moreretur, penſio non haberet locum, Luca, Leur.*q.*658.

1179 §.5. Si penſio ſit aſſignata Titio in utilitatem Caii, ceſſat moriente Cajo, niſi in alium ante mortem tranſtulerit: Item ceſſat moriente Titio, niſi ſimiliter in alium tranſtulerit,Pariſ. Az.Garc.Caſtrop.Lott.Ventrig.Vide Leur.*q.*661.*& ſeqq.*

1180 §.6. Ceſſat penſio ex parte vel ex toto,ſi penſionarius, qui illa gaudet, remittat gratis, non interveniente pecunia vel re temporali, ut remittere poteſt, ſi non ſit deſuper ordinatus, Azor.Barb.Caſtrop.Tond.Lott.Luca. Vide Leur. *q.*664.665. Ex eo autem, quòd penſionarius etiam 30. annis non exegerit, non ſemper præſumi poteſt remiſiſſe, Luca, Leur. *qu.* 666. Perdet autem poſſeſſionem exigendi, ſi beneficiatus neget ſolutionem,& penſionarius ad 10. annos nihil obmoveat, Covar.Bartol.Bald. quamvis Lott.præterea requirat, ut aliquis tertius ſit in poſſeſſione exigendi & accipiendi penſionem. Vide Leur.*q.*671.

1181 §.7. Si penſio ſemel extincta ſit,nequit reviviſcere, etiamſi beneficiatus ſe denuò obliget ad ſolvendum, quia ut imponatur penſio, requiritur Superioris authoritas, Luca, Ventrig. Leur.*p.*670.

1182 *Q.*186. *Quid circa redemptionem penſionis ſit notandum?* Reſp.Seqq.

§.1. Si penſio ſit laico aſſignata tanquam merces laboris, v.g.pro cantu in choro, poteſt propria authoritate pecunia redimi, quia eſt quid merè temporale, nec ulla lex prohibet ejuſmodi penſionem redimi, Sot. Suar. Azor. Garc. Leſſ.Caſtrop. contrà Barb. ſi autem ſit penſio Eccleſiaſtica Clerico conceſſa, poteſt penſionarius etiam propria authoritate vendere omnes fructus ejus, etiam ad totam vitam proventuros, Caj.Az.Bon. Barb.Leur.*p.*3.*qu.*667.*num.*2. Et conſequenter poſſet ſuo modo quaſi redimi penſio, ſi certæ pecuniæ darentur, quæ eſſent veluti anticipatæ ſolutiones vel 6. vel 7. annorum, conſiderata ætate & complexione penſionarii, reipſa enim tunc tantùm eſt contractus ſponſionis, ſecundùm proportionem ſpei lucri & metus damni; commutando ſolos fructus cum certa ſumma pecuniæ, interim penſio ipſa ſeu jus ad fructus remaneret penes penſionarium.

§.2. Probabilius videtur, quòd penſio ipſa ſecundùm 1183
ſe non debeat ſine authoritate Papæ redimi pecuniis, licèt hæ dicantur eſſe velut anticipatæ aliquot annorum ſolutiones. Nav.Gig.Pariſ.Az.Garc.Bonac.Barb.Lott.Leur.*n.*3. Ratio eſt, quia licèt penſio fortè non ſit aliquid in ſe ſpirituale, ſecundùm dicta num.1118. tamen uſus Curiæ Romanæ habet, ut non redimatur ſine authoritate Papæ. Et ad hanc redemptionem requiri litteras Apoſtolicas, & ante expeditas dari locum pœnitentiæ, docet Lott. E contrà ſufficere ſolam ſignaturam ſupplicæ, docent Corr.Tond.Luca, Vide Leur.*q.*669.

§.3. Redemptio penſionis propria authoritate facta,ſecù- 1184
dùm Henriq.Laym.Garc.Tond.Lott. Luca apud Leur. *qu.*668. eſt abſolutè ſimoniaca; ſecundùm Az.habet ſpeciem ſimoniæ; ſecundùm Gig. & Lott.eſt ſaltem ſimoniaca, ſi penſio ſit conceſſa in ceſſione vel reſignatione beneficii, ſed probabilius tenent plurimi cum Dian.*p.*11.*t.*5.*R.*5.Haun.*de juſt.t.*6.*tr.*2.*num.* 564.nullo modo eſſe Simoniacam, imò Caj. Valent.Tol.Suar. Rayn.Leſſ.*l.*2.*c.*35.*n.*124.Caſtrop.*t.*17.*d.*3.*p.*13.*n.*10. Pirh.*l.*5.*t.* 3.*nu.*18. dicunt nullum eſſe peccatum penſionem jam antecedenter conſtitutam redimere, anticipatè ſolvendo, tum quia tantùm emitur immunitas ab obligatione quotannis ſolvendi penſionem, quæ immunitas eſt quid merè temporale, tum etiam quia penſio non eſt aliquid in ſe ſpirituale, neque illius anticipata ſolutio invenitur ulla lege prohibita, ſaltem non tanquam Simoniaca; quamvis Carbo dicat eſſe inobedientiam, ſi fiat; ſed credo pleroſque ex adductis AA. tantùm velle licitum eſſe redimere penſionem per anticipatas ſolutiones, eo modo, quo dixi num.1183. Et ita univerſaliter omnis penſio poteſt pecunia redimi, excepta illa, quæ datur in titulum Beneficii ob aliquod miniſterium ſpirituale præſtandum, aut Coadjutori Epiſcopi, aut Vicario Parochi ſenis, ita Sanc. cum Dian. *p.*4.*t.*4. *R.*153. Sic etiam redimi poteſt, quæ conceditur ſeni renuntianti Beneficium Clerico pauperi in alimentum; reſignanti vel permutanti pinguius Beneficium,dimittenti litem dubiam ſuper Beneficio.

§.4. Eſt Simonia, ſi tum, quando agitur de obtinenda 1185
vel reſervanda penſione,ineatur pactum redimendi illam,etiam illo modo, quo num.1183. explicatum eſt, quia eſſet pactum circa Beneficium tali modo & ſub ea conditione obtinendum vel dimittendum: omne autem pactum in materia beneficiaria eſt Simoniacum, ſi propria authoritate fiat, uti ſæpè dictum eſt. Hinc pactum redemptionis, ut licitum ſit, debet ſequi totam diſpoſitionem circa beneficium & conſtitutionem penſionis. Suar.Laym.Leſſ.Dian.*p.*10.*t.*14.*R.*1.Caſtrop. *num.*11. Rayn.*l.*2.*ſ.*1.*c.*10.*n.*17.Pirh.*n.*119.

DUBIUM II.

De Horis Canonicis.

ARTICULUS I.

Qui obligentur ad Horas.

REſp.I. Clerici majorum Ordinum, etiam ſuſpenſi,, 1186
excommunicati, degradati,tenentur, tum jure Eccleſiaſtico, tum generali conſuetudine Eccleſiæ. „

Dixi, *majorum ordinum*: quia minorum, non tantùm „
non ad Horas, ſed neque ad pſalmum Miſerere tenentur, „
quem, vel ſimile quid, cùm Epiſcopus primam tonſuram „
conferens injungit, non videtur obligare,niſi ut vel tantùm „
fiat aliquoties, vel per modum conſilii. Leſſ.*l.*2.*cap.*37.*d.*9. „
Unde reſolvuntur hi caſus: „

I. Tenetur ad Horas, qui cum diſpenſatione Papæ duxit „
uxorem, niſi in hoc ipſo ſit diſpenſatum; quia diſpenſatio, „
utpote odioſa, ſtrictè eſt explicanda; & ipſe characterem „
retinet. Bon.Azor.*t.*1.*l.*10.*c.*5.*q.*5. contra alios. „

II. Clericus incipit obligari à puncto Subdiaconatus ſu- „
ſcepti: & quidem ad Horas reſpondentes horæ, qua ordi- „
natur. Bon.*tr.de Horis q.*1.*p.*5. ex communi. „

Reſp. II. Omnes Religioſi profeſſi, ad chorum deſti- „
nati, utriuſque ſexus obligantur ad Horas, idque ex an- „
tiqua & recepta conſuetudine: quam tamen quidam, ut „
Aragonius putant non obligare tam ſtrictè, ut peccent mor- „
taliter, ſi bis terve omittant. Et de Monialibus dubitant „

Caj.

», Caj.Med.Armil.Dian.*p.2.t.2.R.17.* imò eas (atque ideò omnes Religioſos ſacris non initiatos)non teneri ſub onere peccati, abſolutè, ſed nimis laxè, docet P.Marchan. apud Dian. *p.9.tr.6.Reſ.7.* contra aliorum communem & veram ſententiam,quæ docet,teneri ſecundùm ſuas regulas & conſuetudines,Bon.*q.2.p.2.nu.5.*ex Az.Leſſ.Mald. &c. *Unde reſolves*:

» I. Non tenentur ad Horas. 1.Novitii. 2.Converſi. 3. Religioſi Societatis JESU,militares,hoſpitalarii, & cæteri Choro non deſtinati. Trul.*l.1.c.7.d.12.§.1.n.5.*

» II. Is qui ex una Religione tranſit in aliam, in qua non eſt hæc conſuetudo, non tenetur ; quia conſuetudo non obligat, ubi non eſt recepta, ita *Suar.& Laym.* Idem dic de Religioſo ejecto, vel qui diſpenſationem obtinuit perpetuò vivendi extra Monaſterium ; qui etſi maneat Religioſus, non tamen regularis, ita probabiliter Sotus,Sanch.Bon.*n.4.* &c. contra *Suar.*

» Reſp.III. Beneficiati, quotquot habent jus in re, & plenum dominium beneficii, ſi fructus percipiant, vel percepturi ſint, tenentur ad Horas. Leſſ.& Laym. *l.4.t.2.cap.4. num.1.* ex communi ex *Conc. Lateranenſi* ſub *Leone X.* Ratio, quia beneficium datur propter officium. *Unde reſolves*,

» I. Non tenentur ante acceptam poſſeſſionem, nec ſi ſine ſua culpa fructus nullos percipiant,nec percepturi ſint. Lay. *c.5.n.3.* quia non habent beneficium ſecundùm omnem effectum. Videntur tamen pro ratione fructuum teneri ad aliquoties legendum. Trul.*l.c.*

» II. Tenetur is, qui etſi (ſive ſine ſive cum ſua culpa) non recipiat omnes ſuos fructus, recipit tamen tantam partem, quæ ſufficit ad ſuſtentationem. Bon.*q.6.p.3.*

» III. Tenentur ii, qui primo, aut etiam ſecundo anno,non percipiunt fructus, eò quòd aſſignentur fabricæ, vel prædeceſſori mortuo,quia etiam ipſi mortui fruentur eodem privilegio, & ſic pro tota vita ſatisfaciunt fabricæ. Bon.*p.4.n.22.* Laym.*c.5.*Suar.Regin. *&c.* Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis & negat *Leſſ.* cum *Cajet.* ſe talem damnaturum, eò quòd vel reſignare, vel mori ante poſſit, & ſic non frui anno gratiæ. Laym.*l.c.* Palaus *tr.7.diſp.2.p.1.§.2.n.19.* Trul.*d.13.§.3.*

» IV. Tenentur & ii, qui habent beneficium tenue, octo v.g. vel decem aureorum, quia jura omnibus indiſtinctè obligationem Horarum imponunt, ſicut iis, qui ſunt in majoribus Ordinibus, ita probabiliter Sylv.Az.Suar.Palaus, *nu.9.*Bon. *q.2.p.4.n.17.*& comm.contra Sot.Led.Rod.&Dian.*p.2.tr.12. Reſ.9.* Mald.qui dicunt, ſi habet beneficium tam tenue, ut tertiam partem mediocris ſuſtentationis alicujus Clerici non adæquet, non teneri, v.Dian.*l.c.*Eſc.*t.5.E.7.c.13.*quorum ſententiam non damno,v.Trul.*d.12.§.5.*ubi notat eum, qui habet plura beneficia tenuja, ex quibus competentiam habeat, teneri ad Horas.

» V. Non excuſatur, qui primis annis parum recipit, eò quòd fructus expendat in ſubſtitutum, quia Horarum onus beneficio annexum eſt perſonale, cum quo ſpontè acceptatur. Bon.*loc.cit.* ex Azor.*tom.1.lib.10.cap.4.qu.4.* Vaſquez Fill. *&c.*

» VI. Si filius à patre coactus ad ſtatum Eccleſiaſticum, percipiat ipſe fructus, tenetur ad Horas ; ſecus, ſi percipiat pater : hic verò ad reſtitutionem obligatur, Laym.*nu.2.*ex Leſſ.*l.2.c.34.d.31.n.174.*

» VII. Probabile eſt, eum qui non reſidet ex legitima licentia, vel diſpenſatione, ideoque fructus non recipit, non teneri ad Horas, quia obligatio hæc eſt propter ſuſtentationem datam. Trul.*d.13.§.3.*ex Sanch.*&c.*

» VIII. Non tenentur, qui habent præſtimonia (quæ ſolent dari adoleſcentibus, in ſubſidium ſtudiorum) eò quòd non ſint propriè dicta beneficia, ita *Medin.Garc. & Leſſ.* contra *Nav.Sotum & Rodriq.* Rectè tamen monet Laym. *num.6.* conſiderandam rationem præſtimoniorum ; Quòd ſi enim dentur in titulum perpetuum, & habeant annexum aliquod obſequium ſpirituale, quod per laicum expediri nequit, eſſe beneficia Eccleſiaſtica, proindeque, obligare ad Horas : ſecus, ſi conſiſtant in ſolo temporali obſequio. Similiter non tenentur penſionarii, cùm penſiones non ſint propriè dicta beneficia, ut *dubio præced.* videri poteſt : Quod limitat Eſcob. *t.5.E.6.c.3.* ex Palao *l.c.n.6.* ſi fruantur penſione ob ſæcularia obſequia; ſecus, ſi titulo Clericali. Denique, neque tenetur Coadjutor, ſi non adminiſtrat, quia obligatio tenet proprietatem, Palaus *num.7.* Eſcob.*l.c.* v.Laym.*n.9.*

» IX. Etſi habens plura beneficia ſatisfaciat unica recitatione Horarum, tenetur tamen tot facere commemorationes, quot ſunt beneficia, ſeu Patroni beneficiorum ; quia par eſt omnium ratio Bon.Trull.*n.27.*

ADDENDA.

Quæſt. 187. *Quid præterea notandum ſit circa eos, qui tenentur ad Horas ?* Reſp.ſeqq. 1187

§.1. Qui ordinatur, tenetur iſta die ſaltem ad Veſperas & Completorium, uti contra Neuſſ.& Leand. apud Dian. *p.10. t.11.R.16.* docent communiter omnes, Tenentur autem incipere orare eam Horam, quæ in choro tum dicenda eſſet, Az. Stoz *l.1.p.3.n.401.* Quòd ſi ordinetur hora undecima, non tenetur eo die orare Matutinum, Laudes, Primam, Tertiam, ſed poteſt incipere à Sexta, Caſtrop.Gob. *in Exp.t.5.n.561.* imò probabile eſt cum *Bonart.* teneri tantùm recitare à Veſperis, quia in choro eouſque recitatæ ſunt Horæ.Quòd ſi recitaris ante ſuſceptionem Ordinis, probabiliùs videtur cum *Bonac.Caſtrop.& Stoz* te obligari iterùm orare, quia non ſatisfit per ſolutionem factam antequam ſit obligatio, niſi ſpecialis conventio interveniat, tamen etiam probabiliter ſatisfactum eſſe dicunt Lugo, Tamb. *in Decal.lib.2 c.5.§.5.n.9.* Gob.*ſupr.*Trull. apud Dian.*p.6.t.6.R.38.* quia eſt veluti anticipata ſolutio debiti certò prævifi& in propinquo obligaturi,unde etiam cenſeri poteſt jam moraliter adeſſe, & fieri poſſe ſolutionem illius.

§.2. Dubitans, an rectè ſit ordinatus, ſecundùm Tamb. 1188
l.1.c.3.§.7.v.Ordo, non tenetur orare, quia certa libertas non orandi, quæ fuit ante ſuſceptum Ordinem, videtur poſſidere contrà obligationem, quæ ab Ordine deberet proveniſſe, ergo cùm tantùm ſit dubia, videtur cedere certæ poſſeſſioni libertatis. Huic rationi non fidit Gob.*t.8.à n.203.* unde videtur dicendum, ſi in aliis rebus habeat ſe pro ordinato, etiam teneri orare, maximè quia in dubio eſt præſumptio pro valore actus ſive Ordinis ſuſcepti.

§.3. Religioſos choriſtas,ſive choro deputatos,tam viros 1189
quàm fœminas non teneri ſub mortali ad Horas Canonicas privatim recitandas, ſi abſint à choro, docuerunt plures apud Mendo *d.7.q.2.*& apud Gob.*t.5.à n.659.*quam ſententiam probabilem eſſe dixerunt Rodriq.Bordon.Caram.Leſſ. *in auct. v. Horæ Canonicæ,caſ.14.*nam non teneri ratione profeſſionis præciſè,docent Caj.Arm.Med.Ledeſm.& alii cum Sanch. *in Conſ. l.7.c.2.d.3.num.5.* alioquin etiam Fratres & Sorores laicæ tenerentur, quod negat ſententia communis cum Sanch.*num.13.* An autem teneantur ratione conſuetudinis, non eſt adeò exploratum, uti fatetur Caj.Arm.Palac.& alii apud Sanch. *nu.4.* Nihilominus teneri ex univerſali conſuetudine docet cum communi Sanch. *num.6.* Tamb. *lib.2.c.5.§.1.num.13.* Buſemb. *ſuprà*, & quidem ab hora emiſſæ profeſſionis, ut notat *Stoz* ita ut *Regin.*opinionem contrariam vocet temerariam, *Sanch.* non probabilem, *Diana* prorſus improbandam : notant tamen etiam rectè AA. cum Sanch. & Illſ. *t.5.num.37.* attendenda eſſe ſtatuta & receptam conſuetudinem in quovis Ordine. An verò profeſſus ad chorum poſſit tranſire ad ſtatum laici & ſic non obligari ad Horas, dubium eſt ; negant Nav. Portel.& alii, ſed probabiliùs affirmant Sanch.Tamb.*num.15.* Mendo *num.16.* quia eſſe adſcriptum choro non oritur ex profeſſione, ſed ex voluntate profeſſi & Prælati, ergo his conſentientibus poteſt fieri mutatio ſtatus, & conſequenter obligationis illi annexæ: Eremitas autem non teneri ad Horas ſatis certum eſt cum Sanch. *num.11.* cùm nec ſint Clerici nec deputati choro.

§.4. Burgh.*cent.3.caſ.22.* putat Moniales per bellum Mo- 1190
naſterio expulſas non obligari ad Horas. 1. Quia Religioſus fugitivus aut ejectus non obligatur, ergo nec Monialis ejecta per bellum. 2.Quia multi docent nequidem in Monaſterio obligari ſub mortali. 3. Quia etiam docent multi nullum Religioſum non conſtitutum in Sacris obligari, ſi ſit extra Monaſterium. Oppoſitum abſolutè tenendum eſt cum Suar.*de Horis c.17.n.9.* Caſtrop.*t.7.d.2.p.1.§.3.n.5.* & pleriſque aliis, quia manent Religioſæ, Religioſi autem tenentur, uti dictum eſt *n.*1189. De fugitivis & ejectis dicetur *nu.*1191. De Canoneſſis dictum eſt *n.*232.

§.5. *Buſemb.*ſuprà dicit Religioſos ejectos aut cũ diſpen- 1191
ſatione extra Monaſterium habitantes non teneri ad Horas : idem dicunt alii de Religioſis fugitivis, quia licèt maneant Religioſi, conſtituuntur in ſtatu, in quo non eſt conſuetudo recitandi: ſed meritò contradicunt, ſaltem de fugitivis, Nav.Suar. Az.Leſſ.Laym.Fill.Caſtrop. *nu.5.* Quoad ejectos autem docet Sanch.*d.4.* ſi per ipſos ſtet, quominus iterum admittantur, teneri, quia culpa nemini debet ſuffragari; ſi per ipſos non ſtet, fatetur cum *Sot.Leſſ.Philiarch.Sa,Sayr.Henriq.* contra *Nav. Rodriq.Azor.Caſtrop.* non teneri. Addit autem cum *Nav.* & aliis diſpenſatum ad habitandum extra Monaſterium teneri, non aliter ac ſi manens in Monaſterio diſpenſaretur à choro, niſi ſimul diſpenſatus eſſet in aliquo voto Religionis, v.gr. ut poſſet uxorem ducere, tunc enim mutaret ſtatum.

§.6. Beneficiatus non ſatisfacit, ſi non oret per ſe ip- 1192
ſum, ſed per alium, uti dicetur *nu.*1228. Et quidem tenetur orare beneficiatus, quamvis animum haberet non percipien-

di fructus, ſed dandi pauperibus, quia obligatio recitandi eſt impoſita abſolutè & antecedenter ad obligationem reſtituendi, quæ ſequitur velut pœna tantùm, uti pluribus evincit Lugo *in Reſp.Mor.l.5. d.6.* An & quando reſignans aut reſignatarius teneatur ad Horas dictum eſt *n.964.*

1193 §.7. Si quis injuſtè privetur fructibus ſine ſpe eos recuperandi, putat cum aliis Bonac.*de Horis d.1.q.2.p.4.n.25.* teneri ad Horas, alii probabiliùs dicunt teneri, ſi habeat ſpem emolumentorum fundatam in titulo præſenti, uti innuit Lugo *d.5. num.12.*& ideò dicunt Suar.*c.20. nu.10.& 11.* Lugo *d.6.num.5.* aliique, ſi beneficiarius non percipiat fructus hoc anno, adhuc teneri, ob ſpem percipiendi fructus annorum ſubſequentium, quæ ſpes eſt pretio æſtimabilis, & cum titulo ac poſſeſſione ſufficit, ut obliget ad officium. Etiam ille tenetur orare, qui acceptat beneficium cum onere per aliquot annos ſolvendi reſignatario omnes fructus pro penſione : ſimiliter, qui habet beneficium, cujus fructus non percipit, quia non reſidet, quia per ipſum ſtat, quominùs percipiat, Suar.*num.12.* Lugo *num.4. & alii*. Limitant *Sanch. & Buſemb.* ſuprà, niſi abſit cum licentia & diſpenſatione, v.gr. in ſtudiis, quod Gob.*in append.poſt nu.596.caſ.1.* dicit probabile eſſe,ſed hanc limitationem meritò rejiciunt Azor. & Tamb.*c.5.§.1.num.23.* quia habet beneficium & jus ac poteſtatem percipiendi fructus, ſi velit.

1194 §.8. Canonici, qui ad diſſolvenda debita olim contracta debent per 4.vel 5.primos annos carere fructibus, non tenentur orare ſecundùm Gob.*n.585.* ſi tamen poſt mortem hæredes eorum participent fructus unius anni, tenentur etiam uno anno orare, priuſquàm participent fructus, uti rectè Caſtrop.§.2. *n.13.* quamvis de hac praxi dicat ſe cum ratione dubitare Gob. *n.576.* & Laym.*l.4.t.2.c.5.n.4.* dicit probabile eſſe, quod non teneantur, præſertim ubi eſt talis conſuetudo non orandi; ſed non video, quid excuſet, nam fructus reſpondentes tempori, quo poſſederunt, reipſa percipiunt, & in vita poſſunt diſponere de iis poſt mortem percipiendis. Quòd ſi aliquis ſit nimis juvenis, ideoque debeat fructus cedere alteri deſervienti pro ſe, tenetur orare, quia quod non percipiat, non eſt defectus beneficii, ſed ipſius, Caſtrop.*num.10.*Gob.*n.577.*

1195 §.9. Si beneficium initio fuerit pingue,ſed ſucceſſu temporis reddatur tenue, vel caſu vel malitia alterius, ita ut non afferat tertiam partem ſuſtentationis, etiamſi per unum vel alterum tantùm annum duret cum ſpe plenorum poſteà fructuum, aliqui cum Caſtrop.*num.18.* & Gob.ſupra dicunt pro eo tempore non teneri ad Horas, ſed contradicunt *Suar.*& alii, quia retinet jus ad meliores fructus proximo tempore, & tempus unum compenſatur per alterum : ſi tamen beneficium eſſet factum tenue ſine ſpe melioris, Tamb.*num.26.*non obligat, quia tunc nec habet fructus, nec jus utile ad illos. Suar.*c.21. n.10.*dicit indubitatum eſſe, quòd ille, qui accipit quintam partem, & reliquum relinquit deſervienti, teneatur orare, quia beneficium reſpectu ipſius eſt tale, ac ſi nullum haberet ſervitium adjunctum, ſi autem ſit tale, docet *num.9.*non poſſe moraliter habere tam tenues fructus, quin obligetur ad recitandum. Quòd ſi eſſent ſervitia annexa,quæ ipſe expleret, & beneficium non afferret fructus ſufficientes pro tertia vel quarta parte ſuſtentationis, cenſet *n.11.* eſſe valdè probabile & ſecurum, quod non obliget ad recitationem. Addit Platel. *p.3. nu.826.* licèt tenuitas beneficii non omninò excuſet ab Horis, cùm beneficium ſit propter officium, quod ſæpè non eſt aliud, quàm recitatio Horarum, probabiliter poſſe eſſe tam tenue,ut ſolùm obliget ad eas aliquoties in ſeptimana recitandas, v.gr. Dominicis & Feſtis, uti juxta Leſſ.*de juſt.l.2.c.34. num.169.* ſi non excedat 15.aut 16.aureos : item juxta varios, ſi non attingat tertiam partem moderatæ ſuſtentationis, quam ſi attingat, inducit obligationem quotidianæ recitationis ; & ita cenſent DD.communiſſimè, quia hoc eſt conforme tum ſenſui Eccleſiæ ſimpliciter precipientis omnibus beneficiatis recitationem Horarum, tum intentioni Fundatorum rationabiliter præſumptæ, qua cenſentur hoc onus impoſuiſſe poſſeſſori beneficii à ſe fundati, qui ſi non velit ſubire, illud dimittat, non enim deerunt, qui ſub illo onere beneficium acceptent. Ita ille.

1196 §.10.Quandonam fructus beneficii dicantur eſſe ita tenues, ut non inducant obligationem recitandi, præter jam dicta refert varias ſententias Moya *t.1.tr.2.d.2.q.4.* Quando autem dubitatur de tenuitate ſufficiente ad excuſandum, *Caram.* dicit non eſſe obligationem recitandi, quia libertas eſt in poſſeſſione, quæ ligari non debet per ſupervenientem obligationem incertam : *Vaſq.*dicit eſſe obligationem, quia certus eſt ſe habere beneficium, ergo poſſidet certitudo beneficii, cui ſemper adjuncta eſt obligatio recitandi, tenuitas autem, quæ deberet excuſare, eſt incerta : Tamb.*l.1.c.3.§.7.v.Beneficiarius, n.2.* dicit utrumque eſſe probabile ; ſententia tamen *Vaſq.*eſt abſolutè probabilior & tenenda.

1197 §.11. Qui habet Capellaniam laicam tantùm, ideſt,erectã ſine authoritate Epiſcopi, & quam laici conferunt, vi illius non tenetur ad Horas, *Caſtrop.Tamb.* Similiter qui invalidè accipit beneficium, non tenetur ad Horas, quia non habet titulum beneficii, &quamvis oret, non facit fructus ſuos, *Tamb.*

§.12. Si fundatio habeat, *Volo, ut proximus de ſanguine præſentetur, quamvis ſeptem annorum, dummodò Clericus, ita tamen ut ante annum 12. non obligetur ad Horas,* 1198 poteſt Epiſcopus approbare, ſecundùm dicta *n.808.* nec talis tenebitur ad Horas ante annum 12.

§.13. *Palac.Turrecr.Sot.Pariſ.*& alii docent, ſi lis moveatur poſt titulum collatum ſed ante captam poſſeſſionem beneficii non eſſe obligationem recitandi, hinc ſi neuter litigantium poſſideat,neutrum obligari dicunt Suar.*cap.16.anu.7.* Fill.*t.23.c.5.n.159.* Bonac.*ſuprà,* Caſtrop.*n.25.* Tamb.*l.2.c.5.§. 1.n.31.* aliique communiter contrà Nav.& Sanch. *in Conſ.l.2.c. 2.d.76. num.6.* qui putant etiam ſine poſſeſſione eſſe obligationem, quia habito titulo plenè habetur beneficium, ſecundùm dicta *n.450.* Ratio priorum eſt, quia uterque non obligatur, cùm uni beneficio reſpondeat unum tantùm onus orandi; nec ratio eſt, cur unus teneatur præ altero. Quòd ſi lis moveatur poſt poſſeſſionem beneficii, hunc, qui poſſidet, obligari, tenet communis cum Bonac *ſuprà*: conſentit Caſtrop. *num.23.* ſi beneficium adminiſtret & ſperet moraliter certò fructus ſaltem ſervitio reſpondentes ſibi eſſe applicandos : conſentiunt etiam Lugo *d.5.num.12.*Tamb.*n.29.* ſi vel fructus percipiat, vel ſpes eos evincendi ſit moraliter certa, aut ſi interim percipiat emolumentum intuitu beneficii, nam ſpes certa moraliter æquivalet poſſeſſioni pacificæ, cùm æquè ſecuturi ſint fructus, & qui ſentit emolumentum, etiam debet ſentire onus, unde talis habet ſe ſaltem ſicuti ille, qui beneficio deſerviret etiam ad Commendam temporalem tantùm, quem, ſi fructus percipiat, teneri ad Horas docent Suar.*c.22.n.14.* Bonac, *nu.2.* Lugo *ſuprà*, quia ſubrogatur loco beneficiarii cum tota ejus obligatione. E contrà ſi ita poſſideat, ut tamen ob litem ſequeſtrentur omnes fructus applicandi illi, qui vincet, ipſe autem dubitet de ſucceſſu litis, neque per eum ſtet, quominus feratur ſententia, non teneri putant multi cum Tamb.*n. 30.*nec audet hoc reprobare Lugo *n.14.* quamvis nihil abſolutè aſſerat, quia nemo debet obligari ad onus certum propter mercedem incertam. *Nec obſtat*, quòd Parochus teneatur, v.g. ad adminiſtranda Sacramenta, quamvis ejus poſſeſſio ab initio ſit debita, *nam* hæc onera ſunt magis intrinſeca beneficio curato, ideoque videtur ſe voluiſſe ad hæc obligare etiam pendente lite, ut cenſeri poſſit inhærere beneficio, onus autem Horarum eſt extrinſecè annexum ab Eccleſia & ob cauſam ſeparari poteſt. Quòd ſi beneficiarius, qui non recitavit Horas, poſteà evincat litem, fructus omnes ſequeſtrati ſunt ipſius, Lugo *num.5.* contrà Salas, qui dicit poſſe quidem inde ſolvere expenſas litis, ſed reliquum debere impendi pauperibus vel piæ cauſæ, quia non oravit Horas ; ſed ratio *Lugonis* eſt, quia obligatio reſtituendi impoſita eſt ut pœna ob culpam omiſſæ recitationis, uti ex communi probat Lugo *n.6.* hic autem nulla præceſſit culpa, quia non peccavit omittendo pendente lite, uti dictum eſt, unde ſicuti beneficiarius juſtè percipit fructus à tempore vacationis beneficii vel collationis, quo necdum ceperat, neque per culpam ſuam diſtulerat poſſeſſionem, quo tamen tempore non orabat, ita multò magis poſteà percipere poterit fructus beneficii, cujus poſſeſſionem habuit.

§.14. Tenentur ad Horas etiam illi, per ſe loquendo, qui ſolum perſonatum habent, (de quo *n.226.* dictum) quia ita declaravit S.Pius V. in Bulla, *Ex proximo Lateranenſi*, ubi ſic habet, *Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones & qualiacunque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter comprehendi*, nempè cum illis, quos ante dixerat certò obligari : & nunc dubitare non licet, inquit Suar.*nu.10.* De præſtimoniis videri poteſt Buſemb. *Reſp.3.reſ.8.* 1199 1200

ARTICULUS II.

Quanta ſit hæc obligatio.

RESP. I. Eſt tanta, ut peccet mortaliter, quiſquis » habens hoc onus, Horas, vel notabilem earum partem omittit. Ita communiter omnes contrà Angelum, *v.* » *Horæ* & Richardum, qui dicunt non eſſe mortale, niſi quis » habeat conſuetudinem omittendi. Quam ſententiam *Leſſ.* » non audet dicere probabilem, quòd ſit contrà torrentem » Doctorum. Ratio, quia violat præceptum in re gravi, per- » tinente ad virtutem religionis. *Ex dictis reſolvuntur hi* » *Caſus:* » 1201

I. Non eſt mortale omittere unum pſalmum, lectionem, » vel quid ſimile, ut habet communis contra Nav. nec ter- » tiam partem parvæ Horæ, contra Azor. *tom.1.lib.10.c.7.q.3.* » & Mald. quia non cenſetur pars notabilis. Talem autem » dicit

„ dicit Palaus *t.7.d.2.p.5.n.1.* esse in Matutino, quod est æquale uni parvæ Horæ, Sanch. *in sum. l.1.c.1.n.8.* dicit tres lectiones cum responsoriis, in feriali officio esse materiam parvam: In parvis Horis, dicit *Fern. Fill. & Laym.* dimidium esse notabilem quantitatem. V. Escob. *t.5.l.6.c.3.nu.59.* ubi docet unam parvam Horam non esse partem notabilem, respectu totius officii, quod per modum unius est præceptum; Verùm hoc meritò rejicitur ab aliis.

„ II. Est mortale, si omittas vel unam integram ex Horis, „ (quarum sunt septem, Matutinum cum Laudibus, Prima, „ Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ & Completorium) vel dimidiam etiam ex brevioribus, (ut docent *Fern. Regin. Fil. Suar. Laym.* contrà *Bon. & Less.*) vel ex Matutino 9. lectiones cum „ responsoriis, ut Sanch. *c.19.nu.3.* aut partem æquivalentem „ Horæ uni minimæ, ut Suar. *de Relig. t.2.l.4.c.25.* & Gavantus; vel ut alii, unum nocturnum, v. Bon. *d.1.q.5.p.1.* Dian. *p.2.t.12.R.29. & 41.*

„ III. Sive omissio Horarum (abstrahendo à multiplicatione actuum voluntatis) sit unum numero peccatum, ut „ vult Bonac. sive sint plura formaliter, ut docet Less. *l.2.c.37. num.53.* sive unum multiplex, ut *Suar.* sive unum pluribus „ æquivalens, ut *Fill.* loquitur: probabile est, in Confessione explicandum, quot Horæ sint omissæ; eò quòd sit circumstantia tenens se ex parte objecti, & constituens actum in „ ratione sua individuali. Bonac. *n.9. Less. Suar. Fill.*

„ Resp. II. Tanta est obligatio, ut inducat ei onus restitutionis fructuum, pro rata omissionis officii, qui titulo beneficii „ ad Horas tenetur, si elapsis 6. mensibus post adeptam possessionem, (is enim, etsi graviter peccet omittendo, non tamen tenetur ad restitutionem) culpabiliter officium non recitaverit. Patet ex *Conc. Lateranensi* sub *Leone X.* Sed quia „ dubium fuit, utrum hoc Concilio esset receptum, *S. Pius V.* „ Bullam edidit, quæ est apud Nav. *cap.25.* qua hoc decretum „ confirmat, ac declarat sic, ut qui uno die totum officium „ omiserit, teneatur restituere omnes fructus illi diei respondentes, v.g. qui accipit annuè 365. florenos, teneatur pro „ uno die restituere unum florenum; qui autem omiserit Matutinum tantùm, mediam partem fructuum unius diei; qui „ reliquas Horas, etiam mediam partem, qui verò unam ex „ illis, sextam partem: Eaque restitutio facienda est vel fabricæ vel pauperibus, Laym. *l.4.t.2.c.5.nu.1.* Fill. Bon. *p.2. &c.* „ contrà de la Crux & Lopez apud Dian. *R.34.* qui dicunt, si „ beneficiatus intrà annum, per 8. vel 10. dies tantùm omittat, non teneri ad restitutionem, eò quòd sit servus liberalissimi Domini, qui multò minùs quàm domini temporales, „ ad pauca attendat. *Unde resolves:*

„ I. Clerici majorum Ordinum, qui solo titulo Ordinis, „ & quotquot alio titulo, quàm beneficii, ad Horas tenentur, non obligantur ad dictam restitutionem, quia nullos percipiunt fructus propter onus recitandi officium. „ Bon. *num.3.*

„ II. Nec ii obligantur, qui ex naturali oblivione, justo „ impedimento, bona fide, invincibili ignorantia, aut aliter absque culpa omiserunt. Ratio, quia in conscientia „ non debetur pœna, ubi non est culpa. Less. *c.34.num.183.* „ Suar. Bon. *num.4.*

„ III. Valdè probabile est, quòd qui alia onera habent, quàm „ precum, v.g. Pastores, Episcopi, &c. omittentes Horas, possint „ retinere majorem partem fructuum istius diei, ratione dictorum onerum, sufficiatque dare tertiam partem, vel quartam „ fructuum; eò quòd tantùm obligentur ad restitutionem „ fructuum, respondentium oneri divini officii. Nav. Fil. Bon. „ *p.3.* Dian. *R.8.* citans alios multos.

„ IV. Si talis Pastor habeat tenues reditus ad sustentationem, videtur ad nihil obligandus; cùm ob alia onera illi „ debeatur sustentatio. Laym. *num.5.* Imò Dian. *R.9.* & Mald. „ *tr.10.d.3.* dicunt, eum, qui habet beneficium valdè tenue, „ v.gr. cujus reditus tertiam partem mediocris sustentationis „ non adæquent, non teneri, ob Horas aliquoties neglectas, „ ad restitutionem.

„ V. Restitutio hæc fieri potest vel pauperibus amicis, vel „ aliis, vel ipsi etiam beneficiato, si pauper est. Item impendi „ potest in fabricam domus, vel meliorandos agros beneficii, „ quia hæc nomine fabricæ etiam intelliguntur, apud *Suar. & Bon.* Denique aliquando compensari potest, offerendo „ suffragia pro defunctis, aliisque precibus, ut v. Bon. *p.4.* „ & sic etiam per alium seu per officium aut preces ab alio ad „ tuam intentionem recitatas, & à te defunctis applicatas, satisfieri posse docet Quintanadv. *t.8.s.8.* Nec continuò damnandum, qui ordinariè recitare solitus, semel v.gr. vel bis in „ anno omisit, etsi nihil restituat, docet Sotus Med. Fill. *t.23. num.316.317.*

„ VI. Qui pecuniam, quam ob neglectas Horas tenetur restituere sive erogare in usus pios, impendit in alios, quàm „ vel pauperes vel fabricam beneficii, non satisfacit (secundùm jus commune, ubi Concilium Lateranense, vel Bulla *S. Pii V.* est recepta) obligationi suæ, nisi aliud ferat consuetudo, vel statutum alicubi receptum; quia differè præcipitur restitui pauperibus, vel fabricæ beneficii. V. Bon. *qu.2. p.2. & 4.*

„ VII. Posse aliquando beneficiatum excusari à restitutione (ob Horas neglectas) titulo pecuniæ expensæ, intellige post omissionem Horarum (etsi non isto intuitu) in pauperes, vel „ alios usus pios censet Dian. *p.3.t.6.R.57.* Laym. *l.3.t.1.c.12.n.9.* esse probabile; tum quod quidam AA. ita sentiant, tum „ quòd videatur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas, satisfacere per illas omnibus obligationibus, quas „ suis peccatis contraxerunt, tum quòd leges Ecclesiasticæ benignè debeant explicari. Addit Salas *de leg.d.15.s.2.num.17.* „ Vasq. Si Canonicus grossam, seu corpus sui Canonicatus, „ verè & absolutè lucretur priusquam omittat Officium, non „ teneri ad restitutionem, propter omissionem sequentem; eò „ quòd pœna non sit, ut fructus jam suos factos restituat, sed „ ut fructus non faciat suos. Sic ille apud Dian. *p.2.t.12. R.8.* „ V. infrà *a.4.s.6. in fine.*

„ VIII. Ubi Bulla *S. Pii V.* non est recepta, potest videri „ probabile, beneficiatum ad dictam restitutionem non obligari, uti habet Sylv. *v. Clericus.*

ADDENDA.

Quæst.188. Quid addendum sit circa materiam gravem vel levem in omissione Horarum? Resp. Seqq. 1202

§.1. Media pars parvæ Horæ, v.g. Tertiæ non est materia peccati mortalis, uti tenent multi cum Gavanto & Stoz *l.1.p.3. n.381.* contrà Suar. Sanch. Regin. Dian. *p.1.t.12.R.4.* Improbabilis autem videtur eorum sententia, qui dicunt unam Horam minorem, v.g. Tertiam totam, non esse materiam peccati mortalis, Tamb. *in Decal. l.2.c.5.§.2.n.11.* Stoz *nu.380.* citans decretum S. Congregationis. Unde rectè docet. Gob. *in Exp.t.5.n. 608.* eum peccare mortaliter, qui etiam tantùm semel in anno omittit Tertiam, & pro hac sententia affert 24. AA. Dian. *p.6. t.6.R.6.* Quòd si omittas minùs quàm totam parvam Horam, non peccas mortaliter, Less. Bon. Laym. Garc. Bonart. Tamb. *n.10.* Gob. *n.611.* Si tamen modicam tantùm partem recites unius parvæ Horæ, v.gr. hæc 5. verba, *Deus in adjutorium meum intende*, censeris totam negligere, ideoque peccas mortaliter, quia ita parum pro nihilo reputatur, *Tamb.* Quòd si ex matutino omittas, quantùm est parva Hora, Illf. *t.5.n.39.* damnat te mortalis.

§.2. Probabilius est cum Tamb. & Stoz *n.382.* eum peccaturum mortaliter, qui interruptim per totum officium omitteret, quantum est integra parva Hora, quia partes spectantes ad unum totius diei officium coalescunt in unum & conficiunt tandem notabilem quantitatem. Plures tamen apud Gob. *n.609. & 618.* contradicunt, docentes eum peccare mortaliter, qui ex singulis Horis omitteret duos psalmos & hymnum, eò quòd ad mortale videatur requiri, ut in una eademque Hora omittatur pars notabilis, quæ sententia non videtur esse omnino improbabilis. Vide dicenda *l.5.n.297.* 1203

§.3. Omittere totas Vesperas sabbato Sancto communiter censetur mortale, non ob quantitatem sed qualitatem, quia nempè sunt integra Hora & continent magnum mysterium: tamen in hoc esse tantùm veniale, probabiliter putant Bonæsp. Marchant. Pelliz. *t.1.tr.5.c.8.n.93.* Tamb. *n.11.* & alii apud Gob. *nu.609.* quia sunt parva oratio, & quidem in die lætitiæ, quo Horæ aliæ satis magnæ præcesserunt. 1204

§.4. Si matutinum & Laudes constituant unam Horam, quod docent S. Tho. Suar. Diana *p.5.t.14. R.46.* Gob. *num.557.* probabile est plus requiri ad mortale, quàm medias Laudes: & hæc opinio, quòd Matutinum & Laudes sint una Hora, videtur probabilior contra *Nav. S. Anton. & alios*, quia quamvis Laudes se solis habeant formam unius Horæ, nempè antiphonas, psalmos, capitulum, hymnum, orationem, tamen ea non habet Matutinum, unde videtur cum Laudibus conflare unam Horam, ita tamen, ut Laudes orentur per modum integræ Horæ. 1205

§.5. Est obligatio sub veniali, ut tribus ultimis feriis Hebdomadæ sanctæ etiam in privato officio ad lamentationes Jeremiæ addantur litteræ hebraicæ, aleph, beth, &c. saltem ubi in choro canuntur, quia privata oratio quoad talia debet conformari publicæ. 1206

Q.189. An obligatio recitandi Horas sit quoad beneficiatos, etiam ex justitia? Resp. Affirmant *Suar. Sanch. Fag. & alii*, 1. Quia fundatores videntur eo pacto obtulisse proventus beneficii, & beneficiatos ea conditione admisisse beneficia, sicuti curati cum simili pacto admittunt curam. 2. Quia *Conc. Lateran. & S. Pius V.* dicunt beneficiatos, si non orent, non facere fructus suos; item injustè percipere, ergo. E contrà negant Az. Henriq. Dian. Garz. Salas, Homob. Castrp. Illf. *t.5.n.38.* quia quamvis recitatio Horarum sit conditio, sine qua beneficiati non faciunt fructus suos, ideoq; acceptos teneantur restituere, 1207

tamen ſufficienter non conſtat recitationem illam eſſe debitam ex juſtitia. Utraque ſententia eſt probabilis,

1208 *Q.*190. *Quid addendum ſit circa obligationem reſtituendi ob neglectas Horas?* Reſp.ſeqq.

§.1. Alex.VII.damnavit has duas propoſitiones, 20. *Reſtitutio à S. Pio V. impoſita beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eò quòd ſit pœna.* 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem Horarum ſuppleri poteſt per quaſcunque eleemoſynas, quas anteà beneficiatus ex fructibus ſui Beneficii fecerit.* Ex his damnationibus conſtat beneficiatum, qui neglexerit Horas, teneri, in conſcientia ante omnem ſententiam & declarationem reſtituere fructus tali negligentiæ reſpondentes, neque hanc reſtitutionem compenſari per eleemoſynas ante neglectam recitationem datas ex fructibus beneficii, ob quod tenetur ad Horas.

1209 §.2. Aliqui apud Mendo *d.7.n.27.* dicunt eum non teneri reſtituere, qui per alium recitavit Officiū, quia ab alio ſolutum eſt, quod debebatur, ergo ſatisfactum eſt voluntati fundatorum. Hæc ſententia non videtur probabilis, quia hoc ipſo, quòd ipſemet non orarit, peccavit mortaliter, ſecundùm dicta *à num.*1201.ergo incurrit pœnam impoſitam. Maj.Palud.Led. Burgh.*cent.*1.*caſ.*43.& alii apud Dian.*p.*2.*t.*12.*R.*24.putant eum non teneri reſtituere, qui hodie omiſit, ſi cras bis oret, tum quia ſic videtur ſatisfieri intentioni Fundatorum, cùm toties oret, quot ſunt dies in anno, tum etiam quia ſi quis obligatus ad legendum Sacrum negligat hodie & cras ſuppleat, non tenetur reſtituere, idem autem videtur dici poſſe de Horis. Oppoſitum tamen omnino tenendum eſt ob rationem ante datam, quia pœna reſtitutionis impoſita eſt omiſſioni graviter peccaminoſæ, qualis eſt hæc, Gob.*in Exp.t.*5.*n.*594.

1210 §.3.Clericus qui per ebrietatem cauſavit in ſe infirmitatem, ob quam nequit legere Horas, ſecundùm Gob. *in Quin.t.*5.*c.*10. *n.*30.non tenetur ad reſtitutionem, quia Eccleſia illos ſolos obligat, qui ceſſante legitimo impedimento non recitant, infirmitas autem eſt legitimum impedimentum, neque DD. diſtinguunt, an ſit cauſata culpabiliter an inculpabiliter. Et ita etiam debentur Canonicis præſentiæ, ſi ſolent adeſſe, & jam abſint ob morbum etiam ita culpabiliter cauſatum, uti docent Covar. Fill.Sanch. Gob.*nu.*37. Si tamen cauſaſſent ex intentione eximendi ſe à choro vel non orandi, præſentiæ non deberentur, & omittendo Horas tenerentur reſtituere, quia nemini debet fraus ſua patrocinari, Gob.*num.*31. Imò ſi abſque eo ſolebant abeſſe, etiam non debentur præſentiæ, uti idem docet *n.*38. quia cauſa abſentiæ eſt potiùs prava voluntas quàm morbus.

1211 §.4. Si quis per biennium vel ultra, Horas omiſerit putant Sanch.& alii cum Gob.*in Exp.t.*5.*n.*588.ſatis eſſe, ſi Confeſſarius eum obliget ad reſtitutionem quartæ partis fructuum, quia videtur nimis durum & moraliter impoſſibile reſtituere totum; ſed dicendum eſt obligari ad reſtituendum totum, ſi abſq; gravi incommodo poſſit, ſaltem ſucceſſivè per partes, quia non apparet, per quid excuſetur: ad grave tamen incommodum non cenſetur velle eum obligare Eccleſia.

1212 §.5. Non tenetur ad reſtitutionem, qui parvam officii partem omiſit, licèt fructus reſpondentes parti omiſſæ ſint magni: ſi autem neglexit notabilem partem, ſed conflatam ex multis levibus, v.g.ſi omiſerit in ſingulis horis unum pſalmum, licèt fortè peccarit graviter, uti *n.*1203.dictum eſt, tamen, non teneri reſtituere docent Caſtrop.Dian.*p.*5.*t.*14.*R.*47. Gob.*n.*590. ſed contradicunt Suar.Regin.Baſſ.§.5.*num.*8. ſicuti tenetur reſtituere qui per parva furta multum abſtulit; ſimiliter ſi ex una Hora longiore omiſerit partem notabilem, *Suar. Bonart. Caſtrop.* obligant ad reſtitutionem, ſed eum excuſant Bonac Fill. Dian.Gob.*n.*589. quia Canones tantùm loquuntur de illis, qui non orant Horam, & tantùm ſecundùm Horam integram ſtatuunt obligationem reſtituendi hoc vel illud, nihil autem dicunt de omittente partem, ergo cùm ſint leges odioſæ, non debent magis extendi: deinde tales leges pœnales ſunt ſtrictæ interpretationis, ergo intelligi debent de actu pleno & perfecto, omittere autem minùs quàm unam integram Horam, non videtur eſſe actus plenus & perfectus, ergo. Addit Gob.*n.*591.eum, qui tenetur reſtituere, poſſe curare inde legi Miſſas pro Defunctis.

1213 §.6. Dato, quòd ille peccet graviter, qui Horas ſine attentione interna legit, de quo dicetur *à nu.*1340. nihilominus talis non teneretur reſtituere, dummodò oraſſet, uti probabiliter tenent Sot. Tol.Malder.Azor.Bonart.Mantiq. Zech. Cord. B.Med.Garc.quos referunt, & ſequuntur Dian.*p.*2.*t.*12. *R.*1. & 7.Gob.*num.*842.Vind.Gob.*p.*2.*prop.*7.*nu.*37. contrà Bejam *p.*2.*caſu penult.* qui multis ſuam ſententiam propugnat reddit-que etiam probabilem: Ratio noſtra eſt, quia præceptum orandi Horas, ex quo ſequitur obligatio reſtituendi, priùs datum eſt, & omninò diſtinguitur à præcepto, ſi datur, orandi eas attentè: AA. enim, qui aſſerunt dari præceptum orandi attentè, fatentur illud poſteà eſſe latum, & in eo planè nihil dicitur de reſtitutione, ergo obligatio reſtituendi tantùm tangit illos, qui non orant, neque lex odioſa extendenda eſt ad non orantes attentè.

§.7. *Suar.* putat eum, qui non oravit, teneri reſtituere 1214
omnes omnino fructus etiam reſpondentes aliis functionibus, quas præſtitit, ſed probabiliùs contradicunt Bon.Sanch.Gob. *à n.*593. Buſemb.*r.*2.*n.*3.

§.8.Pro reſtitutione ob neglectas Horas, ſatis eſt poſt illud 1215
tempus, à quo omiſiſti, dare eleemoſynam, etiamſi non cogites de debito, neque intendas dare in exolutionem tuæ obligationis, Suar.Laym.*l.*3.*t.*2.*c.*12.*n.*9. Sanch.*in Conſ.l.*2.*c.*3.*d.*121. Dian.*p.*3.*t.*6.*R.*57.*& p.*7.*t.*10.*R.*24. Lugo *de juſt.d.*4.*n.*46. Gob. *n.*592.Du-Bois *ad prob.*33.ab Alex.VII.damnatam: Ratio eſt, quia ſi eleemoſyna detur poſt omiſſionem, ponitur opus, quod in pœnam eſt præceptum, ergo ſatisfit præcepto, intentio enim non præcipitur, ſecundùm dicta *l.*1.*n.*694. Et quamvis aliquis dicat hanc reſtitutionem etiam ex juſtitia deberi, tamen virtualis intentio dantis eleemoſynam eſt, ut per illam ſatisfaciat omni ſuæ obligationi.

§.9. Hanc reſtitutionem deberi ex juſtitia, negant *Pa-* 1216
norm.Jo.Andr.Butr.Silv.Roſel.Armil.Tabien. aliiq; cum *Nav.* qui dicit eſſe communem ſententiam, quia hæc obligatio videtur tantùm oriri tanquam pœna ex *Conſtit.Conc.Later.& S.Pii V.* E contrà eſſe ex juſtitia docent, in primis illi *n.*1207. relati, qui putant orationem deberi ex juſtitia, deinde idem tenent Sot.Calder.Adrian.Ang.Dur.Az. Suar. *de Horis c.*29. Illſ.*t.*5.*num.*38. tum quia fuit acceptio mercedis ſine præſtatione laboris, tum maximè quia *Conc.Later.& S.Pius V.* dicunt eos, qui non orant, non facere fructus ſuos. Item injuſtè percipere, ergo ex juſtitia tenentur reſtituere: Et hæc ſententia videtur probabilior.

ARTICULUS III.

Quæ excuſent à recitatione Horarum.

REſp. Hæc ſeqq. I. infirmitas gravis, v.g.dolor nota- „ 1217
bilis capitis, ita ut ſine incommodo vel incremento „
morbi, legi non poſſint. Dixi, *gravis*; quia levis, v.g.dolor ſtomachi aut pectoris, vel etiam aliquando febris tertiana „
aut quartana non excuſat, cùm tota die non affligat. Ita „
Nav.Fill.Laym.*l.*4.*t.*1.*c.*6. Bon.*d.*1.*q.*6.*p.*1. Porrò taliter ex- „
cuſatus non tenetur, ut quidam volunt, audire alium le- „
gentem, nec alium ſubſtituere, uti habet Fill.& Sa *v.Horæ.* „
Si tamen commodè poteſt, & ſolet legere cum ſocio, tenetur „
ut habet Leſſ.& Bon. V.Dian.*p.*2.*t.*12.*R.*43. „

II. Juſtum impedimentum, v.g. metus proditionis inter „
hæreticos; Item gravis vel repentina occupatio, vel opera „
charitatis majoris momenti, quàm Horæ, quæ ſine ſcandalo „
vel gravi incommodo tuo vel alterius omitti non poſſint: „
Quomodo etſi Concionatores vel Confeſſarii aliquando ex- „
cuſari poſſint, idque ex benigna Eccleſiæ intentione, uti docet, „
Sylv.Suar.& Laym.&c. tenentur tamen anticipare, ſi poſ- „
ſint, v.g.ſi manè prævideas, te tota die Confeſſionibus occu- „
pandum, quæ differri non poſſint. Ita ex Suar.& Az.*t.*1.*l.*10. „
*c.*13.*q.*15.*&* 19.Bon.*p.*2.*n.*1.*&* 2.*&c.* communiter. „

Ex hoc capite dicunt etiam aliqui, non teneri te repetere, „
quod neglexiſti, (nec recitando, nec audiendo) dum thuri- „
cando ad Magnificat, vel Benedictus, vel libros neceſſa- „
rios circumferendo, vel lectionem mox cantandam prævi- „
dendo, vel alia choro neceſſaria peragendo, occupatus fuiſti, „
quia chorus totus pro eo, qui in re ad Officii celebritatem „
pertinente occupatur, videtur ſupplere; & non tantùm ſuo, „
ſed etiam aliorum miniſtrantium nomine recitare aut cane- „
re. Ita Laym.*c.*5.*nu.*7. Henr.Sylv.Az.Sot.Molf.Nald.Arag. „
Reg. citati à Dian. *R.* 13. Idem de eo, qui choro organis „
muſicis alternis verſibus reſpondet, dicunt Navar.Sanch. „
Arag.& Rodriq. apud Laym. *l.c.* ſcilicet cum non eſſe obli- „
gatum, ut etiam voce proferat: ſed negat Eſcob.*t.*5.*E.*6. „
V.Trul.*t.*1.*l.*1.*c.*7.*d.*16. „

III. Cæcitas, Bon.*t.*1.*de recit.div.off.d.*6.*q.*6.*p.*2.*n.*4. *&c.* „
communiter. „

IV. Carentia Breviarii inculpata. Quòd ſi tamen memo- „
riter poſſis dicere, vel totum officium, vel unam Horam, „
teneris. Si verò tantùm ſcias pſalmos, vel lectiones, vel ca- „
pitula, dicit Fil.*t.*23.*n.*287.Nav.& Sayr. Item Eſcob.*E.*6.*c.*3. „
& 4. probabile eſſe, non teneri, quia pſalmi ut ſic, non ſunt „
Hora Canonica, ad quam tenetur Clericus. Item dicit Garc. „
*de Benef.p.*2.*cap.*1.*num.*221. Mald. *in* 2.2.*t.*10.*cap.*2.*d.*5. & „
J.Sancius *in ſelect.d.*15.*nu.*1. citati à Dian. eò quòd lectio- „
nes & capitula ſint pars (licèt minor) maximè principa- „
lis, ita ut abſque illis non ſit officium Canonicum. Idem „
concedit Sanch.*l.*1.*c.*19. in Matutino feſti duplicis, vel ſe- „
miduplicis: V.Bon.*l.c.p.*2.*n.*6. Dian. *R.*30. & 43. Verùm „
hæc probare non auſim, ſed potiùs, quod docet Bon.*t.*1.*d.*1. „
*de offic.div.recit.q.*6.*p.*2.*nu.*6. & 7. impeditum ex aliqua di- „
ctarum cauſarum, ſi poſſit dicere partem notabilem, ad id „

tene-

„ teneri, aliàs ad nihil. Denique ſi quis careret Breviario, quo „ uti ſolet, v.g. Romano, tenetur legere aliud, quod habere „ poteſt, quia per utrumvis impletur ſubſtantia præcepti: „ Creuſ. Eſcob. Dian. *p.9.tr.9.Reſ.*25.

„ V. Diſpenſatio, quam ſine cauſa, ſolus Papa dat validè, „ cum cauſa Epiſcopi: & ſic Subdiaconum, qui ex diſpenſa- „ tione Pontificia duxit uxorem, hoc ipſo liberari ab onere „ Horarum, contra Bon. & Az. docet Sanch. *de Matr.l.*8.*d.*8. „ Dian. *p.*8.*tr.*3.*Reſ.*34.

ADDENDA.

1218 *Quæſt.* 191. *An qui non poteſt recitare totum Officium, teneatur ad partem, quam poteſt?* R. Affirmativè, uti colligitur ex damnatione hujus 54. prop. facta ab *Innoc. XI. Qui non poteſt recitare Matutinum & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.* Circa hanc propoſitionem ſunt hæc notanda.

1219 §.1. Falſitatem hujus propoſitionis damnatæ rectè oſtendunt Carden. *in 2.criſi d.*33. & Illſ. *t.*5. *nu.*41. quia ſingulæ Horæ per ſe continent diſtinctam integram orationem, quæ poteſt dici ſeparatim ab altera, deinde quia qui non poteſt ſolvere totum debitum, tenetur ad partem diviſibilem, quam poteſt, ergo ſimiliter hic; præterea qui ordinatur hora 12. tenetur ad Veſperas & Completorium, licèt non teneatur ad reliqua, uti communiter tenent omnes. Denique qui caret Breviario vel eſt cæcus, & ſcit Primam vel Completorium memoriter, tenetur ad hoc, ut etiam communiter tenent omnes, & dicetur *n.*1230. ergo ſimiliter hic. Hinc qui non poteſt Matutinum, poteſt autem Laudes, tenetur ad has, etiam dato, quòd Matutinum & Laudes conſtituant unam Horam, quia communiter cenſentur veluti duæ Horæ, Laudes enim liberè dividuntur à Matutino, & in ſe ſeorſim habent formam unius integræ Horæ, Carden. *nu.*37. addens *nu.*42. eum, qui in officio trium Nocturnorum non poſſet recitare niſi unum, teneri ad hoc unum quia ſingula Nocturna ſunt materia dividua etiam pro choro, & conſiderantur ad modum unius Horæ, præſertim cum in Paſchate & Penteçoſte totum Matutinum conſtet unico Nocturno.

1220 §.2. Qui non poteſt orare majorem partem unius Horæ, uti ſi ex Prima Dominicæ eſſent lacerata duo folia, Suar. *de Horis c.*28.*n.*26. docet nõ eſſe obligationem illam partem exiguam recitandi: Idem dicunt Sanch. *in Decal. lib.*1.*c.*19.*n.*8. Caſtr. *t.*7. *d.*2.*p.*6.*n.*7. Tamb. *in Dec.l.*2.*c.*5. *ſ.*8.*n.*10. Diana *p.*2.*tr.*12.*reſ.*43. Sporer *in Theſacram. de Horis n.*174. ſi pars notabilis omitti deberet, uti ſi in Matutino trium Nocturnorum non haberes Lectiones & reſponſoria, haberes autem pſalmos; Addit Stoz. *l.*1. *p.*3.*n.*407. ſi in Matutino feriali haberes pſalmos ſed non lectiones; item ſi haberes omnes pſalmos omnium Horarum, non autem hymnos, Capitula & orationes, quia ſine illis non videtur eſſe forma & ſubſtãtia talis Horæ à S. Pio V. præſcripta, & hanc rationem judicat eſſe probabilem Carden. licèt *n.*20. ipſe cum Gob. *in Exp.tr.*5.*num.*622. aliiſque meritò dicat oppoſitum eſſe probabilius, cùm non oſtendatur ſufficiens fundamentum dicendi, quòd Eccleſia ejuſmodi Horam præcipiat per modum unius orationis indiviſibilis, partes autem illæ retineant rationem notabilis orationis. Hinc Laym. & Fill. ſuprà valdè probabiliter dicunt, ſi quis poſſit recitare, quantum ſufficit ad materiam peccati mortalis, ſive quantum eſt una parva Hora, (ſecundùm dicta *n.*1202.) eſſe ad hoc obligationem, ſi autem ſit minus, dicunt nequidem ſub veniali recitandum, quia ſeorſim non cenſetur æſtimabilis ad finem à lege intentum.

1221 §.3. Si quis non habeat majorem partem Officii hujus diei, putant Eſcob. Tamb. ſuprà, Stoz. *nu.*402. non teneri ſupponere aliud Officium, quia Eccleſia præſcribit ſuum cuique diei Officium, nec ſcitur, quòd obliget ad immutandum: ſed dicendum eſt cum Gob. Spor. & aliis teneri orare, ſaltem ex communi, vel Officium ſimile, quia præceptum orandi eſt in poſſeſſione, & ſecundùm dicenda *n.*1250. valdè probabile eſt cum tali immutatione impleri ſubſtantiam præcepti.

1222 §.4. Hactenus dicta valent, non ſolùm reſpectu beneficiati, qui fortè ex juſtitia tenetur recitare, ſed etiam reſpectu illorum, qui ex ſola religione obligantur ad orandum, eſt enim pro omnibus eadem ratio, Carden. *num.*16. contra Filgueram.

1223 *Q.*192. *Quid præterea notandum ſit circa excuſationem ob infirmitatem?* Reſp. Seqq.

§.1. Qui ob infirmitatem non poteſt recitare totum, & dubitat, an poſſit partem, ſecundùm Suar. Sanch. Laym. *lib.*4.*t.*1. *cap.*6.*num.*2. Carden. *in 2.criſi d.*33.*n.*19. Neuſſ. apud Gob. *t.*5. *num.*732. *in append.* ad nihil tenetur: quod Illſ. *t.*5.*n.*165. dicit non improbabiliter poſſe ſuſtineri, quia in ejuſmodi dubiis vix attingi poteſt punctum obligationis, & ne ſcrupulis aperiatur via, conſuetudo legem interpretatur, ut ſic dubitans cenſeatur liber: & quamvis poſſeſſio videatur eſſe pro præcepto, tamen putant id non obſtare ob adjunctum periculum gravis nocumenti, uti inſinuabitur *n.*1225. & maximè hic valet, quia ſimul adeſſet perplexitas, ex qua homo non poſſet ſe expedire, cùm ſit æquè periculum nocendi valetudini, quod illicitum eſt, quàm tranſgrediendi præceptum orandi.

§.2. Sanch. *in Conſ.lib.*7.*cap.*2.*d.*45.*num.*4. Tamb. *in Decal.l.*2.*c.*5.*ſ.*8.*n.*13. Stoz. *l.*1.*p.*3.*num.*402. Gob. *nu.*471. & alii docent, ſi æger ex recitatione Horarum vurioſin iliter credat aliquam eruditatem ſtomachi vel capitis gravationem vel virium laſſitudinem vel etiam febrim tardiùs remiſſuram, excuſari ab Horis, quia hujuſmodi damna, quæ in corpore ſano ſunt levia, in ægroto ſunt gravia; hinc *cap. Clerieus, 2.diſt.*91. pro legitima cauſa non orandi habetur inæqualitas corporis, quæ non ſonat morbum gravem: unde, inquiunt iidem AA. cum Pelliz. *t.*1.*tr.*5.*cap.*8.*num.*116. licèt tales infirmi bonam diei partem confabulationibus expendant, atque etiam libros recreationis cauſa legant, inde non ſequitur teneri ad Horas, quia ſermones & lectiones illæ afferunt ægro recreationem, nec morbus inde ingraveſcit ſed potiùs levatur, è contrà recitatio Horarum eſt res ſeria & ex ſua natura gravat caput ac moleſtiam affert: unde etiam poſtquam febris infirmum deſeruit, dum adhuc vires ſunt imbecilles & homo convaleſcit, poteſt ad aliquot dies differre recitationem, quia illa imbecillitas adhuc cenſetur infirmitas, nec veriſimile eſt, quòd Eccleſia poſt tot labores neget eam requiem ægro: hinc etiam fieri poterit, ut quis priùs celebret Miſſam quàm oret Horas, uti cum aliis Sanch. Tamb. Stoz. *n.*402. Gob. *n.*715. & alii. 1224

§.3. In dubio, an morbus ſit gravis an levis, aut an recitatio ſit allatura grave nocumentum vel non, ſtandum eſt judicio Medici vel Superioris, aut in horum defectu alterius viri prudentis, Silv. Sot. Sanch. aliiq; cum Pelliz. *nu.*115. Aut etiam ſtare potes opinione propria, inquit Gob. *num.*474. ſi ſis ita prudens, ut per te poſſis de talibus ferre judicium. Si autem nec illi nec tu poſſitis reſolvere dubium, ſed illud permaneat, Suar. dicit eſſe obligationem recitandi, quia præceptum eſt in poſſeſſione, ſed Bonac. Caſtrop. *t.*7.*d.*2.*p.*6.*nu.*10. Neuſſ. Stoz. ſuprà & alii dicunt te non obligari, quia quando periculum, an illa recitatio ſit graviter nocitura, eſt certum, Eccleſia non obligat, cùm non obliget ad exponendum ſe certo periculo; & hoc probabile eſſe dicit Tamb. *l.*1.*cap.*3.*ſ.*7. *v. Horæ Canonicæ, num.*2. quod confirmari poteſt ex dictis *num.*1223. 1225

§.4. Si quis ob infirmitatem non poſſit recitare debito tempore, poſſit autem alio, v.g. ſi à prandio laboret quartana, manè autem ſit liber, aut è contra, putant Canus, Henriq. Caram. aliique eum non teneri anticipare vel poſteà ſupplere Horas reſpondentes illi tempori, quo ægrotat, quia obligatio anticipandi vel ſupplendi videtur tum tantùm eſſe, quando impedimentum eſt ex noſtra libertate: hanc ſententiam dicunt eſſe probabilem Sanch. *d.*43.*n.*7. Leſſ. *l.*2.*c.*37.*n.*43. Dian. *p.*4.*t.*4.*r.*10. Bonart. Gob. *n.*711. Sporer *nu.*172. ſed probabilitatem non video, ideoque oppoſita abſolutè tenenda eſt cum Caſtrop. *nu.*16. Pelliz. Tamb. *num.*20. Stoz. *num.*409. Ratio eſt manifeſta, quia quòd oretur hoc vel illo tempore, eſt circumſtantia accidentalis tantùm, obligatio autem orandi totum Officium incipit à media nocte & durat per ſingulas partes diei naturalis uſque ad alteram mediam noctem. 1226

§.5. Magna laſſitudo, v.g. per longum iter, faciens ut ſit impotentia moralis recitandi, comparatur infirmitati ac ſimiliter excuſat; uti notant Coton. Neuſſ. Stoz. *n.*402. Rarò tamen erit tanta, ut impotentiam moralem afferat. 1227

*Q.*193. *Quid addendum ſit circa excuſationem ob occupationes aliaſque cauſas?* R. Seqq. 1228

§.1. Occupatio ſtudii ſecundùm ſe non excuſat, niſi hic & nunc ſit neceſſarium nec compoſſibile cum Horis: Hinc Alexand. VII. damnavit hanc 21. propoſ. *Habens Capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi Officium per alium recitet*: falſitas autem illius propoſitionis inde patet; quòd obligatio recitandi ſit perſonalis, ideoque non poſſit committi alteri: Studium autem in hac damnatione ponitur exempli cauſa, & idem eſt de alia ſimili occupatione.

§.2. Caram. docet eum, qui ex officio, v.g. in ſcribendo, in Confeſſionibus audiendis occupatus eſt per 12. horas diei naturalis non teneri illa die recitare Officium canonicum, ſed oppoſitum eſt certum, cùm ſuperſint aliæ 12. Horæ, Carden. *in 1.criſi d.*32. 1229

§.3. Si quis careat Breviario vel ſit cæcus ſciat autem de memoria magnam partem officii, Sotus dubitat, an teneatur recitare: & non teneri dixerunt aliqui apud Sanch. *in Conſ.lib.* 7.*c.*2.*d.*46. quia beneficium memoriæ habet ſe ſicut privilegium, quo nemo tenetur uti; ſed oppoſitum rectè docent Nav. Suar. Bonac. Valent. Az. Sanch. Leſſ. Caſtr. Card. *in 2.criſi d.*33.*nu.*36. Gob. *in Exp.T.*5.*n.*717. Illſ. *t.*5.*n.*41. & videtur certũ, quia ſola impotentia phyſica vel moralis excuſat, qualem iſte non habet: 1230

dari.

dari autem aliquando, ſaltem indirectè, obligationem utendi ſuo privilegio, dictum eſt *l.1.n.*847.

1231 §.4. Si quis non poſſit orare niſi cum ſocio, putant Joann. Sanch. Diana, Tamb.*num.*11. Stoz.*nu.*403. non teneri adhibere ſocium; quod tunc dicunt eſſe verum Leſſ. & Garz. ſi non ſit ſolitus orare cum ſocio: ſed oppoſitum tenendum eſt cum Nav. Suar. Az. Bonac. Rodriq. Valent. Regin. Sanc. Caſtr. Gob. *nu.*712. Spor. à *nu.*175. Illſ. ſuprà, quia ſic poteſt impleri præceptum, neque hoc medium eſt difficile vel extraordinarium, cum fiat ordinariè in choro, & etiam alibi; alioquin etiam dicam eum non teneri orare, qui non poſſet ſine conſpicilio. Non teneor tamen cum magno ſumptu conducere ſocium, id enim eſſet onus extraordinarium, uti rectè Illſ.

1232 §.5. Si quis damnetur ad triremes, multi cum Tamb. *in Decal.l.*2.*c.*5.§.1.*nu.*4. dicunt non teneri ad Horas, tum quia Eccleſia non cenſetur ei velle ſuperaddere hoc onus, tum etiam quia Breviarium non poteſt decenter ab eo tractari. Oppoſitum tenent alii multi apud Gob.*nu.*731. & Dian.*p.*2.*t.*12.*r.*40. quia cùm decenter poſſit & ſæpe debeat orare Deum, non eſt, cur abſolvatur à Breviario, quamdiù legere poteſt, niſi Eccleſia eum liberet, de quo non ſatis conſtat. Si tamen alicui intimata ſit ſententia mortis, excuſari pro tribus diebus ante executionem docent Tancredi, Tamb.§.8.*n.*5. Gob.*n.*709. quia illa mortis propinquitas parit perturbationem æquivalentem infirmitati, & utiliùs per alia exercitia devotionis ſe diſponit ad mortem: An & quomodo excuſet tenuitas fructuum Beneficii, dictum eſt *n.*1199.

1233 *Q.*194. *Quid ſpecialiter ſit addendum circa diſpenſationem ab Horis?* R. Hæc pauca: Diſpenſatio Papæ excuſat etiam beneficiatum, licèt ſupponamus eum ex juſtitia teneri orare, uti habet communis cum Gob.*in Exp.t.*5.*n.*729. Deinde ubique jam uſu receptum eſt, ut Epiſcopus etiam hìc cum cauſa diſpenſet ad breve tempus, Tamb.*in Decal.l.*2.*cap.*5.§.8.*num.*24. Quod etiam de Vicario Epiſcopi aſſerit Gob.*n.*714.& 729. cauſa autem eſt, ſi dubitetur de morali impotentia orandi. Etiam Superiores Ordinum poſſunt diſpenſare cum ſibi ſubditis. Tamb. Gob.*n.*730. Et ſpecialiter poteſt Generalis Societatis JESU, ac alii, quibus ille committit, commutare obligationem infirmorum in aliud opus pium ſeu orationem leviorem, uti refert Illſ.*t.*5.*n.*42.

1234 *Q.* 195. *An & quomodo licitum ſit ponere aliquid incompoſſibile cum recitatione Horarum?* Reſp. De hoc videri poteſt Gob. *in Exp.t.*5.*num.*732. Et cum proportione hìc applicanda ſunt illa, quæ diximus *lib.*1.*à num.*782.& *lib.*3.*p.*2.*à num.*1334.

1235 *Q.*196. *Quid agere debeat, qui dubitat, an recitarit aliquam Horam, vel an aliquid omiſerit?* R. Præter illa, quæ habet *Reſ.*1. Buſemb.*n.*1237. referendus, adde ſeqq.

§.1. Si nullam habeat conjecturam, quòd orarit, debet orare, quia præceptum eſt in poſſeſſione: E contrà qui habet rationem aliquam vel conjecturam, quòd dixerit hanc vel illam Horam, malè facit repetendo, quia aperit viam inanibus dubiis & ſcrupulis, ita cum aliis Laym. Sanch. *in Conſ.l.*7.*c.*2.*d.*34. Illſ.*t.*5.*n.*40. quod magis valet de ſcrupuloſis, de quo dicetur à *num.*1350.

1236 §.2. Cauſa prudens repetendi Horam aut illius partem non eſt, quod non meminerit ſe dixiſſe, dummodò non meminerit ſe non dixiſſe, & habeat conjecturam, quòd dixerit, v.g. quia communiter nihil ſolet omittere aut tranſilire, non ſolet orare poſteriorem Horam niſi orata priori, ſcit autem ſe poſteriorem oraſſe, reperit ſignum, quod ponere ſolet, quando oravit Horam, ſcit ſe incepiſſe Horam & poſteà invenit ſe in fine &c. Ratio eſt, quia poſſeſſio tunc eſt pro ipſo, certus enim eſt ſe ſolere Officium recitare, aut ſe hoc Officium recitaſſe, incertus, an partem omiſerit, ſed cùm communiter non tranſiliat Horam nec aliquid omittat, prudenter ſupponit ſe nec jam tranſiliiſſe vel omiſiſſe, ita Nav. Az. Suar. Fill. Bonac. *de Horis d.*1.*q.*6.*p.*3.*num.*12. Tamb. *in Decal.lib.*2.*cap.*5.§.3.*num.*9. unde etiam Nav. Bonart. Sanch. *ſuprà*, Laym. *l.*4.*t.*1.*cap.*5.*num.*11. Gob. *in Exp.T.*5.*nu.*621. Illſ. *ſuprà*, Burgh. *cent.*3.*caſ.*63. Pelliz.*t.*1.*tr.*5.*cap.*8.*num.*99. dicunt talem malè facere, ſi repetat, ob rationem ante datam. Addunt Tamb. & Gob. circa omiſſionem partis, quamvis haberet rationem probabilem judicandi ſe omiſiſſe talem partem, adhuc tamen non teneri repetere, niſi moraliter certò conſtet, quòd omiſerit, quia ratio illa, quòd quando incepit, communiter non omittat, prævalet omni alteri contrariæ rationi, quæ ſit probabilis tantùm, ſecundùm illam regulam, quod ex communiter contingentibus ſit prudens præſumptio.

1237 ARTICULUS IV.

Quomodo recitandæ ſint Horæ.

„ REſp. In recitatione Horarum ſequentes circumſtantiæ „ ſunt ſervandæ. I. Ut recitentur juxta præſcriptum „ Breviarii Romani, juſſu S. Pii V. editi, ſaltem publicè. Excipe Religioſos, qui habent peculiare Breviarium Ordinis, „ & Eccleſias, quæ 200. annis ante inſtitutionem Breviarii per „ S. Pium V. peculiare habuerunt: eæ enim ſine conſenſu Epiſcopi illud mutare non poſſunt. Privatim tamen omnibus, „ etiam Regularibus, probabile eſt licere, ex conſuetudine, „ uti Romano, uti docet Leſſ. *l.*2.*c.*37.*d.*12. Rod. & Sà *v. Horæ*, „ Bonac. *tom.*1. *de divin. off. recit. d.*1.*q.*3.*p.*1.*num.*1.& 2. Adde, „ quòd, qui eo utitur, nequidem in choro obligetur ad pſalmos pœnitentiales, graduales, officium defunctorum, (excepto die animarum) Officium tamen B. V. in choro recitari „ debet, ubi eſt conſuetudo. Ita Fill. & Bon. ex Bulla S. Pii V. „ & Clementis VIII. Item tenetur ad Litanias diebus Rogationum, tum quia ſunt pars officii eo die, tum quia peculiaris „ de ea re eſt Conſtitutio. Ita Bon. *l.c.* ex Fill. Etſi contrarium „ probabile eſſe dicat Dian. *p.*2.*tr.*12.*R.*42. ex Vaſq. item Eſcob. „ *t.*5.*E.*6. qui tamen à ſententia Vaſquii recedit. *Vide eundem* „ *c.*3.& 5. Quòd ſi autem ex inadvertentia vel neceſſitate, v.g. „ quia lectiones de feſto nullas habes, Officium mutes, ita ut „ dicas de feria, quando erat dicendum de Sancto, vel contrà, „ nullum erit peccatum, nec obligatio repetendi, licèt conſultum ſit repetere ea, quæ ad proprium Officium pertinent: „ ſi verò ſtudio idem mutes, aliud ſentiendum videtur, cùm „ ratio non ſit eadem: Quanquam quòd eo caſu venialiter „ tantùm preces, nec tenearis repetere, vel reſtituere quidquam, eò quòd ſubſtantia præcepti ſit impleta, probabile eſſe cenſeat Eſcob. *c.*5. Dian. *r.*3. Item Caj. Sylv. Binſf. Azor. Valent. Leſſ. Fill. &c. citati à Bon. *n.*17. & Dia. *loc. cit.* contra alios „ multos, quos citat & ſequitur Barb. Laym. verò *l.*4.*t.*1.*c.*5.*n.*4. „ cum Suar. limitat, niſi per fraudem quaſi, multò longius in „ multò brevius, v.g. paſchale mutetur: (licèt Caram. apud „ Dian. *p.*7.*tr.*11.*R.*6. contra communem ſentiat, etiam ſic præceptum impleri, & venialiter tantùm peccari,) aut idem „ pro libitu toto anno dicatur: quia eſt gravis inordinatio, v. „ Trull. *t.*1.*l.*1.*c.*7.*d.*14.*num.*11. ubi docet, eum, qui per errorem legit hodie de Sancto, qui cras v.g. colitur, poſſe cras „ legere de Sancto, qui hodie celebratur, ne is hoc anno omittatur; imò ita faciendum eſſe vult *Quintan. t.*8.*ſing.*10. Verùm contrarium rectiùs tenet Villalob. eò quòd præſtet ſemel „ quàm bis errare: idque multis benè confirmat Lug. *Reſ. Mor.* „ *l.*5.*d.*8. Similiter eum, qui per errorem vel oblivionem de „ feſto duplici vel ſemiduplici non recitavit die proprio, poſſe „ de eo legere primo die non impedito 9. lectionum officio, docet idem Quintan. *ſ.*9. eſſe probabile: Verùm & hoc meritò „ rejicit Lug. *l.c.* & ipſe Quintan. contrariam ſententiam agnoſcit probabiliorem. Denique qui in aliquibus Horis erravit, „ (legendo v.g. de feria, quando erat de feſto, vel contrà) agnoſcens errorem, non debet eum continuare ſed reliquas Horas „ legere juxta Officium eo die currens, ut in iis ſaltem conformet ſe toti Eccleſiæ vel communitati, cujus eſt pars, & obſervet legem, quando poteſt. Lugo *l.c.* „

II. Pronunciatio vocalis exterior; ea enim eſt de ſubſtantia „ præcepti. Et ſi quidem cum ſocio legis, (quod rectè fit & eſt „ conforme primæ inſtitutioni Eccleſiæ, ac publico orandi ritui, eſtque licitum, etiamſi is ad eas non obligetur, nec interiùs attendat. Bon. *p.*2.§.1.) ea pronunciatio adhibenda eſt, „ ut ab eo exaudiri poſſis, eumque audire viciſſim: Sà tamen „ *v. Horæ*, putat ſatisfieri, etſi quædam non percipias, quæ à „ ſocio dicuntur; neque ideò aliquid ſcrupulosè repetendum „ eſſe. Si verò ſolus legas, ita legendas eſſe, ut audire te ipſum „ poſſis, docet Regin. & Suar. ſed probabile eſt, id non requiri, cùm Eccleſia id non præcipiat, ut docet Az. *p.*1.*l.*10.*c.*11. „ *q.*4. Bon. & Dian. *reſ.*11. admittitque Fill. *t.*23.*n.*117. pro ſcrupuloſis. Si plures duobus recitent officium ſimul, non debet „ unus unum, alter alterum, tertius tertium verſum recitare, „ ſed alternatim facto duplici tantùm choro, ſive plures ſint ex „ una parte, ſive pauciores, quia ſic habet uſus & praxis Eccleſiæ. Secus eſt de lectionibus, quarum primus primam, ſe„ cundus ſecundam, tertius tertiam recitat, (imò alicubi „ conſuetudo permittit, ut omnes ab uno recitentur) aliis au„ dientibus Bon. *q.*5.*p.*2.§.1.*n.*10. ex Suar. Az. & Lay. *n.*8. addens „ etiam ſatisfacere eum, qui lectiones, vel orationes, vel capitula, vel reſponſoria tantùm audit & non recitat. V. Bon. „ *l.c.* Trull. *d.*16.*n.*17. „

III. Pronunciatio integra, ſine ſyncopa & abbreviatione „ verborum & ſyllabarum, & abſque præcipitantia. Bonac. „ *q.*3.*p.*2.§.1. Ex hoc tamen defectu in publico facilius peccari „ poteſt mortaliter, ratione ſcandali, & ſeverioris præcepti „ Eccleſiæ, quàm in privato, Azor. & Fill. *num.*208. 209. „ Eſcob. Dian. *p.*2.*tr.*12.*R.*23. ubi addit, 1. Eum, qui cum tali, „ qui ultimas ſyllabas abſcindit, recitat officium, ſatisfacere „ officio ſuo, nec teneri repetere. 2. Quando in cantu, propter nimiam celeritatem & abſciſſionem ſyllabarum, (vel „ alia de cauſa) audientes non poſſunt verba percipere & attendere, ordinariè tantùm eſſe peccatum veniale, neque „ obligari ad iteratam recitationem Officii, niſi adſit con-

tem-

„ temptus, vel grave ſcandalum, ſeu notabilis corruptio & „ deformatio verborum, in toto cantu. V.Dian.*l.c.*Sylv. & „ Trull.*n.*4.ubi ex Nav.Az.Leſſ. & Palao *tr.7.diſp.2.punct.3.n.* „ 9. negat ſatisfacere eos, qui cum ſociis recitant ita feſtinanter, ut nondum expletis à ſocio verſiculis, ipſi incipiant, „ quia pars, quæ anticipatur, non communicatur cum ſocio, „ qui eam audire nequit: Excuſat autem ex Nav.Sa, & Suar. „ ſurdum, qui alios in choro canentes non intelligit, nec ſequi poteſt.

„ IV. Pronuntiatio continuata unius Horæ; ſi autem interruptio notabili tempore, ſine cauſa fiat, erit tamen veniale „ tantùm, ut ait Fern.Lay.*n.*7.& Leſſ. *d.*10. quia ſinguli pſalmi „ ſuam completam ſignificationem habent: ſi juſta ex cauſa „ fiat, nulla culpa erit, nec repetenda priora. Quod verum eſt, „ etiamſi animo repetendi interrupiſſes; conſilii tamen eſt; ſi „ interruptio longa eſſet, repetere ab initio pſalmi vel nocturni: imò probabile eſt, nocturnos ſingulos ſeparatim, ſaltem „ intrà trium horarum ſpatium dici poſſe, (quod certum videtur, ſi juſta cauſa concurrat) quia ſecundùm quoſdam antiquitus ita fiebat, ut docet Fill.*c.*6.& Bon.*p.*3.*nu.*11.*&* 12. „ Eſc.&c. Addit Quint.*ſ.*3. lectiones, ſi tres ſint ſive novem, „ poſſe abſque culpa gravi, ſine cauſa, & cum hac, abſque ulla culpa dividi à pſalmodia ejuſdem Matutini. Diviſio autem „ Matutini à Laudibus, non dicit interruptionem Officii; unde privatim fieri poteſt ſine cauſa. Dian.*p.*5.*t.*14.*R.*48.ex Fil. „ Sanch.&c. Item Trull.*d.*11.*n.*6.

„ V. Ne invertatur ordo Horarum, abſque juſta cauſa: quòd „ ſi tamen fiat, erit tantùm veniale, quia ordo iſte, ſaltem extra „ chorum, non eſt ſub præcepto, niſi ſecundariò & tanquam „ circumſtantia minoris momenti. Quòd ſi autem per inadvertentiam, vel ex juſta cauſa mutes, v.g. ut amico vel ægro, qui „ tecum legere cupit, ſatisfacias, nullum erit peccatum; vel „ ſi in choro dicantur poſteriores Horæ, cùm tu necdum dixeris priores; vel ſi inter orandum advertas te aliquid omiſiſſe, „ vel priorem Horam nondum dixiſſe; perges enim, & ſupplebis in fine. Similiterque ſi cauſa vel neceſſitas inſtet Horas „ dicendi, potes dicere Laudes, dilatis lectionibus vel aliquo „ ſimili, quod ad manus non eſt. V.Bon.*p.*4.

„ VI. Ut, niſi juſta cauſa excuſet, dicantur tempore præfixo „ à jure, vel conſuetudine; quæ nunc obtinuit, ut Matutinum „ & Laudes abſoluto Completorio in Eccleſia, hora circiter „ quarta, & ſecundùm Bon. etiam tertia dicantur: & hyeme „ quidem, media hora ante Solis occaſum dici poſſe, ait Fill. „ ex communi ſententia, cùm etiam privilegium quibuſdam „ concedatur, ut hora ante occaſum dicant: Quod tamen non „ eſt ſignum, id ſine privilegio fieri non poſſe, quia talia ſæpè „ dantur ad tollendos ſcrupulos & dubia, quæ ſequuntur ex „ varietate opinionum. Juxta eandem ſententiam non peccabit, ait Bon. qui Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, duabus „ vel tribus horis poſt ortum Solis dicit, tum quia eſt moderata „ & conſueta poſtpoſitio; tum quia tempus à jure præſcriptum „ magnam latitudinem, teſte conſuetudine, habet: erit tamen „ veniale, matutinum, ſine cauſa ad Veſperum differre, vel „ ante prandium, ſine cauſa Veſperas & Completorium dicere, quia hæc eſt inſueta inverſio. In Quadrageſima autem „ Veſperæ legi poſſunt privatim poſt prandium, cùm rubrica Breviarii, feria IV. Cinerum non imponat præceptum. „ Nav.Sanch.Trull.*d.*18.*n.*6.

„ Dixi, *ſine cauſa:* quia ſi iter, aliave cauſa urgeat, ſecundùm Cajet.& alios, omnes Horæ manè dici poſſunt, uſque „ ad Veſperas incluſivè. Denique ad vitandum mortale ſufficit dici omnes à media nocte, uſque ad alteram mediam noctem; præterquam quod Matutinum pridiè poſſit anticipari. Quòd ſi intrà dictum tempus quis Horas non dixerit, peccavit quidem, non tamen tenetur poſtmodùm dicere, quia „ ſunt onus affixum diei; etſi ſupplendo poſſit, ſecundùm „ quoſdam, reſtitutionem ſubterfugere, eò quòd rependat „ æquale. Molf.*tom.*3.*t.*2. idem Major.Palud.Ledeſma, &c. „ apud Henr.*l.*13.*c.*13.Bon.*q.*5.*p.*2.*n.*5. ubi dicit, eam ſententiam eſſe probabilem, citatque pro ea Suar.& Fill. ſed malè, „ quia hi vel loquuntur tantùm de primo medio anno; vel „ ſpectato ſolo jure naturæ, & ſecluſo jure poſitivo. Expreſsè „ autem eam ſequitur Quintan.*ſ.*6. vocatque veriorem contrariam. Vide etiam Dian.*p.*2.*tr.*12.*R.*24.

„ VII. Ut devotè, & cum attentione interna, virtuali ſaltem „ recitentur, ſive ea ad Deum ſit, ſive ad ſenſum verborum, „ ſive, ut ait Caj. ad verba ſolùm: Quam poſtremam ſufficere, rectè notat Leſſ.*l.*2.*c.*37.*nu.*69.*&ſeqq.* ſuppoſito tamen „ animo orandi & vacandi Deo: unde attentionem confuſam, „ ſaltem ad Deum, & ad verba includit, cum alioqui attentio „ præcisè ad ſola verba, nihil ab externa attentione differre videatur. Ita communiter contra Nav.Sylv.& Kon. qui nullam attentionem internam requirunt, ſed tantùm externam, „ quæ excludat omnem actionem incompoſſibilem cum attentione interna, licèt animo voluntariè inter ea diſtraharis: „ Quæ ſententia ſecundùm Laym.*n.*10.& Leſſ.*n.*3.non eſt improbabilis; & utilis tum ſcrupuloſis, tum Confeſſariis, ne beneficiatis ſine attentione Horas recitantibus, imperent reſtitutionem fructuum, partim ob Doctorum authoritatem, partim quòd hoc præcepto tantùm materiales quædam preces, earumque externa pronuntiatio (per quam, ſicut per hymnos organo cantatos, à Deo aliquid Eccleſia poteſt impetrare) præcipi videantur; devotio verò tanquam finis præcepti extrinſecus ad ejus ſubſtantiam non pertineat: Verùm noſtra ſententia eſt communior, & probabilior, & probatur: „ ſine attentione enim interna, nulla eſt oratio; ergo hoc ipſo „ quòd ſub mortali ad orationem obligaris, ſub mortali item „ ad aliquam attentionem ex prædictis obligaberis. *Nec refert* „ quòd Eccleſia non poſſit per ſe actus internos præcipere: *poteſt* enim eos præcipere, ut ſunt neceſſarii ad actus externos „ debitè præſtandos, ut ſint actus virtutis: Quo modo cùm „ poſſit præcipere Confeſſionem, poteſt etiam contritionem. „ Dixi, *Cùm attentione interna, virtuali ſaltem*: etſi enim „ melior ſit actualis, ſufficit tamen virtualis, quam Bon.& alii „ communiter dicunt manere ex actuali, quamdiù non revocatur expreſsè vel tacitè per diſtractionem voluntariam vel „ actionem cum debita attentione incompoſſibilem. Unde licèt involuntariè diſtraharis, virtualiter tamen attendis, 1. „ Si in genere intenderis Officium dicere modo conſueto, vel „ animo laudandi Deum, vel ſatisfaciendi tuo muneri. 2. Si „ cum confuſa aliqua apprehenſione & propoſito, opus conſuetum faciendi recites. V.Bonac.*qu.*3.*p.*2.§.2.*n.*21.*&ſeqq.* „ *Ex dictis reſolves*: „

I. Is qui dubitat ob evagationem mentis, an aliquid omiſerit, ſi probabilem conjecturam habeat ſe dixiſſe, vel quia „ propoſuit initio attendere, vel quia ſe reperit in fine v.g. pſalmi, præſumere poteſt ſe dixiſſe, ſi ex libro vel memoria cæteroqui non errare ſolita, dixit: proindeque melius erit, ſi „ non repetat, ad vitandas anxias conſuetudines & ſcrupulos, „ & ut totum Officium ſine perturbatione decurratur. Ita Binſfeld.*c.*11.*d.*13.Laym.*l.*4.*t.*1.*c.*5.*n.*11. „

II. Qui ſponte diſtractus nullam harum attentionem habuit, graviter peccavit, teneturque ſecundùm ſententiam „ communem Horas repetere, nec fructus facit ſuos, quia non „ fecit opus præceptum, quod erat, ut devotè oraret, Sot.Nav. „ Reg.Fern.Suar.Bon.& Trull.*l.*1.*c.*7.*d.*17.*n.*6. ubi ex Navarr. „ addit, non excuſari à mortali eum, qui recitationem Horarum ita differt, vel ita ſe componit, ut advertat ſe ſomno „ præoccupandum: v.g. ſi Completorium veſperi reſervet dicendum in lecto, ſciens ſe tunc ſomno ſolere obrui: Quidam tamen Doct. paulò ante citati negant eo caſu neceſſariam eſſe repetitionem, eò quòd ſubſtantia operis ſit impleta, „ abſque circumſtantia devotionis. Multoque magis ac probabiliùs iidem negant obligationem reſtitutionis: eò quòd „ ad illam tantùm teneantur, qui officium omiſerunt, non qui „ diſtinctè dixerunt, v.Bon.*l.c.*Leſſ.*n.*68. Laym. & Dian. *t.de Horis R.*1.*&* 2.Eſc.*t.*5.*E.*6.*c.*3.*n.*62. „

III. Cùm recitatione Officii conjungere actiones, quæ notabiliter non impediunt, (v.g. induendi, abluendi) veniale „ eſt, ſi fiat ſine cauſa, aliàs nullum: Eſcob.*c.*7. Qui verò advertenter occupat ſe aliqua re incompoſſibili cum attentione „ interna, v.g. ſcriptione, lectione &c. graviter peccat & præcepto non ſatisfacit; atque ideò tenetur repetere. Nav.Suar. „ Bon.Trull.*n.*7. V. infrà *lib.*5.*cap.*2.*dub.*7. „

ADDENDA.

QUæſt. 197. *Qua lingua recitandæ ſint Horæ?* R. 1238 Quoad ſubſtantiam ſatis fit, ſi recitentur hebraica, græca vel latina, uti tenent omnes, teſte Hurt. *de Reſid.t.*1.*r.*7.*ſubref.*7. quia hæ linguæ ſunt doctrinales: Peccari tamen apud nos venialiter putat Caſtrop.*t.*7.*d.*2.*p.*2.*n.*14. & addit fore mortale, ſi fiat aliquoties, quia eſt contra Eccleſiæ latinæ conſuetudinem; Hurt. innuit tunc peccari venialiter, ſi ob defectum intelligentiæ deſit perfecta expreſſio. Quod attinet ad linguas alias, putat Hurt. non peccare eum, qui recitat lingua vulgari, ubi Biblia vulgaria permittuntur, quia adhuc quoad ſubſtantiam eſt eadem oratio, nec invenitur expreſſa prohibitio Eccleſiæ circa hoc, qualis tamen eſt circa Miſſalia, & Miſſas, ne lingua vulgari imprimantur.

Q. 198. *Ex quo Breviario Officium ſit recitandum?* 1239 Reſp.

§.1. Ex proprio ſuæ diœceſis, aut ſui Ordinis, vel ſi utatur Romano, ex illo, quod recognovit Urban.VIII. Putat tamen Tamb. *in Decal.l.*2.*c.*5.*ſ.*2.*num.*3. aliquem adhuc poſſe recitare ex antiquo S.Pii V. vel Clementis VIII. quia Urb. expreſsè addit in Bulla, *nolumus tamen his litterist Breviaria, & alia prædicta, quæ impreſſa ſunt hactenus, prohiberi, ſed indemnitati omnium conſulentes, tam typographis, & bibliopolis vendere, quàm Eccleſiis, Clericis aliiſque retinere, atque iis uti Apoſtolica benignitate permittimus, & indulgemus.* Unde non video, cur dubitet Gob. *in Exp.t.*5.*n.*601. *in*

app.

app. dicens quod Urban. graviter vetet, ne hymni etiam privatim dicantur, nisi correcti, id enim non vetat, sed tantùm vetat, ne imposterum edantur incorrectè, & si edantur post 25. Januar. 1631. hoc ipso prohibet.

1240 §.2. Nav. Rodriq. & Bonart. *l.2.c.12.n.2.* dicunt posse aliquem, v.g. Monachum, scienter dicere Matutinum ex Romano, reliqua ex proprio Breviario, sed Gob. *n.*598. meritò contradicit, quia sic fit confusio contra formam orandi præscriptam: si tamen quis habeat duo Beneficia in diversis diœcesibus, potest, ubicunque sit, uti vel Romano, vel proprio alterutrius Diœcesis, quo volet: imò secundùm Neuss. potest partim ex uno partim ex altero sumere, v.g. Lectiones proprias; & hoc probabile esse agnoscit Gob. *n.*599. quia per id non fit confusio.

1241 §.3. Plures cum Tamb. *n.*33. dicunt eum peccare mortaliter, qui obstrictus, & potens recitare more Romano, vel Diœcesis suæ, recitat, etiam unico die, more alienæ diœcesis, quia S. Pius V. expresse dicit eum non satisfacere, *qui suæ Ecclesiæ orandi formam non custodit*. Negat tamen hoc Nav. Regin. aliique cum Diana *p.2.t.12.R.*10. quia hæc videtur esse parva mutatio, unde si quis obstrictus recitare more suæ Ecclesiæ recitet privatim uno, vel altero die, imò secundùm Sa si recitet quandocunque volet more Romano, non peccat, quia conformat se Ecclesiæ omnium Matri, Tamb. suprà. De Religiosis tamen plerique id negant cum Tamb. *n.*38. contra Dianam suprà, quia hi vi professionis suæ tenentur ad ritum sui Ordinis, abstrahendo ab omni diœcesi. An verò possit Religiosus, v.g. Carmelita, aut alius Sacerdos sæcularis recitare ex Breviario Benedictino, dissentiunt Dian. *p.7.t.11.R.*8. & Caram. *in Theol. fund. à n.*2505. & iterum *à n.*2513. Item si non haberet nisi Breviarium alieni ritus, v.g. Carmelita Benedictinum, an teneretur ex hoc orare, fusè discutit Gob. *à n.*603. & iterum *num.*624. qui cum aliis negat teneri, sed probabile est teneri, quia videtur adhuc implere substantiam præcepti.

1242 §.4. Quamvis Urb. VIII. statuat nemini licere Breviarium, &c. imposterum imprimere, nisi facultate in scriptis accepta à locorum Ordinariis, cujus facultatis exemplum etiam initio, vel fine vult adjici, prohibens Breviaria impressa sine prædicta facultate, tamen Breviaria, quæ ista non habent in se impressa, non videntur ideo esse prohibita, nam pœna prohibitionis tantùm imponitur Breviariis sine facultate Ordinarii impressis, ex hoc autem, quòd omittatur testimonium, vel impressio illius facultatis, aut etiam Bullæ Urbani, non sequitur esse impressa sine facultate, imò si præferant titulum, Breviarium, &c. Urbani VIII. authoritate recognitum, & edita sint in loco Catholico, præsumendum est adfuisse facultatem, quia imprimens præsumi non potest id sub gravibus pœnis injunctum neglexisse, aut certè dicendum est Bullam Urbani in eo rigore non fuisse receptam, aut jam desiisse eum rigorem, postquam Breviaria toties ad normam primæ impressionis Romanæ sunt recusa.

*Q.*199. *Quale Officium sit recitandum?* R.

1243 §.1. Generatim loquendo recitari debet proprium, id est, ex Breviario, quo tenetur orare, & de die, qua orat, & eo ritu, qui præscribitur. Ritus duplex, & semiduplex habet utrasque Vesperas: simplex incipit à primis Vesperis in Capitulo, & clauditur cum Nona; similiter B. Virginis in Sabbato; simplex & de Sabbato habent in Matutino psalmos feriales: reliqua sunt festiva, uti in semiduplicibus: Feria habet totum à Matutino ad Completorium inclusivè: Vigilia à Matutino clauditur cum Nona: De B. Virgine in Sabbato fit semper extra Adventum, & Quadragesimam, nisi occurrat Vigilia, 4. Tempora, vel Festum 9. lectionum, aut nisi fiat de Dominica alioquin omittenda.

1244 §.2. Omnis Clericus, sive regularis, sive sæcularis existens etiam pluribus annis alibi tanquam advena, potest recitare Officia, quæ recitaret in patria sua, v.g. de Reliquiis, Dedicatione, Patronis, Suar. Quintanad. Gob. *in Exp.tr.*5. *num.*635. Si mutet domicilium, potest compensare omissa in priore loco, quamvis præterierint in secundo, Gob. *n.*649.

1245 §.3. Officia uni Ecclesiæ concessa non possunt per Episcopum extendi ad aliam Ecclesiam, ut decrevit Urb. VIII. apud Stoz. *lib* 1. *par.*3. *nu.*390. probabile tamen esse putant Tancredi, & Tamb. *in Decal.l.2.c.*5. *§.2.n.*35. posse Episcopum, vel Prælatum Regularem dare licentiam recitandi Officium privatim in alio ritu.

1246 §.4. Non licet recitare Officium de Sancto, nisi sit in Breviario S. Pii V. vel à Papa, aut S. Congr. concessum, Stoz. supra. Vide tamen dicenda *num.*1260. Omnes verò diœcesani licitè celebrant omnia Festa, quæ celebrat eorum Ecclesia Cathedralis, Gob. *n.*650. *in app.*5. *lit. M.* Et ejusmodi Diœcesana possunt Romano translato recitari etiam à Regularibus exemptis utentibus Romano Breviario; hi tamen non obligantur ad Festa diœcesana, nisi sint Patronorum, & universalia, Castrop. Tamb. *n.*5. Stoz. *n.*386. Gob. *à n.*627.

1247 §.5. Quando permittitur fieri Officium aliquod per ditiones subjectas Cæsari, per has intelliguntur etiam Urbes Imperiales, quia de iis dicit Cæsar, *Nostra, & Imperii Urbs*: Item omnes Provinciæ, Ditiones, & loca, quæ propriè sunt feuda Imperii, est enim Cæsar illorum omnium Dominus directus, Gob. *lit. R. & seqq.*

§.6. De S. Ignatio recitari potest in Societate JESU sub 1248
ritu semiduplici omni septimana extra Adventum, & Quadragesimam, die non impedita Festo duplici, vel semiduplici: Docuit quidem Gob. *in append.*4. non impedire rationem Vigiliæ, nisi Natalis Christi, Epiphaniæ, & Pentecostes, sed Sacra Cong. 20. Martii 1706. decrevit id non esse concessum in feriis 4. Temporum, nec in Vigiliis sive cum, sive absque jejunio, nec in feria 2. Rogationum, nec in ea feria, in qua secundùm Rubricas est reponendum Officium Dominicæ. Addit tamen Gob. eum, qui non advertisset primo die libero, posse sequenti, etiam ubi institutum est à Superioribus, ut primo die libero fiat: congruum tamen est, ut si ea septimana sit futurus, expectetur dies etiam à Festo simplici liber, ne hoc omittatur: plerique autem in Sabbato non legunt de S. Ignatio, sed de B. Virgine, quamvis etiam tum de S. Ignatio videantur posse legere, cùm non excipiatur, sed cultus B. Virginis præferendus est cultui S. Ignatii.

§.7. In Bulla beatificationis Stanislai Kostkæ habetur, 1249
quòd in singulis Ecclesiis Societatis JESU, Missæ de Beato etiã à Sacerdotibus quibuscunque eo die ad Ecclesias confluentibus celebrari, & Officium recitari valeat. V. Gob. *t.3. post nu.696. in app. lit. T. & V.* Judicarunt etiam viri prudentes posse Sacerdotem sæcularem in Templo Societatis legere Missam de B. Aloysio incidente in Dominicam, quia valet regula generalis, quòd aliquis possit se accommodare ritui Romano illius loci, in quo est; nec regula distinguit de Sancto, aut Beato. Non poterit tamen talis Sacerdos de eo legere Horas.

*Q.*200. *Quid præterea circa mutationem Officii sit ad-* 1250
dendum? R. Ante omnia, notandum est decretum S. Congregationis.

Sacra Rituum Congregatio declaravit, & decrevit non potuisse post Bullam S. Pii V. de Breviario Romano, neque posse locorum Ordinarios, tam sæculares, quàm Regulares, addere Kalendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat, quæ Breviarii Romani Rubricis, vel Sacræ Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur: neque propria authoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa Officia de loco ad locum.

Item vetuit, & prohibuit celebrari per totam civitatem, vel Diœcesin, etiam de cujuscunque Ordinarii authoritate, Festum cum Officio, eò quòd in loco adsit Ecclesia Parochialis vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantùm in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus, aut insignis Reliquia, & non alibi.

Insignes autem Reliquias declaravit esse: caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua passus est Martyr, modò sit integra, & non parva, & legitimè ab Ordinariis approbata.

De Sanctis Episcopis locorum, Martyribus, civibus, & aliis Festis, de quibus in Kalendario Romano, seu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria authoritate constituatur, sed omninò consulatur Sacra Rituum Congregatio.

Decretum quoque nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, & impressum, omninò servetur.

Et hæc omnia decrevit, statuit, & mandavit, innovando pœnas Constitutionis S. Pii V. respectivè.

Facta demum relatione horum Decretorum Sanctissimo D. N. Papæ Urb. VIII. ea laudavit, & approbavit, atque ab omnibus ubique sub prædictis pœnis servari præcepit, necnon in novis Breviariis de mandato Sanctitatis seu imprimendis, apponi jussit. Prætereà notanda sunt seqq.

§.1. Certum est non satisfacere, qui pro Officio diei Palmarum recitat Officium Paschale, uti constat ex hac prop. 34. ab Alex. VII. damnata, *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* In illa autem damnatione nihil directè dicitur de ulla alia mutatione, unde manet dubium, an dies Palmarum ponatur exempli causa, ita ut comprehendat quemlibet, aut saltem similem alium diem, quod videtur probabilius; vel an intelligatur determinatè de ipso die Palmarum, in quo celebratur Passio Domini: Circa alia Officia 18. AA. inter quos Gavant. Bonac. Tolet. & alii apud Castrop. *tr.7.d.2.p.2.nu.*17. docent eum, qui scienter mutat Officium hujus diei in aliud, peccare graviter, & non satisfacere, quia opus hac die ab Ecclesia præscriptum sunt hi Psalmi, hæ lectiones, &c. & forma tali die determinata à S. Pio V. est præscripta veluti substantia rei præceptæ, uti argumentatur Stoz. *lib.*1. *par.*3. *num.*388. *&* 397. E contrà docent AA. facilè 50. viri sapientia, & pietate celeberrimi, inquit Gob. *in Exp.t.*5. *num.*869. inter quos magis nominati communiter recensentur 34. 17. dicit se in-

ſe inſpexiſſe Gob.*n.*861. videlicet S.Anton.Silv. Cajet.Sot. Tabien.&c. Et poſt Bullam S.Pii V.Zerol.Sa, Graff.Az. Leſſ.Becan.Caram.Dian. Leand. Binſf. qui id doceant, qualecumque ſit Officium, in quod mutetur. Accedunt nunc recenter Du-Bois *ad propoſ.*34.*damnatam*, & Carden. *in 1.criſi d.33.nu.*42. qui dicunt hanc ſententiam eſſe probabilem, quamvis Carden. *n.*76.dicat priorem eſſe probabiliorem: Ratio poſterioris ſententiæ eſt, quia videtur impleri ſubſtantia, cùm orentur 7.Horæ, uti communiter orantur ab Eccleſia, & negligitur tantùm modus, ſeu ritus accidentalis. *Nec refert*, quòd fiat ad libitum, & in fraudem, *quia* adhuc non videtur eſſe magna mutatio quoad ſubſtantiam. Non eſſe autem mortale, ſi fiat pro libitu, ſed rarò, v.g. bis, aut ter, docent Nav. Arag. Mirand. Rodriq.Graff.Onuph.Sanch. *in Conſ.lib.7.t.2.d.*25. Nec diſtinguunt inter longum, & breve Officium, ſolemne, & feriale; quibus aſſentitur Tamb.*in Decal.lib.2.c.*5.§.2.*nu.*21. excipiens ſolùm paſchale; Item Eſcob.excipiens ſolùm paſchale, & pentecoſtale: atque hanc ſententiam dicit ſe decies in ſcholis docuiſſe Gob.*n.*884. Baſſ. tamen, Torres, Regin.dicunt tunc peccari mortaliter, ſi fiat in fraudem ratione notabilis quantitatis minoris, in quo etiam conſentit Moya *t.1.tr.2.d.2.qu.*3. Item ſi fiat cum gravi inordinatione, uti ſi quis in Natali Domini recitaret de Paſſione, nam modum illum, ut nempe non ſit nimia difformitas Officii à die, quo recitatur, putat Carden.*nu.*106. præcipi ab Eccleſia, & conatur evincere ex damnatione propoſ. citatæ, quia fundamentum damnandi videtur fuiſſe difformitas Officii cum tempore, non enim ideò tantùm eſſe damnatam, quia Officium paſchale eſt minus, probat Caram.*in Th.fundam.n.*2481. ſicuti qui voviſſet audire Miſſam die Palmarum, ſatisfaceret audiendo Miſſam longè breviorem, v.g. de Domina: & quamvis illa conformitas cum tempore ſit tantùm modus, tamen illum intendit Eccleſia veluti quid ſubſtantiale. His tamen non obſtantibus fatentur Carden.*num.*106.& Gob.*num.*868.manere probabile, quod mutatio Officii in aliud minus ſit tantùm veniale, excepta mutatione in Paſchale, vel Pentecoſtale, quia hæc non ſunt, uti ex præcepto, & conſuetudine Eccleſiæ recitari debent: his enim temporibus quaſi per diſpenſationem indulgetur Officiũ minus ſolito, Card.*n.*89.

1251 §.2. Omnes communiter, etiam primæ ſententiæ AA. docent cum Stoz. ſuprà, ſi quis per errorem inculpatum orarit unum Officium pro alio, non teneri quicquam repetere: putat tamen Abelly, ſi quis loco officii Dominicæ recitaſſet de Feſto, teneri compenſare ex primo Nocturno Dominicæ novem pſalmos, ne tam notabilis pars Officii intermittatur, ſed obligationem illam negat cum aliis Carden.*n.*73. quia quamvis minus recitarit, tamen recitavit Officium, quale communiter recitatur in Eccleſia, ideoque implevit ſubſtantiam præcepti. Si quis autem Officium ſemiduplex recitaret ſub ritu duplici, multò minùs peccaret graviter, Gob.*n.*607. contra Lezan. & Neuſs.Ratio eſt, quia non repugnat graviter fini legis, cùm Officium non ſit notabiliter difforme, nec ſit inuſitatus modus recitandi in Eccleſia.

1252 *Q.*201. *Quænam cenſeantur juſtæ cauſæ officii ſine peccato mutandi?* R.Enumerantur ſequentes, 1. Si habeas peculiarem devotionem erga aliquem Sanctum, aut ad peculiare Feſtum, Onuph.Laym.*lib.*4.*t.*1.*cap.*5.*num.*3.ſed id communiter non ſufficit, quia optima devotio eſt ſe conformare præſcripto Eccleſiæ. 2. Si exiſtas alibi, ubi fit Officium diverſum à tuo, Laym.Bonac.*in Exp.t.*5.*n.*602.*&* 911. quod etiam

1253 dicit *num.*605.cum Tamb.& Stoz.*l.*1.*par.*3.*num.*386.quamvis non diu, ſed peregrinando alibi exiſtas, imò ſi deſtinaris cras eſſe alibi, putat Tamb. *in Decal. l.* 2. *cap.* 5. *§.* 2. *num.* 25. te poſſe hodie dicere Veſperas, & Matutinum ſecundùm illud alterum Officium. Item, ſi in patria tua fuiſſet translatum Officium, & poſteà eſſes alibi, ubi celebratum eſt, ſecundùm Tamb.*num.*26.quamvis poſſes, tamen non teneris illud reaſsumere, ſed poſſes te accommodare huic loco. Item, ſi heri recitaſti Matutinum de feria, & cras venias ad locum, ubi eſt Feſtum, ſecundùm Lugo & Gob.*nu.*644. poteris pergere de hoc Feſto orare. 3. Si habites cum Religioſis, vel obeas exercitia apud illos, putat Gob. *à num.*636. te poſſe orare de Sanctis in ea domo tunc occurrentibus. 4. Si ſis

1254 Capellanus Monialium, poteris orare de Sancto, de quo agunt Moniales, & de quo debebis Miſsam legere, ut ſic Officium tuum concordet cum Miſsa. Imò Capellanus talis videtur æquiparari Beneficiato, qui poteſt recitare Officium Eccleſiæ cujuſcunque, in quo habet Beneficium, Quintanadv. Tamb.*n.*32.*&* 37.Stoz.*n.*386.Gob.*à n.*625. 5. Si velis compenſare Officium omiſsum, Gob.*n.*638. 6. Si multùm proceſseris

1255 in Officio indebito, poteris continuare errorem, ſi velis, Quintanadv.Caram.Gob.*n.*642.quamvis meliùs ſit non continuare. 7.Si ſit neceſſitas repentina ſtudendi, concionandi, docendi, &c.putant Nav.& Sanch.*in Conſ.lib.*7.*c.*2.*d.*25. te poſſe præoccupare brevius Officium; imò Tamb.*num.*20. abſolutè dicit rationem ſtudii ſufficere ad mutandum: Addit Phavv, ſi ſis Religioſus, te poſſe Officia longiora anticipare diebus, quibus abundas tempore, & breviora reſervare in tempus occupandum Concionibus, vel audiendis Confeſſionibus, ſed Gob. meritò hoc non omninò approbat. 8. Ut adjuvet neſcientem 1256 orare vel infirmum, vel defeſſum, Sanch. Et univerſaliter dicunt Tamb.*n.*27.& Stoz.*n.*386. ſi ex cauſa recites cum ſocio, te poſſe cum ipſo recitare Officium, ſi habeat diverſum à tuo. 9. Si facias iter longum, & neceſſarium, nec commodè poſſis legere ex Breviario, Silv.& Onuph.dicunt te poſſe orare Officium, quod memoria tenes, Tamb.abſolutè dicit iter eſſe cauſam juſtam. Quidquid ſit de quibuſam ex his cauſis, puto gratius eſſe Deo, & magis meritorium, ut, quantùm fieri poteſt, ſemper oretur Officium præſcriptum.

*Q.*202. *Quid obſervandum ſit circa Officium Dedica-* 1257 *tionis, Patroni, Titularis, & Sancti, de quo habentur Reliquiæ?* R.ſeqq.

§.1. Præter propriæ Eccleſiæ Dedicationem cum Octava, celebrari debet Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis in civitate quidem cum octava, in dioceſi ſub ritu primæ claſſis ſine octava: Putat autem Gav.Regulares nonniſi ex congruentia teneri orare de Dedicatione Cathedralis, idque ſine octava, è contrà Neuſſ.& A.Tamb.apud Gob.*in Exp.t.*3.*num.*696.*app.*3.*lit.O.* dicunt teneri etiam ad Octavam, ſed quod Societatem JESU, teſtatur quidem Gob.non eſſe praxin in Germania, niſi, ut faciant de Dedicatione Cathedralis ſine octava, ſed Coloniæ ſaltem eſt praxis jam à multis annis, ut fiat etiam cum Octava. Quòd ſi eodem die incidant Dedicatio propria, & Cathedralis, Gav.putat agendum eſſe de propria cum commemoratione Cathedralis.

§.2. Ad Officium de principali Patrono loci tenentur 1258 omnes, etiam Regulares Caſtrop. T.Tamb. apud Gob.*t.*5.*n.* 627. ſed hi non tenentur ad octavam ejuſdem; poſſe tamen illam habere, docet Cuyetus apud Gob. *n.*629. Nec Regulares tenentur ad Feſta minus principalium Patronorum, Barb. A. Tamb.apud Gob.*n.*85.laudabile tamen eſt, ſi recitent etiam de his, Gob.*n.*78.79.81.maximè ſi populus à ſervilibus abſtineat, Gav.Lohn. Neque videtur Regularibus eſſe prohibitum plures Patronos ſub ritu 1. vel 2. Claſſis, & cum octava celebrare, Lohn.

§.3. Feſtum titulare, eſt Feſtum illius Sancti, à quo Ec- 1259 cleſia habet titulum, ſive denominationem, eſtque 1. claſſis cum octava, Gav. In quotidianis autem ſuffragiis eſt obligatio faciendi commemorationem, & de Patrono, & de Titulari, ſi ſint diverſi, uti eſſe poſſunt, nam SS. Trinitas poteſt eſſe titulus Eccleſiæ, non tamen poteſt eſſe Patrona, Gav.*ſ.*5.*c.*18. Lohn. *Nec obſtat*, quòd Rubrica dicat fieri debere commemorationem de Patrono, *vel* Titulari, *nam* Tò, *vel*, tantùm ſignificat fieri debere primo loco poſt Apoſtolos, vel de Patrono, vel de Titulari, prout ordo, & dignitas exigit, ſupponit autem fieri debere de utroque, uti rectè Lohn.*par.*2.*t.*2.§.11.*n.*3. Et quando dicitur Patronum in commemoratione præferri debere Titulari, hoc intelligendum eſt, ſi in pari gradu ſint conſtituti, v.g. uterque Martyr.

§.4. Duplex Officium fit de Sancto, cujus habetur Reli- 1260 quia approbata inſignis, uti ſunt caput, brachium, crus, vel pars, in qua paſſus eſt Martyr, modò ſit integra, & non parva uti habet decretum S.Congr.relatum *num.*1250.cenſetur autem adhuc eſſe integra pars, licèt pluribus fragmentis conſtet, ſi per unionem artificialem ita copulentur ut appareat integra, Quartus, Lohn. Et circa officium propter Reliquias emanaverat aliud etiam decretum 19.Oct.1691. à S.Congr. ſub Inn.XII. non poſſe officium fieri de Sancto, cujus inſignis Reliquia habetur, niſi Sanctus ille eſſet deſcriptus in Martyrologio Romano, niſi à S.Sede ſpecialiter conceſſum eſſet, ſed Procurator generalis Societatis JESU reſcripſit decretum illud eſſe ſubtractum è typographia Apoſtolica, ideoque cenſeri tacitè revocatum, ac ideò Coloniæ ab anno 1693. in templo Societatis JESU iterum legimus de SS.Conſtantio, & Fauſto, quamvis in Martyrologio Romano inſcripti non ſint.

§.5. Quando dicitur, quòd in ſola Eccleſia, in qua eſt 1261 Reliquia, recitari poſſit Officium, non eſt ſenſus, quòd intrà ipſam Eccleſiam recitari debeat, ſed quòd illis ſolis liceat recitare, qui ſunt adſcripti tali Eccleſiæ, Neuſs.Gob.*t.*3.*n.*696. *app.*4.*lit.H.*

*Q.*203. *Quid agendum ſit, ſi duo Sancti, quorum Fe-* 1262 *ſta incidunt in diverſa tempora, ſint Patroni æquè principales ejuſdem Eccleſiæ?* R.Caſus poteſt eſſe hic, ſi aliqua Eccleſia ſit conſecrata æquè principaliter ſub invocatione S. Andreæ, & S.Jacobi, an de utroque ſuis temporibus dici poſſit Officium cum octava? Pro parte negativa eſt, quòd Rubricæ permittant unum tantùm principalem celebrari, nam Gav. *in Rubr.Breviarii ſ.*3.*c.*12.*n.*3. ait: *Dantur plures Patroni loci, &c. è quibus unus debet eſſe principalis, alii minùs principales.* Item n.6. *Si Patroni plures, ſeu Titulares concedantur ∴ Officium quidem ſingulorum duplex erit, ſed octava non conceditur, niſi Feſto principalis Patroni, & Principalis item Titularis Eccleſiæ.* Eadem habet Arnaudus *in*

Theſ.

Theſ. Sacror. rituum t. 2. p. 1. t. 12. a pag. 336. item Quart. apud Paſq. *de Sacrif. q. 258.* Sed videtur dicendum, quòd licèt ordinariè unus tantùm ſit principalis Patronus, poſſint tamen eſſe plures, Gav. enim *loc. cit.* addit, *Titulus Eccleſiæ ſolet eſſe unicus, ſed tamen poteſt eſſe etiam plurium SS. ut apud nos Romæ SS. Blaſii, & Caroli, in quo duo Feſta celebrantur.* Similiter Paſq. *n. 5.* dicit poſſe eſſe plures Patronos principales: & *n. 8.* ſi plures ſint Titulares æquè principales, poſſe de pluribus fieri Officium cum octava: unde *Romæ*, inquit, *in noſtra Eccleſia celebratur duplex feſtum 1. claſſis, utrumque cum octava, duorum Titularium, nempe S. Andreæ Apoſtoli, & S. Sebaſtiani:* non enim eſt ratio, cur de uno celebraretur, & non de altero.

1263 Major difficultas eſt, an utroque Feſto ſint in Templis Societatis JESU Indulgentiæ plenariæ, nam vi Bullæ Pauli V. quæ habetur *in Supplem. Inſtit. pag. 19.* noſtra Templa habent Indulgentias in Feſto invocationis: Ratio dubitandi eſt, quia Paulus V. concedit in Feſto invocationis, & non in feſtis: deinde quia Bulla habet, *Volumus autem, quòd ſi aliàs Chriſtifidelibus dictas Eccleſias viſitantibus aliquam aliam Indulgentiam perpetuam conceſſerimus, præſentes nullæ ſint.* Sed videtur dicendum; quòd utroque Feſto habeantur, quia eſt eadem ratio de ſingulis: ideò autem dicitur *Feſto*, quia ordinariè eſt unicum, de cætero intelligi poteſt, vel Feſto Titularium multiplicium: ex quo etiam patet ad rationem alteram, nam ſi ſit duplex Titularis, cenſetur una conceſſio: notatque Pelliz. *T. 2. tr. 8. c. 5. n. 259.* particulas illas (aliquam aliam Indulgentiam conceſſerimus) non intelligi, ſi Indulgentiæ alterius rationis ſint conceſſæ etiam ab eodem Pontifice.

1264 *Q. 204. Quid obſervandum ſit circa translationem Feſtorum eodem die occurrentium?* R. Seqq.

§. 1. Transferuntur ſola duplicia, ſemiduplicia, quædam Dominicæ, Vigiliæ incidentes in Dominica, quæ in Sabbato anticipantur. Et ſi transferri poſſit, debet illud Feſtum transferri, quod eſt minus dignum; hoc autem colligitur, vel ex diverſitate claſſis, vel, ſi ſint in eadem claſſe, ex ordine, qui eſt in Litaniis; tamen Sancti veteris teſtamenti ſequuntur poſt Apoſtolos, Gav. Et ad rem non facit, quòd unus ſit Vir, vel Sacerdos, alter vidua, vel laicus.

1265 §. 2. Dedicationi Eccleſiæ cedit Feſtum Patroni, & Titularis, S. Th. Gav. Item Feſtum SS. Petri, & Pauli, Gob. *in Exp. t. 3. n. 696. app. 3. ubi lit. H.* dicitur Feſtum SS. Apoſtolorum debere haberi die ſequente, commemorationem autem S. Pauli aliquo inſequente, eò quòd Eccleſia priùs fieri velit de Sancto Petro, ſed Gob. in hoc contradicit.

1266 §. 3. Si eadem die occurrat Patronus principalis loci, & Titularis Eccleſiæ Regularium, agitur de Patrono loci, & de Titulari transfertur, Gav. Patronus univerſalis cæteris paribus præfertur Patrono particularis Eccleſiæ: hinc Patronus Templi cedit Feſto SS. Petri, & Pauli pertinentium ad totam Eccleſiam, Arnaud. Si, v. g. Confeſſor à particulari Eccleſia ſolemniter celebretur, præfertur alteri Confeſſori licèt notato in Martyrologio, Neuſs. Gob. *t. 5. n. 650. lit. H.*

1267 §. 4. Si eadem die agatur de pluribus SS. Sociis, v. g. Coſma, & Damiano, & ſolus S. Coſmas ſit Patronus, vel de eo ſolo habeantur Reliquiæ, Officium fit de hoc ritu duplici, & de S. Damiano transfertur, de quo ſolo poſteà fit: oratio autem eſt utrique accommodanda in ſingulari, ſi de S. Damiano celebretur poſt totam octavam S. Coſmæ; ſi celebretur intrà, debet ex communi ſumi diverſa. Similiter ſi Patronus eſſet S. Philippus, de hoc fit 1. Maii ſub ritu duplici 1. claſſis cum octava, de S. Jacobo transfertur, & fit ſub ritu duplici 2. claſſis proxima die non impedita, Gav.

1268 §. 5. Inter Feſta de præcepto translata, & diverſæ claſſis, illud, quod in ritu eſt dignius, priùs celebrandum eſt: quando autem ſunt ejuſdem claſſis, id priùs celebrandum, quod priùs erat translatum: neque hic attenditur ordo, qui aliàs ſervatur in commemorationibus, ſed ſola claſſis ritus duplicis, vel ſemiduplicis; nec Apoſtolus hic præfertur Evangeliſtæ, Neuſs. Gob. *n. 658. in app. lit. T.* & declaravit hoc S. Cong. 18. Sep. 1666. teſte Mothier.

1269 §. 6. Circa Feſta ad libitum emanavit 24. Jan. 1682. hoc decretum, *Cùm aliàs S. Rituum Congr. decreverit Officia SS. ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum feſtivitatum ſunt impediti die Dominico, aut aliquo alio die Feſtorum mobilium, quæſitum fuit declarari, quæ regula ſervanda ſit, quando occurrunt eodem die cum Officiis SS. Kalendarii proprii, vel translatis, vel demum ſemel per hebdomadam, vel per menſem recitari conceſſis: & S. Congr. reſpondit, prædicta Officia SS. ad libitum, etiam duplicia occurrentia in diebus Dominicis, octavis, & natalitiis SS. alicujus Religionis, vel diœceſis, ex vi Kalendarii proprii à Sede Apoſtolica approbati, quamvis ſub ritu ſemiduplici de præcepto celebrandis, non eſſe transferenda, ſed omitti debere: ſi autem occurrant eodem die, in quo aliàs aliquod Feſtum translatum poni deberet, tunc liberum fore declarare eadem Officia ad libitum recitare, & officium translatum ulteriùs ad aliam diem non impeditam transferri; prout etiam omiſſo Officio, quod ſemel per hebdomadam, aut menſem ex Apoſtolico indulto recitari conceſſum eſt, Officium ad libitum eodem die occurrens recitare poſſe decrevit.* Et occaſione Feſti ad libitum, cùm anno 1704. Octava Epiphaniæ incideret in 13. Jan. quæ erat Domin. 2. poſt Epiphan. ideoque neque hac Domin. neque ſequente, quæ erat ſeptuageſimæ, haberi poſſet de Domin. 2. dubitatum fuit, quando de hac haberi deberet? Directorium Colonienſe, & Rubriciſta Romanus putarunt haberi poſſe feria 2. die 14. Jan. translato S. Hilario; aut ſi hæc dies eſſet impedita alio ſpeciali feſto duplici, haberi poſſe die 15. Jan. translato S. Paulo Eremita, nam Rubrica Breviarii de Officio illius Domin. ait, *Quando Septuageſima venerit in 1. Domin. poſt Oct. Epiph. tunc* habendum de Domin. 2. *in 1. Sabbato non impedito feſto 9. lectionum; alioquin 1. die poſt Octavam ∴ feſtum verò ſemiduplex in ea occurrens transfertur in 1. diem ſimiliter non impeditam,* Sabbatum autem illud videtur fuiſſe impeditum per feſtum S. Canuti, quamvis eſſet ad libitum. E contrà directoria Romæ, Viennæ, & Leodii impreſſa tranſtulerunt in Sabbatum ante Septuageſimam omiſſo S. Canuto; Et certum eſt ita fieri potuiſſe, quia feſtum ad libitum potuit omitti: debuiſſe autem ita fieri, ſuaderi poteſt inde, quia feſtum ad libitum non videtur impedire diem, cùm poſſit omitti, ſic enim qui habent privilegium orandi de Fundatore ſuo die per ſeptimanam non impedita feſto 9. lectionum, poſſunt omittere feſtum ad libitum, & legere de ſuo Fundatore, ergo talis dies non venit nomine diei *impeditæ*. Sed reſponderi poteſt feſto ad libitum impediri diem, nam de Translatione dicitur, translatum haberi prima die non impedita Officio 9. lectionum, & tamen ſi interveniat feſtum ad libitum, poteſt de hoc haberi Officium, translato ulteriùs dilato, uti habet declaratio S. Congreg. ergo per feſtum ad libitum, quod quis vult habere, ſufficienter impeditur dies. Hæc opinio etiam videtur probabilis.

§. 7. Si translatum ſit Feſtum unum ad libitum, & alte- 1270
rum de præcepto, Gavant. & Arnaud. volunt priùs fieri de eo, quod fuit de præcepto; ſed rectè notat Gob. *num. 650.* ſi translatum ad libitum ſit altioris claſſis, debere de hoc priùs fieri: ceſſat tamen nunc quæſtio, niſi feſtum ad libitum ex ſpeciali indulto transferatur; aut niſi incidat in feſtum immobile alicujus Eccleſiæ, v. g. ſi feſtum SS. Marii, & Soc. 16. Jan. alicubi celebraretur ſub ritu duplici; videtur enim tum transferri poſſe feſtum S. Canuti, quod eſt ad libitum, nam illa exceptio feſtorum *mobilium* videtur facere regulam de immobilibus, quòd in hæc incidens transferri poſſit, exceptis iterum illis, de quibus paulò poſt fit mentio.

§. 8. Si Feſtum dedicationis incidat in Dominicam privi- 1271
legiatam v. g. infra Octavam Epiphaniæ, transferri debet Dedicatio in Dominicam poſt Octavam Epiphaniæ, hoc enim cenſetur voluiſſe Epiſcopus ponens in tali Dominica Dedicationem, Gob. *t. 3. n. 696. app. 3. lit. K. Nec obſtat*, quòd fortè in illam ſequentem Dominicam incidat aliud Feſtum duplex, illicita autem ſit translatio in diem alioqui impeditum, *nam* hic non eſt translatio, propriè, & canonicè loquendo, ſed dici debet, quòd Dedicatio ab initio fuerit pro tali anno, & concurrentia conſtituta in illa Dominica, ergo transferri debet illud alterum duplex minus dignum. De Dedicatione vide multa apud Gob. ſuprà.

§. 9. Si Feſtum, v. g. S. Bibianæ in Decembri transferri de- 1272
beat nec haberi poſſit ante dies illos, quibus occurrunt antiphonæ privilegiatæ, haberi debet etiam uno ex his diebus, uti rectè Gob. *t. 5. n. 658.* nam Rubrica circa antiphonas majores, O, dicit, ſi occurrat Feſtum 9. lectionum uſque ad Vigiliam Nativitatis, debere per has antiphonas fieri commemorationem, ergo ſupponit couſque agendum de tali Feſto.

§. 10. Si translatio Feſti fiat à tempore non paſchali ad 1273
paſchale, recitatur, prout tempore paſchali, ſi fiat à tempore paſchali ad non paſchale, recitatur, prout tempore non paſchali, Gavant.

Q. 205. Quid obſervandum ſit circa Octavas? Reſp. 1274
Seqq.

§. 1. Infra Octavam Paſchæ, & Pentecoſtes non fit Officium de ullo Feſto. Infra Octavam Epiphaniæ fit de ſolo Patrono vel Titulari, vel Dedicatione, vel translatis 1. claſſis, Guyet. apud Gob. *t. 5. n. 659. lit. T.* Hæc tamen omnia excluduntur à die Octava. Infra Octavam Corporis Chriſti, fit de ſolis duplicibus non translatis, niſi ſint altioris ordinis, v. g. Joannis Bapt. infra reliquas Octavas fit de Feſtis etiam ſemiduplicibus, & etiam translatis, ſi inciderent in Dominicam infra Octavam, & haberi poſſint die Lunæ: de cætero ſemiduplicia infra Octavam die impedito occurrentia, ſi non poſſint haberi die proximè ſequenti, transferuntur poſt totam Octavam, & poſt omnes Octavas, ſi plures ſibi ſuccedant, duplicia autem, licèt non poſſint primo, poſſunt haberi aliis diebus ſequentibus infra Octavam. Etiam de ſemiduplicibus ad libitum

fit

fit infra Octavam, ſi infra hanc fieri poſſet de alio ſemiduplici de præcepto.

1275 §.2. Si Feſtum habens Octavam transferatur poſt dies 8. à die feſti, non celebratur illo anno cum Octava; ſi ad pauciores dies transferatur, dies Octava non transfertur, ſed numeratur à die, quo Feſtum incidebat, & celebrari debebat, ſi translatum non fuiſſet, & in Octavo die ab illo celebratur Octava.

1276 §.3. Semper fit commemoratio Octavarum Natalis Domini, Epiphaniæ; Corporis Chriſti, de quocunque Feſto fiat intra eas: ſi autem concurrant, & quaſi commiſceantur plures Octavæ, diebus infra Octavam fit Officium de digniori ſecundum claſſem, vel ordinem Litaniarum, cum commemoratione alterius Octavæ. Ubi SS. Trinitas eſt titulus Eccleſiæ, celebratur cum Octava, non obſtante Octava Corporis Chriſti Gav. *ſect.6.c.19.n.3.* Symbolum tamen S. Athanaſii non dicitur diebus infra Octavam, quia tantùm Dominicis aſſignatur, Gav. *ſ.5.c.20.num.4.*

1277 §.4. Si duobus diebus conſequenter agatur de eadem Octava, Veſperæ non dicuntur à Capitulo de ſequenti, ſed dicuntur totæ 2. Veſperæ, ac ſi ſequeretur ſimplex: fit autem aliquando, ut non abſolvantur Octavæ, ſed abrumpantur, nempe à die 17. Decembris, quando antiphonæ privilegiatæ aſſignantur; Item à die Cinerum; Item Vigilia Pentecoſtes adveniente, nam de his fit quamprimùm in pridianis Veſperis, & nequidem fit commemoratio de Octava, *Gavant.* & ſpecialiter Octava Paſchæ, & Pentecoſtes terminantur die Sabbati ad Nonam, ob Feſta ſequentia.

1278 §.5. Si Octava dies Corporis Chriſti occurrat, vel concurrat cum die Octava S. Joannis, fit tantùm commemoratio Octavæ S. Joannis; alioqui cæteris paribus dignior eſt octava, quæ ab univerſali, quàm quæ à particulari Eccleſia celebratur, & ſpeciatim dies Octava Natalis Chriſti eſt ſecundæ claſſis, Epiphaniæ eſt privilegiata; reliquæ omnes ſunt duplices per annũ, nulli tamen cedunt duplici, niſi 1. vel 2. claſſis, tuncque fit tantùm commemoratio Octavæ; alia duplicia etiam majora transferuntur, & fit de Octava, Gob. *n.629.* In Octava Corporis Chriſti fit tantùm de S. Joanne Baptiſta, ſi eodem die occurrat, vel de SS. Petro, & Paulo, aut de alio ex ſolemnioribus, cum commemoratione Octavæ.

1279 §.6. Si diem Octavam ſequatur duplex ſimilis claſſis, dividunt Veſperas; ſi duplex majus, totæ Veſperæ ſunt de ſequenti cum commemoratione Octavæ: Excipe Octavas Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, quæ habent totas 2. Veſperas cum commemoratione ſequentis duplicis, etiam majoris. Si ſequatur duplex 1. claſſis, in 2. Veſperis nihil fit de Octava die Si 2. claſſis etiam translatum, fit tantùm commemoratio Octavæ: Dies autem Octavæ omnes (exceptis Chriſti, & B. Virginis) ſunt ejuſdem ſolemnitatis; hinc dividunt Veſperas, niſi aliter notetur. Octava autem Dedicationis eſt dignior quàm Patroni: Patroni, quàm Titularis (niſi ſit intrà hos magna diſtantia dignitatis) Aſſumptionis quàm Dedicationis.

1280 §.7. Si aliqua dies Octava incidat in Dominicam privilegiatam, de qua debeat fieri Officium, in primis Veſperis dicuntur pſalmi Sabbati, Capitulum de Dominica, cum commemoratione Octavæ; & ſi in Sabbato fuit Feſtum ſemiduplex, de hoc ſunt Veſperæ, attamen à Capitulo fit de Dominica, & prima commemoratio eſt de priori ſemiduplici, quia de eo fuit Officium, ſecunda eſt de Octava, quæ nec habuit, nec habebit officium, *Gavant.*

1281 *Q.206. Quid obſervandum ſit circa commemorationes in Horis?* Reſp.ſeqq.

§.1. Duplex 1. claſſis, ſi occurrat eadem die cum quacunque Dominica, cum die Octava, cum die infra Octavam Natalis Domini, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, habet commemorationem de his ubique: item de feria majore, & vigilia Epiphaniæ, ad Laudes: de aliis omnibus nihil fit. In primis illius Veſperis fit commemoratio de antecedente Dominica majore, de duplici inferiori 1. & 2. claſſis, de die Octava Nativitatis, Epiphaniæ, & Corporis Chriſti, de feria majore: de aliis omnibus nihil. In ſecundis illius Veſperis fit commemoratio de Dominica ſequente quacunque, de die Octava, de duplici, de ſemiduplici, de feria majore: de omnibus aliis nihil.

1282 §.2. Duplex 2. claſſis habet in omnibus commemorationem de iis, de quibus duplex 1. claſſis. Præterea in 1. Veſperis habet commemorationem de duplici quocunque, die Octava, feria majore, de aliis omnibus nihil. In Laudibus habet commemorationem de feria majore, de feſto ſimplici: de aliis omnibus nihil. In 2. Veſperis (ſi non ſequatur Feſtum aliud excludens) habet commemorationem de duplici, ſemiduplici; de die infra Octavam, ſi tamen cras de ea fiat officium; de ſimplici; de B. Virgine in Sabbato, ſi cras de ea fiat Officium.

1283 §.3. Duplex majus, & minus, itemque ſemiduplex, habet ubique commemorationem de omnibus, etiam de ſimplici, & de die infra Octavam. Dominica dividit Officium cum ſemiduplici antecedente, ſequentis autem ſemiduplicis fit tantùm commemoratio.

§.4. Si officium fiat, v.g. de Confeſſore non Pontifice, & 1284 facienda ſit commemoratio de aliis pluribus ſimilibus Feſtis, antiphona pro ſecundo ſumitur, in 1. Veſperis ex laudibus, pro tertio, ex 2. Veſperis. In laudibus, pro ſecundo ſumitur ex 1. Veſperis; pro tertio, ex ſecundis. In 2. Veſperis ſumitur pro ſecundo ex Laudibus; pro tertio ex 1. Veſperis. Et idem eſt de verſibus, ſi deſint diverſi; quòd ſi adhuc non ſufficiant, accipiuntur ex primo, vel ſeqq. Nocturnis.

Q.207. Quid obſervandum ſit circa lectiones, & reſponſoria? R. Seqq. 1285

§.1. In duplici 1. & 2. claſſis, primæ tres lectiones ſunt ex communi SS. in 1. Nocturno: itemque in duplicibus majoribus per annum, & Feſtis Patronorum etiam minùs principalium: Excipe ſemper, niſi aliter aſſignetur, aut ob anguſtiam temporis legendum ſit initium libri in Scriptura occurrente, quod aliàs omitti deberet, nam hoc ſemper legendum eſt, etiam anticipatò, ſi poſteriores dies ſeptimanæ erunt impediti; tamen tantùm leguntur intrà ſeptimanam aſſignatam. Per initium libri intelligitur prima tantùm Epiſtola S. Pauli, & primus liber Regum, hinc ſi initia poſteriorum Epiſtolarum, vel librorum aſſignato loco legi non poſſint, non eſt opus poſteà legere, uti notant plerique, quamvis alii oppoſitum teneant, & practicent.

§.2. Si in Feſto, v.g. 1. claſſis, conveniant Octava, quæ 1286 duplex eſt, & Dominica, nona lectio eſt de Dominica, toties enim Dominica, vel feria major habent nonam lectionem, quoties de iis fit commemoratio tantùm, & tum ſemper legitur Evangelium Dominicæ, aut feriæ majoris in fine Miſſæ. Si die aliquo, etiam per Octavam, quo non eſt Scriptura currens, hæc præſcribatur, accipitur de communi SS. & in die Octava, ſi nullæ ſit propriæ lectiones, primi, & tertii Nocturni erunt de Feſto, ſecundi autem ex communi SS. In Feſto ſimplici, ſi Sanctus propriam lectionem non habeat, tertia eſt ex communi SS. In officio de B. V. in Sabbato, 1. & 2. eſt de Scriptura occurrente, tertia de menſe, & omittitur de Sancto.

§.3. In Feſto 9. lectionum, ſi omittatur, *Te Deum*, aut 1287 ſi Sanctus propriam lectionem non habeat, 9. lectio de Sancto dici non debet. *Si* in aliquo Officio 9. lectionum non dicatur, *Te Deum*, omittatur lectio 9. de Sancto, etiamſi propriam haberet, quia reſponſorium novum non conveniret lectioni de Sancto. Infra Octavas Nativitatis, Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, de ſimplici fit tantùm commemoratio ſine 9. lectione, & de Octava Corporis Chriſti eſt certum ob Conſtit. *Clem. X.* Denique 9. lectio de Sancto non eſt dicenda, niſi ſit propria.

§.4. Reſponſoria 1. Nocturni in Dominica, quæ prima 1288 vice tum ponuntur, ſi ob Feſtum duplex ſint omiſſa, debent dici primo die, quo de feria fiet, ſive in eadem, ſive in ſequenti etiam ſeptimana, etiam in Dominica, ſi in ea non ſit primò ponenda alia, aliàs omittuntur illo anno. Si in feriis non aſſignentur propria feria 2. & 5. ſumuntur ex 1. Nocturno Dominicæ; feria 3. & 6. ex 2. Nocturno; feria 4. & Sabb. ſi in hoc fiat de feria, primum erit ſeptimum de Dominica, ſecundum, & tertium erit ſecundum, & tertium feriæ ſecundæ ſequentis Dominicam, ſi propria habuerit; ſi autem propria non habuerit, accipi debet ſecundum, & tertium primi Nocturni in Dominica. Propria reſponſoria poſita pro feriis primæ hebdomadæ menſis repetuntur ordine in feriis hebdomadarum ejuſdem menſis, donec alia ponantur. In Feſto trium lectionum ſumuntur duo reſponſoria ex communi Sanctorum, feria 2. & 5. ex primo Nocturno; feria 3. & 6. ex ſecundo; feria 4. & Sabb. ex tertio; & quando dicitur; *Te Deum*, in ſecundo reſponſorio apponitur, *Gloria Patri*, cum repetitione ultimæ partis reſponſorii.

Q.208. Quid addendum ſit circa Officium Defunctorum, Litanias omnium SS. Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales? Reſp.ſeqq. 1289

§.1. Communis ſententia eſt, quòd ſit obligatio gravis ad Officium Defunctorum in die Animarum, etiam pro illis, qui utuntur Breviario Romano, quia ſunt pars Officii illius diei, *Suar. & alii* 24. cum Dian. *p.4.t.4.r.243.* contrà alios apud Pelliz. *t.1.tr.5.c.8.n.48.* qui dicunt illam rubricam eſſe directivam, nec obligare ſaltem ſub mortali, eò quòd *S. Pius V.* abſolutè liberet eos, qui utuntur Breviario Romano, quam ſententiam Tamb. *in Decal. lib.2.cap.5.ſ.2.n.14.* & Gob. *in Exp.t.5.nu.614.* dicunt probabilem, Burgh. *tamen cent.3.caſ.47.* non audet dicere abſolutè probabilem, unde in praxi non videtur ſatis tuta.

§.2. Quoad Litanias Feſto S. Marci, & diebus Rogatio- 1290 num, plures citat Pelliz. *n.47.* qui dicunt non eſſe mortale, ſi omittantur, & Pelliz. *n.48.* cum Gob. *n.615.* dicit nõ eſſe improbabile, nec videtur diſſentire Burgh. *cent.1.caſ.93.* quia non extat præceptum, nec conſtat conſuetudinem eſſe receptam velut legem. Oppoſitum videtur probabilius, nam conſuetudinem illam eſſe receptam velut legem probat praxis recitantium, qui ſe accuſant tanquam de peccato, ſi neglexerint.

§.3. Si

1291 §.3. Si Feſtum S.Marci incidat infra Octavam Paſchæ, transfertur poſt Octavam, ſed non transferuntur Litaniæ. Si incidat in diem Paſchæ, Litaniæ transferuntur in feriam 3.proximam: abſtinentia autem anno 1685.ab aliquibus planè omiſſa eſt, cùm Feſtum S.Marci incidiſſet in feriam 4. ſed cùm in eundem diem incidiſſet anno 1696.translato Feſto, & habitis eo die Litaniis, abſtinentia ex mandato Ordinarii obſervata eſt eodem die per diœceſin Monaſterienſem. Litanias ſemper comitatur proceſſio, & abſtinentiam Litaniæ. Si in feriam 2.vel 3.Paſchæ incideret feſtum S.Marci, ſecundùm uſum Romanum debent Litaniæ eo die haberi, conſequenter, & abſtinentia, per ſe loquendo: Sed Pariſiis pro hoc caſu abſtinentia, Litaniæ & proceſſio transferuntur in feriam 2. poſt Dom. in Albis: alibi ſervatur conſuetudo cujuſque diœceſis. Anno 1707.in Archidiœceſi Colonienſi, cùm feſtum incidiſſet in feriam 2.Paſchæ, eo die habitæ ſunt Litaniæ; & proceſſio, feſto translato, & eo anno planè omiſſa eſt abſtinentia.

1292 §.4. Licitum eſt Officium Defunctorum in die Animarum præceptum, pridie recitare ſtatim poſt Matutinum, & Laudes officii diei etiam pridie recitatas, Leand. Neuſſ. Tamb.§.5.*n*.7. Stoz.*l*.1.*p*.3.*n*.416. Gob.*num*.615. dicens illum eſſe morem ſuæ Provinciæ: è contrà quamvis Tamb.& Stoz.*n*.417. admittant Laudes poſſe de more dici pridie S.Marci, & Rogationum, tamen putant Litanias non poſſe addi, tum quia non notatur, ut conjunctim dicantur, tum maximè, quia ſunt loco aſſiſtentiæ ad proceſſionem, quæ aſſiſtentia non poteſt anticipari, ſed ipſo die S. Marci, & Rogationum obſervari debet. Oppoſitum docent Gav.Arnaud.Gob.Lohn.*de Horis p.2.t.2.ſ.12.num.3.* nempe poſſe Litanias etiam pridiè addi laudibus, quia acceſſorium ſequitur principale, quòd autem ſint acceſſorium Laudum, patet inde, quia propterea in his omittitur, *Et fidelium animæ*. Ut autem ſatisfiat obligationi ad Litanias, non eſt ſatis intereſſe proceſſioni, ſed debet ille, qui obligatur, alternatim canere, vel recitare cum aliis, aut ſi mos ſit, ut ab aliis decantentur, ſaltem devotè, & attentè audire, Stoz.*n*.418.

1293 §.5. An illi, qui non utuntur Breviario Romano, ſub mortali ad Officium Defunctorum, & Litanias, uti & pſalmos pœnitentiales, & graduales ſuis diebus obligentur necne, ſpectanda eſt conſuetudo loci, Leſſ.Laym.Gob.*n*.66.Et videtur probabilius etiam quoad priora idem dicidè illis, quod diximus de utentibus Breviario Romano. Circa Officium B.V. videri poteſt etiam Sylv.*p*.1.*v Horæ*, *caſ*.2.

1294 *Q*.209. *Quid addendum circa vocalem expreſſionem, & recitationem cum ſocio, vel in choro?* R.ſeqq.

§.1. Med. putat eum non ſatisfacere, qui non recitat ita altè, ut à præſentibus audiri poſſet, ſed Beja *p*.1.*caſ*.55. rectè eum confutat. Azor. & alii, quos adducit Buſemb. *nu*.1237. relatus, putant ſufficere ſolam verborum articulationem, licèt ab ipſo etiam recitante percipi nequeant: Idem putarunt plures apud Moyam *t*.1.*tr*.2.*d*.2.*q*.2.ſed dicendum eſt cum Caſtrop.*tr*.7.*d*.2.*p*.3.*n*.6. & aliis communiter, debere ita proferri, ut te poſſes audire, ſi nullum foret impedimentum, quia verba, quæ auditu percipi non poſſunt, non videntur eſſe verba, ſed potiùs inchoatio verborum facta in gutture, vel intrà dentes.

1295 §.2. Satisfacit, qui recitat cum ſocio, etiam laico, non obligato, non attento, imò non audiente, Pelliz.*t*.1.*tr*.5.*c*.8.*n*.91.Dian.*p*.7.*t*.11.*R*.6.Gob.*in Exp.t*.5.*n*.691. Stoz.*lib*.1.*p*.3.*n*.404. Facilius tamen eſt ſatisfacere, ſi quis recitet ſolus, quàm ſi recitet cum ſocio, vel in choro, nam ſi recitet ſolus, probabile eſt non obligari ad attentionem internam, uti dicetur *n*.1341. ſi autem recitet cum alio, probabilius eſt cum Dian.*p*.2.*t*.12.*R*.2.contrà Caram.*in Th.fund.n*.2463.teneri audire, & attendere ad id, quod ſocius recitat, alioquin non communicat id, quod ab illo dicitur, nec partem illam facit moraliter ſuam, ita Tamb.*in Decal.l*.2.*c*.5.*ſ*.4.*n*.10.Gob.*ſup*.Stoz.*n*.404. Quòd ſi attendat, quantum moraliter poteſt, putant Tamb.*n*.12. & alii apud Gob.*n*.692. ſatisfacere, dummodò in confuſo audiat, quamvis propter culpam ſocii, vel chori nihil diſtinctè percipiat, & probabile eſſe dicit Pelliz.*n*.39.ſed Caſtrop.*n*.7.contradicit, quia quamvis velit, tamen reipſa non facit illam Orationem ſuam, cùm reipſa eam non percipiat; quod contrà eundem *Tamb*.magis valet in ſurdaſtro. Attamen poſſe percipere fructus, & diſtributiones admittunt Nav.Suar.Bonac.aliique cum Caſtrop.Et notant Az.& Gav.eum, qui recitat cum aliis, ſatisfacere, ſi attentè audiat verba plurium, ac ſi ab uno tantùm dicerentur, licèt non diſtinguat verba ſingulorum.

1296 §.3. Qui recitat cum blæſo ex media tantùm parte proferente voces, ſecundùm Caram.& Pelliz.*n*.88.ſatisfacit, quia hic à natura, & Eccleſia diſpenſatus eſt ad omittendam partem Officii: ſed probabilius eſt illum quidem blæſum ſatisfacere, te autem non, niſi ſit neceſſitas cum illo orandi, quia ille excuſatur per impotentiam aliter recitandi, tu autem non, cùm poſſis aliter commodè totum recitare.

1297 §.4. Qui partem ſuam ſubmiſsè orat, & attendit ad alteram partem chori, ſatisfacit præcepto dicendi Horas, Suar.Bonac. Baſſ.Fill.*tr*.23.*n*.195.Tamb.*nu*.15. An autem per hoc lucretur diſtributiones, dictum eſt à *n*.878.

§.5. Sufficit, ſi ſocius recitet omnes antiphonas, capitula, reſponſoria, lectiones, & orationes dummodò alter tantùm audiat, quia ſic etiam fit in choro; Regin.Fill.Bonac.Arnaud.Tamb.§.3.*n*.10.Stoz.ſuprà. Imò etiam eum ſatisfacere, qui ſolus per ſe recitat omnes pſalmos, & ab alio audit 9.lectiones, docet Pelliz.*n*.91.ſed meritò contradicit Dian.*p*.9.*tr*.7.*R*.38.ſicut enim non ſatisfacit, qui continuatam mediam partem Horæ orat, & alteram mediam partem audit à ſocio, ita nec hic: Ratio utriuſque eſt, quia non licèt aliter uti privilegio recitandi cum ſocio, quàm prout Eccleſia concedit, & admittit conſuetudo, non eſt autem conceſſio Eccleſiæ, aut conſuetudo, ſic recitandi: hinc Gob.*n*.691.poſtquam propoſuiſſet utramque ſententiam, ſapienter ſubdit, *Ego in tantis rebus novitatem, ac ſingularitatem non probo*. Similiter ſi quis alternatim recitarit pſalmos cum uno ſocio, non poteſt audire lectiones à tertio, uti fatetur *Pelliz*. quia ſic in tertium recitarentur horæ, quod eſt alienum à praxi Eccleſiæ. Poteſt tamen quis aliqua cum ſocio, alia ſolus recitare, *Pelliz*. Et poſſunt etiam lectiones ſingulæ juxta numerum ſociorum dividi, v.g. novem lectiones in novem ſocios, *Suar.Az.Stoz.* ſuprà.

§.6. Probabile eſſe putant Tamb.*n*.14.aliique apud Pelliz. *n*.42.eum ſatisfacere, qui cum externa tantùm devotione aſſiſtit toti horæ à Muſicis decantatæ, ſed tenendum eſt oppoſitum, uti etiam innuit Tamb.*n*.17. quia talis audiens non orat vocaliter, nec orationem illam Muſicorum facit ſuam, cùm non alternet cum illis.

§.7. Per organum, vel ſocios ſuppletur, ſi non ſatis percipiſea, quæ leguntur, dum thurificas, quæris pſalmos, &c. unde non eſt opus te poſtea ſupplere, Suar.Vaſq.Eſcob.Regin. Caram.Laym.*lib*.4.*t*.1.*c*.5.*n*.7.Diana *p*.2.*t*.12.*R*.13.Bonart. *l*.2. *c*.37.Gob.*à n*.706. Illſ.*t*.5.*n*.39. item licèt pſalmus integer dicatur, dum tu tuſſis vel excreas, vel ſanguis è naribus fluit, Sanch.Gob.ſuprà. Etiam illum excuſat Diana, qui choro canente prælegit lectionem, ne erret, quod admittunt Sanch.& Eſcob. ſi alioquin fuiſſet erraturus. Addunt Nav.& Bonart. poſſe aliquem ſine obligatione aliquid repetendi inter canendum obiter ſalutare venientem, aut uno alterove verbo neceſſario alloqui alterum,

§.8. Nimia celeritas cauſans, ut ſocius non poſſit verba ſatis percipere, & attendere, eſt ordinariè veniale tantùm, neque obligat ad repetitionem, Fill. Baſſ. Si tamen ſecundus incipiat, priuſquam alter verſum abſolverit, idque fiat in magna quantitate, non ſatisfit, quia quæ ſimul proferuntur, non conſtituunt orationem ab Eccleſia præſcriptam, quæ eſſentialiter debet eſſe ſucceſſiva, & habere unam partem poſt alteram, Tol. Regin.Bonac.Caſtrop.*p*.3.*n*.4.

Q.210. *Quid addendum ſit circa mutilatam recitationem?* R.Seqq.

§.1. Tunc dicitur quis mutilare, quando vel immutat, vel abſorbet aliquas ſyllabas, aut literas, nec ita articulatè exprimit, ut ab audiente intelligi poſſit ſenſus eorum, quæ legit, ſi autem mutilet ex inadvertentia, vel balbutie, vel inveterata conſuetudine, quæ valde difficulter corrigi poſſit, excuſatur quis à peccato, Leſſ.*l*.2.*c*.37.*n*.56.Tamb.*in Decal.lib*.2.*c*.5.*ſ*.3.*n*.6. Et quando mutilatio fit tantùm in ultimis ſyllabis, rarò peccabitur, quia rarò mutabitur ſenſus, Suar.Az.Leſſ.Caſtrop. Gav.Gob.*in Exp.tr*.5.*n*.618.

§.2. Si quis hinc inde verba, & verſus mutilando, perveniat ad partem notabilem, tenetur ſuppplere, non recitando omiſſa, vel mutilata; nam hoc fieri non poteſt, neque eſſet aliud, quàm rudem, & ſenſu carentem confuſionem inducere, ſed orando aliquid æquivalens omiſſis, v.gr. unum, duos, aut plures pſalmos, Nav.Bonart.*l*.2.*c*.24.*n*.10.

Q.211. *Quid addendum ſit circa interruptionem?* R. Seqq.

§.1. Putat Nav.venialiter peccari, ſi hora aliqua inchoetur, & non abſolvatur, licèt quis habeat voluntatem poſteà repetendi; ſed oppoſitum eſt probabilius, quia una pars horæ poteſt habere ſenſum abſolutum, quo finito non eſt, cur ceſſari non poſſit; ſi autem quis ceſſet cum animo repetendi, non ideo poſtea tenetur repetere, dummodò oret reliqua intrà tempus debitum, quia reipſa poſuit partem operis præceptam, ergo ſi addat reliquam ſatisfacit: ſed de intentione iterum dicetur à *num*.1322.

§.2. Matutinum poteſt etiam ſine cauſa dividi tota nocte à Laudibus, ſive Matutinum, & Laudes ſint duæ, ſive una hora, Leſſ.Abell.Bonart.*lib*.2.*c*.17. Stoz.*l*.1.*p*.3.*num*.410. idque etiam laudabile eſſe dicunt Nav.Suar.Sanch. Fill. Tamb. Pelliz. aliique multi. Si autem dividatur, debet in fine addi, *Pater noſter*; non eſt autem opus addere orationem diei, id enim ſpecialiter tantùm in Nativitate Domini præcipitur, Sanch.Bonari.Pelliz.Stoz.Azor.Gob.*tr*.5.*nu*.672.Lohner *de Horis par*.2.*t*.1.*ſ*.11. contra Navar.Lez.Bonac.Gavant.Dian. *p*.5.*t*.14.*R*.48. qui dicunt debere addi, ſed ſine commemorationibus;

bus ; quod probabile eſt, ſi dicamus Matutinum, & Laudes eſſe duas horas, nam ſi Matutinum eſt integra hora, videtur debere habere ſuam orationem, niſi illi, & Laudibus ſimul per modum unius oratis adjungatur oratio utrique communis. Eſt etiam probabilius cum Bonac. Az. Tamb. & aliis, quòd initio Laudum diviſarum non debeat dici, *Pater*, & *Ave*, quia nullibi præſcribitur, imò nec dicitur initio Completorii, quamvis ſit hora diſtincta.

1306 §.3. Si in eadem hora, vel pſalmo fiat magna interruptio, Nav. Suar. Vaſq. Baldel. Covarr. & alii dicunt eſt mortale, niſi repetatur totum, quia tollitur unitas, quæ ſpectat ad ritum, & formam præſcriptam ; ſi autem interruptio ſit parva, & fiat ſine cauſa, etiam in parvis horis, notant Az. & Leſſ. *l.2.c.37.n.* 58. fore veniale tantùm. E contrà Arrag. Barb. Laym. Sanchez Bonac. Quintanadv. Pelliz. Tann. Baſſ. Sporer. Tamb. aliique 11. cum Diana dicunt quantamcunque interruptionem non eſſe mortale, idemque ſentiunt Leſſ. Beja *par.1.caſ.*51. Gob. *in Exp. t.5.num.669.* Illſ. *t.5.à n.*17. quia ſinguli pſalmi, imò & ferè verſus habent completam ſignificationem, & ſatis uniuntur, vel per intentionem continuandi, aut ſi hæc abſit, ſaltem per hoc, quòd intrà diem, aut tempus, quo durat obligatio, addantur, ſicuti eſt una diſputatio, una Confeſſio, licèt una vice non abſolvatur ; & ſimiliter dividi poſſet Roſarium pro pœnitentia, vel ex voto orandum ; unde Gob. cum aliis num.671. dicit, quòd licitè incipias Matutinum, dum Confeſſiones audis, quamvis ſcias te aliquoties interrupturum ; imò ſi quis hodie incepiſſet craſtinum matutinum, putant Tamb. Gob. & Stoz poſſe ſine culpa mortali in qualibet ejus parte ceſſare, & ſine cauſa reliqua differre in craſtinum ; hoc tamen non facilè practicarem.

1307 §.4. Cauſæ juſtæ interrumpendi ſunt, ſi charitas, imò & affabilitas, ſeu humanitas ſit alteri exhibenda ; ſi negotium aliquod ſuperveniat, quod incommodè differetur ; ſi velis tollere diſtractionem, aut notare, quod te reddit ſollicitum, nec obliviſcaris, &c. Notat tamen rectè Gob. *nu.*848. cavendum eſſe, ne quis aſſueſcat obſequi ejuſmodi importunis ſollicitationibus, & ſic continuò interrumpat, eſt enim quædam irreverentia: Nullum autem videtur eſſe peccatum inter horas privatim aliquam orationculam, aut aliquod pium ſuſpirium intermiſcere, Bonart. *c.24.n.*15. Gob. *n.696.* Si tamen pars notabilis adderetur officio, ſecundùm Caſtr. eſſet veniale, utpote contra præſcriptam formam, & ſi faceret cum voluntate inducendi alium ritum, rectè dicit peccaturum graviter.

1308 *Q.*212. *Quid notandum ſit circa inverſionem ordinis ?* Reſp. Seqq.

§.1. Satisfit quoad ſubſtantiam, licèt invertatur ordo, hinc orare, v.g. Veſperas ante Primam ſine cauſa, eſt veniale tantùm, Caſtrop. *t.7.d.2.p.4.n.*4. Pelliz. *t.1.tr.5.c.8.n.*83. Idem eſt, ſi oretur Prima, aut etiam Tertia, vel Veſperæ ante Matutinum, Caſtrop. Baſſ. Tamb. *in Dec.l.2.c.5.§.3.num.*12. aut ſi unus pſalmus ante alium, iidem cum Gob. *in Exp.t.5.à n.*664.

1309 §.2. Cauſa ſufficiens invertendi ordinem eſt, ſi quis ab amico invitetur ad recitandam Primam, vel Horas minores, cùm ipſe necdum recitarit Matutinum, Suar. Bonac. Caſtrop. Baſſ. Pelliz. *nu.*108. Stoz. *l.1.p.3.nu.*411. quod ſaltem verum eſt, ſi hoc negare non poſſit abſque aliqua nota ſaltem inurbanitatis. Similiter ſi quis manè non habeat Breviarium ad manum nec commodè poſſit expectare, poteſt ex Diurnali, quod habet, recitare horas diurnas, poſteà recitaturus Matutinum, Tamb. & Stoz. ſuprà. Item ſi non habeat lectiones ad manum, poteſt recitare pſalmos Matutini, & Laudum, imò & reliqua, dilatis Lectionibus, Caſtrop. *num.5.* Gob. *num.664.* Similiter ſi ſerò veniat ad chorum hora jam incepta, poteſt pergere cum aliis canere, & poſteà, quæ omiſſa ſunt, ſupplere, Sanch. Laym. Gob. ſuprà : Idem eſt, ſi veniat una hora abſoluta, cantare poteſt cum choro poſteriorem, & poſteà ſupplere potiorem, Baſſ.

1310 §.3. Si ordo ejuſdem horæ ſine cauſa invertatur, v. gr. in Matutino prius recitentur lectiones quàm pſalmi, eſt veniale tantùm, uti habet communis cum Caſtrop. ſuprà, quia unitas, quam horæ habent, præcipuè eſt per aggregationem, quæ manet, licèt fiat ejuſmodi inverſio.

1311 §.4. Si oblitus es recitare aliquam horam, vel partem horæ notabilem, potes eam ſolam poſteà ſupplere, etiam ſerò veſperè, ſi tunc priùs recorderis, nec opus eſt aliquid aliud repetere, Palud. Fill. Ang. Baſſ. Nav. *in man.c.25.num.99.* Vaſq. *De Benef.c.4.num.67.* Sanch. *in Conſ.l.7.c.2.d.*18. Bonac. *d.1.qu.3.p.4.n.* 7. Abell. *De horis qu.*2. Gob. ſuprà. Quòd ſi pars notabilis ex culpa ſit omiſſa, Arm. & alii, dicunt debere repeti totum, Vaſq. *num.*68. dicit ſatis eſſe, ſi ſuppleatur omiſſum ; expedit autem ſtatim ſupplere, ut maneat continua oratio. Denique ſi in media hora advertas te omiſiſſe aliqua, potes pergere uſq; ad finem, poſteà ſuppleturus defectum, Bonac. *num.*8. Pelliz. *T.5.num.*108.

1312 *Q.*213. *Quid addendum ſit circa tempus recitandi?* R. ſeqq.

§.1. Accuratum tempus recitandi, communiter ſic ſtatuitur : Pro Matutino, & Laudibus à pridie veſperi uſque ad horam poſt ortum manè Solem : Pro Prima, à tempore auroræ uſque ad 11. Pro Tertia, ab ortu Solis uſque ferè ad meridiem : Pro Sexta, & Nona, etiam ferè uſque ad meridiem, quamvis pro Nona olim fuerit tempus circa prandium, aut etiam poſt illud, uti colligitur etiam ex verbis hymni : *largire lumen veſpere.* Veſperæ in quadrageſima, exceptis tribus primis diebus, & Dominicis, recitantur ante meridiem ; aliis temporibus, à meridie uſque ad occaſum Solis. Pro Completorio tempus eſt à tertia poſt meridiem uſque ad medium noctis.

§.2. Caram. *in Th.fund.à n.*2518. & Dicaſt. apud Gob. 1313 *n.*683. putant nullum eſſe peccatum in privata recitatione non obſervare tempora, ſed alii cum Dian. *p.7.tr.*11. *R.*12. probabiliùs contradicunt, ſi fiat ſine cauſa : Eſt autem veniale tantùm, uti habent AA. communiter cum Diana *p.2.t.*12. *R.*14. Si autem ex cauſa non ſerves tempora orandi, non peccas, & cauſæ cenſentur concio paranda, major devotio, periculum impedimenti obventuri, &c. Item cauſa juſta differendi Horas in pomeridianum tempus eſt, ſi tempus Matutinum tibi ſit ad ſtudendum aptius, Nav. Maj. Sanch. *in Conſ.l.7.cap.2.d.*36. Item cauſa juſta eſt major commoditas in continuanda lectione, vel ſtudio. Imò ex illis, quæ diſputant Dicaſt. *De Euch.d.*10. *num.* 160. & Gob. in Quin. *T.5.c.*45. *à n.*52. videri poſſet non peccare is, qui manè orat omnia, nam utique licitum eſt, & bonum manè, ſaltem ex devotione, orare omnia, poſteà autem non eſt obligatio repetendi, cùm ſatisfactum ſit obligationi. Deinde licitè me pono in eo ſtatu, in quo non ampliùs obligor lege, ergo licitè oro manè, ut à prandio non ampliùs obliger, ita illi : ſed probabilius eſt in hoc peccari venialiter, ſi fiat ſine ulla cauſa, legimus enim viros Sanctos à Deo punitos eſſe, eò quòd ita anticiparint. Rectè tamen notat cum aliis Sanch. quando periculum eſt, ne non poſſit obſervari tempus, melius eſſe anticipare quàm poſtponere, nam *ante horam orare providentiæ eſt, poſt horam negligentiæ, in hora obedientiæ*, inquit Hugo à S. Victore cum Sporer *hic n.*146.

§.3. Omnibus ſæcularibus, & Regularibus licitum eſt 1314 recitare Matutinum, & Laudes privatim veſpere antecedente, uti cum communi Gob. *in Exp.t.5.n.*678. Quandonam autem pridie inchoari poſſit Matutinum privatum diei ſequentis, variè loquuntur AA. nam inchoari poſſe ab hora ſecunda putant Quintanadv. Molf. & Faber apud Dianam *p.2.t.*12. *R.*39. dicitq; probabile eſſe Tamb. *in Decal.l.2.c.5.§.5.num.*3. & Gob. 679. dicit ſe ſecuturum, ſi ab hora tertia uſque ad cœnam deberet audire Confeſſiones ; Sanch. *autem dub.*37. *n.*4. *& 6.* dicit hoc non fore, niſi veniale, quia illud tempus, cùm ſit hora Veſperarum, videtur pertinere ad ſequentem diem. Henriq. Barb. Bonac. Gavant. & alii apud Gob. dicunt inchoari poſſe hora tertia poſt prandium, Suar. Caſtrop. *t.7.d.2.pun.*4. *nu.*3. dicunt medio quartæ; alii dicunt tribus horis ante occaſum Solis, quod probabile eſſe dicit Tamb. ſuprà ; Sanch. *num.*8. dicit ſemper licere ſaltem una hora ante occaſum Solis, tum enim reipſa appropinquat Veſper : ex univerſali conſuetudine, inquit Pelliz. *t.1.tr.5.c.8.n.*103. poteſt inchoari poſt Veſperas in Cathedrali habitas, & ita etiam docent S. Tho. aliique multi apud Sanch. *n.*3. & Caſtrop. ſuprà: hinc aliqui apud Sanch. *n.*4. putant in quadrageſima inchoari poſſe ſtatim poſt meridiem, quia dictis ante prandium Veſperis cenſetur apud Eccleſiam inceptus eſſe dies ſequens. Tuta eſt ſententia, quæ dicit inchoari poſſe pro omni tempore anni, hora quarta ; de cætero videtur dicendum, quòd in hyeme licitum ſit maturiùs incipere quàm in æſtate, quia in hyeme priùs advenit Veſper, unde univerſaliter cenſeo tum inchoari poſſe Matutinum, quando Sol eſt propinquior ad occaſum, quàm ad meridiem, ſive ſit hyems, ſive æſtas, & ita etiam docent Comit. Fill. Pelliz. ac vidi antehac etiam in Directorio aliquo Romæ impreſſo ita notatum eſſe : Hinc anno 1706. prodiit Romæ typis Cameræ Apoſtolicæ ſequens tabella, ad horas horologii noſtri ſic accommodanda :

Qua hora pridie inchoari poſſit Matutinum.

20.	Jan. hora 2. cum quadr.	13. Febr. medio	3
1.	Martii, hora 2. cum 3. quadr.	18. Mart. hora	3
4.	April. hora 3. cum quadr.	20. Apr. medio	4
10.	Maii, hora 3. cum 3. quadr.	8. Junii, hora	4
1.	Aug. hora 3. cum 3. quadr.	21. Augſt. medio	4
7.	Septemb. hor. 3. cum quadr.	24. Sept. hora	3
11.	Oct. hora 2. cum 3. quadr.	20. Oct. medio	3
18.	Nov. hora 2. cum quadr.	15. Decembr. hora	2

§.4. Si abſque cauſa dicatur Matutinum ſequentis ante 1315 abſolutum Officium præſentis diei, peccatur, ſed venialiter tantùm, quia licèt ex illis non fiat unum Officium, nec videantur inter ſe habere ordinem, tamen voluntas Eccleſiæ eſt, ut priùs exolvatur obligatio hujus diei, quàm inchoetur alterius, Suar. *de Orat.l.4.c.24.num.*3. Sanch. *num.*5. Caſtrop. *num.*4. Dian.

*p.*1.*tr.*12.*R.*15.Gob.*n.*666.Stoz.*nu.*385. Sufficiens autem causa est, si quis rogetur ab alio, ut secum recitet Matutinum diei sequentis, quamvis necdum recitarit Vesperas præsentis, Bon. aliique cum Pelliz.*n.*108. Et universaliter omnis causa sufficiēs ad inversionem ordinis inter Horas unius diei, etiam sufficit hìc, Gob. Non posse autem per unam talem recitationem satisfieri obligationi pro hac, & sequente die, certum est, quia *Alex.VII.* damnavit hanc 35. prop. *Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcpto, pro die præsente, & crastinâ.*

1316 §.5. In Quadragesima possunt Vesperæ sine ullo peccato privatim dici post prandium, quia rubrica illa solum chorum obligat, Sanch.Gavant.Gob.*n.*688.Burgh.*cent.*3.*cas.*83. Stoz. *n.*412.Lohn.*p.*4.*ſ.*10.*n.*4. Imò congruentius est nunc ita fieri: aliud erat primitus, quando vesperi priùs cœnabatur, tum enim recitabantur ante cœnam, ne nimis diu differrentur, ut ex Bellarm.Tamb. *in Decal.l.*4.*c.*5.*ſ.*4.*n.*4.

1317 *Q.*214. *An Matutinum orari debeat ante celebrationem Missæ?* Resp.De hoc dicetur l.6.quando de Sacrificio.

1318 *Q.*215. *Quid addendum sit circa tempus, quo desinit obligatio orandi pro una die?* Resp.Seqq.

§.1. Obligatio orandi pro una die desinit hora 12.noctis, hinc quod ante non orasti, poteris omittere: consequenter audiri non debet *Leander*, dicens satisfieri præcepto Horarum, si quis paulò ante mediam noctem incipiat Matutinum, & sine intermissione recitando finiat hora primà, hanc enim sententiam latè confutant Carden. *in* 1.*c ifi d.*35.*à num.*21. & Gob.*in Ext.*5.*à n.*684. est enim contrà communem sensum, & usum, nam pari jure possem die Jovis ante 12. noctis incipere comedere carnes, continuando cœnam usque ad 1. diei Veneris, quod nemo dicet: imò sequeretur per unicam illam recitationem satisfieri posse obligationi duorum dierum, quod tamen damnatum est, secundùm dicta *n.*1315.

1319 §.2. In orandis Horis, uti in aliis præceptis Ecclesiasticis, quæ horam requirunt, attendi debet hora, qua præcipitur, non præter propter, sed ad momentum, uti explicatum est l.1.à num. 582. Quandonam autem censeatur esse momentum mediæ noctis, & quid tenendum sit, si sint plura, aut etiam aliquo loco nullum sit horologium, videri possunt dicta hìc à nu.465.

1320 *Q.*216. *Quid sit addendum circa locum, & situm in orando?* Resp.hæc duo.

§.1. Non peccat, qui Horas submissè orat loco etiam sordidissimo, Suar. *De Orat.l.*3.*c.*7.*n.*9.Stoz.*l.*1.*p.*3.*num.*414. Etiam dum ventrem exonerat, Angles, Trull.Caram.Sanch.*in Conſ. l.*7.*c.*2.*d.*44.Spor.*in Th.Sacr.De Horis n.*148. Tamb.*in Dec.l.*2. *c.*5.*ſ.*6.*n.*2. Ratio est, quia potest ibi mente orari, ergo & voce, nec de se est irreverentia, Deus enim ubiq; est, ubique à se ipso, & Angelis laudatur, nec plùs sordes quàm munditiem curat: Denique oratio dirigitur ad Deum sine ullo speciali respectu ad locum. Consilii tamen est talibus locis non orare vocaliter; imò si quis temerè talem locum, vel tempus deligeret, secundùm Tamb.& Stoz.peccaret venialiter: quod etiam videtur velle Alvarez De vita relig.Instit.c.5.dicens, *Licèt vocalis oratio, si necessitas instet, in quocunque loco possit fundi, quia tunc necessitas locum honestat, tamen si commodè fieri possit, locus decens eligendus est, ubi non peragantur abjecta ministeria, nam oratio vocalis, corporalis est sensuque perceptibilis, qua Deum exteriùs alloquimur, & cor nostrum quasi hostiam mactamus, unde requirit locum honestum decentemque, sicut alia sacra corporalia.* Et ita etiam quamvis S. Thom. apud Suar. suprà pro oratione mentali nullum omninò locum excipiat, tamen addit, ad exhibenda externa orationis signa non omnia loca esse accommodata, sed oportere vel scandali, vel publicæ ædificationis rationem habere.

1321 §.2. Nullus situs corporis est de præcepto, hinc sedere cùm standum, vel genuflectendum est, per se loquendo, non est peccatum, quia rubrica solùm consilium dat ad majorem devotionem, & reverentiam habendam, Tol.Fill.Bonac.Bass. Suar.*De Orat.l.*4.*c.*27.*n.*2.Castrop.*t.*7.*d.*2.*p.*4.*n.*7.Regin.*l.*18.*nu.* 79.Sporer.*n.*149.Illf.*t.*5.*n.*34.Stoz.*nu.*415. Unde quando Nav. dicit peccari venialiter, si id non observetur, loquitur de oratione publica in choro, in quo peccatur venialiter, potiùs ratione scandali quàm cœremoniæ prætermissæ, ita Suar. suprà aliique multi cum Sporer.

1322 *Q.*217. *Quid sit notandum circa intentionem ad Horas prærequisitam?* Resp.seqq.

§.1. Communissimè docent omnes, quòd ab Ecclesia hìc præcipiatur oratio, quæ sit verus Dei cultus, seu actus religionis, quia Ecclesia vult hìc satisfieri, non tantùm voluntati Fundatorum, qui intenderunt cultum Dei, sed ab omnibus obligatis ad horas, licèt beneficiati non sint, vult satisfieri generali obligationi religionis, seu colendi Deum per orationem nomine totius populi Christiani fusam, ideoque expresè injungit Cap. *Dolentes*, De celebr. Miss. ut divinum Officium studiosè celebretur, & devotè; *studiosè*, inquit *Glossa*, quoad officium oris, *devotè*, quoad officium cordis.

1323 §.2. Certum etiam videtur, quòd per substantiam orationis, & veri cultus Dei in recitandis Horis requiratur intentio aliqua ad Deum, nam prolatio externa verborum, si absit omnis relatio ad Deum, est res de se omninò indifferens: & ideò si ebrius recitet, non satisfacit præcepto orandi. *Nec obstat*, quòd ebrius possit satisfacere, *v.g.*præcepto jejunii, secundùm dicta l.1.n.695. *Nam* disparitas est, quòd præceptum jejunii sit negativum, ideoque impleri possit non agendo, præceptum autem Horarum est positivum, quod impleri debet per actionem humano modo, & liberè positam.

§.3. Intentio in genere est propositum, seu voluntas effi- 1324
cax finis, ut obtinendi per media: hìc sumitur pro actu voluntatis efficaciter tendente in aliquod objectum habendum, vel ponendum. Dividitur in formalem, virtualem, habitualem, & interpretativam; item in explicitam, & implicitam, directam, & indirectam. Intentio formalis, est voluntas efficax, quæ nunc in se existit, & satis percipitur ab eo, qui habet (hanc communiter vocant actualem, sed cùm probabiliùs dicatur, quòd intentio virtualis reipsa sit etiam actualis, quamvis tenuis, & imperceptibilis, pro vitanda confusione meliùs dicitur actualem dividi in formalem, & virtualem.) Virtualis est, quæ aliquando existit, & non est revocata, sed adhuc existit saltem in virtute sua, idest, vel in se, sed omninò tenuiter, & imperceptibiliter, uti probabiliùs docent Lugo, & alii, vel in applicatione potentiarum externarum, uti volunt Scot. Suar. Vasq.Arr.& multi alii apud Lohner *De sacr.in genere art.*1.*q.*4. vel in applicatione aliqua ab appetitu sensitivo causata, uti volunt Palav.& Haun.*in Th.spec.l.*4.*nu.*689. vel saltem in aliquo alio suo effectu. Habitualis est, quæ neque in se neque in aliquo suo effectu existit, attamen extitit, & necdum est revocata. Interpretativa est, quam homo nunquam habuit, est tamen ita comparatus animo, ut eam haberet, si de ea cogitaret. Explicita est, qua aliquid in se clarè cognitum volumus: Implicita, qua tendimus in aliquid solùm confusè cognitum, volendo aliquid, sub quo vel in quo continetur: sic qui vult Subdiaconatum, cognoscens in confuso, quòd aliqua onera gravia sint illi annexa, implicitè intendit obligationem ad castitatem, & ad Horas, quamvis de illis expresè non cogitet. Directa est, qua aliquid in seipso volumus: indirecta, qua vel volumus causam, aut aliquid cum re connexum, vel non impedimus rei existentiam, quando possemus, & debemus. Vide Lugo *de Sacram.d.*8.*n.* 100. Quamvis autem hæ divisiones, quandoque ab aliis aliter explicentur, nam S.Th.3.*p.q.*64.*a.*8.*ad* 3. intentionem habitualem confundit cum virtuali, ut fatentur Caj.Platel. *de Sacr.nu.* 99.& alii: item Suar.*de Sacr.d.*13.*ſ.*2.Lugo *nu.*73.Spor.*de Sacram.nu.*111. indirectam confundunt cum interpretativa: Esp. *de Sacram.q.*15. implicitam cum virtuali; item habitualem cum interpretativa, tamen ad vitandas confusiones loquendum videtur, ut eas distinximus.

§.4. Intentio requisita ad Horas debet esse saltem implici- 1325
ta, & indirecta orandi, hinc qui legendo Breviarium tantùm intenderet addiscere memoriter, aut scire historias contentas, aut alteri manifestare, quod ibi scriptum est, non satisfaceret, uti habet communissima contra Dicast. qui dicit quamcunque lectionem sufficere, dummodò cum illa non conjungatur actio repugnans externæ recitationi: sed ratio nostra est, quia lectio Horarum præcipitur velut oratio, & Dei cultus, ita quidem, ut etiam communiter dicant AA. contrà Caj. eum non satisfacturum, qui loquendo Horas expresè nollet orare, quamvis vellet exercere actum bonum, aut ideò legere, quia est lectio rei sacræ, & Deo grata, ergo requiritur intentio saltem implicita, & indirecta orandi.

§.5. Ad satisfaciendum pro Horis non requiritur intentio 1326
formalis, vel explicita orandi, sed sufficit virtualis, quia tum recitatio censetur adhuc moraliter fieri ex antecedente intentione formali, & sufficienter tendit in Deum precandum, vel laudandum. Addit Gob.*in Exp.t.*5.*n.*738. sufficere etiam habitualem, saltem si non longo tempore antecesserit actualis; imò putat sufficere etiam interpretativam, quando habetur indicium illius licèt valdè tenue, sed vel admittere debet cum tali intentione habituali, aut interpretativa simul esse virtualem, vel si hanc excludat, audiendus non est, quia certum est, quòd purè habitualis, aut merè interpretativa non sufficiat ad hoc, ut recitatio sit actus humanus, qualis debet esse oratio. Et eodem sensu dici potest sufficere intentionem implicitam, seu indirectam, uti si intendam colere Deum, vacare Deo, satisfacere officio, explere obligationem, legere ne peccem, &c. quia in his continetur, vel cum his est connexa voluntas orandi, hinc satisfacit, inquit Bonac.*de Horis d.*1.*qu.*3.*punct.*2.*ſ.*2.*n.*22. qui recitat cum confusa apprehensione, & proposito faciendi opus consuetum. Addit cum Nav.& aliis etiam sufficere, si accedat Ecclesiam de more ibi recitaturus, aut si accipiat Breviarium, & Officium recitet, itaut si interrogaretur, quid faciat, responsurus esset se orare, quod semper præsumetur, cùm accipiat Breviarium, ut homo rationalis ad aliquem finem, non autem ad alium quàm ut oret, ergo accipit, ut oret, & consequenter habet intentionem sufficientem.

§.6. Non

1327 §.6. Non requiritur expreſſa intentio recitandi attentè, & ſtudiosè, quia in intentione orandi includitur intentio attendendi, maximè cùm nemo intendat aliquid facere; quin attendat ad hoc, quod intendit, cùm nihil ſit volitum, niſi cognitum, Suar.Bon.*n.*19.*Tr.*5.*n.*25.

1328 §.7. Signa intentionis orandi ſunt, ſi quis ſumpto Breviario iverit ad locum, in quo orare ſolet, ut qui à turbis eſt quietior, ſi ſaltem initio caput detexerit; ſi crucem formarit, &c. Item certus eſt de intentione ſufficiente, ſi timeat, ne hanc non habeat; ſi attendat ad ea, quæ recitat; ſi diſtractiones excludat, &c. Similiter ſi ſocius, cum quo recitare ſolet, altè diceret, *Domine labia mea aperies*, & ego non concepto alio propoſito, ſecluſis aliis negotiis proſequar, *Et os meum annuntiabit*, &c. intentionem ſufficientem habeo, Nav.

1329 §.8. Si Horæ plures recitentur conſequenter, non eſt opus ad ſingulas novam intentionem facere, vel primam renovare, ſed hæc ſe extendit ſufficienter ad omnes, quamvis non eſſet facta intentio de continuandis pluribus Horis: ſi enim pergam ad Horas reliquas, hoc fit ex virtute intentionis, qua orare volui priorem. Quòd ſi fiat interruptio, etiam abſque cauſa, & poſteà proſequar Horam, non eſt opus intentionem renovare, quia hæc reſumptio fit ex imperio, & virtute prioris intentionis. Similiter qui veſperi recitat Matutinum, & Laudes diei ſequentis, quamvis tunc de die craſtina nihil cogitet, ſatisfacit pro ea, quia orat intra tempus, quo pro die ſequenti orari permittit Eccleſia, quæ non requiſivit intentionem ſatisfaciendi, ſed tantùm ponendi opus debitum.

1330 §.9. Quamvis non ſatisfaciat voto, qui materiam voti poſuit cum animo non ſatisfaciendi, ſecùndùm dicta l.3.p.1.n.433. Quia nempe origo obligationis in voto eſt à voluntate voventis, ergo etiam perduratio illius obligationis à ſola ejus voluntate eſſe poterit, & erit, ſi illi ſatisfacere noluerit; tamen cùm obligatio orandi Horas non ſit à nobis, perduratio illius obligationis etiam non pendet à nobis, ſi poſitum ſit hoc, quod erat præceptum, ſecundùm dicta l.1.num.693. Hinc qui oraſſet etiam nolens ſatisfacere præcepto, ſatisfeciſſet, uti in hac materia docent Suar. Vaſq. Sanch. Coning. Lugo, aliique communiſſimè cum Gob.*num.*621. Supereſt hoc dubium, ſi quis pridie veſperi recitarit Matutinum ſequentis diei, poſitivè nolens ſatisfacere pro die ſequenti, ſed intendens cras repetere, & tunc priùs ſatisfacere, an ſatisfecerit, aut teneatur cras repetere Matutinum? Ratio dubii eſt, quia non eſt præceptum nec obligatio, ut pridie oretur, ideoque obligatio illa extenſa ad hunc diem liberè aſſumitur, & oritur à voluntate orantis, ergo etiam ab illius voluntate pendebit, ut tollatur, vel ut permaneat, uti fit in voto. Tamen videtur dicendum talem jam ſatisfeciſſe, nec teneri cras repetere, quia obligatio orandi Matutinum alterius diei non eſt à voluntate orantis, ſed ex præcepto Eccleſiæ per benignitatem extenſo ad priorem veſperam, ergo licèt pendeat à noſtra voluntate orare pridie, vel non orare, tamen eſſe vel non eſſe obligationem orandi intrà tempus hodiernæ Veſperæ, & diei craſtinæ, hoc non eſt à noſtra voluntate, ergo neque ab hac eſt, ut ſatisfiat, vel non ſatisfiat iſti obligationi, ſi oratio præſcripta ponatur intrà iſtud tempus; ſicuti à mea voluntate pendet manè hora 4. aut hora 10. orare Matutinum, & tamen, ſi hora 4. orem, etiam nolens ſatisfacere, ſatisfacio, ergo ſimiliter hic.

1331 §.10. An recitans in choro poſſit per intentionem ſibi, vel alteri applicare illam orationem, accuratè diſputat Gob. *à n.*770.*ubi nu.*789. docet eos, qui extra chorum recitant, non recitare nomine Eccleſiæ, ideoque poſſe applicare ad intentionem, quam volent. Videri poteſt etiam Sporer, *in Th. Sacr. de Horis n.*66.

1332 *Q.*218. *Quid ſit, & quotuplex attentio ad Horas?* Reſp.

§.1. Attentio, in genere, eſt advertentia ad aliquid; unde attentio ad Horas eſt advertentia ad recitationem illam vocalem Horarum. Eſt autem duplex, externa, & interna; externa conſiſtit in hoc, quòd quis, quando recitat, abſtineat ab omni occupatione externa incompoſſibili cum attentione interna. Attentio interna eſt advertentia, & applicatio quædam major animi ad hoc, quod recitat; Dico, major, nam quandocunque aliquis recitat, neceſſariò habet aliquam attentionem internam, uti rectè Gob. *in Exp. T.*5.*nu.*802. quia lingua non proferret, niſi appetitus imperaret, appetitus autem non imperat, niſi præcedat cognitio & advertentia aliqua ad illud, quod imperatur, cùm nihil ſit volitum niſi cognitum: talis tamen advertentia non ſufficit ad orandum.

1333 §.2. Attentio interna eſt triplex, 1. Ad verba tantùm, ut ea rectè, diſtinctè, & reverenter proferantur, & hæc dicitur attentio ſuperficialis. 2. Ad ſenſum verborum, ut hæc percipiantur mente, & affectus applicetur ad hoc, quod verba ſignificant; & dicitur attentio litteralis. 3. Ad Deum, ut quis, dum recitat, cogitet de Deo aliove myſterio, aut ſaltem de re ſeu gratia, quam à Deo petit, & hæc dicitur attentio ſpiritualis.

1334 *Q.*219. *An attentio externa requiratur ad ſatisfaciendum pro Horis?* Reſp.

§.1. Secundùm omnes requiritur: nam qui vult occupationem externam incompoſſibilem cum attentione interna, non orat, nec Deo exhibet cultum, quod tamen hic præcipitur: & ideo docet Gob. *in Exp. T.*5.*n.*716. eum, qui propter ingentiſſimum mœrorem vel turbationem mentis non poſſet, nequidem ad verba attendere, etiam non teneri recitare Horas, quia quamvis recitaret, non oraret, ideoque nec ſatisfaceret.

§.2. Dubium manet, à quibus occupationibus externis 1335
neceſſariò debeat abſtineri, ſunt enim variæ, & non omnes æqualiter per illas diſtrahuntur: Sot. Arrag. Lugo dicunt abſtinendum eſſe ab illis, quæ per ſe & ex natura ſua ſunt incompoſſibiles cum attentione interna, quamvis reſpectu hujus hominis, qui habet firmiorem phantaſiam, fortè eſſent compoſſibiles, nam leges videntur dari pro eo & de eo, quod eſt per ſe, non autem de eo, quod eſt per accidens. E contrà Nav. Sanch. Beja, Suar. *de Orat. l.*4.*c.*26.*n.*21. & alii probabilius dicunt illam incompoſſibilitatem deſumendam eſſe ex reſpectu ad orantem, ideoque ſatisfacturum, qui pingendo habere poſſet attentionem internam, quia poneret opus præceptum, nempe veram orationem, neque aliter videtur præcipi attentio externa, niſi prout neceſſaria eſt ad internam, unde è converſo dicunt eum non ſatisfacturum, qui etiam tantùm ambulando adverteret ſe non poſſe habere ullam attentionem internam, nequidem ad verba, tunc enim reipſa non haberet attentionem externam, quæ præcipitur, nempe talem, quia impediat actiones incompoſſibiles cum interna. Notat autem Gob. *nu.*816. quòd in ſententia negante peccari mortaliter ab eo, qui negligit omnem attentionem internam, videatur dicendum, vetari ab Eccleſia, & conſequenter ſolùm ſub veniali à Deo, actiones tantùm illas, quæ ex ſua natura graviter repugnant attentioni internæ: addit nu.841. cum Sot. & Suar. probabile eſſe, illas ſolas diſtractiones prohiberi ab Eccleſia, & conſequenter à Deo, quæ cauſantur per actiones externas, quæ ſua natura ſunt incompoſſibiles cum attentione interna.

§.3. Actiones incompoſſibiles cum attentione interna 1336
communiter cenſentur hæ, pingere, ſcribere, attentè audire alios loquentes, celeriter ſe veſtire, magna cura aliquid exteriùs agere &c. Quod ſi actio externa non requirat magnam impenſam animi, non impediet ex ſe attentionem debitam: & ſi ſit difficultas in habenda attentione interna cum tali actione externa, compenſari poteſt per majorem curam attendendi. Quas autem actiones licitè exerceo, dum recito preces non debitas, eaſdem licitè exerceo, dum recito debitas, quia ſemper ſunt tales, ut compatiantur attentionem internam, Sanch. Gob. *num.* 617.

§.4. Satisfacit, qui orat non omnino properanter ſe ve- 1337
ſtiendo, exeundo, colligendo herbas vel uvas, tardè inſtruendo focum, pectendo caput, lavando ſe, tenendo oculos in viridarium, proſpiciendo in ripam vel fluvium, Nav. Gob. *n.*238. Et idem eſt, inquit Sanch. de actionibus aliis, quæ fiunt non valdè feſtinanter. Addunt Nav. Caj. & Beja actionem cum attentione interna compoſſibilem eſſe aptare calamum ad ſcribendum, quod meritò non admittit Gob. ſuprà, & iterum *n.* 817. qui tamen inter recitandum facit neceſſaria ad recitationem, non videtur peccare, Nav. Silv. Sanch. Gob. *nu.*819. hinc quærens alia, & intereà recitans memoriter, ſecundùm Gob. non peccat, nec tenetur priùs notare aut tantiſper ceſſare.

§.5. Si ipſemet orans non exerceat ejuſmodi actionem ex- 1338
ternam ordinariè ſemper poterit adeſſe attentio externa & interna ſufficiens ad orationem, quia attendere poterit ad verba, ut ea articulatè & ordinatè proferat, unde non obſtabit, quòd exteriùs circa ipſum fiant fabulationes, cantus, tumultus, pulſentur tympana &c. dummodò ad iſta non defigat cogitationes nec ſeriò applicet animum: Nec tenebitur quærere locum opportuniorem vel expectare tempus liberum ab iſtis, quæ perfectiorem attentionem impediunt, ut dicetur n.1344.

§.6. Si exercens actionem externam non advertat per eam 1339
impediri attentionem internam, non eſt opus poſteà quidquam repetere, Regin. Sot. Nav. Tol. Valent. Bonart. Diana *p.*5.*tr.*11. *R.*30. Gob. *n.*820. puto tamen id intelligendum eſſe, ſi actio ſit de ſe incompoſſibilis cum attentione interna. Peccat autem, qui eligit locum diſtractionibus valde expoſitum, v.gr. forum publicum, aut locum, ubi eſt frequens concurſus, clamor aut ſtrepitus profanus hominum, aut ubi habentur clamoſæ diſputationes, Bonac. *de Horis d.*1.*qu.*3.*p.*5. Caſtrop. *tr.*7.*d.*2.*p.* 4.*n.*7. Stoz. *l.*1.*p.*3.*n.*414.

*Q.*220. *An aliqua attentio interna requiratur ad Horas?* 1340
Reſp. Illſ. *t.*5.*num.*26. & Vindex Gobati *p.*2.*prop.*7. putant non eſſe locum huic quæſtioni, quia cùm ſatisfieri non poſſit niſi actu humano orationis, oratio autem talis requirat intentionem orandi, ideoque attendendi ſaltem ſuperficialiter, ſive ut verba bene proferas, inferunt cum Suar. *de Oration. l.*4.*c.* 26.*n.*5. & 13. certum eſſe, quòd ad ſatisfaciendum requiratur aliqua attentio interna: & hoc eſt, quod inſinuavimus *nu.* 1332. Hinc volunt quæſtionem ſic proponi, an recitans Horas cum diſtractione voluntaria ſatisfaciat præcepto? ſed

cùm omnes ferè AA. quæſtionem diſcutiant in terminis, quibus eam propoſui, & pro eodem in ordine ad hanc quæſtionem ſumant, *non attendere interne*, & *diſtrahi voluntariè*, utemur modo loquendi eorum. Itaque aliquam intentionem internam requiri docent S.Tho. aliique valde multi, quorum 37. enumerat Dian. *p.1.tr.12.R.2.* & Thom.Hurt. enumerat 50. teſte Neuſſ. *de Horis d.9.nu.15.* E contrà S.Anton. & alii plures quàm 24. quos enumerant Diana ſuprà, & Moya *T.1.tr.2.d.2.q.1.n.9.* ad quos accedunt Lugo *de Euch.d.22.ſ.1.nu.25.* Mendo *d.7.q.3.* Gob. *t.5.num.821.* negant requiri, ita ut utraque ſententia ſit authoritate firmata; & plurimi etiam ex AA. primæ ſententiæ fatentur ſecundam eſſe omnino probabilem & tutam. Hìc expendemus, pro qua ſententia ſit præcipuè ratio intrinſeca. Qui affirmant requiri aliquam attentionem internam, duplicem ineunt viam, aliqui ideò requirunt, quia putant eſſentiam orationis non poſſe conſiſtere ſine aliqua attentione interna: alii qui quamvis permittant eſſentiam orationis poſſe conſiſtere ſine attentione interna, tamen putant hanc eſſe pro Horis ſpecialiter præceptam ab Eccleſia: utrumque fundamentum eſt examinandum: itaque ſit,

1341 *Q.221. An aliqua attentio interna requiratur ad eſſentiam orationis?* Reſp. Affirmare videtur S.Th. *in 4.d.15.q.4.art.2.* ſed *2.2.q.83.art.13.* docent ſolam intentionem eſſe de eſſentia, non autem attentionem: affirmant tamen de eſſentia orationis eſſe, Navar, Sot. Caj. Silv, Caſpenſ. Marchant. Azor. Suar. Vaſq. Leſſ. Sanch. Laym. Arſdeck, Sporer aliique pluri mi citati à Dian. *p.1. t.12.R.2.* & *p.3.t.4.R.101.* Rationes ſunt. 1. Quia Oratio definitur à *S.Damaſ.* elevatio mentis in Deum. 2. Si non requireretur ulla intentio interna, non eſſet ratio, cur voluntaria diſtractio jure divino & naturali prohiberetur. 3. Per prolationem verborum illius, qui intendit orare, ſed nullam attentionem habet, offenditur Deus, ergo illa non eſt vera oratio nec cultus Dei. 4. Sequeretur, quòd aliquis poſſet ejuſmodi præceptis ſatisfacere per ſolam ſimulationem.

E contrà ad eſſentiam orationis nullam requiri attentionem internam defendunt Gloſſ. Hoſtienſ. But. Turrecrem. Ang. Anchar. Vimbert. Armil. S.Anton. Med. Roſel. Dur. Abb. Tabien. Gerſ. Palud. Coton. Comit. Th. Hurt. Bardi. Dicaſt. Stoz. Tabern. Con. *de Sacram.qu.83.ar.6.d.un.à n.289.* Quarti *p.1.tr.16.* Lugo *de Euch.d.22.ſ.2.n.25.* Tamb. *in Decal.l.4.c.2.§.1.n.19.* & *de Sacrificio l.2.c.3.* Gob. *in Exp.t.5.n.821.* aliique multi: hanc ſententiam vocat probabiliorem Platel. *p.3.nu.810.* Sporer *in Th. Sacram.à nu.75.* fatetur probabilem, & idem fatentur Medin. Henriq. Leſſ. Laym. A. Tamb. Baſſ. Caſpenſ. Moya, Maſtr. aliiq; apud Vindicem Gobati *p.2.prop.7.* Rationes autem ſunt, 1. quia ſi aliqua attentio interna requireretur ad eſſentiam orationis, ergo qui involuntariè diſtrahitur, non ſatisfacit, quia non ponit orationem, quæ eſt ſubſtantia rei præceptæ. *Si dicas*, non tolli attentionem virtualem, ſed tantùm formalem. *Contra*, attentio virtualis non erit niſi intentio præmiſſa, ergo hæc ſola ſufficiet, 2. Extrema Unctio collata cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, eſt valida, licèt abſit attentio interna propter diſtractionem, ergo ſine attentione interna ſtat eſſentia orationis, nam forma extremæ Unctionis eſt deprecatoria. 3. Si attentio interna ſit de eſſentia orationis, ergo qui voluntariè diſtrahitur, omnino non peccat, quia ceſſat ab oratione, cùm partem eſſentialem illius omittat, ergo non diſtrahitur, ſed extrà orationem. 4. Per attentionem externam & intentionem internam veluti per adæquatam formam conſtituitur ſufficienter recitatio Horarum in eſſe orationis de ſe ſeu objectivè religioſæ: Quod *Conf.* nam qui cum attentione externa & interna intentione invocat dœmonem, committit actum idololatriæ & irreligionis, ergo è contrà ponit actum latriæ & religionis, qui cum illis invocat Deum.

Ob has aliaſque rationes, quas afferunt Lugo ſuprà, & Gob. *à num.824.* ſententia hæc ſpectata ratione videtur eſſe probabilior: unde reſpondetur ad argumenta oppoſita: *Ad 1.* dico elevationem mentis in Deum haberi per intentionem orandi, ſaltem virtualiter permanentem, uti docet S.Tho. *in 4.diſt.15. q.4.art.2.q.4.ad 3. Ad 2.* dico diſtrahi voluntariè eſſe peccatum & intrinſecè malum, quia eſt irreverentia exteriùs Deum alloqui & profiteri ſe Deum colere, ac id non facere interiùs. *Ad 3.* N. conſ. nam ſi ſit vera oratio & actus religionis, additur ei aliquid, quod Deo diſplicet; uti ſi quis ex vanagloria oret, eſt vera oratio, & tamen Deo diſplicet. *Ad 4.* C. ſatisfieri, ſi ſimulatio cadat ſuper internam pietatem, dummodò totus actus externus cum intentione interna verè ponatur, & in hoc nihil eſt abſurdi, tam parum, quàm quòd ſatisfiat per recitationem ex vanagloria.

1342 *Q.222. An attentio interna in Horis ſit ſaltem graviter præcepta ab Eccleſia?* Reſp. Argumentum pro parte affirmante eſt, quia in *cap. Dolentes, de celebrat. Miſſar.* ſic habetur *Directè præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum officium, quantùm eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent ac devotè.* Et meritò id præcipit Eccleſia, cùm Chriſtus conqueratur Matth. 15. v.8. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me:* quod verum eſt de illis, qui nullam in orando attentionem habent. Hanc ſententiam latè defendit Fagn. *ad cap. Dolentes, à num.17.* & Gob. *t.5.num.838.* dicit omnibus conſideratis eſſe probabiliorem: Nihilominus adhuc contrariam defendunt Con. Lugo, aliique multi apud Arſdeck *de probab.opin.qu.3.* negantes ullam ex præcepto eſſe obligationem ad attentionem internam; ac probabilem & tutam in praxi dicunt etiam ex adverſariis multi cum Henriq. Leſſ. Laym. Lohn. Gob. *nu.830.836.* & 843. Aliqui utuntur hac ratione, quòd Eccleſia præcipere non poſſit actus internos, ſed ratio illa nulla eſt, uti conſtat ex dictis *l.1. à num.643.* Itaque alii probant his argumentis, 1. Quia lex poſitiva, quæ obligaret ad attentionem internam, non eſt ſatis promulgata, cùm graviſſimi AA. eam dari negent, alii de ea dubitent, ergo non obligat, ſecundùm dicta *l.1. à n.274.* 2. Pontifices ſciunt ſententiam, quæ ejuſmodi obligationem negat, defendi, & tamen, cùm facilè poſſent, non contradicunt, ergo agnoſcunt legem illam non eſſe certam, ergo nec obligat, ſed libertas noſtra eſt in poſſeſſione contrà eam, uti etiam *l.1. à num.272.* dictum eſt. Unde ad argumentum contrarium reſponderi poteſt, quod in *cap. Dolentes*, præcipiatur tantùm actus externus religionis, uti etiam in Trid. *ſeſſ.24.c.12.de Ref.* nam ibi agitur contra illos, qui in Choro ſub officio fabulantur, uti advertit Con. hinc ipſe Suar. notat, evincitque Lugo *nu.37.* ex eo capite nihil concludi contra poſteriorem ſententiam, ideoque eſt, & manet probabilis, ut optimè oſtendit Gob. *num.831.* prior tamen eſt pro praxi ſuadenda ac meritò ſequenda.

Q.223. Quænam pro praxi adhuc addenda ſint circa attentionem internam? 1343 Reſp. Sive quis primam ſententiam teneat dicatque ſub mortali requiri attentionem internam ad ſatisfaciendum obligationi Horarum, ſive teneat ſecundam, & neget ſub mortali requiri, tamen ſequentia ſunt vera.

§.1. Semper peccat venialiter, qui voluntariè in Horis diſtrahitur, quia eſt irreverentia velle loqui cum Deo, & non applicare mentem, ſed voluntariè alia volvere animo. Attamen non peccat, qui aliquid legens cogitat ſe illo uſurum, v.g. in concione aut ad ſuam vel aliorum inſtructionem, quia cum hoc ſtat attentio requiſita, neque alienum eſt ab oratione, Gob. *in Exp.t.5.n.761.*

§.2. Non requiritur voluntas habendi meliorem attentio- 1344 nem quàm ſuperficialem & ad verba, ut bene proferantur, licèt non deſcendatur ad ſenſum litteralem quia prior attentio ſufficit ad veram orationem, ſecundùm omnes, ita Suar. Leſſ. Eſcob. Bonart. Caſtrop. uterque Tamb. Tyber. Regin. *l.18.nu.155.* Gob. *n.837.* IIIf. *T.5.à n.27.* Unde, inquit Fill. *t.23.nu.258.* voluntariè & ſine cauſa ponere impedimentum perfectiori attentioni non poteſt eſſe ſine veniali. Nec neceſſaria eſt attentio ad ſingula verba, ſed moralis & generalis, qua quis ſcit ſe orare & curat rectè proferrè ſacras illas ſententias.

§.3. Ubi in Horis continentur hiſtoriæ, increpationes, 1345 adhortationes, bona propoſita &c. ſufficit illa dicere tantùm materialiter & recitativè, id eſt, ſine animo ſignificandi: E contra hymni, pſalmi, Antiphonæ & preces recitandæ ſunt ſignificativè; ſufficienter autem recitantur ſignificativè, ſi adſit intentio orandi, gratias agendi, laudandi Deum, & attendatur ad externam prolationem, Neuſſ. Gob. *n.765.*

§.4. Deliberatè fovens alienas cogitationes & tamen non 1346 advertens ſe per illas deficere à requiſita attentione, ſecundùm Caj. Sot. Suar. Sanch. Nav. Arm. Fill. Bon. Leand. Gob. *nu.840.* & alios, non peccat mortaliter, quia talis diſtractio, licèt ſit voluntaria, prout eſt inhæſio in aliis rebus, tamen prout diſtractio ab Horis, non eſt voluntaria, nam poſſet eſſe cogitatio de aliis rebus, & manere ſufficiens attentio ad Horas, cùm poſſimus plura ſimul cogitare; ſufficit autem adhibere mediocrem diligentiam ad repellendam diſtractionem, Caj. Nav. Bonart. & alii communiter cum Gob. *n.846.* Et ſi quis eam advertens negligenter repellat, peccat tantùm venialiter, Bonart. & alii. Rectè autem monet Nav. eum, qui vult attendere, non debere ſe occupare in cogitando, an attendat necne, nam ſic cogitando, & metuendo, ne non attendat, reipſa diſtrahitur, quia, ut advertit Caj. velle attendere non eſt attendere, ſed tantùm pro objecto habere attentionem.

§.5. Media attentè orandi ſuggerit ſequentia Petrus Faber 1347 *in 1.p.hiſt.Societ JESU c.3.n.35.* 1. Interponere preces jaculatorias. 2. Quandoque breviter renovare propoſitum & intentionem bene orandi. 3. Præmeditari Chriſti Paſſionem. 4. Obſervare locum opportunum. 5. Sibi proponere Sanctum, de quo eſt Officium, ejuſque verba & actiones. 6. Negotia anteà deponere, ſive ſeponere ſollicitudinem craſtini & aliarum rerum. 7. Cum mente paciſci, ut hunc ſaltem pſalmum attentè dicat. 8. Cogitare Deum præſentem, aut ſe cum Beatis alternare in laudando Deo. 9. Dolere ab una oratione ad aliam, ſi minùs benè ceſſit. Facillimum medium videtur eſſe pro homine intelligente ſi affigat intellectum ad ſenſum verborum, & voluntatem applicet ad effectus, qui ſuggeruntur per verba.

Q. 224. An ſpecialiter peccet, qui orat cum actuali 1348 *propo-*

propoſito peccandi mortaliter ? Reſp.Negant Nav.& Sanch. *in Conſ.l.7.c.2.d.9.& 10.* adduntque nihil referre, quod hoc fiat in choro, etiam in ſacris veſtibus, quia hæc officia non ſunt actus Ordinis ſacri, quamvis ab Eccleſia quodammodò approprientur perſonis in Ordine ſacro conſtitutis : è contrà talem peccare peccato ſpecialis malitiæ docet Moya *T.1.tr.2.d.2.qu.1.n.7.*quod etiam dicere debent relati n.1342.qui putant ab Eccleſia præcipi devotionem internam in Horis; & ratio hic ſpecialis eſt,quia in hoc eſt ſpecialis indecentia, cùm circumſtantia neceſſaria orationis ſit reverentia & ſubmiſſo ad Deum ; idemque Med. putat per hoc peccari mortaliter, Corduba autem venialiter tantùm, quod videtur probabilius.

1349 *Q.225. An ſit obligatio orandi cum ſpe vel fide?* Reſp. Negativè, nam ſpes tantùm eſt neceſſaria ad impetrandum, ubi notant Suar. *de Relig.T.2.l.1.c.24.* Fill.*tract.22.n.255.* Con. *de Spe d.19.num.117.* Nec plus videtur velle Becan. *de Spe cap.17.q.7.n.7.* ſpes autem non eſt neceſſaria ad orationem, prout hæc eſt laus & cultus Dei, uti nec fides: nam Deus à Beatis laudatur & colitur, licèt ab his abſit omnis actualis ſaltem fides ac ſpes : poteſtque etiam eſſe oratio, prout eſt petitio, quamvis abſit ita expreſſa fides ac ſpes, rectè enim dicit Caſtrop.*t.5.p.4.nu.3.*& Eſcob.*in Th.mor.l.48.nu.86.* ſufficere ſpem implicitam & virtualem, quæ ſemper adſit, ſi petatur aliquid, quia ſi non eſſet ſpes obtinendi, non peteretur. *Nec dicas* orationem debere eſſe ſupernaturalem, ideoque præſupponendam fidem & ſpem, ſecundùm dicta *l.2. à num.21.* Nam oratio poteſt eſſe actus planè naturalis, imò & peccaminoſus, v.gr.ſi quis oret ex vanagloria vel diſtractè ; per talem autem orationem naturalem ſatisfieri præcepto docet expreſsè Suar.ſuprà *l.3.c.3.n.5.* addens neminem hoc negare.

1350 *Q.226. Quænam ſpecialiter pro ſcrupuloſo hic ſint notanda* ? Reſp.Seqq.

§.1. Qui recitavit, non poteſt prudenter dubitare de habita intentione ſufficiente ad ſatisfaciendum, ſecundùm dicta à n. 1326. Statque intentio requiſita cum diſtractione etiam voluntaria : & quamvis per diſtractionem amiſſa eſſet, ſufficienter redit per ſolam excluſionem diſtractionis, proſequendo opus inceptum : metus autem, ne intentio amiſſa ſit vel non renovata, certum ſignum eſt, quòd adſit : Et niſi quis certò ac ſine hæſitatione ſciat, quòd mutarit intentionem orandi, judicare debet ſe adhuc habere.

1351 §.2. Quando quis certò & ſine ulla hæſitatione affirmare non poteſt ſe voluntariè & cum plena advertentia fuiſſe diſtractum in officio vel notabili ejus parte, nihil tenetur repetere, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, poſſidet autem noſtra libertas, quando conſtat de recitatione, & non conſtat certò de diſtractione voluntaria, Suar.*de Orat.lib.4.c.26.n.20.* Nav.Rodriq.Silv.Regin.Fill.Bon.Bonart.Baſſ.aliique communiſſimè. Et idem eſt, ſi dubitet, an bene expreſſerit omnia, an non mutilarit nimis properando, an non ſenſum corruperit aliquid omittendo, vel mutando, quia cùm ſine dolo voluerit recitare, uti debuit, credere debet id factum eſſe, niſi certò conſtet de oppoſito : & licèt fortè defectum commiſiſſet, prudenter interpretamur mentem Eccleſiæ eſſe, quòd non obligetur repetere ea, de quibus tantùm dubitat, uti habent AA. communiter cum Illſſ. *T.5.n.40.* Si adhuc anxius ſit, præcipuè propter attentionem, tutò poteſt ſe accommodare ſententiæ non requirenti ullam attentionem internam,de qua num.1340. dictum eſt ; unde quamvis putet ſe toto tempore voluntariè fuiſſe diſtractum, adhuc nihil repetat, vel enim id verum non eſt, ſed tantùm apprehenditur aut timetur, vel ſi verum eſt, adhuc prudenter judicat ſe ſatisfeciſſe ſecundùm relatam ſententiam, & ſaltem cum tanta moleſtia non tenetur repetere. Quoad Sacerdotes Societatis JESU & alios cum ipſis communicantes in privilegiis,videri poteſt novum Compendium priv. v.*Horæ Canonicæ, §.4.& 5.*

1352 §.3. Inter recitandum non hæreat nec ſollicitus ſit de attentione, nam hæc ſollicitudo eſt diſtractio ; hinc præmiſſa intentione, uno tractu decurrat nullibi hærendo & ne verbum quidem repetendo, nam ſi quid eſſet repetendum ab ipſo,deberet tantùm in fine repeti, alioquin miſerè truncaret & confunderet omnia.

1353 §. 4. Nulla actio vel turbatio attentionem ſufficientem impedit, quæ per ſe ſeu ex natura ſua eſt compoſſibilis cum attentione interna, ſecundùm dicta à num.1335. Unde licèt diſtrahatur per aliquid, præſertim accedente phantaſia aut metu, ne per hoc diſtrahatur, ſi tamen actio vel res non ſit de ſe talis, quam probi & prudentes alii homines, quando orant, omnino cavent,non tenetur tale quid cavere vel declinare,ſed diſtractio tunc obtingens cenſebitur involuntaria.

1354 §.5. Certum ſit ex ſummis DD.inquit Bonart. *de Horis l.3.c.24.*idemque probat Gob.*Tom.5.nu.715.* expleto officio nihil eſſe repetendum à ſcrupuloſo, quomodocunque illud expleverit, niſi certò & abſque ulla hæſitatione ſciat culpam mortalem in eo perſolvendo à ſe eſſe admiſſam. Et hoc tenet inquit Lohn.quamvis neſciat, ſed timeat, ne non ſatisfecerit, ideoque nihil repetat,ſive bene ſive malè ſibi videatur recitaſſe. Ratio horum omnium eſt, quia Eccleſia non vult eos cum tanto gravamine aliter obligare ; hinc docet etiam Gob.*n.704.* omnes, quibus recitatio Breviarii cauſat graves ſcrupulos & anxietates, poſſe, imò juberi debere ad tempus omittere recitationem, donec videantur poſſe ſine tanto incommodo recitare, quia à præcepto Eccleſiæ excuſatur quis per magnum incommodum ; & quando timeri poteſt grave damnum, uti hic fit ; poſſuntque pleraque hic dicta ſervari à quocunque, qui eſt timoratæ conſcientiæ.

Dices. Debito certo non ſatisfit per ſolutionem incertam & dubiam. Reſp.Non eſt hic dubia ſolutio, ſed moraliter certa, quia eſt commune judicium omnium prudentum, quòd Eccleſia plùs non requirat ab ejuſmodi hominibus : eſſet enim intolerabile requirere ab illis omnimodam aut majorem certitudinem, cùm fermè ad omnia hæreant, & ſe dubitare credant.

DUBIUM III. 1355

Quid Clerici poſſint circa diſpoſitionem fructuum ſuorum Beneficiorum.

RESP.I. Clerici beneficiarii, quoad eam partem bonorum Eccleſiaſticorum,quæ neceſſaria eſt ad congruam ſuſtentationem & decentiam ſtatus, ita fiunt domini, ut de iis poſſint liberè diſponere. Ubi rectè notat Nav.hanc congruitatem & decentiam habere latitudinem, & ſuos gradus; proindeque, ſi infimum congruæ ſuſtentationis pretium ſint floreni 300. medium 400.ſummum 500. Clericus autem infimo vivat, de reliquo liberè poſſe diſponere. *Ita communiter* : quia id acquiſivit ut ſtipendium ſuſtentationis,quaſi mercedem operis præſtiti.

Reſp.II. Probabilius etiam eſt, contra Nav. *& multos Canoniſtas*, Beneficiarios non regulares (ſecus enim eſt de Regularibus, ut vid.Lug.*d.4.ſ.1.n.2.*) abſolutè eſſe dominos omnium ſuorum proventuum, ideoque etſi in profanos uſus expendant, non teneri ad reſtitutionem ; Eſt communior inter recentiores, apud Binſf.Malderum & Bon.*t.1.d.4.p.4.* ex S.Thom.Soto, Mol.&c. Tum quia fructus faciunt ſuos, ut ſupponit Trid.*ſeſſ.24.cap.12.de Ref.* tum quia alioqui non poſſent fructuum dominium in alios transferre, (extrà pios uſus) omneſque eorum donationes & contractus eſſent invalidi : & ut tales à Judice declarandi, & bona Eccleſiæ reſtituenda : quod cum nunquam ſit factum, præſumi non debet eſſe faciendum, Lugo *num.1.* Quo non obſtante, teneri eos bona Eccleſiaſtica, congruæ ſuſtentationi ſuperflua, expendere in pios uſus, tam eſt communis ſententia, ut Lugo *nu.10.*dicat, nimis ſingularem eſſe ſententiam Petri Hurt. & Dian. dicentium, eos ſatisfacere, ſi (ſecluſis gravibus neceſſitatibus) erogent in communibus neceſſitatibus quartam partem redituum Eccleſiaſticorum, vel certè dimidium ejus, quod congruæ ſuſtentationi ſupereſt. V.Lug. *l.c.* ubi plurimis pro ſe citatis Author.oſtendit, Tol.Molin. & Bon. malè citari pro contraria ſententia : imò ipſummet Hurt. & Dian. in eo non perſtitiſſe, atque nulla vel authoritate, vel ratione fulciri : ac denique ſuam multis probat, præſertim ex Trid.*ſeſſ.21.cap.5.de Refor.* oſtenditque iſtam obligationem naſci ex jure, non tantùm humano,ſed etiam divino naturali. Vide etiam Bonac.*p.2.* Porrò congrua ſuſtentatio Clerici cenſetur, quæ neceſſaria eſt ad ſtatus & familiæ ſuſtentationem ſecundùm conditionem ſtatus, gradus, dignitatis, qualitatis, & regionis, in qua habitat, Bon.*l.c.* Molin. Laym.*l.4.tr.2.cap.3.* Lugo. *Unde reſolvuntur hi Caſus*:

I. Congrua ſuſtentatio non eſt æqualis reſpectu omnium, quia plus requirit Epiſcopus, quàm Decanus, Decanus, quàm Canonicus; Canonicus in Eccleſia principali, quàm Parochus ; debilis & tener, quàm robuſtus & valens : & quod ſufficit in uno loco, non ſufficit in alio : Quapropter attendi debet ad uſum aliorum timoratæ conſcientiæ, in eodem gradu, &c. Nec obſtat,quòd beneficiarius emerſerit ex humili, quò minus poſſit ſtatui ſuo convenientes ſumptus facere, ut ex Mol.docet Lugo, *l.c.* Vide Bon.*n.8.*

II. Nomine congruæ ſuſtentationis, etiam intelligitur debita hoſpitalitas, non tantùm in pauperes peregrinos, (qui maximè commendantur Clericis à Trid.)ſed etiam urbanos, Lugo *n.66.*

III. Debita,quæ Clericus contraxit pro ſua ſuſtentatione, vel ob piam cauſam, poteſt ſolvere ex redditibus Eccleſiaſticis ; non item, quæ contraxit ante Beneficium obtentum, niſi ſit pauper, *Ibid.n.67.*

IV. Poteſt Clericus ex bonis ſuperfluis licitè in ſtudiis alere ſuos conſanguineos, ſi aliunde non habent ; eò quòd parentes vel nolint vel non poſſint alere in ſtudiis. *Ibid.*& Bonac.*p.2.n.13.*

V. Si habet ſorores pauperes vel filios ſpurios, ex fructi-

bus Beneficii dotare licet, ſi aliunde non poteſt, quia naturali jure debet illis alimenta, in quorum locum ſuccedit dos, Mol.Binsf.&c. Cavendum tamen ſub mortali, nec vel illas notabiliter ſupra ſtatum exaltet, vel hos legitimis æquet: etſi nobilis plus poſſit dare, quàm alius infimæ ſortis. V.Laym. *num.*4.

VI. Si bona ſuperflua expendat in uſus profanos, v.gr. in venationes, canes, equos, paraſitos, ludiones, luxum, in amicos, cognatoſque ditandos, &c. (quod intellige de quantitate notabili in genere prodigalitatis, quia longè major eſt; quàm in genere, furti) graviter peccat quidem, non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia eſt dominus fructuum; & conſequenter neque is, qui accepit. Ita contra Nav.&c. communiter Doctores alii ex Trid. *ſeſſ.*21.*c.*2. Azor.*t.*2.*l.*7.*c.*8.*q.*2. Vide Laym.*n.*4. Bon.*d.*4.*p.*2.*n.*9. *&* p.4.*n.*1.*&c.*

Quæres. 1. Quæ teneantur in pios uſus expendere? Reſp. Ea omnia, quæ acceperunt, ſive ab Eccleſia, ſive ab aliis, tanquam procuratores cultus Divini: non autem illa, quæ vel in cultum Divinum oblata non ſunt, vel jam ab Eccleſia in cultum Divinum ſunt expenſa. Lugo *diſp.*4. Ratio, quia priora habent annexam obligationem religionis, poſteriora non; vel ſi habuerunt, ea jam eſt extincta, per expenſionem in pios uſus. *Unde reſolvuntur*:

I. In profanos uſus expendi poſſunt à Clericis bona patrimonialia, eaque, quæ hæreditate, induſtria, donatione, aliove modo, ut laici, acquirunt, vivendo interim ex Beneficiis. Item quaſi patrimonialia, hoc eſt, quæ acquirunt quidem ut Clerici, non tamen ut redditus Beneficii, ſed ut ſtipendia alicujus officii Clericalis, v.g. ratione concionis, pro Miſſa, funere, officio defunctorum, adminiſtratione Sacramentorum, anniverſariis, &c. Sanch. Lugo *n.*23 Bonac. *p.*2.*nu.*19.

II. Probabilius eſt in profanos uſus poſſe expendi diſtributiones ſive præſentias, (ut vocant) quæ Beneficiariis ob præſentiam in Choro diſtribuuntur. Ita Syly. Lugo *nu.*24. Bon.*n.*17. contrà Sanch.&c.

III. Fructus, qui dantur ob Capellaniam vel Vicariam non collativam, ſed ad nutum amovibilem, poſſunt expendi in uſus profanos, quia non ſunt fructus Beneficii, (hoc enim confertur per collationem Canonicam) ſed bona quaſi patrimonialia. V.Lugo *n.*28.

IV. Probabiliter etiam Penſionarius licitè ſuam penſionem expendit in uſus profanos, quia eam Papa extrahit ex redditibus Beneficii, & dat alteri, qui id Beneficium non habet Lugo *l.c.* contra Bon.&c. Secus eſt de eo, qui Beneficium habet in Commendam, quia ſubſtituitur loco Beneficiarii. *Ibid.*

V. Partem, quam Clericus parcè vivendo, ſibi ſervat ex congrua ſuſtentatione, licitè expendit in uſus profanos, quia expenſa eſt jam ante in uſus pios. *Ibid.* & Bon.*d.*4.*p.*2.*n.*14. ex Molin.

Quæres 2. Quid intelligatur nomine uſus pii? Reſp. Qui vel ad cultum divinum, vel miſericordiam ſpiritualem aut corporalem ordinatur: v.g. ad cultum templorum, neceſſitatem pauperum, hoc eſt, eorum, qui non habent neceſſaria, ſive ad naturam, ſive ad ſtatum ſervandum; item in uſum Religioſorum, in Capellanias, Miſſas, ſuffragia pro defunctis, hoſpitalia, &c. *Unde reſolvuntur ſequentes Caſus*:

I. Si Clericus ſuperflua expenderit in uſus profanos, v.g. emerit ſibi bona immobilia, non poteſt hæc retinere, quia obligationi, bonis iis annexæ, non ſatisfecit, & adhuc poteſt ſatisfacere, cùm bona empta pretio æquivaleant. Lugo *n.*43. V.Bonac.*n.*20.

II. Qui in uſum profanum à Clerico bona accipit dono ex ſuperfluis, poteſt excuſari à peccato, ſi eum non induxit ad talem donationem, neque per eam Clericus redditur impotens ad ſuperflua expendenda in uſus pios. V.Lugo *n.*40. quia Clericus ex patrimonialibus vel quaſi patrimonialibus poteſt ſubſtituere.

III. Clerici quidem ex conſuetudine multis locis recepta, licitè poſſunt teſtari de redditibus Beneficiorum, non tamen niſi ad cauſas pias; etſi enim, ubi conſuetudo invaluit, etiam in uſus profanos validè teſtentur, peccant tamen mortaliter. V.Leſſ.*l.*2.*c.*19.*n.*41.*&ſeqq.* Laym. *l.c.* Bon.*p.*3.*n.*2.*&* 5. Trid. *ſeſſ.*25.*cap.*1.*de Ref.* & ſequitur ex dictis. Niſi tamen fecerint cum facultate Papæ, quæ licèt ſuperveniat teſtamento jam condito, facit tamen illud convaleſcere, Sanch. Salas, Diana *p.*8.*tr.*3.*R.*99. V.ſuprà *l.*3.*tr.*5.*c.*4.

ADDENDA.

1356 Q*Væſt.*227. *Quid hic prætereà ſit notandum?* R.Seqq. §.1. Haun.*de Juſt.T.*1.*tr.*4.*n.*93. docet beneficiatum, qui habet accidentales qualitates, v.gr. nobilitatis, Doctoris, & ideo indiget majori ſumptu pro ſuſtentatione, ſi ex patrimonio vel aliunde habeat, non poſſe ſibi ex Beneficio plus impendere, ſed oppoſitum diximus num.904. ubi circa hoc poſſunt plura videri.

§.2. Clericum teneri ex fructibus Beneficii, ſi aliunde non habeat, dotare ſororem egenam ex eodem patre natam, docent etiam Nav.& Burgh.*cent.*3.*caſ.*16. quia mortuo patre, officium paternum deſcendit in filium reſpectu filiarum, uti cum communi docent Laym.*l.*3.*T.*4.*c.*13.*n.*5.& Caſtrop.*T.*32. *d.*9.*p.*4.§.3. Multò magis poteſt & tenetur ex fructibus Beneficii alere matrem pauperem: ſi tamen mater velit ſecundò nubere, Reb.*p.*2.*l.*5.*q.*4.*n.*41.& alii, negant teneri ipſi conſtituere dotem, quia ſecundæ nuptiæ ſunt invidioſæ primis prolibus, & veluti quædam injuria. 1357

§.3. Sive ſit ex juſtitia, pro quo vide Gorm. *de Juſt.à nu.* 437. ſive tantùm ex religione obligatio expendendi fructus ſuperfluos in cauſas pias, DD. communiter fatentur longè majorem materiam requiri pro gravi violatione præcepti non expendendi in uſus profanos, quàm furto gravi, ut notat Illſ.*t.*4.*d.* 3.*nu.*150. quanta autem reipſa requiratur, determinandum eſt ſpectatis omnibus circumſtantiis, ac præſertim proventuum & perſonæ ſuſtentandæ; Caſtrop. requirit, ut ſit tertia vel quarta pars reddituum annuorum, Con. requirit tertiam, quartam vel quintam partem, ſed Haun.*nu.*91. meritò vocat hanc regulam laxam, & cum Lugo docet vigeſimam partem eſſe materiam gravem, ſi proventus excedant 100. Florenos. 1358

§.4. Clericus non poteſt, per ſe loquendo, teſtari de acquiſitis ex Beneficio, *cap. Epiſcopi*, 12.*qu.*1.*cap. Cùm in officiis*, *c. Ad hæc*, *de teſt.* Poſſet tamen de his relinquere moderatum aliquid ad pias cauſas, *ibid.* & Piaſ.*p.*2.*c.*5.*art.*4.*nu.*49. Poſſet etiam tam multum legare ſuis, quantum de patrimonialibus attulit Eccleſiæ, *cap. Si quis qualibet*, 12.*qu.*2. *& cap. Si Epiſcopus*, *ibid.qu.*5. Piaſec.à *n.*50. Poteſtque etiam retinere rem Eccleſiæ melioratam, licèt dimiſerit Beneficium etiam per privationem, donec compenſarit ſuas expenſas, *cap. fin. de pecul. Cleric.* Abb. Piaſ.*n.*50. Etiam poteſt teſtari de patrimonialibus, & acquiſitis aliunde quàm ex Beneficio, nempe induſtria ſua vel perſonali opera, etiam per actus Ordini ſuo proprios, *Inn.*, *Abb. Piaſ.n.*52. Ut autem teſtari poſſit de acquiſitis ab Eccleſia, debet in pleriſque locis habere Conſtitutionem ſive ſpecialem facultatem ab Epiſcopo, vel ſi ſit in Capitulo, debet habere à Decano & Capitulo, uti uſus eſt quarundam diœceſium: & hæc facultas teſtandi non expirat morte concedentis, Ricc. Garc. Henriq. Mol. Sanch. Gutt. Diana *p.*8.*tr.*3.*R.*99. contra Socin. & Covarr. Quòd autem teſtamentum à Clerico factum ſine licentia teſtandi, ſuperveniente licentia convalidetur, præter citatos à Buſemb. docent etiam Ricc. & Merol. *Dixi* initio, *per ſe*, nam ubique attendenda eſt conſuetudo. 1359

§.5. Quæ Clericus acquiſivit ab Eccleſia & relinquit poſt mortem, debent expendi in uſus pios, (niſi iterum contraria ſit conſuetudo) pro quo facit illud S. Aug. *hom.*48. *inter* 50.*c.*2. *Hoc tollit fiſcus*, *quod non accipit Chriſtus*, id eſt, hoc poſt mortem beneficiati tollit Eccleſia, & cauſis piis applicat, quod beneficiatus in vita non erogavit pauperibus, uti erogare debuit. Ut autem donatio Eccleſiaſtici ante mortem facta valeat & cenſeatur eſſe inter vivos, debet donans ſupervivere 20. dies, uti notat Fill. putant tamen Valer. & Diana apud Lugo *in Reſp. Mor.l.*5.*d.*1. hanc ſuperviventiam non eſſe neceſſariam pro foro conſcientiæ, ſi donatio verè & irrevocabiliter facta ſit. Curam nimiam ditandi nepotes carpit vetus diſtichon apud Ludulph. Carth. *de Vita Chriſti p.*1.*c.*68. *Cùm Factor rerum privarit ſemine Clerum*, *Ad Satanæ votum ſucceſſit turba nepotum*. 1360

An Princeps ſæcularis poſſit diſponere ad libitum & ad quoſcumque uſus de fructibus Eccleſiarum vacantium, vide Dianam *p.*7.*t.*10.*R.*1. & dicenda *à n.*1397. 1361

*Q.*228. *Quid notandum ſit circa decimas*, *primitias*, *oblationes*? Reſp. Seqq.

§.1. Per Decimas intelligitur decima pars bonorum mobilium licitè acquiſitorum, Eccleſiæ miniſtris exolvenda, ſecundùm *cap. Extranſmiſſa*, 23.*de Decimis*, *Fidelis homo de omnibus*, *quæ licitè poteſt acquirere*, *decimas erogare tenetur*: Ortum habent ex antiquo teſtamento, Geneſ. 14. & 28. Exod. 22. Levit. 27. Num. 28. & congruentia eſt, 1. Quia ſic recognoſcitur Deus tanquam donator omnium bonorum, idque per numerum perfectum, qui omnes in ſe numeros continet. 2. Quia Miniſtris Dei debetur ſuſtentatio. 3. Ut hi liberi ſint curis temporalibus, & aliis pauperibus benefacere poſſint. De injuſtè acquiſitis non debetur decima, quia totum reſtituendum eſt Domino rei. Debentur ſolo jure Eccleſiaſtico, attamen inducente obligationem juſtitiæ & religionis. Jus primogenium ad decimas à laico præſcribi non poteſt, quamvis poſſit præſcribi immunitas ab eis ſolvendis, ſecundùm dicta *l.*3. *p.*2.*num.*502. Poteſt jus decimarum per Privilegium Papæ in perpetuum concedi laico ob merita in Eccleſiam vel alias cauſas: poteſt etiam à Clerico elocari ſaltem ad triennium. Ad exigendas decimas datur actio in foro Eccleſiaſtico, quandoque etiam laicali, non tantùm perſonalis, ut qui negat conveniatur apud judicem & cogatur, ſed etiam realis, ut ad quem-

cun-

cunque pervenerint fructus indecimati, pars 10. vendicetur; si tamen poſſeſſor annis prioribus non ſolverit, non eſt jus petendi à ſucceſſore, quia hoc jus fundabatur in ipſis fructibus, non autem in fundo ipſo.

1362 §.2. Primitiæ, erant primi fructus terræ vel pecorum, quæ offerebantur Eccleſiæ Miniſtris: nunc non ampliùs obligant, niſi ſecundùm conſuetudinem patriæ & indigentiam Miniſtrorum Eccleſiæ, inquit S.Th.2.2.*q.*86.*art.*4. Similiter ad oblationes in altari ſub Miſſa non obligantur ſinguli fideles, attamen per Superiores attineri debent patresfamilias ad retinendam conſuetudinem obeundi altare & aliquid offerendi: Quod autem ſic offertur, cedit Parocho, uti & illa, quæ offeruntur in Capellis, aut ad ſacras imagines intrà parochiam, niſi alicubi ſit alius uſus.

Videri poſſunt hæc & plura alia ex legibus & AA. fuſiùs ducta apud Illſ.*T.*5.*à num.*224. Item de decimis videri poteſt fusè Leur.*p.*1.*q.*464.*& ſeqq.* De primitiis, *qu.*499. De oblationibus, *q.*460.*& ſeqq.*

1363 *Q.*229. *Quid notandum ſit circa alienationem bonorum vel rerum Eccleſiaſticarum?* Reſp.Seqq.

§.1. *Pius II.Extrav.Ambitioſæ, De rebus Eccleſ. non alien.* prohibet ſub gravibus pœnis alienari immobilia & mobilia pretioſa Eccleſiæ, quæ ſervando ſervari poſſunt. Item prohibet omne pactum, per quod dominium rerum & bonorum Eccleſiaſticorum transfertur. Item conceſſionem, hypothecam, locationem ultra triennium, infeudationem vel contractum Emphyteuticum, præterquam in caſibus à jure permiſſis, ac de rebus ac bonis in emphyteuſin ab antiquo concedi ſolitis, & tunc cum Eccleſiarum evidenti utilitate &c. Demum addit res & bona hujuſmodi contra prohibitionem alienata liberè reverti eò, quò ante alienationem pertinebant, hæc enim eſt prorſus irrita; & ſi fiat, competit Eccleſiæ actio contra bona & perſonam alienantis. Vid.Gob.*in Exp.tr.*3.*n.*265.*app.*2.*caſ.*3.

Similis prohibitio quoad Religioſos emanavit juſſu *Urbani VIII.* anno 1624. uti refert Delbene *de Immunit.Eccl. cap.*17.*d.* 1.*nu.*7. uti etiam additur tales alienationes eſſe ipſo jure irritas. Eadem valent de bonis pii loci, ſi authoritate Epiſcopi ſit erectus, de quo vide VVadingum *de contract. d.*2.*dub.*8.*ſ.*4. & Dicaſt.*de Juſtit.l.*2.*tr.*3.*nu.*329. Prætereà declaravit Sacr.Congregatio non poſſe Religioſos accipere mutuò pecunias cum ſolutione intereſſe, nec fundare cenſum ſuper bonis ſuis, Delb.*d.*1.*num.*12. poſſent tamen emere fundum ad cenſum illi fundo impoſitum, Delb.*d.*8.*num.*7.

1364 §.2. Cenſetur etiam prohibita tranſactio vel concordia, etiam pro terminanda lite, circa bona antecedenter poſſeſſa, ſi aliqua ex parte forent dimittenda: poſſent tamen iſta fieri, ſi jus necdum erat poſſeſſum ſed priùs acquirendum, Delb.*d.*12. Idem eſt, ſi quid ad Eccleſiam pertinens impetatur, & eſſet periculum amittendi, tunc enim poſſe vendi laico, huic relicto periculo, docent Nald.Gavant.& Delb.*d.*23.*n.*25. Prætereà remitti poteſt caducitas emphyteuſis, quia eſt tantùm ceſſio juris acquirendi, ſi nempe Prælatus voluerit. Delb.*d.*12. Videtur etiam prohiberi permutatio rerum, quia eſt aliqua ſpecies alienationis. *cap.Nulli, De reb.Eccl. non alien.* Bal. Redoan.VVad.§.2. Delb.*d.*3.*&* 13. Piaſec.*p.*2.*c.*5.*art.*4.*nu.*12. Et prohibetur omnis ejuſmodi alienatio, quamvis foret in favorem alterius Eccleſiæ, Monaſterii vel perſonæ Eccleſiaſticæ, *cap.*1.*eod.tit.* Delb.*nu.*12. Piaſec.*nu.*11. qui tamen *num.*36. putat cum conſenſu Epiſcopi permutari poſſe duas Eccleſias, & conſequenter etiam bona duarum Eccleſiarum vel Monaſteriorum eidem Superiori ſubjectarum, VVad.§.4.*n.*4. Delb.*d.*13.*&* 23. aliique cum Bonæſp.*de Juſt.d.*21.*nu.*44. uti & fieri poteſt unio Eccleſiæ loco Regulari, Delb.*d.*13.*n.*7. Item probabiliter alienatio, quamvis velles inde emere alia bona vel cenſum, Barb. Delb.*d.*3.*n.*11. Item, quamvis donans expreſsè addixiſſet, ut v.g. Monaſterium poſſet propria authoritate alienare, uti probabiliter putat Lugo *in Reſp.Mor.l.*3.*dub.*10.*n.*2.*& dub.*12.*n.*3. *& l.*4.*dub.*31. quia hoc ipſo quòd res acquiratur Eccleſiæ, habet conditiones boni Eccleſiæ, inter quas eſt inalienatio; attamen etiam probabiliter contradicunt Covarr. Arm. Ricc. Quarant. Bonac. Delb.*d.*10. quia ſicuti poterat donans, ita ex hujus poteſtate poterit donatarius de re diſponere, neque res eſt abſolutè & in perpetuum acquiſita Eccleſiæ, ſed tantùm ad beneplacitum; quod fatetur etiam Lugo eſſe verum, ſi donator expreſsè voluiſſet, ut alienaretur, tum enim certum eſt nunquam abſolutè acquiſitam fuiſſe Eccleſiæ. Et idem videtur eſſe, ſi res fuerit empta cum pacto retrovendendi, Baron. Redoan. & alii contra Ricc. & Menoch. apud Delb. *d.*23.*n.*23. Similiter videtur eſſe licitum repudiare aliquid etiam immobile necdum acquiſitum, cùm non ſit alienatio, Abb.Sylv.Delb. *d.*5. qui tamen *d.*6. docet cum Mol.Barb.A.Tamb. *T.*3.*d.*13.*qu.*2.*nu.*8. & aliis Prælatum vel Religioſum non poſſe repudiare hæreditatem vel legatum, tum quia ex voluntate Teſtatoris jam erat acquiſitum Eccleſiæ, etiam ante traditionem, uti habent Jura; tùm quia Eccleſia habebat jus & actionem ad illud: ſed contradicunt Abb. Menoch. Gom. Sanc. Rebell. Ricc. Bon. & alii, quia ante acceptationem non acquiritur Eccleſiæ jus aut actio ulla, ſi res tranſit ad hæredes ab inteſtato. Vide Delb. ſuprà: item Dicaſt. *à nu.*339. Pirh.*l.*3.*tit.*13.*n.*41. Dare commodato & ad uſum brevi tempore non eſt prohibitum, Delb. *d.*19. uti nec prohibitum eſt bona Eccleſiæ obligare in hypotheca generali, ſed tantùm in ſpeciali, Abb.Covar.Redoan.Mol.Delb.*d.*1.*nu.* 30. contra Vaſqu.Rodriq.Quara.& alios. Circa alienationem juris patronatus, ſepulturæ &c. vide Delb. *d.*14. Circa conſtitutionem non feudi vel emphyteuſis, habet *d.*15. & 16. circa alienationem materialis Eccleſiæ vel Oratorii, habet *d.*17. Cur autem Eccleſia noluerit bona Eccleſiaſtica eſſe alienabilia, inſinuabitur *d.*1386.

§.3. Nomine bonorum Eccleſiæ hic veniunt etiam jura 1365 & actiones ad immobilia, nomina debitorum, ſervitutes, VVad.§.1.Piaſ.*n.*8. Delb. *d.*12. Ad res mobiles pretioſas, quæ ſervari poſſunt, pertinent vaſa aurea, argentea, gemmæ, bibliotheca copioſa, A.Tamb.*qu.*2. Delb.*d.*2.*ſ.*1. Greges & armenta totaliter conſiderata, Delb.*ſ.*4. Inciſio arborum & ſylvarum, ſi fiat cum deterioratione, Piaſec.*nu.*9. Vide VVad.§. 2. & Delb.*ſ.*5. Etiam magna pecuniæ ſumma donata & deſtinata ad emenda immobilia cenſetur quid immobile, Vaſq.Fill.Lez. Delb.*ſ.*1.*à n.*2. aliique apud Lugo *l.*3.*d.*10. contra Tiraq.VVad. §.1. ſed de hoc vide Delb.*ſ.*3. Etiam ad immobilia ſpectant annui redditus perpetui, VVad. Quoad ſervos originarios, vide VVad.*n.*12. & Delb.*ſ.*1. Quoad pretioſas reliquias, v.g. ſpinam coronæ Chriſti, putat Delb.*d.*1.*n.*52. hic non prohiberi earum alienationem, quia ſermo videtur eſſe tantùm de rebus pretio æſtimabilibus: ſed contradicit Caſtrop.*t.*12.*p.*15.§.1.*n.*8. cum Ricc. quia ſunt ſupra omne pretium, ergo cenſeri debent mobilia plùs quàm pretioſa.

§.4. Alienatio rei Eccleſiaſticæ licita eſt cum cauſa, & 1366 ſervatis ſolemnitatibus, etiamſi donans addidiſſet non alienandam, quia intelligitur, ſine cauſa, & modo indebito, uti cum aliis probabiliter tenet Delb. *d.*11. Cauſa autem eſt, ſola evidens Eccleſiæ neceſſitas vel utilitas; quandoque etiam reſpectu Papæ magna convenientia, ob quam præſumitur illum, qui dedit Eccleſiæ, non poſſe eſſe rationabiliter invitum, Delb. *d.*28. Solemnitates ſunt quinque, 1. Communis conſultatio, an ita poſtulet neceſſitas vel utilitas. 2. Conſenſus Capituli vel Cleri. 3. Conſenſus Epiſcopi vel Superioris Regularis. Putat Piaſ. *à n.*14. etiam requiri conſenſum Patroni, ſi alienentur bona Eccleſiæ vel Beneficii patronati, ſed contradicunt alii cum Laym. poteſtque videri etiam Pirh. *à nu.*61. 4. Subſcriptio conſentientium, pro caſibus à jure expreſſis. 5. Conſenſus Papæ ſive facultas S.Congregationis: Et de his omnibus videri poteſt Delb. *d.*9. Quòd ſi alienatio facta ſit ſine cauſa, eſt invalida, Delb. *d.*20. Quot tenet, ſi Papa ipſe rem Eccleſiaſticam ſine juſta cauſa transferat ad laicum, quia non eſt Dominus, & injuſta diſpenſatio eſt irrita, Nav. & alii cum Delb. *d.*27. Si autem fiat cum cauſa, ſed omiſſis ſolemnitatibus, Abb. Silv. Butr. Ang. Nav. Rodriq. Regin. Fill. & alii probabiliter dicunt valere pro foro conſcientiæ, ſed etiam probabiliter contradicunt Covar. Mol. Vaſq. Ricc. Menoch. Suar. Bonac. & alii cum Dicaſt. *tr.*15.*num.*215. & Delb. *d.*21. quia Jura abſolutè irritant ob damnificationis periculum, quod ſemper adeſt, ſi ſolemnitates omittantur. Nec valet alienatio ſub ratihabitione, ſeu ſalvo conſenſu Sedis Apoſtolicæ, quia hic conſenſus prærequiritur ad formam: poſſunt tamen partes antecedenter tractare de alienatione facienda, ſi S.Sedes conſentiat Delb. *d.*1.*à n.*44. Putantque Quaran. Redoan. Fachin. *in Controv.Jur.lib.*13.*c.*44. hunc conſenſum non præſumi, nequidem in præſcriptione 30. vel 40. annorum, ſed probabiliùs contradicunt Maſcard. Fell. Ricc. Delb. *d.*4.*ſ.*1. Dicaſt. *num.*211. quia factum præſumitur, ſi de jure faciendum erat. Quòd ſi à Sacra Congreg. habeat facultatem alienandi fundum A, & alienes fundum B, alienatio eſt invalida, quia conceſſio facultatis non extenditur ad caſum ſub verbis conceſſionis non comprehenſum, quamvis ad illum æquè facilè data fuiſſet facultas, ſi fuiſſet petita. Quod Societatem Jeſu attinet, novum *Comp.Privil. v.Alienatio §.* 2. dicit ſufficere facultatem Generalis aut Societatis Congregatæ, per Privilegium *Greg. XIII.* ſed de hoc vide A.Tamb. ſuprà *qu.*6. An verò eadem Societas Jeſu volens dimiſſo reddere bona ſua, quæ donarat, indigeat ſpeciali facultate, dictum eſt num.56.

§.5. Sine ſpeciali cauſa & ſolemnitate alienari poſſunt, 1367 1. Quæ veriſimiliter ad triennium ſine notabili deterioratione non perdurant, uti ſunt veſtes, fructus arborum, jumenta in individuo, ſingularia pecora &c. Piaſ. *à num.*19. 2. Res quæcunque exigui valoris reſpectivè ad poſſidentem, *cap.Terulas,* 11.*q.*2. VVad.§.3. Barb. *de poteſt.Epiſc.alleg.*95.*num.*51. Ricc. *in prax.Epiſc.dec.*39.*n.*8. Docent autem Caſtrop. *ſ.*1.*n.*2. & Zerol. *in prax.Epiſc.p.*1.*v.Alienatio, ad* 6. rem exigui valoris eſſe, ſi non attingat centum aureos ſive ducatos, ſed alii communiter cum Delb. *d.*2.*ſ.*1.*à num.*12. reſtringunt ad 25. ſcuta aurea, quæ faciunt 40. ſcuta monetæ Romanæ. Pro Societate JESU, reſcripſit ejuſdem Procurator generalis 3. Januar.

1693. exiguum valorem in alienationibus regulandum esse juxta consuetudinem locorum, ubi sita sunt bona : Quod si nulla sit consuetudo, aut illa certa non sit, peti posse à Generali facultatem ad eam summam, quæ scuta 40. monetæ Romanæ non excedat. Et rectè addit Delb. talem rem modicam debere esse disjunctam ab aliis, alioquin posset v.g. totum prædium successivè per partes modicas alienari. 3. Res Academiæ, Seminarii, Hospitalis, Confraternitatis, si authoritate Episcopi erecta non sint, ut limitant Castrop. *p.* 14. *n.* 11. & Delb. *d.* 1. *à n.* 14. quia in rigore non sunt res Ecclesiæ, Monasterii vel loci pii, prout hic sumitur locus pius, Piasec. *num.* 34. V Vad. §. 4. *à num.* 4. Res, quarum conservationi non sufficeret census ex eis Castrop. *p.* 15. *s.* 2. *num.* 5. Bonæsp. *nu.* 47. Quòd si conservatio esset tantùm non utilis sive sterilis, Quaran. Bon. & Delb. *d.* 3. *num.* 10. dicunt requiri licentiam Papæ, V Vad. §. 3. dicit sufficere consensum Episcopi cum Capitulo. 5. Cum Principe fieri potest permutatio rei ad bonum commune utilis cum alia re æquali, V Vad. 6. Si necesse sit pro debitis, ad quæ solvenda creditor urget per Judicem, Abb. Quaran. Bonæsp. *num.* 50. 7. In casu magnæ necessitatis non permittentis peti consensum Superioris, Quaran. Delb. *d.* 1. *num.* 26. Item si expectato consensu Papæ transiret occasio notoriæ utilitatis Ecclesiæ, Bald. Boss. Bonæsp. suprà, Delben. *d.* 22. *num.* 2. Et tum requirunt consensum Episcopi Abb. Felin. & alii cum Carden. *in* 1. *crisi d.* 80. *n.* 46. notat tamen Delb. Regulares, qui Episcopo subjecti non sunt non teneri ad hunc recurrere. 8. Etiam alienari possunt, quæ donantur vel legantur illis, qui retinere non possunt, v.g. Capuccinis. Quarta Ricc. *dec.* 56. *n.* 1. Barb. *num.* 59. Delb. *d.* 7. qui rectè id negat de mobilibus pretiosis, quæ ipsi licitum est retinere. 9. Si tantùm fiat transmutatio unius rei in aliam absque translatione dominii in alterum, uti ex antiquo calice fiat Crux, ex arboribus cæsis ædificetur domus, quia tum non est alienatio, Abb. Nav. Ricc. Delb. *d.* 23. *n.* 11, 10. Si fiat remuneratio Beneficiorum Ecclesiæ collatorum, Barb. Delb. *n.* 16. 11. Si aliquid sit simul & indivisim in manu sæcularis, qui velit vendere, Bord. Delb. *d.* 22.

1368 §. 6. Quoad locationem longi temporis, si res omni anno fructificet, prohibetur locatio ultrà triennium ; si fructificet alternis annis, prohibetur ultrà sexennium ; si ternis; ultrà novennium, Covar. Azor. Vasq. Less. Barb. Ricc. Delben. *c.* 18. *d.* 4. Non prohibetur autem locatio diuturnior fructuum pertinentium ad ipsum beneficiatum, quia finitur morte naturali vel civili elocantis, sed tantùm fundi, qua teneatur stare etiam successor, Abb. Covar. Silv. Mol. Castrop. *p.* 14. *n.* 12. Delb. *c.* 17. *d.* 24. *& c.* 18. *d.* 10. Quòd si quis fundum locet 12. annis, cum clausula, quòd velit esse quatuor locationes, singulas pro singulis trienniis, licèt Bald. & alii hoc defendant, tamen probabiliùs contradicunt Covar. Az. Mol. Rebel. Vasp. Ricc. Lez. Castrop. *n.* 3. Delb. *c.* 18. *d.* 2. quia est reipsa locatio ad 12. annos, & clausula illa apponitur in fraudem legis: Et nequidem pro triennio valebit ille contractus, nisi æquivalenter sit duplex, nempe quod velint esse ad annos 12. si autem hoc non teneret, saltem ad tres, Bartol. Jas. Abb. Covar. Castrop. *nu.* 7. Delb. *d.* 5. contrà Tusch. Rebell. & alios. Putant tamen Mol. Rebuff. Ricc. Gutt. Lugo suprà *d.* 12. *n.* 4. Fill. *tr.* 44. *c.* 2. *n.* 19. & probabile dicit Delb. *d.* 2. *à num.* 7. posse clericum se eidem obligare ad renovandam cum ipso locationem secuturis trienniis, quia personalis hæc obligatio non afficit fundum, & cessat morte naturali vel civili promittentis ; nihilominus V Vadin. adhuc putat hoc esse illicitum & in fraudem legis. Potest etiam locatio ad triennium facta renovari cum eodem post elapsum secundum annum, quia prius triennium censetur elapsum : si autem fiat priùs præsumetur fraus & locatio ad quinquennium, Mol. Valasc. Castrop. *nu.* 4. Delb. *d.* 3. Talis locatio prohibetur etiam quoad bona piorum locorum, si hæc authoritate Episcopi sit erecta, aliàs, non, Castrop. *n.* 11. Delb. *d.* 9. Vide Dicast. *tr.* 15. *d.* 6.

1369 §. 7. Alienans bona Monasterii absque solemnitate, privatur omni officio ; item voce activa & passiva, fitque perpetuò inhabilis ad hæc recipienda, & est excommunicatus, Pelliz. *T.* 2. *tr.* 9. *c.* 7. *num* 29. Attamen quoad omnia hactenus dicta debet attendi locorum consuetudo : nam communis A A. sententia est cum Delb. *c.* 17. *d.* 22. etiam Extravagantem *Pii II.* quoad pœnas, in paucis locis esse receptam : & quoad obligationem ipsam attendenda est etiam cujusque diœcesis consuetudo, Gob. suprà *app.* 1. *lit. Y.* dicit licitum esse in Germania alienare calices &c. Quoad eandem Germaniam docet V Vagnereck *in Exeg. illius Extrav.* eam non esse absolutè receptam in multis locis, præsertim apud Principes Ecclesiasticos, Engel. *l.* 3. *t.* 13. *num.* 15. dicit non exemptos pro alienationibus recurrere ad solos Episcopos (quod etiam in Belgio fieri testatur Zypæus *in anal. juris Pontif. ad hanc Extrav. n.* 2.) Episcopos autem dicit n. 24. alienare prædia minoris æstimationis sine recursu Romam. *Si dicas*, eos jurare se non alienaturos possessiones inconsulta S. Sede : Respondet V Vagner. subintelligi conditionem, si & quatenus Extravagans illa est usu recepta : & de hoc juramento vide Delb. *c.* 17. *d.* 4.

Quam pœnam incurrant, tum delegatus Papæ, tum alii, qui in detrimentum Ecclesiæ permittunt, procurant, vel suadent alienationem talem, habet Delb. *dub.* 31. *& seqq.*

DUBIUM IV. 1370

Quis sit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur.

Resp. I. Clericos majoribus Ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, si habeant Beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram & vestem Clericalem, quæ non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgæ ducantur, nec partita seu dissecta.

Resp. II. Quoad artes, prohibetur macellariorum, tabernariorum, joculatorum, quorum etiam ludis, uti & hastiludiis prohibentur interesse. Item Medicorum aut Chirurgorum, ubi opus incisione aut adustione, nisi, ut habet Nav. erga pauperes aut propinquos, aut in necessitate.

Resp. III. Quoad officia, prohibetur (si sint beneficiati, vel initiati Sacris) officium Judicis in causa sanguinis, Advocatorum, Patronorum, Tabellionum seu Notariorum in placitis sæcularibus ; Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus hæc licent v.g. advocare pro Ecclesia, pro personis conjunctis & miserabilibus. Ratio autem est, quia Clericus non debet se immiscere negotiis sæcularibus, Sayr. *l.* 12. *c.* 25. *n.* 6. (qui tamen concedit instrumenta ab eo facta valere.) Bon. *t.* 2. *in præcep. d.* 10. *q.* 3. *p.* 4. Lay. *l.* 1. *t.* 5. *p.* 5. *c.* 8. *n.* 3. & notat, consuetudine inductum esse, ut officio Cancellarii, Consiliarii, imò etiam Judicis, fungi possint in causis civilibus.

Resp. IV. Quoad actiones, prohibentur arma portare, nisi in itinere, tabernas intrare, venationi clamosæ vacare, (quod addo, quia venatio sine strepitu, recreationis causa permittitur,) accipitres vel falcones alere pro venatione, aleis, aut taxillis ludere, mercaturam aut negotiationem lucri causa (non tamen necessitatis,) exercere, cohabitare mulieri, nisi sit mater, soror, amita, aut certè talis, qua cum nullum periculum aut scandalum immineat, Less. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 40. Caj. tamen V. *Clericus* contra Ang. & Nav. docent, horum & similium transgressionem non esse mortalem, si absit temeritas, contumacia, contemptus & scandalum, V. Laym. *l.* 5. *tr.* 9. *c.* 12. *nu.* 2. *& 3. Nec refert*, ait, quòd transgressor, sit excommunicandus ; *quia* hæc pœna est sententiæ ferendæ ; quam non nisi contumax post monitionem incurrit. Quod tamen universim Nav. putat esse laxius, maximè cùm Canones utantur verbo, *Præcipio*: Unde ait esse mortale, si habitum vel tonsuram non gestent : Quod restringit Bon. *disp.* 8. *de Sacram. q.* 1. *p. ult. n.* 8. si sint initiati majoribus Ordinibus, aut habeant Beneficium, & tonsuram vel habitum longo tempore, absque justa causa non gestent, tunc enim peccare mortaliter ; citatque pro se Regin. Nav. Henriq. Vasq. Negant tamen Sylv. & Laym. *l. c.* si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari verò esse mortale concedit idem Laym. *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 17. & alii commun. Sed de hoc Vide supra *l.* 3. *tr.* 5. *c.* 3. *d.* 8. *art.* 2.

ADDENDA.

Quæst. 230. *Quid præterea notandum sit circa obligationem gestandi habitum & tonsuram ?* Resp. Seqq. 1371

§. 1. Nav. Vasq. Gran. Dian. Quarti *in Rubr. Miss. p.* 3. *t.* 6. *s.* 1. probabiliter dicunt solos Clericos beneficiatos vel in Sacris constitutos obligari graviter ad habitum & tonsuram, non autem initiatos solis Minoribus, nisi frui velint privilegiis Clericorum, quia de his non loquitur Trid. Per habitum autem intelliguntur vestes, quæ de communi usu provinciæ gestantur à Clericis ; Putat quidem Rebuff. etiam presbyterum studiorum causa alibi versantem posse ferre quemcunque habitum & colorem, sed confutatur à Sanch. *in Cons. l.* 7. *d.* 49. *n.* 19.

§. 2. Sot. Silv. Arm. & alii cum Dian. *p.* 5. *t.* 5. *R.* 60. dicunt 1372 esse mortale absque causa per longum tempus non gestare habitum : E contrà Caj. Henriq. & Laym. dicunt esse veniale tantùm, secluso contemptu & scandalo : & omnes communiter in hoc conveniunt, quòd sit tantùm veniale, si negligatur ad breve tempus, datur enim hic parvitas materiæ, secundùm dicta *l.* 1. *n.* 672. estque idem de tonsura. Probant tamen authoritate & rationibus Dian. *p.* 10. *tr.* 13. *R.* 29. & Burghab. *cent.* 2. *cas.* 59. esse mortale si Clericus in bacchanalibus currat per urbem larvatus. Gob. *in Exp. t.* 8. *n.* 769. ait si propter neglectum gestationis coronæ vel habitus vilipendatur Ordo Clericalis, peccatur mortaliter ; si non sit periculum causandi vilipendium & contemptum, non est mortale : longè autem faciliùs peccari potest mortaliter omittendo habitum quàm coronam, nemo enim arguet Parochum mortalis in cujus capite per sex vel octo hebdomadas non apparet vestigium coronæ, etsi constitutiones Synodales id mandarent.

§. 3. Si

1373 §.3. Si Clericus in Sacris conſtitutus alat longam comam, *Abb. Diaz*, & alii dicunt eſſe mortale, ſed communiùs & probabiliùs negant *Caj. Sayr. Garz.* aliique cum *Quarti*, ſi abſit contemptus & ſcandalum, quia quamvis fiat comminatio excommunicationis, communis tamen eſt ſententia, ſecundùm dicta *l.1. n.611.* quod comminatio pœnæ gravis non ſemper innuat grave præceptum, ſi pœna ſit ferendæ ſententiæ. Denique corona, quam geſtant Sacerdotes, eſt in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur, raſio verò capitis ſignificat omnium temporalium depoſitionem.

1374 *Q.231. An Clerico nunquam liceat negotiari?* R. Hoc reſolutum eſt *l.3.p.2.à n.997.* Adde tamen hunc caſum: Titio Clerico debet communitas 1000. aureos, quos cum modò ſolvere non poſſit, dat ei facultatem emendi 1000. maldera tritici & evehendi extra patriam, ubi poterit cariùs revendere, quæ facultas æſtimabilis eſt 1000. aureis, quia tantum erit lucrum. *Quæritur*, an Titius poſſit hac facultate uti? R. Cum Caſtrop. *tr.16.d.4.p.13.§.3.num.5.* & Lugo *in Reſp. Mor.lib.3. d.20.* non poſſe, quia hoc eſſet negotiari, ad quod Clerico facultatem dare non poteſt communitas: poterit tamen Titius, 1. hanc facultatem iſto pretio vendere alteri negotiaturo. 2. Ipſimet communitati dare mutuas pecunias, ut dicto modo emat & revendat triticum, tumque ſibi mutuatam pecuniam reſtituat, & ex lucro ſolvat debitum.

1375 *Q.232. Quid liceat Clericis circa venationem?* R.

§.1. Clericis prohibita eſt venatio, *cap.1. & 2. de Cler. venat. cap. Quorundam, diſt.34. c. Qui venatoribus & ſeqq. diſt.86* Trid. *ſeſſ.24.c.12. de Ref.* ac multò magis Religioſis, juxta *c.1.§. Porrò, de ſtatu Monach. in Clementina*: Intelligitur autem venatio, quæ ab ipſis cum magno clamore & ſcandalo exercetur, ita ut Epiſcopi, ſi frequentes ſint ejuſmodi venationibus clamoſis, ſuſpendi jubeantur à communione tribus menſibus, Presbyteri duobus, Diaconi ab omni Officio, ſed prohibitiones illæ nunc ita mitigatæ ſunt, ut ſi recreationis cauſa fiat, ſine magno clamore, ſcandalo vel contemptu, non facilè peccetur mortaliter. *Nav. Mol. Turr. Lugo, Ill. t.4.d.2.num.246.* Addunt *Suar. Sa*, Caſtrop. *t.16.d.4.p.13.§.5.* etiam à veniali excuſari, ſi venatio ſit rara, & moderata & ad reficiendas vires. Putant etiam Lugo, Dian. *p.3.tr.6.R.19.* Dicaſt. *de juſt. l.2.tr.2.d.9.n.290.* quietam venationem cum retibus, laqueis pauciſque canibus non eſſe prohibitam Eccleſiaſticis.

1376 §.2. *Dicaſt. num.300.* putat venationem etiam cum apparatu & clamoſam non prohiberi Clericis, niſi fiat frequenter, & addit cum Cajet. Navar. Silv. Bann. Molin. Turr. Dian. ſuprà & *p.9. tr.9. R.40.* ac iterum *par.10. tract.13. R.29.* licèt fiat frequenter, non audere ſe damnare mortalis, ſi ex recreatione fiat: & ſi mortale ſit, cum *Rebell. & Leſſ.* id eſſe ratione ſcandali.

1377 §.3. Poſſunt Clerici & religioſi recreationis cauſa intereſſe venationi etiam clamoſæ, dummodò ab ipſis non exerceatur, quia non prohibetur aſpectus, Lugo *de Juſtit. diſp. 6.num.51.*

An Judex vel Dominus ſæcularis poſſit Clericum injuſtè venantem ſpoliare armis, avibus, canibus, videri poteſt Dian. *p.1.t.2.R.10. & p.3.t.1.R.28.*

1378 *Q.233. Quid notandum ſit de ludo reſpectu Clericorum?* R. Clericis prohibetur luſus alearum, *cap. penul. de vita & honeſt. Cler.* aliiſque locis apud Caſtrop. *tr.16.d.4.p.13.§.5.* Nomine autem alearum intelliguntur omnes luſus fortunæ potiùs quàm induſtriæ: Et prohibetur conſuetudo ludendi, non autem ludendi una aut altera vice, *Salas, Mol. Rebell. Az. Caſtrop.* Imò conſuetudinem ludendi, ſi non fiat ob lucrum ſed recreationis cauſa, excuſant à mortali *Salas & Valent.* quamvis contrarium teneant *Salas & Caſtrop.* ſuprà: Putatque *Salas* prohibitionem horum luſuum non extendi ad Religioſos laicos, quia textus tantùm habet de Clericis, ſed communis opinio cum *Navar. Suar. Valent. Caſtrop.* & aliis tenet oppoſitum.

1379 *Q.234. An Clerico licitum ſit intereſſe executioni pœnæ mortis?* R. Licitum eſt cum juſta cauſa, v.g. ſi educat reum; è contrà ſi ſine juſta cauſa adſit Sacerdos vel Religioſus, multi innuunt eſſe peccatum, attamen non eſſe mortale docent *Suar. Avila* aliique cum Dicaſt. *de irregul. d.7. num.653.* imò ſi abſit ſcandalum & otioſa curioſitas, Ugol. & Mol. *de juſt. t.4.tr.3.d.8.n.13.* dicunt nequidem eſſe veniale, quia conſuetudo nunc præſcripſit contra Decretum, quod olim obligabat Monachos & Clericos, quando clauſura & obſervantia eorum erat major. Quòd ſi adeſſet tanquam habens juriſdictionem temporalem, v.g. Judicis, Cuſtodis &c. fieret irregularis, Regin. *l.30.t.2.n.134.* Plura de ludis & ſpectaculis diximus *l.3.p.2.à n.1086.*

Qui alia volet circa mores & converſationem Sacerdotum, legat Branden. *in Collect. ad Concord. poſt q.12. Not.10.* & Tractatum Trittemii *de Sacerdotum vita.*

1380 *Q.235. Quid ſit privilegium Canonis & Fori, quod habere dicuntur Clerici?* R. Privilegium Canonis eſt gratia & favor ſtatui Clericali conceſſus, *Canone, Si quis ſuadente, 26. cauſa 17. q.4.* quo eximitur ipſe & res ei adhærentes ab omni actione injurioſa exteriore, de quo dicetur *lib.7.* quando de percuſſione Clerici. Privilegium fori eſt favor, quo Clericus eximitur à juriſdictione & poteſtate ſæculari, quoad ſe & ſua, de quo aliqua jam dicemus, & iterùm poſteà *à n.1410.* poſſuntque etiam videri dicta *l.1.n.679.* ſed præcipuè videndus Delbene *de immun. Eccl. c.6. & 7.* item Dicaſt. *de cenſ. d.3. dub.57.*

Q.236. Quid de immunitate Eccleſiaſtica ſit notandum? 1381 R. Seqq.

§.1. Certum eſt Clericos jure divino eſſe exemptos à juriſdictione laica, uti docent Clemens Rom. *Epiſt.1.* Dionyſius Areop. *Ep.8. ad Demoph.* Synodus Rom. 4. *ſub Symmacho, Can.3.* Bonif. VIII. *cap. Quanquam, de cenſibus in 6.* Joann. VIII. *Can. Si Imperator, diſt.96.* Innoc. IV. *Comment. in Decret. de majorit. & obed.* Conc. Lateran. ſub Leone X. *Seſſ.9.* Trid. *ſeſſ.25.c.20. de Ref.* ſumiturque ex *Matth.17. & 24.* ubi Chriſtus dicit filios regni, quo nomine ſeipſum & Apoſtolos ad ſucceſſores Clericos tanquam familiares ſuos intelligit, à ſubjectione Laicorum liberos eſſe, prout explicat *S. Hieron.* hoc loco, neque ullus verè Catholicus diffitetur: Vide dicenda *n.1410.* & Delbene *c.1.d.2. ſ.1. & 6.*

§.2. Clerici gaudent immunitate Eccleſiaſtica, uti habet 1382 Trid. ſuprà, & magis conſtabit ex dicendis à *n.1386.* Et Clericos non eſſe ſubditos legibus civilibus quoad vim coactivam, dictum eſt *l.1.n.674.* probatque Delb. *toto cap.9.* hinc ordinariè puniri non poſſunt per laicos, ſi tranſgrediantur leges civiles, uti latè Delb. *d.2. & ſeqq.* & iterùm *d.15. & ſeqq.* quia ſecundùm dicenda *n.1410.* nullam in eos juriſdictionem habent. Poſſunt tamen laici Clericum in flagranti, vel in propoſito perpetrandi crimen capere ad tradendum poteſtati Eccleſiaſticæ, *Delb. d.7.* Item poſſunt detinere Clericum debitorem, quia id concedit Eccleſia, *Delb. d.8.* quem etiam vide *d.11. & 12.* Poſſe etiam expelli regno, ſi inobedientes ſint juſtis mandatis Principum, docent multi, ſed plures probabiliùs negant cum Delb. *d.9. & 13.* Addit *d.20. & 35. ſ.5.* non poſſe Clericorum pecora in paſcuis prohibitis reperta eripi per laicos pro executione pœnæ *Statuti*, quamvis quoad hoc contradicant alii. Et quamvis Clerici teneantur, uti alii reparare vias ante domos ſuas, tamen non poſſunt à laicis ad hoc compelli, Delb. *d.23.* Hinc tenet communis cum Lugo *de Juſt. d.36. num.123.* & Delb. *c.5. d.17.* contrà alios, quòd Clerici non teneantur contribuere ad illa, quæ immediatè & directè cedunt in utilitatem publicam, & mediatè tantùm in utilitatem Clericorum, uti ſunt reparationes mœnium, pontium, fontium, viarum publicarum &c. Docent tamen Silv. Mol. Sanch. *in Conſ. l.2.c.4.d.55. à n.6.* Dian. *p.1.t.2.R.40. & 132.* Carden. *in 1. criſi d.61.n.128.* Delb. *c.5.d.16.* Teneri contribuere ad ea, quæ directè & immediatè concernunt etiam eorum utilitatem. Et de impoſitione ejuſmodi contributionum, quandonam ſit contra immunitatem Eccleſiaſticam, videri poteſt Lugo *in Reſp. Mor. lib.5. ad 3.* Item, cujus requiratur conſenſus, ut poſſit Clero in publica neceſſitate indici contributio, reſolvit Delb. *d.18. & ſeqq.* Docent quidem *Cutell. Salas* & alii à laicis poſſe tempore penuriæ cogi Clericos, ut juſto pretio vendant, v.g. ſiliginem, ſed tenendum eſt oppoſitum cum Delb. *c.9.d.14.* quia neceſſitas illa non dat juriſdictionem laicis, ſed recurrere debent ad Superiores Eccleſiaſticos: ſi tamen hi injuſtè nollent, aut ad eos recurri non poſſet, laici poſſent titulo defendendi vitam pretio dato arripere ſibi neceſſaria: Et his conformiter dixi *l.3.p.2.à n.1146.* poſſe in gravi neceſſitate Reip. v.gr. ob famem, etiam pias diſpoſitiones converti in uſus indigentium. De obligatione præſtandi aliquando ſubſidii charitativi, vide dicta hìc *num.851.*

§.3. Contrà immunitatem Eccleſiaſticam eſt, ſi Cle- 1383 rici cogantur ad gabellas, ad emendam chartam ſignatam & ſimilia, Delb. *c.1.d.4. ſ.2. & ſeqq.* Idem probans quoad Religioſos, *d.9. & ſeqq.* An autem Clericorum bona patrimonialia etiam immunia ſint, examinat Delb. *c.5.* & inter cetera rectè docet Clericos non eſſe immunes quoad negotiationes, quamvis de his conveniri non poſſint niſi coram Judice Eccleſiaſtico. An verò Clericus teneatur ſolvere gabellas è bonis conductis, videri poteſt Diana *par.6.tr.7. R.11.* ſed quoad hoc aliaque ſemper attendendum, quid Eccleſia hìc & nunc permittat.

§.4. Nulla poteſtas ſecularis poteſt tollere vel minuere im- 1384 munitatem Eccleſiaſticam, Delb. *c.1.d.2. ſ.2.* Imò nec à Papa tolli poteſt totaliter, Delb. *ſ.3.* Nec per conſuetudinem etiam immemorialem, Delb. *c.2.d.15.c.5.d.14.c.9.d.6 ſ.5. & 6.* Quamvis autem *Suar.* contra Regem Angliæ *l.4.c.26.n.3.* & Burgh. *cent.2. caſ.90.* putent contra Pereir. apud Dian. *p.4.tr.1.R.20.* Clericos etiam in Minoribus conſtitutos gaudere his privilegiis, ſi obſervent requiſita à Trid. imò etſi non obſervent, ut putat Mol. *T.3.t.2.d.270.n.5.* tamen Leſs. *l.2.c.33.n.38.* rectè dicit nunc per conſuetudinem & Eccleſiæ conſenſum ad illos, ſi Eccleſiæ non deſerviant nec beneficiati ſint, non ampliùs ea pertinere. Videri poteſt etiam Delb. *c.1.d.5 ſ.2. & ſeqq.*

Q.237. An bona ſæcularia poſſint fieri Eccleſiaſtica ſine 1385 *licentia Principis ſæcularis?* R.

§.1. Ne-

§.1. Negant *Caram.* & pauci alii : ut probent, *Supponunt ſeqq.* 1. Dominium eſſe quadruplex, *Proprietatis*, quod habet Petrus, cujus eſt fundus : *Potentiale*, quod habent omnes, qui fundum illum accipere poſſunt per donationem vel emptionem, quales ſunt Principes ac concives regni. *Juriſdictionale*, quod habet Princeps, in quantùm præeſt gubernationi per leges. *Politicum* ſive extraordinarium, quod habet etiam Princeps, in quantum habet jus diſponendi de rebus privati, quando ita expedit ad bonum commune. 2. Bona tunc dicuntur cadere in manum mortuam, ſi fiant impoſterum inalienabilia, & ex illa manu redire non poſſint; hinc amortiſatio bonorum eſt actio, per quam bona cadentia in manum mortuam fiunt inalienabilia. 3. De conſenſu Principis utentis dominio politico poſſunt bona fieri inalienabilia & amortiſata, quamvis privati per hoc priventur dominio potentiali. His ſuppoſitis.

Statuunt ſeqq. 1. Stando jure naturæ non poteſt fundus ſæcularis fieri Eccleſiaſticus; rationem dant, quia Petrus non poteſt dare Eccleſiæ vel cuicunque alteri, niſi dominium proprietatis, hoc enim ſolum eſt ipſius; dominium autem potentiale, juriſdictionis, & politicum, quibus ſubduceretur ille fundus, ſi fieret Eccleſiaſticus, non eſt Petri, ſed vel privatorum vel Principis, ergo Petrus non poteſt illud ſine licentia Principis transferre in Eccleſiam. 2. Nec id fieri poteſt ſtando jure Eccleſiaſtico, quia per Canones & per omnem poteſtatem Eccleſiæ non eſt licitum rapere alicui ſua & dare Eccleſiæ. 3. Sufficit Principis licentia olim conceſſa, ſi non ſit revocata aut moraliter eſſe deſierit, hanc enim conceſſerunt *Conſtant. Magnus* & aliqui alii Monarchæ, uti notat Dian. *p.1.t.1.R.14. & p.4.tr.1. R.57.* non tamen omnes alii Principes, uti habet idem Diana *p.6.t.3.R.1. &* 10. poſſuntque reliqui revocare. 4. Ad amortiſationem non juvat legalis præſcriptio, nam ſi leges ſint ſæculares, his non debent judicari, qui ipſis non ſunt ſubjecti, & leges ſæculares de præſcriptionibus non juvant Eccleſiaſticos; ſi autem leges ſint Eccleſiaſticæ, habent diſponere tantùm circa res Eccleſiaſticas ſibi ſubjectas, non autem circa ſæculares, ergo. Ex his

Infert Caramuel, ſi v. g. domus aliqua ſine licentia Principis dedicetur Deo, 1. Chriſtus ſit Dominus ſolius proprietatis, Papa autem prodominus ſive Vicarius & adminiſtrator etiam ſolius proprietatis. 2. Singuli concives non ideo perdunt jus potentiale in illam domum, nec Principes juriſdictionale vel politicum. 3. Talis domus non habet jus aſyli, quia hoc eſſet contra juriſdictionem Principis. 4. Manet talis domus ſub jure etiam politico Principis. Hæc ſunt principia, & fundamenta Adverſariorum, ſed

1386 §.2. Omnino tenendum eſt poſſe bona ſæcularia fieri Eccleſiaſtici ſine licentia Principis, ita Dian. *p.5.tr.3.* & Carden. *in 1.criſi d.61.c.2. & ſeqq.* Ratio eſt, 1. Quia ſi fundamentum adverſariorum ſit verum, ergo ſimiliter facit injuriam Principi & concivibus, qui ſine licentia ſe & ſua bona transfert ad aliud regnum; item qui bovem ſuam mactat aut vendit extero, quia ſic privat concives ſuo jure potentiali, & Principem juriſdictionali ac politico: item facit injuriam, qui ſine licentia Principis fit Religioſus, quia ſe ſubducit dominio juriſdictionis. *Si dicas*, hos jure Divino eximi à juriſdictione ſæculari, uti & Clericos. Reſp. Idem eſſe de bonis, ſi tranſeant ad Eccleſiam, ut habetur *Cap. Quanquam, de cenſibus in 6.* & docent cum communi Suar. *in defenſ. fidei l.4.c.9.* Bonac. *in Decal.d.10.qu.2. p.1.§.1.n.2.* Dian. *p.6.tr.3.R.2. & q.1.tract.2.R.1.* Potuiſſe autem Papam dare hanc exemptionem Clericis, independèter à Principibus ſæcularibus, certum eſt, nam *cap. Quanquam ſuprà, cap. Noverit, cap. Gravem, de ſent. excomm. cap. ult. de reb. Eccl. non alien.* ſub cenſuris præcipiunt Principibus obſervantiam hujus exemptionis : hinc etiam Trid. *ſeſſ.25.c.20. de Ref.* ait: *Eccleſiæ & Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam eſſe :* cujus ratio eſt; quia omnino indecens fuiſſet Clericos, qui Deo ſpecialiter dicati ſunt & conſtituti ſæcularium Judices ac Vicarii Chriſti in ordine ad adminiſtranda illis Divina, eorum poteſtati ſubeſſe, hinc *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, de Conſtit.* dicitur, ut ſtatutum etiam in favorem Eccleſiæ factum à laicis motu proprio, *Nullius firmitatis exiſtat, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum, quia eis ſuper Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas, quos obſequendi manet neceſſitas non authoritas imperandi.* 2. Privati laici & Principes non habent jus ad illud, quod eſſet in magnum detrimentum Reip. Chriſtianæ, ſed ſi haberent jus, ut bona Eccleſiaſtica manerent ſemper alienabilia, hoc eſſet in magnum detrimentum Reip. Chriſtianæ, ergo. *Prob.min.* Eſſet in magnum detrimentum Reip. Eccleſiaſticæ, ergo & Chriſtianæ, cujus præcipua & nobilior pars eſt Eccleſiaſtica, utpotè à qua eſt doctrina ſalutis, abſolutio à peccatis, Sacramentorum adminiſtratio, Sacrificiorum oblatio, aliaque miniſteria ſpiritualia, *Ant. prob.* nam *S. Pius V.* in motu proprio, *Etſi de ſingulis* De recuperatione bonorum Eccleſiaſticorum malè alienatorum, ait : *Nos præmiſſa conniventibus oculis pertranſire nequeuntes, utpote quæ in Divinæ Majeſtatis offenſam ac Eccleſiarum & Ordinis Clericalis detrimentum tendant.* Item Trid. *ſeſſ.25.c.14. de Ref.* agens de alienatione bonorum Eccleſiæ ait, *magnam Eccleſiæ perniciem afferre ſolet*, quia nempe, cum Clericis non conveniat, ideoque prohibeatur negotiatio, alienatis tandem bonis omnibus deſtituerentur neceſſariis, ſicque paulatim interiret Status. 3. Jus illud potentiale eſt inutile, ergo non datur. *Prob.ant.* Quamvis omnes eo jure cederent, nihilominus poſſent ea bona acquirere, ſi id permitteret Papa, uti poteſt, & Eccleſiaſtici vellent alienare; E contrà ſi Papa prohibeat, acquirere non poſſunt, ergo. 4. Jus illud privatorum & Principum circa bona Eccleſiæ condemnat Sacros Canones de rebus Eccleſiæ non alienandis; Item decretum *Urban. VIII.* de quo Pelliz. *T.1.tr.6.c.8.n.3.* Item Conſt. *S. Pii V.* revocantis omnes licentias alienandi; Item Conc. Trid. *ſeſſ.25.c.11.* ergo certiſſimè eſt nullum. 5. Si in illis, qui capaces ſunt talia acquirere, daretur jus potentiale, ut talis res maneret alienabilis, ergo jus majoratuum, quod Reges ſtabilierunt in Hiſpania; Item jura ſimilia in aliis regnis, eſſent iniqua, quia eſſent contra jus potentiale reliquarum nationum, quæ illa acquirere non poſſunt, quamvis de jure naturæ ſint capaces, nec ſubjiciantur legibus iſtorum regnorum, quod tamen eſt contra communem ſenſum omnium. 6. Teſtator, ſicuti potuit nunquam velle alienare fundum, ita poteſt diſponere, ut nunquam alienetur, ſed ſemper maneat ſuæ familiæ annexum: ultimæ enim voluntates ſervari debent de jure naturæ & gentium, ſecluſo quovis jure poſitivo, inquit rectè Mol. *de juſt.d.124. infine*, ſi autem daretur jus potentiale, non poſſet Teſtator ita diſponere de illo fundo, quia ſinguli concives privarentur jure ſuo potentiali, ergo.

§.3. Ad rationes *n.*1384. allatas, R. ad 1. Dominia illa, 1387
potentiale, juriſdictionale & politicum, ſunt tantùm conditionata, & tunc tantùm exiſtunt, quamdiu bona manent ſub poteſtate civili; cum quo ſtat, quòd ad alium ſtatum tranſire poſſint ac fieri exempta, uti patet in exemplis hominis ingredientis Religionem aut ſe & ſua transferentis ad aliud regnum. *Ad* 2. Patet ex dictis nihil rapi alienum, cùm enim deſinunt circumſtantiæ ſubjectionis, etiam deſinunt iſta jura Principum & privatorum. *Ad* 3. Licentia illa non eſt neceſſaria; & ſi neceſſaria eſſet, ſecundùm principia *Caramuelis* nihil juvaret Eccleſiam, quæ non eſt ſubdita laicis, & conſequenter ab eis non poteſt accipere licentiam, ſicuti *Ad* 4. Affirmat *Caramuel*, leges civiles non poſſe favere Eccleſiaſticis, qui legibus civilibus non ſubjacent; quæ tamen doctrina falſa eſt, uti oſtendimus *lib. 1.num.680.*

§.4. Illationes *Caramuelis nu.*1385. relatæ non tenent, & 1388
quidem 1. 2. & 4. falſa eſt, quia ſi domus Deo dicata, cujus Chriſtus habet dominium proprietatis, maneat ſubjecta Principi laico, ergo Princeps laicus exigente utilitate civili poteſt de ea diſponere, etiam invito Chriſto; Item manebit ſubjecta gabellis, ideoque Chriſtus erit tributarius Principi laico. *Si dicas*, eadem valere, ſi bona maneant ſubjecta diſpoſitioni Papæ, *Contrà* eſt, Papa eſt tantùm Vicarius Chriſti, & pro Chriſto eſt Dominus, ergo poteſtas illa Papæ non poteſt præjudicare Chriſto. 3. Etiam planè falſa eſt, nam talis domus Deo conſecrata venit nomine Eccleſiæ, Eccleſia autem habet jus aſyli, uti dicetur à *num.*1392.

Objic. Bona tranſeunt ad Eccleſiam cum onere reali cenſus, feudi vel hypothecæ, ergo etiam cum onere gabellarum, item cum ſubjectione ad jus potentiale, juriſdictionale & politicum laicorum. R. N. conſeq. Eccleſia non prohibuit propria onera remanere : E contrà prohibuit poſteriora tanquam oppoſita immunitati & reverentiæ debitæ ſtatui Eccleſiaſtico.

Q.238. An ſtatutum prohibens, ne bona ſtabilia donentur aut vendantur Eccleſiis, ſit iniquum, ſecluſo privilegio? Reſp. 1389

§.1. Negat cum quibuſdam politicis *Caram.* quia tale ſtatutū videtur eſſe pro conſervando jure potentiali ſingulorum, & juriſdictionali, ac politico Principum, ſecundùm dicta *nu.*1383. Opinioni illi præluſerunt *Joannes Vvichleff.* & *Joannes Huſſ.* damnati à *Martino V. in Conc. Conſtant.* qui inter cętera dixerunt eſſe contrà Scripturam, quòd Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones; graviter peccare eos qui fundant clauſtra, eiſque attribuunt immobilia; Papam cum ſuis Clericis eſſe hæreticum, eò quòd poſſeſſiones habeat; *Auguſtinum, Benedictum, Bernardum* eſſe damnatos, eò quòd poſſeſſiones admiſerint; *Conſtantinum M.* erraſſe, eò quòd Eccleſiam ditaverit. Idem tenuerunt Anabaptiſtæ Monaſterii Vveſtphaliæ, ubi facto plebi-ſcito vetuerunt, ne Clerici aut Religioſi ulla bona immobilia ad Eccleſias vel Monaſteria transferrent, quod tamen poſteà anno 1569. Status patriæ & Epiſcopus *Joannes de Hoya* contrario ſtatuto penitus abrogavit, hinc

§.2. Dicendum eſt, quòd ſtatutum ejuſmodi ſit iniquum, 1390
ita AA. citati *l.1.n.679.* ubi plura circa hæc dicta ſunt: conſentiunt Carden. *in 1.criſi d.61.c.9.* aliique Canoniſtæ, Juriſtæ ac

Theo-

Theologi innumeri apud Dianam *p.1.t.2.R.57.& p.6.t.3.R.6.&* apud Delb. *de Immun.Eccl.c.8.d.11.* Ratio eſt 1.quia Eccleſiaſtici ſunt exempti à juriſdictione laicorum, uti dictum eſt *nu.* 1381. ergo iniquum eſt, ſi per ſtatuta laicorum, quibus non ſubjiciuntur, prohibeantur aliquid acquirere. Conſeq.patet, quia nemo juſtè prohibet, niſi habeat juriſdictionem in eum, cui prohibet, uti tenent omnes cum S.Thom.1.2.*q.*90.*art.*5. 2. Statutum prohibens eleemoſynam aut diſpoſitionem ad piam cauſam eſt iniquum, tale eſt illud ſtatutum, ergo. *Conf.*quia tale ſtatutum prohibet, ne poſſis tua donare Deo, nam relicta Eccleſiæ fiunt res Dei, uti habetur *Can. Apoſt. 39. cap.Nulli liceat, cap.Prædia,*12.*q.*2.*c.Videntes,* 12.*qu.*1.Trid.*ſeſſ.*25.*c.*20.*de Ref.*3.Jus habeo dandi pauperi rem meam, ut, ſi velit, conſumat aut aliò transferat, quamvis per hoc deſinat jus potentiale privatorum, & juriſdictionale ac politicum Principum in rem illam, ergo injuria fit mihi, ſi prohibeat: imò laici jus habent vendendi aut donandi ſua hominibus hæreticis, Judæis &c. ergo multò magis Clericis & Religioſis: hinc meritò queritur S.Ambr. *l.5.Epiſt.*31.*Scribuntur teſtamenta templorum*, id eſt, idolorum, *miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, ſoli ex omnibus Clerico commune jus clauditur. Et S. Hieron.* Epiſt.ad Nepotian. *Pudet dicere, Sacerdotes idolorum, Mimi & aurigæ & ſcorta hæreditates capiunt, ſolis Clericis & Monachis hoc tempore prohibetur, & prohibetur, non à perſecutoribus, ſed Principibus Chriſtianis.* 4. Sacri Canones, quos *Trid.*ſuprà præcipit obſervari, item Concilia Generalia ſtatuunt Eccleſiam habere poteſtatem acquirendi bona ſtabilia ſine licentia Principis, uti dictum eſt *n.*1386.ergo hoc non eſt contrà jus privatorum aut Principum, alioquin Canones, *Trid.* aliaque Concilia docerent injuriam, ergo eſt iniquum, jus illud Eccleſiæ impedire. 5. Tale ſtatutum eſt contra libertatem Eccleſiaſticam, quia facit Clericos eſſe deterioris conditionis quàm laicos, quibus poteſtatem relinquit acquirendi immobilia ac retinendi in perpetuum, ſi volent, ergo eſt iniquum: 6. Materia quæſtionis illius, an Eccleſiæ ſit licitum acquirere, & an è contrà Principes peccent impediendo Eccleſiam à tali acquiſitione, eſt purè ſpiritualis, ergo ſpectat ad forum ſpirituale illam determinare, ergo cùm forum ſpirituale ſive Canones, & Concilia determinent in favorem Eccleſiæ, hæc deciſio eſt ſufficienter certa, ergo opinio oppoſita eſt improbabilis. *Conf.*1. Nam ad Eccleſiam ſpectat determinare, quâ reverentia colendi ſint Eccleſiaſtici, determinat autem ſic colendos, ut capaces ſint ad acquirenda bona, eaque reddenda immunia ab oneribus civilibus, uti oſtendit Carden. *c.*12.17.*&* 19. ergo. *Conf.*2. Nam certum eſt eſſe ſaltem probabile, quòd Eccleſia poſſit bona ſtabilia acquirere, ergo cùm Pontifices præcipiant in hoc non impediri Eccleſiam ab ullo fideli ſibi ſubdito, Pontifices id præcipiunt ſecundùm probabilem ſententiam, ergo fideles omnes tenentur obedire, quia ſi Superior præcipiat ſequens probabilem ſententiam, ſubditus in dubio tenetur obedire, uti conſtat ex dictis *l.1. anu.*432. *V. Delbene* ſupra, ubi quæſtionem illam optimè reſolvit, & tractat plures affines *toto c.*8. *ubi d.*24. *&* 25. probat ſtatutum invalidans donationem ultrà 500. aureos aut etiam omnium bonorum in favorem Eccleſiæ, eſſe invalidum. Argumentum *Caramuelis* nihil evincit, nam licèt jus proprietatis transferretur in Eccleſiam, poſſet manere jus potentiale ſingulorum, & juriſdictionale ad politicum Principum, ergo ex hoc iniquè prohibetur translatio proprietatis ad Eccleſiam: quod *Conf.*nam Eccleſia etiam habet jus potentiale ad bona ſæcularium, uti probat praxis omnium temporum, ergo iniquum eſt hoc jus impedire.

Dices 1. Talia ſtatuta ſunt in Luſitania, Hiſpania, Gallia, Italia & quibuſdam locis Germaniæ, ergo præſumi non poſſunt eſſe iniqua. R.Vel ſunt nihilominus iniqua, uti colligitur inde, quia ſæpe revocata ſunt aut non admiſſa: vel facta ſunt annuente aut certè diſſimulante Sede Apoſtolica pro certis circumſtantiis locorum & temporum, V.Delb. *d.*12.*qui dub.*13. etiam reprobat ſtatutum, ut talia bona intrà certum tempus vendantur.

Dices 2. Sic nimiùm imminuuntur vires Reipubl.& laici tantò plùs gravantur. R.1.Si periculum ſit illius mali, laici recurrant ad Pontificem, qui poterit ponere modum, aut etiam permittere, uti pars onerum portetur ab Eccleſiaſticis. R.2. Nullum inde eſt periculum, nam compenſat Deus, quod ſibi liberaliter offertur: & ita olim tempore Davidis & Salomonis in parvo regno Judææ alebantur ex bonis etiam immobilibus plurimi Sacerdotes, nec ideo minùs florebat. V.S.Auguſt.*hom.* 48.*inter* 50.*c.*2.*&* 3. Ex dictis,

1391 *Sequitur*, Regulares non poſſe ſalva immunitate Eccleſiaſtica ſe obligare communitati ſæculari ad non emenda plura bona immobilia, ſicuti cedere non poſſunt privilegio Canonis vel fori, nec libertati, quam habent, ut ex teſtamento vel donatione acquirant immobilia, uti docent plurimi cum Lugo *in Reſp.Mor.l.*1.*dub.*8.

1392 *Q.*239. *Quid de aſylo ſit notandum?* R.Seqq.

§.1. Immunitas aſyli eſt privilegium locis ad Dei cultum ordinatis conceſſum, ut nemo ex illis violenter extrahat aliquem, *cap.Inter alia, de Immun.Eccl.Conſtit,Gregor.XIV.Cùm aliàs*, aliiſque locis apud Delb.*de Immun.Eccleſ.c.*16.*dub.*1. Videtur autem communitas aſyli introducta jure tantùm Canonico & civili, attamen conformiter juri divino & naturali, Covar.Suar. Bonac.Delben.*d.*2.contrà alios. Et quamvis *Covarr.& alii* putent ſtrictè interpretandam eſſe, quia derogat juri communi, tamen contradicunt *Farinac.*& alii cum Delb.*d.*3.quia eſt cauſa pia & favorabilis, tum Eccleſiæ, tum Reo, pro quo ſtandum. Non poſſe autem aliqua conſuetudine tolli jus aſyli, probabiliter tenent *Maſcard.Bonac.Tann.*& alii cum Delb. *d.*6. contrà *Nav.Suar.Laym.Gav.* & multos alios, tum quia Conſtitutio *Gregorii* habet decretum irritans, tum etiam quia Bulla Cœnæ quotannis contradicit, nec unquam fiet cum ſcitu & diſſimulatione Sedis Apoſtolicæ.

Competit autem hoc aſylum omni Eccleſiæ authoritate Epiſcopi ſtabiliter deſtinatæ ad Dei cultum, uti habent Canones apud Delb. *d.*1.& apud Carden.*in* 1.*criſi d.*61.*anu.*212. *&* 217. Nec opus eſt, ut ſit conſecrata, *cap.Eccleſiæ, de Immun.Eccl.* Neque ut in ea aſſervetur Euchariſtia, Farin.Bonac.Delb.*d.*9.*ſ.* 1.contrà *Covarr.Tuſch.*Neq; ut in ea actu celebratum ſit, Silv. Sanch.Delb.*l.c.*cum communi contrà *Gloſſ.Inn.Tuſcb.* Eſtque ſatis, quòd authoritate Epiſcopi conſtrui cœperit, Abb.Anchar.Farin.Sanch.Delb.*ſ.*2. Neque obſtat, quòd ſit polluta, Tuſch.Suar.Azor.Farin.Delb.*ſ.*3. Neque, quòd ſit interdicta, iidem cum Delb.*ſ.*4. Neque, quòd ſit ferè deſtructa, quia his omnibus non obſtantibus eſt & manet locus ſacer cultui divino dicatus. Quòd ſi planè deſtructa ſit, ſed ſine licentia Epiſcopi, & manſerit ſpes reædificationis, locus pergit gaudere immunitate, Barb.Bon.Delb.*ſ.*5.

Eodem privilegio gaudent, 1.Eccleſiæ tectum, ſcalæ, parietes, Sacriſtia, turres, portæ manu apprehenſæ, Tuſch.Decian.Suar.Sperel.Fagund.Bonac. Delb. *d.*9.*ſ.*6. referens leges. 2.Campanile, licèt diſtet ab Eccleſia, ſed non ultrà 30.paſſus, uti bis declaravit S.Congreg. apud Delb. *l.c.* An etiam locus alius vicinus Eccleſiæ, V.Delb.*ſ.*8.3. Quæ adhærent Eccleſiæ, uti clauſtrum, porticus, ambitus, Abb.Nav.Tuſch. Suar. Delb.*ſ.*7. 4. Cœmeterium, quamvis ſeparatum ab Eccleſia, quia præſumitur benedictum & authoritate Epiſcopi ſacratum, Nav.Farin.Caſtrop.Delb.*ſ.*9.5.Hoſpitale authoritate Epiſcopi, erectum, Abb.Nav.Barb.Suar.Sperell.Delb.*ſ.*10. 6. Conventus ſeu domus Religioſorum, & huc ſpectant cellæ, dormitorium, hortus, domus familiarium & animalium, *L.Pateant, cod.de his, qui ad Eccleſiam*, Silv.Sanch.Farin.Caſtrop. *ſ.*11. Item villæ ſive grangiæ, quas etiam recreationis cauſa habent Religioſi Ciſtercienſes, & cum illis communicantes, per privilegium *Eugenii IV.* apud Lugo *in Reſp.Moral.lib.*3.*diſp.*15. 7. Oratorium authoritate Epiſcopi, non autem privatâ, erectum, Abb.Covarr.Nav.Barb.Delb.*ſ.*12. 8. Domus Clericorum in communi viventium authoritate Epiſcopi erectæ, quia ſunt loca pia, *Diana* & alii cum Delb.*ſ.*13. 9. Palatium Epiſcopi, etiam abſentis aut mortui, ſi non ſit alteri locatum, *cap. Id conſtituimus* 17.*qu.*4. Etiamſi ab Eccleſia Cathedrali abeſſet ultrà 40 paſſus, *Farin. Azor.* Et quamvis Epiſcopus haberet plura palatia, *Germon.* Et quamvis in palatio nullum eſſet oratorium, quia *cap.cit.* id dicitur abſolutè, Navar. Tuſch. Suar. Delb.*ſ.*14. Attamen non gaudent palatia Cardinalium, ſaltem Romæ, ob Conſtitut. Gregorii XIII. & Sixti V. Farin. Barb. Nec palatia Legatorum Principum ſæcularium, uti ſatis declaravit *Innoc.XI.* docentque Nav.Sanch. Delb.*ſ.*15. Imò nec jam gaudent, propter abuſus, ſtatuæ aut palatia Regum, & Principum, Delb.*ſ.*17.10. Gaudet Tabernaculum SS.Euchariſtiæ, hinc qui confugit ad Sacerdotem ferentem illam in platea, aut qui ſe miſcet illam comitantibus, capi non poteſt, ſic enim habet conſuetudo, *Silv.Angel.Nav.Barb.Tann.* & alii multi cum Delb.*ſ.*16. Excipe, ſi in carcere confugeret ad Sacerdotem illuc deportantem, tum enim non gaudet, Tuſch.Covar.Suar. Delb.*d.*10.*ſ.*7.

§.2. Beneficio aſyli gaudent omnes baptizati, illis excep- 1393
tis, de quibus *num.*1394. Item non baptizati, ſi baptiſmum petant: imò & probabiliter quicunque non baptizati, etiam Judæi, quia non eſt tam perſonæ quàm loci privilegium, *Hoſtien.Inn.S.Antonin.Tabien.Tiraq.Arm. Azor. Barb. Gav.* & alii cum Delb.*d.*10.*ſ.*4. contra *Covarr.Farin.& alios*: attamen *l.*1. *Cod.de his qui ad Eccleſiam*, ſtatuit, ut Judæi debitis fatigati non recipiantur, antequam debita univerſa reddiderint. Gaudent etiam ſuſpenſi & interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ etiam denuntiati, uti volunt Silv. Nav. Tuſch. Covarruv. Suar.Farin.Bon.Delb.*ſ.*2.contrà. *Felin.& alios.* Item excommunicati, etiam denuntiati, uti volunt Silv.Nav. Ang. Arm. Delb.*ſ.*3. Item exules, banniti & condemnati ob crimen, Clarus, Farin.Nav.Delb.*ſ.*5.*&dub.*24.*ſ.*17.Item fugiens à carcere vel exilio, Abb. Silv.Covarr.Farin.Tuſch. Barb.Laym.Delb. *d.*10.*ſ.*6. contrà alios. Item fugiens è manibus ſatellitum, aut hos ſecum trahens in Eccleſiam, quia verum eſt, quòd ad

Eccle-

Eccleſiam confugerit, Delb.*ſ.*7. Quod tenet, etiamſi elabatur, dum educitur ad ſupplicium aut ad triremes, uti habet communior cum Delb.*ſ.*8.*&* 9.contrà alios. Idem tenet etiamſi jurarit ſe rediturum ad carcerem, Abb.Covarr.Silv.Laym.Delb. *ſ.*10. Gaudet etiam ſervus comparativè ad dominum, ſi tamen hic juret, & præſtet ſecuritatem de ejus impunitate, debet etiam invitus reddi domino, *Alioquin à Domino poterit occupari, cap. inter alia, de Immun. Eccleſ.* Azor.Farin.Gutt. Delb.*ſ.*13. Attamen Religioſus, v.gr. apoſtata non gaudet comparativè ad Prælatum ſuum; ſaltem ſi confugerit ad Eccleſiam ſuæ Religionis, uti habet communis, ſi autem ad aliam, *Rebuff.Barb.Trull.Diana* dicunt contrà alios gaudere: V.Delb.*ſ.*15. Et valet immunitas etiam quoad civilia, v.g. ſi debitor confugiat ad Eccleſiam, ne incarceretur, *Abb.Silv. Covar.Nav.Suar.Laym.Bon.*& alii cum Delb.*d.*11.*ſ.*1.*&ſeqq.* contrà alios: quod tenent aliqui cum Delb.*ſ.*4. contrà alios, etiamſi debitor ſuſpectus ſit de fuga meditata: item licèt ſit debitor tributorum, Farin. Suar.Azor.Laym. Bonac. Delb.*ſ.*5. contrà *Anchar.Butr.Cutell.* & alios. Item licèt foret fraudulentus decoctor, Covarr.Farin.Suar.Nav.Delb. *ſ.*6. Nec ulla crimina, quantumvis atrocia, privant hoc jure aſyli, exceptis octo, quæ *n.*1394.referemus, hæc enim ſola excipit *Greg.XIV.* tollens & abrogans omnes alios caſus, & reducens omnia alia jura ad tenorem hujus ſuæ Conſtitutionis, Delb.*d.*24.*&* 33. Unde gaudet cudens falſam monetam vel bonam tondens, Gutt.Farin.Delb. *d.*24.*ſ.*18.contrà *Sarpum*. Item defraudans fiſcum vel Reipub. peculium, Delb.*ſ.*19. Extrahens illum, qui ad Eccleſiam confugit, Delb. *ſ.*20. Occidens Clericum, Religioſum, Epiſcopum, Delb.*ſ.*21.*&* 23. licèt Gobat. *in Exp.t.*3. *poſt num.*265.*app.*2.*lit. A. & ſeqq.* putet eum non gaudere, qui præmeditatum commiſit homicidium. Etiam gaudet, qui commiſit crimen exceptum, ſi confugerit & quæratur propter aliud crimen non exceptum, Delbene *ſ.*22.

1394 §.3. Octo crimina excepta complexus eſt his verbis Gregor.XIV. *Laicis ad Eccleſias locaque ſacra confugientibus, ſi fuerint publici latrones viarumque graſſatores, qui itinera frequentata vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur, vel depopulatores agrorum, quive homicidia vel mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis earumque cœmeteriis committere non verentur, qui proditione proximum ſuum occiderunt; aut aſſaſſinii, aut hæreſis, vel læſæ Majeſtatis Rei in perſona ipſius Principis, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur*. Et circa hæc, notanda ſunt ſeqq.

I. Ut quis dicatur publicus latro, debet ſaltem bis vel ter eſſe latrocinatus, nam tale nomen ſonat frequentiam, Abb. Barboſ.Delb.*d.*13. Nec ſufficit eſſe ſimplicem furem, uti habet communis cum Delb. *d.*14. nequidem ſi in Eccleſia furetur res ſacras, ideoque perfringit fores Eccleſiæ &c. quamvis tum capi & attineri poſſit à Miniſtris Eccleſiæ Delb.*d.*24.*ſ.*8.*&* 15. ſed requiritur, ut ex inſidiis erumpens ſpoliet homines rebus ſuis, intenta morte, ſi id impedire velint aut permittere renuant.

II. Qui è viis publicis captivos abducit homines, dicitur ſaltem graſſator, Maranta, Dian.Delb.*d.*15. contrà *Navarr.* ſi tamen ex accidenti; non ex inſidiis, ſed concurrentes in via ſpoliet; probabile eſt gaudere immunitate aſyli, *Farin. Delb.num.*18.

III. Sufficit eſſe agrorum depopulatorem occultum, ſive diurnum ſive nocturnum, Farin.Delb.*d.*16.*&* 17. Negant tamen aliqui ſufficere, quòd ſit publicus incendiarius, Belbene *d.*24.*ſ.*4.

IV. Mutilator eſt, qui non tantùm debilitat ſed abſcindit membrum, id eſt, partem, quæ habet officium diſtinctum ab aliis partibus, uti manus, pes, auris, naſus, mamilla fœminæ, *Molin.Sayr.Regin.* talis autem in Eccleſia mutilans nequidem alterius Eccleſiæ aſylo gaudet: V.Delb.*d.*19.*ſ.*1.E contrà gaudet, qui tantùm vulneravit, etiam graviter. Barb.Caſtrop. Delb.*ſ.*2. Item qui occidit tantùm, ſe defendens cum moderamine inculpatæ tutelæ, Delb.*ſ.*4.cum communi. Item qui exiſtens in Eccleſia glande occideret tranſeuntem in platea, quia non occidit in-ſed ex Eccleſia, Ricc.Bon.Dian.Delb.*ſ.*5.contrà alios multos: ſi tamen exiſtens in platea glande occidat exiſtentem in Eccleſia, non gaudet: aliud eſt, ſi vulneratus extra Eccleſiam, poſteà moreretur in Eccleſia, tum enim gauderet, Navar.Covar.Suar.Laym.Delb.*ſ.*7. uti & ille videtur gaudere, qui occidit tantùm in Sacriſtia, ſcalis, tecto, atrio, porticu, campanili, quia licèt hæc in favorabilibus veniant nomine Eccleſiæ, non tamen in odioſis, quale eſt reſtrictio immunitatis Eccleſiaſticæ, Abb.Ang.Navarr.Laym.Delb. *ſ.*6. contrà plurimos alios. Item gaudet, qui tantùm mandavit occidi in Eccleſia, Delb.*ſ.*8. Item vi vel fraude extrahens & occidens extrà Eccleſiam, Delb.*ſ.*9.contrà *Azor.& Farinac.*

V. Ille proditoriè occidit proximum, qui per inſidias & ſub ſpecie amicitiæ occidit incautum ſive nihil ſibi potentem cavere, uti ex jure communi docent Farin.Suar.Sanch.Delb.*d.*20. *ſ.*1. (Per proximum autem intelligitur quivis, etiam infidelis, Delb.*ſ.*4.) Hinc proditorius eſt, qui alium nulla præcedente inimicitia vel rixa, occidit veneno, Bald.Felin.Covarr.Delb. *ſ.*2. Item qui ita occidit inimicum, cui promiſerat amicitiam, Farin.Barb.Delb.*ſ.*3.Item mater, quæ occidit infantem aut fœtum animatum, uti docet Delb.*ſ.*2. cum *Farin.*contrà *Bonac.*& alios. E contrà proditorius non eſt ſed gaudet immunitate, qui occidit inimicum ſine ſpecie amicitiæ, etiam incautum, uti volunt Ricc.Bon.Barb.Sperel.Delb.*ſ.*5. licèt contradicant Covar.Menoch.Suar.Farin.& alii: item gaudet, ſi in duello occidat, Farin.Dian.Delb.*ſ.*6.contrà *Barb.*& alios: item qui occidit per induſtriam, ſed non per inſidias, quia non eſt proditorius, Tuſch.Ricc.Laym.Delb.*ſ.*7.contrà *Mol.Gutt. Barb.* & alios: item qui per inſidias deducit aliquem ad locum, in quo occiditur ab alio, non privatur tanquam proditorius, quia non occidit, attamen privari poterit, ſi fuerit aſſaſſinus, uti jam dicetur.

VI. Aſſaſſinus hìc dicitur, qui interveniente pacto vel pretio aliquem conducit ad occidendum, vel qui pretio conductus occidit proximum incautum, uti AA. communiter cum Delb.*d.*21.*ſ.*1. Quod tenet, quamvis occidendus ſit infidelis, quia eſt proximus, Farin.Bon.Delb.*ſ.*2. contrà *Covar.*& alios: item quamvis occidendus ſit inimicus conducentis, dummodò non ſit ſimul inimicus conducti, Covar. Bonac.Delb. *ſ.*3. Et privatur hic conducens ad occidendum, quamvis occiſio non ſequatur, quia verè fuit mandans aſſaſſinium, Maſcard.Delb. *ſ.*5.contrà alios: conductus tamen tum non privatur, quia non occidit, Farin.Suar.Maſc.Laym.Delb.*ſ.*4. contrà Gutt.Barb. Bon.& alios: uti & probabile eſt eum non privari, qui tantùm receptat, defendit vel occultat aſſaſſinum, *Dian. Navar.* & alii cum Delb.*ſ.*6. Probabilius tamen videtur eum privari, qui pretio conductus aliquem teſtimonio falſo vel injuſta ſententia inducit in mortem, quamvis etiam oppoſitum ſit probabile, Delb.*ſ.*7. & alii.

VII. Hæretici, ſi confugerint ob crimen diſtinctum ab hæreſi, gaudent, *Silv.Suar.Farin.Az.Trul. Bonac.* & alii cum Delb. *d.*10.*ſ.*4.contra *Nav.Tann.* & alios. Attamen putant plures cum Delb. *d.*22. contrà alios, nequidem ſuſpectum de hæreſi gaudere.

VIII. Reus læſæ Majeſtatis in perſonam Principis eſt, qui hunc occidit, vulnerat, percutit, hoſtiliter inſequitur, contrà eum conjurat, machinatur, revelat hoſtibus ſecretum, ut ab his capiatur, & idem eſt de conſulente iſta, auxiliante, etiam effectu non ſecuto: tamen ſi tantùm defendat talem delinquentem, vel non revelet, non ideò cenſetur perſonam Principis aggredi, quamvis poſſit eſſe reus læſæ Majeſtatis: nomine Principis autem hìc intelligitur, qui ſupremam habet juriſdictionē & nemini eſt ſubjectus, ac ita in perſona offenditur à ſubdito ſuo originis vel domicilii. Et talis Princeps Eccleſiæ cenſetur etiam Cardinalis: probabiliter tamen tales non cenſentur, Principes Superiorem recognoſcentes, nec uxor, filius vel legatus Principis independentis; uti nec aſylo privantur peccantes in ſtatuam Principis, quia quamvis Rei ſint læſæ Majeſtatis, attamen non in perſonam ipſius Principis. V.Delb.*d.*23.

§.4. Reus in Eccleſia exiſtens non poteſt vinculis alligari, 1395 nec aliter vexari, nec ei poteſt negari victus aut requies, nec inferri ullum nocumentum, nec aliquid in Eccleſia juſtè poſſeſſum eripi, *L.Præſenti, Cod.de his, qui ad Eccleſ.cap.Diffinivit*, 17.*q.*4. Covar.Tuſch.Suar.Farin.Laym.Bon.Delb.*d.*27. 28.29.30. Poteſt tamen etiam à Judice ſæculari, ſpoliari bonis, quæ extra Eccleſiam habet, ſi citatus non compareat, Abb.Farin.Suar.Bon.Delb.*d.*31.*num.*15. Sed nequidem per Judicem Eccleſiaſticum damnari poteſt ad mortem vel ullam pœnam corporalem aut huic æquivalentem, qualis eſſet perpetuus carcer, triremes, ſervitus, exilium, gravis verberatio, verùm tantùm ad pœnam pecuniæ, quam ſi non habet, cùm *cap.Inter alia, de Immun.Eccl.*dicatur, *Super hoc, quod quis fecit, eſt aliàs legitimè puniendus*, putat Delb.*num.*7.non eſſe improbabile, quòd poſſit puniri aliqua pœna corporali, non multùm afflictiva. Si tamen reus nolit Judici ſæculari tradi, qui timet, ne non ſtet promiſſione indemnitatis ab alia pœna, debet hæc infligi à Judice Eccleſiaſtico, nec tum poterit poſteà conveniri ampliùs à Judice ſæculari, Delb.*num.*8. Praxis autem habet, ut quamvis exiſtens in Eccleſia, etiam à Judice ſæculari damnetur etiam ad mortem poſteà ſubeundam, quando extrà aſylum capi poterit, per hoc enim non præjudicatur immunitati Eccleſiaſticæ, uti notant AA.cum Delb. *nu.*16. Prætereà notant plerique non gaudere immunitate illos, qui ob correctionem morum & pœnas morte vel mutilatione inferiores trahendi eſſent ad Superiorem Eccleſiaſticum, uti reſpondit S.Congr. apud Pignatel. *t.*1.*conſult.*435. & colligitur ex *cap. Inter alia*, nam legitimam confugæ punitionem permittit, *dummodo Eccleſiaſticus Judex delinquentis ſalvam habeat vitam & membra*.

§.5. Peccat graviter, qui impedit reum, ne confugiat ad 1396 immu-

immunitatem, aut ex hac expellit, quia qui immunitatem dedit loco, dedit reo jus illam apprehendendi, & ea gaudendi : ſi tamen ſe indecenter habeat in loco ſacro ut culpa ſua turbet quietem vel diſciplinam regularem, & monitus non emendet, expelli poterit, quia eſt privilegium loci, & *quod obgratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum, Reg.61.Juris in 6.* Delb.*d.*48. Quòd ſi exeat non ultrà 30. paſſus ob neceſſitatem naturæ, capi non poteſt, *c.Diffinivit*, 17.*q.*4. Suar.Bon.Delb.*d.*25.*ſ.*2. Et quamdiu reus eſt invitus, nec eſt caſus ex 8. exceptis, nequidem per Epiſcopum poteſt extradi poteſtati ſæculari, quamvis hæc præſtaret cautionem de non infligenda pœna corporis, Delb.*d.*27. Phæb.*l.*2.*t.*11.*n.*11. Si autem ſit crimen exceptum, tum debet Epiſcopi vel ejus Vicarii authoritate extradi, etiam non præſtita cautione illa, Delb.*d.*39. Et qualecumque fuerit crimen, requiritur talis licentia Epiſcopi expreſſa, Delb.*d.*40.*ſ.*1. niſi fortè Epiſcopus culpabiliter nollet extradere, tum enim poſſet Judex ſæcularis extrahere, & in ſolo carcere Eccleſiaſtico detinere, uſquedum Epiſcopus vel ejus Superior de crimine etiam excepto, & quamvis omninò notorio cognoverit, Ricc.Farin.Dian.Delb.*ſ.*2.*&* 3. Poſſetque cognitionem illam facere etiam alius Judex Eccleſiaſticus ab Epiſcopo deputatus, non autem Prælatus Regularis, Delbene *d.*41.*&* 46. Et ad eundem Epiſcopum ſpectat cognoſcere, an locus ſit ſacer necne, Delb.*d.*41. Debentque contra reum concludenter probari omnia, alioqui privari non debet poſſeſſione aſyli, Farin.Bonac.Ricc.Barb.Sanch.Lez.& alii cum Delbene *d.*42. Nec tenetur Judex Eccleſiaſticus quoad hoc ſtare proceſſu facto à Judice ſæculari, Delb.*d.*43. Debetque præterea citare Eccleſiam & reum, cùm jus habeant ſe defendendi, Delbene *d.*44. Quomodo autem hi, uti & teſtes audiri debeant ; item quomodo ſit inſtituendus proceſſus, habet Delb.*d.*44.*&* 45. Et quando delictum exceptum eſt in Eccleſia commiſſum à Clerico, ſolus Eccleſiaſticus Judex eſt competens ; ſi autem à laico, datur locus præventioni, nam reus ſortitur forum ſæculare ratione ſuæ perſonæ ; Eccleſiaſticum autem ratione loci ſacri violati, Delb.*d.*49. Putant quidem Abb.Silv.Arm. Nav. Roſſel.Suar.Az.Bonac.Laym.Tann.Caſtrop.*t.*11.*p.*7. *num.*16. Delb.*d.*10.*ſ.*12. privilegio aſyli non gaudere Clericum contrà Judicem Eccleſiaſticum ; ſed tantùm contrà laicum, quia juriſdictio Eccleſiaſtica exerceri poteſt in loco ſacro, & Jura nullibi loquuntur de Clerico confugiente, niſi reſpectu Judicis laici : attamen tenent Farin.Covarr.Diaz.Clarus, Tuſch.Zero. Marian.Gutt.J.Andr.Barb.Lotter.Fagn.& alii cum Pirrhing. *l.* 3.*t.*49.*n.*39. quia verba ſunt generalia, & non excipiuntur, niſi habentes crimina *num.*1394. relata : rationes plures in utramque partem videri poſſunt apud Delb.*ſup.* & Illſ.*t.*5.*à num.*260. qui etiam inclinat in priorem ſententiam, ſed Curia Romana dicitur anno 1695. ſecundùm poſteriorem improbaſſe factum cujuſdam Epiſcopi in Germania, qui Abbatem ſibi ſubjectum Monaſterio traxerat.

Denique ſi reus violata immunitate Eccleſiaſtica ſit per vim extractus, debet ante omnia reſtitui Eccleſiæ, Valent.Bonac. Delb.*d.*25.*ſ.*3.*&* *d.*27.*n.*10. Nec ſatis eſt, quòd reo detur ſponſio impunitatis, nec quòd reus ipſe renuntiet juri ſuo, quia renuntiare non poteſt, cùm ſit principaliter jus, & cauſa Eccleſiæ, Farin.Barb.Suar.Caſtrop. Delb. *d.*33. Unde ſi non reſtituatur, omnia, quæ fient, erunt irrita, uti habet Conſt. *Greg.XIV.* & AA.cum Delb. *d.*34. Et idem dicunt Farin.Lez. Delb.*d.*25.*ſ.*4. contrà *Abb. Silv.* & alios, quamvis extractus eſſet tantùm per metum gravem injuſtè incuſſum, nam æquivalet violentiæ ; non tamen ſi tantùm per blanditias, fraudem vel perſuaſionem aliam uti habet communis : ſi tamen extractus ſit promiſſione ipſiuſmet Judicis ſpondentis impunitatem, puniri non poſſet, Nav.Farin.Barb.Lez. & alii cum Delb. *ſ.*5. Nec poteſt extrahi veſte, pede, manu, ſi horum unum protendatur extra Eccleſiam ; quia cenſetur toto corpore remanere in Eccleſia, Delb.*d.*29.*à num.*8. Quòd ſi violentè extractus & carcere ſæculari incluſus, hinc evadat, ſed è fuga retrahatur, videtur perdere privilegium immunitatis, non aliter ac ſi è loco ſacro fugiens captus eſſet. Farinac..Delb. *d.*31.*nu.*17. De cætero extrahens aut mandans extrahi reum cum violatione immunitatis Eccleſiaſticæ ; item non reſtituens extractum, incurrit ſacrilegium, excommunicationem, infamiam, reatum pœnæ capitis, & mulctam pecuniariam, uti ex juribus & AA. oſtendit Delb. *d.*35. An autem incurrat tentans extrahere aut mandans extrahi, ſi effectus non ſequatur, vide Delb. *d.* 36. Et multò magis incurrit pœnas illas Judex laicus, ſi ex ipſius mandato reus occidatur in Eccleſia, Delb.*d.*37. Probabile tamen eſt poſſe etiam Ordinarium abſolvere ab excommunicatione ideò incurſa, quia nullibi legitur eſſe reſervata, quamvis enim reſervetur violatio libertatis Eccleſiaſticæ, quæ ad perſonas ſacras ſpectat, non tamen immunitatis, quæ tantùm reſpicit loca ſacra, Barb.Bonac.Ricc. & alii cum Delb. *d.*38. qui tamen ſuadet oppoſitum in praxi, ob ſtylum Pœnitentiariæ Romanæ.

1397 *Q.*240. *Quid notandum ſit circa jus Regaliæ ; item circa poteſtatem & authoritatem Romani Pontificis ?* Reſp. De his ſcripſit fusè & doctè Cardinalis *Sfondratus* in libro, quem vocavit, *Regale Sacerdotium*, & edidit ſub nomine *Eugenii Lombardi*, ex quo aliqua deſumam.

§.1. Jus Regaliæ eſt primitus conceſſum Principibus aliquibus, præcipuè ad cuſtodiendos fructus Eccleſiæ vacantis : non autem ad ſibi uſurpandos, ſed reſervabantur eligendo : aut ex ordinatione *Alexand.III.Bonif.VIII.Gregorii X.* poterant in utilitatem Eccleſiæ impendi, non autem occupari à laicis, ſub pœna anathematis lata à *Bonif.VIII.* Vid. *cap. Generali, de Elect. in 6.* Si tamen laici Eccleſias dotarant, poterant ſibi reſervare penſiones in fructibus tempore vacationis ; item potuerunt conſuetudine vel privilegio habere jus tùm percipiendi fructus.

§.2. Reges Galliæ inter primos per Bullas *Innoc.III.Cle-* 1398
mentis IV.Gregorii X. habuerunt jus regaliæ, quod quaſi ex 4. juribus conflatum erat, nempe 1. Eligendi Epiſcopos. 2. Inveſtiendi. 3. Conferendi alia etiam Beneficia. 4. Vacante Eccleſia percipiendi fructus. Et quod electionem Epiſcoporum attinet, hoc jus eligendi fuit varium, nam initio etiam populus admittebatur ad electionem, erat tamen potiùs petitio quàm electio. Poſteà electi ſunt per ſynodum Epiſcoporum, & Clericorum provincialium, ſed cùm ſynodi cum incommodo expectarentur aut differrentur diutiùs, omiſſæ ſunt ; uti & populus paulatim nimiùm copioſus ob multas cauſas omninò remotus eſt. Poſt hæc fuit etiam Principum conſenſus requiſitus, & Epiſcopi ac Clerus dederunt Principibus poteſtatem conſtituendi Epiſcopos, imò etiam Imperatoribus conſtituendi Romanum Pontificem, jure utique delegato, ut facerent nomine, & voto Cleri, & tales à ſe conſtitutos tuerentur, ſed neceſſitatis hæc, non moris fuerunt : inde orti abuſus ab anno 355. quando *Conſtantius I.* Imperator Arianus, *Liberio* in exilium pulſo, *Felicem II.* in Cathedra Romana collocavit, & ita pluribus ſeculis Principes ſibi arrogarunt jus eligendi ipſum adeo Pontificem, confirmandi Epiſcopos, inveſtiendi Eccleſiaſticos, donec tandem anno 1114. in ſynodo Rhemenſi ſub Calliſto II. preſentibus 426. Patribus & Ludovico Craſſo Francorum Rege jus inveſtituræ planè ademptum laicis, & Henricus Imperator eſt excommunicatus, ſed tandem Eccleſiæ conciliatus in Concilio generali Romæ 300. Epiſcoporum Anno 1122. ac libertas eligendi Epiſcopos ; & maximè Romanum Pontificem ; item jus inveſtituræ redditum Eccleſiæ. Exinde in Germania Clero permiſſum eſt eligere ſuos Epiſcopos, hac conditione, ut Electi confirmarentur à Pontifice, & ab Imperatore reciperent feuda aliaque jura ſæcularia : tandem jus eligendi Pontificem anno 1274. in *Concil. Lugdunenſi II.* ſub *Gregorio X.* relictum eſt ſolis Cardinalibus, excluſis populo, Principibus & reliquo Clero. Nihilominus ſe ingerebant Principes in electiones Epiſcoporum, exemplo ſumpto à nimia libertate Græcorum. Variæ ſynodi id prohibuerunt, ſed per ſchiſmata, & potentiam conſuetudo prævaluit, unde *Zachariæ* Papa Sæculo VII. ut occurreret corruptelis alioquin non emendandis, dedit *Pipino* Francorum Regi privilegium nominandi Epiſcopos ad omnes vacantes regni Eccleſias, & ex eo tempore Reges Galliæ eos nominabant : Anno autem 816. *Ludovicus pius Pipini* nepos Aquiſgrani in ſynodo reſtituit Epiſcopis libertatem, cedens privilegio, manſit tamen etiam tunc neceſſitas regii aſſenſus ; & hic modus eligendi Epiſcopos tenuit ad annum 1122. anno tandem 1515. *Leo X.* jure eligendi à Capitulis avocato dedit *Franciſco I.* integram facultatem nominandi ad Epiſcopatus vacantes, jus tamen confirmandi reſervavit Pontifici : & hoc approbatum eſt in *Concil. Lateran. ſeſſ.*2. Clero Gallicano fruſtra provocante ad generale Concilium, cùm illud pro Generali agnitum fuerit. Poſtmodùm Reges prætenderunt jus inveſtituræ, nam ſicut qui feudum à Regibus accipiebat, admittebat baculum, ita Epiſcopi accipiebant à Rege feuda, & regalia ſumpto annulo & cruce, & has inveſtituras non improbavit *Calliſtus II.* eò quòd tantùm videretur ſpecta re feuda, non verò Epiſcopale officium ; ſed *Gregorius VII.* has inveſtituras vetuit, cujus decreto inſtiterunt *Victor III. Urbanus II. Paſchalis II.* qui ab *Henrico IV.* Imperatore in carcerem conjectus eſt, & coactus ei inveſtituras permittere anno 1111. ſed anno 1112. *Concil. Lateran. & Viennenſe* declararunt hæc irrita fuiſſe. Res tandem compoſita eſt, ita ut electiones Epiſcoporum ſpectarent ad Clerum, inveſtituræ regalium ad Imperatores, faciendæ non per annulum & crucem, ſed per ſceptrum. De electione Epiſcoporum ſecundùm Canones antiquos videri poteſt etiam Leur.*p.*2. *qu.*237.

§.3. Tota ratio, cur tempore Sedis vacantis liceat Regi- 1399
bus Galliæ ad ſe trahere fructus Epiſcopatuum, eſt conceſſio *Conc.Lugdun.* cum limitatione tamen, *ubi id in conſuetudine ſic fuerat* ; Concilium autem de collationibus præbendarum Sede vacante vacantium non loquitur, hinc *Bonif.VIII.* noluit de his intelligi privilegium, ſed *Philippus pulcher* Rex Galliæ & *Joannes Pariſienſis*, libro edito reſponderunt etiam has niti eadem

dem ratione Concilii, ſcilicet longa conſuetudine, & præſcriptione. Non poſſe autem hoc jus extendi ad omnes Galliæ Eccleſias, tenuerunt plures cum *Petro de Marca* Archi-Ep. Pariſienſi, qui pro Eccleſia ſcripſit.

1400 §.4. In hoc dubio, an jus Regaliæ extenderetur ad omnes Eccleſias, in parlamento ſub *Henrico IV.* aſſertum eſt extendi: intercedentibus autem Epiſcopis, executio ſuſpenſa fuit: tandem *Ludovicus XIV.* convocato Clero decidit, & juſſit *Henrici IV.* ſententiam per totum regnum executioni mandari: Reclamarunt pro immunitate Eccleſiarum Epiſcopi duo, Apamienſis, & Alectenſis, Romamque appellarunt, ſed mortuo Apamienſi, proceſſum eſt ad executionem.

1401 §.5. Hoc tempore cœpit res ferventiùs agitari. Rationes Pontificis erant: Jus Regaliæ contrà Canones inductum, non eſſe extendendum ad Eccleſias, quæ hucuſque immunes fuiſſent, uti nec illas, quas Rex ſibi recenter ſubjeciſſet per victorias, quia *Conc. Lugdun.* plus non dediſſet, quàm conſuetudo tunc induxiſſet. Prætereà committi exceſſus, & à regiis non tantùm invadi fructus, ſed conferri omnia Beneficia, præterquàm curata & præbendas Theologales. Rationes Regis fuerunt, quòd tantùm inſiſteret majorum ſuorum veſtigiis, non potuiſſe per *Conc. Lugdun.* jus Regaliæ ſex ſæculis firmatum immutari: Regibus hæc deberi pro ſummis beneficiis in Eccleſiam, nec revocari poſſe privilegia remuneratoria, niſi reſtitutis rebus, ob quæ conceſſa erant: alia olim fuiſſe onera Epiſcoporum, ut vel ad bella ſequerentur, vel ſumptus conferrent &c. hæc Regem remiſiſſe: tertiam etiam partem fructuum remanere electis, & partem reliquam impendi ad evertendas hæreſes, nec poſſe impendi meliùs ab ipſo Pontifice: nihil à Rege novi deciſum, ſed ſententiam latam ab *Henrico IV.* & quidem ex judicio virorum doctrina ac religione celebrium, executioni mandari: nullas Eccleſias privilegio Regaliæ fuiſſe olim exemptas, ſed tantùm interveniſſe negligentiam ſuorum anteceſſorum, Regem autem juraſſe recuperare ac ſtabilire omnia jura regni, nec poſſe ſalva conſcientia negligere. Duos Epiſcopos, maximè qui in cauſa *Janſenii* ſemper uſque ad comminationem excommunicationis ipſi Romæ contumaces fuerint, præponi non debere omnibus aliis Galliæ Epiſcopis. Adhæc quæſtionem facti tantùm eſſe, an conſuetudo illa fuerit per omnes Galliæ Eccleſias, hinc ad ſenatum Regium ſpectare reſolutionem; quæſtionem verò juris, (quales tantùm ſpectent ad forum Eccleſiaſticum) an nempe jus Regaliæ tutò poſſit à Rege poſſideri, maximè ſi pro hoc conſuetudo, & privilegia pugnent, jam eſſe definitam à *Conc. Lugdun.* Replicavit Roma, hæc extra rem eſſe, non impugnari privilegia data, non negari collata in Eccleſiam merita, tantùm impugnari, quòd onus Regaliæ extendatur ad Eccleſias omnium teſtimonio liberas: lædi libertatem Eccleſiaſticam exagitando, & relegando Epiſcopos, qui his ſe opponant & Romam implorent: eſſe publicos in Regiis Miniſtris exceſſus; &c. ad authoritatem Eccleſiæ ſpectare his omnibus poni modum. Intereà variæ Pontificis querelæ emanarunt contrà Epiſcopos Gallicanos: acceſſit excommunicatio Archiepiſcopi Tholoſani, & facultas à Papa conceſſa, ut ſanctimoniales *S. Auguſtini* propè Pariſios poſſent eligere Antiſtitam contrà decretum Archi-Epiſcopi Pariſienſis, qui Antiſtitam eis præfecerat. Ex his aucta eſt exacerbatio Cleri pro cauſa communi, & Pariſiis indicta Comitia.

1402 §.6. Poſt multas hinc inde altercationes Clerus Gallicanus anno 1682. edidit declarationem per 4. ſequentes propoſitiones.

1. B. Petro ejuſque ſucceſſoribus Chriſti Vicariis ipſique Eccleſiæ rerum ſpiritualium, & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & iterum, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo:* ac proinde ſtare Apoſtolicum illud, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt: itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neque authoritate clavium Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide ac obedientia ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, PP. traditioni & SS. exemplis conſonam omninò retinendam.

2. Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi ac Petri Succeſſoribus Chriſti Vicariis rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant ſanctæ œcumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita decreta de authoritate Conciliorum generalium, quæ SS. 4. & 5. continentur; nec probari à Gallicana Eccleſia, qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint authoritatis minùs approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilii dicta detorqueant.

3. Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia, conſecratos; valere etiam regulas, mores & inſtituta à regno, & Eccleſia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcuſſos, atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, ut ſtatuta & conſuetudines S. Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmatæ, propriam ſtabilitatem obtineant.

4. In fidei quoque quæſtionibus præcipuas Summi Pontificis eſſe partes, ejuſque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere; Nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. 1403

§.7. De hac declaratione ſic ſtatuit *Ludovicus XIV.* 23. Maii 1682. 1. Prohibuit in toto regno, etiam Regularibus in ſuis domibus, ne aliquid vel uni ex his articulis contrarium doceretur. 2. Statuit, ut omnes impoſterum admittendi ad docendam Theologiam ſubmitterent ſe ad docendos illos articulos. 3. Voluit, ut in ſingulis univerſitatibus unus obligaretur ad docendos ſingulis annis eos articulos. 4. Nomina eorum, qui obligabuntur unoquoque anno, voluit mitti ad Archi-Epiſcopos vel Epiſcopos vel Procuratores Generales, idque ante inchoationem ſtudii annui. 5. Statuit ut impoſterum nullus fieret Licentiatus in Theologia vel Jure, quin priùs eam doctrinam in Theſibus ſuis propugnaſſet. 6. Vult, ut Archi-Epiſcopi, Epiſcopi &c. interpoſita ſua authoritate faciant doceri eos articulos. 7. Decanis & Syndicis facultatum Theologiæ injungit, ut curent hæc ad executionem perduci, alioquin eos reſponſuros, quaſi de delicto ſuo. Denique mandat hoc ſuum edictum ubique publicari,

§.8. Declarationem illam Cleri annullavit *Inn. XI.* die 11. Aprilis 1682. & *Alex. VIII.* aliam edidit bullam die 4. Auguſti 1690. *Inter multiplices*, &c. in qua prorſus annullat & declarat ab initio fuiſſe & in perpetuum fore irrita omnia, quæ à Clero Gallicano acta ſunt Pariſiis anno 1682. Circa extenſionem juris regaliæ, circa propoſitiones IV. de poteſtate Eccleſiæ, & alia omnia, quæ quandocunque præjudicent libertati Eccleſiæ, vide Vind. Gob. *p.* 1. *obſ.* 3. 1404

§.9. Quod ſingulas propoſitione attinet, certiſſimum eſt Papam habere directam poteſtatem in ſpiritualia; attamen fatendum eſt cum Sfond. *l.* 1. *§.* 1. non habere ordinariam, & directam in Principes ſæculares, ut eos deponat, (Quidquid ſit de populo & proceribus, de quibus videri poteſt Dian. *poſt p.* 10. *t.* 1. *R.* 5. *& ſeqq.*) aut de eorum bonis temporalibus diſponat, quamvis aliqui apud Moyam *t.* 1. *tr.* 6. *d.* 3. *q.* 3. *nu.* 10. oppoſitum tenuerint, quorum ſententiam *Victoria* dicit eſſe manifeſtè falſam & confictam ad adulandum Pontifici: hinc *Inn. III.* vir doctiſſimus *cap. Pro venerabili*, Qui filii legitimi: fatetur ſe non habere poteſtatem, nempe directam in temporalibus ſuper Regem Galliæ: eſtque idem de aliis Principibus. Nihilominus habent poteſtatem extraordinariam & indirectam, quando ita poſtulat neceſſitas tuendæ religionis, probatque id Sfond. *§.* 2. *& ſeqq.* ex Scripturis, jure Canonico, & SS. PP. Doctoribus Eccleſiæ ac cæteris AA. id communiſſimè aſſerentibus: Et à §.17. rationes addit, ſolvitque objectiones; & preſſiùs declarat, in quibus caſibus id poſſit Summus Pontifex. Denique §.20. notat cenſuras, quibus ſententia oppoſita Clerici Gallicani à graviſſimis DD. eſt affecta. 1405

§.10. Idem *Sfondratus l.* 2. latè probat Papam eſſe ſupra Concilium, idque evincit ex Scriptura & ex agnitione ipſorum Conciliorum generalium. Nec contrarium eſt *Conc. Conſtant.* quod quotieſcumque Concilii ſupra Papam authoritatem extollit, ſemper reſtringit ad Concilium tempore graſſantis ſchiſmatis ac incerti Papæ, uti pluribus oſtendit Sfond. §.2. *nu.* 13. & §.16. *n.* 1. *ubi n.* 2. oſtendit decretum *Conc. Baſileenſis* contrarium aſſerentis, eſſe reprobatum: ſpeciatim autem §.8. probat appellationem à Papa ad Concilium eſſe frivolam & damnabilem. Seqq. §§. eandem Papæ authoritatem ſupra Concilium demonſtrat authoritate SS. PP. aliorumque DD. ac invictis rationibus: Attamen §.14. recenſet, in quibus caſibus major ſit authoritas Concilii quàm Papæ, & quæ contrà dicta opponuntur, ſolvit §.17. *& ſeqq.* Vide dicta *l.* 1. *nu.* 202. Rectè etiam probatur in Vindiciis Gob. *p.* 1. *obſ.* 3. ad hoc, ut definitio vel declaratio Pontificis in materia fidei aut morum ſit infallibilis, non prærequiri judicium Epiſcoporum aut conſenſum Eccleſiæ, ſed hoc judicium & hunc conſenſum debere ſubordinari definitioni aut declarationi Summi Pontificis. 1406

§.11. Probat Sfondr. *l.* 4. Papam poſſe ex cauſa diſpenſare in omni lege Canonica; item Papæ è Cathedra, quamvis extrà Concilium, loquentis infallibilem eſſe authoritatem quoad materias fidei & morum, probat *l.* 3. *§.* 2. *& ſeqq.* quod etiam diximus *l.* 1. *à num.* 202. 1407

1408 CAPUT III.

De ſtatu, & officio perſonarum ſæcularium quarundam, præſertim judicialium.

DUBIUM I.

Quæ requirantur ad legitimum judicium?

» RESP. Hæc tria : Primum eſt, Juriſdictio, ſine qua ſen-
» tentia nulla eſt, & peccatur mortaliter, ut ex D.Th.
» 2.2.*q.*60.habet communis. Quare peccat Judex ſæcularis, ſi
» perſonas aut cauſas merè Eccleſiaſticas, ad ſe trahat: uti &
» Eccleſiaſticus, ſi merè civiles : Niſi fortè per accidens, ob
» defectum juſtitiæ in foro ſæculari, aut niſi ſint cauſæ miſera-
» bilium perſonarum. Porrò quæ cauſæ dicantur merè civiles,
» quæ Eccleſiaſticæ, & quæ mixtæ, noſſe oportet Judices &
» Juriſperitos, poteſtque videri apud Laym. *l.*4.*c.*2.V.Card.de
» Lugo *d.*37.*ſ.*3.

» Secundum, Rectus proceſſus, v.g. ut citetur Reus, &
» audiatur &c. Niſi fortè expediat aliquando,cùm delicta ſunt
» atrocia, in flagranti crimine deprehenſos, ſubitò plectere,
» vel in criminibus exceptis communem procedendi modum
» mutare : nam Judici ſupremo (dummodò crimen ſit publi-
» cum) aliquando licere, ſine citatione, defenſione, & omni
» proceſſu reum morti adjudicare, eò quòd factum notorium,
» & publicum ſit loco accuſatorum & teſtium, neque reo jus
» defendendi ſe in judicio relinquat, docet Nav.*c.*25.*num.*10.
» Leſſ.Fill.Bon.*t.*2.*d.*10.*in præcepta q.*2.*p.*2.*n.*5. V.etiam Lugo
» *ſ.*5.Trul.*l.*8.*c.*1.*d.*13. Ubi tamen bene notandum, quòd etſi
» talia crimina excipiantur à communi diſpoſitione legis poſi-
» tivæ, & juris communis, non tamen legis ſeu juris naturæ;
» ideoque graviter peccare Judicem, qui in tali proceſſu, v.g.
» contrà ſagas, quidvis licere putat. V.Spe *in caut. crimin.d.*
» 17.18.37.*& ſeqq.*

» Tertium, Recta intentio, ut ſcilicet procedatur ex inten-
» tione juſtitiæ : Unde ſi judex procedat ex odio, aliove fine
» malo, v.gr.ob inanem gloriam, peccabit,non quidem contrà
» juſtitiam, ſed charitatem aliamve virtutem ; moraliter aut
» venialiter, prout finis illius,mortalis aut venialis erit Bonac.
» *t.*2.*d.*10.*in præcept.p.*2.*q.*3.

ADDENDA.

1409 *Quæſt.*241. *Quid prætereà notandum ſit circa juriſdictionem Judicis?* Reſp.Seqq.

§.1. Quamvis nemo poſſit eſſe Judex in propria cauſa,tamen excipitur cauſa competentiæ fori,nam poteſt ſupremum tribunal cognoſcere, an cauſa aliqua ſit ſuæ juriſdictionis, necne, tuncque pro ſe vel alio pronuntiare, uti probat praxis : Et hoc maximè competit Sedi Apoſtolicæ,quam eſſe ſupremum tribunal docent *Conc.Florent.* & SS.PP.Vide Du Bois *ad prob. ab Alex.VII.damnatas c.*2.

1410 §.2. Certum eſt à ſæculari judicari non poſſe Clericum, ſecundùm dicta à *nu.*1381. nequidem ex delegatione Epiſcopi, *cap.Significaſti, de foro compet.*niſi in certis caſibus,uti notatur *cap.Ut famæ, ſ.Laici, de ſentent.excommun.& cap.Cùm non ab homine, de judic.* pluribuſque probat Dript. *in ſpec.Archid.ſ.*1. *a.*9.*p.*122. Imò peccat mortaliter Judex, ſi in loco Sacro faciat proceſſus vel ſententias ſæculares ; ſuntque talia irrita, Delbene *de immun.Eccleſ.c.*2.*d.*3.*ſ.*2. Neq;poteſt vel per jus civile vel per conſuetudinem induci, ut laicus ſit Judex Clerici, unde licèt Papa poſſit in particulari caſu concedere, v.g.Regi Judicium Clerici ob falſam monetam, ſicque Rex nomine Papæ, per ſuos ferre ſententiam, tamen quamvis Rex per tempus immemoriale pergat ſic judicare Clericos, nunquam præſcribet, quia nunquàm poſſidebit jus judicandi, cùm Clericus jure Divino eximatur, & laicus ſit ſubjectum illius juris incapax, ac omni anno tali attentato expreſsè reclametur per Bullam Cœnæ. V.Leur.*p.*3.*q.*177. Et violatur immunitas Eccleſiaſtica etiam per impeditionem vel retardationem uſus juriſdictionis vel authoritatis Eccleſiaſticæ v.g. recurrendo ad ſæculares, ut ſe interponant &c. Delb.*cap.*2.*d.*10.*&* 11. Item per avocationem cauſarum ſpiritualium ad laica tribunalia, Delb.*cap.* 3.*d.*8.*ſ.*1. *& ſeqq.item c.*9.*d.*6. Poſſunt tamen Judices Eccleſiaſtici & Prælati Regulares implorare auxilium à Magiſtratu laico ad capiendos, & coercendos ſuos ſubditos ; id enim non eſt recurrere ad judicium ſæculare, ſed tantùm eſt invocatio brachii ſæcularis ad tuendam authoritatem ſui judicii Eccleſiaſtici vel Regularis, Lugo *in Reſp.Moral.lib.*3.*d.*3.*nu.* 8. V.Sperell. *Fori Eccleſ.deciſ.*1.*&* 9. Dicaſt. *de Juſtit.l.*2.*t.*1.*d.* 4. *à num.*122. Delb.*cap.*8.*d.*26.*cap.*9.*d.*34.*& d.*35.*ſ.*8. *& ſeqq. item cap.*10.

1411 §.3. Excommunicatio Bullæ Cœnæ lata in eos, qui Eccleſiaſticas perſonas trahunt vel trahi faciunt ad tribunal ſæculare, non cadit in Judicem, qui per juramenta ſubditorum ad id coactorum capit informationes ſuper delicto alicujus Eccleſiaſtici, non citans eum, ſed volens juvare illos, qui eum poſteà accuſabunt coram tribunali competente, Leſſ.*in auth.v.Judex caſ.*2. Si tamen Clericum vocet ad deponendum, peccat & incurrit pœnam,quia eum ſubjicit ſuo tribunali. Quandonam Judex Eccleſiaſticus trahens cauſam laicam ad ſuum tribunal cenſeatur inferre violentiam, ideoque impediri poſſit à Judice ſæculari, fusè diſcutit Carden. *in* 1.*criſi d.*15.*c.*15.*art.*5.*& in* 2. *criſi d.*3.*à num.*45. qui videri poteſt, uti & Delb. *toto cap.*10. Non poſſe autem Reges, nequidem ut executores *Tridentini*, cogere Eccleſiaſticos ad obſervationem *Tridentini*, ſed eſſe conſtitutos executores tantùm reſpectu laicorum,probat Delb. *c.*9.*d.*26.

§.4. Eſſe cauſam mixti fori & eſſe cauſam mixtam non 1412
ſunt idem, nam cauſa mixti fori eſt, quando perſona eſt ſæcularis, & pœna ſtatuta eſt à jure Canonico, tumque per ſe loquendo, poteſt uterque Judex procedere, & datur locus præventioni. Cauſa mixta eſt, quando aliquid utroque jure prohibetur, tumque juxta communem ſententiam Judex Eccleſiaſticus procedere debet contra Eccleſiaſticos, laicus contrà laicos, Sperell.*dec.*9.Florentinius *in Comædo criſi num.*823.Vid. Delb.*c.*10.*dub.*1.

§.5. Laicam fœminam ream concubinatus cum Clerico 1413
ſpectare ad judicium Eccleſiaſticum putant plerique DD. apud Menoch.*de arb.jud.l.*2.*c.*371.*n.*13.quia una cauſa ab uno Judice eſt judicanda, ergo ab Eccleſiaſtico digniore,cùm ad eum pertineat de Clerico complice judicare. E contrà ſpectare ad judicium ſæculare docent Cov.Clarus & alii cum Burgh. *cent.*3.*caſ.* 86. quia delictum eſt moraliter duplex, ergo delictum Clerici ſpectat ad Eccleſiaſticos,laicæ,ſed ſæculares. *Conf.*Quia ſi tribus fratribus, quorum unus ſit Clericus, obveniat hæreditas, ſolus Clericus eximitur onere gabellarum, ergo etiam ſolus Clericus peccans cum laica eximitur judicio ſæculari. Videri debet Delb.*c.*10.*dub.*17.Videri poteſt etiam Dian.*p.*3.*t.*2.*R.*69. ubi examinat,an Judex ſæcularis poſſit inquirere in fornicationes Regularium. Quis ſit Judex in cauſis concernentibus Matrimonium, dicetur *l.*6.quando de Matrimonio.

§.6. In Diœceſi Monaſterienſi comparent Ludimagiſtri, 1414
aliquibus in locis coram Judice ſeculari, in aliis coram Eccleſiaſtico ; eſtque conſuetudo ſuis locis obſervanda. Si autem hæc ignoretur,videntur ſpectare ad Eccleſiaſticum; cùm ſint perſonæ ab Epiſcopo per emiſſum juramentum ac profeſſionem fidei deſtinatæ ad erudiendam juventutem,non tantùm in litteris ſed etiam in fidei principiis, & inſuper ordinariè habeant obligationem cum aliis Clericis aſſiſtendi choro.

§.7. Epiſcopum in prima inſtantia ſemper debere cogno- 1415
ſcere de cauſis ſuorum ſubditorum, etiam beneficialibus optimè probat Barb. *de off.Epiſc.alleg.*81. *& ibid. in append.* contrà *Salgado*, habeturque clarè in Trid.*ſeſſ.*24.*c.*20.*de Ref.*& vidi in Monaſterienſi diœceſi non attendi appellationem ad Papam, imò à Nuntiatura aliquos per pœnas revocatos eſſe ad audiendum priùs judicium ac ſententiam Ordinarii.Excipiunt tamen, ſi lis oriatur inter proviſos à Sede Apoſtolica, aut etiam ab Ordinariis circa beneficia Sedis Apoſtolicæ reſervata, quia cauſæ illæ etiam in prima inſtantia Roma decidi poſſunt, uti notat Gonz.*ad Reg.*8.*gl.*52.*num.*37. & expreſsè decrevit *Greg.XIII.* in Conſt. *Ad Romani*, apud Nicol.*t.*3.*d.*3.*ſ.*25. Plura de appellatione ad Papam, v.apud Delb.*c.*8.*d.*47.

§.8. Delegatus ſupremi Principis poteſt cauſam ſubdele- 1416
gare,uti multis relatis probat Sanch.*de Matr.l.*3.*d.*31.*n.*1. 10.*&* 31. Poteſt autem delegans ſic dicere Titio, do tibi juriſdictionē ad iſtam cauſam, & quia tu non poteris ſubdelegare, etiam non do tibi poteſtatem ſubdelegandi aliquem, ſed ego ipſe immediatè do illi juriſdictionem, quem tu deſignaveris, Sanch. Lugo *in Reſp.Mor.l.*4.*d.*42.Manetque poteſtas,licèt primus delegans ſit mortuus, re incœpta, ante deſignationem à ſecundo faciendam, Lugo *num.*6.Quando Roma aliquid committitur Officiali Epiſcopi, per hunc intelligitur Vicarius Generalis in Spiritualibus,uti dictum eſt *n.*247.

§.9. Solus Diœceſanus loci, in quo eſt Beneficium, eſt 1417
Judex competens, quando igitur de materia concernente illud Beneficium, licèt non requirat reſidentiam, & quamvis Clericus alibi habitet, quia illud Beneficium, cùm ſit in Epiſcopi illius juriſdictione, illi tantùm eſt ſubjectum, Felin.Sanch. *in Conſ.l.*7.*c.*1.*d.*23.*n.*19.An autem in poſſeſſorio Beneficii cognoſcere poſſit laicus, v.Loth.*T.*4.*ar.*2. Quod ſi litigetur occaſione unius reſcripti in cauſa principali, & alterius in cauſa appellationis, de validitate appellationis cognoſcere debet, non Judex ſuper principali, ſed deputatus ſuper appellatione, *Cap.Dilectus*, 29. *de reſcriptis*. Quis in materia ſimoniæ ſit Judex competens, v.Leur.*p.*3.*q.*757. Quis in materia juramenti relaxandi, Delb.*c.*8.*d.*28. qui *c.*10.*d.*18. docet Papam judicare inter duos Supremos Principes.

*Q.*242. *Quid circa crimina excepta, & juris ordinem* 1418
ſit addendum? R.

§.1. Cri-

§.1. Crimina excepta, in quibus opus non eſt ſemper ſervati omnem juris ordinem, ſunt hæc, 1.Læſæ Majeſtatis : 2.Hæreſeos : 3.Sagarum: 4.Proditionis: 5.Conjurationis: 6.Falſæ monetæ : 7.Latrocinii . In his tamen aliiſque omnibus non poteſt aliter procedi, quàm recta ratio & jus naturale dictet, uti rectè Spe *in Caut.Crim.dub.*5.

1419 §.2.Judex ſupremus & independens poteſt in crimine enormi & certò notorio omittere ordinem juris, ſi in mora ſit grave periculum Reip. uti ſi Reus alioqui eſſet evaſurus. An autem poſſit ſententiam mortis ferre more belli & ſine ullo,ne ſummario quidem proceſſu; dubium eſt, negat *Lugo*; affirmat probabile eſſe, quod poſſit in urgente caſu, *Leſſ.* uti ſi ſolus Rex ſciret adulterum vim inferre Reginæ, quia ſic fieri expediret ad Reginæ infamiam vitandam, V.Tamb.*l.6.c.*1.*§.*4.

DUBIUM II.

2420 *De poteſtate, & Officio Judicis.*

ARTICULUS I.

Quid requiratur in Judice.

„ REſp. I. Præter tria dicta Superiore dubio, requiritur „ ſcientia, qua ſciat ſuo munere rectè fungi. Ita com- „ munis Doct.& Bon.*t.2.d.*10.*in præcept.q.*2.*p.*3.Ratio,eſt quia „ quilibet tenetur ſcire ea,quæpertinent ad proprium officium, „ & ſine quorum cognitione munus ſuum & officium exercere „ non poteſt. *Unde reſolvuntur ſeqq.Caſus:*

„ I. Petens aut ſuſcipiens officium Judicis(idem eſt de Me- „ dico, & Chirurgo, ut *v.infr.dub.*7.) quo indignus eſt,ita ut „ probabile ſit inde notabile damnum proximi ſecuturum, „ peccat mortaliter, Nav.*c.*25.Lug.*d.*37.*n.*1.

„ II. Judex carens neceſſaria ſcientia non debet abſolvi, „ niſi facta renuntiatione officii, vel niſi firmum habeat pro- „ poſitum renuntiandi. Ita S.Th.2.2.*q.*76.*a.*2.Cajet. *clavis regial.*12.*c.*13.*n.*2. Reg.*l.*25.*num.*675.Nav.*c.*25. Farin.3.*p.qu.*3. „ *a.*16. Ratio, quia nullus poteſt officium, cujus munia obire „ non poteſt, retinere, præſertim cum damno vel periculo „ proximi.

„ III. Si Judex ex magna imperitia malè judicet, tenetur ad „ intereſſe parti læſæ, ad expenſas litis; uti etiam, quotieſcun- „ que notabile damnum, ſive in ſubſtantia litis, ſive in ſuper- „ fluis expenſis, propter ejus culpabilem ignorantiam, partibus „ litigantibus, accidit, Bon.Lugo *ll.cc.*

„ IV. Si Judex agnoſcat,errorem à ſe (etſi ſine gravi culpa) „ commiſſum in præjudicium litigantis, tenetur, ſi poteſt citrà „ infamiam, impedire errorem; v.g.monendo occultè partem „ læſam,ut ſibi appellatione vel aliter conſulat,quia id pertinet „ ad debitam muneris executionem. Lugo *n.*3.

„ Reſp.II. Judex tenetur cauſas judicare, & celeriter ex- „ pedire, quia ex officio tenetur cuique tribuere ſuum : quod „ non facit, ſi ſententiam ſine juſta cauſa differt. *Unde reſol-* „ *vuntur ſeqq.Caſus:*

„ I. Judex mortaliter peccat contrà officium ſuum, diffe- „ rendo valdè notabiliter cauſarum expeditionem, ſine juſta „ cauſa. Silv.*v.Judex q.*12.*clavis reg.c.*12.*n.*8. Nav.*nu.*14.*&c.* „ cum Bon.*p.*3.

„ II. In caſu dicto, idem Judex tenetur parti læſæ damna & „ expenſas, quæ ex iniqua dilatione ſecutæ ſunt, reſtituere, „ quia eſt earum injuſta cauſa. *Auth.ll.cc.*

„ III. Si Judex in exequenda cauſa & proferenda ſententia „ negligens aut iniquus ſit, non tantùm parti læſæ, ſed inter- „ dum etiam fiſco tenetur, ut v.gr. ſi mulctam pecuniariam, „ quam ex conſuetudine vel lege communi debeat imponere „ Reo, ſina cauſa remiſit. S.Tho.2.2.*q.*67.*a.*4.*ad* 3.Silv.*v.pœ-* „ *na, q.*28.Salon.Laym.*l.*3.*t.*2.*c.*5.*n.*7.contrà Azor.

ADDENDA.

1421 QVæſt.243. *Quid circa hæc prætereà ſit notandum?* R.Seqq.

§.1. Judex non habens ſufficientem ſcientiam peccat officium petendo, admittendo, retinendo, & quoties cum tali ignorantia operatur, quia tenentur omnes ſcire caſus ordinarios in officio ſuo occurrentes, pro extraordinariis autem recurri poteſt ad libros vel ad conſilium peritiorum, Dicaſt. *De juram.d.*2.*n.*252. V.Eliz.*l.*7.*q.*16.*§.*3.

1422 §.2. Tenetur Judex, non tantùm in foro Eccleſiaſtico, quod omnes Catholici fatentur, teſte *Tann.* ſed etiam in Civili, de diſpoſitionibus ad pias cauſas factis judicare ſecundùm Canones, & non ſecundùm leges Civiles, uti dictum eſt *lib.*3.*p.*2.*à num.*811. Hinc Judex ſtare debet pro teſtamento ad piam cauſam ſignato tantùm manu defuncti, aut condito ſine inſtitutione hæredis; Item legatis piis inſertis teſtamento profano non habenti ſolemnitates juris, Tiraqu. *de privil.piæ cauſæ, privil.*4.15.*&* 17. poſſuntque videri dicta *l.*3. *p.*2.*à num.*1130.

§.3. Judex per ſe loquendo, ſi abſit ſcandalum,non pec- 1423
cat, ſi ferat ſententiam in peccato mortali, uti cum communi Suar.*de leg.l.*3.*c.*10.

*Q.*244. *Quæ ſit obligatio Principum circa Judices ſta-* 1424
tuendos & juſtitiam manutenendam? R.

§.1. Tenetur Princeps curare,ut Judices habeat doctos,prudentes, probos, miſericordes, ne videlicet aliquid in officio tanti momenti agant vel imperitè, vel improvidè, vel malignè, vel crudeliter, & ſi id negligant Principes, Deus his imputat illorum errores & vitia, quia ad hoc conſtituuntur Judices, ut loco Principum jus dicant; imò Principes per illos jus dicunt, ergo quales Judices ſtatuunt, tales ipſimet volunt coram Deo eſſe in dicendis ſententiis, ergo ſi ſtatuant imperitos vel improbos, volunt jus dicere tanquam imperiti vel improbi. Ex his colligitur, teneri Principem adhibere judiciis illos,quos cenſet aptiſſimos, ſimili modo quo à *n.*583.diximus digniores admovendos curæ animarum, ſunt enim rationes eædem.

§.2. Vitia Judicum tantò magis noxia ſunt, quantò cum 1425
majore authoritate vel potentia ſunt conjuncta,hinc meritò dixit Spe *d.*16.*caut.*1.non expedire, ut judiciis admoveantur magni Prælati, præſertim qui impetuoſi ſunt, ne authoritate dominentur, nec ſit, qui iis obniti audeat, ſi ab æquo deflectant. Addit *Caut.*7. *Quoniam plurimi exiſtimant impunitatem Judicum non parvam eſſe cauſam, cur conſcientiæ pleræque laxæ ſint, curabit Princeps de eorum delictis fieri certior, & ſicubi exerraverint, ſeverè in eos animadvertet.*

§.3. Non excuſatur Princeps, qui omni cura à ſe rejecta 1426
Officiales, & maximè Judices ſinit pro libitu agere, ſed tenetur ipſe ſuam quoque diligentiam & inſpectionem adjungere. *Spe d.*9. Ratio eſt, 1.Quia Princeps tenetur providere publico, nec ſemper eſt certus de peritia, & probitate ſuorum, imò ſæpè eſt defectus illorum,ergo tenetur ſua cura ſupplere, quod deeſt, ac ſemper invigilare, ne quid deficiat. 2. Si Princeps ſolis informationibus alienis credat, nec per ſe velit audire miſeros, vel attendere ad cauſas,hoc ipſo armat ſuos ad audiendum quidvis pro libitu, odio, invidia, avaritia, reſpectibus humanis : *Hoc ignorare Princeps non poteſt*, inquit *Spe*, peccat igitur, ſi omnem ſolicitudinem & inſpectionem à ſe exeludat. Quamvis autem *Spe* loquatur de proceſſu circa Sagas,tamen eidem valet in omni materia juſtitiæ.3.Ipſimet Judices & Officiales ſupponunt Principem ſimul attendere ad manutenentiam juſtitiæ, ergo ad hoc tenetur Princeps. *Ant.prob.*Nam ſi ejuſmodi homines admoneantur ſui officii, dicere ſolent, *Princeps ſcit, retuli Principi, Princeps audivit, non improbavit, ipſe viderit &c.* E contra Principes dicunt, *ad hoc habeo meos Officiales, illis commiſi, non poſſum ipſemet omnia, ipſi viderint &c.* quis hic circulus eſt? inquit *Spe* : Nam cùm & hi & ille viderit, nemo viderit, niſi Princeps ipſe curam adjiciat; & ideo etiam *l.*1.*n.* 456.diximus non ſemper ſatisfacere ſuæ conſcientiæ Principes, ſi Conſiliarios ſequantur.

§.4. Non eſt ſatis, ſi Princeps, etiam ſæpiùs, mandet, ut 1427
omnia rectè fiant, nam benè dicit Spe *d.*20.*nu.*12. in his cauſis tanti momenti non ſatisfacere conſcientiæ ſuæ Principem, ſi quid rectè mandet, niſi etiam ad executionem eorum advigilet; & ratio patet, quia experientia docet, quàm ſæpè mandata ejuſmodi ſuſpendantur aut detorqueantur.

ARTICULUS II. 1428

Quid Judici ſervandum circa Inquiſitionem.

TRibus modis procedi poteſt contrà criminoſos. 1.Via „ accuſationis, cùm eſt aliquis actor, qui ſpondet ſe ob- „ jecta probaturum. 2.Via denuntiationis, cum deferens cri- „ men non vult ſuſcipere onus probandi. 3. Via inquiſitionis „ quæ triplex eſt : 1.Generalis,quando in genere quæritur, an „ leges ſerventur. 2. Specialis, quando de certa perſona, & „ certo crimine quæritur. 3.Mixta, quando vel ſola perſona, „ vel crimen ſolum eſt ſpeciale, ut ſi quæratur quis Cajum „ occiderit. „

Reſp.I. Judex ſine ulla data occaſione,ex ſolo officio ſuo, „ poteſt inſtituere inquiſitionem generalem,in qua tamen ejus „ poteſtas non extendit ſe ad occulta elicienda,de quibus nulla „ eſt fama. Ratio prioris eſt, quia id neceſſarium eſt Reip.nec „ cuiquam fit injuria. Ac licèt quorundam ſcelera detegantur, id fit per accidens, præter intentionem, cui incommodo bonum commune prævalet. Ratio poſterioris eſt,quia inde maxima ſequerentur incommoda, Farin.Leſſ.*l.*2.*c.*28.*d.* „ 13.*Unde reſolves*, „

I. In hac inquiſitione, ſubditus etiam rogatus ſub jura- „ mento, non tenetur,imò nec poteſt,prodere criminoſum oc- „ cultum. Laym.*l.*3.*t.*6.*c.*2.*n.*3. Leſſ.*l.c.* „

II. Si tamen revelet, peccat contrà juſtitiam, (niſi fortè „ cederet non tam in pœnam, quàm certam ejus, qui deliquit, „

emen-

„ emendationem vel ad grave malum ab aliis avertendum
„ (cùm enim crimen, ut ponitur, probari non poſſit, ac
„ proinde ex ejus revelatione non poſſit aliud ſequi, quàm in-
„ famia, nullum habet jus revelandi, Laym.ibid. & *t.3.par.*
„ 2.*cap.*4.

„ III. Si in hac inquiſitione ex relatione duorum vel trium
„ deprehendatur alicujus criminis author, poteſt per tales te-
„ ſtes contrà illum procedi, ut habet praxis communis. Laym.
„ *t.3.p.2.c.4.n.*12.

„ Reſp. II. Quando crimen eſt manifeſtum, & ignoratur
„ author, licet Judici quærere in genere, quis fecerit, non ta-
„ men in particulari, v.g. an Petrus fecerit; niſi infamia aliqua
„ aut indicia præceſſerint. Pars prior patet, tum ex praxi Ju-
„ dicum, tum ex incommodis contrarii. Ratio poſterioris
„ patebit ex ſeqq. V.Bon.*d.*10. *in* 8.*præcept.q.*2.*p.*5.

„ Reſp.III. Ut Judex faciat inquiſitionem ſpecialem, debet
„ ſaltem regulariter præcedere infamia, vel quid æquipollens,
„ quod juſtam det cauſam. Ratio eſt, tum quia alioqui diffa-
„ maret ſine cauſa, tum quia Judex procedere debet ex ſcien-
„ tia publica, quam non habet, niſi per accuſationem vel
„ confeſſionem Rei vel evidentiam facti, vel per infamiam;
„ Ad quam non ſufficiunt duo teſtes, qui jurent ſe vidiſſe
„ crimen admitti, quia adhuc eſt occultum, ſed requiritur, ut
„ rumor ſit ſparſus per majorem partem communitatis, id eſt,
„ civitatis, viciniæ, vel Monaſterii, neque à maledicis ſit
„ exortus: etſi hac in re tutum ſit ſequi praxin communem
„ bonorum virorum, & rerumpub. ut habet Laym. *loc.cit.* &
„ Leſſ.*n.*19. ex aliis Bon.*l.c.* *Unde reſolves Caſus*,

„ I. Antequam Judex procedat ad inquiſitionem ſpecia-
„ lem vi infamiæ, ipſa infamia priùs examinari debet: &
„ probari per teſtes ſaltem duos, qui nominent perſonas, à
„ quibus id publicè audiverint. Nav. Reb. *de jud.* Trul. *l.*8.*c*
„ 1.*d.*17.

„ II. Judex infamatum de uno crimine, v.gr. adulterio,
„ non poteſt interrogare de alio, de quo non eſt infamatus,
„ v.gr. furto; quia eſſet inquiſitio ſpecialis ſine prævia infa-
„ mia, Salon.Caj.Trull.*d.*18. niſi tamen crimina ſint conne-
„ xa, vel unum ſit circumſtantia alterius, *Ibid.*& Sanch.*Conſ.*
„ *l.6.c.*3.*d.*21.

„ Dixi in Reſp. *Regulariter*, quia ad ſpecialem inquiſitio-
„ nem non requiritur infamia prævia in caſibus certis, quos
„ V.apud Leſſ.*c.*29.*d.*15. Bon.*t.*2.*d.*10.*in præcept.p.*5. Sanch.*d.*
„ 19.Trull.*l.c.*

ADDENDA.

1429 QUæſt.245. *Quid præterea circa inquiſitionem ſit notandum?* R.Seqq.

§.1. Judicem non poſſe in particulari inquirere contrà aliquem ſine præviis indiciis, expreſsè definitur Cap.*Inquiſitionis*, §.*Tertiæ*, & Cap. *Qualiter*, 24. de accuſ.Quòd maximè locum habet, quando proceditur non tam ad malum avertendum, quod fortè impendeat, ſed ad puniendum delictum: tunc enim ex omnium ſententia Judex non poteſt ex ſeipſo incipere, ſed ſemper debet aliquid præcedere, quod eum cogat ex officio procedere, alioquin totus proceſſus eſt irritus, & ipſe tenetur reparare damna cauſata, *Clarus*, Leſſ.in auct.V. *Moneta*, caſ.2. An autem poſſit Judex procedere, ſi quis libello famoſo vel occulta ſcheda ſit denunciatus, V.Dicaſt. *de juſt.l.*2.*t.*1.*d.*7.*à n.*43.*& c.Inquiſitionis*, ſuprà.

1430 §.2. Si Cajus habeat propoſitum merè internum occidendi Regem, & illud manifeſtarit Titio ſpeculativè tantùm, & non in ordine ad cooperationem vel executionem, propoſitum illud manet merè internum in ratione delicti, hinc in illud inquiri non poteſt, quamvis Titius deferat; poteſt tamen præcautio adhiberi, ne Cajus poſſit illud exequi, Lug. *de juſt.d.*10. *num.*160. Eſt etiam iniquum, ſi Judex ex levibus indiciis imponat juramentum, ut quis ſe fateatur vel neget nocentem; ſi iniquus eſt Archidiaconus, qui in viſitatione Cajo recenter uxorato ita leviter imponit ſub juramento edicendum, an non cum ſua ante Matrimonium habuerit copulam, non enim habet jus in hoc inquirendi ſine magnis indiciis.

1431 §.3. Debent Principes, & Judices cautiſſimè procedere in inquiſitione circa ſagas, uti latè probat Spe *d.*8.ubi *d.*10. & 11. etiam oſtendit contrà Binſf. & Delrio Deum ſæpè permiſiſſe accuſari & involvi innocentes velut reos criminum: Idem repetit in append. poſt *d.*51. Nam etiam permittit Deus conculcari conſecratas hoſtias ac patrari alia graviora crimina; imò dæmonem poſſe in ſaltu repræſentare innocentem dicemus *num.*1452. Non ideo tamen abſtinendum eſſe ab inquiſitione contrà ſagas, probat *d.*12. dummodò & circumſpectè procedatur juxta legum, & prudentis rationis præſcriptum: Deinde *d.*13. *& ſeqq.* oſtendit abſtinendum eſſe ab inquiſitione, ſi periculum ſit involvendi etiam innocentes, quia Chriſtus Matth.13. docet ad tempus permittenda zizania, ne fortè ſimul evellatur triticum; procedi autem poteſt, ſi malefici dignoſcantur aut dignoſci poſſint abſque periculo innocentium.

§.4. Quando dæmon in energumeno dicit Titium à ſe convincendum alicujus criminis, ſi ad ſe adducatur, putat 1432
Leſſ. in auct. v.Magia caſ. 4. ſi Titius ante fuerit accuſatus; an fuerint alia indicia, poſſe mandato Judicis adduci, per hoc enim non peti à dæmone, ut Titium convincat, ſed hunc ſiſti, ut cum adverſario confrontetur, in quo nihil videtur eſſe mali, quia tantùm intentio eſt videndi, quid inde ſecuturum ſit, permittendo dæmoni, uti dicat, quod non rogatur, ſed quod vel ex ſe, vel à Deo coactus dicit: addit Leſſ.poſſe energumenum duci ad forum, ſi dicat ſe ibi oſtenſurum proditorem. Contrà eſt 1. nam reverà videtur eſſe aliqua communicatio cum dæmone. 2. Videtur eſſe moralis cooperatio ad illam manifeſtationem dæmonis: quod Conf. Nam non licet petere à mago, ut furem oſtendat, & ſi Magus ſponte ſua ſe offerat ad conveniendum Titium de furto, Judex non poteſt jubere adduci Titium, quia conſentiret in actionem illicitam magi, ſi enim non intenderet eam poni, non adduceret Titium; unde ſicuti certò peccat, qui præparat mago materiam, circa quam operetur, uti ſi teneat ſpeculum, in quo oſtendet furem, quia cenſetur moraliter cooperari, uti fatetur Leſſ. caſ.5. ita Judex cenſeretur hic moraliter cooperari dæmoni.

§.5. Univerſaliter circa inquiſitiones Principum, & Ju- 1433
dicum ſapienter dixit Facultas Theologica Lovaniēſis in quodam caſu conſulta, *In vindicandis criminibus multa poſſunt Principes, quæ non expediunt, multa expediunt, quæ non poſſunt; multa poſſunt & expediunt, ſed opportunius differentur; multa, quia publicæ probationis luce deſtituta, quamvis ſeveriſſimè punienda, relinquunt Deo, qui ſolus occultorum teſtis, & Judex eſt.* Specialiter ſtatuit Paulus III. per Bullam 44. *Ad onus*, hunc §.8.Iidem judices captum pro uno crimine, ſuper aliis, de quibus indicia aliqua non habent, nullo modo interrogare præſumant.

*Q.*246. *Quid circa præſumptiones & probationes ſit* 1434
notandum? R.De præſumptionibus ſcripſit fusè & doctè Menochius; de probationibus, Maſcardus, qui pro caſibus occurrentibus videri debent. Hic nota ſeqq.

§.1. Præſumptio eſt cognitio ex circumſtantiis reſultans, Cap. *Ex ſtudiis* de præſumpt. Tuſch. v. Præſumptio concl. 609. ſive eſt probabilis conjectura ex certo ſigno proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur, Eliz. *l.*7.*qu.*16. §.1. vel ſecundùm Gob. in Exp. T.10. *num.*90. Præſumptio eſt præoccupatio de eo, quod in re eſt, communi ſenſu percepta ex eo, quòd id factum intelligatur; quia in talibus circumſtantiis plerumque fit; ſive eſt conjectura ſeu divinatio in rebus dubiis per rerum circumſtantias frequenter evenientibus. Speculator in tit. de præſumpt. ſic deſcribit: Præſumptio eſt argumentum ad credendum unum factum, ſurgens ex probatione alterius: ſicuti præſumitur coitus, ſi probetur perſonas ſuſpectas ſibi cohabitare, cap. Quòd ſi, 27. *qu.*1. Alia eſt juris & de jure, quæ probationem in contrarium non admittit: alia juris tantùm, contrà quam admittitur probatio. Vide dicenda *n.*1438.

§.2. Circa præſumptionem admittuntur hæ regulæ, *Una* 1435
præſumptio aliis pluribus, & fortioribus eliditur, arg.Cap. *In noſtra*, 4.de procurat. *l.*Divus 7. De in integrum reſtit.Tuſch. concl.613. Menoch. *l.*1. *qu.*20. *&* 30. Maſcard. vol.3. concl. 1224.*à n.*4. Et quando duæ præſumptiones concurrunt, videlicet innocentiæ & culpæ, ſemper præferenda eſt præſumptio innocentiæ, pro qua eſt poſſeſſio, & quia ſemper favendum eſt potiùs reo, Farinac. *q.*83. *n.*112. cum communi. *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus*, Reg. 8. juris in 6. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius & quod plerumque fieri conſuevit*, Reg.45. ibid. quia nempe ex communiter contingentibus eſt prudens præſumptio. *Præſumitur ignorantia, ubi ſcientia non probatur*; Reg.47.ibid. *Facti quæſunt, non præſumuntur*, Menoch. latè *l.*6. præſumpt.14. dicit tamen Bald. in rubr. cap. de fide inſtrum. facta præſumuntur, quando ſunt conſueta fieri. Item factum præſumitur, quod jure faciendum erat, Maſch.Pariſ.Leur. *part.*3.*quæſt.*810. *Qui juris præſumptionem habet, etiam habet ſuam intentionem fundatam, ita ut transferat in adverſarium, etiam, poſſidentem, onus probandi*, Covarr.Maſcard.Alciat.apud Leur.*p.*2.*q.*562.*n.*5. *Ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur, c.*2. de Reg. Juris, *Præſumitur pro validitate actus, donec de invaliditate conſtiterit*, Menoch.præſumpt.4. Tuſch. concl.612.620.nam Actus præſumitur factus omni meliori modo, ut proſit facienti, Bart.Menoch.Pariſ.Leur. *p.*3. *qu.*810. *Nullus cenſetur facere velle actum nullum vel malum*, Pariſ. Alciat.Fil.T.42.*c.*3.*q.*8. præſumptio cedit veritati, Tuſch.latè concl.612.Menoc.*l.*3.præſumptione 29.*n.*45. *Præſumptio etiam*

juris eſt probatio liquidiſſima, Abb.Pariſ.Leur. *ſup. Ex præteritis præſumitur circa futura*, *Cap. Mandato*, *& Cap. Scribam*, *de præſumpt.* V.Pirh. *l.2.tit.23.*

1436 §.3. De probationibus valent ſeqq. *Et incumbit probatio, qui dicit, non qui negat*, *l.Ei*, *2.ff.de probat. nam*, *Quiſque debet probare id*, *ſupra quo ſe fundat*. *Neceſſitas probandi incumbit ei*, *qui agit*, *ibidem l.Verius*. *Actore non probante*, *is*, *qui convenitur*, *etiamſi nihil præſtiterit*, *debet abſolvi*, Inn.III. *Cap.unico*, *Ut Eccleſ. benef ſine diminut.confer. Probatio debet de neceſſitate concludere*, *nec dubia juvat*; *nec quæ fit coram Judice non competente*, Tuſch. *lit.P. concluſ. 765. & ſeqq. Probationem contra ſeipſum non tenetur facere*, Tuſch. *concl.770. Probatio per teſtes quandoque non admittitur*, Tuſch.*concl.773. & ſpecialiter ſi per ſcripturam fieri poſſit*, Tuſch.*concl.772. Probatio ad unum finem facta non poteſt neque nocet ad alium finem*, Tuſch.*concl.783. & facta inter alios non præjudicat tertio*, Tuſch. *concluſ.* 784. *Plena ſufficit in civilibus*; *aliquando pleniſſima requiritur in criminalibus*: *levior ſufficit*, *quando agitur de modico præjudicio*, Tuſch. *concl.788. & ſeqq. Semiplena plus eſt*, *quam indicium vel conjectura*, Tuſch. *concl.794. & tum eſt*, *per quam fit aliqua fides Judici*, *ſed non ſufficiens ad ſententiam*. V.Maſcard.*vol.1.qu.11. & ſeqq. Plures imperfectæ quandoque faciunt unam perfectam*, Tuſch. *concl.796.* De diverſis ſpeciebus probationum, v.Maſcard.*q.4. & ſeqq.*

1437 §.4. Si præſumptio ſit temeraria, rejici debet, *cap.Oves*, *6. q.1.* Probabilis purgationem admittit; Eſtque certum, quòd argumentum probabile non ſufficiat ad damnandum reum: imò nec præſumptio vehemens, ſecundùm *Cap.Litteras*, *de præſumpt.* Neque unicus teſtis cujuſcumque ſit authoritatis, ſed communiter & ubi eſſe poteſt, requiritur talis præſumptio, quæ faciat moralem certitudinem, Lugo *de Juſtit.d.14.à n.28.* quia ad officium Judicis ſpectat juſtitiæ adminiſtratio, ergo etiam defenſio accuſati, ſi defendi poteſt, ergo eo ipſo, quòd Judex aliquem damnet, dicit defendi non poſſe, & ſe cogi nomine Rei fateri delictum, ſicque eſſe moraliter certum. Major autem certitudo requiritur ad damnandum criminaliter quàm civiliter; ad damnandum de gravi crimine quàm de levi, ad damnandum publicè quàm privatim, Mol.*de Juſtit. t.5.tr.4.d.15.num.12.* Et ad moralem certitudinem ſufficit legitima confeſſio accuſati, vel ſi habenda eſt per teſtes, requiruntur, præter accuſatorem ſeu præter id, quod accuſationis loco eſt, (quale eſt etiam fama, Fagnan. *in 1.par.l.5.Decret. de accuſ.Cap.Qualiter*, *num.17.*) duo teſtes juratò deponentes de eodem facto, quod ſenſu externo ipſimet perceperint, & qui ſint omni exceptione majores. V.Leſſ. *de Juſtit. lib.2. c.30.d.4 & 5.*

1438 §.5. Ad condemnandum ſufficit etiam violenta præſumptio, *Cap. Afferte*, *& Cap Litteris de præſumpt.*& tenent communiter Juriſtæ cum Mol. *ſuprà*, maximè in quæſtione; quæ aliàs difficillimè probatur. Præſumptio autem violenta, eſt exiſtimatio concepta ex indiciis de re, quæ neque in ſe eſt evidens, neque eſt plenè probata teſtibus omni exceptione majoribus, neque eam reus eſt legitimè confeſſus, tamen talia ſunt indicia, ut faciant non tantùm opinionem de re, ſed etiam credulitatem, quia ſui magnitudine ac perſpicuitate Judicem prudentem omninò movent, ut excluſa formidine credat, quòd res ita ſit, quamvis abſolutè poſſit aliter eſſe: & talia indicia habebat Salomon *3.Reg.3.* quando illa, quæ non erat mater, volebat infantem dividi, ſed vera mater petebat integrum remanere. Dividitur autem præſumptio violenta in illam, quæ eſt vel juris vel ſolius hominis: juris dicitur, quæ in jure invenitur expreſſa, & ſecundùm quam jus dicitur aliquid præſumere: quòd ſi jus nudè præſumat & nihil ſtatuat pro ſententia vel pœna, dicitur præſumptio juris tantùm; ſi autem ſtatuat, ut quando erit talis præſumptio, feratur talis ſententia aut talis ſtatuatur pœna, dicitur præſumptio juris & de jure. Præſumptio ſolius hominis eſt, quæ non invenitur in jure expreſſa, ideoque debet Judex in illa pro vel contrà reum rationabiliter ſecundùm dictamen prudentiæ ſtatuere: pro omni autem præſumptione ſolius hominis rectè docet Mol. *num.11.* non poſſe certò definiri, quæ argumenta ſufficiant ad rem evincendam aut ſtatuendam certam pœnam, ſed id Judicis arbitrio eſſe committendum ſpectatis circumſtantiis, & audita defenſione Rei, nam præſumptio hominis non excludit probationem in contrarium, ſed ſola præſumptio juris, & quidem quæ eſt de jure. Nihilominus multùm juvat attendere ad exempla, quæ in jure vel à DD. traduntur, poterit enim prudens Judex ſecundùm eorum ſimilitudinem ſe aliquo modo conformare in judicio vel pœna ſtatuenda.

1439 §.6. Violenta præſumptio de homicidio & ſufficiens pro criminali condemnatione eſt, ſi quis viſus ſit gladio evaginato & ſanguine conſperſo fugere è loco, in quo relinquitur a liquis interfectus, uti tenent *Bartol. Panorm.* aliique cum Molin.*num.13.* E contrà fuiſſe mortem minatum ei, qui poſteà reperitur interfectus, non ſufficit ad violentam præſumptionem, quamvis aliqui putent ſufficere ad vehementem, Mol. *ibid.* Similiter violenta præſumptio de fornicatione eſſet, ſi duo probarentur eſſe reperti nudus & nuda in eodem lecto, *Cap.Litteris*, ſuprà: aut ſi probaretur ſolum cum ſola fuiſſe per noctem totam, neque alia adeſſet probabilis & juſta cauſa nocturni conſortii, Sperel.*Juris Eccleſ.dec.136.num.24. & 25. ubi num.19.* dicit cum communi poſt *Maſcard. Menoch.* & alios etiam cenſeri copulam præſumptivè probatam, ſi quis in domo, ubi pulchra mulier eſt, reperiatur occultatus. Item probatio ſufficiens eſt, inquit Maſcard. *vol.1.concluſ.59.* ſi vir inveniatur habere ſoluta femoralia, & mulier recuſet aperire clauſum oſtium. Suſtinent etiam aliqui apud Sperell.*num.19.* ex ſolo ingreſſu nocturno in domum, ubi eſt pulchra mulier, poſſe procedi ad condemnationem in pœnam extraordinariam, ſed dicendum eſt circumſtantias alias eſſe ſimul conſiderandas: ſic etiam ex eo, quòd Clericus amplectatur mulierem, non probatur animus fornicarius: neque ſi oſculetur, Maſcard.*coneluſ.64.num.6.* Si tamen multa concurrerent, Regula juris eſt, *ſingula*, *quæ non poſſunt*, id eſt, non ſufficiunt, *collecta juvant*. Notandum etiam eſt id, quod ſufficeret ad violentam præſumptionem fornicationis inter non conſanguineos, non ſemper ſufficere ad eam inter conſanguineos, uti ex jure probant Menoch. *l.5.præſumpt.17.* Maſcard. *volum.2.concluſ.810.nu.12.* Mol. *num.14.* ita ut quidam dicant non eſſe ſufficiens ad violentè præſumendum inceſtum, ſi conſanguineus & conſanguinea nudi reperiantur in eodem lecto; quod admittunt *Panorm. Felin. & Gom.* ſi ſint aſcendentes & deſcendentes, aut etiam proximi collaterales, uti frater & ſoror, inquit *Molin.* Limitat *Menoch.* ſi ſint teneræ ætatis; quamvis & circumſtantiæ ſemper ſpectari debeant, quo tempore, an in peregrinatione, an è contrà domi & in latebris ſimul reperiantur &c. nam ſæpè etiam inter conſanguineos fiunt inceſtus, inquit *Menoch.* Meritò putans ſumi poſſe præſumptionem violentam, ſi pater & filia clàm reperiantur ſimul, nudus cum nuda: unde rectè concludit Maſcard.*num.22.* omnia hic relinquenda eſſe prudenti Judicis arbitrio dicens *num.14.* ex communi adagio, *Tutius conſilium*, *æquior deliberatio*, *certius judicium eſt*, *ſemper meliùs præſumere de eis*, *quos nunquam in crimine novimus deprehenſos*. Plura de probationibus, & in ſpecie circa adulterium, v.apud Gob.*in Quint. t.5.c.32.ſect.1.* & de fornicatione *ſect.2.* Vide etiam dicta *lib.3. p.2.n.330.*& dicenda hic *num.1445.* Quæ autem forma judicii ſervanda ſit in inquiſitione delicti, latè explicat Fagnanus *ſupra*, *Cap. Qualiter*, *toto*,

ARTICULUS III.

Quid liceat Judici circa quæſtiones ſive torturam.

RESP.I. Ad torquendum reum (ſi tamen torqueri poteſt) requiruntur alicujus gravis criminis ea ſaltem „ 1440
„ indicia, quæ faciant ſemiplenam probationem, id eſt, reddant rem plus quàm probabilem; qualia habentur v.g. teſtis „
„ unus omni exceptione major, Rei confeſſio extra judicium, „
„ item probabiliter etiam aſſertio duorum vel trium criminis „
„ ſociorum, in criminibus exceptis: præterquam veneficii, „
„ (in quo, an ex ſola denunciatione complicum, & quo modo procedere liceat. V.Tan. *tom.3.d.4.de juſt.dub.2. & 3.* „
„ Laym.*lib.3.t.6.c.5.*) item fama publica à viris honeſtis orta, „
„ ac per teſtes probata, cum alterius indicii adminiculo) nam „
„ fama ſola non probat, ſed habet ſe inſtar accuſatores) Laym. „
„ *num.9.* ex variis. Ratio reſponſi eſt, quia tortura inſtituta „
„ eſt ad ſubſidium probationis, quando argumenta & indicia „
„ ſunt valdè efficacia, ut ſic plena probatio eliciatur, nam „
„ confeſſio Rei (ſi eam ratificet extra torturam, maneatque „
„ in ea uſque ad ſequentem diem) ex ſemiplena probatione facit plenam, Leſſ.*lib.2.c.29.d.17.* Delr. *l.5.ſeſſ.3.* Laym. „
„ *loc. cit.* „

„ Dixi in reſponſione, *Si tamen torqueri poteſt*: quia quæ- „
„ dam perſonæ prohibentur torqueri, niſi, in criminibus excep- „
„ tis, tales ſunt viri in magna dignitate conſtituti, Officiales „
„ Principum, Urbium Gubernatores, Nobiles Equeſtris Or- „
„ dines, Milites, Doctores, eorumque liberi; item impuberes, „
„ ſenes memoria vacillantes, prægnantes, & nondum confir- „
„ matæ à partu. Delrio *ſeſſ.9.* Binſf. *c.6.* Lugo *d.37.ſect.14.* „
„ *Unde reſolves*, „

„ I. Peccat Judex graviter, ſi non priùs omnia alia media „
„ mitiora detegendæ veritatis, tentet, quàm ad torturam de- „
„ ſcendat. „

„ II. Tortura ſimpliciter abſtinendum eſt, quando adeſt „
„ plena probatio criminis; quia ad hanc ordinatur tortu- „
„ ra. Nav.Leſſ.*l.c.* „

III. In-

„ III. Insuffieientia ad torturam indicia sunt, si cadaver occisi sanguinet ad præsentiam alicujus; si sagæ non „ possint lacrymari: Ita illicita est probatio per aquas, „ &c. de quibus, V. Delrio *l.*5. Less. *num.*156. Trull. *l.*8. „ *cap.*1. *d.*21.

„ IV. Peccant Judices, qui in causis criminalibus aut notabilis infamiæ, Reum comprehensum, antequam habeant „ probationem contra ipsum juramento adstringunt ad dicendam veritatem de omnibus pertinentibus ad causam, ob „ quam comprehensus est, Navarr. *cap.*18. *num.*41. *& cap.* „ 25. *num.*36. Additque idem esse, si (etsi sine juramento,) minis, terroribus, tormentorum ostensione, homi- „ nem turbent & implicent, ut sibi contradicens, circumstantiam aliquam revelet, qua convincatur & puniatur. „ V. Lugo *d.*40. *n.*1.

„ V. Si Judex extorserit confessionem per injuriam, verbi „ gratia: si torserit exemptos, si sine sufficientibus indiciis, „ si dolo malo, mendaciis, ficta impunitatis promissione „ induxit ad fatendum, vel aliter (sive quoad substantiam, „ sive quoad modum) notabiliter excesserit in tortura, „ confessio nulla est, nec potest ex ea procedi: imò tenetur Judex ad compensationem damnorum, ut docet Lug. „ *d.*37. *num.*157. V. Less. *dub.*18. Laym. *c.*5. ubi etiam dolos „ bonos, quos Delrio suggerit Judici, planè rejicit. V. Tan. „ *q.*2. *d.*2. Trull. *loc. cit.*

„ VI. Licèt Reus confessionem injustè extortam postridie ratificet, nihilominus Judex non potest procedere ad „ punitionem Rei vel complicis occulti, quia cùm confessio fuerit irrita, consequenter etiam ratificatio ex ea orta „ ex l. penult. ff. De quæst. atque ideò etiam cognitio per „ illud medium parta, est injusta. Navarr. Salon. Less. Sayr. „ Trull. *d.*10.

„ Resp. II. Graviùs torqueri potest, contra quem graviora „ sunt indicia: non tamen ita, ut moraliter sit impossibile „ tormenta sustinere, habita ratione personarum: Unde si „ hic excedatur, confessio extorta erit involuntaria, & „ & habenda pro nulla, etiamsi extra tormenta coram Judice ratificet, metu novæ torturæ. Laym. *n.*11.

„ Resp. III. Semel tortus, si nihil est fassus, iterum torqueri non debet, nisi nova criminis indicia superveniant, quia „ per torturam priora elisit. Si verò crimen in tortura fassus, „ extra eam revocet coram Judice, repeti tortura potest, „ tum quia indicia manent in suo vigore; tum ob inconstantiam: Si verò tertiò tortus ac confessus, tertiò retractet, „ absolvendus est; quia præsumendum est, vi tormento- „ rum coactam fuisse confessionem; ideoque nullam, Less. „ *d.*17. Excipiunt quidam, si indicia sint gravissima, quæ „ violentam præsumptionem pariant, crimen malitiosè à „ Reo negari. Laym. *l.c.* Vide Lugo *num.*157. Dian. *tom.*3. „ *tr.*6. *R.*16. *&* 23. Trul. *l.c.* infrà *dub.*6. *&* 7. An & quando, „ & quomodo Judex possit interrogare Reum de complicibus. „ V. Trull. *d.*22.

ADDENDA.

1441 Q. *Væst.*247. *An aliquis, hoc ipso quòd capiatur, statim præsumendus sit reus?* R. Negativè: quòd maximè verum est in inquisitionibus circa sagas, uti rectè ostendit *Spe d.*19. & patet universaliter ex jure, *l.*17. *Cod.* De accusat. *Servari jubemus, ut quicunque in discrimen capitis accersitur, non statim reus, qui accusari potuit, existimetur, ne subjectam innocentiam feriamus.* Et ratio est manifesta, quia sæpè falsæ sunt denunciationes; & in dubio semper præsumendum est in partem meliorem pro innocentia, pro qua est possessio, ergo.

1442 *Q.*248. *Quæ indicia requirantur, ut Judex possit specialiter inquirere, capere, torquere, condemnare?* R.

§.1. Indicia dicuntur, ex quibus colligi potest factum: sunt autem magna, majora vel maxima. *Magna* dicuntur, quæ reddunt factum valde credibile; *Majora*, quæ reddunt factum ferè seu quasi moraliter certum, & hæc vocat vehementia Less. *l.*2. *cap.*29. *num.*151. ita ut ad plenam certitudinem nihil deesse videatur, nisi sola confessio, ut innuit lex *num.*1443. citanda, sive, ut ait *Spe d.*32. *Quæ ita probant, ut non planè convincant, valde autem ad probationem plenam accedant, quasi luna, cùm ad lucem integram ultra sui dimidium aspirat.*

Maxima, quæ undequaque convincunt & plenam faciunt probationem.

1443 §.2. Ad capturam, imò & ad specialem inquisitionem contra aliquem instituendam requiruntur indicia magna, nam capi aut specialiter inquiri in aliquem tanquam reum affert gravem infamiam & magna incommoda, ergo Charitas & justitia vetat ad ista procedi, nisi ex indiciis magnis: & quidem quò persona est dignior, vel captivitas aut inquisitio futura est ignominiosior aut damnosior, eò majora requiruntur indicia, uti rectè *Spe* suprà. Ad condemnationem requiruntur indicia maxima, quia quamdiù plenè probatum ac demonstratum non est delictum, standum est pro reo, cujus innocentia est in certa possessione. Ad torturam magna non sufficiunt, quia multis modis gravior est quàm captura vel inquisitio: Nec requiruntur maxima, nam quando hæc adsunt, non est licita tortura, cùm tantùm sit in ordine ad habendam plenam probationem: sed sufficiunt majora: hinc l.1. ff. De quæstion. dicitur, *Ad tormenta servorum ita demum venire oportet, cùm suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admovetur, ut sola confessio servorum deesse videatur*; ita cum multis aliis *Spe* suprà. Dicitur autem hìc de servis, quia soli servi ante hac torquebantur, jam verò intelligi debet de omnibus, qui ad torturam vocantur.

§.3. Difficile & periculosum est dijudicare, sintne indi- 1444
cia hìc & nunc magna, majora aut maxima, uti rectè Tann. *de just. t.*2. *d.*4. *qu.*5. Unde prudens Judex suo solius arbitrio niti non potest; nec satis per praxin vel exempla dirigi, cùm plurimæ circumstantiæ, ad quas vix potest homo unus sufficienter reflectere, casum variare possint, unde adhibendum erit simul judicium, si non alicujus academiæ, saltem aliorum prudentum Jurisconsultorum, qui creduntur cum indifferentia deprompturi suum sensum, alioqui se exponet periculo sæpè errandi, & graviter damnificandi proximum.

§.4. Pro dignoscenda in specie sufficientia quorundam 1445
indiciorum, notant sequentia Authores: 1. Si Cajus ad cubiculum Monialis clam ascenderit & cum ea pernoctarit, uterque autem neget fornicationem esse factam, multi apud Sperel. Fori Ecclesiast. decis.136. dicunt inspiciendam esse ab obstetricibus Monialem, negant ad hoc cogi posse Monialem S. Ambros. & Sperel. dicentes procedendum esse via juris ex præsumptione, secundùm dicta à *num.*1435. 2. Si alicui in præsentiam corporis occisi adducto nares fluant sanguine, licebit Judici specialem inquisitionem instituere circa talem, quia probabile est fieri, vel per antipathiam vel per singularem cooperationem Dei: imò multi putant posse subjici torturæ, sed probabiliùs negat cum aliis Gob. *t.*11. *num.*919. imò nec videtur esse causa sufficiens comprehendendi, nisi simul adsint alia indicia. 3. Si duo accusentur ejusdem criminis, sintque causæ sufficientes ad torturam, nec sit præsumptio major pro uno quàm pro altero, Gob. *num.* 1017. multis probat corpore deformiorem posse priùs torqueri, eò quòd, cæteris paribus, forma melior sit animæ melioris index. Vide dicta *l.*3. *p.*2. *num.*1182. 4. Dicunt quidem aliqui in corpore sagarum reperiri notas seu maculas, quæ si acu pungantur, non dent sanguinem nec habeant dolorem, sintque velut characteres, quibus dæmon signat suas, uti opilio oves: accusatam tamen inspici non debere ante semiplenam probationem docet Spe *dub.*43. quia ante hanc non est licita tortura, honestis autem fœminis, quales præsumi debent omnes, est hoc æquè grave ac tortura: non esset tamen ita grave, si inspectio fieret à persona ejusdem sexus; sed hæ adhuc cautelæ sunt adhibendæ, in primis ne nimiùm fidatur lictoribus sæpè malevolis; & licèt dicant maculas adesse, simul adhibeatur Medici oculus, an non sit fortè cicatrix vel obducta caro spongiosa aut alia naturalis macula; deinde ne inquiratur in ea stigmata, dum rea torquetur, quia sæpè sanguis tum hæret; præterea non adeò multùm isti signo tribuendum est, cùm facilè possit subesse error, uti agnoscunt Binsf. & Delrio *l.*5. *s.*4. *indic.*8. Circa indicia seu probationes per aquas & ferrum candens, vide dicta *l.*3. *p.*1. *à n.*37.

§. 5. Accusatus torqueri non debet, quamvis indi- 1446
cia adsint sufficientia, si in contrarium alia etiam adsint, quæ æquè probant innocentiam ac ista alia culpam, nam una præsumptio tollit alteram, & in concursu bonæ & malæ præsumptionis standum est pro bona, uti dictum est *num.*1435.

*Q.*249. *Quantum tribui possit denunciationibus?* R. 1447

§.1. Quamvis denunciatio morientis aliquod faciat indicium, secundùm dicenda *num.*1476. tamen communis sententia & praxis est, quòd testimonium morientis non sufficiat ad alterum torturæ subjiciendum, nam L. *Si quis in gravi, §.*1. *ff.* ad S.C. Syllanianum dicitur, quòd vulnerato non creditur, si mox decessurus dicat se à Titio percussum, nisi id aliter probari possit.

§.2. Indicium sufficiens ad condemnationem alicujus 1448
non est præcisè hoc, quòd à 12. vel etiam pluribus sagis sit accusatus tanquam magus, & dicatur ab eis visus in saltu &c. uti habet communissima cum Delrio *l.*5. *s.*5. *num.*4. Neque etiam videtur esse indicium sufficiens ad torturam, uti docet Gob. in Clypeo *num.*311. contrà Binsf. Delrio Less. in auct. v. Magia *cas.*5. & alios: imò nec ad capturam, uti habent Tann. & *Spe dub.*44. contra alios, nisi indicia alia graviora accedant. Ratio est 1. quia sagæ sæpissimè illuduntur à dæmo-

dæmone, & putant ſe vidiſſe in ſaltu, quas non viderunt; imò ſæpè ipſemet non fuerunt in ſaltu, quamvis putent ſe fuiſſe, comediſſe, bibiſſe &c. 2. Sagæ communiter flagrant odio, & ſunt hoſtes hominum maximè innocentium, ac inſuper potuerunt conjuraſſe pro impietate, maledicentia & impœnitentia ſua; teſtimonium autem inimici non auditur, nequidem in exceptis, ergo. 3. Sagæ ſunt infames de mendacitate, cùm ſint familiares diſciplinæ magiſtri mendaciorum, ergo nunquam illarum teſtimonio ſtandum eſt, maximè in inquiſitione circa crimina excepta & occulta. *Nec obſtat*, quòd plerique dicant in his teſtari poſſe infames, *nam* hoc intelligitur de infamibus, non ratione mendacitatis ſed alterius tantùm criminis, quod relinquat præſumptionem veracitatis.

*Obj.*1. Saltem denunciationes, quæ fiunt à ſagis ad Deum per pœnitentiam ritè converſis ſufficient. R.1. Unde ſcis eſſe verè converſas, cùm ſagæ communiter ſint verſipelles & ſimulatrices? R.2. Si denunciationes fierent poſt ſigna pœnitentiæ paulò ante mortem & extra torturam, poſſet fortè tum aliquid dari denunciationibus, uti rectè *Spe d.*45. Nihilominus. R.3. Etiam ſuppoſito, quòd ſint verè pœnitentes, adhuc potuerunt eſſe deceptæ à dæmone, & putare ſe vidiſſe eos, qui non viderunt, uti ante dictum eſt, notatque iterùm *Spe dub.*46.

*Obj.*2. Communiter non procedi ex ſolis ejuſmodi denunciationibus, ſed accedere indicium publicæ famæ. R.1. talis fama non eſt communiter probata, ergo nihil juvat, ſecundùm dicenda *n.*1453. R.2. Talis fama ſæpè nata eſt ex inanibus rumoribus vel ex impiis cauſis, tum autem etiam nihil juvat, uti dicetur eodem *n.*1453.

Obj. 3. Judex tenetur ſaltem generaliter interrogare de aliis maleficis, ut ſic caveantur damna Reip. ergo poteſt credere, ſi denuncientur. R. Poteſt credere, accedentibus aliis indiciis, c. ex ſolis his denunciationibus, n. Poteſt tamen ex his aliquando devenire ad inquiſitionem aliorum indiciorum.

Inſt. L.fin. Cod. De malef. & mathemat. ſtatuitur, ut malefici interrogentur de ſociis: ſimiliter ſtatuunt jura, ut interrogatis credatur in materia criminum exemptorum: ergo. R. Jura ſtatuunt, ut interrogatis credatur in materia criminum exemptorum, diſtinctorum à Magia, tranſeat, etiam in materia Magiæ, in qua fiunt tot illuſiones, & mendacia, ſubdiſt. ſtatuunt, ut credatur abſolutè ex vi ſolarum denunciationum, aut ut credatur uſque ad condemnationem, torturam vel capturam, n. accedentibus aliis indiciis, aut etiam quandoque uſque ad inquiſitionem ulteriorem, c.

*Obj.*4. Multæ ſagæ, licèt ſejunctæ fuerint, ſæpè denunciant eandem perſonam & referunt eaſdem circumſtantias. R. Hoc fieri poteſt ex eo, 1. Quòd fuerint ſimiliter deluſæ: 2. Quòd ante conſpiraverint: 3. Quòd dæmon eis mandarit aut nunc ſuggeſſerit. 4. Quòd talis perſona ante fuerit de eis circumſtantiis diffamata. 5. Quòd Judex vel lictor ſpecialiter de talibus interroget &c.

Inſt. Ipſæmet denunciatæ poſteà ſe fatentur ſagas aut etiam extra torturam de ſe referunt eaſdem circumſtantias. R. Sæpè fatentur ex vi vel metu tormentorum; ſi tamen plura ejuſmodi indicia accedant, non nego credi poſſe, ſed tunc non credetur ad ſolas denunciationes. Vide *Spe dub.*49.

*Obj.*5. Saltem Judici licitum erit ſequi ſententiam AA. contrariorum, præſertim cùm talis ſit praxis fori. R. Non licet ſequi ſententiam conjunctam cum tanto periculo injuriæ in proximum; nec praxis ſalvat, quæ eſt contra rationem naturalem. Vide *Spe d.*50.

1449 §.3. In aliis criminibus, ſi duo Rei nominent tertium ſocium, ſufficit ad comprehenſionem & torturam, non tamen ad condemnationem, uti probat Gob. in Quin. *tom.*5. *cap.* 42. *ſect.*2. ubi ſupradicta de ſagis confirmat: Ratio eſt, quia in aliis criminibus non poteſt præſumi illud odium, nec talis deceptio.

1450 §.4. Judex peccat, ſi apprehendat aliquem à dæmone denunciatum, verbi gratia: in energumeno, ubi rectè Gob. *in Exp.t.*11. *num.*974. Ratio eſt, quia ſic nimis honorat patrem mendacii, cui nulla hìc fides haberi poteſt, cùm ſit maximus hoſtis hominum, & maximè innocentium. Putat tamen Leſſ. *caſ.*6. Judicem poſſe ratione talis denunciationis occultè capere informationem, ut majora indicia deprehendat, ſed melius dicitur planè contemnendum eſſe, quidquid pater mendacii abſque aliis indiciis dicit.

1451 §.5. Sapienter monet omnes Judices in perſona Eugenii Pontificis S. Bern. *l.*2. *de Conſid. c.*3. ne nimiùm creduli ſint ad omnes denunciationes: *Eſt vitium*, inquit, *cujus, ſi te immunem ſentis, inter omnes, quos novi ex his, qui cathedras aſcenderunt, ſedebis, me judice, ſolitarius ∴ facilitas credulitatis, hæc eſt, cujus callidiſſimæ vulpeculæ Magnorum neminem ſatis comperi caviſſe verſutias, inde eis ipſis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, præjudicia in abſentes &c.*

*Q.*250. *An ergo dæmon in congreſſibus ſagarum repræſentare poſſit homines innocentes?* R. Poſſe, quidquid contradicant Binſf. & Delrio *l.*2. *qu.*12. *num.*5. Nam 1. Id probant exempla, quæ *Spe d.*47. refert. Et ita etiam referunt *Raderus in virid. SS. p.*1. *f.*15. *& Roſignolius cent.*2. *Miro* 15. quomodo dæmon S. Silvani ſpeciem induens iverit ad cubile matronæ, & ideò S. Silvan. Epiſcopatu ſit ejectus. 2. Deo permittente ipſe ſathanas transfigurat ſe in Angelum lucis 2. ad Corinth. 11. v. 14. cur non & in ſpeciem hominis innocentis? 3. Omnes fatentur, quòd dæmon ſe transformet aliquando in formam lupi, hirci &c. cur non & hominis? Nec ullibi promiſit Deus ſe non permiſſurum, ut aſſumeret formam innocentis. 1452

*Obj.*1. Id videri eſſe contra bonitatem Dei, ut permittat amicos ſuos ſic affligi. R.1. Deus permiſit à dæmone affligi Jobum alioſque viros SS. Item alios maleficiis incantari, quandoque etiam poſſideri à dæmone: Item Martyres eo inſtigante morti tradi, ſicque opprimi innocentiam in hac vita, ad majus meritum hominis aut ad alios fines Deo notos. R. 2. Saltem poterit Deus permittere, ut homo innocens circa magiam, ſed aliorum peccatorum reus ita repræſentetur, ſicuti permittit furem à Magis repræſentari in ſpeculo vel pelvi aquæ.

*Obj.*2. Si hoc poſſet dæmon, faceret ſæpius. R. N. ſeq. cauſa poteſt eſſe, 1. Quia aliàs facilè patefiet innocentia, nec ampliùs credetur fraudibus. 2. Parum commodi inde habet dæmon, cùm ejuſmodi innocentes benè parati, cum ingenti merito excipiant mortem.

*Obj.*3. Ergo quivis poterit dicere ſe, verbi gratia, non occidiſſe alterum, ſed ſpeciem ſui repræſentatam eſſe à dæmone, qui alterum occiderit. R. N. ſeq. Diſparitas eſt, quòd omnes fateantur in conventionibus ſagarum contingere plurimas illuſiones & transformationes, hinc meritò dubitant viri prudentes de veritate ejuſmodi repreſentationum, nihil ſimile eſt circa alia crimina.

*Q.*251. *An poſſit Judex procedere ad torturam ex ſola fama publica?* R. Quid ſit fama & infamia, diximus *l.*3. *p.*2. *num.*1191. Prætereà hìc *n.*786. diximus, quod ſit fama de homine & inter homines: Item quid ſit infamia juris aut facti, & quandonam fama aut infamia dicatur publica, quibus ſuppoſitis, ſit 1453

§.1. Fama ſeu infamia habens ortum à ſola parte adverſaria, non habet ullum robur, ſed debet habere ortum ab aliis fide dignis. uti habet communis cum Gob. *in Exp.t.*10. *n.*548. Deinde ut Judex poſſit procedere ex fama, debet hæc judicialiter probata eſſe ſaltem per duos teſtes legitimos, qui ſaltem ruditer ſciant, quid ſit fama, & jurati deponant ſe ita audiviſſe à majore parte hominum iſtius loci, & quòd orta ſit ex bono fundamento & cauſa tali ac tali, & à bonis viris, aut ſaltem ſic, ut conſtet non manaſſe ex rixis, contumeliis, detractionibus odiis, temerariis judiciis, reſponſis magorum, &c. Clarus, Farin. Delrio, *Spe d.*34. dicens ſe pro eadem ſententia citare poſſe alios plures quàm 50. Ratio eſt, quia quando probata non eſt, non ſcitur, an verè ſit vel non ſit fama, & quamvis fortè ſit, tamen communiter eſt planè temeraria, ſed non eſt licitum procedere ex judicio, de quo neſcitur, an detur vel non detur, & an non ſit, quale eſſe ſolet, planè temerarium, ergo. *Nec juvat*, quòd fortè adſint alia indicia: *nam* fama non probata nihil prodeſt, ergo non addit iſtis indiciis ullum pondus, ergo ſi iſta indicia de ſe non erant ſufficientia, etiam ut conjuncta tali famæ non ſufficient.

§.2. Sola fama etiam probata, ſi non ſit ſuffulta aliis indiciis, non eſt, ſaltem ordinariè, ſufficiens ad torturam, ita cum aliis multis, Clarus, Leſſ. Delrio, Spe ſuprà. Ratio eſt 1. Quia fama ſecundùm Juriſtas, & Theologos non probat in criminalibus, ſed tantùm habet ſe inſtar accuſatoris, nemo autem torqueri poteſt, niſi accuſator aliquam adferat probationem: Hinc ex ſola accuſatione aut fama habebit Judex tantùm cauſam inquiſitionis, ergo. 2. Fama etiam probata eſt indicium valde remotum à delicto & valde fallax, uti omnes fatentur, probaturq; experientia, nec poteſt apud Judicem cauſare firmum judicium, ſed tantùm veluti ſuſpicionem, ergo eſt contra charitatem & juſtitiam & rectam rationem ex illa ſola procedere ad graviſſimum incommodum torturæ proximo inferendum. Ex his,

Sequitur, non eſſe audiendum Sperellum *Fori Eccl. deciſ.* 136. *num.*32. ubi dicit famam publicam facere, ac ſi crimen eſſet pleniſſimè probatum: item Maſcardum *de probat. vol.* 2. *concl.*810. *num.*20. ubi idem aſſerit de fama ſolius viciniæ, ſi ſit adjuta conjecturis aut conjuncta cum uno teſte, oppoſitum enim conſtat ex dictis, cùm fama ſit indicium adeò debile.

*Q.*252.

1454 *Q.*252. *An ſola fama, vel ſola indicia levia nunquam ſufficiant ad torturam?* R. In atrociſſimis criminibus occultis & difficilis probationis ſufficere ſolam famam, docent Clarus, Farinac. Menoch. Binsf. ſimiliter ſufficere leviora indicia dixerunt Marſil. Menoch. Monticel. Maſcard. ſed Delrio *l.*5 *ſ.*3. *Spe qu.*36. aliique dicunt, quantumcunque crimina ſint atrocia, excepta, occulta, ac difficilis probationis, nunquam ſufficere vel ſolam famam vel alia quævis indicia non facientia probationem quaſi plenam: Rationem dant. 1. Quia lex *n.*1443. relata tunc tantùm permittit torturam, quando eſt talis probatio, *Ut ſola confeſſio deeſſe videatur*; Et cùm non diſtinguat inter crimina, nec nos diſtinguere debemus; ſed accuſatis relinquere hujus legis beneficium ac favorem. 2. Quia tortura eſt res damnoſiſſima & periculoſiſſima, ergo ad eam non licet procedere niſi ex urgentiſſimis indiciis, fama autem aut indicium levius eſt aliquid valde fallax, quod non probat, ſed tantùm habet ſe inſtar accuſatoris vel ſuſpicionis apud Judicem, uti *num.*1453. dictum eſt, ergo. *Nec obſtat*, quòd crimen ſit atrox vel exceptum, *nam* tantò erit damnoſius & periculoſius accuſato, ſi per torturam cogatur fateri: & quò atrociora ſunt crimina, eò requiruntur vehementiores præſumptiones & graviora indicia, uti dictum eſt *num.*1437. ac rectè probat *Spe d.*37. *Nec iterùm obſtat*, quòd crimen ſit difficilis probationis, *nam* ſi ita eſt occultum, ergo majoribus indiciis opus eſt, ut probetur, alioquin verum eſſet, quòd ideò facilius probaretur, quia difficiliùs probaretur, quæ eſt aperta contradictio.

*Objic.*1. Quò atrocius eſt crimen, eò damnoſius eſt Reipub. ergo faciliùs habetur cauſa contra illud agendi. R. Faciliùs habetur cauſa contra illud agendi, per inquiſitionem, C. per torturam vel condemnationem, N. conſeq.

*Objic.*2. Commune axioma juris eſt, in clandeſtinis & occultis ſufficere probationes per conjecturas, quæ aliàs non ſufficerent. R. Axiomatis hunc eſſe ſenſum dicit *Spe d.*38. quò habitis conjecturis de ſe ſufficientibus ad probationem requiſitam, promptiùs pergere poſſit Judex ad torturam vel condemnationem in criminibus occultis quàm non occultis, quia nempe in non occultis poſſunt aliunde ſperari & expectari majores probationes, non item in occultis, utrobique tamen ſupponi debent probationes ſecundùm ſe ſufficientes, uti dictum eſt.

1455 *Q.*253. *An tortura ſit aptum medium cognoſcendæ veritatis?* R. Eſſe medium valde fragile & periculoſum demonſtrat *Spe d.*20. & 27. ac apertè dicitur *l.*1. *ff. De quæſtion. ſ.*23. *Quæſtioni fidem non ſemper, nec tamen nunquam habendam, Conſtitutionibus declaratur, etenim res eſt fragilis & periculoſa, & quæ veritatem fallat, nam plerique patientia ſive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo poſſit, alii tanta ſunt impatientia, ut quidvis mentiri quam pati tormenta velint, ita fit, ut etiam vario modo fateantur, & non tantùm ſe, verùm etiam alios comminentur.* Imò §.27. additur, *Si quis ultro de maleficio fateatur, non ſemper ei fides habenda eſt, nonnunquam enim aut metu aut qua alia de cauſa in ſe confitentur.* Idem eleganter dixit S. Auguſtinus *de Civit. l.*19. *c.*6. *Quid cùm in ſua cauſa quis torquetur, & cùm quæritur, utrùm ſit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto ſcelere certiſſimas pœnas, non quia illud commiſiſſe detegitur, ſed quia non commiſiſſe neſcitur, ac per hoc ignorantia Judicis plerumque eſt calamitas innocentis, & quod eſt intolerabilius, magiſque plangendum, rigandumque, ſi fieri poſſit, fontibus lacrymarum, cùm propterea Judex torqueat accuſatum, ne occidat neſciens innocentem, fit per ignorantiæ miſeriam, ut & tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torſerat: ſi enim ſecundùm iſtorum ſapientiam delegerit ex hac vita fugere, quàm diutiùs illa ſuſtinere tormenta; quod non commiſit, ſe commiſiſſe dicit, quo damnato & occiſo, utrum nocentem an innocentem Judex occiderit, adhuc neſcit, quem ne innocentem neſciens occideret, torſit, ac per hoc innocentem, ut ſciret, torſit, & dum neſciret, occidit.* Hoc ipſum agnovit ethnicus Cicero apud *Spe d.*20. *Dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpè ſunt, morique maluerunt falſum fatendo, quàm inficiando dolere.* Et pro Sylla ait, *Tormenta gubernat dolor, moderatur natura cujuſque tum animi tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus, ut in tot rebus & anguſtiis nihil loci relinquatur veritati.* Vide dicenda *n.*1456. Ex his,

Sequitur, per torturas ſæpè everti juſtitiam, quia innocentes, qui ſæpè ſunt impatientes dolorum, coguntur ſe fateri nocentes; è contrà nocentes, qui plerumque ſunt ferociores, tolerata tortura ſe probant innocentes: ex quibus patet torturam eſſe fragile & periculoſum medium adminiſtrandæ juſtitiæ.

1456 *Q.*254. *An ergo illa, quæ quis contra ſe in tortura fatetur, non debeant ſemper cenſeri vera?* R. Cenſeri debere putant aliqui, 1. Quia credibile non eſt hominem in cauſa mortis mentiri contra ſeipſum, ſic enim peccaret mortaliter, occidens ſeipſum. 2. Quia alioqui vacillant omnia judicia, ſi ex illis, quæ in tortura dicuntur, tanquam veris, non liceat procedere. 3. Alioquin meliùs tolleretur uſus torturæ, ſi confeſſione per eam extorta niti non liceret. Oppoſitum tenendum eſt cum *Spe dub.*28. & conſtat ex dictis *nu.*1455. quia nempe ſunt plurimi homines, qui malint mortem quàm torturam longiorem aut iteratam ſuſtinere, ideoque affirmant, quidquid Judex inquirit: hinc R. *ad* 1. eſſe aliquorum ſententiam, uti *nu.*1523. dicetur, quòd talis homo contrà ſe vel alium falsò aſſerens crimen non peccet mortaliter: ſed dato, quòd mortaliter peccet, an nunquam homo volet mortaliter peccare ad evitanda intolerabilia tormenta, cùm ſæpè peccet ob brevem voluptatem vel leve commodum temporale? Certè teſtatur *Spe d.*20. fuiſſe nonnullos, qui crimina ſibi aut aliis impoſita, cùm torquerentur, revocare noluerint metu novæ torturæ, etiamſi diceretur ipſis alioqui æternùm damnandos, quia nempe præſens dolor videbatur illis intolerabilis. *Ego de me fateor*, inquit *Spe, non dubitarem mox ipſo initio reum me cujuſcumque maleficii ſtatuere, & mortem potiùs quàm tantos cruciatus amplecti. Ad* 2. Permitto ex illis, ſecundùm, ſe, certò procedi non poſſe. *Ad* 3. *Spe d.*29. concedit aſſ. niſi eæ adhibeantur cautelæ, ut torquendis non cenſeatur imponi neceſſitas dicendi id, in quod Judex inquirit. Rectè addit *Spe Rat.*14. *Cogentibus tormentis incredibile dictu eſt, quanta de ſeipſis, quanta de aliis mentiantur; quidquid tandem verum eſſe tortoribus placuit, id verum eſt, ad omnia annuunt torturæ, & cùm deinde revocare non audeant, morte omnia obſignantur: Scio, quid loquar, & ad judicium illud provoco, quod vivi mortuique præſtolantur.* Denique in fine converſus ad Judices ait, *Quid tam ſollicitè maleficos quærimus? Heus Judices oſtendam extemplò, ubi ſint; agite, capite Capuccinos, Jeſuitas, Religioſos omnes & torquete, fatebuntur; ſi qui negant, repetite ter, quater, fatebuntur; ſi adhuc obſtinati ſunt, exorziſate, detondete, utuntur maleficio, obdurat eos dæmon, vos procedite, tandem dabunt manus: tunc ſi plures vultis, rapite Eccleſiæ Prælatos, Canonicos, Doctores, fatebuntur; nam quid miſeri illi & delicati? quomodo ſubſiſtent? quod ſi adhuc plures vultis, vos ipſos ego torſero, & me vos deinde, non diffitebor, quod vos faſſi eritis; ſic omnes magi ſumus.* Et idem eſt de aliis criminibus.

*Obj.*1. Fruſtra hæc & ſimilia oblatrari à Theologis, ad quos iſta non ſpectant, & qui rebus iſtis non ſtuduerunt. 2. Judices habere leges, & praxin eſſe contrariam. 3. Si iſta obſervari debeant, Judices non poſſe procedere. R. *Ad* 1. Munus eſt etiam Theologorum, latratu ſuo excitare Judices, ſi nimis arctè dormiant; neque jura à ſolis civiliſtis lecta ſunt, ſed à Theologis ſtudiosè conferuntur cum jure naturæ & recta ratione. *Ad* 2. Sicuti Judices urgent contra reos rigorem aliquarum legum, ita in cõſcientia tenentur illis permittere favorem aliarum, etiamſi per accidens etiam nocentes dimittant: praxis verò eos non excuſat, ſi ſit contraria juri naturæ & rectæ rationi. *Ad* 3. Ubi procedere non poſſunt, ſiſtant, nam judicia inſtituta ſunt, non ad plectendos tantùm nocentes, ſed ad propugnandos innocentes, & melius eſt 20. nocentes dimitti, quàm unum innocentem occidi. Hæc ſint ſemel dicta pro ſemper, nam objectiones illæ etiam circa ſeqq. ſæpiſſimè regeruntur.

*Q.*255. *An & quando tortura repeti poſſit?* R. 1457
§.1. Poſſe aliquando repeti, conſtat ex *l.*16. *ff. de quæſt. Repeti poſſe quæſtionem* (id eſt, torturam) *Divi Fratres reſcripſerunt:* attamen illum, qui tertiò tortus & faſſus, poſt torturam ſemper revocavit, debere dimitti, docent, præter citatos à Buſemb. Tholoſ. Gom. & alii plurimi cum Delrio *l.*5. *ſ.*9. & Farinac. *l.*5. *qu.*38. *num.*96. ubi Judices qui ultrà procedunt, vocat carnifices: imò *Spe d.*21. docet eum, qui bis tortus bis revocavit, etiam eſſe dimittendum, quia etiam tunc præſumi debet fuiſſe coactum vi tormentorum morte graviorum.

§.2. Semel tortum, ſi non ſit confeſſus, non poſſe iterum 1458
torqueri ſine novis urgentiſſimis indiciis, docent Clarus, Menoch. Toloſ. Farin. Dynus, Alber. Villal. Silv. Azor. Leſſ. aliique Juriſtæ & Theologi communiter, & habetur *l. Unius*, 18. *ff. de qu. Reus evidentioribus argumentis oppreſſus repeti in quæſtionem poteſt, maximè ſi in tormenta animum corpuſque duraverit*, id eſt, uti explicant Farin. *nu.*77. Delrio, Spe ſuprà aliique multi, nunquam eſt iteranda tortura, niſi ſupervenient indicia nova, & diverſi generis, & prioribus evidentiora, & niſi reus ſit adeò fortis & robuſtus, ut animo & corpore ad priora tormenta perduraverit: Ratio eſt, quia priora indicia iiſque ſimilia ſunt per torturam purgata, & cùm reus jam ſit eò uſque declaratus innocens, major cauſa requiritur iterùm rapiendi ad tormenta; & cùm etiam ſit viribus debilior, Chriſtiana charitas, æquitas & recta ratio poſtulat, ut ſubjiciatur minoribus tormentis.

*Obji.*1. Bartol.Bald. aliique dicunt poſitum eſſe in arbitrio Judicis, an Reus nihil faſſus revocari debeat ad torturam. 2. Saltem tunc repeti poterit, ſi prima non fuerit ſufficiens, an autem fuerit ſufficiens, Judicis eſt definire. 3. Item tunc poterit repeti, ſi prima indicia fuerint valde urgentia, ut docent Bartol.& alii. 4.Licitum eſt una vice torquere per horam, ergo etiam quatuor vicibus per quadrantem, id enim non erit per modum repetitionis ſed continuationis. 5. Saltem toties repeti poterit tortura, quot crimina ſunt, de quibus reus accuſatus eſt. R. *Ad* 1. Judex tenetur arbitrari ſecundùm leges & rectam rationem. *Ad* 2. Illa eſt ſufficiens, quæ ingentem dolorem adfert: quòd ſi Judex decreverit minorem, Reus per favorem legis utitur errore Judicis. *Ad* 3. Secundùm leges, etiam urgentiſſima indicia eliduntur per torturam, uti dicetur *nu.*1475. *Ad* 4. Eſt repetitio & non continuatio, ſi corpori frigefacto & antea debilitato iterùm admoveantur tormenta. *Ad* 5. De omnibus delatis debet fieri una quæſtio, alioquin ſuſpectus de 100. homicidiis poſſet centies torqueri; & ſagæ, quæ communiter plurima & diverſa crimina committunt, torqueri poſſent, quoties vellet Judex. Vide *Spe quæſt.*23.

1459 §.3. Valde periculoſum eſt Titium revocare ad torturam ex hoc quaſi novo indicio, quia à Cajo in tortura nominatus eſt tanquam complex vel reus, nam Cajus facilè cogitur vi tormentorum loqui hoc, quod putat deſiderare Judicem, & parvi pendet jam infamatum nominare. Vide dicta *nu.*1455. & 1456.

1460 §.4. Iniquum eſt id ſumere pro novo indicio, quòd quis primam torturam animosè ſuſtinuerit, quòd in ea tacuerit &c.interpretando, ac ſi hoc fecerit ope dæmonis, aut reddendo ſe inſenſibilem, ideoque velle mutato loco, detonſis capillis, præmiſſa exorziſatione &c.iterùm experiri torturam. Ratio eſt, 1. Quia vel potuit natura liter ſuſtinere ea tormenta, vel non potuit, ſed ut poſſet, juvari debuit ope dæmonis aut Dei; ſi potuit, præſumendum eſt eſſe factum; ſi non potuit, ergo Judex impoſuit tormenta humana infirmitate graviora, hoc autem eſt iniquiſſimum, nec talis tortura poteſt Judici tribuere ullum jus procedendi contra reum,uti rectè Gomeſ.Gig. Burſ. aliique Juriſtæ communiter cum *Spe d.*25. 2. Judex ita procedens poterat, antequam torqueret, habere accuſatum pro Reo, ergo talis tortura erat iniqua, non enim erat ad cognoſcendam veritatem, ſed ad reum duplici malo obruendum. *Antec.prob.* Judex ſciebat hoc eſſe certiſſimum, vel reus fatebitur vel non fatebitur; ſi fatebitur, eſt reus; ſi non fatebitur, etiam eſt reus, ſaltem maleficii, quia ope dæmonis tolerabit pœnas, ergo antequam torqueret, poterat eum habere pro reo, quod eſt contra omnem ordinem & formam juris, ac evertit omnem finem torturæ. 3. Delicta non præſumuntur, ſed haberi debet quiſque bonus, quamdiù non probatur eſſe malus, ergo reus præſumi non debet uſus ope dæmonis, ſed ſuis viribus ſuſtinuiſſe tormenta.

1461 §.5. Sequentia indicia etiam non ſunt ſufficientia ad repetendam torturam. 1. Quòd reus in tortura videatur nil ſenſiſſe ſed dormiſſe, quia ſi dolores ſint intenſiſſimi, homo ſæpe privatur ratione, deficit animo, fit quaſi ſtupidus & inſenſibilis. 2. Quòd virgis conciſus non manarit ſanguine, quia fit ſæpè, etiam in ſectione venæ, ut ſanguis obſtupeſcat, obrigeat, aut confluat ad cor: item ut hæreat, veluti in ſubito terrore, *Spe d.*36.

1462 §.6. Hactenus dicta de non repetenda tortura, valent, qualiacunque ſint crimina, de quibus quæritur, *Spe d.*21.Leges enim prohibentes repeti torturam ſine novis gravioribus indiciis non diſtinguunt inter crimina, & par aut etiam major eſt ratio de omnibus etiam exemptis vel occultis criminibus, uti à ſimili colligitur ex dictis *n.*1454.

1463 §.7. Cauſæ, ob quas accuſati quandoque ſæpiùs acerbiuſque torquentur, ſunt ſequentes. 1.Quia Judices credunt ſibi dedecori eſſe, quòd comprehenderint aliquem, quem probare non poſſint nocentem. 2.Quia etiam lictores timent dedecus, ac ſi imperitè functi ſint arte ſua, ſi confeſſionem non extorſerint; patet autem has cauſas eſſe iniquiſſimas, uti rectè *Spe qu.*22.

1464 *Q.*256. *Quid præterea notandum ſit circa torturam?* R. Seqq.

§.1. Illæ torturæ ſunt injuſtæ, quas ſuſtinere eſt Reo moraliter impoſſibile ſpectata naturæ & virium complexione: unde non poſſunt Judices ex confeſſione ita injuſtè extorta procedere, uti dictum eſt *n.* 1460. & cum communi docent Laym. & Buſemb.relatus *n.*1440.Etiam vetat Paulus III.in bulla, *Ad onus* 44.§.6.*p.*1. Bullarii apud Cherubinum pag.560. reum in tortura detineri per longum tempus,quale eſt unius horæ. Rectè dicitur l. *De minore*, §.3.ff. De quæſtionibus, *Tormenta adhibenda ſunt, non quanta accuſator poſtulat, ſed ut moderatæ rationis temperamenta deſiderant.*

1465 §. 2. Si aliquando ante torturam radi debeant accuſato pili, eò quòd adſit prudens ſuſpicio, quòd maleficium ſit pilis alligatum, fieri id debet à perſona ejuſdem ſexus, tum ob pericula peccatorum, ſi id alteri ſexui permittatur, tum etiam quia aliàs contra charitatem fit verecundo Reo longè gravior moleſtia, *Spe dub.*31.

§.3. Poteſt Reus aliquando injuſtè appellare à decreto 1466
torturæ, uti ex *l.*2. Cod. de appell. recip. probant Bartol. Bald. Marſil. Cotta, Gom. aliique communiter cum Farinac. *qu.*38.*num.*10. & cum Spe *d.*18.Coroll. 12. Quòd ſi Judex non obſtante hac appellatione ad torturam proceſſerit, & per hanc à Reo confeſſionem extorſerit, talis confeſſio nulla eſt, ideoque non ſufficit ad condemnationem, uti iidem ſentiunt apud Farin. *n.*17.& 22.

*Q.*257. *An Judex poſſit in quocunque crimine interro-* 1467
gare de complice? R.

§.1. Non poteſt nominatim interrogare de hoc vel illo, id enim prohibet *l.*1.*ff.De quæſt.* §.21. *Qui quæſtionem habiturus eſt, non debet ſpecialiter interrogare, an Lucius, Titius homicidium fecerit, ſed generaliter, quis fecerit: alterum enim magis ſuggerentis quam requirentis videtur; & ita divus Trajanus reſcripſit:* idem cautum eſt in Conſtit. pœnali Carolina *c.*31. §.1. Similiter iniquum eſt, ſi lictor vel alius homini torquendo dicat hunc vel illum de eodem crimine jam diffamatum eſſe, hoc enim etiam eſt ſuggerere, quem accuſare debeat, ut tormenta declinet.

§.2. Poſſe Judicem generaliter interrogare de complici- 1468
bus, habet communis ſententia cum Haun. *De juſt.t.*6.*n.*281. & Gob.*in Exp.t.*2.*n.*163.*in append.lit.b.* Et ita fieri circa maleficos vult L. fin. Cod.De malef. & mathem.idem autem eſt de aliis criminibus ſaltem valde noxiis Reipubl. Et quamvis id videatur à jure Canonico non approbari, tamen conſuetudinem præſcripſiſſe putant Haun.& Gob.ſuprà.

ARTICULUS IV. 1469

Quid ſervandum Judici circa ſententiam & pœnam?

RESP.I. Judex debet judicare ſecundùm leges. Unde „
inferior Judex ordinariè non poteſt pœnam relaxa- „
re vel minuere, etiamſi actor conſentiat, niſi aliquando ad „
bonum Reipub. aliud neceſſarium eſſe ditaret Epikia, vel „
niſi de privata tantùm injuria actoris ageretur, S.Thom.2.2. „
*quæſt.*65.*art.*5. Reginald. *l.*25.*num.*643. Bon. & Trull.*l.*8. „
*cap.*1. *d.*12. „

Dixi, *inferior*: quia ſupremus ob juſtam cauſam id poteſt; „
ſine cauſa tamen graviter peccaret ſecundùm Cajet.*V.Judex*, „
quia animaret delinquentes, & concurreret ad peccatum. „
An autem liceat intercedere apud Judicem pro liberatione „
Rei, *v.*Bon.& Trull.*l.c.* „

Reſp.II. Si in aliqua cauſa fuit Advocatus, in eadem Ju- „
dex eſſe & ſententiam ferre non poteſt. *l.Eos in princ. c.De* „
*appell.& l.Prætor.de juriſd.*quia judicium ejus habetur ſuſpe- „
ctum, propter affectum ad unam partem, ut ex communi „
Doct.docet Sanch.*l.*3.*Conſil.c.un.dub.*26. (additque *num.*3. „
ſententiam non fore validam: quòd tamen alii negant, ſi „
ſit Judex ordinarius) Lugo *d.*41.*n.*4. *v.etiam* Dian.*p.*3.*tr.* „
5.*miſc. R.*56. ubi ex Corduba ſentit talem Judicem in con- „
ſcientia non peccare, ſi ſine affectu ſecundùm leges, altera „
parte inſcia, judicet. „

Reſp.III. Quem Judex privata ſcientia ſcit eſſe nocentem, „
ſi juridicè ſit probatus innocens, non poteſt condemnare, „
quia judicat ut perſona publica, ideoque ſequi debet ſcien- „
tiam publicam, ac procedere ſecundùm allegata & probata, „
præſertim in favorem Rei.D.Th.*q.*67.Nav.*c.*25.Caj.Fill.Leſſ. „
Bon.*t.*2.*d.*10.*in præc.q.*2.*p.*2. „

Reſp.IV.Quem Judex privatim ſcit eſſe innocentem,ſi ju- „
ridicè probatus ſit nocens,tenetur omni modo liberare,ſi po- „
teſt, v.g.impediendo accuſationem, extrahendo judicium, „
aperiendo carcerem, (ſi ſine majore malo poteſt) remitten- „
do cauſam ad Superiorem. Et ſic ſi nihil efficiat,probabiliter „
quidem plurimi Doctores tenent cum S.Th. *l.c.* ob rationem „
paulò ante datam, quòd poſſit condemnare: verius tamen „
videtur contrarium,quod cum aliis docet Leſſ.*l.*2.*c.*29.*d.*10. „
Sa*V.Judex*, Petrus Nav.Fill.Bon.*n.*2.Tol.&c.vid.Lug.*d.*37. „
*ſ.*4. Quia directè occidere innocentem, eſt intrinſecè ma- „
lum,ergo quomodocunque ſciatur eſſe innocens,erit pecca- „
tum, Leſſ.*l.c.* In cauſis tamen civilibus & criminalibus mi- „
noribus, ubi tantùm agitur de pœnis pecuniariis, poteſt Ju- „
dex, ſecundùm hos authores, ſimpliciter procedere ſecun- „
dùm allegata & probata, tum quia innocens per appellatio- „
nem poteſt reſtitui in integrum, tum quia reſpublica habet „
poteſtatem in bona ſuorum civium, quando bonum publi- „
cum id requirit, ut in hoc caſu, ne forma publicorum judi- „
ciorum cum populi ſcandalo evertatur.V.Laym.*l.*3.*t.*6.*c.*2.*n.* „
8. Leſſ.*d.*10.Bon.*n.*4. „

„ *Quæ-*

„ *Quæres* I. Quid faciendum Judici, cum utrimque ſunt „ ſententiæ probabiles in quæſtione juris, v.g. an ex teſtamen- „ to minùs ſolemni debeatur hæreditas?

„ Reſp.I. Debet ferre ſententiam, ſecundùm opinionem de „ jure probabiliorem, ſaltem ſi ſit Judex ſupremus. Neque „ tunc videtur tenendum, quod quidam docent, eum ſa- „ tisfacere conſcientiæ, ſi cauſam adjudicet defendenti ſe pro- „ babiliter, licèt altera probabiliùs. Ratio quia Judex eſt „ conſtitutus, ut ſecundùm merita cauſæ & ſententiam, quæ „ ei maximè videtur rationi conſona, cauſam decidat, quia „ alioquin eſſet acceptor perſonarum.

„ Dixi, *Si ſupremus ſit*: quia ſi ſententia aliqua communi- „ ter ſit recepta in tribunali ſuperiore, Judex inferior videtur „ ſecundùm eam poſſe judicare, licèt minùs probabilem, quia „ videt probabiliorem, cum honoris ſui præjudicio, revocan- „ dam in ſuperiore tribunali, Laym.*l.*1.*t.*1.*c.*5.§.3.*num.*16. ex „ Sylv.Vaſq.*&c.v.*tamen Lugo *d.*37 *ſ.*10.

„ Reſp.II. Si opiniones oppoſitæ æquè probabiles videan- „ tur, non licebit uni eorum adjudicare totum pro ſuo arbi- „ trio, cùm uterque æquale jus habeat, ſed ſuadebit compo- „ ſitionem; imò etiam imperabit, in caſu nimis intricato; „ (aliàs enim non licet) vel uni dimidium, & alteri alterum „ dimidium juris aut rei, de qua lis eſt, adjudicabit: memor „ interim axiomatis: quod *Si partium jura ſint obſcura, po-* „ *tiùs favendum ſit Reo, quàm actori*, *ib.* Bon. *de peccatis* „ *d.*2.*qu.*4.*p.*9.

„ *Quæres* II. Ad quid teneatur Judex, qui ſententiam in- „ juſtam tulit?

„ Reſp.I. Si dolo, vel (ut dixi *d.*2.*a.*1.) magnâ imperitia „ id fecit, litem fecit ſuam, id eſt, damnum partis læſæ in ſe „ tranſtulit, cui tenetur reſtituere. Bon. *t.*2.*d.*10.*de præcep.q.*2. „ *p.*4.ex S.Thom.&c.v.ſupra *d.*2.*a.*1.

„ Reſp.II. Si alioqui dignus ſuo munere (tametſi id petens „ impetraverit, aliis dignioribus neglectis) per oblivionem, „ ex humana fragilitate erraverit, non obligatur in conſcien- „ tia ad reſtitutionem ex propriis, cùm injuriam forma- „ lem non intulerit, neque aliquid commodi ex tali ſenten- „ tia acceperit, vel potiùs, (ſecundùm alios) cùm culpam „ Theologicam non commiſerit; debet tamen revocare ſen- „ tentiam, ſi poteſt ſine gravi incommodo. Laym.*l.*3.*t.*6. *c.* „ 2.*num.*11.

„ *Quæres* III. An ſententia Judicis injuſta obliget in foro „ conſcientiæ?

„ Reſp. Sententia injuſta ex natura rei, aut ex omiſſione „ ordinis juris ſimpliciter neceſſarii, ſive feratur per falsò „ allegata & probata, ſive Judicis iniquitate, nullum habet „ robur in foro conſcientiæ, manetque parti læſæ, tametſi non „ appellet, jus ſuum, licebitque, ſi abſque ſcandalo poſſit, „ recuperare bona, S.Thom.Sayr.Bon.*p.*4.Trull.*l.*8.*cap.*1.*d.*7. „ Ratio, quia ſententia eatenus obligat in conſcientia, quate- „ nus habet rationem judicii: hoc eſt, ut eſt determinatio juris, „ & definitio juſti.

„ Dixi, *in foro conſcientiæ*, quia in foro externo, ubi „ non tam veritas facti, quàm probatio juridica ſpecta- „ tur, ſententia prolata ſervanda eſt, ad evitanda ſcan- „ dala, & incommoda. Neque elapſo termino, (intrà „ quem appellare licebat) actio ei conceditur, lege ſic ſta- „ tuente, tum in pœnam pigritiæ, tum ad bonum publi- „ cum, ut litium ſit finis. Trull. *c.*4. *d.*7. ex Sayr.&c. *Un-* „ *de reſolves:*

„ I. Is, cujus bona per ſententiam manifeſtè injuſtam ad- „ judicata ſunt alteri, poteſt (niſi alter juſtè præſcripſerit) „ per occultam compenſationem ea recipere, quia recuperat „ jus ſuum. *Ibid.*

„ II. Qui ſciens per injuſtam ſententiam mala fide accepit „ bona tenetur ea ſemper reſtituere, nec unquam præſcribe- „ re poteſt, quia ſunt aliena; & poſſeſſor malæ fidei nunquam „ præſcribet: imò tenetur expenſas reſtituere, & compen- „ ſare damna, etiamſi pars læſa non appellaverit, cùm non „ renunciet ideò juri ſuo.

„ III. Qui bona fide rem poſtulavit à Judice, & bona „ fide accepit, intelligitque ante tempus præſcriptionis „ finitum, fuiſſe ſententiam injuſtam, tenetur eam, non „ tamen expenſas, reſtituere: Si verò poſſedit rem bo- „ na fide, tempore ad præſcribendum neceſſario, non te- „ netur reſtituere; quia legitimè præſcripſit. Salon. Sayr. „ Trull. *l.c.*

„ *Quæres* IV. Quid liceat Judici circa munera?

„ Reſp.I. Etſi à partibus munera liberalia accipiens aliquan- „ do peccet, vel ob ſcandalum, vel ob periculum perverten- „ di juſtitiam; acceptorum tamen dominium comparat, ſpe- „ ctato jure naturæ.

„ Reſp.II. Etſi lex poſitiva munerum acceptionem prohi- „ beat, accipiens tamen non tenetur ad reſtitutionem ante ſen- „ tentiam judicis, niſi lex exprimat, quod non illicita tantùm, ſed etiam invalida ſit acceptio. V.Bon.*p.*8.Laym.*tr.*4.*cap.*4. „ *num.*9.*&* 10. „

Reſp.III. Si Judex injuſtè extorqueat munera, nolens fa- „ cere quod juſtum eſt & debet, niſi ea dentur, tenetur reſti- „ tuere: uti etiam, ſi quid datum ſit ad redimendam vexam, „ verbi gratia, ne injuſtè faveat parti adverſæ; ne cauſam nimis „ differat: Quanquam hoc caſu interdum præſumi poſſit da- „ torem remittere obligationem reſtituendi. Laym.*l.c.*ex Gob. „ & Rebel. &c. „

ADDENDA.

QUæſt.258. *An Reo ſemper debeat permitti Advoca-* 1470
tus ſive defenſor?

§.1. Quando liquidum eſt de crimine excepto, rejicitur defenſio & negatur Advocatus, Cap. fin. *De hæretici: in 6.* *l.Quiſquis*, *ſ.Denique*, Cod.Ad legem Juliam, *l.Per omnes*, Cod. de defenſ. civitatum: quando tamen non conſtat clarè de tali crimine, admittenda eſt defenſio & concedendus Advocatus, tum enim tantùm talia crimina ſunt exempta, quando de eis conſtat, alioqui ſi clarè probatum non ſit, jus naturale poſtulat permitti defenſionem, ſi in minoribus criminibus, multò magis in majoribus, uti latè probat *Spe d.*17.& habetur L.*Unius*, *ſ.*9.*ff.De quæſt. Defenſionem quocunque tempore poſtulante Reo negari non oportet, adeò ut propterea & differantur & proferantur cuſtodiæ.*

§.2. Tenetur Judex aut Princeps providere, ut Reo 1471
concedatur Advocatus intelligens, probus, prudens, qui credatur feriò & non tantùm in ſpeciem acturus cauſam accuſati; ſuntque iniquiſſimi, qui ſtudiosè tales procurant Advocatos, quos prævident fore negligentes aut minùs ſollicitos pro Reis, quia ſic indirectè occidunt, præcludendo arma juſtæ defenſionis.

§.3. Aditus ad carcerem non eſt iis præcludendus, quo- 1472
rum opera Rei uti cupiunt ad ſui defenſionem, uti ſtatuitur in Conſtit.Carolina cap.88. & Ratio eſt, quia Reus habet jus ad defenſionem ſui, ergo etiam ad media ordinaria defenſionis, inter quæ eſt conſulere viros doctos, quos credit poſſe ſuggerere conſilium vel præſtare auxilium: unde *Spe d.*18.Corol.9.ait, *Semper judicavi iniquiſſimos eſſe, qui id cavent, ne doctior quiſpiam, quem Rei expetunt, ad eos accedat, timentes, ne iis argumenta ſuggerat ad removendum crimen, cùm ſanè, ſi quis innocens oſtendi poſſit, id magnopere optandum eſſet:* Addit, *Nuper quidam Sacerdos, cùm Judicibus tacitè & ſecretè ex protocollo demonſtraſſet iniquè contra quaſdam proceſſum eſſe, non aliter monitioni dedere locum, quàm quod illas capite plexuerunt, hunc autem, ne ad ullas deinde cuſtodias admitteretur, ſanciverunt.*

*Q.*259. *An Judex debeat potiùs benigniora ſequi quàm* 1473
rigidiora? R. Affirmativè, & maximè in favorem Rei, ſic enim ſtatuunt jura, Reg.11.juris in 6. *Cùm ſunt partium jura obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm actori.* Reg.49. Ibid. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Reg.56.ff. De Reg.juris, *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt.* Reg.125. Ibid. *Favorabiliores Rei potiùs quàm actores habentur.* Reg.155. Ibid. *In pœnalibus cauſis benigniùs interpretandum eſt.* Reg.192. Ibid. *In re dubia benigniorem interpretationem ſequi non minùs juſtius eſt quàm tutius.* l.42.ff. De pœnis, *Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potiùs quàm aſperandæ.* Oppoſitum fieri queritur *Spe d.*16. *valde metuo*, inquit, *ne in magno Germaniæ tractu vix liceat unum aliquem Judicem ſeu Inquiſitorem nominare, qui ſic laboret reperire aliquem innocentem, quàm nocentem, quique ſic tueatur repertam innocentiam quàm tueatur confeſſionem, quantumvis periculoſiſſimis quæſtionibus extortam.* Et d.33. *Ego verò*, inquit, *ſic exiſtimabam hunc eſſe genium Chriſtianæ legis, ut Judices gauderent potiùs cuperentque pauciſſimos reperiri nocentes, quàm id agere atrociſſimis expediti ſſimiſque tormentis, ut quàm pauciſſimi innocentiam tueri poſſint.*

Obji. Sic augebuntur ſcelera per facilitatem ignoſcendi. R.1. Idem dici poterit contra Deum, qui facilè ignoſcit; & quamvis ſit æquè juſtus ac clemens, nihilominus plures dat effectus clementiæ quàm juſtitiæ: *Suavis Dominus univerſis & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, Pſ.144.V.9 hinc dicit Chriſtus Matth.5. V.7. *Beati miſericordes.* R.2. Nemo negat punienda ſcelera, ſed cum clementia, per quam ad naturam Dei proximè accedunt Principes. Ex dictis;

Sequitur, ſi quis in ebrietate etiam voluntaria homici- 1474
dium improviſum commiſerit, Judicem poſſe ei non irrogare gravem pœnam corporalem homicidio decretam, uti docent Clarus, Tholoſ.Vaſq.Mol. *de juſt.t.*3.*d.*38. poteſtque videri Gob.*in Quint.t.*5.*c.*20.*ſ.*2. ubi hanc quæſtionem bene tractat. Et quod in caſu ebrietatis dictum eſt, valet in ſimilibus.

*Q.*260. *An condemnari poſſit, qui nequidem in tortura eſt* 1475
faſſus

faſſus crimen ? R. Negativè quia ſi de tali crimine certò conſtabat, antequam torquererur, ergo malè tortus eſt, quia tortura eſt ad cognoſcendam & non ad confirmandam veritatem: ſi non conſtabat, ergo nec jam conſtat: imò juxta communem cum Farinac.& Delrio *l.5.ſ.9.* omnia indicia & probationes ſunt purgatæ per torturam, quia ſicuti leges permittunt durum illud medium explorandæ veritatis, ita volunt eum credi innocentem, qui nequidem per torturam adductus eſt ad fatendum, ergo iniquum eſt reos ſubjicere rigori legum, & viciſſim non permittere, ut gaudeant reciproco favore earum, Spe *d.39.*.

1476 *Q.261. Quid dicendum ſit, ſi reus revocet aliquid in loco ſupplicii?* R.Etſi revocatio non ſtatim præſumenda ſit vera, eſt tamen ejus habenda ratio, uti recte Spe *d.40.* contra Binſf.& Delrio, Ratio eſt 1.quia nemo cenſeri debet velle cum mendacio mori,uti dicit etiam Gl.in cap.*Litteras*,de præſump. 2.Si antedictis credendum eſt, etiam hic credi poteſt, maximè ſi adſint circumſtantiæ ſuadentes. 3.Judices denunciationibus morte confirmatis multùm tribuunt, ergo etiam aliquid tribuere debent huic revocationi. 4.Conſt.crimin.Carolina Cap. 91.dicit, quamvis revocatio ipſo die judicii videretur facta ad impediendum juris proceſſum, tamen ejus habendam rationem & ineundum conſilium cum juriſperitis aliis. *Si dicas*, debuiſſe priùs loqui. R.Si priùs locuti fuiſſent, repetita fuiſſet tortura, præ qua voluerunt mortem. Tum autem maximè credendum eſt reo in loco ſupplicii quando revocat denunciationes aliorum ante factas, credendum enim eſt id facere eum urgente conſcientia.

1477 *Q.262. Quid præſumendum ſit de illis, qui in carcere inveniuntur mortui* ? R.

§.1. Si cadaver Rei non confeſſi nec legitimè convicti reperiatur in carcere, non ideò ſtatim privari debet ſepultura eccleſiaſtica, quia talis non ſufficienter probatur eſſe malus aut à ſeipſo vel dæmone occiſus, ergo debet præſumi mortuus morte naturali, quia præſumendum eſt ſemper pro reo & pro innocentia. Multa ſunt autem mortis naturalis argumenta, uti tortura, carcer, vincula, triſtitia, &c.*Etſi non morte puniantur*, inquit S.Auguſt. *de civit.l.19.c.6. in ipſis vel ex ipſis plerumque tormentis moriuntur*. Quòd collum ſit flexile in omnem partem, nil facit ad rem, nam hoc etiam ſæpè eſt in aliis cadaveribus: quòd ſi ſolus lictor dicat inveniri hæc aut illa ſigna mortis violentæ, illi credi non debet, quia poteſt mentiri, ne judicetur in tortura exceſſiſſe vel ob alias cauſas, Spe *d.41.*

§.2. Signa, quòd quis à ſeipſo vel à dæmone ſit occiſus, ſunt ſeqq.1. Si inveniatur in laqueo mortuus. 2. Si caput planè in tergus ſit obtortum. 3.Si in gutture reperiantur lineamenta, quæ conſtet pridie non adfuiſſe. 4. Si prima colli vertebra ita emota ſit è loco ſuo, ut retrò emineat, Spe *d.42.*

1478 *Q.263. An Judex, ſi advertat unum è litigantibus omittere aliquid, quo allegato evinceret, poſſit hoc illi ſuggerere* ? R.Poſſe, imò teneri facere dicunt Dicaſt.*de juſt.l.2.t.1.d.5.nu.* 285. & nonnulli apud Dianam, qui hanc ſententiam cenſet probabiliſſimam; Baldus putat non teneri quidem, attamen poſſe ex charitate, ſed Vaſq.Sanch.Caſtrop.*t.1.d.2.p.* 10.*num.9.* Burgh.*cont.2. caſ.94.*aliique communiter & probabiliùs dicunt peccare graviter: ſi faciat, quia debet ſe gerere tanquam perſonam publicam in omnibus & tantùm procedere ex ſcientia publica vel per partes hauſta, uti docet S.Thom.2.2.*qu.67.art.2.* deinde debet tantùm judicare ex allegatis & probatis per partes ipſas; denique debet eſſe impartialis & indifferens ad utramque partem, nec agere unius Advocatum, ergo.

1479 *Q. 264. Quid facere debeat, qui per Judicem cogitur bis ſolvere* ? R. Qui ſolvit, & probare non poteſt, quia non petiit vel amiſit apocham, ſi condemnetur à Judice tenetur iterùm ſolvere, & hoc quidem in conſcientia, uti habet communis, quia hæc ſententia Judicis eſt æqua, Suar. Burgh.*cent.2.caſ.15.* Si tamen certus ſit ſe antea ſolviſſe, poterit poſtèa uti occulta compenſatione, Sot. Leſſ. Sanch. *in Dec.l.3.c.17.n.15.*

1480 *Q.265. Quid addendum ſit circa Judicis obligationem, quando pro utraque parte litigante eſt probabilitas* ? R.ſeqq.

§.1. Putarunt Med.Salas, Sayr. Dicaſt.Diana aliique multi apud Moyam *t.1.tr.2.qu.7.n.2.& 12.* Judicem poſſe pro parte probabili ferre ſententiam, licèt contrariam judicet probabiliorem: idem cum multis aliis tenuit Mendo *d.13. à n.207.* in materiis juris, ſed opiniones illæ amiſerunt probabilitatem, quia Innoc.XI.damnavit hanc 2.prop. *Probabiliter judico Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem*. Cur autem id non poſſit, rationes afferunt Eliz.*l.6.q.21. ſ.6.*& Teril.*in Reg.q.20.aſſ.2.* 1.Quia Judex tenetur tanquam perſona publica dicere unicuique jus ſuum pro æquitate, hinc Exodi. 23.Verſ.3.dicitur Judici, *pauperis non miſereberis in judicio:* idem dicitur à S.Ambr.in Pſalm.118. Iſid.De ſummo bono l.2. item *L.Rem novam*, 14. Cod. de Judiciis, ubi præſcribitur, ut juret ſe ex majore præſidio dirempturum litem. 2.Judex habet ſe ut arbiter, qui tenetur dicere, quod ſentit. 3.Eſt tacitus contractus cum Rep.ex vi officii ſuſcepti,ut ſententiam ferat ſecundùm æquitatem & majora motiva rationum.4.Aliàs pateret ſemper janua acceptioni perſonarum, poſſet enim, prout vellet, favere amicis vel dantibus munera. 5.Princeps non teneretur ſtatuere peritos Judices,quia quivis ferè ſufficiet ex Advocatorum relationibus aut deductionibus judicare probabilitatem eſſe utrimque, tumque procedet licitè, prout volet. 6. Aliàs meliùs foret conſtituere ſortes ad terminandas lites, ſors enim faveret æqualiter omnibus,nec requireret tantas expenſas. Vide *l.1.n.360.& 364.*

Objic. Si Judex vellet, prudenter poſſet aſſentire parti minùs probabili, ſecundùm relata *l.1. num.415.* ergo etiam pro ea poteſt ſententiare. R.N.conſeq. obſtant enim rationes jam datæ.

§.2. Non tantùm Judex Superior, ſed etiam inferior te- 1481
netur ſententiare ſecundùm motiva, quæ judicat probabiliora, quamvis credat ſuam ſententiam eſſe reformandam à Superiore, ad quem appellari poterit, Arr.*t.3.d.24.nu.27.* Laurent.*t.2.tr.1.d.4. à n.48.* Et rationes jam inſinuatæ ſunt, debet enim ipſe ſatisfacere officio ſuo: & quamvis prævideat alium aliter judicaturum, non ideò licitum eſt ipſi procedere contra conſcientiam ſuam, ſed permittere debet, ut aliàs etiam ſequatur ſuam. Accedit,quòd pars adverſa fortè non appellabit: deinde fortè Superior viſa ſententia ipſius rem meliùs conſiderabit & in aliquo ſaltem favebit eidem parti, ergo. Si autem Judex Superior mandaret inferiori, ut ſententiam ferret ſecundùm opinionem, quam inferior judicat minùs probabilem, Superior autem judicat probabiliorem, ſi inferiori ſit certum, quòd ſua ſit probabilior, non poteſt obedire, quia mandatum Superioris eſt de re, quæ ſine peccato fieri non poteſt: ſi verò inferiori ſit incertum, an ſua an Superioris opinio ſit probabilior, tenetur ferre ſecundùm opinionem Superioris, quia eſt præſumptio pro Superiore, & ubi non cernitur manifeſtè peccatum, tenetur ſubditus parere Superiori, ſive ſit in materia dubia ſive in probabili, ſecundùm dicta *l.1.à n.432.* Quòd ſi Superior judicaret ſuam opinionem eſſe minùs probabilem, inferior etiam incertus, an ſua ſit probabilior necne, adhuc non poſſet obedire,quia hæc ſententia etiam eſſet illicita, Carden.*in 2.criſi diſſ.3.à n.21.*

§.3. Judex tenetur ſequi probabiliora etiam in ſenten- 1482
tiis interlocutoriis circa præparatoria litis, circa examen teſtium, citationem, confeſſionem Rei, conceſſionem termini &c. Carden. *num.62.* contrà Tap.Hoz. Laurent.*n.422.* Ratio eſt. 1. Quia damnatio non diſtinguit inter ſententiam interlocutoriam vel definitivam. 2. Quia aliàs poſſet Judex in interlocutoriis habere acceptionem perſonarum, agere ut privata perſona. 3. Id eſſet graviter damnoſum alteri parti, quia ſententiæ interlocutoriæ communiter parant viam ad definitivam, ergo ſi non licet in hac, non licebit in illis ſequi minùs probabilia.

§.4. Licèt per Judicem fieri debeat diviſio, vel per partes 1483
ipſas tranſactio, quando eſt æquale jus utrimque, uti dicetur *n.1492.* tamen dividi non debet, nequidem pro rata, quando pro uno eſt jus probabilius, & pro altero probabile,ſed totum debet adjudicari habenti jus probabilius,tum quia leges ita diſpoſuerunt, tum etiam quia cùm res verè ad unum tantùm pertineat, æquum fuit omnes in hoc conſentire, ut qui haberet jus probabilius, haberet totum.

§.5. Lumbier, & Filguera poſt damnationem relatæ pro- 1484
poſitionis adhuc docent Judicem in criminalibus ſaltem debere ferre ſententiam pro reo, etiam juxta opinionem minùs probabilem, ſed rectè docet Carden.*n.31.* diſtinguendum eſſe inter opinionem directam, & reflexam, quamvis enim directa ſæpè ſit minùs probabilis, tamen reflexa erit probabilior, v.g. pone hanc opinionem eſſe minùs probabilem, *Judex tenetur admittere appellationem in cauſa capitis*,nihilominùs non fert ſententiam ſecundùm illam opinionem directam, ſed ſecundùm iſtam reflexam, *hæc ſententia, quòd Judex teneatur admittere appellationem in cauſa capitis, eſt in praxi tenenda*, quia nempe eſt reo favorabilis, in praxi autem teneri debet ſententia reo favorabilis, ſecundùm regulas juris relatas *n.1473.* quia in dubio ſequenda ſunt benigniora ſemperque favendum reo: atque hoc ultimum judicium practicum, quod Judex ſequitur, eſt certum vel ſaltem certò probabilius. Vide etiam Lugo *de juſt.d.16.n.100.*

§.6. Si Cajus ob rationes probabiliores prætendat pro- 1485
prietatem rei, & Titius probare non poſſit poſſeſſionem legitimam, Judex ſtare debet pro Cajo, quia cùm pro neutra parte probetur poſſeſſio, judicare debet ſecundùm probabiliorem: è contrà ſi Titius probet poſſeſſionem, quamvis reſpectu proprietatis ratio ſecundùm ſe probabilior ſit pro Cajo,

debet

debet adjudicari Titio, quia certum eſt titulum legitimæ poſſeſſionis prævalere, ideoque poſſidentem non poſſe ſpoliari ob jus probabile aut ob proprietatem probabiliorem alterius : ſi tamen Judex cenſeret proprietatem hujus eſſe certam, deberet pro hoc ſtare, quia contra proprietatem certam alteri competentem nulla valet poſſeſſio , niſi præſcriptio accedat. Denique ſi convertatur uterque articulus & proprietatis & poſſeſſionis, debet fieri ſententia ſecundùm probabiliorem de proprietate, quia ubi poſſeſſio non eſt certa, & proprietas alterius eſt probabilis, debent perpendi rationes utriuſque articuli, & ſtari pro jure probabiliore, Carden.*àn.*38.

1486 §.7. Putat Eliz.§.11. nunquam licere Judici ferre ſententiam, niſi ipſemet priùs mente dijudicaverit & diſcreverit, ad quem jus pertineat : addit non ſufficere, ſi ferat ſententiam pro illa parte, quæ apparenter eſt probabilior, ſed requiri, ut verè juſtum dignoſcat, conſequenter ut tamdiu ſententiam differat, donec eluceſcat veritas, ſed Teril.*num.*21.eum rectè confutat, id enim eſſet facere lites perpetuas: neque verum eſt nos teneri ſemper operari ſecundùm verùm, ſed ſatis eſt operari, ſaltem ſecundùm probabilius, uti dictum eſt *l.*1.*àn.*298. Etiam verum non eſt, quòd operans debeat ſemper elicere judicium directum circa operabile, ſed ſatis eſt, quòd eliciat reflexum, uti dictum eſt *l.*1.*n.*387.

1487 §.8. Sententia omnium Judicum non eſt conſtringenda, neque ad ſolam majorem probabilitatem intrinſecam, neque ad ſolam extrinſecam, ſed ferri debet ſecundùm illam opinionem, quæ omnibus motivis intrinſecis & extrinſecis penſatis videtur eſſe abſolutè probabilior, Carden.*n.*11.Et Grotius de jure pacis & belli in prolog.*nu.*38.meritò damnat, ſi Judex in controverſiis definiendis ſequatur, *aut exempla pauca non ſemper probanda, aut etiam authoritatem novorum Juris-conſultorum in reſponſis, quorum non pauca ad gratiam conſulentium, non ad æqui bonique naturam ſunt compoſita.* Quod ſi pro una parte ſit minor probabilitas extrinſeca & pro ea ſint meliores rationes intrinſecæ, Judex bene intelligens poteſt ſtare pro parte habente rationes intrinſecas , quia hæ meritò intellectum ipſius magis convincent : è contrà ſi ſit Judex minùs intelligens, qui non ſatis ſciat rationes intrinſecas diſcernere, poterit præcipuè attendere ad authoritatem extrinſecam, cùm enim non ſatis fidere poſſit proprio judicio , prudenter ſtat majori parti alienorum, Carden.*n.*12.

1488 §.9. Si opinio aliqua ſit uſu recepta, quamvis ſpectata fortè ratione vel authoritate non videatur eſſe probabilior, difficilè tamen intelligitur, quomodo non videatur eſſe probabilior, uti rectè Carden. *à num.*13. nam ſi ſit recepta praxi & moribus civium, hoc ipſo eſt probabilior, imò quandoque certa, nam conſuetudo recepta ſæpè habet vim abrogandi vel inducendi legem : ſi autem ideò dicatur uſu recepta, quòd in foro externo ſoleat ſecundùm illam ferri ſententia, hoc ipſo iterum eſt probabilior, & quandoque certa , nam cenſeri debet eſſe legitima interpretatio legum, ideoque Bald. in Cap. Ne innitaris, & alii innumeri cum Moya *tr.* 2. *qu.*7. *num.* 13. dicunt, quòd recepta conſuetudo omnium tribunalium vim habeat legis, ubi deficit lex ; & quidem dicit Carden.de opinione in aliquo tribunali recepta, docentque etiam Barb. & Luca *de Benef.d.*67.*num.*7. quòd per ſolam binam judicaturam alicujus ſupremi tribunalis inducatur conſuetudo ac ſtylus judicandi.

1489 §.10. Si Judex certus ſit opinionem ſuam eſſe probabiliorem, non poteſt ſententiam ferre ſecundùm judicium aliorum etiam peritiorum aliter ſentientium, quia quando certus eſt de majori ſua probabilitate, etiam certus eſt de obligatione ferendi ſententiam ſecundùm illam, uti ex damnatione relatæ propoſ. conſtat : è contrà ſi non ſit certus, quòd ſua opinio ſit probabilior, poteſt auditis aliorum fundamentis judicium ſuum ſubjicere alieno, & judicare propter authoritatem aliorum Judicum, quòd opinio ſua ſit minùs probabilis, quia ubi non cogit evidentia veri, poteſt quis exiſtimare judicium plurium aliorum æquè peritorum eſſe melius & probabilius ſuo.

1490 §.11. Judex circa materiam Sacramenti debet ferre ſententiam ſecundùm opinionem tutiorem, quamvis de ſe ſit minùs probabilis, quia certum eſt nos debere ſequi tutiorem, quamvis directè minùs probabilem, in conferendis Sacramentis, judicium enim reflexum, quòd illa opinio ſit tum practicanda, eſt omnino certum, uti dicetur *l.*6.*p.*1.*à num.*104.ergo Judex accommodans ſe opinioni illi tutiori judicat ſecundùm opinionem certam ; Carden.*àn.*43.

1491 §.12. Quod dictum eſt de Judice, valet de Principe quoad indictionem belli vel impoſitionem tributorum , nempe ut partem probabiliorem ſequatur, Vaſq.Sanch.Mendo Moya *tr.*1. *qu.*7. *num.*11. Ratio eſt , 1. quia etiam ſub ſimili pacto ſuſcepit adminiſtrationem. 2. In his cenſetur eſſe conſtitutus à populo velut Judex, qui probabiliora tenetur ſequi. 3. Subditi ſunt in certa poſſeſſione ſuarum rerum, ergo ob bella vel tributa privandi non ſunt ex ratione probabili principis, ſi pro poſſeſſione ſubditorum ſit probabilior ; quia tamen circa hæc vix haberi poteſt certitudo, ne Reſp. exponatur certis periculis, ſatis eſt, ſi Princeps amplectatur hoc, quod ſibi auditis aliorum judiciis & expenſis omnibus videtur probabilius, Moya *n.* 8. 4. Non eſt licitum ferre ſententiam ſecundùm minùs probabilem, uti hactenus dictum eſt, ergo multò minùs licitum eſt exequi ſententiam, bellum autem vel exactio tributorum eſt quædam executio ſententiæ, ergo. 5. Plerique admittunt ſaltem in quæſtionibus facti procedendum eſſe ſecundùm probabiliora, uti dicetur *n.*1493. ſed quæſtiones circa bellum & tributa ordinariè ſunt facti, v.g.an facta ſit injuria, data cauſa ſufficiens &c. an tributa ordinaria ſufficiant &c. ergo. Vide dicta *l.*3.*p.*1.*n.*869.item Camargo *p.*1.*l.*2.*controv.*4.*à nu.*643.& Terill.*in Reg.q.*20.*à n.*36.

§.13. Si jus duorum ſit æquè probabile, Judicem poſſe 1492
adjudicare cui volet, docuerunt multi cum Diana *p.*2.*tr.*13. *Reſ.*3. quam ſententiam Carden. *in* 1.*criſi d.*64. *cap.*5. vocavit valde probabilem : Idem dixit Illſ.*t.*1.*d.*1.*à num.*84. quando utriuſque partis rationes ſe probabiliter invicem vincunt ; & neutrius eſt certa victoria, nec à lege determinatur, cui ſit adjudicandum. Caſtrop.*tr.*1.*d.*2.*p.*10.*num.*2. dixit, ſi partes ſint certò æquè probabiles, pro neutra determinatè eſſe judicandum , ſed dividendum, aut aliter tranſigendum : ſi autem tantùm probabiliter ſint æquè probabiles, putavit *nu.* 5. cum aliis multis dari locum favori , quia in jure dicitur, utile eſſe in arbitrariis habere Judicem gratioſum , ideoque dicuntur aliqui caſus eſſe pro amico : ſed cùm hæc videantur intelligenda tantùm pro caſibus, in quibus non agitur de juſtitia commutativa nec de præjudicio tertii, verùm tantùm de favore uni adjudicando, vel denegando, oppoſitum videtur probabilius ; & abſolutè tenendum cum Bann.Suar. Gran.Con.Laym.Buſemb.aliiſque plurimis, 1. Quia aliàs daretur locus acceptioni perſonarum. 2. Pauperes plerumque caderent cauſa, quia voluntas in obſcuris poteſt multùm inclinare intellectum , ideoque facilè fiet , ut Judex ſentiat rationes eſſe æquales, & tum decernat pro eo, cui favet. 3. Judex non ageret tanquam perſona publica, ſed velut privata , & cum continuo reſpectu ad circumſtantias commodorum ſuorum, amicorum, inimicorum, &c. 4.Poſſet Judex eandem cauſam inter diverſas partes agitatam diverſimodè decidere, quod eſſet evertere, vel confundere modum ordinarium judiciorum, in quibus pro ſimilibus caſibus eſt ſimiliter decidendum. Rationes plures videri poſſunt apud Eliz.§.10.

§.14. Jam dicta valent, quando eſt major probabilitas, 1493
non tantùm juris, ſed maximè facti, uti communiter notant omnes, ita ut oppoſita ſententia aliquorum apud Teril.*de Conſc. qu.*23.videatur improbabilis, uti rectè Illſ.*nu.*82. Excipe tamen caſus, in quibus leges favent uni præ alio, uti favent reo in lite circa Matrimonium , dotem, libertatem, poſſeſſionem, pupillum, peregrinum, viduam, cauſam piam *ex c.fin. de Sent. & re judic.* Tum autem dicitur probabilitas juris, quando motiva petuntur ex legibus, conſuetudine, Doctoribus, ratione connexa cum re ipſa ; facti, quando petitur ex fama, teſtibus, ſcriptura aliiſque ſignis.

§.15. Certum eſt ſtante æqualitate rationum non licere 1494
acceptare munera pro ſententia in favorem unius ferenda, nam Alex.VII. damnavit hanc 26. propoſ. *Quando litigantes habent pro ſe rationes æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio :* Vide Mendo *diſſ.*6.*àn.*50. Si tamen uni adjudicaret, deberet alter in foro externo acquieſcere, niſi appellaret, aut probare poſſet factum iniquum, quia præſumetur judicem tuliſſe ſententiam ſecundùm hoc, quod putabat eſſe probabilius : in conſcientia tamen teneretur ſatisfacere parti læſæ. De acceptione munerum dicentur plura *àn.*1499.

§.16. In lite circa beneficia Eccleſiaſtica, quando eſt 1495
æqualitas rationum, tum maximè poteſt Judex facere compoſitionem, ſecundùm dicta à *num.* 556. aut etiam adhibere ſortes, uti dictum eſt *num.*558. Quòd ſi partes nec in compoſitionem, nec in ſortes conſentire velint, & maneat rationum æqualitas, poteſt beneficium applicare, cui volet, quia ita habet conſuetudo Eccleſiæ, cùm beneficium dividi non debeat.

§.17. Si Judex putet opinionem pro una parte eſſe moraliter certam, non poteſt ſuadere compoſitionem, quantumcunque magna appareat probabilitas pro parte altera, ſed tenetur adjudicare parti habenti moralem certitudinem, quia compoſitio tum tantùm habet locum, quando jura ſunt controverſa, & incerta, Card.*in* 2.*criſi d.*3.*n.*10.

An Judex poſſit punire operantem ſecundùm opinionem minùs probabilem, vide Card.*in* 1.*criſi d.*15.*c.*15.*a.*4.

*Q.*266. *An Judex punire poſſit probabiliter tantùm no-* 1496
cen-

centem ? R. Si quis ſit accuſatus, & non ſufficienter convictus, non poteſt affici pœna ordinaria, Leſſ. Sanch. Lugo *de Juſt.d.37.ſeſ.12. Nec obſtat*, quòd Judex ex probabilibus indiciis, judicare poſſit eum eſſe reum, *nam* ad ſententiam publicam & externam requiruntur plura, uti rectè Lugo *d.14.n.30.* cum ex hac ſequantur longè majora incommoda, & quoad hanc teneatur obſervare leges, quæ vetant damnari niſi plenè convictum. Putant tamen Leſſ. & Lugo *n.28.* ad leviorem pœnam imponendam ſufficere Judici probabilitatem, v.gr. unum teſtem, ſicuti ad torturam ſufficit; ſed in hoc eſt diſparitas: nã tortura non infligitur per modum pœnæ, ſed adhibetur ut medium indagandæ veritatis: ideoque dicunt alii illum, qui probabiliter tantùm probatus eſt reus, nulla pœna affici poſſe, quia de nullo crimine convictus eſt. Leges autem volunt eum præſumi innocentem, qui clarè non probatur nocens, cùm pro ejus innocentia ſit certa poſſeſſio, quam non elidit probabilitas in oppoſitum; & hæc ſententia videtur probabilior.

1497 *Q.267. Si duo ſint Rei mortis: an ſupremus Princeps poſſit ad recreationem ſpectatorum eis imperare duellum* ? R. Meritò negant Maj.Comit.Az.Laym.Burgh. *cent.2.c.13.* quia abutetur poteſtate ſua ad delectationem hominum. *Nec obſtat*, quòd licitè poſſit utrumque morte plectere, ac hunc utrumque videatur ſtatuere miniſtrum juſtitiæ reſpectu alterius, *nam* modus ille plectendi, & adminiſtrandi juſtitiam eſt ſcandaloſus. Poſſe tamen reos acceptare tale duellum, diximus *l.3.p.1.num.839.*

1498 *Q.268. An Judex teneatur reſtituere pretium, quod accepit pro ferenda ſententia* ? R. Si accepit pro ſententia juſta, tenetur reſtituere ſecundùm dicta *l.3.p.2.à.n.293.* quia hæc erat litiganti aliunde debita, ergo pro ſuo pretio nihil accepit alienum. Si accepit pro ſententia injuſta, de jure naturali non eſſe reſtituendum docent S.Thom. *in 4.diſt.15.qu.2.art.4.quæſt.2.* Bann.2.2.*q.62.art.5.d.3.* Sanch. *lib.2.cap.38.num.96.* Sot.Nav. Corr.Valent.Molin.Tol.Leſſ. Lugo *d.37.num.127.* aliique plurimi cum Moya *T.1.tract.6.d.4.qu.2.ſ.1.* & Vindice Tab. *in collect.ad prop.10.* quia non tenebatur ad illam ſententiam injuſtam, hæc autem actio eſt utilis litiganti, & injuſtus Judex ratione illius ſubit magnum periculum, præſertim famæ, ſi de injuſtitia convincatur, ſubire autem pro altero tale periculum ad cauſandam ei utilitatem eſt pretio æſtimabile, ergo. Nec de jure poſitivo reſtituendum eſſe tale pretium, docent S. Anton.Silv.Nav.& communiter Thomiſtæ apud Moyam *à num.8.* idem tenent Trull.Verric.Ang.Val.Rebell.Tol. Molin. Laym. Leſſ. aliique cum Moya *à n.13.* & videntur conſentire plerique pro 1. parte citati, quia abſolutè negant obligationem reſtituendi. Ratio autem dari ſolet, quia leges non videntur reddere accipientem inhabilem; litigans autem cenſetur velle transferre dominium propter utilitatem ſibi obvenientem. *Si dicas*, retineri non poſſe pretium acceptum per uſuram, vel ſimoniam, ergo nec acceptum propter injuſtam ſententiam: *Dant* diſparitatem, quòd in uſura deficiat voluntas donandi, ideoque non transferatur dominium; in ſimonia autem, vel res ſit invendibilis, vel vendens reddatur inhabilis ad acquirendum dominium pretii; neutrum autem obſtet in caſu noſtro. Vide dicenda in *qu.ſeqq.*

1499 *Q.269. Quid circa acceptationem munerum ſit prætereà notandum* ? R.Seqq.

§.1. Lugo *de juſt.d.37.n.129.* & Haun. *T.5.tr.2.n.61.* docent omni Judici de jure naturæ illicitum eſſe acceptare munera in ea quantitate, quæ de ſe apta eſt, & ut plurimùm inducit corruptionem judicii, quia ſi id liceret huic, vel illi, præjudicaret bono communi, cùm quiſque ſibi facilè, & falsò perſuaderet ſe eſſe incorruptibilem, quod graviſſimè noceret publico, quidquid ſit de illa ratione, ſaltem jure poſitivo in conſcientia obligante prohibetur, ne dentur vel à judice acceptentur munera, Exod.23.V.8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum.* Idem dicitur Deut. 16.V.19.& Eccli.20.V.31. Idem prohibet jus Canonicum *cap. 10. de vita, & honeſt.Cleric.* Similiter jus civile *l.28.ff. de off. Præſid.* Eſtque prorſus irrita ſententia lata ob acceptum pretium illicitum, *l.7.Cod. Quando provoc.non eſt neceſſ.* Et ideò peccant mortaliter Judices contravenientes his præceptis, Lugo *num.131.* Dicaſt. *de reſtit.d.6.nu.75.* Haun. *n.59.* Et licèt Judex ſibi omninò perſuadeat ſe non ideò corrumpendum, ac firmiſſimè proponat non recedere à juſtitia, tamen tenet prohibitio: & mirum eſt, quid non poſſint occulta vi ſua ejuſmodi largitiones, nam ſaltem ex motivo gratitudinis reddunt animum propenſum danti, movent ad referendam gratiam, & voluntas in dantem propenſa facit, ut intellectus magis ſe applicet, ac attendat ad rationes hujus partis, ſicque paulatim totus animus ad hanc partem deflectit, & veluti invitus, aut non advertens trahitur ad partiale judicium: quod maximè verum eſt in illis Judicibus, qui non agnoſcunt hoc occultum periculum perverſionis. *Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones*, inquit Iſaias *c.1.* V. 23. quod ita explicat Innoc. III. Papa *De contemptu mundi l.2.c.3. Non ipſi præcedunt retributiones, quia non judicant amore juſtitiæ, ſed retributiones præcedunt ipſos, quia judicant amore pecuniæ, ſemper enim ſequuntur largitionem, vel promiſſionem, vel ſpem.* Et cap.4. contra reſpicientes perſonam hominum ait, *Væ vobis, qui corrupti prece, vel pretio non attenditis merita cauſarum, ſed merita perſonarum; non vitam, ſed munera, non juſtitiam, ſed pecuniam, non quod ratio dictet, ſed quod voluntas affectet, non quod lex ſentiat, ſed quod mens cupiat, non inclinatis animum ad juſtitiam, ſed juſtitiam inclinatis ad animum; non ut quod liceat, hoc libeat, ſed ut liceat hoc, quod libet.* Addit c.5. *Sæpe juſtitiam tantùm differtis, per quod litigantibus plus quàm totum aufertis, quia major eſt ſumptus expenſæ, quam fructus ſententiæ ∴∴. pecuniam captatis, ſed animam captivatis.*

§.2. Si munera dentur, ut Judex majorem diligentiam adhibeat, quàm teneatur, vel ut afficiatur magis ad celeriùs expediendum intrà juſtitiæ limites negotium in favorem dantis, vel ſi dentur ob alium extraordinarium laborem, ſpectato jure naturæ poſſent acceptari, uti rectè Lugo *num.124.* & Dicaſt. *num.71.* attamen adhuc lege poſitiva prohibetur ob mala, & damna communiter adjuncta, Moya *T.1.tract.6. d.4.qu.3.num.8.* & alii contra Verric. & Dianam *p.3.t.5. R. 45.* qui falsò citat pro ſe Mol. & Leſſ. non enim excuſant à peccato, ſed tantùm ab obligatione reſtituendi, de qua dicetur *num.1502.* Idem Verric.excuſat, ſi Judex recipiat, non ratione officii, & ut Judex, ſed ex amicitia, & videntur conſentire Sanch.Haun. Lugo *nu.132.* dicentes licere acceptare, ſi non dentur, ut Judici, ſed alio titulo: nihilominus hi intelligunt, ſpectato jure naturæ, nam jus poſitivum potuit etiam prohibere ob periculum fraudulentorum prætextuum, ac pervertendæ juſtitiæ. Etiam excuſat Verric. ſi offerens ſit perſona digna, & meritò conqueretur tanquam de injuria, ſi donum recuſetur: ſed id non facilè erit, ſi quis ſincerè ſe excuſet. Quòd ſi plures ſint, quorum cauſæ æquè citò expediri debeant, ita ut in Judicis arbitrio ſit, quam priùs expediat, ſi ex pacto pro munere expediat priùs hanc quàm illam, Laym. *l.3.t.4.c.4.n.9.* meritò dicit rem iſtam periculo non vacare, attamen ſpectato jure naturæ non audet damnare, quia per hoc non facit aliis injuriam, in gratiam autem remuneratoris ſuſcipit novam obligationem priùs expediendi ejus cauſam, quæ obligatio eſt utilis remuneranti, & videtur pretio æſtimabilis, nihilominus etiam hoc videtur eſſe jure poſitivo illicitum ſecundùm antedicta: Quamvis fatendum ſit quoad illa omnia attendi poſſe ad prudentum, & proborum hominum uſum, qui leges illas potuit interpretari: hoc certum eſt, quòd etiam jure naturæ ſit illicitum ob munus acceptum poſtponere cum damno cauſas eorum, qui diutiùs expectarunt, & citiùs expediri deberent, Lugo *n.125.* Haun. *n.58.*

§.3. Notat rectè Molin. *de Juſtit.T.1.tract.2.d.88.* etiam præſcindendo à lege poſitiva prohibente, ſæpè per acceptionem munerum peccari, vel ratione ſcandali, quia ipſimet dantes credunt Judices inflecti, alioquin non darent, vel ratione periculi pervertendæ Juſtitiæ, ſecundùm dicta *n.1499.* vel ſaltem quia ex parte dantis deeſt voluntarium, quantum requiritur ad transferendum dominium, plerumque enim dant, quia timent, ne Judex alioqui plùs faveat parti adverſæ, aut moras trahat: quod maximè valet, ſi munera dentur lite pendente, eò quòd litigantes ſibi perſuadeant Judices, & Officiales aliter non præſtituros, quod ex juſtitia debent, Sanch. *in Conſ.l.3.d.2. num.24.* Sot.aliique communiter apud Moyam *num.3.*

§.4. Probabile eſt illa, quæ à judice accipiuntur ex donationibus jure naturæ validis, ſed jure poſitivo illicitis, non eſſe in foro conſcientiæ obnoxia reſtitutioni ante ſententiam condemnatoriam, ita abſolutè docent Mol.Leſs.Vaſq.Villal. Fagund.Lugo *num.134.* Dicaſt. *num.28.* Diana apud Moyam *à num.5.* Haun. *num.60.* contra Med.Silv. & alios. Ratio eſt, quia leges accipientem non reddunt inhabilem ad acquirendũ dominium, imò licèt fortè lex habeat, quòd teneantur ante ſententiam reſtituere, tamen Lugo *num.135.* & Haun. ſuprà putant non obligare ante ſententiam declaratoriam delicti. Similiter quamvis Sanch. *dub.1. num.5. dicat* Secretarios Judicum ex juramento teneri etiam ante ſententiam reſtituere quadruplum illius, quod acceperint, hoc tamen negant Moya *num.14.* & alii dicentes prærequiri ſententiam ſaltem declaratoriam delicti. Certum eſt autem ea, quæ ad redimendam vexam, aut ſententiam injuſtam, aut aliter involuntariè data ſunt, reſtituenda eſſe ante omnem ſententiam, quia invitis dominis ſunt accepta, ideoque non eſt translatum dominium: & idem eſt, ſi accipientes per legem alicubi expreſsè reddantur inhabiles ad acquirendum dominium, uti notant omnes cum Sanchez. Et hoc fieri videtur per *cap.Statutum, de Reſcript.*

ſcript.in 6.ſ.Si quid, ubi dicitur, ſi Judex à Sede Apoſtolica delegatus aliquid recipiat, teneri reſtituere, non obſtante remiſſione ejus, qui dedit. Denique notant Mol.& Dicaſt. *n.*84. bene fieri, ſi Confeſſarii obligent Judices, & alios ſimiles munera acceptantes, ut pro pœnitentia largiantur pauperibus, ut carentes commodo, impoſterum caveant tranſgreſſionem legum id prohibentium.

1503 §.5. Laym.ſuprà ait, ſi judex, Tabellio, advocatus, &c. à Rep. conſtituti ſint abſque ſtipendio ſufficiente, quamvis ex juſtitia obligentur ad præſtandam operam, tamen non obligari præſtare gratis, ſed poſſe mercedem exigere, hinc Lugo *n.*125.& Haun.*n.*58.excuſant, ſi acceptent aliquid in ſupplementum ſalarii, & hoc ſit conſuetudine approbatum; ſed notant rectè Mol.& Dicaſt.*n.*67. idem non facilè permittendum, quia aliunde alia habent, quæ defectum ſupplent, & eſſent plures alii, qui taxato ſtipendio contenti id facerent: neque æquitas ſtipendii æſtimari debet ex indigentia familiæ alendæ, ſed ex opere, quod præſtatur, & arbitrio prudentum, Mol. Dicaſt.*num.*66.

1504 §.6. Longè graviùs adhuc prohibentur omnia munera danda in Curia Apoſtolica pro juſtitia, vel gratia obtinenda, uti dictum eſt *l.*2.*p.*1.*num.*170. poteſtque videri etiam Haun. *à num.*66.

1505 §.7. Leviora munuſcula, in quibus corruptionis periculum non eſt, & quæ ex urbanitate offeruntur, nec niſi inurbanè recuſari poſſunt, licitè acceptantur, quia ceſſat ratio prohibitionis, Lugo *n.*132. Haun.*n.*62. Hinc *cap.Statutum de Reſcript. in 6.l.*18.*ff de off.Præſ.* permittitur eſculentum, vel poculentum, quod intrà dies proximos conſumi poteſt.

DUBIUM III.

Quid ſit officium Advocati.

1506 „ SUppono ſecundùm omnes, in Advocato quatuor re-
„ quiri, ſcilicet ſcientiam convenientem, juſtitiam
„ cauſæ, fidelitatem, & pretium juſtum: quod ſi taxatum
„ eſt, non licet ultra hoc accipere: ubi non eſt taxatum, ſuffi-
„ ciet juſtum naturale, *ut apud* Bon.

„ Reſp.I. Non poteſt ſub gravi peccato ſuſcipere cauſam,
„ quam ſcit eſſe injuſtam. Ex cauſis autem civilibus in utram-
„ que partem probabilibus, & dubiis, poteſt utramvis, etiam
„ minùs probabilem tueri, dummodò cliens de minore proba-
„ bilitate moneatur. Vaſq. Salas, Lugo, Dian.*p.*2.*tr.*13.*R.*4.
„ quia utraque pars habet jus proferendi ſuas rationes in judi-
„ cio, ergo etiam Advocatus patrocinandi. Neque ſemper
„ eſt verius, quod videtur probabilius; & fortè aliud erit judi-
„ cium judicis. Bon.*de pec.d* 2.*q.*4.*p.*9.*& tom.*2.*in præcept.d.*
„ 10.*q.*3.*p.*4.*v ſupra l.*1.*tr.*1.*c.*2.*dub.*2.

„ Dixi, *Civilibus*: quia in cauſa criminali dubia, non licet
„ tueri partes actoris, qui in tali caſu graviter peccat contra
„ Reum, ergo etiam Advocatus, Fill *tr.*40.*c.*1. Neque quan-
„ do actor contra poſſeſſores agens ſcit ſe nihil poſſe evincere,
„ ſed rem manſuram ſemper dubiam, quia tunc injuſtè vexatur
„ poſſeſſor; pro quo tandem judex debebit judicare, ut V.
„ Salas *in* 1.2.*d.*1.*f.ult.n.*108. Lugo *d.*41.*n.*7.

„ Reſp.II. In cauſa criminali, poteſt Reum etiam ſontem
„ defendere, ut mortem aliamve pœnam evadat, quia Reus
„ non tenetur ad pœnam, niſi convictus, ergo poteſt per ſe, vel
„ alium eam avertere, donec convincatur, Bon.*n.*7.

„ Reſp.III. Advocatus tenetur pauperibus in extrema, vel
„ gravi neceſſitate, gratis patrocinari, ſine notabili tamen
„ ſuo incommodo: Ratio, lex charitatis. Nav.Cajet. Leſſ.
„ Fill.Bon. *loc.cit. Undereſolves*,

„ I. Advocatus, qui ſciens patrocinatur cauſæ injuſtæ, te-
„ netur ad compenſationem omnium damnorum inde conſe-
„ quentium. Unde parti contrariæ reſtituere debet ex pecca-
„ to commiſſionis; quia fuit illi cauſa poſitiva damni; (ſimili-
„ terque ſi cauſam dubiam tueatur, eamque obtineat fraude,
„ quia intercedit injuſtitia, ratione partis adverſæ) Clienti
„ verò ſuo, tenetur reſtituere ex peccato omiſſionis, quia ex
„ officio tenebatur monere ignorantem cauſæ injuſtitiam.
„ Quod addo, quia ſi clienti conſtabat cauſæ injuſtitia, non
„ tenetur illi reſtituere, Bon.*p.*4. Leſſ.*l.*2.*c.*31.*d.*8. Fill.Laym.
„ Tan.*q.*4.*dub.*6.*n.*127.

„ II. Similiter peccare, & ad reſtitutionem teneri, quando
„ defendit articulum juſtum cauſæ injuſtæ, ut ſic adverſa-
„ rium vexet, impediat, differat, aut pervertat, docet
„ Trul. *l.*8.*c.*5.*d.*3. ex Caj.Sayr.&c. quia cenſetur defendere
„ cauſam injuſtam.

„ III. Quando cauſa nihil ferè habet probabilitatis, ita ut
„ vix moraliter ſit ſpes obtinendi, eò quòd apud judices ſem-
„ per rejiciatur, regulariter non licet ſuſcipere, tum quia fa-
„ cit, ut cliens ſine fructu tempus, & pecuniam perdat; tum
quia talis communiter non habetur probabilis, Lugo *d.*41. „
Quando autem cliens habet bonum jus in cauſa poſſeſſionis, „
non tamen in proprietate, an liceat Advocato eum defende- „
re in cauſa poſſeſſoria (dum de proprietate non agitur) qui- „
dam affirmant, negant alii, V.Fagn.*in p.*8.*c.*47.*n.*13.*tom.*1. „
*t.*2.*d.*81. Lugo *n.*30. „

IV. Advocatus, antequam patrocinium cauſæ ſuſci- „
piat, tenetur examinare ejus æquitatem, & probabilitatem „
eamque clienti indicare ſincerè: ſi enim falſa promiſſione, „
vel inani ſpe victoriæ, ſumptibus involvat, tenetur ad reſti- „
tutionem, Bonac.*De pec.d.*2.*qu.*4.*p.*9. uti & ſi qualitatem, „
ac ſtatum cauſæ, ſeu periculum ejus perdendæ indicare ne- „
glexerit, & cliens eo cognito litigaturus non fuiſſet. Quòd „
ſi dubium ſit, an eo caſu litem proſecuturus fuiſſet, neque „
id ulla diligentia cognoſci poſſit, non teneri Advoca- „
tum ad damna reſarcienda, docet Bard. *d.* 4. *cap.* 29. „
quòd melior ſit conditio poſſidentis, dum de damno illato „
non conſtat. „

V. Si clientis cauſam minùs probabilem dicat eſſe omni- „
nò juſtam, tenetur de damno, ſi cliens cognito cauſæ dubio, „
non fuiſſet litigaturus, Bon.*l.c.* „

VI. Si in progreſſu cauſæ iniquitatem videat, tenetur „
mox monere clientem, & ſuadere, ut deſiſtat, aliàs ad re- „
ſtitutionem damnorum obligabitur, quia cùm ſtipendio ſit „
conductus, tenetur ex juſtitia monere, Tann.*l.c.* Neque po- „
teſt vel ipſe, vel Judex ſuadere compoſitionem cum damno „
partis, quia compoſitio non habet locum, niſi quando res „
eſt dubia. Si verò inducat ad tranſactionem ſine damno, „
deceptione, vi, & metu, non tenetur; quia nulli facit in- „
juriam. Valent.Azor.Leſs.Laym.Bon.*l.c.* „

VII. Non poteſt abſolvi, qui paratus eſt quaſvis cauſas „
defendendas ſuſcipere. Sayr.*l.*12.*c.*23.*n.*18. „

VIII. Non licet cum cliente convenire de pretio poſt in- „
choatam litem, ſed vel ante cœptam, vel poſt finitam, ex „
cap. Infames 3.*qu.*7. quia poſtquàm ſua inſtrumenta oſten- „
dit, cogetur quolibet pretio ſtare, ne prodatur. Nec li- „
cet paciſci de parte aliquota verbi gratia, dimidia, tertia, vel „
quarta litis, pro pretio, ſi victoria obtigerit; quia id gra- „
viter prohibetur. *L.Sumptus ff. De pactis L.Item cap. De* „
proc.cap.Arcentur 3.*q.*7. *L.Si qui, Cod. de poſt.* Ratio eſt, ne „
præbeatur occaſio per fas, & nefas procurandi victoriam: „
Hoc tamen caſu non obligatur ad reſtitutionem, ſi juſtum „
pretium non excedat, & dolus, ac fraus abſit. V.Sylv. V. „
Advocatus Nav.*c.*15.Fill.Laym.Bon.Sanch.*l.*6.Conſil.*c.*7.*d.* „
9.*n.*3.*&* 7. Lugo *l.c.* „

IX. Peccat Advocatus 1. Si cum non ſit idoneus, officium „
Advocati exerceat, & patrocinetur, L. Nemini, *ff. De* „
Advoc.S.Thom.2.2.*qu.*71. Eſtque peccatum ex genere ſuo „
mortale. 2. Si defendat cauſam injuſtam ſecundùm dicta „
R.1. 3. Si ob nimias dilationes, illicitas ſubornationes te- „
ſtium, &c. notabiliter officiat parti adverſæ, habenti aliàs „
juſtam cauſam, &c. Vid. Nav.*c.*25. Fill.*t.*40.*c.*10. 4. Si utri- „
que parti patrocinetur; quia repugnat, ut utramque par- „
tem æquè defendat. Sylv.Sanch. *d.* 7. In diverſis tamen „
cauſis, ſecluſo ſcandalo, non repugnat. 5. Si in eadem „
cauſa, in qua eſt Judex, vel Aſſeſſor, agat Advocatum, „
quia duo officia contraria in eadem cauſa exercere non li- „
cet, Sylv. V. Advoc. *qu.* 2. 6. (tametſi defendat cauſam „
juſtam) producat ſcripturas, vel teſtes falſos, aut inſtru- „
menta: non tamen peccat, ſi in cauſa manifeſtè juſta ad- „
verſarium decipiat, dummodò nulla utatur falſitate, v.gr. „
allegando falſa, &c. S.Thom.2.2.*qu.*71.*art.*3. Sylv. Sanch.*d.*8. „
Trull.*l.c.*7. Si adducat leges falſas, vel abrogatas, vel doctri- „
nam reprobatam, vel leges bonas in falſos ſenſus ſciens pru- „
dens detorqueat. 8. Si in gravamen alterius partis quærat di- „
lationes ad rem non facientes, v.Fill.Trull.*l.c.* 9. Si accipiat „
mercedem injuſtam. Quando autem à lege pretium nullum „
taxatum eſt, cenſetur illud juſtum, quod habetur tale judi- „
cio prudentum, attenta qualitate negotii, dignitate, ſcien- „
tia, peritia Advocati, & labore, quem impendit, ac demum „
conſuetudine approbata. V.Trull.*l.c.d.*5. 10. Si contractum „
uſurarium, vel aliter iniquum ſuadeat, aut probet. 11. Si le- „
ges, ſtatuta, & conſuetudines patriæ ignoret, (unde ſi grave „
damnum clienti obveniat, tenetur compenſare) vel intelli- „
gere non ſtudeat. „

X. Peccat Advocatus contrà juſtitiam, ſi rationes, & „
fundamenta clientis, quem juſtè defendit, vel ſecreta cau- „
ſæ, detegat adverſario, ut ex aliis probat Fag. *in p.*8. *c.*47. „
*num.*13.*v.* etiam Lugo *nu.*6. teneturque ad reſtitutionem, ſi „
eam ob cauſam cliens cauſam perdidit, victurus aliàs, quia „
fecit contra officium; nec adhibuit diligentiam ad cauſam „
obtinendam in favorem clientis, Azor.Fill.*&c.ll.cc.* Limi- „
tant tamen aliqui, niſi periculum ſit, ne pars adverſa grave „
damnum iniquè patiatur; quia, ajunt, quilibet, poteſt ſi- „

ne „

„ ne ſuo damno grave damnum alterius prohibere. V. Leſſ. *l.*2. „ *c.*31. Az. Reg. Fill. Laym. *l.*1. *t.*1. *c.*5. *n.*28. Verùm hanc limitationem cum *S. Th.* alii non admittunt, niſi fortè reus capite „ plectendus eſſet, & accuſator injuſtè procederet: tunc „ enim, ajunt, Advocatus accuſatoris debet falſitatem prodere; ſi tamen ſpes eſſet profuturum, accuſatore priùs monito, ut deſiſtat. V. Lugo *l.c.*

„ XI. Advocatus, ſi cauſarum expeditiones, cum præjudicio clientum, differat, poſtponat, vel plures acceptet, quàm „ expedire poſſit, peccat, ac tenetur ad reſtitutionem; uti & „ omnium damnorum, quæ per ejus imperitiam, malitiam, vel „ negligentiam, cliens, aut actor incurrit, non tamen tenetur „ in omnibus cauſis adhibere eandem diligentiam, ſed majorem, vel minorem, pro cauſæ qualitate. V. Fill. Bon. *t.*2. *in* „ *præc.*8. *d.*10. *q.*3. Leſſ. *l.*2. *c.*39. *d.*9. Laym. *l.*1. *t.*1. *c.*5.

ADDENDA.

1507 Q*Uæſt.*270. *Quid circa Advocatum ſit prætereà notandum?* Reſp. ſeqq.

§. 1. Poſſe Advocatum patrocinari cauſæ minùs probabili, præter citatos à Buſemb. tenent Nav. Az. Sanch. Leſſ. Præpoſ. Laym. Caſtr. Mendo *d.*17. *à n.*219. Illſ. *t.*1. *d.*1. *n.*85. Laur. *t.*2. *tr.*1. *d.*4. *à n.*373. E contrà non poſſe dicunt Silv. Val. Arr. *t.*3. *d.*24. *ſ.* 5. *n.*27. Eliz. *l.*7. *qu.*6. *ſ.*3. Burgh. *cent.*3. *caſ.*65. ſaltem ſi certus ſit oppoſitum eſſe probabilius, & credat ſe victurum, quia directè intenderet, ut Judex decideret hoc, quod eſt minùs probabile; item ut ſuus Principalis cauſam obtineret cum minore jure, quæ ſunt illicita. Prior ſententia eſt communior, & videtur eſſe tuta, quia tantùm proponit argumenta partis, & cætera relinquit Judici, qui fortè prudentiùs ex aliis etiam motivis cenſebit hanc partem eſſe probabiliorem.

§. 2. De Advocatis dicit Eliz. *l.*6. *q.*21. *Quorum certè, ſi quod aliud in Rep. ∴ periculis laqueiſque plenum munus arbitror ∴ plerique ipſorum utrivis partium adeſſe parati, aliud vix agunt, quàm jura confundere, & quòd nemo habeat, quod ſuum eſt, aut ſerò habeat, & habeat quaſi emptum, ac poſt tribulationes plurimas.* Canus *l.*10. *de locis c.*9. ait, *Cùm lites inundatione ſua orbis Chriſtiani fines pervaſerint, miſcuerint, confuderint, neceſſe eſt eos honore ſummo affici, qui jurgiorum componendorum dicuntur eſſe periti; componat necne, ipſi viderint, hoc nos certè videmus, minus ibi eſſe litium, ubi minus eſt hujus generis litteratorum.* Daniel Eremita *de vita aul. & civil. l.*1. *c.*13. ait, *Nec ferenda fori illa tabes, & advocatorum peſtis, quæ fortunas civium arrodit, & hoc agit, ut mali plus à medicina, quàm à morbo ſit.* Plinius *l.*2. *Epiſt.*3. fatetur, *Nos qui in foro litibus conterimus ætatem, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiſcimus.* Videri poteſt etiam S. Aug. *epiſt.*54. ubi ſub finem Advocatos alloquens ait, *Redde quod accepiſti, quando contrà veritatem ſtetiſti, iniquitati adfuiſti, Judicem fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate vinciſti.* Hæc de malis Advocatis dicta ſint.

DUBIUM IV.

Quæ ſit obligatio Referentis, Secretarii, Notarii, Procuratoris.

1508 „ REſp. Tenentur ii omnes juſtè fideliterque exercere „ ſuum officium, ſive ex debito muneris tantùm, „ ſive etiam ex juramento: Item tenentur ſcire ea, quæ ad ſuum „ officium ſpectant, debitamque diligentiam adhibere, præ„ ſtando omnia neceſſaria, terminos juſtos petendo, & appellando, cum fuerit neceſſarium. Bon. Eſcob. *& commun.* „ *Unde reſolvuntur ſequentes Caſus:*

„ I. Peccant, ſi odio, vel amore, ſpe vel timore, abutantur officiis ſuis; ſi ſecreta ſervãda non ſervent, ſi partibus, vel „ earum ſollicitatoribus, aliiſve tradant proceſſus, vel ſcripturas originales, quas non debent; accipiant ſtipendium majus „ juſto, vel ultra pretium taxatum, ſi lites iniquas ſuadeant, &c.

„ II. Referens peccat. 1. Si defectu ſtudii, vel per incuriam „ malè referat, vel aliquid ſubſtantiale prætermittat. 2. Si ſit „ partialis, coneturque unius partis juſtitiam magis quàm alterius explicare. 3. Si ſententiam alterutri parti manifeſtet, „ priuſquam evulgetur, unde poſſint gravia incommoda ſequi, „ v.g. Judex recuſari, &c. V. *Eſcob.*

„ III. Secretarius peccat. 1. Si juramentum violet. 2. Si arcanum prodat. 3. Si ſententiam nondum publicatam manifeſtet. 4. Si proceſſus, aut ſententiam non cuſtodiat, vel „ partibus, ſine præſcripto Judicis oſtendat. 5. Si teſtimonia „ non fideliter tranſcribat, ſive exaggerando, vel imminuendo; „ ſive immutando, aut invertendo. *Eſcob.*

„ IV. Tabellio, ſive Notarius publicus peccat, 1. Si ſine „ ſufficienti peritia, (v.g. clauſulas communes, &c. ignorans) ſuſcipiat officium. 2. Si juramentum violet. 3. Si in depoſitione teſtium aliquid addat, vel detrahat, non levis momenti. 4. Si miniſtro tranſcriptori (cum erroris periculo) examen committat. 5. Si protocolla, & acta negligenter cuſtodiat, cum damno partium. 6. Si differat cauſarum expeditionem, ut pecuniam extorqueat. 7. Si teſtamentum ſcribat hominis rationis uſu deſtituti. 8. Si teſtes falſos admittat. 9. Si ſolemnitates neceſſarias, ex ignorantia culpabili, vel malitia, prætermittat. 10. Si teſtimonium aliquod neceſſarium, unius rogatu, & alterius damno, non exhibeat; ſi conficiat inſtrumentum uſurarium, vel falſum, præſertim in damnum tertii; ſi faciat, ut proceſſus, & cauſæ veniant ad alios Judices, vel Referentes, &c. quàm ordo illius tribunalis poſtulat, quia multùm intereſt habere hunc, vel illum Judicem: Eſcob. V. Laym. *l.*3. *t.*6. *c.*2. Bon. *in præc. diſp. ult. p. ult.* 11. Si ſecretum violet, v.gr. aperiendo parti adverſæ dicta teſtium, ante eorum publicationem; quod eſſe mortale contra juſtitiam, docet Trull. *l.*8. *c.*7. *n.*3. ex Nav. *c.*25. *n.*52. 12. Si parti petenti inſtrumenta occultet, præſertim quæ continent legata, Nav. *l.c. n.*53. Sylv. *v. Tabellio.* Trull. *loc. cit.* 13. Si acta occultet, vel parti petenti tranſumptum proceſſus neget. 14. Peccat graviter, ſi amiſſo Inſtrumento antiquo publico, vel teſtamento, aliud ſimile confingat.

V. Procurator peccat, 1. Si litem procuret injuſtam. 2. Si plures cauſas ſuſcipiat, quàm poſſit expedire. 3. Si plus mercedis accipiat, quàm juſtum. 4. Si ſuadet reo, vel parti, ut injuſtè veritatem neget. 5. Si ſua incuria, negligentia, aliave culpa cauſa ſit, ut lis perdatur. 6. Si nomine partis juret, ſine particulari ejus informatione, cum periculo pejerandi. 7. Si culpabiliter tribunali non adſit, futuri incommodi metu, &c. V. Eſc. Laym. *l.c.* Bon. *qu.*3. *p.*4. 8. Si partes adducat ad concordiam iniquam. 9. Si differat cauſam, vel pervertat Judicem, vel petat terminos impertinentes, aut dilationes ſuperfluas. 10. Si falſos teſtes inducat. V. Sylv. *l.*12. *c.*24. Fill. *t.*40. *n.*294. Trull. *c.*6. *d.*1.

DUBIUM V.

Quod ſit Officium Accuſatoris.

REſp. Ut in accuſatione ſervetur juſtitia, cavenda „ 1509 ſunt tria: Primum eſt; calumnia, ideſt, impoſitio „ falſi criminis, vel ejus, quod ſufficienter probari nequit: Et „ hæc inducit obligationem reſtituendi, & ſubeundi vel pœnam talionis, vel aliam arbitrio Judicis. Secundum eſt, prævaricatio, ideſt, colluſio cum reo, & ſimulata tantùm accuſatio; Quæ in criminalibus, ſi Reip. damnum ſequatur, obligationem reſtitutionis inducit. Tertium eſt, tergiverſatio „ accuſationis inchoatæ, abſque juſta cauſa. Quod addo, quia „ cum cauſa, v.g. ob imperium Principis, vel Judicis, quòd interſit Reip. talem perſonam non puniri, vel infamari, vel „ quòd in accuſatione defectus ſubſtantialis ſit commiſſus, poteſt deſiſtere, imò tenetur, ſi in progreſſu cauſæ cognoſcat „ ſe erraſſe, ſi incipiat dubitare de crimine, ſi videat ſe non „ poſſe probare. Fill. *t.*40. *n.*205.

Quæres. An & quis teneatur alterum accuſare?

Reſp. I. Privatum rarò ad id teneri, tum ex praxi timoratorum, tum quia aliàs tribunalia eſſent plena accuſationibus, „ cum perturbatione Reip.

Dixi I. *Privatum*: quia ſi quis à Republ. ſtipendium ob „ hoc accipiat, v.g. fiſcalis, &c. tenetur ex juſtitia, & conſequenter ad damna, ex omiſſione accuſationis ſecuta, Fill. „ Bon. *in* 8. *præc. d.*10. *q.*3. *p.*1.

Dixi II. *Rarò*, quia ſi ita exigat bonum publicum, v.g. ſi „ proditio imminens, vel grave damnum innocentis aliter „ averti non poſſit, & crimen facilè probari poſſit, tenetur „ etiam privatus accuſare, vel ſaltem denunciare: idq; tamen ex „ charitate tantùm, quæ reſtitutionẽ non importat, Fill. Bon. *l.c.*

Reſp. II. Accuſare prohibentur, 1. Excommunicati, proditores, infames; idque in pœnam criminis. 2. Filii, ſervi, „ ſuos parentes, vel Dominos, ob reverentiam. 3. Clerici, in „ cauſa ſanguinis, ob indecentiam. Leſſ. *l.*2. *c.*30. *d.*6. Bon. *n.*10. „ Sanch. *Conſil. l.*6. *c.*1. *d.*30.

Reſp. III. Non teneris, imò nec debes, etiam poſito Superioris præcepto, denunciare crimen, 1. Si delinquens emendatus eſt, ſine periculo recidendi, & parti læſæ ſatisfactum; „ nec periculum imminet aliis; nec crimen eſt notorium: quia „ ſine cauſa proximi infamia ſequeretur, *v. ſuprà l.*2. *t.*3. *c.*2. *d.*4. „ 2. Si crimen noſti ſub ſecreto naturali, tanquam conſultor, „ Advocatus, &c. Niſi tamen is, qui ſecretum commiſit, innocentem, vel Remp. injuſtè vexaret, nec vellet deſiſtere, „ Lug. *d.*14. *n.*142. 3. Si inde immineat grave periculum honoris, vitæ, & rerum tuarum. 4. Si etiam probare cogereris, „ nec poſſes. V. Lugo *d.*38. *ſ.*2. „

A D-

ADDENDA.

1510 QVæſt.271. *Quid circa accuſatorem ſit prætereà notandum?* R.ſeqq.

§.1. Accuſatio eſt ſcripta delatio Rei de crimine ad vindictam publicam, ad Judicem facta. Differt à ſimplici denunciatione, quòd hæc fieri poſſit ſolis verbis, & denuncians non teneatur probare crimen, Dicaſt. *de juſt.l.2.t.1.d.7.à nu.2.* De obligatione, & poteſtate denunciandi diximus *l.2.à n.215.* an autem licitum ſit denunciare crimen emendatum, etiam diximus *l.3.p.2.n.1199.*

1511 §.2. Accuſatorem non poſſe deſiſtere à juſta accuſatione incepta docent aliqui apud Sanch. *in Conſ.l.6.c.4.* quia id cederet in damnum Reip. cujus eſt punire crimina, quæ probari poſſunt, contradicunt tamen *Sanch.* & alii, docentque etiam accepto pretio deſiſtentem non peccare, niſi aliud exigat officium ipſius, vel ratio boni publici, quia uti non obligabatur accuſare, ita nec jam tenetur accuſationem proſequi.

1512 §.3. *Gomez* negat accuſatorem cogi poſſe, ut exprimat diem, & horam delicti, ſi reus id exprimi velit, quia ſic facilè eluderet accuſationem, ſubornando teſtes aſſerentes eum alibi tum fuiſſe: ſed communis ſententia cum Leſſ.*l.2.c.30.n.7.* dicit ad hoc cogi poſſe, quia aliàs reo intercluderetur defenſio, qui aliter probare non poſſit ſe non feciſſe, quàm oſtendendo ſe eo tempore nequidem in eo loco fuiſſe. Quòd ſi accuſator ſpontè edixerit diem, & horam, & non poſſit probare crimen eo tempore commiſſum eſſe, communis ferè ſententia eſt tum non poſſe ſequi condemnationem, quia id probatum non eſt, quod eſt poſitum pro cauſa condemnationis; ſed hæc ſententia, uti cum aliis teſtatur Leſſ.*n.6.* non ſervatur in praxi, nec eſt conſentanea juri, & rationi, nam reus non punitur ob tempus delicti, ſed ob delictum, ergo ſi hoc aliunde probatum ſit, ſatis eſt, licèt non probetur tempus.

1513 §.4. Accuſator, ſi in probatione deficiat, tenetur pœna talionis, *Cap. Calumniator, 2. qu.3.* Et efficitur infamis, *Cap. Quæ autem pœna, ibid.* Et privatur communione, *Cap. Si quis Epiſcopum, Cap. Euphemium, ibid.* Vide S.Thom.2.2. *qu.68.art.4.* & Fagnan. *1.p.l.5. Decret. ad Cap. Falſidicus, De crimine falſi.*

An accuſator teneatur præmittere fraternam correptionem, vide Dicaſt. *à num.6.* An Judex procedere poſſit ex delatione facta per libellum, ſeu ſchedulam occultam, vide eundem Dicaſt. *à num.43.*

DUBIUM VI.

De Teſtibus.

1514 „ SUppono, ad legitimam, & plenam in judicio probationem, requiri duos teſtes, eoſque debere. 1. „ Externo ſenſu percepiſſe id, de quo teſtantur. 2. De eodem „ facto, & crimine, cum iiſdem circumſtantiis, deponere; „ alioqui erunt teſtes tantùm ſingulares, ut vocant, qui non „ faciunt plenam probationem. 3. Eſſe omni exceptione majores, in quibus ſcilicet nulla deſideretur conditio, quominus teſtari poſſint juxta verſum vulgarem:

„ *Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama,*
„ *Et fortuna, fides, in teſtibus illa requires.*

„ Hinc à teſtando rejiciuntur, 1. Servi. 2. Mulieres. 3. Minores 20. annis in criminalibus; in civilibus autem impuberes. „ 4. Inimici. 5. Sanguine juncti, & domeſtici; exceptis quibuſdam caſibus, apud Leſſ.*l.2.c.30.n.38.* 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Perſonæ inopes, & viles. 10. Deliri, & ſemifatui: ex quibus tamen ii, qui ſolo jure poſitivo „ ad teſtandum ſunt inhabiles, poſſunt admitti in criminibus „ exceptis. Quo ſuppoſito,

„ *Quæritur*, I. An, & quando teneatur quis teſtari? II. Ad „ quid teneatur, qui non vult teſtari, aut qui falsò eſt teſtatus?

„ Reſp.I. Non tenetur quis teſtari, niſi vel ex charitate, cùm „ ita neceſſarium eſt ad avertendum grande malum proximi, „ aut Reip. vel ex præcepto, cùm Judex, ſeu Superior habens „ poteſtatem, ita legitimè præcipit. In quo ultimo caſu, ſi „ fugias, aut occultes te, antequam ad teſtandum citeris, non „ peccabis contra juſtitiam; ideoque nec teneberis reſtituere, „ ut contra multos docent *Valent. & Leſſ.* Ratio, quia tibi „ necdum eſt præceptum: ſi quod autem jus naſcatur parti ex „ tuo teſtimonio, id ex præcepto oritur: Imò etſi ſit communis ſententia, ad reſtitutionem teneri eum, qui à Judice citatus fugit, vel teſtimonium fraude declinavit, cum ſit efficax, & moralis cauſa, ut Judex ſententiam ferat in alterius „ damnum, non tamen eſt improbabile, quod docent *Mol.* „ *& Leſſ.* non teneri. Ratio, quia citatio intimata non inducit obligationem juſtitiæ, ſed tantùm obedientiæ: proinde- „ que non comparens contumax tantùm eſt, & inobediens, non autem injuſtus. Leſſ. *num. 27. & ſeqq.* V.Bonac. „ Laym. *ll.cc.* „

Reſp.II. Etiam legitimè, & juridicè interrogatus, non „ teneris teſtari ſequentibus caſibus. 1. Si ſcias rem ex Confeſſione. 2. Si accepiſti ſub ſecreto naturali, ut Conſiliarius, „ Advocatus, Medicus, &c. modò tamen non ſit neceſſarium „ ad magnum Reipubl. vel proximi malum avertendum: tunc „ enim licet tale ſecretum detegere, etiamſi juraſſes te nulli „ dicturum, quia tale juramentum non obligat, cùm jure naturæ tenearis ad contrarium. V. Laym.*l.3.t.6.c.4.n.9.* 3. Si ex teſtimonio tibi, vel tuis immineat notabile damnum, niſi tamen damnum publicum, vel privatum alienum prævaleat, „ ut notat Lugo *d.39.n.10.* Unde communiter non teneris teſtari contra conſanguineum. 4. Si à viris non ſat fide dignis, „ accepiſti: tunc enim potes te habere, ac ſi nihil ſcires. 5. Si „ factum intellexiſti per injuriam, v.g. aperiendo litteras, cogendo alium ad revelationem, Laym.*n.5.* Mol.*d.5 n.5. 6.* Si „ alter probabiliter in facto non peccaverit, vel propter ignorantiam, vel quia rem aliquam accepit in occultam compenſationem debiti, ex quo tanquam de fure inquiratur. Ratio „ quia mens Judicis eſt inquirere de delicto. V. Az. *3.p.l.13.c.* „ 27. Fill. Bon.*d.10.q.3.p.3.* Laym.*l.c.* „

Reſp.III. Qui ſciens, falſum teſtatus eſt, per quod alteri „ fuit efficax cauſa damni, tenetur ad impeditionem, vel repa- „ rationem omnium damnorum, quæ cauſantur. Item tene- „ tur revocare cum pari ſuo damno, & periculo etiam vitæ, ſi „ reus de ea periclitetur, & putetur revocando aliquid effecturus. Ita *communiter*. Ratio, quia in damno æquali potiùs „ habenda eſt ratio innocentis. V. *dub ſeq.* „

Dixi I. *Sciens*, quia ſi ex ignorantia, inadvertentia, aut „ oblivione inculpabili, falſum eſt teſtatus, etſi teneatur impedire, ſi poſſit, non tamen ad reſtitutionem, etiamſi reus, „ damnetur. Ratio, quia neque tenetur ex re accepta, neque „ delicto. „

Dixi II. *Cauſa efficax*, quia ſi à parte rei falſum illud teſtimonium nihil effeciſſet, v.g. quia per falſa teſtimonia aliorum, jam tota cauſa damni erat, itaut Judex ex hoc teſtimonio nihil fuerit motus, ad nihil tenebitur. Leſſ. *d.7. & alii.* „

Teſtis peccat. 1. Si affirmet, quod ignorat. 2. Si veritatem, „ quam debebat celare, aperiat. 3. Si ſe occultet, ne rogetur, caſu quo tenetur teſtari. 4. Si judici juſtè interroganti non obediat, 5. Si pretium pro dicenda veritate accipiat. „

ADDENDA.

QVæſt.272. *Quid circa teſtes ſit addendum?* Reſp. Notari 1515 poſſunt aliqua, quæ Gob. *in Quint.t.5 c.42.* latè proſequitur, & probat ex legibus, AA. & ratione. 1. Si alia probatio deſit ad eruendam veritatem, ſervus ſive mancipium teſtari poterit. 2. Mulier poteſt eſſe teſtis, ſi res ex ſe non poſſit, niſi per mulieres cognoſci; imò jus civile admittit mulierem pro teſte, etiam in cauſa criminali; maximè autem pro teſtamento. 3. Qui jam factus eſt pubes, poteſt teſtari de eis, quæ vidit in ætate pupillari. 4. Furioſus, & amens habentes lucida intervalla poſſunt teſtari de illis, quæ in his geſta ſunt: qui tamen fuit ebrius, non poteſt teſtari; quia fuit velut amens; imò ebrioſus rejici poteſt ſecundùm aliquos, quos vide apud Gob. *c.25.n.14.* 5. Infames jure, qui ob crimen declarati ſunt tales, repelluntur, uti & infames facto, qui ob notitiam publici criminis apud prudentes viros amiſerunt exiſtimationem. 6. Admittitur pauper, ſi ſit bonæ famæ, qui prudenter non timeatur habere venalem fidem. 7. Si hæreticus litiget contra hæreticum, poteſt hæreticus eſſe teſtis; ſi contra Catholicum, poteſt eſſe teſtis tantùm pro Catholico, non pro hæretico contra Catholicum: & ita ſtatuitur in jure, etiam pro foro civili, licèt non obſervetur in Germania, ubi ſunt tolerati, & non cenſentur infames: non eſſet tamen dandus locus hæretico contra Catholicum Sacerdotem, vel Religioſum, præſertim ſi hi accuſentur criminaliter. 8. Idem nequit eſſe accuſator, & teſtis, 1516 niſi in rebus levis momenti, aut ſi agatur de peccato impediendo, aut ſi tantùm agatur de inquiſitione formanda, non autem de pœna; hinc putat *Leſſ.* illos, qui furantur fructus ex hortis, vel ligna ex ſilvis, non eſſe puniendos ex ſolius cuſtodis teſtimonio, ſi reus factum neget. 9. In cauſis civilibus non ar- 1517 duis admittitur teſtimonium conſanguinei pro conſanguineo, vel affinis pro affine; admittitur etiam teſtimonium patris aſſerentis; vel negantis filium dixiſſe ſe ingredi Religionem cum animo profitendi; item matris, ſaltem ad gignendam præſumptionem, cùm quæritur de ætate, vel cognatione filii; item parentum, & cognatorum utriuſque ſexus, quando pro Matrimonio quæritur, an adſit impedimentum cognationis, vel affinitatis. 10. Probabilius eſt Patrinum poſſe teſtari pro eo, quem è Baptiſmo levavit. 11. Frater rogatus à fratre, vel Judice teſtari poteſt in teſtamento fratris, non tamen pro ſe facto: & generatim in cauſis civilibus, ubi eſt par cauſa

ſtu-

ſtudii, & propenſæ voluntatis, parentes, fratres, affines ſunt idonei teſtes. 12. In cauſis non judicialibus, & præjudicantibus alteri, v.g. dum quæritur, an infans ſit baptizatus, Eccleſia conſecrata, & ſimilia, ſufficit ad plenam probationem teſtimonium unius viri, de quo nulla ſuſpicio ſit pernicioſi mendacii, alioquin vix ſufficit unquam unus, uti probat Carden. *in 1.criſi poſt finem, in addit. ad d.4. à num.113.* Vide dicta *num.1437.*

1518 13. Communiter adjici debet juramentum, ut valeat teſtimonium. Excipiuntur Papa aliæque perſonæ à juramento privilegiatæ, vel diſpenſatæ, aut ſi pars adverſa remittat. 14. Clericus poteſt eſſe teſtis contra Clericum, & laicum, teſtari tamen non debet contrà hunc in cauſa criminali, ne ſecuta inde morte fiat irregularis: peccat etiam, ſi in foro ſæculari teſtetur ſine facultate Epiſcopi, ſic enim ſe ſubjicit Judici ſæculari: ſi tamen faciat, teſtatur validè. 15. Laicus nequit in cauſa criminali teſtari contra Clericum, niſi crimen ſit tale, ut ex natura ſua nequeat probari ſufficienter per ſolos Clericos. 16. Religioſus poteſt eſſe teſtis in rebus ſpectantibus ad ſuum Monaſterium; item in teſtamento, quo aliquid legatur ipſius Monaſterio, quamvis mediatè cedat in commodum ipſius; item in cauſa alterius ſui confratris; item validè teſtatur in teſtamentis ſæcularium factis ad cauſas purè ſæculares; peccat tamen, ſi in his faciat ſine facultate ſui ſuperioris, quia ſe ſubjicit Judici ſæculari. 17. Religioſus in caſu neceſſitatis poteſt eſſe teſtis, v.g. in occultiſſimo Matrimonio; non poteſt autem, etiamſi jubeatur à ſuperiore, teſtari in cauſa ſanguinis ad condemnandum, bene tamen ad abſolvendum, alioquin ſit irregularis, ſi mors ſequatur, & ipſe non ſit priùs proteſtatus ſe cogi. 18. Laicus ſæcularis nequit teſtari contrà Religioſum, niſi crimen hujus occultum aliter probari non poſſit, v.gr. quia factum eſſet in ſilva, cubiculo, noctu. 19. Quando negotium eſt tale, ut

1519 non ſoleat committi niſi inter domeſticos, ſi alii deficiant, admittitur teſtimonium domeſtici; item quando veritas poteſt meliùs per domeſticos, quàm alios comperiri: item quando domeſticus eſt perſona valdè honeſta: præterea teſtimonium domeſtici pro domeſtico contra domeſticum valet, quia par cauſa, quæ eſt utrimque, tollit ſuſpicionem affectionis: valet quoque teſtimonium domeſtici pro extraneo contra domeſticum, & ad illud cogi poteſt: illi autem ſoli dicuntur domeſtici, qui cohabitant, & aliquo modo ſubſunt poteſtati illius, à quo producuntur, ut dent teſtimonium. 20. Bald. & Menoch. apud

1520 Gob. *c.8.n.61.* dicunt defendi poſſe teſtimonium illius, qui dicit ſe pro certo ſcire id, quod novit ex ſolis conjecturis, & præſumptionibus à jure approbatis. Teſtis autem argumentans nihil probat, uti habet Alex. apud Gob. *in Exp.t.9.nu.4.491.* ideſt, teſtis debet teſtari de reipſa ſibi nota, & non arguere, ſeu deducere ex hoc, vel illo ſigno, quòd ſit facta. Vide de illis omnibus etiam Dicaſt. *de juſt. l.2.t.1.d.8.* Denique notandum ex Maſcard. *de probat. concl.1357.nu.3.* & Farinac. *de Teſtibus q.60.n.29.* teſtimonio illius, qui inde habet commodum, non eſſe ordinariè deferendum.

DUBIUM VII.

De Reo.

ARTICULUS I.

An, & quando reus teneatur fateri veritatem.

1521 „ RESP. I. Si non interrogatur legitimè, non tenetur „ fateri ſuum crimen, ſed poteſt Judicem eludere, „ vel ambiguis verbis, vel etiam negando, cum aliqua reſtri„ ctione, & bono ſenſu, ut mendacium abſit. Ratio, quia „ tunc Judex non habet jus interrogandi, aut obligationem „ imponendi reo. Ita Leſſ. & Laym. *l.3.t.6.c.5.* Bonac. *d.10.q.3.* „ *p.2. Unde reſolves:*

„ I. Reus non tenetur fateri crimen ſuum, 1. Si Judex non ſit „ legitimus. 2. Si à ſeipſo litis proceſſum inchoet, ſine prævia „ accuſatione, ſaltem virtuali. 3. Si non præceſſit ſemiplena „ probatio, nec infamia, nec manifeſta criminis indicia ex„ tent. Ratio, quia in his Judex non interrogat legitimè. Az. „ Leſſ. Fill. Laym. Bonac. *ll.cc.* Lugo *d.40.n.1.*

„ II. Nec tenetur, ſi dubitet, an Judex legitimè interroget, „ quia non tenetur parere cum gravi ſuo damno, niſi conſtet „ ſuperiorem poſſe præcipere. Ita Leſſ. Fill. Laym. *l.c.* Sanch. „ *l.6.Conſil.c.3.d.31.* Salas, Lugo, *&c.* contrà Syly. Bonac. *&* „ *alios.*

„ III. Judex tenetur reo manifeſtare ſtatum cauſæ, & quæ „ ſunt indicia, quomodo probetur delictum, &c. ut reo con„ ſtet, an legitimè interrogetur: quia non tenebitur reſponde„ re, alioqui, & ſeipſum honore, aliiſve bonis, quæ bona fide „ poſſidet ſpoliare. Caj. Nav. *c.25.n.43.* Lugo *n.1.*

„ IV. Si reum juridicè quidem interroget Judex, ſed nonniſi „ ex falſa præſumptione delicti, v.g. an exierit ex tali domo „ ſtricto enſe, poteſt reus (idem eſt de teſte) licèt ſciat ſemi„ plenè probatum eſſe, id negare, ſi exiit quidem non tamen „ facto delicto, ſed ob aliam cauſam: quia ſi Judex veritatem „ ſciret, non poſſet interrogare. Ita cum S. Th. *qu.69.a.1.* „ Sot. Fag. *p.8.c.34.* Dian. *3.p.tr.5.R.66.* Lugo *n.4.*

„ Reſp. II. Etſi communior, & verior ſententia ſit S. Th. 2.2. „ *q.69.* ſi reus legitimè interrogetur à Judice, teneri in con„ ſcientia apertè veritatem dicere, probabile tamen eſt etiam, „ quod ex *Sylv.* docet *Sa, & Leſſ.* non teneri, ſaltem pro „ mortali, in cauſis capitalibus, & gravioribus, ſi ſpes ſit eva„ dendi, & nullum grave damnum Reip. timeatur. Tann. *d.4.* „ *q.4.d.5.* Lugo *n.15.* ubi dicit, eſſe ſententiam valdè probabi„ lem, & in praxi tutam. Ratio, quia lex humana communiter „ non obligat cum tanto periculo, v.g. mortis; tum quia in„ humanum videtur, ut, qui convinci non poteſt, teneatur „ præbere arma contra ſe, quibus occidatur, aut gravem pœ„ nam, v.g. perpetui carceris, ſubeat: tum quia non videtur „ tam heroicus actus præcipi poſſe. Bonac. *t.2.in 8.præc. d.10.* „ *q.3.p.2.n.7.*

„ Dixi I. *In capitalibus* quia aliud eſt de cauſis, in quibus „ agitur de pœna Eccleſiaſtica, quæ eſt medicinalis.

„ Dixi II. *Si ſpes ſit evadendi*: quia abſque ea ceſſat ratio „ celandi veritatem, *Unde reſolves:*

„ I. Non ſemper opus eſt (juxta dicta *R.2.*) ut Confeſſarius „ reum urgeat ad crimen fatendum. Lugo *n.20.*

„ II. Poſt ſententiam latam reus non tenetur confiteri cri„ men, quod ante injuſtè negavit: quia finito judicio, finitur „ obligatio Rei, Laym. *l.c.* Imò probabile eſt, nec ante ſenten„ tiam ad id teneri (etiamſi adhuc ſit in poteſtate Judicis) do„ nec iterum interrogetur. Lugo *n.17.*

„ Reſp. III. Si quis ad evitanda tormenta gravia, mentitus „ falſum ſibi crimen impoſuit, per quod ſit morte plectendus, „ non videtur mortale. Ita contra Nav. & alios docent Ang. „ Syl. Leſs. *l.2.c.11.d.7.* Tann. *dub.5.* Ratio, quia non eſt menti„ tus perniciosè, cùm non teneatur tantis tormentis vitam „ conſervare. V. Lugo *l.c. Unde reſolves:*

„ I. Talis non tenetur poſteà crimen revocare, quamvis „ anteà perjurio confirmaſſet, ſi prudenter meruit, ne ad tor„ menta revocetur; quia etſi pejeratione graviter peccarit, „ hoc jam tranſiit; & non retractando nemini facit injuriam, „ ideoque ſufficit coram Deo pœnitere. V. Leſs. Tann. *l.c.* „ *& q.5.d.4.*

„ II. Si ex illa falſi criminis confeſſione grave damnum aliis „ ſequeretur, v.gr. bonum Reip. aut fama Religionis, vel „ familiæ notabiliter læderetur; aut aliqui ideò in hæreſin „ lapſuri eſſent, quævis potiùs tormenta perferenda eſſent. „ Tan. *loc.cit.*

„ III. Si reus tormentis coactus denunciavit alium innocen„ tem, tenetur ſub mortali, ante ſuam condemnationem, & ſi „ tum non facit, etiam poſt ſententiam damnationis, revoca„ re; ad quod etiam à Confeſſario eſt obligandus. Ita ex com„ muni Tol. *l.5.c.66.n.7.* Leſſ. *c.ult.d.15.* Tann. *d.4.q.5.d.4.n.103.* „ ubi ſubjungit, 1. Si quis tamen ſequatur, ipſaque praxi ſerva„ ri advertat eam ſententiam, quæ negat per revocationem in „ extremo vitæ factam tolli, vel infirmari denunciationem an„ te factam, ut docet Delrio *l.5. ſ.5.* Valent. *d.6.q.13.p.4.* is, „ conſequenter exiſtimare poterit, denunciantem in eo mor„ tis articulo (ſaltem cum ſuo incommodo, & ſub peccato „ mortali) obligatum non eſſe ad revocationem, quia eſſet in„ utilis. Ita Tann. *l.c.* Licèt ipſe rectè cenſeat, fundamentum „ iſtius ſententiæ minùs eſſe probabile.

„ 2. Monet idem Tann. *n.105.* cavendum eſſe Confeſſario, „ ne vel importunè ſæpiùs reo damnato inculcet retractatio„ nem denunciationis iniquè factæ, vel retractationem factam „ imprudenter, & cum ſcandalo evulget.

„ *Quæres.* An reus teneatur revelare complices?

„ *Reſp.* 1. Si omninò occulti ſint, nec aliis indiciis, aut teſti„ moniis convinci poſſint, non poteſt nec tenetur: ſi tamen vi „ tormentorum coactus prodat, ordinariè non peccabit, Leſſ. „ *l.c.* & Laym. *l.3.t.5.c.5.*

„ *Reſp.* II. Si crimen ſit exceptum, tenetur etiam non „ rogatus; ideoque ſi nolit, ſecundùm *Nav.* non erit ab„ ſolvendus.

ADDENDA.

1522 QUÆſt.273. *Quid præterea notandum circa hanc obligationem Rei?* Reſp. ſeqq.

§.1. An, & quomodo reo licita ſit æquivocatio, vel reſtrictio mentalis, videri debent dicta *l.3.p.1.à n.283.*

1523 §.2. Buſemb. *Reſp.3.* dicit non videri mortale, ſi quis, ut tormenta gravia evitet, ſibi imponat falſum crimen, ob quod morte plectatur; & id, præter citatos ab ipſo, reputant probabile, Az. Val. Laym. Lohn. Burgh. *cent.1.caſ.100.* Nec diffitentur Diana, Lugo, Dicaſt. *de juſt. l.2.t.2.d.12.num.514.* dicentes

pra-

practicè teneri posse: sententia tamen opposita videtur probabilior, quam tenent etiam *Covar. Mol.* & alii, ac probabiliorem fatetur *Dicast.* nam qui mihi etiam consentienti imponeret falsum crimen, ne gravissima tormenta pateretur, si ideò occiderer, censeretur moraliter occidere, & secundùm dicta *lib.3. p.2.n.9.* faceret mihi injuriam, quia cedere non possum juri ad vitam, cujus dominus est Deus, & non ego, ergo similiter ego mihi imponens tale crimen moraliter me occido. *Nec obstat*, quòd ad conservandam vitam non tenear pati, v.g. abscissionem cruris, secundùm dicta *l.3.p.1.n.*785. sed possim præeligere mortem, *nam* in hoc casu tantùm permitto mortem meam, in illo autem mihi positivè infero, moraliter loquendo, uti etiam ille mihi positivè infert, qui me de falso crimine accusat, ob quòd occidor. Facilius defendi potest cum *Sot. Salon. P. Nav. Dicast.* quòd reus conjectus in carcerem ob crimen non capitale possit ex zelo pœnitentiæ, vel justitiæ aliud verum crimen suum occultum manifestare, ob quod afficiatur supplicio, nam alius licitè posset eum de hoc accusare, si legitimè probare posset, ergo etiam reus, cùm ejus accusatio & confessio sit sufficiens probatio, & sic censeretur tantùm permittere mortem sibi ideò inferendam.

1524 §.3. Multi dicunt reum, qui negavit crimen, ob quod juridicè probatum afficitur supplicio, à Confessario obligandum, ut saltem in loco supplicii fateatur, quia aliàs sequitur scandalum, & infamia tum accusatoris tum Judicis; sed alii cum *Lug.* tenent oppositum, quia præsumptio pro tali sententia impedit scandalum, & credetur reus negare, eò quòd putet se non teneri ad fatendum: quòd autem non ideò fiat injuria accusatori, dixi *l.3.p.2.n.*1211.

ARTICULUS II.

Quid liceat reo circa fugam pœnæ.

1525 „ REsp. Quando sententia est materialiter injusta, lata
„ tamen secundùm allegata & probata, etsi in con-
„ scientia non obliget, non potest reus Judici positivè resiste-
„ re; tum ob scandalum; tum quia tali casu Judex habet jus
„ sententiam exequendi, & ad id tenetur. Ita communiter
„ Less. Sanch. contrà Vict. Bon. Lugo *d.*40.*n.*39.

„ Dixi, *Positivè*: quia reo, etiamsi verè reus sit, licet, ante
„ & post sententiam, (quoad mortem, vel pœnam morti
„ æquivalentem, v.g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio,
„ quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ conserva-
„ tionem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam
„ non conservandam, si spes commoda ostendatur: nisi ta-
„ men bonum publicum aliud postulet. Less. *lib.*2. *c.*31. *d.*5.
„ *Unde resolves*,

„ I. Regulariter reo licet fugere, etiamsi custos carceris
„ grave damnum inde passurus sit, (saltem nisi juraverit se
„ mansurum) quia utitur suo jure, & nulli facit injuriam. Fil.
„ *t.*40.*n.*274. Az. Less. *n.*31. nisi tamen charitas aliud suadeat,
„ ob damnum custodis præponderans. V. Bon. *de præcept. d.*
„ 10.*t.*2.*q.*3.*p.*2.*n.*13. Less. *l.c.*

„ II. Multò magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam à
„ ministro apprehendente se excutere, non tamen illi vim
„ inferre, vulnerando, percutiendo, &c. *Ibid.* & Regin.
„ *l.*24.*num.*4.

„ III. Licet etiam, saltem in foro conscientiæ, custodes
„ (præcisa vi & injuria) decipere, tradendo, v. gr. cibum
„ & potum, ut sopiantur, vel procurando ut absint; item
„ vincula & carceres effringere, quia cùm finis est licitus,
„ etiam media sunt licita. Et licèt captivi per effractum pa-
„ rietem simul elabantur, non tenebitur de damno, quia tan-
„ tùm est ejus causa per accidens, cùm jure suo utatur. Nec
„ refert, quòd leges & magistratus quidam tales effractores,
„ graviter puniant, id enim fit, quod vel contrariam senten-
„ tiam sequantur, vel ex præsumptione, quòd vim intulerint
„ custodibus, vel quod propter bonum Reip. ea pœna statuta
„ sit. Fill. *loc.cit.* Tan. *d.*4.*q.*4. *dub.*5. ex aliis multis. V. Lu-
„ go *sect.*4.

„ IV. Illis, qui non sunt ministri justitiæ, licet non solùm
„ consilio juvare reum, ut fugiat, sed etiam suppeditatis in-
„ strumentis, v.g. funibus, lima, &c. quia finem alteri licitum
„ illi suadere, & ad eundem media proponere licet. Less. *n.*40.
„ Tann. *l.c.* Syly. Turr. Vasq.

„ V. Non tamen licet juvare in effractione carceris, ut habet
„ communis, tum quia executio ipsa effractionis soli reo licita
„ est, propter jus vitæ conservandæ: tum ne alioqui omnis se-
„ curitas carceris pereat. Less. *l.c.* Bon. *p.*1.

„ *Quæres*. An reo liceat appellare?

„ *Resp.* Si sciat sententiam esse justam, & justè processum
„ esse, non licet, (licet tamen supplicare) quia id esset Judici
„ calumniam imponere. Imò injustè appellans tenetur de
„ damno. Si verò putet sententiam iniquam esse, aut injustè processum esse; aut si diversæ sint opiniones, potest appellare. „
V. Tann. *l.c.* *n.*100. Lugo *n.*14. Sanch. „

ADDENDA.

QUæst.274. *Quid circa fugam Rei, & appellationem sit prætereà notandum?* Resp. seqq. 1526

§. 1. Sanch. *in Decalog. lib.6. cap.*8. *num.*16. negat Religiosum justè damnatum ad triremes posse fugere, quia vi professionis tenetur obedire: sed Lugo *disp.*40.*num.*54. Tenet contrarium velut probabile, quia hoc ipso, quòd damnetur ad tam gravem pœnam videtur æquiparari sæcularibus, unde sicut his, sic illi satis erit talem pœnam ferre, quamdiu cogetur.

§.2. Dicast. *l.2.t.1.d.6.n.*88. putat proximis consanguineis, 1527
nempè patri, conjugi, fratri Rei licitum esse juvare eum in effringendo carcere, quia censentur una cum ipso persona. Addit *n.*89. idem licere alteri, qui certissimè timet, ne à reo prodatur & similiter incarceretur, quia liberando reum censetur liberare seipsum.

§.3. Caj. Sot. Salon. Sanch. *in Decal. l.3.c.*7. Dicast. *n.*72. pu- 1528
tant reum, qui effregit carcerem, teneri hoc damnum compensare, quia directè illud causavit; sed probabiliter contradicunt *Ban. Val. Regin.* & alii, quia non tenetur ex re accepta, uti patet; neque ex injusta acceptione, cùm licitè id fecerit, utendo jure suo.

§.4. Appellatio, per se loquendo, est licita, ideo enim est 1529
subordinatio tribunalium: neque audiendus est Caram. *in Th. Fundam. n.*1418. docens non posse dubitari de æquitate sententiæ, quia licèt non dubitetur de æquitate formali & bona conscientia Judicis, tamen diversa sunt hominum judicia, & apud superiores valere poterunt rationes vel omissæ, vel non rectè propositæ apud inferiorem. V. Carden. *in 1.crisi d.6.num.*153. Quòd si reus sciat sententiam contrà se latam esse justam, & ab hac appellet, Beja *P.1.cas.*65. multis probat esse rebellem potestati à Deo constitutæ, nocivum Reip. injuriosum Judici, ideoque peccare mortaliter.

§.5. Si injustè accusatus & condemnatus provocet accu- 1530
satorem aut Judicem ad Dei Tribunal, *Clarus* & alii Juristæ dicunt peccare, tum quia est contrà Charitatem & patientiam Christianam, tum quia illa provocatio est vana gloriatio innocentiæ, imò vix aberit appetitio vindictæ: è contrà, per se loquendo, nullum esse in eo peccatum docent Delrio aliique multi cum Burgh. *cent.*3. *cas.*87. quia cuilibet injustè gravato licitum est appellare ad Superiorem Judicem, & sic leguntur feciſſe etiam viri Sancti. Quòd si immiscеat se impatientia vel vana gloria vel appetitus vindictæ, id per accidens se habet: fatendum tamen est hoc esse periculosum & vix unquam probandum.

DUBIUM VIII.

Quomodo Confessario agendum cum reo?

RESp. Observanda seqq. I. Instruat eum, quòd quæ „ 1531
secum in foro conscientiæ agit, cum Judicibus non „
communicentur: ideòque sive sit nocens, sive innocens, id „
ei nec prodesse nec obesse possit. Ratio, quia aliàs multi co- „
nantur se falsò probare innocentes, ut à Confessario juven- „
tur: alii contrà falsò se nocentes dicunt, quòd timeant, ne „
Confessarius conferat cum Judicibus, ipsique revocentur ad „
torturam: Unde expedit, 1. Ut non temerè evulget Confes- „
sarius accepta extra Confessionem. 2. Ut ad Confessionem „
sacramentalem reum non admittat, nisi postquam in foro „
profano res sunt liquidæ: vix enim adigi poterit, ut omnia „
fateatur, ob timorem, ne vel deferatur, vel cogatur eadem „
fateri Judici: ante tamen de contritione agendum est. Del- „
rio *l.6.c.*1.*s.*3. Tann. *d.*4.*q.*5.*d.*4. „

II. Ne cogat importunis modis reos, ut se tales fateantur: „
tum quia verè quidam Rei non sunt, & victi illa importuni- „
tate, ne moriantur incommunicati, vel à Confessario in ex- „
tremis deserantur, confitentur sacrilegè, tum quia frustra est „
Confessio, nisi fiat ex contritione & vera ad Deum conver- „
sione: de hac ergo laboret, & sequetur bona Confessio, non „
autem contrà, Tann. *l.c.* „

III. Caveat, ne coram reo censeat modum procedendi „
judicialem, proindeque communiter non admittat querelas „
de injuria facta, cùm non sit Confessarii ea judicare, sed „
ad pœnitentiam disponere. „

IV. Etsi quidam authores permittant Judici uti dolis bo- „
nis ad crimen eliciendum; non tamen id licet Confessario, „
ne ministerium ejus infametur. „

V. Non licet (secundùm Conc. Ant. *Can.*33. *& c.*34. *Non* „
licet) palàm interesse tormentis, aut suggerere modum tor- „
quendi, nisi mitiorem. V. Tann. *d.*4.*q.ult.d.*5.*n.*128. „

VI. Ex-

„ VI. Expedit habere cognita indicia & probationes deprehenſas in judicio, ipſumque modum proceſſus, ut & prudentiùs poſſit in ſuo foro agere, & Judicem, ſicubi opus, prudenter admonere.

„ VII. In Confeſſione examinet. 1. An conſortes criminis prodiderit, (ſi ſecundùm ſuprà dicta tenebatur) & quidem ſi falsò alios infamarit, inducat ad revocationem, etiam cum periculo torturæ; V.Tan.*d.*4.*q.*3.*dub.*4.*nn.*103.& dicta dub. ſuper. 2.Si ſaga ſit, quo tempore, qua occaſione in magiam ſit lapſa; uti ſi poſteà neget, convinci poſſit in eodem foro. 3.In qualitatem ſuperſtitionis, an ex animo Chriſtianæ fidei renunciarit, dœmonem adoraverit, falſa de Deo & æternitate ſenſerit, rebus ſacris abuſa ſit, hominibus nocuerit, præſertim conjunctis, ut marito, liberis, & an alios ſeduxerit. Item de peccatis carnalibus. Denique confeſſæ aperiat fraudes dœmonis, inſtruatque, quomodo iis deinceps occurrendum, atque inter cætera ſuadeat fidei profeſſionem, & frequentem Symboli repetitionem.

„ VIII. Sæpè non expedit poſt ſupplicium Judici ſignificare,reum in extremis denunciationes revocaſſe: tum quia Judices id parvi faciunt, (quàm rectè, v.Laym.& Tan.*loc.cit.*) Tum quia frangit ſigillum ſacramentale, ſi non petita licentia, innocentiam denunciari evulget, cùm eo ipſo revelet peccatum denunciantis: Quare ſi aliquando Judicem monere expediat, rogandus eſt reus, ut id extra Confeſſionem, & coram teſtibus dicat, eo fine, ut Judex moneatur.

„ IX. Si alicujus innocentiam ex Confeſſione colligeret, (quod etiamſi difficile, non tamen impoſſibile eſſe, docet Tan.*d.*4.*q.*5.*d.*5.*n.*85.) id Judici aperire, ac pro reo intercedere, periculoſum eſt, tum quia poſt publicatam Rei Confeſſionem, ei non credetur; tum quia ſi plures audiat, hoc ipſo aliorum nocentiam, de illis tacendo, videtur confirmare,cum fractione ſigilli: tum quia ſi Rei cognoſcant, eum pro innocentibus intercedere, occaſionem arripient, eum callidè ſua facinora celandi. V.Laym.*l.*3.*t.*6.*c.*5.Tan.*q.*5. *d.*4.*num.*65.

„ X. Etſi pro reis, etiam juſtè damnatis, intercedere aliquando poſſit, maximè apud magiſtratum ſupremum, juxta ſcripturam: *Prov.*24.*Erue eos*, &c. valdè tamen prudenter & moderatè id faciendum, quia relaxatio poteſt eſſe illicita, Judexque(non tamen Confeſſarius, niſi ea præviderit) fieret reus malorum omnium, quæ ex liberatione ſequuntur, imò & ipſi imputabuntur, cùm ex officio debuerit impedire. V. Bon.*t.*2.*in* 8.*præcept.d.*10.*q.*2.*&* 3. Tan.*d.*4.

DUBIUM IX.

Quæ obligatio Medicorum, Pharmacopæorum & Chirurgorum.

1532 „ RESP. Tenentur in primis, quando tale officium petunt, vel ſuſcipiunt (ſub gravi obligatione) ſufficientem habere ſcientiam,ſive peritiam. Nav.*c.*25. Deinde in curandis infirmis, ſervare ſequentes regulas, 1.Ordinariè debent ſequi opiniones Medicorum ſecuras & tutas. Ratio eſt, periculum & damnum proximi. Bon.Lay.Sanch.1.*mor. c.*9. 2.Quando certum aliquod eſt pharmacum, quòd nimirum certò infirmis profuturum eſt, tenentur illud adhibere, omiſſo eo, de quo dubitatur: quia aliàs imprudenter proximum in periculo relinquerent. 3. Si non ſint certa pharmaca,debent adhibere probabiliora,& tutiora,tum quia alioqui ſalutem proximi in diſcrimen adducerent; tum quia tenentur fungi officio, quantùm poſſunt, cum minimo proximi periculo & damno.4.Quando nulla eſt ſpes de ſalute infirmi, nec adeſt remedium niſi dubium, de quo ſcilicet dubitatur, num profuturum an nociturum ſit, poſſunt, imò debent illud adhibere. Ratio,quia ſic infirmi negotium utiliter geritur; & ſi mors ſequatur, ipſis non imputabitur, cum aliàs ſpem vitæ non habeat, Laym.*lib.*1.*tr.*1.*c.*5. Fill.*tr.*21.*n.*152. Bonac.*de pecc.d.*2.*q.*4.*p.*9. *Unde reſolves*:

„ I. Medicus peccat, 1.Si abſque ſufficienti peritia gravem morbum curare tentet.2.Si occurrente gravi & inſolito morbo, ſpeciali ſtudio operam non impendat. 3.Si det pharmacum infirmo, quod probabilius creditur nociturum, quàm profuturum.4.Si medicamenta inexplorata,explorandi gratia adhibeat, præſertim quando de iis non eſt opinio probabilis,& habet medicamenta probabiliter utilia. 5.Si nō bene perſpecta morbi natura, temerè adhibeat remedia obvia, vel periculoſa, præſertim cum diſcrimine vitæ, vel gravis læſionis. 6.Si agnito ægroti periculo opportunè non adſit, aut neceſſariam curationem negligat, aut Medicos alios adhiberi non permittat. 7.Si aliquid ſuadeat Dei honori vel præcepto contrarium, v.g.incantationem, pollutionem, ſuperſtitionem, &c. 8. Si facilè & ſine neceſſitate, à jejunio abſolvat, carnium eſum permittat. 9.Si ægrotantem pauperem in periculo conſtitutum contemnat. V.Bon.*l.c.* Nav.*c.*15. Az.1.*p. l.*2.*c.*17. Eſcob.*l.*2.*E.*3.*c.*9.

„ II. Pharmacopola peccat, 1.Si rudis & ignarus munus exerceat, 2.Sine arte vel diligentia, medicamenta conficiat. 3.Melle in potionibus pro ſaccharo utatur. 4.Unum medicamentum pro alio (niſi tamen eſſet æquè bonum, & non majoris pretii) contra Medici præſcriptum cum gravis damni periculo porrigat. V.Salas *dub.*34.5.Si medicamenta ad non pariendem,vel ad fœtum expellendum vendat.6.Si pharmaca vendat inutilia &c. V.Eſcob.*l.c.*

„ III. Peccat Chirurgus, 1. Si ſine ſcientia & peritia ſufficienti vulnera curare tentet, cum periculo erroris. 2.Si Medicum, quando gravitas vulneris exigit, non conſulat. 3.Si lucri amore curationem protrahat. 4.Si mercedem juſto majorem exigat. 5. Si abortus cauſa venam aperiat, aliudve remedium adhibeat, V.Eſcob.*l.c.*

ADDENDA.

QUæſt.275. *Quid præterea circa Medicos ſit notandum?* 1533
Reſp. De his videri poteſt Boudevv. *in Ventil. Medico-Theol.* ubi fusè explicat, quid his liceat, & quomodo peccare poſſint in ſuis officiis. Adde tamen hæc pauca,

§.1. S. Pius V. in bulla, *Super gregem* 3. ſtatuit, ne Medicus ultra tres dies inviſat infirmum, niſi ſcripto Confeſſarii reſciat eum eſſe confeſſum, quæ Conſt. non eſt quidem in uſu pro his partibus, attamen foret utilis, poſſuntque de illa videri Dicaſt. *de pœn.d.*7.*n.*32.Averſa *de pœn.q.*15.*ſ.*4.Dian.*p.*3.*tr.*4.*R.*93. Gorm.*de pœn.p.*2.*a n.*20.Steph.*t.*5.*d.*5.*a n.*235. Laur.*T.*2.*tr.*1.*d.* 4.*a n.*346. Quia tamen datur præceptum confitendi in periculo mortis, uti dicemus *lib.*6. tenentur Medici monere infirmos de hoc periculo, Lugo *de pœnit.d.*15.*n.*38. 1534

§.2. Medicum & Chirurgum debere ſequi probabiliora & tutiora, tenent omnes, teſte Sanch.Bardi & Illſ.*t.*1.*d.*1.*n.*79. ita ut oppoſitum ſit improbabile. Ratio eſt. 1.Quia eſſet contrà charitatem non facere alteri, quod velles tibi fieri. 2.Tacito pacto per ſuſceptum officium ad id ſe obligarunt. 3.Eorum opinio probabilis non poſſet removere damnum infirmi, ſed hoc debet facere medicina materialiter bona & tutior. Per accidens tamen poterunt uti medio minùs tuto, ſi nempè æger non poſſit aut nolit pretioſas medicinas ſolvere. Teneri autem Medicum gratis præſcribere medicinas pauperibus, docent Silv.& alii apud Laur.*n.*359. quia cùm id poſſit ſine ſuo incommodo & cum ſpe vitæ proximi conſervandæ, vel depellendi gravis mali illius, Charitas id jubet.

§.3. Poteſt Medicus ſe accommodare opinioni aliorum, 1535
quos credit eſſe magis expertos, Ovied.Caſtrop.Laur.*num.*325. Regulariter tamen debet agere juxta opinionem ſuam, Platel. *p.*2.*n.*147.Quòd ſi adhibendo medicinam, quam putat certiorem, exponeret ſe periculo perdendæ famæ, ſi æger fortè non curaretur; putat Schild.*tr.*2.*n.*106. non teneri adhibere: tenetur autem potiùs fidere experientiis quàm rationibus, Vaſq. Laur.*num.*345.

§.4. Si mors ſit aliàs certa, & dubium ſit, an medium ſit 1536
profuturum an obfuturum,*Val.Sanch.* & alii dicunt poſſe dari ex ſpe ſalutis;quod ſi mors acceleretur,erit præter intentionem, & metus accelerandæ mortis compenſatur per ſpem vitæ prolongandæ, ſicuti periculum augendi pœnas æternas per correptionem peccatoris brevi morituri compenſatur per ſpem adducendi ad pœnitentiam: *Az.Caſtrop.*& alii contradicunt,quia exponis te periculo occidendi per aliquid de ſe aptum occidere; correptio fraterna tantùm per accidens nocet, Laur.*n.*343. tenet cum *Val.* ſi dubium ſit utrimque poſitivum; ſi autem ſit negativum, tenet cum Az.ſimiliter Arr.& Burgh. *cent.*1.*caſ.*12. tenent cum *Val.* ſi medicina etiam ex levi fundamento putetur profutura: omnes autem negant licere Medico experiri in deſperatis, an medicamenta ſint utilia vel noxia, quia ſic ſubitur manifeſtum periculum mortis accelerandæ.

§.5. Peccat mortaliter Medicus,qui homini libero & ſano 1537
præbet medicamenta ad Venerem notabiliter provocantia non autem ſi præbeat ægro ad ſanandam infirmitatem, qua laborat, tum quia in ægro non eſt periculum ita proximum, tum etiam, quia ſi tentatio inſurgat, eſt per accidens, & intenditur ſola corporis ſanitas, Boudevv.*qu.*17. cum aliis. Similiter peccat dans medicinam expulſivam fœtus; uti dictum eſt *l.*3.*p.*1.*a n.* 823. Quomodo expellere poſſit ſemen corruptum, dictum eſt *ibid.n.*926. An poſſit dare medicamentum præſervans à lue venerea ex illicito coitu contrahenda, V.Boudevv.*pag.*109.

§.6. Medici de ſe nullam habent poteſtatem diſpenſandi 1538
in jejunio vel in eſu carnium, Fagund. *de præcept.*4.*Eccleſ. l.*1.*c.*9.*num.*2. ſed tantùm poſſunt declarare, uti alii viri prudentes, an hic & nunc obliget præceptum ob grave damnum vel incommodum.

DU-

DUBIUM X.

Quæ obligationes Mercatorum, Opificum, & cæterorum sæcularium.

1539 „ RESP. Eæ patent ex dictis de septimo præcepto ex
„ quibus *resolves*,
„ I. Mercator peccat, 1. Si venenum, vel alia prohibita
„ vendat, cum suspicione pravi usus. 2. Si paratus sit quod-
„ cunque pretium, etiam injustum, ab emptore accipere. 3.
„ Rem carius, quàm supremo pretio, vendat, ob dilatam
„ solutionem. 4. Mercium defectum gravem occultum non
„ aperiat, pondus & mensuram imminuat. 5. Si in emptorem
„ injuriam monopolium injustum instituat, merces omnes
„ unius generis sibi comparet, immoderato quæstu pro libitu
„ vendendas. 6. Si merces ab eo, qui non novit, emat pretio
„ minore, vel cariore vendat ignoranti. 7. Si merces veteres
„ & inutiles novis admisceat, & vendat eodem pretio utras-
„ que. 8. Si justa tributa defraudet. 9. Si tempore debito, cùm
„ possit non solvat creditoribus, cum gravi eorum damno. 10.
„ Si mercibus solvat, quod pecunia debet, contra creditoris
„ voluntatem. 11. Si diebus festis publicè emat vel vendat con-
„ tra consuetudinem permissam. 12. Si juret falsò se tanto pre-
„ tio merces comparasse. 13. Si contractum ineat quemcun-
„ que, dubitans de ejus justitia. 14. Si emat res furtivas &c.
„ V. Escob. *t.2. E.3. c.12.*
„ II. Bibliopola peccat, 1. Si vendat libros prohibitos vel
„ lascivos. 2. Si librum defectu laborantem vendat pro inte-
„ gro &c. V. Escob. *c.13.*
„ III. Argentarius, sive Aurifaber peccat, 1. Si æs pro auro
„ vel argento vendat. 2. Auro vel argento plus æris misceat,
„ quàm ars requirit, & emptoribus mixtionem non significet,
„ neque minuat pretium. 3. Si ex rebus furtivis aliquid emat
„ mala fide. 4. Si communem lapillum pro pretioso vendat,
„ vel pretiosum pro vili emat, &c.
„ IV. Sartor, Sutor, & cæteri opifices peccant, 1. Si ju-
„ rent se tali die opus perfecturos, quod sciunt, (vel dubitant)
„ non futurum. 2. Si plus materiæ exigant, quàm ad opus sit ne-
„ cessarium; aut partes alicujus momenti, quæ supersunt, ret-
„ neant, sine voluntate domini. 3. Si diem festum sine gravi
„ „ causa violent, per se, vel per suos famulos &c. V. Escob. *l.c.*

ADDENDA.

1540 QUÆST. 276. *Quid circa mercatores &c. sit addendum?* R. Videri debent dicta *l.3.p.2.* de contractibus præsertim emptionis & venditionis, ubi multa fusè resolvimus, quæ *Busemb.* hic brevissimè insinuat.

1541 *Q.277. Quid notandum sit circa obligationem Professorum, Consiliariorum, Concionatorum?* R. seqq.

§.1. Eliz. *l.6.q.8.* dicit Professores, præsertim Theologiæ moralis, sub mortali teneri docere verum, quod agnoscunt, & studere, ut agnoscant, quod verum est, sed malè supponit omnem veritatem in rebus moralibus posse à nobis inveniri, uti ostensum est *l.1. àn.707.*

1542 §.2. Idem Eliz. §.4. *& seqq.* agit contra eos Theologos, qui non solliciti edicere quid sentiant, aut examinare, quid in re sit verum, tantùm dicunt, quid videatur probabile aut probabilius, *sic enim*, inquit, *faciunt Theologiam esse scientiam, non realem sed purè modalem vel secundò intentionalem, suamque omnem authoritatem prostituunt, nemo enim unquam sciet, an rem sciant, de qua loquantur, aut an ita loquantur, uti sciunt*, Favet illi Gerson *de Conf. Theol. lib.4. prof. 4. Minùs culpabiliter, nescio si minùs tolerabiliter errant, quos ex doctrina, dum moralem quærunt certitudinem, nullum lumen rationis movet ad assensum cujusvis agibilis, tantummodò satis est, si dicere potuerint, hoc scriptum est, hoc talis Doctor in lectura sua sensit, hoc alius ita posuit, similes aspicientibus verso ad Solem dorso.* Sed quamvis fatendum sit examinari debere motiva rationum utrimque, & in veritatem inquiri, sæpè est justa causa ita docendi suspendendo judicium suum: 1. Quia non semper potest resciri veritas, uti *lib.cit.* probatum est. 2. Quia difficillimum est invenire & periculosissimum definire quænam sint peccata levia vel gravia, uti docet S. Aug. *de Civit. l.21. c.ult.* Similiter S. Th. *Qudl.9. art.15.* ait, *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* Et Gabriel *in 4. dist.15. qu.13. art.2. Coroll.1. Incautum est & malum affirmare aliquid esse peccatum mortale quando non probatur sufficienti authoritate vel evidenti ratione:* idemque notant Gob. *in Exp.tr.1. num.55.* & Spor. *in Th. Sacram. p.1. cap.3. num.174.* 3. Quia etiam difficillimum est semper determinare, quænam inter opiniones sit probabilior, uti colligitur ex dictis *l.1. à num.150.* 4. Quia si adducantur AA. & rationes in utramque partem, prudenti lectori suggeruntur sufficientia motiva sibi formandi conscientiam practicam, secundùm dicta *l.1. àn.268.* 5. Quantum ad me, planè judico alios esse prudentiores quàm me, nec credo à lectore magni faciendum judicium meum, quando attuli alios authores omni exceptione majores. *Gerson* loquitur de illis, qui studiosè negligunt examinare rationes & in veritatem inquirere: quid enim senserit, patet ex his ejus verbis, *de Vita Spirit. lect.4. Coroll.11. Ex his elicio pro Doctoribus Theologicis doctrinam salubrem, ne sint faciles asserere actiones aliquas, aut omissiones esse peccata mortalia, præsertim sub universali .... debet quilibet nunquam oblivisci, quàm incerta est scientia nostra, ita ut idem sæpè homo brevi momento temporis nunc in hanc, nunc in oppositam feratur sententiam.*

§.3. Idem Eliz. *q.11. &* 12. docet turpe esse & illicitum 1543
Professori tenere vel sequi doctrinam, eò quòd eam doceat aliquis, si ad hoc non moveat veritas ipsa. Similiter *q.8. §.3.* declamat contra illos, qui ideo non tenent aliquando opinionem, quia multorum est. *Contrà est* 1. quia non semper inveniri potest veritas, uti sæpè dictum est, ergo in dubio sequi possum prudentem Ducem. 2. Si valent argumenta *Eliz.* Ergo malè erectæ sunt diversæ academiæ sectantes oppositas doctrinas tanquam antecedenter suas; item sequentes hunc vel illum Magistrum, v.g. *S. August. S. Thom. S. Bonav. Scotum.* 3. Ergo nullus apud Thomistas vel Scotistas audebit se voto vel juramento adstringere ad doctrinam *S. Th.* vel *Scoti*, nam neutri erunt sufficienter certi, quòd doctrinam veram sint ubique reperturi; & quas rationes afferent Thomistæ pro *S. Th.* eis similes afferent Scotistæ pro *Scoto*. Respondet quidem *Eliz. §.5.* notam veracis Doctoris esse, si Ecclesia de illo dicat, *ò Doctor egregie Ecclesiæ Sanctæ lumen, divinæ legis amator. Sed contrà* est manifestè, nam Ecclesia id dicit de singulis Doctoribus Ecclesiæ, & tamen certum est multos contradictoria dicere, v.g. *S. Augustinum & S. Hieronymum*; item *S. Th. & S. Bonav.* uti ostensum est *l.1. nu.719.* ergo licebit hunc vel illum sequi, licèt certum sit alterutrum docere falsum. *Conf.* nam Ecclesia non dicit ista verba de *Scoto*, de *S. Anton.* de *Cajet.* de *Durando*, de *Bachono*, de *Suar.* aliisq; piis & doctis viris, ergo peccatum erit se obligare ad unum ex his sequendum. 4. Quod attinet ad illum, qui sequitur multos, nisi obiter certitudo in contrarium, prudenter præsumimus id esse magis vicinum vero, quod multi sapientes viri tenent, secundùm dicta *l.1. n.270.*

§.4. In his, quæ pertinent ad fidem & mores, peccatum est 1544
tenere vel docere opinionem, quam quis sufficienter advertit esse falsam, quia hoc est addere vel demere aliquid legi Dei, quod prohibetur *Deut.4. v.2.* Putatque Eliz. §.8. §.10. docentem falsa peccare contra justitiam, quia vera docere tenetur, vel ex mercede, vel saltem ex tacito pacto, sicuti contrà justitiam peccaret nauta, qui sive pretio sive gratis me acceptasset transferendum in Italiam, & transferret in Angliam: sed vide de hoc dicta *l.3.p.1. àn.351.*

§.5. Si Professor in schola doceat absolutè sententiam, 1545
quam judicat esse minùs probabilem, (si justa causa non excusset, qualis esset secundùm *Oviedo*, ne censeatur singularis vel à Superiore reprehendatur) *Suar.* dicit esse mortale, *Sanch.* veniale; *Salas*, *Castrop. Rhod. Laur.* universaliter dicunt nullum esse peccatum, quia putant excusari propter obligationem nimiùm gravem examinandi, ubi probabilitas sit major aut minor: tenet cum his Teril. *in Reg.q.2. n.24.* si judicet sententiam tantùm probabilem, esse communiorem & utiliorem: attamen docere improbabilia circa fidem & mores est mortale, uti rectè *Sanch. Castrop. Laur.* quia grave est causare errorem in rebus ita necessariis. Docere improbabilia in Grammatica aut Philosophia etiam grave esse putant *Sanch. Castrop. Laur.* quia docens ex officio tenetur rectè docere, & ingenerare generales errores videtur grave; *Salas* putavit esse leve, sed *Rhodes* dicit hoc esse improbabile, nisi privatim doceret. Vide dicta *l.3.p.2. àn.351.*

§.6. De Consiliariis Principum, satis insinuavi *l.1. n.456.* 1546
qualia vitia cavere debeant & quales esse: posse autem, per se loquendo, quemvis, qui consulitur, respondere secundùm opinionem probabilem alienam contra sibi probabiliorem, docet Suar. *1.2. t.3. d.12. §.6. n.9.* item Sayr. Vasq. Sanch. quos sequitur Dian. *p.2. tr.13. R.14.* & consentit Mendo *d.13. n.202.* suaderturque ex dictis *l.1. n.377.* dicere enim potest esse viros probos & doctos, qui dicant hoc vel illud fieri posse in tali casu. *Dixi*, per se loquendo, nam sæpè ex pacto vel circumstantiis tenetur aliquis pro consilio interrogatus depromere sensum suum, & non tantùm alienum.

§.7. *Nav. Adr.* & alii putant Consiliarium semper exqui- 1547
rentem sententias faventes placito & commodis sui Principis, peccare mortaliter, quia exponit se periculo inducendi in errorem, sed si recta intentione procedat, non ideo peccare docent *Sanch. Baldel. Bress.* & alii, utitur enim jure suo, imò & fungitur officio studendi licitis commodis domini sui. Quòd

si in-

ſi inquireret in AA. faventes, volens ſtare ſententia cujuſcunque, quacunque ratione nitatur, malè ageret, uti rectè Bardi *de Conſc.prob.d.4.c.19.n.4.* & Burgh.*c.3.n.51.*

1548 §.8. Quædam Concionatoribus proponit Eliz. *q.6.§.5. & 6.* Et 1.arguit in illis ſcientiæ defectum, ob quem neſciant, quid ſit & quando reipſa committatur, v.g. uſura, ſimonia, vindicta, injuſtitia commutativa & diſtributiva, avaritia, ambitio, fraus in contractu &c. ideoque explicare non poſſint populo, quid ſub illis nominibus lateat ac damnetur, & ſic in eis vitiis relinquant. 2.Carpit modum probandi, *probant ſcilicet*, inquit, *alibi ex alienis, alibi ex propriis, ſed ſine ſenſu & præter ſenſum: ibi parum ſcripturas verſant, SS.PP.præterеunt, dicta Oratorum & maximè Gentilium colunt & mundum univerſum percurrunt longiſque deſcriptionibus implent; quid ergo Chriſtianum inde concludant? alibi ſcripturas quidem & SS. nominant, ſed quibuſdam, ut vocant, conceptibus tam longè à vero ac veriſimili divagantur, ut non Oratoris ſolum ſed nec Poetæ quidem locum teneant*, 3. Dicit eos ſolere in quædam invehi, v.g. in luxum veſtium, denudationem pectoris &c. neque tamen explicare populo, quandonam & qualia ſint peccata, atque ideo ab ejuſmodi concionibus appellatur ad Theologos, quod ſacris Oratoribus eſt probro ac impedit omnem dictionis fructum: Paulus, Timotheo dicebat: *increpa in omni patientia & Doctrina; ut potens ſit exhortari in doctrina ſana*. Et S. Auguſt. *de Doctrin.Chriſt.l.4.c.12.* Concionatoris munus eſſe ait, *ut doceat, ut delectet, ut flectat: docere neceſſitatis eſt, delectare ſuavitatis, flectere victoriæ*. Olim, inquit Eliz. Auguſtini, Chryſoſtomi, Ambroſii, Gregorii *erant Concionatores, ſed iidem Theologi*.

§.9. Ad doctrinam accedere debet virtus & vita exem- 1549
plaris: Trittemius *de Vita Sacerdot.c.1.n.24.* ait, *Prædicantis ſermo facilè contemnitur, cujus vita malis ſuſpicionibus in populo notatur*. Et *c.6.n.10. Facilè prædicantis ſermo contemnitur, ſi inter ruſticos familiariter effundatur; incipient te ex conſuetudine familiaritatis contemnere & quaſi ex ſuis unum æſtimare*. Addit *à n.25. Accuſare avaritiam & latro poteſt, emendare verò, nonniſi qui facit, quod docet: delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de jejunio diſputat; priùs vita requirenda eſt, quàm Doctrina, quia plenius opere docetur quàm ſermone; excellentiſſimum namque docendi genus eſt, demonſtratio exempli*.

Quæ materiæ utiliſſimè tractentur in Concionibus, dictum eſt *l.3.p.1.num.766.*

FINIS TOMI PRIMI.

Madrid 7 Mayo 9 de 1

El Marques de Can

Dda Resp. en 10 de Mayo: as. e.

D. Corresp.



537